15.2.150

BG. 15.2.2

Digitized by Google

FIDES
VINDICATA

FIDES VINDICATA

QUATUOR LIBRIS COMPREHENSA
In quibus Hiſtoricè, Chronologicè, ac Criticè
REFERUNTUR, SELECTISSIMISQUE
SACRÆ SCRIPTURÆ, SANCTORUM
PATRUM, ET CONCILIORUM ORACULIS
REFUTANTUR HÆRESES
Quæ à reparatione mundi ad noſtra uſque tempora inſurrexerunt adverſus propemodum omnia Dogmata, quæ Chriſtus aſcenſurus in Cœlum Reliquit Eccleſiæ ſuæ.

AUTHORE
R. P. F. BARTHOLOMÆO DURAND
Antipolenſi Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Sancti Ludovici Lectore jubilato.

AVENIONE,
Apud FRANCISCUM-SEBASTIANUM OFFRAY Typographum, in Foro S. Deſiderii.
M. DCCIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDO ADMODUM PATRI

JOSEPHO DE CAMELIN

TOTIUS ORDINIS FF. MINORUM

DEFINITORI GENERALI

Provinciæ S. Ludovici Regularis Obſervantiæ

SEMEL, ET ITERUM

MINISTRO PROVINCIALI &c.

ETSI fides Catholica humano ad ſui tutelam non egeat Patrocinio (REVERENDE ADMODUM PATER) Quoniam non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël, ſed Eccleſiæ dilectiſſimæ ſuæ ſponſæ continuè invigilans, eamque adjuvans vultu ſuo uſque ad conſummationem ſæculi, non ſinet portas inferi prævalere adverſus eam; tamen cùm ipſiús Dogmata acritèr impugnare non ceſſent Hæretici. Et in Religionis Chriſtianæ commodum, ac gloriam cedat Hæreſis excidium, operæ pretium duxi infenſiſſimis divinæ veritatis nobis à Spiritu Sancto revelatæ adverſarijs fortitér occurrere; eamque ab ipſorum criminatione vïndicare lucubrationibus meis. Nec mihi diú deliberandum fuit, quem eis deligerem Patronum cujus auſpiciis eſſent in lucem proditura, necnon Eccleſiæ hoſtes palàm aggreſſuræ: dum enim de illis edendis cogitavi, ſtatim intellexi in te conſpirare virtutes, quas avere poteram, ut conjuratos Hæreſiarchas, qui infeſtis Eccleſiam Romanam undequaque telis laceſſere contendunt, retrorsùm abire cogerem; ne amplius eorum ſermo ut cancer ſerpat & né impoſterùm velint adverſus Deum loqui iniquitatem. Nec me mea fallet præſagitio, ſi in hoc bello Simoni Mago, Valentino, Priſcilliano, Eutychio, Luthero, Calvino, aliiſque peſtiferis hominibus indicto, Agonothetam eſſe non dedigneris: in tuo quidem nomine lucubrationes meæ habent ſuppetias, quibus eorumdem hoſtium

EPISTOLA.

vires facilè evertere poſſunt, & concludere adverſus Manichæos, Donatiſtas, Arianos, Monothelitas, Pelagianos, Gnoſticos, Anabaptiſtas, cæteroſque iniquitatis Filios mendaciorum Patri ſuccenturiatos, qui Catholicæ dilectos veritatis diſcipulos, ab ipſis Eccleſiæ primordiis ad nos uſque nefariè reprehendunt & arguunt. Hæreticos quippé profligavit Avunculus tuus BARTHOLOMÆUS DE CAMELIN Forojulienſis Epiſcopus, cujus Orthodoxiam in perpetuas æternitates prædicabunt Chriſti Trophæa, quæ erexit in ipſiſmet locis in quibus olim hæretica Pravitas ſibi triumphare viſa, auſu temerario ſpeluncas latronum & Synagogas Satanæ ædificaverat, ut pulchræ Dilectionis filij abirent in Conſilio impiorum, & in via peccatorum ſtarent. Nec tanti Præſulis zelo ſuffecit defigere Crucem: eodem quidem domus Dei zelo eum comedente, inimicos fidei ab Ovili ſuo deviavit, in terra, Calvini deſerta, invia, & inaquoſa errantes, verbo & exemplo leniter reduxit, omnemque plebem ſuam ad meliorem frugem revocavit. eamque ſectans Charitatem quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti, multo ſumptu duo Monialium Monaſteria inſtituit. Pro ſucceſſoribus ſuis Ædes ædificavit, Fratres Prædicatores & Patres Societatis Jeſu Forumjulium advocavit, excepit, fovit ac dotavit, ut indefeſſo ipſorum labore & doctrina ſana populorum ignorantia diſcuteretur. Verum ut hæc & alia quamplurima nedum zeli & doctrinæ, ſed etiam ſollicitudinis tanti Paſtoris monumenta inoleſcerent, poſt ipſius obitum, alium de familia tua (PROVINCIALIS DIGNISSIME) divina Providentia Eccleſiæ Forojulienſi Epiſcopum ſuſcitavit, Gregique Paſtorem, ſcilicet PETRUM DE CAMELIN Prioris Nepotem, virum ſcientia & doctrinâ, non minus quam pietate Clariſſimum, virum inquam, qui pro Dei gloria, pro Eccleſiæ ſplendore, & moribus ad Evangelicam doctrinam conformandis animosè decertavit, commiſſi ſibi Gregis ſaluti continué proſpexit, & ſuæ Eccleſiæ cultui, ac obſequiis vitam omnem & ſtudia ſua conſecravit Dei zelo ductus ad opus miniſterij, & in ædificationem corporis Chriſti. Horum Epiſcoporum ſcientiam, pietatem necnon erga pauperes amorem Forojulienſes demirati ſunt in Fratre tuo BERNARDO DE CAMELIN ejuſdem Eccleſiæ Forojulienſis digniſſimo Archidiacono, diuque Vicario Generali cui pauperes ita chari erant, ut eos ſecum ſemper habere vellet. Et non ignorans patrimonium Chriſti eſſe patrimonium pauperum, eos Beneficij ſui reditibus isa juvabat & paſcebas, ut eis videretur fidelis ille ſervus, quem Deus conſtituerat ſuper familiam ſuam, ut daret illi cibum in tempore. Huic Archidiacono (cujus memoria in Benedictione ſit) ſucceſſit alter Frater tuus nimirùm PETRUS DE CAMELIN vir rectus ac timens Deum, quoniam ſapiens eſt, ea ſcilicet ſapientia cujus initium eſt timor Domini. At REVERENDE ADMODUM PATER Illuſtriſſimos parentes tuos ad tuæ Gloriæ commendationem, & Gentis immortale decus, ſatis ſit commemoraſſe, cùm ad hoc obſequij munus tibi præſtandum, hocque pro vindicanda fide Catholica opus nomini tuo conſecrandum, me moveat nedum Proſapia tua, qua nobiliores hujus Gallo-provinciæ familias affinitate atsingis: ſed etiam amor ille, quo Religioſos Franciſcanos Sanctiſſimi Sepulchri, Sacri Montis-Sion, aliorumque Sanctorum locorum Cultores flagras, quovè eoſdem à ſchiſmaticorum calumniis fidem Romanam in partibus Orientalibus vindicantes foves Eleemoſynis tua cura in Gallia collectis, tuoque ſtudio in Palæſtinam tranſmittendis, & erga omnes ejuſdem ordinis Miſſionarios Jeroſolymam mittendos, digné totius terræ Sanctæ Commiſſarij Generalis munus adimples, quoniam tibi nihil in votis magis eſt, quàm fidei defenſores in tuam adſciſcere tutelam. Movent me inſuper inſignes, quas in te veneror virtutes, quas ſileo ne vim afferam modeſtia tuæ, cujus maxima laus eſt nolle laudari. Hic tamen non prætermittam probitatem tuam, qua nihil reputas pretioſius, neque ſingula-

rem æquitatem, quâ pro vivida mentis acie, ac maturiore judicio ſapienter expandis, & æſtimas omnia. Neque morum integritatem, quâ nihil habes charius: in te enim fides ſumma, ſumma ſinceritas, nihil ſubdolum, nihil pravum, nihil quod corruptelam ſapiat. Abeſt à te ſuperbia; abeſt Aſperitas, in quarum loco eminent humanitas, ac comitas. Severitatem ſuperioribus ſæpè perutilem, ne dicam neceſſariam, jucunditati ſemper miſces & gravitati comitatem adjungis. Quod ſané non minus difficile eſt quàm laudabile; laudabilius tamen; quod qui ex admiratione dotum tuarum te diligere cæpit, magis demiretur poſtquam te penitùs inſpexit: mirari igitur debet nemo; ſi Fratrum tibi concreditorum voluntates mirum in modum allicias; tantaque ſuavitate, hilaritate & benignitate ita detineas, ut ne unus quidem ſui juris amplius eſſe videatur: ſi quilibet eorum tibi quàm alteri parere mallet, nulli quidem noxia, omnibuſque commoda eſt authoritas túa, quá te tam charum ſingulis, quàm utilem ità præbes univerſis (PROVINCIALIS MERITISSIME) ut minus in tuam, quàm in noſtram gloriam cedat. Ad honores & dignitates juſtitia motus Doctos & Religioſæ diſciplinę Cultores promoves, cùm in Comitiis Provincialibus dignioris ſemper ſit delectus tuus. Litteris Deditos amas, eoſque undique conquiris, eorùmque conſpectu libentiſſimè frueris: ſcis enim veram eſſe fælicitatem cum ſapientibus verſari. Eodem in ipſos amore Bibliothecam luculentam in conventu de Obſervantia Maſſiliæ inſtituiſti; & libros mira ſedulitate ex cunctis collegiſti diſciplinis, ut eis ad omnium ſcientiarum intelligentiam neceſſaria ſubminiſtrentur. Pro juvenibus Clericis edocendis majora conſtituiſti Gymnaſia nihilque permittis quantum eniti poteſt, quin eorum rationibus proſpiciatur, ipſiſque otia fiant quæ nacti litterariæ Reipublicæ emolumento eſſe poſſint. Pro ſenibus & infirmis reficiendis Valetudinarium conſtrui curaſti. Et ut in eo utriſque neceſſaria adminiſtrentur, illi jugiter invigilas, & patiéns es ad omnes. Tandem ejuſdem Conventus Maſſiliæ Eccleſiam mirificè decoraſti ea ſanctitudine, quæ domum Dei decet in longitudinem dierum. In his & in aliis majoribus geſtis omni admiratione dignis, quæ virtutis tuæ celebritatem ſubſequentium temporum exiſtimationi, ſempiternæque hominum memoriæ debent commendare, ſummê gloriatur hæc noſtra Sancti Ludovici Provincia, quæ ſemel & iterum te in miniſtrum Provincialem elegit, & in æternum merito gloriabitur, quia Beneficiorum tuorum numquam, ut par eſt, immemor erit. Aliud habet in te decoris ſui monumentum, illam ſcilicet totius Ordinis Fratrum Minorum Definitoris Generalis dignitatem, ad quam in ultimis Comitijs Generalibus Romæ celebratis te promovit univerſa Religio Seraphica, non tam alienæ benevolentiæ, quàm meritorum tuorum ſuffragio: perſpicuum enim fuit Vocalibus undique venientibus, Provinciæ noſtræ limites anguſtiores fuiſſe ad plené circumſcribendam activitatis tuæ Spheram, munus nobilius, majuſque illam decebat pro omnibus virtutibus tuis exercendis. Res Sacræ ac Politicæ totius Ordinis Sancti Franciſci definiendæ tuis debebantur curis, tuæque in agendis prudentię & in arduis fælicitati erant committendæ. Utramque in agendis & definiendis virtutem ac dexteritatem, præ cæteris Ordinis Seraphici Provinciis propius inſpexit, atque demirata eſt Aquitania Antiquior, quæ te Commiſſarium cum plenitudine poteſtatis & Viſitatorem Generalem habuit, & ut Patrem veneratur ac amat. His lubens majora adderem (REVERENDE ADMODUM PATER). Sed quoniam ampliſſima ſunt, ornatioremque Oratorem expoſcant, ea pro merito diſſerere nequiens, nobiliori ac uberiori calamo ea celebranda relinquo: non enim laudes hic proſequi tuas mihi eſt in animo, cùm tot virtutum dotes tam anguſtis Epiſtolæ terminis concludi non valeant, ſed ut affectum, quo te colo, perfectè intelligas. Patere igitur ea benignitate, qua omnes recipere ſoles, ut quod gratiſſimum habeo, opus ſcilicet pro fide Catholica à calumniis Hæreticorum vindicanda elucubratum, in ſinum tuum

confugiat , illudque tibi offeram , nedum veluti perpetuum venerationis , ac gratitudinis meæ monumentum jure tibi devovendum , ut fatebitur quiſquis noverit illam ſingularem benevolentiam ,qua beneficia beneficiis adjeciſti , quaque recentibus priora, majoribus magna ita in me cumulaſti , ut alteri nomini quàm tuo illud conſecrare non permiſerit intimis hærens ſenſibus grati animi memoria ;ſed etiam ut opus te' favente inceptum , ac tandem peractum ſub tua in lucem prodeat tutela. Ita enixè deprecatur.

PATERNITATIS TUÆ ADMODUM REVERENDÆ

Humillimus , & Obſequentiſſimus
ſervus F. B. DURAND

PRÆFATIO AD LECTOREM.

IN Lucem jam editis (Lector Benevole) Clypeo Scoticæ Theologiæ contra novos ejus impugnatores, ut noſtræ Theologiæ candidati præ manibus habeant unde adverſantium Tela confringere poſſint. Et diſſertationibus Eccleſiaſticis ad normam juris Canonici ac fori ſacramentalis, ut omnes in vinea Domini laborantes Puros moralis Theologiæ inveniant fontes; diu cogitavi quid operis elucubrare poſſem, quod utilius eſſet ad opus miniſterij & ad ædificationem corporis Chriſti, nihilque magis conſentaneum judicavi, quàm fidem à calumniis hæreticorum vindicare, ipſiuſque Dogmata tueri hoc opere, ut impoſterum non habeant Heterodoxi unde nobis obgannire poſſint: in ipſo enim ita Chronologicè, hiſtoricè, & criticè referuntur, ſelectiſſimiſque Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum & Conciliorum oraculis refutantur hæreſes, quæ à Chriſto nato uſque ad noſtra tempora inſurrexerunt adverſus fidem Eccleſiæ Romanæ, ut omnes diſpenſatores myſteriorum Dei, omneſque Chriſti fideles Orthodoxi ſanæ doctrinæ noſcant magiſtros, & rapaces venientes in veſtimentis ovium fugiant lupos, diſcantque ad cognoſcendas fidei veritates, ejuſdemque regulas, non ad rationem humanam (ut voluere plures hæretici) ſed ad Propheticas voces, ad Apoſtolicas litteras, & ad Evangelicas authoritates recurrendum eſſe: hæ quidem ſunt, quæ teſtimonium perhibent veritati, cùm, Apoſtolo teſte, fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, & omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis ſit ad docendum, ad arguendum, & erudiendum in juſtitia, quam ſecuti non ſunt Hæreſiarchæ, qui ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuere, ut teſtatus eſt Divus Leo ad Flavianum Conſtantinopolitanum. Forſan conatum meum laudabis, opus vero ſuperfluum tibi videbitur [Amantiſſime Lector] Tum quia ex Apoſtolo oportet hæreſes eſſe; ut qui probati ſunt; manifeſti fiant. Tum quia innumeros præ manibus habes libros omni eruditione plenos, & ad Hæreticos debellandos, iſtõ longè aptiores. Hæc omnia lubens fateor, palamque prædico quòd portæ inferi; ſeu hæreſes (ut vertit D. Epiphanius) non prævalebunt adverſus Eccleſiam Chriſti. Suſpicio etiam innumera adverſus hæreſes ſcripta volumina à pluribus Doctoribus omni laude dignis, omnique exceptione majoribus. Et præſertim ea, quæ à Sanctis Patribus ſcripta ſunt, dictante Spiritu Sancto, qui eos docuit omnem veritatem: etenim Eccleſia Chriſti habuit quovis ſæculo incitatos Præſules, & Doctores qui fidei Catholicæ veritatem & ſanctitatem ab impugnantium criminationibus acerrimè vindicarunt. His tamen nonobſtantibus diffiteri nequis, paucos eſſe libros qui ſimul & conjunctim omnes & ſingulas impugnent hæreſes, quæ à primis Eccleſiæ cunæis ad noſtra uſquè tempora fuerunt graſſatæ circa ea, quæ Chriſtus aſcenſurus in cælum hora fecit Apoſtolis ſuis, quos non ſervos, ſed amicos vocavit, quæque ipſi Apoſtoli docuerunt ſucceſſores; nimirum Epiſcopos quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei: Sancti Athanaſius, Ambroſius, Hilarius Pictavienſis, Gregorius Nazianzenus ſcripſerunt contrà Arianos. Sanctus Gregorius Nyſſenus contra Macedonianos; Sanctus Auguſtinus contra Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos. Sanctus Hieronymus contra Origenem, Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, & Pelagium. Sanctus Cyrillus Alexandrinus contrà Neſtorianos. Sanctus Maximus contra Monothelitas. Sanctus Fulgentius contra Arianos & Pelagianos. D. Bernardus contra Abailardum, Petrobruſſianos, & Henricianos. Tandem Sancti Thomas & Bonaventura ſcripſerunt contra Græcorum errores. Poſt hos, alioſque Sanctos Patres contrà hæreſes ſcripſere plures viri doctiſſimi qui ſupra muros civitatis Dei ſicut vigilantiſſimi ſtetere Cuſtodes, & ſe oppoſuerunt genti peccatrici & Filiis ſceleratis, qui abeuntes in conſilio impiorum, & in Cathedra peſtilentiæ ſedentes, in Eccleſiæ fidem, ſi non ſimultate temporis, certè concordia impietatis irruerunt, articulos ejus evellere nitentes. Sed Pauci ſunt inter ipſos, qui contra omnes & ſingulos Hæreſiarchas ſcripſerint. Quidam

enim impugnarunt Pelagianos, omiſſis Arianis, Macedonianis, Sabellianis & aliis Hæreticis. Quidam ſcripſerunt contra Calviniſtas, omiſſis Lutheranis, Anabaptiſtis, Socinianis, & Janſeniſtis. In hoc autem opere in quatuor libros diviſo, modulata brevitas tibi depinget [Chariſſime Lector] ea quæ per varia, grandiaque Conciliorum, Sanctorum Patrum, aliorumque Sacrorum Scriptorum volumina reperiuntur diſperſa Hæreſiarchas & hæreſes impugnatura. Primus liber refert & refutat hæreſes, quæ inſurrexerunt adverſus Deum, & adverſus Chriſtum ejus. Secundus eas, quæ ortæ ſunt contra hominis conditionem & leges, quæ obligant eum. Tertius deducit & reijcit hæreſes quæ impugnant neceſſitatem gratiæ & gloriæ adeptionem. Quartus vero aut ultimus refert & refutat hæreſes, quæ emerſerunt adverſus ſanctitatem Eccleſiæ & adverſus Sacramenta, quæ Chriſtus ejus inviſibile caput ei reliquit ad ſanctificationem hominis viatoris. Hanc materiei diviſionem omnia, quæ ad fidem Catholicam ſpectant, comprehendere autumo, ut notum, atque perſpicuum tibi erit ſi illam attentè conſideres. Si verò eam inadæquatam reperis, & mancam ità ut aliquam hæreſim, aut aliquem Hæreſiarcham omiſerim, aut in aliqua ratione pro fide vindicanda, vel in reſponſionibus ad argumenta hæretica defecerit animus meus, memorem te opto illius Juſtiniani Cæſaris moniti *Omnium habere notitiam & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis eſt.* Aliud mihi eſt optandum, ſcilicet ut credas quod quid in hoc libro Scripturæ Sacræ, Concilijs, Sanctis Patribus, & Theologis magiſtris noſtris contrarium videbitur in pondere Sanctuarij & in charitate non ficta omnia perpendentibus, id expunctum, & ex animo retractatum volo, ac proteſtor nedum Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt mater noſtra ac magiſtra, columna ac firmamentum veritatis, cui contradicere inſanire eſt; ſed etiam ſapientum judicio ſubijcere, deoque omnipotenti tribuere quidquid in eo pro tuenda fide Catholica bonum reperiri poterit. Quoniam ipſe nobis revelavit myſteria, eſtque omnium ſcientiarum Dominus. Vale & pro me Deum exora.

LICENTIA SUPERIORUM.

IMPRIMATUR ſi videbitur R. P. Inquiſitori
PERTUYS Archid. V. & Offic. Gen.

IMPRIMATUR
F. PETRUS LA CRAMPE
Inquiſit. Gen. Ord. Præd.

LICENTIA ORDINIS.

FRATER Ildephonſus de Biezma Totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. Sancti Franciſci Miniſter Generalis, & ſervus &c. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri, BARTHOLOMÆO DURAND Provinciæ noſtræ S. Ludovici Patri, Salutem in eo, qui vera Salus eſt.

Multis jam anteà à te fœliciter in lucem editis; tum in Theologiam, tum in Diſſertationes Eccleſiaſticas lucubrationibus omnium applauſu receptis. Cum novum opus, cui titulus eſt *Fides Vindicata* &c. Itidem promere cupias, ac poſtules. Viſis inſuper teſtimoniis Patrum Lectorum jubilatorum, qui prædictum opus legerunt, & approbaverunt. Nos eapropter, præſentium vigore, quatenus ad officij noſtri jus, & authoritatem attinet, ſervatis de jure ſervandis, tibi cum adjuncto pariter ſalutaris obedientiæ merito facultatem concedimus præmemorati operis in Dei gloriam, & Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ fulcrum ſuſcepti, prelo mandandi, & in lucem edendi, cui ac tibi ubetrimos fructus noſtræ benedictionis impartimur. Valè in Domino, noſtrique apud ipſum memento. Datum in hoc noſtro magno Regali Conventu S. P. N. Franciſ. Curiæ Matritenſis die 12. Martij anni Domini 1708.

F. ILDEPHONSUS DE BIEZMA
Miniſter Gen Ord.

De mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis
F. CLAUDIUS PERRIN
Secret. Gen. Ord.

Regiſtr.
Tit. Provinciæ

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

NOs infra ſcripti Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Sancti Ludovici legimus librum, cui titulus eſt *Fides Vindicata* &c. à R. admodum Patre BARTHOLOMÆO DURAND Lectore jubilato, Ordinis Scriptore, & ejuſdem Provinciæ Patre meritiſſimo, admirabili eruditione elaboratum, doctrinæ ſoliditate firmatum, Theologicæ diſciplinæ profunditate munitum, ac peritia non mediocri compoſitum. Opus ſanè Authoris dignum, quò qui Clypeo Scotico celebris viſus eſt, Diſſertationibus Eccleſiaſticis celebrior evaſit, celeberrimus ab omnibus prædicatetur. Clypeo ſuo Scotico Doctores Scholaſticos, ac Eccleſiaſticos devicit, eoſdemmet Diſſertationibus ſuis Eccleſiaſticis erudivit, Hæreticos hoc opere confundit. Legat itaque hoc opus Chriſtiana Reſpublica, inoffenſo pede percurret: errori non obnoxium, quia errorem impugnat, eliminat, abſumit. Veritati conſonum, quia fidem authoritate Sacræ Scripturæ aſtruit, teſtimoniis Sanctorum Patrum firmat, & rationibus verè Catholicis corroborat: ex ipſo etenim ſicut ex Turri Davidica mille pendent Clypei, quibus Eccleſia, & immaculata, & inuulnerata permanebit: ipſum ergo, quod in lucem pro-

deat., æſtimamus quòd prelo mandetur, cenſemus, & omnibus Catholicis profuturum declaramus. DATUM Maſſiliæ die 25. Septembris anno Domini 1707.

F. STEPH. JOURDAN
Lector Jubilatus, &
dictæ Prouinciæ Cuſtos
F. MARCELLINUS MARGOIRE
Lector Jubilatus, Excuſtos, &
Conventus Montiſpeſſulani
Guardianus.

F. FRANCIS. GEOFROY Primus
Lector Jubilatus, & Exdefinitor

F. BONAVENT. REYNIER.
Lector Jubilatus

ALIÆ APPROBATIONES

EGo infra ſcriptus Doctor Sorbonicus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Provinciæ Gallo-provinciæ Provincialis legi librum cui titulus eſt *Fides Vindicata* &c. compoſitum A R. ADMODUM PATRE BARTHOLOMÆO DURAND Lectore jubilato, & Provinciæ Sancti Ludovici de Obſervantia Patre, in quo nihil inveni contra fidem,& bonos mores. In cujus rei fidem ſubſcripſi. Avenione die 13. Julij anni 1708.

F. FRANCISCUS GRANGE
Provincialis qui ſuprà.

EGo infra ſcriptus Sacræ facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, Carmelitarum Provinciæ Provinciæ Prior Provincialis, legi librum cui titulus eſt *Fides Vindicata* &c.A R. ADMODUM P. BARTHOLOMÆO DURAND Provinciæ Sancti Ludovici de Obſervantia Lectore jubilato, & Exprovinciali, in quo nihil reperi contra fidem & bonos mores. In cujus fidem ſubſcripſi. Avenione 15. Julij anni 1708.

F. TELESPHORUS DE LAFONT
Provincialis Carmelitarum.

EGo infrà ſcriptus Doctor Sorbonicus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini legi librum cui titulus eſt *Fides Vindicata* &c. Authore R. ADMODUM PATRE BARTHOLOMÆO DURAND Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ Sancti Ludovici Lectore jubilato, & Patre, in quo nihil Apoſtolicæ, & Romanæ fidei oppoſitum, boniſque moribus contrarium inveni. DATUM Avenione die 20. Octobris anni 1708.

F. BARTHOLOMÆUS BACULARD
Doctor Sorbonicus, & in Alma
facultatis Theologiæ academia
Avenionenſi Aggregatus.

EGo infra Scriptus Sacræ Theologiæ Doctor Aggregatus legi librum cui titulus eſt *Fides Vindicata* &c. Authore R. ADMODUM PATRE BARTHOLOMÆO DURAND Lectore jubilato Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ,ac Sancti Ludovici Provinciæ Exprovinciali meritiſſimo,in quo nihil videre eſt quod fidei Orthodoxæ non ſit conſonum, nec bonis moribus adverſum. Imo opus litteratis viris maximè perutile & ſtudioſis arridens.In cujus rei fidem ſubſcripſi. Avenione die trigeſima Janvarij 1709.

F. BERNARDUS BOURGESY Doctor Aggregatus
Ordinis Carmelitarum Exprovincialis.

ALIA APPROBATIO

ALIA APPROBATIO.

Liber, cui titulus eſt: *Fides Vindicata*, &c. Compoſitus A Reverendo admodùm Patre Bartholomæo Durand, Lectore Jubilato, Scriptore Ordinis, & Provinciæ S. Ludovici de Obſervantia Patre, in eo differt ab aliis, quod approbationem, quam à variis Doctoribus emendicant alij, iſte in ſuo titulo, & in ſui Auctoris nomine præſefert; quis enim in ipſo non videat, quantum ſit tum fidei Orthodoxæ Dogmatibus, tum piis, & bonis moribus conſonus; cum cernat in utroque & fidem vindicatam, & fidem vindicantem. Hunc librum ſimul accipiant in fide firmiores, aut in fide debiliores, invenient certè iſti,unde firmiſſimè roborentur,dum alij proſpicient unde mirabiles & glorioſos fidei Triumphos extollant & exornent. Ipſum ob oculos ponant fidei acriores adverſarij, ſtatim non poterunt quin tenebrarum ſuarum denſitatem, ignorantiarum ſuarum profunditatem & argumentorum ſuorum falſitatem, non intueantur. Hunc librum tandem aperiant morum bonorum amatores, aut oſores, ediſcent iſti & mirabuntur alij, artem benè vivendi ſuis ferè in omnibus paginis exaratam. Uno itaque verbo dicemus, cùm Liber iſte tot Approbatores, quot Lectores ſit ſibi comparaturus, non ſolum approbamus, ſed valde peroptamus ut citiùs typis mandetur. Datum in Conventu noſtro Avenionenſi die 6. Septembris anni 1708.

F. IGNATIUS PAGAN Dracænenſis, Antiquus Theologiæ Lector; & Provincialis Capucinorum Provinciæ. S. Ludovici.
F. AMBROSIUS BARRALY Arelatenſis, Antiquus Sacræ Theologiæ Lector, Exprovincialis Capucinorum Provinciæ S. Ludovici & Primus Definitor.

Unum, aut alterum domare monſtrum, index virtutis; multa debellare, inſolitæ ſignum fortitudinis; cuncta ſimul vincere & enecare, ſummæ virtutis eſt Herculeâque major fortitudo. Non defuere præteritis retro temporibus, vel inter Sanctos Patres, qui peculiares hæreſes (quas Eccleſiæ monſtra ſæpè vocat D. Hieronymus) ſuis polemicis elucubrationibus diſturbare conati ſint; non defuere qui multarum Hæreſeum hiſtoriam texuerint, & fœditatem oſtenderint. Paucos vidimus qui omnium ad uſque ſua tempora Hæreticorum delineare hiſtoriam, & ab eorum cavillationibus Religionis Dogmata vindicare tentaverint; nullus tamen hactenus (quod exiſtimem) fœliciori ſucceſſu, ſtylo magis neruoſo atque ſuaviori, accuratiori methodo, adversùs quaſcumque hæreſes, hiſtoricè ſimul & dogmaticè procedens, fidem Catholicam tutavit, quàm Reverendus Admodum Pater Bartholomæus Durand Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Sancti Ludovici Lector Jubilatus, & Exprovincialis, in ſuo opere quod inſcripſit *Fides Vindicata* &c. Antiquatas ſiquidem radicitùs evellit hæreſes, veteres recrudeſcentes præcidit, novas luxuriantes præfocat, futuras præcavet; & licèt res horrore plenas, juxta inſtitutum; proſequatur acriter; nihilominus non parum exhilarat, ſeu ob amœnam hiſtoricos plerumque materiæ varietatem, ſeu ob compendioſam immenſi propemodum thematis tractationem. Nec ſolum de ipſis controverſiſtis bene meritum eſſe Authorem nemo Doctus ibit inficias (inſtar enim polemicæ Bibliothecæ ejus eſt opus) quin & apud Theologos optimè audituram nullus non affirmabit: quippe qui ad-huc uſque deſideratum utriuſvè cùm ſcholaſticæ, tùm Dogmaticæ Theologiæ conſenſum, viam ſternit expeditam; ut tandem malevola Novatorum carpendi prurigo, quâ ut non niſi exiles quiſquillias & inanem rerum metaphyſicarum farraginem venditantes criminantur Theologos, obtundatur ſimul & confundatur. Sic ſcribebam die 13. Decemb. anno. 1708.

F. AMBROSIUS BRUNY in Collegio
Minimorum Avenion. ſtudiorum
Præfectus, & Theologiæ Moralis Lector.

ẽ

FRANCISCI MALAVAL Maſſilienſis, Cæci, Summi Pontificis diſpenſatione Clerici Reverendo Admodùm Patri BARTHOLOMÆO DURAND Lectori Jubilato, Epiſtola Gratulatoria.

GAudeo, Reverende admodum Pater, librum tuum Avenione, hoc eſt in Eccleſiæ Gremio, Typis mandatum eſſe. Non enim profectò levis eſt conſolatio in Eccleſiaſtica regione pro Eccleſia apertè ſcribere. Proficiet uti ſpero vetis Eccleſiæ Alumnis præclarum opus tuum, in quo non tantùm Catholicos inſtruis, veritatem docens, ſed Hæreticos ad fidem allicis, hæreſeum rationes ſincerus Hiſtoricus, ſolidus Theologus, non contumelioſus Orator evertens. Si enim ex veterum & recentium hæreticorum libris blaſphemias, contumelias, Catholicorum irriſiones, ſuperiorum contemptùm, temeraria de probis judicia, perverſa & ſæpiſſimè ficta, aut exacerbata, & inſuper malorum Catholicorum exempla, quibus turpiter glotiantur, allata detraxetis: ſi inverſos, ſi mutilatos, ſi additamentis corruptos ſcripturæ & Patrum locos detraxetis, & tantùm meras hæreſeum rationes ſeorſim expenderis, nihil infirmius, nihil contemptius invenies.

Multorum ſiquidem Hæreticorum ita ridicula ſunt argumenta, ut ludibrium excitent; aliorum ita ſubtilia & obſcura, ut ſibi ipſa lucem adimant, & nimiâ ſubtilitate vileſcant; aliorum demum rationes Sacro-Sancto Scripturæ textui ita manifeſtè contradicentes, ut clariſſimis verbis caliginem inferre non poſſint, quales ſunt ſanctiſſimæ iſtæ fidei propoſitiones: *Verbum caro factum eſt. Hoc eſt Corpus meum. Baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Et aliæ pleræque.

Scriptura enim quibuſdam in locis tam clara eſt, ut ſimplicioribus & rudioribus facilè pateat: verùm eadem fidei myſteria in alijs Scripturæ locis, ita abſtruſa, ita recondita ſunt, ut ignaros avertant, ſuperbos repellant, ſcrutantes gloriâ opprimant; atque ita in ſuas tenebras, hoc eſt, ſexcentas invicem pugnantes ejuſdem loci expoſitiones miſerrimè, ſed juſtiſſimè retrudantur, juxta tremendam Chriſti ſententiam: *Ut non videntes videant & videntes cæci fiant.* Idcirco à Doctioribus & verè Catholicis viris hujuſmodi loca exponi, conciliari & illuſtrari omnino indigent.

Grates igitur tibi rependere debent, vir clariſſime, Theologi, qui Scholaſticæ Theologiæ poſitiva adminicula abundè ſubminiſtras, hæreſeum originem, & progreſſus paucis diſertè enarras, ſectatorum rationes adducis, & evertis, & Catholicas veritates mirificè confirmas.

Utinam qui adhuc nonnullas ex Hæreſibus à te confutatis noſtrâ ætate tuentur, eruditum, validum, & Chriſtianam honeſtatem undique ſpirantem librum tuum patienter evolvere velint, & ad matris Eccleſiæ ſinum redire conentur. Etenim quas deſcribis hæreſes, unitatem veræ Eccleſiæ luculenter probant; omnes ſiquidem & ſingulæ, licet inter ſe horribiliter diſcrepantes, ac genuinam fidem dilacerantes, & aliquando cruentis bellis ſe invicem ſubvertentes, quarum tamen unaquæque ſecta ſe Eccleſiam vocat, & ſe Spiritum Sanctum habere gloriatur, omnes, inquam, & ſingulæ in unam Eccleſiam Catholicam Romanam ſimul concordes inſilierunt, & una Eccleſia Catholica illas omnes in Summorum Pontificum Bullis, & in ſuis Concilijs in perpetuum damnavit atque proſcripſit.

Una eſt infallibilis Eccleſia extra quam nulla ſalus, nulla quies, nulla gloria etiam inter homines præſumpta, ſed omnis infælicitas & maledictio, Teſtem Chriſtum appello amabilem Salvatorem meum, qui me judicaturus eſt, quanto affectu proſequar Eccleſiam, cujus non tantùm integram fidem & fidei particulas acertimè amplector; verùm etiam ſaluberrimas opiniones, quas circa fidem, circa cultum & diſciplinam, palam & ab omni ſæculo receptas tuetur.

Quis enim credat ſanctiſſimum & ſapientiſſimum ejus ſponſum, præter fidei depoſitum quod illi commiſit, non etiam ipſi multa lumina & documenta ſuccedentibus annis liberaliter impertiti, quæ fidem illuſtrant, roborant, & extollunt. Quamobrem honoribus, opibus, & ipſimet vitæ meæ ſubmiſſionem Eccleſiæ debiram proſtratus antepono. Non me inde dimoveret ſacrarum dignitatum faſtigium, ſi cum errore conjunctum eſſet, ut extra Eccleſiæ conſenſum quidquam amplecterer. Cecidit è Cœlo Lucifer Angelorum caput, & factus Draco tertiam partem ſtellarum ſecum pertraxit, quarum vel una ſtella, ex infimo

ordine, humanam omnem magnitudinem cæteris paribus longè ſuperabat.

Non me etiam dimoveret ampliſſimæ eruditionis oſtentatio; Oſius Conciliorum pater, Origenes Scripturarum Oceanus, à rectà via defecerunt; non me demum moveret eximia pietatis ſeveritas: inclitus Tertullianus & comites, nimio diſciplinæ affectu peccarunt & Eccleſiam reliquerunt. Unum æſtimo, Reuerende Pater, deoſculor & revereor, Catholicæ animæ characterem, ſcilicet Eccleſiæ Sanctæ Apoſtolicæ & Catholicæ, cujus Sancta & viſibilis ſedes Romæ extat, judicium ſuum interiùs, exteriùſque ſubijcere, idque corde & ore, ſine fuco profiteri: itaque quidquid adverſus authenticam Eccleſiæ doctrinam à me, qui homo ſum, aut emanaverit aut emanare poſſit, quocumque ſenſu reprobaverit & condemnaverit, illud reprobo & condemno.

Talem dudum me noſti, Chariſſime Pater, & ego viciſſim non te ex eruditione tantum, ſed ex verè religioſi, verè Minoris & Sancti Franciſci Alumni profeſſione exempliſque hactenus cognovi, atque dilexi. Non te inflavit ſcientia, non tuæ Religionis onera & honores, Lectoris Jubilati, Superioris, & Provincialis, etiam inter adverſa & hoſtiles cuneos, à ſincera & incita pietate averterunt.

Iterum tecum admodum gaudeo: libri titulum qui eſt, Fides Vindicata, penitus implevisti: Subtilis Doctoris Theologiam in Clipeo tuo vindicaveras: jus etiam canonicum Diſſertationibus in utroque foro conſcriptis, ſapienter propugnaſtis, & demùm ab impugnantibus, fides à te erudite vindicata eſt. Ad poſteros utinam opuſcula tria longè tranſmittantur & te triplici mercede cumulent; oro, ex animo cupio. Vive diù & me tuis orationibus & Sacrificiis juva, & quas poteſt miſer & infirmus, vices tibi polliceor, vale.

MASSILIÆ 3. Kalendas Februarij anno ſalutis: milleſimo ſeptingenteſimo nono.

ELENCHUS HÆRETICORUM

Qui in hoc Libro Referuntur, & impugnantur.

A

ABailardus. 26. 58. 142. 147. 409.
Abiſſini 24. 195.
Ablabius 526. 719.
Adamæi 109. 215. 272. 287. 713.
Adelphius. 414.
Adiaphoriſtæ. 278. 560.
Ærius. 420. 557. 567. 652. 713.
Ætius. 11. 389. 401. 605.
Agareni. 36. 140.
Agnoëtæ. 134.
Albanenſes. 6. 68. 71. 152. 223. 235. 247. 261. 265. 278. 291. 339. 420. 564. 571. 588. 688. 705. 713.
Albigenſes. 6. 235. 247. 265. 339. 352. 588.
Algazer. 17.
Almaricus. 215. 255. 339. 346. 428.
Alogiani. 42. 571.
Amzotius. 36.
Anabaptiſtæ 379. 466. 536. 588. 602. 632.
Anaſtaſius Dicoros, 63. 113.
Angelici. 472.
Angelitæ. 29.
Anomæi. 11. 192.
Antidicomarianitæ. 132.
Antichriſtiani. 137.
Antidæmoniaci. 477.
Aotinomi. 82. 390. 401. 499.
Antropomorphytæ. 8. 15. 243.
Aphthartodocitæ. 107.
Apocaritæ. 240.
Apoſtolici. 181. 197.
Appellitæ. 5. 113. 155. 320. 338. 605.
Appollinarius. 112. 118.
Apuleiani. 472.
Aquarij. 659. 681.
Arabes 231.
Archontici. 66. 338.
Ariani 34. 91. 168. 184. 515. 623.
Arnaldus de Villanova 270.
Armeni. 24. 52. 121. 154. 176. 215. 247. 261. 263. 346. 355. 412. 427. 479. 549. 582. 588. 602. 605. 616. 621. 631. 661. 681. 716.
Aroaldus 27. 427. 646. 658.
Aſclepiadothæi. 109.
Artemon. 109.
Artotyritæ. 658.
Aſſindinus. 30.
Aſſuritani 36. 533.
Aſterius 35.
Audæani 9. 243.
Auxentius 35.
Arma canus 628.

B

BAjolenſes 71. 278. 339. 688.
Barbas 36. 599.
Bardaſenes 223.
Barlahamus 30.
Baſilicus. 30.
Baſilidiani. 66.
Baſſus 142.
Begardi. 187. 287. 376. 379. 433. 545. 567.
Berengarius 631. 654.
Beza. 27. 97. 98. 150. 597. 618.
Bibliſtæ. 513.
Bizochi. 187.
Blaſtus. 76. 286. 499.
Bogomiles. 9. 30. 66. 176. 605.
Bohæmi 446. 684.
Bonoſiani. 132. 179. 484.
Boquioi 142.
Borboriani. 158.
Botrus 531.
Brachitæ. 240.
Brentius. 161. 192. 202. 567. 599. 611. 646. 684.
Bucerus. 150. 192. 296. 381. 386. 399. 496. 504. 611. 641
Bugaurius 390. 397.

C

CAinani. 5. 113.
Chaldæi. 121.
Calvinus 20. 76. 82. 97. 98. 137. 150. 155. 161. 169. 171. 176. 192. 198. 223. 253. 256. 309. 324. 366. 379. 381. 386. 394. 406. 421. 446. 455. 481. 494. 496. 504. 513. 533. 536. 545. 554. 557. 567. 571. 582. 586. 609. 613. 618. 623. 632. 641. 646. 664. 677. 681. 684. 688. 693. 701. 705. 716. 722-727
Campaniſtæ. 30.
Cæleſius 531.
Cantobabditæ 29.
Carpocratiani 66. 338. 484.
Cataphrygij. 304. 599. 605. 620. 658.
Campates 462.
Carloſtadius. 187. 504. 632.
Cathari 20 284. 299. 419. 659. 719.
Cathariali. 278. 578.
Cæleſtiani 192. 217. 359. 416.
Cerdoniſtæ 5. 112. 338. 571.
Cerinthiani. 65. 109. 252. 166. 195. 342. 464. 571.
Chiliaſtæ. 166. 342.
Circumcelliones. 36. 462. 533.
Claudius Guilliaodus. 386.
Claudius Taurinenſis 176. 621.
Colobroſij. 5. 113. 599.
Colliridiani. 486.
Colluthiani. 80.
Concordenſes 71. 278. 339. 688.
Cononitæ. 60.
Cozorenſes. 71.
Cynici 287.
Carpocrates 571.

D

DAdoës 414. 588.
David Dinantius. 9.
David Georgius. 158. 164. 568. 588.
Deiſtæ 267.

Dicaritæ 140.
Dimeritæ. 118.
Dimophilus 36.
Dioſcorus. 113.
Diottrephes 329.
Diſcalceati 301.
Donatus 531, 605. 623.
Doſithæus. 469.
Dulcinus. 197. 314.
Durandus de Waldach. 713.
Deuterius. 599.

E

EBionitæ. 109. 195. 484. 571.
Elcheſaitæ. 164. 195. 461. 571.
Elipandus. 179.
Encratitæ. 221. 284. 299. 713.
Enthuſiaſtæ 673.
Eom à Stella. 158.
Ellæni. 192.
Euchytæ 414. 673. 708.
Eunomius. 11. 389. 401. 450. 508. 516. 599.
Euſtathius. 425. 446. 567.
Eutychiani. 113. 339. 344.
Energici. 632.

F

FÆlicianus. 409.
Fœlix Vrgelitanus. 140.
Flagellantes 201. 281. 389. 487. 595.
Florinus 76. 113. 158. 286. 339.
Fauſtus Manichæus. 140. 426. 455.
Fratricelli. 545.
Flavitaoi. 549.
Fulgentius 588. 612.

G

GAinus. 24. 107. 140.
Georgius Blandrata. 30.
Georgius Laodicenſis. 35.
Gilbertus Porretanus 60.
Girardus Sagarellus. 197. 521. 545.
Gnoſtici. 5. 158. 238. 240. 658.
Goteſcalchus 89. 389.
Græci. 52. 285. 287. 291. 293. 295. 412. 627. 672. 676. 681. 684.
Guilielmus de Sancto amore. 324.

H

HElceſaitæ 28. 394.
Helvidius. 132. 484.
Hemerobaptiſtæ. 602.
Henriciani 421. 446. 466. 605. 631. 645.
Heraclitæ. 719.
Heracleonitæ. 713.
Hermanus Riſſuich. 265. 571.
Hermias. 8. 76. 155. 414. 597.
Hermogenes 29. 68. 155.
Hierachitæ. 339. 466. 705.
Hilarius. 491. 605.
Holandinus 68.
Huſſitæ. 71. 306. 389. 416. 421. 446. 496. 533. 545. 549. 564. 632. 684. 688.
Heshuſius. 613.

I

JAcobitæ. 24. 30. 597. 688.
Jacobus Præpoſitus. 390. 549.
Jacobellus. 684.
Janoveſiani. 335.
Janſeoiſtæ. 82. 90. 142.
Jconoclaſtæ. 455. 631.
Ignoetæ. 134.
Illyricani. 390. 646.
Inſabbatati. 419.
Joannes vveſtphalus. 247. 487. 538. 545.
Joannes de Roſochſeſana. 533. 684.
Joannes Pariſienſis. 655.
Joannes de Paliaco. 688.
Joannes Spangerbergius. 381. 386.
Jovinianus. 132. 223. 376. 379. 567.
Judas Iſcariotes. 308.
Judæi. 29. 100.
Julianus Apoſtata. 416. 513.

K

KEmnitius. 20. 496. 513. 613. 646. 684. 701. 705.

L

LAmbertus Damnæus. 30.
Lamperiani 309.
Libertini 231.
Lolardi. 487.
Lucianus. 5. 113.
Lucidus. 89. 142.
Luciferiani. 240.
Lucius. 45.
Ludoicus 632.
Lutherus. 20. 72. 82. 155. 176. 187. 192. 202. 208. 223. 253. 274. 284. 306. 309. 324. 331. 366. 379. 381. 386. 390. 394. 399. 401. 446. 455. 481. 496. 501. 513. 522. 524. 533. 545. 549. 554. 557. 564. 567. 571. 578. 581. 586. 597. 599. 609. 611. 613. 618. 623. 641. 646. 652. 655. 664. 677. 681. 684. 688. 693. 699. 701. 705. 716. 722.

M

MAcedoniani. 47. 516.
Mahometani. 9. 30. 223. 296. 300. 430. 446. 494. 571. 588.
Manichæi. 6. 113. 155. 158. 235. 238. 240. 269. 274. 339. 409. 459. 474. 571. 578. 659. 713.
Maratonius. 47.
Marcion. 5. 113. 223. 235. 320. 338. 571. 601.
Marius. 338. 599. 658. 664.
Maris. 36.
Marcus Antonius de Dominis 549. 641. 661. 699.
Marloratus. 97.
Maronitæ. 121. 713.
Marſilius. 515. 549. 557.
Maſſaliani. 508. 673.
Matthæus Illyricus. 150.
Maximinus. 36.
Melancthon. 197. 201. 223. 381. 386. 390. 394. 399. 496. 530. 567. 583. 609. 646.
Melchiſedechiani. 190.
Meletius. 35.
Menander 66. 112. 631.
Menas. 35.
Menonitæ. 508.
Metamorphitæ. 157.
Millenarij. 441.
Molinos. 309. 394. 417. 513. 526. 546.
Monophyſitæ. 113.
Monothelitæ. 121.
Montanus. 19. 87. 318. 605.
Muſculani. 168.
Maronitæ 12.
Magdeburgenſes. 554.
Maximianus Carthaginenſis. 605.

N

NArciſſus. 35.
Nazaræi. 192.
Neſtoriani. 126. 129. 184. 516. 631. 661. 684.
Nicolaitæ. 288.
Noatus. 19. 526. 605. 623. 719.

ELENCHUS HÆRETICORUM.

O

OEcolampadius. 187. 223. 274. 446. 632.
Ochinus. 646.
Ophitæ. 5. 658.
Olippius. 36.
Origenes. 34. 45. 245. 267. 328. 339. 346. 349. 351. 438. 479. 481.
Oſiander. 381. 477. 536.

P

Palladius. 36.
Parmenianus. 36.
Panicaſaiſtæ. 658.
Paſcentius. 36.
Paſchatitæ. 192.
Paſſioniſtæ. 140. 155.
Patropaſſiani. 140.
Pattalorinchitæ. 303.
Pauliciani. 176.
Pelagius. 217. 247. 359. 376. 416. 516. 588.
Pepuziani 304.
Petilianus 463. 605. 609.
Petrobruſſiani. 420. 446. 466. 605. 631. 645.
Petrus Joannis. 149.
Petrus Martyr. 394.
Phanatici 240. 414. 673.
Phariſæi. 192.
Philipponus. 60.
Photinus. 15. 29. 109.
Photius 52. 628.
Polithæi 5. 15. 597.
Praxeani. 29.
Præadamitæ. 107.
Prædeſtinatiani 89. 389.
Priminiani. 605.
Priſcillianiſtæ. 6. 30. 223. 245. 281. 284. 318. 474. 713.
Proclianitæ. 339.
Prodianitæ. 113. 158.
Pſalliani. 322. 524.
Pſeudoapoſtoli. 309. 421. 426.
Publicani. 446.

Q

Quartadecimani. 498
Quietiſtæ. 526.
Quintinus. 453. 469.

R

Raymundus Lullius. 481.
Rebaptizantes. 627.
Rogatiani. 36. 533.
Rutheni. 549. 564. 623.
Rethoriani 560.
Rupitani. 605.

S

Saba 414.
Sabellius 29.
Saducæi 469. 515.
Sagarellus. 314.
Samaritæ. 192.
Samozatenus 42. 109. 599.
Saturnious 66. 113. 205. 286. 712.
Secundinus 13. 284.
Secundus. 35.
Seleucus. 8. 68. 76. 155. 597.
Semipelagiani. 363
Serras 36.
Severus. 24. 29. 220. 299. 339. 571.
Symmachus. 109. 158.
Simon Magus. 65. 223. 235. 286. 338. 389.
Socinus 30. 36. 168.
Stancarus. 168.
Stamgerbergus. 30. 198. 494. 588.
Stephanus Antiochænus. 35.
Sacramentarij. 582.
Suenfceldiani. 588.
Severus. 613.

T

Tacianitæ. 220. 284. 299. 571. 713.
Tanchelinus. 673. 708.
Taurinenſis. 176.
Thaboritæ. 426.
Theogenis. 35.
Theonas. 35.
Triformiani. 60.
Trinitarij 223. 231. 417. 474.
Turilupini. 272. 287.
Tertullianus. 605.

V

Vadiani. 9.
Valens Valentini Imperatoris Frater. 508.
Valentinus. 5. 36. 112. 205. 223. 261. 338.
Valeſiani. 328.
Vigilantius. 446. 450. 508.
Vitalis. 36. 521.
Urgelitanus. 179.
Urſicius. 35.
Uvaldenſes. 278. 287. 289. 306. 322. 419. 421. 426. 446. 455. 487. 491. 494. 496. 508. 511. 521. 524. 545. 549. 557. 567. 576. 623. 665. 672. 688.
Wicleffitæ. 27. 71. 176. 223. 256. 278. 306. 309. 324. 416. 419. 446. 455. 489. 491. 496. 511. 513. 516. 521. 524. 545. 549. 557. 564. 567. 586. 606. 628. 631. 646. 655. 668. 688. 699.
Uvolfaogus. 504.

Z

Zuinglius 247. 599. 609. 632.

HÆRETICORUM.

Index Chronologicus.

IN
I. SÆCULO.

Simon Magus.
Cerinthus
Diotrephes.
Ebionitæ.
Melchiſedechiani.
Menander.
Nicolaitæ.
Poſithæani.

IN
II. SÆCULO.

Adamiani.
Angelici.
Alogiani.
Apoſtolici.
Appellitæ.
Apuleiani.
Archontici
Artotyritæ.
Bardeſanitæ.
Baſilidiani.
Baſſiani.
Bonoſiani.
Borboriani.
Caiani.
Carpocratiani.
Cataphrygij.
Cerdoniſtæ.
Chiliaſtæ.
Colobroſiani.
Encratitæ.
Floriani.
Gnoſtici.
Heraclytæ.
Marcioniſtæ.
Millenarij.
Montaniſtæ.
Nazaræi.
Ophitæ.
Panicaſaitæ.
Pepuziani.
Prodianitæ.
Quartadecimani.
Saturninus.
Symmachus.
Tatianitæ.
Valentiniani.
Valeſiani.

IN
III. SÆCULO.

Apocaritæ.
Arabes.
Brachitæ.
Catharialij, aut Chathariſtæ.
Cathari.
Dicratitæ.
Diſcalceati.
Elcheſaitæ.
Hermogeniani.
Hierarchitæ.
Manichæi.
Nepoſiani.
Noetiani
Novatiani.
Origeniſtæ.
Paſſioniſtæ.
Patropaſſiani.
Paulianiſtæ.
Poliſthæi.
Sabelliani.

IN
IV. SÆCULO

Aetiani.
Aeriani.
Agnoëtæ.
Anomæi.
Antropomorphitæ.
Appollinariſtæ.
Ariani.
Aſſuritani.
Audeani.
Circumcelliones.
Colliridiani.
Colluthiani.
Donatiſtæ.
Eunomiani.
Euchytæ.
Euſtathius Sabaſtienſis.
Fœlicianus.
Fulgentius.
Helvidiani.
Hermiani.
Hilarius.
Joviniani ſtæ.
Lucianus.
Luciferiani.
Macedoniani.
Maſſaliani.
Parmeniani.
Phanarici.
Photinus.
Priſcillianiſtæ.
Pſalliani.
Rogatiani.
Serras.
Seleuciani.
Vadiani.

IN

V. SÆCULO.

Anaſtaſius Dicotos.
Angeliſtæ.
Armeni.
Cæleſtiani.
Euthychiani.
Flavitas Conſtantinopolitanus.
Lucidiani.
Mopſueſtenſis.
Neſtoriani.
Paſcentiani.
Pelagiani.
Petilianus.
Prædeſtinariani.
Secundinus.
Semipelagiani
Vigilantius.

IN
VI. SÆCULO

Cononitæ.
Contobabditæ.
Jacobitæ.
Monophiſitæ.
Triformiani.
Durandus de Waldach.

IN
VII. SÆCULO.

Aphthartodocitæ.
Armeni.
Joannes Halicarnaſſæus.
Joannes Philipponus.
Maronitæ.
Monothelitæ.

IN
VIII. SÆCULO.

Albanenſes.
Bajolenſes.
Concordenſes.
Elipandus.
Iconomachi.
Urgelitanus.

IN
IX. SÆCULO.

Claudius Taurinenſis.
Gotteſcalchus.
Photius.

IN
X. SÆCULO.

Nullus fuit, qui ſit in hoc opere.

IN
XI. SÆCULO.

Berengarius.

IN
XII. SÆCULO.

Abailardus.
Abbas Joachim.
Arnoldus Brixienſis.
Bogomilij.
Henriciani.
Inſabbatati.
Marſilius Paduanus.
Petrobruſſiani.
Petrus Joannis.
Porretanus.
Waldenſes.

IN
XIII. SÆCULO.

Albigenſes.
Almaricus.
Dinantius.
Flagellantes.
Gerardus Sagarellus.
Guilielmus de ſancto amore.
Pſeudo-Apoſtoli.
Publicani.
Raymundus Lulius.
Tanchelinus.

IN
XIV. SÆCULO.

Aceindinus.
Armacanus.
Barlaamus.
Begardi.
Bibliſtæ.
Bizochi.
Janoveſiani.
Joannes de Poliaco.
Lamperiani.
Lolardi.
Turiluppini.

IN
XV. SÆCULO.

Adamitæ.
Antidæmoniaci.
Holandinus.
Huſſitæ.
Thaboritæ.
Wicleffitæ.

IN
XVI. SÆCULO.

Adjaphoriſtæ.
Bezanitæ.
Brentiani.
Bucerus.
Bugaurius de monte falcone
Calviniſtæ.
Carloſtadius.
Davidgeorgiani.
Deiſtæ.
Jacobus Præpoſitus.
Joannes Weſphalus.
Lucas Stangerbergus.
Lutherani.
Melanchon.
Ocolampadius.
Polygamiſtæ.
Quintiniſtæ, aut Libertini.
Sociniani.
Trinitarij.
Zuinglius.

IN
XVII. SÆCULO

Janſeniſtæ.
Marcus Antonius de Dominis.
Præadamitæ.
Quietiſtæ.

INDEX
LIBRORUM, ET ARTICULORUM

LIBER PRIMUS.

In quo referuntur, & refutantur hæreſes, quæ Inſurrexerunt adversùs Deum & adversùs Chriſtum ejus:

ARTICULUS I. *Quo Refutatur Atheiſmus.* 1.

ARTIC. II. *Reiicit polytheiſmum.* 5

ARTIC. III. *Oſtendit adverſus Antropomorphitas Deum eſſe incorporeum.* 8

ARTIC. IV. *Probat adverſus Anomæos Deum eſſe incomprehenſibilem.* 11

ARTIC. V. *Affirmat contra Secundiniſtas, Deum eſſe immutabilem* 13

ARTIC. VI. *Impugnat Photinianos immenſitatem Dei negantes.* 15

ARTIC. VII. *Reiicit nonnullos Philoſophos nolentes Deum eſſe proviſorem univerſalem.* 17

ARTIC. VIII. *Propugnat adverſus Novatianos miſericordiam Dei.* 19

ARTIC. IX. *Probat adverſus Monophyſitas, Deum non eſſe mendacem.* 24

ARTIC. X. *Oſtendit contra Arnaldiſtas Deum eſſe Omnipotentem.* 26

ARTIC. XI. *Convincit Noëtianos, & Sabellianos, nullam prorſus eſſe Trinitatem ſtatuentes.* 29

ARTIC. XII. *Confundit Arianiſmum.* 34

ARTIC. XIII. *Refellit Alogianos nolentes Filium Dei eſſe verbum Patris.* 42

ARTIC. XIV. *Demonſtrat contra Lucium, verbum Divinum cognoſcere Patrem, ſuamque ſubſtantiam.* 45

ARTIC. XV. *Repellit Pneumatomachos, ſeu Impugnatores Spiritus Sancti.* 47

ARTIC. XVI. *Refutat errorem Græcorum & Armenorum.* 52

ARTIC. XVII. *Statuit contra Abailardum Spiritum Sanctum non eſſe animam mundi.* 58

ARTIC. XVIII. *Affirmat contra Cononitas Tres divinas perſonas non eſſe tres Deos, ſed unum Deum.* 60

ARTIC. XIX. *Quô impugnatur Anaſtbaſius Dicoros quaternitatem in Deo admittens.* 63

ARTIC. XX. *Contrà Archonticos credentes Deum non eſſe Creatorem mundi.* 65

ARTIC. XXI. *Docet adverſus Hermogenianos, Deum creaſſe mundum in tempore.* 68

ARTIC. XXII. *Aſſerit contrà Albanenſes, Deum ex ſe præſcire futura contingentia.* 71

ARTIC. XXIII. *Quo conſtat contra Florianos, Deum non provocare effectivè homines ad malum.* 76

ARTIC. XXIV. *Statuit adverſus Colluthianos, Deum eſſe authorem malorum pœnæ.* 80

ARTIC. XXV. *Definit contra Janſeniſtas Deum non præcipere impoſſibilia.* 81

ARTIC. XXVI. *Tollit præceptum de perſecutione tyrannica non fugienda à Cataphrygiis admiſſum.* 87

ARTIC. XXVII. *Oſtendit Prædeſtinatianis, Deum habere voluntatem ſalvandi omnes homines.* 89

ARTIC. XXVIII. *Defendit contra novos Arianos Deum dediſſe Malis Angelis unde ſalvari poſſent.* 95

ARTIC. XXIX. *Declarat contra Bezanitas Deum dare cuilibet homini Angelum cuſtodem.* 97

ARTIC. XXX. *Affirmat contra Calviniſtas, Deum non prædeſtinaſſe primos parentes ad peccatum.* 98

ARTIC. XXXI. *Annuntiat Judæis adventum Meſſiæ.* 100.

ART. XXXII. *Impugnat Aphtartodocitas volentes verbum divinum aſſumpſiſſe carnem impaſſibilem.* 107

ARTIC. XXXIII. *Quo Ebionitæ confunduntur:* 109

ARTIC. XXXIV. *Contra hereſim Eutychianam.* 112

ARTIC. XXXV. *Probat adverſus Appollinariſtas verbum aſſumpſiſſe animam rationalem.* 118

ART. XXXVI. *Refutat Monothelismum.* 121

ART. XXXVII. *Refutat Neſtorianiſmum.* 126

ARTIC. XXXVIII. *Demonſtrat contra Conſtantinum Copronymum Mariam Matrem Chriſti eſſe Matrem Dei.* 129

ART. XXXIX. *Demonſtrat Antidicomarianitis; Chriſtum eſſe Filium unigenitum Mariæ.* 132

ART. XL. *Confundit Agnoëtas Chriſto denegantes cognitionem rerum futurarum.* 134

ART. XLI. *Probat adverſus Antichriſtianos impeccabilitatem Chriſti.* 137

ART. XLII. *Docet contra Baſilidianos, Chriſtum ſubiiſſe mortem Crucis.* 140

ART. XLIII. *Reiicit Baſſianos credentes Chriſtum non habuiſſe intentionem moriendi pro omnibus:* 142

ART. XLIV. *Repellit Petrum Joannis aſſerentem, Chriſtum poſt mortem non fuiſſe lanceâ perforatum.* 149

ART. XLV. *Quo impugnantur Bucerus; & alij negantes Chriſtum poſt mortem deſcendiſſe ad inferos.* 150.

ART. XLVI. *Docet contra Cerinthianos; Chriſtum Reſurrexiſſe à mortuis.* 152

ART. XLVII. *Declarat contrà Armenos Chriſtum Reſurrexiſſe tertia die.* 153

ART. XLVIII. *Reiicit Appellianos credentes, Chriſtum non aſcendiſſe in Cœlum, nec ſedere ad dexteram Patris.* 155

ART. XLIX. *Quo probatur adverſus Borborianos Chriſtum venturum eſſe judicare vivos & mortuos.* 158.

ART. L. *Impugnat Brentianos aſſerentes Chriſtum venturum eſſe ſine cicatricibus in corpore ſuo.* 161

ART. LI. *Condemnat Helchesaitas volentes licitum eſſe negare Chriſtum.* 164

ART. LII. *Refellit errorem de terreno, & Millenario Chriſti regno.* 166

ART. LIII. *Quo ſtatuitur contrà Stancarianos, Chriſtum eſſe vere Mediatorem.* 168

ART. LIV. *Oſtendit Calviniſtis, Chriſtum ſibi meruiſſe, & nobis.* 171

ART. LV. *Admittis in Chriſto omnia Spiritus Sancti Dona contra Petrum Abailardum.* 174

ART. LVI. *quo veruentibus Paulicianis, ſtatuitur Crucis Chriſti adoratio.* 176

ART. LVII. *Reiicit errorem Fœlicis Vrgelitani, & Elipandi Toletani aſſerentium Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum.* 179

ART. LVIII. *Quo convincuntur Semiariani, & Neſtoriani denegantes Chriſto Sacerdotium.* 184
ART. LIX. *Impugnat Bizochos adorationes Chriſto denegantes.* 186
ART. LX. *Refellit Melchiſedechianos.* 190
ART. LXI. *Repellit Eſſenos nullum in lege Chriſti admittentes præceptum.* 192
ART. LXII. *Quo ſtatuitur adverſus Cerinthianos plura veteris legis præcepta non obligare.* 195
ART. LXIII. *Ponit contra Apoſtolicos plura in lege Chriſti conſilia.* 197
ART. LXIV. *Refutat Flagellantes exiſtimantes Chriſti Evangelium, modò nullam habere virtutem obligandi.* 201.

LIBER SECUNDUS.

Fidei Vindicatæ in quo referuntur, & refutantur hæreſes quæ inſurrexerunt adverſus hominem & adverſus obligationes ejus.

ARTICULUS I. *Quo refellitur error Saturnianorum de duobus hominum generibus naturaliter bonitate, & malitia diverſis.* 205
ART. II. *Reijcit fabulam Præadamitarum.* 207
ART. III. *Aſſerit contra Thomam de Vio Evam fuiſſe formatam de coſta Adæ.* 212
ART. IV. *Impugnat Adamianos volentes propagationem hominum ex ſola Adæ culpa provenire.* 215
ART. V. *Probat adverſus Pelagianos Adamum mortuum fuiſſe culpa demerito.* 217
ART. VI. *Quo adverſus Encratitas defenditur ſalus Adæ.* 220
ART. VII. *Quo contra Bardeſaniſtas probatur hominem non amiſiſſe liberum arbitrium per peccatum.* 223
ART. VIII. *Defendit adverſus Tertullianiſtas homines ſceleratos non converti poſt mortem in Dæmones.* 227
ART. IX. *Oſtendit Philaſtrio omnes homines ante confuſionem Babylonicam locutos fuiſſe uno, eodemque idiomate.* 229
ART. X. *Probat contrà Arabes, animam rationalem eſſe immortalem.* 231
ART. XI. *Quo Metempſicoſis fabula velut ridicula exploditur.* 235
ART. XII. *Concludit contrà Manichæos Bruta non habere animam rationalem.* 238
ART. XIII. *Quo adverſus Luciferianos probatur animam hominis creari à Deo.* 240
ART. XIV. *Demonſtrat Audæanis imaginem Dei non eſſe in corpore hominis, ſed in anima ipſius.* 243
ART. XV. *Declarat adverſus Baſilidianos, animam nullum habere peccatum dum advenit carni.* 245
ART. XVI. *Reijcit Carpocratianos peccatum originale impugnantes.* 247
ART. XVII. *In quo adverſus Lutheranos oſtenditur peccatum originale non eſſe formaliter concupiſcentiam.* 253.
ART. XVIII. *Qui adverſus Calviniſtas maximam decernit inter peccatum mortale, & veniale differentiam.* 256
ART. XIX. *Quo adverſus Valentinianos probatur peccatum procedere à libero hominis arbitrio.* 261
ART. XX. *Affirmat contra Armenos nullum eſſe in homine peccatum quod non ſit remiſſibile.* 263
ART. XXI. *Convincit Albanenſes de exiſtentia inferni in quo puniuntur peccata hominum.* 265
ART. XXII. *Oſtendit Deiſtis in inferno eſſe ignem corporeum peccatores torquentem.* 267
ART. XXIII. *Expugnat errorem Arnaldi de Villanova aſſerentis in inferno puniri tantum peccata publica.* 270
ART. XXIV. *Explodit errorem Adamitarum.* 272
ART. XXV. *Probat contra Manichæos licitum eſſe hominibus bellum gerere.* 274
ART. XXVI. *Quo adverſus Catharialios juramentum permittitur homini.* 278
ART. XXVII. *Pugnat adverſus Priſcillianiſtas perjuria approbantes.* 281
ART. XXVIII. *Docet Elcheſaitas mendacium eſſe peccatum.* 282
ART. XXIX. *In quo conſtat contrà Mundatores licere homini veſci carnibus.* 284
ART. XXX. *Quo adverſus Nicolaitas prohibetur homini coitus excepto matrimoniali.* 286
ART. XXXI. *Declarat contra Pauperes de Lugduno occiſionem hominis eſſe licitam ſi fiat judicis ſententia.* 289.
ART. XXXII. *Repellit Albanenſes uſuram approbantes.* 291.
ART. XXXIII. *Quò adverſus Græcos homo obligatur ad reſtitutionem rei furto ſublatæ.* 293
ART. XXXIV. *Quo apparet contra eoſdem Græcos nulli homini licere vindictam de inimicis ſumere.* 295
ART. XXXV. *Improbat Polygamiam.* 296
ART. XXXVI. *Expugnat Tatianitas uſum vini hominibus prohibentes.* 299
ART. XXXVII. *Docet contra Diſcalceatos uſum calceamentorum eſſe hominibus licitum.* 301
ART. XXXVIII. *Repellit Pattalorinchitas hominem obligantes ad perpetuum ſilentium.* 303
ART. XXXIX. *Oſtendit Pepuzianis mulierem non poſſe ad Sacerdotium promoveri.* 304
ART. XL. *Affirmat contrà Uvicleffitas publicam Evangelij prædicationem non licere cuilibet homini.* 306
ART. XLI. *Reſpuit Pſeudoapoſtolos homini denegantes libertatem emittendi vota.* 309
ART. XLII. *Confundit Dulciniſtas aſſerentes uſum pecuniæ fuiſſe prohibitum Apoſtolis.* 314
ART. XLIII. *Quo impugnatur Joachim Abbas exiſtimans Apoſtolos non prædicaſſe Evangelium ſecundum ſpiritualem intelligentiam.* 316
ART. XLIV. *Impugnat Montaniſtas aſſerentes Prophetas non intellexiſſe ea de quibus loquebantur.* 318
ART. XLV. *Expugnat Appellitas volentes omnes Prophetas fuiſſe mentes, & vaticinatos fuiſſe falſa.* 320
ART. XLVI. *Reijcit errorem Pſallianorum Monachis prohibentium laborem manuum.* 322
ART. XLVI. *Confutat Guillelmum de ſancto amore dicentem Religioſos mendicantes non poſſe licitè ex Eleemoſinis vivere.* 324
ART. XLVIII. *Refutat Valeſianos aſſerentes Chriſtianos debere neceſſario eſſe Eunuchos.* 328
ART. XLIX. *Quo impugnatur Diotrephes Peregrinos eficiens.* 329
ART. L. *Docet contrà Dydimum Alexandrinum omnes homines eſſe morituros ante diem judicij.* 331
ART. LI. *Affirmat contra Janoveſianos Anti-Chriſtum eſſe venturum.* 335
ART. LII. *Tenet contra Cerdonianos omnium hominum reſurrectionem.* 338
ART. LIII. *Propugnat adverſus Chiliaſtas omnes homines eſſe reſurrecturos in eodem parvo temporis momento.* 342.
ART. LIV. *Docet contra Eutychianos corpus humanum reſurrecturum eſſe viſibile, & palpabile.* 344
ART. LV. *Oſtendit contrà Origenem fœminas reſurrecturas eſſe in proprio ſexu.* 346
ART. LVI. *Probat adverſus Origeniſtas corpora humana reſurrectura eſſe immortalia, & incorruptibilia.* 349
ART. LVII. *Refellit fabulam eorumdem Origeniſtarum aſſerentium quod corpora humana poſt reſurrectionem habebunt figuram rotundam.* 351
ART. LVIII. *Confundit Albigenſes credentes mundum poſt reſurrectionem mortuorum permanſurum eſſe in eo-*

Digitized by Google

dem ſtatu in quo nunc eſt. 352
ART. LIX. Refutat Armenos damnantes omnes homines qui præceſſerunt paſſionem Chriſti. 355

LIBER TERTIUS.

Fidei Vindicatæ in quo Referuntur, & Refutantur hæreſes quæ inſurrexerunt adversùs gratiam Dei & adversùs gloriam ejus.

ARTIC. I. Refutat Pelagianiſmum. 359
ARTIC. II. Impugnat Semipelagianiſmum. 363
ARTIC. III. Quo adverſus nonnullos ſtatuitur, voluntatem humanam poſſe reſiſtere gratiæ ſufficienti. 366
ARTIC. IV. Probat contrà plures, gratiam ſufficientem dari omnibus. 372
ARTIC. V. Reijcit Jovinianum exiſtimantem, gratiam ſemel receptam eſſe inamiſſibilem. 376
ARTIC. VI. Impugnat eumdem Jovinianum volentem gratiam Sanctificantem eſſe æqualem in omnibus juſtis. 379.
ARTIC. VII. Oſtendit Hæreticis recentioribus, hominem Juſtificari per gratiam. 381
ARTIC. VIII. Confundit Melanchonitas aſſerentes hominem teneri credere ſe eſſe in gratia. 386
ARTIC. IX. Affirmat contra Flagellantes opera juſtorum non eſſe injurioſa Sanguini Chriſti. 389
ARTIC. X. Quo declaratur adverſus Huſſitas gratiam Sanctificantem non eſſe neceſſariam ad eliciendum aliquod bonum morale. 394
ARTIC. XI. Docet contra Bugarium de Monte Falcone, opus bonum in gratia factum ſpe mercedis æternæ non eſſe malum. 397
ARTIC. XII. Expugnat Bucerum, omnem fiduciam in operibus in gratia elicitis, improbantem. 399
ARTIC. XIII. Oſtendit Aëtianis fidem ſine operibus non ſalvare. 401
ARTIC. XIV. Repellit Calviniſtas aſſerentes, fidem amitti per quodlibet peccatum. 405
ARTIC. XV. Increpat Felicianum, fidei lumen rationis lumini ſubiicientem. 409
ARTIC. XVI. eijcit Simoniacos volentes dona gratiæ, & fidei poſſe pecunia comparari. 412
ART. XVII. Reſpondet Maſſalianis in ſola oratione continua ſalutem reponentibus. 414
ARTIC. XVIII. Refutat Cæleſtianos nullam orationi tribuentes virtutem. 416
ARTIC. XIX. Docet contrà Inſabbatatos orare pro aliquo in particulari, eſſe bonum. 418
ARTIC. XX. Statuit contrà Aerianos bonum eſſe pro defunctis orare, & purgatorium admittit. 420
ART. XXI. Reiicit Thaboritas nolentes locum Sacrum eſſe ſtabulo aptiorem ad orandum. 425
ARTIC. XXII. Impugnat Almaricum propugnantem gloriam æternam eſſe omnino inviſibilem. 427
ARTIC. XXIII. Decernit contra Mahometanos beatitudinem in Deo ſolo conſiſtere. 430
ARTIC. XXIV. Declarat Begardis, & Beguinis nullum poſſe propriis viribus aſſequi gloriam, ſeu beatitudinem. 433
ARTIC. XXV. Quò in gloria diverſi aſſignantur gradus contra Joviniaſtas. 436
ARTIC. XXVI. Affirmat contra Origeniſtas gloriam eſſe inamiſſibilem. 438
ARTIC. XXVII. Confundit Millenarios. 441
ARTIC. XXVIII. Aſſerit contra Vigilantium Beatos eſſe invocandos. 446
ARTIC. XXIX. Probat adverſus Eunomianos corpora Sanctorum eſſe veneranda. 450
ARTIC. XXX. Quo adverſus Quintiniſtas probatur Sanctitas Apoſtolorum. 453
ARTIC. XXXI. Expugnat Iconoclaſtas. 455
ARTIC. XXXII. Quo adverſus Manichæos defenditur Salus Joannis Baptiſtæ. 459
ARTIC. XXXIII. Vindicat adverſus Elcheſaitas ſanctitatem martyrum. 460
ARTIC. XXXIV. Demonſtrat Circumcellionibus, eum qui pro peccatis ſuis ſe interimit non eſſe martyrem. 462.
ARTIC. XXXV. Declarat contra Cainanos Judam proditorem, eſſe damnatum. 464
ART. XXXVI. Quo adverſus Hierarchitas defenditur ſalus infantium ſtatim poſt baptiſmum decedentium. 466
ART. XXXVII Refellit Doſitheanos Angelorum exiſtentiam negantes. 469
ART. XXXVIII. Propugnat adverſus Apuleianos; nullum Angelum eſſe mediatorem inter Deum, & homines. 472.
ART. XXXIX. Probat adverſus Priſcillianiſtas, nullum Angelum eſſe ex natura ſua excluſum à gloria. 474
ART. XL. Admittit contra Antidæmoniacos, Angelum malum, ſeu Dæmonem. 477
ART. XLI. Refutat Armenos aſſerentes pœnas malorum Angelorum, ſeu Dæmonum eſſe temporales. 479
ART. XLII. Oſtendit Origeniſtis Mariam Virginem fuiſſe ſemper ſine peccato. 481
ART. XLIII. Docet contra Bonoſianos, Mariam ſervaſſe perpetuam Virginitatem. 483
ART. XLIV. Monet collyridianos, Mariam Virginem non eſſe adorandam adoratione, quâ adoratur Deus 486.
ART. XLV. Improbat Lolardos reijcientes benedictiones tamquam inutiles. 487
ART. XLVI. Approbat contrà Waldenſes inſtitutionem Exorciſmi. 489
ART. XLVII. Quo contrà quemdam Hæreticum nomine Hilarium approbatur cantus. 491
ART. XLVIII. Laudat contrà Mahometanos inſtitutionem feſtorum. 494
ART. XLIX. Quo adverſus Pauperes de Lugduno admittitur Theſaurus Indulgentiarum. 495
ART. L. Repellit Quartadecimanos. 498
ART. LI. Probat adverſus Lutheranos omnes homines in lege gratiæ non eſſe Sacerdotes. 500
ART. LII. Defendit contra Carloſtadium Sacerdotes teneri ad ſervandam continentiam. 504
ART. LIII. Quo adverſus Georgianos approbantur miracula. 508
ART. LIV. Docet contra Huſſitas peccatum quod tollit gratiam non tollere jurisdictionem Spiritualem. 511
ART. LV. Oſtendit contra Bibliſtas, Theologiam Scholaſticam non eſſe nocivam fidei Chriſtianæ. 513
ART. LVI. Tenet contra Arianos, & alios, traditiones non eſſe contrarias fidei Chriſtianæ. 515
ART. LVII. Aſſerit contrà Waldianos jus exigendi decimas meritò competere Sacerdotibus. 521
ART. LVIII. Exponit Pſallianis; præceptum recitandi horas canonicas obligare omnes Sacerdotes. 524
ART. LIX. Probat contrà Quietiſtas, voluntariam carnis mortificationem eſſe meritoriam. 526

LIBER QUARTUS.

Fidei Vindicatæ in quo Referuntur, & Refutantur hæreſes, quæ inſurrexerunt adversùs Eccleſiam Dei, & adversùs Sacramenta ejus.

ART. I. In quo adverſus Donatiſtas oſtenditur, Eccleſiam Chriſti eſſe in toto Orbe diffuſam. 531
ART. II. Agnoſcit contrà Circumcelliones, juſtos, & peccatores in Eccleſia. 533

INDEX.

ART. III. *Indiginat contra Oſiandrinos, Eccleſiam eſſe viſibilem.* 536

ART. IV. *Indicat adverſus Ueſphalos infallibilitatem Eccleſiæ.* 538

ART. V. *Reijcit fabulam de Papiſſa Joanna.* 542

ART. VI. *In quo contra Bizochos probatur, poteſtatem condendi leges eſſe in Eccleſia.* 545

ART. VII. *Quo adverſus Flavianos, Epiſcopus Romanus ponitur totius Eccleſiæ Primas..* 549

ART. VIII. *Impugnat Magdeburgenſes negantes, Papam poſſe convocare Concilia.* 554

ART. IX. *Aſſerit contra Ærianos Sacerdotes non eſſe æquales Epiſcopis.* 557

ART. X. *Affirmat adverſus Rethorianos, extrà Eccleſiam Romanam non eſſe veram ſalutem.* 560

ART. XI. *Statuit contrà Albanenſes in Eccleſia eſſe poteſtatem excommunicandi.* 564

ART. XII. *Tenet adverſus Euſtatianos, Eccleſiam habere poteſtatem inſtituendi Jejunia.* 567

ART. XIII. *Tenet adverſus Severianos, libros Eccleſiæ eſſe Canonicos.* 570

ART. XIV. *Laudat contra Uualdenſes uſum ſepeliendi mortuos in loco Sacro.* 577

ART. XV. *Concludit contrà Manichæos, ſeptem eſſe in Eccleſia Sacramenta.* 578

ART. XVI. *Probat contra Lutherum omnia Sacramenta non eſſe ejuſdem dignitatis.* 581

ART. XVII. *Docet contra Sacramentarios, Sacramenta conferre gratiam.* 582

ART. XVIII. *Affirmat adverſus Uvicleffitas tria eſſe Sacramenta, quæ præter gratiam, imprimunt caracterem.* 585.

ART. XIX. *Confundit Anabaptiſtas dicentes baptiſmum non eſſe neceſſarium parvulis.* 588

ART. XX. *Quo probatur contrà nonnullos Hæreticos validitas baptiſmi in voto.* 592

ART. XXI. *Probat adverſus Flagellantes baptiſmi aquæ virtutem non ceſſaſſe.* 595

ART. XXII. *Sancit contra Jacobitas, hominem non eſſe baptizandum in igne.* 597

ART. XXIII. *Docet adverſus Colobroſianos, baptiſmum collatum in nomine alicujus creaturæ, eſſe invalidum.* 599.

ART. XXIV. *Nullam contrà Donatiſtas admittit iterationem in baptiſmo.* 601

ART. XXV. *Docet contrà Cataphrygies, baptiſmum ab hæreticis eſſe validum.* 604

ART. XXVI. *Maximam differentiam ponit contra Petilianum, inter baptiſmum Chriſti, & baptiſmum Joannis.* 609

ART. XXVII. *Docet contra Fulgentium, omnia peccata deleri in baptiſmo.* 611

ART. XXVIII. *Reiicit Michaelem Servetum, nullam intentionem exigentem in miniſtro baptiſmi.* 613

ART. XXIX. *Aſſerit contra Armenos, baptiſma valide conferri; quin ſimul conferatur Euchariſtia.* 616

ART. XXX. *Refutat Lutherum, & alios hæreticos de miniſtro baptiſmi malè ſentientes.* 618

ART. XXXI. *Quo refelluntur Cataphrygij exiſtimantes mortuum poſſe baptizari valide.* 620

ART. XXXII. *Negat contrà Armenos, Chriſma eſſe abſolutè neceſſarium ad validitatem baptiſmi.* 621

ART. XXXIII. *Admittit contrà Ruthenos Sacramentum Confirmationis.* 623

ART. XXXIV. *Docet contrà Græcos Confirmationem non eſſe iterandam.* 627

ART. XXXV. *Docet contrà Uvicleffitas ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium confirmationis.* 628

ART. XXXVI. *Probat adverſus Calviniſtas, Chriſti corpus eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus conſecratis.* 631

ART. XXXVII. *Convincit Lutheranos, corpus Chriſti verè, & realiter remanere in Hoſtia tamdiu, quamdiu remanent ſpecies.* 641

ART. XXXVIII. *Probat adverſus Petrobruſſianos, Chriſtum inſtituiſſe Miſſæ Sacrificium.* 645

ART. XXXIX. *Tenet contrà Aerianos Miſſæ Sacrificium poſſe pro peccatis offerri.* 652

ART. XL. *Statuit contra Berengarium tranſubſtantiationem.* 654

ART. XLI. *Docet contra Gnoſticos ſolum panem triticeum eſſe materiam, ex qua confici poteſt Euchariſtia.* 658.

ART. XLII. *Quo firmatur contrà Eccleſiam Græcam Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in pane azimo* 661.

ART. XLIII. *Impugnat Uualdenſes formam Euchariſtiæ in oratione dominica ſeptiès repetita conſtituentes.* 664.

ART. XLIV. *Sacerdotibus dumtaxat concedit adverſus Uvicleffitas poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam.* 668.

ART. XLV. *Tenet contra Græcos hoſtiam conſecratam feria quinta majoris hebdomadæ non eſſe majoris virtutis ea, quæ conſecratur alia die.* · 670

ART. XLVI. *Docet adverſus Tancheliniſtas Euchariſtiam maximam dignè ſumentibus conferre gratiam.* 673

ART. XLVII. *Declarat contra Græcos peccatores ad menſam Domini accedentes recipere corpus Domini.* 676.

ART. XLVIII. *Quo contra Lutheranos ad dignam communionem requiritur in peccatore confeſſio delictorum.* 677

ART. XLIX. *Docet contra Aquarios, eſſe apponendam aquam in Calice conſecrando.* 681

ART. L. *Impugnat Bohemos volentes Euchariſtiam eſſe ſub utraque ſpecie dandam Laicis.* 684

ART. LI. *Declarat contra Jacobitas, auricularem peccatorum Confeſſionem fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutam.* 688

ART. LII. *Aſſerit contra Lutheranos contritionem quæ ab horrore gehennæ incipit, non eſſe peccatum.* 693

ART. LIII. *Declarat contra eoſdem Lutheranos, quod ut quis ſit abſolutus à peccatis, non ſufficit illi credere ſe eſſe abſolutum.* 696

ART. LIV. *Affirmat contra Uvicleffitas ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ.* 699

ART. LV. *Tenet adverſus Lutheranos, ſatisfactionem in confeſſione impoſitam, eſſe neceſſario adimplendam.* 701

ART. LVI. *Docet contra Hierarchitas Extremam-Unctionem eſſe verum Sacramentum.* 705

ART. LVII. *Affirmat adverſus Euchitas ordinem eſſe Sacramentum novæ legis.* 708

ART. LVIII. *Aſſerit contra Saturninum nuptias eſſe licitas.* 712

ART. LIX. *Docet adverſus Armenos, Chriſtum inſtituiſſe matrimonij Sacramentum.* 716

ART. LX. *Admittit contrà Montaniſtas ſecundas nuptias.* 719

ART. LXI. *Impugnat Priſcillianiſtas exiſtimantes diſſolubilitatem matrimonij à ſolo arbitrio conjugum dependere.* 722

ART. LXII. *Affirmat contra Calviniſtas, nullum dari præceptum obligans omnes ad matrimonium contrahendum.* 727

LIBER PRIMUS

In quo Referuntur, & Refutantur hæreſes, quæ Inſurrexerunt adverſus Deum & adverſus Chriſtum eius.

ARTICULUS PRIMUS

Quò Refutatur Athëiſmus.

QUAMVIS ſignatum ſit ſuper nos lumen voltûs Domini, & inviſibilia Dei, à Creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta ità conſpiciantur, ut protſùs inexcuſabiles ſint illi, qui Dei exiſteotiam ignotant, nihilominùs, Deum eſſe, olim negarunt Diagoras Athenienſis Philoſophus, cognomento Atbeus, eoque nomine Athenis ab Athenienſibus ejectus, Eumerus Tegeates. Biro Beriſthæoites cum ſuo præceptore Theodoro Cyreneo, qui idcircò Athëus, hoc eſt ſioe Deo, appellatus eſt, teſte D. Auguſtino, lib- contra litteras Petiliani cap. 25.

Diagoras Athen. *Evemer. Tegeates.* *Biro Beris Thenites* *Theodoro Cyreneo.*

Inter Atheos reponendi ſunt etiam alter Theodorus pariter Philoſophus, Zenonis primùm, deindé Pyrrbonis diſcipulus, Callimacus, Luciaous: Lucretius; Doletus, Nicolaus Machiavellus homo Impiiſſimos; Plinius vir in naturali Philoſophia doctiſſimus, lib. 2. cap. 7. ubi dubium relìquit, an ſit aliquòd numen hujus mundi machinam regens, ac gubernans, & alij quibus licet longè receotiot, addendus eſt Lucilius, natione Italus, qoi poſt ſuum diſſeminatum per varia Galliarum Loca atheiſmum, tandem Tholoſæ captus, accuſatus, coovictus, & obſtinatus, æquo auguſtiſſimi Senatûs decreto, fuit combuſtus vivus, anno Domini MDCXIX, die IX. Februarij, & meritò ad mortem comburi juſſus; indignus enim vitâ: quiſquis Deum vitæ authorem negat.

Theodorus Philoſop. Callimac. Lucianus Lucret. Doletus, Nicolaus Machiavellus, Plinius. Lucilius.

Athëos profligant nedúm ratio naturalis (quæ, ut infrà dicemus, Dei exiſtentiam demonſtrat) & fides Catholica in hoc opere vindicaoda à calumniis hæreticorum, ſed etiam Concilia quàm plurima; quæ cùm omnes fidei articulos declarent; & confirment contra hæreticos, neceſſè eſt; in hoc articulo adducere ea, quæ pro ipſius articuli veritate declarandâ, celebrata fuere. Primum eſt illud Apoſtolorum: *Credo in Deum.* Secundum eſt Nicænum primum celebratum anno CCCXXV. ſub Silveſtro Papa contrà Arianos, in quo decem & octò Patres ſuprà trecentos, una voce dixerunt: *Credo in unum Deum.* Eamdem veritatem declarant etiam Conſtantinopolitaoum primum Celebratum, ſub Damaſo Papa, anno CCCLXXXI. In quo editum fuit Symbolum, quod à Nicæno non diſcrepat, niſi penès majorem, vel minorem explicationem. Bracarenſe contra Priſcillianiſtas, Lateranenſe ſub Alexandro III. anno MCLXXIX. pro damnandis Catharorum, Uvaldenſium, & Albigenſium erroribus Albienſe, Tholoſanum, Turonenſe, & alia, quæ celebrata fuerunt in variis partibus Galliæ contra eoſdem hæreticos Albigenſes, qui plures Deos admittebant: In his quidem, & aliis Conciliis; quæ adducere poſſem; declaratur Dei exiſtentia, ſed ea omitto, pariterque plures Sacræ Paginæ textus, quibus evidenter ſuadetur; Deum exiſtere: quippe cùm ſuperfluum ſit probare contrà Athëos ex Sacra Scriptura; Deum eſſe, quia nullum Deum admittendo, Dei verbum, ſeu Sacram Scripturam reijciunt, convincendi ſunt rationibus naturalibus, & ſic contrà eos; eſt inſurgendum.

Concilium Apoſtolorum, Nicænum primum Conſtantinopolitanum primum Bracarenſe Lateran. Albienſe Tholoſanum.

Omnis, qui nomine Dei, intelligit primam cauſam incauſatam, primum ens à ſe exiſtens; independens; & improductum, à quo cætera entia ſunt, & dependent, ſicut nos intelligimus; concedet, & confitebitur contrà Athëos, Deum exiſtere; quoniam hujus ſupremi entis exiſtentia, ità demonſtratur ex exiſtentia hominis, ut nullus ſit, qui non poſſit illam ex ſuâ propriâ exiſtentiâ colligere, & de aliquo alio extrà ordinem hominum, & creatorarum exiſtente; dicere quod olim dixit Propheta Regius de Deo: Pſal. 99. verſ. 3. *Ipſe fecit nos; & non ipſi nos.* Hoc verum eſſe, ſic evinco hac ratione naturali, nullus homo poteſt dicere quòd ſit à ſe, ſeu cauſa productiva ſui. Tum quia concluderet unum ex duobus, nimirùm quòd eſt ab æterno, quoniam quod à ſe exiſtit, ſemper exiſtit, aut quòd erat antequam eſſet quia ut cauſa ſui, præcederet ſe: At hoc eſt omni ex parte impoſſibile, cùm quilibet homo agnoſcat principium exiſtentiæ, aut durationis ſuæ, & ſciat, quamlibet cauſam productivam eſſe priorem ſuo effectu, ac proindè ab ipſo diſtinctam realiter: Itaque nullus poteſt ſana mente negare aliquod ens, à quo ſuum accepit eſſe, & à quo pendet. Prætereà ille, qui diceret quòd eſt à ſe diceret etiam quòd eſt cauſa conſervativa ſui ipſius: quoniam quod eſt à ſe, à ſe conſervatur, & quod producit ſe, ſe conſervat, cùm conſervatio, juxtà Philo-

1. Ratio probans exiſtentiam Dei

ſophos, nihil aliud ſit, niſi continuata productio. At nullus poteſt ſibi ſuadere quòd à ſe ſolo dependeat ſemper eſſe, & vivere in carne: omnes enim cupimus ſemper ſuperveſtiri, & numquam expoliari, omnes tamen naſcimur, & morimur; hoc eſt principium, & finem habemus, non à nobis, ut eſt manifeſtum; nec ab alio cui conveniat ſicut nobis, eſſe ab alio; igitur ab alio, qui non eſt unus ex nobis, ſeu ab aliquo ente, quod non eſt in ſerie creaturarum, quoniàm ſi ille, à quo ſumus, eſſet ſicut unus ex nobis, ſeu creatura, eſſet ab alio, & ab eodem conſervaretur, ſicut & nos; qui ab alio dependemus: tam in eſſendo, quàm in operando, cùm eſſet in eadem dependentia, in qua nos ſumus. Idcircò eſt ens, à quo eſt & dependet quodlibet ens productum: illud autem ens, à quo quilibet homo, v. g. cognoſcit ſe dependentem, eſt prima cauſa incauſata, & improducta, ſeu Deus; ergo datur.

Atheorũ reſponſio.

Athei hanc rationem infirmare conantur unanimiter reſpondendo, unum hominem eſſe ab alio, & iſtum ab alio, & ſic de cæteris in infinitum, & æternum, & ideo (inquiunt) nulla eſt neceſſitas colligendi aut admittendi ex dependentia noſtra, unum creatorem hominum, aliarumque rerum in mundo exiſtentium, quarum una producitur ab alia, & ſic in infinitum, nam quamvis nulla ſit creatura in particulari, & individualiter ſumpta, quæ non ſit ab alia, tamen tota creaturarum collectio, non eſt ab alio, ſed eſt à ſe, quia eſt infinita, & æterna; caret principio & fine, ac per conſequens authorem extrà ipſam exiſtentem non novimus (inquiunt Athei) cùm hæc machina mundi, ſeu rerum omnium collectio in ſe, & à ſe habeat virtutem producendi membra, quibus componitur, & ſubſiſtit in ſuo eſſe.

Profligatur atheorum reſponſio.

Hæc reſponſio eſt falſa: dato enim, & non conceſſo, quòd hæc creaturarum collectio ſit infinita, & ab æterno; indè tamen non ſequitur, quòd ſit à ſe, nec quòd intrà ſe habeat virtutem producendi ea membra, quibus componitur, independenter ab alio extrà ipſam exiſtente, ſeu independenter ab alio improducto, ac independente, nimirùm à Deo rerum omnium Creatore. Ratio eſt, quia illa collectio ſic conſiderata, non exiſtit extrà membra ſua, nec ab ipſis eſt diſtincta, quinimò quatenùs aggregata, ſunt ipſa collectio; cùm nihil aliud ſit, niſi omnia membra ſimul ſumpta, & inter ſe ordinata, à quibus ſit, & ſubſiſtit: certum quidem eſt membra efficere collectionem illam, non verò ipſam collectionem efficere membra; exercitus non componit milites, ſed milites componunt exercitum. Acervus non facit lapides, ſed lapides acervum; atqui quodlibet membrum hujus collectionis omnium rerum in mundo exiſtentium eſt ab alio, & creatura (ut fatentur Athëi) ſicut quælibet pars hujus acervi lapidum, eſt lapis: ergo illa collectio non eſt à ſe, nec ab æterno; ſed ab alio, ſcilicet à membris, quibus componitur, cùm talis ſit, qualia ſunt ea, ex quibus coaleſcit, & nullum membrum ex quibus coaleſcit, ſit à ſe: igitur datur Creator collectionis entium. Non ni ſi quodlibet ens in particulari ſe conſideraret, tota collectio etiam ſe conſideraret; hoc autem ſuppoſito, quodlibet ens tunc videret ſe eſſe ab alio: ergo etiam tota hæc collectio eſt ab alio, quod non eſt unum ex ipſis entibus hujus collectionis, ſed quod eſt ens à ſe, à quo ſunt cætera entia, ſeu à quo pendet collectio, quamvis eſſet æterna & infinita numerô, ut volunt Athei.

Iterum profligatur Athëorum reſponſio.

Inſuper in illa collectione entium in mundo exiſtentium, membra non poſſunt eſſe primò, ac omninò diverſa, hoc eſt, unum eſſe à ſe, & aliud ab alio, quoniam ex illis non poſſet componi una collectio, cùm eſſe à ſe & improductum, ſit ſumma perfectio infinitè elongans illud cui competit, ab eo, quod eſt ab alio productum; igitur hæc collectio in qua continentur omnia entia producta (etiam ſi ſint numericè infinita) non poteſt eſſe à ſe, & membra eſſe ab alio, cùm primo diverſa infinitè diſtent. Nec obſtat recurſus in infinitum, quem Athëi admittunt in ipſa collectione, quoniam ipſô non tollitur dependentia creaturæ à Deo, nec reiicitur creator. Nam ſi Petrus, v. g. ſit à Patre ſuo, pater ab Avo, Avus ab Atavo, & ſic in infinitum aſcendendo de uno homine ad alium, per illum recurſum ad infinitum, prædicata eſſentialia, & intrinſeca homini, non ceſſaret, nec deeſſet diſtinctio ſpecifica inter homines illos: certum enim eſt quòd facta hac ſuppoſitione, Petrus eſſet animal rationale, ſicut Pater, Pater, ſicut Avus, & ſic de cæteris; cùm homo ſit eſſentialiter animal rationale, & omnes homines eſſent ejuſdem ſpeciei, etiam ſi eſſent ab æterno, & numero infiniti. Sed nihil tam eſſentiale eſt creaturæ, quàm eſſe ens productum ab alio extrà ſe poſito, & a ſe realiter diſtincto; cùm in hoc ſolo conveniant primariò omnia entia, quæ collectionem illam componunt. Et diſtinguantur ab aliquo alio, quod certè non eſt creatura: igitur ex collectione creaturarum, etiam ſi ſit numero infinita, & æterna, ut volunt Athei, ſemper ſequitur; quòd eſt una cauſa, à qua ipſa collectio pendet in fieri & conſervari tamquam à cauſa prima, hæcque eſt Deus. Nonnè qui aſcenderet ab homine recenter nato, uſque ad infinitum, nullum conciperet hominem eſſentialiter perfectiorem Petro, idcircò nullus conciperetur à ſe ipſo exiſtens, & improductus, cùm homo ille improductus, independens, ſeu à ſe exiſtens, eſſet eſſentialiter perfectior productô, & eſſentialiter; ac neceſſariò dependente ab alio; & per conſequens homo ſic aſcendens, neceſſariò deveniret ad cognitionem unius entis improducti & incauſati, hoc eſt, ad cognitionem Dei, à quo eſt homo, & à quo ſunt cætera entia, quæ illam rerum omnium collectionem componunt. Diceret enim, nullum video ens, quod ſit à ſe, unum quodque eſt ab alio, omnia ſunt ab eodem. Unde poſitis his præmiſſis, neceſſariò ſic concluderet; ergo datur aliquod ens à ſe, à quo omnia ſunt.

His rationibus ſuffragatur authoritas Sanctorum Patrum. D. Dionifius lib. de divinis nominibus cap. 7. expreſſe affirmat, Deum cognoſci ex creaturarum ordinatiſſima diſpoſitione. D. Auguſtinus quæſt. 61. interrogatus undè ſciri poſſit, Deum exiſtere, reſpondet quòd poteſt ſciri ex eorum, quæ ſunt concretione, conſtitutione, ſtabilitate. Euſebius lib. 7. de preparat. Evang. cap. a. ait: *Sicut domus ſine Artifice, aut pannus ſine texente fieri non poteſt, ita nec univerſum hoc ſine authore.* D. Gregorius Nazianzenus orat. a. de Theolog. inquit *Quemadmodum citharam quis pulcherrimè conſtructam conſpiciens, aut etiam ejus concentum audiens, nihil aliud, quàm ipſum Citharæ conditorem, aut citharœdum mente reputat, etiam ſi de facie ipſi ignotum, eodem quoque modo nobis; is qui res univerſas procreavit ac moderatur, atque conſervat; ſeſe declarat; etiam ſi animis noſtris, ingeniiſque comprehendi nequeat* ex hac quidem Sanctorum Patrum authoritate, ſequitur contrà Athëos, quòd ex collectione omnium entium, neceſsè eſt inferre authorem, qui extrà ipſam exiſtat, ſicut Artifex domûs exiſtit extra ipſius domûs conſtructionem.

Refutatur iterùm, ſed alia ratione, eadem Athëorum reſponſio, nimirùm recurſus ad infinitum in ordine producentium, quem ipſi admittunt, quoque Dei exiſtentiam negant. Si in generatione hominum, v. g. Ità procedendum eſt ad infinitum, ut non inveniatur primus, qui non ſit genitus ab alio homine, ſeu creatus, aut qui genuerit unum immediate, & iſte alium, & ſic uſque ad nos ſucceſſivè pervenerit virtus generandi, ſequitur quòd nullus eſt homo, qui

alium hominem genuerit : At hoc eſt falſum ; ergo & antecedens, ex quo ſequitur ; ut ſic probo. Nam ſi liceat ità abire in infinitum, ut nullus ſit homo, qui ſit prima cauſa generans alios homines, ſeu nullus ſit homo antecedenter ad quem, non fuerit alter, ut proceſſus in infinitum exigit, ſequitur quòd nullus eſt homo medius, ſeu ſecundus, qui genuerit, imò nec ultimus, qui generet. Ratio eſt, quia ſecundus non generat, niſi primus priùs genuerit. Nec poteſt inveniri ſecundus, niſi inveniatur primus, quoniam de ratione ſecundi, eſt ſupponere primum à quo recepit ſuum eſſe, atque virtutem producendi tertium, qui non poteſt agere, niſi quia egit ſecundus, & ſic de cæteris cauſis ſubordinatis ; quarum una operatur actione, quam ab alia accepit, nimirùm tertia à ſecunda, ſecunda à prima, prima autem ab alia, quæ eſt cauſa univerſalis, omniumque prima, ac proindè quæ eſt improducta, & à ſe exiſtit : ergo ſi in generatione hominum, non ſit primus, neque eſt ſecundus, nec tertius, quia ſi ſit ſecundus, debet eſſe à primo. Et tertius à ſecundo, idcircò abſurdum eſt in generatione hominum ità in infinitum procedere, ut non poſſit eſſe unus, ſeu primus à quo ſit ſecundus, ſeu qui huic collectioni initium dederit, ſitque primum ipſius membrum : Ille autem primus homo, cui cæteri homines ſubordinantur in generando, eſt intrà collectionem hominum, vel extrà. Si ſit intrà, non eſt improductus, & independens, quia ut jam dixi, eſt membrum ipſius eſſentialiter ſimile cæteris, hoc eſt ; productum, & dependens, ſicut cætera membra, & perconſequens habens ab alio virtutem productivam. Si ſit extrà, & diſtinctus ab omnibus membris, ſeu hominibus, ex quibus componitur illa collectio, eſt improductus; ideoque non eſt homo, ſed eſt Deus : nomine enim Dei intelligimus cauſam incauſatam, & improductam, à qua dependent omnes homines, omneſque creaturæ.

Ratio contra Atheos.

Aliud argumentum Dei exiſtentiam probans, formatur ex contingentia rerum, quam in hoc mundo videmus ; nam ſi ſint entia contingentia in rerum natura, ut fateri neceſsè eſt, cùm nobis conſtet, plura eſſe, & exiſtere, quæ potuerunt non eſſe, & plura fuiſſe, quæ modò non ſunt ; certum eſt quòd datur aliquod ens neceſſarium ; id eſt ità exiſtens, ut non potuerit, nec poſſit non exiſtere. Vel ut clariùs loquar, certum eſt quòd datur ens, quod eſt à ſe, & infinitè diſtinctum ab omni creatura (cum quælibet creatura ſit contingens) ac proindè quod eſt Deus ; quia nomine Dei nihil aliud intelligimus, niſi ens neceſſarium. Hujus certitudinis ratio eſt, quia illud ens contingens, ſeu quod potuit eſſe, vel non eſſe, quod actu eſt, & aliquandò non fuit, aliquandoque non erit, eſt ens ex ſe indifferens ad utrumque, nec potuit ex natura ſua unum potiùs, quàm aliud habere: igitur non potuit determinari ad unum, v. g. ad exiſtere, niſi ab agente extrinſeco alterius naturæ, cui determinatè & neceſſariò convenit exiſtere, quique ei communicavit exiſtentiam. V.G. lignum eſt ex ſe indifferens ad ignem, vel ad conſtructionem domûs ; & dum determinatum eſt ad unum ex illis, hoc non eſt ab ipſo ligno, ſed ab aliquo agente extrinſeco ; ſeu ab homine, qui determinavit illud ad ignem, vel ad domum conſtruendam ; ergo Petrus v. g. qui eſt ens contingenter exiſtens (& ſic de cæteris) fuit determinatus ad exiſtendum ab aliquo ente non contingente, ſeu neceſſario : At illud ens neceſſarium determinans contingentia ad eſſe, non eſt creatura. Quia eſſet etiam contingens, atque incapax determinandi hominem ad exiſtentiam, ſed eſt creator, & per conſequens Deus, quia ens illud eſt à ſe, improductum, & eſſentialiter exiſtens.

Atheorum reſponſio.

Concedunt Athei entia contingentia eſſe verè, ſed omninò ex ſe ipſis indifferentia, ſed unum ex ipſis ſemel determinatum, poſſe aliud, ad exiſtendum determinare. V. G. aqua eſt indifferens ad calorem ; eſtque contingenter calida, ſed dum eſt calida, aliam aquam ad calorem determinat, ideoque nonobſtante rerum contingentià, ſuperfluum eſt recurrere ad ens omninò neceſſarium, & per ſe exiſtens ſcilicet ad Deum.

Evellitur Atheorum reſponſio.

Reſpondetur hanc Atheorum rationem, eſſe falſam, quia nonobſtante hoc exemplo, verum eſt dicere, quòd aqua illa ſemel calida, emendicavit calorem ab aliquo formaliter calido, quod non eſt aqua, v. g. ab igne, aut ab aliquo virtualiter calido, ut à ſole cùm nulla res induatur eo, quod non habet ex ſe, niſi detur illi ab alio habente illud. Unde ſi nulla aqua ſit ex ſe eſſentialiter calida, ſequitur quòd illa, quæ eſt ſemel calida ; & quæ ex Atheis determinat aliam ad calorem, determinata fuit ab alio, quod non eſt aqua, ſcilicet ab igne, vel à ſole. Ità à ſimili, ſi ſit ens ex ſe contingens, determinatum tamen ad exiſtentiam, debuit determinari ab aliquo neceſſariò exiſtente, quamvis determinet aliud ad exiſtendum, quemadmodum aqua, quæ eſt calida, quæque alteri dat calorem, accepit calorem ab aliquo, quod non eſt aqua, neceſsè eſt igitur admittere ens neceſſarium à ſe exiſtens, cùm dentur entia contingentia ; nam ſi in mundi machina nullum ſit ens, quod à ſe, & ex ſe exiſtat, ut fatentur omnes, neceſſe eſt quòd ſit aliquid extrà illam, à quo data fuerit exiſtentia rebus contingenter exiſtentibus. Illud autem à ſe neceſſariò exiſtens, nequit eſſe creatura ; cùm non exiſtat contingenter ſicut nos, qui ſumus creaturæ : ergo eſt Deus, cujus nomine, intelligimus ens neceſſarium, & à ſe exiſtens.

Altera atheorum reſponſio.

Reſponſionem noſtram refellere conantur Athei, hac ratione, ſcilicet dicendo entia contingentia eſſe determinata in infinitum, quippè cùm ens contingens ab alio contingente, & illud iterum ab alio, & ſic in infinitum, determinatum fuerit ad exiſtentiam, nulla eſt neceſſitas recurrendi ad aliquod ens neceſſarium, neceſſariò à ſe exiſtens à quo entia contingentia debeant determinari ad exiſtentiam, ut de facto recurrendum eſſet, ſi entia eſſent numerò finita, ità ut poſſibile eſſet adinvenire primum contingens, quod neceſſario eſſet determinatum ad exiſtentiam per aliud ens à ſe exiſtens.

Huic rationi ſufficeret reſpondere ut ſuprà in prima replicatione Athëorum, quoniam eſt ejuſdem momenti, nihilominùs addo aliam, & probo diſtinctionem de finitis, & infinitis numero entibus, non obſtare : nam illa infinitas in numero nihil tribuit entibus contingentibus, nec aliquid in ipſis ſignificat, niſi carentiam principii, & finis collectionis omnium entium. V.G. ſi homines eſſent numero infiniti, nihil in me eſſet, niſi id quod nunc eſt, & ſic de cæteris hominibus, qui illam multitudinem infinitam componerent ; cùm illa infinitas non eſſet in me, nec in aliis hominibus, ſed ſolùm in multitudine, ſeu collectione, quæ non eſt formaliter homo : ergo ex entibus contingentibus etiam ſi ſint numero infinita, debet colligi ens neceſſariò exiſtens quod ipſis entibus contingentibus det exiſtentiam, quam ex ſe ipſis habere non poſſunt, nec ex infinitate numerica, ſicut ex ipſis Athëis colligeretur ſi entia contingentia eſſent numero finita. Hæc infinitas numerica eſt extrinſeca reſpectu uniuſcujuſque membrorum hujus collectionis, idcircò unum quodque eſt ità contingens, ut ſi quis aſcenderet ab homine recenter nato ad præcedentes de uno ad alium in infinitum, nullum inveniret, qui eſſet ens à ſe, & neceſſarium ; aut neceſſariò exiſtens, quia cùm omnes ſint ejuſdem naturæ, ſequitur quòd omnes habent eumdem modum eſſendi,

ſeu exiſtunt contingenter, ſicut ille, qui natus eſt hodiè, ideoque neceſsè eſt admittere extrà illam collectionem, aliquod ens homine perfectius, à quo data fuerit exiſtentia omnibus hominibus; cùm eſſe à ſe, & eſſe ab alio, ſint differentiæ omninò oppoſitæ, quæ nequeunt ſimul convenire collectioni omnium hominum, ſivè ſpecificè ſivè individualiter, etenim quilibet homo exiſtit contingenter, & omnes contingenter, exiſtunt.

Aliud argumentū contrà Athëos.

Denique exiſtentia Dei probatur contrà Athëos, ex illo mirabili, ac pulcherrimo mundi, aut rerum ordine, quem videmus: nam ea, quæ cognitione carent, diriguntur ad certum finem boni univerſi, & eodem, ac uniformi modo operantur, non à ſeipſis: ſunt enim ſicut ſagitta in manu potentis, quæ non à ſe, ſed à ſagittario dirigitur. Nec ab homine; quoniam licet propter ipſum facta fuerint omnia, ut monet Apoſtolus, tamen nòn ſunt ità ſub ipſius imperio, ut poſſit ea dirigere ad finem boni univerſi: diriguntur igitur ab aliquo ſummo proviſore, & gubernatore; ſub cujus Imperio ſunt omnia, ſicut domus familiæ, & exercitus diriguntur à Duce, aut Rectore ſub cujus imperio ſunt: rector autem ille omnium rerum, nequit eſſe pars mundi ſeu creatura aliqua, cùm eſſet in eadem directionis indigentia, ſed debet eſſe ens, à quo ſunt omnia, nempè Deus. Unde Cicero lib. 2. de natura Deorum ait: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cum Cœlum ſuſpeximus, Cœleſtiáque ſumus contemplati, quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quò hæc regantur*, & lib. de divinitate: *præſtantem aliquam æternam naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.*

Athëorum reſponſio.

Athëi reſpondent quamlibet rem ex ſe habere certam propenſionem, quâ veluti pondere naturali fertur ad centrum, & ad finem ſuum dirigitur; quin agnoſcat ſupremum rectorem extrà ſeriem creaturarum exiſtentem; hinc eſt quòd gravia naturaliter, & ex ſe ipſis deſcendunt, & levia aſcedunt.

Refutatur reſponſio Atheorū.

At non nocet hæc reſponſio; cùm ſæpè appareat inanimata, contrà proprias inclinationes, pro bono univerſi operari, ut dum gravia aſcendunt, & Levia deſcendunt ad vacuum propulſandum. Concedunt omnes gravia deſcendere ex naturali inclinatione, ſed nemo aſſerit quòd aſcendant eodem modo, quoniam haberent propenſiones oppoſitas ex unâ, & eâdem formâ, ſeu naturâ, quòd eſt falſum; quia cauſa naturalis agit uniformitèr dum naturaliter agit, nec poteſt contraria agere, niſi aliundè determinetur: idcircò dum gravia aſcendunt, & levia deſcendunt (ut non rarò contingit, ut dum aqua ſurſùm, & aër deorſum pellitur ad vacuum impediendum, hoc non provenit ex principio intrinſeco, ipſiſque naturali, ſed ex directione alicujus ſupremæ intelligentiæ, cui parent, & quæ regit univerſum, pro cujus bono, agentibus, aut cauſis inter ſe pugnantibus, utitur.

Hæc omnia adversùs Athëos argumenta, nec non ad ea reſponſiones confirmat D. Damaſcenus; lib. 1. de fide Orthod. cap. 3. ubi ait: *Qui quaſo fieri potuiſſet, ut ignis, & aqua, aër, terra, hoc eſt, pugnantes inter ſe natura, ad unius mundi ornatum, numeris omnibus abſolvendum ſimul coirent, adeoque tenaci nexu cohærerent, ut nulla ratione diſſolui poſſent; niſi omnipotens vis aliqua hæc & conciliaſſet, & ita ſemper tuerentur, ut diſiungi ac diſſolvi nullo modo queant? quis ea quæ in cœlis, & quæ in terris, quæ in aëre, & quæ in aquis degunt, imo etiam quæ his priora ſunt, cœlum ac terram, & aërem, ignis & aquæ naturam certo ordine collocavit? quis motum his attulit? quis hæc junxit & ſeparavit? quis hæc perpetuo & nulla re impedito curſu verſat? an non eorum artifex, & fabricator, quique omnibus rebus rationem, modumque impoſuit, quo univerſum hoc volvitur, & gubernatur? jam quis horum artifex? nonnè is, qui procreavit, atque in ortum produxit? nec enim caſui, aut fortunæ talem vim, facultatemque tribuemus: ſit enim ſanè caſus, ac fortuna, quòd extiterint; cujus tandem erit, illa ſuo ordine collocaſſe? verum illud quoque, ſi lubet, concedamus; cui tandem juxta eas, quibus primum condita ſunt, rationes, conſervationem, atque cuſtodiam adſcribemus alteri nimirum quàm fortunæ: hoc vero & quid aliud eſſe queat; quàm Deus.*

Fundamentum Atheiſmi

Prima Athëiſmi ratio, eſt, quia ſi ratio naturalis demonſtraret Deum eſſe, ejuſque exiſtentiam evidenter probaret ex exiſtentia creaturarum, ſequeretur quòd quilibet homo perfectè & comprehenſivè videret, & cognoſceret illum ſicut videt, & cognoſcit creaturas ex quibus deduceret Deum exiſtere, quoniam ea, quæ ratio demonſtrat; nota & apperta ſunt univerſæ naturæ; nullus tamen eſt homo, qui videat aut cognoſcat Deum, ergo non datur Deus.

Reſpondeo ſuppoſitum eſſe falſum; nam ut cognoſcamus aut oculis intellectûs videamus Deum quoad *an ſit* ſeu Deum exiſtere, non eſt neceſsè quòd comprehendatur, nec quòd ſit univerſæ naturæ notus ſecundum omnes perfectiones ſuas, ſicut neceſsè eſt ut cognoſcamus eum quoad *quid ſit*; naturalis ratio ex opere infallibiliter infert exiſtentiam operarii, & ex effectu exiſtentiam cauſæ; licet ſæpè ignoret naturam, & qualitates eſſentiales cauſæ, & operarij; quin tamen ratio ex illâ ignorantia cauſæ quoad *quid ſit* inferat nullam eſſe hujus effectus cauſam: igitur Athëi non debent negare exiſtentiam Dei, nec poſſunt neſcire, Deum eſſe, licet non cognoſcant propriis viribus naturam ipſius, cùm nequeant invincibiliter ignorare hanc mundi machinam fuiſſe factam ab aliquo, & ſciant creaturam in ſuo formali conceptu dicere relationem ad creatorem, ſicut filius dicit relationem ad patrem; alioquin eſſet à ſe, quòd ratio naturalis improbat, ac proindè approbat hujus mundi authorem improductum, & omninò independentem: quamvis nequeat comprehendere illum. Omnes vident fluxum & refluxum maris; omnes ſciunt aliquam eſſe ipſius cauſam, nullus tamen comprehendit eam, imò nec videt eam.

Alia Atheorum ratio.

Addunt quòd ſi Deus eſſet, daretur ſummum bonum, providentia generalis, quæ ſuper omnia ſe extenderet, cognitio infinita, omnipotentia, ſimileſque perfectiones imperfectionibus creaturarum oppoſitæ, quæ Deo convenirent ſi eſſet: ſed non datur ſummum bonum, quia ſi daretur; excluderet omne malum, ſicut lux expellit tenebras. Si daretur providentia aliqua generalis, nihil ex his, quæ neceſſaria ſunt creaturis, deficeret eis, quippè cum proviſor ille eſſet bonus, & omnipotens, poſſet, & vellet omnia neceſſaria nobis tribuere. Si daretur cognitio infinita, daretur etiam aliquod objectum infinitum. Si daretur omnipotentia, nihil de novo fieret: ergo (inquiunt) non datur Deus, quia plura mala ſunt in mundo, ut probat quotidiana experientia, plura nobis deſunt, quæ tamen nobis ſunt neceſſaria. Quodlibet objectum, ſeu ens eſt finitum & limitatum. Quotidiè res de novo fiunt. Sunt plura alia, quæ non eſſent ſi daretur Deus, qui cùm perfectiſſimus eſſet, omnia in ſtatu perfectiſſimo teneret ſapientiâ ſuâ, quâ attingeret à fine uſque ad finem fortiter, & diſponeret omnia ſuaviter.

Reſponſio ad Atheos.

Hujus argumenti minor eſt abſolutè falſa in omnibus partibus ſuis, nam Deus ut eſt ſummum bonum excludit à ſe omne malum. Nec ad hoc, ſeu ut ſit ſummum bonum, neceſsè eſt quòd excludat omne malum à creaturis aut quòd non ſinat creaturas aliqua mala pati. Sæpè enim hoc exigit Juſtitia divina. Nec eſt neceſsè quòd exterminet omnes homines malos, eos enim patitur Deus, ut qui mali ſunt,

fiant : *nè putetis* (inquit. D. Auguſtinus in Pſal. 54. verſ. 1. *Gratis eſſe malos in hoc mundo , & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit , ut per illum, bonus exerceatur.* Inſuper homo ex natura ſua eſt liber , poteſt bonum , vel malum agere : ergo Deus non debet eum impedire dum malè agit. Quantum ad illud de providentia , dico , quòd nihil deeſt timentibus Deum. Ea, quæ neceſſaria ſunt, conferuntur omnibus mediatè , vel immediatè , hoc eſt , conferuntur divitibus, ut pauperibus panem frangant , & ſi ad omnes non perveniant , hoc non Deo proviſori , ſed humanæ malitiæ refundendum eſt : Deus enim vult ſalutem omnium, tam temporale, quàm ſpirituale. Ad aliud minoris membrum quod eſt cognitio , dico quòd illa cognitio habet objectum infinitum , nempè ipſius Dei eſſentiam , quæ eſt infinita & primarium divinæ ſcientiæ objectum. Ad ultimum dico , de ratione omnipotentiæ non eſſe facere , aut feciſſe omnia , ſed ſolum poſſe facere omnia , quæ fieri non repugnant ; Itaque ex illis rationibus contrà articulum noſtrum adductis , Athëi nequeunt aſſerere nullum eſſe Deum.

ARTICULUS II.
Reiicit Polythëiſmum.

ATHEIS ſucceduot illi, qui plures Deos admittunt, ſcilicet Polythei inter quos aliquo modo comprehendi poſſunt hi omnes cæcæ antiquitatis , ſive gentiles , ſive Judæi , ſive hæretici viri , qui ſibi pro arbitrio plures fixere. Deos. Porrò cum propoſitum noſtrum ſit impugnare hæreſes , quæ poſt Chriſtum natum inſurrexerunt , hîc non comprehendimus eos, qui apud gentiles, Saturno , Jovi, Marti , Soli , veneri , Mercurio , Lunæ , aliiſque ſimilibus , ſibi ad placitum confictis litabant numinibus. Neque eos , qui apud Judæos, Muſcas, Ranas , Mures , vel alias creaturas , ſivè animatas , ſivè inanimatas colebant , quoniam hujuſmodi viri potiùs Idololatræ nuncupandi ſunt , quàm Polythei , ſed comprehendimus eos , qui jam orto juſtitiæ ſplendidiſſimo ſole , & Evangelico irradiante ſplendore , quô juxtà hoc vaticinium Iſaïæ cap. 2. verſ. 17. & 18. *Et incurvabitur ſublimitas hominum , & humiliabitur altitudo virorum , & elevabitur Dominus ſolus in die illa , & idola penitùs conterentur* omnis Idololatriæ error depulſus eſt , plures Deos admittunt & colunt.

Polythëorum primus fuit , Valentinus Ægiptius è
Valent. Platonico Chriſtianus , è Chriſtiano , hæreticus , qui ambitione Epiſcopatûs cujus repulſam paſſus fuerat (teſte Tertulliano , lib. adverſus Valentinianos cap. 4.) prædicavit in regno Cypri anno CL. tempore Antonini Pii Imperatoris, & Higinij Papæ , triginta eſſe Æonas, ſeu Deos. Volebat enim impiiſſimus ille vir, evitare Caribdim , ſeu errorem Heſiodi Poëtæ Græci (qui teſte Euſebio lib. 5. præparat. Evang. cap. 15. cenſuit triginta Deorum millia eſſe in terra) ſed cecidit in ſyllam, triginta admittendo Deos, quoniam vera ſalus, portuſque tranquillus, ſunt in fide Catholica : fides autem Catholica hæc eſt , ut unum Deum in Trinitate perſonarum , & Trinitatem perſonarum in unitate naturæ veneremur.

Ex hoc peſtilentiſſimo Valentini errore orti ſunt plures hæretici; qui varias inſtituere ſectas , nimirùm
Ophitæ. Ophitæ , ſeu illi hæretici, qui (teſtantibus. D. Epiphanio, D. Auguſtino, & Theodoreto) arbitrantes ſerpentem illum , qui primos decepit parentes , eſſe Chriſtum, adorabant ſerpentem , quem in ſpelunca nutriebant , quique, incantante Sacerdote, de ſpelunca egrediens, & altare ſuprà ſpeluncam erectum conſcendens, lambebat oblationes ſacrificandas, quô peractô, & ſuam in ſpeluncam ſerpente reverſo, cultores ejus illas in Euchariſtiam confringebant tamquam ſanctificatas à Chriſto. Cainani ſeu illi hæretici , qui Cainum , nec non *Cainani*
Eſaü, Core, Datham, & Abiron, & Sodomitas colebant : exorti ſunt plures alij hæreſiarchæ, de quibus alibi erit *Colobroſij*
nobis loquendi occaſio , & præſertim Colobroſij , qui tunc admiſerant duo principia contraria.

Sub eodem Imperatore , eodemque Papa, circà annum CLIV. errorem Valentini repellere voluit Cerdon *Cerdon.*
magus quidam , & hæreticus vir, illam Deorum multitudinem negando, ſed eam non extinxit , quia non ad unum Deum ſe reduxit, prout fides catholica, & humana ratio exigebant ab eo, ſed ad duos, ſcilicet ad unum bonum, ac benignum , & ad alium juſtum, ac ſeverum, ut referunt D. Irenæus. lib. 1. cap. 18. D. Epiphanius hæres. 4. Theodoretus, Euſebius , & alij contra Philaſtrium, & alios ſcriptores, qui docent Cerdonem admiſiſſe duos Deos, quorum unus eſt bonus, & alter malus, à quo omne malum, tam culpæ, quàm pœnæ eſſe volebat.

Anno autem ſequenti inſurrexit alter hæreſiarcha , nomine Marcion, natione Ponticus, patriâ Synopenſis,
conditione ſtoicus , famâ nequiſſimus , juſtâ ſententiâ *Marcionitæ*
de Eccleſia à Patre ſuo Epiſcopo catholico, & pio, ejectus ob ſtuprum. Hic quidem hæreticus videns ſe inter ſceleratos meritò reputatum , nec non vagum, & profugum ſuper terram, Romam adire voluit ut famæ ſuæ conſuleret, quo cum veniſſet, & in communionem Eccleſiæ recipi non potuiſſet , Cerdoni ſe adjunxit, illumque audivit impietatis magiſtrum , & docuit ipſius falſa dogmata, & præſertim illud, quô impugnatur Dei unitas.
Huic hæreſi etiam adhæſit ſtatim Lucianus , non ille, qui *Lucianus*
fuit ſectâ Eunomianus de quo loquitur Nicephorus lib. 13. cap. 1. ſed alter à quo orti ſunt Lucianiſtæ, qui duos ſtatuunt Deos, unum juſtum, & alium injuſtum, teſtantibus. D. Hilario lib. 6. de Trin. & D. Irenæo lib. 3. cap. 3.

Poſt præfatos hæreticos inſurrexerunt alij , qui ſibi *Gnoſtici*
ſpecioſum nomen gnoſticorum indiderunt , quaſi præ aliis hominibus rerum divinarum cognitione præditi eſſent. Illos à Baſilide exortos volunt Sanctus Hieronimus , & Euſebius: alij credunt cum Sancto Irenæo, Gnoſticos prodiiſſe à Carpocrate ; alij volunt cum. D. Auguſtino, Nicolaüm Diaconum, de quo fit mentio in cap. 16. act. eſſe gnoſticorum Primipilum. Quidquid tamen ſit de hac gnoſticorum origine, dicimus cum communi ſententia, ipſos gnoſticos admiſiſſe duos Deos, unum bonum, à quo omne bonum procedit. Et unum malū, à quo omne malum provenit, tantamque impietatem cœpiſſe docere Romæ circa annum Domini: CLXVII, tempore Antonini Philoſophi, operâ & induſtriâ cujuſdam Marcellinæ, venuſtæ quidem , & ingenioſæ , ſed inverecundæ, & ſceleribus oneratæ fœminæ, quam nonnulli cognomento vocant Canoſam ob omniam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercebat.

Ejuſdem hæreſis aut Impietatis acerrimus deffenſor,
fuit Apelles, Marcionis diſcipulus, qui ſub Marco Anto- *Appelliſtæ*
nino imperatore, & Sotero Papa, circa annum. CLXXVIII (teſte Tertulliano, lib. de preſcript. cap. 6.) deceptus & depravatus à quadam Virgine Philumenæ, docuit , duos eſſe Deos, ſed non admiſit cum magiſtris ſuis duo prima omnium rerum principia, quamvis admiſerit unum principium bonum, à quò eſſe voluit omne bonum. Et unum malum, à quo omne malū eſſe crediderit, quia volebat, Deum bonum produxiſſe Deum malum, ut ab ipſo omne malum proveniret abſque ullo ipſius Dei boni , & primi principij influxu; idcircò admittebat reverà duos Deos, non verò duo prima principia abſolutè, ſed unum quod eſſet principium omnium bonorum, & Dei mali, qui eſt principium omnium malorum.

Polythëiſmus magis prævaluit tempore Aureliani Imperatoris , & fœlicis hujus nominis Papæ primi , circà annum Domini CCLXXIII. malitiâ cujuſdam hæretici , cui proprium nomen erat

Manich. Manes (à quo Manichæi orti ſunt) natione Perſa, quem Diſcipuli appellarunt Manichæum, quaſi manna ſundentem. Hic inquam Manes in animarum perniciem admiſit duo prima rer um principia, eaque ab æterno exiſtentia: unum bonum, ſeu totius naturæ ſpiritualis, & animarum rationalium conditorem, alterum verò huic adverſum & malum, corporearum ſubſtantiarum opificem. Manichæorum principi adhæſit Priſcillianus, natione Hiſpanus, *Priſcill.* Epiſcopus Avilæ, qui ut referunt D. Auguſtinus in lib. de hæreſ. *Ad quod vult Deum*, cap. 70. & Leo magnus in Epiſtola ad Aſturieenſem Epiſcopum, dogma permixtum compoſuit anno CCCLXXXVIII. regnante Valentiniano ſecundo, & Eccleſiam Dei regente Siricio Papâ & ex hæreticorum ſententia hauſit hæreſes quamplurimas, inter quas, eſt ea, quam hîc impugnamus, quæ poſteà per quingentos annos, manſit ſepulta, diligentiâ, & zelo Patrum Concilij Bracarenſis, imò penitùs extincta fuiſſet, ſi anno *Albanen.* DCCLXXXXVI. tempore Conſtantini II Imperatoris, & Leonis III. Albanenſes, qui ſolitò ſceleratiſſimi nuncupantur, & Albigenſes tempore Friderici ſecundi, & Alexandri tertij circà annum Domini MCCXVI. eam ab inferis non revocaſſent.

Quoad Concilia, quæ Politheos damnant, *Albigenſ.* nulla ſunt, niſi ea, quæ Atheos profligant in præcedenti articulo, quæ cùm ſanciant, Deum exiſtere, ſanciunt utiquè Deum eſſe unum eſſentialiter ſingularem, undè ad prædictum articulum, remittendus eſt lector.

Probatur dogma ex Scriptura. Authoritas Sacræ Scripturæ confirmat Concilia, quæ prænominatos hæreticos feriunt anathemate; cùm in variis locis affirmet, Deum eſſe, huncque prorsùs ſingularem, & eſſentialiter immultiplicabilem; nam Propheta Regius Pſal. 85. verſ. 10. ait Deo, *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus. Salomon in lib. ſap. cap. 12. verſ. 13. non eſt alius Deus quàm tu.* Et in cap. 43. Jſay. verſ. 10. Ipſemet Deus declarat, quòd eſt unus, & ſolus his verbis: *Vos eſtis mei, dicit Dominus, & ſervus meus, quem elegi, ut ſciatis & credatis mihi, & intelligatis quia ego ſum; ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* His quidem teſtimoniis planè convincimur, quòd Deus eſt unus, & quòd præter illum non eſt alius, quippè cùm ſit eſſentialiter unus, juxtà illud Deuteron. cap. 6. *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus unus eſt:* nemo poteſt citrà impietatem alium admittere, licet in rerum natura varios videamus effectus, nam cùm ſit cauſa univerſalis, omniumque cauſarum prima, non implicat quòd diverſos habeat effectus. Ipſe quidem eſt, qui mortificat, & vivificat. Qui ducit ad inferos, & reducit. Qui miſeretur, & indurat. Qui parcit, & punit, ut ſentit omnis, qui cum Propheta, pſal. 100 dicit: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Idemque ſentirent Polythei ſi pſalterium audire vellent, ut notat. D. Auguſtinus lib. 2. cap. 2. ſic diſputans contrà ſauſtum manichæum: *Vos autem non volentes diſcernere quid faciat Deus beneficio, quid judicio, quia & à corde, & ab ore veſtro longè eſt pſalterium noſtrum, ubi dicitur, miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine, quidquid vos pro infirmitate humanæ mortalitatis offenderit, alienatis omninò ab arbitrio, & judicio Dei veri; videlicet habentes paratum alterum Deum malum, quem vobis non veritas oſtendit, ſed vanitas, cui tribuatis non ſolum quidquid facitis injuſtè, verum etiam quidquid patimini juſtè, ità Deo tribuentes beneficia bonorum, & ei auferentes judicia pœnarum, quaſi de alio dixerit Chriſtus, quòd præparavit ignem æternum malis, quam de illo, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos; unde hic tantam bonitatem, & ſibi tantam ſeveritatem ad unum pertinere Deum non intelligitur, niſi quia miſericordiam, & judicium cantare non noſtis?* ex quibus ſequitur, ex miſericordia & judicio, nullum hominem mente ſanum, poſſe duos inſerre Deos, cùm unus, & idem Deus ſit miſericors & juſtus. Unde Deus, Deuteron. cap. 32. ait: *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me, ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego ſanabo.*

Pluralitatem Deorum manifeſtè repellit, & unum *Ex Scrip.* tantum oſtendit Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 8. verſ. 4. ibi enim inquit, *Scimus quod nullus eſt Deus niſi unus, nam & ſi ſunt, qui dicantur Dij, ſive in cœlo, ſive in terra (ſiquidem ſunt Dij multi) nobis tamen eſt Deus pater ex quo omnia, & nos in illo.* Ad Galat. 3. verſ. 20. *Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt*, & ad Epheſ. 4. *unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus vobis.* His & ſimilibus novi teſtamenti oraculis, Polythëi penitùs confunduntur & ſingulis hominibus demonſtratur, Deum eſſe unum eſſentialiter ſingularem, cùm omnia, quæ exiſtunt in rerum natura, ex quibus colligimus contra Atheos, exiſtentiam Dei, ſint ratione creationis, & dependentiæ tam in eſſendo, quàm in operando, ab uno, & eodem principio incauſato & improducto, cui Propheta pſal. 101. verſ. 26. ait: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli; Ipſi peribunt: tu autem permanes;* & ab uno eodemque conſerventur, juxtà illud Sap. 11. verſ. 26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur.* Eamdem veritatem docet Tertulianus lib. 1. adverſus Marcionem, cap. 11. ubi probat Marcionis Deum, commentitium eſſe, quia nihil creavit, & nullum eſſe Deum, niſi eum, qui jure creationis eſt Dominus omnium *ſicut* (inquit) *Creator ex hoc & Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipſius, & nihil extraneum illi, ita & alius idcirco non Deus, quia omnia non ejus, ideoque, & extranea. Denique ſi univerſitas creatoris eſt, jam nec locum video Dei alterius, plena, & occupata ſunt omnia authore, ſi vacat aliquid ſpatij alicui divinitati in creaturis planè falſa vacabit.*

Huic authoritati ſuffragatur ratio, nam unus Deus *Ratio adjungitur.* potuit ſufficere ad creationem omoiunn rerum, vel non potuit. Si potuit, neceſſariò admittendus eſt tantùm unus Deus, quia alius eſſet ſuperfluus, nec eſſet in nobis ratio agnoſcendi illum, quoniam, ut jam diximus contra Athëos, ex exiſtentia, & dependentia creaturarum cognoſcimus naturaliter creatorem. Si non potuit creare omnia, quæ exiſtunt, & creata ſunt, non eſt Deus, quoniam Deus debet eſſe omnipotens, ſeu habere virtutem operativam infinitam, ut valeat producere ea, quæ fieri non repugnant. Iſtud ſecundum, eſt impoſſibile, ideoque admittendum eſt primum, ſcilicet Deum eſſe unum ſolum creatorem omnium, qui ſit à ſe: etenim per ea, quæ facta ſunt, unum creatorem inſpicimus, & ex magnitudine ſpeciei, & creaturæ poteſt cognoſcibiliter creator horum videri, juxtà teſtimonium Salomonis cap. 13. verſ. 5. hinc eſt quòd nullus poteſt citrà impietatem, imo & dementiam, duos admittere Deos, etiam ſi velit quòd ambo ſint boni, quia de ratione ſummi boni eſt, quòd ſit unum, & de natura Dei eſt, quòd ſit unus. Hujus rei argumentum eſt, quia Deus cognoſcitur ex creaturis, quæ cùm non ſint à ſe ipſis, non ſolum ducunt in cognitionem creatoris, à quo ſunt, ſed ducunt etiam ad cognitionem unius duntaxat, quia omnes conveniunt in hoc, quòd eſt eſſe ab alio, qui ſit à ſe: ergo ratio naturalis nedùm demonſtrat, quòd Deus exiſtit, ſed etiam probat quòd eſt neceſſariò unus, à quo dependet omne quod exiſtit.

Nedum Sacrâ Scripturâ, Sanctis Patribus, & Con- *Ex ratione.*

Digitized by Google

eiliis impugnantur Polythei, ſed etiam naturali lumine, quòd verum eſſe ſic evinco alio argumento ex ratione deſumpto. De natura & eſſeotia Dei eſt, quód ſit primus motor, omnia movens, ens omnium entium primum, & prima cauſa, non ſolum prioritate ordinis, & dignitatis, ſed etiam exiſtentiæ, & actionis, hoc eſt, tam in eſſendo, quàm in operando; cùm ſit in ſe, & à ſe, cætera veró ſint ab eo, & ab eo moveantur; At implicat ex terminis, dari plura entia quorum quodlibet ſit primum omnium eotium, quoniam eſſe primum cæterorum, ad ooum dumtaxat pertinet. v. g. quilibet Rex eſt primus imperio, & dignitate in ſuo regno, quia in uno regno eſt tantum uous Rex, qui præcedit & imperat, nam ut inquit. D. Thomas, lib. 1. cnotrà gentes cap. 42. art. 17 in quolibet principatu, ille, qui præſidet, unitatem deſiderat, ideireó Deus, qui in principatu, ſeu collectione omnium creaturarom præſidet, & qui eſt primum ens, & prima cauſa, debet eſſe ità ſolus & ſingularis, ut nemo poſſit cogitare aliud ens, quod ſit primum omnium entium, ac proindè quód ſit Deus. Illud ens ſi eſſet primum ſicut aliud, eſſet majus, vel minus, vel æquale; ſi majus, aliod non eſſet Deus, & ſic eſſet tantum unus Deus. Si minus, iſtud non eſſet Deus ſicut aliud, & ſic eſſet tantum unus Deus, quia Deus nullo minor. Si æquale, nullum ex illis duobus eſſet Deus, quia nullum eſſet primum ens reſpectu omnium entium, cùm inter æqualia, unum non ſit prius alio, & de natura Dei ſit eſſe ſuper omnia: hinc eſt quód idem Doctor Angelicus addit. *Inter Principatus eſt potentiſſima monarchia, ſive regnum: multorum etiam membrorum unum eſt caput, ac per hoc evidentiſſimum apparet, Deum qui eſt omnium cauſa, oportere, unum ſimpliciter conſtituere, & ſimpliciter conſiteri: unus igitur omnium Dominus eſt Deus.*

Saoctus Cyprianus confirmat hanc veritatem va-
lib. de unit. Idol. lidiſſima ratione, ibi enim ſic diſcurrit: neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortium; cùm ſola omnem teneat poteſtatem, ac divinom imperium; etiam de terris mutuemur exemplum. Quando umquam regni ſocietas; aut cum fide cæpit, aut ſioe cruore deſiit? ſic Thebanorum germanitas rupta; & permanens Regis diſſidentibus etiam in morte diſcordia, & Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cæpit hoſpitium. Pompeius, & Cæſar affines fuerant; nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt; nec hoc raorum de homine mireris cum in hoc omnis natura conſentiat; Rex unus eſt Apibus; & dux unus in gregibus; & in armentis rector unus; multo magis mundi unus eſt Doctor, qui omnia quæcomque ſunt, verbo jubet ratione diſpenſat, virtute conſummat. Ità idem Sanctus Doctor.

Hæretici, qui duos Deos admittunt, dicunt quemlibet eſſe primum in ſuo ordine; hoc eſt, bonum in ordine bonorum entium, & malum in linea malorum; At hæc ratio eſt prorsùs inanis, & frivola, quia illud ens quod dicunt primum in ordine malorum, eſt à ſe, vel ab alio. Si à ſe, non eſt malum, quia aſſeitas eſt ſumma perfectio ſimpliciter ſimplex; cùm excludat omnem dependentiam, omnem corruptionem, omnem potentialitatem ad terminum, ſimileſque defectus, qui creaturam à creatore diſtingunt. Si eſt ab alio, ſequitur primò quód non eſt Deus, ſed creatura, quoniam omne quod eſt, vel Deus, ſeu creator, vel creatura eſt; Deus quia eſt à ſe, & creatura, quia eſt ab alio: igitur in collectione omnium entium, eſt unum dumtaxat quod eſt primum cæterorum, tam bonorum, quàm eorum, quæ à Polytheis mala dicuntur, ex quo ſequitur ſecundò quòd quemadmodum Deus eſt ens primum reſpectu illius Dei mali, eſt etiam primum ens in ordine malorum ſicut in ordine bonorum, quoniam hæc mala, quæ ſubſunt Deo malo, deberent etiam ſubeſſe Deo bono, cui ſubeſſet Deus malus. Atqui hæc duo, quæ neceſſariò ſequerentur, improbantur à Polytheis, debent igitur credere; nullum alium eſſe Deum præter Deum bonum, qui eſt ens perfectiſſimum omnia continens, in nullo contentum, neceſſarium & nullo modo contingens. Et reiicere illum Deum malum, quem fingunt, quia teſte Propheta pſal. 17. verſ. 32. non eſt qui ſit Deus præter Dominum, aut qui ſit Deus præter Deum noſtrum, qui eſt infinitè bonus: Unde. D. Joannes cap. 17. hanc Dei unitatem mirificè demonſtrat, dum Deum ſic alloquitur: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* His ſiquidem verbis docet, Deum eſſe ità unum eſſentialiter, ut non poſſit dari aliud ens, quod ſit Deus. Si vero Polythei velint illud admittere, ſiunt Athei, quia inquit Tertulianus lib. 1. contra Marcionem cap. 3. *Deus ſi non eſt unus, non eſt.*

Polytheorum fundamentum eſt ex illo Prophetæ *Polyth. fundam.*
Amos cap. 3. malè intellecto. *Si erit malum in civitate, quod Deus non fecerit*: & ex illo Iſayæ cap. 45. *Ego Dominus creans malum.* Nam ex illis locis Prophetarum, nonnulli Polythei concludunt, præter Deum bonum, qui formavit Lucem & pacem, eſſe alium Deum malum, qui fecit malum, & creavit tenebras, cùm à Deo bono nequeat provenire malum, quoniam (Chriſto teſtante) arbor bona non poteſt malos fructus facere. Nec ex Deo malo poſſit exire bonum, quia arbor mala non poteſt bonos fructus facere.

Huic argumento reſpondeo, interpretationem eſſe *Prima reſponſio*
falſam, nam ex eiſdem Prophetis, bonum & malum ſunt ab uno, eodemque principio, ut patet ex verſ. 6. ejuſdem capitis Iſayæ, ubi Deus ſic loquitur: *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc*: ex quibus conſtat, omnia provenire ab uno, eodemque Domino, ut denotat hoc pronomen: *Ego*, quod unum ex ſe denotat: igitur illi, qui duos Deos admittunt ex verbis Prophetæ Amos, teſtimonio veri Dei contradicunt. Nec per hoc ſequitur, arborem bonam facere fructus malos, quia malum illud de quo loquitur propheta, non eſt malum culpæ, quod eſt verè malum ex malitia hominum naſcens, ſed eſt malum pœnæ, quod ratione principii & finis eſt verè bonum, quia eſt actus juſtitiæ diſtributivæ, quæ eſt virtus ſpecialis: onde Tertulianus loco citato cap. 14. inquit: *Qui mala dicuntur, & delicta, & ſupplicia, paſſim, volunt eum conditorem intelligi malorum, ut & malitiæ author renuntietur; nos autem adhibita diſtinctione utriuſque formæ, ſeparatis malis delicti, & malis ſuplicii, malis culpæ, & malis pœnæ, ſuum cuique partis definimus authorem, malorum quidem peccati & culpæ Diabolum, malorum verò ſuplicij & pœnæ, Deum creatorem, ut illa pars malitiæ deputetur, iſta juſtitiæ, mala condemnis judicia adverſus mala delicti. De his ergo creator profitetur, malis quæ congruunt judicij, quæ quidem illis mala ſunt quibus rependuntur, cæterùm ſuo nomine bona, quà juſta & bonorum deffenſoria, & delictorum inimica, atque in ordine Deo digna*: Nec obſtat dicere diverſitatem effectuum neceſſariò arguere pluralitatem cauſarum, non obſtat inquam cauſæ infinitæ, & univerſali, qualis eſt Deus, qui cùm ſit infinitæ virtutis; & fœcunditatis, quoſlibet effectus producere poteſt ſive ſimiles, ſive diſparatos, ſive contrarios inter ſe, modò non repugnent divinæ ſanctitati, ut de facto ipſi repugnat malum culpæ; quapropter Deus in Symbolo, meritò dicitur creator cœli & terræ, viſibilium & inviſibilium omnium, licet ſint diverſi effectus. Sol eſt unus, cum ex ſcriptura, Eccleſ. cap. 4. verſ. 8. non habeat ſecundum, habet tamen diverſos effectus, Quia eſt cauſa communis, & univerſalis.

Adversùs hanc reſponſionem, Marcioniſtæ ſic inſur-

Digitized by Google

Marcio. inſtantia gunt. Crudelitas debet repugnare Deo, ſi bonus ſit, ſed ex Sacra Scriptura conſtat, dari Deum crudelem, ſeu illum, qui patrum delicta io filiis punitmus eſt uſque ad quartam generationem, or ipſe Deus manifeſtè declarat, Exod. cap. 20. verſ. 5. Igitur datur Deus malus; idque confirmant ex eo quod, ſi non eſſet alius Deus præter Deum ſummè boaum, Adam non fuiſſet creatus, quoniam ipſe Deus prævidiſſet eum peccaturum, & ſic non creaſſet eum, cùm Deus bonus maluiſſet noo creare hominem, quàm videre peccatum, quod per hominem illum, intravit in mundum.

Diſſolvitur hæretica inſtantia. Ad primum reſpoodeo, punire delicta patrum in filiis, non eſſe crudele, nec malum, nec injuſtum, ſi filij ſiot patentum delictorum imitatores, quales ſunt illi dequibus loquitur Sacra Scriptura, ut obſervat Tertullianus dicens: *Quamquam ſi Evangelum veritatis accipias ad quos pertineat ſententia reddentis in filios patrum delicta, cognoſces ad illos ſcilicet, qui hanc ultrò ſibi ſententiam fuerant interrogaturi, Sanguis illius ſuper capita noſtra & filiorum noſtrorum.* Ratio hojus veritatis eſt, quia filij ſic conſiderati, ſunt participes delicti parentum. Huic authoritati ſuffragatur ſcriptura, quæ declarat loco à Polytheis citato, quòd Deus puniet filios uſque ad tertiam, & quartam generationem, eorum qui oderunt eum uſque ad quartam geoerationem, hoc eſt, in filiis: unde. D. Auguſtious lib. contra Adimantum manichæi diſcipulum cap. 7. inquit: *Intelligendum eſt, & illud rectum eſſe quod Deus retribuit parentum peccata filiis, qui eum oderunt. Ex eo enim quod addidit, qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem perverſitate parentum perſeverare voluerunt. Tales enim non ſævitia, ſed potiùs juſtitiâ Dei, & ſua iniquitate puniuntur:* Igitur ex illa punitione, Marcioniſtæ nequeunt inferre, præter Deum bonum, dari alium Deum malum, & crudelem.

Ad confirmationem dico, quòd Deus non poteſt dici malus ob creationem hominis, nec debuit non creare illum, quamvis eum præviderit lapſurum, quia non creavit eum peccatorem: creavit enim hominem rectum, teſte Scripturâ, quæ aſſerit etiam quòd Deus vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Nec creavit eum ut peccaret, nec debuit impedire eum nè peccarèt, reliquerat enim eum io manu Conſilij ſui, hoe eſt, liberum; ideoque ot ejus libertas eluceret, deboit pati hominem labi in peccatum, ac proindè non Deo creatori, ſed homini libertate ſua malè otenti tribuendum eſt peccatum, ut notant *SS. PP.* & præcipuè Tertullianus, lib. contra Marcionem cap. 9. dicens: *Libertas arbitrij non ei culpam reſpuit à quo data eſt, ſed à quo non ut debuit, adminiſtrata eſt:* Deus appoſuit illi ignem, & aquam, vitam, & mortem, & dixit illi, *Ad quodcumque volueris, porrige manum tuam.*

Inſtant iterùm Polythei, & volunt ex duobus teſtamentis in Ecclesia receptis, duos inferre Deos. Nam (inquiunt) ſi eſſet tantum unus Deus, nulla eſſet contradictio in ſcripturis ſanctis, quia contradictio ſoliò eſt duorum, & ſi ſit unius, eſt unius ignari, & indocti; At inter duo teſtamenta eſt maxima contradictio, vetus enim multa præcipit, quæ nouum prohibet, multa permittit, quæ nouum improbat, ut manifeſtè patet ex variis locis utriuſque teſtamenti: ergo Deus veteris teſtamenti, non eſt Deus teſtamenti novi, vel ſi ſit idem, eſt ignarus & mutabilis, quòd Deo repugnat.

Reſpondeo conſequentiam eſſe falſam. Conſtat enim in Sacra Scriptura, nullam eſſe contradictionem formalem, & ſi aliqua videatur, judicanda eſt apparens dumtaxat, quoniam ſi in veteri teſtamento permittatur aliquid, quod prohibetur in novo, hoc debet intelligi ſub diverſo reſpectu, ſub diverſo tempore, vel ſub diverſa circonſtantia, quæ excuſat in obſervantia præcepti, aut obligat, ut patet ex iſtis textibus, quorum unus eſt, Geneſ. cap. 2. verſ. 18. *Dixit quoque Dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Alius verò eſt, D. Pauli 1. Corinth. cap. 7. verſ. 1. *Bonum eſt homini, mulierem non tangere*, inter quos apud hæreticos aliqua videtur eſſe contradictio, quæ tamen non eſt. Nam in priori textu, ſcilicet in veteri teſtamento, Deus loquitur abſolutè de commuui bono ſpeciei humanæ per generationem propagandæ, quod haberi non poteſt, oiſi homo habeat oxorem: hinc eſt quòd Deus ſtatim poſt formationem Adæ, ait: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Et in poſteriori loquitur de bono perſonali, & convenientiore homini Chriſtiano in particulari ad perfectam Sanctimooiam anhelanti, quoniam liber ab uxore, & matrimonij vinculo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit Sanctus corpore & Spiritu. Ille vero, quì cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, & diviſus eſt; idcircò inter hos duos textus, nulla eſt contradictio, cùm quilibet eorum ſuam ſignificationem habeat convenientem homini ſub diverſis reſpectibus cooſiderato. Plura enim nobis conveniunt io uno tempore, aut in una circunſtantia, quæ in alio tempore minimè conveniunt, ut conſtat quotidianâ experientiâ, ac proiodè aliquid poteſt in uoo tempore permitti, & in alio prohiberi.

Dicunt tandem, quod ex Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 8. ſunt Domini multi, & Dii multi; idcoque neceſsè eſt admittere Polytheiſmum; cùm in Sacra Scriptura aliquandò fiat mentio de pluribus Diis: *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine: ego dixi Dii eſtis vos.* Sed non nocet hæc authoritas. D. Pauli, quia loquitur de Diis fictis, ſeu de Diis gentium, qui Dæmonia ſunt; nos autem dum unicum Deum admittimus, loquimur de Deo vero, qui eſt ſuper omnes Deos, ſeu Dæmonia, quæ ſunt Dii eorum, qui verum Deum cognoſcere nolunt, ut ſint operum manuum hominum cultores, atque Idololatræ, quales erant Ethnici illi de quibus Apoſtolus ſic ſcripſerat ad Romanos cap. 1. verſ. 21. & ſequentibus: *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.* Ad aliam authoritatem dico, quòd dum Sacræ litteræ, prophetas, judices, & juſtos, appellant Deos, noo loquuntor more gentium, quæ ſibi plures impiè fixerunt Deos: ſed quadam loquendi conſuetudine ſignificare volunt, excellentem aliquam functionem illis à Deo conceſſam. *Altera Polytheorum ratio*

ARTICULUS III.

Oſtendit adverſùs Antropomorphytas, Deum eſſe Incorporeum.

ANNO Domini CCCLXXX. regnante Valente Imperatore. Et Damaſo in Cathedra Petri ſedente, duo viri hæretici, videlicet Seleucus, & Hermias ambo Galatæ, dixerunt cum ſtoicis (teſte D. Damaſceoo lib. de hæres.) Deum habere caput, brachia, cæteraque humana membra, ac proindè eſſe vere corporeum. Ita de illis, tradunt etiam D. Auguſtinus, Philaſtrius, & alij graviſſimi Scriptores, à quibus hæreticorum Cathalogum ſuſcepimus. Eſt tamen inter *Seleucus. Hermias.*

Digitized by Google

Ipſos non modica difficultas, videlicet an hi duo viri, ſint Antropomorphytarum patroni, & inventores hujus hæreſis materiam tribuentis Deo, qui prorsùs Spiritualis eſt, & Immortalis. Plures affirmant Tertullianum eſſe primum parentem Antropomorphytarum. Huic opinioni ſubſcripſit ſanctus Thomas 1. contra gentes cap. 20. ubi luculentiſſimis rationibus probat, Deum non eſſe corporeum, & ſtatim addit: *His etiam rationibus excluduntur deliramenta ſimplicum Judæorum, Tertulliani, Audæanorum, Antropomorphytarum qui Deum corporeis lineamentis figurabant*, nam ſi Tertullianus dixerit, Deum eſſe corporeum, ſicut Audæani, debet eſſe Antropomorphytarum author, quia eſt Audæanis antiquior. Hanc D. Thomæ ſententiam ſequitur noſter Alphonſus à caſtro. Pro parte negativa ſtat D. Auguſtinus lib. 1. de geneſ. ad litteram cap. 25. ubi licet agnoſcat; Tertullianum aliquandò corpus Deo finxiſſe, cenſet tamen eum revocaſſe tam abſurdam ſententiam; ibi enim inquit: *Denique Tertullianus quia corpus eſſe animam credidit, non ob aliud, niſi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit nè nihil eſſet, ſi corpus non eſſet. Nec de Deo voluit aliter ſapere, quì ſanè, quoniam acutus eſt, interdum contra opinionem ſuam viſa veritate ſuperatur, quid enim verius dicere potuit, quàm id, quòd ait quodam loco: omne corporale paſſibile eſt? debuit ergo mutare ſententiam, qua paulò ſuperiùs dixerat, etiam Deum corpus eſſe, neque enim arbitror eum ita deſipuiſſe, ut etiam Dei naturam paſſibilem crederet, ut jam Chriſtus non in carne tantum, neque in carne, & anima, ſed in ipſo verbo per quod facta ſunt omnia, paſſibilis, & commutabilis eſſe credatur; quod abſit a corde Chriſtiano.* His quippè verbis. D. Auguſtinus admonet, Tertullianum voluiſſe, Deum eſſe corporeum, ea ratione tantum, quâ corpus opponitur nihilo, ſeu quatenùs corpus idem ſonat, ac ens reale; non verò ea ratione, quâ corpus opponitur ſubſtantiæ ſpirituali. Undè cum hæc ultima opinio videatur mihi probabilior, eam præfero, & ipſum Tertullianum Antropomorphytis oppoſitum credo. Idem judicium fero de Arnobio, & Lactantio, quia ille in lib. 3. contra gentes, & iſte in lib. 1. de ira Dei cap. 18. loquuntur eo modo, quo Tertullianus.

Reſolvitur difficultas.

Tertullianus non fuit antropomorphita.

Audæus

Eodem tempore vir quidam genere & linguâ Syrùs, nomine Audæus eumdem docuit errorem à Seleuco, & hermiâ galatis inventum, ut teſtantur D. Auguſtinus, & Theodoretus referentes, Audæum dixiſſe, Deum humanâ eſſe præditum formâ, ac proindè corpus noſtro ſimile, ſimiliaque noſtris habere membra, ex illo geneſ. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ex quo inferebat, Deum eſſe corporeum, quia Adam ad ſimilitudinem Dei factus, corporeus erat. Non deſunt tamen qui, hac authoritate non obſtante, volunt cum D. Epiphanio, ipſum Audæum excuſare, quoniam (inquiunt) ex hiſtoria conſtar quòd erat vir religioſus, veritatis amator, & pius, qui Eccleſiaſtica libertate non ſolum presbiteros, ſed etiam Epiſcopos à diſciplinæ regula deviantes increpabat, qua de cauſa ab eis ut hæreticus Seleucianus diffamatus fuit, & ut Antropomorphytarum aſſertor reputatus: quamtum autem ad nos ſtat, credimos ſententiam D. Auguſtini probabiliorem alterâ. Ad rationem eorum, qui adhærent D. Epiphanio, dico, Audæum fuiſſe virum religioſum, pium, ac ſeorsùm viventem, ſeu ſtrenuum vitæ monaſticæ cultorem, ſed apparentèr dumtaxàt, ut hac occaſione ſuorum dogmatum blaſphemiam cælaret, ut referunt plures hiſtorici: motivum enim hujus à mundo receſſus, fuit ſcandalum quorumdam, qui tunc uſuras execrandas exigebant, qui abſquè legitimis nuptiis cum mulieribus habitabant, & indecentem ducebant vitam, ſed hic pretextus erat arrogantia plenus, & Phariſaicæ propago doctrinæ, ut obſervat Prateolus, ideoque nequit hæc pellis ovina, lupum rapacem, agnum efficere, nec ficta pietas excuſare ab hæreſi.

Plures excuſant Audæum.

Audæus eſt verè Antropomorphita

Hæc hæreſis, membra, & corpus Deo fingens Audæanorum malitiâ in regno Syriæ promulgata, & ſuſcepta tempore ſuprà memorato, poſteà ſcilicet anno CCCXCV, viventibus Theodoſio majore, & Syricio Papa, convaluit in partes Ægipti nequitiâ quorumdam virorum, qui dicebantur Vadiani, & qui ob hunc errorem Antropomorphytæ dicti fuerunt ab Ægiptiis, quia *Antropo*, idem ſignificat quod *homo*, & *morphyta*, idem quod *forma*. His hæreticis adhæſit Mahometes, qui anno DCXXX. tempore Heraclij Imperatoris, & Honorij primi, poſuit in ſuo Alcorano, Deum eſſe ens corporeum, & materiale in altiſſimis habitans. Eamdem impietatem in corde & in ore habuerunt circa finem duodecimi ſæculi, quidam viri hæretici, Bogomiles nuncupari Tandem anno MCCIV. imperante Philippo Barbaroſſæ filio, & ſummum Pontificatum regente Innocentio III. David cognomento Dinaorius, ſeu de Dinanto docuit, Deum eſſe primam materiam: hujus hæretici ſcripta, in quibus continebantur errores Almarici, perpetuò damnata fuerunt, ignique tradita, ut teſtatur. Cæſareus Dialog. 5.

Vadiani.

Mahom.

Bogomil.

David dinditius.

Hanc Antropomorphytarum hæreſim, à Sanctis Patribus, & Theologis impugnatam, explicitè damnat Concilium Lateranenſe celebratū anno MCCXV, ſub Innocentio III *de ſumma Trinitate*, cap. *firmiter*, in quo decernitur, ſubſtantiam divinam eſſe indiviſibilem, & intellectualem, utpotè omninò ſimplicem, & ſpiritualem, ea ſcilicet ſimplicitate, quæ excludit omnem compoſitionem (ut notat gloſſa, quæ poſt numeratas omnes apud Philoſophos receptas compoſitiones, declarat, nullam earumdem cadere in Deum) eaque ſpiritualitate, quæ elongat ab omni materia & forma, Deum eſſe ſpiritualem.

Concilium Lateran.

Sacra Scriptura Antropomorphytas plenè convincit; nam Chriſtus Dominus, qui eſt veritas eſſentialis, cui nullum poteſt ſubeſſe mendacium, Joan. cap. 4. verſ. 24. ait: *Spiritus eſt Deus*, accepto proprio nomine ſpiritûs, quatenus à materia, & corpore diſtinguitur ærgo Deus non habet in ſe ea corporea membra, quæ habet homo, nequé eſt corpus, nequé materia aliqua, quoniam ſpiritui, aut ſubſtantiæ omninò ſpirituali repugnat corporeitas, ut teſtatur idem Chriſtus Luc. cap. ult. dicens Diſcipulis ſuis ità conturbatis, & conterritis, ut exiſtimarent ſe ſpiritum videre: *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra! videte manus meas, & pedes meos quia ego ipſe ſum: palpate & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Huic authoritati addendæ ſunt aliæ ejuſdem Scripturæ, quæ probant, Deum eſſe inviſibilem, immenſum, & immutabilem, quia hujuſmodi prædicata non corpori, ſed ſubſtantiæ ſpirituali dumtaxat convenire poſſunt, cùm conſtet quodlibet corpus eſſe viſibile, ac palpabile, habere locum determinatum, & eſſe mutabile. Idque, videlicet Spiritum non habere materiam facilè ſuadetur ratione Phyloſuphica, quæ dividendo ens reale, & ſubſtantiale in ens corporeum, & in incorporeum apertè declarat, quòd Deus, qui ex D. Joanne, eſt Spiritus, non poteſt eſſe corpus; alioquin membra aliquod genus dividentia poſſent eſſe ſimùl, quòd eſt falſum. Deindè Deus eſt ens perfectiſſimum, cui eſt tribuenda omnis perfectio, & à quo eſt removenda omnis imperfectio, ut inquit. D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 7. ubi habet: *Quidquid religioſius ſentiri poteſt, quidquid præſtantius ad decorem, quidquid ſublimius ad poteſtatem, hoc Deo intelligas convenire*: at natura ſimplex anteſertur multiplici, & ſpiritus, corpori, juxtà D. Bernardum lib. 5. de conſideratione cap. 7. ideoquè Deus non eſt compoſitus, nequé corporeus, ſed ſimplex & ſpiritualis, non mul-

Stabilitur Dogma.

Digitized by Google

tiplex, ſed uniſſimus, ſi hoc termino uti liceat, cum eodem ſancto Bernardo.

Incarnatio verbi probat Deum eſſe incorporeum.

Myſteriô Incarnatinnis ennfunduntur etiam Antropnmorphyıæ, quippè cum credant contra Arianos, Aſſurrhianas, Rogaiianos, Circumcelliones, & alios hæreticos in ptnprio articuln impugnandos, verbum eſſe verumDeum,& Patti coosſubſtantiale,fateri debent, Deum eſſe incorpnreum, & merè ſpiritualem. Raiio hujus Catholicæ veritatis eſt. Quia ex Joan. 1. verbum illud carn factum eſt: At ſi Deus haberet membra, eſſetque corpus & caro, verbum non fuiſſet caro ſactum, quia non pntuiſſet fieri in tempore, id quod eſt ab æterno, nec fieri enrpus, ſi Deus eſſet enrpus, eertum enim eſt, quod, id quod fit de novo, noo fuit anteà id, quod fit. Aqua, v. g. quæ facta fuit vinum io Cana Galilææ, non erat vinum ante converſinnem; ideoque nec verbum erat corpus ante humanitatis aſſumptinnem, ſed Spititus, teſte Apoſtolo, 2. ad Corinth. verſ. 17. dicente: *Dominus autem Spiritus eſt*, cùm nmnis ſubſtantia ſit materialis, vel ſpiritualis: Verbum autem, ſeu filius Dei, qui in utern virginis aſſumpſit carnem, ſit ſubſtantia ſpiritualis ſecundum ſe, ſitque talis in ſe, nonnbſtante uninne hypoſtarica, ut patet ex officin Circumciſionis Domini, in qun Ecclesia Canit. *Mirabile myſterium declaratur hodiè, innovantur naturæ, Deus homo factus eſt, id, quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit, non commixtionem paſſus, neque diviſionem*: indé enim ſequitur quòd verbum non erat carn, nec carni conjunctum, antequam carnem noſtram aſſumeret. Sequitur pariter quòd Deus non eſt enrporeus, cùm verbum ſit Deus.

Deus non habet membra.

Præterea nmoe corpus humana habens membra, eſt ex ſe viſibile oculo corporeo intrà cujus nbjectum adequatum continetut corpus, & quodlibet ens materiale, ac ſenſibile, ut docent communiter Philnſnphi, Deus autem eſt inviſibilis prædicto oculo corporeo, ocdùm ratione loci inacceſſibilis in qun habitar, ut voluit Mahnmetes Turcarum legiſer, ſed etiam ratione ſubſtantiæ ſuæ, quæ eſt ſpiritualis, ut monet Apoſtolus ad Timoth. cap. 1. ſic ſcribens: *Regi ſæculorum immortali & inviſibili*; igitur nno eſt enrpus, ut homo, ſed Spiritus, quem non poteſt attingere potentia ſenſibilis, materialis, & corporea; nec conſtar partibus ſeu membris, ſed eſt perfectiſſimè ſimplex. Unde. D. Hylarius inquit: *Non enim ex compoſitis atque inanimis, Deus qui vita eſt, ſubſiſtit, neque qui virtus eſt, ex infirmioribus continetur, neque qui lux eſt, ex obſcuris coaptatur, neque qui ſpiritus eſt, ex diſparibus ſormatus eſt: totum in eo quod eſt, unum eſt*, non corporale ut homo, ſed ſpirituale, & immateriale ut actus puriſſimus expers totius potentiæ, quæ ſoli materiæ cnnvenit.

Tandem idem Apoſtolus ad Rnm. 1. cap. 5. verſ. 2. vult quòd inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta enoſpiciantur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. Fateor quòd ſcopos aut mens ipſius eſt, declarare inexcuſabiles eos, qni ignnrant Deum exiſtere, & eſſe authnrem naturæ, ſed hoe non obſtat quominus valeamus indè inferre, Deum non eſſe corpus. Nam quæ nnn viſu corporeo, ſed soln intellectu conſpiciuntur, incorporea ſunt. Unde ſi Deus eſſet enrpus, nmnia, quæ in ipſn ſunt, forent viſibilia, oec hnmo poſſet ea cnnſpicere per ea, quæ facta ſunt; cùm omne corpus ſit ex ſe & eſſentialiter palpabile, & viſibile, menſuratum, & figuratum, aliaque habeat prædicata, quæ de Deo minimè dici poſſunt propter infinitatem illam, quam habet, quâ ab ipſo figuræ remnventur, circumſcriptiones atque limitationes: nam ad figuram perficiendam neceſſariò requiritur, ut res figurata claudatur terminis, quibus caret Deus, qui eſt excelſior cælo, & ſuper verticem ſtellatum collocatur, qui eſt magnus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis, ut fateri debent antrupnmorphytæ, qui; cùm librum Job, & pſalmos recipiant, tenentur ex ipſis, ſcilicet ex libro Job, & pſalmis, inferre, Deum non habere figuram, nec membra humana, cùm carens fine, careat & figurâ, & carens figurâ, careat & corpore, carens corpore, careat membris, & ſit Spiritus, non verò corpus quod ſemper eſt compoſitum, & mixtum: dun enim conōnet neceſſariò, materiam ſcilicet, & ſnrmam ex quibus reſultat. Deus autem eſt ſimpliciſſimus, totiuſque compoſitinnis, & corruptionis expers: ergo non eſt corpus, ſed ſpiritus.

Deus nullam habet figuram.

D. Gregorius Nazianzenus orat. 4. & 14. confirmat hanc veritatem: ibi enim inquit; *Si Deus eſſet corporeus quid cauſæ eſſe dicemus, quin ex iis elementis conſtet, & in ea omninò diſſolvatur? nam compoſitio principium eſt pugnæ, pugna autem diſſidij, diſſidium ſolutionis, ſolutio verò prorſus aliena eſt à Deo, primaque natura, quocirca nullum ineſt diſſidium, nè ſit aliqua ſolutio, neque pugna, nè diſſidium oriatur, neque compoſitio, nè pugna exiſtat, ac proinde nec corpus quidem eſt, nè ſit compoſitio.* Hæc autem omnia à. D. Gregorio deſcripta, Deo minimè conveniunt: idcirco ipſe Deus non eſt corpus, ut volunt Antrnpomorphytæ, ſed Spiritus. Tandem hæc ipſa veritas ſuadetur hac ratione. Omne enrpus habet ſuas partes, eſtque compoſitum, Deus autem non eſt compoſitus ut docet. D. Anſelmus, prolog. cap. 18. dicens: *Quidquid eſt partibus junctum, non eſt omninò unum, ſed quodammodo plura, & diverſum à ſe ipſo, & vel actu, vel ab intellectu diſſolvi poteſt; quæ aliena ſunt à te, quo nihil melius cogitari poteſt.*

Proponuntur antropomorphytarum argumenta.

Antrnpomorphytæ contra nos ſic inſurgunt. Ex primo capite geneſis cnnſtat, hominem factum eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ac proindè Deum eſſe corporeum; cùm homo ſit corporeus, alioquin inter Deum, & hominem, nulla eſſet Imaginis proportio, oullaque ſimilitudo. Quoniam ſpirituale, & materiale ſunt primò diverſa. At hæc ratio non valet: ad imaginem quippè ſuam Deus fecit hominem, non in corpore, onn in exteriori homine, ſed in ratione intellectualitatis, aut in anima, ut inquit D. Auguſtinus tom. IV. anima autem eſt merè ſpiritualis habens potentias ſpirituales, intellectum ſcilicet, & voluntatem; igitur homo, ut ſit factus ad imaginem Dei, non eſt neceſſè, quòd Deus ſit corporeus, ſeu quod habeat enrpus, ut homo; cùm id, in quo homo eſt imago Dei, enrporeum non ſit.

Optimè reſpondet D. Chriſoſtomus.

Vel dico cum Sancto Chriſoſtnmo homil. 8. in geneſ. imaginem Dei eſſe in homine ratione Dominij, & principatûs, quem habet in cæteras creaturas, ut probant hæc verba, *Ut præſit piſcibus maris & volatilibus cæli*, quæ Deus prnnunciavit immediatè pnſt iſta: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ut oſtenderet ſe facturum hominem ad imaginem ſuam, hoc eſt, intelligentem, liberum, & dominum creaturarum, quæ ſub cœlo ſunt, undè ut ſubſiſtat in homine hæc ratio imaginis, nnn eſt neceſſè quòd Deus ſit enrpus, ſicut hnmo, ſed ſufficit quòd homo habeat dominium in cæteras creaturas, non abſolutè, ſeu per ſe, ſed per participatinnem, quòd intelligat, diſcurrat, amet, & velit.

Alia Antropomorphytarum ratio eſt. Quia Sacra Scriptura pluribus in locis, & præcipuè in veteri teſtamento, tribuit Deo membra humana, utpoté oculos, manus, pedes, brachia, & cæteras humani corporis diſpoſitiones, aut partes, quas hic referre unà cum textibus ejuſdem ſcripturæ, conſentaneum non judico, quoniam facilè poſſunt intelligi hujuſmodi textus, & unus quiſque poteſt eorum verum ſenſum aperire, & videre, quòd, his nnnobſtantibus, Deus non eſt enrporeus. Nam ſcriptura ſacra humano ſe accommodans intelligendi modo, res ſpirituales, & divinas ſolet interdùm per corporeas, & humanas

hominibus explicare, quoniam homo priùs concipit ſenſu, quàm mente, & nequit ſenſu percipere Deum, quia incorporeus eſt, & nequit creato percipi ſenſu, ideo dùm ſcriptura Deo tribuit faciem, ut in pſal. 79 *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*; eſt intelligenda divinitas. Dum tribuit illi manus, intelligenda eſt punitio, aut percuſſio, ut patet ex illo Job cap. 19. verſ. 21. *Manus Domini tetigit me* & ſic de cæteris, quæ non debent intelligi juxtà litteram, quæ occidit, ſed juxtà ſpiritum, qui vivificat, & juxtà latens myſterium per res illas, ſeu per membra deſignatum. Aut metaphoricè, ſeu propter quamdam ſimilitudinem, quia Deus, quin habeat oculos ſicut homo, videt. Quin habeat os, loquitur. Quin habeat aures, audit, & ſic de cæteris, quæ videri poſſunt in Sacræ Scripturæ expoſitoribus.

Admonitio ad antropomorphitas. Advertant Antropomorphytæ ex illa reſponſione ad authoritatem relatam quòd dum Sacra Scriptura, tam in veteri, quàm in novo teſtamento, tribuit Deo aliquod membrum, tunc membro audito, eo nomine intelligendum eſt, Deo tribui vim illam, ſeu virtutem, quæ perfectior in illo membro reperitur; v.g. ſi quis diceret; petrum eſſe Agnum; certò ille, qui audiret, non intelligeret, nec conciperet, Petrum eſſe verè & ſubſtantialiter animal irrationale, ſed hominem benignum, ſeu qualitatem agni, utporè benignitatem, & manſuetudinem; quarum agnus eſt Symbolum, & ſic de cæteris nominibus; quæ materiam ſignificant; alioquin tenerentur Antrupomorphytæ credere, Chriſtum eſſe verè animal irrationale, utporè verum Leonem. Quia in ſcriptura dicitur Leo, agnus; imò crederent; ipſum eſſe creaturam inanimatam, cùm dicat: *Ego ſum vitis vera; lapis angularis &c.* hoc tamen dicere non audent: ergo dum hæretici audiunt, aut legunt ſcripturam dicentem quòd Deus omnia videt; non debent dicere; Deum habere oculos, ſed intellectum infinitæ cognitionis cui omnia nuda, & aperta ſunt, ut monet Apoſtolus ad Hebr. 4. verſ. 13. Et debent accipere verba in ſenſu metaphorico, ſeu per quamdam ſimilitudinem cum rebus corporeis, quæ Deo appropriantur; non verò in ſenſu reali, ità ut Deus habeat verè, & ſubſtantialiter in ſe corporeos oculos, ſicut homo. Quare D. Auguſtinus epiſt. 155. hanc interpretationem extollit his verbis: *Dico quod Deus totus oculus eſt, totus manus; & totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt. Totus manus eſt quia omnia operatur. Totus pes eſt; quia ubique eſt:* Ità pariter diſcurrunt alij Sancti Patres, quorum verba omitto.

Confirmatur dogma Eadem reſponſio Confirmatur ratione ex ipſis Antropomorphytis deſumpta. Nullus enim eſt inter ipſos, qui dixerit cum Manichæis, plures eſſe Deos, omnes quidem cum univerſa Eccleſia admittunt contrà Polytheos; unum Deum tantùm, licet velint contrà eoſdem, hunc Deum, quem colunt, eſſe corporeum, & humanâ formâ præditum. Tamen ex Sacra Scriptura, nomen Dei pluribus hominibus datur, cùm plures ſint, qui in Sacra Scriptura, vocantur Dii: nam pſal. 81. verſ. 6. Principes terræ, ſeu Reges vocantur Dii: *Ego dixi Dii eſtis:* Exod. 3. Moyſes dicitur Deus: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Pſal. 45. Magiſtratus dicuntur Dii: *Dii fortes Terræ vehementer elevati ſunt.* Judices Pſal. 81. declarantur Dii: *Stetit Deus in Sinagoga Deorum:* Et Exod. cap. 32. perſonæ Eccleſiaſticæ Dii vocantur: *Diis non detrahes*; ſed nonobſtantibus tot, tantiſque Sacræ Scripturæ textibus, ex quibus Polythæi inferunt pluritatem Deorum, tamen Antropomorphytæ, non admittunt cum Manichæis, Marcionitis, & aliis, plures Deos, quia dicunt nomen Dei datum fuiſſe in Sacris paginis, Regibus propter participationem divini Imperii, quod Reges habent in ſubditos; Moyſi propter commiſſam miracula patrandi virtutem; Magiſtratibus propter dominationem; Judicibus propter adminiſtrationem juſtitiæ. Et perſonis Eccleſiaſticis propter imitationem divinæ celſitudinis: igitur non debent inferre ex textibus, quos citant, Deum habere verè & propriè membra corporea, ſicut non credunt, Reges, Judices, Eccleſiaſticos, eſſe verè & propriè Deos, ſed debent credere, prædicta membra convenire Deo tantum propter quamdam ſimilitudinem, quia ſcilicet Deus habet perfectiorem eorumdem membrorum virtutem, videlicet intellectum, quô videt omnia, quæ vidimus per oculos; & ſic de cæteris; licet non habeat propriè & verè oculos, quos habet homo, nec cætera membra: quamvis ſuâ infinitâ perfectione producat effectus perfectos, quos producit homo per oculos, manus, & pedes, ſicut ob rationem jam memoratam, credunt, quòd Moyſes in Scriptura nuncupatur Deus, quamvis non habeat verè divinitatem.

Dicunt tandem quòd Deus habet animam, ut patet in variis Sacræ Scripturæ locis, ſed ſufficit adducere illud ad Hebr. 10. verſ. 38. *Juſtus meus ex fide vivit, quod ſi ſubtraxerit ſe non placebit animæ meæ*; Sed anima eſt forma corporis: ergo Deus habet corpus. Reſpondeo, ibi, animam ſumi pro voluntate, à qua averſus non vivit, quia eſt peccator; & inimicus Dei: Non verò pro forma corporis humani, ut facilè colligi poteſt ex pluribus aliis Sacræ Scripturæ locis. *Ultima ratio ſolvitur.*

ARTICULUS IV.

Probat adverſùs Anomæos, Deum eſſe Incomprehenſibilem.

IN hoc articulo, authoritate Scripturæ convincendi ſunt quidam hæretici, dicti Auomæi, aut Anomi, id eſt viri ſine regula (exorti circà annum Domini. CCCLXXX. ſub Conſtantino Imperatore, & liberio Papa.) Qui non minùs impiè, quàm ſtolidè dixerunt, Deum eſſe prorsùs comprehenſibilem ab homine, ſicut à ſe ipſo. Hujus ſectæ author (teſte Theophilacto in cap. 3. ad Epheſ.) fuit Eunomius natione Capadox; ruſtica de gente fatus, vir animâ, & corpore Lepruſus, Arii diſcipulus; artis dialecticæ peritiſſimus, & tandem favore Eudoxii Conſtantinopolitani ordinatus Epiſcopus Cyzecenæ Eccleſiæ, à qua tamen ſede à Cyzecenis meritò ejectus fuit ob impia, quæ ſeminabat dogmata; nedùm contrà Spiritum Sanctum, quem nominabat creaturam, ſed etiam contrà naturam divinam, quam volebat eſſe ex ſe cognoſcibilem (ſicut naturam creatam) & ponebat intrà latitudinem objecti intellectûs humani naturaliter agentis; ut referunt Sanctus Baſilius epiſt. 166. ad eumdem; Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum. Theophilactus in cap. 3. ad Epheſ. ut jam monui ſupra, & D. Hieronimus in illud Matth. 11. *Nemo novit filium*, ubi inquit: *erubeſcat Eunomius tantam ſibi notitiam Patris, & filij, quantam ulterutrum inter ſe habeant, jactitans. Quod ſi inde contendit, & ſuam inſaniam conſolatur, quia ſequitur, & cui voluerit filius revelare, aliud eſt naturæ æqualitate noſſe, aliud revelantis dignatione.* Ejuſdem hæreſis deffenſor (teſte Nicephoro lib. 9. cap. 17. hiſtor. Eccleſ. apud Prateolum) fuit quidam vir hæreticus, nomine Aëtius, genere Syrus, conditione Diaconus Antiochenus, & ſectâ Arianus; qui ferè eodem tempore; quo Eunomius, dicebat, teſte etiam D. Epiphanio, hæreſ. 76. ſe ſuprà mortales omnes, non fide ſolâ, ſed propriâ & acquiſitâ, aut naturali quadam ſcientiâ comprehendere Deum. *Eunomius.* *Aëtius.*

Hanc Anomæorum hæreſim damnant Concilia, Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *firmiter* de ſumma *Concilia Lateran.*

Digitized by Google

Trinitate, & fide Catholica, ubi legitur: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur quia unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, incommutabilis, incomprehenſibilis omnibus, ineffabilis &c.* quæ ibi legi poſſunt ab his, qui ampliorem exigunt explicationem; & Baſileenſe ſub Eugenio. IV. In quo Concilio damnata fuit hæc

Concilii Baſileenſ.

propoſitio: *Anima Chriſti videt Deum, tam claré, & intenſé ſicut Deus ſe ipſum*, quam Auguſtinus de Roma Epiſcopus Nazarenus defendere auſus eſt in ſuis ſcriptis; nam ſi ex hoc Concilio, anima Chriſti nequeat comprehendere Deum, licet eum perfectiùs videat, quàm Beati in Patria, ut credunt communiter Sancti Patres, & Theologi ob unionem hypoſtaticam, & plenitudinem gratiæ ſanctificantis, ſequitur ex eodem concilio, quòd hæreticum eſt, aſſerere, Deum eſſe comprehenſibilem à creatura; cùm Chriſtus ſit Perfectior, & beatior Angelis, & hominibus. Nec valet dicere pro Anomæorum parte, Concilium Baſileenſe

Auguſtinus de Roma.

fuiſſe diſſolutum. Non valet inquam, quia hæc condemnatio Epiſcopi Nazareni, ſeu Auguſtini de Roma, facta fuit antequam concilium diſſolveretur, & fuit approbata per Bullam Nicolai. V. qui ſucceſſit Eugenio IV. ut habetur in ſumma Conciliorum in fine concilii Baſileenſis.

Deus eſt incomprehenſibil.

Ratio affirmans contrà Anomæos, Deum eſſe incomprehenſibilem, eſt, quia, ut objectum aliquod comprehendatur, neceſsè eſt, quòd cognoſcatur totalitèr, & quantum cognoſcibile eſt ex ſe, ſeu inquantum exigit cognoſci, ità ut virtus cognoſcitiva intellectûs omninò adæquet, & exhauriat objecti cognoſcibilitatem, hoc eſt, ut ſciat nedùm an ſit, ſed etiam quid ſit objectum illud eſſentialiter, & intrinſece: nihil enim aliud intelligitur per comprehendere objectum: At hæc prædicata, tam diviſim, quàm conjunctim ſumpta, non poſſunt convenire intellectui creato reſpectu Dei; quippe cùm virtus intellectûs creati ſit finita. Et cognoſcibilitas Dei, aut ejus intelligibilitas ſit infinita & petat virtutem infinitè cognoſcitivam, ut intelligatur totaliter; & tantum, quantum intelligibilis eſt, ſequitur quòd non poteſt comprehendi, nec cognoſci à creatura, eo modo, quo Deus cognoſcit ſeipſum; & quòd ſolius increati, & divini intellectus eſt cognoſcere divinam eſſentiam, in quantum cognoſci poteſt; cùm nulla ſit creatura, quæ habeat intellectum infinitum: quapropter Jerem. cap. 32. Deus dicitur, *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*, ſeu excedens non ſolum cognitionem, aut viſionem noſtram; ſed etiam cogitationem. Ratio Apoſtoli ad Tim. cap. 6. eſt quia ad eum pervenire nequit mens noſtra, non apprehenſiva (certum enim eſt Deum videri intuitivè à beatis, & ſicut eſt in ſe, ut docet fides Catholica contrà Almaricum) ſed comprehenſiva: unde Eccleſiaſticus cap. 43. ait; *nè laboretis non enim comprehendetis*, quo eloquio ſuadetur, viſionem Dei comprehenſivam, eſſe prorsùs impoſſibilem omni creaturæ, quamtumvis adjutæ, nedum de potentia ordinaria, ſed etiam abſolutè, & divinitùs, ut poſt plures alios doctores teſtari videtur venerabilis Beda eleganter exponens illud Joan. cap. 1. *videbimus eum ſicuti eſt*, ubi inquit: *promittitur nobis videre Deum nam comprehendere concedi non poteſt.*

Creatura non poteſt habere cognitionem quâ Deus ſe cognoſcit.

Hujus veritatis argumentum eſt. Quia Deus nequit creaturis conferre ſuam cognitionem infinitam, quâ ſe cognoſcit, & ſine qua comprehendi non poteſt; licet valeat ſe illis manifeſtare, quoniam hæc cognitio; cùm ſit operatio merè divina, & increata, ſequitur eſſe divinum, utpotè intellectum increatum, qui creaturis maximè repugnat, ſicut repugnat quòd creatura ſit Deus, qui cùm ſit eſſentialitèr ſingularis, in ipſo ſolo eſſe poſſunt perfectiones, aut potentiæ increatæ, & infinitæ. Huic rationi addenda eſt alia, nimirum quòd Sancti Patres, & præſertim Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſ. 6. probant adversùs Macedonianos, Spiritum Sanctum eſſe Deum, Patri & Filio conſubſtantialem. Quia ſcrutatur omnia profunda Dei. Itaquè nulla creatura poteſt, nedùm naturalitèr, ſed etiam divinitùs, comprehendere Deum. Quia nequit eſſe Deus, ſicut Deus noſter.

Authoritas D. Auguſtini.

Divus Auguſtinus Epiſt. 112, ait: *eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis, nemo etiam de virtutibus cæleſtibus valet conſpicere, nemo mente, aut oculis comprehendere*, & lib. 4. de geneſ. ad litteram cap. 6 *etiam ſi nos mortales & peccatores, corda mundiſſima, & mentes ſimpliciſſimas gereremus, ſanctiſque Angelis jam æquales eſſemus, non utique nobis ita nota eſſet divina ſubſtantia, ſicut ipſa ſibi.* Hæc autem divina ſubſtantia, ſeu Deus, cognoſcit ſe cognitione comprehenſiva (quàm Eunomiani temerè tribuunt intellectui creato) alioquin non comprehenderet ſe. Quòd eſt falſiſſimum; cùm ſit omniſciens, habeatque cognitionem infinitam, cujus objectum primarium, & motivum, eſt eſſentia, aut ſubſtantia divina, ut docent communiter Theologi. Nec eſſet perfectiſſimè beatus quoniam beatius eſt comprehendere ſummum bonum, quàm videre illud viſione ſimpliciter intuitiva, quâ in cœlo vident eum de facto beati; ideoque nullus Intellectus creatus ſive Angelicus, ſive humanus, poteſt comprehendere Deum; hoc eſt, cognoſcere eum, aut intelligentiâ penetrare quantum eſt cognoſcibilis, & penetrabilis à ſe ipſo; & nullus eſt qui poſſit ſine impudentia, & temeritate dicere cum Eunomio: *Tam Deum intelligo, quàm me ipſum*; teſte D. Epiphanio hæreſ. 76.

Eunomiũ damnat. D. Epiph.

Meritò igitur inſolentiſſimus, impudens, & temerarius à D. Epiphanio proclamatur Eunomius, cùm intendat; Creaturas intellectuales elevare ad perfectionem ipſis repugnantem, & ſoli Deo propriam; nam (inquit) D. Gregorius Niſſenus orat. 12. adverſus eumdem hæreticum (in quo hunc errorem refellit) *Si itaque ima creatura quæ noſtros uſque ad ſenſus pertingit, modum humanæ cognitionis ſuperat, quomodo qui ſola voluntate univerſum conſtituit, in noſtra comprehenſione contineretur. Vanitas hæc, & furor falſus, ſicut ait Propheta, putare incomprehenſibilium cogitationem alicui conceſſam eſſe.*

Eodem ferè modo contrà Eunomium argumentatur D. Baſilius loco ſupra citato; ibi enim habet: *Dicat itaque formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ naturæ ſunt, ſcientiam cum faſtu ſe prædicat aſſecutum, atque ita demùm de potentia illa omnem intellectum ſuperante, diſputet. Si verò ſcientiâ minutiſſimæ formicæ nondùm eſt aſſecutus naturam, quomodo incomprehenſibilem Dei potentiam imaginatione tua comprehenſam eſſe gloriaris.* His verbis, D. Baſilius meritò Eunomium ridet tamquam delirantem, & inſanientem, quòd diceret, ſe Deum comprehendiſſe eodem modo, quo Deus videt ſe, & comprehendit ſe, ac ſi diceret, quòd ipſe eſt Deus, aut quòd Deus eſt creatura; cùm velit, Deum, & creaturam eſſe ejuſdem cognitionis: Nam ſi non potuerit minutiſſima animalia comprehendere, quomodô poteſt abſque impudentia aſſerere, ſe comprehendiſſe Deum omnium creatorem, qui eſt Deus verè abſconditus. (Teſte Iſaya) Et longè, imò infinitè excedit ea, quæ fecit: nulla ſanè adinveniri poteſt ratio, quæ Eunomium valeat à dementia excuſare apud ſectatores ſuos. Quemadmodum enim ſolus inſipiens dicit in corde ſuo, *non eſt Deus*, teſte Propheta regio, Pſal. 13. ità etiam ſolus inſipiens poteſt dicere, *Deum comprehendo ſicut ipſe ſe comprehendit*, ut ipſum Eunomium dixiſſe refertur; cùm non minus delirium ſit admittere in homine tantam virtutem cognoſcendi, quantam habet Deus de ſe ipſo, & quantam exigit, ut intrinſecè, adequatè, & perfectè cognoſcatur, quàm nullum Deum admittere; quoniam eadem ratio naturalis,

naturalis, quæ nos docet, Deum exiſtere, nos otiquè docet, ipſum Deum nobis perfectiorem eſſe, nedum in eſſendo, ſeu in ratione entis, & ſubſtantiæ, ſed etiam in operando ac proindè ipſum ſolum ſe comprehendere poſſe propter intellectûs ſui infinitatem, quæ unicuique intellectui creato repugnat, ſicut ei repugnat ens divinum & increatum. Ratio hujus repugnantiæ eſt, quia operari ſequitur eſſe, ut docent communiter Philoſophi; ideoque cùm Deus habeat eſſe ſibi ſpecificé proprium, certum eſt, quòd habet etiam operationem ſibi ità propriam, ut nequeat convenire creaturis, & pereonſequens ipſe ſolus poteſt ſe comprehendere.

Theodoretus. Eunomius clamando ſe comprehendere Deum, nullam rationem aſſignabat, nullamque adhibebat probationem, ut teſtatur Theodoretus lib. 4. bæreticarum fabularum cap. 3. dicens: *Debachatus in hunc modum adversùs veritatem Eunomius, morbum in dies augere ſtudebat, auſus eſt enim dicere, ſe nihil ex rebus divinis ignorare, ſed ipſam Dei eſſentiam exactè ſe noſſe, eamdemque de Deo notitiam habere, quam Deus ipſe habet de ſe ipſo, ad hunc ab illo furorem perducti, qui ejus peſtem hauſerunt, audent apertè profiteri ſe ita Deum noſſe, ut ipſe ſe ipſum.* Idem refert Socrates lib. 4. cap. 17. ubi ait: *Ipſius Eunomii verba audiamus, ſic enim loquitur: Deus de ſua ipſius eſſentia nihil plus intelligit, quàm nos, nequé ipſi magis eſt cognita, & perſpecta, quam nobis, ſed quod nos de ea ſcimus, idem omninò & ipſe ſcit, ac rursùs, quod ille novit, idem in nobis viciſſim reperies,* quibus teſtimoniis conſtat, Eunomium abſque ulla ratione, ſed ſolùm impudentiâ, aut temeritate attentaſſe, incomprehenſibilitatem Dei impugnare, nonobſtantibus tot, tantiſque Scripturæ Sacræ authoritatibus, quibus ſuadetur, Deum ſolùm poſſe compreheodere ſe. Probabile quidem eſt quòd ſi ipſe Eunomius aliquam rationem habuiſſet, referretur à doctoribus, à quibus refertur ipſius hæreſis.

Nihilominus Eunomii ſectatores, qui gloriari noluerunt ſicut ipſe Eunomius, ſe comprehendere Deum, dixerunt, ipſum Deum eſſe comprehenſibilem, & de facto comprehendi ab illis, qui viderunt eum in terra, & qui de facto in patria intuitivè vident eum. Idque probarunt authoritate Sacræ Scripturæ, & *Joan. cap. 3.* præſertim ex illo Joan cap. 3 *Cum apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt,* indè enim concludebant, Beatos eſſe ſimiles Deo, noo in eſſendo, quia haberent naturam infinitam, ſed in cognoſcendo, ac proinde beatos videre Deom eodem modo, quô Deus videt ſe, hoc eſt intuitivè, & comprehenſivè, quoniam hæc ſimilitudo cognitioois fundatur in æqualitate objectiva, ſeu in objecto, quod à Deo, & à Beatis videtur, quod quidem objectum eſt Deus. Sed à veritate plurimùm aberrant. Quia hæc ſimilitudo eſt tantum objectiva, id eſt ſignificat quòd anima eſt beata eodem objecto, quo beatus eſt Deus, ſed non eodem modo, nequé in eodem gradu perfectionis, & fælicitatis. Hæc ſimilitudo non eſt intenſiva, ità ut beatus videat Deum ſicut ipſe ſe videt, ſed extenſiva, ità ut beatus videat in Deo id, quod eſt in ipſo, ſcilicet eſſentiam, attributa, & perſonas, cùm ſcriptura aſſerat quòd cùm apparuerit videbimus eum ſicuti eſt (ſeu habentem omnes perfectiooes) ſed non æqualiter quoniam hoc eſt impoſſibile, ut obſervat D. Aug. ſerm. 38. de temp. ubi inquit: *Attingere aliquantum te mente Deum, magna beatitudo eſt, comprehendere autem omninò impoſſibile eſt.*

D. Gregorius. Idem fidei Catholicæ principium confirmat D. Gregorius lib. 10. moral. cap. 7. expooens illud Job cap. 11. *Forſitan veſtigia ejus comprehendes,* ubi inquit: *in retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis ſpeciem poteſt, ſed tamen ad perfectum non poteſt, quia ſi hunc in claritate ſua quandoque conſpicimus, non tamen ejus eſſentiam plené contuemur,* hoc eſt, non comprehendimus, quoniam per plenè contueri, aut per cognitionem plenam, comprehenſiva intelligitur, quæ eſt ea, quâ objectum videtur totaliter, & ità exhauritur ipſius cognoſcibilitas, ut non poſſit nobiliori, nec perfectiori modo cognoſci. Talis autem modus cognoſcendi Deum, non hominibus, nec Angelis, ſed ſoli Deo competit. Quia ipſe ſolus habet virtutem cognoſcitivam infinitam, quæ totam objecti cognoſcibilitatem exhaurit, cjuſque naturam & principia intrinſeca omni ex parte cognoſcit, & comprehendit. Nam inquit D. Auguſtinus lib. 12. de civit. 18. *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* *D. Aug.* Undè cùm Deus nequeat viſione, aut cognitione humana finiri, hoc eſt, ab humana cognitione excedi, nec includi, licet videatur intuitivè ab ipſa in regno cœlorum, ſequitur quòd nequit comprehendi ab intellectu humano, qui cùm ſit finitus, poteſt verè (adjuuante lumioe gloriæ) Deum attingere, quia hoc lumen elevat eum ad ordinem ſupernaturalem, ut dicemus contrà Begardos, & Peguinas in proprio articulo. Sed nequit eum comprehendere, ut probant plures Theologi ex his verbis Job cap. 11. verſ. 8. *Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus, & latior mari.* Quibus ſuadetur Dei cognoſcilitatem excedere virtutem intellectivam hominum, etiam elevatam per lumen gloriæ; affirmat enim ſcriptura in hoc textu, Deum eſſe ſuprà capacitatem creatæ intelligentiæ, tam Angelicæ, quàm humanæ, ſicut eſt ſuprà omne ſpatium, & ſuprà omne tempus quod continet: nam, inquiunt, ſi cœlum & terra nequeaot eum capere, nec mens humana eum comprehendere poterit.

ARTICULUS. V.

Affirmat contrà ſecundiniſtas, Deum eſſe immutabilem.

QUidam Manichæi diſcipulus, aut manichæorum ſectator, nomine ſecundinus, qui ad D. Auguſtinum ſcripſit epiſtolam, quâ eum toto conatu hortabatur, ut ad manicheorum ſectam, à qua Chriſtianus factus, defecerat, redire dignaretur, ut teſtatur Idem Sanctus Doctor in libro, quem ſcripſit contrà eumdem hæreticum, dicens: *Secundinus quidam non ex eis, quos Manichæi electos, ſed ex eis, quos auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, ſcripſit ad me velut amicus, honorifice objurgans, quod oppugnarem literis illam hæreſim, & admonens né facerem, atque ad eam potius ſectandam exhortans, cum ejus deffenſione, & fidei Catholicæ reprehenſione. Huic reſpondi, ſed quia in ejuſdem opuſculi capite, non poſui quis cui ſcriberet, non in Epiſtolis, ſed in libris habetur.* *Secundinus.* Ille autem ſecundinus, cæteris Manichæis longè nequior refertur, nedùm quia D. Auguſtinum in damnationem ſecum trahere voluit, ſed etiam quia eorumdem Manichæorum erroribus unum addidit; etenim anno CCCCV. ſub Arcadio Imperatore & Innocentio hujus nominis Papa primo, præter errores, qui tribuuntur Manichæis, quoſque ipſe tuebatur, docuit alium ſibi proprium, utpotè, Deum eſſe mutabilem, & ſic ſectam ſui nominis condidit, & Diſcipulos ſuos ſecundiniſtas appellari voluit, ut teſtatur D. Auguſtinus in libro, quem compoſuit contrà eumdem hæreticum, in quo illum ſuæ, ſuorumque veſaniæ carpens; fallacem ejus benevolentiam prorsùs reiicit, eumque mirandum in modum hortatur, ut ipſemet relictâ ſuâ perfidia, ad Catholicam fidem revertatur, ſuadendo, & ſolidiſſimis rationibus oſtendendo, hanc ipſam fidem eſſe eam, in qua Deus facit ſanctos ſuos, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

Concilium Lateranenſe.

Hæc ſecundiniſtarum hæreſis, quæ non ſolum Immutabilitatem Dei, ſed etiam æteruitatem ejus impugnat (quia æternitas non eſt ſpecialis perſectio diſtincta ab immutabilitate, ut doceot communiter omnes Theologi) damoatur in Coneilio Lateranenſi IV. cap. 1. *De fide & ſumma Trinitate*, ubi habetur; *Firmiter credimus, & ſimpliciter cònfitemur quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis &c.* Pariter & in Symbolo D. Athanaſij, quô Deus affirmatur æternus; hoc eſt, omninò immutabilis.

Deus eſt immutabilis.

Hanc ipſam veritatem diſerto teſtimonio commendant Sacri Scriptores, & præſertim Moyſes in lib. num. cap. 23. verſ. 19. ubi ait: *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* Homo autem mutabilis eſt ſimpliciter: Igitur Deus ſimpliciter eſt immutabilis; alioquin eſſet quaſi homo. D. Jacobus in Epiſt. Cathol. cap. 1. verſ. 17. qui cum Deum, Patrem luminum appellaſſet, ſtatim ſubdit: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* Paulus 1. ad Timoth. cap. 6. de Deo loqoens, ait: *Qui ſolus habet immortalitatem.* Quæ verba exponens D. Auguſtinus lib. 23. in Joan. ait: *Quid eſt èrgo quod ait Apoſtolus de Deo, qui ſolus habet immortalitatem, niſi quia hoc apertè dixit, ſolus habet incommutabilitatem, qui ſolus habet veram æternitatem.*

Jacobus

D. Aug.

Et lib. 15. confeſſ. cap. 10. *in quantum quiſque non eſt quod erat, & eſt quod non erat, intantum moritur & oritur.* Undè ex eo quod Deus non habet ortum, neç interitum, eſt omninò immutabilis. Propheta Regius Pſal. 101. *Tu autem idem ipſe es; & anni tui non deficient.* Hoc eſt (inquit D. Chryſoſtomus) *tu vero immobilem habes naturam, & mutatione præſtantiorem:* Igitur Deus eſt immutabilis: non enim eſt ſicut filius hominis, ut moretur, ſed eſt ens æternum, immenſum, incomprehenſibile, dicens Malach. 3. de ſe ipſo: *Ego ſum Deus & non mutor.* Et Deuteron. 32. *vivo ego in æternum.* Hoc eſt, ſum omninò immutabilis, tum quia quod mutatur deſinit eſſe id quod eſt, & fit id quod non erat. Hoc autem repugnat enti æterno, quod ſemper fuit & ſemper erit id quod eſt; tum quia æternitas, & immutabilitas ſunt una, eademque perfectio, ut colligitur ex illo Tertulliani adverſus Hermogenem cap. 37. *Leges æternitatis ſunt ut demutationem pati non poſſit*, & ex illo D. Auguſtini lib. 4. de Trinit. cap. 18. *vera immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas ipſa eſt æternitas.*

D. Chryſoſtomus.

Tertulianus.

Hæc omnia probat ratio. Nam ſi Deus eſſet mutabilis, ut voluit ſecundinus Manichæi Diſcipulus, mutaretur à ſe, vel ab alio ei extrinſeco; cùm non ſit alter mutationis modus. Non à ſe, quia quidquid à ſe ipſo mutatur, vel in melius, vel in deterius, vel in æquale mutatur, nullus eſt alius mutationis terminus. Deus autem cùm ſit infinitè perfectus, eſſentialiter ſummè bonus, & ſingulariſſimus, nequit mutari in deterius, nec in melius, nec in æquale, ea enim, quæ eſſentialia ſunt, inſeparabilia ſunt à re cujus ſunt eſſentialia. Et illud quod eſt omnino ſingulare, & omnia excedit, nequit mutari in æquale, quia æquale non habet. Neque poteſt Deus mutari ab alio, quia omne quod mutatur, imbecilius eſt eo, quod mutat. Quoniam hoc agit, & illud patitur. Deus autem nequit pati aliquid in ſe, ac proindè eſt omnino immutabilis. Non enim mutatur loco, quia ubique eſt. Non tempore, quia æternitas ſimul eſt. Non formâ, quia unus actus eſt. Unde, inquit Doctor Seraphicus, in 1. diſt. 8. art. 2. quæſt. 1. *Mutationem ſecundum formam tollit ſimplicitas, ſecundum tempus tollit æternitas, ſecundum locum tollit immenſitas, & ideo in Deo eſt ſumma ſtabilitas.*

D. Bonaventura.

Idem docet D. Auguſtinus, tract. 4. in primam Epiſtolam D. Joannis, ubi ait: *Non ſolum Deus vocatur ens, ſed verè eſt incommutabile ens, ſemper manet, mutari neſcit, nulla ex parte corrumpitur, nec proficit quia perfectum eſt, nec deficit quia æternum eſt.* Et D. Hylarius in Pſal. 2. ait: *Deus beatus atque perfectus, perfectu non eget cui nihil deeſt, de mutatione non novus eſt, qui origine caret, ipſe eſt, quidquid quod eſt non aliunde eſt: in ſe, ſe eſt, ſecum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ſibi ipſe omnia eſt, carens omni demutatione novitatis.* Deindè hæc mutabilitas ſi in Deo eſſet, proveniret ab intrinſecò, vel ab extrinſeco. Non primum. Quia eſt ens à ſe, à nullo dependens, ſimpliciter infinitum, & perfectum. Non ſecundum, quia nulla eſt cauſa, quæ illum mutare valeat; cùm ſit ens ſupremum omnia regens & continens.

Exod.

Deniqué divina immutabilitas probatur ex illo Exod. 3. ubi Deus ait: *ego ſum qui ſum*, quó ſignificatur, Deum ſemper, ac per omnia, eſſe eumdem, hoc eſt, immutabilem: quod autem mutatur, non omninò idem eſt quod antea fuit: Itaque dum Deus dicit, quòd eſt id, quod eſt, indicat quod eſt omnino immutabilis eſſentialiter, ut docet Divus Auguſtinus ſerm. de Rubo Moyſis, qui eſt 17 de diverſis, ubi ait: *Ea quæ mutantur non ſunt, quia non permanent, quod autem mutatur fuit aliquid, & aliquid erit, & non tamen eſt, quia mutabile eſt, ergo incommutabilitas Dei, iſto vocabulo ſe dignata eſt intimare: ego ſum qui ſum.*

Reſponſio ad ſecundiniſtas.

Immutabilitatem Dei impugnant hæretici ex illo ſap. 7. verſ. 24. *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.* Indè enim concludunt, Deum eſſe mobilem, ac proindè mutabilem, quia in ſacris paginis dicitur ſapientia. Sed hæc ratio non valet, quia ſcriptura affirmans ſapientiam, eſſe mobiliorem omnibus mobilibus, intelligenda eſt cauſaliter, activè, & effectivè, ac ſi diceret, quòd ſapientia, aut Deus magis movet, & vim agendi creaturis magis tribuit, quàm quodcumque mobile, ideoque non ſequitur ex illa authoritate quòd Deus mutetur, ſed ſolum ſequitur quòd magis mutat, movet, & agitat creaturas, quàm una creatura aliam: ibi enim, *mobile*, non ſumitur pro eo quod poteſt moveri; alioquin ex illa authoritate ſequeretur, quod Deus eſt magis mutabilis, quàm creatura quòd eſt manifeſtè falſum. Ita reſpondet Doctor noſter Seraphicus. D. Bonaventura, & meritò, quia hæc verba: *Attingit autem ubique propter ſuam munditiam*; quæ immediatè ſequuntur tanquam cauſa hujus mobilitatis, denotant ſapientiæ actionem, & efficaciam reſpectu creaturarum, quæ à Deo mobiles ſunt, & moventur tanquam à primo motore, idcircò ſcriptura non loquitur de mutabili, aut moto, ſed de motore.

In incarnatione verbi nulla fuit mutatio.

Dicunt inſuper. Id quod fit, quod non erat, mutatur, cùm tranſeat de non eſſe ad eſſe, & de una forma ad aliam; ſed Deus ante verbi incarnationem non erat homo, & in ipſa Incarnatione factus eſt homo, ut docet fides Catholica ex illo Joan, *verbum caro factum eſt*: ergo Deus eſt verè, & entitativè mutabilis. *Reſpondeo*, argumentum hoc nullatenus favere ſecundino, nam ut aliquid mutetur dum fit id, quod non erat, neceſsè eſt quòd hoc fiat per converſionem unius ſubſtantiæ in aliam, ut patet in mutatione aquæ in vinum in Cana Galileæ. Vel pèr receptionem novæ formæ informantis, vel inherentis, ut patet in formis ſubſtantialibus, & accidentalibus, quibus ſubjectum tranſit intrinſecè de uno eſſe ad aliud. Verbum autem caro factum eſt, non receptione novæ formæ informantis, aut inherentis. Nec converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, ſeu divinitatem eum qua ſubſiſtit in eodem ſuppoſito increato, ut docent communiter Theologi, & Sancti Patres contrà Neſtorium, & præſertim D. Athanaſius in ſuo Symbolo. In incarnatione verbi nulla advenit divinæ perſonæ unio, nullaque relatio, idcircò cùm verbum nullum receperit accidens, non poteſt dici mutatum.

Nec obſtat dicere quòd Deus in tempore recipit diverſas appellationes creatoris, Domini, Sal-

Deus non mutatur appellationibus.

vatoris &c. quæ aliquam arguunt mutationem in ſubjecto. Non obſtat inquam, quia nun recipit hujuſmodi appellationes ratione formæ intrinſecè in ipſo receptæ, qualis v. g. eſt appellatio albi in pariete, qui appellatur albus, albedine in ipſo recepta. Sed ratione formæ extrinſecæ, ſeu exiſteotis in Creaturis, terminatæ ad Deum creatorem, quâ (non Deus) ſed creatura mutatur, cùm per creationem tranſeat de non eſſe ad eſſe, Deus verò ſemper idem maneat, & per creationem in ſe nihil reale acquirat, aut recipiat, quô poſſit mutari, juxtà illud Pſal. 101. *Initio, tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Quare D. Auguſtinus lib. de Trinit. cap. 16. ait: *Quid ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifeſtum eſt relatione dici, non tamen ſecundum accidens Dei quod aliquid ei acciderit, ſed planè ſecundum accidens ejus ad quod dici aliquid Deus incipit.*

Impugnant tandem hæretici Immutabilitatem Dei ex variis effectuum, & paſſionum, iræ, vindictæ, & zeli motibus, quibus juxtà Sacram Scripturam, Deus

Pſal. 37. agitatur: unde Propheta Regius Pſal. 37. ait. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Geneſ. 6. Deus inquit: *delebo hominem quem creavi,* tales ſiquidem motus nequeont eſſe in Deo, quin agitent, & mutent illum, ſi non in entitate, ſaltem in intellectu, & voluntate: ergo, inquiunt, Deus non eſt omninò immutabilis.

Reſpondeo hanc conſequentiam eſſe nullam, quia tales motus iræ, vindictæ &c. non ſunt in affectu, nec Deus eos in ſe patitur, ſed in effectu, ſeu in homine peccante, quia ob peccatum punitur à Deo, ut notat

Mira D. Auguſt. explicatio.

D. Auguſtinus lib. 2. ad ſimplicianum, ubi cum probaſſet, Deum præſcientem omnia, non poſſe pœnitere, declarat, Sacræ Scripturæ textus, qui videntur tribuere Deo motus, eſſe intelligendos metaphoricè, ità ut ſignificent mutationem in effectu producto, non verô in affectu producentis: *Amas & non æſtuas, zelas, & ſecurus es: pænitet te, & non doles, iraſceris, & tranquilus es: opera mutas, ſed non Conſilium: recipis, quod non invenis, & nunquam amiſiſti: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam Avarus, & uſuras exigis: ſupererogatur tibi ut debeas & quis habet quidquam non tuum reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens* &c. quibus conſtat, Deum io ſe nullum recipere motum, oullamque mutationem habere: neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam, 1. Reg. cap. 15. verſ. 29. Multæ cogitationes, in corde viri, voluntas Domini permanebit: proverb. cap. 19. verſ. 21. Hinc eſt quòd Origenes homil. 23. in lib. num. ait: *Hæc omnia tropicè & humano more accipienda ſunt à ſcriptura dici: aliena porro eſt divina natura ab omni paſſionis, & permutationis affectu.*

ARTICULUS VI.

Impugnat Photinianos, immenſitatem Dei negantes.

Circà divinam immenſitatem errarunt veteres Philoſophi, conſtat enim teſtimonio Juſtini martyris *in Parænetico*, & D. Thomæ 3. contrà

Plato. gentes cap. 66. plures ipſorum, præſertim Platonem, & Ariſtotelem 1. de cœlo cap. 3. & alibi,

Ariſtot. crediſſe, Deum eſſe tantum in primo cœlo, & in parte orientali, ut primum omnium motorem, & in ea parte reſidere unde motus cæleſtis erat incipiendus. Ipſe enim Ariſtoteles omnium Philoſophorum facilè princeps in lib. de mundo, loquens de Deo ad Alexandrum declàrat ſe hujus erroris authorem, conferendo; Deum cum Rege Perſarum, his verbis: *ſicut enim* (inquit) *ille in regia urbe Ecbatanis, aut Suſis commorari ſolebat, & inde reliquas ſui Imperii civitates gubernabat, Ità Deus in cælo eſt, & inde reliquas mundi partes regit, & gubernat.* His addendi ſunt Stoici qui, *Stoici.* teſte Tertulliano apolog. adversùs gentes cap. 47. Deum conſtituebant extrà mundum circà convexam cœli ſuperficiem ad inſtar figuli aſſidentis ſuæ rotæ, quam movet. Sanè deploranda erat hæc Philoſophorum cæcitas, quâ tantum homini tribuebant, quantum Deo, ſed magis deploranda atque inexcuſabilis fuit hæc ipſa cæcitas in Judæis, qui Prophetarum oraculis illuſtrati ceciderunt in errorem veterum Philoſophorum, & crediderunt, Deum eſſe præſentem in templo Jeroſolymitano dumtaxat, ut refert Divus Hieronimus in illud Iſay cap. 66. *Cælum ſedes mea.* Porrò, omnium ſcilicet Philoſophorum *Photinus* & Judæorum delirio, eſt alìud majus, etenim turpiùs erravit Photinus magni ingenii, eruditioniſque non infimæ, & acutæ eloquentiæ vir, natione Pannonius, aut Galata, ut quidam volunt, conditione Epiſcopus Sirmienſis (à Marcello Ancirano ordinatus) ſed Pauli Samoſateni hæretici, hæreticus diſcipulus, & ſucceſſor, qui variis magiſtri ſui impietatibus aliam addere voluit adverſus authoris mundi immenſitatem. Docuit enim tempore Conſtantij Imperatoris, & Julij primi ſummi Pontificis anno circiter CCCXLVII. Deum eſſe ſingulum, ac ſolitarium, id eſt in uno ac determinato loco incluſum, ut colligitur ex Socrate lib. 2. cap. 14. & ex aliis ſcriptoribus.

Hujus graviſſimi erroris patrocinium ſcriptis editis ſuſcepit Auguſtinus Steücus Eugubinus, qui expli- *Eugubin.* cando tertium verſiculum Pſalmi 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè,* ait: *è cœlo, quô non eſt à terris remotior locus, id quoque mirabiliſſimum eſt, maximumque divinæ ſcientiæ teſtimonium, nam id quoque proriùs eſt incredibile, maximeque ſtupendum, ut cum Deus cujus ſtatio longius diſtat à terris, quàm ortus ab occaſu, ibi tamen conſiſtens, ut omnium gentium vetuſtiſſimorumque hominum, ut ait Ariſtoteles, eſt conſenſus, videat quidquid geritur cœlo & terris.* Idem explicans hunc verſum: *Si aſcendero in cœlum tu illic es,* ait: *ut igitur ſol eſt in cœlo corpore ac ſitu, & ſtatione ſua, terras autem luminibus luſtrat, omnia proſpiciens, talem neceſſè eſt, & nos cogitare Deum, qui quidem eſſentiâ, & præſentiâ ſit in cœlo, Spiritus autem ejus, & cognitio & ſcientia uſquequaque pertineat* Ex quibus verbis manifeſtè patet, ipſum Auguſtinum Steücum Eugubinum in errorem veterum Philoſophorum, Judæorum, Photinianorum, & aliorum infrà citandorum, incidiſſe contrà veram Eccleſiæ mentem.

His Philoſophis, Judæis, & hæreticis adjungendi *Polythæi* ſunt Polythæi, & Antropomorphytæ, nam illi aſ- *Antropomorphytæ.* ſerendo, duos eſſe Deos, unum bonum, alium verò malum, credunt quòd nullus eſt immenſus, etenim unicuique proprium locum conſtituunt, ut notat D. Auguſtinus lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 21. ubi refert quod Manichæi, nè Deus bonus, Dei mali contactu & conſortio, malus fieret, collocabant eos in diſtinctis regionibus mundi, ut Deus malus non eſſet ſimul cum Deo bono, & nè Deus lucis, à Deo tenebrarum contaminaretur, idcircò nullus erat ubique præſens. Antropomorphytæ verò credendo, Deum habere corpus humanum, & figuram, credebant utiquè ipſum Deum eſſe in loco circunſcriptivè determinato, ut ſubſtantiæ corporeæ, quantæ, & extenſæ proprium eſt, atque eſſentiale, ac proindè Deo etiam conveniret hæc proprietas, nimirum eſſe in loco determinato, ſi ipſe Deus eſſet corporeus.

Concilii Mediolanenſe. Pro divina immenſitate ſtabilienda contrà Photinianos, atque credenda contra eoſdem, ſtat Eccleſiaſtica declaratio in Conciliis, Mediolanenſi celebrato CCCLVII. *Sirmienſe* In Sirmienſi CCCLI. in quibus damnatus fuit Photinus. *Lateranenſe.* In Lateranenſi ſub Innocentio III. de ſumma Trinitate & fide Catholica, cap. *firmiter*, ubi habetur: *firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, Immenſus &c.* *Symbo. Div. Athanaſianum.* Eadem veritas firmatur in Symbolo D. Athanaſij nomen meritò præferente, in quo dicitur: *Immenſus pater, Immenſus Filius, Immenſus Spiritus Sanctus, non tamen tres immenſi ſed unus immenſus.* Sunt plures in jure Canonico textus, quibus divina immenſitas indicatur, ſed eos omitto, ut citius Scripturæ Sacræ authoritate vindicetur à prædictorum hæreticorum Calumniis.

Deus immenſitatem ſuam manifeſtè oſtendit in variis Sacræ Scripturæ locis, & præſertim in cap. 23. verſ. 24. Jeremiæ, ubi habetur: *Jerem.* *Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? nunquid non cœlum & terram ego impleo.* Nullus eſt igitur locus, ſivè in terra, ſivè in cœlo, in quo Deus non exiſtat, ut ſuadet hoc verbum *impleo*; aut in quo non ſit præſens, non ſola præſentiâ virtutis quâ ſol eſt in omnibus inferioribus, ſed etiam præſentia reali, vera, & ſubſtantiali, quâ anima rationalis eſt præſens omnibus partibus corporis humani, & in ipſis ſubſiſtit (ſi informandi modum excipias) quemadmodum enim quælibet pars corporis humani, eſt, vivit, & movetur in anima, ità nos in Deo vivimus, movemur, & ſumus; cùm non abſit ab unoquoque noſtrum, act. cap. 7. idque ſuadetur authoritate D. Chriſoſtomi ſic exponentis eadem verba actuum: *Adeo propè eſt ut ſine* *Chriſoſt.* *ipſo vivi nequeat.... quemadmodum non poteſt ignorari aer ubique diffuſus, qui non longè ab unoquoque noſtrum eſt, vel potiùs nobis ineſt, ita neque opifex omnium*; cùm ſit ubique præſens, & habeat ſubſtantiam infinitam, non ſolum in operando ſcilicet præſentiâ virtutis, ſed etiam in eſſendo, id eſt præſentia ſuppoſiti, juxtà illud ſap. cap. 1. verſ. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*; idcircò nulla eſt creatura in orbe terrarum, in qua Deus non ſit, & cui non ſit præſens, præſentiâ ſubſtantiali. Idem ſentiunt communiter Sancti Patres.

Undè Propheta Pſal. 138. ait: *quo ibo à Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Nam ibi non loquitur de ſola præſentia virtutis, cùm dicat *tu illic es*, quod indicat ſubſtantiam, & ſuppoſitum. Nec loquitur de præſentia acquirenda, cùm non dicat: *Tu illic eris*, ſed *es*, aut *ades*. Et Iſayas cap. 66. ait: *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*, ut indè videamus, Deum eſſe ubique præſentem, nam per extrema, utpotè cœlum & terram, ſignificantur media, humano loquendi more, quia videlicet quemadmodum homo occupat totum ſpatium, quod eſt inter caput, & pedes ejus, ità Deus, ſublata imperfectione quantitatis, & corporeitatis, replet cœlum & terram, atque quodcumque ſpatium; quin cœlo, & terra claudatur, ut publicè confeſſus eſt Salomon lib. 3. Reg. cap. 8. verſ. 27. dicens Deo: *Cœli cælorum te capere non poſſunt.* Ratio eſt. Quia eſt immenſus, & excellior cœlo, quâ immenſitate ſit præſens ſubſtantialiter omni creaturæ, totique univerſo, in quo nequit comprehendi, licet in ipſo comprehendantur omnes creaturæ, ut monet D. Auguſtinus lib. 7. de *D. Aug.* civit. Dei cap. 30. dicens: *Deus ubique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus. Ex nulla parte mutabilis: implens cœlum, & terram, præſente potentiâ, non abſente, nec indigente naturâ*: quippecum ſit omninò independens, nullatenus dependet à loco.

Deus ubique operatur. Inſuper Deus operatur ubique, ut ex variis Scripturæ locis conſtat, & naturali lumine demonſtratur. Nam ſi nullus poſſit negare quòd Deus omnia regat, gubernet atque conſervet, neceſsè eſt quòd in omnibus operetur, quia conſeruatio, nihil aliud eſt, niſi continuata productio, hæc autem operatio non eſt tantum operatio ſuppoſiti præſentis; alioquin virtus, quâ Deus producit, & conſervat omnia, quæ in terris ſunt, quaque adjuvat quodcumque agens, eſſet diſtincta à natura divina, & producta à Deo; cùm non eſſet in loco, in quo Deus eſt, nec Deus eſſet in loco, in quo eſſet hæc virtus, ut patet in ſole, qui eſt ſubſtantialiter in cælo, & virtus ipſius in viſceribus terræ; ac proindè eſſet creatura, quoniam omne quod extrà Deum eſt, creatura eſt. At hoc, id eſt, Deum conſervare omnia per aliquid à ſe creatum; eſt falſiſſimum, quia creatura non poteſt aliam creaturam conſervare; cùm omnes & ſingulæ creaturæ æqualiter indigeant conſervari: ſolius enim Dei eſt hæc poteſtas: ergo Deus operatur ubique per ſe, & realiter, ſubindeque eſt præſens cuilibet creaturæ præſentiâ reali, & ſuppoſiti; quoniam quælibet creatura indiget conſervari ab eo, à quo principaliter accepit eſſe.

Anaſtaſ. Synaita. Illud verum eſſe confirmat Anaſtaſius Synaita in ſecundo contemplationum Exameron, dicens: *Quomodo aer implet omnia, & nullus eſt locus eô vacuus, ità etiam univerſorum Deus implet omnia, & nullus eſt locus eo vacuus*; Atqui aër non ſecundum aliquam virtutem à ſe diſtinctam, ſed ſecundum quantitatem ſuam replet omne vacuum: ergo Deus ſubſtantiâ ſuâ replet omnem locum, & in omni loco operatur operatione ſuppoſiti, & præſentiâ reali. Nulla eſt enim creatura inviſibilis in conſpectu ejus, quoniam omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, inquit Apoſtolus ad Hebr. 4. *Hebr.* Non quod quælibet creatura ſit ubicumque eſt Deus, ſed quia Deus eſt ubicumque ſunt Creaturæ. Et in ipſis ità operatur, ut nullus ſit, qui ex ipſius operatione non colligat, Deum eſſe realiter præſentem, quemadmodum nullus eſt, qui non colligat præſentiam aëris ex reſpiratione, ſine qua nullus poteſt vivere. Ratio hujus comparationis eſt, quia in Deo vivimus, movemur, & ſumus. Quia ipſe eſt primus motor omnia movens, & prima cauſa omnia producens, & conſervans.

Photiniani dicent, Deum eſſe ubique per potentiam, & cognitionem; non verò per eſſentiam. Nam (inquiunt) ſol operatur in viſceribus terræ; quin in ipſis ſit per ſubſtaniam, & Rex imperat per totum regnum, quamvis in uno loco tantum ſit præſens, præſentiâ ſuppoſiti. At non valet hæc ratio, nec poteſt inferri ex Sacra Scriptura. Nam dum Propheta ait: *Quo à facie tua fugiam. Manus tua deducet me*, loquitur de præſentia reali, & ſuppoſiti, ut jam monui ſuprà, quia hæc duo verba demonſtrant ſuppoſitum à quo fugere non poterat propheta ipſe, volens inde nobis inſinuare, Deum eſſe ubique præſentem. Undè Pſal. 118. verſ. 151. ait: *Pſal. 118.* *Prope es tu Domine, & omnes via tua veritas*, quibus ſuadet ſe, loqui de Deo ſecundum ſubſtantiam, & præſentiam realem reſpectu omnium creaturarum, quia proximitas non eſt modus virtutis, nec alicujus operationis, ſed ſubſtantiæ, & operantis; cùm per hanc particulam, *propè*, ſolitô intelligatur ſubſtantiæ indiſtantia. Unde Apoſtolus volens convincere Judæos credentes, Deum poſſe concludi locô ſeu templô Jeroſolymitanô, ait: *Non longè eſt ab unoquoque noſtrum* id eſt, *propè eſt* ſeu præſens, aut non diſtans: ergo Sacra Scriptura loquitur de præſentia ſubſtantiæ. De hac quidem præſentia convincendi erant Judæi cum eodem Apoſtolo diſputantes Jeroſolymis.

Tandem ſic inſurgunt hæretici. Deus ſpecialiter dicitur eſſe in cœlo, ut inſertur ex illo Pſal. 113. *Cœlum Cœl*

Domino , terram autem dedit filiis hominum , quò demonſtratur, hominem non eſſe in cælo, nec Deum in terra. Hæc quidem locutio eſt reſtrictiva , tam reſpectu Dei, quàm reſpectu hominum. Et quemadmodum admittit ità hominem in terra , ut non ſit in cœlo præſens. Ità etiam in cœlo ponit Deum , ut non ſit præſens terræ ſubindequé declarat,Deum non eſſe immenſum , nec ubiqué præſentem.

Reiicitur ratio hæreticorum Reſpondetur hanc rationem eſſe nullam,nam Propheta non potuit intendere excluſionem præſentiæ Dei à terra , ſicut excludit præſentiam hominis à cœlo, ut manifeſtat ex verbis Pſal. 138. ſuprà relatis, & ex Pſal. 23. ubi ait *: Domini eſt terra & plenitudo ejus , orbis terrarum & univerſi qui habitant in eo.* Nam ſi terra ſit Domini , non fuit ità homini data, ut Deus non ſit in ipſa. collatio autem illa terræ facta homini, non continet plènum dominium excludens Dei præſentiam. Nec ità ſtatuit præſentiam creaturarum , aut earomdem in terra habitationem ; ut excludat habitationem Dei ; ſed ſolum continet obligationem excolendi eam, ut indè homo reciperet undè poſſit ſubſtentare ſe. Vel *Theodoretus.* dico cum Theodoreto in Pſ. 122. quòd Deus dicitur in cœlis habitare , non veluti locô circumſcriptus , ſed veluti Lætans cæleſtibus virtutibus , quæ cœlos incolunt. Aut dico cum Alcuino lib. 2. de Trinit. cap. 5. quòd hæc verba Prophetæ oſtendunt tantùm , majo- *Alcuinus* rem , atquè perfectiorem veri Dei cognitionem , eſſe in cœlis , in Angelis , & in Sanctis Animabus , quàm in animabus Juſtis , quæ ſunt in terra : ideoque ex illa authoritate, Phutinus abſque ullo fundamento excludit præſentiam realem Dei à terra ; licet poſſit excludere à cœlo præſentiam hominum exiſtentium , & viventium ſuper terram, quia ſunt viatores, qui tendunt, & ſperant ad cœlum pervenire , adjuvante divina gratia.

Sunt aliæ expoſitiones circà eumdem textum apud Sanctos Patres , ſed eas omitto. Tum quia ea , quæ diximus , ſufficiunt. Tum quia plures non faciunt ad propoſitum noſtrum. Nec obſtat dicere ,Sacram Scripturam pluribus in locis aſſerere; quòd Deus recedit ab hominibus Impiis , qui ſunt in terra. Non obſtat , inquam, quia accedere, recedere, ambulare ; deſcendere, & longè ſtare, quæ non rarò tribuuntur Deo , intelligenda ſunt Metaphoricè, ut notat D. Auguſtinus ſerm. 70. de temp. Minus valet dicere quòd ſi Deus eſſet ſubſtantialiter ubique, eſſet in locis fœtidis, imó & in dœmonibus (quòd Deum minimè decet.) Quia Deus non inquinatur in eis , in quibus eſt : *Sicut enim* (inquit D. *Auguſt.* Auguſtinus) *anima rationalis non inquinatur in corpore etiam leproſo , quia ſpiritualis eſt , multò minus Deus ; cùm longiùs ſit ab omni materia ſejunctus.* Non deſunt doctores, qui hanc paritatem confirmant exemplô ſolis , ſed eos omitto.

ARTICULUS VII.

Reiicit nonnullos Philoſophos nolentes , Deum eſſe proviſorem univerſalem.

Circà divinam Providentiam errarunt plures antiqui Philoſophi,quos impugnare conſentaneum judico:licet propoſitum noſtrum ſit refellere hæreſes,quæ inſurrexerunt adverſùs Deum,à Chriſto nato.Cauſa hujus impugnationis eſt, quia modò ſunt plures , qui Dei beneficiorum prorſùs immemores, Philoſophis antiquis adhærent,& cum eadem temeritate blaſphemant, & dicunt in Deo non eſſe providentiam ergà omnes res creatas. Inprimis enim Ariſtoteles 6. ad Nichomachum , à natura ſola vult adminiſtrari ſingula, ut notat *Averroes* Nemeſius, lib. de facultatibus animæ cap. 44. In eodem errore fuerunt celebres Ariſtotelis interpretes, Avicena, & Averroes negantes Deo diſtinctam , & peculiarem cognitionem , àtquè curam creaturarum in ſingulari. His ſectatoribus Ariſtotelis ſucceſſit Algazer , quem Prateolus in ſuo hæreticorum cathologo reponit inter *Algazel* hæreticos. (De eodem loquitur D. Thomas lib. 1. contrà gentes cap. 145.) Idem ſentiunt Rabi Moſes, & alij, qui voluerunt , nullam in Deo venerari providentiam , nullamque curam ergà bruta , & immunda : exiſtimabant enim , ſolos homines eſſe providentiæ dignos; quoniam putabant Dei providentiam ad media ſupernaturalia dumtaxat ſe extendere.

His addendi ſunt (teſte Lactantio lib. 1. de ira Dei cap. 9. & 10.) Democritus , heraclitus, Cicero lib. 2. de divinis , teſte D. Auguſtino lib. 5. de civitate Dei cap. 9. Plinius , & alii quorum nomina ſileo. Non de- *Plinius* ſunt ſcriptores , qui in cathalogo hæreticorum divinam providentiam impugnantium , reponunt , & annumerant Atheos. Sed ſuperflua mihi videtur hæc annumeratio , quia , qui negat Deum eſſe , negat omnes perfectiones ejus. Nec poteſt propriè dici impugnator providentiæ,ſed impugnator exiſtentiæ Dei,idcircò non in iſto, ſed in primo articulo reponendi ſunt Athei.

Quidam Calviniſta nomine Joannes Dallæus expro- *Error Dallæi de D. Hieronimo malè ſentientis.* bat ſancto Hieronimo quòd aſſerat Dei providentiam, curare quidem omnes & ſingulos homines, reliqua verò , ſeu inanimata , ſive ratione carentia , non item, in comment. ſuper Abacuc cap. 1. ibi enim ille Sanctus Doctor exponens hæc verba ejuſdem Prophetæ. *Mundi ſunt oculi tui nè videam malum* , inquit *: abſurdum eſt ad hoc Dei deducere majeſtatem , ut ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices , quotvè moriantur , quæ cimicum, & Pelicum, & muſcarum ſit in terra multitudo : quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus in noſmetipſos injurioſi ſimus , eamdem rationabilium providentiam eſſe dicentes.* Sed allucinatur Dallæus, quia ibi particularem, ac propriam individui cujuſque ſcientiam , ac providentiam D. Hieronimus non negat , cùm alibi ſcilicet in cap. 10. Math. expendens hæc verba *: Non nè duo paſſeres aſſe veneunt* , dicat : *Si parva animalia abſque Deo authore non decidunt , & in omnibus ſemper eſt providentia, & quæ in his peritura ſunt , ſine Dei voluntate non pereunt ; vos qui æterni eſtis , non timere debetis quòd abſque Dei vivatis providentia.* Quibus conſtat D. Hieronimum velle divinæ providentiæ oculos ,eſſe ſuper omnes , & ſingulas creaturas. Undè in loco à Calviniſta Dallæo citato ipſe D. Hieronimus negat ſolùm curam illam benevolam , & paternam adhiberi brutis , & inanimis , quæ hominibus à Deo adhibetur , quia loquitur tantùm comparatè, quaſi velit non eamdem eſſe providentiam irrationalium creaturarum. Et ratione præditarum. Nequé hoc eſt improbabile , quippècùm nobilior atqué præſtantior ſit finis hominum, fine brutorum, majorem ergà homines providentiam,ac curam habet Deus. Sed indè non ſequitur , in Deo nullam eſſe ergà bruta providentiam , ſed ſolum minorem eâ , quæ eſt ergà homines, aut diverſam ob diverſitatem mediorum , & finis brutorum , qui prorſùs naturalis eſt , hominum autem eſt ſuper naturalis,majora ac digniora exigens media in iis, qui quærant illum; ideoque ergà ipſos major eſt providentia.

Undè *una eſt* (inquit noſter Alexander Alenſis part. 1. quæſt. 26. memb. 4. art. 4.) *Cura divina providentiæ, quæ generalis eſt, quâ res per tempora ſibi debita, & determinata conſervantur in ſuo eſſe à divina providentia , & hoc modo verum eſt quòd eſt ei cura de omnibus. Alia eſt cura ſpiritualis providentia , quam ſpecialiter habet de rationali creatura , ſecundum quam erudit ipſam, dando ei præcepta, & legem, & ſecundum hanc, non eſt ei cura de omnibus.* His verbis doctor ille irrefragabilis nuncupatus clarè demonſtrat omnem creaturam ſubiici divinæ providentiæ.

Dei providentiã oſtendit qualibet creatura. Contrà prædictos Philoſophos, & alios ipſis adhærentes clamat mundus univerſus. Nam ſi cælum, terra, aër, lapides, arbores, plantæ, aqua, ignis loqui poſſent, loquentium una vox hæc eſſet: *datur in Deo maxima providentia*, quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter: Totus mundus eſt liber providentiæ, hunc legunt docti ut doctiores fiant, hunc legere poſſunt etiam, qui legere neſciunt. Nullus enim eſt homo tàm ferus, tàm incultus, cui ignotus ſit ſummus proviſor, & gubernator; cùm nullus ſit, qui non videat omnia animalia vivere ex his, quæ producit terra, cui dictum fuit à Deo, *germinet terra*: Qui non videat ſolem oriri ſuper bonos, & malos. Qui non videat ea, quæ cognitione carent, dirigi ad certum finem boni univerſi, eodemque atque uniformi modo operari, non à ſe ipſis ex defectu cognitionis, ſed ab aliquo proviſore intelligente, quibuſcumque naturis ſuos deſignante fines ſpeciales, eoſque omnes ad bonum univerſi ordinante. Univerſa hæc mundi machina nequit à ſe ſubſiſtere, nec ordinari, cùm non ſit à ſe, ſed à Deo, qui omnia fecit, reſpicit, invigilat, ſuccurrit, & portat verbo virtutis ſuæ: Igitur mundi exiſtentia prædicat providentiam Dei, & affirmat, Deum habere curam de omnibus, quæ ſunt in mundo. Nec poterat hæc cura omni creaturæ penitus, neceſſaria, eſſe alterius à Deo; perfecti enim artificis eſt rebus productis ultimam largiri perfectionem; quæ habetur in conſecutione finis, ad quem ipſe Artifex dirigit opus ſuum. Et propter quem efficit illud: quoniam ſi omne agens agat propter finem, quilibet effectus, debet ad finem ab eo dirigi.

Hanc concluſionem (quæ veteres Philoſophos confundit) probat D. Ambroſius lib. 2. de officiis cap. 13. *Ambroſ.* dicens: *Quis operator negligat operis ſui curam? quis deſerat & deſtituat quod ipſe condendum putavit: ſi injuria eſt non regere, nonnè eſt major injuria feciſſe? non aliquid non feciſſe, nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia*: ergo ſicut nihil eſt, quod non ſit à Deo productum, ita nihil eſſe poteſt, quod ejus gubernationi non ſubſit, ſeu quod in ipſo Deo providentiam non veneretur; cùm ipſius beneficiò ſubſiſtat. Sublatà quidem providentià, nullum ens poteſt ſubſiſtere in rerum natura. Non hominum, nec Angelorum, ſed Dei ordinatione perſeverat Dies: quoniam omnia ſerviunt ei, & ipſe Deus miniſtrat illis neceſſaria, ſicut Dominus ſervis ſuis.

Hanc veritatem docet ſcriptura innumeris textibus, quibus divina providentia celebratur. Sap. cap. 14. *Sap. 14.* verſ. 3. Salomon ait: *Tua autem, pater, providentia gubernat: quoniam dediſti, & in mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam.* Et cap. 17. verſ. 2. ait de Ægipiiis: *dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi ſanctæ: vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.* Ex quibus infertur, in Deo eſſe providentiam ergà omne, quod exiſtit, nam ſi gubernat omnia, de omnibus curat, quia gubernatio eſt executio divinæ providentiæ, nullum enim eſt gubernium ſine cura, nec poteſt homo eam ſine impietate denegare Deo, qui cuncta gubernat, ut demonſtrat Eccleſiaſtes cap. 5. verſ. 5. *Non dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo; non eſt providentia, nè fortè iratus Deus contrà ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.* *Clemens Alexand.* Indè etiam conſtat, providentiam eſſe in Deo, cùm maxima punitio promittatur illis, qui eam negant. Hinc eſt quòd Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromatum, ait: *Sunt quæſtiones quædam dignæ, quæ puniamur, cujuſmodi eſt, quærere probationem, an ſit providentia.* Ratio hujus veritatis eſt, inquit idem doctor, quia, *eſt manifeſta divina providentia ex aſpectu omnium quæ videntur effectorum, quæ arte & ſapientia conſtat.* Homo ſolet curam habere de eo quod dirigit: Deus autem, teſte ſcriptura, nihil odit eorum, quæ fecit: ergo habet curam de omnibus. Idque confirmat Theodoretus ſerm. 1. de provid. dicens: *Theodoretus.* *Ex hoc quoque affectu quo amare nos fecit pignora noſtra, intelligere nos voluit, quantum ipſe amat pignora ſua*, id eſt creaturas omnes; cùm ſit ipſarum Dominus.

Huic authoritati, quâ ex divina cauſalitate evidenter deducitur divina providentia, ſuffragatur ratio hæc. Certiſſimum eſt, Deum eſſe cauſam primam omnium, & perfectiſſimam, hoc eſt, ut exponit Sanctus Thomas, non ſolum quantum ad ſubſtantiam rerum, ſed etiam quantum ad ordinem earum in finem, quoniam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ex Apoſt. ad Rom. 13. & præcipue in finem ultimum, qui eſt bonitas divina. Hæc autem ordinatio ad finem, propriè providentia eſt, quæ neceſſariò debet eſſe in Deo, qui cùm creaverit omnia, debet omnia dirigere, regere, & gubernare: *neceſſé eſt* (inquit D. Damaſcenus lib. *Damaſ.* 2. de fide cap. 29.) *eumdem eſſe eorum, quæ ſunt, & factorem, & proviſorem. Nam nequè decet, neque conſequens eſt alium factorem eſſe eorum, quæ ſunt, & proviſorem. Sic enim imbecillitati, debilitatique uterque ſubjaceret, hic non faciendi, ille non providendi.* Nullus igitur poteſt credere, Deum eſſe; quin credat ipſum proviſorem, nedùm rerum præſtantiſſimarum, putà hominum, quibus præter media naturalia, confert ſupernaturalia; ſed etiam rerum viliſſimarum, non ſolùm in communi; ſed etiam in particulari: paſcit enim volatilia cœli & veſtit Lilia agri, nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis, inquit Chriſtus, Math. 6. Dat jumentis eſcam, & pullis corvorum, producit in montibus fænum, ait Propheta Pſal. 146. puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus, ut habetur in 6. cap. lib. ſap. Ideoque Deus eſt proviſor univerſalis, ſicut eſt creator. Seu proviſor quia creator.

Salvian. Undè Salvianus Maſſilienſis lib. 1. de provid. ſic alloquitur eos, quos hîc impugnamus. *Licet nullum facinus ratione ſubſiſtat, quia rationi non poſſunt ſcelera conjungi, nullum tamen ut puto, vel irrationabilius, vel inſolentius iſto eſt. Quid enim tam furioſum, quàm ut aliquis, Deum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? & cùm factorem eſſe fateatur, dicat negligere quæ fecit:* Itaque qui negat, Deum eſſe proviſorem, negat ipſum eſſe creatorem rerum omnium, eſtque Athèus, ut jam monui: imo eſt Athèo nequior: Iſte enim nullum Deum admittit, ille verò admittit Deum, ſed imperfectum.

Hanc ipſam veritatem Chriſtus Dominus pluribus oraculis affirmat. Luc. cap. 12. verſ. 6. *Nonnè quinque paſſeres væneunt diſpondio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo?* Math. 6. verſ. 26. *reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, nequè metunt, nequè congregant in horrea: & pater veſter cæleſtis paſcit illa*, & verſ. 28. *conſiderate lilia agri quomodò creſcunt: non laborant, nequè nent.* Quippè ex his, & ex aliis textibus ſacris, facilè colligitur, in Deo eſſe curam & providentiam ergà omnes res creatas, nèdum præſtantiſſimas, ſed etiam viliſſimas, cùm cuncta diſponat tam rationabilia, quàm irrationabilia, juxtà illud Sap. cap. 15. *Tu autem Deus* *Boëtius* *noſter, ſuavis, & verus es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia.* Hæcque diſpoſitio nihil aliud ſit niſi divina providentia, ut docet Boëtius lib. 4. de conſul. prof. 6. dicens: *providentia ipſa eſt divina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Idem docet D. Dionisius de divin. nomin. cap. 2. his verbis. *Dioniſius* *Deitas cuncta proſpicit providentià, ſicut cuncta creat omnipotentià.* Nec poteſt homo alitèr judicare, quia ad unamquamque cauſam pertinet effectus ſuos per debita media, ad ſuum finem perducere: nam quod dat eſſe rei, dat etiam ei conſequentia ad eſſe, cùm ad ejus ſubſiſtentiam ſpectent.

Digitized by Google

Prima objectio proponitur, & diſſolvitur. Divinæ providentiæ impugnatores ſic objiciunt. Si in Deo eſſet aliqua ergà homines providentia, pugnaret cum tot malis, & periculis, quot in hoc mundo experimur. Siquidem boni proviſoris officij eſt, quodlibet malum arcere ab illis, de quibus haber curam, præſertim ſi ſit proviſor ſummè bonus, & omnipotens, qualis eſſet Deus, ſi haberet aliquam ergà nos providentiam. At non valet hæc ratio hæreticorum, nec poſſunt ex ipſa excludere divinam providentiam, nec aſſerere, Deum negligere in hoc ſæculo genus humanum, licet permittat ipſum mala pati. Quoniam hæc mala, quæ experimur, & quæ mala eſſe dicimus, quia nobis diſplicent, à divina ſapientia reguntur, & ordinantur ad bonum, ut teſtantur plures Sancti Patres, & præſertim D. Auguſtinus in Enchir cap. 11. dicens: *Ex omnibus conſiſtit univerſitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum, dicitur, benè ordinatum, & loco ſuo poſitum, eminentiùs commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora ſint dum comparantur malis.* Nobis enim datum eſt, teſte Apoſtolo ad Philip. 2. non ſolum ut in Deum credamus, ſed etiam & pro illo patiemur. *Ad Phil. Bonav.* D. Bonaventura; Doctor Seraphicus ait. *Malum eſt ſub divina providentia non tanquam ab ea factum, ſed quatenus ab ea ordinatur.*

Thomas Cyrillus Jeroſol. Idem docet D. Thomas Doctor Angelicus, in 1. diſt. 39. quæſt. 2. artic. 2. tandem D. Cyrillus Jeroſol. Cathec. 8. ſic exclamat; *O ſapientiſſimam providentiam, quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem convertit, quemadmodum enim illorum fratrum Joſeph eumdem odio proſequentium malam voluntatem accipit occaſionem propriæ adminiſtrationis, & permittens ipſis ex odio vendere fratrem, occaſionem accepit efficiendi ut regnaret.* His addendus eſt D. Baſilius homil, 9. ubi ait: *Baſilius.* *Providentiſſimus rerum humanarum diſpenſator Deus, utitur ad noſtram exercitationem malignitate Dæmonis, quemadmodum medicus vipera veneno:* Igitur ex his, quæ mala dicimus, nemo niſi inſanus & impius, poteſt inferre, nullam eſſe in Deo curam ergà homines. Imò indè unuſquiſque debet inferre oppoſitum, ut obſervat Salvianus lib. 2. de provid. dicens, *abſit ut hoc argumento putemus à Deo negligi, per quod confidimus plus amari:* Deus enim Apocalip. 3. verſ. 19. inquit *ego quos amo arguo, & caſtigo.*

Dicunt inſuper quòd ſi in Deo eſſet providentia ergà homines, nulla foret hominum libertas, nullaque rerum creatarum contingentia, quoniam ſi Deus prævideret actiones hominum, infallibiliter Evenirent, cùm hæc præviſio eſſet infallibilis, ac proindè ipſæ actiones hominum, non eſſent contingentes, ſed neceſſariæ, quòd eſt falſum: ideoque nullam in Deo poſſumus admittere providentiam; cùm certi ſimus de libertate humana, & de contingentia rerum.

Huic objectioni, cui plurimum confidunt divinæ providentiæ inimici, reſpondeo, ſequelam eſſe falſam, quoniam divina providentia rebus creatis ſeſe accommodat, & ità ſuam curam impendit, ut neceſſariis neceſſariò, & liberis liberè media convenientia ad *Divina providentia non tollit libertatem.* debitum ſibi finem conſequendum, ſubminiſtret, ut docent communiter Theologi ſcholaſtici cum D. Thoma, & doctore ſubtili, qui hanc doctrinam illis tradiderunt. Idem dicunt Sancti Patres, & præſertim D Dioniſius de divin. nomin. cap. 4. ubi habet: *Sicut providentia uniuſcujuſque natura eſt ſalvatrix, per ſe mobilia providet, ut per ſe mobilia, & tota particularia juxtà totius proprietatem, & uniuſcujuſque in quantū proviſorum natura ſuſcipit totius providentiæ proportionaliter attributas unicuique proviſas bonitates,* idcirco divina providentia non tollit libertatem, nec rerum creatarū contingentiam, cùm unicujuſque modo ſe accommodet ipſa divina providentia, & diſponat omnia ſuaviter, hoc eſt, juxtà uniuſcujuſque rei naturam. Deindè determinatio divinæ providentiæ in ordine cauſalitatis, non eſt prior, nec poſterior natura, vel ratione, determinatione voluntatis creatæ, ſed potius eſt protsùs ſimul cum illa, ut tenent plures Theologi, & ità (ob hanc concomitantiam) fit, ut voluntas humana remaneat libera ad actus ſuos efficiendos, ſicut libera manet nonobſtante divino concurſu, quô neceſſariò indiget ad agendum.

ARTICULUS VIII.

Propugnat adverſus Novatianos, Dei miſericordiam.

Diabolus ſalutis noſtræ adverſarius, omnem ſuæ malitiæ movit artem, ut omne ſubſidium divinum hominibus elevaret, eoſque errorum caligine ità offuſcaret, ut crederent, Deum non eſſe Patrem miſericordiarum, nec Deum totius conſolationis, ſed crudélem, eo quod nullum dederit peccatoribus medium reſurgendi à peccato præter baptiſmum, quem ſemel tantum recipere poſſunt, cùm ſit initerabile ſacramentum. *Montanus.* Primus hujus impietatis author, fuit Montanus, qui anno. CLXXXI. regnante Comodo Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Sotero Papa, negavit, Eccleſiam poſſe concedere hominibus veniam pro delictis commiſſis, exiſtimans, Deum nolle remittere peccata eorum, qui juſtificationis gratiam ſuſceperunt in aquæ baptiſmo, ſeu qui voluntariè peccaverunt poſt ſuſceptum baptiſmum fluminis etiam ſi verè, & ſincerè pœniteant, ut obſervant D. Hieronimus epiſt. 54. ad Marcellam, & Epiſtola ad Cteſiphontem cap. 2. & plures alij.

Huic hæreſiarchæ, ſeù Montàno, in hoc nefario dogmate ſucceſſerunt circa annum Domini CCLV. *Novatus Carthaginenſis.* tempore Galli, & Voluſiani Imperatorum, & Cornelij Papæ, Novatus Carthaginenſis Eccleſiæ presbiter, & alter Novatus presbiter Romanæ Eccleſiæ, & poſteà *Novatus Romanus.* Romanus pſeudopontifex, qui ut Montaniſtarum errorem extinctum, reſtaurarent, dicebant, remiſſionem peccatorum non eſſe largiendam iis, qui poſt baptiſmum ſuſceptum, peccaverunt: putabant enim, baptiſma dumtaxat fuiſſe inſtitutum in remiſſionem omnium peccatorum, ac proindè omnibus in peccatum prolapſis, & ad Eccleſiam Dei lacrymis pulſantibus, divinæ pietatis, & Lenitatis paternæ ſolatia, & ſubſidia claudebant, ut refert Sanctus Cyprianus lib. de lapſis, dicens: *Cogitanti mihi, & intolerabiliter animo æſtuanti, quidnam agere deberem de miſerandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, ſed Diaboli ſævientis irruptione adhuc uſque, hoc eſt, per longam temporum ſeriem agentes, pœnas darent; ecce ex adverſo obortus eſt alius hoſtis, ut ipſius paternæ pietatis adverſarius hæreticus Novatianus, qui non tantum ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut Sacerdos, vel Levita jacentem vulneratum prætereirent, ſed ingenioſe ac nova crudelitate ſauciatum potius occideret, adimendo ſpem ſalutis, denegando miſericordiam Patris, reſpuendo pœnitentiam fratris.* Et in Epiſt. 57. ad Cornelium, inquit de eodem hæretico Novatiano: *Quid ad hæc .... In perniciem fratrum lingua ſua perſtrepens, & facundia venenata jacula contorquens, magis durus ſæcularis Philoſophiæ pravitate, quàm Philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus; deſertor Eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis, interfector pœnitentiæ, deſertor charitatis.*

Diviſi tamen inter ſe fuerunt horum hæreticorum diſcipuli, & Sectatores, ſeu Novatiani. Quidam enim novati ſententiam ſic temperarunt, ut voluerint, Deum eſſe miſericordem reſpectu peccatorum leviorum, aut venialium, non autem reſpectu graviorum, & mortalium, ut diſerte teſtatur D. Ambroſius lib. de pœnitentia cap. 2. Alij verò ſuſtinebant cum Novato Eccleſiæ Romanæ presbytero, nullum eſſe in Eccleſia jus

certum remittendi peccata etiam minutiſſima, exiſtimantes, miſericordiam Dei io baptiſmo dumtaxat nobis ſemel conferri, ex eo quod filius perditionis regeneretur in ipſo baptiſmo, fiat Filius Chriſti, & hæres vitæ æternæ; volebant tamen, pœnitentiam] eſſe imponeodam peccatoribus, nonobſtaute illa impoſſibilitate obtinendi veniam, ut affirmat D. Cyprianus Epiſt 52. ubi Novatianorum inſanum dogma carpit his verbis: *O miſerorum lamentantium caduca deceptio? ô hæretice inſtitutio inefficax & vana traditio? hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam, dicere fratribus noſtris, plango, lacrymas effunde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris; quæcumque ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies &c.* quibus verbis liquidò conſtat, Novatianos verè admiſiſſe pœnitentiam, ſed infructooſam, non ex parte pœnitentium, qui vellent dignos fructus facere, & delictorum veniam obtinere, ſed ex parte Dei nolentis remitiere peccata poſt baptiſmum commiſſa. Quòd ſanè manifeſtam involuit contradictionem, cùm ſcriptum ſit: gaudium magnum eſſe in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Undè D. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 1. ità redarguit: *Quid durius, quam ut indicant pænitentiam, quam nonrelaxent, cum utique veniam negando, incentivum auferant pœnitentiæ? nemo enim poteſt benè agere pænitentiam, niſi qui ſperavit indulgentiam.*

Cathari Eamdem hæreſim ſoſceperunt eodem ferè tempore Cathari, ſeu illi hæretici, qui appellati voluerunt ſancti, & puri, propter munditiam, quam ſuperbiſſimè, & arrogantiſſimè jactabant, dicebant enim poſt baptiſmum acceptum, relapſos in peccatum, ad ſalutem redire noo poſſe, nonobſtante quacumque pœnitentia, & quocumque amore Dei. Putabant, Deum in ſolo bàptiſmo ità poſuiſſe theſauros miſericordiæ ſuæ, ut in ipſo ſolo haberi poſſit vera peccatorum noſtrorum venia.

His hæreticis aliquo modo ſubſcripſerunt Lutherus
Lutherus lib. de captivit. Babilon. tit. de Sacramento baptiſmi.
Calvinus Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 9. num. 55. Kemnitius
Kemnitius. io examine can. 10. de baptiſmo. Can. 1. de pœnitentia, nam licet admittant contrà Montaoiſtas, & Novatianos miſericordiam in Deo ergà homines, & pro peccatoribus velint eſſe aliquod in Eccleſia remedium, à Chriſto inſtitutum pro remittendis peccatis poſt baptiſmum commiſſis, negant tamen cum iiſdem hæreticis veram & judiciariam poteſtatem remittendi peccata baptizatorum, eſſe in Eccleſia, ex divina inſtitutione, quâ Sacerdotes ſint hujus poteſtatis diſpenſatores. Volebant quidem tale remedium pro remittendis peccatis, quô ad nos deſcendit miſericordia Dei, nihil aliud eſſe, quàm memoriam baptiſmi jam ſuſcepti cum fide remiſſionis peccatorum, ità ut ille ſit verè abſolutus à peccato voluntario, & actuali, qui baptiſmi ſui memor eſt, & credit per hanc recordationem ſe conſecuturum veniam peccatorum; quin teneatur Sacerdoti ſuâ confiteri peccata. Hinc eſt quòd non dicunt ſicut Novatiani, Deum eſſe crudelem, ſed negant miſericordias Domini eſſe in ſacramento pœnitentiæ a Chriſto inſtituto, & ideò aliquo modo participes ſunt hæreſis Nuvatianorum quia volunt ſicut illi, virtutem contritionis (quâ peccatores convertuntur ad Deum) eſſe nullam, prorsùſque invalidam, imo & Injurioſam Sacramento Baptiſmi, quô dumtaxat pee Novatianos poteſt eemitti peccatum. Et cujus recordatione juſtificamur juxtà Lutheranos, Calviniſtas & alios.

§. I.

Affert hæreticorum condemnationem.

Hæc hæreſis damnata fuit per quinquaginta Epiſcopos, & totidem presbiteros, & plures Diaconos in *Concilium Romanū* Concilio Romano celebrato ſub Cornelio Papa, ut refert Euſebius Cæſariens. lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 34. Damnata fuit etiam in Concilio Nicæno primo, ce- *Nicænum primum.* lebrato contrà Arianos, anoo CCCXXV. ſub Silveſtro Papa, in cujus octavo capite legitur, decem & octo ſuprà trecentos Patres dixiſſe. *Si qui voluerint venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis, placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & ſic maneant in Clero: ante omnia hanc habeant confeſſionem quam per ſcripturam exigi oportet, ut fateantur ſe communi conſenſu Catholicè ſtatuta obſervaturos, ideſt communicaturos ſe, & his qui fortè ſecundas nuptias experti ſunt, vel his qui perſecutionis tempore lapſi ſunt, quibus tamen lapſis pœnitentiæ modus & tempus abſcriptum eſt, ut in omnibus ſequantur ea, quæ in Eccleſia Catholica obſervantur.* Ex quibus ſequitur patres hujus concilij decreviſſe contrà Novatianos, nobis aliquod eſſe remedium. Aut ſpem obtinend à miſericordia Dei, veniam peccatorum poſt lapſum. Plures alij ſunt in hoc celeberrimo Concilio Canones, in quibus pœnitentia ſtatuitur, & declaratur eſſe Sacramentum, in quo miſericordia Dei delet peccata, & veniam *Conſtit. Sixti IV.* concedit peccatoribus ritè confeſſis, ac debitè contri- *Concil. Florent.* tis. Idem habetur in quadam conſtitutione, quæ incipit, *Licet*. edita à Sixto IV. contrà Petrum de Oſma. In Concilio Florentino, In decreto Eugenii pro unione Armenorum habetur etiam eorumdem hæreticorum condemnatio.

Tridentū Tandem hæc hæreſis damnata fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 14. de Lapſis, & eorum reparatione, ubi legitur: *Qui verò ab accepta juſtificationis gratia, per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint; hic enim juſtificationis modus eſt lapſis reparatio: Quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Jeſus Sacramentum inſtituit pœnitentiæ, cùm dixit; accipite Spiritum Sanctum &c.* Item in can. 29. *Si quis dixerit; eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere; aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam juſtitiam recuperare ſine Sacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana univerſalis Eccleſia à Chriſto Domino; & ejus Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, & docuit; anathema ſit.*

§ II.

Statuit dogma Catholicum.

Homioes poſſe remiſſionem peccatorum obtinere à Deo per ſinceram, & veram pœnitentiam, ac proindè, Deum eſſe miſericordem, ſuadetur ex Sacra Scriptura, in qua ſæpè legitur, peccatores pœnitentiam egiſſe in favilla, & cinere. Et Deum pro ſuis peccatis deprecatos fuiſſe pro conſequenda divina miſericordia, *Plures conſecuti ſunt miſericordiam Dei* ſeu delictorum veniâ, quam de facto conſecuti ſunt, ut liquidò conſtat ex lib. Job cap. 14. ubi habetur virum illum patientiæ miraculum, dixiſſe Deo: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis, ſignaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam.* Item patet ex Pſal. 31. verſ. 5. ubi David inquit: *Delictum meum cognitum tibi feci, & juſtitiam meam non abſcondi: dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Indè enim ſequitur, Deum pœnitentibus remittere peccata actua-

lia, hancque veniam eſſe elargiendã peccatoribus corde contritis, quos benignè conſpicit miſericors Deus; alioquin Job, David, & alij viri veteris teſtamenti non poſtulaſſent peccatorum veniam, ſi miſericordia Dei clauſa eſſet, quia fruſtrà petit, qui certus eſt, ſe non poſſe impetrare quod petit: Unde cùm conſtet, ipſos petiiſſe hanc miſericordiam (& præſertim David, qui vocat eam magnam Pſal. 50.) eamque conſecutos fuiſſe, concludendum eſt contrà Montaniſtas, Novatianos, Catharos, & alios ejuſdem impietatis viros, (qui auſi ſunt affirmare, Deum eſſe crudelem, aut negare remiſſionem peccatorum) concludendum eſt (inquam) contrà ipſos, Deum eſſe verè miſericordem, & dimittere peccata iis, qui pœnitentiam agunt, & veniam peccatorum efflagitant in amaritudine animæ ſuæ, ut expreſsè declarat Propheta Ezech. cap. 32. in quo venia promittitur viro impio, qui reliquerit viam ſuam, & amplexus fuerit juſtitiam, in qua eſt pax & miſericordia, quæ obviat peccatoribus, ſtatque ad eorum oſtium, & pulſat, lapſos propriè ſublevatura, ut monet Sanctus Leo Papa Epiſt. ad Theodorum, dicens: *Multiplex miſericordia ita lapſis ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentia medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent.* Idem ſentiunt Sancti Patres, & Theologi communiter.

Leo Papa

Eadem miſericordia, quæ ex Sacra Scriptura ſuperexaltat judicium, manifeſtatur in novo teſtamento ex illa Parabola, quam enarrat. S. Math. cap. 18. per quam Dominus ſe ſimilavit Regi, qui omne debitum dimiſit ſervo ſuo, quoniam rogavit eum. Et quia ille cum alio conſervo non exercuerat eamdem miſericordiam, conjectus eſt in vincula, & carcerem. Hoc quidem exemplum, quô uſus eſt Chriſtus, manifeſtè nobis demonſtrat, Deum velle pœnitentibus rogantibus dimittere peccata poſt baptiſmum commiſſa, ſeu actualia, ut fatebitur qui hoc Evangelium attentè leget.

Math. 18.

Idem Chriſti Domini exemplum evidenter probat Deum velle inſuper quòd unuſquiſque parcat proximo ſuo ſub pœna damnationis, ſi ab ipſo injuriam receperit, & ipſe ab eo veniam verè poſtulaverit: etenim judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam, & ideo miſericordia fiet ei, qui facit inimico miſericordiam. Quod tamen falſum eſſet, & ſcriptura deciperet nos, ſi nulla eſſet miſericordia, nullaque ſpes obtinendi à Deo veniam peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum, cùm promittat miſericordiam illis, qui faciunt eam.

Deindè Chriſtus vult quòd dimittamus debitoribus noſtris, ut nobis dimittantur debita noſtra, ſeu peccata. Itaque illi, qui ſemel lapſi ſunt, & à gratia ceciderunt, poſſunt miſericordiam conſequi, & veniam obtinere à Deo, qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: ipſe enim eſt, teſte Propheta, qui propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui redimit de interitu vitam noſtram, qui coronat nos in miſericordia, & miſerationibus. Certò hæc omnia dicuntur tam de peccatoribus baptizatis, quàm de non baptizatis, quorum peccata delentur in baptiſmo, cùm dicta fuerint pro omnibus peccatis. Tanta enim eſt in eo benignitas omnipotentiæ, & benignitatis omnipotentia, ut nullum ſit peccatum, quod nolit, aut quod non poſſit dimittere peccatori pœnitenti: quippè ſi aliquod eſſet peccatum etiam poſt baptiſmum commiſſum, quod Deus non poſſet remittere, non eſſet omnipotens, aut ſi cùm poſſet remittere, nollet remittere illud homini peccatori verè contrito, non eſſet infinitè miſericors; cùm ad infinitam miſericordiam eſſentialiter pertineat velle totum, quod poteſt, ſi malitia peccatoris non obſtet remiſſioni peccatorum (ut ſupponimus) quæ eadem libertate, qua commiſſa fuerunt, poſſunt à peccatore retineri. Homo liberè peccat, & liberè peccator exiſtit, ſeu in peccato perſeverat; habet tamen undè poſſit à peccato liberari, mediante divina gratia, ſi velit, utpotè pœnitentiæ ſacramentum, quod eſt ſecunda poſt deplorandum naufragium tabula (ut monet Sancta Tridentina Synodus) ad quam accedens corde contritus, & humiliatus, miſericordiam conſequitur. Nam ſi neceſsè ſit confiteri alterutrum peccata noſtra, ut monet. D. Jacobus, neceſſariò ſequitur quòd in illa peccatorum confeſſione lacrymoſa, conſequimur remiſſionem peccatorum voluntariè commiſſorum. Hoc quidem certum eſt, teſte ſancto Cypriano Epiſt. 52. contrà Novatianos, dicente: *Neminem putamus à fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum, cum ſciamus juxta ſcripturam & divinam fidem, authore, & hortatore ipſo Deo; & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.* Idque colligitur ex illa Math. 18. verſ. 22. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei uſque ſepties? dicit illi Jeſus: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*: Hæc quidem verba intelligi non poſſunt de remiſſione peccatorum obtinenda in baptiſmo; cùm ſit ſacramentum initerabile.

Cor contritum, & humiliatum non deſpicit Deus.

Aliud habemus divinæ miſericordiæ argumentum ex eodem ſancto Math. cap. ult, ubi legimus, Chriſtum antequam ad cœlos aſcenderet, dediſſe Apoſtolis ſuis authoritatem dimittendi peccata, nedùm illud, quod contrahitur in conceptione, ſeu originale, pro quo remittendo, Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis: *ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* ſed etiam actualia, perſonalia, & voluntaria, quæ poſt ſuſceptum baptiſmum committuntur per tranſgreſſionem mandatorum Dei, ut conſtat ex illo Matth. 6. ubi Chriſtus dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et cap. 17. non unum ſolùm, ſed omnes Apoſtolos alloquens inquit: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo.* Hæc autem poteſtas (quæ nequit exerceri niſi circà peccata baptizatorum) abſque ulla peccatorum excluſione, aut exceptione, data fuit, ut ſuadet hæc particula: *quæcunque*, quam exponens Sanctus Ambroſius lib. 1. de pœnitentia cap. 2. loquit: *Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit, omnibus relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis, ſine ulla exceptione conceſſit*, ex quibus colligitur, authoritatem ſolvendi, non fuiſſe tunc à Chriſto conceſſam Apoſtolis pro ſolo peccato originali, neque pro illis tantum, quæ ſimul cum originali exiſtunt in adulto non baptizato, quoniam peccatum originale non poteſt adultis remitti; quin ſimul remittantur peccata actualia, quæ commiſerunt voluntariè antequam baptiſmum ſuſciperent. Sed etiam pro omnibus illis, quæ homo, ſuadente diabolo, committere poterat in via. Hinc fit quòd baptizans Adultum debitè inſtructum, & diſpoſitum, ex vi baptiſmi delet & remittit illi nedùm peccatum originale, ſed etiam omne actuale, quod habet. Dicendum eſt ergo, hanc poteſtatem Apoſtolis conceſſam, fuiſſe etiam pro peccatis actualibus, & voluntariis, quæ poſt baptiſmum ſuſceptum, committuntur: etenim peccatum perſonale generat mortem, ideoque ſanabile eſt Dei miſericordiâ.

Chriſtus conceſſit Apoſtolos poteſtatem dimittendi; peccata actualia.

Chriſtus Dominus hanc ipſam veritatem confirmare videtur Joan. 20. omnes Diſcipulos ſimul congregatos alloquens poſt inſtitutionem baptiſmi dicens eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Hoc enim illis dictum fuit, ut indè viderent, illis conceſſam authoritatem, non conſiſtere in remiſſione peccati originalis, ſed in remiſſione peccatorum actualium, & perſonalium, quæ cùm

propria, & voluntaria ſint, & debeant ſubjici clavibus Eccleſiæ, ſeu judicari authoritate Chriſti, ſequitur quòd hoc tribunal, vel judicium, inſtitutum fuit duntaxat pro illis, qui ſunt in Eccleſia, ſeu pro baptizatis: nam peccata remittuntur illis, quibus Apoſtoli, & Sacerdotes ea remittunt; At Sacerdotes Eccleſiæ, ad quos tranſmiſſa fuit authoritas Apoſtolorum, poſſunt ea remittere illis, qui baptiſmum ſuſceperunt, ſi poſt baptiſmum peccaverint, modò ſint verè diſpoſiti. Illud quidem pronomen *quorum* non poteſt extendi ad non baptizatos, neque reſtringi ad eoſdem, ſed ſolum ad baptizatos, qui peccaverunt, quoniam per hæc verba, Chriſtus inſtituit ſacramentum pœnitentiæ, quod eſt ſacramentum novæ legis ſupponens Chriſti baptiſmum. Et quod fidelibus, aut credentibus ſeu baptizatis duntaxat adminiſtraverunt Apoſtoli, ut facilè infertur ex his verbis lib. Act. Apoſt. cap. 19. verſ. 18. *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos*; & ideo Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem condonandi peccata fidelium, ſeu delicta poſt noſtrum baptiſmum commiſſa, & nullus eſt, qui non poſſit peccatorum veniam conſequi, ſi veram, ac ſinceram, ac debitam pœnitentiam agat, alioquin Deus vellet mortem peccatoris. Quòd eſt falſum; cùm velit quòd convertatur, & vivat, teſte ſcriptura.

Inſuper Apoſtoli incitabant baptizatos ad pœnitentiam agendam, & ad deteſtanda peccata, ut patet ex cap. 8. act. verſ. 22. ubi legitur, Petrum dixiſſe ad Simonem magum (qui ut ibi dicitur, jam crediderat & fuerat baptizatus) *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Idem D. Paulus 2 ad Corinth. cap. 8. alibique paſſim Corinthium fornicarium, & alios Chriſtianos ad pœnitentiam, & ſalutem quærendam hortatur; idcircò peccata, quæ poſt baptiſmum committuntur, poſſunt per pœnitentiam remitti, eſtque nobis ſpes vera obtinendi à miſericordia Dei, veram & realem remiſſionem peccatorum actualium; alioquin Petrus, & Paulus irriſoriè excitaſſent peccatores ad pœnitentiam. Quòd eſt falſum; quinimo Chriſtus, qui docuit nos orandi methodum in oratione dominica, fruſtrà nos admonuiſſet de obligatione dimittendi peccata, junctâ cum ſpe obtinendi veniam peccatorum noſtrorum: At hoc eſt prorsùs improbabile; cùm admonitiones Apoſtolicæ, & præcepta divina conducant nos ad ſanctitatem, & vitam æternam, ad quam nos invitat Chriſtus dicens; *Venite ad me omnes. Quærite primum regnum Dei.* Et quam nullus homo poteſt conſequi, niſi ſit omninò abſolutus à peccatis ut docet. D. Joan. in Apocalip. cap. 21. verſ. 27. affirmans quòd nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum; quippecùm in eo anima fiat ſimilis Deo, juxtà illud Joan. Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt* ab omni peccato debet eſſe munda.

Pœnitentia ſacramentum baptizatis duntaxat conferendum eſt.

Præterea ſuavis Chriſti providentia exigit alicujus remedij inſtitutionem, & ejuſdem remedij largitionem, ut homines poſt baptiſmum lapſi, poſſint ipſo remedio à peccatis mundari; cùm homo per baptiſmi gratiam, ac dona, impeccabilis minimè fiat, nec minus periculum ſalutis ſit in peccatis, quæ poſt baptiſmum committuntur, quàm in illis, quæ illum præcedunt; quippè tam illa, quàm iſta avertunt hominem à Deo: Igitur habemus Dei miſericordiam in pœnitentia, cujus fructus, aut beneficia ſunt vera remiſſio peccatorum, & infuſio gratiæ ſanctificantis, prout Deus verè inſtituit, ut in ipſa pœnitentia inveniamus gratiam juſtificantem, omnibus præparatam; cùm ab illo ſacramento, nullus peccator perfectè diſpoſitus, debeat removeri. Undè Divus Cyprianus loco citato volens oſtendere hortationem ad pœnitentiam, eſſe medicinam ſalutarem, inquit: *Si invenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus, Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus* cùm cor contritum, & humiliatum, Deus non deſpiciat.

Cyprian.

De hujus rei, ſeu divinæ miſericordiæ ergà peccatores, Catholica veritate, figuram habemus in parabola relata à Sancto Luca cap. 15. de filio prodigo, qui acceptam ſubſtantiam (quæ illi naturaliter, & jure hæreditario competebat abiens in regionem longinquam) diſſipaverat, vivendo luxuriosè, cùm ad ſe reverſus de peccatis corde contritus, dixit: *Surgam & ibo ad patrem*, de facto ſurrexit, & ivit ad Patrem, à quo non fuit dimiſſus, nec rejectus, imò nec aſperè, nec durè, ſed benignè & cum ingenti gaudio receptus fuit, quia ipſe pater invenerat filium, qui perierat. Verùm hæc figura probat reditum peccatoris baptizati ad Deum eſſe poſſibilem, & ab omnibus peccatoribus cum fiducia perſolvendum; quoniam ſi filius amiſerit quod eſt filij, dum peccavit, Pater non amiſit quod eſt patris: fiet igitur miſericordia peccatori ab iniquitatibus ſuis revertenti. Nam juxtà communem ſanctorum patrum ſententiam, filius prodigus ſignificat peccatorem, & Pater ejus ſignificat Deum, qui ex nimia benignitate ſua, peccatorem ad ſe converſum non deſpicit, ut volunt hæretici, ſed eum recipit cum gaudio, quia majus gaudium fit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non egent pœnitentiâ. Ideoque pœnitentia nedùm eſt opus gratum Deo, ſed etiam meritorium veniæ; & remiſſionis peccatorum, & per ipſam, peccator benignum apud Deum habet acceſſum, ſicut filius prodigus habuit illum apud patrem ſuum, quem diſſolutionibus ſuis graviter offenderat. Et ab ipſo obtinuit veniam delictorum ſuorum prævio eorumdem peccatorum dolore: etenim per patrem intelligitur Deus, & per filium ſignificatur peccator, ut advertunt expoſitores.

Peccator poteſt ad Deum redire per pœnitentiam.

Eadem veritas de ſanctitate reſtituenda peccatoribus baptizatis per miniſterium pœnitentiæ ſalutaris, aut de miſericordia Dei conſequenda, ſuaderi poteſt ex adventu Chriſti, qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, inter quos computari poſſunt homines, qui modò poſt ſuſceptum baptiſmum peccant; cùm per peccatum actuale; & voluntarium, gratia tollatur, & homo fiat verè peccator, ut dicemus in proprio loco contrà Jovinianos. Et Chriſtus venerit pro omnibus, & ſingulis hominibus redimendis, ut dicemus etiam contrà plures hæreticos.

Hinc eſt quòd, nè dicamus, Deum de cœlo ad terram deſcendiſſe non pro omnibus, ſed pro aliquibus peccatis, aſſerere debemus contrà Montaniſtas, Novatianos, & alios hæreticos, quòd peccatores baptizati poſſunt virtute ſalutaris pœnitentiæ ubi ſunt miſericordiæ antiquæ Domini, verè abſolvi à peccatis, & curari à morbo Lethali; cùm pœnitentia ſit ex vi Sanguinis Chriſti, aut ut Scholaſticè loquar, ex opere operato, medicina perfecta, cui nullus morbus incurabilis eſſe debet, ut alibi dicemus contrà plures hæreticos, qui volunt, eſſe aliqua peccata prorsùs ac verè irremiſſibilia, ex ipſorum natura, vel ex divina ordinatione: quamvis oppoſitum habeamus in Sacra Scriptura.

Si autem contingat, hæreticos velle, Deum non habere voluntatem curandi omnes morbos, dicendum eſt, quòd à veritate plurimùm aberrant; cùm indè ſequeretur quòd Deus eſſet medicus crudelis, & immiſericors. Quia nollet compati infirmo, quem juvare poteſt, & pro quo mortuus eſt Chriſtus. Porrò hoc non eſt dicendum de Deo, qui vult omnes ſalvos fieri,

Google

Deus vocat peccatores ad pœnitentiam.

& ad agnitionem veritatis venire, cujus virtus potentia, cujus natura bonitas, cujus miſerationis non eſt numerus, cujus judicium ſuperexaltatur miſericordiâ: ideoque vult omnes peccatores etiam baptizatos, ſalvos fieri, ſi ipſimet ſaluti non repugnent, nullumque impedimentum ponant.

Hoc facilè ſuadetur tarditate ad puniendum, nam conſtat, quòd Deus non punit peccatorem ſtatim poſt peccatum commiſſum, ſed petit converſionem ejus: dicens omnibus deviantibus *convertimini ad me*, & expectat eum ad Pœnitentiam, ut monet D. Petrus Epiſt. 2. cap. 3. verſ. 9. dicens: *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nollens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hujus autem moræ cauſa eſt, delictorum venia, ut ipſemet Deus declarat per Ezech. cap. 33. verſ. 11. *Nolo mortem Impii, ſed ut convertatur à via ſua, & vivat:* Hoc eſt volo ut à peccato recedat pœnitentiam agat, & gratiam recuperet.

Undè Eccleſiaſticus cap. 21. ait: *Fili peccaſti? Nè adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Etenim ex illis verbis infertur, quód remiſſio peccatorum eſt ſperanda à peccatoribus baptizatis; alioquin Eccleſiaſticus fruſtrà admoneret quemlibet peccatorem, ut petat à Deo peccatorum ſuorum remiſſionem, quia quod dari non poteſt, aut non debet, poſtulari minimè debet; cùm finis petitionis ſit effectûs conſecutio: Igitur remiſſio peccatorum actualium haberi poteſt quia poſtulari debet. Quapropter Chriſtus hortans ad pœnitendum, Statim ſubjungit petitionis effectum: *Petite*, inquit, *& accipietis, pulſate, & aperietur vobis.* In hac ſincera petitione, includenda eſt hæc peccatorum remiſſio, quoniam dicendo abſolutè, *petite*, nihil excludit eorum, quæ nobis neceſſaria ſunt, & præcipuè ad conſequendam ſalutem; Inter quæ, præcipuum eſt venia peccatorum.

§ II.

Proponit & reſolvit novationorum argumenta.

NOvatiani articulum noſtrum impugnant Authoritate Apoſtoli cap. 6. ad hebr. verſ. 3. & ſequentibus, ubi legitur: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel*

Hebr. 6.

ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutes ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pænitentiam, rurſum crucifigentes ſibi metipſis filium Dei, & oſtentui habentes, ex quibus concludunt, peccatoribus Baptizatis impoſſibilem eſſe renovationem, aut reſtitutionem ad priſtinum gratiæ ſtatum, quem obtinuerant per miſericordiam Dei. Eorum ratio eſt, quia (inquiunt) Apoſtolus per donum cæleſte intelligit baptiſmum, quo juſtificatur, & donô fidei illuminatur homo, fitque Spiritus Sancti particeps. Atqui baptiſmus initerabilis eſt: nulla igitur poſt ipſum remanet ſpes recuperandi gratiam per peccatum amiſſam, ab homine baptizato.

Reſpondeo negando illationem, quia Apoſtolus per hæc verba, non oſtendit, gratiam per peccatum deperditam, eſſe prorsùs irrecuperabilem, ſed ſolùm ſignificat impoſſibile eſſe ſimul illuminatos, per baptiſmum rursùs renovari, ſeu indui veſte illâ, aut

Apoſtoli mens exponitur.

gratiâ, quam receperant in baptiſmo, quæ eſt gratia regenerationis, quæ ſemel dumtaxat confertur. Quemadmodum enim homo ſemel tantum naſcitur, ita etiam ſemel baptizatur, ut exponunt D. Chriſoſtomus, Theodoretus, & Teophilatus, eumdem Apoſtoli locum interpretantes: Igitur Apoſtolus non improbat remiſſionem peccatorum per veram pænitentiam, ſed ſolum reiterationem baptiſmi, nec claudit in hac vita voluntariè peccantibus miſericordiam Dei, ſed fontem baptiſmi. Hoc verum eſſe patet ex his verbis, quæ immediatè ſequuntur tanquam cauſa ob quam locutus eſt Apoſtolus, quæ ſunt hæc: *rurſum crucifigentes ſibi met ipſis Filium Dei.* Nam qui ſecundò baptizat eundem hominem, ſecundò etiam, in quantum in ipſo eſt, Chriſtum affigit cruci: quippè cum baptiſmus ſit quædam figura mortis Chriſti, certum eſt quòd ille, qui ſecundo baptizat, hoc ipſo oſtendit Chriſtum ſecundò mortuum fuiſſe, & ideò impoſſibile eſt, hominem baptizatum, iterum renovari ad illam remiſſionem peccatorum, quæ facta fuit per baptiſmum, ſeu iterum baptizari, quia impoſſibile eſt, quod Chriſtus iterum moriatur, teſte eodem Apoſtolo dicente: *Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo.* Deindè Apoſtolus hortatur ad pæniteotiam, Ideòque admitrit renovationem, aut remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum; cùm baptizatos hortatus fuerit.

Hanc reſponſionem præter patres citatos confirmat D. Ambroſius eumdem locum Apoſtoli ſic exponens lib. 2. de pænit, cap. 2. *De baptiſmate autem dictum, verba ipſa declarant, quibus ſignificavit impoſſibile eſſe lapſos renovari ad pænitentiam. Per Lavacrum enim renovamur per quod renaſcimur, ſicut ipſe paulus dicit, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum ſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Unum ergo baptiſma docet ſicut alibi, una fides, unum baptiſma inquit, illud quoque evidens quod in eo, qui baptizatur crucifigitur Filius Dei, quia non potuit caro noſtra abolere peccatum, niſi crucifixa eſſet in Chriſto Jeſu. Denique ſcriptum eſt, cuicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in mortem ipſius baptizati ſumus, &c. Ergo quod ait in hac Epiſtola, quæ ad Hebræos ſcribitur: impoſſibile eſſe lapſos renovari in pænitentiam, ac rurſus crucifigentes Filium Dei, & oſtentatione triumphantes, eo ſpectat, ut de baptiſmo dictum credamus: in quo crucifigimus Filium in nobis, ut per illum nobis mundus crucifigatur: quia quadam triumphamus ſpecie, dum ſimilitudinem mortis ejus aſſumimus, qui principatus, & poteſtates in ſua cruce oſtentavit, ac triumphavit ut in mortis ejus ſimilitudine, nos quoque de principatibus, quorum jugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus eſt, ſemel mortuus, & ideo unum, non plura baptiſmata.* Itaque Apoſtolus non eſt Intelligendus de remiſſione peccatorum actualium.

Adducunt Novatiani alium textum ejuſdem Apoſtoli ad heb. cap. 10. verſ. 26. ubi habetur: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia: Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios*: indè enim concludunt ipſi Novatiani, nullum eſſe remedium pro peccatis baptizatorum, ſed ſolum pro illis expectandum eſſe judicium, quia per hoſtiam pro peccatis, Apoſtolus intelligit aliquid, quô Deus offenſus poteſt placari, & venia peccatorum poteſt obtineri. Hoc autem, quô, Deus offenſus placatur, eſt mors Chriſti in cujus ſanguine in cruce effuſo, ſalui facti ſumus. Undè cùm hæc hoſtia figuretur per baptiſmum, baptiſmo ſemel ſuſcepto, nulla eſſe poteſt peccatoribus ſpes veniæ, nullaque miſericordia, cùm initerabile ſit baptiſma, ut docet Eccleſia contrà nonnullos hæreticos in quarto hujus operis libro Impugnandos.

Alia Novatianorum ratio proponitur.

Huic authoritati danda eſt reſponſio, jam alteri data, quia Apoſtolus per hoſtiam pro peccatis intelligit aliam Chriſti mortem, hoc eſt, declarat quòd Chriſtus non morietur iterum pro peccatis noſtris. Nec Chriſti mors per baptiſmum repreſentata, per

Aperitur vera mens Apoſtoli.

illum iterum applicabitur ad integram remiſſionem culpæ & pœnæ, illi, qui ſemel baptizatus fuit. Nam Chriſtus in variis ſacræ ſcripturæ locis dicitur hoſtia pro peccatis noſtris. Hæc autem hoſtia à ſe ipſa oblata fuit pro nobis ſemèl in cruce, & non ſe offeret ibi amplius, quia Chriſtus non morietur amplius, ideoque idem Apoſtolus per hoſtiam, non excludit quodcumque aliud remedium ad obtinendam peccatorum veniam. Nec per hoſtiam non relictam intelligit pænitentiam, in qua peccata delentur, & gratia confertur, ſed ſolùm Chriſti mortem, quæ jam non relinquitur pro peccatis; Chiſtus enim oon habet neceſſitatem quotidiè quemadmodum ſacerdotes noſtri priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deindè pro populi: hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo inquit Apoſtolus ad heb. 7. vers 27. Igitur noſtram aſſertionem non infirmat hæc Novatianorum objectio, ut evidentius patet ex reſponſione data primæ objectioni,

Vel dico quòd ibi Paulus loquitur de Judæis in fide vacillantibus, & volentibus legem Moyſis cum lege Chriſti conjungere, nec non in lege nova offerre ea, quæ offerebantur in veteri, ac ſi Chriſtus deberet iterùm mori, & iterùm homines eſſet redempturus. Quare Apoſtolus volens declarare, his hominibus nullam jam reſtare hoſtiam pro peccato in cruce offerendam. Deſficientibus à Chriſto ad Moyſem, hoſtiam ab ipſomet Chriſto jam oblatam in cruce, non prodeſſe, ſeu Chriſtum non eſſe pro illis paſſibilem & mortalem (ſedet enim ad dexteram Patris, & indè venturus eſt judicare vivos & mortuos.) Nec prodeſſe ea, quæ in veteri lege offerebantur, quia jam abolita ſunt per legem Chriſti, & per hoſtiam in cruce oblatam, dixit illis: *Voluntariè peccantibus nobis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia poſt acceptam notitiam veritatis*, hoc eſt, poſt ſuſceptum Evangelium Chriſti, *jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Hoc eſt, non erit alia mors Chriſti, ut ipsà, qui ſemel redempti ſunt, iterùm redimantur. Ita ſentit. D. Chryſoſtomus his verbis: *Secundum aufert lavacrum, non enim dixit, non eſt amplius pænitentia, nequè eſt amplius remiſſio, ſed non eſt amplius hoſtia, hoc eſt, non eſt amplius crux ſecunda.* Quibus conſtat ex eodem Sancto Doctore, D. Paulum ibi non negare remedium pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis, ſed ſolùm aſſerere, nullam eſſe hoſtiam ſeu mortem Chriſti futuram, quæ poſſit redimere voluntariè peccantes. Quod non negamus, quamvis credamus, Pœnitentiam Sacramentum delere peccata, virtute hujus hoſtiæ, id eſt, mortis Chriſti, aut ex opere operato, ut tradunt ſcholaſtici; cùm ſit ſignum ad ſalutem viatorum à Chriſto Domino inſtitutum, ſitquè ex inſtitutione ſua iterabile pro juſtificatione noſtra poſt peccatum recuperanda.

Alia Apoſtoli expoſitio.

Dico tandem, verba Apoſtoli non eſſe intelligenda de quocumque peccato mortali, ſed de peccato Apoſtaſiæ, quà fides Chriſti ſemel ſuſcepta prorsùs abjicitur, ut inferri poteſt ex verbis tum præcedentibus. *Non deſerentes collectionem noſtram ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam; ſed conſolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.* Tum ex his, quæ conſequuntur; *Poſt acceptam notitiam veritatis*, quæ ſignificant, Apoſtolum loqui de peccato contrà fidem, quod videtur irreparabile, non quod verè per Sanguinem Chriſti locus veniæ non pateat illi, qui à fide & religione Chriſtiana receſſit, ſed quia illi, qui in infidelitatem labuntur, vix umquam ad pœnitentiam reduci ſolent, eo quod ex certa malitia in Spiritum Sanctum peccent, ac proindè inutilem ſibi reddunt Chriſti mortem ſemel pro peccatis oblatam. Undè Apoſtolus volens ipſis oſtendere, non eſſe expectandam iteratam hujus hoſtiæ oblationem, inquit: *Voluntariè enim peccantibus nobis jam non relinquitur, &c.*

Peccatum de quo agit apoſtolus eſt peccatum apoſtaſia.

ARTICULUS IX.

Probat adverſus Monophyſitas, Deum non eſſe mendacem.

QUamvis Deus ſit prima, atque eſſentialis veritas nihilominus Armeni, qui Aſiam incolunt, ea in parte, quæ eſt inter Taurum, & caucaſum montes *Armeni.* conſtituta, plures docuerunt hæreſes, tempore Conſtantini III. Filii Heraclii Imperatoris, & Theodori ſummi Pontificis Romani, quinto currente ſæculo, inter quos errores reperitur iſte, *Deus eſt mendax* qui magis impietas, & blaſphemia eſt, quàm error, aut hæreſis. Hujus horribilis & intolerabilis mendacii, aut impietatis defenſor primus, fuit quidam vir hæreticus, nomine Jacobus, genere Syrus, cognomento *Jacobita.* Ganxelus, Eutichianorum hæreſis propugnator ac certinus: cujus ſectatores hodiè multi ſunt per ſyriam Cyprum, meſopotamiam, Babiloniam, & Paleſtinam diſperſi. Huic, inquam adhæſerunt Armeni, & poſt Armenos quidã viri hæretici dicti Monophyſitæ, quorum præcipui fuere ſeverus Antiochenus Patriarcha, & Gainus, adhæſerunt pariter prædicto Jacobo *Severus.* poſt Armenos, & Monophyſitas, Copti aut Coptitæ per Ægyptum diſperſi, ſeu illi hæretici, qui in ſuis Eccleſiis utuntur libro quodam fabuloſo, quem ſecreta Petri appellant. Et in miſſis ſuis legunt linguâ ſyriacâ Evangelium Nicodemi, teſte Bernardo à Lu- *Gainus.* xemburgo. Abiſſini, de quibus alibi erit ſermo & alii quam plurimi hæretici, qui ex nonnullis ſacræ ſcripturæ textibus malè intellectis inferunt, deum eſſe mendacem.

Armeni ſic dicti ob patriam, ſeu terram, quam *Abiſſi.* incolunt, quæque continetur à Capadocia uſque ad Daſpium mare, tempore juſtini II. imperatoris, profitebantur veram fidem catholicam, ſed ab ipſa fide receſſerunt, pariter & ab Eccleſia Romana poſt concilium Calcedonenſe celebratum anno CCCCLI. per Epiſcopos DCXXXVI. ſub ſancto Leone romano pontifice, imperante Marciano, qui diligenter curavit, ut fieret iſtius concilii Patrum numerus, Concilii Nicæni patrum numero duplo major pro judicanda doctrina Eutichetis, & Dioſcori, qui in eodem concilio præſidentibus legatis, Paſchaſio, & lucentio Epiſcopis, Bonafacio, & Baſilio presbiteris, damnati fuerunt, & ut invidiâ Diaboli in deterius Baratrum inciderent, ipſis Eutichete & Dioſcoro ſollicitantibus, armeni dereliquerunt vicarium Chriſti, ſeu ſucceſſorem petri, & vivunt adhuc in infelicieſſimo, ſtatu, à via, quæ ducit ad cœlum, longè diſſito. Habent proprium primatum, quem venerantur ut principem, ac pontificem maximum in rebus ſpiritualibus, vocantque catholicum, illum tantum, qui huic primati in omnibus religionem concernentibus obedit veluti ſummo Pontifici ſuprà montem Dei conſtituto, & contemnit Romanum Pontificem, quem fides catholica declarat Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem Petri.

Adversùs hanc hæreſim Armenorum, aut Jacobi genere ſyri, obſcuri prorsùs generis, & nullius gloriæ viri (teſte Nicephoro hiſt. Eccleſ. cap 17. & alibi) nullum adinveni concilium, & exiſtimo quòd nullum pro ipſa condemnanda fuit convocatum. Nec miror quia ſecum fert condemnationem, & ex propriis terminis omnino apparet horribilis, atque oppoſita nedum radiis fidei, ſed etiam rationi humanæ, quæ cùm evidenter demonſtret contrà Atheos, Deum, eſſe infinitè perfectum, ac proindè ſummè veracem tam in eſſendo, quàm in dicendo. nam Deus non eſt

qua

quaſi homo ut mentiatur. Undè licet hæc ſufficiant ad convincendos Armenos,non minus ſtolidè, quàm impiè clamantes: Deum eſſe mendacem, tamen recurrendum eſt ad Sacram Scripturam, quæ cùm dictata fuerit à Spiritu Sancto (ut fatentur ipſi Armeni,& alii qui novum teſtamentum recipiunt) docebit nos omnem veritatem,& demóſtrabit deum mentiri non poſſe.

§ II.

Probat articulum authoritate ſacræ ſcripturæ.

ARmenos, mendacium Deo tribuentes; prorſus confundunt Diſcipuli Phariſæorum, qui Chriſto palàm dixerunt, Math.cap. 22. verſ. 16. *Magiſter ſcimus quia verax es,& in veritate viam Dei doces.* hoc quippè certo teſtimonio patet,Phariſæos credidiſſe, Chriſtum Dominum non poſſe mentiri, à fortiori idem ſenſiſſe de Deo ſummé verace,à quo verbum verum,& immutabile procedit,ut in Concilio Nicæno pronunciavit univerſa Eccleſia; dicens: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum,Deum verum de Deo vero.* Per hæc quidem verba Concilium declarat, veritatem eſſentialem eſſe in Patre,& Filio,nedùm in eſſendo, ſed etiam in dicendo; At ſi Armeni credant ſe malitiâ inferiores Phariſæis, tenentur credere,Deum eſſe veracem, ſi autem nolint hanc veritatem confiteri; neque confundi teſtimonio Phariſæorum; ex eo quod huic Evangelio nullam volunt adhibere fidem, audiant Salomonem cujus libros recipiunt tamquam Canonicos, ubi ait ille ſapientiſſimus cap.15.verſ.1. *Tu autem Deus noſter, ſuavis,& verus es,& patiens,& in miſericordia diſponens omnia.* His verbis Deus proclamatur verax,totiuſque mendacii impotens,atque incapax,ut clarius exprimit Propheta regius Pſal. 88. verſ. 9.dicens: *Domine Deus virtutum,quis ſimilis tibi, potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.*

Math.22

Concilii Nicænum

Pſal. 88.

Undé ſi Deus ſit ità oppoſitus mendacio, ut perdat omnes,qui loquuntur illud, teſte propheta ſi ſit ità verus,& verax,& ſermo ejus ſit veritas, quomodo poteſt mentiri? dicant Armeni,ſed non poterunt hanc divinam perfectionem impugnare,quia ſcriptura,quam ipſi recipiunt,eo modo elongat mendacium à Deo, quo ab ipſo removet mutationem,juxtà illud num.cap. 23. verſ. 19. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur, nequé ut Filius hominis, ut mutetur*, ſed Deus eſt immutabilis, ut credunt ipſi Armeni,& ut probatum manet ſuprâ contra ſecundiniſtas ratione,& authoritate ſcripturæ,in qua legitur, Deum de ſe ipſo dixiſſe: *Ego ſum Deus & non mutor.* Quomodo igitur dicere poſſunt, aut inferre ex ſcriptura,quòd Deus ſit mendax? ſi non inferant quòd ſit mutabilis in ſubſtantia ſua? At dicunt Deum eſſe omnino immutabilem, Igitur debent etiam dicere, ipſum eſſe incapacem mendacii, ſicut eſt Incapax totius mutationis, præſertim cùm homo ſit mendax, quia eſt mutabilis in ſermonibus ſuis,ſicut eſt mutabilis in ſubſtantia, quia eſt defectibilis & mortalis; alioquin ex hoc falſo principio de mendacio divinæ menti imputândo, ſequeretur quòd Deus eſſet aliquo modo mutabilis, Quia qui mentitur, mutatur in cognitione ſua:hoc autem nequit dici de Deo, nedum quia repugnat, Deum à veritate deviare, cùm ſit ipſa prima & ſumma veritas per eſſentiam,aut totus veritas,ut loquitur D. Auguſtinus ſermone decalogi, ſed etiam quia Sacra Scriptura affirmat,Deum noſtrum eſſe omninò immutabilem, ſicut immortalem.Hinc eſt quòd idem S.Doctor,lib.22. de civit. Dei cap.25. ait: *Si velint invenire quid omnipotens non poteſt, ego dicam mentiri non poteſt.*

Deus eſt in capax mendacii;

Præterea id quod Deus prohibet hominibus, nequit ipſi Deo tribui, quoniam id,quod prohibetur ab eo, ſemper cenſetur malum, & oppoſitum divinæ voluntati,cui ſe ſubjicere debet homo, atqui mendacium prohibetur à Deo.Levit.cap. 19. verſ.11.dicente: *Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum.* Pſal. 4. prohibet diligere vanitatem, & quærere mendacium Jacobus cap. 5. verſ. 12. ait: *Nolite jurare nequé per terram,ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non,* Hoc eſt nolite mentiri: Igitur Deus debet eſſe ſummè verax,immo & veritas eſſentialis ſive per ſe,ſive per Prophetas, ſive per Apoſtolos,Alioſve Sacros Scriptores novi & veteris teſtamenti,quos Spiritus Sanctus docuit omnem veritatem ſicut ipſis Apoſtolis promiſerat Chriſtus aſcendens in cœlum, alioquin mendacium non eſſet peccatum, nec fugiendum,nequé prohibitum eſſet falſum teſtimonium, cùm ex Armenis, mentiri conveniret Deo, cujus imitatores eſſe debemus, Juxtà illud Chriſti,Math. 9.verſ. 48. *eſtote ergo vos perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Sed falſum teſtimonium ferre, eſt graviter peccare, ut conſtat ex cap. 12. proverb. verſ. 22. ubi dicitur: *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & á detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur occidit animam,* hoc eſt facit hominem reum mortis æternæ, quæ per peccatum mortale incurritur, ac proinde per mendacium quod inter peccata mortalia reponitur.

Levit.19.

Math. 5.

In lib. Exod. cap. 20 *non loqueris contrà proximum tuum falſum teſtimonium* & cap. 23 *mendacium fugies,juſtum non occides*; Igitur Deus nequit mentiri,nec falſa proferre; nam ſi homo teneatur juſſu divino loqui veritatem cum proximo ſuo,quia Deus perdet omnes, qui loquuntur mendacium,manifeſtum eſt quòd diligit veritatem, ac proinde quòd ipſa veritas eſt ſumma perfectio inter divinas perfectiones numeranda, ſicut miſericordia, juxtà illud Pſal. 85: *Et tu Domine miſerator,& miſericors,patiens,& multæ miſericordiæ, & verax.* Alias ſequeretur quòd Deus non eſſet ſummè perfectus, quoniã deficeret ei infinita perfectio ſcilicet veracitas.

§. III.

Diſſolvit Armenorum argumenta.

HUjus Armenorum hæreſis occaſio fuit illud Geneſ. cap. 4. verſ. 19. *Numquam ita fiet*,quo Deus promiſerat Caino timenti,nè propter fratricidum ſuum occideretur à primo occurrente. *qui invenerit me, occidet me*,nequaquam ità futurum:nam.Facta hac promiſſione,ipſe Cainus habebat undè credere poterat, ſe non poſſe occidi ab alio, fuit tamen occiſus à Lamecho,ut aſſerunt.D. Hieronimus, D. Anſelmus, Rabonus, Strabus,Lyranus,Petrus Comeſtor,& alii ſuper illud Geneſ. cap.4.verſ. 23. *dixitque Lamech, Uxoribus ſuis Ada, Sellæ,audite vocem meam Uxores,Lamech auſcultate ſermonem meum quoniam occidi virum in vulnus meum,& Adoleſcentulum in livorem meum.* Itaque (inquiunt Armeni) Deus mentitus eſt,& decepit Cainum,ſic dicentem, *qui inveniet me occidet me*, cui ipſe Deus dixerat, *nequaquam ità fiet*,Idque,ſeu Deum eſſe mendacem confirmant ex illo Eccleſ. cap. 49. verſ. 5, ubi legitur Deum dixiſſe. *præter David,& Ezechiam,& Joſiam omnes peccatũ commiſerunt.* Porro hæc locutio eſt plena mendacii, quia David erat peccator,peccato homicidii, & adulterii teſte Scriptura, lib. 2. Reg. cap. 12. verſ. 13. *dixit David ad Nathan, peccavi Domino, dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris*, ideoque Deus eſt mendax, cùm David peccaverit, & Deus dixerit, Davidem non peccaſſe. Sunt alii in veteri lege textus, quibus contendunt probare Deum eſſe mendacem, ſed eos ommitto.

Cain fuit occiſus.

Huic fundamento Armenorum, reſpondeo primo ad primum textum quòd Deus his verbis nequaquam fiet ita, non promiſerat Caino timenti, & dicenti, *qui invenerit me, occidet me*, eum abſolutè, ſeu

nullo modo occiſum iri, ſed ſolùm eo modo, quo timebat, hoc eſt, promiſit illi quòd noo occideretur à primo occurrente, à quo occidi timebat. Et de facto vera fuit hæc promiſſio, ut patet ex Scriptura Saera, quæ non tradit Cainum occiſum fuiſſe voluntariè ab eo, a quo fuit primo inventus; cùm ex objectione occiſus fuerit à Lamecho, qui non fuit primus qui ipſum Cainum invenit, ut eſt manifeſtum, quique noluit eum occidere, quamvis juxtà mentem aliquorum Sanctorum Patrum occiderit illum, cùm conſtet hoc feciſſe ignoranter inter venandum, feram in ſilva quærendo, ut aſſerunt D. Hieronimos Epiſt. 125. ad Damaſum, & Alii quos ſequitur Cornelius à Lapide.

Datur alterare-ſponſio.

Reſpondeo iterum, Deum non dixiſſe, quòd Cain non eſſet occidendus ab aliquo homine, ait enim: *Omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*, quibus verbis non excluditur Caini occiſio, ſed pœna imponitur illi, qui Cainum occiderit: Ergo indè Armeni oequeunt inferre, Deum eſſe mendacem, neqnè mentitum fuiſſe Caino; cùm promiſſio ad Cainum facta, ſubſiſtat adimpleta. Ad ſecundum reſpondeo, Deum non loqui de omni peccato abſolutè; cùm conſtet ipſum Regem peccaſſe peccato Adulterii, & homicidii, ſed loqui de peccato Idulolatriæ, & fœdere cum Idololatris, quo tres ipſi dumtaxat Reges Judæ ſcilicet David, Ezechias & Joſias non fuere coinquinati. Nec valet dicere quód Aſa, & Joſaphat Reges non fuerũt idololatræ. Non valet inquam quia licet verum Deum adoraveriot, amicitias tamen & fœdera junxerunt cum idololatris Regibus Iſrael *Athab, Ochozia & Joram* & ideo non ſunt numerandi ſicut David, Ezechias, & Joſias.

Alia argumenta deſumnot Armeni ex variis lòcis Sacræ Scripturæ, & præſertim ex novo teſtamento, quibus etiam nituntur probare, Deum éſſe mendacem, nam, inquiunt, Chriſtus, Marc. cap. 13. verſ. 32. dicit ſe judicii ultimi neſcire diem. Quòd purum eſt mendacium, cùm habeat ſcientiam Patris, ut docent omnes eontrà Aphtartadocitas, ſitque verus Deus, ut tenet univerſa Eccleſia Romana contrà Arianos. Mentitus eſt etiam dum finxit ſe longius ire; Luc. 24. verſ. 28. Pariter dum apparuit Magdalenæ ſub ſpecie hortulani, tunc enim finxit ſe eſſe hortulanum, animo (inquiunt) mentiendi & decipiendi Apoſtolos, & Magdalenam: ergo eſt mendax, quia fingere eſt mentiri, ſeu contrà mentem ire. Sunt alii in novo teſtamento textos; quibus eumdem, quem impugnamus errorem, ſuadere conantur.

Hæe Armenorum ratio non valet. Nam dum Chriſtus dixit ſe neſcire diem ultimi Judicii, non debet intelligi ità abſulutè, ut dixerit ſe omninò ignorare diem judicii, ſic eoim mentitus fuiſſet, ſed ſolùm in ordine ad manifeſtationem ejuſdem: ſciebat enim illum quia habebat ſcientiam Patris, ſed non debebat tune notum facere Apoſtolis tempus ultimi judicii. Quapropter dicebat ſe neſcire diem judicii, hoc eſt; ad revelandum, ut vertunt commuoiter expoſitores, ut fuſius dicemus in proprio articulo adverſus Aphtartadocitas. Ad ſecundum dico quòd fingere non eſt mentiri, alias ſequeretur quòd non liceret occultare Signis id, quod ſcimus, dum non tenemur revelare illud. Hoc eſt enim fingere, nec prohibetur & præſertim dum aliqua ratio obligat ad non revelandum illud, ut non rarò contingit.

Sequeretur inſuper quòd omnes parabolæ quibus Scriptura ſacra utitur; quæ fictæ narrationes ſunt, eſſent pura mendacia, quòd eſt falſum, ut inquit D. Auguſtinus contra mendaeium, tom. 4. ubi legimus: *Jacob quod Matre fecit authore, ut Patrem fallere videretur, ſi diligenter, & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Quod ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ ſignificandarum quarumcumque rerum quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio eſt intelligendum, dicentur eſſe mendacia: quod abſit omninò, &c.* quæ facilè videri poſſunt in prima lectione ſecundi nocturni dominicæ 2. quadrag. Item docet D. Thomas, part. 3. quæſt. 55. art. 4. ad 1. dicens: *Non omne quod fingimus, mendacium eſt, ſed quando iſtud fingimus, quod nihil ſignificat, tunc mendacium eſt, cùm autem fictio noſtra refertur in aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis; alioquin omnia quæ à viris ſapientibus, vel etiam à Domino figuratè dicta ſunt, mendacia reputantur.* Et D Chriſoſtomus homil. 64. ait: *non oportere omnia, quæ parabolæ continent ſcrutari, ſed ſcopum intelligere ad quem ſunt inſtituta, eoque percepto & uſurpato, nihil amplius inquirere.* Igitur ex ſanctis Patribus uti Figuris, & Parabolis, non eſt mentiri, quidquid dixerint monophyſitæ, Armeni, & Alii hæretici.

Figura, & parabolæ non ſunt veritati oppoſita.

ARTICULUS X.

Oſtendit contrà Arnaldiſtas Deum eſſe omnipotentem.

Divinæ omnipotentiæ attributum negarunt non nulli, quorum primus eſt Petrus Abailardus, vel ut alii volunt, Abelardus, vir natione Gallus, patriâ Brito ut tenent ferè omnes hiſtorici contra Carionem lib. 3. Chronicorum, aſſerentem ipſum Petrum eſſe Anglum & Philoſophum Peripatericum Pariſienſem, qui ob violatam Abbatiſſam Hæloiſſam ſuam Diſcipulam, ac neptem cujuidam Canonici Pariſienſis, Spado factus, in plures incidit errores adverſus veram Chriſti fidem, quã inviolabiliter tenet Eccleſia Romana. De ipſo enim ità ſcribit D. Bernardus Abbas, & doctor mellifluus Epiſt. 188. *cum de Trinitate loquitur, ſapit Arium, cum de Gratia, ſapit Pelagium, cum de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium, &c.* inter quos errores (quorum quemlibet in proprio loco referemus) invenitur iſte. *Deus non eſt omnipotens.* licet non deſiot, qui volunt ipſum dixiſſe, Filium Dei non eſſe omnipotentem, ſed ſemipotentem; Spiritum Sanctum vero nullipotentem. Dixit enim, Deum quidquam facere non poſſe, niſi quæ propter ordinem juſtitiæ, & Sapientiæ ſuæ facit, Immo facere ex neceſſitate naturæ, non vero liberè, ea, quæ facit Quòd eſt non eſſe omnioo omnipotentem, quoniam ut quis omnipotens ſit, neceſſé eſt, quòd poſſit facere quæcumque vult, modò nullam contradictionem importent, & nullam imperfectionem includant ex parte agentis præſertim infiniti nempè Dei, qui perfectiſſimus eſt.

Abailardus.

Ità crevit hæc hæreſis, currente undecimo ſæculo, ſub Cunrado Imperatore III. & Cœleſtino II. Pontifice Romano, ut contrà eumdem Petrum Abailardum, veritatem deffinire neceſſe fuerit; qua de cauſa à Joſſelino Senonenſi Archiepiſcopo, Concilium Senonenſe fuit convocatum anno MCCCCXL. ut ipſius Petri Dogmata falſa damnarentur. D. Bernardus, natione Burgundus, patriâ fontanus, profeſſione Ciſtercienſis ordinis Monachus, & dignitate Abbas Claravallenſis fuit vocatus ad publicé diſputandum, qui ut Abailardum confunderet præſentem, ad Concilium acceſſit, & dogmata Petri Abailardi plené hæretica demonſtravit. Abailardus autem ipſe inops animi, & erroris ſui falſitate perterritus, non expectata diſceptatione, quam topere expetiverat Synodus, & aote plenum hujus concilii judicium; ad Summum Pontificem provocavit: inde confuſione opertus, ſe ſubduxit, ac evaſit, evaſio tamen ejus non impedivit qoominus Concilium propoſitiones palam examinaret, & condemnaret, Perſonæ tameo authoris parcens, nihil de illo proounciavit, ut ait Cabaſutius in notitia Eccleſ. cui addendi ſunt alii ſcriptores celeberrimi, & præſertim noſter Franciſcus porter Hibernus in ſuo Syſtemate

D. Bernardus.

Lata tandẽ ſentẽtiã in concilio Senonenſi contrà hæreſes Abailardi, Patres Cõcilii unanimi cõſenſu Synodicas

Digitized by Google

litteras direxerunt ad InnocentiumSummum Pontificē, in quibus reſcrebant quæcunque in Synodo geſta fuerant: cauſaque accuratè explorata à Sancta Sede, Sententia concilii confirmata fuit; & ipſe Abailardus anathemate percuſſus, mandatumque ut ille in monaſterio arctâ cuſtodia concluderetur, pœnitentiam acturus. Et libri quicunque reperiri poſſent, comburerentur; hac ipſa Sententia Apoſtolica contra Abailardum latâ, fuit etiam condemnatus alter hæreticus, nomine Arnaldus Brixienſis, natione Italus; à quo ortum habent Arnaldiſtæ; qui ſingulis annis, Romæ in cæna Domini excommunicantur, ut referunt noſter Alphonſus à caſtro, adverſus hæreſes, verbo, *beatitudo*, hæreſ. prima: Gaudentius Brixienſis in tract. de Deo; & & alii ſcriptores clariſſimi, quibus nemo debet denegare fidem. Ipſe Arnaldus fuit hereticus Petri Abailardi heretici diſcipulus.

Arnaldus

D Bernardus ſic ſcripſit ad Guidonem Legatum de ipſo Arnaldo Brixienſi (cujus error palmaris eſt iſte quem impugnamus) *Arnaldus de Brixia, cujus converſatio mel, & doctrina venenum; cuj caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt, quem Brixia evomit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere*. Et ſcribens de eodem ad Epiſcopum Conſtantienſem, inquit: *Homo eſt neque manducans, neque bibens, ſed cum Diabolo ſitiens ſanguinem animarum, execratus à Petro Apoſtolo, adhæſerat Petro Abailardo, cujus errores in Eccleſia damnatos, deffendere pertinaciter conabatur, inimicus crucis Chriſti, ſeminator diſcordia, fabricator ſchiſmatum*. Juſta quidem & vera eſt hæc deſcriptio, nam ipſe Arnaldus brixienſis Eccleſiæ acerrimus hoſtis, & in miniſtros Chriſti furore accenſus, innumeras turbas, & ſeditiones Romæ, & in Italia concitaverat. Perſuadebat romania, ut priſtinam reipublicæ libertatem reſumerent; conſulea antiquorum romanorum conſulum poteſtatem habentes, crearent, Senatum à quo regimen omne politicum adminiſtraretur, exigerent. Pontifici autem, & Clero romano nihil præter decimas, & cultum Eccleſiaſticum reſervarent, ut notat Otto frigienſis lib. 2. de geſtis Friderici Imperatoris cap. 20.

De utroque, ſcilicet de Abailardo & Arnaldo ad innocentium II. D. Bernardus ſtatim poſt Abailardi diſceſſum cauſa proſequēdi appellationem in Synodo Senonenſi interjectam ad ſanctam ſedem, ſcripſit hæc verba, *procedit Golias iſte* (nimirùm Petrus Abailardus) *procero corpore nobili illo ſuo apparatu circummunitus, ante ſe quoque ejus armiger Arnaldus de Brixia, ſquama ſquama conjungitur; ſi quidem ? ſibilavit apis, qua erat in Francia api de Italia, & venerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. De interitu Arnaldi nihil diſcere potui, creditur tamen infauſtiſſimus: ſunt enim qui dicunt Arnaldum juſſu Imperatoris captum à Petro urbis præfecto ad ignem damnatum, ejuſque cineres in Tyberim projectos fuiſſe. De Abailardo autem plures hiſtorici referunt, quod Dum verſus romam intenderet appellationem proſecuturus contrà Conciliū Senonenſe in quo de hæreſi convictus fuerat, Cluniacum divertens, ſe totum arbitrio Petri abbatia dedit, cujus opera ſuos ejuravit errores ipſe Abailardus, & Monachus effectus eſt, & tandem ſancto fine quievit; hoc teſtatur Petrus Cluniacenſis in epiſtola ad Heloiſſam paraclerenſem Abbatiſſam olim Abailardi amaſiam.

Anno autem Domini MCCCLII. regnante Carolo IV. Imperatore, & ſedente in Cathedra Petri Clemente VI inſurrexit quidam vir hæreticus natione Anglus nomine Joannes Vuicleffus, profeſſione ſacerdos in Linchonienſi Diœceſi Parrochus, qui hanc hæreſim jam ſepultam ſuſcitavit dicens, Deum debere obedire Diabolo, qui eſt princeps hujus mundi, ſubindeque Deum non eſſe omnipotentem: omnipotentis enim eſt nulli obedire. Volebat inſuper, omnia, quæ eveniunt: non à Deo ſic volente, aut permittente accidere, ſed Deo non concurrente, abſoluta neceſſitate, ſemper evenire. Eamdem hæreſim docuerunt poſtea, ſcilicet anno MDL Bezanitæ ſic dicti a Theodoro Beza natione burgundo, legumque licentiato, de quo alibi erit ſermo.

Joannes Vuicleffus

Beza.

§. I.

Authoritate conciliorum & ſacræ ſcripturæ extollit omnipotentiam Dei.

DEum eſſe omnipotentem, & omnia evenire, Deo faciente, & permittente, declaratum fuit in Concilio Conſtātienſi celebrato anno MCCCCXIV. ſub Joāne XXII. cui interfuere mille Patres, è quibus CCXL. erant Epiſcopi, & quatuor Patriarchæ, ut conſtat ex hiſtoria, aut deſcriptione hujus concilii. Hoc concilium convocatum fuit pro tollendo non extincto; ſed facto trium Pontificum ſchiſmate, damnandiſque tunc graſſantibus vuiclefitarum & huſſitarum hæreſibus, inter quas una ex præcipuis erat ea, quæ in hoc articulo impugnatur. Idem error omnipotentiam à Deo removens longè prius damnatus fuerat in ſymbolo apoſtolico, in quo quilibet fidelis ait. *Credo in unū Deū Patrē omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*. Et In Niceno edito à decē & octo ſupra trecentos patribus, quod ſic incipit: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli & Terræ viſibilium & inviſibilium*. Nec obſtat dicere hæc verba eſſe intelligenda de ſola perſona Patris, ſeu de ſolo patre, quem Abailardus credit omnipotentem. Non valet inquam, tum quia intelligenda ſunt de perfectione Dei abſoluta, quæ eſt communis tribus divinis perſonis, tum quia exprimitur in Athanaſiano, in quo habetur: *Omnipotens Pater, omnipotens filius, omnipotens Spiritus Sanctus, & tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens*. His adjungitur fides Eccleſiæ, quæ in innumeris orationibus Deum omnipotentem, & ſempiternum proclamat, ut videri poteſt in Breviariu Romano, & in variis textibus juris Canonici.

Concilii conſtantienſ.

Nicænum

Eamdem veritatem probant innumeri Sacræ Scripturæ textus, Geneſ. cap. 17. in quo legitur; Deum dixiſſe de ſe ipſo: *Ego Deus omnipotens*. Teſtimonium illud non poteſt audiri, quin ſtatim Deus credatur omnipotens, cùm fidele ſit teſtimonium ejus, teſte propheta regio Pſal. 18. verſ. 8. Tamen hæretici, quos hic impugnamus, teſtimonium illud audierunt, & neſcio, quâ dementiâ, volunt, omnipotentiam non eſſe in Deu, quem admittunt contrà Atheos, cùm certum ſit quòd non poſſunt credere, Deum eſſe; quin dicant cum Moyſe Exod. cap. 25. *omnipotens eſt nomen ejus*, & quin unuſquiſque dicat ei cum Jobo cap. 45. *Scio quia potens es*. Et profetat illud Apocalips. Cap. 11. verſ. 17. *gratias agimus tibi domine Deus omnipotens, qui eras, qui es; & qui venturus es, quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti, &c.* quibus ſignificatur divina omnipotentia.

Geneſ.

Exod.

His addenda eſt ratio. Deus, cùm ſit cauſa prima à qua dependet cauſa ſecunda, poteſt facere ea, quæ ſunt poſſibilia, ſeu quæ fieri non repugnant, ſeu poſſunt eſſe objectum volitionis juſtæ, & rectæ. Sed Deus poteſt hæc omnia facere, cùm apud illum nihil ſit impoſſibile, Luc. cap. 1. Math. cap. 19. verſ. 26. ait: *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*, & fecerit omnia ex nihilo proprio imperio, namque Geneſ. cap. 1. dicit *fiat lux, & facta eſt lux. fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis; & fecit Deus firmamentum*. verſ. 11. & ſequentibus ait *germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, faciens fructum juxtà genus ſuum & factum eſt ita*. Et alibi legitur, *ipſe dixit & facta ſunt ipſe mandavit & creata ſunt*, ideo quilibet homo tenetur pronuntiare illud Eccleſ. cap. 1. *unus eſt Creator omnium, omnipotens*. Et una voce omnes ſimul debent dicere cum Regina Eſther cap. 13. verſ. 9. *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt*. Et cum Sancta Matre Eccleſia in oratione Dominicæ 19 poſt Pentecoſt: *omnipotens & miſericors Deus univerſa nobis adverſantia pro*

Deus poteſt facere ea, quæ fieri non repugnant.

Digitized by Google

piiatus exclude, ut à convictu, & conſortio hæreticorum ſeparentur, & ſic divinam agnoſcentes omuipotentiam, Deus recipiet eos & erit illis in patrem, teſte Apoſtolo 2. ad Corinth. cap. 6. verſ. ult, ubi gentibus nedum hanc proteſtationem facit, ſed etiam declarat, Deum eſſe omuipotentem: ibi enim inquit, *& ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias dicit Dominus omnipotens*, ſeu dominus cœli, & terræ, & creator omnium.

Deinde omnipotentiam eſſe attributum Dei, patet ex variis locis Sacræ Scripturæ. Patet pariter, Deum poſſe producere, aut facere ea omnia, quæ non important contradictionem. V. G. non poteſt facere quod præterita non fuerint, quia implicat contradictionem aliquid jam fuiſſe & ſimul non fuiſſe: Attributũ autẽ eſt ratio exiſtens verè in Deo, modo infinito, & conveniens homini modo finito, ut docent cõmuniter ſcholaſtici, & ut patet de ſcientia, bonitate, & aliis perfectionibus divinis, quæ ſunt in homine modo finito; atqui homo habet aliquam potentiam, quâ operatur, & agit, ut experientia demonſtrat, licet non faciat ea à ſe, ſeu independenter à cauſa prima: ſcriptum eſt enim quòd Deus operatur in nobis, & quòd ſine illo nihil poſſumus facere: Igitur Deus debet habere potentiam infinitam, & infinitè perfectam, ſeu omnipotentiam, quia eſt actus purus, & perfectiſſimus, prima cauſa, à quâ cæteræ pendent in eſſendo, & in agendo: nam, inquit D. Hilarius cap. 9. de Trinit. *Perfectæ poteſtatis eſt id naturam poſſe facientis, quod poteſt ſignificare ſermo dicentis.* & D. Baſilius lib. de fide. *plus poteſt Deus facere quàm tu potes intelligere.* Unde Salomon, Sap. cap. 11. verſ. 17. & 18. oſtendit, Deum creaſſe omnia, & eſſe omnipotentem, eſſe unum, & idem dicens; *ut ſcirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, non enim impoſſibile erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa, immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces Leones*, D. Paulus ad Epheſ. 3. verſ. 9. eamdem divinam omnipotentiam plurimum exaltat, & hæreticos confundit dicens, *& illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit*, & paulo poſt ſeu verſ. 19. addit: *Scire etiam ſuper eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis. Ipſi gloria in eccleſia, & in Chriſto Jeſu, &c.*

Omnipotentia eſt attributũ Dei.

Eamdem divinam omnipotentiam, quam negant Petrus Abailardus, & Arnaldus Brixienſis, agnoverunt Philoſophi antiqui ſolo lumine rationis illuſtrati. Nam Tullius lib. 3. de natura Deorum ait: *Nihil eſt quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore ullo.* Ariſtoteles lib. Etich. cap. 2. declarat quòd Deus uno tantum caret, ſeu quod non poteſt facere id quod præteriit quod idem eſt ac dicere, Deum poſſe facere quidquid contradictionem non implicat. Seneca lib. 64. de beneficiis cap. 7. & 8. inquit: *vis divina eſt invicta*, ac ſi diceret, quod potentia Dei non poteſt vinci ab opere, ſeu quod poteſt facere quidquid fieri non repugnat, nullamque ex ſe contradictionem importat. Quinimo Athæi omnipotentiam in Deo admitterent, ſi unum Deum agnoſcerent, admittunt enim illam in facto illo, quod velut Deum venerantur, aut in illa collectione entium, quam dicunt æternam, & infinitam: igitur ex his omnibus ſequitur, antiquos Philoſophos melius de Deo fuiſſe locutos, quàm Abailardus, & Arnaldus brixienſis, & alii hæretici, quos hic impugnamus, qui in majorem cæcitatem inciderunt, quàm Athæi, & alii hæretici, veritatibus fidei contradicentes. Dicere enim quòd Deus non eſt omnipotens, tantum valet, quantum valet dicere, quòd non eſt Deus, cùm revera Deus, quem colimus, non eſſet Deus, ſi non eſſet omnipotens, ut monet Tertullianus. Ratio hujus doctoris eſt, quia non eſſet perfectiſſimus, nec infinitus, cùm omnipotentia ſit perfectio infinita, quâ Deus agnoſcitur, ut unicus dominus Cœli, & Terræ.

Tullius.

Seneca.

§. II.

Reſpondet hæreticis.

HÆreticorum fundamentum eſt, quia Deus non poteſt dici omnipotens, niſi poſſit facere omnia, quæ fieri poſſunt ab homine; at homo (inquiunt) facit plura mala, & peccata, quæ à Deo fieri non poſſunt, ergo Deus non eſt omnipotens. Porro hoc argumentum eſt ridiculum, & potiùs malæ voluntatis, quàm erroneæ rationis partus: cùm malum morale ſeu illud peccatum, de quo loquuntur hæretici, non ſit effectus, ſed defectus, nec arguat cauſam efficientem, ſed defficientem, nec reſpiciat potentiam, ſed malitiam, ignorantiam, aut infirmitatem velut cauſam ſui: etenim malè agere, aut peccare non eſt actus virtutis, nec fortitudinis, ſed infirmitatis, & difformitatis, cùm ſit dictum, factum, aut concupitum contrà legem Dei. Nec ſit ſtare, ſed cadere juxtà illud, ad Corinth. cap. 10. verſ. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Nefariè igitur concludunt contrà nos Arnaldiſtæ, & alii hæretici, dum dicunt, Deum non eſſe omnipotentem, ex eo quod non poſſit perpetrare mala, quæ facit homo, nec cadere ſicut homo, quinimo non poſſe facere mala, non poſſe deficere, majorem potentiam, & virtutem arguit, & ideò ex argumento ipſorum potiùs infertur, Deum eſſe omnipotentem, cùm homo ex infirmitate deficiat à via, & veritate, ſeù malè agat.

Peccatum eſt actus cauſa deficientis.

Dicunt inſuper quòd Deus non poteſt facere res aliter quàm facit, quapropter (inquiunt) omnia, quæ facta ſunt, non ex libertate Dei evenerunt, ſed ex neceſſitate abſoluta omniò inimpedibili etiam à Deo, quem volunt ex neceſſitate, aut indigentia rerum producendarum, operibus ſuis neceſſariò, & irrevocabiliter alligatum, & adhærentem. Ex hoc falſiſſimo principio concludunt, Deum non eſſe omnipotentem, quoniam omnipotenti, naturale eſt, facere omnia ad nutum voluntatis ſuæ, & poſſe facere plura, quæ nondum facta ſunt, ſeu omnia, quæ fieri poſſunt. Deus (inquiunt) non poteſt facere ea, quæ jam facta ſunt, neque ea; quæ nondum facta ſunt, quamvis ex ſe ipſis fieri non repugnent, nullamque contradictionem importent: ergo non eſt omnipotens, cùm nihil facere poſſit eorum, quæ exiſtunt extrà cauſas ſuas: quamvis poſſit ea deſtruere: addunt enim quod hęc rerũ deſtructio nõ probat omnopotẽtiã.

Hæc hæreticorum ratio eſt debilior altera nam dum Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, hoc dicit, & fecit, quia voluit, à nullo quidem cogi poterat. Eo die, quo creavit Angelum, poterat creare hominem, aut utrumque relinquere in ſtatu poſſibilitatis, ſi voluiſſet, quoniam liberè egit, nulla quippe potentia eſt, quæ ad productionem rerum poſſit cogere Deum, nullaque eſt creatura, de cujus eſſentia ità ſit exiſtere, ut debeat neceſſariò exiſtere, aut produci à Deo ſeu à cauſa prima. Deus igitur poterat facere res aliter quàm fecit, quatenus ly, *aliter*, comprehendit poſſe agere, vel non agere, facere vel non facere: Quod ſanè probat nihil eorum quæ facta ſunt, eveniſſe ex neceſſitate abſoluta, ut volut hæretici.

Deus agit libere ad extra.

Poteſt pariter facere plura, quæ non fecit. Legimus enim Sap. 11. verſ. 16. *quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſupervacuas, immiſiſti illi multitudinem mutorum animalium in vindictam*, &c. quæ dixi ſupra, ex quibus verbis conſtat, quód Deus poterat immittere in illos multitudinem urſorum, aut Leonum, quos tamen non miſit, præcisè, quia ſic voluit. Idem infertur ex illo. Math. 26. *an non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum*, quas tamen nec Chriſtus rogavit, nec Pater exhibuit: ergo Deus poterat facere pluſquam fecit. Deinde res non eveniant ex neceſſitate intrinſeca, naturali, & abſoluta rei,

ut ſomniarunt hæretici ; ità ut certò eveniſſent, etiam ſi Deus noluiſſet, ſed eveniunt ex divina ordinatione, teſte Propheta dicente Pſal. 118. *ordinatione tua perſeverat dies*, nam ſæpè contingit ut res aliter ſe habeant, & appareant, quàm à natura illis conceſſum fuerat, ut patet in virga Aaronis quæ ſola floruit, fructum produxit, & ſervata eſt in tabernaculo teſtimonii, ut legitur exod. cap. 17. In Sara, quæ naturaliter potius in juventute, quàm in ſenectute parere debebat. Aſina Balaam non erat apta nata ad loquendum. Sol non ſtetit naturaliter in favorem populi Iſraëlitici. Actio ignis ardẽtis non fuit ab ipſo igne ſuſpenſa in fornace. Alia quam plurima poſſem afferre exempla ex ſcriptura, quæ evidenter probarent res ſæpè agere, & operari aliter, quàm à natura illis conceſſum fuit, quæ, probarent etiam ea, quæ exiſtunt, facta fuiſſe non ex neceſſitate, ut volunt hæretici, ſed à divina voluntate, quæ eſt cauſa effectiva rerum omnium. Ipſa enim eſt quæ fecit quodcumque voluit, eſtquè ſuprema & abſoluta.

Tandem ſi omnia ex neceſſitate abſoluta fierent, ità ut nullo modo fierent liberè à voluntate divina ut credunt hæretici, ſequeretur primo deum operari ad extrà, eodem modo, quo operatur ad intrà. Quòd eſt falſum ; cùm ad extrà omnia ſint contingentia, ad intrà verò neceſſaria. Sequeretur ſecundò quòd orationes eſſent prorsùs inutiles, & fruſtrà fuiſſet inſtituta oratio dominicalis, ſcilicet, *Pater noſter qui es in cœlis* à Chriſto domino noſtro edita, & ab omnibus Chriſtianis tam Catholicis, quàm hæreticis celebrata. Vana enim eſſet hæc oratio, ſi panem quotidianum, quem petimus à Deo, regnum quod ab ipſo volumus, tentatio, à qua liberari petimus, nobis etiam non orantibus, nec petentibus fierent, & neceſſario evenirent. Nec Deus poſſet hæc omnia nobis non conferre, quoniam quod nobis ex neceſſitate datur, non poteſt non dari, cùm id quod dari, vel non dari poteſt, non ſit neceſſarium, ſed contingẽns Nullus dicit orationem illam eſſe inutilem, & orare Deum, eſſe fruſtraneum ; cùm Dominus orationem nobis præcipiat : Ideoque ea, quæ fiunt, non fiunt ità ex neceſſitate abſoluta, ut non poſſint non evenire, ſed ex libera voluntate Dei, quà nolente, nullum ens poteſt fieri, quia eſt prima cauſa, à qua omnia pendent in fieri, nec poteſt permanere ut probat illud ſap. 11. verſ. 26. *Quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes ? aut*
Sap. 11. *quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur ?* Deus non fecit ità omnia, quæ fecit, ut non poſſit facere plura, quæ non fecit, modò ex ſe nullam importent contradictionem: *Quodcumque enim voluit fecit, & Deus ultionem libere egit* Pſal. 93. verſ. 1. Hancque libertatem in divinis operationibus ad extrà evidenter pròbat Apoſtolus ad Rom. cap. 9. verſ. 18. dicens : quod Deus cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Quod tamen non faceret, ſi non ageret liberè, & non eſſet omnipotens: quippecum homo ſit in manu conſilii ſui, ab agente libero, & omnipotenti dumtaxat mutari poteſt.

ARTICULUS XI.

Convincit Noëtianos, & ſabellianos, nullam prorsùs eſſe trinitatem, ſtatuentes.

§. I.

Recenſet Hæreticos.

NEdum Judæi adverſus adorandum Sanctiſſimæ
Judei. Trinitatis myſterium inſurrexerunt, aut dixerunt Deum eſſe unum omni unitate, tam naturæ, quàm perſonæ, ſed etiam plures Sacro Baptimate inſigniti, quorum primus eſt Noëtus, patriâ Epheſinus (ut tradit D. Epiphanius, vel ſmyrnæus, ut voluit Theodoretus) & ſabellii Pentapolitani præceptor, qui apud Ptolomaidem ægipti, temporẽ Galieni Imperatoris, & Stephani Papæ hujus nominis primi, circà annum Domini CCLIX. dixit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tres diſtinctas, ſed unam dumtaxat trinominem eſſe perſonã ; quæ prout ingenita eſt, dicitur Pater, prout incarnata, Filius, & prout ſanctificans animas, Spiritus Sãnctus vocatur. Hic, teſte Epiphanio, hæreſ. 57. à ſe ipſo inſaniæ clarionibus elatus, auſus eſt dicere, ſe eſſe Moyſem, & fratrem ſuum, eſſe Aaronem. Sed hoc non probavit interitus ; *moritur autem* (inquit idem Sanctus doctor) *Paulo poſt Noetus una cum proprio fratre ; non velut Moyſes in gloria, neque Aaron frater ille ſepultus eſt in honore: abjecti enim ſunt velut tranſgreſſores, & nemo ex piis eos cooperuit.*

Sequenti anno, ſcilicet CCLX. eadem hæreſis Sabellius. notior facta eſt, & impiores accepit fautores à ſabellio ejuſdem Noëti diſcipulo, genere Libico, patria pentapolitano, qui docuit unam ſubſiſtentiam, aut unam perſonam, eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, hancque in veteri teſtamento, velut patrem, dediſſe legem Moyſi in monte ſinai ; in novo autem quaſi filium hominem factum eſſe, ut Spiritum Sanctum verò ad Apoſtolos adveniſſe. Qua propter hæc hæreſis Trinitatem negans, non dicitur Noëtiana, ſed Sabelliana. Et D. Athanaſius non contra Noëtum, ſed contrà ſabellium ſuum compoſuit Symbolum ſicut contrà Arium. Sabellium eodem anno ſecuti ſunt Hermogenes vir natione afer à quo nomen ſuſcepere hermogeniani, (adverſùs quos Tertullianus unum librum ſcripſerat) & Praxeæs vir natione Aſianus, à quo Praxeani ortum habent, contrà quem unum etiam ſcripſit librum Idem doctor. Contra utrumque hæreticum ſcripſerunt plures, qui hæreticos tres in unam divinas perſonas Hermogenes. confundentes, vocant potiùs hermogenianos, & praxeanos, quàm noëtianos & ſabellianos.

Sub conſtantio imperatore, & julio primo Papa, Sanctiſſimæ Trinitatis miſterium negavit Photinus, magni ingenii & non infimæ eruditionis, ac acutæ eloquentiæ vir, natione Pannonius, vel (ut volunt alii) Galata, & Eccleſiæ ſirmienſis Epiſcopus, ſed Pauli Samozetani Epiſcopi Antiocheni, diſcipulus Praxeas. Hæreticus, qui inter plures blaſphemias, dicebat, Deum eſſe ſingulum, nedum ſecundum naturam, & eſſentiam, ſed etiam ſecundum perſonam. Volebat inſuper Deum eſſe in uno loco determinato, ſeu ſolitarium, & more judaico confitendum, ut ſuprà dictum eſt contrà eumdem hæreticum.

Anno autem CCCCXCIV. regnante Anaſtaſio Imperatore, & Eccleſiam Dei regente ſymmacho, emerſerunt quidam viri hæretici nuncupati Angelitæ, ſic Photinus. dicti, non ab errore, neque ab authore, ſed à quodam Alexandriæ loco Angelii nomen habente, qui docuerunt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eſſe unam ſubſiſtentiam, & unam perſonam prorsùs immultiplicabilem ; nullam enim credebant eſſe in Deo productionem. Hi porrò aliquandò vocantur Angelitæ. ſeveritæ à quodam Acephalo, qui poſt Flavianum in exilium ab Anaſtaſio Imperatore pulſus, Antiochenam ſedem invaſit, & Angelitarum hæreſi eodem anno adheſit : Aliquando dicuntur Theodoſiani, quia ipſorum dux fuit Theodoſius Monophyſitarum hæ- Severitæ. reſis Princeps. Hic floruit tempore Mauritii Imperatoris, & Pelagii Papæ II. circà Annum Domini DLXXXII. Aliquandò dicuntur Cantobabditæ à quo- Contobabditæ. dam loco nuncupato cantobab, nomen accipientes, ſicut albigenſes.

Jacobitæ Jacobus genere Syrus (à quo Jacobitæ ortum habent) Anno Domini DLXXXIV. ſub eodem Mauritio , & Pelagio II. non credebat ſanctam Trinitatem, ſed unitatem ſolùm , in cujus rei ſignum , ſe ſigno crucis uno digito ſolo ſignabat, ac muniebat , & hodie adhuc ſe ſic ſignant ſeu uno digito ſolo Jacobitæ qui nunc habitant in oriente , inter quos computandi ſunt Mahometani , quorum Dux nimirum *Mahometes.* Mahometes natione Arabs , profeſſione mercator viliſſimus negavit , Deum eſſe trinum in perſonis citcà annum DCXXXſub heraclio Imperatore. Et Honorio 1.Romanorum Pontifice.

Anno Domini CCCLXXXVIII. tempore Valentiniani Imperatoris , & ſiricii ſummi Pontificis , fædiſſima ſecta intrà hiſpaniam exorta eſt, cujus author fuit Priſcillianus, Vir natione Hiſpanus, & Eccleſiæ *Priſcillianus.* Abulenſis Epiſcopus , qui cum Gnoſticis , & Manichæis duos ponebat Deos , & cum Noëto & Sabellio uumerum perſonarum à divinitate removebat: quique primum damnatus fuit in concilio Ceſaraugustano in hiſpania celebrato per duodecim Epiſcopos ; Deindè in Burdigalenſi in gallia , & poſt hæc duo Concilia , ſopita diu remanſit hæc hæreſis, ſilicet uſque ad annum Chriſti MCLXXIX.Imperium teneu- *Baſilicus.* te fridetico primo , & Alexandro III. Papa. Tunc enim emerſit quidam vir hæreticus nomine Baſilicus , profeſſione medicus (quem cremare fecit, Alexius Commenus Impetator) qui docebat , tres perſonas non poſſè eſſe in unitate naturæ. Sectatores *Begomiles.* hujus hæretici vocati fuete Begomiles , aut Begomilii , nomen hoc eſt Sarraſinum , idem ſignificans ac gens miſericordiam implorans , & inclamans. Anno MCCCXIII. ſub Henrico VII. imperatore & Joan- *Barlaamus. Accindinus.* ne XXII. Papa ,nouum circa Trinitatem docuerunt etrorem Barlaamus , & Acindinus ambo hæretici ; cenſebant enim in divinitate , nullam eſſe diſtinctionem , nullamque notionem, ac proindè excludebant omnes relationes originis , & perſonales , à natura divina.

Illis ſunt addendi alii Sanctiſſimæ Trinitatis hoſtes , utpotè ſervetiani , ſeu quidam viri hæretici ſic dicti à Michaële ſerveto , natione hiſpano , profeſſione Calviniſta, atque farelli collega, & tandem ab ipſo Calvino Genevæ igni tradito , ut per hoc juſtificaret ipſe Calvinus quod nullo modo faveret Arianis,de quo accuſabatur ex eo quod hanc orationem, *Sancta Trinitatis unus Deus* improbabat.Illi autem hæretici, nimirùm ſervetiani dicebânt tempore Caroli V. Imperatoris , & Pauli III. Papæ, Deum eſſe unum in perſona,ſicut eſt unus in natura.Et negabant in Chriſto nato duas eſſe naturas. Eadem hæræſis , eodem *Campani.* tempore alios habuit deffenſores , putà Campaniſtas, quos nonnulli ſcriptores vocant Antylutheranos , quia quamvis diſcipuli eſſent hæreſiarchæ Lutheri , tamen plures etrores propugnabant , quos impugnabat ipſe Lutherus. Undè Oſius lib. 1. de hæreſibus ait : *cæterum exorti ſunt demum ex ſchola Lutheri Joannes Campanus, & ex hiſpania Michael ſervetus qui libros aliquos de Trinitatis Myſterio,plenos erroribus , & blaſphemiis ediderunt. In his nunc tandem veteres Arii , & Macedonii errores in lucem revocare , fidemque in Nicæno , & conſtantinopolitano primo Conciliis , patres congregati nobis tradiderunt, labefactare conantur.*

Tandem ſub Ferdinando Imperatore , & Pio IV. Papa circà annum Chriſti MDLXI. emerſit Lucas *Sterberger.* Sternbenger, qui , Lutheri , & Melancthonis diſcipulus , ſed malitiâ ſuprâ magiſtros elatus , publicè docuit , & confeſſus eſt nomen Trinitatis eſſe ſuper vacaneum,inane & purè humanum,ſeu nomen (Diabolo ſuadente (ab hominibus inventum, quia in ſacris Scripturis nuſquam expreſſum, Vetuit ille hæreticus nè preclara illa cantatio ; *O veneranda Trinitas* caneretur , & ejus loco cantari juſſit *O veneranda bonitas Dei.* Optabat etiam, ut Dæmones omnes Trinitatem illam abducerent , neſcire ſe , inquiens,utrum fœmina, vel Mas ſit , ut notat Prateolus. Hunc hæreticum ſecuri ſunt duo viri hæretici , quorum unus eſt Lambertus Danæus , qui aſſetebat orationem il- *Lambertus danæus.* lam, quà dicimus in litaniis : *Sancta Trinitas unus Deus miſerere nobis,* eſſe ineptam, inſanam, à patribus malè inventam , atque periculoſam, cùm admittat in Deo generationem , quæ puritati , & ſanctitati repugnat; alter verò eſt Georgius Blandrata , qui Symbolum *Georgius blandrata.* Athanaſii , in quo declaratur , eſſe unum Deum in Trinitate , & Trinitatem in unitate , Sathanaſium vocabat Symbolum.Demum in eodem ſæculo dæmon ſuſcitavit Socinum impiiſſimum patria ſenenſem , qui dudum proſcriptas Sabellii & Macedonii hæreſes *Socinus.* revocavit , docuit per Poloniam , & Tranſylvaniam in eſſentia divina , unicam eſſe perſonam Patris , & implicare Deum unum in eſſentia,trinum in perſonis eſſe.

§. II.

Proſcribit prænominatos hæreticos.

SAbellium damnavit , anno CCCXIX. ſecunda ſynodus Alexandrina , quam D. Athanaſius vocat generalem , nedùm ob præſentiam Legati Apoſtolici, ſcilicet Oſii cordubenſis Epiſcopi , a beato ſilveſ- *Concilium Alexandrinum.* tro miſſi;ſed etiam quia in hoc Concilio confederunt centum Epiſcopi , una cum Alexandro ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo.Photinum verò damnarunt ſynodus ſardicenſis, teſte D. Epiphanio hæreſ.71. & Synodus *Sardicenſe.* Mediolanenſis. Huic ultimo concilio interfuere legati Julii Romani Pontificis, & ab ipſo jam inchoato quatuor diſceſſerunt Epiſcopi Ariani irati , ſcilicet Demophilus , Macedonius , Eudoxius , & Martirius , prævidentes in eo reprobatum iri arianiſmum. Eo- *Mediolanenſe.* dem in Concilio Valens Epiſcopus Marſi,& Urſacius ſingidonis pœnitentiæ libellos obtulerunt, quibus ejurata hæreſi ariana , Nicænam profitebantur fidem , ſuaſque adverſus Athanaſivm calumnias ſimul fatebantur,& condemnabant. Deindè exauctoratus fuit ipſe photinus,& ad exilium damnatus in ſynodo ſir- *Sirmienſe* mienſi anno CCCLIII.Verum de hoc judicio Patrum Concilii apellavit ad Conſtantium Imperatorem, qui ei alium conceſſit judicem, utpotè Baſilium Ancyranum Epiſcopum,à quo interrogatus,& convinctus de hæræſi ipſe photinus , ad exilium juxtà decretum concilii damnatus fuit.

Alios autem hæreticos longè recentiores divinas perſonas confundere tentantes damnant omnia Eccleſiæ concilia tam generalia,quàm particularia,quia ferè in omnibus legitur ſymbolum Nicœnum , in quo fides catholica docet Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſſe adorandum in unitate eſſentiæ divinæ;fides enim catholica hæc eſt , ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur,inquit D. Athanaſius in ſymbolo nomem ipſius præferente.

§. III.

Probat articulum

IN deo eſſe tres perſonas realiter diſtinctas , non obſcurè contrà Judæos, & hæreticos, colligitur ex ſacra ſcriptura , & probatur tam ex veteri apud ipſos Judæos recepto , quàm ex novo teſtamento, Iſay.cap.6,verſ.3.habetur trina ſancti repetitio unius

Seraphim ad alterum elamantis, & ſine ſine dieentis: *Sanctus, Sanctus, Santlus Dominus Deus exercituum.* His quidem vocibus triplicatis, individuales, & perſonales, tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ indicantur, & exprimuntur, ut docent Sancti Patres, & præſertim D. Ambroſius lib. 2. de fide ad gratianum cap. 4. ubi ait:
Ambroſ. *Quid ſibi vult ſub uno nomine ſanctitatis trina repetitio, ſi trina repetitio, cur una Laudatio, ſi una laudatio, cur trina repetitio? trina repetitio cur, niſi quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſanctitate unum ſunt? non dixit ſemel, nè filium ſequeſtraret, non bis, nè Spiritum Sanctum præteriret, non quatèr, ne creaturas conjungeret, & ut oſtenderet unam eſſe Trinitatis deitatem, cum ter dixiſſet Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit ſingulariter Dominus Deus Sabaoth. Sanctus igitur Pater, Sanctus Filius, Sanctus & Dei Spiritus. Adoratur igitur Trinitas, non adorat, laudatur, non laudat; ego malo ſicut Seraphim credere, & ſicut omnes poteſtates, virtuteſque cæleſtes adorare.* Hunc eumdem textum ità pariter interprætati ſunt Judæorum Doctores, qui ut refert noſter Galatinus in lingua
Galatin. hebraica peritiſſimus, dixerunt: *Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus Sanctus.* Subditque Idem Doctor, ob eam rem, veteres Talmudiſtas ſtatuiſſe, ut ab unoquoque Judæorum præfactum illud triſagium ità explanatum bis ſaltem in die, manè ſcilieet & veſperè, dieeretur, ut unuſquiſque crederet perſonarum trinitatem.

Eadem veritas Catholica de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio colligitur etiam (nec minus evidenter) ex alio veteris teſtamenti loco ſeilicet ex illo Geneſ. cap. 11. *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam*
Geneſ. 18 *eorum*; quem locum ad probandum hoc myſterium contrà Judæos affert. D. Chryſoſtomus ſerm. de SS. Trinit. *Dicendo, venite pares honore exhortando vocat, nequé enim ſi Angelis imperaſſet dicere debuit; venite: Sed imperando, ite: vide autem obſecro quomodo patris vox Filium, & Spiritum Sanctum vocet. Nam ſi ad unum ſolum hoc dictum eſſet, debebat dicere, veni, & deſcendamus, quia autem dixit, venite, unius eſt vox ad duos honòre æquales.* Eſt alter textus cap. 18. idem ſuadens, & probans, ibi enim legimus: *apparuit autem ei,* ideſt Abrahæ, *Dominus in Convalle mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore Dei: cumque elevaſſet oculos apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum, quos cum vidiſſet occurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram, & dixit: Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, né tranſeas ſervum tuum,* quibus verbis conſtat, Abrahamum intellexiſſe, Deum in illis tribus apparuiſſe ſibi abſque ulla divinitatis multiplicatione. Hoc eſt, Deum ſibi apparuiſſe unum in tribus perſonis, ſcilieet unum Dominum in Patre, Filio, & Spiritu Sancto; ideoque numero ſingulari ad unum tantum, quaſi ad Deum, præces direxit. Tres enim vidit, & unum adoravit. Hujus veritatis ratio eſt. Quia il tres unum ſunt, ſeu tres perſonæ, unus Deus.

Undè D. Auguſtinus fusè eadem verba ſie expo-
Auguſt. nit lib. 3. contrà Maximianum Arianorum Epiſcopum cap, 26. *Viſum eſſe Deum Abrahæ negare non poſſumus, ſcriptura quippe fideliſſima apertiſſimè hoc loquitur, dicens: viſus eſt autem illi Deus ad quercum Manbra, ſed nequè ſic expreſſum eſt, utrum Pater, aut Filius cum autem narraret ſcriptura, quomodo ei viſus ſit Deus. Tres viros illi apparuiſſe declarat, in quibus magna ipſa Trinitas, quæ unus eſt Deus, intelligi poteſt. Denique tres videt, & non dominos, ſed Dominum appellat, quoniam Trinitas tres quidem perſonæ ſunt, ſed unus Dominus Deus.* Itaque ex illa apparitione facta Abrahæ ſuadetur Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium.

Eamdem veritatem, ſeu in Deo eſſe tres perſo-
Pſal. 32. nas inter ſe realiter diſtinctas, nimirum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, evidentius probat Propheta Regius Pſal. 32. verſ. 6. ubi inquit: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, Ubi D. Hieronimus ait: *Trinitatis majeſtas maniſeſtiſſimè declaratur, Dominus, verbum, Spiritus Domini,* nam nomine *Domini* intelligitur pater, qui in ſacris paginis ſolitò dicitur Dominus cœli & terræ, *Hieron.*
operans omnia per verbum: dixit enim, & facta ſunt; ideo operatur per verbum. *Verbi* nomine intelligitur filius, ut facilè colligitur ex illo Joan, cap. 1. *verbum caro factum eſt.* Nomine *Spiritus oris ejus*, intelligitur Spiritus Sanctus cui perfectio divinorum operum ſingulari quadam ratione tribuitur: datur igitur in Deo Trinitas perſonarum in unitate eſſentiæ, & naturæ, hoc eſt, Deus eſt unus in eſſentia, & trinus in perſonis.

Probatur etiam ex illis verbis Pſal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter: benedicat nos Deus*, quibus idem Hieronimus addit: *Benedicat nos Deus Pater, Deus noſter filius, ipſe enim Deus noſter, & vocabis, inquit Iſayas nomen ejus Emanuel, id eſt nobiſcum Deus, benedicat nos Deus Spiritus Sanctus. Videte myſterium Trinitatis, in uno verſiculo comprehenſum*, idque confirmatur ex illo Iſay. cap. 48. verſ. 16. *accedite ad me, & audite hoc, non à principio in abſcondito locutus ſum, ex tempore antequam fieret ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus.* Hoc enim exponens D. Hieronimus, ait: *Quando fiebant omnia à patre, ipſe,* ſcilicet filius, *erat cum eo cui adgaudebat, qui etiam nunc dixit: ego qui ſemper eram cum patre, & in patre, & ſine patre nunquam eram: etiam nunc loquor, & juxta fragilitatem carnis aſſumptæ dico quòd Dominus Deus miſerit me, & Spiritus ejus, brevique verſiculo Trinitatis nobis oſtenditur Sacramentum* His addo illud celeberrimum geneſis oraculum cap. 1. ubi Deus rerum omnium conditor ità loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ibi enim verbum, *faciamus*, & pronomen *noſtram* perſonarum multitudinem, vel pluralitatem inducunt, & aliquid ipſis commune ſignificant nimirùm naturam, & perfectiones, quæ in tribus perſonis immultiplicabiliter exiſtunt.

Judæi reſpondent, Deum ità loqui, in plurali *Vana Judæorum reſponſio*
numero ad oſtendendam ſuam authoritatem, & potentiam, non verò pluralitatem perſonarum, ut patet in principibus, qui in plurali numero loquuntur, dum alteri præcipiunt. Solent enim dicere, *præcipimus*, vel *mandamus*, vel *volumus* quin præcipientium pluralitatem oſtendere intendant. At hæc inſtantia non nocet quia Sacra Scriptura ferè ſemper ſingulari numero utitur, vix verò in plurali ſermonem facit, ut rectè notat Theodoretus quæſt. 19. in Geneſ. *Formavit igitur Deus; creavit Deus hominem. Nolo mortem peccatoris.* Undè ſi loqueretur more principum, ut volunt Judæi, ſemper uteretur numero plurali, ut principes & Reges dum præcipiunt, aut aliquid ſtatuunt. Tamen non loquitur ſic ſemper, ut conſtat ex dictis: oportet ergo hujus inuſitati diſcriminis aliquod eſſe myſterium, non aliud certè quàm ipſa trium perſonarum divinarum ſignificatio, in quarum invocatione per baptiſmum aliquandò regenerandus erat homo, qui tunc formabatur, ut eleganter notat Tertullianus lib. de reſurrect. carn. cap. 11. & poſt ipſum plures alij.

Replicant alij Judæi, Deum præfatis verbis aliquando allocutum fuiſſe Angelos, non verò filium, & Spiritum Sanctum. Sed minus nocet hæc inſtantia, quia ſermo ille pluralis, *faciamus*, debet dirigi ad plures inter ſe ſimiles, ad quorum ſimilitudinem formatus eſt, aut formandus erat homo; at Deus, & Angeli non ſunt naturà ſimiles, nec homo eſt à Deo formatus ad imaginem, & ſimilitudinem Angelorum, ſed ad imaginem ſolius Dei, ut conſtat ex eodem capite Geneſis, ubi Moyſes ait: *creavit Deus*

hominem ad imaginem , & ſimilitudinem ſuam , ad imaginem Dei creavit illum ; ibi enim nulla fit mentio de Angelis : ergo præfatus ſermo non ad Angelos , ſed ad tres divinas perſonas eſt directus. Deindè ſi hoc verbum, *faciamus*, dirigatur ad plures, ut concedunt iſti Judæi , neceſsè eſt quòd habeant eamdem virtutem , aut potentiam faciendi , aut creandi , ut eſt certum, quia unus effectus unam arguit cauſam totalem , ſed' Angeli non habent virtutem creandi : ergo de illis nequit intelligi illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem , ut ſimilitudinem noſtam* cùm homo non fuerit creatus ab Angelis.

Novum teſtamentum probat Trinitatis myſteriū. Idem Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium contrà hæreticos evidenter probat novum teſtamentum, Math. cap. ult , ubi legitur , Chriſtum dixiſſe Apoſtolis ſuis : *ite , docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , & Filij , & Spiritus Sancti.* Hæc enim verba adeò maniſeſtè Trinitatem perſonarum in unitate naturæ indicant , ut vix , quid ad repponendum hæretici , invenire potuerint : non enim ſolùm Pater , Filius & Spiritus Sanctus nominantur veluti tres perſonæ realiter diſtinctæ ; ſed etiam illis tribuitur unicum divinitatis nomen , & unica virtus eis aſſignatur , dum in earum nomine baptiſmus conferendus à Chriſto Domino præcipitur ,ac proindè habent naturam eamdem , & nomina perſonalia propria. Nam ly *in nomine* non eſt proprium uni ex illis tribus , ſcilicet Patri, aut Filio , aut Spiritui Sancto, cùm in hoc textu quilibet vocetur proprio nomine, ſed eſt commune tribus ratione alicujus rei in ipſis exiſtentis , quæ eſt natura , ut expreſſiùs docet illud Joan. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo,Pater, verbum , & Spiritus Sanctus , & hi tres unum ſunt.* His quidem verbis Evangeliſta monet , in cœlo tres eſſe teſtes , qui non ſunt omninò diverſi. Illi autem teſtes non ſunt Angeli quoniam plures ſunt , hominumque numerum excedunt, nec ſunt inter ſe unum, cùm quilibet Angelus ſuam ſpeciem conſtituat , ſed ſunt divinæ perſonæ Trinitatis ,. quæ unum ſunt in natura. Hinc eſt quòd verbum incarnatum cap. 10, Joan. de ſe ipſo loquens ait : *Ego & Pater unum ſumus* , illud enim *unum* in neutro genere ſine alio ſubſtantivo nomine , idem ſignificat quòd unum ens abſolutum. Unius autem entis , unica eſt eſſentia,aut natura.Pronomen autem , *ego*, & nomen *Pater* denotant duas perſonas. Quare Chriſtus , Joan. 8. ait *Solus non ſum , ſed ego , & qui miſit me pater* : Ergo Pater , Filius , & Spiritus Sanctus , ſunt in cœlo , & ſunt tres perſonæ ; cùm nomina , *ego* , *Pater* ſint duo nomina perſonalia , *pater , verbum & Spiritus Sanctus* ſint etiam nomina perſonalia connotantia unam naturam in tribus,alias non poſſent eſſe *unum* , quia in perſonis nihil reperitur niſi natura , & perſonalitas, quæ cùm ſit triplex in Deo, natura debet eſſe una , omninò indiviſa in tribus,ſcilicet in Patre , Filio , & Spiritu Sancto ; alioquin non eſſent unum.

His addo uniuſcujuſque perſonæ divinæ probationem ex eodem Joanne Evangeliſta loco citato , *Tria ſunt in divinis nomina perſonalia.* verſ. 16. ubi Chriſtus ait:*Ego rogabo Patrem , & alium paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiſcum in æternum.* Indè enim liquidò conſtat , in Deo eſſe tres perſonas realitèr diſtinctas , quia ibi agitur de patre , qui rogatur , de filio, qui rogat Patrem , & de paracleto, ſeu Spiritu Sancto , qui petitur , aut eſt mitendus ut doceat nos : ſic enim his verbis explicatur infra,verſ. 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo docebit vos omnem veritatem.* Undè cùm neceſſarium ſit diſtinguere perſonam quæ rogat , ab illa , quæ rogatur , illam quæ mittit , ab ea , quæ mittitur , ſeu ea , quæ procedit ,ab ea , à qua procedit , neceſsè eſt etiam admittere juxtà Sacram Scripturam, tres perſonas in Deo , nimirum Patrem à quo Filius procedit , & mittitur , & ipſum filium. Neceſsè eſt inſuper admittere aliam perſonam à Deo Patre , & Filio procedentem , ſcilicet Spiritum Sanctum ; ut inquit D. Athanaſius exponens eadem verba Joannis in oratione contra hæreticos Sabellianos quos etiam nos hîc impugnamus authoritate Sacræ Scripturæ.

Nec valet reſponſio hæreticorum dicentium hæc nomina , *Pater , Filius , Spiritus Sanctus* , non denotare diſtinctionem realem perſonarum , ſed ſolùm diverſa officia , quæ gerit unica perſona , quæ dicitur perſona Patris per creationem , Filij per incarnationem , & Spiritus Sancti per juſtificationem, quia non repugnat hæc omnia fieri ab una perſona. Non valet, inquam , tum quia *verbum* Joan. 1. dici- *Proceſſio unius perſona ab alia probat trinitatis myſteriū.* tur eſſe apud Patrem , & ab ipſo miſſum. Conſtat etiam ipſum Verbum dixiſſe non ſibi , ſed alteri , *Ecce ego mitte me* . quòd probat aliam eſſe perſonam patris , aliam filij , non verò patrem , & filium eſſe duo officia tantùm, quamvis una perſona poſſit creare, carnem aſſumere , & juſtificare. Tum quia generatio Filij , & proceſſio Spiritus Sancti ſunt in divinis juxtà Sacram Scripturam antecedenter ad omnia officia , & antè omnem creaturam. Nam Apoſtolus ait ad Colloſſ. 1. de Filio : *Omnia per ipſum , & in ipſo creata ſunt.* Proverb. 8. *cum eo eram cuncta componens* : Igitur intrà ipſum Deum , non ſecundum diverſa officia reſpectivè ad creaturas , nec ſecundum diverſa nomina tantùm , ſed ſecundum diverſas perſonalitates reales , & proceſſiones originis , ponitur realis perſonarum diſtinctio. Nam Paternitas , filiatio & ſpiratio de quibus non rarò fit mentio in ſacris paginis diverſa, (ſaltem in concreto,) denotant ſuppoſita ; cùm generare , & generari , ſpirare , & ſpirari ſint actiones ſuppoſitorum. Reapsè eadem perſona patris poteſt creare , incarnari , & juſtificare , ut jam conceſſimus , ſed nequit generare & generari , mittere & mitti , ità ut ſit perſona generans , & ab ipſo generante genita ; ſpirans & ab ipſa ſpirante,perſona ſpirata. Unde cùm pater dicat filio : *Ego hodie genuite*, & Filius dicat quod Spiritus Sanctus à Patre procedit , neceſſe eſt quòd in Deo ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ , ut ſancit Symbolum D. Athanaſij. *Alia eſt perſona patris , alia Filij , alia Spiritus Sancti* ; Pater verè generet filium & Spiritus Sanctus procedat ab utroque , ut dicemus contrà Græcos.Generatio enim neceſſariò & generaliter importat diſtinctionem realem inter generans , & genitum, ſicut inter producens, & productum , cùm nulla res ſit productiva ſui ipſius , etenim juxtà communiorem ſenſum, generatio eſt origo unius ab alio.

§. IV.

Solvuntur rationes hæreticæ.

NOëtiani , Sabelliani , & alij hæretici objiciunt contrà nos ex Sacra Scriptura , quæ variis in locis docet , Deum eſſe unum, huncque ſolum. Nam David ſic Deum alloquitur Pſal. 85. verſ. 10. *Quoniam magnus & tu, es faciens mirabilia , tu es Deus ſolus*, *Sabellius negat Deum eſſe trinum in perſonis.* Et Deus de ſe ipſo in Iſay. cap. 44. verſ. 24. ait:*Ego ſum Dominus , faciens omnia,extendens cælos ſolus , ſtabiliens terram , & nullus mecum.* Tandem D. Paulus ad Timot. cap. 1. verſ. 17. ait *Regi ſæculorum immortali, & invisibili , ſoli Deo honor , & gloria* ; Ex his quidem inferunt , in divinis non eſſe patrem , nec Filium , nec Spiritum Sanctum realiter & propriè perſonaliter diſtinctos ; licet hæc omnia nomina ita propria, & verè perſonalia ſint , ut denotent tres perſonas ; nam in ſacris bibliis plurès in Deo reperiuntur denominationes ob diverſa munera , quæ Deus exercet

ergà nos, ratio eſt (inquiunt) Quia ſolitudo non ſtat cum conſortio perſonarum: ſolus enim, idem eſt, ac ſine alio, ac proindè in cœlo non ſunt tres, ſcilicèt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus perſonalitèr diſtincti, ſed unus Deus diverſa nomina habens; cùm pluribus in locis teſtamenti veteris, Deus proclamet ſe eſſe ſolum, & unicum.

Reſpondeo, quòd dum Scriptura dicit in locis citatis, & in aliis citandis; quòd Deus eſt ſolus, excludit alios Deos, ſed non excludit aliam in eadem deitate perſonam (inquit Tertullianus, lib. contra praxeam cap. 19.) vel excludit conſortium creaturarum, non verò conſortium, & ſocietatem divinarum perſonarum in unitate eſſentiæ: Perſonæ quidem non conſtituuntur, nec multiplicantur per naturam, aut eſſentiam divinam quâ conſtituitur Deus, quæ cùm una ſit, & ſolà, unus eſt Deus ſolus, & cùm ſit in tribus ſuppoſitis divinis realiter diſtinctis, una & indiviſa, neceſſariò ſequitur quòd in Deo ſunt tres perſonæ, ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & unus Deus ſolus, quoniam ex ſcriptura, hi tres, unum ſunt: hinc eſt quòd Chriſtus Joan. 8. verſ. 16. ait: *Si judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me pater.* Et cap. 18. verſ. 32. *& non ſum ſolus, quia pater mecum eſt.* Quibus ſuadetur, filium non eſſe ſolum, ſed alium eſſe cum eo, id eſt, Patrem, non ut alium Deum, cum dicat, *unum ſumus*, ſed ut aliam perſonam, cùm ſit perſona diſtincta à Patre, ſicut perſona producta, aut genita, à perſona realiter producente, & generante diſtinguitur: ergo pſalmiſta, Apoſtolus, & alij dum dicunt quòd Deus eſt ſolus, conſortium non habens; non excludunt conſortium, aut pluralitatem perſonarum, ſed deorum, aut conſortium cum creaturis, tàm in eſſendo, quàm in operando, quoniam in utroque eſt omninò independens à quocumque alio exiſtente & producente.

Explicantur textus Sacra Scripturæ.

Sabellius errorem ſuum probat ex illis ſcripturæ locis; in quibus filius, dicitur verbum, & ſapientia Dei patris. Et Spiritus Sanctus dicitur amor: ait enim, uerbum aut ſapientia non importat perſonam, ut pater in nobis; ſed ſolum cognitionem, & conceptum mentis. Sapientia in Deo, eſt communis, & id quo Deus eſt ſapiens; ideoque nequit eſſe genita, nec perſona; nec ab ipſo realiter, & actu diſtincta, etiam ſecundum perſonalitatem ac proindè Filius non eſt propriè perſona, in divinis à Patre diſtincta. Nec Spiritus Sanctus eſt perſona diſtincta à Patre, & Filio. Quia amor eſt perfectio divina Patri, Filio & Spiritui Sancto communis.

Altera ſabellianorum ratio.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, & paritatem de homine. Nam ut ait D. Athanaſius ſerm. 3. contrà Arianos: *Non eſt quærendum cur non tale ſit Dei verbum; quale noſtrum eſt, cum Deus nequaquam talis ſit, quales nos ſumus*; alioquin etiam colligendum eſſet, Dei verbum, eſſe accidens, quia verbum noſtrum eſt accidens; quod poteſt in nobis eſſe, & abeſſe, abſque ulla ſubjecti corruptione. Undè non ex rebus creatis colligendum eſt; verbum Dei, aut ejus ſapientiam importare perſonam realiter diſtinctam à perſona Patris, ſed ex his, quæ Sacra Scriptura tribuit verbo, & ſapientiæ patris; quæ perſonæ, aut ſuppoſito tantùm convenire poſſunt, ut patet: nam facere, dare, ſe offerre, ſunt actus perſonales, qui de verbo Dei dicuntur, ut conſtat ex illis locis ſcripturæ; quibus aſſeritur per verbum omnia facta fuiſſe, filium dediſſe iis, qui receperunt eum, poteſtatem filios Dei fieri, verbum caro factum eſſe &c. quæ à perſona dumtaxat provenire poſſunt: ergo verbum in Deo, eſt perſona vera, & realis, licet in nobis ſit accidens. Idem dico de Spiritu Sancto; qui juxtà Scripturam omnia operatur, docet omnem veritatem, & annunciat ventura; igitur cùm Filius, & Spiritus Sanctus habeant operationes verè perſonales, tenemur admittere in Deo tres perſonas in unitate eſſentiæ, & naturæ. Quantùm ad illud de ſapientia, dico quòd in divinis datur ſapientia eſſentialis, & communis tribus divinis perſonis, quâ Deus ſapiens eſt. Et ſapientia perſonalis, aut notionalis, quæ eſt à Patre genita, ut probat illud Eccleſ. 24. verſ. 5. *Ego ex ore altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Filius autem non eſt ſapientia eſſentialis; ſed perſonalis: Datur etiam amor eſſentialis, qui eſt perfectio, & amor notionalis, ſeu ſpiritus à Patre & Filio ſe mutuò diligentibus, procedens, ut docet fides Catholica in Symbolo Nicæno contrà Græcos.

Duplex eſt in Deo ſapientia una eſt eſſentialis, & altera eſt notionalis.

Dicunt; quòd licet ſcriptura tribuat Filio, & Spiritui Sancto operationes perſonales, indè tamen non licet inferre, Filium, & Spiritum Sanctum; eſſe perſonas diſtinctas à Patre. Ratio eſt quia intelliguntur, & attribuuntur etiam Patri, qui in ſe habet talium operationum principium; nempè omni potentiam; alioquin Filius, & Spiritus Sanctus eſſent perfectiores Patre: Quòd eſt falſum: ergo ex ſcriptura colligitur potius quòd Pater, verbum, & Spiritus Sanctus ſunt una perſona, tria nomina habens, quàm tres perſonæ realiter diſtinctæ, cùm principia operationum; ſeu ſuppoſita non ſint fruſtrà multiplicanda; & omnes operationes; quas ſcriptura tribuit Deo, ab uno principio, *Quod*, ſeu ab una perſona, proveniant: hinc eſt quòd D. Athanaſius in Symbolo ait: omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens, ut indè videamus unum omnipotentem tria nomina habere.

Reſpondeo, Sacram Scripturam attribuere verbo, & Spiritui Sancto quoſdam actus, aut quædam connotata, quæ non attribuuntur Patri, ut v. g. produci; mitti, & ſimiles denominationes veræ & reales, quæ de Patre non dicuntur in Sacra Scriptura, nec dici poſſunt, quia Pater eſt ingenitus, & improductus: Igitur in divinis, Filius eſt perſona diſtincta à Patre. Et Spiritus Sanctus eſt perſona à Patre, & filio realitèr diſtincta; quin ſit omnipotens realiter diſtinctus à Patre; quamvis ſit verè omnipotens, quia omnipotentia eſt ūna in tribus.

Hæretici tandem & præcipuè Servetiani, & Sociniani, qui Sabellij hæreſim ſuſcitarunt, utuntur argumento ex ratione deſumpto, nolentes captivare intellectum in obſequium fidei. Dicunt enim. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, ut docent communiter Philoſophi cum Ariſtotele; at Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt idem uni tertio, nimirum naturæ, aut eſſentiæ divinæ, juxtà illud Joan. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*: Ergo ſunt idem inter ſe, id eſt, una perſona, ſicut unus Deus, in quo non poteſt eſſe niſi una perſona, ſicut in eo eſt tantum una natura.

Reſpondent plures Theologi, hoc axioma eſſe admittendum in creatis, non verò in divinis, quia Philoſophus ignoravit Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium; alioquin in Euchariſtia remaneret ſubſtantia panis, cùm ex Philoſopho accidentia nequeant remanere ſine ſubjecto. Neque in Deo eſſet potentia creandi; quoniam eſt apud Philoſophos hoc axioma, quô, ex nihilo, nihil fit. Ratio autem ob quam axioma ſuprà relatum non valet in hoc myſterio, eſt, quia Divinæ perſonalitates ex ſua for-

Explicatur Axioma Philoſophicum.

mali ratione habent quod non poſſint invicem identificari, quia ſunt relativæ, ut paternitas, & filiatio, quæ relativè opponuntur, ac proinde non poſſunt inter ſe identificari, ſicut identificantur uni tertio ſcilicet naturæ divinæ in tribus ſuppoſitis exiſtenti.

Obſtant inſuper Sabelliani, & utuntur alia ratione, quæ eſt hæc. Non poſſunt eſſe in Deo tres perſonæ, niſi una ſit ab alia. Et una nequit eſſe ab alia, quin habeat principium ſui eſſe. At hoc implicat divinitati, in qua omne quod eſt, à ſe eſt, eſtque Deus: igitur pluralitas perſonarum repugnat Deo, in quo nihil eſt ab alio, cùm juxtà probabiliorem ſententiam, aſſeitas ſit formale conſtitutivum Dei, ſubindeque conveniens omnibus proprietatibus in ipſo Deo exiſtentibus.

Reſpondetur, non implicare quòd una perſona divina ſit ab alia, ut filius à Patre, quia aſſeitas, quæ eſt eſſentialis Deo, excludit cauſam influentem in effectum, non verò principium intrinſecum cum natura divina realiter identificatum, ideoque Filius eſt Deus, quamvis ſit à Patre, quia eſt ab ipſo tamquam à principio intrinſeco, quò, producendo filium, non producit, nec generat naturam, ſed eam communicat Filio, quem generat, ac perconſequens natura filij eſt à ſe, & improducta ſicut natura Patris, cùm ſit eadem numerò natura, licet Filius accipiat eam à Patre per veram, & realem generationem, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio per ſpirationem activam, abſque ulla ſui diviſione. Omne quod eſt in Deo, eſt à ſe, quatenus eſſe à ſe nullam ſui cauſam præſupponit, non verò quatenus nullam ſupponit originem, nullumque principium. Et in hoc ſenſu ſolus Pater eſt à ſe.

Dicent Sabelliani: ergo Filius, & Spiritus Sanctus habent naturam divinam, per accidens, quia Deus eſt agens liberum tam in creando, quàm in communicando, & ideo potuit non communicare naturam Filio, quòd cùm abſurdum ſit, & Impium, melius eſt non admittere in Deo tres perſonas realiter diſtinctas (cùm Deus ſit verè unus) quàm dicere quòd Filius eſt genitus per accidens, ſeu contingenter Deus. Quia deterius eſt admittere Deum imperfectum, quam nullum Deum admittere.

Nego inſtantiam, quia generatio Filij in divinis eſt productio naturalis, neceſſaria, & perpetua. Procedit enim à divino intellectu cognoſcente naturam, ſeu ab illo intellectu neceſſariò unito eſſentiæ. Undè cùm Deus naturaliter, neceſſariò, & perpetuò cognoſcat ſe, & ex illa cognitione, ſeu potentia cognoſcitiva, & ex objecto naſcatur notitia, aut verbum, neceſſariò ſequitur quòd verbum illud ex illa memoria fæcunda, aut cognitione procedens, aut naſcens, eſt naturale, neceſſarium, & perpetuum, & nullo modo contingens, eſt enim tale eſſentialiter, quale eſt principium à quo eſt.

Dicent iterum. Id quo ſublato, Deus remanet infinitè perfectus, non eſt neceſſarium; ſed ſublato verbo illo producto, ſublatoque Spiritu Sancto, ſeu non conceptis perſonalitatibus, aut relationibus, Deus remanet infinitè perfectus: ergo &c. ideo nulla eſt perſona, niſi perſona patris, aut eſt in eo natura tantum. Quoniam omne illud quod eſt in Deo, eſſentiale eſt.

Nego minorem, quia facta hac ſuppoſitione, ſeu ſublata una perſona, aut ſublato verbo divino, colligi poteſt, Deum non cognoſcere eſſentiam ſuam; cùm verbum illud neceſſariò, & naturaliter procedat ex cognitione divinæ eſſentiæ, & attributorum: At hæc ſequela eſt ſumma imperfectio, ut docet D. Thomas, quæſt. 9. artic. 5. ad 23. ubi ait: *Non eſſet omnimoda perfectio in divinis, niſi eſſet illi proceſſio verbi, & amoris.* Tenemur igitur admittere tres perſonas realiter diſtinctas in unitate divinæ eſſentiæ, & unitatem eſſentiæ in tribus perſonis. Deindè omne quod eſt in Deo, eſſentiale eſt ei, quatenus eſſentiale idem ſonat ac neceſſarium; licet non ſit illi eſſentiale, quatenus eſſentiale idem ſonat ac abſolutum, & commune.

ARTICULUS. XII.

Confundit Arianiſmum.

§. I.

In quo referuntur Ariani.

VErbum Incarnatum non eſſe verè Deum, neque æterno Patri propriè conſubſtantiale, docuerunt plures, & ferè innumeri hæretici, quorum primus non eſt Impiiſſimus; ſceleratiſſimuſque Arius, ut referunt nonnulli, ſed eſt Origenes, *Origenes.* patriâ Alexandrinus, ſancti Leonidis martiris filius, Clementis Alexandrini diſcipulus. Hic enim anno CCVII. ſub Severo Imperatore, & Zephirino Summo Pontifice, aſſeruit, filium in divinis eſſe Patre minorem. Et Spiritum Sanctum eſſe minorem & inferiorem filio. Ita de Origine ſentiunt D. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 43. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus in ſuo Paſchali lib. 2. per D. Hieronimum è Græco in Latinum traducto. D. Epiphanius in quadam Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Jeroſolymit. quam D. Hieronimus Latinam fecit, & alij quamplurimi ſcriptores, qui idem dicunt de eodem Origene, qui Tyri obiiſſe creditur anno CCLV ſuæ ætatis 69. Sed hæc hæreſis privata, particularis, feréque ignota remanſit uſque ad annum CCCXVII tunc enim regnantibus Conſtantino magno Imperatore, & Silveſtro Papâ, ſuſcitavit & publicavit eam Arius Presbiter Alexandrinus, vir natione Lybicus, & Dialeticæ peritiâ clarus, ſed Theologus in Chriſti divinitatem blaſphemus, quem ad fabricandam hæreſim impulit ambitio, & invidia in ſanctum Alexandrum, quem ſibi prælatum ægrè ferebat in electione ad Epiſcopatum, teſte Theodoreto lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 1. quamvis Philoſtorgius lib. 2. cap. 3. aſſerat contrarium, cumque in hac parte ſequantur nonnulli.

Hujus autem hæretici impietate, incredibilem habuit ſucceſſum hæc hæreſis, ut notat Vincentius Lyrinenſis in verè aureo illo opuſculo quod pro fidei Catholicæ antiquitate, & veritate adverſus hæreticorum novitates edidit. Nulla enim umquam *Arius* fuit, quæ tam invaluerit, quoniam valdè diffuſa, longo tempore duravit, ferè ſiquidem omnes Romani Imperij Eccleſiæ, Arij perfidiam ſequebantur, teſte D. Hylario lib. contra Conſtantium Auguſtum, ubi ſcribit quinque ſupra centum Epiſcopos fuiſſe Arianos, ipſo duce, ſeu Ario adhuc vivente. Neque extincta fuit hæreſis, miſerè extincto Ario, ut ſæcula percurrendo obſervabimus. Dixi quòd miſerè obiit, quia D. Athanaſius orat. 1. contra Arianos. D. Epiphanius hæreſ. 69. Socrates lib. *Arii mors.* 1. cap. 25. Theodoretus lib. 1. cap. 14. & Ruffinus lib. 11. hiſtor. cap. 13. aſſerunt, quòd Arius in Eccleſiam intrare volens cauſâ conferendi de ſcripturis cum Alexandro Patriarcha Alexandrino, Juſſu Conſtantij Imperatoris, ſubito alui motu ad Latrinas publicas acceſſit, & ſimul cum viſceribus & ſordibus effudit ſanguinem, emiſit animam, veſpere Sabbati quod dominicam præceſſit, qua ejus fauto-

res illum ſe in Eccleſiam invito ſancto Alexandro introductuos gloriabantur. Ex Theodoreto, Socrate, & Sozomeno hæc contigere Anno CCCXXXVI.

Nedum fautores, & ſucceſſores in ſua hæreſi habuit Arius, ſed etiam coadjutores, qui ſimul cum eo hæreſim illam publicarunt tam in propriis Eccleſiis, quàm in Concilio Nicæno, quales ſunt *Meletius.* Meletius cujuſdam civitatis Ægipti Epiſcopus, ſed Schiſmaticus, ut conſtat in actibus Concilij Nicæni. Secundus Ptolemaidis Epiſcopus, Theonas Epiſcopus Armaricenus, Menas Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus, & Menophantus Epiſcopus Epheſi- *Secundus. Theonas Menas.* nus. Nec ſufficiebant illi tot, tantique viri hæretici, voluit inſuper ſecum plures habere mulieres, ut hæreſim omnibus utriuſque ſexùs perſonis manifeſtaret, ob hanc cauſam præter Presbiteros, Epiſcopos nominatos, Ario adhæſerunt Septingentæ Virgines (ut docet D. Epiphanius) & præcipuè conſtantia auguſta Conſtantini Soror.

Arianæ hæreſi viventibus adhuc Conſtantino & Silveſtro, ſcilicet Anno Chriſti CCCXXVIII. adhæſit *Theogenis* Theogenis Niceæ civitatis Epiſcopus, qui fuit unus eorum Epiſcoporum, qui in Concilio Nicæno vocem, *homouſion*, quæ conſubſtantialitatem ſignificat, reprehenderunt. Volebat enim verbum non eſſe Deum, nec naturalem Dei Filium, naturaliter genitum, ſed eſſe creaturam, reverà cæteris etiam Angelicis longè perfectiorem. Adhæſerunt pariter eidem errori Anno Domini CCCXL. ſub Conſtantio Imperatore, & Julio hujus nominis pri- *Aſterius.* mo Romanorum Pontifice, Aſterius Sophiſta ge- *Auxentius* nere Capadox, & Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis, qui contrà naturam, divinitatem, & conſubſtantialitatem Verbi ſcripſerunt in regionibus occidentalibus, ut Eccleſias diſtraherent, & ad Arianam ſectam eas traducerent, id tamen efficere non potuerunt, Sede Romana, & aliis occidentalibus Epiſcopis vigilantibus; potiſſimùm ſancto Alexandro Epiſcopo Alexandrino, qui Arianorum Epiſtolis, malis artibus, & blaſphemiis, oppoſuit libellum à ſe editum; quem miſit ad Epiſcopos Ægipti, Thebaidis, Libiæ, Syriæ, Capadociæ, Aſiæ, &c. qui ipſi ſubſcripſerunt, & cum eodem Alexandro conſpiraverunt ad propugnandam fidei veritatem adverſùs Arianos in partibus orientalibus, in quibus incæperat Ariana perfidia.

Poſterior, utpotè Auxentius fuit Impiiſſimi Elui- *Epiſcopi catholici de propriis ſedibus ejecti ab arianis.* dij magiſter hæreticus; & expulit de civitate Mediolanenſi D. Martinum ibi monaſteria ſtatuentem, veramque Evangeli fidem prædicantem, Metuens nè ipſe Martinus populo ſuaderet verbi conſubſtantialitatem, & divinæ naturæ unitatem; in tribus divinis perſonis: Ariani quidem in perniciem animarum infeliciter exorti, Catholicos, & præcipuè Epiſcopos expellebant, & curas Eccleſiarum Arianis committebant, ut eorumdem impietate hæreticus Arianus fieret omnis populus Chriſtianus. Nam teſte Nicephoro lib. 9. cap. 8. Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus; Marcellus Epiſcopus Ancyranus, & Aſclepas Gazeorum Epiſcopus, fuerunt ab Arianis de ſedibus ſuis depoſiti, ac expulſi. Et quintianus Arianæ perfidiæ deffeſor acerrimus, in Aſclepæ conſubſtantialitatis Verbi, fideique Nicænæ validiſſimi atque conſtantiſſimi aſſertoris, ſucceſſorē aſſumptus fuit Anno Domini CCCXLII Julio primo Papa, Imperatore verò Conſtantio, magni Conſtantini Filio, & Conſtantis fratre, qui levitate quadam in Arianam delapſus hæreſim, graviſſimam calamitatem inflixit Eccleſiæ Chriſti. Unde D. Hyeronimus ſupra memorati Aſterij Sophiſtæ coadjutoris, ſcilicet Auxentij malitiam oſtendere volens, hæc ſcripſit ad Damaſum Summum Pontificem. *Abſit à Romana ſede ut jungatur cum beatitudine tua Urſicius, & cum Ambroſio ſocietur Auxentius.*

De Urſicio autem dico quòd erat Singidonis in *Urſicius.* Pannonia Epiſcopus obnixè Arianus, & Socius Valentis murſiæ Epiſcopi, etiam Ariani: In unum, hi duo ſceleratiſsimi viri, infenſiſsimi Chriſtianæ Religionis hoſtes, convenerant adversùs Deum, & adverſus Chriſtum ejus. Nec poſſum hic omittere plures alios his nequiores tunc viventes, nimirum *Narciſſus* Narciſſum Neroniadis urbis Ciliciæ (quàm nunc Irenopolim vocant) Epiſcopum Arianæ perfidiæ patronum acerrimum, & iniquorum Conciliorum magiſtrum contrà veros Catholicos, ac fidei Nicænæ (quâ Filius Dei declaratur conſubſtantialis patri) defenſores. Et Stephanum Epiſcopum an- *Stephanus anthiochenus.* tiochenum, qui à D. Hyeronimo numeratur quartus inter eos Epiſcopos, qui in ſede Antiochena Ariana contagione infecti fuerūt. Vixit autem hic Stephanus etiam ſub Conſtantio Imperatore, & Julio primo Papa, circà Annum Domini: CCCL.

Annuatim fautores atque patronos ſibi parebat hæreſis Ariana. Nam anno CCCLII. apparuit qui- *Iuſta Balatii ariani punitio.* dam Dux Ægipti, nomine Balatius, qui, teſte D. Athanaſio in vita beati Antonii Eremitæ, ſtudioſiſsimus Arianæ perfidiæ fautor fuit. Quippe Ità Dei Eccleſiam perſequebatur, ut animo veſano Virgines, & Monachos nudos verberibus afficeret in publico. At charitatis igne accenſus, & juſtitiæ zelo motus ipſe Eremitarum Pater, ad eum hanc Epiſtolam ſcripſit: *Video ô Balate, iram ſuper te venientem quamobrem deſine quæſo ità Chriſtianos, ut facias, perſequi, ne te divina vindicta occupet, quæ ſanè proximum jam tibi minatur interitum.* Balatius autem hac monitione iratus, furore ſuccenſus, expuere in Epiſtolam cæpit, eamque in humum proiicere, delatorem atrociſsimis injuriis afficere, percuſſumque dimittere; & ſic reſpondere: *Quoniam cura tibi tantopere Monachorum eſt ô Antoni, neceſſe eſt, ut vel tandem ad te mea ſeveritatis atque vigoris tranſiliat diſciplina.* Sed cùm Deus ſit admirabilis in ſanctis ſuis, & cum ipſis ſit in tribulatione, ſuamque cuſtodiat Eccleſiam, à furore Balatij liberavit Antonium, ejuſque vaticinio tribuit eventum. Nam quinta die à reſponſione, Balatius cum Neſterio Alexandriæ præfecto urbem egreſus, cùm Equis manſuetiſsimis ambo veherentur, & Equi mutuò colluderent, mitior, quô Neſterius portabatur, morſu repentino Balatium decuſsit in terram, & ejus fœmora dentibus laceravit, & corroſit. Hoc quidem miraculo proclamatur contrà Arium æterni verbi divinitas.

Prænominatis viris impiis ſucceſſerunt poſteà ſcilicet anno CCCLVII. Georgius Laodicenſis *Georgius Laodicenſis Epiſcopus.* Epiſcopus. Et Georgius Epiſcopus Alexandriæ, qui non occultè, ſed propalam citrà pudorem, filium per omnia, ſubſtantiâ ſimul & voluntate inæqualem Patri, & ex non exiſtentibus genitum eſſe docebant, & prædicabant. Anno autem CCCLVIII. ſub Liberio maximo Romanorum Pontifice, apparuit Accacius Cæſareæ Epiſcopus, qui reiiciebat cum Ario, & ejus ſectatoribus Aetio & Eunomio, nomen ejuſdem ſubſtantiæ, & ſimilis ſubſtantiæ, vel æqualitatis filij cum Patre; tanquam Scripturæ Sacræ alienum. Et Nicænam fidem apertè negabat, aliamque fidei formulam in Concilio Seleuciæ dictare nitebatur, (inquit Nicephorus lib. 9. cap. 36. & 43.) volebat enim filium eſſe Patri ſimilem non ſubſtantiâ, ſed effigie, ut ſtatua eſt ſimilis prototypo in externis lineamentis.

Eodem anno adverſus Divinitatem verbi inſurg

Aſſurritani Rogatiani ci cunteslliones.

rexerunt viri hæretici, ſcilicet Aſſurritani, Rogatiani, & Circomcelliones, omnes Ariani, aut Semiariani de quibus loquitur D. Auguſtinus in fine tertij libri contrà Epiſtolam Parmeniani, & de quibus in alio loco locuturi ſumus. Inſurrexit etiam Creſconius grāmaticus, qui ex ſecta Donatiſtarum fuit, & cum Donato inſtitutore ſuo; Filium Patre minorem, & Filio Spiritum Sanctum, impiè aſſerebat. Serras verò ſautor, ac defenſor Ætianæ impietatis & perfidiæ pertinaciſſimus (qui excommunicatus fuit in Concilio Conſtantinopolitano ſub Liberio Papa) inſurrexit anno CCCLX. & dixit quòd Filius per omnia eſt diſſimilis patri, non ſolùm ſecundum ſubſtantiam, ut prius arbitrati fuerant nonnulli Ariani, ſed etiam ſecundum voluntatem, & cæteras perfectiones quæ ipſius naturam ſequuntur.

Serras.

Eumdem errorem ſuſtinuere Dymophilus Epiſcopus Conſtantinop. Anno CCCLXVIII. Vitalis Epiſcopus Antiochenus, Anno CCCLXXVIII. tempore Damaſi Papæ, Et Amantius anno CCCLXXXI. Hunc Amantium plures ſcriptores (quibus fidem adhibeo) putant eum eſſe, qui Palladius dicitur, contra quem diſputavit quemque convicit D. Ambroſius, & qui fuit Socius Polieronij, Thelemachi, fauſti, Aſclepiadis itidem Epiſcoporum, impugnantium cum Ario, filium eſſe Patri conſubſtantialem. His omnibus ſucceſſit alter hæreticus non illis impar ſcilicet Maris Epiſcopus Calcedonenſis, qui formulam fidei Nicænam à decem & octo ſupra trecentos, patribus editam, rejecit, & prædicavit, verbum Dei non eſſe Deum ſubſtantialiter, ſeu ejuſdem ſubſtantiæ cum patre, ſed fuiſſe factum ex non exiſtentibus, ſeu eſſe creaturam mutationi, alterationi verè obnoxiam; poſt hunc Epiſcopum Calcedonenſem apparuit alter arianæ perfidiæ Aſſecla maximus, nomine Parmenianus Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus, in eadem Sede Majorini ſucceſſor, tam in hæreſi, quàm in dignitate Eccleſiaſtica, vir magis ſeditioſus, & ambitioſus, quàm doctus, qui multas turbas in Eccleſia africana concitavit, atque invexit ſub Valentino ſecundo Imperatore, & Syricio Papa circa annum Domini CCCLXXXIX. pro introducenda hæreſi Ariana, & pro abolenda apud orientales fide Nicæna Arianos, anathematizante.

Dymophilus Vitalis. Amantius

Palladius

Maris

Parmenianus.

Poſtea, ſcilicet Anno CCCCIX. ſub Arcadii & Honorij Imperatorum principatu, & Innocenti primi Pontificatu, exortus eſt quidam Comes africæ, nomine Paſcentius, qui dicebat, filium in divinis eſſe puram creaturam omninò ſpiritualem. Et pro hac hæreſi tuenda cum D. Auguſtino auſus fuit diſputare. Hæc quidem diſputatio reperitur inter Ipſius Auguſtini Epiſtolas, Epiſ. 178. Idem D. Auguſtinus jam ſcripſerat, imò jam tres doctos libros ſcripſerat & compoſuerat contra Maximinum Arianorum Epiſcopum, qui Anno CCCCV. docuerat, patrem potentiorem eſſe filio, eo quod filium genuerit Deum creatorem, filium autem nullum, & ideo aſſerebat cum Arianis, filium non eſſe conſubſtantialem patri æterno propter illā ad generandum impotentiam, ſed eſſe creaturam. Maximum ſecutus eſt Antiochenus Epiſcopus, nomine Barbas, ſub quo, tempore Theodoſii Junioris Auguſti filij Arcadij, & Cæleſtini primi ſummi Pontificis. Circà Annum Domini CCCCXXIII. Ariana hæreſis duos eximios habuit viros, ſcilicet Georgium Alexandrinum & Timotheum ambos Presbiteros fidei Nicænæ infenſiſſimos hoſtes, ſeu verbi divini conſubſtantialitatis impugnatores.

Paſcentius.

Maximinus.

Barbas.

Olipius.

Olipius Epiſcopus Carthaginenſis fuit etiam Arianæ hæreſis defenſor acerrimus tempore Anaſtaſij Cæſaris, & Symmachi Papæ, Anno Domini DV. Hic cum in Balneis aliquandò ſanctiſſimam Trinitatem blaſphemiis afficeret, tribus Igneis fulminibus ab Angelo viſibiliter miſſis; miſerabiliter decidit; & ejus cadaver penitus exuſtum eſt, ut refert Jacobus Philippus, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini lib. 9. ſupplementi Chronicorum. Sæculo autem ſequenti inſurrexerunt quidam nominati Agareni (ſic dicti ab. Agar, Abrahæ ancilla,) qui nunc Turcæ dicuntur, & vivunt per Alcoranum. Hi enim affirmant fieri non poſſe, Deum habere filium, quoniam (inquiunt) uxorem non habet.

Agareni

Tandem anno MDLVIII. Diabolus ſuſcitavit Valentinum gentilem, natione Italum, patriâ coſentinum, qui. Arianiſmum renovavit, & docuit, tres divinas perſonas eſſe tres ſpiritus æternos, ſed patrem eſſe majorem Filio & Spiritu Sancto, & perconſequens filium non eſſe conſubſtantialem patri, ob quam hæreſim ab ipſis hæreticis, Bernæ capite plexus eſt. Et Paulò poſt; ſcilicet Anno MDLXIV. exorti ſunt in Polonia Deiſtæ, qui & Trinitarij ſeu novi-ariani dicuntur; quorum dux fuit Georgius Paulus miniſter Cracovienſis teſte Joanne Vuigando (qui contra eum doctiſſimum libellum edidit; quem de Deo contra Arianos novos in Polonia exortos; inſcripſit) hunc ſecutus eſt Franciſcus David, qui in Tranſilvania docuit, ſolum Patrem eſſe verum Deum; Filium verò & Spiritum Sanctum eſſe virtutes Dei, non diſtinctas à Patre perſonâ, vel relatione; vel eſſentiâ; Et Chriſtum in ſcripturis non dici Verbum Dei, ſubſtantiale; æternum; & expreſſivum omnium proprietatum, perfectionum attributorum, & naturæ Patris, ſed dici verbum Dei; quia verbum Dei annunciavit. His hæreticis addendi ſunt Sociniani, cæteris nequiores, quorum Dux eſt fauſtus Socinus Senenſis qui corrupit omnem Theologiam ut facilius Arij, macedoniique hæreſes ab inferis revocaret; eaſque populo ſuaderet.

Valentinus gentil.s.

Sociniani

§. II.

In quo aſſeruntur Concilia.

Concilium Alexandrinum.

HAnc omnium primus naſcentem hæreſim in Alexandrina Synodo damnavit Alexander Patriarcha Alexandrinus, Anno (ut optimè ex teſtimoniis Lactantij & Oroſii colligit Baronius) CCCXV. Huic Synodo interfuerunt ex Ægipto & Lybia centum Epiſcopi, quorum decreto, Arius declaratus fuit hæreticus, ejectus à communione, & Sacerdotio exauctoratus. Arius fuit etiam damnatus, ejuſque error proſcriptus in altera Alexandrina Anno CCCXXIV. cui præfuit Oſius à ſancto Silveſtro Papa miſſus in Ægiptum ad componendos Eccleſiæ Alexandrinæ tumultus. Damnavit eamdem hæreſim Synodus Nicæna prima æcumenica celebrata Niceæ Bytiniæ Metropolis civitatis, ſub Silveſtro Romano Pontifice. Et magno Conſtantino Imperatore, Anno Chriſti CCCXXV. Ea autem, quæ ſtatuta fuere in hac Synodo, præſidentibus tribus Legatis videlicet Oſio Cordubenſi Epiſcopo, Vito, & Vincentio Romanæ Eccleſiæ Presbiteris, confirmata fuerunt in Concilio Conſtantinopolitano Anno CCCLXXXI. pro declaranda Spiritus Sancti divinitate contra Macedonium. Hæc ſiquidem Synodus Conſtantinopolitana celebrata ſub Damaſo Papa, nedùm decreto expreſſo ſtatuit, ut ea, quæ apud Nicænam ſtatuta ſunt, permaneant immota, ſed etiam damnat Arianam hæreſim, quia declarando ſpiritum ſanctum, eſſe verum Deum,

Nicænum

Conſtantinopol.

declarat

declarat Filium eſſe Deum, & Patri conſubſtantialem; cùm Filius procedat à Patre, ſicut Spiritus Sanctus, & impoſſibile ſit, Spiritum Sanctum eſſe Deum; quin Filius à quo procedit, ſit etiam Deus. Alia quam plurima celebrata fuerunt Concilia, ſed ea omitto. Quia facilè videri poſſunt in Hiſt. Eccleſiaſt. Nec non in variis authoribus qui nobis conciliorum notitiam reliquerunt.

§. III.

In quo firmatur dogma Catholicum.

ARianos, Arianiſque pejores Socinianos verbum divinum eſſe verum Deum impiè negantes, Scriptura Sacra penitùs confundit ex illo Joan. cap. 14. verſ. 9. ubi legitur Chriſtum Dominum Philippo dicenti illi *Domine oſtende nobis Patrem* reſpondiſſe *tanto tempore vobiſcum ſum; & non cognoviſtis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem meum; quomodo tu dicis: oſtende nobis patrem:* Equidem ex hoc textu inferendum eſt, unum ex his duobus, ſcilicet, aut Filium non eſſe creaturam, aut Patrem non eſſe Deum, ſed creaturam, ſicut Filius ex Arianis eſt creatura. Ratio hujus partitionis eſt, quia ut qui videt Filium, videat Patrem, neceſsè eſt quòd pater, & Filius ſint ſubſtantiâ aut naturâ unum & idem objectum, aut unus & idem viſionis terminus: nam qui videt Angelum verbi gratia, non videt Deum, quia Angelus non eſt Deus, nec Deus, & Angelus unum ſunt: At pater in divinis eſt verè Deus, ut fatentur Ariani, Sociniani, & alij hæretici; Igitur Filius eſt etiam Deus, ut Pater, immò idem Deus, & habet eamdem numero cum Patre naturam, atque ſubſtantiam; cùm non ſit una, eademque perſona cum Patre; ait enim ipſe Filius: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*; Et Joan. 8. *Ego ex Deo proceſſi, & veni in mundum.* Undè dum Chriſtus ait; *qui videt me, videt & Patrem meum*, intendit aſſerere quòd habet naturam Patris; cùm nequeat hanc identitatem habere in perſona: alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, inquit D. Athanaſius in ſuo Symbolo ab univerſa Eccleſia recepto. Et in Patre nihil aliud eſſe credamus niſi naturam infinitè perfectam, & perſonam incommunicabilem.

Qui videt Filium non videret Patrem ſubſtantialiter ſi Pater, & Filius non haberent eamdem ſubſtantiam

Idem affirmat Joann. 10. dicens: *Ego & pater unum ſumus*, quia *unum* in neutro genere ſine alio ſubſtantivo nomine addito, idem ſignificat quòd unum ens, ſeu una eſſentia, aut ſubſtantia. Hinc eſt quòd cum Pater, & Filius non ſint unum accidente aliquo, ut fatentur Ariani, qui dicunt nullum accidens poſſe eſſe in ſubſtantia increata. Nec relatione, ſeu perſonaliter, ut ſuadet hæc particula, *&* quæ diſiunctiva eſt, & illud pronomen, *ego*, quod ſignificat perſonam, & vox, *Pater*, quæ eſt nomen alterius perſonæ, ſequitur neceſſariò quòd Pater, & Filius ſunt duæ perſonæ habentes inter ſe aliquid commune ipſis, ſeu in utroque exiſtente, quod non eſt perſonalitas quæ notionalis, & diſtinctiva eſt, ſed eſt natura, quâ ſunt unum ens, & unus Deus, aliàs qui videret Patrem, non videret Filium, cùm ex errore Arianorum, Pater & Filius eſſent duo omninò diverſi; cùm velint Patrem eſſe Deum, & Filium creaturam, quæ ut ſuadet naturalis ratio, nequit conſtitui eo, quo conſtituitur Deus, ſcilicet natura divina: ergo cùm Filius, & Pater ſint unum, ipſo Filio teſte, neceſſè eſt quod Filius habeat naturam Patris.

Hanc ipſam veritatem docent illud Joan. 8. *Neque me ſcitis, neque Patrem meum. Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*, & illud Math. 10. verſ. 40: *Qui recipit me, recipit eum qui miſit me.* Ibi enim Chriſtus inſinuat quod habet vitam, & naturam Patris; alioquin poſſet cognoſci, quin cognoſceretur Pater, & poſſet recipi, quin Pater reciperetur, cùm pater & filius eſſent duæ perſonæ omninò diverſæ, ſeu unus nullam perfectionem numero eamdem haberet cum alio; ideoque verbum divinum eſt conſubſtantiale Patri, & in rei veritate dixit: *Ego & Pater unum ſumus.* Undè D. Auguſtinus tract. 35. in Joan. cap. 8. ait: *Audi ipſum Filium, non dixit, Pater ego ſum aut ego & Pater unus eſt, ſed cum dixit ego & Pater unum ſumus, utrumque audi, & unum, & ſumus, & à Charybdi, & à Sylla liberaberis. In duobus iſtis verbis quod dixit, unum liberat te ab Ario, quod dixit, ſumus, liberat te à Sabellio.* Hoc eſt, te docet verbum eſſe verum Deum contrà Arianos, & in Deo eſſe tres perſonas realitèr diſtinctas contrà Sabellianos, in una eademque numero natura exiſtentes.

Hæretici reſpondent, hanc unitatem non eſſe in natura, ſed in conſenſu animorum, aut voluntatum concordia. Idque confirmant ex illo Joan. 8. verſ. 29. ubi Chriſtus ait: *Qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper:* Indè enim concludunt, Filium eſſe unum cum Patre in conſenſu, non veró in natura, quia (inquiunt) ſi Filius haberet naturam Patris, haberet utique voluntatem ejus, & ſic non diceret ipſe Chriſtus: *Quæ placita ſunt ei facio ſemper*, ſed potius diceret, *quæ placita ſunt mihi*, Quia haberet voluntatem Patris. Quoniam ipſa voluntas Identificatur naturæ divinæ, quæ ſi eſſet in filio, in ipſo eſſet etiam voluntas.

Sed hæc hæreticorum reſponſio non valet, quià Chriſtus ibi non loquebatur ut Deus, nec de voluntate divina, ſed ut homo, & de voluntate humana, quæ ſemper & in omnibus conformis fuit divinæ, à qua eſt diſtincta, ut probat illud Math. 26. verſ. 42. *fiat voluntas tua*, ex quo patet ibi Chriſtum locutum fuiſſe de voluntate humana, ſicut dum dicit: *Pater major me eſt*, loquitur ut homo, & ſecundum naturam, quam aſſumpſit in utero Virginis, in quo ſenſu ex Apoſtolo factus eſt obediens uſque ad mortem, eſtque minor Patre: quamvis ſit illi æqualis ſecundum divinitatem, ut expreſſè docet ſymbolum Athanaſianum.

Replicant Ariani, & ut probent hanc unitatem eſſe in concordia voluntatum Chriſti ſcilicet & Patris æterni, adducunt illud Joan. 17. verſ. 11. *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos*, atqui fideles (inquiunt) non ſunt unum, ſubſtantiâ, nec poſſunt tales eſſe, cùm natura humana non ſit ex ſe immultiplicabilis, & homines inter ſe numericè diſtinguantur, ſed ſunt unum conſenſu fidei, & vinculo charitatis: ergo dum Chriſtus dixit: *Ego & Pater unum ſumus*, non loquitur de unitate naturæ; alioquin optaſſet omnes fideles eſſe inter ſe unum eadem unitate, quòd eſt falſum, ſed loquitur de voluntatum concordia, ut ſolitò dicimus duos amicos eſſe unum, eamdemque habere voluntatem.

Reſpondeo hanc rationem eſſe nullam. Primò, quia Judæi ſtatim ac audiere hæc verba: *Ego & Pater unum ſumus*, non intellexerunt voluntatum concordiam, ſed unitatem naturæ, Indè enim inferebant, Chriſtum dicere ſe Deum, ut patet ex hac reſponſione, *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Nam ſi fuiſſet locutus de unitate affectûs, aut conſenſus, Judæi non habuiſſent odium ergà illum, neque eum de

blaſphemia accuſaſſent; cùm voluntas ſanctorum ſit conformis divinæ. Nequé rarum erat apud ipſos, plures vivere ſecundum legem, & facere voluntatem Dei, ut legimus in ſacris paginis.

Secundó, quia Chriſtus ità loquitur, ut probet ſe habere eamdem vim, aut potentiam, quam habet Pater, quæ eſt ipſamet patris ſubſtantia, quæque per manum exprimitur. Ratio noſtra eſt. Quia Joan. 10. verſ. 29. ait: *Pater meus quod dedit mihi majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei: ego & Pater unum ſumus*, ac ſi dixiſſet nequé poterit quis eas rapere de manu, aut potentiâ meâ. Cauſa quam aſſignat, eſt unitas illa naturæ, & potentiæ, quam habet cum patre, quia ait: *Ego & Pater unum ſumus.* Nam ex his ultimis verbis proteſtatur neminem poſſe rapere oves de manu, ſeù de potentia ſua, quemadmodum nemo poteſt rapere eas de manu, aut de potentia Patris ob eamdem rationem, quoniam verſu præcedenti dixit: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea:* Ergo Chriſtus dum ità loquitur, non declarat ſe unum cum patre ſola unitate morali, & conſideratione, aut conformitate voluntatum, ſed affirmat ſe eſse æqualem, & conſubſtantialem Patri; cùm affirmet ſe habere manum, ſeu potentiam Patris, quæ quidem potentia eſt indiſtincta à natura, ut fatentur ipſi Ariani, qui nullam realem diſtinctionem admittunt in Deo contrà veram Eccleſiæ fidem. Et volunt Deum eſse omnipotentem.

Manus Filij eſt manus Patris.

Hilarius

Quare D. Hylarius lib. 7. de Trint. circa medium ait: *De manu ſua nemo rapit, quia a Patre, quod eſt omnibus majus accepit. Quid ſibi vult tam diverſa profeſſio, ait rurſum de manu Patris ſui nemo rapiet? Filij manus eſt quæ accepit à Patre, Patris manus eſt, qua dedit Filio, & quomodo quod non rapitur de manu Filij, non rapitur de manu Patris? quomodò ſi quæris, intellige; ego & pater unum ſumus, manus Filij, manus Patris eſt.* Id eſt potentia Filij, eſt potentia Patris: ac proindè filius eſt conſubſtantialis Patri; cùm habeat ipſius potentiam à natura omninó indiſtinctam, habeatque eamdem gloriam, ut affirmat D. Chryſoſtomus Homil. 54. ubi exponens hæc verba. D. Math. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui*, ait: *non dicit in tali gloria, ſed in gloria Patris, ut eadem gloria oſtendatur, ſi autem una, eſt manifeſtum, quod ſubſtantia una eſt.* Quoniam proprietates eſsentiales, ità ſequuntur naturam cujus ſunt, ut impoſſibile ſit ipſas proprietates eſse in aliquo ſubjecto. Quin ſimul in ipſo ſit etiam natura; idcirco ſi gloria, aut potentia filij ſit potentia Patris, Pater, & Filius habent eamdem naturam.

Chryſoſtomus.

Filium eſse conſubſtantialem Patri, probatur iterum contrà Arianos ex variis Sacræ Scripturæ textibus, quibus Chriſtus dicitur Deus. Nam D. Joannes in Epiſt. prima cap. 3. verſ. 16. inquit: *in hoc cognovimus charitatem Dei quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Ille autem qui pro nobis mortuus eſt, & quem cognovimus habere charitatem Dei, eſt Chriſtus, ideoque ex D. Joanne, eſt Deus, ac proindè conſubſtantialis Patri; alloquin Pater & Filius eſsent duo Dii, quód non concedunt Ariani qui unicum admittunt principium contrà Manichæos, & alios. Idem probat illud act. cap. 20. verſ. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* His quidem verbis, Paulus majores natu Eccleſiæ alloquitur, ut omnes videant, Eccleſiam eſse illius, qui redemit eam ſuo ſanguine. Et eum, qui redemit Eccleſiam Sanguine ſuo, ſcilicet Chriſtum, eſse Deum, ut expreſsè declarat in cap. 9. ad Rom. verſ. 5. ubi de Chriſto ait: *Eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, & ad Philipp. 2. verſ. 6. *Qui cum in forma Dei eſſet*, id eſt, *in natura Dei*, ut notat D. Auguſtinus *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Hæc autem Eccleſia eſt Dei; ergo Chriſtus, cujus eſt Eccleſia, eſt etiam Deus, ſicut Pater, qui genuit eum in ſplendoribus ſanctorum, & miſit eum.

Undè Math. cap. 16. legimus, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis, & eos ſic interrogaſſe: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis*, ut ex reſponſione ab ipſis adhibenda, ſuam oſtenderet divinitatem, nam variè reſponderunt Apoſtoli, alij dixerunt Eliam, alij Jeremiam, alij unum ex Prophetis, ſed Petrus dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, quæ quidem reſponſio fuit à Chriſto approbata; cùm ipſe Chriſtus non ampliús interrogaverit Diſcipulos, & dixerit Petro: *Beatus es Simon Barjona quia caro & Sanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt.* Quibus verbis conſtat, Petrum dixiſſe veritatem, & ſatisfeciſſe interrogationi, non carne & Sanguine eruditum, ſed à Patre cæleſti qui ei revelaverat divinitatem Chriſti, qui poſteà ſe verè Filium Dei manifeſtavit omnibus Diſcipulis. Unde D. Joan. loco citato cap. 5. verſ. 20. ait: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Huic certo teſtimonio D. Joannis penitùs conſonat alter textus, qui eſt ad Titum cap. 2. verſ. 13. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris Dei noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis.* Quo Chriſtus Dominus declaratur magnus Deus, & Salvator generis humani, ac proindè Patri æterno conſubſtantialis.

Chriſtus eſt Filius Dei.

Ariani exponunt hæc omnia Scripturæ verba de filiatione adoptiva tantúm, & ex ipſis concludunt, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum, non veró naturalem. Sed falſa eſt hæc expoſitio, quia Chriſtus non eſt Filius Dei adoptivus, ut dicemus contrà Elipandum & Urgelitanum, in articulo contrà Neſtorianiſmum, & in alio ſpecialiter proponendo contrà eoſdem Epiſcopos Hiſpanos, ſed unigenitus, ut probat Sanctus Leo exponens illud Math. *Hic eſt Filius meus dilectus*, ubi inquit: *hic eſt Filius meus non adoptivus, ſed proprius, non aliundè creatus, ſed ex me genitus, nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea ſubſtantia mihi natus æqualis*: Igitur non eſt Filius Dei adoptivus, ſed unigenitus, naturalis, & proprius; ut habetur Joan. 3. verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, & ad Rom. cap. 8. Nam ſi eſſet adoptivus, non diceretur unigenitus, ſed ſolus genitus, nec proprius, id eſt naturalis, quia multi ſunt Filij adoptivi, inter quos Chriſtus ut homo Pſal. 88. dicitur primogenitus. Nam in illo ordine in quo dicitur primogenitus, non eſt unigenitus, idcircó eſt unigenitus quatenus eſt Filius Dei naturalis. Et primogenitus, quatenus eſt Filius hominis, & quatenus eſt caput Eccleſiæ & prædeſtinatorum. Deindè ſi Petrus loco citato Chriſtum pronunciaret Dei Filium adoptivum, ut volunt Ariani, non eſſet ratio cur ejus confeſſio poſſet cæteris præferri, nec ob quam poſſet beatus prædicari à Chriſto; quoniam qui ipſum dicebant eſſe Eliam, aut unum ex Prophetis, etiam confitebantur eum, Filium Dei adoptivum; cùm Elias & Prophetæ propter gratiam ſanctificantem, quæ eſt Spiritus adoptionis, eſſent Filij adoptivi Patris cæleſtis

Chriſtus eſt Filius Dei unigenitus.

Ideoque revelatum fuit Petro, Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, & verum Deum de Deo, Patri æterno conſubſtantialem, non verè adoptivum ut volunt Ariani.

Inſuper ſi textus in quibus verbum dicitur Filius Dei, intelligendi eſſent de Filio adoptivo, ut volunt Ariani, ſequeretur quòd Chriſtus non diceretur in Epiſt. 1. D. Joan. cap. vlt. verſ. 20. *Filius verus*, qui eſt Filius naturalis, ſeu quatenus diſtinguitur à Filio adoptivo; cùm adoptio nihil aliud ſit, quàm aſſumptio extraneæ perſonæ in hæreditatem, deficiente Filio naturali, ut docent communiter Juriſperiti, Chriſtus autem non eſt extranea perſona reſpectu æterni Patris, ſed eſt verè genitus à patre, cùm ipſe Pater dicat Pſal. 2. *Ego hodie genui te*. Et Sanctus Joannes loco citato ſic loquatur de Chriſto. *Hic eſt verus Deus & vita æterna:* Ergo Chriſtus qui reſpectu æterni Patris, eſt tantum una perſona, hæc divina, ut dicemus in proprio loco contrà Neſtorium; non per adoptionem, ſed per naturalem generationem eſt verè Filius Dei, & habet naturam diuinam, quam habet Pater & ipsâ naturà eſt unus, & idem Deus cum Patre, quoniam ab unitate naturæ divinæ deſumi debet vnitas Dei.

Joan. 1. Sunt alij textus in Sacris paginis, quibus veluti lapidibus è torrente ſcripturarum ſelectis frons Arianæ impietatis feritur, & conſubſtantialitas verbi conſolidatur. Joan. cap. 1. legitur: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Per hæc quidem, Evangeliſta verbum apertè prædicat, Deum; cùm demonſtret ipſum eſſe ab æterno apud Deum, & Deum eſſe verbum. Ideoque verbum non eſt creatura, quia Deus in principio non erat creatura, & tamen erat verbum: certum enim eſt quòd ſi verbum eſſet creatura in principio, Deus eſſet etiam creatura, quia ex

Ambroſius. Evangeliſta, Deus in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Unde Divus Ambroſius eadem verba exponens, verbi divini conſubſtantialitatem probat, & ſic in Arianos meritò invehitur: *Joannes dicit erat, erat, erat, quater erat, & tu hæretice dicis quòd non erat, cui ergo credemus; Joanni in pectore Chriſti recumbenti an Ario inter effuſa ſua viſcera volutanti.* Idem pro eadem veritate Catholica omnibus ſuadenda Evangeliſta addit, *verbum erat apud Deum, & per ipſum omnia facta ſunt*: At creatura non erat in principio apud Deum, neque per creaturam, facta ſunt omnia, ſicut per verbum facta ſunt; cùm quælibet creatura facta ſit, & id per quod facta ſunt omnia, factum non fuerit; quoniam id à quo facta ſunt omnia, eſt à ſe; Idcirco verbum divinum, non eſt factum, nec creatum, ſed eſt Deus ſicut Pater à quo generatur in ſplendoribus ſanctorum. Æternus Pater non dicit Filio: *Ego hodie feci te*, aut *creavi te*, ſed dicit *genui te*, ut indè videamus, verbum non eſſe inter ea, quæ facta ſunt, ſed eſſe genitum, & Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, ut canit ſacra nicæna Synodus.

Hoc confirmatur ex D. Auguſtino tract. 1. in Joan. dicente: *Quomodo poteſt fieri ut verbum Dei factum ſit, quando Deus per verbum fecit omnia? & ſi verbum Dei ipſum factum eſt, per quod aliud verbum factum eſt: ſi hoc dicis, quia hoc eſt verbum verbi, per*

D. Auguſt. *quod factum eſt illud: ipſum dico unicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum verbi, concede non factum, per quòd facta ſunt omnia. Non enim per ſe ipſum fieri potuit per quod facta ſunt omnia: crede ergo Evangeliſtæ* dicenti verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hæc quidem prædicatio nequit convenire creaturæ, quæ cùm ex lib. Geneſis cap. 1. ſit à Deo in tempore, non poteſt dici Deus, qui eſt eſſentialiter æternus. Nec per eam Deus fecit omnia.

Authoritatem D. Joannis confirmant alij textus, quorum unus eſt ipſius cap. 5. verſ. 19. ubi legitur: *quæcumque enim ille*, id eſt Pater, *fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, nam ſi Filius facit, non ut inſtrumentum, ſed ut cauſa, id, quod facit Pater, ut notat hæc particula, *ſimiliter*, quæ non cadit in rem factam, ſed in actionem & virtutem factoris, & idem ſonat ac iſta *eodem modo*, & ſi per ipſum & in ipſo creata ſint omnia, certum eſt quòd ipſum verbum non fuit factum, nec creatum, ſed eſt genitum à Deo Patre, ac proinde ſequitur, quòd eſt verus Deus, nemo enim poteſt facere ea, quæ fecit Deus, aut agere actione, quâ ipſe agit, niſi ſit Deus; cùm operari ſequatur eſſe. Undè Chriſtus ait: *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius, quos vult vivificat*, hoc eſt, habet poteſtatem, quam Pater habet. Ratio eſt inquit Chriſtus ipſe. Quia *& filius ejus ſum, & veni in mundum ut teſtimonium perhibeam veritati*, id eſt, ut credatis quod ego qui loquor vobis, ſum Filius Dei.

Patris, & Filij vna eſt actio.

Quare Apoſtolus ad Hebr. 1. ait: *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: noviſſimè, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum per quem fecit & ſæcula, qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.* Et infra, *cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et ad Coloſſ. cap. 1. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*, ex quibus conſtat, verbum divinum eſſe à Deo Patre genitum, & cum ipſo habere eamdem numerò naturam, quippe cum ex Apoſtolo ſit ſplendor lucis æternæ, prorſùs eſt æternus, & Dei Filius. Hinc eſt quòd Math. 11. ait: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo novit Filium; niſi Pater, & cui voluerit Filius revelare.* Joan. cap. 8. *Neque me ſcitis, neque Patrem meum, ſi me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis*, quibus ſuadetur, Chriſtum eſſe Filium Dei, & habere naturam divinam, atque perfectiones, aut proprietates, quas habet Pater, & quibus ipſe Pater eſt Deus, quæ cùm ſint in Filio, ut ipſe teſtatur Joan. 16. ubi ait: *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt*, ſequitur quòd Filius eſt æqualis Patri, uniuſque cum ipſo naturæ: hæc enim verba Joan. *omnia &c.* non indicant conformitatem ita ut Filius habeat perfectiones ſimiles illis, quas pater habet, ſed indicant unitatem ità ut ea quæ ſunt in Patre ſint eadem numero in Filio excepta paternitate.

Idem ex textibus relatis colligit D. Hylarius lib. 6. dicens: *Cum idcirco Deum ſolus noverit quia ſolus ab eo ſit, habes igitur proprietatem cognitionis de proprietate generationis, & quod ab eo eſt, non creaturæ in eo virtutem: nam omnia à Deo per virtutem creationis exiſtunt, ſed nativitatis veritatem, per quam ſolus Patrem novit; cum cætera, quæ ab eo ſunt, Ignorent eum*: Igitur hæc perſona, quæ loquitur locis mox laudatis, non eſt creatura, nam perſona, quæ creata eſt, ignorari non poteſt, ut monet idem D. Hylarius, dicens: *Ignorari enim unde ſit non poteſt, quidquid ſubſiſtit ex nihilo, quia hoc ipſum, quod non ignoratur ex nihilo, ignorationem ejus unde ſit, non habet* ergo verbum eſt Deus, quia nemo poteſt generationem ejus enarrare. D. Hylarius.

Denique conſubſtantialitas verbi probatur contrà Arianos ex teſtimonio Chriſti, qui variis in locis Sacræ Scripturæ dicit ſe Filium Patris

Digitized by Google

æterni non adoptivum, ſed naturalem, præſertim ex illo Joan. 10. verſ. 36. *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum.* Quibus verbis Chriſtus declarat Judæis, quòd non eſt purus homo, nec pura creatura, ſed Filius Dei; qui cùm non ſit ſecundum naturam diſtinctus à Patre, nec ſint duo Dii, debet eſſe idem Deus cum Patre. Hanc ipſam veritatem, quam negavit Arius, Dæmon confeſſus eſt Math. 8. verſ. 29. dicens Chriſto: *Quid nobis & tibi eſt Jeſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos?* His verbis quibus utitur D. Hilarius lib. 6. de Trinit. adverſus Arianos, non poſſunt intelligi de filio adoptivo, qui non habet poteſtatem torquendi Dæmones, quæ Soli Filio naturali Deo fuit conceſſa; cùm ex Scriptura, ipſius ſit diſſolvere opera Diaboli. Aliud teſtimonium eſt reſponſio Marthæ, Joan. 11. *Utique Domine ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, quam Chriſtus verbis commendavit, ut jam monui, quamque de vero, & proprio Filio Dei intelligunt omnes, ut probant hæc verba *qui in hunc mundum veniſti.*

His addo illud Joan. cap. 2. *Hæc Scripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*; quæ verba exponens idem D. Hylarius loco citato ait: *Scribendi* D. Hilarius *igitur Evangelij non aliam prætulit cauſam, quam ut omnes crederent, Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei; ſi ſufficit ad ſalutem, Chriſtum credere, cur adjecit, Filium Dei?* Profectò ut unuſquiſque crederet, Filium, pariter ac patrem, eſſe primarium fidei noſtræ objectum. Et ut demonſtraret, Filium eſſe Deum, qui ſolus eſt ità objectum fidei, ut illud ens, quod eſt objectum fidei primarium, & ſpecificativum, ſit Deus, ut colligunt plures ex illo Apoſtoli: *Accedentem ad Deum, oportet credere.* Quare Joan. 3. habetur: *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*, & cap. 6. *hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*, & cap. 9. legitur Chriſtum dixiſſe cæco nato: *Tu credis in Filium Dei?* cui interrogationi ſic reſpondit cæcus. *Quis eſt, Domine, ut credam in eum?* Jeſus autem reſpondens cæco, inquit; *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Quòd audiens cæcus, dixit: *Credo Domine, & procidens adoravit eum* tamquam Deum. Magi pariter eum adoraverunt, ut Deum, nam, inquit D. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſ. cap. 10. *Per ea, quæ obtulerunt munera oſtendiſſe quod erat, qui adorabatur. Myrrha quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & ſepeliretur. Aurum verò, quoniam Rex, cujus regni finis non eſt, Thus verò, quoniam Deus qui & notus in Judæa, Deus factus eſt* &c. Ergo Chriſtus declarat ſe verè Filium Dei. Et cæcus, ipſo Chriſto approbante, confitetur, Chriſtum habere divinitatem, & eſſe objectum fidei noſtræ. Hinc eſt quòd Chriſtus Joan. 14. dicit diſcipulis ſuis: *Non turbetur cor veſtrum, creditis in Deum, & in me credite*, quòd non dixiſſet, ſi Deus non eſſet, nec ſic loqueretur Joan. 11. *Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum*, quia per hæc verba demonſtrat ſe eſſe Deum, cùm illum, in quem credere neceſsè eſt, ſit Deus, ut ſancit Sacra Scriptura in variis locis, quibus conſtat ſolum Deum eſſe objectum fidei noſtræ, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

Hæc ipſa veritas confirmatur ex loco inſigni, quô forma baptiſmi præſcribitur, Math. cap. ult. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quoniam ſi Filius, & Spiritus Sanctus non eſſent æquales Patri, & ejuſdem cum eo naturæ, baptiſmus in eorum nomine non daretur, ſed in nomine ſolius Patris. Tum quia *in nomine* ſignificat, unam, & eamdem naturam eſſe in tribus perſonis, ut credimus contra Noëtianos, & Sabellianos. ſic enim inſinuant Patres Concilij Conſtantinopolitani, dicentes Epiſcopis occidentalibus: *Fidem noſtram baptiſmo conſentaneam docere, nos credere in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti: nempè ut divinitas, & virtus, & ſubſtantia una Patris, & Filij, & Spiritus Sancti credatur.* Tum quia maxima eſt injuria, cum Deo in unitate eſſentiæ, aut naturæ, conjungere creaturam, cùm Deus, & creatura infinitè diſtent, & omninò rationi diſſonum ſit velle aquam habere virtutem Sanctificandi in nomine puræ creaturæ ſicut eam habet in nomine Dei. Quod tamen eſſet, ſi in divinis, Filius non eſſet verè Deus, ſeu ſi eſſet creatura.

Filius eſt objectum fidei.

§. IV.

In quo evelluntur Arianorum fundamenta.

ARiani objiciunt primó, & impugnant verbi conſubſtantialitatem argumento negativô. Dicunt enim nullum ex ſanctis Patribus ante ortam de Filij divinitate & conſubſtantialitate in Concilio Nicæno controverſiam, illius meminiſſe. Et inde Sociniani, ſeu novi Ariani in Tranſſilvania exiſtentes, concludunt, conſubſtantialitatem verbi eſſe novam ac proinde ſuppoſititiam, & Imaginariam.

Sed hæc ratio eſt nulla & falſa, quoniam plures Sacri Scriptores longe ante Concilium Nicænum, trium divinarum perſonarum divinitatem, & conſubſtantialitatem profeſſi ſunt: nam hæc Synodus celebrata fuit Anno CCCXXV. Anno autem XCIII. Clemens Romanus Fauſtini Filius Apoſtolorum coadjutor, & Diſcipulus, hujus veritatis, ſeu conſubſtantialitatis, aut divinitatis verbi ſermonem habuit in prima Epiſtola, quam ſcripſit ad Corinthios. Dioniſius Areopagita, Pauli Apoſtoli Diſcipulus, Sanctorum Ignatij & Pulycarpi Martyrum coævus lib. 1. de divinis nominibus capite 1. eamdem veritatem docuit in fine primi ſæculi. Sanctus Juſtinus lib. de fide Anno CXLV. Sanctus Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis pluribus in locis, & potiſſimùm in libro 3. cap. 8. & alij quam plurimi circà finem ſecundi ſæculi, ſcilicet Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Dioniſius Romanus Pontifex, & alij quam plurimi, qui Arium præceſſerunt, docuerunt, verbum divinum eſſe Patri conſubſtantiale: ergo allucinantur Ariani, & Sociniani credentes, nullum ex Sanctis patribus, nullumque ex Doctoribus, & Theologis primitivæ Eccleſiæ, ſermonem habuiſſe de divinitate Filij ante condemnationem Arij in Concilio Nicæno, cùm patres citati hoc generale Concilium tempore præceſſerint.

Antiqui Patres de verbi conſubſtantialitate locuti ſunt.

Objiciunt inſuper Ipſimet Ariani ex Sacra Scriptura, nimirum ex illo Proverbiorum. cap. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Nam (inquiunt) hæc verba Scripturæ intelligenda ſunt de Filio Dei, qui dicitur Sapientia, juxtà illud 1. Apoſtoli ad Corinth. cap. 1

verſ. 30. *In Chriſto qui factus eſt nobis ſapientia à Deo:* ergo ipſe Filius non eſt Deus, ſed creatura. Idem probant ex illo Joan. cap. 14. *Pater major me eſt*; ex quo ſequitur, quòd Chriſtus, qui ità loquitur, non eſt Deus, quia id quod eſt Deo minus, aut quo Deus eſt major, eſt creatura. Quoniam nullum poteſt concipi ens quod non ſit creatura, vel creator ſeu Deus.

Chriſtus dicens pater major me eſt, loquitur ut homo.

Reſpondeo hoc argumentum non nocere, quoniam hæc verba: *Dominus poſſedit me*, dicuntur de Chriſto ſecundum humanitatem, aut carnem, quam verbum divinum aſſumpſit, & ſuper quam requievit Spiritus Domini, qui replevit eam ſpiritu ſapientiæ & intellectus, & quæ dicitur ſapiētia creata, ideoque non probant, Chriſtum ut Deum, aut verbum æternum non habere divinitatem, quam habet Pater, ut notat D. Athanaſius orat. 3. adversùs Arianos. Idem dico ad 2. quoniam Chriſtus dicens: *Pater, major me eſt*, loquitur ut homo. Ratio eſt. Quia hæc verba accipi debent in eodem ſenſu, in quo accipiuntur, iſta *Quia vado ad Patrem*, quæ immediatè præcedunt, ſuntque in eodem verſu. Sed non vadit, nec ad patrem aſcendit ut verbum, ſeu ſecundum ſuam perſonam, ſecundum quam eſt ſemper cum Patre, & in Patre per circuminceſſionem, ut ipſemet declarat Joan. cap. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit*, & cap. 14. verſ. 11. *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt*: ergo dum ait: *Pater major me eſt*, loquitur ut homo, in quo ſenſu eſt verè minor Patre, licet ſecundum diuinitatem, aut ut verbum, eamdem cum ipſo habeat naturam, ut docent D. Athanaſius in Symbolo. D. Hylarius lib. 9. de Trinit. D. Auguſtinus lib. 3. contrà maximum cap. 14. & alij, qui impugnant Arianos proclamantes Filium Dei eſſe creaturam, quia falsò credunt ea, quæ in Sacra Scriptura dicuntur de humanitate aſſumpta, dicenda eſſe de verbo divino. Nam Ariani (inquit D. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 5. *Velut Judaici Caupones miſcent aquam cum vino, quia divinam generationem, humanamque conjundunt, ad divinitatem referentes quod de carne ſit dictum.* Nos autem verbi divini generationem contemplantes æternam, à temporali diſtinguimus eam in Chriſto.

Sancti Patres impugnant Arianos.

Replicant Sociniani, ſeu Ariani novi, & dicunt, ſanctum Athanaſium art. 4. contrà Arianos, S. Baſilium magnum lib. 1. contrà Eunomium. S. Cyrillum & plures alios, aſſerere, patrem eſſe majorem filio; ſed (inquiunt) hoc non poteſt intelligi de filio ſecundum humanitatem conſiderato, alioquin eſſet ſuperflua eorum aſſertio, aut admonitio, quia manifeſtum eſt, filium ſic conſideratum, eſſe minorem Patre. Nullus enim poteſt ignorare, hominem eſſe minorem Deo: ergo ut neceſſaria, & utilis ſit eorum aſſertio, intelligendi ſunt de verbo, præciſa humanitate aſſumpta, & volunt hoc verbum non caro factum, eſſe quid creatum à Deo, reverà majus cæteris creaturis, ſed minus patre, qui eo uſus eſt (inquiunt) in creatione omnium rerum creatarum, velut inſtrumentô.

Reſpondeo Sanctos Patres citatos velle, Patrem eſſe majorem Filio, ſeu verbo, ratione originis, & notione perſonali, cùm filius ſit genitus à Patre tamquam à principio productivo, aut generante. Et Pater ſit ordine prior Filio, & ingenitus, non verò ratione dignitatis, aut durationis, ut notat D. Athanaſius orat. 2. contra Arianos, ubi ſcribit: *Filius ait Pater major me eſt, non quidem magnitudine, aut ætate, ſed quia ex illo ortum habebat.* Itaque ex teſtimonio Sanctorum Patrum, nullus Arianus poteſt dicere ipſorum aſſertionem eſſe inutilem, nec inferre, verbum eſſe creaturam, quamvis affirmet, patrem eſſe majorem Filio, hoc eſt, Filio priorem, prioritate originis, & ingeniti, quia termino divinæ generationis, ſeu perſonæ genitæ communicatur a patre natura divina, abſque ulla diviſione, ac proinde Filius genitus, eſt Deus ſicut Pater generans, immò idem Deus, cùm eadem numero natura ſit ità in utroque, ut poſſit Filius verè ſic loqui: *Ego & Pater unum ſumus* non perſonaliter, ſed eſſentialiter, & ſubſtantialiter.

Pater eſt origine prior filio.

Alium proponunt textum, quem ſolùm de verbo divino intelligunt, eoque intendunt probare, ipſum Filium nullatenus eſſe Deum, ſed puram creaturam. Nam Joannes Baptiſta loquens de Meſſia, Joan. 1. verſ. 15. ait de eodem verbo divino & incarnato, *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat.* Certum enim eſt (inquiunt) quòd teſtimonium illud non poteſt intelligi de Chriſto ut homine, quoniam Chriſtus ſic conſideratus, non eſt prior Joanne Baptiſta, cùm fuerit conceptus ſex menſibus poſt Joannem: ergo hæc verba: *ante me factus eſt*, debent intelligi de Chriſto, ut Filio Dei, & quatenus eſt perſona à Deo Patre genita, aut producta, in quo ſenſu eſt prior Joanne, ut probant hæc ultima verba: *Quia prior me erat.* Sed id ſecundum quod Chriſtus, eſt prior Joanne, dicitur factum, ut conſtat ex proprio textu: ergo non eſt Deus, ſed creatura, quoniam omne quod factum eſt, creatura eſt. Nec eſt verbum increatum æterno patri conſubſtantiale, ſed eſt verbum factum.

verbum divinum non eſt factum.

Reſpondeo, Joannem Baptiſtam, ibi loqui de Chriſto ſecundum naturam humanam, quamvis ipſe Joannes ſit nativitate prior Chriſto. Nam quantum ad intelligere, & velle, in quibus conſiſtit homo perfectus, Chriſtus fuit priùs homo, quàm Joannes Baptiſta, quamvis Chriſtus ſex menſibus poſt Joannem conceptus fuerit: ratio eſt, quia Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit pleniſſimum rationis uſum, fuitque vir perfectus quoad ea, quæ homines acquirunt ætate, & experientià. Hinc eſt quòd Iſayas cap. 3. ait, *Mulier circundabit virum*, id eſt Chriſtum, qui in utero matris fuit vir, ſeu perfectus homo, non ratione corporis, quia paruulus datus eſt nobis, ſed ratione perfectionum animæ, & libertatis quibus vir diſtinguitur à Puero, idcircò dum Joannes Baptiſta dicit: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*, loquitur de Chriſto ut homine, qui fuit vir, & perfectus homo, in ſinu matris antequam Joannes Baptiſta naſceretur. Chriſtus enim fuit prius conceptus, quàm Joannes natus, quia ex Evangelio, conceptio illius præcedit nativitatē iſtius. Et dum dicit: *Quia prior me erat*, non debet intelligi de prioritate durationis, aut exiſtentiæ, quam Chriſtus ut filius Dei, & perſona increata habet antecedenter ad Joannem Baptiſtam, ſed de prioritate dignitatis, & perfectionis, quà Chriſtus ut homo, eſt prior Joanne Baptiſta. Nullus certò negat, Chriſtum eſſe ipſo Joanne perfectiorem, nec Joannem Baptiſtam eſſe exiſtentià priorem Chriſto ut homine: Igitur verbum quod humanitatem noſtram aſſumpſit, non fuit factum perſonaliter, ſed ſolum factum eſt caro, ac proindè in hoc ſenſu non eſt creatura, ſed eſt Deus, qui, Joanne Baptiſta jam concepto, ſed non nato, factus eſt homo perfectus, & ſic Chriſtus ut homo factus eſt priuſquam Joannes Baptiſta fieret homo perfectus, id eſt vir. Anima Chriſti cognoſcebat & amabat antequam Joannes Baptiſta videret, & diligeret, quamvis ipſe Joannes eſſet conceptione prior Chriſto.

Cur Chriſtus ut homo eſt prior Joane.

Dicunt inſuper Ariani ; generatio verbi eſt jam abſoluta & perfecta , vel non ? ſi primum ; ergo habuit finem in tempore , ſubindequé etiam initium , nam quod habet finem, habet etiam principium , quoniam id quod habet principium ſui, ſupponitur aliquando non fuiſſe. Si ſecundum : ergo Filius non eſt perfectus , quia ipſius generatio non eſt perfecta & abſoluta. Hoc ſecundum argumenti membrum reiicitur ex illis locis Scripturæ , in quibus verbum dicitur genitum , & à Patre prolatum , aut unigenitum Patris , qui non generat , nec generabit , ſed genuit : Pater enim non dicit , *genero* , ſed *genui te* , non pro tempore preſenti , nec pro futuro , ſed pro præterito loquitur ; igitur admitendum eſt neceſſariò primum, utpotè verbum habere initium , ſeu , non eſſe æternum, ſed eſſe creaturam, quam Deus fecit ; ut ipsâ faceret alias.

Generatio verbi eſt abſoluta & perfecta.

Huic objectioni reſpondeo , generationem verbi eſſe abſolutam , & perfectam , quatenus abſolutum & perfectum excludunt dependentiam , & imperfectionem , & ordinem ad ulteriorem perfectionem , aut ad perfectum complementum, non verò quatenus includunt ceſſationem productionis, ità ut Pater modo non generet , etenim Pater à ſe , & perfectè generat Filium , tamen Filius eſt perfectè genitus , quia perfectè exiſtit in ſinu Patris generantis. Generatio hæc eſt actio immanens, quæ non tranſit. Pater generat Filium cognoſcendo divinam eſſentiam , quæ cùm ab ipſo divino intellectu cognoſcatur ab æterno , & in æternum cognoſcetur , Pater ab æterno , & in æternum generat Filium , & Filius ab æterno eſt genitus, & in æternum generabitur. Nec poſſunt Sociniani , ſeu novi Ariani hanc reſponſionem improbare , licet Filius dicatur genitus , juxtà illud dictum à Deo Patre per os Prophetæ : *Ego hodie genui te.* Nullus enim eſt qui neget creationem mundi eſſe actionem abſolutam , & perfectam , . nullus tamen affirmat hanc actionem ceſſaſſe , ſeu ſuum habuiſſe finem, quamvis mundus jam ſit creatus ; cùm conſervatio mundi ſit ità continuata ipſius mundi productio , ut verum ſit dicere quòd Deus creat mundum. Unde Chriſtus, Joan. 5. ait : *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor* , ſcilicet mundum creans, conſervans , regens , & gubernans, ſed quia mundus perfectè exiſtit , perfecta eſt mundi creatio:itaque nullus Arianus poteſt negare , patrem generare verbum ; licet verbum ſit genitum ; cùm ipſius actio productiva, ſit permanens, & æterna:hæc quidem actio eſt in ſe dictio (ut docet ſubtilis ſchola) intellectûs divini naturam ſeu eſſentiam divinam , ejuſque attributa continuò ab æterno,& in æternum conſiderantis , idcirco Filius generatur eſtque genitus. Præteritum,& præſens non ſunt in Deo duo tempora diverſa , ità nec genuiſſe , & generare ſunt duæ actiones diverſæ , ita ut una alteri ſucceſſerit.

Tandem dicunt quòd ſi verbum eſſet Patri conſubſtantiale , habuiſſet poteſtatem dandi regnum æternum ſicut pater , cùm eſſet idem cum Patre Deus , ſed Chriſtus , Math. cap. 20. profitetur ſuum non eſſe dare regnum à Deo patre paratum ; ibi enim ait : *Sedere ad dexteram meam , vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis , ſed quibus paratum eſt à Patre meo* , ideoque Filius non eſt Deus ſicut Pater , nec eſt illi conſubſtantialis , quia haberet cum eo eamdem potentiam.

Evelli ur ultima hæreticorum ratio.

Reſpondeo , Chriſtum in illo loco non profiteri , ſe non habere abſolutè potentiam dandi regnum , ſed ſolum oſtendere , illam Matrem non petiiſſe regnum in tempore debito , ut inſinuare videtur D. Ambroſius lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 21. vel non eſſe ſuæ æquitatis dare propinquitatis jure regnum , quod labore ac meritis comparandum eſt. Qua propter reſpondit : *Poteſtis bibere Calicem , quem ego bibiturus ſum ?* ideſt poteſtis pati mortem, quam oportet me pati ? Vel dico quòd ibi non loquebatur , ut verbum , ſed ſolum ut homo, ut facilè colligi poteſt ex his verbis , quæ ſunt in verſ. 28. ejuſdem capitis , *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari , ſed miniſtrare , & dare animam ſuam redemptionem pro multis* , quæ de Chriſto ut homine intelliguntur. Deniquè Chriſtus promiſit regnum latroni in cruce converſo dicenti *memento mei Domine dum veneris in regnum tuum* Chriſtus enim dixit illi *hodie mecum eris in Paradiſo.*

ARTICULUS XIII.

Refellit Alogianos nolentes , Filium eſſe verbum Patris.

TEMPORE commodi Imperatoris , & Eleuterij Papæ , circà Annum Domini CLXXX. inſurrexerunt quidam viri hæretici , qui docuerunt ſecundam Trinitatis perſonam , ſeu Filium non poſſe ſine injuria , & blaſphemia vocari verbum à Patre productum , quoniam appellatio verbi , rei æternæ & permanenti minimè convenit ; cùm ut ſolito dicitur, verba volant. Horum hæreticorum Patronus Ignoratur , ut teſtantur Alphonſus à Caſtro , Prateolus , & Alij , qui hanc hæreſim referunt ſuppreſſo inventoris nomine. Id quod aſſirmant Scriptores præcitati , eſt , prædictos hæreticos non ab authore , ſed ab errore dictos fuiſſe Alogianos , aut Alogios, ſeu viros verbo carentes, aut ſine verbo , ut obſervant D. Auguſtinus hæreſ. 30. D. Epiphanius , & Alij ſcriptores graviſſimi.

Alogiani

Ad hanc hæreſim tuendam , reijciebant Evangelium , Epiſtolas , & Apocalypſim Divi Joannis Apoſtoli , & Evangeliſtæ. Quia in ejus ſcriptis fit mentio verbi divini. Et Filius Dei vocatur verbum, & præcipuè in primo capite Evangelij. Anno autem CCLXXIII. ſub Aureliano Imperatore , & Fælice primo hujus nominis Papa , Paulus Samozatenus à quo Paulianiſtæ dicti ſunt , natione Syrus, voluit impugnare Alogianos , ſed non refutavit eos, immo in errorem pejorem excidit : dixit enim contrà ipſos in divinis dari verbum , at docuit contrà fidem Catholicam , hoc verbum non eſſe ſubſiſtens , nec ſubſtantiale , ac proindè Filium in divinis non eſſe Deum , ſed ſolùm prolatium & tranſitorium , ſeu verbum accidentale , & mutabile , ut enarrat D. Epiphanius hæreſ. 65. Quòd videtur mihi à fide magis alienum , quàm error Alogianorum : etenim ex iſto nequeunt deduci hæreſes , quæ inferuntur ex errore Samozateni. Quia ſi verbum ſit mutabile , ſequitur quòd non eſt Deus.

Error Pauli Samozateni

§ I.

Condemnatio Alogianorum.

ALogianorum, & Pauli Samozateni in hac parte proſcriptionem ſeu comdemnationem hujus hæreſis in nullo Concilio adinveni. Nullibi conſtat Alogianos fuiſse ſub hoc nomine ab Eccleſia Catholica expreſsè, & directè Anathemate percuſſos. Dammatur tamen hæc hæreſis in Concilio Toletano XV. In Epheſino. In Viennenſi, & in aliis, in quibus Sancti Patres loquendo de Filio Dei, appellant eum, verbum: dicunt enim, & præſertim Epheſinum, verbum divinum aſsumpſiſse verum corpus, & veram animam rationalem ad unitatem perſonæ, ſeu vocant perſonam incarnatam, verbum divinum. His ſuffragantur alia Concilia, quæ Arianiſmum damnarunt, in ipſis enim multoties ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis perſona, dicitur verbum, ſicut dicitur Filius Dei. Paulus Samozatenus damnatus & proſcriptus fuit in Concilio Antiocheno primo, ut dicemus in proprio loco.

Toletanum

Epheſinum

Probatur primo ex illo Sap. cap. 18. verſ. 14. & 15. *Cum enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo a regalibus ſedibus venit, durus debellator in medium exterminii terram proſilivit.* Ubi ſermo ſumitur pro verbo à Deo Patre genito, quod eſt imago Patris, & figura ſubſtantiæ ejus, ut notat D. Gregorius Nazianz. orat. 36, dicens: *Filius mihi dici videtur, quia eſſentiâ idem eſt cum patre, tum etiam quia ex Illo eſt verbum. Porro, quia itâ ſe habet ad Patrem, ut ſermo ad mentem.* Undè cùm hæc verba non poſſint intelligi de ſermone, aut verbo prolativo, quod verberato aëre ſonat, ut patet in nobis, in quibus non eſt omnipotens ſermo, debent intelligi de ſermone, ſeu verbo omnipotenti; utpotè de Deo, qui eſt ſolus omnipotens.

Filius Dei eſt verè verbum.

Idque confirmat illud Eccleſiaſtici cap. 1. verſ. 5. *Fons ſapientiæ, verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.* Ibi enim Jeſus Filius Sirach non loquitur de verbo ſcripto, quod eſt lex Dei data Moyſi, & per ipſum annunciata Filiis Iſraël, ſed de ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis perſona, ut conſtat ex propriis terminis, eamque vocat verbum, ut ſuaderi poteſt ex illo Pſal. 44. verſ. 1. *Eructavit cor meum verbum bonum*, quoniam Propheta regius in perſona Patris æterni loquitur; cùm ſtatim ſubdat: *Specioſus forma præ filiis hominum*, quod de ſolo Filio Dei incarnato dicitur. Hanc ipſam veritatem docet Iſayas, cap. 40. verſ. 5. *Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt*, id eſt, verbum divinum, quod pater genuit (nam in divinis, generare, eſt dicere. Et e converſo) verbum inquam quod nos vidimus caro factum: Igitur Filius qui factus eſt homo, eſt verbum. De hoc enim loquitur Propheta, non verò de verbo Tranſitorio; cùm ſtatim dicat; *verbum autem Domini noſtri manet in æternum*, hoc eſt verbum non eſt mutabile, nec accidentale, ſed per ſe ſubſiſtens, & permanens, ſicut ille à quo procedit.

Tandem idem Propheta Pſal. 106. verſ. 20. affirmat, Filium Dei eſſe verbum, dicens. *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, quia hic loquitur de Deo, qui miſit verbum illud, vultque verbum miſſum, eſſe perſonam, quia ex illa miſſione, aut virtute miſſi à Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ſequitur redemptio populi, ut probant verba, quæ immediatè præcedunt, *& Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.* Quòd provenire non poteſt, niſi à perſona, quoniam eripere, liberare &c. ſunt actiones alicujus ſuppoſiti, ſeu perſonæ; cùm hujuſmodi actus ſint eliciti, & voluntarij, qui cognitionem ſupponunt.

Verbum Dei eſt verè perſona

Alogiani reſpondent, filium vocari verbum, quia nobis manifeſtavit ſcripturam, & doctrinam fidei; At hæc reſponſio ſuppoſititia eſt, quia Apoſtoli, & Prophetæ hoc manifeſtarunt, & non dicuntur verbi verbum, ideoque Filius in divinis non eſt verbum ob hanc cauſam, ſed quia eſt ejus proprium nomen, teſte D. Cyrillo Alexandrino lib. 7. Theſauri cap. 3. ubi ait: *Nomen verbi elegit, quia eſt maximè proprium, & ſignificativum divinitatis, & proceſſionis propriæ ſecundæ perſonæ*, quæ cùm ſit à memoria Fæcunda, & exprimat omnes divinas perfectiones, debet dici verbum, aut actualis expreſſio eorum omnium, ex quorum cognitione procedit, aut naſcitur.

Vana eſt Alogianorum reſponſio.

Eadem veritas ſuadetur ex novo teſtamento Joan. 1. cap. 5. verſ. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus.* Hinc eſt quòd ſicut nomen *Patris*, non eſt Metaphoricum, ſed proprium, ſignificans ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, itâ tale debet eſſe nomen *verbi*, quod Scriptura Sacra tribuit ſecundæ. Idem colligitur ex aliis textibus ejuſdem Evangeliſtæ, qui ſecundam perſonam ſeu filium exprimit nomine verbi, ut dum ait *Verbum caro factum eſt.*

Alogiani nolunt, hæc verba D. Joannis audire. Quoniam ejus ſcripta reiiciunt. Sed parum refert, cùm plures alij hæretici ea recipiant, eaque nos contrà eoſdem Alogianos canonica ſimus probaturi infrà in proprio loco. Afferenda eſt tamen (ut Alogiani confundantur, & convincantur) fides Centurionis, qui dixit Math. 8. verſ. 8. *Domine non ſum Dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus*, quam fidem extollens Chryſologus ait: *Verbum a verbo petiit, quia credidit in verbo omnes manere virtutes*, & addit: *verbum tuum Domine ſanitas eſt, verbum tuum vita eſt, verbum tuum ubi acceſſerit, indè confeſtim fugit dolor, infirmitas mox recedit.* Hæc quidem D. Chryſologi expoſitio ſatis demonſtrat, Centurionem credidiſſe Filium Dei Jeſum Chriſtum, eſſe verbum Patris æterni, quod ex D. Joanne caro factum eſt, & habitavit in nobis. Credidit enim verbum habere virtutem ſanandi puerum ſuum, quæ quidem virtus nequit eſſe in verbo tranſitorio, & accidentali, quoniam virtus hæc, eſt operatio ſequens naturam infinitè perfectam, ſeu divinam.

Math.

Idem ſuadetur ex illo Petri cap. 1. verſ. 28. ubi ipſe Apoſtolus & Apoſtolorum princeps ſic alloquitur Judæos de novo converſos: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.* Etenim hic ſermo non poteſt intelligi niſi de verbo ſubſtantiali, perſonali, & divino, cùm per ipſum, & in ipſo renovata, & pacificata fuerint omnia. Et permaneat in æternum, quodcumque autem aliud verbum, ſit tranſitorium, nequè maneat in Deo, undè ſtatim ſubdit: *Verbum autem Domini manet in æternum, hoc eſt autem verbum quod Evangelizatum eſt in vos*, ſeu vobis nunciatum, de quo Angelus loquens paſtoribus Luc. cap. 2. verſ. 10. ait: *Nolite timere, Evangelizo vobis gaudium quod erit omni populo*, quo dicto, Paſtores dixerunt: *tranſeamus uſque ad Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*, id eſt verbum caro factum: ergo Filius Dei eſt verbum illud, quod caro factum eſt, &

debet dici Verbum Dei : cùm veras verbi proprietates habeat.

Ratio probans filium Dei eſſe verbum.

Scripturæ Sacræ autboritatibus ſuffragatur ratio nam terminus productus per dictionem, repreſentans objectum, eſt verè verbum ipſius objecti expreſſivùm, cum quidquid producitur per memorlam fœcundam, id eſt per intellectum unitum objecto, quo fæcundatur, ſit propriiſſimè verbum, quô objectum exprimitur, Atqui Filius Dei eſt terminus productus per dictionem, ut tenent communiter Scholaſtici noſtri. Aut per intellectionem, ut dicunt alii, & ideò ſecunda Sanctiſſimæ Trintatis perſona, ſeu Filius, eſt verè verbum, cùm à Patre per dictionem producatnr, & repreſentet omnia, quæ ſunt in divina eſſentia, alioquin non eſſet Imago Dei inviſibilis, nec ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, neque iu ipſo habitaret plenitudo divinitatis. Quòd eſt contrà Apoſtolum: Ideoque Filius Dei eſt verè Verbum, ut conttà Alogianos probat illud Apocalyp. cap. 19. verſ. 13. *& veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen ejus verbum Dei.* Hæc quippè locutio intelligitur de Rege Regum, & Domino dominantium, qui eſt Chriſtus. Hinc eſt quòd D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto exponens illud Joan. 6. verſ. 27. *Hunc Pater ſignavit Deus*, inquit. *Chriſtus ſplendor Gloriæ; hunc Pater ſignavit Deus, ſeque totum in eo expreſſit*, & indè ſequitur, ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, ſeu Filium, eſſe verè Verbum Patris, quô ipſe Pater perſectè exprimitur, ut monet D. Auguſtinus lib. de fide, & Symbolo cap. 3. ubi ait: *Filium Dei Verbum Patris, ideo dictum eſſe, quia per ipſum innoteſcit Pater; ſicut ergo verbis noſtris agimus quum verum loquimur, ut noſter animus innoteſcat audienti, & quidquid ſecretum in corde gerimus, per ſigna hujuſmodi ad alterius cognitionem proferatur, ſic illa ſapientia, quàm Deus Pater genuit, quoniam per ipſam innoteſcit animus Sanctiſſimus Patris, verbum ejus convenientiſſimè nominatur.*

§. II.

Eorumdem hæreticorum proponit & diſſoluit argumenta.

ALogianorum ratio eſt, quia de ratione verbi eſt, quod ſit pronunciatum, ſeu ab ore prolatum, atque ab ipſo omninò ſeparatum, ut oſtendit experientia. Atqui Filius Dei non ore, nec mente eſt pronunciatus, nec eſt extrà Patrem, cùm dicat, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*: Igitur ipſe Filius Dei non poteſt vocari Verbum Patris

Sed hoc argumentum prorsùs Frivolum eſt, & potiùs rejiciendum, quàm ſolvendum, non nè audierunt ipſum Filium Dei dicentem, *Ego ex ore altiſſimi prodivi, ego à Patre proceſſi, ego exivi à patre, & veni in mundum.* Non nè hoc eſt ore pronunciari & à mente produci? Taceant Igitur Alogiani (inquit noſter Alphonſus à Caſtro) & quæ non intelligunt, venerentur tamquam Sacramentum abſconditum, & nolint res divinas à capacitate ſui intellectus metiri: captivandus eſt enim intellectus in obſequium fidei, quæ docet, Verbum divinum eſſe verè ſubſtantiale, & conſubſtantiale Patri à quo pronunciatur, ac proinde non eſſe extrà Patrem licet verbum noſtrum ſit extrà mentem noſtram, quia accidentale eſt, atque expreſſivum rei creatæ.

§. III.

Reſpondet Paulo Samozateno.

NEdùm Alogianis reſpondere neceſſe eſt, ſed etiam Paulo Samozateno præcedentes jam pridem ſepultos errores ab inferis evocanti. Hic enim aſſeruit, Verbum Dei, non eſſe Filium, ſed quamdam diſpoſitionem, quâ placitum eſt ei arcana voluntatis ſuæ nobis revelare. Idque probat ex illo Act. 10. Verſ. 36. *Verbum miſit Deus Filiis Iſrael pacem annuncians per Chriſtum.* His quippe verbis (dicebat ipſe Paulus Samozatenus) Sacra Scriptura diſtinguit Verbum à Filio, aut à Chriſto, vultque Verbum fuiſſe miſſum, ut per ipſum, miniſterio Chriſti, ſeu Filii Dei, nobis revelarentur myſteria pacis, & arcana divinæ voluntatis, Ideo Chriſtus non eſt verbum ſubſiſtens, nequè Verbum eſt Chriſtus; cùm iſte ſit verè, & propriè perſona.

Nomina non multiplicant perſonam.

Reſpondeo cum D. Athanaſio orat. 5. contrà Arianos, Scripturam Sacram non diſtinguere Filium Dei, ſeu Chriſtum à verbo. Nec velle, Chriſtum Dominum eſſe unam perſonā diſtinctā à perſona verbi divini, quamvis diverſo utatur nomine in loco citato, cúm uni, eidemque perſonæ plura propria nomina conveniant; quin tamen ipſam perſonam diſtinguant, aut actu multiplicent, ut patet in variis Sacræ Scripturæ locis, ut in illo Actor. 7. verſ. 46. *Qui invenit gratiam ante Deum, & petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob*, 1. Corinth. cap. 1. verſ. 7. *Expectantibus revelationem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmavit vos uſque in finem ſine crimine in die adventus Domini Noſtri Ieſu Chriſti*, ex quibus nemo infert, quòd Deus noſter non ſit Deus Jacob, nec quòd Deus noſter, & Deus Jacob ſint duo Dii, nec quòd Chriſtus cujus revelationem expectamus, ſit alius ab eo, qui confirmabit nos uſque in finem ſine crimine, quamvis Apoſtolus ibi multiplicet hoc nomen *Dominus*, quoniam ex Sacra Scriptura, unus eſt Chriſtus, & unus eſt Dominus: Igitur verba à Paulo Samozateno relata de Chriſtu & de ipſo in uno eodemque capite repetita, intelligi poſſunt de Chriſto, quin multiplicent illum perſonaliter, aut dividant eum à verbo, nec verbum à Chriſto. Hæc quidem duo verba, *chriſtus*, & *Verbum*, nihil aliud ſignificant, quàm Filium, quem Deus miſit in mundum Prædicaturum Evangelium pacis in humanitate aſſumpta. Aut per humanitatem aſſumptam, pacem annunciaturum Iſraël: nam verbum erat inviſibile in ſinu Patris exiſtens, & ut à nobis noſceretur, caro factum eſt, & in carne aut per carnem nobis revelabit myſteria juxtà illud Joan. cap. 15. verſ. 15. *vos autem dixi, amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis*, & nobis annunciavit pacem. Quare Iſayas vocat eum, Deum pacis, & Patrem futuri ſæculi, quoniam dedit nobis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, eamque nobis reliquit.

Obſtat tandē cum Alogianis, ut ſuadat, Chriſtum non eſſe verbum, ex illo Scripturæ loco, quo Spiritus Sanctus dicitur verbum Filii, ſcilicet ex illo ad hebr. cap. 1. *portans omnia verbo virtutis ſuæ*, id eſt Spiritu Sancto, qui ex eodem Apoſtolo ad Epheſ. cap. 6. dicitur etiam Verbum, ibi enim ait: *Gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei*, Ideoque verbum non poteſt eſſe nomen ſignificans ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, ſed ſolum nomen conveniens tribus divinis perſonis per appropriationem, ut V. G. juſtitia, pax, & ſimilia nomina, quæ non ſunt notionalia, ſed propter quamdam ſimilitudinem apprupriata patri, aut Filio *Hebr. 1.*

aut Spiritui Sancto, quamvis in rigore ſermonis poſſint dici de tribus divinis perſonis, ut VG. *Charitas* quæ de Spiritu Sancto dici ſolet, per appropriationem tantum.

Spiritus Sanctus poteſt aliquo modo dici Verbum.

Reſpondetur Spiritum Sanctum poſſe dici Verbum Dei, non ex vi productionis ſuæ, ut ſecunda perſona, ſed ſolùm ab effectu, quem operatur in cordibus Evangelizantium veritates à Chriſto prolatas, ot teſtatur Ipſemet Chriſtus, Math. 10, verſ. 19. & 20. dicens Apoſtolis: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* Idem intelligi poteſt ex illo Luc. 1. verſ. 25. *Spiritus Sanctus Superveniet in te.* Unde Spiritus Sanctus non poteſt dici, Verbum, niſi ratione effectuum, quos operatur, vel potentiſſimo imperio, aut omnipotentiâ, quâ eſt unum cum Patre, & Filio, ratione eſſentiæ atributorum radicis, & quâ cum Patre, & Filio conſervat omnia. Non verò ratione productionis ſuæ, ut Filius, qui ex Patre naſcendo, verè Patrem exprimit, eſtque ipſius Imago ut tradit Apoſtolus. Etenim Spiritus Sanctus non procedit ex cognitione eorum, quæ ſunt in ſçientia Patris, ſicut Filius procedit, ſed ſolùm ex amore eorumdem.

Sanctus Anguſtinos tract. 54. in Joan. explicans illud Evangeliſtæ ejuſdem, cap. 12. verſ. 50. *Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor*, confirmat aſſertionem noſtram contrà Alogianos, & Paulum Samozatenum, ibi enim ait: *Quid eſt ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor, niſi ut verbum loquor, loquitur tamen verbo, verbum ipſum, non ſolum ad intrà, & ad perſonas, quas exprimit, & manifeſtat, ſed etiam ad extrà, & ad creaturas, quarum etiam eſt expreſſivum, & manifeſtativum. Similiter dicendum eſt, Spiritum Sanctum verbo loqui, & conſequenter totam Trinitatem, ſed cum hòc diſcrimine, nam Pater loquitur verbo proferens verbum, quod veré producit, filius loquitur verbo, quia ipſum verbum eſt. Spiritus Sanctus loquitur verbo, quatenus in ſuo intellectu eſſentiali habet verbum, quod eſt terminus immanens intellectus divini. Tota Trinitas denique loquitur Geneſ. 1. faciamus hominem, &c.*

Indè enim conſtat, Spiritum Sanctum poſſe dici verbum, at non eo modo, quo filius, id eſt non ex vi proceſſionis ſuæ, ſed Figuratè, & Metaphoricè. Nimirum quia exprimit hominibus divinam voluntatem, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 2. dicente *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum, &c.* In nobis mirificos operatur effectus, & ſupernaturales actus; Charitas enim diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hinc eſt quòd pro actibus ſupernaturalibus eliciendis invocamus Spiritum Sanctum, eique humiliter dicimus *Veni Creator Spiritus* &c. ut recti ſint actus noſtri.

ARTICULUS. XIV.

Demonſtrat contrà Lucium, verbum Divinum cognoſcere Patrem, ſuamque Subſtantiam.

JUxtà D. Ephiphanium in quadam Epiſtola ad Joannem Jeroſolymitanum Epiſcopum, Theophilum Alexandrinum, & alios authores graviſſimos, tam antiquos, quàm recentes omni fide dignos, certiſſimum eſt quòd Origenes, Patriâ Alexandrinus, Sancti Leonidis Filius, Clementis Alexandrini Diſcipulus, de quo Caſſiadorus dicit: *ubi benè nemo melius, ubi malè nemo peius*, docuit ſub Severo Imperatore, & Zephyrino Papa, Anno CCVII. plures errores, quorum unus eſt adverſùs Filium Dei, (præter illum qui Arianiſmo ortum dedit, ut in proprio loco dictum manet) denegat enim illi ipſe Origenes cognitionem Patris. Et Spiritui Sancto cognitionem Patris & Filij, in libris Periachon, dicens: *Sicut eſt incongruum credere, quod poſſit Filius videre Patrem, ſic eſt inconſequens opinari quod Spiritus Sanctus poſſit videre Filium.* ex quibus conſtat quòd duos errores (unum circà Filium, & alium circa Spiritum Sanctum) docuit ipſe Origenes. Non miror tamen, virum ſublimis ingenii, & magnæ etuditionis in tam apertum errorem fuiſſe lapſum, licet innumeri Sacræ Scripturæ textus apertè doceant, Filium videre Patrem, & Spiritum Sanctum videre Patrem & Filium. Quoniam credebat, verbum eſſe creaturam. Undè miror ipſum Origenem crediſiſſe, Verbum non eſſe Deum, ſed eſſe creaturam, cùm ex errore ſolitò naſcatur error.

Error Origenis.

Anno autem CCCLXXXVIII. vivente Valente Imperatore Arianæ Hæreſeos aſſertore maximo, & Eccleſiam Dei regente Papa Damaſo, Inſurrexit quidam hæreticus pravitatis Arianæ ſectator acerrimus, nomine Lucius, conditione Epiſcopus Alexandrinus, ſed potiùs obtruſus, quam legitima electione ſuffectus, qui Origenis Hæreſi voluit addere aliam, ſcilicet, Filium Dei, non ſolùm non cognoſcere Patrem; ſed etiam nec ſuam ſubſtantiam ſicuti eſt. Credebat enim, Deum ex non exiſtentibus feciſſe Filium propter nos tantum, hoc eſt ot per eum tamquam per inſtrumentum proprium, & reale nos crearet, & indè inferebat quòd Filius Dei non fuiſſet, niſi Deus decreviſſet nos creare; ac Proindè volebat, Ipſum Filium non cognoſcere ſuum principium, quod eſt Deus Pater, nec ſe ipſum ut verificatur in aliis inſtrumentis, quibus homines utuntur, quæ omni cognitione carent & neſciunt ea, quæ fiunt, neque illum à quo fiunt mediantibus ipſis.

Lucius.

In nullo Concilio inveni hanc hæreſim expreſſè damnatam, quoniam nullum fuit ob illam hæreſim refutandam convocatum Concilium; ejus tamen condemnatio inferri poteſt ex illis in quibus damnatus fuit ipſe Origenes cum ſuis erroribus, ſcilicet in Concilio Alexandrino. In Romano per Septuaginta Epiſcopos ſub Gelaſio. In quinta Synodo generali, Collat. 8. Can. 2. ubi legitur: *Si quis non Anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Evtichem, Origenem, cum impiis eorum Scriptis, talis, Anathema ſit.* & in aliis in quibus damnata fuit hæreſis Ariana, quippè cùm hæc Concilia ſanciant, Filium Dei eſſe increatum, verum Deum, vereque conſubſtantialem Patri, ſanciunt utique ſcientiam, aut cognitionem Filii attingere ea omnia, quæ videt Pater, qui cùm habeat cognitionem Filii, & ſui ipſius, neceſſe eſt quòd ipſe Filius videat Patrem, ſuamque ſubſtantiam ſicuti eſt, quoniam cognitionis actus, quo pater æternus attingit omnia quæ videt, eſt Idem formalitee in Filio, & in Spiritu Sancto; cùm ſit actus eſſentialis & communis tribus divinis perſonis ſicut intellectus divinus.

Concilium Alexandrinum.

§. I.

Statuit veritatem Catholicam.

HÆc veritas Catholica, id eſt, Filium cognoſcere Patrem, conſtat ex Sacra Scriptura, Math. cap. 11. verſ. 27. ubi legitur Chriſtum dixiſſe: *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo, & nemo*

novit Filium niſi pater, neque patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Ex hoc quidem teſtimonio conſtat Chriſtum cognoſcere Patrem, & ſe ipſum, nam ſi Pater dederit Filio omnia, quæ habet: Ergo dedit illi cognitionem, aut ſcientiam ſuam, quæ cùm attingat ipſum Patrem (alioquin Pater ignoraret ſe ipſum. Quod eſt falſum) attingit pariter Filium, ut ex proprio textu patet, neceſſarió ſequitur quòd Filius, qui habet eamdem ſcientiam, videt Patrem, & ſe ipſum, quoniam habendo eamdem ſcientiam, quam habet Pater, debet ſcire ea, quæ Pater ſcit, ſicut habendo eamdem omnipotentiam cum Patre creat ea, quæ Pater creat, eſtque Creator Cœli, & Terræ; quin Pater, & Filius ſint duo creatores.

Filius cognoſcit pater & omnia, quæ in eo ſunt.

Idem dicendum eſt de Spiritu Sancto, qui cùm ſit Deus, & Patri, & Filio conſubſtantialis, ut definitum manet contrà Macedonii ſectatores, ſeu Pneumathoniacos in ſequenti articulo impugnandos, ſequitur etiam quód cognoſcit Patrem, & Filium, & ſe ipſum ſicuti eſt. Notitia in Deo eſt res, quæ eſt à ſe, hoc eſt, eſt res abſoluta, ac proinde eſſentialis, & communis omnibus tribus divinis perſonis juxta Doctrinam Theologorum communiter dicentium in divinis, abſoluta eſſe communia, relativa verô notionalia, ſeu perſonalia: Igitur ſcientia, aut cognitio tam eſt in Spiritu Sancto, quàm in Filio, & in Patre, & tam in Filio, quam in Patre, cùm ſit in tribus tamquam una, & eadem res ſicut Æternitas, immenſitas, omnipotentia, &c. Attributa, quæ neceſſarió ſequuntur eſſentiam divinam cujus ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices.

Deus Pater in generatione Filii communicat illi omnia, quæ habet in ſe, excepta paternitate. Et Pater & Filius per ſpirationem activam, communicant Spiritui Sancto omnia, quæ habent, exceptis paternitate; Filiatione, & ſpiratione activa; juxta declarationem Concilii Florentini, & communem Sanctorum Patrum Sententiam; alioquin Filius non eſſet Deus, nequè Spiritus Sanctus, eſſet Deus, ut jam dictum eſt contra Arianos, & dicetur infra contra Macedonianos, idcireò notitia, quæ eſt in Patre, eſt in Filio, & in Spiritu Sancto, cùm hæc notitia, aut Patris cognitio, non ſit paternitas, nec Filiatio, nec ſpiratio, ſed perfectio eſſentialis. Undè Chriſtus, Joan. cap. 17. verſ. 10. ait: *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, Clarificatus ſum in eis.* Profectò ſic locutus eſt Patri, ut videremus, Ipſum Verbum habere cognitionem, quàm habet ipſe Pater. Et de Spiritu Sancto cap. 16. verſ. 13. & ſequentibus ait: *Cum venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, Annunciabit vobis,* ut inde videremus, Spiritum Sanctum habere etiam cognitionem quam habent Pater, & Filius. Quoniam indè ſequitur nihil eſſe in Patre, excepto eo, quo eſt Pater, quod non ſit in Filio; & in Spiritu Sancto; Alioquin eſſent tres dii, ſicut ſunt tres perſonæ. Et per conſequens tenendum eſt ipſum Spiritum Sanctum cognoſcere Patrem, Filium, & ſe ipſum, & habere omnes perfectiones, quæ ſunt in Patre & filio, quia, ut inquit D. Athanaſius in Symbolo, *in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus. Sed tota tres perſonæ Coæternæ ſibi ſunt & coæquales, Ita ut per omnia, unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit.* Idcireò in Patre, filio, & Spiritu Sancto, eſt una, & indiviſibilis cognitio, hoc eſt. Quod cognoſcitur à Patre, cognoſcitur à filio, & a Spiritu Sancto.

Joan.

D. Athanaſius.

Eamdem veritatem, ſeu unam, eamdem, & indiviſam cognitionem, eſſe in Patre, in filio, & in Spiritu Sancto, apertè docet Zeno veronenſis ſerm. 1. de generatione verbi æterni. Ibi enim expreſſè probat divinum intellectum, eſſe unum, & eumdem numerò in tribus divinis perſonis. Et D. Auguſtinus de Trinit. cap. 10. habet. *Vocat verbum perfectum cui non deſit aliquid, & artem quamdam omnipotentis plenam omnium rationum viventium, & commutabilium, & omnes unum in ea, ſicut ipſa unum de uno, cum quo unum ibi omnia novit Deus, quæ fecit per ipſum,*

Zeno veronenſis.

D. Auguſtinus.

Nec obſtat dicere has authoritates eſſe intelligendas de ſolo filio, non obſtat inquam. Hæc quidem verba, quæ ſuadent, filium habere in ſe perfectam notitiam eorum, quæ cognoſcuntur à Patre æterno, poſſunt verò applicari Spiritui Sancto. Ratio eſt quia cognitio eſt perfectio eſſentialis, aut attributum abſolutum, ſicut V. G. bonitas, de cujus natura eſt actu convenire tribus divinis perſonis. Zeno veronenſis, & D. Auguſtinus pronunciant ea de filio, & volunt, ipſum habere omnia, quæ habet Pater, quoniam à Patre procedit per viam generationis, & eſt Deus, ſicut Pater; ſed Spiritus Sanctus procedit à Patre & filio, non tanquam à duobus ſpiratoribus, ſed tamquam ab uno principio, & uno, eodemque ſpiratore, ut probabimus infrà contrà Græcos, ideoque eadem authoritas valet de Spiritu Sancto, ſicut de filio, cùm ex illis Sanctis Patribus, Ipſe Spiritus Sanctus ſit Deus, ſicut Pater, & filius, & conſubſtantialis utrique, quidquid dixerit Impiiſſimus Macedonius, quem repellit & damnat Joannes Evangeliſta dicens: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Quo patet, Spiritum Sanctum non eſſe omnino alium à filio, nec à patre, nec filium eſſe omnino alium à patre nec à Spiritu Sancto, licet alia ſit perſona Patris, alia filii, alia Spiritus Sancti. Quoniam Patris & filii, & Spiritus Sancti una eſt divinitas, æqualis gloria, Coæterna majeſtas.

Hujus differentiæ ratio eſt quia in Deo ſunt tres perſonæ verè & realiter diſtinctæ, quarum una non eſt formaliter alia, ſeu ratione principii ſui conſtitutivi, cùm paternitas, filiatio, Spiratio paſſiva nequeant eſſe in uno, eodemque ſuppoſito divino, & in illis tribus ſcilicet in Patre, filio, & Spiritu Sancto ſit ità una numero natura exiſtens in tribus immultiplicata, ut non valeat conſtituere tres alietates integras, quarum una ex ſuo conceptu adæquato ſit omnino extrà aliam, quas tamen conſtituerent ſi filius eſſet ſic alius à Patre, ſeu ex ſe totus, hoc eſt tam ſecundum perſonam, quàm ſecundum naturam. Et Spiritus Sanctus, alius à Patre, & filio, quia eſſet alius in natura, & in perſona. At hoc eſt falſum; ergo filius non eſt alius à Patre quamvis ipſa natura divina realiter conſtituat tres alietates perſonales & notionales ità conſtitutæ in ratione perſonæ, ut quis poſſit dicere citrà Hæreſim, perſonam filii, eſſe aliam à perſona Patris, quamvis nullus dicere poſſit, filium eſſe prorſus alium à Patre. Nam dicere, alia eſt perſona filii, alia eſt perſona Patris, nihil aliud eſt dicere, niſi quod filiatio, non eſt paternitas. At dicere alius eſt Pater, alius eſt filius, idem eſt ac dicere, quod pater eſt alius Deus, quia *alius* eſt nomen concretum dicens duo, naturam ſcilicet, & perſonam, & ideo dum ſic multiplicatur nomen, *alius*, multiplicantur naturæ, & perſonæ: Igitur ſi filius non ſit

Explicatur Notabilis differentia.

alius à Patre, ex dictis neceſſario ſequitur quòd videt id, quod videt Pater. Ratio eſt. Quia hæc notitia, aut cognitio, quâ pater videt, non eſt actus perſonæ, ſeu ſuppoſiti; alioquin in Deo eſſent tres intellectus; quòd eſt impium: ſed eſt actus divinæ potentiæ cognoſcitivæ, ſcilicet intellectus divini: ideoque Filius, & Spiritus Sanctus vident ſe & Patrem, ſicuti Pater Vider Filium & Spiritum Sanctum; cùm habeant eumdem intellectum, eamdemque cognitionem,

Præterea Filius, & Spiritus Sanctus æternâ potiuntur beatitudine, ſuntque perfectè beati, ſicut Pater, nedum ex parte potentiarum, nimirum intellectus, & voluntatis, ſed etiam ex parte objecti. Hæc autem beatitudo Patris conſiſtit in viſione, aut intuitu divinæ eſſentiæ, attributorum, & divinarum perſonarum, nam ſi nos beati, & ſimiles ei erimus quandò videbimus eum ſicuti eſt, Pater debet eſſe beatus videndo ſe, ſicuti eſt, ſeu omnia, quæ in Deo ſunt: igitur Filius, qui eſt beatus ſicut Pater, ſimiliter & Spiritus Sanctus, neceſſè eſt quòd videant Patrem, & omnia, quæ in Deo Sunt; cum hæc omnia conſtituant objectum æternæ beatitudinis, & in ipſa beatitudine eſſentiali, nihil ſit quod poſſit videri ſine alio, præſertim ſi cognoſcens ſit infinitus, ut eſt Filius, aut Verbum divinum. Hinc eſt quòd ipſe Filius Joan. cap. 14. verſ. 7. & ſequentibus ait: *Si cognoviſſetis me, & patrem meum utique cognoviſſetis, & amodo cognoſcetis eum & vidiſtis eum.* & alloquens Philippum exiſtimantem ad ſummam fælicitatem ſufficere videre Patrem, dicit; *tanto tempore vobiſcum ſum & non cognoviſtis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem; & ſufficit nobis, non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* ex his verbis facilè infertur, objectum perfectæ beatitudinis continere omnia, quæ in Deo ſunt, Et eum, qui videt Filium, videre Patrem, ac proinde Filium (qui eſt perfectè beatus) cognoſcere Patrem. Similiter & Spiritum Sanctum cognoſcere Patrem, Filium, & ſuam ſubſtantiam, quia hæc omnia comprehenduntur in objecto primario adæquato ſcientiæ divinæ, quæ eſt ità in Spiritu Sancto, ſicot in Patre, & Filio, una & eadem, ut verum ſit dicere, omniſciens Pater, omniſciens Filius, omniſciens Spiritus Sanctus, non tamen tres omniſcientes, ſed unus omniſciens.

Filius eſt perfectè beatus ſicut Pater.

Fundamentum Hæreticorum ſcilicet Origenis, & Lucii, eſt error Arianorum, vel ut veriùs dicam, Error Origenis eſt fundamentum Arii: dixit enim ipſe Origenes, (teſte D. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 45. relato in Articulo adverſus Arianiſmum) Filium non eſſe æqualem Patri, ex quo principio, ſed falſo, Arius concludit, Filium eſſe Creaturam. Unde Origenes dixit, Filium non videre Patrem, quia eſt creatura, cui Deus eſt inviſibilis; Idem dixit de Spiritu Sancto; at cum hæc hæreſis impugnata, & convicta fuerit in Articulo contrà Arianos, & Socinianos, ſuperfluum eſt hìc repetere rationes, & argumenta quibus Ariani contendunt probare, Filium non eſſe conſubſtantialem Patri, & quibus Origenes, & Lucius conantur ſuadere, Filium non cognoſcere Patrem, & Spiritum Sanctum non cognoſcere Patrem, neque ſuam ſubſtantiam; cùm ſolutiones ad Arianiſmum, Origenis & Lucii fundamenta diſſoluant, Ideoque ad prædictum articulum contrà Arianos remittendus eſt lector, ut ibi videat argumenta Origenis, & Lucii eſſe vana & fictitia, ibi enim diſcent, Filium eſſe Deum, & conſubſtantialem Patri, & ideo ipſum Verbum videre Patrem, & Spiritum Sanctum, & è converſo, hoc eſt, Patrem, & Spiritum Sanctum videre Filium: Quippe cùm habeant unam, & eamdem ſingularem ſubſtantiam; neceſſariò habent eamdem cognitionem.

Hic error ex Hæreſi Ariana procedit aut è converſo.

ARTICULUS XV.

Repellit Pneumatomachos, ſeu impugnatores divinitatis Spiritus Sancti.

TEmpore Conſtantii Imperatoris, & Liberii Papæ, circa Annum Domini CCCLX. inſurrexerunt quidam hæretici Sancti Spiritus divinitatem negantes, qui dicti ſunt Pneumatomachi, id eſt Spiritus Sancti impugnatores, ut notant D. Epiphanius hæreſi 74. & Theodoretus. Hujus hæreſis author fuit Macedonius primùm Nicomedienſis Epiſcopus, deindè in ſedem Pauli Conſtantinopolitani intruſus, ab Arianis Epiſcopus illius Eccleſiæ conſtitutus eſt, teſte Socrate lib. 2. cap. 9. ipſe enim primus fuit, qui Arii hæreſim in Filium, excerpit in Spiritum Sanctum, hoc eſt, aſſeruit contra Arianos, verbum eſſe per omnia Patri ſimile, & verè Deum, ſed Spiritum Sanctum non eſſe ejuſdem cum Patre & Filio ſubſtantiæ & naturæ, nec ejuſdem honoris participem, ſed utriuſque miniſtrum, & creaturam. Huic hæreſi ſtatim ſubſcripſit Marathonius in ſede Epiſcopali Nicomedienſi, ejuſdem Macedonii ſucceſſor, qui eam hæreſim, partim ſtudio, partim pecuniâ ità auxit, ut Macedoniani, à multis Marathoniani vocarentur in Bythinia, Thracia, Heleſponto, & Alibi, ut obſervant Nicephorus, Sozomenus & alii.

Macedonius

Marathonius

§. I.

Quò Anathemate Percutiuntur Hæretici

PNeumathomachi damnati fuerunt in Synodo Alexandrina, poſt reditum Sancti Athanaſii, celebrata anno CCCLXII. ut conſtat ex Epiſtola Synodica ſcripta ad Antiochenos. In Concilio Romæ habito ſub Damaſo, in quo teſte Theodoreto lib. 2. Hiſt Eccleſ. cap. 22. legimus, Spiritum Sanctum unam, eamdemque cum Patre, & Filio ſubſtantiam habere. In Synodo illyrici Anno CCCLXIII teſte Epiſtola Synodica eiuſdem ad Epiſcopos orientales. In Concilio Conſtantinopolitano primo, generali ſecundo, celebrato Anno CCCLXXXI. expreſſè contrà Macedonianos Spiritum Sanctum Deum eſſe negantes. In hoc quidem Concilio poſt hæc Nicæni verba, *& in Spiritum* dictum fuit aut addita fuit articulo de Spiritu Sancto, particula, quæ manifeſtè, atque expreſſè declarat ejuſdem Spiritus Sancti divinitatem: hæc ſiquidem additio eſt hæc *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum.* Tandem hæc hæreſis Macedonianorum, (quos D. Auguſtinus hæreſ. 52. vocat Semi-Arianos.) damnata fuit in altero Concilio Romano quod contrà Apollinarem habuit Damaſus, ex quo ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum Epiſtolam dedit, in qua Anathemate feriuntur Macedoniani. Ibi enim legitur: *Anathematizamus Macedonianos de Arii Stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, ſed nomen.*

§. II.

Probat divinitatem Spiritus Sancti.

QUamvis hujus articuli veritas, ex his quæ dicta ſunt de Filij Dei conſubſtantialitate, luceat, tamèn ut magis eluceſcat, adducendi ſunt hic alij ſacræ ſcripturæ textus, & præcipuè ille Joannis Evangeliſtæ Epiſt. 1. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*, ſed non ſunt unum in unitate perſonæ, cùm ex eodem Evangeliſta ſint tres, hocque nequeat intelligi niſi de trina ſupoſitalitate, aut ſubſtanria relativa, quæ in Deo verè multiplicatur: Igitur ſunt unum unitate eſſentiæ, ac ſubſtantiæ, aut naturæ, ac proindè ſicut verbum eſt conſubſtantiale Patri, quia dicit: *Ego & Pater unum ſumus*. Ita Spiritus Sanctus eſt conſubſtantialis Patri, & Filio, & verus Deus, quia *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, unum ſunt.*

Joan. Epiſt. 1.

Idem colligitur ex illo Math. cap. ultimo, *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quô ipſe Spiritus Sanctus, inter divinas perſonas numeratur, & dicitur Deus, ſicut filius; cùm ſicut filius inter tres divinas perſonas numeretur, & ut objectum fidei noſtræ proponatur in forma Baptiſmi; hinc ſancti Patres uſurparunt æqualem formulam glorificandi Spiritum ſanctum cum Patre & Filio: Dicunt enim: *Gloria Patri cum Filio, & cum Spiritu ſancto*: Et in Nicæna Synodo, *qui*, id eſt Spiritus ſanctus, *cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur*: Reverà hæc authoritas non convincit Arianos. Quoniam rejiciunt eam, & negant filium eſſe Deum; ſed impugnat Pneumatomachos, ſeu Macedonianos, & Trinitarios, qui volunt, filium eſſe Deum, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtanrialem Patri. Et nolunt, Spiritum ſanctum eſſe Deum: Etenim creatura nequit ſimul cum Deo adorari, nec conglorificari, hoc eſt, adorari adoratione, quâ, adoratur Deus; cùm nulla creatura valeat habere ſanctitatem quam habet Deus.

Forma Baptiſmi probat veritatem articuli.

Dicent forſan hoc provenire, ex ui generationis filij, qui cum a Patre generetur, debet eſſe ſimilis Patri, & habere cum Patre eamdem numerò eſſentiam: generatio enim eſt origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ. Quòd de Spiritu ſancto dici non poteſt, quia non eſt genitus, ſed procedens per voluntatem Patris & Filij ſe mutuò diligentium.

At-non nocet hæc inſtantia, quoniam licet Spiritus ſanctus non ſit genitus, ſicut filius, nec procedat ab intellectu, eſt tamen terminus mutuo Patris & Filij amore productus, hicque ſubſtantialis, cui communicantur à Patre & Filio omnes divinæ perfectiones; ergo cùm ſit ſubſtanrialis relativè oppoſitus Patri, & filio ut ſpiranribus, aut ut uni ſpiratori, eſt incommunicabilis, & perconſequens eſt perſona, quia relationes omninò incommunicabiles ſunt perſonales, aut perſonarum conſtitutivæ; eſtque Deus, quia perſona dicit duo, naturam ſcilicet, & perſonalitatem. Hæc autem natura in Spiritu ſancto, eſt divina, quia illi, à quibus producitur, id eſt Pater, & filius, qui ſunt unus tertiæ perſonæ nimirum Spiritus ſancti ſpirator, ei verè, & actu communicant omnia, quæ habent eſſentialia, quibus Pater eſt Deus, filius etiam eſt Deus; quin tamèn ſint tres Dij, quia hæc divina prædicata non multiplicantur, nec dividuntur, ut dicemus in proprio articulo contrà Cononitas. Unde argumentum, aut inſtantia Pneumatomachorum probat, Spiritum ſanctum non eſſe filium, nec verbum, nec imaginem Patris, ſed non probat, ipſum Spiritum ſanctum non eſſe Deum, cùm habeat ex ſua proceſſione naturam, quam habet filius ex generatione ſua.

Si Macedoniani, & Marathoniani nolint hanc reſponſionem admittere, neque nos audire, audiant Chriſtum dicentem, Joan. 4. verſ. 24. *Spiritus eſt Deus*, & cum credent Patri, & filio conſubſtantialem; nam ſi Spiritus ſanctus non ſit Pater, nec ſit filius, ut cum Eccleſia Catholica credunt ipſi Pneumatomachi, & ſit Deus, ut ſancit Chriſtus, neceſſariò ſequitur, ipſum habere eamdem Deitatem cum Patre, & filio; alioquin eſſent duo Dij. Quòd non concedunt. Hic D. Joannis textus ità convincens apparuit Arianis, Macedonianis, & Marathonianis, ut ipſum de ſacris Codicibus delevetint, ut teſtatur D. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 11. ubi egregiè contrà eoſdem inquit: *Literas quidem potuiſtis abolere, ſed fidem non potuiſtis auferre, plus vos illa littera prodebat, plus vos illa litura damnabat: Neque enim vos poteratis obtinere veritatem, ſed illa litura de libro vitæ, nomina veſtra radebat.*

In eoſdem hæreticos pugnat alter ſcripturæ textus, Spiritum ſanctum Deum eſſe affirmans, Actor. cap. 5. verſ. 3. ubi Ananiam ſic alloquitur D. Petrus; *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto*, mox cui mentitus ſit declarans, ait *non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Indè enim probant Ss. PP. Baſilius lib. 5. contrà Eunomium, & lib. de ſpiritu ſancto cap. 16. Gregorius Nazianzenus orat. 37. Ambroſius lib. 1. de ſpiritu ſancto cap. 4. & lib. 3. cap. 10. D. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 21. Epiphanius Hæreſ. 74. & alij, ſpiritum ſanctum non eſſe creaturam, ſed Deum Patri & filio verè conſubſtantlalem. Nam ſi Ananias mentiendo ſpiritui ſancto, mentitus ſit Deo, neceſſariò ſequitur, quòd ipſe ſpiritus ſanctus, non eſt creatura ut volucre Macedoniani, ſed eſt verè Deus.

Ambroſius

Nec poſſunt hæretici reſpondere, Ananiam mentitum fuiſſe Deo indirecte, reductive, aut ad Deum, qui mendacium vetat, & contrà quem peccat, qui mentitur homini, non verò propriè, & directe, ità ut mendacium Ananiæ ſit immediatè in Deum. Non poſſunt, inquam, ſic reſpondere Macedoniani ad authoritatem adductam, quia ibi D. Petrus excludit homines, & vult Ananiam nullatenus mentitum fuiſſe hominibus, ſed ſolùm ſpiritui ſancto; ac proindè Deo directè, & immediatè. Ratio hujus veritatis ex ui textus, eſt, quia ſpiritus ſanctus eſt Deus. Deindè ſi mendacium illud, eſſet in Deum tantùm reductivè, & mediatè, D. Petrus non nominaſſet ſpiritum ſanctum, ſed ſolùm dixiſſet, *mentitus es Deo* quia Dei eſt lex quæ mendacium vetat hominibus. Et ipſe eſt qui de peccatoribus vindictam ſumet.

Si ſpiritus ſanctus non eſſet Deus, ut volunt hæretici, ſequeretur quòd hæc verba D. Math. cap. 12. verſ. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contrà ſpiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, eſſent falſiſſima: Improbabile equidem eſt, quòd peccatum in illum, ſcilicet in ſpiritum ſanctum, ſit tam grave, quòd neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittatur, & peccatum quod fit in filium, remittatur in hoc ſæculo; quin ſpiritus ſanctus ſit Deus, ſicut Pater eſt Deus, & ſicut filius eſt Deus. Quia hæc gravitas peccati ex dignitate perſonæ offenſæ deſumitur, ideoque ſpiritus ſanctus

Math.

Digitized by Google

Sanctus debet eſſe Deus, ſicut Pater. Nam ſi eſſet creatura ot impiè dixerunt Macedoniani, ex illa gravitate peccati, ſequeretur, creaturam eſſe Deo altiorem ac ſanctiorem. Tum quia hoc colligi poteſt ex peccato quod eſt dictum, vel factum, vel concupitum contrà legem Dei. Tum quia peccata in creaturam utpotè in Spiritum ſanctum (qui ex Macedonianis creatura eſt) eſſent graviora peccatis commiſſis in Filium, qui ex ipſis eſt verè & eſſentialiter Deus: ergo ex vi textus allati, qui falſus eſſe nequit, ſequitur quòd Spiritus Sanctus eſt Deus, ſicut Filius; vel quod verbum contrà ipſom non eſt peccatum. At hoc poſterius eſt manifeſtè falſum: ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Spiritus S. eſt verè Deus.

Idem ſuader alter textus, qui eſt Apoſtoli 1 ad Corint. 6. verſ. 19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus Sancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo.* His enim verbis Apoſtolus declarat; Spiritum ſanctum; eſſe Deum, quia ſtatim ſubdit: *empti enim eſtis pratio magno glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, id eſt Spiritum ſanctum, ut exponit D. Auguſtinus Epiſt. 66. dicens: *Quem Deum niſi Spiritum Sanctum, cujus corpera noſtra dixerat eſſe templum, & in quem deſiderant Angeli proſpicere*, ut docet illud 1. Petri, cap. 1. verſ. 12. *Spiritu Sancto miſſo de cœlo, in quem deſideram Angeli proſpicere.* Ille autem, qui habitat in nobis, aut cujus ſumus membra, nequit eſſe creatura, quia ex eodem Apoſtolo non ſumus templum creaturæ; ſed Dei, nam creatura non eſt in nobis, ſed Deus: ergo Spiritus ſanctus, qui eſt in nobis velut in templo, eſt Deus; cui ſoli competit eſſe ubique. Inſuper ille, in quem deſiderant Angeli, & Beati in æternum proſpicere, tamquam in objectum beatitudinis; aut in ultimum finem, non poteſt eſſe creatura, quia in Deo dumtaxat conſiſtit hominum, & Angelorum fælicitas (ut probabitur contrà Mahometanos; & alios hæreticos, ſummam beatitudinem in voluptatibus, & rebus creatis conſtituentes) ideoque Spiritus ſanctus eſt verè Deus, cùm Angeli deſiderent proſpicere in eum.

D. Auguſt.

Tandem Spiritui ſancto conveniunt proprietates, & operationes divinitatis, quæ cùm naturam divinam neceſſariò ſequantur, neceſsè eſt quòd Spiritus ſanctus ſit Deus: Prima namque divinitatis proprietas eſt eſſe ubique, cœlum & terram implere, inquit Propheta Jeremias: ſed hoc convenit etiam Spiritui ſancto, ut conſtat ex illo Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, & ex illo Pſal. 138. *quo ibo à Spiritu tuo.* act. 2. *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Nemo autem ſivè in Scripturis, ſive in conſuetudine plenus creaturâ dicitur, ſoli divinæ naturæ convenit hic ſermo, quia ſolus Deus eſt immenſus (inquit Didimus lib. 1. de Spiritu ſancto:) ergo Spiritus ſanctus eſt verè Deus, ſicut Pater, & Filius; cùm habeat utriuſque proprietates quas habere, eſt utriuſque habere naturam, quæ cum ſit una numero in Patre, in Filio, & in Spiritu ſancto, Spiritus Sanctus eſt Deus ſicut Pater.

Probatur divinitas Spiritus S.

Creatio eſt opus ſolius Dei, quia ipſe ſolus poteſt ex nihilo aliquid facere ratione omnipotentiæ ſuæ. Hæc autem operatio competit ſpiritui ſancto. Pſal. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum.* Pſal. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Judith 16. *miſit Spiritum, & creata ſunt.* Hinc eſt quòd Apoſtolus 1. Corinth. cap. 12. opera ſpiritus ſancti recenſens, ea promiſcuè Deo & Spiritui ſancto tribuit, nam facta denumeratione ait: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*, & inde demonſtrat in ſpiritu ſancto, eſſe omnipotentiam, & ſupremum dominium, ſubindéque ſpiritum ſanctum eſſe Deum. Altera divinitatis proprietas eſt, quia Deus ſolus cognoſcit ſecreta cordium, dicit enim Iſay. 24. *ſecretum meum mihi*, & poteſt revelare myſteria, juxtà Danielem cap. 2. *eſt Deus in cœlo revelans myſteria*; ſed Spiritus Sanctus verè utrumque operatur, ot notat Apoſtolus, ad Corinth. cap. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, & cap. 14. *Spiritus loquitur myſteria.*

Nec poſſunt Macedoniani de hac proteſtatione Apoſtoli dubitare, quoniam idem prius aſſeruerat Apoſtolis Chriſtus Dominus dicens Joan 14. verſ. 26 *Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Et cap. 15. ait: *Cum autem venerit paracletus quem mittam vobis a Patre Spiritum veritatis; qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*: Igitur ſpiritus ſanctus eſt Deus, nec non verè conſubſtaotialis Patri, & Filio, cum habeat operationes divinitatis, & operari ſequatur eſſe; & Chriſtus non dicat, *Qui a Patre creatus eſt, ſed qui a Patre procedit*, id eſt *de paternæ ſocietate potentia, & de proprietate naturæ*, inquit Paſchaſius lib. de ſpiritu ſancto cap. 12. & D. Ambroſius ibidem cap. 7. habet; *Sicut creata dici non poteſt ſapientia, quæ ex ore Dei procedit; ità etiam creatus non poteſt Spiritus exiſtimari: qui ex ore Dei funditur.* Idem declarat D. Baſilius de Spiritu Sancto in lib. ad ſanctum Amphilochium Iconij Epiſcopum.

Authoritates ſacræ ſcripturæ, & concluſiones ex ipſis deductas, quibus ſpiritus ſanctus contrà ſemi-Arianos, ſeu Macedonianos firmatur Deus, & conſubſtantialis Patri, & Filio, eleganter exponit D. Fulgentius, Patriâ Carthaginenſis, profeſſione Monachus, è Monacho Abbas, ex Abbate ſub Traſimundo Uuandalorum Rege, anno circiter quingenteſimo, Ruſpenſis in Africa Epiſcopus, lib. 3. ad Traſimundum cap. 25. ubi ità ſcribit: *Dicatur igitur, ſi cœlorum virtutem potuit firmare qui non eſt Deus: ſi poteſt in baptiſmatis regeneratione ſanctificare, qui non eſt Deus: ſi poteſt charitatem tribuere; qui non eſt Deus. Si poteſt gratiam dare, qui non eſt Deus, ſi poteſt templum membra Chriſti habere, qui non eſt Deus, & dignè Spiritus Sanctus negabitur Deus ..... Si autem hæc creaturæ poſſibilia nunquam fuerunt, & inveniuntur in Spiritu Sancto, quæ tamen ſoli competunt Deo, non debemus naturaliter diverſum à Patre filioque dicere, quem in operum potentia diverſum, non poſſumus invenire, ac ſi ex unitate operis, unitas eſt cognoſcenda virtutis.* Unde quemadmodum quidam Judæorum videntes opera Chriſti, dixerunt eum eſſe Filium Dei. Ita Macedoniani videndo operationes ſpiritus ſancti, eſſe operationes Dei, debent credere ſpiritum ſanctum eſſe Deum.

D. Fulgentius.

Macedoniani & Marathoniani hanc ultimam rationem repellere obnixè conantur, & unanimiter reſpondent, operationes divinas ſpiritui ſancto convenire per miniſterium, non verò per authoritatem, ut conveniunt Deo, aut Patri, aut Filio. Sed falſa eſt hæc reſponſio. Nam operans per miniſterium, non ut vult, operatur, ſed ut vult ille, cujus miniſterium exercet; ut patet in Angelis, qui ad homines interdum deputantur. Et in hominibus quibus Reges utuntur. Sed ſpiritus ſanctus operatur ut vult, ut monet ſupra Apoſtolus 1. Corinth. cap. 12. verſ. 11. dicens; *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*; Nec creat, nec ſanctificat ille, qui operatur per miniſterium, ut facilè colligi poteſt ex ſupra dictis; ſed ſpiritus ſanctus creat, & ſanctificat; itaque Dei operationes tribuuntur ſpiritui ſancto per authoritatem, ſeu quia eſt Deus, ſicuti tribuuntur Patri & Filio: proprio enim utitur imperio ſicut Filius, quodquidem in creaturas imperium, ſoli Deo convenit.

Repellitur reſponſio Macedonianorum.

Idem, ſcilicet operationes divinas non convenire ſpiritui ſancto per miniſterium, ſed per ſe, & eſſentialiter, conſtat ex eodem Apoſtolo ad Rom. cap. 8. dicente *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificavit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, Ex 2. Petri cap. 1. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* His ſiquidem verbis ſuadetur, ſpiritum ſanctum non miniſterio, ſed propria authoritate; & virtute reſuſcitaſſe mortuos, & locutum fuiſſe per ôs Prophetarum, atque Apoſtolorum ſimul cum Patre, & Filio. Undè in forma baptiſmi, Deo Patri, & Filio, tertius adjungitur, nempè Spiritus ſanctus; quia eſt Deus ſicut Pater, & Filius. Certò non eſſet adjungendus in unum cum illis dignitatis, & honoris conſortium, niſi eſſet Deus, & operaretur authoritate divina ſibi propria, ſeu naturali, ſicut Filius. Quare D. Baſilius magnus lib. de Spiritu ſancto cap. 12. ait: *Proindè ſi in baptiſma ſeparare Spiritum à Patre, & Filio, ut periculoſum eſt baptizanti, ità baptiſmum accipienti inutile, quomodo nobis tutum fuerit, à Patre & Filio diſtrahere Spiritum: fides ac baptiſma duo ſunt modi paranda ſalutis inter ſe cognati, & inſeparabiles: nam fides perficitur per baptiſmum, baptiſmus verò fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces impletur: ſicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: Igitur hæretici Macedoniani, qui admittunt hanc formam baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* non poſſunt negare, Spiritum ſanctum eſſe Deum, Patri, & Filio conſubſtantialem.

§. III.

Solvuntur argumenta hæreticorum.

MAcedonianorum rationes ex Scriptura deductæ, quibus hæretici impugnant divinitatem Spiritus ſancti, ſunt ſequentes. Prima eſt ex illo Joan. cap. 16. ubi de Spiritu ſancto Chriſtus ait: *Quæcumque audierit loquetur & annunciabit vobis, non enim loquetur à ſemetipſo*; Sed qui debet alium audire, & inſtrui, & non loquitur à ſe ipſo, non eſt Deus, qui cùm inſtructione non egeat, à ſe ipſo loquitur, ſicut à ſe ipſo eſt: ergo (inquiunt) Spiritus Sanctus non eſt Deus, ſicut Filius, qui à ſe ipſo loquitur, ſed eſt pura creatura.

Reſponſio ad primam rationem Macedonianorum.

Reſpondeo cum D. Ambroſio lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 12. Chriſtum per *audire*, nihil aliud ſignificare, quàm *produci*, ac ſi dixiſſet: quæcumque acceperit à Patre per æternam proceſſionem (per quam communicantur illi omnia, quæ ſunt in ſcientia Patris) loquetur, & annunciabit vobis; hinc eſt quòd Spiritus Sanctus audit à Patre, & Filio, ſeu ab utroque recipit ea, quæ loquitur, non per inſtructionem, ſed per communicationem veram ſcientiæ divinæ, quam per æternam proceſſionem accipit à Patre, & Filio, qui communicant illi divinas perfectiones cum natura. Undè dum Chriſtus ait de Spiritu Sancto, *non enim loquetur à ſemetipſo*, hoc eſt, *non ſine mea, & patris communicatione*, ut notat D. Ambroſius lib. de Spiritu ſancto cap. 12. quare D. Auguſtinus exponens eadem verba, ait: *Non ergo loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi ſcire eſt, ſcire verò eſſe, quia ergo non eſt à ſemetipſa, ſed ab alio, à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil aliud eſt, quàm ſcientia.*

Secunda eſt ex illo ejuſdem Evangeliſtæ cap. 1. quô omnia quæ ſunt & exiſtunt tam in cœlis, quàm in terra per verbum æternum, creata, aut facta eſſe dicuntur, indè enim ſequitur Spiritum ſanctum, quem Pneumatomachi reponunt in illa rerum omnium creatione, eſſe creaturam, quoniam (inquiunt) Evangeliſta, qui dicit omnia, nihil excludit, & vult etiam Spiritum ſanctum, per ipſum verbum, factum eſſe; Idque confirmant ex aliis Sacræ Scripturæ locis, quibus oſtenditur; Filium Dei eſſe cauſam effectivam omnium rerum ac proindè Spiritus Sancti. Quapropter Chriſtus dixit diſcipulis ſuis *Si non abiero Spiritus paracletus non veniet ad vos.*

Reſponſio ad ſecundam.

Reſpondetur, ſcripturam eſſe intelligendam de his, quæ facta ſunt & reponuntur in creaturarum ſerie, ut apparet ex eodem textu Joan. cap. 1. ubi non tantum habetur: *Sine ipſo factum eſt nihil*, ſed additur *quod factum eſt* (hocque in eodem verſu, qui eſt tertius ejuſdem capitis) alioquin Pater factus eſſet per verbum, cùm non ſit perſonaliter Filius, & exiſtat ſicut Spiritus Sanctus, nec non in Ly, *omnia* includi poſſet, vel eſſet includendus ſicut ipſe Spiritus Sanctus: ego autem nullam video rationem ob quam ex illa authoritate liceat Macedonianis, potiùs Spiritum Sanctum, dicere creaturam, quàm Patrem: ergo non nocet textus relatus: quia Spiritus Sanctus eſt extrà ordinem earum rerum, quæ factæ ſunt, cùm ex D. Athanaſio non ſit factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens, non à cauſa creante, ſed ab ſpiratore, ſcilicèt à Patre, & Filio ſpirantibus amorem ſubſtantialem, qui eſt tertia Sanctiſſimæ Trinitatis perſona; ſicut verbum à Patre pronunciatum memoriâ fæcundâ, eſt ſecunda perſona. Hoc verum eſſe probat ipſemet Chriſtus, qui cùm expreſsè dicat, Spiritum Sanctum procedere à Patre, Joan. cap. 15. verſ. 26. manifeſtè declarat quòd verbum divinum non creavit, nec fecit illum: quamvis fecerit omnia, quæ facta ſunt, cùm ipſe Spiritus Sanctus non ſit factus, nec creatus, ſed procedens à Patre, & Filio.

Tertia eſt ex Apoſtolo ad Rom. cap. 8. ubi habetur: *ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*, & ad Galatas cap. 4. *miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra Clamantes: Abba, Pater*: Igitur Spiritus Sanctus, eſt inferior Patre, & Filio, proindeque creatura eſt, quia ſolius inferioris eſt poſtulare, & clamare, aut ad alium recurrere pro venia conſequenda: non enim eſt ens à ſe, nec per eſſentiam, ille, qui gemit, & clamat ad alium, ut ab eo exaudiatur, ut in Sacra Scriptura refertur de Spiritu Sancto.

Reſponſio ad tertiam.

Reſpondeo, Apoſtolum intelligendum eſſe in ſenſu cauſali, non verò in ſenſu formali, nam Apoſtoli ſenſus non eſt, quòd ipſe Spiritus Sanctus effectivè pro nobis poſtulet, & clamet, ſed quod gratiâ ſuâ faciat nos clamare, & poſtulare, ut communiter exponunt Sancti Patres, & præſertim D. Auguſtinus Epiſt. 121. ubi ait: *Dictum eſt interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit, ſicut dictum eſt*: idque colligitur ex his verbis ejuſdem Apoſtoli immediatè præcedentibus in eodem verſu poſitis: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, docet nos orare, & orare nos facit. Nullus ex his verbis Chriſti ad diſcipulos *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis* infert, Spiritum Sanctum loqui voce humana, niſi cauſativè. Nullus etiam poteſt ex Apoſtolo inferre, Spiritum Sanctum propriè interpellare pro nobis.

Dicent Macedoniani, quòd ſi hæc interpretatio valeret, ſequeretur, Apoſtolum loqui etiam de Patre, & Filio. Quia opera ad extrà ſunt omnia indiviſa toti Trinitati. Non obſtat inquam, quia Apoſtolus ibi loquitur per appropriationem, quâ plura conveniunt Spiritui Sancto, quæ non conveniunt aliis Perſonis, ut v. g. donum, charitas &c. quæ ſolitò dicuntur dona Spiritus Sancti: Incarnatio verbi divini, aut formatio humanitatis, eſt opus ad extra commune tribus divinis perſonis, appropriatur tamen Spiritui Sancto, juxtà illud Angeli ad Mariam, Luc. 1. verſ. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* Et illud Symboli *Incarnatus eſt de Spiritu Sancto.*

Ultima tandem ratio Macedonianorum eſt. Quia in variis Sacræ Scripturæ locis, in quibus fit mentio Patris, & Filij, ſolet omitti mentio Spiritus Sancti, ut patet ex illo Joan. 17. verſ. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Ibi enim non nominatur Spiritus Sanctus. Idem habetur ex illo 1. ad Timoth. cap. 5. verſ. 21. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis ut hæc cuſtodias ſine præjudicio*: Ergo Spiritus Sanctus non eſt æqualis Patri, & Filio in ratione ultimi finis noſtri, aut ultimæ fælicitatis hominum, & Angelorum, nec in ratione primæ veritatis, quæ ad juramenti veri firmitatem adducitur in teſtem: nam ſi eſſet Deus ſicut Pater, & Filius, quare Sacra Scriptura demonſtrando nobis terminum ad quem tendimus, aut firmando veritatem, de Patre & Filio, loqueretur, & Spiritum Sanctum omitteret; nulla (inquiunt Macedoniani) poteſt aſſignari ratio; niſi quia Spiritus Sanctus non eſt Deus, ſicut Pater & Filius, ſed pura creatura, quæ cum divinis perſonis nullum poteſt habere conſortium, nullamque unitatem.

Reſponſio ad ultimam. Reſpondetur primò, argumentum non valere eâ regulâ generali, quâ ex negativis nihil benè conficitur, & ex omiſſis nihil concluditur ut docent communiter Philoſophi. Deindè ſequeretur quód juxtà hæreticos Macedonianos, Angeli eſſent conſubſtantiales Deo. Quia nominantur cum Deo, & Jeſu Chriſto, & adducuntur ab Apoſtolo in teſtes ad juramenti veri firmitatem: nam ſi Spiritus Sanctus non ſit Deus, quia de eo nulla fit mentio, dum fit de Deo, & de Chriſto, oportet eadem ratione quód omnis Angelus ſit Deus, cum de ipſo fiat mentio, dum fit de Deo Patre & Filio ut patet ex proprio textu adducto. At falſum eſt Angelos eſſe Deo conſubſtantiales, ut ipſi Macedoniani fatentur: nulla eſt igitur eorum ratio.

Reſpondetur ſecundò aliâ ratione, Macedonianorum argumentum non valere, alias ſequeretur quód ex illis textibus liceret inferre, Filium non eſſe conſubſtantialem Patri, & Patrem non eſſe Deum, quia in variis locis Scripturæ Sacræ fit ſolùm mentio de Spiritu Sancto, & illi tribuuntur divinæ proprietates, ut conſtat ex dictis ſuprà. Et ex illo Joan. cap. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* &c. At dato & non conceſſo quód hujuſmodi reſponſiones non ſufficiant Macedonianis, ita ut ſit neceſsè quod mentio fiat de Spiritu Sancto, quandó fit de Patre, & de Filio, advertant tamen quód fit Math. cap. ult; *Euntes baptizantes eos &c.* Et Luc. ubi Angelus annuntians Mariæ incarnationis myſterium, facit mentionem de tribus divinis perſonis, ait enim, *Concipies Filium; Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Ibi enim tres perſonæ nominantur: ergo Spiritus Sanctus eſt Deus, & objectum fidei noſtræ, alioquin ſimul cum Patre, & Filio non nominaretur in Sacramento, nec in myſterio fidei, in, quo regeneramur & efficimur Filij Dei adoptivi per gratiam, quâ ſumus conſortes divinæ naturæ in nomine Patris & Filij; & Spiritus Sancti: idcirco ipſa divina natura eſt in Spiritu Sancto, ſicut eſt in Patre & in Filio.

Undè ſequitur quòd argumentum hæreticorum eſt prorsùs omittendum, tamquam nihil probans, & reſpondendum eſt quòd Scriptura ſic loquitur; ſcilicet de una tantum, vel de duabus perſonis; vel de tribus ſimul, pro data occaſione, nimirum pro ut fuerit conveniens, alicujus perſonæ divinitatem ſpecialiter inculcari. Qua propter in Sacris Scripturis, & Patribus frequentiùs fit mentio de divinitate Filij, quàm de Divinitate Patris; & Spiritus Sancti, quoniam difficilè eſt credere; & credendum alijs ſuadere, Filium hominis eſſe Filium Dei. Hoc patet in monte Thabor, in quo Pater æternus ut Filij ſui divinitatem oſtenderet; dixit. *Hic eſt Filius meus*, & nihil dixit de Spiritu Sancto, quia ex illa occaſione, Spiritus Sancti divinitatem demonſtrare non erat neceſſarium, nec omninò conveniens, D. Paulus relatus in tertia ratione Macedonianorum loquitur tantùm de Spiritu Sancto, quia tunc conveniens erat oſtendere; Spiritum Sanctum eſſe invocandum pro obtinendis gratiis, & donis ſpiritualibus.

Aliam Scripturæ Sacræ authoritatem addunt Macedoniani ex illo Math. cap. 11. verſ. 27 *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit revelare.* Inde enim inferunt, quód Spiritus Sanctus non eſt Deus, ſicut Filius; cùm non ſit Filius, qui novit Patrem. Nec cognoſcat Patrem, nec ſit Pater, & non cognoſcat Filium, hoc eſt, cùm non habeat illam ſcientiam, quam habent Pater, & Filius Pater, & quà Pater & Filius mutuó ſe cognoſcunt. *Adducunt aliam ſcripturæ authoritatem.*

Reſpondeo verbum *nemo* non comprehendere perſonas divinas, ſed ſolum creatas, ſcilicet Angelos, & homines naturaliter conſideratos; alioquin certé ſequeretur quód ipſa Scriptura ſibi contradiceret; cùm eadem cognitio tribuatur Spiritui ſancto, ex aliis textibus Sacræ ſcripturæ; ſicut Filio & præſertim ex illo 1. ad Corinth. cap. 2. verſ. 10. & 11. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum, Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? ità & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei.* Nam ſi in primo textu ab hæreticis Macedonianis adverſus nos adducto; illud verbum *nemo* excluderet perſonam increatam; etiam in ſecondo; cùm non ſit major ratio de uno, quàm de alio, quòd tamen concedere nequeunt Macedoniani, qui credunt contrà Origenem, & Lucium, filium noſcere Patrem: ergo non debent inferre ex priori textu, Spiritum ſanctum non cognoſcere Patrem, nec Filium, ſicut nequeunt inferre ex ſecundo, Filium non ſcrutari omnia profunda Dei, vel non cognoſcere ea, quæ ſunt Dei, ſicut Spiritus ſanctus ea cognoſcit, nequé concludere, Spiritum ſanctum non eſſe Deum. Nullam aliam adducunt rationem Macedoniani, & Marathoniani, nullamque authoritatem ex Sacra ſcriptura præter ſuprà memoratas, quæ cùm ſolutæ fuerint juxtà mentem ſanctorum Patrum, ex illis ipſis magis eluceſcit Spiritus ſancti divinitas, ejuſque Patri, filioque conſubſtantialitas; cùm nulla creatura poſſit comprehendere Deum ut dictum eſt contrà Eunomianos, & ex authoritate adducta ſequatur Spiritum ſanctum comprehendere Deum, ac proinde non eſſe creaturam.

Sic tamen inſtant. Ex ſuprà dictis: Spiritus ſan-

ctus ſcrutatur profunda Dei: ergo non eſt verus Deus, nemo enim dicitur ſcrutari ea, quorum perfectam, & certiſſimam cognitionem habet, & quam Deus habet de ſeipſo, cùm objectum primarium, adæquatum & formale cognitionis aut ſcientiæ divinæ, ſit ipſiuſmet Dei eſſentia, in qua ità repræſentantur omnia, aut cui ita identificantur omnia quæ in Deo ſunt, ut inutilis ſit ſcrutatio illi, qui eſt Deus.

Reſpondetur conſequens eſſe falſum, quia Spiritus ſanctus non dicitur ſcrutari propriè, ſeu quatenus hoc verbum ſignificat inquiſitionem eorum, quæ ignota, & occulta ſunt, ſed tropicè id eſt quatenus ſcrutari ſignificat, perfectè, clarè, & immediatè cognoſcere, quòd apud Theologos idem eſt ac comprehendere: Igitur ex illo verbo *ſcrutari* nihil poſſunt Macedoniani inferre contrà divinitatem Spiritus ſancti; aliàs poſſent dicere etiam, Deum non eſſe Deum, quoniam Pſal. 7. verſ. 10. dicitur: ſcrutans corda, & renes, & alibi ſcrutator cordium. Ratio eſt quia Deus habet ſcientiam infinitam, & perfectè comprehenſivam ac proindè non poteſt dici ſcrutator; ſed nonobſtáte illa ſcientia infinita, dicunt Deum eſſe ſcrutatorem: debent etiam dicere Spiritum ſanctum eſſe Deum, quamvis ſcrutetur profunda Dei.

ARTICULUS XVI.

Refutat errorem Græcorum, & Armænorum.

HOrum hæreticorum, aut Eccleſiæ Græcæ error Palmaris in præſenti articulo impugnandus pro tuenda Catholicæ fidei veritate, eſt, ſpiritum ſanctum à ſolo patre procedere, ut fatentur omnes ſcriptores, inter quos difficultas ſolum eſt de authore hujus hæreſis, quæ nunc Græcorum ſchiſmaticorum, & Armenorum eſt. Quidam volunt primum aſſertorem fuiſſe Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſpiritus ſancti divinitatis Impognatorem, eorum fundamentum eſt, quia Juſtinianus Epiſcopus Siciliæ in quadam Epiſtola ad Petrum Epiſcopum Antiochenum, quæ habetur in quinto Concilio generali, ait: *Macedonius ſpirat à Patre ſolo Spiritum Sanctum*, ex hoc quidem principio, tamquam ex certo, & vero fundamento (quamvis in ſe falſum ſit & erroneum) concludunt, Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de quo in præcedenti articulo locuti ſumus, eſſe primum, qui docuit ſpiritum ſanctum à ſolo patre procedere, quia proceſſio ſpiritus ſancti eſt ſpiratio, ſicut proceſſio Filij eſt generatio. Sed non valet hæc ratio, quoniam pro verbo, *Spirat* juxtà plurium doctiſſimorum virorum mentem, legendum eſt, *ſeparat*, hocque magis convenit hæreſi Macedonianæ, quæ Spiritus ſancti divinitatem negabat, & eum à Patre, velut creaturam à creatore ſeparabat, ſecundum ſubſtantiam, & proprietates eſſentiales.

Macedonius non eſt inventor erroris Græcorum

Alij (interquos eſt Cabaſſutius ſcriptor recens in notitia Conciliorum) exiſtimant, Neſtorium etiam Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & inſignem hæreſiarcham, eſſe primum, qui docuit Spiritum Sanctum non procedere à Filio. Hujus aſſertionis fundamentum eſt. Quia Theodoretus creatus, Cyri Epiſcopus circà Annum CCCCXXX. in confutatione duodecim capitulorum, quæ Cyrillus Alexandrinus ediderat adversùs hunc impium hæreſiarcham Neſtorium, ait: *Si Spiritum Sanctum, ex Filio, aut per Filium, eſſentiam habere dicas, tamquam impium aſpernabimur: credimus enim Filio dicenti, Spiritus qui a Patre procedit.* Nam cùm Neſtorianus eſſet ipſe Theodoretus, Caballutius & alij volunt, hunc errorem contrà Spiritum Sanctum, inter Neſtorianos eſſe computandum, & Neſtorium fuiſſe ejuſdem erroris authorem. At invalidum, prorſúſque inane mihi videtur fundamentum illud. Tum quia nullus eorum, qui hæreticorum cathalogum condiderunt, eorumdemque retulerunt omnes errores, Neſtorio impingit hanc hæreſim, quæ non eſt minus gravis eâ, quæ Neſtoriana dicitur. Tum quia ipſe Theodoretus reverà fuit ſemper acerrimus Neſtorianus, ſed errori, errorem, hæreſi hæreſim, & impietati impietatem addere potuit, hoc eſt, potuit credere, aut dicere cum Neſtorio duas eſſe in Chriſto perſonas, & occaſione refutandi Divum Cyrillum in impugnatione contrà Neſtorianos de Spiritu Sancto loquentem, dicere contrà Neſtorium, aut præter ejuſdem Impiiſſimi magiſtri mentem, quòd Spiritus Sanctus, non habet eſſentiam ex Filio, nec per Filium, ut videmus de Beza, qui quamvis Calviniſta, plures poſt Calvinum, adinvenit blaſphemias, quas falſis Calvini Dogmatibus addidit.

Neque Neſtorius

Undè juxtà communiorem, & probabiliorem ſcriptorum Eccleſiaſticorum Calculum, probabilius mihi videtur hujus erroris primum aſſertorem fuiſſe Ipſum Theodoretum Epiſcopum Cyrenſem, qui fuit in perſona impij Neſtorij damnatus à Sanctis patribus Synodi Epheſinæ, quæ rite damnando hæreſim de duabus in Chriſto perſonis, damnavit etiam omnes ipſius errores. Verùm paulò poſt reſipiſcens, ut patet ex litteris ipſius ad Anatolium Patricium, ad Nomum Conſulem, ad Euſebium Ancyranum, & ad alios, ejuratà priori ſententiâ, ſummo omnium applauſu, Catholicus proclamatus fuit in Concilio Calcedonenſi anno CCCCLI. & hæreſis de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo patre, hoc ipſo tempore fuit ſopita, ſicque remanſit uſque ad annum DCCCLVII. tunc enim Photius vexillifer Græcorum Schiſmaticorum, qui ejecto ſancto Ignatio Patriarchâ Conſtantinopolitano, in ejuſdem ſedem, & locum intruſus, inſtauravit eam in Oriente, à quo tempore ferè omnes Græci crediderunt, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, & hanc hæreſim velut publicam teſſeram habuerunt, quâ in conſutilem Chriſti tunicam ſcinderunt nefario nedùm Schiſmate, ſed & variis hæreſibus, ab Eccleſia latina Catholicæ veritatis firmiſſima columna recedendo (inquit Fraſſenius noſter in curſu Theologico). Exindè pluriès tentatum eſt, Græcos ad fidem & unitatem Eccleſiæ revocare, ut obſervat hiſtoria Eccleſiaſtica, & conſtat ex actibus Conciliorum, præſertim Lugdunenſis, & Florentini; ſed licèt olim in Eccleſia ſua fide clari, & doctrinâ celebres, & famoſi, tamen, *toties doctrinis variis & peregrinis adducti ſunt a fide Romana, ut decies & quater ad Eccleſia Gremium redierint, & toties ſe abdicaverint*, inquit Oſius de conjugio Sacerdotum, & lib. de communione ſub utraque ſpecie. Cui adjungi poſſunt plures alij idem referentes.

Theodoretus eſt author hujus hæreſis.

Photius

Plures hiſtorici notant, hanc hæreſim non tam permanſiſſe ſopitam, utpotè à Theodoreto Epiſcopo Cyrano uſque ad Photium. Volunt enim hanc ipſam hæreſim ſuſcitatam fuiſſe Anno DCLXXV. idque probant ex quodam Concilio Anglicano celebrato Anno DCLXXIX. ex Concilio altero, ſeu Gentiliaſcenſi celebrato Anno DCCLXVII. & ex Concilio Aquiſgrano poſtea celebrato, ſcilicet Anno DCCCIX. in quibus agitatum fuit an Spiritus Sanctus eſſet à Filio,

ſicut à Patre, & decantata fuit in Symbolo hæc particula *Filioque* ad inſtantiam Caroli magni Imperatoris, qui eam propoſuit, ut ſilentium imponeretur nonnullis, qui volebant, Spiritum Sanctum à ſolo patre procedere ſicut, expreſſe dicitur in Sacra Scriptura. At vana eſt hæc obſervatio, quoniam in prædictis Conciliis, nulla facta fuit expreſſa mentio de hac hæreſi, neque de aliquo ipſios deffenſore, nec fuit examinatum an Spiritus Sanctus procedat à Filio, tamquam à principio productivo, quia nulla de hac re tunc erat apud fideles controverſia, ſed ſolùm quæſitum fuit, an particula *Filioque* addenda eſſet Symbolo Nicæno, ut quidam tunc temporis volebant, quòd concluſum fuit, & prædicta particula *filioque* addita. Hæc deciſio plures movit Epiſcopos ad contraditionem: plures enim ſtatim voluerunt, nullum Concilium poſſe eam addere Symbolis Nicæno, & Conſtantinopolitano. Nullus tamen dixit hanc particulam *Filioque* eſſe reijciendam & contrariam fidei Catholicæ: Igitur hæc hæreſis ſepulta remanſit à Theodoreto uſque ad Photium, hoc eſt, ab Anno CCCCXXX. uſque ad annum DCCCLVII.

§. I.

Hæreſis condemnatio.

HÆc hæreſis damnata fuit in variis Conciliis nationalibus, & provincialibus, & præſertim in Conciliis Toletanis primo, tertio, quarto, octavo, undecimo, duodecimo, decimo tertio, & in
Concilia Toletana aliis, quæ hìc afferre, mihi ſuperfluum videtur, tum quia ab omnibus in hiſtoria Eccleſiaſtica verſatis noſcuntur, tum quia plura referre tenemur in probationibus articuli, tum quia ſufficiunt duo generalia, Lugdunenſe ſcilicet ſub Gregorio X. & Flo-
Concilia Lugdunenſe, & Florentinum. rentinum ſub Eugenio IV. in quibus proceſſio Spiritus Sancti à Patre, & Filio ſummâ diligentiâ pertractata eſt, & conſentientibus etiam Græcorum præcipuis, ac præſente orientis Imperatore, Spiritum Sanctum à patre filioque procedere deffinita fuit. Et in litteris Sanctæ unionis inſertum, terque cantatum fuit Symbolum Nicænum Græcè, & Latinè cum explicatione illa *ex patre, Filioque procedit.*

Verba Concilij Florentini ab Eugenio IV. Summo Pontifice prolata, conſentientibus Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, ſunt hæc: *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc Sacro univerſali approbante Florentino Concilio, deffinimus, ut hæc fidei veritas, ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tamquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit, declarantes quòd id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex patre per filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem, & quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe patrem, hoc ipſum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt.*

Sed quia levia ſunt Græcorum ingenia, non diu in fide, & concordia manſerunt. Dixerunt enim, ut vomitum ſuum reſorberent, hanc particulam *filioque* addi non poſſe Symbolo Nicæno ab aliquo Concilio, quia Concilium Calcedonenſe aſſerit, Nicænum, & Conſtantinopolitanum (in quibus non eſt hæc particula) ſufficere, nec alias voces ad expoſitionem fidei cenſet addendas Symbolo Nicæno. At omnibus patet, hanc acclamationem eſſe inſulſam, quis enim poteſt ſanâ mente negare, eamdem Eccleſiam quæ novum potuit producere Symbolum ad novas propulſandas hæreſes in Concilio Nicæno, non potuiſſe ſimiliter per unius, alteriuſve vocis adjectionem in aliis Conciliis ſubſequentibus, hæreſim Photij extinguere ſe noviter offerentem? nemo niſi inſanus: Quia eadem Eccleſia, quæ in Concilio Conſtantinopolitano ſtatuit Spiritum Sanctum à patre procedere, Scriptura ſic docente, ſtatuit in alio pro extinguenda Nova hæreſi contra Spiritum Sanctum, ipſum Spiritum Sanctum eſſe a Patre, & Filio; quin contradicat prioribus, quæ licet dixerint, Spiritum Sanctum eſſe à patre, non negarunt tamen ipſum eſſe à Filio, cum non appoſuerint hanc particulam *tantum* ut fuſius atque Clariùs dicemus in reſponſionibus ad Græcos. Hæc vox *filioque*, non eſt contraria fidei Nicænæ, quia non negat, Spiritum Sanctum eſſe à Patre, nec auget eam, ſeu addit fidei Nicænæ, alium, aut novum fidei articulum à Patribus Nicænis omiſſum, quia non eſt propriè additamentum, ſed interpretamentum, inquit Andreas Rodnius.

§. II.

In quo probatur aſſertio Catholica.

VEritas articuli evidenter colligitur contrà Græcos ex variis Sacræ Scripturæ locis, & præſertim ex illo Joan. cap. 16. verſ. 14. ubi Chri- *Joan. 16.*
ſtus promiſit Apoſtolis Spiritum Sanctum dicens: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Nam ſicut Filius glorificavit Patrem, quia recepit à Patre omnia, quæ habet, ab eo procedendo, ità ratio ob quam Spiritus Sanctus glorificabit Filium, eſt, quia accipit ab eo, ea, quæ habet, ex eo procedendo, unde Chriſtus verſu ſequenti addit, *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt, propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, ex quibus verbis, omiſſis variis ſanctorum Patrum expoſitionibus, & interpretationibus, ſequitur quòd ea, quæ accepit Spiritus Sanctus, ſunt in Filio, ſicut in Patre, & quòd ea ab utroque accepit tamquam ab uno ſpiratore. Quòd verum eſſe probatur hoc argumento. Id quod Spiritus Sanctus dicitur accepturus de Filio, eſt ſcientia ut probat ipſemet textus ex illa particula: *Annunciabit vobis*: ſed ſcientia Spiritus Sancti, & ejus eſſentia, ſunt unum & idem realiter, ut fatentur ipſi Græci, (qui nullam diſtinctionem in divinis admittunt, niſi inter perſonas: ergo Spiritus Sanctus (qui, accepit ſcientiam à Filio per proceſſionem ſicut à Patre, cùm in Evangelio, verbum *accipiet* nihil aliud, quàm proceſſionem ſignificet: in divinis enim nulla eſt alia actio, niſi generatio, & ſpiratio) accepit à Filio etiam eſſentiam, quæ eſt indiſtincta a ſcientia, cum qua eſt ità eadem omni identitate, ut non poſſit ipſe Spiritus Sanctus eam accipere à Filio; quin ab ipſo recipiat etiam eſſentiam, aut naturam divinam, ſeu quin ab ipſo Filio procedat, ſicut à Patre.

Nec valet dicere quòd ad hoc ſufficit, Spiritum Sanctum nihil docere contrarium eis, quæ docuit Filius, quòd eſt, ipſum Spiritum Sanctum loqui

Digitized by Google

ſcientiâ Filij; quin ab ipſo acceperit eamdem ſcientiam. Non valet inquam, quia loqui ſcieotiâ alterius, eſt propriè loqui ſcientiâ acceptâ ab illo. Deindè ſi hoc eſſet ſequeretur quòd Spiritus Sanctus loquendo ea, quæ conſentanea ſunt ſcientiæ Filij, loqueretur à ſe ipſo, hoc eſt, non loqueretur ſcientia infinitâ. Quia non loqueretur ſcientiâ Filij, ſed ſcientiâ creatâ, quòd tamen non eſt, ut declarat Chriſtus verſ. præcedenti utpotè 13. dicens. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo*: Igitur non ſolùm loquitur conſentanea doctrinæ, & ſcientiæ Filij, ſed etiam loquitur à Patre, & Filio, Quód verum eſſe nullus ibit inficias;nam ſi Spiritus Sanctus non loquitur à ſemetipſo,neceſſatió loquitur ab eo, à quo accepit eſſe, & ſcientiam: ergo loquitur à Filio ſicut à patre, quoniam ex textu accepit de Filio eſſe, ſcientiam, & alias divinas perfectiones. Nihil enim poteſt ipſe Spiritus Sanctus de Filio accipere, niſi ſit divinum, qnia omne quod accepit, & accipit, & accipiet, id æternaliter habet, ipſo Chriſto ſic teſtante, hâc particulâ *de meo accipiet*; undé optimè D. Auguſtinus tract. 99. in Joan. locum illum ſic exponit: *Non ergo loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur, ab illo audiet à quo procedit, audire illi ſcire eſt: ſcire verò, eſſe. Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud, quàm ſcientia.*

D. Auguſt.

Græci reſpondent, & volunt, hanc authoritatem D. Joannis nihil probare, quia (inquiunt) Chriſtus non dixit: *Spiritus Sanctus à me accipiet*, aut, *ex me*, ſed *de meo accipiet*, ſeu de eo, quod meum eſt, aut ea, quæ accepi à Patre meo. Unde cùm illud quod eſt Filij, ſit Patris, & pater poſſit illud ex ſe ſolo date Spiritui Sancto, ſicut dedit illud Filio, ſequitur quod Spiritus Sanctus accipiet ſcientiam Filij, & habebit illam, oon ab ipſu Filiu,ſed à ſolo Patre, & hoc nonobſtante Filius dicere poteſt: *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Cum ea, quæ ſunt Patris, ſint etiam Filij, teſte D. Joan. cap. 16. *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt*; Igitur oon implicat, quód Spiritus Sanctus accipiat de eo, quod eſt Filij; quin illud à Filio accipiat, nam ea, quæ ſunt communia tribus divinis perſonis, accipi poſſunt ab ona; quin accipiantur ab alia, cujus ſunt etiam; cùm inter divinas perſonas nolla ſit dependentia.

Reiicitur Græcorum reſponſio

Hæc reſpooſio non valet, quia *de meo accipiet*, non ſolum cadit in rem accipiendam, ſeu ſcientiam, eſſeotiam, & omnia abſoluta, quæ ſunt in Deo, ſed etiam in actionem communicativam, ſeu io principium à quo dantur, ità ut Spiritus Sanctus accipiat de eo quod eſt Filij, ab ipſo Filio, ratio eſt quia, *accipere*, ſupponit, *dare*. Aliquid enim accipitur, quia datur, aut communicatur; dare autem, communicare, Spirare Spiritum Sanctum, eſt actio, quæ non eſt ità de Patre, ut Filius nequeat dicere, *Spiritus de meo accipiet*, quamvis hæc actio ſit etiam in Patre, ſicut ſcientia; nam ipſa actio ſeu voluntas fœcunda, aut ſpiratio activa eſt etiam à filio, ſicut à Patre; cùm ſit in filio ſicut in Patre, juxtà ſacram ſcripturam Joan. 16. verſ. 15. *omnia quæ habet Pater mea ſunt*, quibus verbis ſancti Patres docent, omnia, quæ ſunt in Patte, eſſe in filio, excepto eo, quo eſt Pater, nimirum paternitate, quæ cùm relativè opponatur filiationi, nequit ſimul cum ipſa eſſe in filio, ut Græci fatentur; atqui Pater non eſt Pater actione productiva Spiritus ſancti, quâ ſpirator dumtaxat conſtituitur, cùm (etiam juxtà fidem Græcorum) generatio filii ſit prior ſpiratione, aut productione ſpiritus ſancti, ſicut cognitio eſt prior amore, quoniam filius ex cognitione, & ſpiritus ſanctus ex amore procedit: Ergo Spiritus ſanctus accepit à filio, ſicut à Patre, cùm actio productiva ipſius Spiritus ſancti, ſeu ſpiratio activa ſit etiam filii, in quo ſunt omnia, quæ ſunt in Patre, excepta paternitate. Et Pater & Filius ſint unus ſpitator. Spirare enim eſt actus voluntatis fœcundæ, quæ tam eſt in filio, quàm in Patre; cùm filius ſit ſicut Pater origine prior Spiritu ſancto (qui eſt hujus voluntaris fœcundæ terminus productus) habenſque omnia,quæ Pater habet.

Spiratio activa eſt in filio ſicut in Patre.

Reverà ſpiratio activa non eſt communis & eſſentialis ſicut ſcientia, ſed relativa, & communis tantum Patri, & Filio, quia priuſquam voluntas intelligatur habere terminum productum (qui eſt Spiritus ſanctus) eſt in filio, qui recipit à Patre voluntatem fœcundam ex ui ſuæ generationis, ſeu talem, qualem Pater habet, aut quatenus eſt ſpirativa, aut ſpirat, alias acciperet voluntatem conſequenter ad productionem Spiritus ſancti, quòd eſt falſum; cum in ſigno productionis Spiritus ſancti, filius ſit verè Deus, & ex ui ſuæ generationis habeat omnes divinas perfectiones, inter quas numeratur voluntas: Igitur divina voluntas in utroque, ſeu prout in Patre, & in Filio exiſteos, producit ſuum terminum, puta Spiritum ſanctum: Ac proindè ipſe Spiritus ſanctus ab utroque procedit, quia in utroque eſt ipſius principium, utpotè voluntas fœcunda, ſeu ſpirativa, quæ filiationi non repugnat, ſicut repugnat ei paternitas: ut ex propriis terminis patet. Aliunde ſpiratio activa non eſt coo..itutiva perſonæ, ut paternitas ideoque non eſt incompatibilis cum paternitate, & filiatione.

Mens Græcorum eſt quòd Pater amando eſſentiam, ſpirat Spititum ſanctum, ſicut cognoſcendo eamdem eſſentiam, generat verbum; ergo (inquiunt) ſolus ſpirat, ſicut ſolus generat. At non valet hæc ratio, quoniam in illo ſigno, in quo Pater amat eſſentiam, filius, qui genitus eſt per cognitionem quæ ad amorem præſupponitur, amat eam, cùm voluntas, quæ eſt principium amoris, ſit in ipſo ſicut eſt in Patre: Igitur ſimul cum Patre ſpirat amorem perſonalem, & ſubſiſtentem, ſeu Spiritum ſanctum, ut inſinuat D. Auguſtinus 5. de Trinit. cap. 14. dicens: *Sicut Pater & filius unus Deus, & ad creaturam relatiis, ſic relativè ad Spiritum ſanctum unum principium.*

D. Auguſt.

Idem apertè declarat Pater æternus, Pſal. 109. affirmans ſe eſſe cum filio principium in die æternitatis. Ait enim filio: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorùm ex utero ante luciferum genui te.* Sed filius non poteſt in die æternitatis eſſe principium cum Patre ſui ipſius, ut eſt manifeſtum, nec creaturarum, cùm nulla creatura ab æterno à Deo proceſſerit, ut dicemus contrà Hermogenianos: Ergo filius eſt principiū Spiritus ſancti: Ita exponunt verba Pſalmiſtæ plures aothores, quos referunt, & ſequuntur Theologi in tract. de Trinitate diſputantes contrà Græcos.

Pſal. 109.

Hujus expoſitionis veritas ſuaderi poteſt teſtimoniô Joan. 20. dicentis de Chriſto. *Inſufflavit, & dixit, accipite Spiritum ſanctum*, hoc enim denotat quòd ipſe filius ſpirat, ac inſufflat illum divinum amorem, eſt que ſimul cum Patre, Spiritus ſancti principium. Dat quidem quod ſuum eſt. Hinc fit quòd Spiritus ſanctus vocatur ab Apoſtolo ad Rom. 8. & ad Galat. 4. Spiritus filii, ut fuſiùs dicemus infrà. Et D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Cùm reſurrexiſſet à mortuis*, inquit. *Et appa-*

ruiſſet diſcipulis ſuis inſufflavit, & ait, accipite Spiritum ſanctum, ut eum etiam de ſe procedere oſtenderet.

Nec mirari debent Græci, quia Chriſtus non rogavit ut Spiritus ſanctus daretur Apoſtolis, ſed ipſe dedit eum illis. Undè idem ſanctus Doctor ſubdit: *Quid verò fuit cauſa, ut poſt reſurrectionem ſuam, & in terra prius daret, & de cælo poſteà mitteret Spiritum ſanctum. Hoc ergo exiſtimo quia per ipſum donum diffunditur charitas in cordibus noſtris, quò Deum diligimus, & proximum, ſecundum duo illa præcepta, ex quibus tota lex pendet, & Prophetæ. Hoc ſignificans Dominus Jeſus, bis dedit Spiritum ſuum, ſemel in terra propter dilectionem proximi, & iterum in Cælo propter dilectionem Dei.* Unde idem doctor Tract. 99. in Joan. ait: *Cur ergo non credamus, quod etiam de filio procedat Spiritus ſanctus, cum filii ipſe ſit quoque Spiritus. Si enim ab eo non procederet, non poſt reſurrectionem ſe repræſentans diſcipulis inſufflans, diceret: accipite Spiritum ſanctum, &c.*

Jeſus Chriſtus promittit Apoſtolis, Joan. 16. verſ. 7. ſe miſſurum eis Spiritum ſanctum; ibi enim ait: *Si non abiero Paraclitus, non veniet ad vos, ſi autem abiero mittam eum ad vos.* Ex quo loco ſancti Patres inferunt etiam, quòd Spiritus ſanctus à filio procedit. Eorum ratio eſt, quia miſſio unius perſonæ ab alia, intelligi nequit, niſi ſubſtantialiter ab illa procedat, hoc eſt, in divinis, perſona procedit ab illa, à qua mittitur, ut ait D. Gregorius Homil. 26. in Evangelia. *Spiritus ſancti Miſſio eſt ipſa proceſſio, quia de Patre procedit, & Filio.*

Idem docet D. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. ubi ait: *Sicut natum eſſe, eſt filio, à Patre eſſe, ità mitti, filio, eſt cognoſci quod ab illo ſit, & ſicut Spiritui ſancto donum Dei eſſe, eſt à Patre procedere, ità mitti eſt cognoſci quòd ab illo procedat, nec poſſumus dicere, quòd ſpiritus ſanctus, & à filio non procedat: Nequè enim fruſtrà idem ſpiritus, & Patris & Filii ſpiritus dicitur.* Itaque Spiritus ſanctus à Filio procedit, ſicut à Patre; cùm ab ipſo mittatur, & miſſio non ſecundum imperium, aut ſecundum conſilium, ſed ſecundum originem intelligenda ſit. Nam Pater à nulla perſona mitti poteſt; quia à nullâ procedit. Et Filius mittitur à Patre, non à Spiritu ſancto, quia non à Spiritu ſancto, ſed à Patre ſolo procedit, ut docet fides Catholica.

Græci poſſunt ex illa ratione inferre quòd Filius procedat à Spiritu ſancto. Quia conſtat, verbum fuiſſe miſſum à Spiritu ſancto, ut habetur ex illo Luc. cap. 4. ubi Chriſtus ait: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, & Evangelizare pauperibus miſit me.* Nullus tamen infert aut dicit, Spiritum ſanctum eſſe principium filii, aut filium à Spiritu ſancto procedere: Igitur non valet quis inferre ex his verbis Joan. cap. 16. verſ. 7. ſupra relatis, perſonam divinam procedere ab illa à qua mitti poteſt, & ſic nec dicere, ſpiritum ſanctum procedere à filio, à quo mittitur; cùm miſſio non fundetur generaliter in proceſſione.

Sed non nocet hæc reſponſio. Nam Chriſtus Luc. 4. loquitur ut homo, in quo ſenſu dicitur miſſus à Spiritu ſancto, non verò ut verbum increatum, in quo ſenſu à ſolo Patre procedit, & ab ipſo ſolo mitti poteſt. Hinc eſt quòd Chriſtus de deſcenſu ſuo loquens Joan. 5. verſ. 36. ait: *Ipſa opera, quæ facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me*, & verſ. 37. *& qui miſit me Pater.* His enim conſtat, verbum fuiſſe miſſum à ſolo Patre, quamvis Chriſtus à Spiritu ſancto miſſus fuerit ad Evangelizandum. Ratio hujus expoſitionis eſt. Quia Spiritus ſanctus miſit filium ſecundum eam naturam, ſecundum quam eſt ſuper eum, & unxit eum, ut ex textu colligitur. Sed hoc verificari non poteſt de natura divina Chriſti, cùm nequeat ſuper eam eſſe Spiritus ſanctus, nequè ungere eam

Rejicitur altera Græcorum inſtantia.

Ideoque textus, quô Chriſtus dicit ſe miſſum à Spiritu ſancto, intelligendus eſt de natura aſſumpta, non verò de perſona aſſumente. Et dum ait Apoſtolis *mittam eum*, ſeu Spiritum ſanctum *ad vos*, loquitur de Spiritu ſancto perſonaliter; cùm in ipſo nihil aliud ſit, niſi natura divina; & perſona idcirco affirmat ac declarat ſe principium Spiritus ſancti quem mittet, ſicut declarat Patrem eſſe principium dum ait *Spiritus qui à Patre procedit.*

Deniquè ſic diſcurrendum eſt contra Græcos, Armœnos, & alios Photii errorem tuentes: Spiritus ſanctus in ſacra ſcriptura dicitur Spiritus filii, ſicut dicitur Spiritus Patris, ut patet ex illo ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*, & ad Galat. 4. *miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra*, id eſt Spiritum ſanctum, ut monet idem Apoſtolus Rom. 5. verſ. 5. Quod exponens D. Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 18. ait. *Dilectio quæ ex Deo eſt, & Deus eſt, propriè Spiritus ſanctus eſt, &c.* Ergo ſicut Spiritus ſanctus cenſetur à Patre procedere, & talis creditur à Græcis; quia ſcriptura vocat eum Spiritum Patris, debent etiam credere ipſi Græci, quòd Spiritus ſanctus procedit etiam à filio; cùm nominetur Spiritus filii. Ità argumentantur D. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. D. Cyrillus lib. 12. in Joan. cap. 56. D. Anſelmus lib. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 8. & alii ſancti Patres, tam Græci, quàm Latini.

Spiritus ſanctus dicitur ſpiritus filii.

His ſuffragatur ratio; nam Spiritus ſanctus non poteſt dici Spiritus filii, niſi ad filium referatur, nec poteſt ad eum referri, niſi ab eo procedat, aliàs verbum dici poſſet filius Spiritus ſancti, ſicut eſt filius Patris, cùm omnia, quæ Pater, & filius habent, ſint in ſpiritu ſancto, exceptis relationibus proceſſionum, ſeu originis, ſcilicet paternitate, filiatione, atque ſpiratione activa, quibus divinæ perſonæ ad invicem referuntur; filius autem in nullo ſcripturæ loco dicitur filius Spiritus ſancti: Ideoque neceſſè eſt, quòd ſicut filius non poteſt vocari filius illius, qui non eſt Pater, ita Spiritus ſanctus non poteſt vocari Spiritus illius, qui non eſt ſpirator: At Spiritus ſanctus dicitur Spiritus filii: Ergo filius eſt ſpirator, & principium ſimul cum Patre Spiritus ſancti.

D. Auguſt.

D. Cyrillus

D. Athanaſius.

Undè D. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. ait: *Nec poſſumus dicere quod Spiritus ſanctus à ſuo non procedat, nequè enim fruſtra idem Spiritus, & Patris & Filii Spiritus dicatur*, tamen fruſtrà diceretur Spiritus filii, ſi à filio non procederet, ſicut à Patre procedit, nec diceretur Spiritus veritatis, quoniam filius eſt veritas, à qua debet eſſe Spiritus veritatis, ut dicitur in Epiſtolâ D. Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ ad Neſtorium, approbata in Concilio Epheſino, & in aliis ſcilicet in Calcedonenſi, Conſtantinopolitano, & in Nicæno ſecundo. In qua legitur. *Nam & ſi Spiritus in propria perſona ſubſiſtat, Eatenuſque in ſeipſo conſideretur, quatenus ſpiritus eſt, & non filius, non eſt tamen ab eo alienus: Quandoquidem ſpiritus veritatis nominatus. Chriſtus autem veritas eſt, ac proinde quoque ab illo atque à Deo Patre procedit.* Idem docet D. Athanaſius in lib. de natura humana ſuſcepta, ubi exponens illud Pſal. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, ait: *Nove at David apud Patrem, Filium eſſe fontem Spiritus ſancti* hoc eſt, verbum eſſe ſimul cum Patre, unum Spiritus ſancti principium.

Ordo perſonarum probat tertiam à prima, & à ſecunda procedere.

Ex numero & ordine perſonarum confundi poſſunt Græci, & Armeni: Nam Spiritus ſanctus dicitur in ſacris paginis tertia perſona poſt Patrem, & Filium, nominata, Math. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris; & Filii, & Spiritus ſancti.* Ratio hujus præſuppoſitionis aut ordinis inter tres divinas perſonas, eſt, quia à prima; ſecunda perſona procedit, & ab utraque procedit tertia, ut declarat Concilium Tolet. XVI. Nationale, celebra-

tum ſub Sergio Papa per LX. Epiſcopos anno DCXCIII. dicens de Spiritu ſancto in confeſſione fidei : *Qui in ſancta Trinitate prænoſcitur tertia perſona, eſſe pro eo quod à Patre , & Filio condonatur.* Hæc ultima verba , quæ proceſſionem Spiritus ſancti à Filio probant , evidentèr demonſtrant , quòd Spiritus ſanctus non eſſet tertia perſona , ſi à filio non procederet. Undè Tertullianus lib. contrà Praxeam cap. 8. ait : *Tertius eſt Spiritus a Deo , & Filio , ſicut tertius à radice , fructus ex fructice , & tertius ex fonte rivus , & flumine , & tertius à ſole apex ex radio.* Indè enim demonſtrat doctor ille , Spiritum ſanctum eſſe tertiam perſonam , quia eſt à duabus , ſcilicet à prima , & à ſecunda Trinitatis perſona , ſeu à Patre , & a filio , quoniam ſi Spiritus ſanctus à ſolo Patre procederet ſicut filius , nulla ex D. Thoma eſſet realis diſtinctio inter filium , & Spiritum ſanctum.

Dicent forſan Græci , Spiritum ſanctum eſſe tertiam perſonam, quia generatio eſt origine prior ſpiratione. At ſi talem adhibeant reſponſionem , tenentur fateri , filium eſſe aliquo modo priùs genitum , huncque habere voluntatem fœcundam , & eſſe principium Spiritus ſancti ; cùm in illo ſigno origine priori activa ſpiratione (à qua eſt Spiritus ſanctus) ipſe filius habeat omnia ; quæ Pater habet, excepta generatione , ſeu eo , quo eſt Pater , ac proindè habeat etiam ſpirationem activam , quà ſimul cum Patre ſpirat Spiritum ſanctum; cùm ſpirare ſit actus voluntatis fœcundæ : Ideo enim Pater creat , filius creat , & Spiritus ſanctus creat , quia omnipotentia eſt in tribus ; quin tamen ſint tres creatores , ſed unus creator , ità Pater , & Filius ſpirant Spiritum ſanctum , & ſunt unus ſpirator , aut unum Spiritus ſancti principium , quia ſpiratio activa eſt in Patre , & Filio in illo ſigno originis , quo filius eſt ſecunda perſona , & prior Spiritu ſancto , ut ait D. Auguſtinus jam ſuprà relatus de Trinit. cap. 14. *Sicut Pater & filius unus eſt Deus , & ad creaturam relatus ,*

D. Auguſtinus. *ſic relative ad ſpiritum Sanctum , unum principium :* Et D. Anſelmus adverſus Arianos ait : *Non enim & Filius particeps eſt Spiritus ut propterea ſit in Patre , neque accipit Spiritum , quin potius hunc omnibus largitur , neque vero Spiritus verbum cum Patre copulat , ſed potiùs*

D. Anſelmus. *Spiritus à verbo accipit , ipſe enim ut dictum eſt , Spiritum dat , & quæcumque habet Spiritus, hæc habet à verbo.*

Eccleſia ſemper credidit hanc veritatem , ut colligitur ex variis antiquorum Patrum monumentis. Sanctus Mactialis à Petro in Gallias miſſus , in Epiſtola prima ad Burdigalenſes ait : *Spiritus ſanctus in divina æqualitate glorioſus proceſſit ineffabiliter ab eo , qui genuit , & ab eo , qui genitus eſt.* Sanctus Hylarius qui vixit in quarto ſæculo. D. Baſilius in eodem. D. Athanaſius in Symbolo in quo legimus *Spiritus ſanctus a Patre, & filio , non factus , nec creatus , nec genitus , ſed procedens.* D. Ambroſius. D. Auguſtinus & alii docuerunt in primis ſæculis , ſpiritum ſanctum à Patre, filioque procedere.

Item Concilia , Toletanum III. celebratum anno DLXXXIX. Toletanum IV. anno DC. undecimum , duodecimum, & decimum tertium celebrata in ſeptimo ſæculo Aquiſgranum celebratum in ſequenti , & alia eamdem fidem docuerunt. His addendus eſt Didymus doctor antiquiſſimus , qui in lib.2. de Spiritu ſancto exponens illud Joan. 16. *Non loquetur à ſemetipſo* , ait : *Non ſine me & Patris arbitrio , quia inſeparabilis a mea & Patris eſt voluntate , quia non ex ſe, ſed ex Patre , & me eſt. Hoc enim ipſum quod ſubſiſtit , a Patre , & me, illi eſt.*

Inſurgunt Græci, idque impugnant ex eo quòd in ſymbolo Nicæno hæc fides Romana , ſeu ſpiritum ſanctum a Patre , filioque procedere , non fuerit expreſſa , nec in ſymbolo Conſtantinopolitano , quod Nicæno plura adidit de Spiritu ſancto , cùm juxtà probabiliorem , & communiorem ſententiam conſtet , hanc particulam *filioque* additam fuiſſe eidem ſymbolo , & in miſſa decantatam in quibuſdam Eccleſiis particularibus circa annum Chriſti DCXX. & indè ab aliis fuiſſe uſurpatam , non approbante ſummo Pontifice Romano. Legimus enim apud varios authores fide dignos , Leonem III. Papam , qui fuit creatus Kal. Januarii DCCLVI. noluiſſe concedere Carolo Magno Imperatori , & Regi Galliæ , licentiam decantandi ſymbolum Nicænum cum illa additione *filioque.* Et ut oſtenderet ei , Eccleſiam non credere , ſpiritum ſanctum procedere à filio , curavit ſymbolum Conſtantinopolitanum exarari in duabus tabulis argenteis; in una quidem Latinè, & in altera Græcè, utrobique ſine additamento illo *Filioque* ut inde Carolus Magnus videret , fidem conciliorum eſſe , ſpiritum ſanctum à ſolo Patre procedere. Cur enim Leo noluiſſet hoc concedere huic Imperatori piiſſimo , nec non ſanctæ ſedis Potentiſſimo deffenſori , ſi fuiſſet fides Eccleſiæ ? Renuit tamen ille ſummus Pontifex (ut refert Baronius Tom. IX. ad annum DCCCIX.) licet multa beneficia ab illo Imperatore prius recepiſſet ſancta ſedes ad requiſitionem ipſius ſummi Pontificis , ut narrat Hiſtoria.

Inſtantia Græcorum proponitur, & reſolvitur.

Facilè ſolui poteſt hæc Græcorum inſtantia : Nam Eccleſia ſemper credidit ſpiritum ſanctum procedere a Patre , ut fatentur Græci , tamen in ſymbolo Nicæno non habetur , quod ſpiritus ſanctus procedat à Patre , ut patet in his , quæ ſymbolum Conſtantinopolitanum addidit Nicæno , inter quæ reperitur proceſſio ſpiritus ſancti à Patre, quæ non erat in Nicæno , ut patet ; nam Nicænum ait : *Credo in ſpiritum ſanctum.* Et Conſtantinopolitanum contra Macedonium addidit : *Dominum & vivificantem ex Patre procedentem , cum Patre , & Filio adorandum* : Ergo non valent inferrè , ſpiritum ſanctum procedere a filio , non fuiſſe de fide in Eccleſia , licet non habeatur in eodem ſymbolo Nicæno , aliàs liceret etiam inferre , Eccleſiam non crediſſe ſemper ſpiritum ſanctum procedere à Patre. Quód eſt falſum , & damnatum ab Eccleſia Græca.

Ad illud Leonis III. dico , quòd non renuit concedere licentiam decantandi illam particulam *filioque* eo fine , ut inde oſtenderet , eamdem particulam eſſe contrà fidem Eccleſiæ , neque ut hanc additionem damnaret , ſed improbavit quòd in miſſa cantaretur abſque prævia ordinatione Romanæ Eccleſiæ (in qua nondum cantabatur) cujus eſt ordinare ritum Eccleſiarum particularium. Nec refert quòd ipſe curaverit ſymbolum ita exarari ſine præfato additamento. Id enim fecit ut ſalvaretur integri ſymboli Conſtantinopolitani memoria, quæ nova explicatione obliterari poterat , & ut provideretur ne quis falsò , temerariè , & impudentèr diceret , & contrà Eccleſiam objiceret , in illo ſymbolo dictum eſſe quòd ſpiritus ſanctus a ſolo Patre procedit , ſicut videmus , impudenter feciſſe Hermiam Conſtantinopolitanum , qui ſymbolo auſus eſt addere hoc verbum reſtrictivum , *à ſolo Patre procedit* , quod facit alium ſenſum à veritate Catholica longè diverſum ; cùm falsò aſſerat , Concilium declaraſſe , ſpiritum ſanctum non eſſe à filio. Nam ſi ſymbolum Conſtantinopolitanum dixiſſet , *Credo ſpiritum ſanctum a ſolo Patre procedentem* , ut volebat ipſe Hermias Conſtantinopolitanus , declaraſſet utique , ſpiritum ſanctum

Explicatur mens Leonis III.

non procedere à Filio , quoniam hæc particula , *à ſolo Patre* excludit filium à productione Spiritus ſancti , & ſolum Patrem admittit ; hæc cùm particula à *ſolo* eſt excluſiva reſpectu filii.

Nullum Concilium excludit filium à productione Spiritus ſancti.

Addunt , particulam *filioque* eſſe contra fidem Eccleſiæ , & contrà ſymbolum Nicænum , quoniam prohibita fuit in Concilio Epheſino actione 6. ubi ſtatuitur ; & habetur : *Statuit ſancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre , aut conſcribere , aut componere præter eam deffinitam à ſanctis Patribus , qui in Nicæa cum Spiritu ſancto Congregati fuerunt* ; At credere quòd Spiritus ſanctus eſt à filio , eſt eredere aliquid , quod non eſt in fide Nicæna : Igitur hæc particula , *filioque* eſt tollenda.

Reſpondetur Concilium Epheſinum non improbare particulam *filioque* quoniam fides altera de qua loquitur Concilium, eſt illa , quæ tradit contraria fidei Nicænæ. Undè cùm particula *filioque* non contradicat fidei ſymboli Nicæni (ſed ſolùm addat , Spiritum ſanctum à filio procedere, ſicut à Patre ut facilè colligitur ex ſcriptura) non poteſt dici altera , nec contraria fidei Nicænæ ; alioquin Concilium Conſtantinopolitanum in quo habetur Spiritum ſanctum à Patre procedere , eſſet etiam contrarium Nicæno , in quo non fit mentio de proceſſione Spiritus ſancti ab ipſo Patre , ut de facto fit in Concilio Conſtantinopolitano , quod eſt poſterius , ut jam monui. Quare Concilium Florentinum in decreto unionis , ait : *Deffinimus inſuper explicationem verborum illorum , filioque , veritatis declarandæ gratia , & imminente tunc neceſſitate , licitè , ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam.* His verbis conſtat , Concilia præfatam particulam addidiſſe , non ad impugnandam fidem Nicænam , ſed ſolùm ad refutandam hæreſim , quæ nondum exorta erat tempore Concilii Nicæni , nec tempore Concilii Conſtantinopolitani ſcilicet hæreſim Theodoreti Epiſcopi Cyrenſis , Photii Epiſcopi Conſtantinopolitani , & aliorum hæreticorum ipſis in hac parte adhærentium.

§. III.

In quo refelluntur argumenta Græcorum.

OBjiciunt Græci Joan. cap. 15. verſ. 26. *cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre , Spiritum veritatis , qui , à Patre procedit.* Indè concludunt , Patrem ſolum eſſe ſpiratorem Spiritus ſancti , ſicut genitorem filii , idque confirmant ex Concilio Conſtantinopolitano in cujus ſymbolo habetur *qui à Patre procedit* ut jam dictum eſt ſuprà. Hoc enim ſuadet , quòd tunc Eccleſia non credebat , Spiritum ſanctum eſſe à filio , quia in ſymbolo univerſa continetur fides.

Reſponſio ad primam rationem Græcorum.

Reſpondetur , argumentum nihil probare ; cùm ſit ab authoritate negativa deſumptum ; ſanè illud Joannis 15. non excludit filium , ſicut ex illo Math. 11. *Nemo novit filium niſi Pater.* Fides Græcorum , & Armenorum non excludit filium à cognitione ſui , nec Spiritum ſanctum à cognitione utriuſque ſcilicet à cognitione Patris , & Filii ut ſuprà nedum contra lucium probatum manet , ſed etiam contrà Origeniſtas , quia hîc affirmatio unius , non eſt negatio alterius : Ergo Græci non poſſunt dicere , Chriſtum nominando Patrem , excludere verbum , ſed ſolum exprimere Patrem ut authorem principalem , ſeu à ſe ſpirantem , & principium ſine principio , ad quod ipſemet Chriſtus refert quod habet , etiam id quô eſt principium Spiritus ſancti , qui accepit à Patre omnia , quæ habet ; licet reciplat etiam ea , à filio , ut dictum eſt ſuprà. Deindè in alio loco ſcilicet Joan; 16. verſ. 14 . ſe nominat principium ſpiritus ſancti ut patet in prima probatione.

Ad Concilium Conſtantinopolitanum ; dico quòd non excludit filium , ut jam ſatis probatum manet ; nec licet ex ipſius omiſſione inferre , Spiritum ſanctum non eſſe à filio. Nam Concilium Nicænum non declarat deſcenſum Chriſti ad inferos , tamen hic articulus eſt de fide in utraque Eccleſia , ſcilicet Græca & Latina. Sanctus Lucas in ſuo libro actuum Apoſtolorum nihil omninò dicit de ſymbolo Apoſtolorum , omnes tamen credunt illud conditum ab Apoſtolis, quia aliundè ; nimirum ex traditione ſcimus ab ipſis fuiſſe compoſitum : Ergo non licet ex illo textu , & ex hac authoritate Concilii Conſtantinopolitani , *Qui à Patre procedit* inferre , aut concludere contra nos Spiritum ſanctum non eſſe à filio , quia conſtat aliunde , nimirum ex ſacra ſcriptura , & ex aliis Conciliis , quæ tantam habent authoritatem , quamtam habuit Concilium Nicænum. At ut aliquid reponatur inter fidei articulos , non requiritur neceſſariò quòd expreſſe , & clarè ſit in ſcriptura , aut in Conciliis. Quia ex his , quæ legimus , aliqua etiam , quæ non legimus , intelligimus , inquit D. Auguſtinus.

Tandem afferunt authoritates ſanctorum Patrum , inter quos antiquior eſt D. Dyoniſius , qui cap. 2. de divinis nominibus ait , ſolum Patrem eſſe fontem divinitatis. Nazianzen. orat. ad Epiſcopos , qui venerant ex Ægipto , inquit : *Omnia quæ habet Pater , habet etiam filius , excepta cauſalitate* , id eſt excepta ratione principii ad intrà : Ergo (inquiunt) certum eſt quòd Spiritus ſanctus eſt à ſolo Patre ; cùm nequeat eſſe à filio , quin ipſe filius habeat rationem principii productivi ad intrà. Undè D. Baſilius Epiſt. 43. ad Gregorium Nicænum inquit : *Nullam prorſus notionum communicationem ſecundum proprietatem ſuam habet filius cum Patre.* His quidem verbis ſuadetur , ſpirationem activam , quæ eſt notio , & relatio ; aut proprietas relativa , ac perſonalis , non eſſe in filio , quia eſt in Patre , qui dicitur fons & principium totius Trinitatis. Et D. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 11. ait : *Spiritum ſanctum ex Patre dicimus , & Spiritum Patris nominamus , per filium autem Spiritum non dicimus.* Igitur Eccleſia Romana non credidit ſemper Spiritum ſanctum procedere à Filio , ſed ſolum a Patre , cui ex illis ſanctis Patribus competit producere ad intrà.

D. Dioniſius.

D. Baſilius.

D. Damaſcenus.

Reſpondeo negando conſequentiam. Quantum ad D. Dyoniſium dico quòd non loquebatur abſolutè de principio omnium perſonarum ; quæ procedunt , nimirùm filii , & Spiritus ſancti , ſed de principio à ſe producente , ut notat illud verbum *fons* ideoque non excludit principium aliud , ſcilicet filium producentem à Patre , ſeu habentem à Patre virtutem productivam , quam ipſe Pater habet ex ſe. Certum enim eſt quòd filius non eſt fons totius divinitatis , cùm non ſit fons Patris , nec ſui ipſius , & ſi ſit principium productivum Spiritus ſancti , hoc accipiat a Patre. Ad D. Gregorium Nazianzenum dico quòd non loquitur de cauſalitate in ſenſu adæquato, & de omni productione , ſed ſolum de activa origine filii , ità ut dum dicit filium habere omnia , quæ habet Pater , excepta cauſalitate , ſenſus ſit, quòd quidquid Pater habet , hoc habeat etiam filius , excepta paternitate , quâ eſt Pater , & principium filii.

Ad D. Baſilium reſpondeo , ipſum loqui de propria uniuſcujuſque perſonæ notione , aut relatione conſtitutiva perſonæ , nempè de paterni-

tate, & filiatione ſecundum quas, nullam omninò communionem habent Pater, & Filius, non verò de omni notione; cùm ex eodem ſancto Doctore, ſpiratio activa ſit communis Patri, & Filio, quamvis ſit vera notio, ut denotat hæc particula, *ſecundum proprietatem ſuam*, nam proprietas Patris, eſt Paternitas; & filii, eſt filiatio, inter quas formalitèr ſumptas, nulla eſt communio; ſpiratio autem activa, non eſt verè Patris proprietas, cùm non ſit talis per ipſam, neque eſt proprietas filii, qui per ipſam non conſtituitur perſona, ſed eſt proprietas utriuſque, ſcilicet Patris, & filii, quatenùs ſunt unus ſpirator; in quo Pater, & Filius non conveniunt propriè loquendo; cùm non ſint duo ſpiratores, ſed unus ſpirarot, convenientia autem ſit inter duo principia: Etenim convenientia eſt ex ſe de genere relationis.

Reſponſio ad ſanctos Patres.

Ad D. Damaſcenum dico ut ſuprà ad D. Dyoniſium; vel quòd non negavit abſolutè Spiritum ſanctum à filio procedere, ſed quod uſus eſt alio modo loquendi, putans eſſe tutius dicere *per filium*, quam, *ex filio*, videbatur enim ei propoſitio *ex*, ſignificare nè primam cauſam ex alia cauſa non procedentem, itaque filium excluderet, dixit, *ex Patre*, quia Pater non habet principium, noluit dicere *ex filio*, quia filius habet principium, nempe Patrem æternum. Undè in eodem libro cap. 9. ait: *Omnia quæ habet Pater, ſunt filii, hoc ſolo excepto, quod filius ingenitus non eſt*, ideoque vult ſpirationem activam, quæ eſt Patris, eſſe etiam filii, ac proinde filium eſſe ſimul cum Patre principium Spiritus ſancti.

Aliud argumentum proponunt ex ratione. Dicunt enim quòd Spiritus ſanctus eſt unus; quòd Pater eſt ſufficiens principium Spiritus ſancti; habet enim voluntatem fœcundam, aut productivam, ſicut memoriam fœcundam: idcircò filius non eſt ſimul cum Patre principium Spiritus ſancti; cùm principia non ſint multiplicanda ſine neceſſitate. Dicunt inſuper quòd filius non eſt magis ſimilis, aut conſubſtantialis Patri, quàm Spiritus ſanctus, & perconſequens quòd filius non ſpirat cum Patre, quoniam in hoc, eſſet ſimilis ei, & Spiritus ſanctus non eſſet ei ſimilis, quoniam non ſpiraret, ſicut filius ſpirat.

Proponitur, & reſolvitur alia ratio.

Reſpondeo hoc argumentum eſſe invalidum, quia Pater, & Filius, ut jam dixi, non ſunt duo ſpiratores, nec duo principia Spiritus ſancti, ſed unus ſpirator, aut unum principium, quia voluntas ut fœcunda (quæ eſt principium *quo*, aut virtus productiva Spiritus ſancti) eſt in duobus ſuppoſitis, ſeu in Patre, & Filio, non ex inſufficientia unius, ſed ex infinitate ſua, v. g. mundus, qui eſt unus, fuit creatus à Patre, & à Filio, & à Spiritu ſancto, quin tamen ſit à tribus creatoribus, ſed ab uno, quia virtus creandi eſt una in tribus divinis perſonis: Igitur ſicut mundus fuit creatus à tribus divinis perſonis; quin indè ſequatur unam eſſe inſufficientem. Ità ſimiliter non licet inferre, Patrem eſſe inſufficientem ad productionem Spiritus ſancti, ex eo quod filius etiam producat illum ſimul cum Patre in unitate principii. Nam ſi ſit à Patre, & Filio, hoc eſt, Quia Pater & Filius habent eamdem virtutem ſpirativam Spiritus ſancti, ſicut tres perſonæ habent eamdem omnipotentiam.

Ad ultimum quod inferunt, nimirum filium eſſe magis ſimilem Patri, quàm Spiritum ſanctum, dico quòd ſimilitudo in divinis perſonis non provenit ex relationibus, nec ex notionalibus, ſed ex eſſentialibus; alias filius non eſſet ſimilis Patri, quia non habet relationem Paternitatis, & perconſequens Spiritus ſanctus, eſt tam ſimilis Patri, quàm filius, cùm hi tres unum ſint, ut Græci publicè confitentur. Spiratio activa non aſſimilat filium Patri, cùm utrumque conſtituat unum Spiritus ſancti ſpiratorem, & ipſum Spiritum ſanctum ad Patrem, & ad filium non referat: eſt enim correlatio ſpirationis paſſivæ, quà ſpiritus ſanctus conſtituitur perſona, & refertur ad Patrem, & ad filium.

Photius objicit: Si ſpiritus ſanctus procederet etiam à filio, eſſet nepos Patris æterni, quoniam acciperet ſuum eſſe à filio Patris æterni; ſed hoc eſt impium: Ergo à ſolo Patre procedit.

Nego ſequelam. Ut quis ſit nepos alterius, neceſſe eſt quod habeat Patrem genitum ab Avo, & quòd ipſe ſit etiam genitus a Patre generatione diſtincta ab ea, à qua genitus fuit ipſe Pater; ſed ſpiritus ſanctus non eſt genitus à filio, ſed procedit à Patre, & filio: Ergo non eſt nepos; cùm non habeat Patrem, ſed ſit ab uno ſpiratore, ſeu à Patre, & verbo, cum ſimul ſpirantibus & producentibus.

ARTICULUS XVII.

Statuit contrà Abailardum, Spiritum Sanctum non eſſe animam mundi.

INter tot, tantoſque hæreticos, quos in hoc opere impugnamus, unus dumtaxat fidem Catholicam in hoc articulo offendit, hicque eſt Petrus Abailardus, natione Gallus, Patriâ Brito, (licet Carion lib. 3: Chronicorum ſuorum, illum Anglum aſſerat) inſignis Philoſophus, ob violatam Hæloiſſam Diſcipulam ſuam, ac Neptem cujuſdam Canonici Pariſienſis, Spado factus, ut jam dictum eſt in Articulo de potentia Dei; hic quidem hæreticus Anno M. CXLIII. ſub Cunrado III. Imperatore, & Cæleſtino II. ſummo Pontifice, in plures incidit errores, ad quos damnandos plura habita ſunt Concilia. Errores, qui ipſi attribuuntur, ſunt ſequentes, ſcilicet, 1. quod Deus agat ex neceſſitate naturæ. 2. Quòd Deus non ſit omnium bonorum Author. 3. Quod in Deo ſit aliquid compoſitionis. 4. Quod Spiritus ſanctus, ſit anima mundi. Verùm de hoc poſteriore non conveniunt ſcriptores. Nam Prateolus non refert illum. Solus D. Bernardus, hoc impingit Abailardo in quadam Epiſtola ad Innocentium Papam, quæ eſt ordine ejus Epiſtolarum 190. ex qua Epiſtola, plures poſteà dixerunt prædictum Abailardum docuiſſe, Spiritum ſanctum eſſe animam mundi, & meritò, quia ipſe D. Bernardus fuit teſtis auricularis omni fide dignus. De Petro Abailardo plura dicta ſunt in Articulo X. ad quem remitto lectorem, ut citiùs ad probationem veritatis deveniamus.

Abailardus

De hac autem hæreſi ab ipſo Petro Abailardo excogitata circà Spiritum ſanctum, nullum Concilium locutum eſt, & ideo non fuit expreſſè damnata ab Eccleſia, quamvis hæc propoſitio, *Spiritus ſanctus eſt anima mundi*, ſit verè hæretica, ut probat fides Catholica docens, Spiritum ſanctum eſſe conſubſtantialem Patri, & Filio, ſeu unum ac eumdem Deum cum Patre, & Filio, undè recurrendum eſt ad rationem Catholica fide corroboratam.

Si Spiritus ſanctus eſſet anima mundi, eſſet forma, & mundus eſſet materia, ſicut anima rationalis eſt forma corporis humani, & ipſum corpus eſt materia, ac proindè Spiritus ſanctus eſſet mi-

Digitized by Google

Implicat Spiritum ſanctum eſſe animam mundi.

nor mundô, quia omne totum eſt majus ſua parte; ſicque id quod reſultaret ex illa materiâ (cujus Spiritus ſanctus eſſet forma) & ex ipſo Spiritu ſancto, eſſet majus ſua parte utpotè Spiritu ſancto: At hoc eſt hæreticum, cùm juxtà fidem, Deus ſit ens perfectiſſimum; quô majus excogitari non poteſt; igitur Spiritus ſanctus, qui ut, probatum manet contrà Macedonianos, eſt Deus, nequit eſſe anima mundi, Sequeretur etiam Spiritum ſanctum eſſe mundi limitibus incluſum, & circunſcriptum, atque deffinitum; ut notat noſtèr Alphonſus à Caſtro, verbo, *Deus* Hæreſ. XI. ratio eſt quia in quolibet compoſito, materiâ, & formâ conſtante, quælibet pars, ſeu tam forma; quàm materia, aut anima, quàm corpus, includitur in toto, ut conſtat ex deffinitione compoſiti à Philoſopho tradita; ſed Deus nullis locorum ſpatiis clauditur, nullis limitibus includitur, cùm ſit excelſior cœlo; ut in articulo de Immenſitate probatum manet contra Antropomorphitas; & alios hæreticos: Ergo Spiritus ſanctus, qui eſt verè Deus, æternus, & immenſus, nequit citrá hæreſim dici anima mundi. Tandem cœlum & terram capere non poſſunt ens divinum, ſeu Deum, qui replet orbem terrarum: Ergo Spiritus ſanctus, qui eſt Deus, non poteſt eſſe anima mundi, quoniam omnis anima, (inquit idem doctor) capitur ab eo corpore, quod fovet; vivificat & informat.

Inſuper Spiritus ſanctus nequit eſſe anima mundi, quin mundo Phyſicè uniatur; & quin ex ipſo Spiritu ſancto, & mundo unitis, reſultet tertia entitas, quam Abailardus inſignis Philoſophus debuit à partibus diſtinguere; ſicuti ſubtiliores Philoſophi diſtingunt compoſitum Phyſicum à ſuis partibus conjunctis; vel illam includere, ut docent alii Peripatetici; at nulla poteſt admitti unio realis inter Deum, aut perſonam divinam, & creaturam, niſi expreſſè declaratum ſit in ſacra ſcriptura, ut probat unio Hypoſtatica verbi divini cum humanitate. Vel deductum ſit ex ipſa ſcriptura à ſanctis Patribus, & Conciliis; atqui nulla reſultat entitas ex ipſo Spiritu ſancto, & mundo, diſtincta, aut in utroque incluſa. Tum quia entitas illa eſſet verè perfectior Spiritu ſancto. Quòd impiiſſimum eſt. Tum quia Spiritus ſanctus, ut jam munui, non eſſet ens infinitum, & ſimpliciſſimum. Quòd eſt hæreticum, mentique humanæ oppoſitum: Igitur Spiritus ſanctus non eſt anima mundi, ut publicè docuit Petrus Abailardus. Nedum contrà hunc articulum Spiritum ſanctum concernentem, ſuum evomuit venenum hic Hæreticus, ſed inſuper docuit, Spiritum ſanctum non eſſe de ſubſtantia Patris, nec ei conſubſtantialem. Porro hæc poſterior hæreſis, non eſt hîc impugnanda, quia refutata manet ſuprà in proprio articulo contrà Macedonianos; ſeu Pneumatomachos.

6.

Reſpondet Petro Abailardo.

Ratio Abailardi.

HUjus erroris fundamentum deſumit Petrus Abailardus, ex omnibus illis locis ſacræ ſcripturæ malè intellectis, in quibus Spiritus ſanctus dicitur vivificator, rerum operator, Spiritus vitæ. Et illi tribuitur virtus agendi, ex his quidem infert, Spiritum ſanctum eſſe in mundo id, quod anima eſt in corpore, quod vivit, conſervatur, & agit per animam. Undè (inquit) ſi Spiritus ſanctus præſtet mundo effectus, quos anima præſtat corpori humano, clarum eſt quòd ipſe Spiritus Domini, eſt anima mundi, ſicut anima rationalis eſt anima hominis; cùm ex effectu, res cognoſcatur. Prætereà ornatus & pulchritudo mundi tribuitur Spiritui ſancto; juxta illud Job cap. 26. *Spiritus Domini ornavit cælos.* Pariter & Elementorum concordia, ut docuit Cicero: dicens: *Illa enim diu ſubſiſtere non poſſent, niſi uno divino & continuato Spiritu continerentur*; qui quidem Spiritus, eſt Spiritus Dei, qui ſolus poteſt attingere à fine uſque ad finem fortitèr, & diſponere omnia ſuaviter.

Reſpondeo ſcripturam ſacram hæc omnia tribuere Spiritui ſancto, ut unicuique in ſacris paginis verſato conſtat. Et ex Concilio Nicæno in quo legitur: *Credo in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem.* Nihilominus nego id, quod indè infert Abailardus proprio ingenio nimis confidens, & contrà Apoſtoli monitum pluſquam oportet ſapere præſumens, nimirùm Spiritum ſanctum eſſe animam mundi, ſicut anima rationalis eſt anima corporis humani. Tum quia anima dat eſſe corpori humano, aut homini per modum formæ informantis, & per modum actus intrinſeci; Spiritus autem Domini vivificat, conſervat mundum, datque illi virtutem agendi per modum cauſæ efficientis, & extrinſecæ; cum Spiritus ſanctus, & mundus non ſint unum ens per ſe, ſicut anima, & corpus; nequè ipſe Spiritus ſanctus ſit actus mundi, ſicut anima eſt actus corporis Phyſici, & organici; tum quia hæc omnia, quæ hæretici objiciunt; aut quæ Spiritui ſancto tribuuntur in ſacra ſcriptura; non attribuuntur ei ità propriè, ut non ſint attribuenda quoque Patri, & filio, cùm indiviſa ſint opera Trinitatis, ut docent communiter Theologi poſt D. Auguſtinum, ſed appropriatè propter aliquam ſpecialem conformitatem ad id; quod Spiritui ſancto proprium eſt. Nam Spiritus ſanctus eſt propriè amor, tum ratione proceſſionis; cùm procedat per voluntatem, quæ ſpirat amorem; tum ratione alicujus prædicati, ut v. g. dum dicitur amor productus, vel ſpiratus; & ideo vita ſpiritualis; quâ vivimus Deo; aut amor, quo Deum amamus; actus meritorii, quos operamur, aliique actus; quorum ſcriptura meminit, quoſque Spiritui ſancto tribuit, eos illi tribuit per appropriationem, non autem per informationem, nec per modum principii intrinſeci, ſicut attribuuntur animæ reſpectu corporis: Ergo ex ſacra ſcriptura non licet inferre, Spiritum ſanctum eſſe animam mundi, ſicut anima rationalis eſt cauſa formalis hominis, ut probat illud Apoſtoli: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Ibi enim Apoſtolos hâc particulâ, *Per Spiritum ſanctum*, denotat cauſam efficientem appropriatam Spiritui ſancto, quamvis propria ſit tribus divinis perſonis, quibus opera ad extrà ſunt communia.

D. Chryſoſtomus.

Idem docet D. Chryſoſtomus Homil. 2. de Spiritu ſancto ubi ait: *Ille eſt noſtræ imaginis reformatio, mentis perfectio ſpiritualis, mentalium oculorum noſtrorum ſol, interni noſtri hominis lumen, copula unionis noſtræ cum Chriſto, animarum exultatio, cordis tripudium; mentis requies, ſapientiæ communicatio. Hoc Prophetæ illuſtrantur, Reges inunguntur, ſacerdotes ordinantur; Doctores illuminantur, Eccleſiæ ſanctificantur, altaria fundantur, unguentum conſecratur, aqua purgantur; Dæmones abiguntur, morbi curantur, & peccatores reconciliantur.* His enim ſanctus Chryſoſtomus ſuadet, Spiritum ſanctum eſſe cauſam effectivam tot donorum, quibus homo poteſt ad cæleſtia pervenire. Undè D. Bernardus Epiſt. 107. inquit: *O geminum ipſum firmiſſimum erga nos amoris argumentum, Chriſtus moritur, meretur amari, Spiritus afficit, & facit amare, ille facit cur ametur, iſte ut ametur, ille multum dilectionem in nobis commendat, iſte dat; in illo cernimus quod amemus,*

D. Bernardus.

ab illo ſumimus unde amemus, charitas ergo ab illo occaſio, & ex iſto affectio. Quibus ſignificatur quidam influxus ſpecialis Spiritus ſancti in nos in ordine ad ſalutem: Ex quo tamen non licet inferre, Spiritum ſanctum eſſe animam mundi, ut voluit Abailardus ob rationes ſuprà allegatas.

ARTICULUS XVIII.

Aſſirmat contrà Cononitas, tres divinas Perſonas non eſſe tres Deos, ſed unum Deum.

CIrcà ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium varios fuiſſe errores conſtat ex dictis, ſed magis præcipuus videtur mihi ille, qui aſſerit tres divinas perſonas, eſſe tres Deos realitèr & adæquatè diſtinctos, quippè cùm Deus ſit unus, aut nullus, ſequitur quod hæc Hæreſis ſapit Athëiſmum. Primus hujus erroris anthor, aut Hæreſis fautor juxtà Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib. 18. cap. 50. fuit quidam Cono Epiſcopus Alexandrinus, qui tempore Mauritii Imperatoris, & Pelagii hujus nominis ſecundi ſummi Pontificis, circà annum Domini DXLVIII. docebat, tres divinas perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, eſſe tres numero ſubſtantias, & naturas per omnia ſimiles ſecundum Deitatem! Et indè inferebat, quamlibet perſonam eſſe unum Deum, nimirum Patrem eſſe alium Deum à filio perſonalitèr, & eſſentialiter diſtinctum. Hujus Hæretici Sectatores, Cononitæ nuncupantur. Eamdem Hæreſim docuit, circà annum Domini DCV. temporibus Phocæ Imperatoris; & Fabiani Romani Pontificis, Joannes Philuponus Patrià Alexandrinus, profeſſione Grammaticus, & Philoſophus; ſummus, ſed ſceleratiſſimus, atque Impiiſſimus; in ſanctiſſimam Trinitatem blaſphemus, quia de productionibus divinis diſcurrebat; ſicut de humanis; & filium à Patre æterno diſtinguebat, ſicut filium creatum a Patre ſuo; volebatque Patrem, & verbum divinum, eſſe duos Deos, ſicut omnes volunt Patrem, & filium in creatis, eſſe duos homines. Docebat inſupèr, Spiritum ſanctum pariter eſſe Deum à Patre & filio diſtinctum numero, quia inquiebat, eſt ab utroque productus tamquam à cauſa totaliter, & numericè diſtincta.

Cono Epiſcopus.

Joannes Philoponus.

Hunc ſecuti ſunt Tritheitæ, qui tres in Deo aſſerebant naturas, & ſubſtantias per omnia ſimiles, ſed non conſubſtantiales, ut refert Nicephorus lib. 18. cap. 49. Tritheitæ iſti aliàs dicuntur Triformiani. Quia in Deo tres admittebant formas ſubſtantiales, aut eſſentias inter ſe diſtinctas, eo modo, quo perſonæ inter ſe diſtinguntur, quia admittebant in Deo tres Deitates, aut tres naturas, ſicut tres Hypoſtaſes, aut ſubſtantias relativas ex ſe totis realiter diſtinctas.

Tritheitæ vel Triformiani.

Eidem Hæreſi ſubſcripſiſſe videtur Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictavienſis, vir aliundè doctiſſimus, qui Anno M. CXLII. docuit plures errores circà adorandum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, cujus eſſentialia multiplicabat, juxtà pluralitatem perſonarum, & relationes originis, quàs à perfectionibus abſolutis, & communibus diſtinguebat realiter, ſicque volebat, Patrem, & filium, & Spiritum ſanctum, eſſe tres æternos, ut patet in declarationibus Concilii Remenſis ſecundi celebrati Anno M. CXLVIII. ſub Eugenio III. cujus judicio ſe ſubmiſit ipſe Gilbertus, ideoque Hæreticus non eſt cenſendus.

Gilbertus Porretanus

Præter Hæreticos nominatos fuerunt plures alii iiſdem longè antiquiores, quorum meminit Dyoniſius Romanus apud Athanaſium in Epiſtola de decretis Nicænæ Synodi, ubi ait: *Sunt qui tres Deos quodam modo conſtituunt, dum in tres ſubſtantias alienigenas ſanctam unitatem diſpartiuntur*: Non deſunt qui dicunt Dyoniſium ibi loqui de Tritheitis; quod tamen improbo, quia juxtà communiorem ſcriptorum tam veterum, quàm recentiorum ſententiam, Joannes Philiponus qui floruit in ſexto ſæculo, fuit Dux Tritheitarum: Dyoniſius autem ſcripſit in tertio ſæculo; cèrtum eſt igitur quòd ibi non de Tritheïtis, ſed de aliis hæreticis (quorum nomina ignoramus) loquitur ſuppreſſo nomine Dyoniſius Romanus, de quo ſic ſcripſit quidam recens. Sanctus Dyoniſius, natione Græcus, & Eremicola. Et ex Eremita Preſbyter Eccleſiæ Romanæ, & tandem poſt ſanctum Xiſtum, ſummus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, electus Anno Chriſti CCLX. vel CCLXI. ut placet aliis, undè Romanus vulgò dictus, &c. Quibus evidenter conſtat, ipſum Dyoniſium loqui de aliis hæreticis, quàm de Tritheitis.

§. I.

Damnantur Hæretici.

HÆc hæreſis in ſanctiſſima Trinitate tres Deos admittens, & divinam ſubſtantiam tres in partes numerò dividens. In variis Conciliis damnata fuit ut dicemus infrà, & præſertim in Remenſi citato quod Otho Friſingenſis vocat generale, nedùm præſentià Eugenii Papæ, qui præſedit, ſed etiam concurſu Patrum, ex toto orbe Catholico uſque ad mille & centum (ut teſtatur Anſelmus Gemblacenſis) non ſolùm ex Gallia, Italia, Germania, & Anglia, ſed etiam ex Hiſpania, ut patet ex Epiſtolis Eugenii ad Alphonſum Hiſpaniæ Regem, & ad Bernardum Epiſcopum Tarraconenſem. Et in Lateranenſi ſub Innocentio III. ut refert caput; *damnamus*: Ubi legitur: *Damnamus ergo & reprobamus libellum ſeu tractatum quem Abbas Joachim edidit contra magiſtrum Petrum Lombardum de unitate, ſeu eſſentia Trinitatis, appellans ipſum hæreticum, & Impium, pro eo quod in ſuis dixit ſententiis, quoniam quadam ſumma res, eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens, &c.* Contra Petrum Lombardum prædictus Abbas Joachim compoſuit quemdam libellum in quo ipſius ſanam, & ab omnibus receptam doctrinam impugnabat. Volebat enim unitatem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non eſſe veram & propriam; ſed quaſi collectivam, & ſimilitudinariam, ſicut multi homines ſunt unus populus, & multi fideles, una Eccleſia, idque probabat quibuſdam rationibus infrà adducendis & ſolvendis.

Concilium Remenſe.

Lateranenſe.

§. II.

Probatur veritas.

FIdes Catholicà docet quòd tres divinæ perſonæ, videlicet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt unus numeru Deus, non autem tres Dii, ut voluere hæretici ſuprà relati, quos impugnant nedum Concilia quàmplurima, traditiones divinæ atque Apoſtolicæ, & Symbolum D. Athanaſii, ſed etiam ſacræ ſcripturæ textus ſuprà relati in articulis de divinitate verbi, & Spiritus ſancti; quibus probatur perſonarum divinarum conſubſtantialitas, ſeu naturæ divinæ in tribus perſonis indiviſa unitas, nihilominus neceſſe eſt alias adducere authoritates ejuſdem ſacræ ſcripturæ, cùm hìc impugnandi ſint alii hæretici ab Arianis, & Macedonianis diverſi,

ac

ut attentè conſideranti patebit.

D. Joan. 5. Prima eſt illa Joan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*: At non ſunt unum niſi ſo ſubſtantia, aut natura; alioquin non eſſent tres, & unum, ſed omninò unum, aut tantum tres: Ergo tres divinæ perſonæ ſunt unius individuæ ſubſtantiæ, & perconſequens ſunt unus Deus; quamvis Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſint tres perſonæ, quia hæc Trinitas non in naturam, ſed in ſuppoſita cadit, quià Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tria nomina, quæ tres perſoaas, aut tria ſuppoſita ſignificant, quæ cùm non impediant quominus tres ſint in aliqua re unum, neceſſe eſt quòd in ipſis ſit unitas naturæ. Quoniam perſona naturam & perſonalitatem tantùm dicit. Idcircò ut authoritas Divi Joannis verificetur, oportet quòd Pater, Verbum, ſeu Filius, & Spiritus ſanctus ſint unum in natura, aut eſſentia; cùm illa unitas verificari non poſſit de perſonis.

Hæretici volunt illam unitatem non eſſe unitatem ſubſtantiæ, ſed conſpirationis, id eſt, tres divinas perſonas eſſe unum, quatenus conſpirant in unum, idemque teſtimonium reddunt de Chriſto, eorum ratio eſt. Quia Evangeliſta ſtatim ſubdit; *& tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, ſanguis, & aqua, & hi tres unum ſunt*, indè enim credunt, Evangeliſtam, velle unitatem trium perſonarum in cœlo, non eſſe diverſam ab unitate Spiritus, aquæ, & ſanguinis in terra, quæ non eſt una verè & ſubſtantialiter, ſed ſolùm ratione conſpirationis, & conformitatis; quoniam ad unum, & ad eundem finem tendunt.

Catholici reſpondent quòd multa exemplaria latina non habent illa verba *& hi tres unum ſunt* de Spiritu, aquâ, & ſanguine. Undè D. Thomas Doctor Angelicus, opuſc. 24. exponens ſecundam decretalem, ſic expreſſè habet: *in quibuſdam libris additur*, & hi tres unum ſunt, *ſed hoc in veris exemplaribus non habetur: ſed in quibuſdam libris dicitur eſſe appoſitum ab hæreticis Arianis, ad pervertendum intellectum ſanum auctoritatis præmiſſæ de unitate eſſentiali trium perſonarum*. In Codicibus Græcis, in quibus habentur eadem verba, de Spiritu, aquâ, & ſanguine, non apponitur conjunctio & ibi enim legitur: *Spiritus, aqua, & ſanguis, hi tres unum ſunt*, & inde ſequitur quòd unitas Patris, Filii, & Spiritus ſancti, eſt longè diverſa ab unitate Spiritus, aquæ, & ſanguinis. Et oſtendit quòd Spiritus, aqua, & ſanguis, ſunt tres, qui myſticè ordinamur in unum, eumdemque finem, ſeu ad unum, idemque teſtimonium de Chriſto Jeſu ferendum; undè ſenſus Evangeliſtæ eſt, quòd ſicut Spiritus, aqua, & ſanguis ſunt unum in teſtimonio, & unum teſtimonium efficiunt pro divinitate Chriſti firmanda: quamvis ſint tres ſubſtantiæ, ità Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, licet ſint tres perſonæ, ſunt unum in natura, aut divinitate, hoc eſt, habent unam, eamdemque naturam, & ſunt unus Deus, juxta illud D. Athanaſii in Symbolo. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, & tamen non ſunt tres Dii, ſed unus eſt Deus*, non verò quod ſicut Spiritus, aqua, & ſangois ſunt tres ſubſtantiæ, ita Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, ſint etiam tres naturæ in unum conſpirantes, ſecluſa quacumque unitate eſſentiali.

Vel reſpondeo, Evangeliſtam non loqui in ſenſu comparativo, ità ut velit unitatem Patris, Filii, & Spiritus ſancti oſtendere per unitatem ſimilem, nimirùm Spiritus, aquæ & ſanguinis, cùm conjunctio & in illo caſu non ſit in numero diſtinctivo, ſed in ſenſu narrativo, ità ut velit oſtendere, tres eſſe in terra, qui teſtimonium dant, ſicut ſunt tres, qui teſtimonium dant in cœlo, & hos tres eſſe unum in terra ſuo modo, non autem eo modo, quo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus ſunt unum in cœlo. Hæc Trinitas Spiritus, aquæ, & ſanguinis non exprimit ſanctiſſimam Trinitatem quoad integrum eſſendi modum, ità ut Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus ſint omnino, eodemque modo, quo Spiritus, aquâ, & ſanguis, ſed ſolum quoad exiſtentiam. Hoc eſt, exprimit verè eſſe in cœlo Patrem, Verbum & Spiritum ſanctum, ſicut in terra verè exiſtunt Spiritus, aqua, & ſanguis.

Refutatur explicatio hæreticorū.

Datur alia reſponſio.

Filius non poteſt eſſe Deus; quin ſit unus, & idem Deus cum Patre, nec Spiritus ſanctus poteſt eſſe Deus; quin ſit unus, & idem cum Patre, & Filio; Nam Iſay. cap. 43. verſ. 10. Deus Pater loquens; ait: *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, ego ſum Dominus, & abſque me non eſt ſalvator*; ex quo ſequitur, quòd filius qui eſt origine poſterior Patre, quo generatur. Er quod Spiritus ſanctus, qui eſt etiam poſterior origine Patre & Filio à quibus procedit; ſunt unus & idem Deus cum Patre, poſt quem juxtà Prophetam non eſt, non erit Deus. Vel ſequitur quòd Filius non eſt Deus; nec Spiritus ſanctus, cùm ex textu non ſit alius Deus, niſi Pater, ſeu non ſit alius Deus ſecundum naturam, aut eſſentiam, nec ſecundum perfectiones eſſentiales à Patre diſtinctus, & diverſus. Sed juxtà hæreticos, quos impugnamus in hoc articulo, filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; ergo non ſunt duo Dii, ſed unus & idem Deus cum Patre, qui cum ſit origine prior filio & Spiritu ſancto, & dicat, *poſt me non erit Deus*, certum eſt quòd ipſe Filius à Patre genitus, non eſt alius Deus diſtinctus à Patre, nec Spiritus ſanctus eſt alius Deus diſtinctus à Patre, & Filio à quibus procedit, aut poſt quos eſt, non tempore, nec exiſteotiâ, nec duratione, ſed origine & proceſſione; cùm ab utroque procedat. Iſayas

Nec valet dicere quòd ibi hæc particula *poſt* denotat tempus & ſignificat quod non erit alius Deus in tempore, non verò quod non erit alter in æternitate. Non valet, inquam, quia de natura Dei, eſt, quòd ſit æternus, ideoq; relatum Prophetæ teſtimonium intelligi debet de divinis perſonis in ſe conſideratis, ſeu quatenus ſunt infinitæ, & æternæ; ità ut Filius, qui eſt verè Deus, non ſit alius Deus à Patre diſtinctus, ſed unus & idem; ait enim: *Extra me non eſt Deus* Iſaye. cap. 45. verſ. 5. Filius non eſt extrà Patrem, cùm dicat Joan. cap. 10. verſ. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre*, id eſt, non ſum alius Deus à Patre, aut extra Patrem: etenim Joan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, ſed idem Deus; *Ego & Pater unum ſumus*, in natura, ſubſtantia, & divinitate, & perconſequens unus, & idem Deus, una & eadem ſubſtantia, una & eadem natura, una & eadem divinitas. Hinc eſt quòd in Trinitate, unitatem veneramur, & in unitate Trinitatem, ut proclamat D. Athanaſius in Symbolo, hoc eſt, unam naturam in tribus perſonis, & tres perſonas in una natura.

Tres divinas perſonas non eſſe tres Deos, ſed unum Deum probatur ex divinis perfectionibus, ſed præſertim ex divina ſimplicitate, quæ cùm pœnitùs reiiciat compoſitionem, omnemque excludat multiplicationem, nequit eſſe diviſibilis in plures divinitates, aut naturas, ſivè ſpecificè, ſive numero diſtinctas, ità ut ſint tres naturæ divinæ, ſicut in tribus hominibus, ſunt tres naturæ humanæ realiter diſtinctæ, ſed debet eſſe & remanere in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, una ſimpliciſſima, individua, & indiviſa, ut fuit determinatum in Concilio Nicæno lib. 2. ubi Sancta Trinitas prædicatur individua,

ac indiviſa, & in Toletanis ; præcipuè in ſexto cap. 1. ubi legitur: *In Trinitate tanta eſt unitas ſubſtantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in ſingulis, quàm in omnibus, nec major in omnibus, quàm in ſingulis perſonis manet.* Ratio hujus immultiplicationis, aut indiviſibilitatis divinæ ſubſtantiæ, aut naturæ, juxtà communem ſanctorum Patrum, & Theologorum ſententiam, eſt quia natura divina eſt eſſentialiter una, & ſingularis, inquit D. Athanaſius in dialogo primo de Trinitate contrà Anomæum.

Natura divina eſt una in tribus divinis perſonis.

D. Dyoniſius de divinis nominibus cap. 1. probat unitatem individuæ Deitatis in tribus ſuppoſitis: Ibi enim ait: *In omnibus ferè ſacris libris advertimus, divinitatem ſanctè prædicari, ut ſingularem quidem, atque unicam, ob ſimplicitatem, atque unitatem illius excellentis individui.* Undè cùm individuo ſimpliciſſimo & infinito prorſùs ab intrinſeco repugnet numerica multiplicatio, natura divina, quæ eſt individua, ſingularis, ſimpliciſſima, atque infinita formaliter ac ſimplicitèr, nequit dividi in tres individuas naturas, nequè tres Deos conſtituere, quamvis de facto in tribus exiſtar numericè una, ſicut natura humana exiſtit ſpecificè una in omnibus hominibus. Quoniam unitas numerica nullam pati poteſt multiplicitatem.

Eamdem veritatem, nimirum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eſſe unum Deum probat divinæ naturæ infinitas, quoniam ſi tres divinæ perſonæ eſſent tres dii, ut voluerunt Cononitæ, & Tritheitæ, eſſent tres infiniti, quoniam Pater eſſet infinitus, filius eſſer Infinitus, & Spiritus ſanctus eſſet etiam infinitus, quòd implicat; cùm de ratione entis infiniti ſit continere omnes perfectiones, & cætera entia excedere: Nam de ratione Dei eſt, eſſe ens ſupremum, & ità perfectum, ut non poſſit majus, nec æquale cogitari: Igitur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non ſunt tres Dii realiter diſtincti, ſicut ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, quia Deus Pater excederet Deum Filium vel eſſet ei tantum æqualis, quòd non poteſt eſſe; cùm de natuta Del Filii, ſit non excedi, & tamen excederetur, vel excederet Deum Patrem, vel eſſet illi Deus æqualis, & ſic non excederet quodcumque aliud ens. Quòd eſt falſum. Idem dicendum eſſet de Spiritu ſancto, hinc fit quòd eſt impoſſibile, tres divinas perſonas eſſe tres Deos numerò diſtinctos ob infinitarem divinæ naturæ, quamvis in Symbolo Nicæno habeatur, *Deum de Deo*, & in Athànaſiano, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*, quia natura divina eſt ex ſe, & eſſentialiter ſingularis, & una numero in tribus divinis ſuppoſiris; ideoque communicabilis ſine ſui diviſione; & ſic quandò Pater per generationem communicat ſuam naturam Filio. Et Pater, & Filius Spititui ſancto per ſpirationem activam, non ut duo ſpiratores, ſed ut unus ſpirator, communicant eamdem numero naturam, ad differentiam generationis humanæ, per quam Pater communicat Filio eamdem ſpecie naturam, non tamen eamdem numero, quia natura humana eſt finita, & communicatur cum ſui diviſione numerica. Quare nullus filius in creatis dicere poteſt id, quod Verbum divinum ait Joan. cap. 10. *Ego & Pater unum ſumus*, quæ verba exponens Divus Gregorius Nazianzenus in tract. de fide inquit: *Unum ad unitatem divinitatis refert: ſumus autem perſonas aſſignat.* Hoc eſt, tribus perſonis unam & eamdem numero Deitatem tribuit, quamvis quælibet perſona ſit Deus juxtà illud Divi Athanaſii in eodem ſymbolo. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, tamen non ſunt tres Dii, ſed unus eſt Deus.* Et illud Prophetæ Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.*

D. Gregorius Nazianzenus.

Hæretici, quos impugnamus in hoc articulo, convinci poſſunt, nedùm ex omnibus illis ſacræ ſcripturæ authoritatibus, & rationibus, quas ſatis ſuperque inculcavi probando contrà Arianos, filium eſſe conſubſtantialem Patri, & contrà Macedonianos, Spiritum ſanctum, eſſe conſubſtantialem Patri, & Filio; ſed etiam ex illis, quibus in ſecundo articulo probatum manet contrà Manichæos, & alios Polytheos, pluralitatem Deorum eſſe omninò impoſſibilem. Ex illa quidem conſubſtantialitate trium divinarum perſonarum facilè infertur, tres divinas perſonas habere eamdem numero ſubſtantiam, ac proindè non eſſe tres Deos, ſed unum Deum, cùm non perſonalitas, ſed ſubſtantia divina Deum conſtituat, & eſſe alteri conſubſtantiale; idem ſit ac habere cum illo eamdem numero ſubſtantiam. Er ex hac impoſſibilitate plurium Deorum facilè infertur etiam, Deum eſſe unum dumtaxat in tribus diviſis perſonis, ſeu unam, & eamdem numero naturam eſſe in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, abſque ulla diviſione, ut docet fides Catholica.

Rationes contrà Polytheos probant tres perſonas non eſſe tres Deos.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

VArios ſacræ ſcripturæ textus objiciunt hæretici in divinis perſonis naturam multiplicantes, ſcilicet illud Joan. 11. *Verbum caro factum eſt*, & *Ego ex Deo proceſſi*, & ibidem, *ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater*: Pſal. 109. *dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis*, ex quibus, & aliis ſimilibus, quibus filius dicitur genitus, & Spiritus ſanctus dicitur procedens, arguunt diſtinctionem realem eſſe inter ſubſtantiam, & naturam Patris & Filii, & Spiritus ſancti, quia (inquiunt) Chriſtus, qui eſt Deus in Filio, aut Filii divinitate, non eſt Deus divinitate Patris, nec Spiritus ſancti. Filius, qui eſt Deus ex Deo procedens, nequit eſſe ille Deus, ex quo procedit, & generatur; cùm generans, & genitum ſint duo ſubſtantialiter diverſa; alioquin unum generaret ſe ipſum, & ex ſe ipſo exirer; quòd eſt abſurdum. Si non ſit ſolus, eſt alter Deus utpotè Pater. Si Dominus dicat Domino meo *ſede à dextris meis* Deus, qui loquitur, nequit eſſe idem cum illo, cui loquitur. Si Filius ſit Deus genitus, non eſt ille Deus (qui generat; nec Spititus ſanctus) qui eſt etiam Deus, poteſt eſſe ille Deus à quo procedit. Hæc quidem nomina clarè ſignificant diverſitatem eſſentialem, & omnimodam diſtinctionem inter ea, quæ ſunt in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ut patet in creatis, per quæ ex Apoſtolo inviſibilia Dei intellecta conſpiciuntur. Undè (inquiunt Cononitæ, & alii hæretici) cùm Pater & Filius in creatis ſint duo homines numericè; & unus ſpecificè, ita Deus Pater, & Deus Filius ſunt duo numericè dii, & unus ſpecificè, & ſic ſalvatur illud Joan. 1. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*; & aliud: *Ego & Pater unum ſumus* id eſt ſpecificè.

Hoc confirmant authoritate D. Gregorii Niſſeni lib. de fide ad ſimplicium, ubi ait: *In divinis dogmatibus nullam naturæ differentiam efficit genitum eſſe, ſed quemadmodum in Adamo, & Abele una humanitas, ſive natura humana, eodem modo in Patre quoque ac in Filio Deitas, ſeu divina natura una eſt.* Indè enim patet, inter divinas perſonas reperiri ſolùm unitatem ſpecificam naturæ divinæ, qualem Philoſophi reperiunt in omnibus hominibus, non verò numericam; adeoque Patrem, Filium, & Spititum ſanctum, poſſè dici tres Deos numero diſtinctos, ſicut Adam,

Abel, & Caïn ſunt tres homines numerò diſtincti. Quoniam generatio numericam multiplicitatem indicat.

Valida ad hæreticos reſponſio.

Illis ſacræ ſcripturæ locis reſpondetur negando conſequentiam, quia Filius, qui eſt Deus, non terminat naturâ, aut divinitate dependentiam humanitatis ad ſuppoſitum creatum, & humanum, ſed perſonalitate, quæ cùm ſit realitèr diſtincta à perſona Patris, ut evidenter probant Scholaſtici, ſequitur quòd Pater non eſt incarnatus ſicut filius; licet ſit idem Deus cum filio, neque Spiritus ſanctus eſt incarnatus, licet ſit idem Deus cum Patre, & Filio. Quia perſonalitas ratione cujus Verbum caro factum eſt, eſt ità ipſi Verbo propria, ut non ſit in Patre, nec in Spiritu ſancto, à quibus per ipſam perſonalitatem filiatione conſtitutam, realiter diſtinguitur.

Ad illud de proceſſione dico, quod filius procedit ex Deo, eſtque à Deo genitus, quatenus eſt verbum, & perſona, id eſt ſecundum perſonalitatem; non verò ſecundum eſſentiam, aut divinitatem, quæ non generat, nec generatur, ut docent communiter Theologi contrà Durandum, ſed ſolum communicatur ſine ſui diviſione, ut jam monui ex Concilio Florentino decernente, Patrem communicare filio omnia, quæ habet præter id, quò eſt Pater. Dum dicit quòd non eſt ſolus loquitur etiam de perſona, ut conſtat ex propriis nominibus, *Ego, & Pater*, quæ ſunt nomina perſonalia: Non autem de divinitate, ſic enim eſt ſolus, id eſt unus; ut probat illud Deuteron. cap. 6. *Audi Iſraël Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*, hoc eſt, *ſolus eſt.*

Similiter reſpondendum eſt ad illud Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, &c.* Quia hæc dualitas non cadit in majeſtatem, ità ut majeſtas Patris ſit numericè diſtincta à majeſtate filii, qui etiam eſt Dominus, ſed in perſonas, ità ut Dominus Pater ſit perſona diſtincta à perſona Domini Filii. Quare D. Athanaſius in Symbolo hanc veritatem confirmat dicens: *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus, & tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.* Ratio hujus indiviſibilis unitatis, eſt hæc ex eodem Athanaſio, quia Patris, Filii, & Spiritus ſancti, una eſt divinitas, æqualis glòria, & coæterna majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Explicatur mens D. Gregorii.

Ad confirmationem ſeu ad D. Gregorium Niſſenum, reſpondeo, ipſius mentem non eſſe omnimodam inter divinas perſonas, & inter homines inſtituere paritatem, ſed per ea, quæ facta ſunt inviſibilia Dei demonſtrare, tamquam majus ex minori. Volebat enim productionem verbi (quæ vera generatio eſt) ex humana generatione oſtendere Arianis, eoſque convincere, verbum eſſe Deum, & habere naturam Patris, ſicut Abel fuit homo, & per generationem habuit naturam Adami, fuitque illi ſimilis, ſed non dixit an hæc naturæ unitas fuerit ſpecifica, vel numerica in Patre & Filio, & Spiritu ſancto. Nec debebat aliter argumentari ille ſanctus Doctor, neque aliam poterat adducere paritatem, quia intendebat probare contrà prædictos Arianos, Filium non eſſe creaturam, ſed Deum, hocque evidenter probat ex paritate (remotis removendis) ſcilicet ex humana, ex creata filiatione, aut generatione. Nam ſi Filius in divinis ſit naturalis. Et verè Filius Dei ut ſacra canit ſcriptura, neceſſario debet eſſe æqualis, & ejuſdem ſubſtantiæ, & naturæ cum Patre, ſicut Adam generans, & Abel genitus, ſunt ita ejuſdem ſubſtantiæ, & eſſentiæ, ut Abel ſit homo, ſicut Adam. Ità ſimiliter neceſſè eſt quòd in divinis, Filius ſit Deus ſicut Pater; quin tamen particula *ſicut* exprimat Abelem, & Adamum eſſe unum & eumdem hominem, ſicut Verbum, & Pater ſunt unus & idem Deus. Aut Filium & Patrem eſſe duos Deos, ſicut Abel & Adam ſunt duo homines, ſed ſolum Filium eſſe Deum. Quia à Deo eſt, ſicut Abel eſt homo, quia ab homine eſt, nec aliud voluit ſignificare D. Gregorius, quia loquitur comparativè; ſervata tamen uniuſcujuſque naturæ proprietate. Et ideo cùm natura divina ſit una numero ſingularis; & ex ſe hæc, & individua; humana verò ſit una ſpecificè, certò ſtante hac authoritate D. Gregorii, ſequitur quòd divina natura, eſt una numero in Patre, Filio, & Spiritu ſancto; & hi tres ſunt unus Deus: ſicut humana natura eſt una tantum ſpecificè in Adamo, hæcque alia numero in Abele, & hi duo, ſunt duo homines.

D. Fulgentius D. Cyprianus.

Idem probat D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. ait: *Ob hoc ergo tres unum rectè credimus, & dicimus Deum, quia una prorsùs æternitas, una immenſitas, & una numeraliter eſt trium perſonarum divinitas.* Et D. Cyprianus in lib. de Idolorum vanitate ait: *Unus omnium Dominus eſt, neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem.* His quidem verbis liquidò conſtat, naturam, & eſſentiales perfectiones non multiplicari in Deo.

ARTICULUS XIX.

Quo impugnatur Anaſtaſius Dicoros, quaternitatem in Deo admittens.

Anaſtaſius Dicoros.

Nonnulli hæretici tribus divinis perſonis; quartam perſonam, aut quartam rem ſubſiſtentem addiderunt; proclamando in Deo; non Trinitatem, ſed quaternitatem eſſe adorandam. Hujus erroris author dicitur Anaſtaſius cognomento Dicoros Imperator, qui poſt Zenonem Iſauricum Imperium ſumpſit Anno Domini CCCCXCIII. ſub Simmachi Pontificatu. Hic vir Impiiſſimus miſerabilem in modum dilacerabat Eccleſiam, omnes hæreticos ſubvertendo adverſùs eam. Nam ſub ejus Imperio impunè licitum erat, quamcumque hæreſim profiteri, utpotè Manichæorum, Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, aliamque quamlibet, ſolam enim Catholicam rejiciebat, & ut odium quod adverſus eam conceperat, manifeſtaret, trecentos quinquaginta Monachos ſtrenuos fidei Romanæ defenſores trucidavit, ut referunt Hiſtorici. Et teſte D. Gregorio lib. Dialog. multos in exilium miſit Epiſcopos Catholicos, multoſque fideles afflixit, nolens Epiſcopos, Patriarchæ Conſtantinopolitano, nec Pontifici Romano, nec ejus legatis quoquo modo parere, ſed arroganti quadam, & faſtuoſa præſumptione elatus; dicebat, Papam debere potiùs illi parere, quàm ipſe, Papæ. Porrò quia non dormitat, nec dormit qui cuſtodit Iſraël, ipſe Anaſtaſius Imperator, fuit divinitus fulmine percuſſus Anno Chriſti DXVIII. ut referunt Paulus Diaconus, Pomponius Lætus apud Cellium lib. 1. de Trinit. cap. 4. & Cabaſſutius in notitia Eccleſiaſtica quinti ſæculi, num. 14.

Huic hæretico quaternitatem adoranti adhæſit quidam Clericus Gallicanus, cujus, tacitò nomine, meminit D. Anſelmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. & 13. Tandem eidem errori quar-

tam entitatem admittenti in Deo, ſubſcripſiſſe videtur Gilbertus cognomento Pottetanus Epiſcopus Pictavienſis, vir quidem admodum eruditus, ſubtiliſſimusque Philoſophus, & in ſacrarum litterarum Palæſtra plurimùm exercitatus, ſed ſublimiora ſe ſcrutans, contrà ſapientis monitum, ad inſipientiam decidit, tempore Cunradii III. & Eugenii III. circà Annum Domini M. CXLVII. diſtinguebat enim realiter eſſentiam divinam à tribus perſonis, ſicut perſonas inter ſe, & ideo admittebat quaternitatem, ut credunt de ipſo Porretano, Theologi poſt D. Bernardum lib. 5. de conſideratione cap. 7. attamen licet de ſanctiſſima Trinitate infideliter ſcripſerit, & in Concilio Rhemenſi condemnatus fuerit, non eſt inter hæreticos reputandus, nec dicendus eſt Diſcipulus Anaſtaſii Imperatoris, quia ut teſtatur Prateolus, cauſam ſuam ad judicium, & arbitrium Concilii, & Papæ remiſit, errorem que ſuum in hoc Concilio retractavit, Palinodiam cecinit: ſæpè enim (inquit idem doctor) cordis oculus nube erroris obductus, ità ſupernæ illuſtrationis lumine fit ſerenus, ut author Schiſmatis ad unionem redeat veritatis.

Gilbertus Porretanus

§. I.

Quo damnantur hæretici, & probatur articulus fidei.

HÆc ſubſtantiæ Dei multiplicatio, ſeu quaternitas, damnata fuit, nedùm in Concilio Rhemenſi, in quo damnatus fuit ipſe Porretanus. In Concilio Bracarenſi 1. Can. 2. dicente: *Si quis extrà ſanctam Trinitatem, alia neſcio qua divinitatis nomina introducit, dicens quòd in ipſa divinitate ſit Trinitas Trinitatis, ſicut gnoſtici, & Priſcilliani dixerunt: Anathema ſit.* In Concilio Lateranenſi cap. *damnamus*, in quo definitum fuit, in Deo eſſe Trinitatem ſolum modò, non verò quaternitatem; ſed etiam in Concilio Florentino in quo determinatum fuit, in divinis, omnia eſſe unum, ubi non obviat relationis oppoſitio, quæ cùm obviet tàntum inter perſonas, ſequitur quòd inter ipſas tantum eſt diſtinctio realis.

Identitas eſſentiæ in tribus divinis perſonis probatur. Quod eſt eſſentialiter commune tribus abſque ulla ſui diviſione, & in ipſorum conceptu adæquato, & ſpecifico includitur, nequit concipi ut aliquid quartum ab illis realiter diſtinctum. V. g. ſi humanitas eſſet una numero in Petro, Paulo, & Joanne, certò Petrus eſſet homo, Paulus eſſet homo, Joannes quoque eſſet homo, quin tamen ipſa humanitas, una numero manens in eis, eſſet quarta entitas ab ipſis realiter diſtincta, quoniam dum hæc humanitas conciperetur diſtincta realiter ab illis individuis, nullum remaneret humanum individuum, ſcilicet nec Petrus, nec Paulus, nec Joannes; cùm humanitatem ſic concipiens, non poſſet concipere Petrum ut hominem, quia tunc non inveniret in eo conſtitutivum hominis, utpotè humanitatem, quâ Petrus eſt formaliter homo; at natura divina eſt eſſentialiter communis Patri, Filio, & Spiritui ſancto; & in ipſorum adæquato conceptu includitur, manens una numerò; cum Pater ſit Deus, Filius ſit Deus, Spiritus ſanctus ſit Deus, & tamen non ſunt tres Dii, ſed unus Deus. Tres enim ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, ſed hi tres unum ſunt: Hinc eſt quòd Filius ait: *Ego & Pater unum ſumus*, ratione naturæ, quæ eſt una in utroque, & ab utroque indiſtincta realiter, ſicut humanitas ab homine, aut à Petro, quemadmodum conſtitutivum, eſt realiter indiſtinctum à conſtituto: Etenim licet natura divina non conſtituat Patrem in eſſe Patris, aut perſonæ, ſicut humanitas non conſtituit Petrum in eſſe Petri, aut individui, conſtituit tamen illum in eſſe Dei, ſicut humanitas conſtituit Petrum in eſſe hominis: Igitur natura divina manens una numero in tribus, non poteſt numerari, aut conſiderari ut quarta entitas in divinis à tribus aliis realiter diſtincta, ut ad conſtituendam in divinis quaternitatem requireretur.

Natura divina non eſt entitas realiter diſtincta à perſonis.

Hanc ipſam veritatem docent ſancti Patres communiter, & præſertim ſanctus Iſidorus lib. Ethmologiarum. *Trinitas dicitur quaſi trium unitas, quare Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Trinitas, & unitas, idem enim, ut unum ſunt propter majeſtatis communionem, & tres propter proprietatem perſonarum.* D. Gregorius lib. 30. moral. inquit: *apertè tunc videbimus, quomodo & unum diviſibiliter tria ſunt, & indiviſibiliter tria unum*, D. Bernardus Serm. de Trinit. ait: *Inquirere de Trinitate perverſa curioſitas eſt, & credere & tenere ſicut ſancta Eccleſia tenet, fides, & ſecuritas eſt.* Fides autem nullam admittit in Deo quaternitatem, & D. Auguſtinus de verbis Domini habet: *Videmus ſolem in cœlo currentem, fulgentem, calentem, ſimiliter ignis tria habet, hoc eſt, motum, lucem, & calorem. Divide ergo ſi potes ô Ariane, ſolem, vel ignem, & tunc demum divide Trinitatem.*

D. Iſidorus
D. Gregorius.
D. Bernardus.
D. Auguſtinus.

Si hæc ſanctorum Patrum oracula conſiderent hæretici, certò credent, & diſcent, nullam eſſe in Deo unitatem à Trinitate diſtinctam realiter; ac proindè non quaternitatem, ſed Trinitatem eſſe adorandam, in ſenſu quidem reali, & identico Trinitas eſt unitas, & unitas eſt Trinitas, ut facilè colligi poteſt ex illo D. Athanaſii in ſymbolo: *Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.* Idem inſinuat D. Auguſtinus lib. 6. de Trinit. dicens, *in ſumma Trinitate tantùm eſt una, quantum tres ſimul ſunt, & nec plus ſunt duo, quam una res, & in ſe infinita ſunt in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum in omnibus.* His enim verbis nos docet ille ſanctus doctor, nullam eſſe realem diſtinctionem inter unitatem, & Trinitatem perſonarum; quamvis perſonæ inter ſe realiter diſtinguantur.

D. Athanaſius.

§. II.

Argumenta hæreticorum proponit & diſſolvit.

HÆreticorum ratio eſt hæc. Relationes originis, & perſonales diſtinguntur realiter à natura, ac proindè natura ſic diſtincta, eſt quarta entitas, hæcque perſonalis, cùm ſit intellectualis, & ſubſiſtat ſubſiſtentiâ propriâ, & abſolutâ, quâ non ſubſiſtunt perſonæ, quoniam quælibet divina perſona habet propriam ſubſiſtentiam relativam juxta communem Theologorum ſenſum.

Idem confirmant hac ratione, Deus non eſt Pater in ſuo conceptu formali; nec eſt Filius, nec Spiritus ſanctus, nam Filius eſſet Pater, quia eſt Deus, & habet eſſentiam divinam. Spiritus ſanctus etiam eſſet Pater, & Filius, quia eſt Deus: Ergo hæc eſſentia, aut Deitas, eſt realiter diſtincta à perſonis, eſtque quarta entitas completa, præciſis perſonis ratione propriæ ſubſiſtentiæ, cui neceſſariò competit diſtingui ab alia.

Porro falſiſſimum, atque impiiſſimum eſt illud fundamentum, qui in divinis, omnia tàm abſoluta, quàm relativa identificantur eſſentiæ, quamvis relativa oppoſita diſtinguantur realiter inter ſe. Ratio hujus identitatis eſt.

Quia divina eſſentia eſt principium à quo emanant, & fluunt omnia, quæ in Deo ſunt, & identificat ſibi omnem perfectionem ratione infinitatis, ideoque ipſa divina eſſentia non eſt quarta entitas perſonalis realiter diſtincta à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ſicus Pater eſt à Filio diſtinctus; cùm nihil ſit in Deo, quod producatur ab eſſentia, ſicut Filius à Patre producitur. Deinde hæc ipſa natura divina eſt una, & eadem in tribus divinis perſonis, quapropter tres divinæ perſonæ non ſunt tres Dii, ſed unus Deus, quia natura eſt una in tribus ſubſiſtens. Undè D. Ignatius in Epiſt. ad Philipenſes ſic concludit: *Unus ergo Deus Pater, & non duo, vel tres, unus ſcilicet qui eſt, & non eſt præter eum ſolum, verus Dominus enim Deus unus eſt, unus quoque Filius Deus verbum.* Et paucis interpoſitis pro unitate Spiritus ſancti, concludit: *Iterum ergo neque tres ſunt* *D. Ignatius* *Patres, neque tres filii, ſed neque tres Paracleti, ſed unus Pater, unus Filius, & unus Paracletus*, quibus Ignatius obſervat pertinere ad unitatem Dei, quòd non ſint plures Patres, nec plures Filii, nec plures Paracleti.

Idem concinit Sanctus Baſilius lib. 3. contra Eunomium, ubi inquit: *In Trinitate unitatis ratio conſervabitur, ſi unum Patrem profiteamur, unum Filium, unum Spiritum ſanctum.* Subſcribit & Epiphanius, hæreſ. 64. *D. Baſilius* *Pater* (inquit) *& Filius, & Spiritus ſanctus, unus Deus. Trinitas in veritate, & monas, propterea enim unus Deus, quoniam nec duo Patres, neque duo Filii, neque duo Spiritus ſancti.* Ex his omnibus conſtat, ſanctos Patres nihil adorare in Deo, niſi unitatem in Trinitate, & in unitate Trinitatem, nempe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in una, eademque natura, quoniam Pater dicit eſſentiam divinam, & perſonalitatem, filius dicit eamdem eſſentiam, & ſuam perſonalitatem, & Spiritus ſanctus dicit eamdem eſſentiam (quæ eſt in Patre, & Filio) & ſuam perſonalitatem, & ideò ibi non eſt quarta entitas abſoluta, realiter & adæquatè diſtincta à relativis. Nam ſi eſſentiam diſtinguis realiter à Patre, nullum Patrem invenies in Deo, quoniam Pater æternus in ſuo conceptu reali & adæquato, naturam, & perſonalitatem includit. Et ſic de Filio, & Spiritu ſancto: Quamvis natura divina habeat propriam ſubſiſtentiam, quæ cùm ſit abſoluta, & infinita, eſt communicabilis abſque diviſione, & diſtinctione ab illis, quibus communicatur.

Ad confirmationem dico quòd non nocet, quia licet Deus in ſuo conceptu formali non ſit Pater, tamen Pater (& ſic de Filio, & Spiritu ſancto) includit eſſentialiter Deitatem, ſeu naturam divinam, ut jam dixi, aliàs non eſſet Deus, & hoc ſufficit ad hoc, ut Deitas, aut Deus ſecundum ſe conſideratus, non ſit quarta entitas. Nam ſi Deitas diſtingueretur à perſonis realiter, ſicut perſonæ inter ſe diſtinguntur, Pater non eſſet Deus, ſicut non eſt Filius, & ſic eſſet tantùm una entitas in divinis, quod non concedunt adverſarii, undè cum Pater non poſſit enunciari; quin enuncietur, aut ſignificetur natura divina, quæ in ipſo eſt, ſequitur quòd hæc natura non conſtituit in divinis quartam entitatem actu à tribus divinis perſonis realiter, & adæquatè diſtinctam. Quoniam ſuppoſita hac diſtinctione, nulla concipitur perſona divina.

Contra hanc fidei diviſionem nulla alia afferri poteſt ratio ab hæreticis, niſi velint quòd eſſentia, aut natura divina generetur, & producatur, generet, & producat, quia in divinis nulla poteſt eſſe realis diſtinctio, niſi inter producentem, & pro- *Eſſentia divina non generat, nec generatur.* ductum, generantem, & genitum. Porro hæc ratio eſſet frivola, & inſulſa. Nec poſſunt ex ipſa ſuam hæreſim propugnare contra univerſam Eccleſiæ fidem, quia eſſentia non generat, nec generatur, cùm natura divina ſit una, eademque in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto: Nam Pater habet hanc naturam à ſe; Pater verò eamdem naturam filio indiviſim communicat per generationem, & Pater & Filius communicant eam Spiritui ſancto per ſpirationem: Igitur natura non generat, nec generatur; nec producit, nec producitur, ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui generatur; & Spiritus ſanctus, eſt qui ſpiratur à Patre, & Filio tamquam ab uno ſpiratore. Ratio hujus veritatis eſt quia natura divina eſt omninò à ſe; hoc eſt, excludit cauſam, & principium; & Deus non poteſt generari, cùm natura genita, eſſet ab alio ſaltem tamquam à principio.

Undè D. Athanaſius in ſymbolo ait: *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus; nec genitus, ſed procedens: unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius,* *Athanaſius.* *non tres Filii, unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.* Et Concilium Lateranenſe celebratum ſub Innocentio III. loco citato ait: *Nos autem ſacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro quòd una quadam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem, &* *Lateranenſe* *ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: Tres ſimul perſonæ, ac ſigillatim qualibet earumdem, & ideo in Deo ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas. Quia qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt, & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens, ſed eſt Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus qui procedit, ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud, ſed id quòd eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus idem omnino: ut ſecundum orthodoxam, & Catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur: Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, juxta quod ipſe teſtatur. Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt, &c.* Quibus liquidò conſtat, in Deo, nullam eſſe realem entitatem abſolutam à relativis ſeu à tribus perſonis realiter diſtinctam.

Quare D. Auguſtinus Epiſt. 66. ait: *Hæc Trinitas eſt unius, ejuſdemque naturæ, atque ſubſtantiæ, non minor* *D. Auguſt.* *in ſingulis, quàm in omnibus, nec major in omnibus, quàm in ſingulis, neque enim Pater ut haberet filium de ſe ipſo, minuit ſe ipſum, ſed ità de ſe ipſo genuit alteram ſe, ut totus maneret in ſe, & eſſet in filio tantus, quantus eſt ſolus.* Indè enim facilè ſuadetur, nullam dari in divinis diſtinctionem realem, niſi inter perſonas.

ARTICULUS XX.

Contra Archonticos credentes, Deum non eſſe Creatorem mundi.

Simon Patriâ Samaritanus, & cognomentô ſimul & profeſſione Magus, de quo mentio in actibus Apoſtolorum, ob tot, tantaque ſcelera, & dog- *Simon Magus.* mata impia, ferè omnium hæreſum parens meritò nuncupatus, docuit Anno Domini LV. ſub Nerone Imperatore, & Divo Petro, primo in terris, Chriſti Vicario, mundum non fuiſſe creatum à Deo, ſed ab Angelis, quibus tribuebat poteſtatem conſervandi cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Angelos autem factos credebat à quibuſdam ſenſibus de cœlo perditis, eoſque genus humanum feciſſe. Eumdem errorem poſteà ſcilicet Anno LXIX. amplexus eſt alter hæreticus, nimirum Cerinthus *Cerinthus.*

vir hæreticus peſſimis moribus imbutus, Simonis Diſcipulus, & unus eorum qui deſcendentes de Judæa in Jeruſalem, docebant fratres, circumciſionem eſſe abſolutè neceſſariam ad ſalutem.

Menander

Anno autem LXXX. apparuit alter ejuſdem Simonis Magi Diſcipulus, utpotè Menander, vir Patriâ Samaritanus, qui ſub Veſpaſiano Imperatore, & ſancto Lino Papa, rejiciebat librum Geneſis, & præcipue primum hujus libri caput, ut impudentiùs prædicaret, Deum non eſſe conditorem mundi, nec creatorem Cœli & Terræ. Dicebat enim omnia in cœlis, & in terris ſubſiſtentia, non à Deo, quamvis omnipotente, ſed ab intelligentiis condita fuiſſe, falsâ antiquorum Philoſophorum doctrinâ Fretus. Saturninus Patriâ Antiochenus, Magiſtri ſui Menandri hæreſim refellere volens, in Pejorem cecidit, quia Deo denegavit nedùm virtutem creandi mundum, quam Menander in eo admittebat, ſed etiam notitiam rerum creandarum. Docuit enim circà Annum: CXVIII. tempore Trajani, & Papæ Evariſti, mundum non fuiſſe conditum à Deo, nec ab omnibus Angelis, ut priùs docuerant Simon Magus, Cerinthus, & Menander; ſed ſolum ex ſeptem ex principalioribus Angelis, præter conſcientiam Dei Patris, hoc eſt, neſciente, & nolente Deo Patre.

Saturninus

His omnibus ſucceſſit Baſilides, Patriâ Alexandrinus, vulgò dictus intemperantiæ Magiſter, qui à præceptoribus ſuis recedere voluit, non ut veritatem fidei doceret, & defenderet contrà prædeceſſores ſuos, hunc articulum; ſcilicet Deum eſſe creatorem Cœli, & Terræ (prout audierat ab Apoſtolis Chriſti, quos Spiritus ſanctus docuerat omnem veritatem) ſed ut novam ſuſcitaret hæreſim contrà Eccleſiam. Quippe Anno CXXIV. regnantibus Adriano Aëlio Cæſare, & Alexandro primo Romanorum Pontifice, docuit trecentos, & ſexaginta quinque cœlos creaſſe Angelos, & alias creaturas, quæ ſub cœlo ſunt, ut refert D. Auguſtinus lib. de hæreſ. quia putabat tot eſſe cœlos quot ſunt in anno dies, & volebat quodlibet cœlum ſuam condidiſſe diem. Et ultimum cœlum, nullo alio concurrente cœlo, nullaque interveniente creatura, creaſſe hominem.

Baſilides.

Carpocrates Baſilidem impugnavit ſub eodem Imperatore, & Xiſto primo, circà Annum Domini CXXIX. non ut teſtimonium perhiberet veritati, ſed ut Simonis hæreſim (quæ poſt Baſilidem Sopita fuerat) excitaret, & magis oſtenderet; aſſerebat enim mundum non fuiſſe creatum à cœlis, ſed ab Angelis, quos credebat à Deo prius conditos, cum virtute creandi entia materialia, & viſibilia, & ſic duos admittebat creatores, Deum ſcilicet, ac Angelos. Deum ut creatorem rerum ſpiritualium, Angelos verò ut creatores rerum materialium.

Carpocrates.

Anno CLX. inſurrexerunt quidam viri hæretici, quos D. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 20. & D. Epiphanius hæreſ. 23. vocant Archonticos, qui Imperante Antonino Pio, & Eccleſiam Dei regente Pio primo, docebant, hanc mundi univerſitatem non fuiſſe conditam à Deo, nec ab Angelis, ſed ab Archangelis, eo quod Archangeli ſint altiores, & potentiores Angelis, Deo ſic decernente, ut per ipſos Archangelos crearentur Angeli, & omnia, quæ in terris ſunt. Alii verò ſeu Bogomiles Anno M. CLXXIX. tempore Alexandri III. dixerunt, mundum fuiſſe creatum, non ab Angelis bonis, ſed à malis, ſeu Dæmonibus. His hæreticis de quibus alibi erit ſermo, plures ſcriptores adjungunt Valentinianos (de quibus locuti ſumus in ſecundo articulo) Manichæos, & Priſcillianiſtas, quia volunt ipſos credidiſſe, mundum non eſſe opus Dei, ſed opus perfectum virtute Angelorum.

Archontici.

Bogomiles.

§. I.

Hæreticorum proſcriptio.

PRænominatos hæreticos damnant ſymbolum Apoſtolorum in primo articulo fidei orthodoxæ, quo tenemur credere, Deum mundum condidiſſe, ait enim: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem creatorem Cœli & Terræ*; & ſymbolum Nicænum, in quo decem, & octo ſupra trecentos, Patres, una voce dixerunt Spiritu Sancto ſic inſpirante, & decreverunt, neceſſarium eſſe unicuique hominum dicere: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem Cœli, & Terræ.* His quidem duobus ſymbolis liquidò conſtat, nullam creaturam fuiſſe conditam ab Angelis, ſed omnes à Deo proceſſiſſe, tamquam ab authore, & cauſa univerſali rerum omnium, tam inviſibilium, quàm viſibilium.

Concilium Nicænum.

Idem poſt Nicænum decreverunt duo Concilia ſcilicet Bracharenſe primum celebratum circà Annum DLXIII. ſub Joanne III. in quo præſens controverſia ſic deffinita fuit cap. 13. *Si quis dixerit creationem univerſæ carnis non opificium eſſe Dei, ſed malorum Angelorum, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt: Anathema ſit.* Et Lateranenſe ſub Innocentio III. circa Annum M.CCXV. in quo legitur; Deum unum univerſorum principium, creatorem Cœli & Terræ, viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, ſua omnipotenti virtute ſimul ab Initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, Angelicam videlicet, & humanam. Inſuper cap. 1. de ſumma Trinitate habet: *Creatura ab initio temporis, a tribus divinis perſonis facta ſunt.* Ibidem: *Creatura de nihilo à Deo facta ſunt*, & Anacletus Papa Epiſt. prima ait: *Deus eſt Pater noſter, quia nos creavit Eccleſia vero mater noſtra, quia nos regeneravit.*

Bracharenſe primum

Lateranenſe.

§. II.

Affirmat Deum eſſe cauſam rerum omnium.

NEdum ex ſymbolis fidei orthodoxæ, & ex Conciliis refellitur Archonticorum, aliorumque hæreticorum error, ſed etiam ex ſacra ſcriptura, in qua nihil tam frequentèr inculcatur, quàm Deum eſſe creatorem Cœli & Terræ, maris, & omnium, quæ in eis ſunt; nam Geneſ. cap. 1. dicitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Quibus verbis luce meridiana propemodum clarius eſt, omnia, quæ exiſtunt in cœlo, & in terra (quibus mundus componitur) condita fuiſſe à Deo; cùm cœlum, & terra omnia contineant. Undè Eſther. cap. 13. verſ. 10. ait: *Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium es.* Et David Pſal. 102. verſ. 2. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram*, & Pſal. 146. verſ. 5. & 6. ait: *beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt*: Itaque Deus eſt creator, nedùm cœli, & terræ, & maris; ſed etiam Angelorum, omniumque exiſtentium tam ſpiritualium, quàm materialium; nullus quidem eſt, qui ignoret, hæc omnia manum Domini feciſſe, inquit Job cap. 12. verſ. 5. apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium, & intelligentiam; ibidem verſ. 13. & ideo certum eſt, Deum eſſe creatorem totius mundi; cùm per mundum, nihil aliud intelligatur, niſi collectio creaturarum; quin nobis liceat alicui ipſarum, alium tribuere Opificem præter Deum, qui creavit omnia ſimul Eccleſ. cap. 18. & propter ſe-

Solus Deus eſt creator mundi.

metipſum omnia operatus eſt proverb. cap. 20. ut indè Deum veneraremur, non ſolum ut cauſam primam efficientem rerum omnium, ſed etiam tamquam earumdem cauſam exemplarem, & finalem, principium, & finem omnium creaturarum, quæ cum à ſola virtute infinita creari potuerint, hæcque tantum in Deo ſit, non potuerunt creari ab Angelis, quorum virtus finita eſt, & creata, ſed à ſolo Deo, ut filium ſuum monuit generoſa ſeptem filiorum mater Machabeorum lib. 2. cap. 7. verſ. 28. dicens uni ex ipſis: *Peto Nate ut aſpicias cælum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & inteligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Hæc quidem Mater non Cœlis, neque Archangelis, nec Angelis, ſed Deo tribuit creationem rerum omnium tam viſibilium, quàm inviſibilium. Idem teſtimonium affert ſapiens cap. 13. verſ. 5. dicens: *A magnitudine ſpeciei, & creatura cognoſcibilitèr poteſt creator harum videri*, at non Angelorum, ſed Dei exiſtentia infertur ex creaturis: Ergo Deus eſt creator mundi, & Dominus cœli & terræ.

Eadem veritas probatur ratione ſuffulta oraculis ſcripturæ. Nam mundus & omnia, quæ ln eo ſunt, non poſſunt conſervari niſi à Deo omnipotenti, & infinito, ut ſuadet ſapiens cap. 11. verſ. 26. dicens Deo: *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu*
Sap. 11. *voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur:* Itaque non ab Angelis, ſed à ſolo Deo creata fuere mundus, & omnia quæ in eo ſunt. Ratio hujus veritatis eſt. Quoniam illius eſt conſervare res nè pereant, cujus eſt producere eas; cùm juxtà communem doctorum ſenſum, conſervatio ſit continuata productio; idcircò ſi Deus omnia conſervat, ut docet ſacra ſcriptura, profectò nihil præſupponit quod factum ſit ab alio, quàm à ſe, quia illud non factum à Deo, poſſet cætera, aut ſaltem ſe conſervare; ſed hoc eſt falſum, & contrà ſcripturam, ex qua nihil poteſt permanere, niſi Deus velit quòd permaneat, ideo Angelus, & omnia ſunt à Deo; cùm ſine ipſo non poſſint conſervari, & ab illo duntaxat à quo res ſunt poſſint ſubſiſtere.

Certò terra fuit creata ab eo, qui dixit: *Germinet terra.* Probabile quidem eſt, ipſam terram accepiſſe virtutem producendi ab eo, à quo creata fuit: Atqui non eſt Angelus, ſed Deus, qui in lib. Geneſ. dixit, *Germinet terra*, & in Evangelio; *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ratio hujus Imperii, eventuſque certiſſimi, eſt. Quia non Angelus, ſed Deus eſt Dominus cœli & terræ, & conſervator eorum jure creationis. Scriptum eſt enim: Domini eſt terra, & plenitudo ejus, non per acquiſitionem; alioquin cœlum & terra prius fuiſſent alterius, quàm Dei. (Quòd eſt falſum) ſed per productionem, hocque titulo, cœlum ſibi reſervavit, & terram dedit filiis hominum; undè Pſalmiſta non à cœlo, nec ab Angelis, aut ab Archangelis, ſed à ſolo Deo ſuam petebat conſervationem, quoniam ab illo ſe productum ſciebat dicens Pſal. 121. *Levavi oculos meos in montes, undè veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* In Pſal. 95. deſcribit verum Deum per opus creationis cœli, & terræ dicens. *Dii gentium Dæmonia, Dominus autem cælos fecit*, & in Pſal. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, &c.* Quæ ſunt in aliis Pſalmis, quibus eadem veritas ſuadetur.

Creatura accipiunt à Deo virtutem agendi

Novó Teſtamentô etiam ſicut & veteri convincitur, atque refellitur error hæreticorum. Nam D. Joan. loquens de Verbo divino, ait, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* His ſiquidem verbis, nedum refellitur Arius divinitatem verbi impugnans, aut verbum creaturam credens, ut in proprio loco dictum manet, ſed etiam Simon Magus Angelis creationem mundi tribuens; cùm affirment, verbum eſſe Deum, & per ipſum facta fuiſſe omnia, quæ facta ſunt, hucque ſolum propria virtute, ſeu omnipotentiâ ſuâ eſſe creatorem omnium rerum. Et nè dicant hæretici; hanc authoritatem non eſſe intelligendam de mundi creatione, Evangeliſta ſtatim ſubdit: *In mundo erat; & mundus per ipſum factus eſt.* Nullus igitur eſt creator mundi, nec habet virtutem creandi, niſi Deus; qui reverà fecit omnia: *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo*, inquit Apoſtolus ad Heb. 3. verſ. 4: *Qui autem omnia creavit, Deus eſt.* Ità loquitur Paulus, ut indè videamus, omnia facta fuiſſe à Deo, ſicut domus fabricatur ab aliquo homine: Nulla enim eſt res, quæ ſit à ſeipſa: Ac proindè omnes ſunt à creatore, qui eſt Deus.

Idem inſinuat David Pſal. 73. verſ. 17. dicens Deo. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram, & ſolem.* Undè Tertullianus lib. 2. adverſus Tertullianus.
Marcionem cap. 12. eleganter ait: *à primordio creator tam bonus, quam & juſtus pariter utrumque proceſſit*, ex quibus ſequitur & facilè infertur, Deum fabricaſſe univerſum mundum, ſeu viſibilia & inviſibilia, hoc eſt, omnes creaturas tam ſpirituales, quàm materiales, ex quibus duntaxat componitur mundus, cùm per mundum, nihil aliud intelligatur, niſi collectio omnium entium creatorum. Hinc eſt quòd Paulus, ut probet idem verbum eſſe imaginem Dei inviſibilem, ad Coloſſ. cap. 1. ait: *In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Ex quo ſequitur quòd non Angelus, ſed Deus, fecit omnia, & omnia conſervat. Sequitur pariter quòd ob hanc cauſam viginti quatuor ſeniores meritò dixerunt Apocalyp. 4. verſ. ult. *Dignus es Domine, Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt:* Ipſe enim dixit & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt, ipſe fecit nos, & non ipſi nos: Ergo creatio mundi, ſoli Deo tribuenda eſt.

§1

Reſpondet rationibus contrariis.

HÆreticorum mundi creationem Angelis tribuentium ratio, eſt, quia Angelus non eſt nomen naturæ, ſed officii, & ſic vocantur propter opera, quæ fecerunt. Opus autem Angelicum (inquiunt) eſt creatio mundi, cùm nullum ſit aliud opus Angelo dignum, nullumque tunc, ſcilicet in principio fuerit opus faciendum præter mundum viſibilem, cujus exiſtentiam ſupponit exiſtentiam Angelorum.

At hæc ratio non convincit, nec probat, Deum non eſſe creatorem mundi, nec oſtendit, cœlos ab Archangelis, aut Angelis conditos fuiſſe, quamvis ſit concedendum, Angelum non eſſe nomen naturæ, ſed officii ut docet Tertullianus lib. adverſus Judæos cap. 9. ubi ait: *Deus eos vocare conſuevit Angelos, quos virtutis ſuæ Miniſtros præfecit.* Quia aliud eſt officium ab Angelis exercendum præter mundi creationem, ſcilicet laudare Deum, ut notat D. Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei cap. 9. & in Pſal. 148. *Laudate Deum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Aliud officium Angelorum & Archangelorum, eſt cuſtodire homines, ut contrà Calviniſtas, & alios Novatores facilè colligitur ex

Officium Angelorum non eſt creare.

illo Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat in via.* Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* potuerunt igitur illi Spiritus Cæleſtes, à Sanctis Patribus, & Theologis communiter, vocari, Angeli, ab alio officio, quàm à creatione mundi ſivè viſibilis, ſivè inviſibilis.

Dicent forſan hæretici, Angelos, atque Archangelos fuiſſe creatos ante creationem hominum, ut docet Sacra Scriptura, ac proindè Angelos non accepiſſe nomen à cuſtodia hominum, ſed à creatione mundi facienda, aut a mundo creando.

Nego hanc illationem, quia dato & non conceſſo, quòd Angeli fuerint creati antè mundum corporeum, tunc tamen Deus erat ab ipſis laudandus, & ſic poterant Deum laudare, & ab hoc officio tale ſuſcipere nomen. Deindè, potuerunt nomen illud habere ab aliis officiis exercendis ergà homines à peccato præſervandos, non verò à creatione, quæ illis repugnat, nam creare eſt ità eſſentiale Deo, ut nequeat etiam divinitùs convenire enti creato, ut docent ferè omnes Theologi, & Sancti Patres, præcipuè. D. Damaſcenus, lib. 2 de fide cap. 3. dicens. *Os Diaboli patris ſui ſunt, qui Angelos aſſerunt, cujuſcumque conditores; cum enim ipſi creaturæ ſint, non ſunt creaturarum effectores.* Ideo ſi dicantur Angeli, hoc nomen nequit à mundi creatione provenire, ſed ab alio officio ergà homines exercendo in ordine ad ſalutem conſequendam, ut probat Angelorum cuſtodia, quam omnes admittunt contrà Bezanitas.

D. Damaſcenus

Aliam addunt rationem, nimirùm quia in mundo, plura mala ſunt, quæ Deo tribui nequeunt, belle quidem Angelis in quibus reperta eſt pravitas. Nam (inquiunt) ſi Deus creaſſet mundum, feciſſet mala, quæ in mundo ſunt, quòd ità implicat Deo, ut Manichæi, & alij hæretici crediderint, neceſſarium eſſe præter Deum bonum, admittere Deum malum, authorem malorum: ergo mundus creatus fuit ab Angelis, qui cùm creaturæ ſint, & defectibiles, aliqua eorum, quæ fecerunt, mala ſunt, & aliqua bona reperiuntur, rationé defectibilitatis cauſæ omnium rerum.

Reſpondeo hanc rationem minus valere, quia Deus ex nihilo fecit omnia ſivè bona, ſivè mala, quæ ſunt in mundo (ſi de malo naturæ, & pœnæ ſermo ſit) mala enim culpæ neutiquam in Creatorem refunduntur, ut dictum eſt in ſecundo articulo contra Manichæos, & alios viros pluralitatem Deorum tuentes, ſed in malam hominis voluntatem. Igitur nulla eſt ratio denegandi Deo creationem mundi, nullave neceſſitas admittendi duos Deos cum Manichæis, & Priſcillianiſtis, quamvis plura ſint in mundo, quæ reſpectù hominum, mala ſunt in ſenſu jam explicato; cùm non repugnet quòd unus Deus ſit Creator bonorum, & malorum pœnæ, ut probatum manet in articulo ſecundo adversùs Polytheiſmum, ubi conſtat, mala, quæ patimur, eſſe à Deo juſto, & bono.

Exiſtentia mali non probat Angelum eſſe creatorem mundi

Prætetea ratio Simonis, Cerinthi, Menandri, & aliorum ſuprà memoratorum hæreticorum, non eximit Deum, à creatione mali. Nam dicunt quòd Angeli condiderunt mundum virtute à Deo illis conceſſa, ita ut Deus ſit cauſa mediata & remota eorom, quæ fiunt ab Angelis: ergo Deus eſſet cauſa etiam malorum, quæ ſunt in mundo; cùm qui per alium facit, per ſe facere videatur, ſed Archontici, & alij ſupra memorati hæretici volunt, Deum non poſſe eſſe cauſam mali operis, ideoque tenentur fateri nobiſcum, Deum eſſe creatorem mundi, & omnium, quæ in eo ſunt, vel cum Polytheis duos Deos admittere, quòd non audent; vel dicere Deum non creaſſe Angelos eo animo ut ipſi Angeli crearent mundum, quòd etiam negant, ut patet ex dictis.

ARTICULUS XXI.

Docet adversùs hermogenianos, Deum creaſſe mundum in tempore.

ANtiqui Philoſophi, quos hîc referre ſuperfluum eſſet, nedùm præcedentem articulum impugnarunt, ſed etiam præſentem: voluerunt enim, mundum eſſe ab æterno, ſed cùm non ſit nobis adversùs illos colluctatio, non Philoſophos, ſed hæreticos hic impugnare neceſſe eſt. Primus qui inſurrexit adversùs æternitatem Dei fuit Hermogenes, natione Afer, ſectâ Sabellianus, qui circà annum Domini. CCLX. tempore Galieni Cæſaris, & Stephani Papæ, docuit, mundum eſſe Deo coæternum, & ab æterno exiſtentem, ac proindè, Deum non eſſe ſolum æternum. Hunc errorem hauſerat ex platonica Philoſophia, hinc eſt quod Tertullianus variis in locis optimè vocat Philoſophos hæreticorum Patriarchas, quippè cùm voluerint in omnibus uti ratione Philoſophica, & merè naturaliter diſcurrere, erraverunt in his, quæ docet fides. Et relictâ doctrinâ ſanâ ad fabulas converſi ſunt.

Hermogenes

Anno autem CCCLXXX. ſub Valente Imperatore, & Damaſo Papa, Hermogenianis adhæſerant Seleuciani, & Hermiani, à Seleuco, & Hermia Galatis, exorti, qui dixerunt, materiam elementorum ex qua factus eſt mundus, non eſſe factam à Deo, ſed Deo coæternam eſſe, ſubindeque mundum, non fuiſſe creatum in tempore à Deo. Eumdem errorem etiam docuerunt Albanenſes, anno DCCXCVI. tempore Conſtantini VI. & Leonis III. dicebant enim, mundum ſemper fuiſſe, & eſſe in æternum permanſurum, dicebant quoque, materiam elementorum ex qua mundus factus eſt, à Deo factam non eſſe, ſed eſſe æternam, & immutabilem.

Seleuciani

Albanenſes

Eamdem impietatem publicavit, eoſdemque hæreticos ſecutus eſt Germanus Riſſuich natione Batauus, vulgari nomine Holandinus nuncupatus, hic quidem hæreticus docebat tempore Maximiliani Imperatoris, & Alexandri VI. ſummi Pontificis circà annum MCCCCXCIX. plures impiiſſimos errores infrà referendos, quorum unus mundo tribuit æternitatem, & independentiam à quocumque alio, dicebat enim Impius ille, fidem noſtram eſſe fabulam, mundum non fuiſſe creatum in tempore, ſed eſſe æternum, & Moyſem, qui ſcripſit geneſim, fuiſſe ſtultum, & deceptorem, ob quas, & alias impietates captus fuit, & combuſtus anno MDXII. ut refert Bernardus de Luxemburgo poſt plures alios, quos ſileo.

Holandinus

§. I.

Duo Concilia ſanciunt mundum fuiſſe creatum in tempore.

MUndum fuiſſe creatum in tempore, conſtat ex Concilio Conſtantinopolit. IV. ſed octavo generali, in quo lecta, & approbata fuit Epiſtola Sophronij, in qua legitur, Deum omnia viſibilia, & inviſibilia condidiſſe, creaturam Spiritualem, & corporalem, & omnibus temporale conſtituiſſe principium: ex his enim facilè ſuade-

Concilium Conſtantinopolitanũ.

Digitized by Google

detur, non ſolum quòd mundus factus fuit à Deo, ſed etiam, quòd fuit factus in tempore: nam quod habet principium temporale, ſeu in tempore, non eſt æternum, ſed ſupponitur aliquandò non fuiſſe. Et in Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Firmiter* ubi legimus. *Unum eſt univerſorum principium, creator omnium viſibilium, & inviſibilium, Spiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam Spiritualem, & corpoream &c.* Indè enim conſtat, Deum eſſe creatorem, & mundum fuiſſe creatum in tempore.

Concilium Lateranen.

§ II.

Eamdem veritatem docet Sacra Scriptura.

ARticulum probat Moyſès in lib. Geneſ. cap. 1. ubi ait: *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Hæc quidem particula, *in principio*, idem ſonat, ac in primordio, ſeu initio, non æternitatis, non ævi, ſed temporis, & mundi, ſeu antequam quidquam faceret, quemadmodum ſumitur Prov. 8. ubi ſapientia ità loquitur. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret à principio.* Sic enim eamdem particulam explicat D. Auguſtinus, lib. 11. de civitate Dei cap. 6. Igitur nedum ex Moyſis, ſed etiam ex Salomonis teſtimonio conſtat, & firmatur, hunc mundum non eſſe ab æterno, ſed fuiſſe creatum in tempore, ut ſuadet illud Exod. cap. 20. verſ. 11. *Sex diebus fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo.* Nam ſex dies denotant non ſolum principium hujus creationis, ſed etiam ſpatium temporis, in quo mundus creatus fuit; ideoque incepit eſſe in tempore, & ipſo tempore menſuràtur; cùm ſex diebus factus fuerit, & ſex dies non ſint menſura æterna, quæ eſt tota ſimul, ſed temporanea, ſeu ſecundum prius, & poſterius, cùm ſex dies, ſint in genere quantitatis ſucceſſivæ, ac proindè neceſſariò temporalis: ſucceſſio enim non in æternitate, ſed in tempore dumtaxat poteſt locum habere, quoniam æternitas eſt tota ſimul, tempus verò habet ſuas partes, ſcilicet præteritum, præſens, & futurum, fuit, eſt, & erit, idcircò mundus non eſt ab æterno, ſed fuit creatus in tempore, quia illa prima dies, à qua incepit menſura, aut duratio ejus, non eſt ab æterno; cùm habeat principium durationis æternitati repugnans: æternum enim nihil eſt duratione prius Deus autem eſt duratione prior mundo, ut canit Propheta regius Pſal. 89. verſ. 2. dicens: *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à ſæculo, & uſque in ſæculum, tu es Deus* Igitur mundus non exiſtit ab æterno, ſicut Deus exiſtit, ſed eſt creatus in tempore, ſecundum omnes ſuas partes, id eſt tam quoad partes permanentes, quàm quoad ſucceſſivas, ut ſuadet illud Geneſ. cap. 2. verſ. 4. *Iſta ſunt generationes Cæli & Terræ quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus cælum, & terram.* His ſiquidem verbis nedùm probatur contrà Archonticos in præcedenti articulo impugnatos, Deum creaſſe mundum; ſed etiam creaſſe illum in tempore.

Solus Deus eſt æternus

Eamdem veritatem affirmat Apoſtolus ad Epheſ. cap. 1. verſ. 4. dicens quòd Deus elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem; hoc quidem teſtimoniò ſuadetur, mundum non extitiſſe ab æterno, nec eſſe Deo coæternum, quoniam ex verbis Apoſtoli, mundus neceſſariò præſupponit Deum prius exiſtentem, idcircò non eſt Deo coæternus, ut volunt Seleuciani, cùm coæterna ſimul exiſtant, & unum nequeat eſſe alio duratione prius, quippe quod eſt æternum, principio & fine caret. Quod eſt ab æterno nequit concipi non fuiſſe; cùm ſemper fuerit: ſed mundus habet principium exiſtentiæ ſuæ; cùm Deus elegerit nos ante mundi conſtitutionem, & exiſtat priuſquam montes fierent, & formaretur terra: ergo mundus non eſt æternus, neque eſt Deo coæternus: coæterna enim dupliciter conſiderari poſſunt, & eſſe, ſcilicet quia exiſtunt eâdem exiſtentiâ, hacque æternâ, vel quia ſimul ab æterno exiſtunt, nec licet alium aſſignare modum; ſed mundus non exiſtit exiſtentiâ Dei; alioquin eſſet Deus, aut Deus eſſet creatura aliqua hujus mundi Quòd hactenus aſſerere hæretici minimè auſi ſunt. Nec exiſtit ſimul cum Deo, quia ex textibus adductis, & ex aliis adducendis infrà, Deus exiſtit ante mundi conſtitutionem, eſtque rerum omnium principium, & finis.

Hoc verum eſſe patet ex illo Joan. 7. *Clarifica me Pater ea claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet.* Ex quo fit nullam eſſe creaturam in mundo, quæ ſit Deo coæterna. Ea enim quorum unum eſt antequam aliud ſit, non ſunt coæterna, quæ cum correlativa ſint, debent eſſe ſimul naturâ, & cognitione. Hoc autem verificari de Deo, & mundo non poſſe, eſt manifeſtum ex Sacra Scriptura, quâ conſtat, Deum eſſe creatorem mundi, & ipſo mundo priorem, prioritate durationis, & exiſtentiæ, ſicut Opifex eſt prior opere; nam quilibet homo, aut quælibet creatura eſt opus Dei, teſte Job dicente cap. 10. verſ. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu* Hanc ipſam Dei exiſtentiam præcedere omnem creaturam affirmat Propheta dicens. *Tu es Deus priuſquam formaretur orbi., ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.*

Joan. 7.

Job. cap. 10

Nullus homo debet credere mundum eſſe ab æterno, niſi hoc ei conſtet ex ratione, aut natura ipſius mundi exiſtentiam æternam exigente, vel ex revelatione; at ex neutro principio hoc illi conſtare poteſt. Nam ratio, quæ probat Deum eſſe ens à ſe, primam cauſam rerum omnium productivam, probat utiquè Deum eſſe, & exiſtere antequam exiſterent entia creata, & producta ab ipſo, quia, ratione ſic dictante, quælibet cauſa eſt prior ſuo effectu prioritate exiſtentiæ, & durationis, alioquin creatio non eſſet actus exiſtentis, quod eſt falſum. Nec conſtat illi ex revelatione, ut patet in locis relatis. Nulla enim extant hujus æternitatis monumenta, nullamque habemus hiſtoriam antiquiorem Moſaycâ, in qua orbis initium deſcribatur, & in qua legatur, Deum in æternitate creaſſe cœlum, & terram: ergo hæretici malitiosè, & abſque ullo fundamento, contrà Sacram Scripturam, revelationem, & traditionem univerſalem ab omnibus receptam, dicunt, Deum non creaſſe cœlum & terram in tempore, & volunt, mundum eſſe ab æterno, quoniam hoc eſt directe contra Sacram Scripturam. Nam dum Moyſes ait: *in principio creavit Deus cælum & terram*, ſignificat primò quòd Deus ante cœlum & terram nihil creaverat, ſecundò quòd Deus erat antequam crearentur, aut exiſterent, cœlum & terra.

Dicant ideo cum Propheta Pſal. 101. verſ. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*, Et ſic confitebuntur, mundum fuiſſe creatum in tempore, & menſuratum menſurâ noſtrâ, quoniam Propheta non includit in æternitate initium illud, ut probat Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 4. his verbis: *Quis alius ſtatus æternitatis, quam ſemper fuiſſe, & futurum eſſe ex prærogativa nullius initij, & nullius finis?* Sed vult quod ſit initium temporis, quippè loquitur de initio, quod reſpicit finem, & per ipſum vult diſtinguere cœ-

Tertullian.

los à Deo, ſicut temporale diſtinguitur ab æterno, ut probant hæc quæ immediatè ſequuntur: *Ipſi peribunt, tu autem permanes; idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Hoc eſt, menſura tua infinita eſt; quia immenſus es, cœlum & terram imples; duratio tua æterna, menſura autem mundi terminabilis eſt, ideoque mundus non menſuratur æternitate, nec eſt Deo coæternus, ſed eſt temporalis, & fuit creatus in tempore; cùm ex cap. 1. Geneſ. in principio Deus creaverit cœlum, & terram.

Imò ſalvâ reverentiâ aliquorum Doctorum, exiſtimo quòd implicat mundum eſſe ab æterno quoad aliquas ſui partes ſive permanentes, ſive ſucceſſivas, ut docuit Albertus magnus. Ratio noſtra eſt. Quia ab intrinſeco, & eſſentialiter repugnat creaturæ eſſe ab æterno, nam æternitas eſt Dei, ut monet idem Tertullianus, dicens, *Quis enim alius Dei cenſus quàm æternitas?* Idem docet D. Anſelmus cap. 24. Monologij, ubi ait: *Quid aliud eſt æternitas quæ ſoli illi Deo convenit, quam interminabilis vita, ſimul, & perfecta tota exiſtens.* Deindè eſſe æternum eſt in Deo, eſtque attributum negativum, ſicut infinitas immutabilitas &c. attributa autem negativa repugnant creaturis, in hoc enim diſtinguntur à poſitivis, quæ univocè conveniunt Deo, & creaturis, ut docui cum Scoto in Theologia Scholaſtica, v. g. homo eſt ens, homo eſt bonus, eſt Juſtus, ſi non ut Deus, hoc eſt, per eſſentiam, ſaltem per participationem, ſed non eſt infinitus, nec immenſus, nec poteſt eſſe talis etiam per participationem quia ex natura ſua eſt finitus, & contentus in loco: ergo nequit etiam divinitùs eſſe ab æterno, aut æternus, infinitus, aut immenſus.

Mundus non potuit eſſe ab æterno.

Præterea æternitas eſt perfectio ità eſſentialis, & propria Deo, ut nequeat convenire creaturis. Nam cum Arius blaſphemaret, & diceret Filium Dei eſſe creaturam, Sancti Patres in Concilio Nicæno primo contrà eum ſic arguebant: *Filius eſt æternus:* ergo, *non eſt creatura.* Pariter *Filius eſt creatura: ergo non eſt æternus*, quæ illatio ſupponit nullam creaturam poſſe eſſe æternam, ſed creatam in tempore; alioquin argumentum Sanctorum patrum fuiſſet falſum. Nam Arius faciliùs poſſet reſpondere, & argumentum ſolvere dicendo, quòd Deus creavit Filium ab æterno, & ſic eſt æternus, quin ſit Deus conſubſtantialis patri, licet ſit ei coæternus, hoc probare potuiſſet, dicendo quòd Deus potuit ab æterno creare mundum, qui tamen non fuiſſet conſubſtantialis Deo, ſubindeque Sancti Patres ſic arguentes contrà Arium, credebant creaturam non poſſe, eſſe æternam, nec potuiſſe creari ab æterno, ſed fuiſſe creatam in tempore; nam creatura in ſuo conceptu formali includit tranſitum de non eſſe ad eſſe, cùm creatio fiat ex nihilo: Igitur omnis creatura facta fuit in tempore, nec potuit fieri ab æterno.

§. III.

Diſſolvit argumenta hæretica.

ARguunt hæretici, & dicunt quód Deus numquam fuit otioſus, hoc eſt, operatur ab æterno, idque colligunt ex illo Chriſti ad Judæos Joan. 5. verſ. 17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*: Ergo (Inquiunt) ab æterno operatus eſt mundum, ſubindeque mundus eſt ab æterno, omnis quippe divina operatio verſatur circà mundum, cùm erga Deum operari nequeat alioquin non eſſet improductus, nec cauſa rerum omnium.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia generatio verbi divini eſt actio æterna, hæcque eſt Patris actio. Productio Spiritus Sancti eſt etiam æterna, eſtque actio Patris & Filij: ergo non valet argumentum hæreticorum nec ejus probatio. Quia de hac operatione ad intra locutus eſt Chriſtus loco citato. Deus ab æterno cognoſcit, & amat ſe, ideoque non poteſt dici otioſus, ſed operans ab æterno, etiam ſi ab æterno non produxerit mundum; alioquin ſequeretur, quód non produxiſſet mundum, liberè & contingentèr, ſed neceſſarió, ſicut producit Filium ſuum, quod eſt falſum. Produxit enim mundum quia voluit, Deus enim liberè egit. Produxit mundum quia miſericors, & bonus eſt, ut notat Tertullianus lib. 2. adverſus Marcionem cap. 26. ubi inquirens rationem conditionis, aut creationis mundi ipſemet ſibi reſpondet. *Prima eſt bonitas creatoris qua ſe Deus noluit in æternum latere*, id eſt, voluit eſſe aliquid à quo cognoſceretur, & divinus Plato ait: *Quæramus igitur cauſam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus eſt, ut originem rerum, & molitionem novam quæreret: bonitas videlicet præſtabat.*

Deus ab æterno operatur ad intrà.

Aliam adducunt rationem contra nos, & dicunt quód Deus eſt Dominus ab æterno, ut conſtat ex variis locis Sacræ Scripturæ; aliàs aliquid reale, & intrinſecum recepiſſet in tempore, quod eſt falſum; atqui Dominus non fuiſset ab æterno, ſi non fuiſſet ſemper aliquid, cujus Dominus haberetur, & quod ab ipſo dependeret; non potuit autem eſſe Dominus ab æterno niſi ſit Dominus creaturarum, nec poteſt aliquid aliud fingi quàm mundus: Igitur ſicut Deus eſt Dominus ab æterno, ità mundus fuit conditus ab æterno, cùm nequeat in illo ſigno concipi ut Dominus niſi tunc fuerint creaturæ.

Reſpondeo primo, argumentum non militare contrà nos, imo pugnat hæreticos, & firmat veritatem articuli, nam ſi mundus eſſet ab æterno, ut volunt hæretici, certó Deus non eſſet Dominus mundi quia inter Dominum & ſervum, eſt ordo Superioritatis, prioris, & poſterioris, ut patet, ſed inter coæternos nullus eſt in exiſtendo prioritatis & poſterioritatis ordo, inquit Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 6. ergo dato quód Deus ſit Dominus ab æterno, non debemus inferre, mundum eſſe ab æterno.

Tertullianus.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo majorem. Deus eſt Dominus ab æterno in actu primo, hoc eſt, habet ab æterno poteſtatem habendi ſervos, atque ſubditos, qui dum exiſtent in tempore, aut voluerit eos creare, erit eorum Dominus, concedo. In actu ſecundò, Id eſt, ab æterno dominatur Dominus, nego, ac proindè argumentum non probat, mundum eſſe ab æterno, ſed ſolúm Deum habere ab æterno dominationem, omnipotentiam, aut virtutem creativam, de quo hic non eſt nobis colluctatio adverſùs hæreticos Hermogenianos.

Dicent forſan hæretici ergo ex illa reſponſione ſequitur quód Deus mutatur in tempore. Quia recipit dominationem actualem, quam non habet actu ab æterno. Nego inſtantiam, quia hæc denominatio non advenit Deo per formam illi intrinſecam, ut ad veram, phyſicam, & realem mutationem requiritur, ſed ratione mutationis, quæ accidit creaturæ tranſeuntis de non eſſe ad eſſe, quæ quidem mutatio non fundat relationem realem in Deo, ſed ſolúm relationem rationis, quæ juxtà Philoſophos non mutat terminum ad quem refertur, quamvis mutet fundamentum in quo ſubſiſtit.

Arguunt Iterum ex illis verbis Geneſ. cap. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*, vel ut habet verſio ſeptuaginta interpretum, *inviſibilis & incompoſita.* Nam (inquiunt) hoc verbum, *erat*, manifeſtè oſtendit terram non eſſe in ordine eorum, quæ Deus

creavit in tempore, cùm ſignificet terram fuiſſe ſemper, quia erat in principio, ſeu quando Deus ex illa voluit producere, & formare alias creaturas. Hoc eſt, erat antequam Deus crearet ea, quæ in terra exiſtunt ab initio, & quæ creata ſunt, ut v. g. dum Joan. cap. 1. ait: *In principio erat verbum*, declarat quòd verbum eſt ante ea, quæ principium habent, aut quæ Deus creavit in principio, quoniam ex Evangeliſta, erant antequam Deus crearet: ergo terra eſt ab æterno, quoniam in principio erat, quamvis inanis & vacua.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, utpotè hoc verbum *erat* ſignificare terram fuiſſe ſemper, & ante omnia ſæcula. Moyſes enim ait: *In principio creavit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua*, non ut ſignificetur, terram fuiſſe antequam Deus crearet ea, quæ creata ſunt, ſed ut ſignificetur tantùm ordo creationis rerum, & deſignetur cœlum & terram inter creaturas omnes, primarium formationis gradum & ordinem tenere. Sic loquitur Moyſes ut ſciamus, Deum in ordine creationis incepiſſe à cœlo, & terra, & creaſſe terram vacuam, id eſt abſque ullo ornatu, & ideò dixit: *Germinet terra herbam virentem &c.* Ratio hujus vacuitatis eſt, Quia ſi omnia à principio perfecta legerentur, increata & æterna putarentur, ut monet D. Ambroſius lib. 1. exameron cap. 7. ubi ait: *Cum Deus ſicut dixit & facta ſunt, non ſimul ornatus congruos rebus aſſurgentibus donavit elementis quaſi non potuerit cœlum inſignitum ſtellis ſubitò ut creatum eſt refulgere, & floribus & fructibus terra veſtiri? potuit utique: ſed ideo primo facta, poſteà compoſita declarentur, nè verè increata, & ſine principio crederentur, ſi ſpecies rerum, velut ingenerata, ab initio, non poſteà addita viderentur, Incompoſita terra legitur, & iiſdem à Philoſophis æternitatis, quibus Deus privilegiis honoratur: quid dicerent ſi ab initio ejus pulchritudo vernaſſet: demerſa aquis deſcribitur, velut cuidam principiorum ſuorum addicta naufragio, & adhuc à nonnullis facta non creditur, quid ſi decorem primogenitum vindicaret?* Igitur Deus creavit terram vacuam, ut videamus, & credamus, ipſam habere cauſam ſui, non verò ut ſciamus, terram fuiſſe ante rerum omnium creationem, id eſt increatam, & à ſe exiſtentem, cùm dicat: *In principio creavit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis, & vacua.* Hoc eſt, terra in exordio mundi erat ſine luce, ſine ullo decore, vacua hominibus, & animantibus, & plantis, non diſtincta in montes, campos, colles, & valles. Denique talis dicitur, ut verè poſſet appellari materia inviſibilis, & informis, non autem ut poſſet præſupponi ad principium creationis, inquit D. Auguſtinus lib. 11. de civitate Dei cap. 9. quia dum Scriptura ait *terra erat inanis* declarat modum in quo creata fuit.

D. Ambroſius.

Ad illud Joannis dico quòd non debet intelligi ſicut illud: *in principio creavit* &c. quia ſupponit, verbum fuiſſe ante principium rerum materialium, & Spiritualium, quæ ſunt ab alio, ſeu antequam Deus crearet aliquid. Unde Theologi & Sancti Patres, eadem authoritate D. Joannis probant contrà Arium, verbum non eſſe creaturam. Quia in principio, hoc eſt, ante omnem creaturam, & priuſquam formaretur orbis, verbum divinum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Illud verò Moyſis. *Terra erat inanis & vacua* non excludit terram à ſerie rerum creatarum in tempore, ſed ſolum ſtatum, & modum ejus deſignat, ut ex propriis terminis conſtat, cùm hæc prædicata *inanis, & vacua*, non ſint de ſubſtantia terræ, ſed modi ejuſdem, ut demonſtrat experientia: non nè terra eſt ea, de qua loquitur Moyſes? tamen modo non eſt inanis, nec vacua: igitur non erat eodem modo, quo nunc eſt. Præterea certum eſt, quòd ſi Moyſes dixiſſet, *terra autem erat*, ſignificaſſet terram fuiſſe ante creationem; ac proinde ab æterno, cùm demonſtraſſet, terram fuiſſe ante principium, at dicendo, aut addendo hæc verba *inanis & vacua*, deſcribit ſtatum in qua terra creata fuit: ergo maxima eſt differentia inter hæc verba Moyſis, *terra autem* &c. & hæc D. Joannis: *in principio erat verbum*, ac proindè ex doctrina Moyſis non infertur, mundum eſſe ab æterno, ſed verum ortus ſui habuiſſe initium in tempore; licet ex verbis D. Joannis, rectè inferatur, verbum eſſe æternum, & Patri conſubſtantiale.

ARTICULUS XXII.

Aſſerit contrà Albanenſes, Deum ex ſe præſcire futura contingentia.

Albanenſes viri inter alios hæreticos ſceleratiſſimi, docebant ſub Conſtantino VI. Imperatore, & Leone III. Romanorum Pontifice, anno circiter DCCXCVI plures hæreſes, quas hauſerant de putridis Iniquorum hæreticorum fontibus, excepta hac, quæ affirmat, nedum contrà fidem, ſed etiam contra rationem, Deum ex ſe non præſcire aliquod malum, ſed per adverſarium ſuum, ſeu Dœmonem. Huic hæreſi ſtatim, id eſt, eodem anno, adhæſerunt Bajolenſes, ſive Bagnolenſes, & Concordenſes, aut Cazorenſes, hi quidem, teſte D. Antonino 4. parte ſummæ tit. 11. cap. 7. in erroribus aſtipulantur Albanenſibus, licet in paucis ab eis diſſentiant. Verùm Albanenſes, hac hæreſi meritò dicuntur inter reliquos hæreticos, ſceleratiſſimi, quoniam non puto eſſe aliquem Chriſto initiatum, cui hæc irrepere poſſit cogitatio, nimirum Dœmonem (qui eſt princeps tenebrarum) docere Deum, qui eſt lux mundi omniſciens, & cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt. Nam quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial? Diabolus eſt omni dolo, omnique fallacia plenus, & inimicus omnis juſtitiæ, nec deſit ſubvertere vias Domini rectas, quomodo ergo Deus poterit ab eo diſcere mala noſtra futura?

Albanenſes. *Bajolenſes.* *Concordenſes.* *Cazorenſes.*

A Deo futurorum contingentium præſcientiam abſolutè removet Joannes Vuicleffus, natione Anglus, profeſſione presbiter in Lincolinenſi Diœceſi Parochus, acris ingenij Theologus, qui Albanenſium hæreſes, & Impietates augere voluit, ſub Carolo IV. Imperatore, & Clemente VI. Papa circà annum Domini MCCCLII. ſcripſit plures libros, quibus Eccleſiam Catholicam non modicum eſt inſectatus; in illis quippè varia impietate plena ſparſit dogmata 45. quæ ob perverſam doctrinam fuerunt damnata in Concilio Conſtantienſi celebrato anno MCCCCXIV. & ipſe Joannes Vuicleffus, licet dudum vitâ functus, fuit declaratus hæreticus, & ejus oſſa effoſſa, exhumata, & extra Eccleſiam projecta fuerè. Horum 45. Articulorum 26. aſſerit omnia abſoluta neceſſitate evenire, Deo non concurrente, nullumque eſſe futurum contingens, quod Deus videre poſſit. Vuicleffi ratio erat. Quia futura non ſunt à decreto divinæ voluntatis, ſed à ſe ipſis. At hæc ratio obnixè refutabitur infrà tamquam hæretica, & inſana, hoc eſt, nedum tamquam contraria fidei, ſed etiam rationi.

Vuicleffus

Hunc, & alios Vuicleffitarum errores renovare & ventilare cæpit ſub Vuenceſlao Bohemorum Rege & Gregorio XI. Papa anno circiter MCCCCVII Joannes Hus, natione Bohemus, doctus, & academiæ Pragenſis Rector Præpoſitus, qui ut hæ-

Joann. Hus

reſibus corrumperet Bohemiam, ſibi aſſumpſit Hieronymum de Praga ætate minorem, ſed doctrinà, ac facundià ſuperiorem, cum quo ſua falſa, & Impia dogmata prædicavit per ſeptem annos, videlicet uſque ad annum MCCCCXIV. quo à Joanne XXIII. ſummo Pontifice, convocatum & celebratum fuit Concilium conſtantienſe. A Patribus Concilij citatus fuit Joannes Hus, cum ſuo ſocio Hieronymo de Praga, amboque rugati ſunt illi duo paſſionum & hæreſum ſocii, nè plus ſaperent, quàm Eccleſia vellet, ſed ſaperent ad ſobrietatem, ut peregrinas opiniones relinquerent, & ut inventiones ſuas univerſali Concilio ſubmitterent. Sed hi ſteterunt pertinaces in propoſito, & in cathedra peſtilentiæ, nolentes recedere à Conſilio Impiorum, in quo abjerant, nequè victi rationibus, vincl voluerunt, ſe veraces Sancti Evangelij æmulatores, Chriſtiquè Diſcipulos eſſe dixerunt, & Eccleſiam Romanam, aliaſque per orbem diſperſas longè à traditionibus Apoſtolicis abiiſſe, impudenter affirmarunt. Viſà itaque hac pertinacià, communi Concilij patrum ſententià ſunt damnati, & igne cremari juſſi, Joannes combuſtus eſt anno MCCCCXV Hieronymus verò de Praga, diù poſteà in vinculis habitus, cum reſpiſcere nollet meritò pari ſuplicio affectus eſt anno immediatè ſequenti ſcilicet MCCCCXVI.

Hieronymus de Praga.

In eumdem errorem impegerunt etiam Martinus Lutherus, nec non & alij ſectarij noſtri temporis, qui aſſerunt omnia, quæ fiunt tam abſoluta neceſſitate fieri, ut impoſſibilè ſit alitèr fieri quam fiunt, aut adveniunt; ac proindè independenter à divina voluntate, & a divina cognitione.

Lutherus

Antecedentet ad præfatos hæreticos, futurorùm contingentium præſcientiam Deo ademerant antiqui Philoſophi, & præſertim Cicero lib. 2. de divinatione. Incitatus autem fuit ad hoc ſentiendum de ſuprema intelligentia, quia putabat liberum hominis arbitrium tollere præſcientiam Dei, vel hanc tollere liberum arbitrium, *Quod utrumque arbitratur eſſe non poſſe*, ait D. Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei cap. 9. *Sed ſi alterum confirmatur, alterum tolli, ſi elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præſcientiam futurorum. Ipſe itaque ut vir magnus, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præſcientiam futurorum: atque ita homines, cum vult facere liberos, fecit ſacrilegos.* In eumdem errorem impegerunt Stoici (eodem Auguſtino teſte) arbitrati enim ſunt, omnia nobis à fato evenire neceſſariò præter ſcientiam, & voluntatem Dei, qui ut liberum in homine conſervetur arbitrium, futura contingentia prorsùs ignorat.

Cicero

Stoici

§ I.

Hanc hæreſim damnarunt duo Concilia.

CIrca hanc veritatem Catholicam de cognitione, & præſcientia futurorum contingentium ſtabilienda in Deo, celebratum fuit Valentiæ in hiſpania Concilium, anno DXXIV ſub Joanne Papa primo, & Theodorico Rege Vviſigothorum decimo quinto regnante in hiſpania, cui interfuere ſex Epiſcopi, qui inter plura decreta, quæ ediderunt pro bono Eccleſiæ Chriſti regimine, & reformandis moribus, plura appoſuerunt circa præſcientiam Dei, teſte Eminentiſſimo Cardinali noſtro de Laurea in Epitom. Canonum verbo *præſcientia.* Ubi refert idem Concilium decreviſſe præſcientiam futurarum actionum tam bonarum, quàm malarum, eſſe in Deo æternaliter. Idem fuit definitum in Concilio Conſtantienſi contra Vuicleffitas, & Huſſitas. Pariter, & in variis locis juris Canonici, ut optimè noſcunt viri in eo jure verſati.

Concilium Valentinū

Conſtantienſe.

§ II.

Statuitur veritas.

ALbanenſium errorem damnat Scriptura Sacra variis in locis, in quibus conſtat Deum prævidiſſe mala tam pœnæ, quàm culpæ, quæ hominibus advenerunt, & præſertim ex illo Jonæ cap. 3. verſ. 10. in quo legitur: *& vidit Deus opera eorum* id eſt Ninivitarum, *qui converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*: Inde enim facilè infertur, Deum prævidiſſe converſionem à via mala, ſeu à culpa, & remotionem pœnæ, quam ob opera mala, quæ providebat, erat ipſis Ninivitis inflicturus, ut ſuadent hæc verba: *Et miſertus eſt ſuper malitiam quam locutus eſt ut faceret eis.* Quæ quidem pœna dicitur malum, non quód per ſe mala ſit, ſed quia incommoda fuiſſet Ninivitis, ſi pœnitentiam non egiſſent ad prædicationem Jonæ Prophetæ dicentis *adhuc quadraginta dies, & ninive ſubvertetur.*

Deus prævidit converſionem ninivitarum.

Alter locus eſt Exod. cap. 3. verſ. 19. ubi legitur, Deum dixiſſe: *Sed ego ſcio quod non dimittet vos Rex Ægipti, ut eatis, niſi per manum validam.* Quò etiam conſtat, Deum prævidiſſe inobedientiam, rebellionem, aut obſtinationem Pharaonis futuram, & plagas quibus percutiendi erant ille Rex, & populus ejus: ergo Deus præſcit malum futurum, tam culpæ, quàm pœnæ, non per Dæmonem, ut voluere (neſcio qua ratione) Albanenſes, cognitionem, aut ſcientiam Dæmonum, magis quam divinam extendentes; ſed ex ſe, & ex ſcientia ſua, quæ cùm infinita ſit, attingit omne ſcibile, & nihil ei impenetrabile eſt, inquit D. Hieronymus in Pſal. 137. quemadmodum enim non eſſet omnipotens, ſi eſſet aliquid creatum, quod ipſe Deus non potuiſſet facere, ita non eſſet omniſciens, ſi eſſet aliquid ſcibile, quod ignoraret.

Eumdem Albanenſium errorem convincunt teſtimonia ex novo teſtamento deſumpta. Nam ex Joan. cap. 6. verſ. 65. habetur, *Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum*: Igitur Chriſtus præſcivit Judæ traditionem, quæ maximum malum fuit. Huic teſtimonio addendum eſt aliud, ſcilicet illud Lucæ cap. 19. verſ. 41. & ſequentibus, *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam, dicens, quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coanguſtabunt te undique.* His verbis etiam evidenter conſtat, Chriſtum cognoviſſe mala futura, quatenus futura erant, hæcque verè futura, ut eventus (qui poſteà ſecutus eſt) demonſtravit & præſcientiam Dei oſtendit contrà Albanenſes, & alios hæreticos ſuprà nominatos.

Deum præſcire futura contingentia conſtat adhuc ex aliis Sacræ Scripturæ locis, nec poſſunt hanc propoſitionem ſana mente negare hæretici ſupra memorati, ſi attendant, Judith cognoviſſe futurum ut ipſamet fatetur cap. 10. verſ. 12. dicens: *Ideo ego fugi a facie eorum*, id eſt Hebræorum, *quoniam futurum agnovi.* Nam ſi hæc Mulier, Deo ſic ordinante, Habuit futuri præſcientiam, non poſſunt illam demere Deo omnium ſcientiarum domino, niſi negent velut Athæi, Deum eſſe, aut Inſontes ſe reputent, ut tradit D. Auguſtinus lib. de civitate Dei

cap.

cap. 9. dicens: *Conſueri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum apertiſſima Inſania eſt.* Quoniam futurorum prædictio divinitatis nota eſt, & character, inquit Origenes lib. 5. contra Celſum. Hanc ipſam proprietatem divinitati tribuit Tertullianus qui in Apolog. cap. 20. ait, quod idoneum teſtimonium divinitatis, eſt veritas divinationis; idemque aſſerit ipſemet Deus, Iſay. cap. 21. verſ. 23. ubi ut gentilium Deorum inanitatem demonſtraret, ait: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos*, ex quo ſequitur, annunciare futura, eſſe proprium divinitati.

Origenes.

Unde quiſquis Deum agnoſcit, profectô credit illum omnia ſcientem, & maximè futura tam abſoluta, quàm contingentia quorum notitia eſt ſpecialis prærogativa divinitatis, nedum juxta ea, quæ jam diximus ex Origene, & Tertulliano, ſed etiam juxta illud Iſay. cap. 44. verſ. 7. *Quis ſimilis mei? vocet, & annunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum, ventura & quæ futura ſunt annunciem eis*, quô evidentius exprimitur Dei præſcientia. Hinc eſt quòd futurorum præſcientia divinatio appellari ſolet, aut quid divinum, ut appareat, Deum ſolùm eſſe ex ſe præſcium futurorum, Prophetas verò per participationem: lumen enim propheticum participatio quædam eſt divinæ præſcientiæ, ut ex Sacra Scriptura certum eſt: igitur cùm habeamus Prophetas, qui futura prædixerunt, Deo inſpirante, ut docent Sancti Patres, tenemur admittere in Deo omnium futurorum præſcientiam: quippè participans ſine participato minimè exiſtit, ac proinde ſi Prophetia ſit participatio quædam divinæ præſcientiæ, ut concedunt omnes, neceſſe eſt quòd Deus ſit futurorum præſcius, quodque ex illis Prophetis inferamus, Deum eſſe futurorum præſcium, ut ait Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Tot præſcientia Dei habet teſtes, quot fecit Prophetas*, id eſt Prophetæ prædicunt, & annunciant futura; quæ Deus præſcivit, & quorum cognitionem dat eis Deus.

Prophetia eſt participatio divinæ præſcientiæ

Plures alij Sacræ Scripturæ textus adduci poſſunt ad demonſtrandam infallibilem futurorum præſcientiam: Primus habetur ex illo Math. 21. verſ. 37. in quo conſtat; Deum prævidiſſe mortem Filij Patris familias, à vinitoribus occiſi. *Noviſſime autem miſit ad eos Filium ſuum, dicens: verebuntur Filium meum*. Eadem fidei veritas docetur ex illa prædictione facta Petro de Trina negatione: *Antequam Gallus cantet ter me negabis*, & ex altera his verbis. *Hodie mecum eris in Paradiſo* facta Latroni de adeptione Paradiſi.

Idem habetur ex illo ſap. cap. 19. verſ. 1. *Impiis autem uſque in noviſſimum ſine miſericordia ira ſupervenit. Præſciebat enim*, id eſt Deus, *futura illorum*, ſcilicet Ægiptiorum, quorum mala prævidebat. Hic textus Dei præſcientiam futurorum contingentium demonſtrans, confirmatur alio præcedenti, quique habetur in cap. 8. verſ. 8. ubi legitur: *Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis? ſcit præterita, & de futuris exiſtimat, ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum, & ſæculorum*. Hoc quidem textu evidenter patet, Deum habere notitiam rerum antequam exiſtant extra cauſam productivam. Hoc eſt, dum adhuc futura ſunt reſpectu præſentis temporis, ut aſſerit Eccleſiaſticus cap. 23. verſ. 29. dicens. *Domino enim Deo antequam crearentur omnia ſunt agnita*, & cap. 42. verſ. 19. *cognovit enim Dominus omnem ſcientiam, & inſpexit in ſignum ævi annuncians quæ præterierunt, & quæ ſupervenientura ſunt, revelans veſtigia occultorum*, ideoque eadem futura cognoſcit; alioquin non poſſet ea revelare.

Eccleſiaſticus.

Idem affirmatur ex illo Dan. cap. 13. verſ. 42. *Deus æterne qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant*, quô evidenter oſtenditur, Deum certò cognoſcere futura contingentia. Hinc eſt quòd Deus in Scriptura, feciſſe jam dicitur; quæ futura ſunt, ut interpretantur Sancti Patres, & præſertim D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 7. His verbis. *Quæ futura ſunt vel quaſi præſentia, vel quaſi facta dicuntur: Deo enim quæ ſunt futura, præſentia ſunt; ut ei cui præcognita ſunt omnia, ventura perfecta ſunt, ſicut Scriptum eſt, qui fecit quæ ventura ſunt.* Huic addendus eſt alter Eccleſiæ Doctor ſcilicet D. Auguſtinus; qui eamdem interpretationem hab. lib. 4. quæſt. ad Simplicianum, quæſt. 2. ubi ait: *Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem Deo futurum eſt, qui omnia ſupergreditur tempora, ſic enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futura, ſed præſentes; ac per hoc, non jam præſcientia, ſed ſcientia dici poteſt*, & meritò, quia ratione æternitatis ſuæ continet tempora; igitur Deus noſcit futura antequam ſint extra cauſam productivam, & cognoſcantur ab intellectu creato. Et hæc notitia dicitur præſcientia reſpectu actualis exiſtentiæ rei futuræ, quæ cùm non ſit in ſe, dicit ordinem ad actualitatem; non verò reſpectu Dei, qui ab æterno omnia novit, & nullam cognitionem acquirit in tempore quoniam ante oculos ejus, præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non eveniunt, quippè omne quod nobis fuit, & erit præſens, in ejus proſpectu præſto eſt, & omne quod præſens eſt, ſcire poteſt priuſquam præſcire, ut monet D. Gregorius lib. 2. moral. cap. 25.

Prætereà Deus non menſuratur tempore, nec Ævo, ſed æternitate, quæ omnem ſucceſſionem excludit; idcirco reſpectu æterni, omnia quæ in differentiis temporum habentur ſunt ei præſentia; cùm æternitas omnem durationem contineat omniaque tempora includat, ſitque tota ſimul, ſicut divina immenſitas continet omnem locum.

Præter Scripturæ Sacræ authoritatem, ratio etiam ſuadet, Deum certò & infallibiliter cognoſcere futura contingentia. Nam ſcientia ſeu cognitio Dei, eſt infinita in omni genere cognoſcibilitatis, ſicut cætera attributa divina, ſunt infinita: quodlibet in proprio genere v. g. omnipotentia attingit omne factibile, amor omne amabile, immenſitas omne replebile, & cognitio omne cognoſcibile, aut ſcibile attingere debet; alioquin non eſſet infinita; ſicut cætera attributa; infinita ſunt; cùm ei aliquid addi poſſet; putà cognitio, aut attingentia illius ſcibilis, & veri, quod non attingeret: futura autem contingentia vere ſunt cognoſcibilia, & ſcibilia, cùm habeant exiſtentiam pro tali tempore, nam juxtà communem Theologorum ſententiam, futurum nihil aliud eſt, quam id, quod licet reverà actualem non habeat exiſtentiam, nec ſit actu extrà ſuam cauſam, tamen certò erit pro tali tempore, quod quidem tempus reſpectu Dei, non eſt futurum, ſicut reſpectu noſtri, ſed præſens, quoniam Deus æternitate ſua reddit ſibi præſentes omnes differentias temporis, cùm eas in æternitate ſua contineat: ideoque futurum eſt cognoſcibile, & ſcibile ex ſe ab eo, qui cognitione ſua poteſt omne tempus attingere; aliàs futurum nullum ordinem diceret ad exiſtentiam; aut non eſſet in aliqua differentia temporis, quòd eſt falſum; idcirco Deus de facto, cognitione ſua infinita attingit ea, quæ intellectus creatus non videt, ſeu futura, quæ erunt, & quæ reſpectu noſtri futura ſunt; reſpectu autem Dei præſentia. Non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus, à ſæculo uſque in ſæculum reſpicit, &

Deus cognitione ſua attingit omne cognoſcibile

G

nihil eſt mirabile in ejus conſpectu, quoniam nihil advenit eo neſciente: omnia enim tam futura, quàm præſentia nuda ſunt oculis ejus.

Undè Propheta Pſal. 138. ait *Domine tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam*, quæ quidem reſurrectio in inſtanti ſeſſionis, eſt verè futura. Poſteà ſubdit: *Intellexiſti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidiſti: ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua*: etenim prævidere, vias de longe intelligere, eſt videre rem antequam ſit, & videre noviſſima, & antèquam, eſt videre præſens, & præteritum, ac proinde futurum, quod cum non ſit, minus ſcibile, quàm præteritum, & verum ſit dicere quòd erit, ſicut verum eſt dicere quòd præteritum fuit, debet à Deo cognoſci ſicut præteritum; alioquin divina ſcientia eſſet mutabilis, quoniam ſucceſſu temporis attigerat aliquid, quod non attingebat, & incrementum acciperet juxta rerum exiſtentiam; cum ipſe Deus in ſe dicere poſſet; video quod non videbam, ut dicit homo: Scio quod non ſciebam, quod implicat divinæ perfectioni prorſus invariabili, & infinitæ, ut probat ratio quæ ſequitur, & ab omnibus recipitur.

Si Deus non cognoſceret futura contingentia, ut volunt hæretici, non poſſet certius judicare de iſtis propoſitionibus *Petrus peccabit cras. Petrus non peccabit cras*, nec ſtare pro vera, quàm homo, qui vellet de iiſdem judicare; cùm non cognoſceret futura contingentia, ſicut homo non cognoſcit ea, neque plus ſciret, quam homo de veritate propoſitionis, & determinationis Petri ignoraret uſque ad cras quænam ex illis propoſitionibus eſſet vera, & quænam falſa: quamvis una ſit determinate vera, & altera determinatè falſa; cùm ſint propoſitiones contradictoriæ, ſed eſt falſum, & repugnat divinæ perfectioni, non cognoſcere propoſitionem veram, ut facile colligi poteſt ex Sacta Scriptura in textibus ſuprà adductis, & ex ratione. Nam artifex noſcit rem antequam eam efficiat, & prævidet eam talem, qualem efficiet: ergo Deus, qui in prudentia, & ſapientia cuncta fecit, certò novit futura contingentia, dum illa ſuo determinato tempore facit, aut cum creatora agit, ut producatur.

D. Auguſt. Item notat D. Auguſtinus cap. 8. in Joan. *Omnia per ipſum facta ſunt*, ubi ſic ait: *non erat ergo Deus omnia quæ fecit, antequam faceret, non enim poſſumus eum dicere ignorata feciſſe, & ea non niſi facta didiciſſe: neſciſſe quid faceret, ſed ſciſſe quod fecit. Hoc enim ſi de aliquo artifice diceremus, inſipientiſſime ſaperemus. Noverat ergo ea facienda, non facta noverat, ut non fierent, non tamen facta eſſe reperiunt, quæ ut fierent ſciebantur antequam fierent*, ſed antequam fierent, erant futura; alias numquam fuiſſent præſentia; ideoque in illa futuritionis ſtatu, fuerunt cognita à Deo, & erant illi præſentia, ſicut ea, quæ ſunt actu extra cauſam.

§. III.

Reijcitur hæreſis ratio.

Opinionis hæreticæ fundamentum deſumunt hæretici, ex variis Sacræ Scripturæ locis malè intellectis. Dicunt enim, ſi Deus noſceret certò, & infallibiliter futura contingentia, non loqueretur dubitativè de rebus futuris, ſed aſſertivè, & ſcienter, quoniam certitudo deponit omne dubium, ſed Deus loquitur dubitativè de rebus futuris, ut conſtat ex innumeris Sacræ Scripturæ locis, ſed præſertim ex illo Ezech. cap. 2. verſ. 7. *loqueris ergo verba mea ad eos* &c. Jerem. 26. verſ. 3. *Si fortè audiant, & convertantur unuſquiſque à via ſua &c.* Math. cap. 11. verſ. 23. *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque ad hanc diem*, & Lucæ cap. 20. verſ. 13. *Dixit autem Dominus vineæ: quid faciam? mittam Filium meum dilectum: forſitan cum hunc viderint, verebuntur*: Ergo inquiunt; Deus non habet plenam; certam, & infallibilem cognitionem, aut præſcientiam futurorum, quoniam ſi eam haberet, futura certò ſciret.

Reſpondetur ex hoc non ſequi quòd Deus non cognoſcat res futuras determinatè, & infallibiliter, ut prætendunt Albanenſes, & alij hæretici tali quidem loquendi modo; Deus ſe accommodat ſenſui noſtro, ad exagerandum ſcilicet malitiam humanæ voluntatis, quæ tanta eſt, ut vix aliquid boni de ea expectari poſſit; quia (inquit D. Hieronimus ſuper cap. 26. Jeremiæ) verbum, *forte*, nequit divinæ majeſtati convenire ob ſuam infinitam, & clariſſimam ſcientiam; & dum Deus eo utitur, non intendit ſignificare dubiam de rebus futuris cognitionem, ſed humanum liberum arbitrium; quo ſcilicet poteſt divinum verbum audiri, vel non audiri ab hominibus; & quia futurorum eventus eſt hominibus incertis (quamvis certus & infallibilis Deo) Scriptura humano modo loquitur de illis, ſeu dubitativè, ut notant Sancti Patres, & præſertim D. Auguſtinus in illud Pſal. 2. *Apprehendite diſciplinam nequando iraſcatur Dominus*, inquit: *nè forte non ob incertitudinem Prophetiæ dictum, ſed ratione eorum qui commonentur, qui cum dubitatione ſolent exiſtimare Dei futuram iram*, & D. Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 5. ait: *Non ignorantia eo verbo exprimitur, ſed in Scripturis divinis frequens hujuſmodi conſuetudo advertitur, eo quod ſimplex ſit locutio.* Idem teſtantur alij Sancti Patres, ſed eorum verba omitto. *Explicantur textus ab hæreticis adducti.*

Reſpondetur ſecundò cum Anſelmo Laudunienſi, gloſſæ interlin. authore Titelmano, & aliis, quos ſequitur & citat Smiſing ſcotiſta celeberrimus, hanc particulam, *forte*, idem eſſe in Scripturis allatis quod *certò*; aut *utique*; ut habetur in Græco Math. 11. verſ. 23. Ideoque Scripturæ illæ non negant, Deum certò, & infallibiliter cognoſcere futura contingentia, huic expoſitioni ſuffragantur Euſebius lib. 6. de præparatione Evangelij cap. 9. Caietanus, Toletus, Ribera in cap. 2. Joël num. 22. & 23. & alij expoſitores graviſſimi.

Aliam rationem addunt hæretici, & dicunt, ſi Deus infallibiliter præſciret futura contingentia, ſequeretur quòd futura neceſſariò, & infallibiliter evenirent in tempore determinato. Nonobſtante quocumque humanæ voluntatis actu; alioquin præſcientia Dei eſſet fallibilis, ſed de ſingulis futuris non verificatur hæc infallibilitas divinæ cognitionis, ut patet ex illo Iſay. cap. 38. verſ. 1. Ezechiæ prædicto. *Diſpone domui tuæ quia morieris tu, & non vives*, & Niniuitis, Jonæ 3. verſ. 4. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*, & tamen neque mors Ezechiæ, neque civitatis ſubverſio contigit, ideoque cùm melius ſit credere, Deum non cognoſcere futura contingentia, quàm cognoſcere ea fallibiliter, dicendum eſt, Deum non poſſe cognoſcere infallibiliter futura contingentia; cùm non ſint infallibilia. Tum quia plura ſunt, quæ non evenerunt, ut jam monui, tum quia infallibile & contingens opponuntur, cùm juxta communem Theologorum ſententiam, infallibile ſit illud quod certè erit, contingens verò ſit, illud quod poteſt eſſe, &

non eſſe. Tum quia ſi Deus infallibiliter præſciret futura contingentia, & hæc infallibiliter evenirent, vana eſſet humana providentia, aut ſollicitudo noſtra quotidiana tam circà temporalia, quàm Spiritualia; cùm tempore determinato, ea, quæ ſperamus, ſi ſint præviſa advenitent, & ſi præviſa non ſint, numquam advenient: idcirco præſcientia ſi ſit in Deo, nequit eſſe cum infallibilitate.

Reſpondetur futura abſoluta à Deo præviſa, infallibiliter evenire; ea autem, quæ ab hæreticis adducuntur de Ezechia, & Ninivitis, ſunt conditionata, & à conditionibus dependebant in eſſe: Igitur iſtis ſublatis, non evenerunt, nec per hoc, Deus prædixit falſum; nam ut prædictio falſa ſit, neceſſè eſt, quòd concurrant omnia à quibus pendet, & quòd ipſis conditionibus poſitis, res non eveniat. Ad primam probationem dico, infallibile & contingens non opponi abſolutè, nequè ſimpliciter in noſtro caſu, ità ut implicet quòd Deus cognoſcat infallibiliter quod Petrus peccabit, & quod ipſe Petrus peccet contingenter, & liberè; nam peccatum Petri dicitur contingens propter indifferentiam cauſæ, ſeu voluntatis ipſius Petri in actu primo, in quo ſigno, eſt indifferens, & libera ad peccandum, & non peccandum, acproinde peccatum quod ſequitur, ſi ad peccandum ſe determinat, liberè & contingenter elicitur, & perpetratur, etiam ſi ſit præviſum: dicitur autem futurum determinatè, aut infallibiliter eventurum propter determinationem ejuſdem voluntatis Petri in actu ſecundo, quia videlicet illa voluntas Petri, quæ poteſt peccare, & non peccare, reipſa peccatura eſt, ſeſeque determinat ad peccandum in tali temporis differentia. Unde cùm Deus videat utrumque; quin demat Petro indifferentiam, & libertatem, præviſâ Petri determinatione in actu ſecundo, prævidet utique infallibiliter ejus peccatum, quod infallibiliter erit, quamvis liberè erit, quoniam ut peccatum ſit liberum, non requiritur quòd poſſit non eſſe, ſed ſufficit quòd potuerit non eſſe, ut v. g. ſi Petrus occideret Joannem, illa occiſio Petri eſſet infallibilis, & certa, nec poſſet non eſſe; tamen libera eſſet, quia licet non poſſit non eſſe; tamen potuiſſet non eſſe; & ſi Paulus haberet cognitionem infinitam, ità ut videret omnes cogitationes & cognitiones Petri, viſâ voluntate ipſius determinatâ in actu ſecundo ad occidendum Joannem, dicere poſſet: Petrus occidet Joannem & hoc infallibiliter, & occiſio eſſet libera, quia Petrus potuiſſet non ſe determinare ad occidendum Joannem, ad cujus occiſionem ſe determinavit, & determinatus videtur à Deo pro tali tempore, & ſic occiſio infallibilis eſt; quia quod reverà futurum eſt, non poteſt non eſſe futurum. Futurum autem infallibiliter eveniet, ſi ſit abſolutum.

Futura abſoluta infallibiliter evenient.

Ad ultimam probationem, nego ſequelam, nimirum quòd ſuppoſita in Deo certa futurorum contingentium cognitione, vana eſſet ſollicitudo noſtra, quia futura eveniunt infallibiliter ex ſuppoſitione (non ſimpliciter) videlicet quia cauſa ſe determinavit, & non aliter. Deus enim dum præſcit effectum futurum, ſeu peccatum Petri; præſcit ſimul cauſam & media; quibus debet evenire; acproindè ſcit illud infallibiliter eventurum per talem cauſam, & talia media: ergo ſollicitudo non eſt vana; alioquin Chriſtus non dixiſſet Adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata, ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes.* Divus Petrus non dixiſſet Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 10. *Fratres magis Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Quia ſollicitudo humana, eſt unum ex illis mediis & cauſis, quibus mediantibus, res evenire debent.

Præſcientia futurorum attingit eorumdem, cauſam, & media.

Tandem objiciunt hæretici cum Marcione apud Tertullianum lib. 2. cap. 5. ſi Deus eſſet præſcius futurorum peccatorum, impediret peccatum, quia eſt potens, & bonus, ut potens impediret; & ut bonus impedire vellet illud, cùm ita mundi ſint oculi ejus, ut ad malum reſpicere non poſſit; ſed non impedivit peccatum Adæ ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi, nec deſcendentium peccata, non quia non potuit, nec quia noluit, ſed quia neſcivit, ſive non præſcivit caſum.

Reſpondeo cum eodem Tertulliano loco laudato cap. 6. negando conſequentiam. Quia Deus ex eo quod ſciebat hominem eſſe conditum ad ſimilitudinem, & imaginem ſuam, debebat non impedire illum actu, & phyſicè nè peccaret: debebat enim ei conſervare libertatem, eumque relinquere in manu Conſilij ſui, ut ſpontè ſervaret bonum, & ſponte vitaret malum, in hac quidem libertate ſiſtit imago Dei, inquit Tertullianus. Undè ut illam imaginem in Adamo & in deſcendentibus ejus conſervaret Deus, neceſsè fuit peccatum non impedire; cùm homo nequeat viribus ſuis vitam æternam mereri; quin ſit liber, & nequeat eſſe liber, niſi poſſit peccare, & non peccare, beatus enim vir qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, inquit Scriptura, Eccleſ. cap. 31. verſ. 10. Deus appoſuit illi ignem & aquam dicens ei: ad quodcumque volueris porrige manum tuam.

Dicent: Adamus non peccaſſet ſi Deus voluiſſet, & tamen fuiſſet liber; cùm ſi Deus non decreviſſet Adamum peccaturum, ipſe Adamus non peccaſſet, nec voluiſſet peccare, quia nullum eſt futurum ſine decreto. Dicere autem, quòd Deus voluit quòd Adamus peccaret, eſt falſum, imò & impium: Igitur ut abſit hæc impietas, dicendum eſt quòd Adamus peccavit, Deo non prævidente.

Non nocet hæc inſtantia. Fateor quòd ſi Deus voluiſſet abſolutè deſtruere libertatem Adæ, Ipſe Adam non peccaſſet: *Non fit aliquid niſi omnipotens fieri velit, vel ipſe faciendo; vel fieri permittendo.* Decretum autem, quo Deus decrevit, aut voluit peccatum Adæ, non eſt poſitivum, nec abſolutum, ſed ſolum permiſſivum; quò ſtatuit permittere malitiam peccati; non ſuſpendendo ſuum concurſum ad illam actionem phyſicam, ex qua conſequitur talis malitia, nec ob hanc permiſſionem ſequitur aliqua imperfectio in Deo, ut inferunt quidam hæretici. Quia de perfectione proviſoris univerſalis, eſt, ut aliquos defectus permittat tam in ordine naturali, quàm morali; ut ſervet libertatem; quam conceſſit cauſis ſecundis. Falſum eſt igitur dicere quòd Deus voluerit abſolutè, & antecedenter peccatum Adæ; licet voluerit illud Hypoteticè. Quia Deus prævidet peccatum; de quo habet decretum permiſſivum; antequam peccatum illud ſit commiſſum ab homine, qui eſt verè, & propriè cauſa peccati.

ARTICULUS XXIII.

Quo Conſtat contrà Florianos, Deum non provocare effectivè homines ad malum.

IUxtà monitum Vincentij Lyrinenſis lib. adverſus hæreſes cap. 34. Simon Magus de quo jam locuti ſumus, docuit, Deum eſſe authorem mali, nedum pœnæ, ſed etiam culpæ, at quia plures ſunt ſcriptores fide digni, qui Vincentio Lyrinenſi contradicunt, & Simonem Magum ab hac impietate excuſant (quamvis credant ipſum, nedùm primùm inter hæreticos, ſed etiam omnibus hæreticis nequiorem) in hoc articulo impugnandi ſunt Floriani, ſic dicti à Florino viro impiiſſimo, qui ut refert Euſebius lib. 5. cap. 15. in urbe Roma ob multa perpatrata ſcelera, à Sacerdotio fuit degradatus unà cum Blaſto ſocio criminis, & furotis, nova adversùs veritatem ſomniavit figmenta, tempore Commodi Imperatoris, & Soteri Papæ, circà annum Domini CLXXXVIII. Sed tantorum figmentorum, unum & præ cæteris pejus, eſt illud, quô Deum facit authorem peccati, actione poſitiva, ſcilicet impellendo, ac provocando hominem ad peccatum.

Simon magus non eſt author hujus hæreſis.

Florianus

Blaſtus.

Quamvis hoc dogma Florianorum, ex ſe falſum & impium appareat, nihilominus à pluribus ſuſceptum fuit, ut refert Nicephorus lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 20. ubi ait: *Martionis ſecta tunc temporis diſcepta atque diviſa erat, quidam etiam Romæ vigebant ut Florinus, & Blaſtus, qui & ipſi novas opiniones de vero veritatis verbo induxerunt, & Florinus quidem quod in petitione Presbiteri repulſam tulerat, Blaſtus autem non ad diſſimilem quoque cauſam, quilibet verò officina ſeorſum, contra veram pietatem inſtituta per multos ex Eccleſia in errorem ſuum pertraxit.* Et infra addit: *ad Florinum autem & Blaſtum, qui Romæ Schiſmatis, & deſidii duces fuerunt &c.* quibus idem Doctor Suadet, Florinum novam hæreſim induxiſſe, hancque eſſe illam, quam hic impugnamus, tanquam palmarem ejuſdem hæreſiarchæ, ut teſtatur Nicephorus.

Reverà ſtatim Sopita, & ſepulta fuit curâ ſummi Pontificis, Cleri Romani, pluriumque Theologorum, hæc hæreſis, ſed invidiâ Diaboli, & ſuperbiâ eorum, qui Deum oderunt, ſemper aſcendente, eam de tumulo poſteà ſcilicet, anno Domini CCCLXXX. temporibus Valentis Imperatoris, & Damaſi Papæ, ſuſcitarunt Seleucus & Hermias Galatæ (de quibus locuti ſumus ſupra articulo 3.) qui impiè dixerunt, cauſam totalem peccatorum noſtrorum, eſſe Deum, qui verè ac ſincere vult quòd homo peccet.

Seleucus

Hermias

Eamdem hæreſim, aut potiùs impietatem docuit Joannes Calvinus hæreſiarcha nequiſſimus, natione Picardus, patria Noviduneſis, qui tempore Caroli V. Imperatoris, & Pauli III. Summi Pontificis, prædicabat plures blaſphemias adversùs Deum, & adverſus Chriſtum ejus, quarum una faciebat Deum authorem peccati; volebat enim ille Impiiſſimus vir, Deum non ſolùm permittere impiorum ſcelera, ſed etiam ea operari effectivè, & ad ea perpatranda hominem efficienter impellere, eumque Phyſicè provocare ad peccandum.

Calvinus

Verum tanto Polithæis nequiores ſunt prænominati hæretici, quanto majori cum impietate, non in Deum malum, (ut Cerdon, Marcion, & Manichæi, qui duos volebant dari Deos, unum Deum bonum, ac verum. Et alium malum; ne mala Deo bono imputarent) ſed in Deum verum bonum, & unicum omnia peccata referunt; quòd Polithæi numquam dicere auſi ſunt; quinimo maluerunt duos Deos ſcilicet unum bonum; & alium malum admittere, quàm Deum bonum facere authorem mali. Deindè Polythæi melius ſentiunt de Deo, quàm Floriani & Calviniſtæ. Credunt enim Deum illum, quem bonum dicunt, ità eſſe Sanctum, & ab omni malo alienum, ut habitare voluerit in loco determinato, in quo non eſt Deus malus. Et addunt quòd Deus bonus noluit habitare ſimul cum Deo malo, nè malignitatem reciperet ab eo. Dicunt inſuper Manichæi, Deum bonum habere oculos mundos nè videat malum, & ad iniquitatem non reſpiciat; & ſi unum Deum tantum admitterent, huncque bonum, minimè facerent illum mali authorem. At Floriani, & Calviniſtæ unum ſolum Deum admittunt, huncque bonum, & tamen volunt peccata noſtra ab ipſo procedere, & nos non peccare umquam, niſi ipſo Deo impellente, & ideo merito dicimus, Simonem Magum (ſi fuerit ejuſdem ſententiæ) Florinum, Blaſtum, Calvinum, & alios hæreticos hujus erroris aſſertores, eſſe nequiores Cerdonianis, Marcionitis, Manichæis, Albigenſibus, & cæteris, qui plures fixere Deos. Non deſunt ſcriptores qui his hæreticis adjungunt Cacangelicos, ſeu eos, quos Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 11. vocat pſeudo Apoſtolos, & operarios ſubdolos transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, & Angelos lucis.

§ I.

Conciliorum deciſio.

HAnc hæreſim damnavit Concilium Arauſicanum ſecundum celebratum ſub Felice IV. anno DXXIX. contrà Semipelagianiſmum, qui in Gallia, maximè in ſecunda provincia Narbonenſi, per hujus hæreſis præcipuos aſſertores eximij ingenij viros, Caſſianum ſcilicet & Fauſtum, Maſſiliæ præcrebuerat, quapropter Semipelagiani, & Maſſilienſes eaſdem tunc temporis ſignificabant perſonas. Hæc Sancta Arauſicana Synodus can. 22. ait: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, & Can. 23. *Suam voluntatem homines faciunt non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet*, Ex quibus ſequitur, Deum non eſſe cauſam peccati, quia peccatum Deo diſplicet, teſte Propheta, Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, & Pſal. 44. *odiſti iniquitatem, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Aliàs peccatum non eſſet dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, quod eſt falſum, cùm directè impugnet doctrinæ Sanctorum patrum, & præſertim D. Auguſtini: Itaque dum homo peccat non facit voluntatem Dei, nec ab ipſo provocatur ad peccatum, cùm Deus non agat niſi liberè, & non faciat niſi ea, quæ vult; & velit tantum ea, quæ placent illi. Chriſtus enim qui verè cognovit ſenſum Domini, ait: *Quæ placita ſunt ei facio ſemper* Joan. 8. verſ. 29. quibus verbis apertè om-

Concilium Arauſicanum ſecundum.

manifeſtatur, Deum omnia agere voluntate ſua, quæ cùm ſit infinitè perfecta, non poteſt à nobis exigere malum, nec nos ad illud faciendum provocare efficienter, ac phyſice, ut hæretici volont unde idem Concilium Can. 25. & alibi, eleganter inquit: *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis Anathema dicimus.*

Concilium Tridentinū. Idem docet Concilium Trident. ſeſſ. 6. ubi Can. 6. ait. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ità ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; Anathema ſit.* Hinc eſt quòd Deus non concurrit, nec voluit perditionem Judæ, ſicut voluit vocationem Pauli; & quod ſi ex Conciliis citatis, ille, qui facit Deum authorem mali, ſit hæreticus & Anathema, ſequitur quód eſt etiam Atheus, & Atheò deterior; quia vult quod Deus ſit bonus, & author malorum, quòd Athei noluerunt: dicunt enim Deum non exiſtere, quia plura mala ſunt in mundo, quæ Deus non pateretur, ſi eſſet. Ita docet D. Baſilius dicens: *Inſipiens revera, mente & prudentià privatus eſt, qui dicit Deum non eſſe, conſimilis vero huic eſt, & nihilo inferior dementia, qui dicit, Deum malorum eſſe authorem: æqualem enim ipſorum peccatum eſſe judico, propterea quod utrique ſimiliter, Deum eſſe negant, alter quidem omninò non eſſe dicens, alter verò non bonum eſſe decernens. Si enim malorum author eſt, nimirum non bonus eſt, quare utrumque eſt negatio Dei.*

§. II.

Articuli veritatem probat.

COnciliis Arauſicano, & Tridentino ſuffragatur Sacra Scriptura, cùm eumdem errorem damnet his verbis, Eccleſ. cap. 15. verſ. 20. & ſequen-
Eccleſ. 15. tibus: *Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam hominis. Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi. Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium*, Et capite ſequenti inquit: *Ne jucunderis in Filiis impiis, ſi multiplicentur: nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor*
Jerem. 19 *Dei in illis &c.* Idem habetur ex illo Jeremiæ cap. 19. verſ. 5. *Et ædificaverunt excelſa Baalim ad comburendos Filios ſuos igni in holocauſtum Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Sunt plures alij textus in Sacra Scriptura, & præſertim in veteri teſtamento, quibus conſtat quòd Deus non præcepit malum, nec hominibus mandavit impiè agere. Scriptum eſt enim quód mundi ſunt oculi ejus, ut non poſſit malum reſpicere, hoc eſt, approbare, ut vertunt expoſitores.

His authoritatibus quamvis ſufficientibus ad manifeſtandam veritatem, addendum eſt teſtimonium Chriſti. Math. 7. ubi inquit: *Non poteſt arbor bona, malos fructus facere.* Hac quidem parabolà ſuadetur, Deum, qui eſt arbor bona; non poſſe facere fructus malos; utpotè peccata. Eſt enim radix Sancta, cujus rami ſunt quoque Sancti, & operationes rectæ, quæ ad bonum finem conducunt: Deus eſt Charitas quæ expellit peccatum, eſt via, quæ non poteſt deficere, & in qua nullus poteſt malè operari, aut errare, ſi velit in ea ſtare, eſt veritas, quæ non poteſt mentiri; eſt vita, quæ non poteſt inducere ad mortem animæ; cúm aſſerat per os Prophetæ ſe nolle mortem peccatoris.

Ultimum judicium prorſùs ſtrictiſſimum, eamdem fidei veritatem probat evidenter contrà eoſdem hæreticos: in illa quidem die magna, & amara valdè, in qua cœli movendi ſunt, & terra. Deus, qui eſt juſtus, aut Chriſtus, cui datum eſt omne judicium, ſcriptura ſic teſtante, puniet impios & peccatores ob peccata, quæ commiſerint. Certum eſt enim quód Chriſtus dicet ipſis (ut audient Cacangelici, Floriani, Seleuciani, Hermiani; Calviniſtæ, & alij à Siniſtris Siſtentes) *Eſurivi & non dediſtis mihi manducare: Ite maledicti in ignem æternum*; quód certe non diceret, ſi peccatum ab hominibus non fuiſſet plenè & liberè, hoc eſt, unicè & abſque ulla coactione commiſſum. Quia teſte D. Ambroſio lib. de Jacob, & vita beata cap. 3. nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit, ſeu liberè & voluntariè peccaverit.

Ex futuro judicio univerſali probatur Deum non eſſe cauſam peccati.

Idem docet D. Auguſtinus relatus in Canone: *Vaſis iræ* 23. quæſt. 4. dicens: *vaſis iræ nunquam Dei redderet interitum, ſi non Spontaneum inveniretur homo habere peccatum, quia nec Deus peccati homini juſtè inferret iram, ſi homo prædeſtinatione Dei, cecidiſſet in culpam:* Quia ob ſolam culpam liberam, ac voluntariam, quà homo fit verè reus dari poteſt pœna: ergo Deus non poteſt eſſe cauſa effectiva peccatorum noſtrorum; cum injuſtus eſſet, & crudelis ſi propter mala, quæ ipſe operatus eſſet in nobis nolentibus, ſeu aſtrictis, aut ad quæ effectivè nos provocaſſet, puniret nos, tamquam reos & declinantes ad malum, quod non à nobis, ſed ab ipſo eſſet. Nec dixiſſet per os Oſeæ cap. 13. peccatori *Perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum*, cùm perditio ſit ex illo, à quo eſt peccatum, & peccatum juxtà hæreticos, ſit à Deo tamquam à cauſa effectiva, ut probare nituntur ipſi hæretici.

Non parum juvat afferre rationem pro hæreticis convincendis. Nam Reges terræ, niſi mali ſint, non puniunt eos, qui non peccaverunt, juxta hanc 23. regulam juris in ſextum decretalium, *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*, & excuſant eos, quos ipſi ad peccatum provocarunt, hocque ex juſtitia, quoniam potiús provocans, quàm provocatum, eſt cauſa delicti, juxtà illam regulam juris in ſexto: *Qui per alium facit, per ſe facere videtur.* Potiori ratione, Deus, qui omnes juſtitias judicabit, & reddet unicuique quod ſuum eſt, excuſaret peccatores in die judicij, ſi omnium peccatorum author eſſet; cùm Reges terræ per ipſum Deum regnent, Principes imperent, & potentes decernant juſtitiam, & non impulſo ſed impellenti imputaret delictum, ut faciunt Reges terræ. Videant igitur, & conſiderent hæretici an poſſint ſana mente detrahere Deo, quod non detrahunt Regibus terræ, & concludent, Deum nullo modo eſſe peccati participem. Et dicent cum Concilio Arauſicano hominem eſſe cauſam peccati.

Nullus debet puniri niſi ſit in culpa.

Deinde, Deus prohibet peccatum in variis Sacræ Scripturæ tam novi, quam veteris teſtamenti locis, & aliquandò punit illud in terra, ſeu antequam Reus moriatur, ut comprubant varij Sacræ Scripturæ textus, idcircò non poteſt eſſe cauſa peccati quoniam non eſt habendus delicti author, qui invenitur interdictor, imo & condemnator, ut tradit Tertullianus, lib. contra Marcionem cap. 9. nec licet inferre, Deum eſſe authorem mali ex ſeveritate & juſtitia in punitione malorum, ſeu ex malo Pœnæ, quia bonus non eſſet, niſi juſtus eſſet. Juſtitia enim, tutela eſt bonitatis, inquit idem Africanus cap. 11. quia *Bonitas niſi juſtitia regatur, non eſt bonitas, nihil enim bonum quod injuſtum, bonum autem omne quod juſtum eſt.* Ideoque quamvis Deus imponat pœnam, non poteſt tamen dici author, nec impulſor mali, ſed potiùs judex.

Tandem hæreticos confundit, & veritatem hujus

articuli demonſtrat Math. cap. 16. verſ. 26. dicens: *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, hoc eſt, ſi

Job. 36. peccet, & in peccato perſiſtat. Job cap. 36. verſ. 21. & ſequentibus: *Cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam, ecce, Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus, quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis poterit ei dicere: operatus es iniquitatem?* Hæc verba evidenter probant, noſtrum eſſe peccare. Melius eſſe homini non peccare, quàm univerſum mundum lucrari. Nullum Regem, aut legiſlatorem eſſe Deo ſimilem, & nullum poſſe dicere, Deum operatum fuiſſe iniquitatem, nedùm per ſe, ſed etiam nec per creaturas: perdet quidem omnes, qui loquuntur mendacium, & deſiderium peccatorum peribit, inquit pſalmiſta laudat virum qui non abiit in Conſilio Impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: ergo non provocat ad malum effectivè: vocat enim nos in admirabile lumen ſuum, & dirigit pedes noſtros in viam pacis.

Eamdem veritatem, nimirum hominem, non à Deo, ſed a Diabolo, & à ſe ipſo conſentiente, provocari ad peccatum, ſuadet hæc ratio: Deus non ità provocat, nec impellit efficientèr ad bonum ut homo faciat illud; etiam ſi nolit Chriſtus enim dixit paralytico: *vis ſanus fieri*, itaque nec ad peccatum: unicuique enim ſervat libertatem, idque affirmat D. Jacobus in Epiſt. Cathol. cap. 1. verſ. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat: unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; deindè concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit generat mortem: nolite itaque errare, fratres mei dilectiſſimi.* Quibus verbis manifeſtè oſtenditur, malum non eſſe à Deo, qui plurimùm laudat virum, qui in Cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed eſſe ab homine adhærente concupiſcentiæ ſuæ; alioquin Deus non diceretur intentator malorum, nec Apoſtolus commendaret homini rectitudinem his verbis: *Nolite itaque errare fratres*, cùm inſenſu hæreticorum, non ab ipſo, ſed à ſolo Deo penderet, hominem non errare, ſeu ipſum hominem ad peccatum non provocari.

His authoritatibus & rationibus addenda eſt Angelorum cuſtodia, ſcilicet ea bonitas, quâ Deus cuilibet hominum concedit Angelum cuſtodem,

Angelorum cuſtodia damnat Florianorum hæreſim.

ut cuſtodiat ipſum in omnibus viis ſuis, nè peccet, ut in proprio loco dicemus contrà Calviniſtas. Hæc enim cuſtodia evidens argumentum eſt contra Florianos, & alios hæreticos: quia ſi Deus vellet quòd homo peccaret, & illum ad peccandum effectivè provocaret, certum eſt quòd non daret illi Angelum cuſtodem, qui eum à peccato præſervaret, quoniam qui vult finem, vult media, & removet omnia impedimenta contra finis conſecutionem; itaque Deus, qui tanto præſidio munivit hominem nè ad peccatum impellatur, nequit eſſe ipſius hominis provocator ad malum.

Tandem ſi Deus provocaret ad peccatum, vellet etiam perſeverantiam in peccato, quia hujus provocationis finis, eſt quòd homo ſit peccator; at hoc eſt falſum; cùm Deus dicat peccatori, pſal. 36. verſ. 27. *declina a malo, & fac bonum*, & alibi ſic clamet: *convertimini ad me*: Ergo nequit velle peccatum, neque ad illud hominem efficienter provocare: Nam converſio hominis ad Deum, eſt averſio ejuſdem à creatura, ſeu à peccato, quatenus in ipſo ultimum finem ſuum conſtituit in creatura; cùm peccator diligat eam pluſquam Deum, qui vult diligi ſuper omnia. Hæc autem voluntas non poteſt provocare ad peccatum, quia ille, qui à Deo efficienter provocaretur ad peccandum, non poſſet ipſum Deum diligere. Maxima quidem eſt oppoſitio inter peccatum, & illam Dei dilectionem.

§. II.

Diſſolvit argumenta contraria.

FLoriani obiiciunt contrà nos illud Apoſtoli ad Rom. cap. 9. verſ. 20. & ſequentibus. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui te finxit: quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*, indè enim concludunt mala, ſeu vaſa in contumeliam, non eſſe effective ab homine, ſed à ſolo Deo, ſicut vas non eſt à ſe, ſed eſt à figulo. Idem colligunt ex illo Exodi 4. *indurabo cor Pharaonis*, & ex ſimilibus textibus Sacræ Scripturæ, quibus quidquid fit ab homine, ſive bonum, ſive malum, Deo tribuitur.

At hæc concluſio falſa eſt; quia Apoſtolus non intendit aſſerere, Deum efficere malum, aut eſſe

Exponitur vera mens Apoſtoli.

cauſam effectivam peccatorum, & malorum omnium hominum, ſed ſolùm declarat, Deum permittere mala, aut ea non impedire, ſeu peccatores aliquos dimittere ſecundum deſideria cordis eorum, quique dum dimittuntur, in maxima peccata labuntur, & fiunt vaſa in contumeliam, non aliquâ actione poſitivâ Dei, ſed ſolum ipſorum, mala voluntate, ut docent plures Sancti Patres.

Nec valet objicere hos textus qui dicunt quòd Deus mandat ea, quæ nobis mala ſunt, ac proindè quòd provocat nos ad malum quod facimus, etenim præcepta aliquo modo impellunt ad id, quod nobis præcipitur.

Non valet, inquam, quia in Sacra Scriptura, *permittere*, ſæpè ſignificatur per, *facere*, aut *imperare*, ut patet de uxoris adulteræ dimiſſione, quæ Deuteron. cap. 24. eſt quaſi præcepta his verbis: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribat libellum repudij, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo ſua.* Item ex illo Marci cap. 10. verſ. 3.

Permittere, & mandare aliquando unum & idem ſignificant.

at ille, id eſt Jeſus reſpondens dicit eis: *Quid vobis præcepit Moyſes? qui dixerunt, Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere.* Math. cap. 19. verſ. 7. dicunt illi: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudij, & dimittere*, ait illis: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras* quamvis hæc uxoris adulteræ dimiſſio, fuerit ſolum permiſſa Judæis in veteri lege, nullus tunc tenebatur propriam uxorem dimittere, & aliam ducere; idcircò per hæc verba euidenter conſtat, *permittere*, & *mandare* aliquando in Sacra Scriptura eſſe nomina idem & unum ità ſignificantia, ut *permittere*, ſignificetur per *mandare*, & permiſſio Dei ſignificetur actione poſitiva, & effectiva, activa & impulſiva ad actum, quamvis non ſit talis reſpectu peccatorum noſtrorum, ſeu non ſit impulſiva, ut colligitur ex illo Exod. cap. 4. verſ. 21. Jam relato: *Ego indurabo cor ejus*, quòd ſignificat, Deum eſſe cauſam indurationis, aut obſtinationis cordis Pharaonis, non cauſam effectivam, ità ut Deus per aliquem influxum realem, & poſitivum induraverit cor ejus, ſicut ſol indurat lutum, ſed ſolum cauſam permiſſivam, ſcilicet quia Deus permiſit obſtinationem Pharaonis pro bonitate ſua tolerando, aut non puniendo hunc principem, expectando illum ad veram, ac ſinceram pœnitentiam, & permittendo ſeu non impediendo illum indurari, quapropter induratio peccatorum apud Sanctos Patres ſolùm exprimitur per receſſum gratiæ. Et mandatum

ſæpè idem ſignificat quòd permiſſio.

Hoc verum eſſe ita evinco, & probo hoc argumento ex Sacra Scriptura deductu. Deus miniſterio Moyſis, & Aaronis volebat quòd Rex Pharaon dimitteret populum Iſraëliticum, quem detinebat captivum, quem tamen dimittere nolebat, quemque infallibiliter retinuiſſet, quamvis injuſtè, ſi Deus efficienter ad ejuſdem populi detentionem impuliſſet Pharaonem, cùm non ſit, qui poſſit divinæ voluntati reſiſtere: Eſth. cap. 13. verſ. 9. At hoc certè non fecit ipſe Deus ergà Pharaonem, qui non fuit effectivè impulſus ad detinendum populum, nec *Exemplum Pharaonis* ipſe Pharaon dimiſit ipſum populum, addit enim textus, *Et non dimittet populum*: ergo Pharaon non fuit impulſus à Deo ad duritiam, ſeu ad malam voluntatem detinendi populum Dei; alioquin non miſiſſet Moyſem ad illum, ſed ſolùm derelictus fuit in manu Conſilij ſui, id eſt, in ſenſu perverſo. Hæc autem derelictio facta fuit à Deo permiſſivè tantùm, ſeu Deo nolente perverſo ac maligno Pharaonis cordi obſtare.

Addunt inſuper iidem hæretici alios textus, per quos contendunt contrà fidem Eccleſiæ probare, hominem non poſſe malè agere, quin Deus agat, & influat in effectum. Nam (inquiunt) Deus ex Sacra Scriptura eſt cauſa prima a qua pendet omnis actio cauſæ ſecundæ: igitur certum eſt, omnem actum creatum, ac proindè malum, eſſe à Deo ſicut ab homine, & magis à Deo, quàm ab homine, quia Deus eſt cauſa prima, primò agens, & hominem ad agendum ità movens, ut homo non agat niſi per impulſum Dei.

Porro hæc ratio nulla eſt ſicut altera. Quia textus illi probant, creaturam indigere auxilio Dei ad agendum, quia ex ſe impotens eſt, ſed non probant, Deum impellere nos ad agendum, quoniam in noſtra poteſtate eſt, etiam poſitis omnibus ad agendum, vel non agendum requiſitis. In hoc quidem conſiſtit libertas, quam dedit nobis Deus. Vel dico quòd probant, Deum concurrere ad materiale peccati, non verò ad formale, quo actio humana fit peccaminoſa, & difformis divinæ voluntati, & regulæ morum.

Ut autem hujus veritatis expoſitio magis eluceſcat, & ut evidentiùs appareat, Deum non eſſe cauſam peccati, neceſsè eſt, hæreticos admonere quòd Deus concurrit ad actiones noſtras, tamquam cauſa univerſalis, & communis, quæ ex decreto voluntatis ſuæ, debet concurſum ſuum præſtare cauſæ ſecundæ quotieſcumque videt eam ad agendum *Deus concurrit ad actus noſtros ut cauſa univerſalis.* diſpoſitam; quin tamen ipſam ad agendum ità compellat, ut ipſa cauſa ſecunda non poſſit non agere, poſito concurſu ſimultaneo: appoſuit enim Deus homini ignem & aquam, vitam & mortem, & dixit illi: *Ad quodcumque volueris porrige manum tuam*, teſte Scriptura, homo verò concurrit ut cauſa particularis, & propria, ſcilicet ea; pro qua, a qua cauſa univerſali confertur concurſus ille ſimultaneus, ideircò non Deo, ſeu cauſæ univerſali, ſed homini imputanda eſt culpa actionis, aut difformitas ad legem præcipientem actum omiſſum, aut prohibentem actum elicitum; cùm homo ſit cauſa particularis, quam Deus adjuvat concurſu ſuo, ſitque cauſa, quæ ſubiicitur legi, in cujus tranſgreſſione peccatum conſiſtit, & quæ liberè in homicidio v. g. violavit hanc legem *non occides.*

Idem ſuadet Tertullianus contra Marcionem cap. 9. dicens: *Libertas arbitrij, non ei culpam reſpuet, a quo data eſt, ſed à quo non ut debuit, adminiſtrata eſt.* Nam ille, qui dedit liberum arbitrium, quo homo poteſt abuti, & deficere, non eſt ille, qui peccat: bene verò ille, qui ipsô arbitriô malè utitur. Conferre hoc liberum arbitrium, non eſt malum cùm ex ſe arbitrium illud non ſit malum, porrò male uti hoc arbitrio, ipſoque leges tranſgredi, malum eſt. Hoc probari poſſet variis exemplis; ſed ea omitto.

Theologi hanc ipſam veritatem, ſeu Deum non eſſe cauſam mali clarè oſtendunt exemplo tibiæ Claudicantis, quæ nequit moveri independenter ab anima, quin tamen hæc tibiæ Claudicatio ipſi animæ tribuatur; & quin ipſa anima impellat ad Claudicandum, quoniam claudicare non eſt effectus ani- *Ratio Theologica.* mæ moventis, & animantis omnes partes corporis humani, ſed eſt defectus unius partis ſcilicet tibiæ. Hoc quidem exemplo, evidenter demonſtratur, peccata hominum non eſſe tribuenda Deo, ſed homini, quamvis homo nequeat occidere, aut aliud malum perpetrare independenter à concurſu divino. Hujus veritatis argumentum eſt, quia non eſt Deus, qui occidit, nec qui legem tranſgreditur, nec qui ad occidendum impellit, quippe cùm ſit cauſa univerſalis, & indifferens ad hanc, vel ad illam, actionem, & concurrat ad hanc, & non ad illam, quia cauſa ſecunda eſt diſpoſita ad hanc, & non ad illam actionem, ſicut anima non concurrit ad motum pedis v. g. dum in corpore ſolùm manus una movetur, non debet dici cauſa effectûs qui ſequitur, bene verò homo, qui eſt cauſa propria, ac particularis actionis, & tranſgreſſionis, ſicut non anima, ſed tibia eſt cauſa claudicationis.

Dicent, forſan hæretici, Deum velle quòd homo utatur ſua libertate, eo modo quo utitur, etiam dum eâ male utitur, cùm non impediat ipſum malum libertatis uſum, ſeu libertatis abuſum, & per conſequens eſt cauſa peccati hominis effectiva, vera ac propria, quinimò & totalis; cùm actio hominis ſit à Deo ità abſolutè ac neceſſariò, ut ſublato hoc divino concurſu, ſupponi nequeat: effectus enim tribuitur illi ſine quo produci non potuit.

Reſpondeo Deum velle quòd homo utatur libertate ſua, ſed non vult quòd eâ male utatur, niſi negativè, id eſt permittendo quò malè agat, ut ipſi ho... reſervetur libertas in creatione conceſſa, quam Deus ..on debet impedire, quoniam creavit hominem rectum, & reliquit eum in manu Conſilij ſui. Malè uti libertate conſiſtit in difformitate actionis ad legem eam prohibentem, aut præcipientem, quæ neceſſariò reſultat ex extremis, ſcilicet ex actione, & lege, ad quam difformitatem non concurrit ille, qui ponit legem, ſed ſolùm ille, qui omnibus requiſitis utitur, ut hunc & non alium actum efficiat.

Quare Tertullianus lib. contra Marcionem cap. 7. *Tertullianus.* inquit: *Si enim ſemel homini permiſerat arbitrij libertatem, & poteſtatem, & dignè permiſerat utique fruendas eas, ex ipſa inſtitutionis authoritate permiſerat fruendas autem quantum in ipſo, ſecundum ipſum, id eſt ſecundum Deum, id eſt bonum (quis enim adverſus ſe permittit aliquid) quantum verò in homine, ſecundum motus libertatis ipſius: quis enim non hoc præſtat ei, cui ſemel fruì præſtat, ut pro animo, & arbitrio ſuo fruatur? igitur conſequens erat, ut Deus ſecederet à libertate ſemel conceſſâ homini, id eſt contineret in ſemetipſo, & præſcientiam ſuam, & potentiam ſuam, per quas interceſſiſſe potuiſſet; quominus homo libertate ſua male frui aggreſſus in periculum laberetur: ſi enim interceſſiſſet, & reſcidiſſet arbitrij libertatem, quam ratione, & libertate permiſerat*: Igitur Deus nequit dici author mali culpæ; licet dederit homini libertatem, nec impediat nè ipsâ malè utatur homo, qui peccat, cùm hoc nonobſtante, puniat illud. Undè idem Doctor cap. 9. addit: *Ille non habendus eſt delicti author, qui invenitur interdictor, imo & condemnator.* Deus autem condemnat delictum, ut dictum eſt ſuprà: ideoque nequit eſſe per concur-

ſum ſuum (quem homini præſtat) cauſa delicti.

Amos cap. 3

Afferunt inſuper aliquos Sacræ Scripturæ textus, quibus mala tribuuntur Deo, ut iſte: *Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, ut ait Propheta Amos cap. 3. & ſimiles, qui habentur in articulo ſequenti, ſed eos omitto, quoniam intelligendi ſunt de malo pœnæ, ut videbimus, & nos hìc agimus de malo culpæ contrà Florianos & alios prænominatos hæreticos.

ARTICULUS XXIV.

Sancit adversùs Colluthianos, Deum eſſe authorem malorum pœnæ.

HÆretici in præcedenti articulo impugnati dixerunt, Deum eſſe authorem omnium malorum, nedum pœnæ, ſed etiam culpæ, alij verò ſeu Colluthiani voluerunt Florianorum hæreſim repellere, dixerunt enim, Deum non eſſe authorem, nec cauſam malorum abſolutè, hoc eſt, crediderunt, nullum malum tam culpæ, quàm pœnæ, quod in hominibus reperitur, eſſe à Deo, ac proindè docuerunt, pœnas, afflictiones, mortificationes, & cruces, quas in hac miſera vita ſuſtinemus, & meritó patimur, nullo modo provenire à judicio, aut voluntate Dei, ſed a natura, quam credebant eſſe ex ſe malam; at in hoc erraverunt, & declinaverunt à veritate, quia licet Deus non ſit author malorum culpæ, ut manifeſtè probat contra Florianos, & alios hæreticos præcedens articulus, eſt tamen author malorum pœnæ, & naturæ, ut dicemus infrà in probationibus articuli, & in reſponſionibus ad hæreticos.

Colluthus

Colluthianorum ſectæ author fuit quidam vir hæreticus nomine Colluthus, natione Ægiptius, conditione Presbiter Eccleſiæ Alexandrinæ, Ario Coævus, qui vixit ſub Conſtantino magno Imperatore, & Silveſtro Romano Pontifice, circà annum Domini: CCCXV. Hic merus Presbiter cum eſſet, uniuſque Eccleſiæ Alexandriæ Rector, aut Parochus, ut obſervat Philaſtrius Brixienſis, Epiſcopalia munia uſurpavit, Presbiteroſque nonnullos ordinare auſus eſt, & inter alios Iſchyram famoſum illum Sancti Athanaſij calumniatorem, ut refert Nicephorus lib. 8. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 7.

Concilium Alexandrinum

Hujus hæretici de quo mentionem faciunt Philaſtrius lib. de hæreſibus cap. 31. & D. Auguſtinus lib. de hæreſibus ad quod vult Deum cap. 65. damnatus fuit in Concilio Alexandrino ſecundo celebrato anno CCCXIX. præſidente Apoſtolico legato Oſio cordubenſi Epiſcopo, in quo fuit anathemate percuſſus ipſe Colluthus, qui poſt hanc condemnationem ſeſe Arianis adjunxit, multaſque deinceps tempeſtates in Eccleſia Dei excitavit, & ſectam ſibi propriam inſtituit, quæ tamen zelo, & diligentiâ prælatorum, brevi fuit extincta, ut teſtatur Sanctus Epiphanius hereſ. 69. ubi ait: *Et Colluthus quædam perverſa docebat, ſed non duravit hæreſis: nam ſtatim diſparuit*, quapropter in nullo Concilio, niſi Alexandrino damnata fuit hæc Colluthianorum hæreſis, quæ hìc impugnanda eſt authoritate Sacræ Scripturæ & Sanctorum Eccleſiæ Patrum.

D. Athanaſius.

Hæc omnia confirmat Divus Athanaſius Apolog. 2. ubi ait. *Cum Iſchyram ſubornaſſent quem ſecum adduxerunt, hominem minime Presbiterum, tum & ſi ſe eo nomine jactet quippe ordinatum à Collutho quodam, non vero, ſed imaginario Epiſcopo, qui in generali Concilio ab Oſio, & cæteris Epiſcopis, qui unà aderant, Juſſum fuit, ut ſe pro presbitero qualis erat antea, haberet; atque ideo omnes ab illo conſtitutos in veterem ſuum ordinem recurriſſe, inter quos etiam Iſchyras numerandus eſt.* Idem habetur in Epiſtola Synodica ejuſdem Concilij, quam ibidem Sanctus Athanaſius refert, ubi de Collutho affirmat ea, quæ ſupra diximus.

§. I.

Quò firmatur articulus.

Pſal. 7.

PRima ratio deſumitur ex illo Pſal. 7. verſ. 13. *Niſi converſi fueritis arcum ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & paravit illum.* Indè enim probat Propheta, Deum non ſemper iraſci, vel minari, ſed aliquando effundere iram, & peccatoribus inferre mala, quæ priùs comminatus eſt; ut exponit Bellarminus, quia arcum tetendere, eſt vulnerare; vulnerare autem Reum, eſt ei infligere malum pœnæ propter maculam culpæ.

Iſay. 42.

Idem ſuadetur ex illo Deuteron. cap. 32. verſ. 23 *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis*: Quo promittitur ſevera populi ingrati caſtigatio, quæ eſt malum pœnæ, cujus author eſt Deus, quem irritavit populus in ſuis vanitatibus, & de quo ſcriptum eſt: non eſt malum in civitate quod non fecerit Dominus: malum autem quod ex Propheta Amos cap. 3. verſ. 6. eſt in civitate à Domino, nequit eſſe malum culpæ, ut probat articulus præcedens contrà Florianos, neceſſe eſt Igitur quòd ſit malum pœnæ, ut ſunt v. g. miſeriæ, infirmitates, tentationes, perſecutiones, diverſæque anguſtiæ, quæ Deo permittente inſurgunt, & peccatoribus dantur in pœnam peccati commiſſi, teſte Iſaya cap. 42 verſ. 24. & 25. ingratos ſic interrogante: *Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſraël vaſtantibus? nonnè Dominus ipſe cui peccavimus? & noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus, & effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognovit, & ſuccendit eum, & non intellexit.* Teſte etiam Jeremia cap. 11. ubi ſic loquitur: *Quam ob rem hæc dicit Dominus: ecce ego inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me & non exaudiam eos &c.* Quibus manifeſtè oſtenditur, Deum eſſe cauſam inductivam malorum pœnæ, quam meritò patimur in hac vita, propter peccata, quæ fecimus in Deum, & Sanctos ejus, quæ Deus ſæpè punit in hoc mundo, ut probabitur infrà.

Malum culpæ à ſola mala voluntate procedit.

Hæc veritas Catholica iterùm contrà Colluthianos confirmatur ex aliis Sacræ Scripturæ textibus, præſertim ex cap. 32. Exodi verſ. 14. ubi Iſraëlitis in adorationem aurei vituli lapſis, Deus peccatum ad preces Moyſis remiſit, quæ quidem remiſſio per ſolam ſuſpenſionem mali exprimitur. Nam ibidem dicitur: *Placatus eſt Dominus nè faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Profectò illud malum, quòd Deus locutus fuerat, non erat malum culpæ, quia à ſola mala voluntate procedit, & peccatorem conſtituit, ſubindeque non poteſt à divina voluntate procedere; ſed eſt malum pœnæ ſeu punitio, quam prius comminatus fuerat Deus verſu 10. dicens ad Moyſem: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.*

Rurſùm Jonas Propheta cap. 3. deſcribens Ninivitarum pœnitentiam, meminit mali, quod Deus miſiſſet illis, ſi pœnitentiam non egiſſent, ibi enim verſ. 10. ait: *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*, idcircò non naturæ (quæ ex ſe bona eſt: Scriptum eſt enim Geneſ. 2. quòd Deus viderat cuncta, quæ fecerat,

& erant valde bona) ſed Deo tribuenda ſunt mala pœnæ, ſeu tribulationes, anguſtiæ, mortificationes, & ſimiles actus, quos meritò patimur in pœnam peccatorum, aut injuriarum, quas facimus proximo, ſeu quia peccavimos in fratrem noſtrum; Deus enim eſt, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Ac proinde ab ipſo Deo ſunt tribulationes; mortificationes, anguſtiæ, ſimileſque pœnæ, quæ inter mala nobis adverſantia debitè computamus; quamvis ad emendationem, & juſtificationem noſtram ordinentur à Deo, qui eas infligit; ut patet nedùm ex variis Sanctorum exemplis, ſed etiam ex variis Sacræ Scripturæ, tam veteris, quàm novi teſtameoti locis, quibus hæc veritas nobis apertè manifeſtatur,

Idem ſentiunt Sancti Patres, qui onanimitèr tenent, afflictiones, tribulationes, & alia ſimilia incommoda, quæ patimur, & quæ dicimus mala, provenire à Deo tanquam à judice, qui ſæpè in hac vita mortali; delicta noſtra punit, ut teſtatur Pſalmiſta dicens: *Bonum mihi quia humiliaſti me* Pſal. 118. verſ. 71. vel tanquam à patre volente, nos à malo culpæ, ſeu peccato removere, & ad veritatis agnitionem adducere; ut inquit Sanctus Auguſtinus, lib. contrà Adimantem Manichæum cap. 26. ubi exponens hæc verba Prophetæ Amos, cap. 3. *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus,* & illud Iſayæ cap. 45: *Ego Dominus creans malum,* habet *malum hoc loco non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt. Dupliciter enim appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod patitur, pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta cùm hoc diceret: divina enim providentia cuncta moderante & gubernante, ità homo mala facit, quod vult; ut malè patitur quod non vult: ita ergo Deus malum facit, quod non ipſi Deo malum eſt, ſed eis in quos vindicat ..... & ideo non eſt contrarium quòd Adamantus obicit dixiſſe Dominum, arbor bona; bonos fructus facit; mala autem arbor; malos fructus, quamvis enim malum ſit gehennæ damnato. Juſtitia tamen Dei bona eſt, & ipſe fructus eſt ex arbore bona.* His ſi qoidem verbis Sanctus Auguſtinus evidenter demonſtrat, malum pœnæ non eſſe indignum juſtitiæ Dei, nec Sanctitati ejus, & per conſequens allucinantur hæretici nolentes, Deum eſſe hojus mali aothorem

D. Auguſt.

§. II.

Refutat Colluthi rationem.

COllluthianorum ratio eſt. Quia Deus eſt Pater & Paſtor omnium ſummè bonus, & infinitè miſericors, nolens mortem impij, ſed magis ut convertatur & vivat, nihil odit eorum, quæ fecit, portat omnia verbo virtutis ſuæ. Ex illa bonitate, & clementia concludunt, Deum nullum malum poſſe nobis infligere; quoniam à booo principio, nihil niſi bonum procedit.

Porrò hæc ratio Colluthi eſt protsùs nulla; nam Juſtitia, quà Deus punit nos in hac vita, bonitati ipſius minimè nocet; quoniam Deus bonus non eſſet, niſi juſtus eſſet: Juſtitia quidem eſt tutela bonitatis, ut notat Tertullianus: idcircò dum Deus flagellat; caſtigat, & punit peccatores in hoc mundo, non officit bonitati ſoæ, nec poteſt dici malus: quamvis ab ipſo Deo procedat pœna aut punitio, quam inter mala computamus, & ut rem màlam conſpicimus; nam unuſquiſque perfectè noſcit; quòd ut Deus noceat bonitati ſuæ, eſt neceſſarium, quòd dum infligit hujuſmodi mala, malum intendat, ſed Deus tunc, ſcilicet dum punit peccatorem, & delinquentem, non intendit malum, quoniam ordinat flagella, tribulationes, & pœnas ad

Punitio eſt actus juſtitia.

noſtram emendationem, & juſtificationem, ut inſinuat David Pſal. 118. dicens: *Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* Ideoque non eſt minus bonus, Paſtor, & Pater, homines devtantes caſtigaudo, & puniendo reos quàm præmiando eos, qui bona egeruot.

Undè D. Auguſtinus lib. de prædeſt. & gratia cap. 15. relatus in Can. *Nabuchodonozor*, 23. quæſt. 4. volens oſtendere intentionem Dei peccata noſtra in hoc muudo punientis, non eſſe nobis malam, imò ſalutarem, & dum nobis aliter accidit, hoc non à Deo, ſed à nobis provenire, affirmat occultô Dei judiciô Malos obdurari flagellis, & Bonos emendari: his verbis: *Nabuchodonozor pœnitentiam meruit fructuoſam, nonnè poſt innumeras impietates flagellatus, pœnituit, & regnum quod perdiderat rursùs accepit? Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & periit? hic mihi rationem reddat, qui divinum Conſilium minime alto, ſapientique corde diiudicat; cur medicamentum unius Medici manu factum, alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem? niſi quia Chriſti bonus odor, aliis eſt odor vita in vitam, aliis odor mortis in mortem, quantum ad naturam, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad cauſam, ambo captivum populum Dei poſſidebant, quantum ad pœnam, ambo flagellis Clementer admoniti, quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos; niſi quòd unus manum Dei ſentiens in recordatione propria iniquitatis ingemuit, alter libero contrà Dei miſericor diſſonam veritatem pugnavit arbitrio?* Ex quibus verbis ſequitur, quòd ſi punitiones malæ ſint, & in linea malorum habeaot locum, ut voluit Colluthus, hoc non ab ipſis, nec à Deo; qui nos percutir, ſed ab earumdem malo & iniquo afflictionum uſu provenit; percutientis enim animus, eſt ſanctificatio noſtra, dum caſtigat; nedùm punit peccata commiſſa, ſed etiam intendit nos à peccatis committendis præſervare, ut notat idem Auguſtious, dicens quòd multi ægrotant in lecto innocentes, qui ſi ſani fiant, procedunt ad ſcelera committenda; & in lecto deteſtantur peccata præterita, cùm propoſito non peccandi de cætero, ut ad veram emendatiooem neceſſariò requiritur.

D. Auguſt.

Itaque ſi Colluthiani velint quòd afflictiones, & flagella, miſeriæ, & calamitates, quibus repletur vita noſtra ut teſtatur Job, ſint in linea mali, non debent tamen velle, quòd ſint à natura tanquam à principio malo ex ſe, cùm ſint bona; atque fructuoſa dona nobis miſericorditer conceſſa, ſed à Deo; quin indè valeant inferre, ipſum Deum non eſſe bonum; cùm hujuſmodi mala, de qoibus hîc agitur contrà ipſos Colluthiaoos, ſint dona miſericordiæ, & amoris Dei; qui caſtigat quos amat, & conformes facit imagini Filij ſui, ſeu Jeſu Chriſti Crucifixi, eos quos prædeſtinat: Scriptum eſt enim, Electos tranſiiſſe per ignem, & aquam, & multos paſſos fuiſſe labores, Deo ſic diſponente, ut educerentur in refrigerium.

ARTICULUS XXV.

Deffinit contra Janſeniſtas, Deum non præcipere impoſſibilia.

QUamvis Deus ſit juſtus, & ejus onos leve, Math. cap. 11. verſ. ult. Et univerſæ viæ ejus miſericordia, & veritas, Pſal. 24. verſ. 10. tamen modò non deſont hæretici qui contradicunt, ſeu qui volunt præcepta ejus eſſe impoſſibilia, Lutherus, (de quo alibi erit ſermo) tempore Maximiliani Imperatoris, & Leoois X. ſummi Pontificis, inter plu-

Lutherus res errores docuit circà annum Domini MDXVII. Deum nobis præcepiſſe plura ſervatu impoſſibilia, idque ut probet, exemplum profert de duobus præceptis Decalogi, nimirùm de præcepto dilectionis Dei, & de præcepto de non concupiſcendo. Hæc enim duo (inquit) non poſſunt in hac vita ſervari, etiam ab homine juſto. In hoc ſecuti ſunt eum ſectarij omnes, ſeu Lutherani, qui licet in aliis magiſtri erroribus diſcrepent in iſto tamen conveniunt. *Antinomi* Quidam qui *Antinomi* dicuntur impugnabant divina præcepta, non tanquam impoſſibilia, ſed tanquam inutilia, & aſſerebant, legem Dei eſſe prorsùs inutilem, quapropter nuncupati ſunt Antinomi, id eſt, viri legi divinæ contrarij, quamvis ſuborti ſint ex quodam Lutherano, ſcilicet ex Joanne Iſlebio, Lutheri Diſcipulo. Hæc hæreſis ortum habet à Ptolomeo Gnoſtico Valentini diſcipulo, qui ut habent Epiphanius hæreſi 33. & D. Auguſtinus hæreſi 13. docuit in ſecundo ſæculo, Deum impoſſibilia præcepiſſe præſertim in individuo conjugij vinculo.

Eumdem errorem poſteà docuit Joannes Calvinus, natus anno Domini MDIX. die decima Julij, Patre Gerardo Cauvino, quem Impium hominem fuiſſe, & in Deum maximè blaſphemum, præcipui aliquot Cives Noviodunenſes teſtati ſunt, ut referunt plures, qui vitam, geſta, & *Calvinus* mortem Calvini ſcripſerunt. Convictus fuit ipſe Impiſſimus Calvinus de variis criminibus, & præſertim de crimine Sodomitico, & ad combuſtionem damnatus. Porrò hanc ignominiam ferre nolens: quamvis pluribus ſceleribus eſſet oneratus, Germaniam petiit, & ibi prælo dedit ſuas erroneas opiniones, quas hauſerat à Melchiore Volmaro Lutheri diſcipulo. Indè ad Italiam perrexit, undè rediens, Genevam pervenit, ubi Guilelmum Farellum cum Petro Vireto prædicantem invenit, ſed illico exire juſſus fuit; & Baſileam, deindè Argentinam ſe conferre coactus, ibi Idellertam de Bura ſibi matrimonio copulavit, quâ è vivis diſceſſâ, remanſit Viduus uſque ad mortem, quæ fuit Genevæ anno MDLXIV. Hæc autem mors infælicissima fuit: de ipſo enim Hieronymus Bolſecus inquit: *Joannes Calvinus horrendis morbis gravatus, vermibus conſumptus, Dæmonibus invocatis, expiravit.*

Janſeniani, ſive Janſeniſtæ (ſeu illi, qui noſtris temporibus, quinque propoſitiones è libro cui Titulus eſt: *Auguſtinus Cornelij Janſenij Epiſcopi Yprenſis*, excerptas propugnabant) ſunt ejuſdem erroris defenſores, quoniam inter has propoſitiones, re- *Janſeniſta* peritur iſta: *Aliqua Dei præcepta hominibus Juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Ità referunt plures Scriptores fide digni (licet nonnulli conentur prædictum Janſenium ab hac opinione, alienum, oſtendere) Boyvinus noſter, Petrus Annatus Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ. Ludovicus Bancel Dominicanus, qui in brevi Theologiæ Thomiſticæ curſu tom. 3. tract. 4. quæſt. 3. art. 2. §. 2. aſſerit, Janſenium formaliter & expreſsè, hunc errorem docuiſſe, & ejuſdem Janſenij verba affert, ex lib. de gratia Chriſti Salvatoris cap. 3. *Hæc igitur omnia planiſſimè pleriſſiméque demonſtrant, nihil eſſe in Sancti Auguſtini Doctoris doctrina certiùs, ac fundatiùs, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque, & Juſtis, volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam, quâ fiunt poſſibilia. Hoc enim Sancti Petri exemplo, aliiſque multis quotidiè manifeſtum eſſe, qui tentantur ultrà quàm poſſunt ſuſtinere.* Idem ſtatuunt de Janſenio alii quam plurimi.

De his quinque propoſitionibus rogata Sancta Sedes, ut deffiniret quid de his tenendum eſſet. Tandem poſt exactam & diligentem accurati examinis indaginem, Innocentius X Summus Pontifex ſpecialem conſtitutionem edidit die ultima Maij MDLIII. quæ incipit; *cum occaſione*, quâ ita damnantur, & ſingulari ſingulæ inuruntur notâ propoſitiones illæ, ut prima, quæ eſt ea, de qua agitur, dicatur, & declaretur Impia, temeraria, blaſphema, Anathemate damnata, & hæretica. *Condemnatio propoſitionum Janſenij* Hæc conſtitutio Innocentij X. confirmata poſteà & approbata fuit die 16. Octobris MDCLVI. ab Alexandro VII Summo Pontifice, conſtitutione quæ incipit, *ad Sanctam:* Utriuſque ſummi Pontificis Innocentij & Alexandri conſtitutionem refert noſter Eminentiſſimus Cardinalis Lautea in Epitom. Can. verbo, *præcepta*, quoniam ſtatim fuit recepta ubique in tota Eccleſia per orbem diffuſa, & in corpore juris haberi meruit.

Tandem Clemens XI. Fæliciter regnans, requirentibus variis Epiſcopis præſertim Regni Galliæ, ſpecialem edidit conſtitutionem 17. Kalendas Auguſti, anni MDCCV. quæ incipit, *vi ea Domini Sabahot*, quâ confirmat conſtitutiones Innocentij X. & Alexandri VII. declarat inſuper prædictas quinque propoſitiones Janſenianas eſſe, ſicut priùs declaratum fuerat.

§. I.

Affert Concilia quæ hanc hæreſim damnant.

HÆreticos aſſerentes præcepta Dei eſſe impoſſibilia damnant Concilia Senonenſe cap. 7. celebratum ſub Clemente VII. anno MDXXVIII. & *Concilium Senonenſe* Moguntinum IV. cap. 9. teſte eodem Laurea Cardinali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Horum Conciliorum deciſio facta fuit, juxtà quoddam decretum datum anno DXXIX in Concilio Arauſicano ſecundo Can. 25. parte 3. ubi ſic legitur: *Moguntinum.* *Hoc etiam ſecundum Catholicam fidem credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debent ſi* *Arauſicanum.* *fideliter laborare voluerint, adimplere.* Tandem præcepta Dei eſſe poſſibilia, fuit definitum contrà Lutherum, & alios hæreticos, utpotè Brentium, & Bucerum in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. *Tridentinum.* cujus verba ſunt hæc: *Nemo autem, quantumvis juſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuvat, ut poſſis*, & Can. 8. ejuſdem ſeſſionis ait: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia: anathema ſit.*

§ II.

Probat veritatem articuli, & ſolvit rationes contrarias.

EAmdem fidei veritatem demonſtrat Chriſtus Dominus, Math. 11. dicens: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.* Ubi per *onus* expoſitores intelligunt præcepta, quæ ſunt in decalogo, & in Evangelio, ſeu omnia ea, quæ tenemur *Math. cap. 11* obſervare, Deo, aut Chriſto mandante. Si autem Jugum illud eſſet importabile, & præcepta Dei

eſſent impoſſibilia, & etiam adjuvante Dei gratia, ut voluere hæretici, quomodo Chriſtus dicere poſſet: *Tollite jugum meum ſuper vos* &c. hoc eſt obſervate mandata mea, aut ſubjicite vos legi meæ: *præcepta quæ præcipio vobis, & quæ vobis impono gravia non ſunt*? Et ſimilia, quæ ſuadent nos poſſe Dei gratiâ adjutos obtemperare divinis mandatis, quæ Chriſtus nobis ſignificavit; nedùm verbò, ſed etiam exempló: cepit enim Jeſus facere & docere. Undè cùm Chriſtus nequeat mentiri, nec nos decipere, tenemur dicere quòd Deus non præcipit impoſſibilia, ſed perfecta; ut teſtatur D. Hieronymus lib. 1. in Math. cap. 5.

Nec patitur Deus nos tentari ſuprà id quod poſſumus, ſed facit etiam cum tentatione proventum, ut poſſumus ſuſtinere, ut Sancit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 20. alloquens omnes fideles, qui erant Corinthi, ut intelligamus quòd ſi velimus, non ſinet nos tentari, neque onerari ſuprà vires noſtras, & quòd poſſumus Deo juvante, contentiones, rixas, ebrietates, & cæterà vitia nobis prohibita legibus, vitare. Hoc eſt, quòd poſſumus mandata obſervare. Nam ſi impoſſibilia eſſent; & teneremur obſervare ea, injuſta eſſet hæc obligatio, nobis injuſtè impoſita, quia nemo ad impoſſibile tenetur, & nullus peccator poſſet puniri; cùm nullus eſſet in culpa, ut ſuadet ratio, ità tradit Vega in expoſitione Concilij Trident. lib. 11. cap. 13. dicens: *Ipſum lumen naturale nobis a Deo inditum, ipſa ſcintilla rationis, mentibus noſtris impreſſa, ipſa natura vis, & conſcientia ſatis nobis eſſe poſſit ad expugnandum hunc errorem, quæ namque fuit umquam gens tam barbara, quis hominum, tam ſtolidus, & ſtupidus, ut putaret ſe in culpa eſſe, aut in crimine propter ea, quæ vitare non poſſit? quis etiam tam durus fuit umquam, tam crudelis, tam immanis, ab omni humanitate alienus tyrannus, ut ea ſuis ſubditis imperaverit, vel ab eis exegerit, quæ præſtari ab ipſis non poterant?*

Præcepta Dei ſunt ipſa

Prætereà ut quis ſit Reus & dignus pœnâ inobedientibus debita; neceſſe eſt quòd potuerit facere id, quod omiſit, & ſpontè noluerit facere illud, quod de nullo homine verificari poſſet, ſi mandata Dei impoſſibilia eſſent, cùm ad impoſſibile nemo obligetur, & nullus poſſit eſſe Reus in omiſſione rei impoſſibilis, quoniam hæc omiſſio non eſt propriè libera.

Vega.

Hæretici reſpondent quod licet homo ſit impotens, & nequeat vitare inobſervantiam præceptorum Dei impoſſibilium, eſt tamen culpabilis, quia hæc impotentia eſt pœna peccati originalis, hominique lapſo voluntaria, ſaltem voluntate capitis, ſeu Adami, cujus peccati participes, ac Rei ſumus, cujuſque pœnam patimur abſque ulla injuſtitia, quoniam Deus eſt juſtus, & rectum eſt judicium ejus.

Reſpondeo, hanc inſtantiam non ſolvere argumentum quia ſemper ſubſiſtit ratio. Nam ſi ſervus ex ſua culpa in foveam caderet, ſeque impotentem redderet ad proſequendum iter; certó Reus eſſet impotentiæ ſuæ, ſed ſuppoſitâ hac impotentiâ (quamvis voluntariè; & culpabiliter contractâ) durum eſſet; & contrà rationem; ipſi præcipere proſecutionem itineris, quoniam Legiſlator; aut judex, tunc præciperet impotenti reduplicative, id eſt impotenti, ut impotenti; & vellet ab eo fieri id quod facere non poteſt, quod eſt injuſtum: ergò nonobſtante hæreticorum inſtantiâ; homò non obſervans mandata puniretur, & eſſet in crimine propter ea, quæ vitare non poſſet, ſi præcepta Dei eſſent omnino impoſſibilia, & per conſequens hæc punitio eſſet injuſta; cùm nullam ſupponeret in homine punito culpam.

Vana eſt hæreticorum inſtantia

Deinde homo factus impotens peccato Adami ad obſervanda præcepta Dei, Sanatur, id eſt, fit potens per gratiam, quam Deus illi confert, ut ad finem ſuum perveniat: ergo poteſt ſervare eadem mandata, & ſi non poſſet ea ſervare, non eſſet Reus, nec negligens, nec poſſet puniri, non præſtandó id, quod perdidit Adam, aut quod ipſe perdidit in Adamo, cùm non ſit amplius in ſua poteſtate, quòd verum eſſe probatur hoc exemplo. Paulus erat dives, & poterat, imò ex præcepto debebat dare Eleemoſynam pauperibus, ſed factus eſt inops ſuâ culpâ, & voluntariè, non ne durum eſſet; & contra juſtitiam obligare eum ad dandam Eleemoſynam pauperibus, cùm nemo det quod non habet; certò præceptum quod obligabat eum non obligat eum amplius. Ità ſimiliter Deus eſſet injuſtus, ſi præciperet nobis dilectionem inimicorum, continentiam &c. quæ non ſunt in noſtra poteſtate, culpâ Adami patris noſtri, qui juxtà hæreticos perdidit pro ſe, & pro nobis potentiam obſervandi præcepta; ſed hoc non eſt dicendum de Deo, cùm de homine dici non poſſit, ut monet D. Thomas 2. ſentent. diſt. 28. quæſt. 1. artic. 4. ubi ait. *Deus non eſt iniquè crudelis, quàm bonum, ſed homini imputatur ad crudelitatem, ſi obliget aliquem per præceptum ad id, quod implere non poſſit*: Ergo hoc de Deo nullactenus eſt dicendum.

D. Thom.

Undè Deus omnium hominum excuſationem prævenire volens, & eos docere, quòd dum eis præcipit aliquid, gratiam ſimul etiam confert per quam, teſte Apoſtolo dicente, *omnia poſſum in eo qui me confortat*, ſiunt potentes ad obſervanda mandata, ſi velint, ità ut præceptum non ſit ſupra, nec ultrà, ſed juxtà, & infra nos, ut exponit Lyranus. Deuteron. cap. 30. verſ. 11. & ſequentibus ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, ut deferas illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*; Inde enim conſtat; inobſervantiam mandatorum, aut transgreſſionem eorum, quæ nobis præcipiuntur in lege ſive Moſaica, ſive Evangelica, non eſſe à Deo præcipiente impoſſibilia. (Sic enim non eſſet inobedientia; nec (transgreſſio) neque ab ipſis mandatis; ſed ab homine, ut evidenter patebit ponderanti hæc ultima verba; *ut facias illum*, quæ non indicant tantum, hominem poſſe facere illum, utpotè ſermonem Dei, ſed etiam declarat, quòd eſt in ſua poteſtate, illum facere ſi velit, cùm nihil deficiat homini ad ſervanda actu mandata Dei, ut ſancit Sacra Synodus Arauſicana ſecunda ſupra citata.

Gratia Dei confortat nos ad obſervanda mandata

Nec valet dicere cum hæreticis, hæc verba Deuteronomi reſpicere hominem Innocentem, cui mandata poſſibilia erant, non verò hominem lapſum, cui in pœnam peccati originalis; mandata facta ſunt impoſſibilia, non valet inquam. Ratio noſtra eſt, Tum quia ibi Deus loquitur populo Judaico, qui non erat Innocens; tum quia non loquitur utendo terminis de præterito; nè crederent; mandatum fuiſſe datum in ſtatu Innocentiæ, ſed loquitur utendo terminis de præſenti, ut videamus, mandatum; quod præcepit nobis Deus; non eſſe ſuprà nos gratiâ Chriſti adjutos. Tum quia non loquebatur tantum hominibus præſentibus, ſed etiam futuris.

Inſuper Chriſtus alloquens quemdam Adoleſcentem poſtulantem medium pro ſalute æterna conſequenda; reſpondit, *Si vis ad vitam ingredi, ſer-*

va mandata, per hæc autem mandata, intelligebat ea, de quibus loquitur Moyſes in Deuteronomio, quoniam Chriſtus non venit ſolvere legem Moyſis, ſed eam adimplere: ideoque non reſpiciunt tantum hominem Innocentem, ſed etiam lapſum, Dei auxilio adjutum, auxilium illud, quod ex hæreticis datur etiam lapſis, datur illis, ut à peccato reſurgant, & nè peccent imposterúm, ac proindè ut obſervent mandata Dei; cùm non obſervare ea, ſit peccare; igitur non ſunt impoſſibilia, quia ex illa impoſſibilitate ſequeretur impoſſibilitas obtinendi auxilium, quod cùm detur propter finem, impoſſibile ſit ex impoſſibilitate finis.

Obſervatio mandatorum Dei eſt neceſſaria ad ſalutem.

De natura legis eſt quòd ſit juſta, rationabilis, & de re poſſibili ſimpliciter, & moraliter, ut tenent communiter juriſperiti ex Can. *erit* diſt. 4. ratio juris eſt, quia ſi non ſit juſta, ducit ad malum, ſi non ſit rationabilis, eſt iniqua, & legiſlator peccat cum operetur contra conſcientiam, quæ dictat malum, non eſſe præcipiendum, ſed prohibendum, & incurrat maledictionem illam expreſſam Iſay. cap. 10. verſ. 1. *Væ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt.* Si ſit de re impoſſibili, nequit ſtatuere pœnam delinquentibus, nec præmium cuſtodientibus illam, nam quidquid cadit ſub legem, cadit aliquatenùs ſub libertatem, quatenus ſcilicet à libertate pendet, ut id, quod lex præcipit fiat, vel non fiat; cùm ut homo mercatur, vel demereatur obſervando hanc legem v. g. *Diliges proximum tuum*, vel aliquam aliam, vel non obſervando eam, neceſſe eſt quód ei liberum ſit diligere, vel non diligere quoniam ad meritum neceſſario requiritur libertas ex parte merentis, ſeu quòd actus ſit liber ut fuſiús cum Sanctis Patribus, & Theologis dicemus lib. 2. ſed impoſſibile non cadit ſub libertatem, quia non eſt liberum illi cui præcipitur, certum quidem eſt, non eſſe liberum homini volare, vel non volare; cùm volare ſit impoſſibile, ad quod nemo obligatur: obligatio enim menſuratur viribus.

Plures ſunt conditiones legis.

D. Auguſtinus lib. de fide contrà Manichæos cap. 10. confirmat hanc rationem, ibi enim ait: *Quis non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non ſit poteſtas juſſa complere, & has injuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere.* His verbis ille Sanctus Doctor ſuadet, nullum eſſe præceptum in decalogo impoſsibile homini gratiâ adjuto, nullumque eſſe hominem qui non poſſit ſervare legem Dei, ſi velit, cùm ut dicemus in ſecundo libro, unicuique detur auxilium gratiæ, ut præcepta Dei ſervare poſsit, ſi velit, teſte D. Auguſtino lib. de Geneſ. contrà Manichæos cap. 3. ubi inquit: *Illud lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt, quod homines poſſunt ſi velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Per hoc quippè lumen idem Sanctus Doctor, & alij Sancti Patres in Joan. cap. 1. intelligunt Dei auxilium, quô indiget omnis homo, ut credat ſicut oportet, ut bona opera eliciat, & ad æternam perveniat hæreditatem quare non Deo, ſed nobis imputanda eſt negligentia mandatorum, cùm à Deo habeamus quidquid neceſſe eſt, ut præcepta adimpleantur, & rectè punitos ſe credere debent eorumdem mandatorum trangreſſores, ut monet D. Thomas quæſt. 24. de veritate, artic. 14. ad 2. ubi ſic habet: *Dicendum quod rectè homo corripitur, qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia eſt, quòd gratiam non habet, per quam poteſt ſervare mandata.*

D. Thomas

Tandem præcepta Dei non eſſe hominibus impoſsibilia manifeſtè probat, fœdus ſancitum inter Deum præcipientem, & populum Iſraëliticum, obſequium, & obedientiam promittentem legimus enim exod. 24. verſ. 3. *Venit ergo Moyſes, & narravit plebi omnia verba Domini atque judicia, Reſponditque omnis populus una voce: omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus*, ex quo ſequitur mandata Dei eſſe poſsibilia, & ut talia nota fuiſſe ab Iſraëlitis. Porrò ſi nolint hæretici, Iſraëlitarum teſtimoniô convinci, ex eo quòd aliud ſit promittere, & aliud facere, convictos tamen ſe dicent, ſi conſtet aliquem hominem divinâ gratiâ adjutum, obſervaſſe ea, cùm ex univerſa Philoſophia, de actu ad potentiam valeat conſequentia, ità ut verum ſit dicere quòd non ſunt impoſsibilia in ſtatu naturæ lapſæ, ſi aliquis poſt lapſum Adæ obſervaverit ea; ut de facto ea obſervaſſe conſtat. Legimus enim Math. cap. 19. verſ. 16. & ſequentibus de quodam Adoleſcente, qui omnia ſe ſervaſſe præcepta dicebat, *Et ecce unus accedens ait illi, Magiſter bone quid boni faciam ut habeam vitam æternam? qui dixit ei: quid me interrogas de bono? unus eſt bonus, Deus, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dixit illi: quæ? Jeſus autem dixit: non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices: honora patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, dixit illi Adoleſcens: omnia hæc cuſtodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deeſt? ait illi Jeſus, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, & ſequere me.*

Populus Iſraëliticus promiſit obſervare mandata

Indè duo ſequuntur principia certiſsima. Primum eſt, præcepta Dei non eſſe ex ſe ipſis, nec voluntate Dei impoſsibilia, cùm ad impoſsibile nulla ſit potentia. Secundum eſt, obſervantiam mandatorum Dei eſſe in noſtra poteſtate, mediante gratiæ auxilio. Chriſtus enim dixit huic Adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Quæ verba inſinuant, vitam æternam dependere ab obſervantia mandatorum, hancque obſervantiam dependere à nobis, præmiſsô divinæ gratiæ auxilió, alias Chriſtus non ei dixiſſet *ſi vis*, ſed *ſi potes*, *vel ſi volo* quoniam per hanc reſponſionem voluit illi aperire viam ſalutis, & demonſtrare media, à quibus dependet conſecutio ejus. Tandem adoleſcens his verbis *omnia hæc cuſtodivi à juventute mea* ſuadet mandata Dei fuiſſe obſervata ab aliquo.

Habemus aliud hujus poſsibilitatis teſtimonium in perſona Abrahæ de quo dicit Geneſ. 26. verſ. 5. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta mea, & mandata mea & cæremonias, legeſque obſervaverit*: Igitur mandata Dei non ſunt impoſsibilia; cùm certi ſcimus teſtimonio divino, Abrahamum obſervaſſe ea, non propriis viribus, ſed mediante gratia quam Deus dat omnibus, quos præceptis ſuis ligat, dum vult quod ea adimpleant, aut dum ſe offert occaſio adimplendi hujuſmodi præcepta.

Abraham obſervavit mandata Dei.

Aliud proponerem exemplum, qood eſſet de beatis, qui certò mandata Dei cuſtodierunt in vita; cùm neceſsè ſit ſervare illa prô aſſequenda beatitudine, ut conſtat ex dictis ſuprà, & conſtabit ex dicendis in ſecundo libro contrà Lutheranos, & alios aſſerentes opera juſtorum eſſe peccata, ſed hæretici illud reiicerent, quoniam credunt, Deum non imputare hominibus mandarorum transgreſsionem, quamvis mala ſit, quia (inquiunt) peccata teguntur per juſtitiam Chriſti, per quam extrinſecè denominamur juſti (ut videbimus, & impugnabimus in proprio loco) indeque concludunt, Beatos eſſe verè beatos; quin ſervaverint Dei mandata, quoniam impoſsibilia ſunt hominibus etiam habentibus gratiam: at exempla adducta de populo Iſraëlitico

tico

tico obſſentiam promittente Moyſi intimanti mandata Dei, de Abrahamo, & de Adoleſcente reijcere non poſſunt: quia Lutherani, Calviniſtæ, Janſeniſtæ, & alij Novatores recipiunt Geneſim, alioſque Libros Moyſis, & Evangelia, ſicque tenentur fateri, Adoleſcentem illum, & Abrahamum fuiſſe veros Dei mandatorum obſervatores; & populum Iſraëliticum rectè promiſiſſe hujuſmodi mandatorum obſervantiam. His exemplis addendum eſt aliud; quod eſt de David, de quo; Deus Jeroboam alloquens 3. Reg. cap. 14. verſ. 8. ait. *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea.*

Dicent hæretici, obſeruantiam illam non eſſe de duobus præceptis præcipuis, nimirum de præcepto diligendi Deum ex toto corde, & de præcepto de non concupiſcendo, quæ Lutherus reſervat tanquam omninò impoſſibilia homini quamvis adjuto Dei gratiâ; ſed de aliis ſcilicet de iſto, *non occides* &c.

Non valet hæc reſponſio; protsùſque indebita eſt hæc duorum præceptorum reſervatio, tum quia inter præcepta, quæ ſe obſervaturum promiſerat Moyſi populus Iſraëliticus, repeiuntur hæc Duo (quæ Lutherus reſervat velut impoſſibilia) ut evidenter conſtat ex eodem lib. Exodi cap. 22. 23. 24. Tum quia Adoleſcens declarat Chriſto, ſe ſervaſſe omnia mandata, & Deus loco citato dicit de Propheta Regio. *David qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſt in conſpectu meo.* Indè enim conſtat quòd David dilexit Deum ex toto corde, quoniam ſequi Deum in toto corde, eſt amare illum ex toto corde: undè Chriſtus, Joan. 8. inquit, verſ. 12. *qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, id eſt, non erit in peccato, ſed in charitate, quæ eſt amor Dei, & habebit vitam æternam, quæ in Scriptura Sacra dicitur lumen quare Eccleſia ad Martyrem dirigit eadem uerba D. Joan. Evang. quia in martyrio Deus diligitur ſuper omnia, quippè martyrium eſt maximæ Charitatis ſignum, ut infert. D. Thomas ex illo Joan: cap. 15. *Majorem Charitatem nemo quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Magdalena etiam adimplevit præceptum de Deo diligendo, teſte Chriſto Domino dicente de hac ipſa muliere, *Dilexit multum*, Luc 7. verſ. 47. Idem colligunt plures interpretes èx illo Math. cap. 26. verſ. 10. *Sciens autem Jeſus, ait illis, quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me.* Apoſtoli etiam dilexèrunt Deum: Quantum ad aliud præceptum de non concupiſcendo, fuit etiam obſervatum à Sanctis Virginibus, & aliis caſtitatis amatoribus quorum unum aſſigno, nimirum Joſeph, qui ex geneſi, 39. verſi 1. erat vir in cunctis proſperè agens.

Qui Deum amat ex toto corde, legem ejus obſervat.

D. Thomas

Hæretici dicunt, iſtud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, nos obligare ad amandum Deum tantum, ità ut violetur, ſi aliquid præter Deum, diligatur; ſed (inquiunt) impoſſibile eſt non amare aliquid præter Deum; ut unicuique probat experientia; aut propria conſcientia: ergo nullus eſt, quid illud obſervaverit; cùm nullus ſit, qui aliquid aliud præter Deum, non amaverit.

Reſpondeo argumentum illud eſſe falſiſſimum, & ex pura malitia procedere, quia ille, diligit Deum; ex toto corde; & juxtà tenorem præcepti: *diliges Deum tuum* &c. qui amat Deum pluſquam creaturas; qui nihil à Deo prohibitum, aut repugnans præceptis Dei, amat, & qui Deum diligendo, cætera mandata ſervat, alioquin non dixiſſet idem Deus: *Diliges proximum tuum.* Nec Chriſtus dixiſſet Diſcipulis ſuis: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes quod Diſcipuli mei eſtis*: Igitur iſtud præceptum non violatur ab eo, qui amat aliquid præter Deum, ſed qui amat illud pluſquam Deum: nam Chriſtus, Math: cap. 10. verſ. 37. non dicit *qui amat patrem, aut matrem non eſt me dignus*, ſed ait: *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

Deum perfectè amat qui ſuper omnia eum amat.

Tandem Deus dilectionem ſuam nobis commendans, nihil aliud videtur à nobis exigere, quàm mandatorum ſuorum obſervantiam; amatur enim ab illo, qui ejus mandata cuſtodit, ut notat noſter doctiſſimus Alphonſus à Caſtro, idque probat ex illo Joan. 5. *Si quis diligit me, ſermones meos ſervabit*, Epiſt. 1. cap. 5. *Hæc eſt charitas Dei ut mandata ejus cuſtodiamus*, nequè aliud ſignum indicat idem Apoſtolus pro adimplendo eodem præcepto de dilectione Dei; ut conſtat ex his verbis præcedentibus: *In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.* Quæ verba exponens D. Gregorius homil. 30. ait: *Verè diligimus, ſi ad mandata ejus a noſtris, nos voluptatibus coarctamus*: Ergo Deum perfectè diligit qui non amat aliquid eorum, quæ repugnant divinis præceptis, & cuſtodit cætera mandata; licet diligat proximum; parentes; amicos; &c. teſte Joanne cap. 14. verſ. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, & verſ. 24. *qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Hoc enim evidenter demonſtrat; præceptum de Deo diligendo non excludere alia; inter quæ eſt unum de diligendo proximo. Tot textus adduco, ut agnoſcant hæretici, hoc præceptum de Deo diligendo, non conſiſtere in dilectione ſolius Dei, ità ut illicitum ſit amare aliquid præter Deum, ſed in obſervantia omnium præceptorum, quorum nullum prohibet dilectionem proximi; cum conſtet de hac re dari formale præceptum, & Chriſtum dixiſſe Joan. 15. verſ. 12. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem ſicut dilexi vos*, & Math. 5. verſ. 44. *diligite inimicos veſtros.*

D. Gregorius

Conſtat inſupèr Chriſtum Dominum dilexiſſe nos, & inter Apoſtolos plus dilexiſſe Joannem, quàm alios, eſt enim diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus: Igitur anima Chriſti diligebat Deum, & nos; & tamen hoc præceptum adimplebat, quoniam Deum diligebat ſuper nos. prætereà ſcriptum eſt quòd homo relinquet patrem, ac matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Hinc eſt quòd Paulus ad Epheſ. cap. 5. verſ. 25. ait: *Viri diligite uxores veſtras*, quin tamen velit eos diſpenſare in præcepto iſto: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo*: Idcircò illud præceptum non excludit quemcumque amorem creaturarum.

Circa præceptum de non concupiſcendo. Lutherus, ut probet illud impoſſibile, & nullum hominem teneri, ex precepto divino ad ſervandam continentiam, hoc utitur argumento Deus per hoc mandatum, *non concupiſces*, non ſolùm prohibet actus venereos, ſed etiam prohibet carnis concupiſcentiam, aut concupiſcere, ut naturalis termini ſignificatio demonſtrat. Hæc autem concupiſcentia (inquit) eſt in omnibus hominibus (ſi Chriſtum & matrem ejus excipias) eſtque inſeparabilis ab homine, quia caro eſt; & caro continuò militat adverſùs Spiritum: ergo eſſe impoſſibile quòd homo ſervet continentiam; cùm in ipſo habitet concupiſcentia, quæ eſt peccatum contrà præceptum: *Non concupiſces.*

Reſpondeo præceptum *non concupiſces* non prohibere concupiſcentiam carnis, quæ cùm remaneat in nobis poſt ſuſceptionem baptiſmi, ut ſancit Tridentinum ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, ne-

Præceptum de continentia ſervanda eſt poſſibile.

quit prohiberi, nec poteſt nobis præcipi ejus fuga; ſed prohibere carnis interiorem affectum voluntatis: interior autem voluntatis affectus carnis meritò prohibetur, quia ab homine poteſt (adjuvante Dei gratia) impediri, ut docet eadem Synodus loco citatò. Juxta communem Theologorum ſententiam, hæc concupiſcentia non eſt formaliter, nec proprie peccatum, ut declarant Patres Tridentini, his verbis. *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus, peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat:* Ergo peccatum, *non concupiſces*, non prohibet concupiſcentiam, ſeu fomitem peccati, ſed ſolùm id, ad quòd inclinat, & quod homo poteſt vitare in materia carnis, atque libidinis; quod ſi non impediat hujuſmodi affectus, certó violat præceptum, & peccat; atqui homo non poteſt vitare concupiſcentiam, ſeu fomitem peccati, nec damnari quamvis moriatur in illa concupiſcentia; alioquin Deus non eſſet juſtus, nec bonus, quód eſt falſum. Nam, inquit D. Auguſtinus ſerm. 8. de tempore: *Impoſſibile aliquid imperare non potuit qui juſtus eſt, nec damnaturus hominem, qui pius eſt*: Igitur non prohibet concupiſcentiam illam quæ eſt in omnibus hominibus, ſed ſolum voluntatis affectus circà carnem, qui cum extrà matrimonium ſint illiciti, ac peccaminoſi, prohiberi poſſunt, & vinci ab hominibus gratià Dei adjutis.

D. Auguſt.

Undè D. Auguſtinus ſerm. 249. de tempore, qui eſt de caſtitate & munditia, ait: *Nemo dicat a fornicatione ſe cuſtodire non poſſe: fidelis eſt enim Deus, dicit Apoſtolus, qui non permittit nos tentari ſupra id quod portare poſſumus, ſed faciet cum tentatione proventum, talis unicuique homini tentatio datur, ſive in carnis deſiderio, ſive in ambitione ſæculi, vel etiam in quacumque tentationis malitia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio ſuccumbere poterit*: Si hæc verba D. Auguſtini ponderarent Lutherani, Calviniſtæ, Janſeniſtæ, aliique Novatores, faterentur, præceptum de caſtitate ſervanda, aut de non concupiſcendo, poſſe Servari ab omnibus hominibus ſicut alia præcepta juxta mentem. D. Auguſtini: etenim hæc verba poſteriora, *qualem*, id eſt, tentationem carnis *Aut cum laude vincere, aut cum opprobrio ſuccumbere poterit.* Denotant hominem viribus ſuis gratià adjutum, poſſe vincere, quia qui cum laude vicit, pugnavit, quoniam ſcriptum eſt, non coronabitur niſi qui legitimè certaverit, & qui cum opprobrio ſuccubuit, non pugnavit ſaltem in quantum potuit, & debuit, alioquin non ſuccubuiſſet cum opprobrio.

Tridentin.

Ejuſdem præcepti obſervantiæ poſſibilitas, ſeu hominem poſſe eſſe continentem, Deo adjuvante, ſuadetur ex Tridentino ſeſſ. 24. Canon. 9. *Si quis dixerit, Clericos in Sacris ordinibus conſtitutos, vel regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam voverint, habere donum: anathema ſit: cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſuprà id quod poſſumus, tentari.* His ſiquidem verbis liquidò conſtat, continentiam eſſe materiam voti, ac proindè poſſibilem; quia votum nequit eſſe de re impoſſibili.

Nec valet dicere cum Lutheranis, vovère continentiam eſſe vovere rem, quæ non eſt in noſtra poteſtàte, ſeu extinctionem concupiſcentiæ non valet inquam, quia ut jam dixi cum Tridentino, concupiſcentia non eſt peccatum illud, quod opponitur actui, aut virtuti continentiæ, aut caſtitatis. Nam inquit D. Thomas part. 2. quæſt. 80. artic. 3. concupiſcentia carnis contrà Spiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis, ideo meritò coronabitur, qui legitimè certaverit, & quilibet homo poteſt auxiliante gratia certare, & vincere tentationes.

D. Thomas

Inſurgunt iterùm hæretici: quod opponitur legi & dictamini rationis eſt peccatum, ſed concupiſcentia eſt lex illa; quæ legi mentis noſtræ repugnat, ut expoſitores inferunt, ex illo ad Rom. cap. 7. *Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ*: Igitur concupiſcentia, quæ ſemper; & neceſſariò eſt in nobis, eſt verè ac propriè peccatum carnis vetitum hoc præcepto, *non concupiſces*; quod non eſt in noſtra poteſtate, ut probat hoc teſtimonium Apoſtoli: *Jam non ego operor illud, ſed quòd habitat in me peccatum.*

Concupiſcentia non eſt formaliter peccatũ.

Reſpondeo, concupiſcentiam apponi legi, & dictamini rationis cauſaliter tantum, ſcilicet quatenus inclinat ad malum à lege, & ratione prohibitum, non verò formaliter, ità ut ſit ex ſe peccatum, ſeu malum illud; quod lex & rationis dictamen prohibent: licet enim inducat ad peccatum, non inducit tamen irrevocabiliter, & impedibiliter; cùm proſit homini ad pugnam, & coronam, ut ſuprà dictum eſt, ex D. Auguſtino, & ſit materia exercendæ virtutis, ut jam ſuprà monui cum D. Thoma; peccatum verò vtrique ſcilicet coronæ & virtutis exercitio totaliter noceat: itaque carnis concupiſcentia non eſt formaliter peccatum; quippe id ſolum poteſt appellari formaliter peccatum, quod voluntas pleno, ac libero ſenſu, motuque prorsùs voluntario contrà divinam legem admittit, atqui nullus homo pleno, & libero voluntaris ſenſu admittit concupiſcentiam (ut patet ex dictis, quibus conſtat, hanc concupiſcentiam eſſe effectum peccati originalis) bene veró interiores voluntatis affectus: Igitur Deus non illam, ſed iſtos prohibet præceptô, *non concupiſces.*

Inſtabunt: verbum divinum non aſſumpſit concupiſcentiam carnis aſſumendo naturam humanam; ergo eſt peccatum formaliter oppoſitum caſtitatis, cùm verbum aſſumpſerit omnia quæ in nobis ſunt (excepto peccato) ut docent commoniter Theologi, Sancti Patres, & Concilia.

Reſpondeo, verbum nedùm aſſumpſiſſe naturam humanam ſine peccato, ſed etiam ſine peccatorum cauſis, & propenſionibus ad peccatum. At ad hoc, ut concupiſcentia non aſſumatur à verbo, ſufficit; quòd concupiſcentia ſit cauſa peccati, quippe cum hæ cauſæ à peccato originali deriventur, non poſſunt eſſe in Chriſto, qui peccatum originale non habuit, benè verò in homine. Quia eſt Filius Adæ, & Filius Iræ concipitur in peccatis, & naſcitur Filius perditionis, Chriſtus verô eſt conceptus de Spiritu Sancto, & natus Filius Dei abſque ulla ad peccatum propenſione.

Ut reſponſionis noſtræ ſenſus aperiatur, & evidentiùs appareat falſitas rationis Lutheranorum, moneo de communi Doctorum conſenſu, peccàtum in Sacra Scriptura eſſe nomen æquivocum, habens varias ſignificationes; aliquandò enim ſumitur pro hoſtia oblata pro peccato, ut patet ex illo 2. Corinth. cap. 5. verſ. 21.

Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ubi peccatum ſumitur pro Hoſtia oblata in remiſſionem peccatorum; alioquin Chriſtus peccaſſet. *Peccatum habet varias ſignificationes.* Quod eſt Impium, ut dicemus infrà contrà Arianos, Antichriſtianos, Calviniſtas; & allos hæreticos. Aliquandò ſumitur; pro cauſa impellente ad peccatum; vel pro pœna peccati; ut pater ex illo ad Rom. cap. 7. verſ. 15. *Quod enim operor non intelligo; non quod volo bonum hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio*, verſ. 17. *nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Ibi Apoſtolus per peccatum non intelligit peccatum propriè & formaliter, ſed aliquid impellens ad malum, ſeu aliquid datum in pœnam peccari, quod eſt concupiſcentia; quæ movet; & inclinat voluntatem; ad peccatum, ut inſinuat D. Joannes Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 16. aliquandò tandem, & frequentiùs ſumitur pro culpa, & offenſa Dei: qua de cauſa peccatum ſic definitur ab omnibus Theologis; *D. Auguſt.* ex D. Auguſtino lib. 12. contra Fauſtum cap. 72. *Eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*, quæ quidem definitio non competit concupiſcentiæ, quæ eſt in nobis, cùm nun ſit quid à nobis dictum, vel factum, vel concupitum, ſed quid nobis in conceptione à parentibus collatum.

Quare advertendum eſt; Apoſtolum non dicere, *quod regnat in me peccatum*, benè verò, *quod habitat in me peccatum*, ut indè oſtendat, hanc concupiſcentiam non eſſe formaliter peccatum. Maxima differentia eſt inter regnare & habitare, quia (inquit Ricardus) datur præceptum; ut peccatum non regnet in noſtrà carne mortali, ut monet Paulus ad Rom. cap. 6. verſ. 12. dicens, *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*, ſed non datur, ut non habitet, quia peccatum habitat in carne noſtra per cauſam, ſeu concupiſcentiam, quæ ſemper eſt in nobis, & inclinat nos ad malum, & regnat per interiores voluntatis affectus pro peccato, ſeu per conſenſum; quem voluntas actu imperij præbet concupiſcentiis, ut conſtat ex verbis adductis D. Pauli, & ideò idem Apoſtolus non dicit, *quod regnat in me peccatum*, ſed *quod habitat*, ut indè inferamus, concupiſcentiam non eſſe in nobis peccatum formaliter, ſicut affectus voluntatis in peccato, & hominem non eſſe peccatorem formaliter, dum peccatum ſumitur in primo; & ſecundo ſenſu ex relatis, ſed ſolum dum ſumitur in ultimo, ſeu dum ſumitur pro culpa; quæ in hac materia non conſiſtit, in propenſione ad delectationes carnis, ſed in earumdem effectibus.

Authoritas ſanctorum Patrum non parum iuvat; & prodeſt ad vincendos hæreticos; præcepta *D. Baſilius* Dei impoſſibilia proclamantes: D. Baſilius in regula Monachorum cap. 83. de dilectione inimicorum (cujus præceptum habetur, Math. 5: verſ. 44.) loquens, ait: *Numquam hoc præciperet Juſtus, & clemens Deus niſi utique poſſibilitatem etiam nobis donaſſet.* Ratio eſt quia nullus Rex poteſt licitè præcipere, niſi illi, qui poteſt obedire. Omnes enim ſciunt *D. Chryſoſt.* quod nemo ad impoſſibile tenetur. D. Chryſoſtomus ait: *Poſſibile eſt enim Dei juſſa perficere ſi modo velimus omnem naturæ trepidationem alacriter ſuperare, nihilque impoſſibile eorum, quæ à Chriſto hominibus imperan-* *D. Hieronymus.* *tur.* D. Hieronymus ad Damaſum: *Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini* *D. Thomas* *præceptum eſſe, & mandata non à ſingulis poſſe ſervari.* D. Thomas, quolib. 7. art. 17. ad 3. ait: *Dicendum quòd in quolibet præcepto, duo ſunt conſideranda ſcilicet finis præcepti, & poſſibilitas obſervandi: quia, omnia præcepta cujuſlibet legis ſunt ordinata ad aliquod bonum inducendum, vel ad malum tollendum, nec aliquid impoſſibile præcipi poteſt.*

Ex his & ſimilibus authoritatibus Patrum, quas omitto, facilè noſcitur hæreticorum impudentia, ex eo quod auſi ſuiit contradicere Sanctis Patribus, eorumque Scripta refutare; & contradicere variis Conciliis; nedum illis, quæ ſuprà citantur, ſed etiam Arelatenſi ſecundo, Nannetenſi, & aliis, quæ declarant præcepta Dei poſſe ab omnibus hominibus ſervari, ſuppoſito gratiæ auxilio; quod Deus confert omnibus hominibus (ſicut dicemus in ſecundo libro) ut nullus ſit Reus, niſi ſuâ culpâ, nec punitus niſi propter delictum proprium voluntarie perpetratum. Juſtitia enim quæ punit delinquentes, reddit unicuique quod ſuum eſt, illa autem tranſgreſſio ſuppoſitâ præcepti impoſſibilitate, non eſſet hominis: igitur ex hæreſi hîc impugnata, ſequitur quòd nullus eſſet in ultimo judicio puniendus, quia omnes fuiſſent in invincibili impotentia obſervandi mandata Dei.

ARTICULUS XXVI.

Tollit præceptum de perſecutione Tyrannica non fugienda, à Cataphrygiis admiſſum.

His hæreticis nimirum Cataphrygiis nomen dedit Phrygiæ Provincia; licet ab authore dici poſſint Montaniſtæ, ut de facto eos ſic vocant plures hiſtorici, quia ſecuti ſunt errores Montani, qui tempore commodi Imperatoris, & Soteri Papæ circà annum Domini CLXXXI plures evomit blaſphemias adverſus Deum, & adverſus Chriſtum ejus, ut obſervant D. Epiphanius hæreſ. 48. & Euſebius lib. 4. hiſtor. Eccleſ. cap. 26. ut autem hic hæreticus in *Cataphrygij, aut montaniſtæ* blaſphemiis ſuis plures deciperet; innumeris ad fallendum utebatur technis, interdum promiſſorum magnitudine ſectatores alliciebat, interdùm conjecturis, & rationibus probabilibus nixus, apertè eorum peccata redarguebat, ut vitiorum hoſtis, & corrector videretur, quamvis eorumdem vitiorum eſſet amator, & præſertim voluptatum, pro quibus fovendis, duas ſecum ducebat Meretrices ſcilicet Priſcillam, & Maximillam, quibus inſaniæ ſuæ afflavit Spiritum, eaſque proclamabat Prophetiſſas, ut falſa proferrent oracula, quæ Propheticis adæquabat ipſe Montanus, quem ſecuti ſunt Cataphryges aut Cataphrygij, qui cum ipſo aſſerebant per univerſam Phrygiam, nuſquam in perſecutione fugiendum eſſe; ſed præcepto ſpeciali, & divino, loco ſiſtendum, & martyrium expectandum eſſe.

Ejuſdem erroris, & hæreſis acerrimus defenſor, fuit Tertullianus natione Afer, patriâ Carthaginenſis, ſummæ eruditionis vir, profeſſione Eccleſiæ Ca- *Tertullian.* tholicæ presbiter, qui ad Montaniſtas defecit, & eorum errores nedùm ore, ſed etiam Calamo profeſſus eſt, ut conſtat ex ipſius libro de fuga in perſecutione cap. 4. ubi legitur quòd reſpondēs ad conſultationem Fabij Presbiteri; dixit: fugiendum in perſecutione non eſſe, ſed fortiter pro Chriſto moriendum. non ſolum dum ſe offert occaſio confitendi fidem, ſed etiam in quocumque caſu.

§. I.

Quô damnantur montaniſtæ.

Montaniſtarum, aut Cataphrygiorum errorem *Zacharias Papa.* damnat Zacharias Papa, Epiſt. 12. ubi declarat quòd perſecutio infidelium poteſt fugi, & quod ſi quis velit reſiſtere, etiam poteſt. Ità teſtatur Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea in epitom. Ca-

non. eamdem veritatem declarat, eorumdemque Montaniſtarùm errorem refellit Concilium Eliberitanum celebratum ſub Marcello Papa anno CCCV. in quo priùs decretum, atqué ſancitum fuerat, non eſſe habendos inter Martyres eos, qui idola frangentes occiſi fuerunt, propter temeritatem, quâ ſe Martyrio obtulerunt, & majorem in Eccleſia perſecutionem concitarunt. Nam in 6. hujus Concilij Canone habetur. *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur ſub Apoſtolis umquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.* Indè enim evidenter ſequitur, quòd ille, qui juſtitiæ zelô, alioque motivô frangit Idola, poteſt licitè ab Idololatris fugere, nè occidatur ab ipſis.

Concilium Eliberitanum.

§ II.

Quô probatur veritas.

HAnc ipſam veritatem de fuga permiſſa in perſecutione docet exemplum nedùm plurium ſanctorum, ut dicemus infrà, ſed etiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui videns Judæos ità contrà ipſum iratos, ut lapidarent eum, fugit, ut refert Sanctus Joannes cap. 8. verſ. ultimu dicens: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo*, quod certò non feciſſet, ſi Deus prohiberet fugam in perſecutione Tyrannica, ut voluerunt Cataphrygij, quoniam non venerat ſolvere legem, ſed adimplere, & in his, quæ patris ſunt oportebat eum eſſe, nec ipſemet Chriſtus dixiſſet Apoſtulis ſuis, Math. 10. verſ. 23. *Cùm ergo perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam, amen dico vobis non conſummabitis civitates Iſraël donec veniat filius hominis.* His quippè, ſcilicet exemplô & Conſiliô, Chriſtus approbat fugam in perſecutione Tyrannica, aut ſaltem non prohibet eam abſolutè.

Exemplum Chriſti

Aliud exemplum habemus de Sancto Joſeph, inſpirato à Deo per miniſterium Angeli, qui ipſum Sanctum Joſephum Mariæ ſponſum in ſomnis monuit, dicens illi, *Surge & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægiptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Ut legitur apud Sanctum Mathæum cap. 2. verſ. 13. cui admonitioni obedivit ipſe Joſeph, ut conſtat ex verſu ſequenti. *Qui conſurgens accepit puerum, & Matrem ejus, & ſeceſſit in Ægiptum*, & tamen non peccavit, imò meruit. Idcircò fuga in perſecutione Tyrannica eſt licita, & ſæpè neceſſaria; cum non raró bonum ſit fugere Tyrannos, qui fideles odiunt, eoſque perſequuntur, nè ipſi fideles occaſioni ſe exponant aut nè in perſecutione ſuccumbant, & ipſos perſequentes odio habeant. Sanè ratione hujus mali vitandi, nedum licita, ſed etiam neceſſaria eſt fuga tyrannica.

Exemplum Sti Joſeph

D. Auguſtinus Epiſt. 180. ad Honoratum, confirmat hanc rationem, ibi enim ait: *Quicumque igitur iſto modo fugit, ut Eccleſiæ neceſſarium miniſterium in illo fugiente non deſit, facit quod Dominus præcipit, ſive permiſit*: His quidem verbis, ille Sanctus Doctor approbat fugam in perſecutione Tyrannica, eamque declarat neceſſariam: ſi non abſolutè, & ſimpliciter, ſaltem dum finis conſequendus, aut effectus vitandus, eam exigit, ut v. g. quando Paſtor, aut Parochus fugit perſecutionem, quæ eſt in una Parochia, cauſa eundi ad propriam, Oves ſuas defenſurus, & eas ſuo confortaturus exemplô contrà hoſtes fidei, ne ab ipſis pervertantur, tunc enim fuga neceſſaria mihi videtur, quia ex officio tenetur in propria parochia reſidere, & in hac occaſione potiùs proprias oves, quàm alienas confirmare in fide catholica. Si verô contingat quôd non poſſit, aut quòd non ſit neceſsè ad propriam parochiam ſe transferre, poteſt licitè, & abſque ulla culpa à facie Tyranni fugere; & locum in quo eſt, relinquere cauſa vitandi mortem: nullam enim video in eo cauſam expectandi Martyrium, nullamque ſe offerendi Tyranno, neceſſitatem.

Hanc doctrinam confirmat. D. Athanaſius, in Apologia de fuga ſua, ubi Arianis calumniantibus eum, eo quod eorum perſecutionem, & inſidias fugiſſet, ait: *Sancte fugientes, ſe ſe occultabant, & per diſpenſationem, ut Medici in uſu indigentium reſervabantur reliquis autem, & in univerſum omnibus ea lex propoſita eſt, ut fugiant dum in perſecutionibus appetantur, & occultent ſeſe dum quærantur, neque præcipites ſint, temerariique in temando Domino, ſed expectent, donec definitum tempus moriendi advenerit, aut Judex ille, quod ſibi rectum videatur, de his conſtituerit, ſed tamen nos ſemper paratos eſſe voluit, ut vel vocante tempore, vel apprehenſi pro Eccleſia, uſque ad mortem dimicemus. Hæc beati Martyres temporibus perſecutionum obſervaverunt.* Indè enim conſtat, fidelem non teneri ſub peccato mortali in perſecutione ità ſtare, & martyrium expectare, ut ſemper ei ſit illicitum fugere Tyrannum venientem ad ſe animo occidendi eum, cum ipſe Sanctus Athanaſius affirmet, plures ſanctos Fugiſſe, & Theologi doceant, Chriſtianum poſſe in perſecutione ſe occultare, ne Tyranno de rebus fidei reſpondere cogatur, & ſic evadat periculum. Nulla quippe eſt lex, quæ præcipiat Martyrium abſolutè, ſeu quæ velit nos obligare ad quærendam Martyrij occaſionem, aut quâ teneamur quærere Tyrannos, quamvis dum ab ipſis de fide catholica interrogamur ſive publice: ſivè occultè, neceſsè ſit ſub pœna peccati mortalis, ipſam fidem confiteri. Nam qui non confitebitur Chriſtum coram hominibus nec Chriſtus confitebitur eum coram patre ſuo. Undè Divus Chryſologus ſerm. 151 ait: *Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam, non comprehenſus debet fugere perſequentem, ut & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicandi, perſecutorem qui provocat, facit corrigit qui declinat, orandum eſt, fugiendum eſt, ne ille qui per ignorantiam furit, ſanetur, & ille qui patitur de patientia palmam habeat, non ſubeat de temeritate diſcrimen* &c.

D. Athanaſius.

Nulla lex obligat nos abſolutè ad martyrium

Denique error Montaniſtarum, aut Cataphrygiorum fugam in perſecutione damnantium refellitur ex Clemente Alexandrino lib. 4. Stromat. ubi habetur: *Qui ſe capiendum præbet per audaciam, is quantum in ſe eſt, adjuvat improbitatem ejus, qui eum perſequitur.* Per hæc quidem verba permittitur fuga, imo jubetur, ſaltem implicitè, quia bonum eſt perſecutoris improbitatem non adjuvare, ac proindè nullus debet ſe proprio nutu offerre perſecutori, aut perſecutioni Tyrannicæ, quam infideles, aut hæretici exercent adverſus filios Lucis, hinc eſt quod Chriſtus loquens de perſecutoribus, Math. 10. ait diſcipulis ſuis *Tradent vos in Conciliis, & in Sinagogis ſuis Flagellabunt vos*, non dicit voſmetipſos tradetis, *ad Reges, & præſides ducemini propter nomen meum*, non verò *voſmetipſos ducetis*, ut eis oſtenderet nullum teneri quærere Tyrannum, neque tradere ſemet-ipſum perſecutoribus, ex quo ſequitur contrà Montaniſtas, Cataphrygios, & Tertullianum, quòd nullus tenetur in perſecutione Tyrannica expectare Martyrium, cùm expectare, aut non fugere perſecutorem, ſit aliquo modo ſe tradere illi.

Math. 10.

§ III.

Reſpondet hæreticis.

CAtaphrygij ſic obſtant : Scriptura Sacra variis in locis hortatur nos ad ſuſtinendas perſecutiones : nam Paulus 2. ad Timot. cap. 3. verſ. 12. ait : *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur* : ergo Deus non permittit fugam in perſecutione, imò potiùs præcipit ſtare in loco, & expectare martyrium quoniam omnes tenemur velle piè vivere, ac proindè perſecutionem pati, quia beati, qui perſecutionem patiuntur.

Hæc conſequentia eſt falſa, nec poteſt rectè deduci ex Apoſtolo, qui nos hortando ad ſuſtinendas perſecutiones, non præcipit, nec docet perſecutiones eſſe quærendas ſub peccato mortali, ſed in perſecutionibus, quæ nobis accidunt, hortatur nos ad patientiam, aut ad perſeverantiam in operibus pietatis exercendis, nonobſtantibus contradictionibus & perſecutionibus inimicorum, ut probant verba, quæ immediatè præcedunt, & ea, quæ ſequuntur, quæ videri poſſunt in verſ. 11. & 13. ejuſdem capitis, non veró ad expectandum tyrannum pro ſubeundo martyrio, niſi adſit tempus à Deo præſtitutum ad ſubeundum illud, v. g. ut dum fuga probaret, fidem Chriſti eſſe falſam, & fugiens per fugam ſuam negaret fidem ratione circunſtantiarum quæ pro fide tuenda obligarent ad reſponſionem, aut confeſſionem. Nam inquit D. Cyprianus lib. de lapſis *Cum corona de Dei dignatione deſcendat, nec poſſit accipi, niſi fuerit hora ſumendi : quiſquis in Chriſto manens interim cedit, non fidem denegat, ſed tempus expectat, qui autem cum non receſſerit, cecidit, negaturus remanſit.* Ideoque non tenemur abſolutè perſecutionis tempore expectare mortem à perſecutore infligendam, ità ut nullus teneatur fugere à facie inimicorum Chriſti, & Eccleſiæ ſuæ, nam ipſe Chriſtus fugam in perſecutione, verbò docuit, & exemplô ; ut patet ex dictis ſuprà : poſſumus etiam nos fugere perſecutionem ; fugiente enim Domino, fugere indignum non putat ſervus inquit D. Chryſologus ſerm. 51.

D. Cyprianus.

Chryſologus

Dicunt inſuper quòd perſecutio eſt bona, & à Deo immiſſa, ut jam ſuprà dictum eſt contrà Colluthianos ; eſt etiam Sancta, & ſalubris, perconſequens malum eſt eam fugere, ut conſtat ex variis exemplis, quæ in Sacra Scriptura referuntur.

Minus valet hæc ſecunda ratio, quia perſecutio à Tyranno illata, non eſt per ſe bona abſolutè, ſed ſolum per accidens, ſcilicet quatenus fidelis ex ea poteſt reportare palmam, & coronam martyrij, hujuſmodi perſecutiones ; & tormenta patiendo pro fide confitenda, ac tuenda, ideoque non peccat qui perſecutionem fugit. Quia licitum eſt fugere bonum, ſi ſit bonum tantùm per accidens ; & non ſit præceptum, quòd verum eſſe probat tentationis exemplum. Nam tentatio eſt bona per accidens ; ſicut perſecutio, in illa enim ſicut in iſta ; poteſt obtineri præmium, aut corona ; & advenit, Deo permittente, tamen non peccat, qui fugit illam ; alioquin Chriſtus non nos ità orare docuiſſet, *Et ne nos inducas in tentationem*, imò temerarius erit, qui tentationem non fugiet cùm poterit illam vitare quia incertus de victoria, prælium quæreret, & periculo liberè ſe exponeret.

Reſponſio ad ultimam inſtantiam

ARTICULUS XXVII.

Oſtendit prædeſtinatianis, Deum habere voluntatem ſalvandi omnes homines.

TEmpore Honorij Imperatoris ; & Innocentij Papæ primi, circà annum Domini CCCCXV. Inſurrexerunt quidam in Africa ; viri hæretici quorum author ignoratur, qui ex malè intellectis Sancti Auguſtini de gratia, & prædeſtinatione libris, dicebant quòd Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes ſalventur, ſed ut multitudine hominum ornetur mundus, ut teſtatur Gennadius. Rursùm inferebant contrà genuinum ejuſdem Sancti Doctoris ſenſum, Deum habere voluntatem ſalvandi aliquos homines dumtaxat, & damnandi reliquos, præciſis quibuſcumque operibus ſivè bonis, ſivè malis. Volebant enim bona opera nihil prodeſſe iis, quos Deus vult damnare, & mala opera non nocere iis, quos vult Salvare ; unde ab hoc errore nomen conſecuti, nuncupati fuerunt (ut tradunt plures hiſtorici) prædeſtinatiani.

Eamdem hæreſim tunc temporis juxtà communem ſcriptorum partem tuebantur, etiam ex eiſdem Auguſtini libris male intellectis, quidam Monachi dicti Adrumentini ab Adrumeto, ſeu Cænobio in quo habitabant ; ſito in provincia Bizacenæ, ſeu in regno Tunetenſi in Africa ; tamen hæretici minimè cenſendi ſunt, prædicti Monachi Adrumentini, nec Semipelagiani, licet nonnulli oppoſitum credant, quoniam D. Auguſtinus errorem eorum audiens, & agnoſcens diſſidia ex libris malè intellectis exorta inter ipſos Adrumentinos ſenſum librorum variè interpretantes, per Fælicem & Creſconium, duos ejuſdem monaſterij Monachos Juvenes, duas ſcripſit Epiſtolas ad Valentinum Monaſterij præpoſitum, quibus verum ſenſum librorum ſuorum ità aperiebat, ut nullus poſſet illum ignorare, & ideò Monachi omnes per Auguſtinum ſic inſtructi, ab errore receſſerunt, ut conſtat ex Epiſtola Valentini gratulatoria ; quâ ipſemet Valentinus, D. Auguſtinum admonet ; accepto ejus libello, fratres omnes conquieviſſe, & unanimes ejus doctrinæ acquieviſſe ac proindè cùm non fuerint contumaces, nequé rebelles fidei Eccleſiæ, nec contrarij veræ doctrinæ ; non poſſunt niſi injuſtè, dici, aut cenſeri hæretici prædeſtinatiani, nec Semipelagiani. Dato etiam ut volunt plures ; quòd libros. D. Auguſtini primùm intellexerint juxtà ſenſum Maſſilienſium, ſeu Semipelagianorum.

Adrumentini non ſunt cenſendi hæretici.

Poſt obitum D. Auguſtini, inſurrexit quidam vir hæreticus nomine Lucidus, conditione Presbiter, qui anno. CCCCLV. tempore Julij nepotis Imperatoris, & Simplicij Papæ, docuit eumdem errorem, ſeu voluit Deum habere voluntatem ſalvandi eos tantùm ; qui ſalui erunt : de aliorum autem ſalute, nullum deſiderium, & nullam curam habuiſſe.

Lucidus

Gotteſcalchus, natione Belga, ut notat Aventinus, vel Gallus, ut vult Trithemius, vel Germanus ut tenet communior ; & probabilior opinió, profeſſione Monachus ; ordinis Sancti Benedicti, & presbiter monaſterij Orbacenſis ; apud Sueſſiones, inquieti, & ſuperbi animi homo, ſuo decedens monaſterio ; Italiam, Dalmatiam, Pannoniam, & Germaniam peragravit, nono currente ſæculo, aviditate ſua ſpargendi dogmata penitùs pernicioſa, quorum unum denegabat Deo voluntatem ſalvandi omnes homines. Docebat enim, Deum velle ſalvare tantum eos, qui ſalvantur, & velle damnare

Gotteſcalchus.

eos, qui damnantur, ità ut iſtis, impoſſibilis ſit conſecutio ſalutis, Deo ſic volente, nedum voluntate conſequente, ſed etiam aotecedente. Hoc eſt, Deo nolente quòd ſalventur, ut conſtat ex Epiſtola Synodali, quam Rabanus ex Monacho, Moguntinus Archiepiſcopus factus; ſcripſit ad Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem, & ex ea; quam ipſe Hincmarus ſcripſit ad Nicolaum Pontificem Romanum, cujus tenor reperitur apud plures Scriptores, & noviſſimè apud noſtrum Fraſſenium tom. 1: tract. 2. de prædeſt. & apud alios ipsô recentiores:

Gotteſcalchi peſtifera dogmata, omnibus Catholicis execranda, docuerunt Lupus ſervatus presblter Moguntinus. Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis, Florus ejuſdem Eccleſiæ Diaconus, & Prudentius Trecenſis Epiſcopus. Nec valet objicere, Prudentium fuiſſe virum religioſum; cùm inter Sanctos numeretur, ejoſque feſtum Trecis celebretur die ſeptimâ Aprilis, non valet inquam hæc objectio, quia circà finem vitæ; ejuratâ hæreticâ doctrinâ, cum cæteris Epiſcopis vixit, & tandem mortuus eſt in oſculo pacis. Ità refert communior, & probabilior opinio contrà nonnullos, qui auſi ſunt aſſerere, hiſtoriam prædeſtinatianorum; eſſe fictitiam; & veram fabulam, porrò allocinantur, ut patet ex variis teſtimoniis omni fide dignis, & ex quadam Epiſtola Fauſti Regienſis Epiſcopi ad Lucidum

Ejuſdem erroris deffenſor fuit Janſenius Epiſcopos Yprenſis, libro nono, & decimo de gratia Chriſti, ubi aſſerit, Deum olim, ſcilicet antè peccatum Adæ, habuiſſe voluntatem ſalvandi omnes homines, modò autem, nimirùm à lapſu Adæ, habere voluntatem ſalvandi tantùm eos, quos prædeſtinat, & ſalvat: ergà alios verò, habere quamdam nudam velleitatem, qualem habet ergà animas damnatas & lib. 3. cap. 21. docet; Chriſtum non habuiſſe voluntatem moriendi pro ſalute omnium hominum, ſed tantum electorum. Pro ſalute autem aliorum, non magis Sanguinem fudiſſe, aut etiam oraſſe, quàm pro ſalute Diaboli, ità refert Gonetus in Clypeo ſuo Theologiæ Thomiſticæ. tom. 1. diſp. 4. de voluntate Dei antecedente, artic. 2. ubi ponit hæc verba, quæ dicit eſſe Janſenij. *Chriſtus pro infidelium in infidelitate morientium, aut juſtorum non perſeverantium ſalute, mortuus non eſt, nec Sanguinem fudit, nec ſe ipſum redemptionem dedit, nec patrem oravit, immò non magis pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diabolo, deprecatus eſt*. His verbis liquet, hunc Epiſcopum Yprenſem credidiſſe in Deo eſſe voluntatem ſalvandi aliquos dumtaxat.

Jauſenius

§. I.

Apponuntur Concilia quæ hanc hæreſim damnant.

HÆc prædeſtinatianorum hæreſis damnata fuit in Conciliis Arelatenſi tertio, Lugdunenſi, Moguntino; & in aliis, ſed præſertim in Concilio Cariſiaco vulgo, *Creci*, cui interfuere duo Metropolitani, ſcilicèt Venilo Senonenſis, & Hincmarus Rhemenſis præſules doctiſſimi, cum multis Epiſcopis, Abbatibus, ſeletiſque Sacerdotibus. In hoc quidem Concilio, Can. 3. & 4. legitur: *Deus omnipotens, omnes homines ſine exceptione vult Salvos fieri, licet non omnes ſalventur. Quòd autem quidam ſalventur, ſalvantis eſt donum, quòd autem quidam pereant, pereuntium eſt meritum. Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſicut nullus eſt homo, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit, ità nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur non reſpicit ad magnitudinem, & pretij copio*ſitatem, *ſed ad infidelium & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem: quia poculum humanæ ſalutis quod confectum eſt infirmitate noſtra, & divina virtute, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur*. Ità poſt plures alios, noviſſimè referunt Cabaſſutius in notitia Eccleſiaſtica, ſæcul. 9. & noſter Porter ſæculo IX. & X.

Arelatenſe tertium

Lugdunenſe

Moguntinū

Cariſiacum

Non deſont tamen Scriptores aſſerentes Synodum Valentinam (in qua Juſſu Lotharij Imperatoris; convenerunt præſules trium Provinciarum, nempè Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis) revocaſſe decreta hujus Concilij Cariſiaci, quæ Gotteſcalchum damnant, in illo quidem Concilio dicitur quòd Deus non habet voluntatem Salvandi omnes, ſed allucinantur, quoniam Patres Valentinæ Synodi cum Gotteſcalcho minime conveniunt; licet dicent, Deum non velle ſalvare omnes homines quippè dum ſic loquontur, ſunt intelligendi de voluntate efficaci, abſoluta, & conſequenti, non verò de voluntate antecedenti; conditionata; & per modum beneplaciti, quam impugnant hæretici, exiſtimantes, in Deo nullam eſſe voluntatem ſalvandi eos, qui ſalvi non fiunt, ut conſtat teſtimonio Doctorum, qui adversùs prædeſtinatianos ſcripſerunt.

Explicatio Concilij valentini

§. II.

In quo propugnatur veritas articuli.

VEritas fidei evidenter demonſtratur, & hæreſis prædeſtinatianorum convincitur hac ratione. Deus vult ſalvare eos pro quibus miſit filium ſuum in terras carnem noſtram aſſumpturum, cùm miſerit illum, ut eſſet redemptor, atque Salvator, & diſſolveret opera Diaboli, ſeu peccati, cujus ſervos erat quilibet homo ob peccatum Adæ, ut monet Apoſtolus ad Rom. cap. 6. verſ. 20. Deus autem miſit filium ſuum propter omnes homines, & propter ſalutem omnium, ſeu ut eſſet Salvator omnium, & ſingulorum hominum, ut confeſsi ſunt trecenti ſuprà decem, & octo Patres in Concilio Nicæno primo, aſſlante Spiritû Sancto, ſic dicentes: *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*. Idem conſtat ex innumeris Sacræ Scripturæ locis, quibus nobis exponitur divinæ Incarnationis motivum, ſeu finis, ob quem Deus voluit verbum ſuum mittere: igitur Deus, qui miſit Filium ſuum pro omnibus hominibus redimendis, habet voluntatem ſalvandi omnes, & ſingulos homines, ad quorum ſalutem ordinavit Filii ſui Incarnationem, mortem, & paſsionem, alioquin non miſiſſet, nec dediſſet illum pro omnibus, ſed ſolum pro illis, quos ſalvare voluiſſet.

Deus vult ſalvare omnes homines.

Hanc ipſam veritarem confirmat ipſemet Chriſtus nobis miſsionis ſuæ motiuum manifeſtans. Dicitur enim, Luc. cap. 19. verſ. 10. *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat*, ex quo ſequitur primò, Chriſtum veniſſe pro omnibus & ſingulis hominibus redimendis, quia omnes (nullo excepto) perierant culpâ Adæ in quo peccaverunt. Secundò, Deum qui voluntariè miſit illum redemptorem, velle ſalvare omnes homines; nam divini verbi Incarnatio eſt effectus illius voluntatis ſalvandi homines, cùm certum ſit, quòd Filius non veniſſet in carne paſsibili, ſi homo non peccaſſet: igitur Deus vult ſalutem omnium hominum, non voluntate conſequente, ità ut velit ſalvare omnes homines, etiam poſt præviſa demerita, & peccata, nullo excepto. Hac quidem ſalvat tantum eos, qui ſalvantur, ſed voluntate antecedente, quæ eſt vera, ſincera, & propria, quandoquidem in hujus volunta-

tis executionem nos creat in tempore,& nobis confert omnia media ad ſalutem neceſſaria, hinc eſt quòd D. Chryſoſtomus in Epiſtola ad Epheſ. aſſerit, Deum, per illam voluntatem noſtram vehementer deſiderare ſalutem; quòd ſi nonobſtante hac voluntate, damnentur quam plurimi, hoc non provenit ex voluntate divina, quæ ſincerè vult omnes ſalvos facere, ſed ex mala hominum voluntate, quæ media ad ſalutem conducentia reſpuit, ut colligitur ex variis Sacræ Scripturæ textibus, & præſertim ex illo Oſeæ 13. verſ.9. *Perditio tua Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum.* Quo ſuadetur, damnatorum perditionem, non ad Deum, ſed ad ipſos damnatos referendam eſſe; cùm ſalus ex divina, & humana voluntate pendeat, ut monet Apoſtolus dicẽs: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, & illa ſeu divina ſincerè agat.

D. Chriſoſt.

Deus vult ſalvare omnes eos; quos præceptis ſuis ligat: etenim horum mandatorum ſcopus, aut finis conſequendus, juxtà legiſlatoris nempè Dei intentionem, & eſt vita æterna; dependenter ab eorumdem obſervatione conſequibilis. Juxtà illud Chriſti ad quemdam adoleſcentem directum, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, quaptopter Sacra Scriptura aſſerit; quòd quicumqué mandata Dei ſervaverit, hic ſalvus erit, ut indè diſcamus, Deum inſtituiſſe legem, ut ipsâ ducamur ad finem, ita ut puniat pœnâ æterna eos, qui mandata non ſervant, præmiet, & coronet omnes, qui cuſtodiunt illa. Hæc de cauſa illi, qui cuſtodiunt verbum Dei, dicuntur Beati, Luc. 11. verſ. 28. at Deus voluit præceptis ſuis obligare omnes, & ſingulos homines ad eorum obſervationem quippè cùm non ſit acceptor perſonarum; & ſit Dominus omnium, & ſingulorum hominum, ſicut eſt creator, rector, proviſor, & gubernator, non pro aliquibus tantum, ſed pro omnibus ſuam inſtituit legem, & neminem diſpenſat in obſervantia mandatorum ſuorum, Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem dixit diſcipulis ſuis: *Ite in univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hujus mandati cauſa fuit hæc, ſcilicet. Quia in Evangelio continentur divina præcepta, ut declarat Trident. ſeſſ. 6. Can. 19. & 20. & præcipuè Can. 21. ubi habetur: *Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum a Deo hominibus datum fuiſſe ut redemptorem cui fidant: non ut legiſlatorem, cui obediant: anathema ſit*: Igitur Deus habet voluntatem ſalvandi omnes, & ſingulos homines; cùm velit mandata ſervari ab omnibus; & omnes qui ea obſervant; habeant vitam æternam. Certum quidem eſt quòd ſi quilibet homo ſervaret mandata, nullus eſſet damnatus, quoniam qui vult, & dat media; vult utique finem, ac proindè Deus, qui vult mandata obſervari ab omnibus, vult quoque etiam gloriam obtineri ab omnibus, cùm hæc gloria, ſeu vita æterna, ſit finis eorumdem mandatorum obſervandorum, ut indigitat Apoſtolus, ad Corint. cap. 7. verſ. 19. ubi ait: *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei*, & D. Joan. 1. cap. 2. verſ. 5. ait: *Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc Charitas Dei perfecta eſt, & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.*

Neceſſitas obſervandi mandata Dei.

Dixit inſuper ipſe Chriſtus, Diſcipulis ſuis: *Ite in univerſum mundum baptizantes omnes gentes.* Hujus mandati cauſa eſt, quia qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Porrò hæc baptiſmi inſtitutio, aut promulgatio mandatur pro omnibus, & ſingulis hominibus; in quibus eſt peccatum originale, virtute baptiſmi delendum, idcircò cùm peccatum originale ſit in omnibus, & ſingulis; Filiis Adæ (excepta Dei-para) & Chriſtus inſtituerit baptiſmum pro omnibus: & ſingulis hominibus, Deo ſic volente, neceſſariò ſequitur quòd Deus voluit conferre omnibus hujus Sacramenti beneficium, hoc eſt, jus ad æternam hæreditatem, quòd in Deo eſſe non potuit ſine voluntate ſalvandi omnes homines, cùm ſi omnes crederent, ſicut oportet, hoc eſt, fide practica, & baptizati eſſent, ad Deum accederent, & ſalui eſſent, ut declarat Apoſtolus.

Baptiſmus inſtitutus eſt pro omnibus.

Nec obſtat inferre oppoſitum ex eo quòd plures moriantur ſine baptiſmo. Ratio eſt quia ſicut non valet inferre Solem non fuiſſe creatum pro omnibus, & ſingulis hominibus, ex eo quod plures ſint viſione privati, ità nec poteſt quis inferre, baptiſmum non fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino pro omnibus; licet plures ſine baptiſmo moriantur. Nam ſi baptiſmus in ſua inſtitutione receperit virtutem delendi peccatum originale uniuſcujuſque, ſicut ſol virtutem illuminandi omnia, dicendum eſt quòd ſi non remittat illud omnibus, hoc non provenit ex baptiſmo, nec à Chriſto; qui inſtituit illum pro omnibus, & ad omnes ſuos delegavit miniſtros, ſed à cauſa ſecunda, à qua debet applicari, baptiſmi inſtitutio eſt à Chriſto: applicatio autem ipſius eſt ab homine; qui eſt cauſa libera, ideoque quamvis non applicetur omnibus, nullus poteſt inferre, ipſum baptiſma non fuiſſe inſtitutum pro omnibus; cùm illis non ſit applicatio, cujus eſt inſtitutio, ſufficit quòd fuerit ex inſtitutione applicabile omnibus, & ſingulis; & pro omnibus & ſingulis baptizandis, per univerſum mundum à Chriſto miſſi fuerint Apoſtoli. Hinc eſt quòd ſi Deus noluiſſet ſalvare omnes, ſed ſolùm eos dumtaxat, qui ſalvantur, non ad omnes, ſed ſolum ad aliquos miſiſſet miniſtros baptiſmi, cùm voluntas ſalvandi ſit cauſa inſtitutionis baptiſmi ſine quo in re, vel in voto, nullus poteſt ſalvari.

Dicent hæretici, quòd ſi Deus vellet, baptiſmum eſſe pro omnibus, tolleret ea, quæ obſtant nè applicetur omnibus; cùm ſit agens ſupremum, & voluntarium, cui poſſibile eſt omne verbum, teſte Scriptura.

Reſpondeo quod hæc inſtantia non valet, quia ut Deus habeat voluntatem ſalvandi omnes homines, non eſt neceſsè quòd auferat ab hominibus libertatem, quam eis conceſſit in creatione, quamque eis conſervat ad meritum; neć eſt neceſsè quòd impediat curſum cauſarum naturalium pro vita infanti aliàs morituro, conſervanda: Hujus Doctrinæ ratio, ſuffragantibus Sanctis Patribus, eſt quia Deus eſt agens generale; attingens ſapientiâ ſuâ à fine uſque ad finem fortiter, cui non convenit uni obeſſe, ut alteri proſit; nec ſubvertere ordinem providentiæ ſuæ. Nonnè malum eſt dicere, quòd Deus deberet nolle ſalutem hominum, ſeu nullum hominem ſalvare; ſi hoc neceſsè eſſet pro conſervatione rerum aliquarum naturalium? Ità paritèr malum eſt dicere, quòd Deus debet nolle curſum cauſarum ſecundarum & naturalium, ut puer baptizetur, & per baptiſmum ſalvetur.

Reſponſio ad inſtantiam hæreticorũ

Aſſertio noſtra iterùm probatur Deus vult ſincerè omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, teſte Apoſt. 1. ad Timoth. cap. 2. nec poſſunt hoc impugnare, nec de aliquibus hominibus dumtaxat intelligere hæretici, ſi credant quòd Chriſtus voluit mori pro omnibus, quia hæc mors eſt prætiũ pro omnibus hominibus exhibitum, & per ipſam mortem ſalvantur ij, qui ſalvantur, ut fatentur ipſi hæretici Prædeſtinatiani, ſed Deus voluit, Chriſtum mori pro omnibus. Nam Angelus Domini qui divinæ Incarnationis nunciavit Myſterium, dixit Joſepho, Mariæ ſponſo, quòd ipſa Virgo paritura erat Filium, nempè Jeſum, qui ſalvum faceret populum ſuum, & de poteſtate tenebrarum, eriperet eum, uti teſtatur Sanctus Lu-

Deus voluit Chriſtum mori pro omnibus

cas cap. 1. verſ. 21. populus autem ille ſalvandus, comptehendit omnes, & ſingulos homines, cùm omnes, & ſinguli homines Dco ſubiiciantur: etgo Deus vult ſalutem omnium.

Idem declarat Apoſtolus ad Titum cap. 2. verſ. 13 ubi ait: *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemet ipſum pro nobis.* Et ad Rom. 8. dicens de Deo: *qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ex quo ſequitur, Chriſtum fuiſſe à Deo Patre traditum pro omnibus, quòd fieri non potuit à Deo Patre, ſine voluntate ſalvandi omnes; cùm hujuſmodi mortis finis, ità fuerit ſalus omnium hominum, ut ſi unus ſolus fuiſſet peccator, pro illo Chriſtus fuiſſet mortuus, ut monet D. Bernardus, & nullus fuerit ſalvatus independenter à morte Chriſti.

D. Bernardus.

Undè Sanctus Joannes in Epiſt. 1. cap. 2. inquit de Chriſto: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, & Sanctus Petrus Epiſt. 1. cap. 3. *Chriſtus pro peccatis noſtris ſemel mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo.* Nonnè Joannes, & Petrus neminem excludunt à morte Chriſti, & volunt, ipſum Chriſtum mortuum fuiſſe tam pro reprobis, quàm pro prædeſtinatis? nullus de hoc dubitare poteſt, cùm dicant, juſtum ſeu Chriſtum mortuum fuiſſe pro injuſtis. Ideoque quilibet homo fateri debet, Deum habere voluntatem ſalvandi omnes, quoniam Chriſtus moriendo, obedivit Patri, qui hanc mortem ordinavit in redemptionem hominum: ideò ſi ipſe Chriſtus voluerit per mortem ſuam ſalvare omnes, certum eſt quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quia hanc mortem voluit pro omnibus, & ſingulis hominibus acceptare, eamque acceptare, eſt velle ſalvare homines, & ſingulos homines.

Sanctus Joannes. Sanctus Petrus.

Hæretici reſpondent, authoritates Scripturæ eſſe intelligendas de valore & ſufficientia mortis Chriſti, aut de ipſius effuſi ſanguinis dignitate, quæ pro omnibus ſufficiens fuit, non verò de ordinatione Dei, & voluntate Chriſti, ità ut hæc mors fuerit oblata à Chriſto, & ordinata à Deo pro omnibus, & ſingulis hominibus, ideo (inquiunt) Deus habet voluntatem ſalvandi tantum eos, qui ſalvantur.

Non valet hæc reſponſio quia valor ille competit ei ratione unionis hypoſtaticæ, quâ Sanguis Chriſti eſt infiniti valoris, ſubindeque plus quàm ſufficiens ex ſe pro redimendis hominibus: idcircò non de valore illo, quem noſcunt omnes Chriſtiani, intelligendus eſt Apoſtolus, ſed de ordinatione, aut applicatione actuali, & reali illius; ait enim: *Deus tradidit illum &c.* tradere autem aliquid alteri, neceſſariò ſupponit in tradente aliquam actionem dirigentem rem traditam ad illum, cui traditur; cùm quilibet collator, & præſertim Deus, donum ſuum conferat cum cognitione, & animo benefaciendi, v. g. medicina eſt ex ſe ſufficiens ad ſanandum infirmum, hoc tamen nonobſtante, dum Medicus tradit illam infirmo, nullus dicit quod tradat eam abſque ordinatione, aut intentione ad ſanitatem recuperandam, & ſine voluntate ſanandi infirmum, cui medicinam præbet; ita nullus poteſt aſſerere quòd Deus tradiderit nobis filium ſuum ſine ordinatione ad noſtram ſalutem, aut voluntate ſalvandi nos, quamvis Sanguis Chriſti ſit ex ſe ſufficiens pro redemptione noſtra. Qui dat aliquod bonum alteri, dat illud, ut ei proficiat, ſeu ei conferat bonum, aut beneficium, ob quod res data, nata eſt ideoque Deus, qui dat affluenter, & non improperat, dedit nobis filium ſuum, ut ipſius mors nobis proficeret ad ſalutem ob quam ex Scriptura dedit illum, & ſine qua, nullus poterat ſalvari: alias non dediſſet illum omnibus, ſed aliquibus dumtaxat, quod eſt falſum, filius enim datus eſt nobis, id eſt omnibus.

Reſolvitur inſtantia hæreticorũ.

Dicunt hæretici quòd Deus tradidit Filium ſuum pro genere ſingulorum; non verò pro ſingulis generum, ac proinde credunt quòd noluit ſalvare omnes, & ſingulos homines, ſed tantum aliquos, ſeu eos qui ſalvantur.

At falſa eſt hæc interpretatio; quia Paulus ait: pro nobis omnibus, id eſt pro unoquoque, quòd idem eſt ac pro ſingulis, nam, *nobis* denotat omnia individua totius generis humani, ut facilè colligitur ex illo 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, ubi; *nos*, ſignificat individua, ſeu unum quemque hominum, ut probant hæc verba, quæ immediatè ſequuntur, *ut referat unuſquiſque propria* &c. Igitur Deus, qui tradidit illum, ut in Sanguine ipſius nos lavaret, voluit ſalvare nedum eos, qui ſalvantur; ſed etiam alios, qui damnantur, ut omnes, qui pereunt, non divina voluntate, ſed propriâ culpâ pereant.

Reiicitur altera hæreticorum inſtantia.

Idem docet Sanctus Leo ſerm. 1. de nativit. Domini, ubi ait: *Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* His quippè verbis conſtat, Chriſtum fuiſſe traditum, ut liberaret eos, qui à reatu liberi non erant: Pater dedit illum pro illis, à quibus offenſus fuerat, & Chriſtus pro illis venit; ſed fuerat offenſus ab omnibus, cùm omnis homo eſſet peccator: ergo venit liberare ſingulos generum, non verò tantum genera ſingulorum, quoniam reatus nedùm erat in generibus ſingulorum, ſed etiam in ſingulorum, quoniam reatus nedùm erat in generibus ſingulorum, ſed etiam in ſingulis hominibus. Erant enim omnes in eadem maſſa perditionis. Deindè ex D. Leone, intentio Chriſti Domini morientis fuit delere peccata, aut pro peccatis ſatisfacere Deo Patri offenſo, & intentio Dei Patris offenſi, fuit hanc ſatisfactionem acceptare pro peccato: at peccatum erat in ſingulis generum, & ideo Chriſtus mortuus eſt pro ſingulis, & Deus voluit ſalutem ſingulorum, cùm pro ſingulis mortem Chriſti acceptaverit, eumque judicem, & Salvatorem ſingulorum inſtituerit: ſcriptum eſt enim: omne judicium dedit filio.

D. Leo

His reſpondent Prædeſtinatiani. Deum velle, Chriſtum eſſe Salvatorem eorum tantum qui ſalvantur: quamvis in Sacris paginis nominetur Redemptor omnium, idque probant exemplo Ludimagiſtri in aliquo oppido, qui dicitur magiſter omnium, non quòd omnes, & ſinguli diſcant ab illo, ſed quia illi qui diſcunt in oppido, diſcunt ab illo: ita, inquiunt, Chriſtus eſt Salvator omnium, quia illi qui ſalvantur, per ipſum ſalvantur, & Deus habet voluntatem ſalvandi omnes, quia illi, qui ſalvantur, ab eo ſalvantur.

Porrò frivola mihi videtur hæc reſponſio, & potiùs ſtat pro nobis, quàm contra nos; nam Magiſter ille inſtitutus eſt pro omnibus pueris Oppidi abſque ulla excluſione; intentio Magiſtratuum eſt, quòd doceat omnes, & ſingulos pueros, qui diſcere capiunt, & ipſe habet voluntatem docendi omnes & ſingulos pueros, ſeu tàm illos, qui ad Scholam ejus accedunt, quàm illos, qui ad eam non accedunt, licet ſint plures, qui diſcere nolint. Dicendum eſt igitur quòd Deus vult omnes, & ſingulos ſalvos fieri. Et quod Chriſtus voluit mori pro omnibus, & ſingulis; quamvis pauci ſint, qui ſalventur, aliud enim eſt Deum velle ſalvare omnes, & aliud eſt ſalvare omnes. Primum eſt actus voluntatis antecedentis, & generalis, ſecundum verò eſt actus vo-

Deus ſalvat eos qui ſalvantur, & voluit ſalvare eos qui non ſalvantur

luntatis conſequentis, & inquirentis. Reverà non ſalvat niſi eos, qui ſalvantur, ſed hoc non probat quòd noluerit ſalvare eos, qui non ſalvantur.

Minus probat dicere, Chriſtum non effudiſſe ſanguinem ſuum pro illis peccatoribus, qui non ſalvantur, nam officium redemptoris humani generis, eſt velle ſalvare omnes, & ſingulos homines, obligatio uniuſcujuſque eſt velle ſalvari, ſi autem ſint plures, qui non ſalvantur, hoc non ad Chriſtum, neque ad Deum, qui declarat ſe nolle mortem peccatoris, ſed ad illos referendum eſt, ut tradit Evangeliſta referens quòd Chriſtus in ultimo Judicio dicet peccatori: *non dediſti, &c.* hæc quidem ſuadent quòd Chriſtus tunc aſpiciet impium, ut cauſam unicam, & totalem, perditionis ſuæ.

D. Chryſoſtomus.

Idem docet D. Chryſoſtomus homil. 4. in cap. 2. ad Hæbr. ubi aït: *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, non pro fidelibus tantum, ſed & pro mundo univerſo, nam ipſe*: id eſt Chriſtus, *pro omnibus mortuus eſt. Quid autem ſi omnes non credunt? Ille quod ſuum erat implevit.* Cain eſt damnatus, ut credunt omnes, contra Marcionem, tamen Deus voluit ſalvare eum. Hæc veritas quoad utramque partem ſuadetur ex illo geneſ. 4. verſ. 4. *reſpexit dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera ejus: non reſpexit, iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus, dixitque dominus ad eum, quare iratus es? & cur concidit facies tua? non-ne ſi bene egeris, recipies, &c.* Indè enim conſtat, Deum habuiſſe voluntatem ſalvandi Cainum, & de facto eum ſalvaſſet, ſi bene egiſſet, ut probant hæc ultima verba, quæ ſunt in verſ. 7 *Non ne ſi bene egeris recipies, ſi autem male ſtatim in foribus peccatum aderit*: Ergo Deus voluit ſalvare aliquem qui non ſalvatur; alioquin illa ultima verba eſſent Irriſoris. Quod de Deo dici nequit.

Sap. cap. 11.

. Voluntatem ſalvandi omnes eſſe in Deo conſtat etiam ex Sacra Scriptura, & præſertim ex illo Sap. 11. verſ. 24. *miſereris omnium quia omnia potes, diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Impoſſibile enim eſt quód Deus miſereatur omnium peccatorum, & eorum qui non Salvantur; quin habeat voluntatem ſalvandi, eos; & quin eos ſalvaret ſi pœnitentiam agerent; cùm eorum peccata diſſimulet, ſeu non puniat, propter pœnitentiam agendam à peccatoribus; quam facere poſſunt ſi velint, cum habeant auxilia ſufficientia; quam ſi facerent haberent vitam æternam, juxtà illud Math. 4. verſ. 17. *Pænitentiam agite appropinquavit enim regnum cœlorum*, & alibi: *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.*

Math. cap. 4.

Impoſſibile eſt etiam quòd Deus diligat peccatores, parcat omnibus, & amet animas,; quin habeat voluntatem ſalvandi omnes: Synonima quippè ſunt, miſereri peccatorum, & velle eos ſalvos fieri, cogitationes Dei, ſunt cogitationes pacis; quæ omnibus ſalutem procurant, unde Apoſt. ad Theſſ. cap. 4. verſ. 3. ait *hæc eſt voluntas Dei Sanctificatio veſtra*, hoc eſt, ut ſitis Sancti & D. Petrus 2. cap. 3. verſ. 9. inquit: *Patienter agit Deus propter vos, nollens aliquos perire*, at velle omnes ad pœnitentiam reverti, eſt velle quòd nullus pereat, & velle quòd nullus pereat, eſt velle ſalvare omnes, ſeu ut unuſquiſque ſalvetur, & perveniat ad finem ſuum ſupernaturalem, ob quem creatus eſt homo; quia ad ſimilitudinem Dei factus eſt, ut fiat divinitatis particeps in gloria cum Chriſto cujus cohœredes ſumus.

Ad Theſſal. 4.

Hanc ipſam veritatem confirmat Chriſtus, Marc. cap. 1. verſ. 15. peccatores ſic alloquens. *Pœnitemini & credite Evangelio*, quò ſuadetur adverſus Prædeſtinatianos, bona opera, ſeu pœnitentiam, & fidem vivam, multum prodeſſe omnibus; alioquin Illuſoria, atque fictitia eſſet hæc locutio, quoniam pluribus Inutile eſſet pœnitere, & credere, illis ſcilicet, qui non credunt firmiter uſque ad finem; ſed nequit eſſe vera, & ſincera, hæc locutio, niſi Deus velit nedum prædeſtinatos; ſeu eos, qui ſalvantur, ſed etiam peccatores; ſeu eos; qui non ſalvabuntur, ſalvos facere voluntate antecedenti, & generali, quia pœnitentia; & fides ad quas hortatur eos, ad vitam perducunt æternam, juxta plurima Scripturæ Sacræ oracula. Hortando quidem eos ad media, hortatur etiam eos ad finem, ad quem òrdinantur, & volendo quod pœnitentiam agant & credant Evangelio, vult quod ſalventur, eliciendo (divinâ adjuvante gratiâ) actus pœnitentiæ, & fidei; cúm (Chriſto ſic teſtante) qui crediderit, & baptizatus fuerit; ſalvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur, idcircò cùm velit quòd omnes credant, vult quòd omnes ſalvi fiant, quoniam Deus, ut ſcriptum eſt, in fide facit Sanctos ſuos, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Unde cum velit Deus omnes ad agnitionem veritatis venire teſte Apoſtolo loco ſupra citato, certiſſimum eſt quod vult etiam omnes ſalvos fieri, ſed non omnium voluntas, ejus voluntati obſequitur, inquit D. Chryſoſtomus, homil. de laudibus. D. Pauli, & homil. in epiſt. ad Epheſ. ubi addit: *eſt voluntas prima, quâ vult, ut non pereant, eſt voluntas ut qui perſiſtunt in criminibus, contaminati pereant*, eſt igitur in Deo voluntas ſalvandi omnes, & ſingulos homines: Quidquid dixerint prædeſtinatiani, licet plures ſint, ut potè illi, qui in peccato perſeverant; qui non ſalventur, nam ſi vellet ſalvare tantùm eos, qui ſalvántur, ut volunt prædeſtinatiani: prorsùs inutile, atque ſuperfluum eſſet dicere quod vult ut illi; qui perſiſtunt in delictis, pereant, quia Infallibiliter peribunt, & quòd illi, qui non perſiſtunt, infallibiliter ſalvabuntur; cùm ſupponendum ſit, Deum nolle ſalvare illos, ſed ſolum iſtos, & nemo poſſit ſalvari, niſi Deus velit

D. Chryſoſtomus.

D. Ambroſius

Idem tradit Sanctus Ambroſius exponens illud pſal. 118. *miſericordia tua Domine plena eſt terra, juſtificationes tuas doce me*, ubi ait: *Deus docet, & illuminat mentes ſingulorum, & claritatis cognitionem infundit, ſi tu aperias oſtia cordis tui, & cœleſtis gratiæ recipias claritatem.* Nec miremini quia ſtat ad oſtium, & pulſat; vultque quod oſtium cordis aperiatur illi ab homine gratia adjuto; ut dicemus in proprio loco contrà aliquos hæreticos. Hoc autem velle, eſt velle ſalvare, & nolle aperire, aut nolle cœleſtis gratiæ claritatem recipere, eſt nolle ſalvari. primum ſeu pulſare, eſt Dei, nolle aperire; eſt hominis; ideoque Deus vult ſalutem omnium; cum ſtet ad oſtium uniuſcujuſque; & pulſet; & plores homines nolunt ſalvari, licet Deus velit voluntate antecedente, quod omnes aperiant, petant; & accipiant gratias, & beneficia neceſſaria; ut à peccatis reſurgant, & ſalventur. Unde D. Auguſtinus ſerm. 67. de temp. qui eſt de extremo judicio cogitando, indùxit Chriſtum ſic alloquentem peccatorem. *Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, ſuſcepi mortem tuam, ut viveres in æternum, conditus jacui in ſepulchro, ut tu regnares in cœlo, cur quod pro te protuli, perdidiſti? cur ingrate; redemptionis tuæ munera renuiſti?* Hæc verba clarè demonſtrant, quòd ex D. Auguſtino, Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, & Deus habuit voluntatem ſalvandi eos; qui ſunt damnati, ità ut non Deo, ſed ipſis tribuenda ſit cauſa damnationis, hoc eſt, ità ut nulli liceat dicere: quod eſt reprobus, quia Deus voluit, quod eſſet reprobus, aut noluit quod eſſet prædeſtinatus.

D. Auguſtinus

§. III.

Reſpondet Hæreticis.

Prima prædeſtinatianorum ratio.

ASſertionem noſtram impugnant hæretici prædeſtinatiani ex nonnullis Sacræ Scripturæ textibus, & præſertim ex illo Math. cap. 26. *Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, Inde enim concludunt, Deum non habere voluntatem ſalvandi omnes, & ſingulos homines, ſed ſolum aliquos, ſeu eos, qui ſaluantur, quoniam (inquiunt) Chriſtus à cujus môrte pendet noſtra ſalus, ut docent communiter Theologi, mortuus eſt pro illis dumtaxat, juxta illam authoritatem, nam dicendo, Chriſtum ſanguinem ſuum fudiſſe pro multis, aliquos excludit pro quibus non effudit illum. ratio autem hujus excluſionis eſt quia Deus non habuit voluntatem ſalvandi eos.

Altera eorumdem ratio.

Idem probant ex illo Joan. 7. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*, quô conſtat, Chriſtum non oraſſe pro omnibus, & Patrem non dediſſe ei omnes, & ſingulos homines, ſed solum eos pro quibus voluit eum moriturum, ſeu eos, qui ſalvaturi erant, aut quos Deus volebat ſalvos fieri. Hinc eſt quod Chriſtus, Joan. 10. loquens de illis, quos pater dedit eis ſalvandos Sanguine ſuo, ait: *Nemo rapiet oves meas de manu mea*, ut ſignificaret, Diabolum nullam partem habere in homines pro quibus mortuus eſt Chriſtus; ſed hoc nonobſtante, adverſarius noſter Diabolus plures animas rapiet, non de manu Chriſti, ut ipſemet declarat: Igitur plures ſunt pro quibus Chriſtus mori noluit, ſcilicet animæ illæ, quas Deus noluit ſalvare; cum Chriſtus voluerit mori pro illis hominibus, quos voluit ſalvare pater. venit enim non ut faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem Patris, qui dedit illis ſalvandos dumtaxat, ſeu illos, qui ſalvi erunt, alios autem non dederit illi, ut evidenter probat hæc particula, *ſed pro his quos dediſti mihi*.

Huic authoritati reſpondetur, Chriſtum Joan. 26. *per multos*, ſignificare, *omnes*, ac ſi dixiſſet; *Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro omnibus effundetur*. Nec poteſt hæc interpretatio impugnari ab hæreticis prædeſtinatianis, nec ab aliis, niſi velint impugnare Scripturam. nam dum Apoſt. ad Rom. cap. 5. ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ità per unius obedientiam, juſti conſtituuntur multi*. Sumit particulam, *multi* pro particula omnes; & per *multos* ſignificat *omnes, & ſingulos homines*; Alioquin ſequeretur, non omnes, ſed aliquos tantum peccaſſe in Adam. Quòd eſt abſurdum apud ipſos prædeſtinatianos contra Pelagianos, & falſum, ut ex eodem Apoſtolo conſtat.

Solvitur prima ratio

Deinde dum Sacra Scriptura loquitur de prædeſtinatis, non utitur hoc termino, *multi*, ſed iſto, *Pauci*. ait enim Math. cap. 20. verſ. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, ubi, *multi*, idem eſt ac *omnes*. cùm omnes vocati fuerint ad fidem à Chriſto Domino dicente, Math. 11. verſ. 28. *Venite ad me omnes*. & pauci ad eum acceſſerint, ſeu fidem habuerint. Item ex illo luc. 12. *Nolite timere puſillus grex quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. Quò ſuadetur, prædeſtinatos non exprimi, hoc nomine, *multi*, quoniam pauci ſunt. Illi autem qui comprehenduntur hoc nomine, *multi*, ſunt reprobi, cum nullus ſit homo, qui non ſit prædeſtinatus, vel reprobus, & multi fuerint vocati, pauci vero electi. Mortuus eſt ergo Chriſtus, & ſanguinem ſuum fudit pro omnibus & ſingulis hominibus, ſic ordinante Deo Patre, ut per ipſam Chriſti mortem à Deo impetratam, ſalvarentur omnes, & ſinguli homines.

Solvitur altera ratio.

Ad ſecundam authoritatem, quæ eſt D. Joannis, dico, Chriſtum his verbis: *Non pro mundo rogo, &c.* non declarare ſe non oraſſe pro omnibus, & ſingulis hominibus ſivè injuſtis, cum oraverit pro Judæis, ſed ſolum oraſſe diverſo modo. Oravit enim pro juſtis, & pro prædeſtinatis oratione abſoluta, & procedente ex voluntate conſequente; quæ præſupponit prævisionem meritorum, aut receptionem beneficii paſſionis. Hinc eſt quod ait: *nemo rapiet oves meas de manu mea*. & oravit pro reprobis oratione procedēte ex voluntate generali moriendi pro omnibus, inſtituendi ſe redemptorem omnium, ut eſſet judex omnium: Habemus enim advocatum apud Patrem ſive juſti, ſive peccatores ſimus. Advocati autem munus, eſt orare & intercedere, & ideò Chriſtus in cœlo orat pro omnibus, & pro omnibus oravit in cruce, quoniam eſt advocatus omnium.

D. Thomas.

Reverà hæc oratio eſt diverſa, at hæc diverſitas, non eſt ex parte orantis, ſed ex parte eorum pro quibus orat, ſcilicet ex parte effectûs. Plures ſunt, qui orationis effectum, aut beneficium non aſſequuntur ex defectu cooperationis, & malæ voluntatis; quà in delictis perſiſtant, at oratio eſt pro illis ſicut pro aliis, qui ſalvari volunt, licet pro illis non habeat effectum, quem habet pro iſtis, ut docet Sanctus Thomas in cap. 17. Joannis, dicens: *Chriſtus quantum eſt de ſe pro omnibus oravit. Quia oratio ſua; quantum eſt de ſe: efficax eſt, ut valeat toti mundo; ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis & electis Dei. Et hoc propter impedimentum mundanorum.* Dum Chriſtus dicit Joan. 12. verſ. 32. *Si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipſum.* Promiſit trahere ad ſe omnes homines, tamen hæc promiſſio non habuit erga omnes effectum ſuum, ſolà culpà, aut demeritó trahendorum. Similiter oravit Chriſtus pro omnibus; tamen omnes non habent id, quod petiit pro illis, nimirum vitam æternam, quoniam plures ſunt, qui noluerunt, aut non meruerunt habere illam, & ideo dicere potuit quòd non oravit pro illis, non abſolutè, ita ut non oraverit, ſed modificativè, id eſt quòd non oravit fructuosè; cùm multi fuerint vocati, pauci verò electi. Hoc textu conſtat, Deum velle ſalvare alios præter eos, qui ſalvantur, nam omnes vocati non ſalvantur, cum non ſint electi, tamen Deus vult ſalvare eos, quos vocat: Ergo vult ſalvare eos, qui non ſalvantur, ac proindè vult ſalvare omnes; licet pauci ſint qui ſalventur.

Oratio Chriſti eſt pro omnibus.

Hæretici. Hæc impugnant hac paritate. Si Eccleſia cognoſceret eos, qui damnati ſunt, non oraret pro illis, ne in vanum oraret, ſed Chriſtus cognoſcebat reprobos: Ergo nullo modo oravit pro illis. Quia Deus non habet voluntatem ſalvandi eos Sed alios pro quibus oravit Chriſtus.

D. Chriſ.

Hæc paritas non valet quia Chriſtus venit ut eſſet redemptor omnium, ut dicunt Sancti Patres communiter, venit etiam diſſoluere opera Diaboli & ideo ut munus ſuum impleret, debuit nonobſtante illa reproborum cognitione, velle orare & mori prò omnibus, ut Deus qui miſit illum, dicere poſſet unicuique damnatorum: *Perditio tua ex te eſt.* Unde D. Chryſoſtomus ſerm. de Paſſione Domini ait, *non paſſus eſt autem in tecto, ſed extra portam ejus, nè putaretur pro illa tantum oblatum fuiſſe, ideo foras civitatem, foras muros, ut ſcias Sacrificium eſſe commune, quod totius terra eſt oblatum, & communis*

Digitized by Google

Purificatio, talis tamen non eſſet, ſi eſſent aliqui homines pro quibus non fuiſſet oblata mors Chriſti.

Ut Chriſtus ſit redemptor omnium debuit habere voluntatem ſalvandi omnes.

Ut Chriſtus ſit redemptor omnium non requiritur quod omnes ſint ſalvati, ſed ſufficit quòd voluerit ſalvare omnes, & neceſſario requiritur quòd exhibuerit unde omnes poſſint ſalvari, ſi velint. Hoc de facto fecit Chriſtus, nec in vanum fecit ex parte officii; aut miſſionis ſuæ, cum ſit redemptor omnium, & talis non eſſet ſi pro aliquibus tantum oraſſet, & pro aliquibus tantum mori voluiſſet, nec Deus poſſet dici pater omnium hominum, niſi voluiſſet omnes homines ſalvos fieri, per mortem unigeniti filii ſui, quia patris eſt velle ſalutem filiorum, & nihil omittere ut ſalventur: Hinc eſt quod ait, Iſay. cap. 5. verſ. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit Labruſcas.* Indè enim ſequitur, Deum voluiſſe quòd vinea faceret uvas, ſeu anima faceret opera bona; quæ tum ducant ad Gloriam juxtà illud D. Athanaſii, *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam*, certum eſt, quod Deus voluit ſalutem omnium hominum, & quod Chriſtus voluit mori pro omnibus, ut fuſius dicemus contra Baſſianos.

ARTICULUS XXVIII.

Deffendit contra novos Arianos, Deum dediſſe malis Angelis, unde ſalvari poſſent.

ADverſus hunc fidei articulum, non invenio alios hæreticos, præter novos Arianos, quos Hoſius vocat Trinitarios, ſeu illos de quibus eſt ſermo in articulo Aſſerente, Angelos non eſſe naturaliter malos: ſeu dæmones; quia dicunt Diabolum, ſeu malum Angelum numquam habuiſſe unde ſtaret in gratia, ſeu non peccare poſſet (idem dicunt de Adamo in ſtatu innocentiæ) nec miror de hoc, nimirum hanc hæreſim diſplicuiſſe aliis hæreticis, quoniam humana ratio ſuadet, Deum eſſe miſericordem, Patrem creaturarum; qui dilexit omnia, quæ fecit; & vult neminem perire, ut diximus in articulo præcedenti contrà Prædeſtinatianos,

Adverſus Trinitarios, qui ducibus Joanne Campano, & Michaële Serveto, emerſerunt poſt Tridentinum, nullum celebratum fuit Concilium, quô poſſimus eos impugnare, ideoque ad Sacram Scripturam recurrendum eſt, & ad rationem fidei innixam oraculis.

§. Unicus.

In quo demonſtratur malos Angelos habuiſſe unde ſalvari poſſent & in quo refutantur rationes contrariæ.

ISayas propheta cap. 14. loquendo de Nabuchodonoſor Rege Babilonis, ſecundum ſenſum litteralem, & ſecundum ſenſum myſticum de Lucifero perduellium Angelorum principe, demonſtrat dæmonem, dum erat in via, habuiſſe auxilium ad finem conſequendum neceſſarium, ibi enim ait: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis*, ex quo ſequitur juxtà communem Sanctorum Patrum expoſitionem, omnes Angelos etiam Dæmones aliquando expertes fuiſſe omnis culpæ; & in ſtatu gratiæ ſanctificantis extitiſſe, cùm dicat eos ab ipſa gratia excidiſſe. hæc autem gratia illis data fuit, ut ſanctificarentur; una cum omnibus mediis ad in ipſa Sanctificatione perſeverandum, ſeu ad non peccandum, & ad fælicitatem conſequendam. Gratia enim eſt ſemen Dei, & fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ut docet Scriptura. hoc ſuppoſito.

Quæro à Trinitariis an omnes Angeli gratiis conceſſis benè uſi fuerint, vel non? ſi reſpondeant omnes benè uſos fuiſſe: Ergo nullus Angelus eſt malus, nulluſque eſt in inferno Diabolus, quoniam qui ſequitur Deum, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Hoc tamen; ſeu nullum eſſe Dæmonem aſſerere minimé auſi ſunt; licet impiorem evomerint blaſphemiam; cum Sacro-Sanctam Trinitatem abolere aggreſſi ſint. Si reſpondeant quòd aliqui dumtaxat, Lucifero duce, malè uſi ſint gratiis, cæteri verò benè; hoc ſuppoſito; Iterum ab ipſis quæro; an illi, qui malè gratiis uſi ſunt, poterant bene uti ſicut alii? Si reſpondeant quòd non potuerunt, Deo ſic volente; à veritate plurimum aberrant: quia nullam poſſunt in Deo aſſignare rationem hujus acceptionis perſonarum, quam Scriptura Sacra removet a Deo; qui cum nolit aliquos perire; ſed omnes ad agnitionem veritatis venire, nullum voluit Angelum gratiis ſuis malè uſurum. Proculdubio, Deus, qui dat ordinatè media, vult finem adquem ipſa media conducunt, & per conſequens voluit ſalutem omnibus Angelis quia eſt ordinatè volens, & dedit ipſis Angelis gratias ad ſalutem ordinatas, ut ipſis benè uterentur ſi voluiſſent, ſi reſpondeant quòd potuerunt hujuſmodi gratiis bene uti: Ergo habuerunt undè ſalvari poſſent; quoniam qui ſalvatur; gratiâ; & libero arbitrio cooperante; ſalvatur: Teſte Chriſto Domino ſic alloquente Joan. cap. 15. verſ. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*, quo ſuadetur, omnia cum ipſo fieri poſſe. Hinc eſt quòd Apoſtolus ait: *Omnia poſſum in eo qui me confortat* & ut ne ſibi ſoli attribuat opus; ait enim: *Gratia Dei mecum*.

Dæmon gratiam habuit.

Dæmon; qui ex natura ſua non eſt Dæmon; ſed voluntate ſua; ut cum Sacra Scriptura, & Sanctis patribus, Jam probatum eſt, poterat non peccare, erat enim liber, ut probat D. Baſilius, lib. de Spiritu Sancto cap. 16. ubi de Sanctis Angelis ait: *habentes in eligendo liberum arbitrium; nunquam ab eo, qui verè bonus eſt, conſortio excidentes*, & de malis ait: *Quorum defectio comprobat quod dicimus virtutes eſſe ſui arbitrii inviſibiles.* Indè enim ille Sanctus doctor de merito, & de demerito Angelorum legitimè concludit, eorum liberum arbitrium; quò benè uſi ſunt boni, & quo malé uſi ſunt mali, eſſe id, quo boni ſteterunt in gratia in qua creati fuerant, mali verò ceciderunt: D. Damaſcenus lib. 2. cap. 3. confirmat hanc ipſam veritatem dum ſic Angelum deffinit: *Eſt Angelus natura ſua Intelligens, arbitrii libertate præditus, ac ſententiæ ratione immutabilis.* Qui autem poteſt peccare & non peccare; ut de facto poterat Angelus malus antequam de cœlo cecidiſſet, habet undè poſſit non cadere ſi velit, alioquin caderet neceſſariò, atque impellente Deo, quòd eſt falſum: Deus enim intentator malorum eſt, juſtitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus, nec vult aliquos perire; ergo Angelus malus habuit unde poſſet ſalvari, ſeu gratiam auxiliantem, & liberum arbitrium; tamen cecidit, ſed quia voluit, non vero quia ſtare non potuit, ut voluere Trinitarii,

D. Baſilius

Quapropter D. Hieronymus Epiſt. 146. ad Damaſ. ut hujus catholicæ veritatis majorem nobis præbeat notitiam, ait: *Deus ſolus eſt in quem peccatum non cadit, cætera cum ſint liberi arbitrii juxtà quod & homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt in utramque partem ſuam poſſunt flectere voluntatem.* Ibi enim per hanc particulam, *cætera cum ſint liberi arbitrii*, admittit Angelos tam bonos, quàm malos, vultque malos potuiſſe ſuam flectere voluntatem ad bonum, ſicut boni fecerunt, & per conſequens quòd poterant ſalvari, ſi voluiſſent, ſicut boni, ſalvi ſunt, & ſtant ante thronum Dei. Hinc Doctor ſubtilis in 2. quæſt. 2. ad argumenta circà medium, ait de Angelo malo: *Dico quòd quando peccavit ſecundo peccato, adhuc fuit in via, & per conſequens quando peccavit ſecundo peccato, potuit pænitere, de primo peccato, & ita primum peccatum ex ſe non fuit irremediabile, quia ſi pænituiſſet, inveniſſet gratiam, & miſericordiam, &c.* Igitur ex D. Hieronymo, & Scoto doctore ſubtili ſequitur quòd Dæmon nedum potuit ſe à peccato abſtinere, ſed etiam quòd poſt primum peccatum, poterat pænitere, quòd tamen non potuiſſet, ſi non habuiſſet unde ſalvari poſſet; cum pænitere ſit actus meritorius, ſeu ſupponens auxilium gratiæ, & tendat ad ſalutem, & ad conſequendam veniam de peccato commiſſo.

D. Hieronymus. *Scotus.*

Præterea peccatum malorum Angelorum fuit ſuperbia, ut docent communiter Theologi cum Sanctis patribus: Hæc autem ſuperbia fuit ipſis libera atque voluntaria; cum juxtà ſanctorum Patrum mentem, ſit amor inordinatus propriæ excellentiæ, & amor ſit liber. Undè D. Auguſtinus lib. 15. de civit. Dei ait: *Omnis creatura cum bona ſit, & bene amare poteſt, & male, benè ſcilicet ordine conſtituto, male, ordine perturbato*: Angelus poterat amare, ſed ordine conſtituto, ac proinde non peccare. Idem dico de Adamo de quo novi Ariani dicunt id quod ſentiunt de malis Angelis. Nullus enim poteſt negare deum dixiſſe illi: *Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hocque nè peccaret.

Superbia primum peccatum.

His addi poteſt ratio. Si malus Angelus non habuiſſet undè poſſet ſalvari, non eſſet reus ruinæ ſuæ cecidiſſet enim neceſſario, cum non habuiſſet undè poſſet obtinere ſalutem, & non habere media ad ſalutem, aut non poſſe ea habere, idem ſit ac damnari neceſſariò ac invitè, hoc autem, ut pote neceſſitare voluntatem Angeli, aut hominis in actu malo, Deum dedecet. Credendum eſt igitur quòd malus Angelus, qui ſuberat Deo (antequam caderet) veluti cauſæ primæ operanti ſecundum exigentiam cauſarum ſecundarum, habuit ab ipſo Deo undè ſalvari poſſet, ſi voluiſſet ſicut alii, qui in veritate ſteterunt. Nulla quidem eſt ratio ſuadens, deum dediſſe bonis dumtaxat, media ad ſalutem. Quare D. Proſper lib. 1. de vita comtemplativa cap. 3. ut demonſtret malum Angelum eſſe ſuæ perditionis cauſam, inquit: *Voluntatis ſanctorum Angelorum fuit, quod malis ſponte cadentibus, ipſi in ſua dignitate manſerunt, & divino, juſtoque judicio actum eſt, ut quæ fuit in Deo ſuo permanendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque neceſſitas.* Quibus verbis conſtat, quod mali Angeli ceciderunt, non quia ſtare non potuerunt, ut dicunt Trinitarii, ſeu novi Ariani, ſed quia ſtare noluerunt, aut altius aſcendere voluerunt, ut ſuadet hæc particula, *malis ſponte cadentibus*, quæ declarat, plenam ſpontaneitatem, aut voluntatem fuiſſe in Angelis, qui de cœlo ceciderunt.

D. Proſper.

Rupertus lib. 5. in capite 5. Joannis, confirmat in Angelis poteſtatem perſeverandi in ſanctitate, In qua creati fuerant. Quoniam ibi ait: *Nam & Angelica natura malum potuit facere, & fecit, & quidem Sancti Angeli firmati ſunt, quia malo quidquam à ſe ipſo faciente, id eſt malum faciente, ipſi Deo principi ſuo adhærere maluerunt, in hoc remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non poſſint quia cum poſſent facere, noluerunt. Verum hoc non eſt per natura ipſorum potentiam, ſed per divinæ voluntatis remunerantem gratiam.* Doctor ille comparat naturam angelicam cum humana, ſaltem quoad plenum liberi arbitrii uſum, & potentiam peccandi, & non peccandi. Nam vult utramque poſſe peccare, & de facto peccaſſe: & Dæmones, ac primos parentes in ſtatu innocentiæ habuiſſe unde poſſent non peccare; alioquin Deus, qui punit citrà condignum, & cujus miſericordiæ non eſt numerus, non ejeciſſet Dæmones de cœlo in quo creati fuerant, nec primos parentes de paradiſo terreſtri. Quoniam impotentia quæ omnes excuſat mortales, excuſaſſet eos.

Idem docet D. Gregorius homil. 7. in Ezech. ubi ait: *Natura angelica quando creata eſt, liberum accepit utrum vellet in humilitate perſiſtere & in conſpectu omnipotentis Dei manere: an ad ſuperbiam laberetur & à beatitudine caderet, ſed quia cadentibus aliis, Sancti Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt, hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omninò non poſſent*: hæc ſuadent, Angelos bonos meruiſſe illam impeccabilitatem, qua potiuntur. Malos verò eam demeruiſſe: ac proindè habuiſſe auxilium ſufficiens ad non peccandum

Dicent hæretici quòd ſi Dæmones habuiſſent undè ſalvari poſſent, non cecidiſſent. Quoniam hujuſmodi auxiliis irrevocabiliter, & immobiliter adhæſiſſent, ſubindeque in veritate ſtetiſſent, ſicut boni ſteterunt. Reſpondetur quòd non valet hæc ratio. Nam ſi proprium eſſet Angelis immobiliter adhærere objecto cognito, non eſſent liberi, quia potentia libera poteſt rem cognitam eligere, & non eligere, & poſt factam electionem, nihil eſt quod neceſſitet eam, ut non poſſit electionem factam revocare, & ſententiam mutare; ſed omnes Angeli mali, ſeu Dæmones fuerunt liberi, ut in proprio loco jam probatum eſt: ergo non eſt proprium Angelis immutabiliter adhærere auxiliis ipſis à Deo conceſſis, Ità ut illis naturaliter impoſſibile ſit reſiſtere; nam voluntas angelica non eſt immutabilis, nec ex ſe naturaliter determinata ad unum, ut ſemel electum, non poſſit retractare, & revocare, ut docet Scotus loco citato.

Ratio hæreticorum proponitur & refellitur.

Prætereà dico quòd etiam ſi hoc eſſet, nihil probaret Inſtantia hæreticorum quia Angeli mali poterant irrevocabiliter adhærere auxiliis, quæ irrevocabiliter deſpexerunt, quin ex illa deſpectione liceat concludere, Angelos malos non habuiſſe auxilia neceſſaria ad conſervandam gratiam ſanctificantem, in qua creati fuerant juxtá D. Auguſtinum dicentem quod Deus erat creans naturam, & largiens gratiam.

ARTICULUS

ARTICULUS XXIX.

Declarat contrà Bezanitas, Deum dare cuilibet homini, Angelum cuſtodem.

Calvinus. IOannes Calvinus duos circa Angelos pronunciavit errores in lib. 1. inſtit. cap. 4. Seſſ. 4. primus enim confundit diſtinctionem Angelorum his verbis. *Angelorum diſtinctio eſt pura garrulitas, & ſtulta ſapientia*, & inde tollit Hierarchias, & ordines eorumdem Angelorum contra communem Sanctorum Patrum, & Théologorum ſententiam Scripturæ Sacræ authoritate ſuffultam, quâ conſtat tres eſſe Angelorum Hierarchias, quarum prima comprehendit Seraphinos, Cherubinos, & Thrônos ſecunda. Dominationes, Principatus, & poteſtates. Tertia vero virtutes, Archangelos, & Angelos. Negat inſuper ipſe Calvinus quamlibet Hierarchiam continere tres ordines, ſeu choros, ac proindè conſtat, ipſum Calvinum in hoc erraſſe, cùm ſit certum novem eſſe choros, aut ordines Angelorum, ut fuſius videri poteſt apud Theologos Scholaſticos.

Alter error Calvini adverſus Angelos, eſt, quia (inquit) Deus non deputat Angelos ad cuſtodiam hominum, & ideo negat dari Angelos cuſtodes. Hùnc errorem ſecutus eſt Theodorus Beza, natio-
Beza. ne Burgundus, legumque licentiatus, qui ex impiis Calvini dogmatibus, iſtud ſpecialiter deffendit. Be-
Marloratus zæ adhæſerunt Marloratus, & alii hæretici, qui ſub Calvino ſcripſerunt.

Quantum ad primam hæreſim Calvini, nullam Hierarchiam, & nullum ordinem apud Angelos admittentem, nullum habemus concilium, conſtat tamen ex Sacra Scriptura, ex Sanctis patribus, & ex Theologis, cum Angeli habeant diverſa officia, ex quibus infertur ordinum diverſitas. Quoad ſecundam, quæ negat, Deum deſignaſſe Angelos ad cuſtodiam hominum, damnatur in concilio Florentino Seſſ. 20.

§. I.

Probat quemlibet hominem habere Angelum cuſtodem.

SAcra Scriptura manifeſte declarat, Angelos revera mitti ad hominum cuſtodiam. Nam David Pſal. 33. ait: *Immittet Angelus in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, ſeu ut ex hebræò vertit D. Hieronymus: *Circundat Angelus Domini in gyro timentium eum* vel ut alia verſio habet *caſtra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum*, more quidem principum
Deus cuſtodit homines miniſterio Angelorum qui caſtra ſua juxtà arcem, vel civitatem conſtituunt, & ordinant, ut eam ab hoſtium tueantur incurſibus, ſic etiam Deus miniſterio Angelorum cuſtodit eos, qui timent eum. Unde D. Baſilius eleganter ait. *Conſidera quanta ſit Angelorum natura, quoniam univerſo exercitui, & caſtris numeroſæ hominum multitudini unus aſſimilatur Angelus ob magnitudinem ejus, qui cuſtodit, caſtra ſibi, munitioneſque prebet Deus propter vero Angeli virtutem, veluti circum vallat te undique ſecuritate qua eſt per illam, hoc namque in circuitu ſignificat, ſicut enim muri Civitatis circumducti, omni ex parte abarcent, propulſantque hoſtiles inſultus, ſic & Angelus te præmunit, à fronte, & à tergo te cuſtodit, & nihil utrimque incuſtoditum relinquit.*

Clarius hanc Angelicam cuſtodiam, ac tutelam deſcribit, & aperit idem propheta Pſalm. 90. ubi canit quanto præſidio unumquemque fidelium adverſus omnia genera malorum, ac violentos Dæmonum incurſus, Deus paterno favore inſtruxerit, non ſic quidem, ut nullos ſentiant incurſus, nulliſque incommodis pulſentur, cùm in variis Sacræ Scripturæ locis conſtet, plures viros ſanctos à Dæmone fuiſſe tentatos, ſed ne his penitus obrui poſſint, ibi
enim ait: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Ratio hujus præſervatio- Pſal. 90.
nis à malo, eſt, inquit idem propheta, *quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Quæ verba exponens D. Auguſtinus ait: *Facis Angelos tuos Spiritus propter me, quibus mandaſti ut cuſtodiant me in omnibus viis meis, nè forte offendant ad lapidem pedem meum.* Fateor D. Ambroſiũ exponere hunc Pſalmum de Chriſto, ſed hoc non obſtat, quominus ad omnes homines extendatur, & maximè ad juſtos, ut notat D. Hieronimus ex principio ejuſdem Pſal. ubi legitur. *Qui habitat in adjutorio altiſſimi*, per quæ verba omnes juſti deſignantur.

Eadem veritas aperte colligitur ex cap. 5. Eccleſiaſtes, verſ. 5. ubi unicuique hominum dicitur: *Nè dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo, non eſt providentia, nè forte iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum*, certo indè ſequitur, quemlibet hominem
habere Angelum cuſtodem, qui videt eum, D. Hieron.
eique bona inſpirat unde D. Hieronimus explicans hæc verba ait: *Non enim in ventum dicta tranſeunt, ſed à præſenti Angelo, qui unicuique adhæret comes, ſtatim proferuntur ad dominum.* Certus ſit igitur unuſquiſque, quod propè ſe habet fidelem actionum ſuarum teſtem, & tutorem, qui non ſolum videt omnia, quæ facit, ſed etiam qui eum regit, ut notat Origenes
ſuper lib. num. homil. 71. dicens: *Adeſt unicuique* Origenes.
noſtrum etiam minimis qui ſunt in Eccleſia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis quotidiè videat faciem patris qui in cœlis eſt, & D. Iſidorus lib. de ſummo bono inquit: *Boni Angeli ad miniſterium humanæ ſalutis deputati ſunt, ut cunctis adminiſtrent mundi, & regant omnia juſſu Dei.* & alibi: *ſingulæ gentes præpoſitos Angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur*, & D. Bernardus
in ſerm. Quadrag addit: *credimus Angelos Sanctos* D. Iſidorus
ſtare orantibus, offerre Deo vota, & preces hominum. Hujus rei cauſa eſt. Quia Angeli nos cuſtodiunt in viis noſtris, Hinc eſt quod idem Sanctus doctor ait: *O
quantum debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, afferre* D. Bernardus.
devotionem conferre fiduciam, pro præſentia reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro cuſtodia fiduciam, cautè ergo ambulo, ubi ſunt Angeli ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: Ideo ex ſanctis Patribus, quilibet homo ſive parvulus, ſivè adultus, ſive fidelis, ſive infidelis, ſive prædeſtinatus, ſive reprobus, ſive juſtus, ſive peccator habet Angelum cuſtodem à Deo deputatum, ut manifeſté docet S. Anſelmus in Elucidario
dicens: *Unaquaque anima dum in corpus mittitur, Ange-* D. Anſelmus
lo committitur; Anima autem infunditur in conceptione, eſtque in omni homine vivente, idcircò omnis homo habet ſuum Angelum cuſtodem, ut notat D. Hieronymus exponens Pſal. 90. his verbis: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*,

Conſtat inſuper Apoſtolis deſignatos fuiſſe Angelos cuſtodes: legimus enim in lib. actuum Apoſtolorum, quod Angelos locutus eſt ad Philippum, eumque admonuit, ut in Gazam ad Eunuchum Æthiopem pergeret pro ipſius Eunuchi ſalute. Idem factum fuit in favorem Cornelii à Divo Petro, miniſterio Angeli, pariter & Paulo; ut conſtat ex his
verbis, cap. 27. verſ. 23. & 24. ubi idem Apoſtolus Act. cap. 27.
ait: *Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cujus ſum ego, & cui deſervio, dicens: ne timeas paule, Cæſari te oportet aſſiſtere, & ecce donavit tibi Deus, omnes qui navigant tecum.* Angeli autem illi, qui apparuerunt Apoſtolis erant cuſtodes eorumdem, & propè eos ſtabant, ut patet ex his verbis D. Pauli: *Aſtitit mihi Angelus*

Dei cujus ego ſum. quibus declarat ſe eſſe ſub tutela illius Angeli, idem dico de Angelo Philippi, & de Angelo Petri, nam dum Angelus aliquis non cuſtos apparuit alicui, Scriptura dicit de ipſo quòd deſcendit aut quòd miſſus fuit, ut patet ex variis textibus: at hoc non dicitur de Angelo Petri, nec de Angelo Philippi reſpectu Eunuchi, & Cornelii: igitur iſti erant Angeli cuſtodes, eoſdem Apoſtolos commitantes, & prope ipſos manentes.

Tandem ad convincendos Calviniſtas, Bezanitas, & alios hæreticos negantes, Deum unicuique hominum deputare Angelum cuſtodem ſufficit afferre Evangelium D. Math. cap. 18. verſ. 10. ubi habetur, Chriſtum dixiſſe, *videte nè contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei: qui in cœlis eſt.* Inde enim ſequitur, unumquemque noſtrum ſuum habere Angelum cuſtodem, ait enim *Angeli eorum,* ideſt Puſiliorum, ut doceat ſingulis ſingulos deſignatos eſſe Angelos, non dicit, *Angelus eorum,* nè unicum dumtaxat multis parvulis præeſſe cogitaremus, *nec Angeli ejus,* nè ſub univerſali, & communi tantum cuſtodiâ Angelicâ parvulos eſſe arbitraremur, quippe dum Chriſtus ſic loquitur, idem eſt ac ſi diceret, parvulos non eſſe contemnendos; maxime quia tanti ſunt meriti apud Deum, ut non dedignatus fuerit illis tribuere Angelorum cuſtodiam, unde Sanctus Euthymius eadem verba exponens ait: *Quos ſervant Angeli, hos deſpicere non oportet, & ſi non propter illorum virtutem, ſaltem propter cuſtodes eorum.* Sanctus Hylarius ait: *Periculoſe ille contemnitur, cujus deſideria, & poſtulationes ad Deum Angelorum miniſterio pervehuntur.* Confirmatur ex illo ad Heb. cap. 1. verſ. ult: *Omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Sanctus Euthymius.

§. II.

Impugnat hæreticorum rationes.

RAtio Calviniſtarum, Bezanitarum, & aliorum hæreticorum eſt quia Angelica cuſtodia prorsùs detrahit humanæ libertati. Nam homo ob liberum arbitrium, non poteſt compelli, nec agitari adverſus malum, nec poteſt compelli ad bonum, cum poſſit ad utrumque ſcilicet ad bonum, & ad malum porrigere manum, etiam ſi nullum Angelum cuſtodem habeat: ideo inutile eſt miniſterium Angeli cuſtodis ad vincendas tentationes deinde (inquiunt) Angelus eſt homine ſuperior, & ideo non poteſt cuſtodire hominem, nec ei miniſtrare, quia major eſt qui recumbit, quam qui miniſtrat.

Reſpondeo, argumentum non valere, cum cuſtodia Angelica humanæ libertati minime noceat, quãvis enim homo per liberum arbitrium, auxilio gratiæ roboratum, ſufficeret ad repellendas tentationes, tamen quia non eſt ipſi colluctatio tantum adverſos carnem & ſanguinem, ſed etiam adverſus principes & poteſtates, & contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, frequentiùs ab eis vinceretur, quam vinceret, niſi Sanctorum Angelorum miniſterio pugnaret adverſus Angelos malos, quia eſt debilis, & infirmus, Si Hæretici velint quod homo non ſit debilis, tamen debent fateri quod ipsâ cuſtodiâ ſit fortior unde D. Bernardus in ſermone de Angelis ait: *quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione vero neque dormiat, neque dormis, etſi aliquando ad tempus diſſimulat.*

Ad additum dico, Angelum non minus eſſe ſuperiorem homine licét cuſtodiat illum, quia illud miniſterium quod exercet reſpectu hominis, non eſt miniſterium ſubjectionis, ſed miniſterium præſidentiæ, quo major eſt, qui miniſtrat, quam qui recumbit. Angelus autem cuſtodiendo hominem, miniſtrat ei præſidendo, illum regendu, & docendo ut Pedagogus parvulum, non vero ſerviendo, vel obediendo, ut famulus Domino,

Miniſterium Angeli non eſt ſubjectionis ſed præſidentiæ.

Dicunt tandem hanc cuſtodiam Angelicam eſſe injurioſam Deo, quia ex ſe, & ſecluſo miniſterio cujuſcumque creaturæ poteſt cuſtodire hominem, hinc eſt quod Job. cap. 7. alloquendo Deum, ait: *Quid tibi o cuſtos hominum,* Et David Pſal. 120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael, Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum.* Quibus verbis evidenter conſtat, hos duos ſanctos viros & prophetas ſignificare quod non ſumus ſub cuſtodia creaturarum, ſed ſub ſola cuſtodia Dei ac proinde quod nullus homo habet Angelum cuſtodem.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, ſcilicet Angelicam cuſtodiam nocere divinæ providentiæ. Nam perfectio divinæ cuſtodiæ, non excludit utilitatem Angelicæ, ut notat, doctor noſter Seraphicus D. Bonaventura, diſt. 11. art. 1. quæſt. 2. ad 5. ratio hujus rei eſt: Quia ſicut Deus propter bonitatis ſuæ oſtenſionem, & ordinis ſapientiæ manifeſtationem dedit creaturis virtutem operandi, & effectivè producendi alias; quin tamen hęc operatio noceat divinæ actioni, quâ concurrit cum cauſis ſecundis producentibus, ſic miniſterium quod dedit Angelis ut nos cuſtodiant in viis noſtris, non excludit cuſtodiam divinam, quâ etiam cuſtodimur, nec hæc divina cuſtodia officit Angelicæ imò confert illi perfectionem. Unde dum Job, & David reſpiciunt Deum ut cuſtodem, conſiderant eum, ut cuſtodem primarium, principaliorem, & univerſalem à quo eſt omnis cuſtodia, non vero tamquam cuſtodem ſolum, & unicum, ita ut velint ſignificare, nos nullum alium habere cuſtodem, præter Deum.

D. Bonaventura.

ARTICULUS XXX.

Affirmat contra Calviniſtas, Deum non deſtinaſſe primos parentes ad peccatum.

IOannes Calvinus (de quo locuti ſumus in præcedenti articulo) ſuâ ſolitâ impietate; auſus eſt dicere, Deum occulto judicio prædeſtinaſſe parentes noſtros ad peccandum, ideoque Adamum, & Evam non potuiſſe non peccare. Itâ de Calvino referunt Fridericus Staphilus, Apolog. de Lutheranorũ inter ſe concordia. Santeſius Epiſcopus Ebroicenſis lib. Athæiſmorum Calvini, tract. 5. Prateolus & alii Scriptores celeberrimi. Eumdem errorem amplexus eſt Theodorus Beza natione Burgundus, impietatis Calvini hæres utrumque ſcilicet Calvinum & Bezam ſecuti ſunt quotquot non plures Europæ partes perturbant ſub Huguiſtocorum prodigioſis & infauſtis nominibus hæretici.

Calvinus.

Beza.

§. Unicus.

Articuli veritatem firmat authoritate.

HÆc hæreſis ſpiritu prophetico prævisâ à patribus Concilii Arauſicani ſecundi celebrati ſub Fælice IV. circa annum DXXIX. fuit ab ipſis damnata longè ante adventum Calvini, qui eam pronuntiare auſus eſt. In illo quidem concilio, Pa-

[Fin]c[ſſium] [?] tres dixerunt; *aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illos anathema dicimus*, quibus verbis profertur ſententia contra præſentem hæreſim, quæ eſt Calviniſtarum aſſerentium parentes noſtros non peccaſſe liberè, ſed neceſſario, & Deo ſic decernente. Nullum alium inveni Hæreſiarcham præter Calvinum, Bezam, qui eam tueatur, quamvis ex declaratione hujus concilii ſatis conſtet, eamdem hæreſim, aliquem, in primis ſæculis habuiſſe patronum.

Deum non prædeſtinaſſe Adamum ad peccandum nec eſſe ipſius peccati cauſam, facile infertur ex illo Math. 15. verſ. 19. ubi legitur Chriſtum dixiſſe Phariſæis: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, fornicationes, falſa teſtimonia, hæc ſunt quæ coinquinant hominem*. Inde enim conſtat, peccatum, non ex Deo, ſed ex corde humano, hoc eſt, ex libertate, & voluntare hominis prodire, ac proindè peccatum Adæ, etiam ex ipſo prodiiſſe, cum peccato coinquinatus fuerit, & de corde exeant quæ coinquinant animam. Diabolus appellatur ab *Math. 15.* initio homicida, Joan. 8. quia fuit ille, qui perſuaſione ſua decepit parentes noſtros, eoſque occidit provocando eos ad eſum ligni vetiti, in quo fuit prima hominum trangreſſio, ſeu primum peccatum, idcircò ipſe Diabolus, eſt, qui parentes noſtros provocavit ad peccatum, non vero Deus, qui creavit hominem rectum, & conſtituit eum gratià ſuà hæredem regni cœleſtis.

Peccata ex D. Paulo, ità vocantur opera tenebrarum, ut proficiſſi nequeunt à prædeſtinatione & concilio Dei, qui eſt lux, & in eo nullæ ſunt tenebræ. Hinc eſt quod 2. ad Corinth. cap. 11. verſ. 3. oſtendit ipſis Corinthiis, Diabolum ſolum eſſe cauſam promoventem, & allicientem Protoparentes noſtros ad peccatum, dicens: *Timeo autem ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſuà, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto*. Quibus verbis inſinuat ipſe Apoſtolus, non divinum decretum, nec divinam voluntatem, ſed Dæmonem effeciſſe, ut Adam, & Eva peccarent. Hanc veritatem docet in epiſt. ad Epheſ. cap. 1. ubi declarat, Deum Patrem nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem elegiſſe, ut eſſemus ſancti & immaculati: Ergo falſum eſt quod affirmat Calvinus, utpote Adamum fuiſſe à Deo prædeſtinatum ad peccandum cum ex Sacra Scriptura conſtet, ipſum ad ſanctitatem, & gloriam prædeſtinatum & electum fuiſſe ut eſſet ſanctus, hoc eſt, ut non periret, nec peccaret.

Dæmon provocavit parentes noſtros ad peccatum.

Aliud pro hac veritate tuenda infertur argumentum ex miſericordia, & bonitate Dei. Nam Si Deus hominem eo fine creaſſet, ut peccaret, & ordinaſſet ut laberetur, & periret ſtatim poſt creationem ſuam ut voluit Calvinus, non eſſet ſummé bonus, nec miſericors, ſed malignus, & perverſus, quia potuiſſet, ſed noluiſſet eum relinquere liberum ad non peccandum; ſi vellet, nec illum gratiæ, juſtitiæ, & innocentiæ capacem ad ſuæ bonitatis, juſtitiæ imitationem, & participationem condere, ſed dicere quod Deus non eſt ſummè bonus, & ſummè miſericors, eſt ſummam impietatem proferre, & univerſam Scripturam impugnare, nec non Deum optimum, maximum facere, authorem peccati, ut dictum eſt contra Collutdianos: Igitur nullus citrà impietatem poteſt aſſerere, Adamum occulto Dei judicio prædeſtinatum fuiſſe ad peccandum.

Cæterum Deus, teſte Scriptura, caſtigat, & punit peccatores, & inſurgit aduerſus illos, qui per ſummam ingratitudinem, ei objiciebant negligentiam, & iniquitaté, quod certo non faceret, ſi Protoparentem noſtrum prædeſtinaſſet ad peccandum, quia Adamus peccaſſet, Deo ordinante, nec ipſe Adamus peccaſſet liberè, ſed neceſſario & inevitabiliter, ac proinde inculpabiliter, idcircò non potuiſſet juſtè puniti, nec nos ipſius peccati participes fieri, nam ſi Deus provocaverit, & prædeſtinaverit Adamum ad peccandum, ipſe Adamus non eſt propriè Reus cum non ſit peccatum niſi voluntarium, & liberum nec debemus ub tale, ſeu ipſius Adami peccatum, puniri, quia ſi nulla culpa maculaſſet Adamum (ſaltem culpà voluntarià) nec nos maculare potuiſſet culpa Adæ, ſi Deus eum ad peccatum provocaſſet,

Adamus non peccavit neceſſario.

Hæc omnia confirmantur authoritate Sacræ Scripturæ. Ezech. 18. verſ. 23. ubi legitur, Deum dixiſſe judæis divina judicia quaſi iniqua arguentibus, & ſeſe excuſantibus: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Nonnè ex illis verbis infertur Deum non prædeſtinaſſe primum hominem ad mortem, quomodo enim potuit velle eum tentationi ſuccúbere, decreto ordinare ut peccaret, & nolle mortem ejus? Cum mors impii ſit peccatum. Nulla certò poteſt aſſignari ratio ab ipſo Calvino, nec ab aliis hæreticis: Ergo fateri debent, Adamum peccaſſe liberè: & voluntariè abſque ulla prævia impulſione divina, nam, inquit D. Auguſtinus, lib, de prædeſt, cap. 3. *Homo alligatus morti, non per Dei prædeſtinationem ſed per ſuam offenſionem*. Et paulo poſt explicans quo ſenſu ſapiens ſcribat, Deum non feciſſe mortem, addit: *Ante peccatum vixit anima, vixit caro, non ſub interitus timore, ſed ſub immortalitatis conditione, & dum homo peccavit, anima obiit, hoc eſt, mors, quam Deus non fecit*. Ità loquitur ille ſanctus Doctor, ut indè agnoſcamus, Adamum peccaſſe propria voluntate, & de ipſius peccato nullum fuiſſe in Deo efficax decretum, aut prædeſtinationem neceſſitantem eum ad peccandum, aut ad ſuccumbendum tentationi. Nullus enim negare poteſt, Adamum potuiſſe ſe abſtinere à peccato, & ſervare mandatum Dei prohibens eſum ligni vetiti, alioquin Deus non appoſuiſſet ei ignem, & aquam, vitam, & mortem, bonum, & malum, dicendo illi: *Ad quodcumque volueris porrige manum tuam*, quia ex decreto, aut prædeſtinatione ad peccandum, non potuiſſet porrigere manum ſuam ad bonum: idcircò irriſoriè Deum ſic fuiſſet allocutum, ſed hoc eſt falſum ut ſuadet ratio, quæ nequit ità malè de Deo ſentire.

D. Auguſt.

Ex fine ob quam Deus creavit hominem ſuadetur, ipſum creatum fuiſſe ad præſtantiorem ſtatum, quam ad peccandum. Primo enim conditus eſt homo rationis & intelligentiæ compos, ut Dominum & Creatorem agnoſceret, cognitum, toto corde diligeret, & coleret, ut notat D. Gregorius homil. 24, primum ipſius Adami officium eſt proprium cognoſcere authorem, & ſuſcipere, vitamque id eſt, divinum donum in divinum officium, cultumque conferre, inquit Euchetius Lugdunenſis. Unde D. Auguſtinus ait, quod Adam creatus fuit, ut ſerviret & obediret Deo, ut pudicam, temperantem, & immortalem vitam duceret, ut juſtus, ſanus, inculpabilis, & ſine vitio in terris aliquando degeret, ut eſſet caput, & origo totius ſpeciei humanæ Dominus & poſſeſſor totius univerſi; ut juſtus, ſanctus, & verax cum Deo in ſempiternum habitaret.

D. Gregor.

Eucherius Lugdunenſis.

Sunt aliæ ſimiles fines apud Sáctos Patres, ob quos creatus fuit homo, qui manifeſtè oſtendunt, Adamum non fuiſſe à Deo prædeſtinatum ad lapſum, ad rebellionem, àd contemptum creatoris, ſeu ad interitum, & peccatum ut putant Calviniſtæ. Imo oſtendunt ipſum Adamũ fuiſſe prædeſtinatum ad gloriã, cùm fines ob quos fuit creatus, ſint fines ſanctorũ & dum peccavit, (Diabolo ſuadente) peccaverit, quia voluit, poterat enim ſerpẽti reſiſtere, ſi voluiſſet, nã

De fine ob quem Deus creavit hominem.

nunquam voluit ut peccemus, ut ſceleribus nos ipſos contaminemus, necque ut à tentationibus vincamur; cùm præcipiat reſiſtore Diabolo, nec velit aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Itaque Deus non prædeſtinavit Adamum ad peccandum, ſed ipſe Adam liberè peccavit; alioquin non fuiſſet ſtatim poſt peccatum juſto judicio punitus, ut fuit.

D. Auguſt. Idem docet D. Auguſtinus in tract. de arbore ſcientiæ, & mali, tom. 9. ubi ait: *dixit Deus, ſi guſtaveritis, morte moriemini. Diabolus dixit, non morte moriemini. & ſtetit homo inter Deum ſuum factorem, & Diabolum deceptorem. Deus mortem minatus eſt, ſi arboris fructus tangatur; Diabolus Deos futuros eſſe promittebat, ſi arbor illa violaretur, & appetita eſt dulcedo venenoſa, & contempta eſt ſalubritas perpetua vitæ. Hæc probatio fuit hominis, non deceptio ſalutaris. Nam ſi Deus hominem non amaſſet, nec & feciſſet, nec & ante præmoneret, ſi [illegible] voluiſſet: quis hominum, fratres mei, [illegible], aut fabricam ſuam ruina tradere, [illegible] quem genuit, in foveam mortis impingere? [illegible] iſta crudelitas non eſt, nec in Deo [illegible], qui fabricam ſuam, id eſt hominem bene [illegible], & imminenti ejus ruina deſtinatam præ[illegible]dicit, ne caderet, ſed ſtare non potuit, quare [illegible] Deum noluit: quid ergo imputamus Deo, ſi [illegible] cecidit, qui ut caderet Dei præceptum contempſit?*

Contrà hanc veritatem, quæ docet, Deum non prædeſtinaſſe primos parentes ad peccandum, nullam inveni apud Calviniſtas rationem, quam hic impugnare valeamus. Moneo tamen quod ſi eſſet aliquod argumentum contra hanc articulum, poſſet facile diſſolui rationibus quibus contrà Baldeſanitas deffenditur liberum arbitrium hominis, in lib. 2.

ARTICULUS XXXI.

Annunciat Judæis, adventum Meſſiæ promiſſi.

INter eos, qui adorandum divinæ Incarnationis myſterium impugnant, primò occurrunt Gentiles, atque judæi. Iſti Filium Dei nondum veniſſe ſed expectandum eſſe proclamant, & de facto adhuc illum, ſeu Meſſiam tot divinis promiſſionibus deſtinatum, tot expectitum votis, tot oraculis, in veteri teſtamento celebratum expectant, ſed vana eſt eorum ſpes, quia verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis. Gentiles autem nec veniſſe, nec expectandum eſſe arbitrantur, ut monet Paulus, ad Corinth. cap. 2. verſ. 23. Dicens. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Reverà omnes fatentur quod Gentiles, & judæi, non ſunt propriæ hæretici, nec dicendi, aut cenſendi ſunt abſolutè tales, nihilominus Judæorum infidelitas, & contumacia juxta D. Thomam 22. quæſt. 1. dici poteſt aliquo modo hæreſis, in eo ſcilicet quod Chriſtianæ fidei in figura ſuſceptæ, omnino renitatur.

Gentiles.

Judæi. Ideo poſſumus cum D. Auguſtino, Divo Thoma, & aliis Sacris Scriptoribus, in hoc opere, abſque ullo ſcrupulo, inter hæreticos reponere judæos, Paganos, & Gentiles, qui in variis partibus mundi exiſtunt, quamvis non defecerint à fide Evangelica, cujus nondum fuere radiati lumine, obſtante ipſorũ mala voluntate; cum in omnem terram exierit ſonus Apoſtolorum. Unde hic de adventu Meſſiæ, ſeu de Incarnatione Filii Dei, judæos Meſſiam expectantes convincere debemus, non authoritate conciliorum Eccleſiæ Romanæ, quæ omnia Chriſtum jam veniſſe ſanciunt, quippe ipſi judæi deffinitionibus Eccleſiæ minimè credant, pariter nec Symbolis fidei, ſed convincendi ſunt authoritate non novi, ſed veteris teſtamenti, & vaticiniis Prophetarum; cum novum penitus rejiciant, & nolint audire Apoſtolos nec Evangeliſtas, quamvis teſtentur, quod viderunt, ſed ſolùm Prophetas, qui de adventu Meſſiæ locuti ſunt, adhibitis quibuſdam circumſtantiis, aut conditionibus, quæ cum jam adimpletæ fuerint, nullus eſt de adventu Chriſti ambigendi locus.

§. I.

Jacob vaticiniô probatur adventus Meſſiæ.

MEſſiam divinitus promiſſum jam veniſſe aperte colligitur contra judæos, ex vaticinio Patriarchæ Jacob, Geneſ. cap. 49. verſ. 10. qui cum morti proximus, paternam benedictionem Filiis ſuis impenderet, & divino afflatus ſpiritu quid peculiariter uniuſcujuſcumque poſteris, Deus præſtiturus erat, denunciaret, ſpiritu prophetico dixit judæ, adventum Meſſiæ prædicens: *non auferetur ſceptrum de juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*: id eſt ut notat Syrus cap. 1. *Non deficiet ſceptrum de juda, & expoſitor de inter pedes ejus, donec veniat is cujus illud eſt & ipſum expectabunt gentes.* Hoc autem vaticinium (quod prædictionem Meſſiæ continet, ut fatentur omnes Sancti Patres) clarè indicat adventum Chriſti, ſeu Filii Dei, qui mittendus erat, jam veniſſe; cum illa regia, & legiſlativa poteſtas (quæ juxtà Jacob prædictionem non debuerat prius deficere ex tribu juda, quam Meſſias pronunciatus, adveniſſet) ab annis MDCCVII. penitus defecerit; quippè jam pridem nulli reges, nullique legiſlatores extant, qui vel ex Juda, vel ex alia Iſraelitica tribu, judæis imperent, quinimo omnes ad unum apud exteras nationes ſub dura ſervitute detinentur, ideoque cum juxtà fidem, & ſpem judæorum, tam veterum, quam recentiorum vaticinii veritatem probet evẽtus, neceſſe eſt dicere quod venit Meſſias, qui dicitur Chriſtus. nam ſi Deus fulgentiſſimam facem è Turri oſtentans, dixiſſet, eam non extinguendã donec veniret Meſſias, certum eſt quòd, qui illam extinctam videret, protinus rectè colligeret, Meſſiam jam veniſſe: ergo cum fulgor ille ſceptri judaici pridem ſit extinctus, & evidenter conſtet, nullum Judæum eſſe regem, vel ducem, aut principatum tenentem in terra, neceſſè eſt credere, Meſſiam jam veniſſe.

Explicatur prophetia Jacob de adventu Meſſiæ.

Videmus omnia ſupradictæ prophêtiæ ſigna eſſe adimpleta, ut obſervat Origenes lib. 5. judæorum vanitatem redarguens, & de Chriſto ſic loquens: *Quid vero inde dicendum eſt quod propheta de ipſo ante prædixerant, non ceſſaturos principes ex juda, neque duces de femoribus ejus, uſquequo veniat ille, cui repoſitum eſt regnum ſcilicet, & uſquequo veniat expectatio gentium: manifeſtiſſimè enim ex ipſa hiſtoria apparet ex his, quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Chriſti ultrà reges apud judæos non extiterunt, ſed & illa omnes ambitiones judaicæ in quibus ſeſe jactabant quam plurimi, & in quibus exultabant, vel de templi decore, vel de altaris inſignibus, atque omnibus illis ſacerdotalibus infulis, indumentiſque Pontificum, ſimul deſtructa ſunt, completa eſt enim prophetia, quæ dixerat.* Oſeæ 3. per dies multos ſedebunt Filii Iſrael ſine Rege, ſine principe, non erit hoſtia, nec altare, nec ſacerdotium nec reſponſa, *His ergo teſtimoniis utimur adverſus eos, qui videntur aſſerere de his, quæ in*

Origenes

Beneſi à Jacob dicta ſunt, quod de Juda dictæ ſint, & dictum permanere adhuc principem ex genere juda, iſtum videlicet, qui eſt gentis eorum princeps, quem nominant Patriarcham, nec deficere poſſe de ſemine ejus, qui permaneat ad adventum ejus Chriſti quem ſibi ipſi deſcribunt, ſed ſi verum eſt quod ait propheta, quia dies multos ſedebūt Filij Iſrael ſine principe, nec erit hoſtia, nec altare, nec ſacerdotium; *& utique ex quo ſubverſum eſt templum, nec hoſtia offeruntur, nec altare invenitur, nec ſacerdotium conſtat, & certiſſimum eſt defeciſſe principes ex juda, ſicut ſcriptum eſt, & ducem ex ſæmoribus ejus, uſquequo veniet ille, cui repoſitum eſt; conſtat ergo quia venit ille cui repoſitum eſt, in quo expectatio gentium eſt, quod manifeſté videtur impletum de multitudine eorum; qui per Chriſtum Deo ex diverſis gentibus crediderunt*: per hæc quidem verba notum eſt Judæos nullibi habere plenam, & ſupremam poteſtatem; & prophetiam Patriarchæ Jacob eſſe intelligendam de Jeſu Nazareno, & in ipſius adventu fuiſſe adimpletam:

Judęi & præſertim recentiores negant hoc oraculum Patriarchæ Jacobi continere prædictionem venturi Meſſiæ, dicunt enim quod hæc verba, *non auferetur ſceptrū de juda, &c.* referuntur ad urbem *Silo*, quæ in textu hebręò prophetiæ exprimitur; ut videbimus ex interpretationę Galatini; vel ad Moyſem; vel ad Davidem, vel ad Saülem, vel ad Jeroboamum vel ad Nabuchodonoſorem, & ideo (inquiunt) ex illa prophetia non poteſt inferri adventus Meſſiæ; etiam ſi populus judaicus nullibi habeat poteſtatem regiam; aut ſit ſine ſceptro, & ſine duce.

Reſpondeo quodvis eorum commentorum eſſe abſurdiſſimum, quia hæc verba *donec veniet Silo* (ita enim tradit noſter Galatinus lib. 4. cap. 4. qui textus Patriarchæ Jacob ſic interpretatur: *non recedet ſceptrum de juda, & ſcriba ſive legumlator de medio pedum ejus donec veniat Silo*) non exprimunt urbem aliquam, ſeu illam, quæ eſt in terra Chanaam, quæ dicitur *Silo* de qua fit mentió in lib. Joſuë cap. 21. verſ. 2. neque aliquam aliam, ſed perſonam particularem venturam. Quia hęc verba: *juda te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te Filii Patris tui, catulus leonis juda ad prædam Fili mi aſcendiſti, requiem accubuiſti, ut leo; & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum?* Quæ pręcedunt iſta: *non auferetur ſceptrum, &c.* nec hęc, quæ ſequuntur *& ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem o Fili mi aſinam ſuam* conveniunt alicui urbi, ſed ſolum alicui perſonæ; ut eſt manifeſtum; cum de rę inſenſibili; & inanimata minimè dici, aut verificari poſſint: Ergo nec iſta, *non auferetur ſceptrum de juda, donec veniat Silo*, intelligi poſſunt de urbe illa, quæ dicitur *Silo*; in qua tabernaculum, & arca fęderis erant repoſita, hac reſponſione rejiciuntur etiam aliæ interpretationes de Moyſe, de Davide, de Saüle, de Jeroboamo & de Nabuchodonoſore, quia non conveniunt illis verba, quæ præcedunt, neque ea quę ſequuntur ad iſta *non auferetur ſceptrum, &c:* & nullus horum eſt expectatio gentium, ſicut eſt Filius Dei promiſſus; ab omnibus expectatus, & deſideratus, ut probant antiquorum patrum ſuſpiria, quæ in prophetis videri poſſunt.

Rejicitur Judæorum expoſitio

Deinde Jacob prædixit non ablatum iri ſceptrum de Juda donec veniat Silo, quô ſignificatur, Silo antea non veniſſe, nec dicit non auferetur ſceptrum de Juda donec veniat aliquis, ſive Saül, Sive David aut alter ungendus in Silo, ſed donec veniat ipſe Silo quod non denotat urbem, ſed perſonam ſeu hominem, Moyſe, Davide, & aliis poſteriorem ergo Jacob in illa prophetia, non eſt intelligendus de Davide, nec de Saüle: quem in Urbe *Silo* regem à Samüele credunt conſecratum, non enim in Silo; ſed in Maſpha, & in Galgala unctus eſt Saül à Samuele, bene verò de Jeſu Nazareno, de quo mulier Samaritana dixit: *ſcio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*, quique mulieri reſpondens ait: *ego ſum qui loquor tecum.*

Abſurda eſt pariter expoſitiò, quæ vaticinium Patriarchæ Jacob ad Jeroboamum refert, quaſi in Silo Regem creatum; non enim in Silo, ſed in Sichem, Rex creatus eſt, ut conſtat ex 3. Reg. cap. 12. tandem nec Moyſi, nec Davidi, nec Saüli, nec Jeroboamo convenit Caracter ille, quo Jacob deſignat eum; qui mittendus eſt, *& ipſe erit expectatio gentium*, nullus enim eorum deſideratus fuit à cunctis gentibus, nulluſque dicitur, verbum, lux, aut Agnus Dei; Dominator terræ; venturus ad liberandum nos, nullus eorum ſe dicit talem, ſicut Jeſus Nazarenus, qui ſe dicit Filium Dei, & redemptorem hominum, ut procerto habemus in variis Sacræ Scripturæ locis.

Minus convenit Nabuchodonoſori, qui potius dicendus eſt execratio gentium, quam expectatio, ut conſtat teſtimonio Iſaiæ cap. 14. verſ. 4. & ſequentibus in quibus lector videre poteſt ea, quæ dicuntur de Nabucodonoſore, & indè facile colliget quod Patriarcha Jacob non potuit loqui de eodem, ſed ſolùm de Chriſto Nazareno, qui (quidquid dixerint Ariani) eſt Filius Dei de quo Iſayas cap 9. vaticinatus eſt verſ. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus; admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis, ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & juſtitia, amodo uſque in ſempiternum: Zelus Domini exercituum faciet hoc &c.* quibus conſtat, ſigna illius, qui mittendus eſt & in cujus adventu auferetur ſceptrum de Juda; juxtà prophetiam Jacob, de Jeſu Nazareno dumtaxat verificari poſſe

Iſay. cap. 9.

Alii Judæi reponunt ſceptrum ex tribu juda penitus ablatum fuiſſe diu ante adventum Chriſti Filii Mariæ, ſcilicet tempore Babilonicæ captivitatis, ut conſtat ex cap. ult. lib. 2. Paralip. igitur vel Meſſias expectandus; venit antequam Chriſtus veniret, & perconſequens ipſe Chriſtus non eſt Meſſias, vel ex vaticinio Patriarchæ Jacob non poteſt colligi adventus Filii Dei ſecundum carnem nam tempore captivitatis; ſceptrum non erat in juda; & Deus non erat homo.

Altera Judæorum reſponſio.

Reſpondeo tempore hujus captivitatis, Regiam judęorum poteſtatem non fuiſſe penitus extinctam, nec totaliter ablatam, ut Jacob prædixerat, ſed tantum ſupreſſam, & oppreſſam, nam illo tempore ſeu durante illa captivitate, vigebat adhuc in judicibus, & legiſlatoribus judæorum authoritas condemnandi reos ad mortem, ut conſtat ex hiſtoria Suſannæ Dan. 13. hæc quidem ſceptri; totiuſque judaicæ authoritatis ablatio fieri debebat in adventu Meſſiæ, qui mittendus erat, nimirum Chriſti Filii Dei vivi, qui inclinavit cœlos & deſcendit caligo ſub pedibus ejus, cuique data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: ergo vaticinium Patriarchæ Jacob intelligendum eſt de Chriſto, qui ſedet ſuper ſolium David, & habet poteſtatem in juda; quæ quidem poteſtas, non tempore Babilonicę captivitatis, fuit penitus & in ęternum ablata à Tribu Juda, ſed tempore adventus Chriſti. Nam non ità diù poſt mortem Regis Joachim, Zorobabel ex Tribu judęorum præfecturam obtinuit, & delegatus fuit à Cyro Perſarum

Sceptrum non fuit ablatum de Juda tempore captivitatis Babilonicæ.

Imperatore poſt captam Babiloniam, ut templum Jeruſalem ex integro reſtauraret, ut legitur in 1. lib. Eſdræ cap. 1. Igitur adventus Meſſiæ ſeu illius qui mittendus erat, non fuit tempore captivitatis Babilonicæ, nec in ipſa captivitate Babilonica penitùs ablatum fuit ſceptrum de Juda, neque dux de fæmore ejus, ſed tempore Cæſaris Auguſti, aut poſt elapſas ſeptuaginta hebdomadas Danielis infra explicãdas tunc enim puerpera genuit Filium ſuum quem naſciturum denunciaverat Iſaias cap. 7. dicens *ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, nomen quod convenit dumtaxat Chriſto ut legimus in cap. 1. verſ. 23. Evangelii Sancti Mathæi,

Alii reſpondent, Judæos adhuc tenere imperium, & habere ſceptrum regale in Aſia, & in aliis partibus mundi, habere duces perpetua ſucceſſione ut teſtantur Beniamin Tudelenſis, Poſtelus in hiſtoria orientali, part. 2. cap. 5. & 6. & Joſephus lib. 11. antiquitatum cap. 5. qui refert decem tribus trans Euphratem deportatas in immenſam multitudinem ſua ætate excreviſſe; eaſque habere regem; qui dicitur rex Judæorum. Idem teſtatur Oroſius lib. 2. cap. 7. Igitur prophetia patriarchæ Jacob non fuit verificata in adventu Chriſti Filii Mariæ, & ideo non eſt intelligenda de eodem, ſeu de Jeſu Nazareno, ſed de Meſſia, qui nondum venit, quoniam ſceptrum eſt adhuc apud Judæos.

Reſpondeo hæc teſtimonia merè eſſe Judæorum figmenta, omninò rejicienda, nam frequentes, longinquæ, ac celebres illuſtrium viatorum peregrinationes, quibus accurata ſatis terræ habitabilis notitia hac ætate percepta eſt, Judæorum mendacium prorsùs refellunt. Populus quidem Judaicus nullibi habet jus gladii, nullibi imperium, quod ſupremæ poteſtatis inſigne eſt. Quantum ad teſtimonium authorum citatorum, reſpondeo cum Natali Alexandro, & aliis celeberrimis ſcriptoribus recentibus, nihil præter auditum habere de his, quæ narrant, ac proinde nullam ipſis eſſe adhibendam fidem, nam ſi talia regna extarent, quibus ſoli imperarent Judæi, quomodo hæc Chriſtianorum, Turcarum, aut Perſarum, nullus aliquando detexiſſet, hoc ipſo præſertim tempore quo remotiſſimæ, & hominibus prius ignotæ nationes Americanæ & inſulares compertæ ſunt, & deprehenſæ? nulla ſane de hac ignorantia poteſt aſſignari ratio, niſi quia Beniamin gratis, & volontariè ſic dixit.

Judæi nullum imperium tenent.

Prophetiam, patriarchæ Jacob alia via infirmant alii qui ut ſuadeant, ipſam non eſſe intelligendam de adventu illius, qui mittendus eſt, ſeu de adventu Meſſiæ, dicunt quòd ſceptrum ablatum fuit de Juda, diù ante adventum Chriſti, & translatum ad Machabęos, qui regnarunt annis CLXV. at Machabæi cùm eſſent ſacerdotes, non erant prognati ex Juda, ſed ex Levi; igitur regia poteſtas jam diu ante adventum Chriſti defecerat à ſtirpe Judæ, ac proindè prophetia, vel falſa eſt, vel non eſt intelligenda de Chriſto Filio Mariæ. Primum non poteſt dici, benè vero ſecundum: idcircò ex hac prophetia nequit colligi, Meſſiam jam veniſſe.

Reſpondeo cum D. Hieronymo in cap. 1. Sophoniæ prophetæ, quem ſequuntur Lyranus Abulenſis, Baronius, & plures alii poſt Genebardum lib. 2. Chronologiæ, Machabæos fuiſſe ex tribu Juda ſecundum lineam maternam, ſcilicet progenitos ex Juda, ex parte Matris; licet ex parte Patris eſſent ex Levi, & ideo ſceptrum remanſit in tribu Juda uſque ad adventum Meſſiæ, qui mittendus erat, & quamvis in veteri lege, nullus poſſet jungi matrimonio niſi contribulibus ſuis, tamen tribus Judæ, & tribus Levi propter nobilitatem, mutua poterant inire connubia, ut teſtatur Philo Judæus lib. 2. de Monarchia, idque colligitur ex Sacra Scriptura exod. 6. ubi legitur, Aaronem primum ſummum Pontificem duxiſſe in matrimonium Eliſabetham Filiam Aminadab principis tribus Judæ, unde ex hac ſolutione conſtat, quòd à tempore Davidis uſque ad Herodem Aſcalonitam (qui poſt Machabæos ſceptrum tenuit, & accepit à Romanis, ut tributis præeſſet, & Romano pareret imperio) uſque ad adventum Chriſti fuerunt Reges, vel duces ex tribu Juda ſecundum Patrem, vel ſecundum matrem. Herodes erat Judæus, ut evidenter probat noſter Fraſſenius tom 3. tract. 1. diſp. 2. num: 23. conſtat pariter quòd ab adventu Chriſti defecit hæc poteſtas à Tribu Juda quoad utramque lineam; ſcilicet tam paternam quam maternam: quod ſufficit ad ſalvandam prædictam prophetiam patriarchæ Jacob, *non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fæmore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Reſponſio D. Hieronymi ad Judæos.

Dicent hæc verba; *donec veniat qui mittendus eſt*; non ſignificant; ſceptrum à Tribu Juda eſſe auferendum ſtatim ac venerit Meſſias; ſed potius ſignificant poſt adventum Meſſiæ; nuſquam deinceps ſceptrum Judæ auferendum, nam hæc dictiò: *donec* non denotat ſemper finem; aut ceſſationem rei de; qua dicitur; ſed ſæpe ejus continuationem, ut conſtat ex lib. Geneſ. cap. 8. ubi de Coruo dicitur: *Non revertebatur donec ſiccarentur aquæ diluvii ſuper terram*; quin tamen per hæc verba, ſignificetur Coruum eſſe reverſum poſtquam ſiccatæ ſunt aquæ: Idem aſſeritur de Jobo cap. 27. ubi ait. *donec deficiam; non recedam ab innocentia mea*, quò Job non ſignificat ſe ab innocentia ſua receſſurum cum defecerit, imo ſe nuſquam ab ea receſſurum. Item ſcribit Mathæus cap. 1. verſ. 25. de Joſepho & Maria ubi ait de Joſepho: *non cognoſcebat eam donec peperit Filium ſuum primogenitum*, Itaque hæc vox, *donec*, in prophetia Patriarchæ Jacob, non ſignificat ſceptrum a Juda eſſe auferendum donec venerit Meſſias, ſed nuſquam ablatum iri, & ideo ex illa prophetia, non poteſt directè inferri adventus Meſſiæ, ſed potius ſceptrum permanſurum eſſe in tribu Juda, etiam poſt adventum ejus, qui mittendus eſt ideoque hoc vaticinium nihil probat.

Altera Judæorum explicatio proponitur, & rejicitur.

Reſpondeo, hanc vocem, *donec*, in prophetia contentam deſignare finem Judaici Imperii, huncque accidere eo tempore, quo venturus erat Meſſias, licet in locis præcitatis ab adverſariis, & in pluribus aliis, denotet continuationem. nam apud Priſcos Judæos vox, *donec* in vulgari ſignificatione intelligebatur quatenus ſcilicet importabat ceſſatiunem rei, de qua erat ſermo. Ratio eſt quia ſic pronunciata fuerat à Deo Geneſ. 3. verſ. 19. dicente Adamo. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo donec revertaris in terram de qua ſumptus es*, etenim in hac ſententia à conditore pronunciata, particula, *donec*, non denotat continuationem, ità ut homo teneatur veſci in ſudore vultus ſui cum reverſus fuerit in terram, de qua ſumptus eſt, quoniam homo in terram reverſus, non eget alimentis, ac proinde non tenetur ad laborem, ut habeat undè vivat, hæc quidem obligatio, aut ut melius dicam, hæc punitio, eſt tantum ad vitam; ſed denotat finem, & ceſſationem ſic veſcendi aut denotat quód labor, ſeu obligatio veſcendi in ſudore vultus, quam Deus impoſuit homini, durabit uſque ad mortem tantum.

Idem affirmatur de eadem particula, *donec* Levitici cap. 12. verſ. 4. ubi de muliere quæ ſuſcepto ſemine peperit maſculum dicitur: *ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne* *Levit. cap.*
ſanctum non tanget, nec ingreditur in Sanctuarium, donec 12

impleantur dies purificationis ſuæ Ibi enim particula *donec*, non denotat continuationem hujus ſtatus, ſeu continuam privationem ingrediendi in ſanctuarium, imo evidenter ſignificat ceſſationem ejuſdem privationis, ſeu licentiam ingrediendi in Sanctuarium; & tangendi Sanctum huic mulieri conceſſam, impletis diebus purificationis ſuæ: igitur in prophetia Jacob. hæc particula, *donec* non poteſt ità intelligi, ut poſt adventum Meſſiæ, ſceptrum in tribu Juda ſit permanſurum, ſed potius ablaturum ab ipſa; cum ibi, *Donec*, denotet terminum durationis regiæ poteſtatis in tribu Juda, tunc vigentis, hicque terminus ſit adventus Meſſiæ qui mittendus erat, quem jam veniſſe credere debent Judæi, quia nullus ipſorum eſt Rex, princeps, vel Dux, ut prædixerat Jacob, morti proximus venturi Meſſiæ ſignum ſpiritu prophetico pronuncians.

Judæi verò hoc negant; & aliter explicant prophetiam; dicunt enim, hoc nomen, *ſceptrum*, ſeu *Virgam*, in vaticinio expreſſum; non ſignificare ſceptrum, ſeu ſummum Imperium in tribu Juda uſque ad adventum Meſſiæ permanſurum, ſed ſignificare virgam doloris, & tribulationis ibi uſque ad tempus illud permanſuram; ita ut prophetiæ ſenſus ſit; *non auferetur*, aut; *non recedet virga doloris & tribulationis à juda, donec veniat qui mittendus eſt* Judæorum ratio eſt quia vox hebræa; *ſcebet* aut *Scevetb*, quam latinus interpres vertit, *ſceptrum*, non ſignificat propriè ſceptrum, ſed virgam; non quidem principatus; & dominationis, ſed calamitatis, miſeriæ & anguſtiæ, atqui Judæi uſque modo ubique gentium dura ſervitute præmuntur, & ſub tribulationis virga gemunt: Ergo nondum adimpleta eſt prophetia Patriarchæ Jacob, id eſt, Meſſias nondum venit; cùm calamitas Judæorum ſit ex illo vaticinio, *non auferetur ſceptrum* finem habitura cum Chriſtus advenerit.

Per ſceptrū non debet intelligi virga doloris.

Reſpondeo hoc vocabulum, *Scevetb*; ſolitariè ſumptum ſignificare dominationem generatim, tam æquam ac legitimam; quàm Tyrannicam, ut fatentur omnes Hebræi, qui ſuæ linguæ dictionaria ediderunt, ſicut vivens ſentiens ſignificat animal, porrò ut ſignificet dominationem tyrannicam, neceſſe eſt quòd adjungatur alicui differentiæ, quæ eam determinet ad ſignificandam paternam directionem; vel ad pænam denotandam; ut conſtat ex Pſal. 2. *reges eos in virga ferrea*, & Pſalm. 44. *virga directionis virga regni tui*; in primo; virga ſignificat dolorem; & tribulationem, non quia eſt virga, ſed quia habet hanc differentiam, quâ eſt, *Ferrea*, alià autem eſt virga amoris; quia eſt directionis, & regis regimi; nempe Dei, qui diſponit omnia ſuaviter; idcircò hæc virga quæ exprimitur in prophetia Patriarchæ Jacob, non eſt virga doloris, & tribulationis; ſed principatus; & dominationis, quoniam eſt virga Ducis; ait enim *non auferetur virga & dux*. hæc autem virga ducis, non eſt tyrannica, nec ferrea; ſed virga principatus; & dominationis, quâ ſuaviter regebatur Iſrael: quilibet enim Rex, aut Dux potius bonus; quam malus, eſt præſumendus. Præterea Filii Jacob non erant captivi, nec oppreſſi, ſed dominabantur; ideoque ipſorum Pater loqui non potuit de virga tribulationis, aut perſecutionis, ſed ſolum de virga authoritatis, & juriſdictionis, quam tribus Juda tunc habebat ſuper populum.

Judæi poſt mortem Jacob plures habuerunt reges.

Tandem ſi Prophetia Jacob intelligenda eſſet, ut volunt Judæi, ſcilicet de virga tribulationis, Ità ut hæc tribulatio non potuerit deficere, nec recedere à populo Iſraëlitico; niſi in adventu Meſſiæ, qui erat redempturus Iſraël per mortem, & paſſionem ſuam, fateri tenentur, Meſſiam illum, jam pridem veniſſe. Hujus confeſſionis argumentum eſt quia Judæi diutiſſimo tempore; maximè à Davide uſque ad Sedeciam, annorum ferè quingentorum ſpatio, regiam poteſtatem habuerunt; & toto illo tempore, à captivitate ſoluti fuerunt; tribulationis virgam excuſſerunt, & poſt Sedeciam, Duces & Reges ex propria gente habuerunt; uſque ad Herodem; adeoque falſum eſt, quòd ad hæc uſque tempora iniquum externorum principum paſſi ſint dominatum; ſed Judæi nolunt fateri, Chriſtum jam veniſſe, ſcilicet eo tempore, quo erant pacifici, & vera pace fruebantur poſt mortem patriarchæ Jacob, igitur ipſe patriarcha Jacob Non eſt intelligendus de virga tribulationis; & miſeriæ; cum diu ante adventum Jeſus Nazareni ablata fuerit à populo judaico, qui ante adventum Chriſti Jeſu tribulibus ſuis paruit; & florentiſſimum atque potentiſſimum imperium ſub Davide, & Salomone habuit poſt mortem patriarchæ Jacob, qui neceſſario intelligendus eſt de ſceptro, aut de virga imperii & dominationis, quæ remanſit in tribu Juda uſque ad adventum Chriſti, ut Filiis ſuis prædixerat ipſe Jacob cùm morti proximus paternam benedictionem impenderet eis.

Nec valet dicere quod illo ipſo tempore; judæi plurimis bellis fuerint divexati, & gravati, ratio eſt. Quia non propterea in captivitatem fuerunt adacti, nec perpetuo; ſub tribulationis virga gementes, maximè pluribus annis ſub florentiſſimo Salomonis regno. audivimus enim 3. Reg. cap. 5. vers. 3. ipſum Salomonem dicentem ad Hiram (Filium Acceſ de Thecua de quo fit mentio 2. Reg. cap. 23. verſ. 26.) *tu ſcis voluntatem David Patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum: donec daret dominus eos ſub veſtigio pedum ejus, nunc autem requiem dedit dominus Deus meus mihi per circuitum; & non eſt ſatan, neque occurſus malus.* Sanè hæc verba probant Judæos non fuiſſe propter bella perpetuo in captivitate detentos, ſed diu ante adventum Meſſiæ habuiſſe pacem, & de propria gente Regem; à quo non vexabantur: Hinc eſt quod dum audio ipſos Judæos negantes Meſſiam jam veniſſe, eumque adhuc expectantes ut redemptorem, neſcio quâ ratione fateri poſſunt, Patriarcham Jacob vaticinatum fuiſſe de virga tribolationis, & miſeriæ Judæorum non verò de virga principatus & poteſtatis, quæ tūc erat apud ipſos ab omni præſſura gentium liberos.

2. reg. cap. 23.

Verum tot inſtantiæ à Chriſtianis validiſſimis reſponſionibus ſolutæ non ſufficiunt ipſis volunt illud vaticinium, *non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* non pertinere ad Chriſtum Nazarenum, & ut hoc oſtendere poſſint, dicunt quód ſi Jacob vaticinatus fuiſſet de ſceptro dominationis, & principatus auferendo de Tribu Juda in adventu Chriſti futuri ipſe Chriſtus; vel Apoſtoli, & Evangeliſtæ ad fidem ſibi conciliandam vaticinium illud adduxiſſent contrà Judæos, & ipſi Judæi credidiſſent, at illud in teſtimonium non protulerunt: ad Meſſiam igitur non pertinere judicarunt: idcirco (inquiunt) Chriſtiani nequeunt ex illo Vaticinio probare adventum Meſſiæ.

Chriſtus, & Apoſtoli mentionem faciunt explicitè de Prophetia Jacob.

Reſpondeo; hoc argumentum eſſe nullum, quoniam Chriſtus non pertulit omnia propherarum vaticinia, quæ ad Meſſiam expectant, nec eorum omnium authoritatem Apoſtoli, aut Evangeliſtæ in ſacris libris uſurparunt, Chriſto enim ſuffecit Judæos remittere ad Moyſem, & Prophetas, quorum vaticinia, quæ ad ipſum pertinent, legeban-

tur in Sinagogis. Unde Luc. 16. verſ. 28. Pater Abraham dixit diviti in inferno exiſtenti, & fratres ſuos admonere deſideranti. *Habent Moyſes & prophetas audiant illos.* & Joan. 5. verſ. 39. *ſcrutamini Scripturas quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*, & alibi: *nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis: ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit*: ideo licet Chriſtus, nec Apoſtoli nec Evangeliſtæ protulerint expreſsè, & explicitè vaticinium illud, *non auferetur ſceptrum de Juda, &c.* Patriarchæ Jacob ad fidem conciliandam, protulerunt tamen illud implicitè. Quod ſufficit ut prædictum vaticinium ſit verè de Meſſia venturo & de poteſtate virgæ regiæ quæ ablata fuit in adventu Jeſu Nazareni.

Denique Judæi proponunt aliud argumentum contra Chriſtianos, ex vaticinio Jacob inferentes, Meſſiam jam veniſſe. nam, inquiunt, Chriſti adventus fuit promiſſus ſub conditione ponenda, nempè facta fuit ex hypoteſi, quod Davidis poſteri, ex quibus naſciturus eſt Meſſias, juxtà illud Lucæ 1. *Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Deus ſedem David Patris ejus*, eſſent cultores divinæ legis, ut ipſemet David indicat Pſal 131.

Pſal. 131. verſ. 11. & 12. dicens. *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia tua, quæ docebo eos, & filii eorum uſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*: ſed hæc conditio, à qua neceſſario, pendet adventus Meſſiæ, non fuit poſita, nam Filii Davidis ad ſæculum uſque legem divinam non ſervaverunt, teſte Scriptura Sacra: Eccl. 49. verſ. 5. dicente: *Præter David & Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt, nam relinquerunt legem altiſſimi Reges Juda, & contempſerunt timorem Dei, dederunt enim regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienigenæ genti, incenderunt electam ſanctitatis civitatem, & deſertas fecerunt vias ipſius in manu Jeremiæ.* igitur nondum venit Chriſtus, licet fuerit promiſſus juxtà propheriam patriarchæ Jacob, aliorumque Prophetarum, quos Chriſtiani citant contrà Judæos, ut probent Meſſiam jam veniſſe, huncque eſſe Jeſum Nazarenum Filium Mariæ Virginis, quia non poteſt inferri promiſſionis impletio, quæ facta fuit ſub conditione ponenda, niſi ponatur conditio quæ revera non fuit poſita, ut conſtat ex variis prophetarum eloquiis.

Reſpondetur quod ex his, ſolum inferre licet, ſceptrum judaicum à familia Davidis debuiſſe (propter peccata Filiorum Davidis) excidere, non autem penitus deficere ex tribus Juda, quoniam ipſum ſceptrum judaicum fuit huic tribui promiſſum abſque ulla conditione, licet authoritas regendi, ſub his conditionibus repromiſſa fuerit familiæ davidicæ, & ab ipſa receſſerit, ex defectu conditionis, ut probant hæc verba ſupra relata: *dederunt regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienigenæ genti*; ideoque argumentum non probat, Meſſiam non veniſſe, nec infirmat vaticinium Jacob.

§. II.

Adducit aliud vaticinium, quod eſt Danielis.

ALiud habemus in Veteri teſtamento Vaticinium, ex quo infertur contrá Judæos: Meſſiam jam veniſſe, & petitur ex illis verbis Archangeli Gabrielis Danielem alloquentis, ac promittentis Meſſiæ ortum jam futurum in tali tempore; hoc eſt, poſt ſeptuaginta hebdommadas computandas à vigeſimo octavo anno regni Artaxerxis ut docet probabilior, & communior opinio. iſtud, autem vaticinium legitur Dan. cap. 9. verſ. 23. & ſequentibus in quibus habetur: *ab exordio precum*

Daniel cap. 9. *tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu ergo animadverte ſermonem, & intellige viſionem, ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum: ſcito ergo, & animadverte. ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt, & civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & Sacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.*

His quidem verbis hoc invincibile conficitur argumentum contrà Judæos Meſſiam expectantes. Chriſtus ille quem venturum Danieli promittit Angelus, poſt ſeptuaginta hebdomadas: eſt verus Meſſias patribus noſtris à Deo promiſſus: ipſe enim eſt Sanctus Sanctorum de quo pater æternus ait: *in ſplendoribus Sanctorum genui te.* Per ipſum etiam delendum eſt peccatum, & prophetiæ adimplendæ, ſunt ut ipſemet teſtatus eſt, Math. 26. verſ. 26. dicens: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur Scriptura prophetarum*; ſed Septuaginta hebdomadæ præfinitæ ab Angelo, revera dudum præterierunt *Septuaginta hebdomadæ.* igitur Meſſias jam venit, major patet, in Chriſto enim verificantur omnia: quæ in prophetia dicuntur de Meſſia venturo, ut jam ſupra monui, minor vero eſt evidens: nam illæ hebdomadæ, vel ſunt dierum, vel annorum, ſi primum, conſtat Meſſiam veniſſe poſt annum & dimidium à tempore, quo facta eſt illa promiſſio, Si ſecundum; ſcil. de hebdomadibus annorum, ſequitur etiam quòd Meſſias jam venit quoniam ab illo tempore, quo editum eſt illud angelicum vaticinium, uſque ad nos, duo annorum millia, & amplius effluxerunt, quando quidem hæ ſeptuaginta hebdomadæ faciunt tantum 490. annos.

Judæi reſpondent, hebdomadas illas non eſſe dierum, nec annorum, ſed eſſe jubileorum, vel olimpiadum, vel ſæculorum, ac proinde earum numerus nundum eſt expletus, & Meſſias eſt adhuc expectandus, nam ſeptuaginta hebdomadæ ſæculorum 49. annorum millia efficiunt, jubileorum vero amplius viginti quatuor millia; olimpiadum verò fere duo millia complectuntur, ab ea autem promiſſione facta Danieli de venturo Meſſia, duo annorum *Falſa Judæorum interpretatio.* millia tantum effluxerunt: igitur Meſſias nondum venit, & merito expectatur, quoniam veniet expletis illis ſeptuaginta hebdomadibus ſæculorum, aut jubileorum.

Reſpondetur, Judæos hæc omnia dicere abſque fundamento, certum enim eſt, Gabrielem hebraicè Danieli hebræo loquentem, hebdomadas ſumpſiſſe in eo ſenſu, in quo ſolebant accipi ab Hebræis, & quo ſumebantur alibi in Scriptura, aliàs periret omnis Prophetiæ certitudo, & ex illa revelatione nihil certi collige-

re potuiſſet ipſe Daniel, cum ei impoſſibile fuiſſet capere ſenſum Angeli, ſi non locutus fuiſſet uſitato more, ſeu lingua vulgari: in Scriptura autem duobus tantum modis ſumi ſolet hebdomada. Primò pro ſpatio ſeptem dierum, ut; Levit. 23. *Numerabais ſeptem hebdomadat plenas uſque ad alteram Diem explesionis hebdomada ſeptima, ideſt quinquaginta dies.* Secundò pro tempote ſeptem annorum, & hoc modo uſurpatur, Leuit. 25. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadat annorum, id eſt ſepties ſeptem, quaſimul faciunt quadraginta novem*: Igitur hebdomadæ Danieli revelatæ, nequeunt aliter accipi, niſi pro ſeptimanis dierum, vel annorum, nàm nec Prophetæ, nec Judæi ſolent per Jubilæos ſupputare, nec per Olimpiades, ſed ſoli Græci, qui hujuſmodi ſupputandi geous invenerunt, nulla enim Jubileorum & olimpiadum ſupputandi methodus in univerſa Scriptura apparet: de diebus & annis pro hebdomadibus componendis dumtaxat fit mentio, quocumque autem ex his modis accipiantur hebdomadæ Danielis, manifeſtum eſt; illas jam pridem elapſas fuiſſe, & impletam Danielis Prophetiam, ſubindeque Meſſiam à multis ſæculis eveniſſe.

Vera hebdomadarum Danielis interpretatio.

Dicunt alii hane revelationem Danieli factam, non eſſe de Meſſia venturo, ſed de temporali liberatione Judæorum, quoniam ipſe Daniel, non adventum Meſſiæ, ſed hanc ipſam Judæorum liberationem, poſtulabat ſibi revelari.

Minùs valet hæc inſtantia, nam ſatis veriſſimile eſt, Danielem nedùm deſideraſſe temporalem populi libertatem, ſed etiam ſpiritualem futuram, per adventum Meſſiæ promiſſi & deſiderati à cunctis gentibus, ut probant hæc verba Angeli dicentis: *Ego autem veni ut docerem te, & indicarem tibi quia vir deſideriorum es.* Quæ apertè denotant, Danielem tunc plus quàm rem unam deſiderare. Ipſe Daniel ſupplicabat Deum, ut impleret vaticinium Jeremiæ cap. 9. quod eſt de utraque libertate, temporali ſcilicet & Spirituali, idem conſtat ex inſcriptione ejuſdem capitis Danielis. 9. quæ eſt in Bibliis noſtris. *Poſt orationem Danielis qua confitetur Judaos propter ſua peccata, & patrum, veniſſe in magnam afflictionem petens Dei miſericordiam ergà populum ſuum, fit ipſi revelatio de 70. hebdomadibus uſque ad unctionem Sancti Sanctorum, & de Chriſti morte, populoque ejus perdendo, & abominatione deſolationis in templo.* Quâ conſtat, Danielem poſtulaſſe confidenter à Deo pro populo miſericordiam, quæ principaliter eſt circà peccata remittenda, & confert libertatem ſpiritualem, quæ deperditur per peccatum, quô homo fit ſervus: igitur nullius momenti eſt inſtantia Judæorum contrà vaticinium Danielis Meſſiæ adventum prædicens in tali tempore, ſcilicet poſt ſeptuaginta hebdomadas, non ſæculorum, non Jubilæorum, nec Olimpiadum, ſed annorum.

Prophesia Danielis eſt verè de Meſſia.

Hunc autem Meſſiam eſſe Jeſum Nazarenum Filium Mariæ, patet. Nam Meſſias ex aliis Vaticiniis Prophetarũ pronunciatur naſciturus ex Virgine, pauper & abjectus, ut patet ex illo Iſayæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam.* Tradetur etiam in mortem pro triginta argenteis: juxtà illud Zachariæ 11. *appenderunt mercedem meam triginta argenteos*; At Chriſtus Jeſus Nazarenus natus eſt ex Maria Virgine ſponſa Joſephi, qui cùm videret eam gravidam, volebat occultè dimittere eam. Eo autem cogitante ecce Angelus apparuit in ſomnis dicens ei: Math. 1. verſ. 10. *Joſeph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, pariet Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*; quibus ſuadetur, Mariam Matrem Chriſti eſſe Virginèm, & Filium ejus eſſe Filium Dei promiſſum nobis, & in Iſaac figuratum.

Videntur pariter in Jeſu Nazareno adimpleta alia vaticinia Prophetarum, quæ prædixerunt vitam, mortem, & reſurrectionem Meſſiæ venturi, at ea hìc referre ſuperfluum mihi videtur; cùm omnibus nota ſint, natus eſt etiam in Bethlehem ut teſtatur ſanctus Lucas cap. 2. juxtà vaticinium Micheæ Prophetæ cap. 5. verſ. 2. natus eſt etiam pauper & abjectus ut tradit Sanctus Lucas cap. 9, verſ. 53. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe. *Vulpes habent foveas, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Unde D. Bernardus ait, quòd Chriſtus fuit pauper in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte fuit etiam abjectus, ut conſtat ex variis textibus novi teſtamenti juxtà prædictionem veteris, aſcendit ſuper aſinam in triumphali ſuo in Jeruſalem ingreſſu, ut conſtat ex Evangelio S. Mathæi 21. verſ. 7. ubi ait; *Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum*, id eſt Jeſum, *deſuper ſedere fecerunt*: igitur Chriſtus, qui venit, & dicitur Jeſus Nazarenus, eſt Meſſias ille, quem Deus promiſerat Patribus noſtris; cùm omnia vaticinia Prophetarum, quibus deſignatur nativitas Meſſiæ, in ipſo Jeſu Nazareno Filio Mariæ completa videantur, pariter ea, quæ illius vitæ ſtatum, miniſterium, mortis genus, reſurrectionem, & in cœlum receptionem prædixerunt, ut videri poteſt in publico Apoſtolorum, atque Evangeliſtarum teſtimonio.

De Jeſu Nazareno verificantur prophetarum vaticinia.

§ III.

Affert vaticinium Aggai.

MEſſiæ adventus probatur etiam ex vaticinio Aggæi Prophetæ, quod habetur in cap. 2. verſ. 6. & ſequentibus: ibi enim legitur Deum dixiſſe: *Verbum quod pepigi vobiſcum cum egrederemini de terra Ægipti, & Spiritus meus erit in medio veſtrum, nolite timere: quia hæc dicit Dominus Deus exercituum, adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum, magna erit gloria domus iſtius noviſſima plusquam prima.* Hoc enim uaticinium apertiſſimè intelligitur de adventu Meſſiæ, qui vocatur deſideratus à cunctis gentibus, ut confirmat, nedum communis omnium interpretum expoſitio, ſed etiam Patriarcha Jacob loco citato, ubi de eodem Meſſia ait: *Et ipſe erit expectatio gentium*, & juxtà ſeptuaginta interpretes, *veniet electa omnium gentium*, verſio Hebraica, *veniet deſiderio omnium gentium*, ſed à tempore Aggæi ad nos, tempus non eſt modicum: nam à prædictione illa, quæ fuit anno ſecundo Darij regis, ut teſtantur omnes, effluxerunt tria millia annorum, quòd tempus, modicum dici non poteſt; quoniam verbum illud *modicum* conſonat cum iſto, *ſtatim veniet ad templum* &c. ut dicitur Malachiæ cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis, ecce veniet, dicit Dominus exercituum*: Igitur Judæi tenentur fateri, Meſſiam nunc veniſſe, & Filium Dei nempè Chriſtum, neminem poſſe expectare, quin contradicat veritati, & vaticinio Prophetarum.

Prædictio Aggai prophetæ.

His omnibus authuritatibus tam veteris, quàm novi teſtamenti probantibus contrà Judæos, Meſſiam jam veniſſe, huncque eſſe Jeſum Nazarenum

Filium Mariæ, optimè convenit addere argumentum D. Auguſtini in oratione contrà Judæos, Paganos, & Arianos, ex lege,& ex Prophetis mirum in modum ſic arguentis: *Vos convenio o Judæi qui uſque in hodiernum diem negatis Filium Dei: nonne vox veſtra illa eſt, quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis, quouſque animas noſtras ſuſpendis? ſi tu es Chriſtus dic nobis palam, ille ad conſiderationem miraculorum vos mittebat, dicens, opera quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me, ut Chriſto teſtimonium dicerent, non verbo, ſed facto. Vos autem non cognoſcentes ſalvatorem, qui ſalutem operabatur in medio terræ veſtræ adjicientes in malo, aiſtis, tu de te ipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum, ſed ad ille quid vobis reſponderit, advertere noluiſtis; nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quod duorum hominum verum ſit teſtimonium? prævaricatores legis intendite legem: teſtimonium quæritis de Chriſto, & in lege veſtra ſcriptum eſt quod duorum hominum teſtimonium verum ſit, procedant de lege veſtra non tantum duo, ſed etiam plures teſtes Chriſti, & convincant auditores, non factores.*

Argumentum D. Auguſtini contrà Judæos ex prophetis deſumptum

Dic Iſaya *teſtimonium Chriſto ecce inquit.* Virgo in utero concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel, *quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* Dic & tu Jeremia. *Teſtimonium Chriſto*, hic eſt, *inquit*, Deus noſter & non æſtimabitur alius abſque illo qui invenit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt: *Ecce duo teſtes idonei ex lege veſtra ex quorum teſtimonio non ſunt compuncta corda veſtra.... Sed alij atque alij in lege Chriſti teſtes introducuntur, ut frontes duriſſimæ inimicorum conterantur, veniat & ille.* Daniel. *Sanctus Juvenis quidem ætate ſenior vero ſcientia, & manſuetudine convincat omnes falſos teſtes ſicut convincit ſeniores impudicos, ita ſuo teſtimonio Chriſti conterat inimicos.*

Dic Sancte Daniel: *dic de Chriſto quid noſti.* Cum venerit, *inquit* Sanctus Sanctorum ceſſabit unctio &c. *quare illo præſente cui inſultantes dicebatis*; Tu de te ipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum. *Ceſſabit unctio veſtra niſi quia ipſe eſt, qui venerat Sanctus Sanctorum, ſicut vos dicitis nondum venit, ſed expectatur, ut veniat Sanctus Sanctorum, demonſtrate unctionem, ſi autem quod verum eſt, ceſſabit unctio veſtra, agnoſcite veniſſe Sanctum Sanctorum.*

Dic & tu Moyſes, *legiſlator Dux populi Iſraël teſtimonium Chriſto.* Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus veſtris. Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum exterminabitur de populo ſuo. *Prophetam autem dictum Chriſtum, ipſum audi in Evangelio Chriſtum*; non eſt, *inquit* Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.

Accedat autem. David, *Sanctus Teſtis fidelis ex cujus ſemine proceſſit ille, cui lex & Propheta teſtimonium reddunt: dicat & ipſe teſtimonium Chriſto.* Adorabunt, *inquit*, omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei, *cui ſervient? aie cui ſervient? vis audire cui:* Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, *& expreſſius atque nominatim Pſalmo ſecundo.* Quare, *inquit*, tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus? *accedat & alius Teſtis, dic & tu*, Abacuch Propheta, *teſtimonium Chriſto.* Domine, *inquit*, audivi auditum tuum & timui, conſideravi opera tua & expavi: *quæ opera Dei, iſte miratus expavit. Nunquid fabricam mundi iſte miratus expavit? abſit, ſed audi ad quid expavit*, in medio; *inquit* duum animalium cognoſceris, *qui quouſque deſcendiſti, expaveſcere me feciſti, quia verbum perquod facta ſunt omnia in præſepio jacuiſti* &c.

Ecce quomodo conveniunt ſibi teſtes veritatis, ecce quomodo convincunt Filios falſitatis, ſufficiant vobis iſta ô Judæi, an adhuc ad veſtram confuſionem, ex lege, aut ex gente veſtra alios introducemus teſtes, ut illi teſtimonium perhibeant, cui, perdita mente inſultantes, dicebatis tu de ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum, *quod ſi velim ex lege, & ex Prophetis, omnia quæ de Chriſto dicta ſunt, colligere, facilius me tempus, quam copia deſerit:* meritò ergo Judæos arguens Chriſtus quod Prophetis crederent, & ſibi non crederent aiebat olim Joan. cap. 5. verſ. 46. *Eſt qui accuſat vos, Moyſes in quo ſperatis, ſi enim Moyſi crederetis, & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Ità. D. Auguſtinus.

§. IV.

Refutantur Judæorum inſtantiæ.

IUdæi objiciunt multa Prophetarum vaticinia, ipſiſque probare nituntur, Meſſiam nobis à Deo promiſſum, non eſſe Jeſum Nazarenum, Filium Mariæ, ac proinde Meſſiam qui redempturus eſt Iſraël, nondum veniſſe, quoniam (inquiunt) in Jeſum Nazarenum, quadrare non poſſunt, præſertim illud Iſayæ: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini &c. & habitabit Lupus cum agno, Pardus cum hædo accubabit, vitulus & Leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Sed nondum vidimus hoc vaticinium fuiſſe adimpletum, ut conſtat quoad concordiam, & unionem lupi cum agno, & pardi cum hædo, & ideo Meſſias eſt expectandus donec hæc omnia fiant in lupo & agno, pardo & hædo.

Prima Judæorum ratio.

Deinde Iſa. cap. 53. dicitur quod Meſſias videbit ſemen longævum: hoc enim promiſſum eſt à Deo Pſal. 88. ubi per os Prophetæ de eodem Meſſia inquit: *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus*: at hoc vaticinium non fuit adimpletum in Jeſu Nazareno, cujus vita fuit brevis, & Filios non habuit; ergo Jeſus Nazarenus, ſeu Filius Mariæ, non eſt Meſſias promiſſus, ſed alter eſt expectandus.

Secunda Judæorum ratio.

Reſpondeo; Judæos errare & allucinari in explicandis Sacræ Scripturæ textibus, nam hæc locutio Prophetæ Iſayæ intelligenda eſt metaphoricè, & propter quamdam ſimilitudinem, ut notat noſter Doctor Seraphicus D. Bonaventura ad 3. Lucæ, ubi obſervat quòd Chriſtus dicitur flos de radice Jeſſe, tantùm metaphoricè; alioquin in aliis textibus non poteſt dici, agnus, Leo, vitis, lapis angularis, &c. quia hæc omnia nomina propriè, & litteraliter ſumpta, denotant naturas immediatè oppoſitas, quæ uni & eidem convenire non poſſunt: Judæi autem volunt hæc verba metaphoricè dicta, litteraliter intelligi de Meſsia venturo, ideoque allucinantur; cùm propter quamdam ſimilitudinem, quam Meſſias habet cum illis rebus in Sacra Scriptura expreſſis, dicta fuerint à Prophetis. Undè illa animalia ſcilicet lupus, & agnus, ſunt etiam intelligenda metaphoricè, hoc eſt ſignificant quòd in adventu Meſsiæ, gentes inimicæ in Eccleſia unientur, & erunt cor unum, & anima una, quod jam viſum eſt, & adimpletum ut dicitur act. 4.

Reſponſio ad primam rationem Judæorum.

Quantum ad aliud de ſemine longævo vaticinium, dico cum communi omnium Sanctorum Patrum, & Sacrorum interpretum mente, eſſe intelligendum in ſenſu myſtico, & Spirituali, ſic enim Chriſtus vivet in æternum, plures Filios habuit, ſeu eos, quos moriens redemit, ac genuit: Igitur vaticinia, quæ à Prophetis dicta fuerunt de

Reſponſio ad ſecundam

Meſsia uenturo, adimpleta videntur in Jeſu Nazareno, ut evidens erit omni credenti Evangelio, cui nullus etiam Judæus poteſt denegare fidem. Magna enim Inſania eſt Evangelio non credere, cujus veritatem Sanguis Martyrum clamat, apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, & Dæmones confitentur, ut notat Picus Mirandulanus.

Addunt aliud vaticinium quod eſt Danielis cap. 7. verſ. 13. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat* &c. ſed Jeſus Nazarenus Filius Mariæ non ſic venit, ut conſtat ex variis textibus novi teſtamenti; ideoque ipſe Jeſus Nazarenus, non eſt verus Meſsias à Deo promiſſus, ſed alter eſt expectandus, qui ſit redempturus Iſraël in ſanguine ſuo.

Vaticinium Danielis non favet Judæis.

Reſpondeo, ibi Danielem loqui de ſecundo adventu Meſsiæ, quem Judæi abſque ullo fundamento confundunt cum primo. Nam Chriſtus qui jam venit redempturus, iterum veniet homines judicaturus, ut dicam in proprio articulo de judicio univerſali contra Florianos, & alios hæreticos negantes reſurrectionem generalem, & ultimum judicium.

Unus duntaxat eſt Meſsias.

Nec valet dicere cum nonnullis Judæis, duos eſſe Meſſias, unum ſcilicet pro hominibus redimendis, alium pro hominibus judicandis, non valet, inquam, quia Sacra Scriptura unius Meſſiæ meminit, & in ipſo duplicem adventum diſtinguit, ut eleganter inquit D. Auguſtinus tract. 4. in Joan. ubi exponens illud Pſalmi 49. verſ. 3. *Deus manifeſte veniet, Deus noſter non ſilebit*, inquit *ſiluit ut judicaretur, non ſilebit cum cœperit judicare. Non diceretur: manifeſtè veniet, niſi primo veniſſet occulte, nec diceretur, non ſilebit, niſi quia primo ſiluit? interroga Iſayam, ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram eo, qui ſe tondet, fuit ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Veniet autem manifeſtus & non ſilebit, quando manifeſtus? Ignis ante ipſum præibit, & in circuitu ejus tempeſtas valida:* Unus eſt igitur Meſſias, qui jam venit, & iterum veniet; licet diverſo modo, ſcilicet judicaturus vivos & mortuos: ille enim, qui redemit, ipſe eſt qui judicabit, quia Pater, teſte ſcriptura, dedit illi omne judicium: ex Apoſtolo ille, qui aſcendit in Cœlum, ipſe eſt qui deſcendet de Cœlo.

Dicent: Meſſias ſecundum ſcripturam debuit liberare Judæos à ſervitute, ut probat ipſorum ſpes, atqui nullus venit, qui liberaverit eos: cum adhuc ſerviant, nullumque de propria gente Regem habeant: ergo nondum venit Meſſias ille Redemptor, quem Prophetæ prædixerunt, quemque jam veniſſe Chriſtiani fingunt.

Solvitur ultima Judæorum ratio.

Reſpondeo, quòd Judæi licet ſint adhuc ſub poteſtate Principum alienigenorum, ut ſuprà fuſiùs probatum manet, fuerunt tamen liberati à ſervitute peccati, mortis, & damnationis ſicut promiſerat illis Deus per Prophetas, ſicut cæteræ nationes. Lavit enim nos Chriſtus à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, & hoc eſt, quòd Scriptura Sacra promiſit in adventu Meſſiæ, ut patet ex dictis: ergo venit cùm conſtet, Judæos ſic liberatos fuiſſe per mortem Chriſti Nazareni; hoc eſt, ipſum Chriſtum Sanguinem ſuum fudiſſe pro ipſis Judæis ſicut pro aliis gentibus.

ARTICULUS XXXII.

Impugnat Aphthartodocitas volentes verbum divinum aſſumpſiſſe carnem Impaſſibilem

Gainus

CAdente quinto ſæculo, quidam vir hæreticus, nomine Gainus, ſectâ Eutychianus: ut faciliùs ſuaderet converſionem carnis aſſumptæ in divinitatem, quam contra fidem prædicaverat impiiſſimus Eutyches, Presbiter, & Archimandrita, id eſt abbas præſidens celeberrimi monaſterij Conſtantinopolitani, docuit, verbum divinum aſſumpſiſſe verum corpus humanum, ſed hoc impaſſibile, & incorruptibile, ut tradit D. Thomas lib. 4. quæſt. 1. art. 8. dicens: *Gainitæ non ſolum à corruptione putrefactionis voluerunt Corpus Chriſti eſſe incorruptibile, quod fides catholica tenet, ſecundum illud Pſalmiſtæ, non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, ſed etiam alienum eſſe à corruptione mortis ante reſurrectionem, quod eſt impium.* Hoc quidem errore putabat ipſe Gainus, ſolvere argumenta ex morte Chriſti deſumpta, quibus manifeſtè probatur, carnem non fuiſſe converſam in divinitatem.

Julianus Halicarnaſſeus.

Gaino adhæſit Julianus Halicarnaſſæus, qui tempore Phocæ Imperatoris, & Sabiniani ſummi Pontificis circiter annum Domini DCIV. credidit, corpus Chriſti ab ipſa conceptione incorruptibile, impaſſibile & immortale eſſe, illi verò, qui Gainum, & Julianum ſecuti ſunt, dicti fuerunt Aphthartodocitæ, teſte Nicephoro lib. 17. cap. 29. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: ejuſdem hæreſis defenſor fuit Juſtinianus Imperator, qui à Theodora conjuge, & à Theodoro Cæſareæ Cappadocum Epiſcopo ambobus hæreſi Eutychiana infectis, depravatus Calcedonenſe Concilium voluit infirmare, quæſtionem trium capitulorum movere, reluctante Vigilio ſummo Pontifice, & aſſerere atque propugnare Aphthartodocitarum hæreſim: ita Euſtathius in vita Euthychij, & Evagrius lib. 4. cap. 40. contrà Richardum Crahanthorpium, qui in ſuo *Verbo dormitante* cap. 20. fictitium eſſe cenſet Juſtiniani lapſum in hæreſim Aphthartodocitarum vel (ut volunt aliqui) incorrupticolarum, vel phantaſiaſtarum, quia non veras, ſed phantaſticas paſſiones attribuebant Chriſto.

Juſtinianus Imperator

§. I.

Probat articulum ex Conciliis & ex ratione.

VEritas Catholica quam hîc defendimus adverſus Aphthartodocitas definita fuit in Concilio Epheſino Anathematiſmo 2. *Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne, & Crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe: anathema ſit.* In Toletano. 1. & in omnibus aliis, in quibus declaratur, Chriſtum paſſum, & mortuum fuiſſe. Nam ſi verbum aſſumpſiſſet corpus omninò impaſſibile, & ex natura ſua incorruptibile, ut crediderunt Aphthartodocitæ, certò non potuiſſet mori. Quia quod morti ſubjectum eſt, poſſibile, & corruptibile eſt, undè cùm ex variis Conciliis, Chriſtus mortuus fuerit, conſtat etiam ex eiſdem carnem Chriſti fuiſſe paſſibilem, & corruptibilem, ſaltem in potentia ante reſurrectionem ut patebit ex his, quæ infrà dicturi ſumus.

Concilium Epheſinum

Concilium Toletanum

Corpus Chriſti fuit paſſibile, & corruptibile ſeu mortale ante reſurrectionem, ut conſtat ex omnibus Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ probant,

Chriſtum eſuriiſſe, defatigatum, paſſum, & mortuum fuiſſe, quæ hic apponere mihi ſuperfluum videtur, quoniam nota ſunt omnibus, quòd ad hujus operis lectiones excitabit ſtudij amor; nam flere, ſitire, eſurire, fatigari, ſuſtinere tormenta, & mori, quæ Scriptura refert de Chriſto Domino, ſunt effectus, qui carni impaſſibili, & incorruptibili, ſeu immortali minime conveniunt, ut eſt evidens.

Aphthartodocitæ hæc certiſſima paſſibilitatis corporis Chriſti teſtimonia ſubterfugere volentes, reſpondent hæc omnia non valere reſpectu Chriſti, quia (inquiunt) ſponte ſua paſſus eſt: oblatus eſt enim quia ipſe voluit, & ideo licet paſſus ſit; non poſſumus inferre, carnem Chriſti ante reſurrectionem, fuiſſe paſſibilem ex ſe, ſed solùm ex voluntate Chriſti. Quia voluit pati & mori, non obſtante ipſius naturali impotentia ad mortem.

Porrò non valet hæc Aphthartodocitarum ratio, quia aliud eſt velle pati aliud eſt verè pati, illud ex iſto provenit. Probabile quidem eſt: quòd ſi corpus Chriſti fuiſſet ex ſe impaſſibile, & immortale, non habuiſſet voluntatem patiendi, imò audeo dicere, quòd non potuiſſet habere illam ſaltem efficaciter quia non potuit velle quod ei repugnat ab intrinſeco, & ſic non fuiſſet paſſus in carne, ſi hæc caro ex ſe fuiſſet impaſſibilis.

Verbum Divinum aſſumpſit carnem mortalem

Confirmatur ſubjectum non recipit id, ad quod habet negationem, aut ad quod non eſt aptum natum, ſicut impaſſibile habet eam ex ſe ad paſſionem, & ad deſtructionem talem, qualem homo habet per mortem: ergo caro Chriſti erat ante reſurrectionem ex ſe verè paſsibilis ſicut caro noſtra, & ut talis aſſumpta fuit à verbo divino. Quia ipſe Chriſtus verè paſſus eſt in carne; alioquin non eſſet ſatisfactor ſuis pænalitatibus, ſed tantùm voluntate ſua. Quod eſt falſum, cum pretium à Chriſto exhibitum pro hominibus, nedum ſit opus liberum, & voluntarium, ſed etiam externum, & conſummatum: lavit enim nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo. Apocalip. cap. 2. verſ. 5. & vulneratus eſt propter iniquitates, noſtras, ac proindè verè paſſus eſt in carne paſsibili, quia effuſio Sanguinis eſt à corpore paſsibili, & in ipſo dumtaxat fieri poſſunt vulnera, quæ cùm ſenſibilia, & doloroſa fuerint in Chriſto juxtà illud Jerem.: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus*, aliorumque Prophetarum dolores Chriſti recenſentium, corpus ejus debuit eſſe ab intrinſeco corruptibile, paſſibile, & mortale. Hoc eſt, debuit diſtingui à ſubſtantia merè Spirituali, ideò Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam dixit Diſcipulis ſuis: *Videte, & palpate, Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Hæc veritas firmari poteſt authoritate Sancti Leonis ſerm. 1. de nativitate Domini, ubi ait; *Salva igitur proprietate utriuſque ſubſtantiæ, & in unam coeunte perſonam ſuſcipiatur a majeſtate humilitas ſeu à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad rependendum noſtræ conditionis debitum, natura inviolabilis natura eſt unita paſſibili* ſcilicet humanæ, ideoque hæc in Chriſto, non ex voluntate ipſius Chriſti ità ut natura aſſumpta, ſit paſſibilis. Quia Chriſtus ſic voluit, ſed ex ſe paſſibilis eſt, ſicut in nobis; cùm Chriſtus ſit nobis per omnia ſimilis abſque peccato, teſte Apoſtolo ad Heb. 2. verſ. 17. & debuerit ipſe Chriſtus per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret, & Redemptor, ſui Sanguinis effuſione. Unde D. Athanaſius lib. de Incarnat. ait: *Corpus Chriſti communem habens cum cæteris ſubſtantiam: quippè corpus erat humanum, tametſi novo, & inuſitato miraculo, ex ſola Virgine conflatum, nihilominus mortale cum eſſet,*

D. Leo

adem, & alia ſimilia mortem obiit: Igitur caro Chriſti ante reſurrectionem erat ex ſe ſimilis noſtræ, hoc eſt, paſſibilis, mortalis, & corruptibilis: nam inquit Leontius Bezantinus lib. 2. contra Neſtorium, & Eutychem: *Humana, & naturales paſſiones carnis, quas Dominus ſuſcepit, quodammodo erant naturâ apta ad debilitandam carnem, & defatigandum, ac dolore afficiendum, & denique ad diſſolvendum, quod quidem in cruce factum eſſe cognovimus. Diſſolutionem verò quartum in natura eſt, corruptio ſequitur.* Secuta etiam fuiſſet hæc corruptio in corpore Chriſti, animâ ſeparatâ, ſi non fuiſſet unitum divinitati à qua fuit præſervatum à corruptione.

D. Athanaſius.

Idemque ſuadet ratio. Nam corpus, animâ ſeparatâ, non vivit, nec habet ex ſe undè poſſit præſervari à corruptione, aut undè agentia externa, & interna valeant impediri nè corrumpant corpus; cùm includat materiam, quæ eſt principium corruptionis: corpus autem à Verbo Divino aſſumptum, eſt vere materiale; includit igitur principium paſſibilitatis, mortis, aut corruptionis, & de facto corruptibile erat ante reſurrectionem.

Hæreticum tamen eſt credere, Chriſti Corpus fuiſſe corruptum, ſicut paſſum, & mortuum eſt, licet corpus noſtrum poſt mortem corrumpatur, & in pulverem reducatur. Quia divinitas fecit, ut caro Chriſti non videret corruptionem, quamvis ex ſe, & ex natura ſua, eſſet mortalis, ut notat D. Athanaſius loco laudato, dicens: *Patiens quidem corpus propter naturam corporum, mortuum eſt, habebat autem fidem incorruptibilitatis ex verbo habitante in eo, non enim mortuo corpore, immoriebatur verbum, ſed erat ipſum incorruptibile, imo quia erat in corpore, prohibebat illud à corruptione*; idem docet Anaſtaſius Sinaita, qui reſpondens Juſtiniano Imperatori hæretico Aphthartodocitæ, ait: *Corpus Domini in perpenſionibus naturalibus, & quæ in reprehenſionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuiſſe, atque ita divinos Apoſtolos, ac Sanctes Patres ſenſiſſe, & poſteris tradidiſſe*: Ità refert Evagrius lib. 4. hiſt Eccleſ. cap. 40.

Caro Chriſti ſemper fuit à corruptione præſervata.

His verbis conſtat, Corpus Chriſti quamvis corruptibile, fuiſſe præſervatum à corruptione, non ab ea, quæ ſignificat humanas affectiones, ſcilicet famem, ſitim, laborem, & ſejunctionem animæ à corpore, ſeu mortem, cum de facto Chriſtus non dubitaverit manibus, tradi Nocentium, & Crucis ſubire tormentum, ſed ab ea, quæ ſignificat diſſolutionem corporis in putredinem, & pulverem, ut monet D. Damaſcenus dicens, quòd Domini corpus non eſt expertum hanc corruptionem, idcircò erat ex ſe corruptibile; alioquin non potuiſſet à corruptione præſervari, quia nulla res poteſt præſervari ab eo, quod nullo jure poteſt illi advenire fuit tamen præſervatum ut ait Pſalmiſta, Pſal. 15. verſ. 10. *Quoniam non relinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nam hæc verba explicata ſunt ab Apoſtolis Petro & Paulo act. 2. de Chriſto, cujus anima non eſt relicta apud inferos, in Lymbo, videlicet in loco, in quo detinebantur animæ Sanctorum Patrum, nequè caro in ſepulchro experta eſt putrefectationem, ut exponit Bellarminus in hunc locum, hocque ſibi meruit ipſe Chriſtus per mortem, & paſſionem ſuam, ut inſinuat Paulus ad Heb. cap. 2. dicens. *Videmus Jeſum, propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum*: Ergò Verbum Divinum aſſumpſit corpus corruptibile, quod tamen ſemper remanſit, & remanebit incorruptum.

D. Damaſcenus

Pſal. 15.

§. II.

§. II.

Reſponſio ad hæreticorum rationem.

RAtio Aphtartodocitarum, eſt quia corruptibilitas corporis fuit primò homini inflicta à Deo in pœnam peccati, ut patet ex illo Geneſ. 2. *pulvis es, & in pulverem reverteris*, & ex aliis ſimilibus locis Sacræ Scripturæ, quibus corrupribilitas tribuitur peccato primi hominis, ſicut aliæ miſeriæ, ſed hæc pœnà non fuir inflicta Chriſto: ergo corpus quod aſſumpſit, erat ex ſe incorruptibile, & impaſſibile.

Reſpondeo corruptibiliratem actualem, & proximam fuiſse inflictam in pœnam peccati, non verô porentialem, & remotam. Hoc eſt, actu corrumpi eſt effectus peccati, poſſe verò, non: nam

Duplex eſt corruptibilitas. Adamus (cui hæc verba: *Pulvis es & in pulverem reverteris* dicta fuere) non habebat corpus ex ſua creatione, aut conſtitutione naturali incorruptibile, aut immortale, ſeu eo modo, quo anima rationalis eſt incorruptibilis, & immortalis; alioquin lignô vitæ illi non fuiſset opus, ut à morte præſervaretur, ſed corruptibile & mortale in potentia, atque naturali aptitudine, quæ tamen non fuiſset reducta ad actû, ſi non peccaſset, quia ut dicemus cōtrà Pelagianos, Adamus mortuus eſt ex ſolo culpæ demerito.

Idem advertunt plures Sancti Patres, & præſertim Sanctus Juſtinus martyr, oratione contra gentes, ubi eleganter ait: *Cum formaſſet Deus hominem a principio, fecit ut quæ naturæ erant, ex voluntate ejus penderent, fecitque uno mandato experimentum, fecit*

D. Juſtinus *enim ut ſi hoc ſervaſſet, vitam immortalem ſortiretur, ſi non ſervaſſet contrariam: ſic factus homo cum ad violationem mandati ſtatim reſpiceret, corruptionem naturaliter admiſit: corruptione autem ad naturam accedente, neceſſe erat, ut qui ſalvare volebat, ipſam ſubſtantiam corrumpentem deleret*, Chriſtus autem non aſsumpſit nec contraxit hanc corruptibilitatem actualem & proximam, ſeu corruptionem, quæ eſt in pœnam peccati, & quâ corpora noſtra in putredinem, & pulverem reducuntur; erat enim Sanctus, Innocens, Impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, quamvis corpus quod verbum aſsumpſit, ſit ex natura ſua, & ab intrinſeco paſſibile, & corruptibile, ſeu materiale, & qualitatibus contrariis permixtum, quibus corpus humanum permixtum eſt.

Dicunt inſuper Aphtartodocitæ, quòd caro, aut corpus à Verbo divino aſsumptum, eſt ſimile corpori, quod habuit Adam ante peccatum, ut ſuadet ratio. Nam Verbum aſsumpſit carnem immaculatam, à Spiritu Sancto formatam in utero Virginis; Adam etiam habuit carnem mundam, & formatam à Deo de Limo Terræ antequam terra fuiſſet maledicta; at Adam antequam peccaret, erat impaſſibilis, & incorruptibilis: ergo Verbum aſſumpſit corpus impaſſibile, & incorruptibile; cùm nullam in peccato Adæ habuerit partem.

Reſpondeo primò ut ſupra ad primum argumentum Aphthartodocitarum. Reſpondeo ſecundò ſup-

Leontius Bizantinus poſitum in quo conſiſtit eorum robur, eſſe falſum. Nam ut optimè inquit Leontius Bizantinus loco ſupra citato, Verbum divinum ſibi univit, & aſſumpſit talem carnem, qualem nos habemus ex eadem maſſâ procreati (excepta tamen concupiſcentiæ labe) ratio hujus Doctoris eſt quia non propter illû tantum venit Chriſtus Dominus, ſed propter nos etiam, ut canit Concilium Nicænum in Symbolo. Verba hujus Doctoris ſunt hæc. *Cum enim communis eſſet morbus, valde abſurdum, & à ratione alienum erat, unius quidem eſſe ſimilem, cæterorum vero omnium diſſimilem, qui quidem ad rationem medicinæ faciendæ eadem ſimilitudine indigebant.* Inde enim liquidò conſtat, Verbum Divinum aſſumpſiſſe carnem noſtram, remotis defectibus ex ſemine provenientibus, inter quos eſt actualis corruptibilitas.

ARTICULUS XXXIII.

Quô Ebionitæ confunduntur.

CHriſtum eſſe verum Deum, verumque hominem, negarunt in Eccleſiæ primordiis plures hæretici, qui cùm ſint inter ſe diviſi, uniuſcujuſque mens eſt aperienda, ut magis eluceſcat veritas catholica divinitatem, & humanitatem Chriſti comprobans. Primo omnes Ariani, quos ſuprà retulimus, & impugnàvimus pro tuenda conſubſtantialitate Verbi cum Patre, negant, Chriſtum eſſe verum Deum: quippè cum velint, Verbum non eſſe conſubſtantiale Patri, ſed puram creaturam, volunt, Chriſtum nullò modo eſſe Deum, ſed ad refellendam hanc hæreſim non eſt immorandum, quoniam ex dictis ſuprà contrà Arianos, patet, Verbum, quod caro factû eſt, & habitavit in nobis, eſse verum Dei Filium, ac proinde Chriſtum eſse verè Deum, & verè hominem.

Secundu, plures ex illis qui crediderunt contrá Arianos, Verbum eſse verè Filium Dei naturalem,

dixerunt, Chriſtum non eſse Deum, ſed purum hominem. *Cerinthus* Horum autem primus eſt Cerinthus vir peſſimis moribus imbutus, Simonis magi Diſcipulus, teſte D. Auguſtino, lib. de hæreſ. cap. 8 Eidem hæreſi ſtatim, ſcilicet Anno LXXX. Imperante Tito, & Cleto ſummum Pontificatum agente, adhæſit

Ebio, quidam magnæ facundiæ, ſed perverſæ, & *Ebio* hæreticæ mentis vir, qui putavit, Chriſtum de Joſephi & Mariæ conſortio fuiſse genitum, ut aſſerunt D. Irenæus cap. 26. & D. Epiphanius hæreſ. 30. contra hunc hæreticum ſcilicet Ebionem ea de cauſa Sanctus Joannes ſuum Scripſit Evangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, ut divinam edocendo nativitatem, Ebionitas confunderet, ut teſtatur D. Hieronymus de Eccleſiaſticis Scriptoribus. Ebionitas ſe- *Simmachus* cuti ſunt Simmachiani hæretici, ſic dicti a Simmacho, natione Samaritano.

Adamæi Minus præcipui hujus hæreſis fautores, ſunt Adamæi (ſeu Adamiani, aut Adamitæ ſic dicti à quo- *Artemon* dam viro, nomine Adam) Artemon, vel Arthe- *Aſclepiadotæi* mas, & Aſclepiadotæi, ſic dicti, à Aſclepiadoto Theodori Bizantij Diſcipulo. His hæreticis divinitatem Chriſti impugnantibus, plures Scriptores addunt Beryllum Boſtrenæ urbis in Arabia Epiſcopum, & volunt eum ab hac hæreſi nunquam receſſiſse. Nos au- *Beryllus non eſt ebionita.* tem illum inter hæreticos non reponimus, quia vix in populis nota fuit perverſa hujus Epiſcopi doctrina: nam ſtatim convictus, & emendatus fuit ab Origene, ut refert Nicephorus lib. 5. cap. 22 hiſt. Eccleſ. omnes tamen communiter addunt Paulum Samozatenum Epiſcopum Antiochenum, natione Syrum, qui teſte eodem Nicephoro, Artemonis, & Ebionitarum hæreſim revocavit, prædicando tempore Aureliani *Paulus Samozatenus* Imperatoris, & Felicis primi Papæ, circa annum Domini CCLXXIII. Chriſtum fuiſse quidem hominem juſtum, non autem Deum.

His omnibus adhæſit Photinus, qui in ſuo Epiſcopatu Sirmienſi docebat, Chriſtum, initium, totamque ſuam ſubſtantiam accepiſse ex Maria, & eſse purum *Photinus* hominem, ex utroque ſexu natum, ut refert Vincentius Lyrinenſis in Commonitor 1. cap. 27. ex Philaſtrio, & D. Auguſtino lib. de hæreſ. & Theodoreto lib. 7. hæret. Fabul. cap. 11. Photinus fuit Anathemate percuſsus; & Epiſcopatu ſuo privatus in Synodo Sirmienſi celebrâta anno CCCLIII. ſub Conſtantino *Theodorus Mopſueſtenus.* Imperatore, & Julio Papa, ſed hæreſis non fuit penitùs extincta. Conſtat enim ex variis Scriptoribus fide dignis, quòd Anno CCCCLXXVI. regnante Zenone Im-

peratore,& Eccl. Dei regente Simplicio Papa, Theodorus Epiſc. Mopſueſtenlis, vir quidē eloquens, eloquentiæ D. Joannis Chryſoſtomi hæres, qui licet fuerit acerrimus Arianorum impugnator, poſteá tamen affirmavit, Mariam genuiſſe purum hominem Verbo Divino nullatenus conjunctum, niſi vinculo affectus, ut credebant Neſtoriani, ideò dictus fuit Ebionita, & Neſtorianus.

§. I.

Ebionitarum Impietatem rejicit authoritate Conciliorum & Scripturæ Sacræ.

HAnc hæreſim damnant Concilium ſirmienſe, celebratum contrá Photinum, ut Jam dictum *Conſtantinopolitanum.* eſt ſuprá. Concilium Conſtantinopolitanum. 2. Contra Anthemium, celebratum ſub Vigillo Papa contrá Origenis errores, & pro decidenda celebri trium Capitulorum lite, Anathem. 4. *Colonienſe.* Concilium Colonienſe contrá Euphratum blaſphemum, & *Lateranenſe.* hæreticum, qui negabat, Chriſtum eſſe Deum. Lateranenſe. 1. Et alia quamplurima, in quibus definitum manet, Verbum Divinum aſſumpſiſſe hypoſtaticè naturam humanam, ac proindè Chriſtum eſſe Deum, & hominem ſimul, non in confuſione ſubſtantiæ, ſed in unitate perſonæ, ut docet D. Athanaſius in Symbolo.

Pſal. 2. Idem evidenter probat ſacra Scriptura. Nam Chriſtus eſt ille, cui Pater æternus ait Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, cùm juxtá Hebræos, hæc verba intelligenda ſint de Meſſia, qui dicitur Chriſtùs, Joan. 3. verſ. 25. & Paulus ad Heb. cap. 5. ea uſurpet ad probandum, nullum alium eſſe Meſſiam, niſi Chriſtum: At ille quem genuit Pater in ſpendoribus ſanctorum, eſt Deus: ergo Chriſtus eſt Deus, æternique Patris Filius, quamvis ſit etiam Filius Mariæ. Scriptum eſt enim, quòd hæc Virgo concepit de Spiritu ſancto, & peperit Filium *Luc. 1.* Dei altiſſimi. Hinc eſt quòd. S. Lucas referens cap. 1. Verba Archangeli Gabrielis ad Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Joſeph, ait de Chriſto naſcituro. *Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur.* Nonnè altiſſimus, eſt Pater æternus? Nonnè ille, qui natus eſt de Maria, eſt Chriſtus? Igitur ipſe Chriſtus, quem Maria genuit Spiritu ſancto cooperante juxtá illud monitum ejuſdem Angeli: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, eſt Filius Dei, ut probat illud teſtimonium ejuſdem Angeli ad eamdem Virginem, *quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

Beata Elizabeth dicens Virgini Mariæ: *Undè* *Elizabeth vocat Jeſum, Filium Dei.* *mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me*, credit Chriſtum Dominum eſſe verum Deum, nam Elizabeth Mater Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini, non vocaſſet Jeſum, Dominum, nec Mariam Matrem Domini ſui, niſi Spiritu S. inſpirante, cognoviſſet Jeſum, quem Maria portabat in utero, eſſe Filium Dei, & Dominum cœli & terræ. Joſeph Vir Mariæ, non erat Dominus Elizabeth, nec Chriſtus, ſi fuiſſet Filius ex Mariæ & Joſephi Conſortio natus quoniam fuiſſet purus homo: Ideòque ex hoc teſtimonio, Chriſtus natus de Maria Virgine, eſt verè Filius Dei, & verè Domi- *D. Leo.* nus cœli & terræ, qui noſtram humanitatem in plenitudine temporis aſſumendo, Divinitatem non amiſit, ut notat. S. Leo ſerm. 1. dè Nativitate Domini: *In utraque ergo natura, idem eſt Dei Filius, noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens, in homine hominem renovans, in ſe incommutabilis perſeverans: Deitas enim, quæ illi cum Patre communis eſt, nullum detrimentum omnipotentiæ ſubiit, nec Dei formam ſervi forma violavit: quia ſumma, & ſempiterna eſſentia, quæ ſe ad humani generis inclinavit ſalutem, nos quidem in ſuam gloriam tranſtulit, ſed quod erat, eſſe non deſtitit.* Nam in hoc adorando Incarnationis Myſterio, nulla ſubſtantia in aliam convertitur, ſed una alteri hypoſtaticè unitur, & ex ipſis unus eſt Chriſtus, qui eſt Deus, & homo.

Si velint Cerinthiani, Ebionitæ, & alii hæretici, hæc Verba Sacræ Scripturæ eſſe intelligenda de Filio Dei adoptivo, ut volunt Ariani; rejiciendi ſunt reſponſione exhibita Arianis ſuprá. Vel reſpondendum eſt eis, quòd Filius Dei adoptivus non eſt Dominus Elizabeth, nec eſt adòrandus, neque adoratur; alioquin ſequeretur quòd Joſeph, qui erat Vir juſtus, & timens Deum, fuiſſet Dominus Elizabeth, & quilibet homo Juſtus exiſtens in terra adoraretur, quia eſt Filius Dei adoptivus, tamen cæcus adoravit Chriſtum, & Chriſtus adorationem ejus ſuſcepit: Magi etiam adoraverunt eum dumtaxat, ut conſtat ex illo Math. 2. verſ. 11. *Et intrantes Domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum:* Attende quòd Ly, *eum*, ſuadet ſolum Chriſtum eſſe Deum, & Mariam eſſe creaturam, quamvis Matrem Dei, vel quòd Filius adoptivus non eſt verè & naturaliter Dei Filius, neque talis dicitur ſicut Chriſtus in locis citatis, ſed Filius cum addimento, videlicet adoptivus, Chriſtus autem dicitur verè Filius Dei, aut verus Filius Dei altiſſimi ante Luciferum genitus, ideoque non eſt Filius adoptivus, ut fuſius dicemus in proprio loco contrà hæreſim fœlicianam, ſed naturalis & proprius, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. cap. 8. verſ. 32.

Non parùm juvat ad probandam Divinitatem Chriſti, idem Apoſtolus nullam diſtinctionem faciens inter Judicium Chriſti, & Judicium Dei (quam tamen faceret, ſi Chriſtus non eſſet Deus, quoniam alia ſunt Judicia Dei, alia Judicia hominum) ad Rom. cap. 2. *Judicium Chriſti, & Judicium Dei idem Judicium eſt.* Ubi expreſsè loquens de Judicio Dei, & de Judice, qui in fine mundi judicaturus eſt omnes homines, ait verſ. 5. & 6. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, Thezauriſas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus*, id autem quòd ipſe Judex reddet pro operibus malis, eſt pœna æterna, & id, quod pro operibus bonis, eſt præmium æternum, quod ſolus Deus Rex gloriæ dare poteſt, ille verò, qui tunc judicabit, & reddet præmium illud, eſt Chriſtus, ut addit idem Apoſtolus cap. 14. ubi inquit: *Tu autem qui judicas Fratrem tuum, aut tu quare ſpernis Fratrem tuum; omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti.* Igitur Chriſtus non eſt purus homo, ſed eſt homo verè Deus.

Dicent forſan hæretici quòd Chriſtus non judicabit, ut Deus, ſed ut à Deo delegatus. Porrò hoc falſum eſſe, probo ſic diſcurrendo. Ille, qui judicabit homines, & ante cujus Tribunal, oportet nos omnes manifeſtari, ut reportet unuſquiſque pro ut geſſit in corpore ſuo, ſivè bonum, ſivè malum, eſt verè Deus, & Rex gloriæ, cujus eſt dare regnum, & mittere in gehennam ignis, ut ait Apoſtolus & ut habetur in innumeris ſacræ Scripturæ locis; ſed ille, qui judicabit homines, & ante cujus Tribunal nos oportet omnes manifeſtari, cuique unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet tamquam Supremo Judici, & Regi gloriæ, eſt Chriſtus, ut declarat, idem Apoſtolus, & ut conſtat ex illo Act. cap. 10. verſ. 42. *Præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt Judex vivorum, & mortuorum*, ex illo Joan. 5. verſ. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne Judicium dedit Filio*, ſeu Chriſto, qui eſt Filius, Dei de quo loquitur Evangeliſta: *& dedit ei poteſtatem omne Judicium facere, quia Filius hominis eſt*; ergo Chriſtus eſt Deus, & Rex gloriæ. Ex his quidem duo colliguntur, primùm eſt, Chriſtum eſſe Judicem vivorum & mortuorum, ſecundùm eſt, humanitatem

aſſumptam eſſe cauſam meritoriam hujus judiciariæ poteſtatis, hinc eſt. Quod decem & octo Patres ſuprà trecentos in Concilio Nicæno congregati, dixerunt de Chriſto, id quod prius dixerant Apoſtoli in Symbolo, ſcilicet: *Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterùm venturus eſt judicare vivos & mortuos*; ideoque Chriſtus eſt verus Deus, veruſque æterni Patris Filius, natus de Maria Virgine.

Hanc Concluſionem confirmat idem Apoſtolus unicum Evangelio tribuendo authorem. Nam dum loquitur de Evangelio, indiſcriminatim dicit: Evangelium Dei, Evangelium Chriſti. Ad Rom. 1, verſ. 1. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei* 2. ad Corinth. cap. 2. verſ. 12. inquit: *Cum veniſſem autem propter Evangelium Chriſti*. Ad Rom. cap. 1. verſ. 9. habet: *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in Spiritu meo in Evangelio Filij ejus*. In 2. ad Corinth. cap. 9. verſ. 13. *per probationem miniſterij hujus, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Evangelium Chriſti*, & cap. 11. verſ. 7. *quoniam gratis Evangelium Dei Evangelizavit vobis*. Non dicit Evangelia, nè indicaret, Chriſtum eſſe perſonam humanam, & ut oſtenderet, Evangelium eſſe unicum, quòd ſi unicum, unicum neceſſariò debet habere authorem, qui ſit Deus, & homo ſimul, in unitate perſonæ, aliàs non poſſet dici Evangelium Dei, ſicut dicitur Evangelium Chriſti, ſi Chriſtus non eſſet Deus, cùm Evangelium ſit Dei.

Evangelium Chriſti eſt Evangelium Dei.

Dicent hæretici quòd Apoſtolus ad Rom. 16. verſ. 25. declarat, Evangelium eſſe ſuum; ibi enim ait: *Ei autem qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum*. Nullus tamen inde concludit, Apoſtolum eſſe Evangelij Authorem, & Filium Dei naturalem: ergo nec poteſt concludi ex verbis præcedentibus, Chriſtum eſſe Deum. *Reſpondeo*, Apoſtolum dicere; *Evangelium meum*, quoad miniſterium, ut ipſemet teſtatur 1. ad Corinth. cap. 4. verſ. 1. dicens: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Unde 2. ad Theſſalon. cap. 2. verſ. 13. loquendo nomine omnium Apoſtolorum, ſeu miniſtrorum Chriſti, & fidelium dicit, *Evangelium noſtrum*.

Evangelium eſt Pauli quoad miniſterium.

Reponent hæretici: ergo Apoſtolus dum dicit; Evangelium Chriſti, loquitur etiam quoad miniſterium, & vult Chriſtum non eſſe authorem ejus, ſed miniſtrum. *Nego*, tum quia Apoſtolus prædicabat, Chriſtum eſſe Filium Dei proprium. Tum quia non ignorabat, Chriſtum dixiſſe Joan: cap. 10. verſ. 30: *Ego & Pater unum ſumus*, & cap. 16. verſ. 15. *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt*, ac proindè ſciebat, Evangelium eſſe Chriſti; eodem modo, quo eſt Dei, id eſt, Chriſtum eſſe authorem Evangelij, nec dixit, Chriſtum eſſe miniſtrum Dei, ſicut dixit ſe miniſtrum Chriſti propter prædicationem Evangelij.

His addi poſſunt ea, quæ diximus contra Arianos, quæ cùm probent, verbum quod caro factum eſt, non eſſe creaturam, ſed eſſe conſubſtantiale Patri, & de Chriſto dicantur, ut in proprio loco conſtat; probant utique ipſum Chriſtum non eſſe purum hominem ex Joſephi; & mariæ conſortio natum, ſed verum Deum, verumque æterni Patris Filium: addi quoque poſſunt opera, quæ Chriſtus fecit, quorum plura à ſolo Deo fieri poſſunt (ut conſtat ex teſtimonio cæci nati ſupra relato) ex quibus ſufficit afferre mortuos, quos ſuſcitavit Chriſtus, quoniam ſolius Dei eſt, mortuos ſuſcitare propriâ virtute. Unde cùm Cerinthus, Ebion, Samozarenus, Photinus, & alij ejuſdem cohortis negantes divinitatem Chriſti, certò ſciant Chriſtum plures ſuſcitaſſe mortuos, & Apoſtolos in nomine Chriſti plura perpetraſſe miracula naturæ vires excedentia, ut eos planè convincit Simonis magi exemplum, ſuperfluum eſt hìc deducere nomina mortuorum quos ſuſcitavit Chriſtus, ſufficit eis proponere reſurrectionem Lazari fratris Marthæ, & Magdalenæ, quæ fuit ſolemnior, & eis dicere illud Joan. 5. verſ. 21. *Sicut pater ſuſcitat mortuos, vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat*, & indè ipſi hæretici videbunt, Chriſtum habere poteſtatem, & virtutem Patris æterni, ſubindeque hunc eſſe Deum, ſicut Pater eſt Deus, cùm operationes divinæ à Deo ſolo fieri poſſint, quoniam operatio ſequitur eſſe.

Joan. 5.

§. II.

Ebionitarum rationibus reſpondet.

HÆretici objiciunt, hæc verba Chriſti ad Judæos Joan. 5. verſ. 38. *& verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem miſit ille, huic vos non creditis*. Inde enim concludunt, Chriſtum, qui loquitur de verbo Patris ſicut de alia perſona à ſe diſtincta, non eſſe Filium Dei, quia Filius Dei idem eſt ac verbum Patris. Chriſtus autem non eſt Verbum ejus, ſeu Patris, cùm ſit ille, quem ipſe Pater miſit, & cui Judæi non credunt, ut conſtat ex proprio textu, quo Verbum Patris, & ille, quem Pater miſit ſunt duo diverſæ naturæ.

Joan. ibid.

Reſpondeo, Chriſtum ibi non loqui de verbo conſubſtantiali æterno Patri, ſeu de Verbo Divino, aut Filio, qui à Patre procedit, ſed de verbo Dei ſcripto, & ab hominibus Apoſtolicis prolato, de quo alibi ait: *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, quod non manebat in Judæis, quia non credebant ei, quem Pater miſit, id eſt, quia nolebant credere Chriſto miſſo ad prædicandum, & ad annunciandam hominibus veram doctrinam in Evangelio contentam. Quare ipſe Chriſtus ſtatim ſubdit: *Scrutamini Scripturas. Quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*: igitur ex hoc textu, hæretici nequeunt inferre, Chriſtum non eſſe Deum; ſed ſolum, Jeſum Chriſtum Filium Dei, non eſſe illud Verbum Dei, quô Deus manifeſtat hominibus voluntatem ſuam ac legem, quam Chriſtus venit adimplere.

Obſervant hæretici Evangeliſtas non vocare Chriſtum, Deum, dum de Patre, & de Chriſto ſimul loquuntur: Nam Joan. 17. verſ. 3. ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, ubi Chriſtus non dicitur Deus ſicut Pater, imo proponitur ut diſtinctus, & diverſus ab eo ſubſtantialiter: ibi enim indicat, Chriſtum miſſum à Deo, eſſe alium à Deo, ſicut delegatus alius eſt à delegante.

Portô non valet hæc obſervatio, quia nominat Chriſtum, Deum, ſaltem implicitè, nam ille, quem pater miſit, eſt ille, qui à patre procedit, & ille, qui à patre procedit, eſt Filius unigenitus Dei patris, teſte Scriptura, & ideo eſt verus Deus Patri conſubſtantialis, ut teſtatur ipſemet Chriſtus dicens: *Ego & Pater unum ſumus*. His quidem verbis declarat, quôd eſt Deus, ſicut Pater, imo quòd eſt idem Deus; cum Patre, & alia perſona, ut oſtendimus ſuprà contrà Arianos. Vel dico quòd ſi dum Chriſtus loquendo de patre, & de ſe ipſo, non nominat ſe Deum, ſicut nominat Patrem, hoc eſt, quia conſiderat ſe ſecundum humanitatem, ſecundum quam eſt minor Patre. Nam licet ſit Deus, eſt etiam homo, cùm habeat divinitatem, & humanitatem: ergo poteſt ſe conſiderare tanquam hominem, & talem ſe nominare, dum nominat Patrem, Deum.

Vana Ebionitarum obſervatio.

Inſurgunt tandem ex authoritate Sacræ Scripturæ,

qua probare nituntur, Meſſiam in veterl teſtamento promiſſum Sanctis Patribus,& Patriarchis, non fuiſſe promiſſum, ut verum Deum, ſeu ut Filium Dei naturalem, ſed ſolùm ut hominem juſtum, & ſanctum, ut Agnum, ut Lucem &c. eorum ratio eſt. Quia Meſſias, ſeu Chriſtus mittendus Geneſ. cap. 3. verſ. 15. promittitur ut ſemen mulieris, quæ debet conterere caput ſerpentis: ſemen autem mulieris non eſt Deus, ſed homo, ut evidenter demonſtrat illud Pſal. 102. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Deuteron. cap. 18. verſ. 18. *Prophetam de gentibus ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui*, in his, & aliis ſimilibus textibus veteris teſtamenti, Meſſias non promittitur nobis ut Deus, ſed ut purus homo, & ut magnus Propheta, ut diſcurrenti patebit. Idem colligitur ex Luc. 7. verſ. 16. in quo legitur, eos, qui viderunt Chriſtum mortuos ad vitam reducentem, dixiſſe: *Propheta magnus ſurrexit in nobis*. Ibi enim Chriſtus non dicitur Deus, ſed Propheta, igitur Chriſtus, qui eſt Meſſias ille promiſſus, ut conſtat ex illo Joan. 1. verſ. 41. *Invenimus Meſſiam* (quod eſt interpretatum Chriſtus) non eſt Deus verus, ſed purus homo Joſephi, & Mariæ Filius.

Pſal. 102.

Deuteron. 18.

Idemque confirmant hæretici ex teſtimonio Gabrielis Angeli nunciantis, qui non dixit Mariæ, Chriſtum eſſe Deum, imo ait Filium Dei eſſe vocandum ob ſanctitatem ſuam, *quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*, ſicut Moyſes vocatur Deus Pharaonis, aut ſicut juſti vocantur Dii, undè non dixit *Vocatur*, quia cùm Angelus hæc proferret, Meſſias promiſſus, aut Filius ex Virgine maria naſciturus, non erat Deus, alioquin dixiſſet eſt, aut vocatur Filius Dei; & perconſequens neque erat Verbum æternum: quod eſt ab æterno Filius Dei naturalis, ſed eſt purus homo.

Reſpondetur cum Sanctis Patribus, præfatos Sacræ Scripturæ textus reverà deſignare quód Meſſias venturus, eſſet verus homo, & Propheta de gentibus ſuſcitatus, non tamen negare, quod itidem etiam verus Deus eſſet, ſicut verus homo, nam Meſſias eſt ille, quem à Deo patre petierant Sancti Patres, ac Patriarchæ, eſtque ille, quem illis promiſerát Deus; ſed petierant verbum æternum, ſeu Filium, dicebant enim: *Veni Domine & noli tardare; emitte Verbum tuum*. Deus autem dedit illis verbum ſuum, Joan. 1. *Verbum caro factum eſt*. Et cap. 3. verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*: ergo Chriſtus, qui eſt ille Meſſias promiſſus nobis à Deo Patre, eſt verus Filius Dei, qui à Patre procedit, ut teſtatur ipſemet Chriſtus, Joan. 7. verſ. 29. dicens: *ego ſcio eum*, nempe patrem, *quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit*, & alibi ait: *exivi à Patre, & veni in mundum*. Hæc autem verba non poſſunt intelligi de humanitate ſeu de Chriſto homine; cùm ut talis, natus ſit de Maria Virgine, ſed de divinitate, ſeu de Verbo, quod carô factum eſt. Verbum illud cùm eſſet antequam naſceretur de Maria Virgine, ut probat teſtimonium Joan. Baptiſtæ dicentis ad Judæos Joan. 1. verſ. 30. *Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat*. Non deſcendit de Cœlo ut homo; ergo ut Deus, neque miſſum eſt à Deo Patre, ut homo, ſed ut Deus, eſt enim prius Deus, quàm homo, cùm ſit Deus ab æterno, & homo in tempore.

Joan. 1.

Nec valet confirmatio hæreticorum ex Angelo annunciante deſumpta, quoniam ſi Gabriel Angelus non dixerit, *vocatur, ſed vocabitur Filius Dei*, indè non licet inferre quòd tunc Chriſtus non eſſet Filius Dei, & quòd Virgo Maria deberet formare perſonam, & omnia, quæ eſſent in Chriſto; cùm Scriptum ſit, Math. cap. 1. verſ. 20. *Quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt, pariet autem Filium; ipſe enim ſalvum faciat populum ſuum à peccatis eorum*: Ergo eſt Deus. Tum quia Virgo concepit de Spiritu S. Tum quia populus eſt Dei, & ſolus Deus poteſt ſalvare eum à peccatis, ſed ſolum licet inferre, quòd Filius ex ipſa Virgine naſciturus, vocandus eſſet in circumciſione, Jeſus Filius Dei, & ideo Angelus non debuit dicere, *vocatur*, quia nondum natus erat de Virgine, *ſed vocabitur Filius Dei*, poſtquam natus fuerit. Officium Angeli non erat manifeſtare Filium Dei, ſeu Verbum in ſe, ſed in carne, ſuo tempore. Angelus non fuit miſſus ad Mariam, ut ei deſignaret id, quod verbum erat, ſed id, quod ex ipſa eſſe debebat.

Math. cap. 1

Dico tandem cum communiori ſententia quòd Angelus annunciavit Mariæ in alio loco divinitatem Meſſiæ, quem conceperat, ut evidenter colligitur ex Math. cap. 1. verſ. 20. & 21. ubi refertur Angelum apparuiſſe Joſeph dicentem ei: *Joſeph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam &c.* ut ei ſuaderet, Filium, quem Maria conceperat, non eſſe opus hominis, ſed Spiritus Sancti: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.*

ARTICULUS XXXIV.

Contrà hæreſim Eutychianam.

§. I.

Recenſet hujus hæreſis aſſertorum nomina, atquè tempora.

HÆretici, quos in præcedenti articulo impugnavimus, negant Chriſtum eſſe Deum, & volunt quòd ſit purus homo perfectus, illi autem quos in præſenti articulo impugnaturi ſumus, partem directè oppoſitam tenent, quia negant ipſum Chriſtum eſſe hominem verum & perfectum, & volunt quòd ſit Deus verè conſubſtantialis Patris, ſed quia variè locuti ſunt de humanitate Chriſti, adducenda eſt uniuſcujuſque hæretici ratio, atque nomen. Primus qui negavit, Chriſtum eſſe verum hominem, aut Verbum Divinum eſſe hypoſtaticè unitum carni noſtræ ſimili, eſt Menander, vir patriâ Samaritanus, profeſſione magus, Simonis magi Diſcipulus, eiſdemque cum illo erroribus, & artis Diabolicæ præſtigijs deditus, qui ſub Veſpaſiano Imperatore, & Lino ſummo Pontifice circà Annum LXXX. docuit Chriſtum eſſe Deum verum de Deo vero, ſed negavit ipſum eſſe hominem, & aſſeruit eos, qui ſalvari cuperent, in nomine Menandri baptizandos eſſe, & credidit nuſquam morituros eos, qui ſuo baptiſmo eſſent baptizati, quia dicebat ſe ſalvatorem mundi, à quo inſtituendus erat baptiſmus in remiſſionem peccatorum. *Menander.*

Huic hæretico ſucceſſit alter, ſcilicet Cerdo, etiam magus, qui Anno CXLIV, ſub Antonino pio Imperatore, & Sancto Hyginio Papa, docuit, Chriſtum neque natum ex fœmina, neque habuiſſe carnem, neque verè mortuum, neque quidquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem. Cerdonis mentem rejecit Anno CL. Valentinus, ſed in hoc non eſt minus hæreticus, reverà dixit, Chriſtum eſſe hominem, ſed negavit ipſum eſſe ejuſdem naturæ nobiſcum, quia (inquiebat) Chriſtus à patre miſſus, corpus cæleſte ſecum traxit, & nihil de Virgine accepit. Valentini aſſecla fuit Appollinarios (de quo erit ſermo in articulo ſeqoenti) teſte Divo Gregorio Nazianzeno in Epiſtola ad Nectarium. *Cerdo.* *Valentinus* *Appollinarius.*

Venerunt poſteà circà annum Domini. CLII. ſub eodem Imperatore, eodemque Pontifice, qui dam hæretici dicti Colobroſij (à Colobroſo viro hæretico, Menandri, & Marci hæreticorum, & *Colobroſij* Magorum acerrimo aſtertatore) docentes, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, nec verè, ſed putativè tantum paſſum fuiſſe, ut refert Euſebius lib. 3. cap. 26. Anno aotem. CLV. ſub eodem Im- *Marcion.* peratore. Et Pio primo, apparuir adverſus divinitatem Chriſti, Marcion in 2. articulo relatus, qui publicè, & aſſertivè proclamabat, Chriſtom purum Phantaſma eſſe. Anno autem immediatè ſequenti, Marcioni ſe junxit veluti magiſtro Diſci- *Lucianus* pulus, quidam vir hæreticus nomine Lucianus in Cerdonis & Baſilidis ſchola edoctus, qui voluit, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed putativè tantùm, & quaſi per umbram apparuiſſe, & in terris converſatum fuiſſe. Iſte hæreticus, qui Lucianiſtis nomen dedir, eſt verè Saturnianinus, quia Saturninus Patriâ Antiocheuus anno CXVIII. ſub Trajano Imperatore, & Evariſto Papa, dicebat, Chriſtum umbraliter, & in ſpecie tantum apparuiſſe, ſicque volebat omnia, ſcilicet, naſci, videri, ambulare, pati, mori, & alia de Chriſto credita, in ſpecie, aur in umbra tantum, fuiſſe à Chriſto completa.

Non minus hæreticus fuir Apelles, Marcionis *Appelles* Diſcipulus, qui ſub Marco Antonino Imperatore, & Sotero Papa, anno circitèr CLXXVIII. præter plura impia alia ſui Magiſtri Marcionis dogmata, de ſuo aſſerebat, Chriſtum carnem ſuam non de Matre, nec ex ſemine Abrahæ, ſed ex elementis accepiſſe, eamque reſurgendo ex mortuis, mundo reddidiſſe, & ità in cœlum ſine carne, & ſpecie humana aſcendiſſe. Anno autem CLXXXII. Imperante Commodo; & Eccleſiam Dei regente eodem Sotero; emerſerunt alij viri hæretici nuncupati Proclianitæ, aut Prodianitæ, ſeu Hermianitæ *Prodianita* natione Galatæ, qui, teſte D. Auguſtino docebant, Chriſtum non veniſſe in carne, ſed fuiſſe merè ſpiritualem, noſque fuiſſe redemptos ab ipſo; ſicut creatos, hoc eſt, aſſerebant; Deum, non hominem, nos redemiſſe, ſicut creaſſe. Iſti hæretici venenum per totam Galatiam effundebant.

Eodem anno, alter hæreticus nimirùm Florinus, de quo jam locuti ſumus, prædicabat Romæ eumdem errorem. Florino adhæſerunt Manichæi anno *Florinus* CCLXXIII. ſub Aurelio Imperatore, & Fælice primo Romano Pontifice, quia dicebant, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed phantaſticum, & phantaſma quoddam, non ex utero Virginis pro- *Manichai* diiſſe, cum fœmineo poſte naſci utero negantes, arbitrantes indignum eſte credere, tantam Majeſtatem, ſeu, ens ſimpliciſſimum, atque puriſſimum, per fœminæ ſordes, & ſqualores tranſire potuiſſe eo modo, quo homines rranſire ſcimus, ità refert Vincentius Lyrinenſis de Manichæis. Anno CCCLXXVII. Appollinarius (qui ſuprà) docuit divinitatem fuiſſe converſam in carnem ità refert S. Leo ſerm. 9. de quadrag.

His omnibus hæreticis adverſus hunc articulum de Chriſti homanitate, neqnior fuit Eutyches patriá Conſtantinopolitanes, & ejoſdem civitatis cænobii præpoſitus ſeu Archimandrita, à quo ortum ha- *Eutyches* buir hæreſis Eurychiana nedùm hæreſi Appollinariſtarum jam memoratæ, ſed etiam Neſtorianæ oppoſita; & à quo nomen habuerunt Eutychiani. Iſſe impiiſſimus Eutychios anno CCCCXLVIII. ſub Theodoſio ſecundo Imperatore, & Leone Papa primo, tenuit, & credidit contrà univerſam Eccleſiæ fidem, cum præcedentibus hæreticis, Chriſtum non fuiſſe hominem verũ, nec natum de Maria Virgine.

Addidir inſuper, Chriſtum cæleſte habuiſſe corpus; id eſt de cœlo deſcendiſſe cum corpore, hocque per B. M. V. uterum, quaſi per canalem tranſiiſſe, ut refertur, ſed poſteà impugnans adversùs Neſtorium, duas eſte in Chriſto perſonas, aliam addidit impietatem, hoc eſt, unam in Chriſto admittendo perſonam, duas in ipſo naturas eſſe, inficiatus eſt: dixit enim Chriſtum non eſſe in duabus naturis, ſed ſolum eſſe ex duabus, id eſt duas fuiſſe ante unitionem *Dioſcorus* naturas, unicam poſteà. Ejus ratio erat, quia in ipſo Incarnationis articulo, caro fuit commutata in divinitatem, & ipsâ commutatione, una facta fuit carnis, & deitatis ſubſtantia, unaque remanſit natura; ſeu divina, in qua Chriſtus paſſus eſt, ut notat Liberatus cap. 11.

Huic impiiſſimo viro Paulò poſt videlicet anno CCCCLIII. ſub eodem Imperatore, eodemque Papa, adhæſit alter hæreticus non minus Chriſti Inimicus, ſcilicèr Dioſcorus, qui Cyrillo in Epiſcopatu Alexandrino ſucceſſit, & dixit cum Eutychete, Chriſtum eſſe ex duabus naturis, ſed non in duabus. Ipſe Dioſcorus fuit cum Eutychete damnatus à Flaviano Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, & Martyre; ipſorum ſcilicet Dioſcori & Eutychetis invidiâ, refertur enim hos duos hæreticos, Flaviani mortem conſpiraſſe.

Eamdem hæreſim pertinaciter defendit Anthimius primùm Trapezuntianus, poſteà verò Conſtantinopolitanus Epiſcopus anno CCCCLXXVI. *Anthimiſti* ſub Zenone Imperatore ſectâ Eutychiano, & Simplicio ſummo Pontifice. Hujus Imperatoris ſucceſſor, nimirum Anaſtaſius, fuit etiam Eutychianus, & hoſtis Concilij Calcedonenſis, grandem in Ortho- *Anaſtaſius Imperator* doxos Epiſcopos, & Monachos ejuſdem Synodi defenſores, movit perſecutionem, præcipuè in Euphemium, & Macedonium Conſtantinopolitanos, Flavianum antiochenum; Eliam Jeroſolymitanum, Theodoſium, & Sabam ſanctiſſimos Monachos.

Sub eodem Imperio, & ſub Symmacho Papa emerſerunt Acephali, ſeu non nulli viri hæretici, qui cum eſſent numero multi, & omnes ſimul orti contrà Concilium Calcedonenſe, in Chriſto duas eſſe na- *Acephali, qui poſteà dicti fuerunt monophyſita* turas definiens, né conſtaret quis factionis author, ſive caput eſſet, Acephali, id eſt, ſine capite, voluere vocari, ſed aliud nomen tamdem habuerunt anno DXVII. ſub Hormiſda Papa & dicti fuerunt Monophyſitæ, non ab authore, ſed ab errore, quoniam *Monophyſita* componitur, ex *Monos*, id eſt *unus ſolus*, & *Phyſis*, id eſt *natura*, hujus nominis authores, hæreſiſqoe unam ſolam naturam in Chriſto admittentis fautores præcipui, fuerunt Cnaphæus, *Cnaphaus, Severus, Dioſcorus, Gainus, Jacobus, Joannes Philiponus & Theodoſiani* Severus Antiochenus, Dioſcorus, Gainus, Jacobus, & Joannes Philiponus; quos ſequi voluit cadente eodem ſæculo, regnantibus Mauricio Imperatore, & Pelagio hujus nominis Papa ſecundo, Theodoſius non Imperator, ſed alter, qui à Severitis Alexandriæ fuit creatus Papa, ideoqoe illi, qui huic hæretico adhæſerunt, eumque receperunt ut Papam, dicti fuere Theodoſiani.

A Sexto ſæculo uſque ad decimum ſextum, nullum inveni hæreticum, qui Chriſti humanitatem impugnaverit publicè, aut qui Menandri, & aliorum errorem renovaverit, & ideo diù Sopita remanſit hæc hæreſis Eutychiana: at incipiente decimo ſexto ſæculo tempore Caroli V. Imperatoris, & Pau- *Balthaſar pacimontanus.* li III. Summi Pontificis, apparuir Balthaſar Pacimontanus, qui creditur Author illius horrendæ Anabaptiſtarum ſectæ. Hic inter varia impia dogmata, quæ prædicabat in portibus Germaniæ, Deum humanam ex maria naturam non ſuſcepiſſe contendebat, ſubindeque concludebat, Chriſtum Dominum non eſſe verum hominem, nec habere duas

naturas in ſe, diuinam ſcilicet, & humanam, ſed ex duabus naturis eſſe unum Deum: credebat enim divinitatem io Chriſto gerere vices humanæ naturæ.

§. II.

Veritas de duabus in Chriſto naturis propugnatur authoritate Conciliorum.

Nicænum. primum. *Romanum ſub Damaſo.* *Epheſinum* *Calcedonenſe.*

PLura Concilia poſt Nicænum in Symbolo, ſtatuerunt, & Sanxerunt ſub Anathemate, Chriſtum eſſe verum hominem, & vetum Deum in unitate ſuppoſiti, natum de Maria Virgine (quæ in Epheſino Concilio vocata fuit Theotocos, ſeu Mater Dei contrà Neſtorium à quo dicebatur tantùm Chriſtotucos) Romanum ſub Damaſo Papa; Epheſinum cælebratum Anno CCCCXXXI ſub Celeſtino Papa primo pro una in Chriſto perſona, contrà Neſtorium, in quo declaratum fuit, in Chriſto eſſe unam perſonam, & duas naturas, divinam ſcilicet, & humanam, & ipſum Chriſtum eſſe Deum, & hominem ſimul abſque ulla confuſione, aut converſione ſubſtantiæ. Calcedonenſe Anno CCCCLI, ſub Leone Romano Pontifice, pro duabus in Chriſto naturis contrà Eutychetem, & Dioſcorum ſuprà memoratos, quia dicebant, ut jam retuli, Chriſtum eſſe tantum Deum; hominem verò apparenter. Putabant enim humanitatem in Incarnatione fuiſſe ſubſtantialiter mutatam in divinitatem, remanente tantùm hominis apparentia, ſeu ſpecie exteriore.

Bracarenſe *Aurelianenſe.* *Conſtantinopolitana III. & IV* *Hiſpalenſe.*

Bracarenſe ſeu Concilium illud, in quo Priſcillianus fuit Anathemate percuſsus, definivit etiam, Chriſtum eſſe Deum natum de Maria Virgine ſecundum carnem. Aurelianenſe quintum, in quo inter cætera Eutycheris, & Neſtorij dogmata rursùs damnata ſunt. Conſtantinopolitanum tertium celebratum Anno DCLXXXI. ſub Agathone Papa, & Conſtantinopolitanum quartum, celebratum Anno DCCCLXIX. ſub Adriano ſecundo Papa, contrà Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum, fraudulenter intruſum, pro reſtituendo Sancto Ignatio, perperam, & injuſte detruſo. Eamdem veritatem de humanitate verè, & realiter in Chriſto exiſtente, tamquam de fide determinavit Concilium Hiſpalenſe ſub Bonifacio V. patriâ Neapolitano, manſuetudinis laude inſigni; in hoc quidem Concilio Can. 13. & 14. damnata fuit Acephalorum ſecta, quæ pridem in oriente compreſſa, in Hiſpanias reſurgere cæperat Syri cujuſdam Epiſcopi operâ, & fraudibus, in quò a Patribus convictó, & ſectam palam abdicare coactó, fides de duabus in Chriſto naturis, expoſita eſt & confirmata.

§. III.

Firmatur eadem veritas authoritate Scripturæ.

OMnes, & ſingulos præfactos hæreticos damnat Scriptura Sacra, Joan. 1. Ille quidem Evangeliſta ait: *Verbum caro factum eſt*, non per converſionem divinitatis in carnem, aut carnis in divinitatem, ut credunt Eutychiani: ſed per aſſumptionem humanitatis in Deum, non in confuſione ſubſtantiæ, ſed in unitate perſonæ verbi, ut docet Divus Athanaſius in Symbolo; ſancit igitur Sacra Scriptura, Chriſtum eſſe verè Deum, atque verum hominem, quia hæc verba, *Verbum caro factum eſt*, idem ſonant, ac iſta, *Verbum carnem, & Sanguinem aſſumpſit*, aut caro & Sanguis ſubſiſtunt in perſona Verbi Divini, ut interpretatur D. Cyrillus in Epiſtola, quæ lecta & approbata fuit in Concilio Calcedonenſi, ut dicemus infrà in reſponſionibus ad hæreticos. *Joan. 1.*

Unde D. Ambroſius, & D. Auguſtinus in hymno *Te Deum laudamus*, dicunt *tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum*, & Concilium Nicænum in Symbolo ſic de eodem Filio Dei loquitur, *& homo factus eſt*, non putativê, & umbralitèr, ut poſt Saturninum, ſomniavit Marcion impietate ſoporatus; cùm corpus phantaſticum, & umbratile carnem, & oſſa non habeat, quæ Chriſtus Apoſtolis ſe habere dixit, Lucæ 20. verſ. 30. ubi legimus: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum, palpate & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut vos me videtis habere*, ſed corporaliter & realiter, quia cùm Filius Dei, homo factus ſit, carnem noſtram de Matre ſua, ſeu de Maria Virgine ſuſcepit; igitur Chriſtus his verbis fatetur ſe habere verum corpus humanum ejuſdem materiæ, & rationis cum noſtro, ſeu corpus paſſibile atque mortale; non verò corpus phantaſticum, aut fatetur non eſſe merum ſpiritum, cùm ſic locutus fuerit ad manifeſtandam carnem ſuam Diſcipulis, & Apoſtolis, qui exiſtimabant ſe ſpiritum videre, undè quia Spiritui opponitur corpus materiale, Chriſtus dicendo Apoſtolis *videte & palpate &c.* & D. Thomæ *inſer digitum tuum huc*, nedum probat ſe habere verum corpus humanum noſtro ſimile contrà Cerdonem, Marcionem, & Manichæos, ſed etiam contrà Eutychianos, carnem poſt unionem hypoſtaticam non fuiſſe converſam in divinitatem, quoniam in divinitate vulnera minimè haberi poſſunt. *Luc. 20.*

Eadem veritas contrà hæreticos, confirmatur ex illo Pſal. 21. verſ. 18. in quo ſub perſona Chriſti dicitur, *foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea*; Chriſtus enim non ſic locutus fuiſſet per os Prophetæ, ſi fuiſſet, aut habuiſſet corpus cæleſte, aut ex elementis, ut voluerunt Apellitæ, aut Phantaſticum, vel Umbratile, ut crediderunt Saturninus, & Marcion. Quoniam hujuſmodi corpora, nec carnem, nec oſſa habent, neque membra, ſeu manus, & pedes ſenſibiles doloribus, & tormentis: carent enim harum pœnarum ſenſu; ideoque Chriſtus verum habuit corpus, & hoc paſſibile, ut etiam ſuadet illud Iſayæ cap. 5. verſ. 6. (quòd dicitur etiam ſub perſona Chriſti:) *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Cùm hoc ipſo textu exprimantur quædam membra corporis humani vera, realia, & Phyſica, quæ ratione ſolius naturæ humanæ corpori dumtaxat conveniunt, & illud paſſibile oſtendunt; quà paſſibilitate paſſibile erat ante mortem corpus Chriſti Domini Salvatoris noſtri, qui oblatus eſt quia ipſe voluit, multaque paſſus eſt tormenta, ut fuit definitum in Concilio Nicæno, cujus Symbolum habet, *Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt.* *Pſal. 21.*

Iſayas cap. 53. de Chriſto confirmat hæc omnia dicens: *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: attritus eſt propter ſcelera noſtra &c.* quibus liquidò conſtat, Chriſtum Dominum habere verum, reale, ac proprium corpus humanum, & pro nobis multa, & innomera ſuſtinuiſſe tormenta, nedùm ex parte Judæorum, qui crucifixerunt eum, ſed etiam ex parte corporis naturalis, quod ob qualitates contrarias, quibus neceſsariò, & intrinſecè conſtabat, ſuas patiebatur infirmitates naturales. Nam eſurire, ſitire, triſtari, dolere, pati, crucifigi, mori, Evidenter humanum eſt, divinitati eſſentialiter, & ab intrinſeco repugnans, quip-

Eſurire, ſitire, & mori probant Chriſtum eſſe hominem.

pe cúm Deus ſit omninò immortalis, ut teſtatur Malach. 3. Impoſſibile eſt quòd hæc omnia patiatur in natura ſua, aut ſubſtantia, quoniam dolere, pati, & mori mutant ſubjectum, quod dolet, patitur, & moritur; ac proindè Chriſtus; qui eſt verè Deus; & nihilominus eorum omnium ſubjectum fuit immediatum, eſt etiam verus homo per omnia nobis ſimilis abſque peccato, genitus, & natus de Maria Virgine, ut eidem Virgini dixerat Angelus Dei, Luc. cap. 1. Paſſibilis, & mortalis, ut probat noſtræ redemptionis prætium, quod exhibuit ipſe Chriſtus, qui nos redemit non in ſanguine hircorum, aut vitulorum, ſed in ſanguine ſuo.

Si Chriſtus à Patre miſſus corpus cæleſte ſecum traxiſſet, nihilque de Virgine accepiſſet, ſed per illam, tamquam per rimam, aut fiſtulam, ſine ulla carne de ea aſſumpta, tranſiiſſet, ut voluere Valentinus, Apelles, & Eutyches, antequam converſionem carnis in divinitatem ſomniaret, non diceretur in ſacris paginis filius Abrahæ, nec factus ex ſemine David ſecundum carnem, nequè filius hominis; quia non poteſt dici ex ſemine David; nec filius Abrahæ, neque filius hominis, niſi de carne Abrahæ ſuſceperit carnem, ſirque verus homo, carnem veram, & animam rationalem hebens: id enim quod conſtat corpore, & anima rationali, eſt homo. Nec diceretur factus ex ſemine David ſecundum carnem, niſi aſſumpſiſſet carnem, aut humanitatem genitam ab aliqua genitrice ex ſtirpe David: quid enim eſt eſſe ex ſtirpe alterius, niſi de ſanguine ipſius compactum habere corpus? Hæc autem genitrix ſecundum ſcripturas, eſt Maria in quam ſupervenit Sp.ritus ſanctus, qui de puriſſimo ipſius Virginis ſanguine formavit corpus, quod Verbum divinum hypoſtaticè aſſumpſit. Eamdem Virginem obumbravit virtus altiſſimi, ut de ea naſceretur Chriſtus, qui de ipſa verè; & de

Math. 1. facto natus eſt; ut teſtatur S. Math. cap. 1. Ubi humanam generationem delineans ait: *Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, Filii Abraham, Abraham genuit Iſaac* &c. Et hanc generationem ſic terminat: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Indè enim certum eſt quòd Chriſtus eſt Filius Abrahæ, & natus de Maria Virgine, cùm naſci de Matre, non ſit tantùm per illam, ſeu per ejus uterum tranſire, ut perperàm exiſtimaut Eutychiani, Manichæi; & alii, ſed ſit de ea verum corpus habere: hinc fit quòd filius dicitur viſcera Matris; alioquin, (ut notat noſter Alphonſus de Caſtro) liceret vocare Filium, menſtruum & vrinam, aliaque ſuperflua, quæ mulier ex ſe emittit: ergo eſſe Filium, eſt ſubſtantiam carnis de Matre accipere, & carnem eſſe, quoniam filius eſt caro Matris, ſeu caro à carne Matris cauſata; aut genita, ut concedunt omnes. Joannes cap. 3. verſ. 6. Idem aſſerit dicens, *quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Genitum autem dicimus id, quod eſt de ſubſtantia generantis; quòd valet etiam in divinis, ubi Filius dicitur genitus, quia eſt de ſubſtantia Patris, aut à Patre recepit ſubſtantiam per viam generationis, aut per potentiam naturalem, nempè intellectum: Chriſtus autem genitus, & natus eſt de Maria Virgine, juxtà illud Luc. 1. *Ecce concipies & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Idem conſtat ex eodem Evangeliſta

Luc. 1. cap. 2. ergo eſt verus homo, veruſque Mariæ Filius. Senſum Evangeliſtæ clariùs exponit Apoſtolus ad Galat. 4. verſ. 4. dicens: *at ubi venit plenitudo temporis; miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*, nam ſi factus ex muliere; ergo non ex cœleſti materia, aut ex adunatione elementorum corpus accepit ille Filius Dei à Patre miſſus, ſed ex ipſa muliere à qua factus eſt, quoniam factum, dicitur illud, quod ab alio accepit ſuum eſſe. Aqua quæ tranſit per canalem non dicitur facta ex canali; igitur neque Chriſtus diceretur factus ex muliere, ſi ſecum traxiſſet corpus cœleſte, & per uterum Mariæ tranſiiſſet, ut volunt hæretici.

Eutychianos aſſerentes; humanitatem in inſtanti Incarnationis fuiſſe in divinitatem mutatam, apprimè convincit Chriſtus ipſe, Math. ult. di- *Math. ult.*
cens poſt reſurrectionem ſuam: *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo; & in terra.* Pater autem non dedit ei hanc poteſtatem ut Deo, quia ſic erat æqualis Patri, ut fatentur Eutychiani contrá Arianos, ſed ut homini: igitur Chriſtus eſt verus homo, undè Apoſtolus ad Rom. 9. verſ. 5. ait; *quorum* *Rom. 9.*
Patres, & ex quibus eſt Chriſtus, ſecundum carnem; qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Idem Joan. cap. 6. verſ. 56. dicens; *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quippè ſi Chriſtus Dominus non habuiſſet veram carnem in perſona divina ſubſiſtentem ſimul cum divinitate Filii, ſeu Verbi, aut ſi in inſtanti Incarnationis, humanitas fuiſſet commutata in divinitatem, quomodo Chriſtus dicere potuiſſet: *caro mea verè eſt cibus?* Cùm ſubſtantiam carnis non habuiſſet hypoſtaticè unitam divinitati; non video cauſam ob quam hoc dici poſſit in rei veritate.

Quomodo dixiſſet: *ſanguis meus verè eſt potus*, ſi non fuiſſet verus homo, & ſolùm naturam divinam habuiſſet; quia divinitas, non eſt caro, nec ſanguis, ſed ens merè ſpirituale, & ſimpliciſſimum; neceſſè eſt igitur quòd hæretici dicant, Chriſtum ſic alloquentem, mentiri; aut eſſe verum hominem: Non primum; quia dicunt quòd Chriſtus eſt Deus, veruſque æterni Patris Filius, ac proindè eſſentialiter verax: ergo tenentur fateri ſecundum, ſcilicet Chriſtum eſſe verum hominem; cùm dederit carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum. Nam ſi caro fuiſſet in divinitatem converſa, non fuiſſet caro poſt converſionem, ſed divinitas, ſicut Aqua poſt converſionem in Cana Galileæ, fuit vinum, & ideo dixiſſet: *divinitas mea verè eſt potus*, ſicut in inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, Chriſtus panem præ manibus habens dixit Diſcipulis ſuis: *Hoc eſt corpus meum*; quia his verbis mutavit panem in carnem ſuam, & verus panis fuit caro Chriſti, ut docet fides, ac canit Eccleſia in Proſa Miſſæ de Euchariſtia, ubi dicitur: *dogma datur Chriſtianis, quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem*, at non dixit, *divinitas mea verè eſt cibus* bellè quidem; *caro mea verè eſt cibus:* ergo natura humana non fuit in inſtanti Aſſumptionis mutata in divinam; ut volunt hæretici, ſicut Aqua fuit mutata in vinum, aut panis fuit converſus in Corpus Chriſti; ſed

Inſtitutio Euchariſtiæ probat Chriſtum eſſe hominem.

remanſit hypoſtaticè unita Verbo teſte D. Leone *D. Leo.*
Epiſt. 11. ubi ait; *nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro, eſt mutata, ſed utrumque in uno manet, & unus*, id eſt Chriſtus, *in utroque non diverſitate diviſus, nec permixtione confuſus.*

Argumentum noſtrum infirmare contendunt Eutychiani authoritate quâ uſi ſumus ſuprà, Joan. cap. 1. *Verbum caro factum eſt*, volentes per hoc probare converſionem unius ſubſtantiæ in aliam, ſcilicet ſubſtantiam carnis converſam fuiſſe in ſub-

Digitized by Google

ſtanriam Verbi, autumantes nos non poſſe concedere ſubſtantiam verbi converſam fuiſſe in carnem, eorum expoſitio eſt. Quia id, quod in aliud vertitur, aut aliud fit, non manet in ſua natura poſt talem converſionem factam, ut conſtat de aqua vinum facta, quæ non remanſit aqua. Et in converſione metallorum, qua unum tranſit in aliud. Unde (inquiunt) Evangeliſta indè declarat, & firmiter aſſerit, carnem factam fuiſſe Verbum, aut Verbum factum fuiſſe carnem, & per conſequens humanitatem Aſſumptam, eſſe converſam in divinitatem, aut Chriſtum non eſſe hominem, aut non eſſe Deum; ſi ſit homo, non eſt Deus, ſi ſit Deus, non eſt bomo; cùm ex bis verbis Evangeliſtæ colligatur aliqua mutatio, ſeu defectio alicujus, ſcilicet divinitatis, aut humanitatis, quæ ſunt duo extrema unionis hypoſraticæ, aut duæ res, quæ continentur in adorando Incarnationis myſterio, quo una ipſarum facta eſt altera.

Reſpondeo hanc Eutychianorum rationem ex mera ignorantia procedere. Quia per hæc: *Verbum caro factum eſt* non intelligitur converſio unius ſubſtantiæ in aliam, ſeu Verbi in carnem, aut carnis in Verbum, ut clarè demonſtrat D. Athanaſius in ſuo ſymbolo, ſed Aſſumptio unius ſubſtanriæ ab alia in unitatem perſonæ, quoniam Verbum dicitur caro factum, ex eo quod verbi ſubſtantia; ſine ulla ſui mutatione, ſuſceperit in ſe noſtræ carnis ſubſtantiam, eamque propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtentem reddiderit. V. g. dum dicimus, paries factus eſt albus, non intelligimus, albedinem fuiſſe converſam in parietem, ſicut dum dicimus; aqua vinum facta eſt, intelligimus, aquam fuiſſe mutatam in vinum. Ideo cùm omnis factio non dicat converſionem unius ſubſtantiæ in aliam, ut probat exemplum allatum de pariete albificato, licet aliqua eam dicat, ut ſuadet miraculum de aqua vinum facta, Eutychiani non debent neceſſario inferre ex illa authoritate, *Verbum caro factum eſt* carnem fuiſſe mutatam in divinitatem, nec è converſo, ſeu Verbum in carnem; ſed ſolum carnem ſubſiſtere in perſona Verbi, & divinitati hypoſtaticè uniri.

Clara expoſitio textus Joan. cap. 1. verſ. 14.

Hæc reſponſio confirmari poteſt hac ratione. Si hæretici per hoc quod dicitur Joan. cap. 1. verſ. 14. *Verbum caro factum eſt*, velint fuiſſe converſionem quamdam ſubſtantialem, ſcilicet Aſſumptæ carnis in Verbum Divinum aſſumens, debent etiam velle, hanc ſubſtantiam Dei fuiſſe converſam in maledictionem, vel maledictionem in ſubſtantiam Dei. Quoniam Apoſt. ad Galat. cap. 3. verſ. 13. ſic de illo Verbo Incarnato ait: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*; ſed hoc dicere non audebunt. Quia horrendum eſt: ergo nec debent dicere quòd ex verbis D. Joannis ſequitur in myſterio Incarnationis, divinitatem fuiſſe mutatam in humanitatem, vel è contra.

Ad Galat. 3.

Nè autem credant hæretici, nos velle ex verbis Apoſtoli relatis inferre Chriſtum eſſe maledictum juxtà hanc paritatem, in aliquo ſenſu nempè per Aſſumptionem maledictionis, ſicut inferimus, Verbum eſſe carnem ex authoritate Evangeliſtæ, per Aſſumptionem humanitatis; advertendum eſt, Apoſtolum non loqui per converſionem, nec per aſſumptionem, ſed per fideijuſſionem, ſcilicet quia Chriſtus pependit pro peccatis noſtris in Cruce, in qua omnis, qui pendebat, maledictus vocabatur, ut conſtat, ex verbis, quæ immediatè ſequuntur: *quia ſcriptum eſt: maledictus omnis, qui pendet in ligno.*

Omnes præfati hæretici tandèm planè convincuntur aliis ſacræ Scripturæ textibus, ut patebit ex ſequenti inductione. Nam Marcioniſtæ aſſerentes; Chriſtum non fuiſſe natum, nec veram habuiſſe carnem, convincuntur Lucæ Evangelio, quo Chriſti nativitas, & Infantia delineantur: ibi enim recenſentur omnes à quibus deſcendit ſecundum carnem, & generationem temporalem, & ipſe Chriſtus dicitur verus Filius Mariæ. Eutychianos confundit effuſio ſanguinis pro noſtra, omniumque ſalute, quæ evidenter probat, Chriſtum fuiſſe verum hominem. Quia, ut inquit Tertullianus contrà Apellem, Marcionis Diſcipulum: *Chriſtus mori miſſus, naſci quoque neceſſariò habuit, ut mori poſſet, non enim mori ſolet, niſi quod naſcitur: mutuum debitum eſt inter ſe nativitati cum mortalitate. Forma moriendi, cauſa naſcendi eſt*, & Paulo poſt addit: *homo verè futurus uſque ad mortem, eam carnem oportebat ut indueret, cujus eſt mori, eam porrò carnem cujus eſt mori, nativitas antecedit*: Igitur Chriſtus verè natus eſt homo de Maria Virgine, nedùm quia, de ipſius nativitate multa habemus oracula in ſacris paginis, ſed etiam quia mortuus eſt: ſcriptum eſt de ipſo: *inclinato capite emiſit ſpiritum*. Spiritus autem ille non fuit ſeparatus à divinitate. Quia quod hæc ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, ſed à carne, ſeu corpore: ergo Verbum aſſumpſit verè corpus humanum, & Chriſtus eſt verè homo.

Tertullianus.

§. III.

Proponuntur & ſolvuntur argumenta contraria.

HÆretici probant Chriſtum non fuiſſe verum hominem, nec verè natum de Maria Virgine, ex variis textibus, quibus nativitati hominis multi tribuuntur defectus, qui Verbo Divino repugnant, ſed reſpondeo quòd hæretici eos malè intelligunt, quoniam hujuſmodi vitia noſtram nativitatem concomitantia, non ſunt appendices naturæ humanæ, ſed peccati fœtus. Quare in Adamo ante lapſum, hujuſmodi vita non extabant, ſed ſolum poſt-quam mandatum prætergreſſus eſt, ſeu poſt eſum ligni vetiti, talibus vitiis, & cogitationibus obſtrictus fuit, non quód Deus horrenda vitia, & mala creaverit; creando hominem, creavit enim illum in gratia, & rectum ut ſcriptum eſt, ſed quòd Diabolus pater mendacii, ex fraude, illa ſeminaverit, & maculaverit naturam humanam poſtquam in tranſgreſſione mandati conſtituta eſſet, & à Deo rejecta, ſed non ſeminavit ea ſuper Matrem Chriſti ut ſuadet illud Geneſ. 3. verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum*. Quòd de Maria intelligitur, & dictum fuit ſerpenti, qui parentes noſtros deceperat, nec ſuper Chriſtum, ſuper quem requievit ſpiritus Domini, & in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter ait Apoſtolus, idcircò hujuſmodi vitia, quæ in nobis naſcentibus, ſunt peccatô Adæ, non fuerunt in Chriſto, quamvis ſint in aliis hominibus; quia non venit in mundum virtute humani, viriliſque ſeminis, ſicut veniunt cæteri homines, ſed virtute Spiritûs Sancti, de quo concepit Maria; aliás hæc prædictio Iſayæ, *ecce Virgo concipiet, & pariet*, eſſet falſa.

Geneſ. 3.

Valentinus, errorem ſuum ſuſtinet authoritate Apoſtoli, ad Corinth. cap. 15. verſ. 47. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis*: ergo (inquit) Chriſtus, qui juxta communem interpretationem, eſt ille ſecundus homo, nullo modo eſt terrenus, ſeu carneus, ſed habet corpus cœleſte, quia eſt cœleſtis, ſicut Adam, qui eſt ille primus homo, habet corpus carneum, quia eſt terrenus.

Reſpondeo negando conſequentiam, & parita-

tem, ratio eſt quia ut Chriſtus ſit, & dicatur homo cœleſtis, ſufficit quòd natura divina cui unitur, aut perſona in qua ſubſiſtit, ſit cœleſtis: nam dicimus quòd Filius Dei paſſus, & mortuus eſt; quia natura humana cui hypoſtaticè unitur, paſſa, & mortua eſt: eadem ratione Apoſtolus dicit, Chriſtum eſſe cœleſtem, non quod habeat carnem ex aliqua materia cœleſti compoſitam, ſed quia natura divina humanæ unita, eſt cœleſtis, & increata. Vel dicitur cœleſtis, quia converſatio ejus, quamvis ſit homo, erat in Cœlis.

Rejicitur error Valentini.

Manichæus impugnans, Chriſtum eſſe verum hominem, utitur authoritate ejuſdem Apoſtoli ad Philip. cap. 2. verſ. 7. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Indè enim concludit, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed tantùm ad inſtar hominum, factum, ſeu habere figuram, aut ſimilitudinem; non verò ſubſtantiam, nec veram carnem.

Porrò hæc argumentatio eſt omninò inanis, & ex falſa imaginatione procedit, quia unus homo poteſt eſſe alteri ſimilis etiam ſecundum ſubſtantiam, & naturam, quâ conſtituitur in ſuo eſſe proprio, & eſſentiali; alioquin Eva non habuiſſet verè naturam humanam, quia creata fuit ad ſimilitudinem Adæ, ut patet ex Geneſ. cap. 2. verſ. 18. & cap. 5. verſ. 3. Undè neganda eſt conſequentia, cùm hæc particula, *in ſimilitudinem*, non excludat veritatem, nec realitatem illius, in quo eſt, poſſitque fundari in ſubſtantia, ut evidenter probat certum de Eva, & Seth exemplum relatum. Idem tenent Philoſophi, qui docent relationem ſimilitudinis inter duo extrema, fundari in unitate ſpecifica, ut patet in pariete nigro, qui fit ſimilis albo, ſtatimac recipit albedinem; idem de formis ſubſtantialibus.

Dicent Manichæi, ex Ariſtotele, ſimilitudinem non fundari in ſubſtantia, ſed in qualitate. Sed non nocet hæc authoritas, quia ſacra ſcriptura, quæ eſt infallibilis, & multa exempla illi contraria affert, non eſt alligata regulis illius Philoſophi. Sæpè enim vocat ſimilia ea, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei. Vel dico cum. D. Chryſoſtomo, verba Apoſtoli non referri ad homines, ut homines ſunt, ſed ad homines quatenus ſunt peccatores, ut patet ex illo ad Rom. cap. 8. verſ. 3. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*: Igitur Apoſtolus in loco à Manichæis citato, non affirmat Chriſtum habere ſimilitudinem hominis, ſeu eſſe hominem apparenter & figurativè, ut putant Manichæi: ſed ſolum ſimilitudinem peccatoris, ſcilicet quia tulit peccata noſtra. Chriſtus dicitur homo cœleſtis non quod careat corpore carneo, & humano; ſed quia vitam cœleſtem duxit. hinc eſt quod idem Apoſtolus cœleſtes vocat eos, qui Chriſtum imitantur. Adam verò dicitur homo terrenus. Quia fuit ſubditus peccato, undè idem Apoſtolus, ad Corinth. cap. 15. Statim poſt hæc verba: *primus homo de terra &c.* Subjungit: *Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.* Hæc expoſitio eſt Tertulliani lib. de carne Chriſti cap. 8. Ubi ait: *non ad materiæ differentiam ſpectat, ſed tantum terrenæ retrò ſubſtantiæ carnis primi hominis, id eſt Adæ, cœleſtem de Spiritu ſubſtantiam opponi ſecundi hominis, id eſt Chriſti.*

Rejicitur error Manichæorum.

Tertullianus.

Eumdem errorem deffendunt hæretici ex illo ad Epheſ. 4. verſ. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos ut impleret omnia* indeque concludunt, Chriſtum non habuiſſe verum Corpus, nec fuiſſe verum hominem. Quia non deſcendit de cœlo, ut homo, ſed ut Deus carnis expers, & aſcendit in cœlum ſine carne, & ſine materia.

Reſpondeo, Apoſtolum ibi non ſumere Chriſtum reduplicativè, nec adæquatè, ſed ſolùm in ſenſu præciſo, hoc eſt, loqui de perſona Chriſti, quæ deſcendit in uterum Virginis, & ſupplet, aut gerit in Chriſto vices perſonæ humanæ. Undè cum Chriſtus perſonaliter ſumptus, ſit ille, qui deſcendit, & aſcendit ſuper omnes cœlos; ſequitur quod Apoſtolus non negat, Chriſtum eſſe verum hominem, ſed ſolùm affirmat, quòd perſona, quæ deſcendit de cœlo, eſt ea, quæ aſcendit ſuper omnes cœlos; nam aſcendere, & deſcendere non tribuuntur naturæ, ſed ſuppoſito cujus eſt actio. Hoc verum eſſe probant verba, quæ ſequuntur: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c.* Quibus ſuadetur, Apoſtolum ibi ſumere Chriſtum perſonaliter, ſeu quatenus eſt homo divino perſonatus ſuppoſito, cùm ſic conſideratus dederit Apoſtolis virtutes ad Evangelium promulgandum neceſſarias, dare autem eas, non ſit puri hominis, ſed Dei.

Quidam, nomine Fauſtus, ſectâ Manichæus objicit hæc verba ejuſdem Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 16. de Chriſto dicta: *itaque nos ex hoc*; id eſt ex Chriſto, exponit ipſe Manichæus, *neminem novimus ſecundum carnem, & ſi cognovimus ſecundum carnem, Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.* Indè enim (inquit idem hæreticus) conſtat quòd Apoſtolus erravit, & poſteà errorem ſuum depoſuit, ſcilicet in principio exiſtimabat, Chriſtum habuiſſe realem, propriam, ac veram carnem, poſteà verò uſque ad tertium cœlum raptus, & Doctor factus, mutavit ſententiam, & eum non verâ, ſed dumtaxat apparenti carne velatum agnovit.

Reſpondeo, expoſitionem illam Fauſti eſſe impiiſſimam; cùm velit: Apoſtolum in errorem ſuum projicere, & ex authoritate ipſius Doctoris gentium, probare, Chriſtum non eſſe hominem verum, ſed ſolum apparentem, & figuratum. Undè dico quod Paulus loquebatur in primo ſenſu de carne impaſſibili, & immortali aut glorioſa Jeſu Chriſti, quam jam non novimus mortalem, nec paſſibilem quia omnia fuere conſummata in Cruce ex eodem Apoſtolo ad Rom. cap. 6. verſ. 9. *Mors Chriſto ultrà non dominabitur*, eſtque Corpus glorioſum inter cujus dotes, numeratur impaſſibilitas ut docent Theologi. In ſecundo loquebatur de carne paſſibili ſeu de Chriſto ante mortem: & reſurrectionem; cùm tunc eſſet verè paſſibilis, & non dubitaverit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum; & modo ſit penitùs impaſſibilis, & immortalis: igitur Apoſtolus non mutavit ſententiam dum dixit: *nunc jam non novimus*, ſed dixit quod cognovit Chriſtum ſecundum carnem paſſibilem, dum vitam mortalem agebat, & quod non novit eum ita mortalem poſt reſurrectionem; & revera eſt immortalis; cùm juxta fidem catholicam ſedeat ad dexteram Patris. Hæc expoſitio eſt Patrum Synodi octavæ, quæ eſt Conſtantinopolitana ſexta, & D. Auguſtini lib. 11. contra eumdem Fauſtum.

Rejicitur argumentum Fauſti Manichæi.

Obſtant tandem hæretici ex illo Luc. 8. verſ. 20. & 21. *& nunciatum eſt illi*, id eſt Chriſto; *Mater tua, & Fratres tui ſtant foris volentes, te videre, qui reſpondens dixit ad eos, Mater mea; & Fratres mei, hi ſunt, qui Verbum Dei audiunt; & faciunt*; idem ex Math. 12. verſ. 48. *quæ eſt Mater mea, & qui ſunt Fratres mei?* Ex quibus inferunt, Chriſtum reſpuiſſe Mariam Matrem, & Fratres. Procul dubio hujus reſponſionis ratio eſt. Quia non erat Filius Mariæ, nec homo ſicut Apoſtoli.

Reſpondetur, Chriſtum Dominum hoc non dixiſſe; ut Matrem negaret, ſed ut oſtenderet, illos, qui Verbum Dei audiunt & cuſtodiunt, eſſe Fratres ſuos, quia ſunt Filii Dei, juxtà illud Joan.

Qui ex Deo eſt Verba Dei audit.

8. verſ. 47. *Qui ex Deo eſt, Verba Dei audit*, negavit itaquè parentes eo modo, quo docuit ipſos eſſe negandos pro Dei opere, Math. cap. 10. ut notat Tertullianus lib. contrá Apellem Marcionis Diſcipulum cap. 6. Deindè hæc verba *Mater mea*, nullam negationem, nullamque excluſionem ſignificant, nec alia, videlicet, *quæ eſt Mater mea*, quia ſunt verba interrogationis, ex quibus non ſequitur, Chriſtum intendiſſe demonſtrare, Mariam non eſſe Matrem ſuam.

ARTICULUS XXXV.

Probat adversùs Appollinariſtas, Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem.

Appollinariſtæ.

ANno Domini CCCLXXVII. Imperante Valentiniano, & Damaſo Hiſpano ſummum Eccleſiæ Pontificatum regente, inſurrexerunt Appollinariſtæ, vel Appollinarii, qui propriam inſtituerunt ſectam, affirmando, Verbum Divinum hominis aſſumpſiſſe naturam, non integram, nec plenam, ſed carentem animâ, cujus vicem ſupplebat Corpori ipſum Verbum caro factum, ut reſtatur Socrates lib. 2. cap. 36. Quem ſequuntur omnes Scriptores, tam veteri, quam recentiores, à quibus accepimus Cathalogum Hæreticorum, inter quos difficultas ſolum eſt, an hujus ſectæ author, vel patronus, fuerit Appollinaris ſenior ſeu Pater genere Alexandrinus, Laodicenæ Eccleſiæ Presbiter, Grammaticæ Magiſter. Vel ipſius Filius, qui dicitur Appollinaris Junior, qui fuit ejuſdem Eccleſiæ Lector, & Rethoricæ Magiſter. Plures ſtant pro Patre, eumque hujus hæreſis authorem declarant, alii pro utroque ſunt, & credunt, hanc hæreſim fuiſſe a ſeniore, & à juniore ſimul diſcurrentibus, excogitatam. Sed communior & probabilior opinio tenet Appollinarem Filium, ſeu juniorem, eſſe hujus ſectæ inſtitutorem, & primipilum D. Gregorius Niſſenus in Opuſc. contrá Appullin. & S. Leo ſerm. 9. de quadrag. aſſerunt Appollinarium etiam docuiſſe ipſam Verbi Domini ſubſtantiã in Incarnatione converſam eſſe in carnem, ut notavi in articulo præcedenti.

Quanam fuit Appollinario erũdi occaſio.

Hujus hereſis Appollinaris occaſio fuit, quia Georgius Theodori ſucceſſor in Laodicenſi Epiſcopatu, metuens nè Appollinaris Pater, & Filius converſatione, & familiaritate Epiphanii hominis Ethnici, & Sophiſtæ provocarentur in Paganiſmum, & nequiens eos curâ, nec doctrinâ impedire, ſicut eos impedierat ipſe Theodorus prædeceſſor ejus, nè ad Epiphanii ſcholas accederent, uſus eſt gladio Eccleſiæ, nimirum cenſuris, & utrumque Appollinarem, ſeniorem ſcilicet, & juniorem communione privavit, tunc Appollinaris junior putans, hanc privationem eſſe maximam injuriam, eamque ſuſtinere nolens, fretus eloquii tumore Sophiſtici, novitatem, & ipſe introduxit hæreſeos, quæ hîc impugnanda eſt: hoc eſt, Verbum Divinum aſſumpſiſſe Corpus humanum, animam autem non aſſumpſiſſe. Somniavit quidem, Verbum in Chriſto pro anima fuiſſe, præſtando corpori vivere, ſentire, vegetare, & cætera, quæ anima præſtat corpori noſtro.

Porro hic error diſplicuit pluribus, qui ipſius partem ſuſceperant contra Georgium, ideoque dixerunt contra Appollinarem, Verbum Divinum aſſumpſiſſe animam, quantum ad partem quâ vivimus, & ſentimus, & communia cæteris nobiſcum animantibus officia præſtamus, non verò quantum ad illam partem, quâ rationales ſumus, & intelligimus, id eſt quantùm ad mentem, quam negabant eſſe in Chriſto, quia Verbum Divinum eſt intelligens, & valet intelligentiæ effectum ſupplere in Anima Chriſti, quapropter non Appollinariſtæ, ſed Dimæritæ dici voluerunt, teſte D. Epiphanio lib. 3. contrá hæreſes, tom. 2. Appollinario adhæſit quidam hæreticus nomine Timothæus, qui ſolitò dicitur Appollinaris Diſcipulus, unà cum ſocio ſuo Vitali Epiſcopo Antiocheno.

Dimeritæ. Timothæus. Vitalis.

§. I.

Affert concilia contra Appollinariſtas.

Conſtantinopolitanum primum.

HÆc hæreſis damnata fuit Anno CCCLXXXI. in Concilio Conſtantinopol. primo, quod eſt ſecundum generale in Epiſtola Synodica ad Damaſum, & alios in Romana Synodo congregatos, ubi habetur: *Se nec animæ, aut mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere. Verum noſſe ſe perfectum ante ſæcula Dei Verbum, & perfectum hominem in noviſſimis diebus, propter noſtram ſalutem fuiſſe*; & Concilium Romanum ſub eodem ſummo pontifice celebratum ait: *Illud ipſum Dei Verbum non pro rationali, & intelligente anima fuit in proprio corpore, ſed noſtram, hoc eſt, rationalem, & intelligentem animam citra peccatum aſſumpſit, & ſervavit.*

Romanum ſub Damaſo.

Sunt alia Concilia in quibus hæc veritas fuit definita contra Appollinariſtas, & Dimæritas, ſcilicet Alexandrinum à ſancto Athanaſio, aliiſque Catholicis Epiſcopis, poſt Conſtantii mortem celebratum, ut conſtat ex Epiſtola Synodica illius Concilii, in qua legitur; *Salvatorem non habuiſſe Corpus inanimum, nec ſenſus, aut mentis expert.* Antiochenum quod poſt novem dies ab obitu Divi Baſilii celebratum eſt. Sunt alia Concilia, ſed ea omitto. Quia ex variis ſacræ Scripturæ locis conſtat, Verbum Divinum aſſumpſiſſe animam rationalem omnino perfectam, hoc eſt, habentem intellectum proprium ſeu humanum, & creatum.

Alexandrinum. Antiochenum.

§. II.

Affirmat Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem.

CHriſtus in Cruce moriturus hanc ipſam animam æterno Patri commendavit, dicens ei, Luc 23. verſ. 46. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ſeu animam, quam de facto tradidit in Cruce moriens, ut ſancit Joan. cap. 19. verſ. 30. dicens de Chriſtò: *Inclinato capite tradidit Spiritum*, id eſt, animam reddidit, aut expiravit, ut ait idem ſanctus Lucas: hæc autem verba non poſſunt intelligi de dimiſſione humanitatis à Verbo Divino Aſſumptæ, quia Verbum numqnam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit, ut dicunt communiter Theologi cum D. Damaſceno, ſed debent intelligi de ſeparatione animæ à Corpore, qua diſſoluitur homo: ergo demonſtrant hanc animam, quam Chriſtus commendaverat Patri, fuiſſe traditam, & emiſſam, porrò cùm nemo tradat quod non habet, ſequitur quod Verbum aſſumpſit animam rationalem, ſicut aſſumpſit integrum Corpus humanum; alioquin Chriſtus non tradidiſſet illam Patri æterno, nec eam illi commendaſſet, nec eſſet perfectus homo, quód eſt falſum, ut docet D. Athanaſius in Symbolo.

Mors, & reſurrectio Chriſti probant Verbum Divinum aſſumpſiſſe animam.

Nec verè fuiſſet mortuus ipſe Chriſtus, ſi non habuiſſet animam rationalem; cùm mors non in ſeparatione humanitatis à divinitate, ſed animæ à corpore conſiſtat: nam inquit idem ſanctus Doctor lib. de Incarnat. *Expirationem nemo dixerit Deitatis*

traductionem, tranſmigrationem, ſed animæ diceſſum eſſe: nam ſi poſt emigrationem Deitatis, mors ſupervenit, eaque fuit corporis extinctio, propriam nimirum mortem obivit, non noſtra perfunctus eſt. Nec deſcendiſſet ad inferos poſt mortem, ſi animam non habuiſſet, quia Corpus non deſcendit ad inferos, ſed remanſit per tres dies in ſepulchro, ut facilè colligi poteſt ex ipſius Chriſti promiſſione, qui ante mortem dixit: *Poſt tres dies reſurgam*, nec Deitas deſcendiſſet ad inferos nuda; cùm ſit ubique, ut inquit D. Athanaſius: At Chriſtus verè mortuus eſt ut infrá dicemus contrá Baſilidianos, & ipſius anima unita Divinitati deſcendit ad inferos, ut dicemus contrá Bucerum: Igitur habet animam rationalem; cùm mors conſiſtat in ſeparatione animæ à corpore.

Idem probatur ex reſurrectione Chriſti, quam Appollinariſtæ credunt, nam Chriſtus reſurgendo tertia die, non reaſſumpſit Corpus, nec univit illud Verbo Divino, quoniam ut jam dixi cum D. Damaſceno, corpus illud non fuit dimiſſum à Verbo, nec ab ipſo ſeparatum per mortem, quâ ipſum Corpus ab anima dumtaxat fuit disjunctum: ideoque reſurgendo, nihil aliud fecit, niſi unire animam corpori à quo fuerat per mortem ſeparata. Hæc autem unio animæ cum corpore effecit hominem habentem animam rationalem, quâ vivit, quatenus homo eſt, intelligit, & diſcurrit, vivit, & amat Ipſe Chriſtus ut homo.

Appollinariſtas convincit, atque confundit Ipſemet Chriſtus Joan. 10. dicens Judæis: *Poteſtatem* Joan. 10. *habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, nemo tollit eam à me; ego pono eam à me ipſo, & iterum ſumam eam.* His quidem verbis evidentèr demonſtrat, ſe habere animam rationalem corpori unitam, & ab ipſo ſeparabilem; ſeu, quæ poteſt poni, & ſumi. Demonſtrat etiam ſe habere Divinitatem; quæ poteſt ponere, & ſumere eam, nam Divinitas non poteſt poni, & ſumi, hoc eſt, nec mori; nec reſurgere, benè vero humanitas, quæ non poteſt mori niſi à corpore ſeparetur anima, quæ eſt principium vitæ. Nec poteſt reſurgere, niſi ipſa anima reuniatur corpori, ideoque Chriſtus, qui verè mortuus eſt, & reſurrexit, verè habet animam rationalem.

Deindè eadem veritas confirmatur ex illo Math. Math. 26. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Verbum enim nequit triſtari, cùm ſit Deus ut dictum eſt contrá Arianos, & Socinianos, caro etiam nequit triſtari, niſi ſit unita animæ, ut eſt evidens in homine mortuo, in quo nullus eſt ſenſus, nullusque motus; idcircò Chriſtus, qui eſt Deus & homo, ut fatentur Appollinariſtæ, habet animam rationalem noſtræ ſimilem; cùm fuerit triſtis, & ipſa anima rationalis ad perfectionem hominis itá intrinſecè; & eſſentialiter pertineat, ut ſine ipſa, nullus poſſit eſſe homo, cùm ex Scriptura Geneſ. 3. verſ. 7. factus fuerit in animam viventem: Idque docent Theologi communiter cum Magiſtro ſententiarum aſſerente, Chriſtum in triduo non fuiſſe hominem, hac ipſa ratione; ſcilicet, quia anima rationalis tunc non erat unita corpori ipſius.

Dimæritæ his textibus ſcripturæ convicti reſpondent, Verbum Divinum ſumpſiſſe animam, ſed non mentem; ſeu intellectum; volentes, intellectum divinum ſufficere animæ Chriſti ad concipiendum, & ad intelligendum. Sed hæc reſponſio non valet, eſtque cenſenda hæretica. Quia indè ſequeretur quòd Chriſtus haberet animam maneam & imperfectam quòd eſt falſum; & contrarium fidei Catholicæ: nam intellectus eſt potentia animæ ab ipſa realiter indiſtincta, & perfectio itá eſſentialis ipſius, ut Verbum Divinum non poſſit vices ipſius gerere, niſi gerendo vices animæ, atqui non gerit vices animæ; ut fatentur Dimæritæ contrá Appollinarem, Vitalem, & alios: ergo Verbum aſſumendo animam rationalem, aſſumpſit mentem, ſeu intellectum ejus, etenim facultates aut potentiæ ſemper ſequuntur ſubjectum cujus ſunt. Hoc verum eſſe facile colligi poteſt ex illis verbis Chriſti apud Lucam cap. 21. Luc. 21. *Deſiderio, deſideravi manducare Paſcha vobiſcum.* Hoc quippè deſiderium non proficiſcitur à Divinitate, cùm in ſe habeat omnia, nec à ſola carne, cùm ex ſe non diſcernat, nequè appetat appetitu elicito, nec ab anima mentis experte, cùm ſic conſiderata, nequeat aliquid deſiderare; licet haberet voluntatem, quia nihil deſideratum; quin præcognitum, ſed proficiſcitur ex perfecta hominis natura, quæ corpus animam, mentem, & voluntatem continet; homo enim conſtat animâ & corpore, corpus conſtat membris; anima verò intellectu, & voluntate.

Eadem veritas apertè colligitur ex illo Luc. cap. 2. verſ. 52. *Jeſus autem proficiebat ætate, & ſapientia*, Luc. 21 quia non proficiebat ſeu creſcebat ſapientiâ ratione Divinitatis, aut Verbi, cùm ipſum Verbum ſit ipſa ſapientia increata, & infinita, nullumque recipiat incrementum. Nec ratione intellectus Divini, qui eſt infinitus: creſcebat igitur ætate ratione corporis, & ſapientiâ ratione animæ, non ſolius, ſed animæ mentem ſeu intellectum habentis, quia ſapientia creata eſt humànæ mentis dos, & habitus, ut docent communitèr Philoſophi. Undè ſi Chriſtus caruiſſet animâ, ut voluit Appollinaris, aut habuiſſet animam ſine mente, ut voluere Dimæritæ, non potuiſſet creſcere ſapientiâ, nec recipere Spiritus Sancti dona, quorum plura ſubjectantur in intellectu Chriſti, non divino, qui nequit recipere habitus infuſos, omni enim ex parte perfectum eſt Dei Verbum, ſed in intellectu humano.

Prætereá Chriſtus ut homo eſt perfectè beatus, ut fatentur omnes hæretici (ſi Appellianos excipias) illa autem beatitudo non conſiſtit in illapſu animæ, nec in habitu, ſed in operationibus animæ, ſeu in intellectione, & in volitione, ut docent communiter Theologi. Igitur hæretici inferre debent, Chriſtum beatum habere animam rationalem potentiis & facultatibus ſuis, ſcilicet intellectu & voluntate præditam, aliás ſequeretur quòd Chriſtus ut homo eſſet beatus, & videret Divinitatem intellectu divino communi tribus divinis perſonis, quia ſi non haberet intellectum humanum, ut ipſi hæretici volunt, non poſſet videre divinam eſſentiam, niſi intellectu divino, qui eſt unus in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & præter illum non eſſet alius in Chriſto: at falſum eſt quòd Chriſtus ut homo ſit beatus, ſeu videat divinam eſſentiam, & ipſâ perfruatur eodem actu intellectionis, quo Pater æternus, aut Filius, aut Spiritus ſanctus, eſt beatus; & quòd videat divinam eſſentiam eodem actu viſionis, quo Pater videt eam, quoniam tantam haberet beatitudinem, quantam habent Pater, Verbum & Spiritus ſanctus. Quòd eſt impoſſibile, cùm hoc repugnet humanitati aſſumptæ, ſicut implicat illi comprehendere Deum ut patet ex dictis ſuprà articulo quarto contrá Anomœos, Ætianos, & Auguſtinum de Roma Epiſcopom Nazarenum.

Si Chriſtus non haberet intellectum humanum non eſſet beatus.

Idem ſentiunt Sancti Patres, qui communiter prædicant contra Appollinariſtas Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam eſſentialiter perfectam, & completam, ſed ob prolixitatem, quam vitare cupimus; ſufficit authoritas D. Fulgentii lib. 1. ad Traſimundum Regem Uvandalorum cap. 8. Ubi exponens hæc verba Iſaïæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, evidenter demonſtrat articulum, quem deffendimus; ibi enim inquit: *Nam veritas carnis*

D. Fulgentius.

Virginali conceptu cognoſcitur, & in electione boni, anima intellectualis oſtenditur, & in Emmanuel nomine vera Deitatis natura monſtratur, ac ſic in vero Deo, nec falſa fuit hominis, nec ſemi plena ſuſceptio: dignum etenim fuit ut in ſacramento redemptionis humana, nec veritas defuiſſet perfectioni, nec perfectio veritati, nam ſi vera caro in Chriſto non fuit, quid in utero Virgo concepit? Et ſi anima, vel intellectus natura in Chriſto defuiſſe credatur humana, quid in Infante bonum, malumque dicitur ignoraſſe? An illam divinam Filii Dei naturam ignorantia boni, malique ſubjicimus, ut humanam in Chriſto animam denegemus? Ita nec credendus eſt homo ſuſceptus à Deo, quæ Dei ſunt aliquatenus potuiſſe ſapere in quo ipſa ſapientia cognitione boni, malique dicitur caruiſſe, Quibus evidenter conſtat, Appollinariſtas defeciſſe in vera fide, & uno errore voluiſſe plures veritates ſubvertere.

§. III.

In quo ſolvuntur argumenta contraria.

APpollinariſtæ veritatem noſtram impugnant, & negant, Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem, authoritate ſacræ Scripturæ & præcipuè ex illo Joan. 1. *Verbum caro factum eſt* ex quo inferunt, Verbum non aſſumpſiſſe animam, ſed tantùm corpus, ſeu carnem, quia credunt, & putant per nomem *caro*, nullo modo animam exprimi poſſe, & Incarnationem Verbi in ſola carne humana fuiſſe factam, quia ibi fit mentio tantùm de Aſſumptione carnis, ſeu corporis.

Hæc ratio non valet, quia nomine *caro* in loco citato ſignificatur homo, qui eſſentialiter continet corpus & animam rationalem, ut in iſto Marc. 13. verſ. 10. *Niſi breviaſſet Dominus dies non fuiſſet ſalva omnis caro*, Luc. 3. verſ. 6. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Pſal. 64. *Ad te omnis caro veniet.* Pſal. 143. *Et benedicat omnis caro nomini ſancto ejus.* Ibi enim caro non ſignificat corpus ſolùm, ſed hominem; cùm ſalus, viſio Dei, & benedictio carni nudæ minimè conveniant, bellè quidem homini, qui ſæpè per hoc nomen *caro* exprimitur, juxtá illud Geneſ. 6. verſ. 12. *omnis quippè caro* &c. Id eſt omnis homo *corruperat viam ſuam*, Itá pariter intelligendum eſt illud Joan. 1. *Verbum caro factum eſt* quòd idem ſignificat ac iſtud, *Verbum homo factum eſt*, ut vertit Concilium Nicænum primum. Idque confirmatur variis textibus ſacris, in quibus Chriſtus dicitur Filius hominis, qui naturaliter nedùm carnem, ſed etiam animam mente præditam continet.

Caro ſignificat hominem.

Ratio autem ob quam Evangeliſta non dicit: *Verbum homo factum eſt*, ſed potius, *Verbum caro factum eſt* juxtá monitum D. Epiphanii hæreſ. 77. *eſt nè quis fortaſſe crederet quod primus extiterit homo, & venit Chriſtus in hominem, ob idque Divinum Evangelium primo loco poſuiſſe Verbum, deindè profeſſum eſſe, carnem: quoniam Verbum caro factum eſt, non enim dicit caro Verbum facta eſt, ut oſtenderet primum Verbum è Cœlo veniſſe, & in ſe ipſum carnem ſubſiſtentem formaſſe ex utero ſanctæ Virginis, atque omnem in ſe, ſe perfectè naturam hominis expreſſiſſe.* Humana autem natura ſignificat carnem, animam rationalem, mentem, ac voluntatem, quippè Deus eſt, qui creat animam, ac proindè ipſa anima non eſt, vel in ſuo ordine perfecta eſt, ſcilicet habet intellectum, & voluntatem, tam in Chriſto, quàm in aliis hominibus. Verbum Divinum aſſumpſit hæc omnia, ut eſſet verus homo, dum caro factum eſt, & Filius Mariæ. Inſuper ibi caro eſt humana; cùm Divus Joannes ibi loquatur de Myſterio Incarnationis, in quo Verbum aſſumpſit carnem noſtram; ergo per carnem intelligit hominem.

Monitum divi Epiphanii.

Addunt Appollinariſtæ quòd ſi Verbum aſſumpſiſſet hæc omnia, eſſet in Deo quaternitas, nimirum tres Divinæ Perſonæ inter ſe realiter diſtinctæ, & homo perfectus, qui; cùm eſſet inſeparabiliter, & hypoſtaticè unitus Verbo, ſuoque in genere completus, quartam inſtitueret entitatem in Deo. quòd eſt expreſſe contrá ſacram Scripturam, & univerſalem Eccleſiæ fidem.

Hæc ratio eſt nulla: nam licet in Chriſto ſit humanitas perfecta, aut Chriſtus ſit perfectus homo corpore & anima rationali, & mente prædicus, non ſequitur tamen in Deo eſſe quaternitatem perſonarum, nequè quartam entitatem, quia humanitas non habet in Chriſto perſonalitatem diſtinctam à perſonalitate Verbi, nec ſubſiſtit ſubſiſtentiâ propriâ. Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus Sanctus eſt perſona, homo autem in Chriſto non eſt perſona, ſaltem humana, eſt una eademque perſona cum Verbo, quia perſona Verbi Divini, eſt perſona hominis Dei: Igitur non ſunt in Deo quatuor perſonæ; quamvis Chriſtus ſit verè Deus, & perfectus homo, quoniam quaternitas à quarta perſona, aut ſubſiſtentia deſumenda eſt. Entitas ut numeretur diſtinctè ab alia, & tribus addatur velut quarta, debet eſſe ultimatè completa propriô complementô; complementum autem illud eſt ſubſiſtentia propria, quæ ex Philoſopho, eſt ultimus actus rei, undè cum humanitas in Chriſto etiam ſi ſit eſſentialiter perfecta, non habeat propriam perſonalitatem, aut ſubſiſtentiam, ut dicemus infrá contrá Neſtorianos, ſequitur quòd in Deo non eſt propriè quaternitas, nec quarta entitas addita Trinitati; cùm nihil ei addatur per Aſſumptionem animæ rationalis à Verbo Divino, ſed potiùs ex illa aliquid humanitati Aſſumptæ accedat, utpotè ſubſiſtentia, aut perſonalitas Verbi Divini, nam Appollinariſtæ concedunt, Verbum Divinum aſſumpſiſſe verè Corpus; indè tamen Trinitati nullam tribuunt quaternitatem: ergo nec debent illam inferre ex aſſumptione animæ rationalis.

Anima non eſt in Chriſto quarta entitas.

Tandem dicunt quòd ſi in Chriſto eſſet intellectus creatus, ſequeretur ipſum Chriſtum potuiſſe peccare. Quia in ipſo extitiſſent cogitationes humanæ, quæ ad peccatum inducunt.

Sed allucinantur Appollinariſtæ atquè Dimæritæ, quoniam ex aſſumptione animæ & mentis, hoc non ſequitur, nam Chriſtus habet intellectum, & voluntatem, & alias potentias divinæ voluntati itá conformes, ut non poſſit cogitare malum, nec velle illud, ut ipſemet teſtatur dicens de Patre & de ſe ipſo: *quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Hujus veritatis ratio eſt, quia cogitationes humanæ non inducunt ad malum ex ipſa primi hominis creatione, ſed ex peccato inobedientiæ, aut rebellionis à primo homine commiſſo, ut obſervat D. Athanaſius. Chriſtus autem non fuit hujus inobedientiæ particeps; cùm non peccaverit in Adam; ac proindè non potuit cogitare malum; licet habeat intellectum creatum. Quemadmodum enim Verbum Divinum carnem aſſumpſit abſque ullo defectu culpabili à peccato proveniente, ſic aſſumpſit mentem creatam, ſecluſa propenſione ad malam cogitationem. Nam ſi ex Apoſt. ad Rom. cap. 8. verſ. 14. Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei, id eſt, ſi Filii adoptivi Spiritu Dei agantur, & non peccent, quis poterit dicere humanam mentem Chriſti potuiſſe mala cogitare; cùm Chriſtus ſit Filius Dei, non adoptivus, ut voluere Felix Urgelitanus, & Elipandus Toletanus ambo Epiſcopi Hiſpani, ſed naturalis & proprius.

In Chriſto voluntas humana fuit conformis divinæ.

ARTICULUS.

ARTICULUS XXXVI.

Refutat Monothelifmum.

Error Monothelitarum eſt de una voluntate in Chriſto.

HOrum hæreticorum, ſeu Monothelitarum error palmaris, in eo conſiſtit, quod in Chriſto unicam voluntatem, hancque divinam, omni arte, omnique induſtria propugnarent. Credebant enim, naturam humanam ità eſſe unitam Verbo, ut non poſſet velle, nec operari, niſi voluntate divina ſupplente defectum voluntatis humanæ, ſicut perſona divina gerit vices perſonæ creatæ. Hujus erroris aut hæreſis fundamentum erat; quia putabant in Chriſto tantùm eſſe unicam operationem, hancque divinam ratione unius ſuppoſiti divini, in quo natura humana ſubſiſtit ſimul cum divina, ut patet ex Epiſtola Cyrilli Alexandrini ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum.

§. I.

Hæreticos Monothelitas enumerat.

Macarius.

PRimus hujus hæreſis author creditur Macarius Epiſcopus Antiochenus, qui annò DLIX. ſub Juſtiniano Imperatore, & Pelagio primo hujus nominis Pontifice, docuit, in Chriſto eſſe duas naturas unitas hypoſtaticè, non verò duas voluntates, ſed unam tantum, & unam operationem perfectam à Verbo, ut à cauſa principe, ab humanitate verò ut à cauſa inſtrumentaria. Hunc hæreticum ſtatim ſecuti ſunt plures Epiſcopi Orientales, ſed præcipuè Cyrus Alexandrinus, Pyrrhus Chryſopolitanus Monachus, & Presbyter, adverſus quem ſtrenuè decertavit Sanctus Maximus Monachus cujus meminit Martyrologium Romanum die 13. Auguſti. Paulus Conſtantinopolitanus; Theodorus Epiſcopus Pharanitanus, Stephanus Presbyter, Polycronius; & alii quam pluſimi, quibus anno D̀CIV. tempore Phocæ Imperatoris; & Sabiniani ſe adjunxit infenſiſſimus libertatis Chriſti Domini inimicus; ſcilicet Sergius genere Syrus à Parentibus Jacobitis natus; ad Sedem Conſtantinopolitanam poſt obitum Thomæ Patriarchæ evectus, cui ſe oppoſuit magno fidei Zelo Sophronius Alexandriæ primò Monachus; deindè Patriarcha Jeroſolymitânus; ut notat Cabaſſutius in notitia Eccleſiſtica ſuper ſextam Sinodum. Ejuſdem Monothelismi Fautor fuit Heraclius Imperator, qui habito cum Severiano congreſſu, Juſſionem adverſus ipſum promulgavit, quâ inter alia, duas in Chriſto admittere operationes, prohibebat. Sergio adhæſerunt populi Orientales, apud quos etiam poſt ſextam Synodum, viguit hæreſis Monothelitarum: conſtat enim ex invectiva Iſaaci Armeniæ Catholici, qui floruit ſæculo undecimo, nec non ex aliis ſcriptoribus fide dignis, Armenos credidiſſe quòd ſicut in Chriſto, unus eſt operator, & unus volens, ità etiam credidiſſe, in ipſo Chriſto eſſe unam voluntatem, & operationem unam. Idem refertur de Caldæis, qui ſub Pauli V. Pontificatu, Monothelismum publicè; ac ſolemniter ejurarunt. Et de Marônitis, ut teſtatur Timotheus Presbyter Conſtantinopolitanus in opuſculo de his, qui accedunt ad Sanctam Eccleſiam.

Cyrus Alexandrinus. *Pyrrhus.* *Paulus Conſtantinopolitanus* *Theodorus Pharanitanus.* *Stephanus Presbyter.* *Polycronius* *Sergius.* *Armeni.* *Caldæi.* *Maronitæ.*

Origo Maronitarum.

De Maronitarum origine non conveniunt ſcriptores: quidam enim volunt, Maronitas ſuſcepiſſe nomen a Marone quodam viro malo, & hæretico Monothelizante, de cujus patria & conditione nihil audivi; alii à patriæ ſuæ vico, Maronia vulgò dicto, & à Sancto Marone Monaſterii celebris Abbate, cujus Diſcipuli Eutychianam hæreſim fortiter impugnantes, ab eo primum Maronitæ fuere vocati, ac tandem cæteri poſteà Concilii Calcedonenſis deffenſores, *Maronitæ*, pariter nuncupati, ſed quidquid ſit de illorum nominis origine, certum eſt, Maronitas olim fuiſſe Monothelitas. Et ab anno MCLXXXII. Nuſquam à Romana ſede defeciſſe, & vixiſſe ſub obedientia ſummi Pontificis. Habent unum Patriarcham, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Parochos; linguâ utentes Syriacâ in Officio Divino Ordinato à Sancto Ephrem Diacono Eccleſiæ Edeſſenæ, Græcorum ritus ſequuntur ferè omnes, excepto frumentati uſu, conſecrant enim in Azimo, pro ut jubet Eccleſia Latina. Habent Romæ collegium a Gregorio XIII. Fundatum pro formandis, & inſtruendis Juvenibus Maronitis.

Papa Vigilius non fuit Monothelita.

Non deſunt Scriptores aſſerentes Vigilium Papam fuiſſe Monothelitam, freti teſtimonio Pyrri, affirmantis in diſputatione cùm Sancto Maximo Monacho, & Martyre ſuprà jam memorato, ipſum Vigilium approbaſſe Libellum ſibi oblatum à Menna Patriarcha Conſtantinopolitano, in quo affirmatur, unam voluntatem eſſe tantum in Chriſto, hancque divinam, ut conſtat ex Epiſtola Sergii ad Epiſcopum Alexandrinum, quæ lecta fuit in ſexta Synodo generali, actione 12. Porrò hanc opinionem rejicit, ejuſque rationem ſolvit Major & Sanior Scriptorum pars, quoniam recipere Libellum oblatum, non eſt approbare illum, idcirco licet conſtet de miſſione, & receptione Libelli Mennæ, in quo aſſeritur in Chriſto eſſe tantùm unam voluntatem, hancque divinam, tamen non conſtat de ipſius approbatione Pontificiâ: igitur Vigilius non poteſt propter hoc dici Monothelita; vel dico cum communiori ſententia, exemplaribus Libelli Mennæ, additam fuiſſe à Græcis hanc particulam de unica voluntate in Chriſto: facta quidem de ipſius Libelli lectione, ſtatim legati exclamarunt, dixeruntque Mennæ codicem fuiſſe à Monothelitis certò vitiatum, huncque Patriarcham conſtantinopolitanum nunquam hoc dixiſſe, ideoque nullus poteſt colligere, Vigilium Monothelitarum errorem approbaſſe, etiam ſi Mennæ Libellum approbaverit; cùm in ipſo ut ad Vigilium tranſmiſſo, non contineretur illa particula de unica voluntate in Chriſto.

Major difficultas eſt de Honorio primo, plures enim præter hæreticos affirmant, ipſum ſummum Pontificem in duabus Epiſtolis, quas ſcripſerat ad Sergium Conſtantinopolitanum, in quibus habetur; *unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*; quaſque legit ſexta Synodus generalis, approbaſſe ipſius Sergii doctrinam unam dumtaxat voluntatem in Chriſto admittentem, ſed ſunt alii quam plurimi Annaliſtæ, & Hiſtorici Eccleſiaſtici, qui prædictum ſummum Pontificem Honorium excuſant; licet in Litteris, & reſponſionibus ſuis ad Sergium appoſuerit hanc particulam; *unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Eorum ratio eſt, quia teſte Sancto Maximo in diſputatione contra Pyrrum, ipſe Honorius loquebatur de ſola voluntate humana, ſeu de Chriſto ut homine. Hujus teſtimonii veritas eſt, quia Sergius ſcripſerat ad Honorium, quòd quidam dicebant in Chriſto eſſe duas voluntates contrarias;

Honorius autem volens hanc opinionem improbare; & ſancire nullam contrarietatem eſſe in Chriſto, ad Sergium reſcripſit, Chriſtum non habere duas voluntates contrarias, carnis ſcilicet, & Spiritus, ut putabant illi, de quibus ſcripſerat ipſe Sergius, ſed unam tantum. Id probant hæc verba, quæ ad prædicta, nimirum: *unam voluntatem fatemur* &c. ſequuntur: *Aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa, illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ per prævaricationem vitiata*, quibus ſuadetur voluntatis unitatem de qua ad Sergium loquebatur Honorius dicens: *unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*, eſſe humanam, ſeu voluntatem Chriſti ut hominis eſſe unam, ut excluderet voluntatem, ſeu affectus carnis pugnantis adverſus Spiritum. Quorſum reſpondiſſet Verbum Divinum aſſumpſiſſe noſtram naturam, & non culpam, niſi ad ſuadendum in humanitate Chriſti, nullam eſſe contrarietatem inter carnem, & Spiritum? Quam contrarietatem ſentimus ob peccatum in membris noſtris, ut monet Apoſtolus teſtificans ſe habere legem repugnantem legi mentis ſuæ, id eſt voluntatem carnis repugnantem voluntati animæ, ex qua repugnantia, illi, de quibus ad Honorium ſcripſerat Sergius, inferebant in homine eſſe duas voluntates contrarias; ac proindè etiam in Chriſto, qui eſt verus homo, eſſe duas voluntates inter ſe pugnantes. Sed cùm hoc ſit hæreticum, ille ſummus Pontifex Honorius, volens hunc errorem rejicere, & Sergio ſuadere, hanc repugnantiam non eſſe in Chriſto ſicut in aliis hominibus, ſcripſit illi: *unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Hoc eſt, nullam contrarietatem videmus in Chriſto inter mentem, & carnem, idcircò malè inferunt, harum quamlibet habere ſuam voluntatem, cùm in Chriſto caro penitùs, & inviolabiliter ſubjiciatur menti. Sic colligitur communiter ex ſcriptis Joannis IV. Romani Pontificis in Apolog. pro Honorio ad Conſtantinum Heraclii Filium, Sancti Maximi Martyris in Dialogo cum Pyrro, Anaſtaſii Bibliothecarii Præfat. In ſua ad Joannem Diaconum collectanea, Æneæ Pariſienſis Epiſcopi in præfatione libri adversùs Græcos, & aliorum, qui Honorium ab hæreſi Monothelitarum tam vere, quàm piè excuſant.

Papa Honorius non fuit Monothelita.

§. II.

Solemnis Monothelitarum condemnatio.

MOnothelìſmum ſolemniter damnavit Sacra Synodus Conſtantinopolit. tertia, quæ eſt ſexta generalis celebrata anno DCLXXX. ſub Conſtantino Pogonato, & Agathone Papa. Huic Concilio contrà Monothelitas celebrato interfuere ducenti & octoginta novem diverſarum Provinciarum Epiſcopi, ut refert Cardinalis noſter Laurea, cui ſuffragatus eſt noviſſimè Petrus Annatus contrà plures, qui credunt interfuiſſe tantum centum ſeptuaginta quinque, & quatuor Romani Pontificis Legati, videlicet Theodorus & Gregorius Presbyteri, Joannes Diaconus, & Conſtantius Hypodiaconus, ipſeque Imperator Conſtantinus Pogonatus, non quidem ut Judex, ſed ut Concilii defenſor.

Conſtantinopolitanum Tertium.

Eadem Monothelitarum hæreſis priùs damnata fuerat in aliis Conciliis anterioribus, ſcilicet in Romano ſub Joanne IV. anno DCXL. ut refert Theophanes. In Romano altero celebrato anno DCXLVIII. In Lateranenſi primo ſub Martino primo anno DXLIX quod vulgò dicitur Concilium Romanum. In Anglicano convocato anno DCLXXIX. præſide Theodoro Durovernenſi Epiſcopo, viro natione Græco. Et in pluribus aliis in Africa celebratis, in quibus deffinitum fuit, Chriſtum habere duas voluntates, & duas operationes, ſicut duas naturas, divinam ſcilicet & humanam, ac duos intellectus. Tandem & in Florentino in decreto Eugenii deffinitum fuit, Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam omnibus perfectionibus ſuis eſſentialibus adornatam, inter quas eſt voluntas, ut concedunt omnes.

Lateranenſe.

Florentinum.

§. III.

Quô aſſertur veritatis probatio.

VAriis Scripturæ Sacræ textibus refellitur Monothelitarum error, maximè ex illis verbis Chriſti, Math. 26. ad Patrem æternum, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu:* Indè enim liquet, Chriſtum habere voluntatem aliquam diſtinctam à voluntate Patris, ſeu à voluntate divina in tribus divinis perſonis exiſtente; cùm per hæc Verba, Chriſtus indicet ſuum velle, & velle Patris. Hæc autem voluntas ſignificata his verbis, *non ſicut ego volo*, non poteſt eſſe divina, ſeu ea, quæ eſt in Patre, ſignificata his verbis, *ſed ſicut tu*, quoniam hæc eſt ſuprema, eique impoſſibile eſt, ſe alteri ſubjicere voluntati, eſtque indiviſibiliter una, & eadem in Patre, Chriſto ſeu Filio, & Spiritu Sancto: igitur eſt humana, & propria Chriſto quatenus eſt homo. Undè verſ. 42. ait: *Pater mi ſi non poteſt hic Calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Et Joan. 6. *Deſcendi de Cælo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem Patris mei, qui miſit me.* Quibus verbis demonſtrantur duæ voluntates, nimirum voluntas Chriſti loquentis, aut miſſi, & voluntas Patris mittentis; alioquin non dixiſſet, *meam*, ſed ſolùm, *ejus qui miſit me*, vel è converſo. Hoc eſt, dixiſſet ſolùm *meam*, omiſſa alia, ſcilicet *ejus qui miſit me*, cùm juxtà Monothelitas, in Chriſto non ſit voluntas, niſi voluntas Patris: at voluntas ſignificata per pronomen, *meam*, non eſt voluntas divina, quia hæc non eſt tantum voluntas Chriſti, quatenus eſt Deus, ſed eſt etiam voluntas Patris; idcircò Chriſtus prout loquebatur, ſeu ut homo, præter voluntatem divinam, quam habet Deus Pater, habet aliam, ſcilicet humanam, quam Pater non habet, & quæ ipſiuſq; Patris voluntati ſubjicitur, eſtque illi conformis in omnibus actibus ſuis, ut fatetur ipſemet Chriſtus in Sacra Scriptura dicens *quæ placita ſunt ei facio ſemper.*

Eamdem veritatem affirmat Apoſtolus ad Philip. cap. 2. verſ. 8. dicens de Chriſto Domino. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*, hæc obedientia, quæ juxtà communem Philoſophorum ſenſum, eſt actus voluntatis, nequit eſſe in Chriſto actus voluntatis divinæ, quia hæc eſt ſuprema, cui omnia obediunt; ideoque eſt actus voluntatis humanæ, quâ Chriſtus eſt minor Patre. Deindè hæc obedientia fuit unius voluntatis ad aliam, id eſt, inferioris ad ſuperiorem, ſeu hominis ad Deum, ſubditorum ad Regem, minoris ad majorem, ergo Chriſtus non fuit obediens quatenus Deus, nec ſubjecit alteri divinam voluntatem, ſed quatenus homo poterat velle, & de facto voluit voluntate humana, quâ factus eſt obediens, ut docet D. Damaſcenus orat. de duabus voluntatibus Chriſti, ubi ait: *Si Chriſtus non aſſumpſit humanam*

Obedientia Chriſti eſt actus voluntatis humana.

voluntatem, quâ voluntate, factus eſt Patri obediens? Divina nulli obedit, & præter divinam non eſt alia niſi creata. Quare Joan. cap. 9. verſ. 29. ait: *Ego quæ placita ſunt ei*, id eſt, Deo Patri, *facio ſemper*, ut inde diſcamus ipſum Chriſtum ſemper fuiſſe obedientem Deo, ac proindè habuiſſe voluntatem humanam; alioquin non potuiſſet verè obedire, quòd non divinæ, ſed creatæ voluntatis eſt. Nec mereri ſe humiliando, & obediendo; quia non eſt obedientia, nec meritum ſine libertate indifferentiæ, nec libertas indifferentiæ ſine voluntate creata; meruit tamen ut declarat idem Apoſtolus, verſ. 9. dicens: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Satisfecit Deo Patri pro peccatis noſtris, & eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & vocavit nos in admirabile lumen ſuum: habet igitur voluntatem humanam, quá voluit humiliari, obediens fieri, ſolvere pro nobis, ſatisfacere, & mori. Irá enim oblatus eſt, quia ipſe voluit, ut ille, qui oblatus fuit, ſit ille, qui voluit ſe offerre, ſèd Chriſtus oblatus eſt, paſſus, mortuus, & ſepultus quatenus homo, ſubindeque quatenus homo voluit, fuitque conformis voluntati divinæ; *velle enim illius*, (inquit Nazianzenus orat. a. de Filio) *in nulla re erat contrarium, totum Deificatum*,

D. Damaſcenus.

Nazianzenus.

Inſuper ſi in Chriſto eſſet tantum una voluntas, ut volunt Monothelitæ, hæc eſſet divina, vel humana, vel tertia ex utraque compoſita. Si eſſet tantum divina, ſequeretur quòd Chriſtus non haberet animam rationalem perfectam, nec intrinſecè integram, ſeu habentem potentias ipſi eſſentiales, cùm hæc ipſa anima non haberet voluntatem ſibi realiter identificatam, propriam, & eſſentialem, quam cæteri homines habent, quâque homo juxtà communem Sanctorum Patrum, & Theologorum ſententiam, eſt imago Dei. Si eſſet humana ſequeretur quòd Chriſtus non eſſet Deus. Quia non haberet voluntatem divinam quà Deus eſt omnipotens, quippe in Deo velle, eſt poſſe, teſte Propheta Pſal. 113. verſ. 3. dicente: *Omnia quæcumque voluit fecit.*

Si eſſet tertia, ſeu compoſita ex divina & humana, ſequeretur quòd non eſſet divina, nec humana, ſicut homo V. G. compoſitus ex anima & corpore, non eſt anima nec corpus, ſed quid reſultans ex utraque parte. Porrò hæc omnia ſunt manifeſtè falſa, quia Chriſtus eſt verè Deus, & verè homo, non in confuſione ſubſtantiæ, ſed in unitate perſonnæ: igitur habet duas voluntates; divinam ſcilicet, & humanam, ſicut habet duas naturas, quippè de eſſentia, & integritate uniuſcujuſque naturarum, eſt propriam habere voluntatem operativam; nam operari ſequitur eſſe, non ſolùm ex eo quòd talis eſt operatio, quale eſt eſſe, ſed etiam ex eo quod quælibet natura ſuam habet operationem, ut notat D. Baſilius lib. 4. adverſus *Eunomium*, & alibi dicens, *eorum quæ diverſa ſunt ſubſtantia, non poteſt eſſe ſimilis operatio*; ex quo ſequitur in Chriſto, duas eſſe voluntates, duaſque operationes, ſicut duas naturas, quia voluntas non eſt perſonæ, ſed naturæ, inquit D. Damaſcenus, idque probari poteſt ex eo quod in divinis ſint tres perſonæ, & una voluntas, unaque operatio ad extrá.

Anima Chriſti eſt intelligens & volens.

D. Baſilius.

Hæc ipſa veritas Catholica de duabus in Chriſto voluntatibus contrá Monothelitas, evidenter ſuadetur ex illo Joan. cap. 10. verſ. 17. *Ego pono animam meam, & iterùm ſumam eam. Nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Indè enim infertur, in Chriſto, præter voluntatem divinam, quàm Monothelitæ admittunt, dari humanam; quia velle animam ponere, ſeu mori, non eſt actus voluntatis divinæ, quæ nequit ſibi velle mortem, nec Chriſtus quatenus Deus præciſè ſeu ſecundum divinitatem, poteſt velle mori; ſed eſt actus voluntatis humanæ. Velle autem iterum ſumere eam, ſeu poſſe reſurgere, non eſt actus voluntatis humanæ, ſed divinæ, quæ eſt infinita, & omnipotens: Itaquè in Chriſto ſunt duæ voluntates, divina ſcilicet, & humana. Illa voluit mori; illa verò reſurgere voluit, & potuit, ſic tenent communiter Sancti Patres, quos non appelio nè ſim prolixior, ſufficit adducere Patres Concilii Lateranenſis ſub Martino primo, qui in Conſult. Sic loquuntur: *Si quis ſecundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundum veritatem, duas unius ejuſdemque Chriſti Dei noſtri operationes coherenter unitas, divinam, & humanam, ab eo quod per utramque ejus naturam operatur naturaliter, idem exiſtit noſtra ſalutis: condemnatus ſit. Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos unam Chriſti Dei noſtri voluntatem confitetur, & unam operationem in peremptionem SS. Patrum confeſſionis, & abnegationem ejuſdem ſalvatoris noſtri diſpenſationem: condemnatus ſit*; & D. Dyoniſium lib. 4. de divinis nominibus cap. 2. *Diſcreta eſt autem benigniſſima circá nos Dei operatio, per hoc quod ſecundum nos, ex nobis integrè, verè, & ſubſtantialiter plaſmari voluit Verbum. Et operatus eſt, & paſſus quanta humana ejus operationi congruunt præcipua*, &c.

Ratio Patrum Concilii Lateranenſis.

D. Dioniſius.

Multis aliis Sacræ Scripturæ locis convinci poſſunt Monothelitæ; Luc. cap. 22. verſ. 15. Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Illud autem deſiderium, non eſt actus voluntatis divinæ, ſed humanæ, quia non quatenus Deus eſt, ſed quatenus eſt homo voluit manducare Paſcha. Tum quia id voluit quatenus paſſibilis erat, erat autem paſſibilis ſecundum humanitatem, ſeu quatenus homo, quia quatenus homo manducavit illud. Tum quia eſus Paſchæ eſt eorum, qui ſunt ſub lege de Paſcha comedendo. Chriſtus autem non fuit ſub lege quatenùs Deus, ſed quatenus homo, nec ſubjecit legi voluntatem divinam, ſed humanam: igitur quatenus homo, voluit, & deſideravit manducare Paſcha, & quatenus homo manducavit illud. Undè Apoſtoli prima die Azimorum acceſſerunt ad eum dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Hac quidem interrogatione conſtat, Diſcipulos credidiſſe, Chriſtum velle comedere Paſcha, & legem Judæis præſcriptam, fideliter, ac liberè adimplere, ac proindè credebant, ipſum Chriſtum habere voluntatem humanam, quà voluit ſe ſubjicere legi de comedendo Paſcha; cùm quatenus Deus, eſſet ſupra legem, nec poſſet velle voluntate divina ſe legi ſubjicere, ideoque deſiderium illud procedebat à voluntate creata naturæ humanæ propria.

Deſiderium Chriſti eſt actus voluntatis humanæ.

Joannes 17. verſ. 24. etiam demonſtrat voluntatem humanam, eſſe in Chriſto. Ibi ipſe Chriſtus ait de Diſcipulis ſuis; *Volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*, quoniam ibi loquitur ut homo, & ut homo vult quòd Diſcipuli ſint, ubi ipſe eſt, ut homo; nec poteſt aliter intelligi hæc locutio, quia Chriſtus quatenus Deus, eſt ſuprá ubi, & ubique. Quòd repugnat Diſcipulis, qui nequeunt eſſe ubique, ſicut Chriſtus ut Deus; & poſſunt eſſe ubi eſt Chriſtus ut homo: igitur Chriſtus habet humanam voluntatem, ſicut habet naturam,

Joan. 17.

Digitized by Google

& ipſâ voluntate voluit, ut ubi eſt quatenus homo, ſint etiam Diſcipuli, & electi.

Dicent hætetici, illud *volo* eſſe divinum, ſicut Ly *ego*, quod cùm exprimat perſonam, quæ eſt divina, *volo* deber etiam eſſe divinum. *Nego* inſtantiam quia ſuppoſitum divinum gerit vices ſuppoſiti creati in Chriſto, in quo ſunt duæ naturæ uno, codemque ſuppoſito perſonatæ, idcircò hoc pronomen *ego* aliquando ſignificat Verbum, ut dum ait: *Ego & Pater unus ſumus*, & aliquandò hominem ut dum ait: *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

§. III.

Reſpondetur objectionibus Monothelitarum.

MOnothelitæ negant, voluntatem humanam eſſe in Chriſto, hac authoritate Joan. cap.
Joan. 9. 9. verſ. 4. *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me*, ex qua concludunt, omnes operationes, ſeu volitiones itá eſſe operationes, & volitiones Dei, qui miſit illum, ut una & eadem ſit operatio ſeu voluntas Dei, & Chriſti. Nam (inquiunt) ſi oporteat Chriſtum operari, & velle ea, quæ operatur, & vult Pater, neceſsè eſt quòd in Chriſto nulla ſit alia voluntas, quàm voluntas Patris, quia ſi voluntas humana eſſet in ipſo Chriſto, non eſſet in neceſſitate volendi ea, quæ vult Pater. Quia eſſet diſtincta à voluntate Patris, & libera, ſeu potens velle, & non velle operari ea, quæ operatur Pater: ſed neceſſariò vult ea, quæ vult Pater, ſicut Verbum, & Spiritus Sanctus volunt ea, quæ vult Pater: ergo non habet aliam voluntatem, niſi eam, quam Pater habet: unde Joan. 5. verſ. 17. ait: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* His quidem Verbis demonſtrat, eſſe unum & eumdem operatorem cum Patre, hancque unitatem non eſſe ex parte ſuppoſiti, quia Pater, & Filius ſunt duæ perſonæ realiter diſtinctæ, ſed ex parte principii operativi, ſeu voluntatis, quæ eſt una, hæcque divina.

Huic rationi reſpondeo authoritatem ſcripturæ non probare in Chriſto eſſe tantùm unam voluntatem, aut unicam operationem. Nam dum Chriſtus ait. *Me oportet operari opera ejus qui miſit me*, oſtendit tantùm conformitatem voluntatis ſuæ cum voluntate Patris, ut dum dicit Joan. 6. *Deſcendi*
Diſſolvitur prima Monothelitarum ratio. *de Cœlo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me, Patris*, ut monet D. Baſilius lib. contradictionum adverſùs Appollinarem. Ratio hujus veritatis eſt, quia hoc Verbum *oportet* non arguit unitatem principii operationis in Patre, & Chriſto, ſeu Filio Incatnato, itá ut Chriſtus ut homo velit ea, quæ vult, eodem actu, quo ea vult Pater, ſed unitatem rei operatæ, aut volitæ: nam Chriſtus ut homo vult ea, quæ vult Pater, ſed vult ea diverſo principio, ſeu alia voluntate; alioquin Pater, & Chriſtus haberent idem ſuppoſitum, quia ſuppoſiti eſt operatio ſaltem denominativè, aut Pater haberet naturam humanam Chriſti, quia natura neceſſariò concurrit ad velle. At Monothelitæ non concedunt cum Sabellianis, Patrem & Filium habere unum, & idem ſuppoſitum, nec dicunt, Patrem aſſumpſiſſe naturam humanam: ergo nec dicere poſſunt operationes Dei, eſſe operationes Chriſti quatenus homo eſt, nec è converſo.

Dicent: in Chriſto eſſe tantum unam perſonam, hancque divinam, ut deffinitum fuit in Concilio Ephеſino contrá Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum: ergo in Chriſto eſt unica operatio, ſeu una voluntas, hæcque divina, ſicut perſona eſt divina.

Nego conſequens, quoniam operationes multiplicantur & diverſificantur ad multiplicationem principii *quo* operandi, quamvis principium *quod* ſit unum. Hoc verum eſſe ſic Evinco. In Deo ſunt tres perſonæ, tamen eſt in eo tantùm operatio una ad extrá. Ratio eſt quia principium *quo* operandi, nimirum voluntas, non multiplicatur ſicut in Chriſto: quamvis in Deo ſint tria ſuppoſita, & in Chriſto unum dumtaxat; ut autem duæ potentiæ operentur, non eſt neceſsè quòd ſint in duobus ſuppoſitis, ut patet de potentiis intellectiva ſcilicet, & volitiva, quæ in unam non confunduntur, quamvis exiſtant & ſubſiſtant in una & eadem anima, ſed quælibet juxtá ſuum modum operatur, & una eſt diverſa ab alia. Hinc eſt quòd in Chriſto Domino duæ admittuntur Intellectiones, & duæ volitiones; licet *Duæ potentiæ non exigunt duo ſuppoſita ut operentur.* in eo ſit tantum unum ſuppoſitum. Quia in eo ſunt duo intellectus, & duæ voluntates, quæ ſunt duo principia *quo*, intellectionis ſcilicet & volitionis, ſicut in eo ſunt duæ naturæ perfectæ, ſeu intellectivæ, & volitivæ, divina ſcilicet, & humana, quoniam quælibet natura in Chriſto eſt perfecta.

Non implicat quòd Chriſtus velit ut Deus, & velit ut homo: quamvis ſit unus, aut una perſona, cùm habeat duas naturas, quarum cuilibet proprium, & eſſentiale eſt intelligere, & velle. Nam inquit D. Auguſtinus lib. 5. adverſus Julianum Pelagianum; *ab illo eſt voluntas cujus eſt voluntas, ab Angelo ſcilicet voluntas Angeli, ab homine, hominis, à Deo, Dei* &c. *D. Auguſtinus.* Itaque à Chriſto ut Deo, eſt voluntas Dei, & à Chriſto ut homine, eſt voluntas hominis, & utraque vult quamvis ſit unus Chriſtus, unuſque Filius Dei, & hominis, ut poſt ſextam Synodum deſinivit Concilium Toletanum, can. 8. perſpicuum quidem eſt quòd convenienter naturis ſuis Chriſtus, id eſt, ut una quæque apta nata erat, volebat, & operabatur, etenim juxtá omnes Philoſophos operari ſequitur eſſe, operabatur igitur, & volebat Chriſtus ut Deus, & ut homo; cùm habeat eſſe Divinum, & eſſe humanum. Hoc verum eſſe probatur ex Scriptura Sacra Joan. 5. verſ. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius quos vult, vivificat*, Hoc non poteſt intelligi de Chriſto ſecundum humanitatem, nec de voluntate humana; cùm hæc ex ſe, nec ex unione hypoſtatica ſit formaliter omnipotens, nec infinita, & hoc adverbium *ſicut* ſit comparationis, comparatio autem ſit in his, quæ ſunt ejuſdem ſubſtantiæ, & ideo ibi Chriſtus docet nos, quòd ſicut Pater poteſt voluntate ſua ſuſcitare mortuos, ſic etiam ipſe poteſt eadem voluntate, ſeu quia Deus eſt; vitam eis præbere, ergo voluit ut Deus. Idem patet ex aliis textibus quibus conſtat, Chriſtum plura feciſſe miracula, quæ à ſola divina voluntate fieri poſſunt.

Quòd autem operatus fuerit, & voluerit etiam ut homo, patet ex illo Joan. 4. verſ. 6. *Fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem*, & ex illo Marc. Joan. 4.
7. verſ. 24. *Et indè ſurgens abiit in fines Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Hæc quippè voluntas, quà voluit neminem ſcire, & non potuit latere, non eſt divina, quoniam hæc eſt omnipotens, & potuiſſet latere; cùm voluiſſet, & neminem ſcire: ergo eſt alia, ſeu humana. Ratio hujus expoſitionis

eſt. Quia voluit neminem ſcire ſecundum id, quod non potuit latere ſecundum humanitatem. Quia ſecundum illam non erat omnipotens, neque inviſibilis, ſicut talis erat ſecundum Divinitatem: igitur ſecundum humanitatem voluit neminem ſcire; & ſecundum divinam voluntatem humanitatis in Chriſto.

Aliam rationem ex impeccabilitate Chriſti deducunt contrá nos Monothelitæ. Nam (inquiunt) ſi in Chriſto eſſent duæ voluntates, humana poſſet repugnare voluntati divinæ; cùm eſſet libera; & ideo Chriſtus non eſſet impeccabilis, quia poſſet aliquid velle contrá voluntatem Dei, ſeu peccare; quippè omne concupitum contrá legem Dei, eſt peccatum; ut docet D. Auguſtinus. Undè nè hoc dicatur de Chriſto, una duntaxat admittenda eſt voluntas in ipſo, hæcque divina.

Non valet hæc ratio. Quia humana Chriſti voluntas ſemper fuit ratione unionis hypoſtaticæ, vel ratione manutenentiæ Dei (ut volunt plures Theologi) ſubdita, & conformis divinæ, ut facilè colligi poteſt ex illo Prophetæ pſal. 39. in perſona Chriſti ſic loquentis: *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Et ex illo Joannis 5. verſ. 19. *Nen poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, quibus ſuadetur, voluntatem humanam in Chriſto eſſe radicaliter conformem voluntati divinæ, & velle ea, quæ vult Deus; ſubindequè omninò impeccabilem eſſe. Ratio hujus inviolabilis conformitatis eſt, quia Chriſtus ob prudentiam & notitiam divinæ voluntatis, quibus pollebat, non poterat in qualibet actione ſua non attendere, aut non conſiderare divinum beneplacitum, nec omittere ea; quæ ſunt Dei Patris, à quo miſſus fuerat, undè Luc. 2. verſ. 49. dixit Matri ſuæ *in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Hoc eſt, me oportet facere voluntatem Patris mei.

Rejicitur Monothelitarum ratio ex impeccabilitate Chriſti deſumpta.

Tandem objiciunt authoritatem nonnullorum Sanctorum P. um aſſerentium humanitatem in Chriſto eſſe inſtrumentum divinitatis (ſed eorum nomina, & verba omitto, cùm nullus ſit de hac aſſertione dubitandi locus) indè enim concludunt, humanitatem Chriſti Domini non habere propriam operationem, ſed operari, ſeu velle operatione, & voluntate Verbi Divini: quoniam inſtrumenti, & ejus qui movet illud ad agendum, aut ejus, qui ipſo utitur, una eſt operatio, ut docet experientia.

Reſpondeo concluſionem eſſe falſam; licet aliqui ſancti Patres & præcipuè D Athanaſius Orat. 4. dixerint, humanitatem in Chriſto eſſe inſtrumentum Verbi Divini, quia non dixerunt, ipſam humanitatem eſſe inſtrumentum artificiale, in quo nulla eſt virtus operandi, & agit ex ſola motione alterius utentis ipſo, ut nos docet quotidiana experientia, ſed dixerunt, eſſe inſtrumentum naturale, & ſubſtantivum, quod potentiâ ſibi naturali & intrinſecâ, propriâ forma, & efficiendi virtute præditum eſt. Humana natura non eſt inſtrumentum Verbi eodem modo, quo ſecuris eſt inſtrumentum artificis, hoc quippè inſtrumentum nihil ex ſe, & citrà principalis cauſæ motionem operatur, eſtque inſtrumentum mortuum, omni vitâ, omnique motu carens, ſeu totaliter ab alio moveri indigens; ſed natura humana ſic ad agendum adhibita eſt à Verbo, ut per ſe aliquid conferret ad opus, fuit aſſumpta, ut Verbum eſſet homo; quin tamen deſineret eſſe Verbum Divinum, nequè homo deſineret eſſe homo; cùm Chriſtus ſit perfectus Deus, & perfectus homo hominis autem ſit operari & velle; licet dici poſſit, Dei inſtrumentum, quia ipſius actione aliquando utitur Deus: Igitur Chriſtus voluntate humana, & voluntate divina operatur.

Explicatur mens Sanctorum Patrum.

Deindè anima Chriſti ſubſiſtens ſubſiſtentiâ Verbi, operatur videndo & amando Divinitatem; hæc autem operatio ſeu viſio & amor, non eſt viſio, quâ Verbum videt divinam eſſentiam, nec amor eſt ille, quo amat eam, ut dixi contrá Appollinariſtas; alioquin anima Chriſti comprehenderet Deum; quòd eſt falſum, ut diximus ſuprá articulo IX. contrá Anomæos, & Auguſtinum de Roma Epiſcopum Nazarenum: ergo Chriſtus habet operationes intellectus, & voluntatis animæ rationalis, cui naturaliter competit intelligere, & velle, ſicut competit cæteris hominibus, cùm Chriſtus ſit homo perfectus, & perfectio animæ rationalis ſit intelligere, & velle, non volitione divina, ſed creatâ & humanâ. Idque colligitur ex illo Math. cap. 27. verſ. 34. *& dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum, & cùm guſtaſſet noluit bibere.* Hæc quidem volitio neceſſaria erat voluntati humanæ, quia non voluntatis divinæ Chriſti, erat velle bibere, ſed humanæ erat velle bibere. Nolle autem, & velle bibere, ſunt ejuſdem voluntatis ſcilicet humanæ, & creatæ.

Dicent Monothelitæ Verbum Divinum in Incarnatione non aſſumpſit id, quod habet, alioquin aſſumpſiſſet perſonam humanam; ſicut aſſumpſit carnem, ſed habet voluntatem, quâ natura humana poteſt velle, ſicut habet perſonam; quâ ipſa natura humana ſubſiſtit: ergo in Chriſto eſt tantum una voluntas, hæcque divina, ſicut eſt una perſona.

Nego ſuppoſitum, & paritatem. Nam Verbum Divinum voluit fieri homo, idcircò debuit aſſumere ea, quæ ſunt neceſſaria, ut eſſet homo perfectus perfectionibus naturalibus, & eſſentialibus, inter quas reperitur voluntas humana, licet ipſum Verbum habeat voluntatem divinam, quoniam ipſâ divinâ voluntate, homo non poteſt eſſe liber, nec ſe ſubjicere decretis, & Dei mandatis, ad quæ oportebat Chriſtum ſe ſubjicere liberè, & voluntariè. Neque potuit mereri; cùm voluntas Verbi ſit ſuprema cui fieri debuit ſatisfactio pro peccatis noſtris à Chriſto exhibenda: ideoque Verbum Divinum debuit aſſumere voluntatem humanam; quamvis non aſſumpſerit perſonam. Ratio diſparitatis eſt, quia voluntas humana non eſt verè inaſſumptibilis; neque incommunicabilis ſicut perſonalitas: ideoque non fuit neceſsè, in hoc myſterio, voluntatem divinam gerere vices voluntatis humanæ, ſicut neceſsè fuit, ſuppoſitum divinum gerere vices ſuppoſiti Creati. Prætereà ſi hoc argumentum valeret, Monothelitæ tenerentur remouere à Chriſto etiam intellectum humanum, quia Verbum habet intellectum; admittunt tamen contrá Appollinariſtas intellectum humanum in Chriſto: ergo debent admittere voluntatem.

Licet Verbum non aſſumpſerit perſonam humanam, aſſumpſit tamen voluntatem.

Dicunt inſuper, velle non eſt naturæ, ſed perſonæ. Quoniam eſt actus rei completè ſubſiſtentis: at Chriſtus habet perſonam: ergo habet tantum unum velle, ſeu unam voluntatem.

Reſpondeo, velle eſſe naturæ perſonatæ ſive propriâ ſive alienâ perſonalitate, non verò perſonæ præcisè, itá ut tot ſint voluntates, quot ſunt perſonæ, & tot perſonæ, quot ſunt voluntates; alioquin ſequeretur quòd in Deo eſſent tria velle, aut tres voluntates (quia in eo ſunt tres perſonæ, & una natura tantùm, ſicut in eo eſt tantùm unum velle.) Quod tamen Monothelitæ non con-

cedunt, omnes quidem credunt, in Deo eſſe tantùm unam voluntatem, quia in ipſo, aut in tribus divinis perſonis, eſt tantùm una natura tribus perſonalitatibus perſonata. Undè Chriſtus cùm prærer naturam divinam, habeat naturam humanam, hæc debet habere ſuum velle diſtinctum à velle Verbi, ſeu bumanum; cùm natura humana non poſſit habere intrinſecè, & eſſentialiter voluntatem divinam, nec natura divina voluntatem humanam à ſe omninò indiſtinctam, ſicut habet divinum intellectum à ſe indiſtinctum, quamvis ambæ ſubſiſtant in Chriſto eàdem ſubſiſtentiâ, ſintque in eadem perſona: *agit enim* (inquit) S. Leo in Epiſt. ad Flavianum cap. 4. *Utraque forma cum alterius quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Horum unum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis, & ſicut Verbum ab æqualitate paterna gloriæ non receſſit, ità caro noſtram noſtri generis non reliquit*: His liquet, humanitatem in Chriſto habere quod naturæ noſtræ proprium eſt, ſcilicet operationes intellectus, & voluntatis, quas habet humana natura in quolibet individuo. Idem docet D. Joan. cap. 7. dicens: *Ambulabat Jeſus in Galilæa, non enim volebat ambulare in Judæa, quia quærebant eum Judæi interficere.* Hæc autem nolitio erat actus voluntatis humanæ, ſicut ambulatio erat actus naturæ humanæ, & corporis.

D. Leo.

ARTICULUS XXXVII.

Refutat Neſtorianiſmum.

DUos errores docuit Neſtorius Primus duas in Chriſto admittit perſonas, quarum una eſt Verbi Divini, & alia hominis, ſeclusâ unione hypoſtaticâ, ipſiuſque loco admiſsâ unione affectus. Alter verò negat Beatiſſimam Virginem Mariam eſſe Matrem Dei, ſeu Dei param, aut Theotocon, ſed vult ipſam eſſe Chriſtotocon, ideſt ſolùm Matrem hominis, in quo Verbum Divinum eſt velut in ſuo Templo abſque ulla unione perſonali cum humanitate. Hic obiter obſervandum eſt, Neſtorium non eſſe primum hujus hæreſis inventorem, nec authorem. Nam D. Ambroſius (qui tempore præceſſit Neſtorium) lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. hujus hæreſis mentionem facit, tacito authoris nomine (qui tamen creditur Bonoſius de quo in ſequenti articulo erit ſermo.) Sunt alii ſcriptores, qui hanc hæreſim tribuunt Leporio Monacho, quem damnavit, & Sacerdotio privavit Proculus Epiſcopus Maſſilienſis, & qui poſteá cum aſſeclis ſuis in Africam commigravit. Ibique habitis primùm cum Aurelio Carthaginenſi, & Auguſtino Hiponenſi colloquiis, tandem reſipuit, eorumque litteris præmunitus in Galliam reverſus, oblatoque Proculo fidei libello, peractaque pœnitentiâ, priſtino gradui reſtitutus eſt, ut poſt plures alios graviſſimos authores teſtatur Caballutius in notitia Eccleſiaſtica.

Neſtorius non eſt hujus hæreſis Inventor.

Ille tamen ſub quo latiùs diffuſa fuit, & à quo nomen accepit hæc ſecta duas in Chriſto admittens perſonas, eſt Neſtorius ex Germaniciæ Syriæ oppidulo ortus, profeſſione Monachus in Monaſterio Sancti Eutrepii propè Antiochiam, doctrinâ & eloquentiâ celebris, Theodori Mopſueſteni Diſcipulus, acerrimus Arianorum, Macedonianorum, & aliorum hæreticorum impugnator, qui ſibi populorum fidem concilians, ſanctitatis ſpecie (quam affectabat,) pallore vultus, Macieque corporis, indicibus abſtinentiæ, cogitabunda frontis gravitate, modeſta quidem triſtitia, Pulla veſte, ſolitudinis, & librorum amore, cum juſtis, & viris verè Apoſtolicis reputatus fuit, hiſque, non intrinſecè, ſed tot tantiſque extrinſecùs dumtaxat honeſtatus virtutibus, cum Clerus Conſtantinopolitanus diviſus eſſet, ad Patriarchalem ſedem Conſtantinopolitanam, poſt *Syneſium* evectus fuit. Sed ibi Paulo poſt in Hæreſiarcham mutatus, ſub Theodoſio Juniore Imperatore, & Cæleſtino primo Papa anno circiter CCCCXXVII. cœpit prædicare in ſuo Epiſcopatu, duas in Chriſto eſſe perſonas, docere duos eſſe Chriſtos, unum Filium Dei, & Filium Mariæ alterum, ac proindè Beatiſſimam Virginem Mariam non eſſe dicendam Deiparam, ſeu Matrem Dei, ſed Chriſti param id eſt Matrem Chriſti hominis. Hinc eſt quòd Vincentius Lyrinenſis, conſideratâ hujus Hæreſiarchæ hypocriſi, monet, Neſtorium tot, tantaſque apparenter exercuiſſe virtutes, & hæreticos impugnaſſe antequam Patriarcha eſſet, ut ſuæ hæreſi aditum patefaceret.

Hypocriſis Neſtorii.

Hæc hæreſis anno Domini CCCCLX. ſub Leone primo Imperatore, & Leone primo hujus nominis Papa, alium habuit deffenſorem in impietate & blaſphemia Neſtorio non imparem, ut poté Timotheum cognomento Ælurum, profeſſione quidem primo Monachum, ſed poſteá Presbiterum Eccleſiæ Alexandrinæ factum, & deindè per impoſturam Epiſcopatus Alexandrini violentum atque injuſtum occupatorem. Huic hæretico ſucceſſit alter anno: CCCCLXXVI tempore Zenonis Imperatoris, & Simplicii ſummi Pontificis, ſcilicet Petrus Cnaphæus, qui ſedem Antiochenam invaſit, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo nomine Martyrio adhuc vitam agente, & Epiſcopatus munia dignè adimplente. Hic hæreticus, & Epiſcopus Intruſus, ac indignus nimirum Petrus Cnaphæus, duas perſonas Chriſto tribuens, auſus eſt in Angelico Hymno, qui Triſagion à Græcis nuncupatur, quartam ſuperaddere vocem, dicens: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & Immortalis, Sanctus qui crucifixus eſt*, ut Sanctum fortem (quo nomine, Filius Dei deſignatur) alium faceret ab eo, qui crucifixus eſt, & aſſereret in Chriſto eſſe Filium Dei divinam perſonam habentem. Et Filium Mariæ habentem perſonam humanam, hoſque duos filios ſolùm accidentaliter, & per affectum, aut habitationem unitos eſſe. His omnibus hæreticis ſucceſſere circá annum Domini DCLX. ſub Heraclio Imperatore, & Theodoro Pontifice maximo, Chazinzarii viri hæretici ex Armeniorum familia, ſectâ Jacobitæ, qui Neſtorianiſmum publicè tám ore, quám calamo tuebantur.

Timotheus Ælurus.

Petrus Cnaphæus.

Chazinzarii.

§. I.

Hæreſis condemnatio.

NEſtoriana hæreſis damnata fuit in variis Conciliis tam contrá Petrum Cnaphæum in Conſtantinopolitano V. quàm contra Timotheum. In Aurelianenſi V. ſed præcipuè contrà Neſtorium in Epheſino celebrato anno CCCCXXXII. ſub Cœleſtino Papa, in quo declaratum fuit in Chriſto eſſe tantùm unam perſonam, hancque divinam. Et Beatam Virginem Mariam, veram Matrem Dei. Et ad reparandam injuriam Beatæ Virgini Deiparæ, à Neſtorio latam, juſſu Patrum hujus Epheſinæ Synodi, omniumque fidelium applauſu, huic Salutationi Angelicæ, *Ave Maria*

Epheſinum.

gratia plena &c. addita fuit hæc præcatio; *Sancta Maria Mater Dei &c.* quæ ſolitò dicitur cum ſalutatione Angelica.

Theodorus Mopſueſtienſis.

Ibas.

Theodoretus.

At nonobſtante hac celeberrima hujus hæreſis condemnatione, poſteà tres libri emerſerunt eamdem hæreſim tuentes, quorum unus erat Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, Neſtorij præceptoris, & amici, Alter Ibæ Epiſcopi Edeſſeni, tertius tandem Theodoreti Epiſcopi Cyrenenſis de quibus tribus libris, ſeu capitulis actum eſt in Synodo Conſtantinopolitana ſecunda, celebrata anno. DLIII. ſub Vigilio Papa contrà errores Origenis, & pro decidenda celebri eorumdem trium prædictorum capitulorum lite, per hæc enim capitula renaſci cœpit hæreſis Neſtoriana, & oriri occaſio, quintum Æcumenicum celebrandi Concilium, ex eo enim quòd hæc tria Capitula non eſſent à Calcedonenſi Concilio damnata, Neſtorii doctrinæ licet multum faventia, ſed è contra, authores illi tres utpotè Theodorus, Ibas, & Theodoretus fuiſſent in communionem recepti, Neſtoriani inferebant perperam & injuſtè ab Epheſina Synodo damnatum fuiſſe Neſtorium, quoniam ſciebant doctrinam trium capitulorum (non damnatam in Concilio Calcedonenſi in quo damnati fuerant Eutychiani) eſſe doctrinam Neſtorii, conquerentibus Neſtorianis interim favebant Eutychiani, qui continuò urgebant, ut damnarentur hæc tria capitula ab illis Epiſcopis relicta, ſperantes inde ut authoritas Concilij Calcedonenſis minueretur in Concilio futuro ſi haberetur contra ſcripta Theodori, Ibæ, & Theodoreti Neſtorianorum, ſed vana fuit eorum ſpes; cùm hæc tria capitula expreſsè & verè damnata fuerint in Concilio ſequenti, utpotè Conſtantinopolitano ſecundo collatione 8. & Concilium Calcedonenſe Eutychetem damnans confirmatum fuerit, & ipſi Eutychiani novo Anathemate percuſſi.

§. II.

Probat unitatem perſonæ in Christo.

NEſtorij errorem, nimirum in Chriſto eſſe duas perſonas, reijcit Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 2 verſ. 10. dicens ipſis: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*, quia ibi denotat, in Chriſto eſſe tantum unam perſonam. Quòd verum eſſe ſic probo. Si Apoſtolus duas admiſiſſet in Chriſto perſonas, aut duos Chriſtos admittendos eſſe voluiſſet, unum Filium Dei, & alterum Filium Mariæ, ut volunt Neſtoriani, certò aliquam inter ipſos addidiſſet determinationem, ſeu diſtinctionem; hoc eſt, dixiſſet, *In perſona Chriſti Dei*, aut *in perſona Chriſti hominis* ut ſufficienter mentem ſuam explicaret Corinthiis, & nè ipſi dubitarent de quo, vel in quo Chriſto loqueretur, ſcilicet in perſona Filij Dei, vel in perſona Chriſti Filij Mariæ, ſed nullam reſtrictionem appoſuit, abſolutè dixit, *in perſona Chriſti*, ac ſi dixiſſet in nomine] Dei: igitur ex Apoſtolo, in Chriſto eſt tantum una perſona, & ipſe Chriſtus eſt unus, qui ſimul eſt Filius Dei, ſeu ille, de quo loquitur in cap. 1. ejuſdem Epiſtolæ verſ. 3. dicens: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & Filius hominis, ſeu ille, de quo in variis locis Epiſtolarum, & præcipuè in Epiſtola ad Heb. loquitur, tanquam de homine, ſeu de Chriſto ſecundum carnem.

In Chriſto eſt tantum una perſona

1. ad Cor.

Hanc ipſam veritatem, utpotè, Chriſtum eſſe unum unitate perſonæ, confirmat ex illo 1. ad Corinth. cap. 8. verſ. 6. *Nobis tamen unus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*, Apoſtolus ibi nedum declarat, Chriſtum ità eſſe unum, ut non ſit alius præter ipſum, quem colimus, ſed etiam oſtendit, eumdem Chriſtum eſſe Deum, & hominem ſimul in unitate perſonæ, in qua hypoſtaticè humanitas unitur divinitati, & ex ipſis unus eſt Chriſtus. Ratio eſt quia dum de Chriſto ait: *per quem omnia*, exprimit ipſius divinitatem, ſeu Verbum illud, quod erat in principio apud Deum, & de quo Joan. cap. 1. verſ. 2. expreſsè & unicè dicit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, quibus conſtat, illum per quem, ex Apoſtolo, omnia facta ſunt, eſſe eumdem, per quem ex D. Joanne omnia facta ſunt, ſeu Verbum Divinum Patri conſubſtantiale, ut dictum eſt ſupra contrà Arianos: igitur de eodem loquitur Paulus, dum loquitur de Chriſto Jeſu Domino noſtro, ac proindè una perſona eſt Chriſti ut Dei & Chriſti ut hominis.

Exponit etiam idem Apoſtolus; ipſum Verbum per quod omnia facta ſunt, eſſe Filium Mariæ abſque ulla perſonali diviſione à Filio Dei. Nam Jeſus de quo loquitur, eſt ille, de quo Angelus Luc. 1. verſ. 9. dixit Mariæ: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*, at ille, quem Maria concepit, & peperit, quemque vocavit Jeſum, eſt homo, ut ſuadent hæc verba ejuſdem Evangeliſtæ cap. 2. verſ. 7. *Et peperit Filium ſuum primogenitum*: Ergo Chriſtus eſt perſonaliter unus, qui eſt ſimul Filius Dei, & Filius Mariæ.

D. Athanaſius

His ſuffragatur S. Athanaſius orat. 4. contrà Arianos, dicens: *Itaque divinæ Scripturæ Scopus iſte eſt, & formula propria, ut duplicem agnoſcamus in ea de Salvatore loquendi rationem, nimirum tum Filium fuiſſe ſemper, & eſſe Deum, qui ſit Verbum, & Splendor, ac ſapientia Patris. Tum poſtea propter nos eundem illum aſſumpta carne de Virgine Dei genitrice Maria hominem eſſe factum.* Et S. Leo ſerm. 7. de nativitate ait: *quod enim Verbum caro factum eſt, non hoc ſignificat quod in carnem ſit Dei natura mutata, ſed quod a Verbo in unitatem perſonæ ſit caro ſuſcepta, cujus utique nomine homo totus accipitur, cum quo intrà Virginis viſcera Sancto Spiritu fæcundata, & numquam virginitate caritura, tam inſeparabiliter Dei Filius unitur, ut qui erat æternaliter de eſſentia Patris genitus, ipſe ſit temporaliter de utero Virginis natus.*

D. Leo

Chriſtus eſt unus.

Chriſtum eſſe unum, & in ipſo eſſe tantùm unam perſonam, probatur ex illo ad Philip. cap. 2. verſ. 5. & 6. *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, quô Apoſtolus oſtendit, eum, qui ſe exinanivit, ipſum eſſe, qui antea Deo Patri erat æqualis, quoniam, *qui*, eſt pronomen denotans perſonam, & dum ponitur in numero ſingulari, ut in illo loco, unam tantum perſonam ſignificat; at ille, qui eſt æqualis Deo Patri, eſt Dei Filius: ergo idem perſonaliter, eſt Filius hominis duas naturas habens in uno ſuppoſito; à quo eſt unus, ac idem ſimul Filius Dei, & Filius Mariæ, qui ſe exinanivit; cùm eſſet Deus, & homo ſimul in unitate ſuppoſiti. Unde ad Epheſ. 4. ait: *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Ibi non duas, ſed unam, eamdemque perſonam ſignificat, unum & eumdem Chriſtum eſſe demonſtrat; cùm illud pronomen *ipſe* non duas, ſed unam tantùm demonſtret perſonam: ille autem qui aſcendit, eſt Filius Mariæ, ex 1. cap. act. ergo ipſe eſt perſonaliter, qui deſcenderat, quoniam ex Joan. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de Cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo*, ex quibus locis eſt evidens, Filium Mariæ non eſſe perſonaliter diverſum à Filio Dei, nec in Chriſto eſſe duas perſonas vinculo affectus unitas, ut ſomniavit Neſtorius, quo-

niam ille, qui deſcendit, eſt Deus, & ille, qui aſcendit, eſt Deus homo, cujus identitas, aut unitas nequit eſſe in natura; cùm in Chriſto ſint duæ naturæ ut credimus contrà Eutychianos, ſed in perſona, in qua humanitas hypoſtaticé unitur divinitati, & quâ ità fit idiomatum communicatio, ut verum ſit dicere, *Deus eſt homo, homo eſt Deus.* Quare D. Auguſtinus lib. de corept. & gratia cap. 11. ait: *Deus noſtram naturam, id eſt animam rationalem, carnemque hominis Chriſtus ſuſcepit, ſuſceptione ſingulariter mirabili, vel mirabiliter ſingulari, ut nullis Juſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis, Filius Dei ſic eſſet ab initio, quo eſſe homo cepiſſet, ut ipſe & Verbum quod ſine initio eſt, una perſona eſſet.* Et Sanctus Ignatius martyr in Epiſt. ad Epheſios inquit: *Singuli viri communiter omnes in gratia ex nomine convenire in una fide, & in uno Jeſu Chriſto ſecundum carnem ex genere David Filio hominis & Filio Dei.*

D. Auguſtinus.

D. Ignatius

§. III.

Diſſoluit Argumenta contraria.

NEſtoriani ſic objiciunt. Humanitas Chriſti eſt verè completa, propriéque ſubſiſtit, non per aliud, ſed per ſe; alioquin non eſſet actu ſubſtantia, ſed accidens; nec Chriſtus eſſet homo completus. Quia ultimo careret complemento, ſeu perſonalitate, aut ſubſiſtentiâ humanâ: ſed hæc falſa ſunt, cùm ſit perfectus homo per omnia nobis ſimilis abſque peccato. Et de perfectione hominis ſit propriam habere perſonam: ergo in Chriſto, præter perſonam divinam, admittenda eſt altera, nimirum humana.

Reſpondeo humanitatem Chriſti eſſe verè completam; propriéque ſubſiſtentem etiam ſi careat propriâ, ſeu naturali ſubſiſtentiâ, aut perſonalitate creatâ, ſeu humanâ, quia non privatur ſubſiſtentiæ effectibus; cùm perſonalitas Verbi eos præſtet humanitati, ut compleatur, ſitque verè, proprieque ſubſiſtens nobiliori modo, nec per hoc humanitas Chriſti poteſt dici accidens, nec imperfecta. Etenim, actu, propriaque vi ſubſiſtere, non pertinet ad eſſentiam ſubſtantiæ, ſed ſolùm ut ſit perſe ſubſiſtendi capax, ſi ſibi relinqueretur, ſicut actu in alio ſubſiſtere non pertinet ad naturam accidentis (aliàs accidentia Euchariſtiæ, non eſſent propriè accidentia) ſed ſolúm naturaliter habere appetitum exiſtendi in alio: ergo nulla perfectio deeſt humanitati aſſumptæ: quamvis ſubſiſtat ſubſiſtentiâ, aut perſonalitate Verbi aſſumentis, quoniam naturalis perfectio, ſeu perſona, quæ ei deeſt, aliundè excellentiùs ſuppletur per perſonalitatem ipſius Verbi divini, nec per hoc Chriſtus eſt minus ſimilis nobis: nam ſimilitudo non provenit neceſſariò ex perſonalitate, nec ex modo ſubſiſtendi, ſed ex natura ſubſiſtente.

Nulla perfectio deeſt humanitati aſſumptæ.

Objiciunt 2. Neſtoriani authoritate Sacræ Scripturæ, Joan. cap. 2. verſ. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc textu nituntur probare, Filium Dei eſſe in humanitate, ac proindè Filium Dei, & Filium Mariæ eſſe duos Filios, duaſque perſonas ſolo amore unitas. Probant conſequentiam ex verſ. 21. ejuſdem capitis ubi legitur: *ille*, ideſt Filius Dei, *dicebat de Templo corporis ſui*, quo declaratur, corpus eſſe templum Filij Dei, ſeu Filium Dei eſſe in corpore, aut humanitate velut in templo; ſed quod eſt in alio tanquam in templo, non eſt id, in quo eſt, aut habitat: ergo Filius Dei, non eſt Filius Mariæ, in quo habitat. Quia ibi Scriptura loquitur disjunctivè, & Chriſtum dividit in duos Filios, ſcilicet in Filium Dei habitantem, & in Filium Mariæ, in quo habitat ipſe Filius Dei, & per conſequens in Chriſto ſunt duo Filij, & duæ perſonæ voluntatis affectu inſeparabiliter conjunctæ, ità ut quemadmodum (inquit unus ex Neſtorianis) amicus eſt alter ego: ſic Chriſtus Filius Dei, eſt alter Filius Mariæ.

Reſpondetur, Evangeliſtam velle corpus Chriſti eſſe templum divinitatis, quæ in ipſo corpore, aut in humanitate Chriſti habitat vere & realiter, ut monet Apoſtolus ad Coloſſ. 2. dicens: *In ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, id eſt, *verè, & ſubſtantialiter* ut vertit D. Auguſtinus Epiſtolâ 1. quæ eſt 55. ad Dardanum, non verò templum perſonæ Verbi, ità ut perſona Verbi ſit in Chriſto per modum habitationis, & velut in templo, quia illi unitur hypoſtaticè, hæc quippe unio hypoſtatica, à nonnullis habitatio appellatur.

Reſpondetur iterùm, humanitatem Chriſti Domini dici templum Dei, metaphoricè, ſicut Chriſtus dicitur Leo, Agnus, lapis angularis, vitis &c. propter quamdam proprietatem, & ſimilitudinem, aut eo modo, quo Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 1. vult, corpus noſtrum eſſe templum, aut domum animæ, unde, cùm Neſtoriani non inferant ex verbis Apoſtoli, animam eſſe perſonam; aut habere propriam ſubſiſtentiam completam, & diſtinctam à ſuppoſito corporis, ità ut in homine ſint duo ſuppoſita, & duo homines; unus ſpiritualis, qui ſit anima, & alius corporalis, qui ſit caro; nec debent inferre, in Chriſto duas eſſe perſonas, etiamſi ipſe Chriſtus ſuam humanitatem templum appellet.

De modo quo humanitas eſt templum verbi.

Inſtabunt Neſtoriani. Dum Apoſtolus declarat, nos eſſe Templum Spiritus Sancti, nullus infert unitatem perſonæ inter Spiritum Sanctum, & fideles; licet loquatur etiam Metaphoricè: ergo nec ex alio loco poteſt eam quis inferre inter Verbum & humanitatem Chriſti.

Nego inſtantiam quia hìc Apoſtolus loquitur tantùm de gratia Spiritus Sancti, cujus ſedes, eſt anima juſti, in alio autem loquitur de perſona verbi, quod caro factum eſt, & habitavit in nobis, & caro factum eſt ut caro fieret Deus, ut notat D. Ambroſius.

D. Ambroſius.

Dicunt tandem, Scripturam Sacram duo ſuppoſita diſcernere in Chriſto legimus enim Joan. 8. verſ. 29. *Et qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Indè enim colligunt in Chriſto præter hominem, eſſe aliud ſuppoſitum, aut perſonam, ad cujus placitum, & nutum, Chriſtus homo facit omnia ſemper, quia ſi Chriſtus eſſet unus Filius, non quæ placerent alteri, ſed quæ placerent ſibi tantùm, faceret, nec diceret: *non reliquit me ſolum*, quod indicat, Chriſtum ut Filium Mariæ per pronomen. *Ego* ſe exprimentem, habere conſortium cum alia perſona, cui placet, quia placere eſt actus ſuppoſiti relativus ad aliud ſuppoſitum, cui placet, & non eſſe ſolum eſt habere alium ſibi ſimilem. Undè, inquit Theodorus Mopſueſtenus præcipuus hæreſis Diſcipuli ſui Neſtorij propugnator, unio inter Verbum divinum & humanitatem, eſt unio affectus, qualis eſt illa, quæ eſt inter Deum & hominem, de quo loquitur Apoſtolus, ad Corinth. cap. 6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus eſt*, vel qualis eſt illa, quæ eſt inter virum & uxorem de quibus Scriptura ait: *erunt duo in carne una*: Ergo quamvis humanitas, & divinitas quodammodo indiſſolubiliter inter ſe uniantur, non debemus inferre, illam unionem eſſe hypoſtaticam, ſeu duarum naturarum in unitate perſonæ, ſed ſolum eſſe unionem affectûs, quâ Filius Mariæ, dicitur Filius Dei, ſicut Caro uxoris,

Digitized by Google

dicitur caro viri, & cor viri, cor mulieris.

Hæc Neſtorianorum ratio non probat, in Chriſto eſſe duas perſonas; nam ut ſervetur Scripturæ authoritas, quam objiciunt contrà nos, ſufficit quòd Chriſtus duas naturas habeat in unitate ſuppoſiti, & præſertim divini, quod præter divinam, humanam poſſit ſuppoſitare naturam, ut de facto habet. Nam natura humana ſuppoſitata divino ſuppoſito: quamvis alieno, eſt verus homo, quia nihil eſſentiale deficit illi, ut ſit homo, & Verbum cujus eſt perſona, remanet verè Deus, ideoque hæc voluntas humana facere poteſt omnia, quæ placent divinæ voluntati Filij Dei, ſeu Verbi, cujus perſonâ perſonatur ipſe homo, ſeu natura humana, quæ eſt in Chriſto; cùm ipſe Filius Dei, cui perſona eſt propria; non amittat ea, quæ habebat ante aſſumptionem naturæ humanæ, & hæc ſit diſtincta à divina. Undè dum ait: *Qui miſit me non reliquit me ſolum*, non intendit multiplicare perſonas, ſed ſolùm naturas, intellectus, & voluntates, nec intendit aſſerere in ipſo eſſe alium, aut alium Filium, ità ut unus ſit totaliter ab uno, & alter ab alio, ſed ſolùm, Chriſtum habere in uno, eodemque ſuppoſito duas naturas; quarum una eſt illi communicata à Patre æterno, qui miſit illum. Et altera à Matre, quæ genuit eum in tempore ſecundum carnem divinâ perſonalitate terminante generationem humanam; quæ cùm habeat terminum, quem habet æterna, ſcilicet perſonam Verbi, ſequitur quòd Chriſtus eſt Filius Dei, & Filius Mariæ; quin ſint duo Filij.

Reſponſio ad rationem Theodori Mopſueſtenus.

Scriptura Sacra Evidenter demonſtrat, hanc unitatem Filij; nam de Chriſto loquens indiſcriminatim tribuit homini ea, quæ Deo tribuit, legimus enim Joan. cap. 4. *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Hæc verba non poſſunt intelligi à Neſtorianis de Chriſto, niſi intelligantur de eo ſolùm prout eſt homo, & Filius Mariæ, cùm fatigari & ſedere ſuprà fontem, ſint actus corporis naturæ divinæ repugnantes. Ipſe autem fatigatus ex itinere, eſt etiam Filius Dei, nam dixit Mulieri Samaritanæ: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dixit tibi da mihi bibere, tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi, aquam vivam.* Quæ non poſſunt ipſi Neſtoriani intelligere, niſi de Chriſto prout eſt Deus; quoniam ſolius Dei eſt dare donum Dei, & aquam vivam: ergo ille, qui fatigatus eſt ex itinere, eſt Ille, qui promittit Aquam vivam, ac proindè Verbum & homo, ſunt unus & idem Chriſtus, unus & idem Filius, qui eſt ſimul Filius Dei, & Filius Mariæ ob duas naturas, quas habet, & ideo ſimul eſt Deus & homo, non unitate affectûs, ut ſunt vir & uxor, ut voluit Neſtorius: ſed unitate ſuppoſiti: licet enim vir & uxor ſint duo in carne una juxtà Scripturam Sacram, tamen eadem Scriptura non tribuit viro, quæ tribuit Mulieri, nec dicit, actionem viri eſſe uxoris, ſed tribuit humanitati Chriſti, quæ ſunt divinitatis, & dicit actionem unius naturæ, eſſe alterius ratione ſuppoſiti aut perſonæ, ut patet ex dictis ob arctiſſimam naturarum duarum in una verbi perſona conjunctionem, ex qua oritur mutua proprietatum communicatio, quam Theologi vocant communicationem Idiomatum: ergo duæ naturæ, quæ ſunt in Chriſto, divina ſcilicet & humana, habent unum & idem ſuppoſitum, cùm actiones ſint ſuppoſitorum, ſeu ſuppoſiti ſit agere, ſi non formaliter, ut tenent Scotiſtæ, ſaltem denominativè: & Chriſtus eſt unus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ ut ait D. Athanaſius in Symbolo *Quicumque vult ſalvus eſſe.*

Joan. 4.

ARTICULUS XXXVIII.

Demonſtrat contrà Conſtantinum Copronymum, Mariam Matrem Chriſti, eſſe Matrem Dei.

OMnes hæretici, qui negant Verbum divinum eſſe verè Filium Dei æterno Patri conſubſtantialem, negant etiam, Mariam eſſe Matrem Dei: quamvis fateantur, ipſam eſſe Matrem Chriſti, quem dicunt eſſe purum hominem, aut hominem Deo unitum per amorem, non verò per unionem Hypoſtaticam. Illos autem hæreticos hîc referre, mihi ſuperfluum videtur, quoniam numeravi eos in articulo, in quo Chriſtus probatur verus Deus, veruſque æterni Patris Filius. In eamdem hæreſim, quæ docet, Mariam non eſſe Matrem Dei, lapſi ſunt etiam omnes illi, qui negant, Chriſtum eſſe verum hominem, nam ſi Maria non genuit verum hominem, nec genuit verum Deum, quia nequit eſſe Mater Dei, niſi genuerit veram humanitatem, in inſtanti generationis aſſumptam à Verbo Divino, ſed hujuſmodi hæreticos hîc deducere etiam ſuperfluum eſt, cùm videri poſſint in articulo, in quo Chriſtus probatur nedum verus Deus, ſed etiam verus homo.

Tandem Neſtoriani cum Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo duce, dixerunt, Mariam non eſſe Matrem Dei, ſed affirmabant, eam genuiſſe purum hominem, quoniam ut dictum eſt in articulo præcedenti, in Chriſto duas admittebant perſonas, quarum una erat perſona Filij Dei, altera Filij Mariæ, ac proindè negabant; Mariam genuiſſe Deum, aut eſſe Matrem Dei, ſed affirmabant, genuiſſe purum hominem, qui Filius Dei progreſſu temporis dictus fuerat propter unionem aliquam accidentalem cum verbo.

Neſtoriani

Porrò cùm controverſia non ſit contrà prædictos hæreticos alibi impugnatos, ſed contra illos, qui credunt Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, & tamen nolunt Mariam eſſe Matrem Dei, eo quod Deus ſit ingenerabilis; & nequeat à creatura aliquod eſſe accipere, hîc omittendi ſunt illi, qui Chriſti divinitatem, aut humanitatem impugnant, ut eos qui nolunt, Mariam eſſe Deiparam, refellere valeamus. Hujus hæreſis author fuit Conſtantinus V. Imperator qui vixit circà annum Domini DCCXLIII. Eccleſiam Dei regente Zachariâ Papa. Hic Imperator non ſolùm Patris impietatem in abolendis Sanctorum imaginibus reddidit nequiorem, verum etiam gravi ſcelere; reliquias eorum aut combuſſit, aut contempſit; dicens, idolatriam eſſe, imagines, aut Reliquias in templis habere, ſivè illæ ſint Chriſti, ſivè ſancti hominis cujuſcumque. Et paternis impietatibus novam addidit, nimirùm, Mariam non eſſe genitricem Dei. Hic Imperator ſolitò dicitur Copronymus quia dum baptizabatur, Sacrum lavacrum ventris ſordibus conſpurcaverat, qua occaſione Germanus Patriarcha, qui eum baptizabat, Spiritu Prophetico vaticinatus eſt futurum aliquandò, ut Eccleſiam ille ſuæ ſordibus impietatis fœdaret.

Conſtantinus V. Imperator.

§. I.

Deffinitio Concilij Epheſini.

MAriam eſſe Matrem Dei, deffinitum fuit in variis Conciliis contrà hæreticos, ſed præſertim in Epheſino, in quo contrà Neſtorium, Beata

Virgo, *Theotocos*, hoc eſt, *Dei genitrix* proclamata eſt, & in aliis, in quibus definitum fuit, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem unitate ſuppoſiti, nam ſi duæ naturæ in Chriſto ſubſiſtant in unitate perſonæ, neceſſariò ſequitur quòd Maria, quæ humanitatem illam genuit, Mater eſt hujus compoſiti Theandrici, hoc eſt, hominis Dei, & perconſequens eſt verè Deipara; quare Concilium Epheſinum ſalutationi Angelicæ addidit hæc verba:

Mors Conſtantini V. Imperatoris

Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtra, ut monui in articulo præcedenti. Mariam eſſe Deiparam probat infauſtus ejuſdem Conſtantini exitus: legimus enim quòd miſerrimam animam efflavit, interno viſcera depaſcente igne, conflagrans, vociferanſque divina ſe ultione cremari, ob contemptam & dehoneſtatam Matris Dei dignitatem, æternoque ſe damnatum incendio.

§. II.

Authoritas Sacra Scriptura.

VEritatem hujus articuli, nimirum Mariam eſſe Matrem Filij Dei, ſignificavit Angelus Gabriel myſterium Incarnationis denuntians his verbis, quæ habentur Luc. 1. *Ecce concipies in utero, &*

Luc. 1.

paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Hæc enim ſuadent, Mariam concepiſſe de Spiritu Sancto, & genuiſſe Filium altiſſimi Patris, ſcilicet Dei, quapropter ſtatim ſubdit idem Angelus: *Spiritus. S. ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc eſt quòd Eliſabeth ad Mariæ Viſitationem exclamavit, & dixit: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* cognoverat ergo Elizabeth, Mariam eſſe Matrem Domini ſui, qui certò non eſt purus homo, alioquin tanta non fuiſſet admiratio Elizabeth, ſed eſt Deus Dominus omnium, nec exultaſſet infans in utero, nec repleta fuiſſet Spiritu Sancto.

Eamdem veritatem teſtatur ipſa Virgo de ſe dicens in eodem Evangelio, verſ. 48. *Quia reſpexit humilitatem ancilla ſua: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, hoc eſt, Matrem Dei, quoniam Filius, quem conceperat, eſt Deus omnium hominum, ut dictum eſt ſupra contrà plures hæreticos, & Pater omnium generationum, ut exponit quidam devotus interpres, & meritò, quia ipſa Virgo, quæ peperit Jeſum, conceperat de Spiritu S. quæ quidem conceptio non eſt puri hominis; cùm hæc puri hominis cõceptio, ab homine fieri poſtulet, ſed eſt hominis Dei, ſeu Dei Incarnati, aut Verbi Divini, quod ex D. Joan. cap. 1. caro factum eſt, & habitavit in nobis, non amittens divinitatem, ſed eam humanitati hypoſtaticè uniens; ideircò, Maria eſt Mater illius Verbi Incarnati, quod cùm ſit Deus, ut probatum eſt contrà Arium, neceſsè eſt quòd ipſa Virgo ſit Mater Dei.

Eodem divinitatis, & gloriæ titulo, Mariam celebrarunt omnes Sancti Patres ab ipſis naſcentis

D. Juſtinus.

Eccleſiæ primordiis. Nam Sanctus Juſtinus Philoſophus, & Martyr, Priſci Bachi Filius, Polycarpo contemporaneus, qui obiit Romæ pro Chriſti nomine Anno CL. ut volunt Bellarminus, Poſſevinus, & alij contrà nonnullos, qui credunt Beatum Juſtinum obiiſſe Anno. CLXX. Hic autem Sanctus Doctor in dialogo cum Triphone ait: *Chriſtum prius extitiſſe Filium conditoris omnium. Ac Deum, qui genitus eſt per Virginem*; Igitur hæc Virgo, eſt Mater Dei, ipſa enim eſt, quæ ſtabat juxtà crucem Jeſu, Joan. cap., 19. & cui Jeſus Chriſtus dixit, *Mater*. Jeſus autem eſt Dei Filius, ut patet ex illo ad Corinth. 1. cap. 2. *Si cognoviſſent nunquam Dominum gloria Crucifixiſſent*. Nam ibi Apoſtolus declarat, illum, quem Judæi crucifixerunt, ſeu Filium Mariæ, eſſe Regem & Dominum gloriæ, ac proindè declarat, ipſum Filium Mariæ, eſſe Deum, & ipſam Virginem, eſſe Matrem Dei.

D. Ignatius

Idem prius docuerant ſcilicet Anno CIV. Sanctus Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smirnæos, ubi ait: *Perſuaſus penitùs de Domino noſtro, qui eſt ex genere Davidis ſecundum Carnem, Filius Dei ſecundum divinitatem, vere genitus ex Virgine.* D. Irenæus natione Græcus, & Aſianus vir, qui à Sancto Polycarpo Smirnæorum Epiſcopo, cum pluribus aliis in Gallias miſſus, Lugduni remanſit, ait, lib. 3. adversùs hæreſes cap. 31. *Si Adam de terra quidem ſumptus eſt*

D. Irenæus.

Virgine, & Verbo Deo plaſmatus eſt, oportebat ut ipſum Verbum, Ada recapitulationem in ſemetipſo faciens ejuſdem generationis haberet ſimilitudinem, quare igitur non iterum ſumpſit limum Deus, ſed ex Maria operatus eſt plaſmationem, ut non alia Plaſmatio fieret, neque alia eſſet plaſmatio, qua ſalvaretur, ſed eadem ipſa recapitularetur, ſervata ſimilitudine, & D. Dioniſius Ale-

D. Dioniſius. Alexandrinus.

xandrinus, Alexandrinæ urbis poſt Heraclum, Epiſcopus, in Epiſtola contrà Paulum Samozatenum Epiſcopum Antiochenum, natione Syrum, virum hæreticum, nolentem Mariam eſſe Deiparam, ait: *Jam olim habitabat Verbum in iis, in quibus plures inventa ſunt Matres, ſed una ſola Virgo Filia vita genuit vivens Verbum.*

D. Gregor.

Huic veritati ſubſcripſerunt etiam D. Gregorius in regiſtro ubi inquit: *Dum unigenitus Dei exiſtens ante ſacula ex Maria utero natus eſt homo, inveſtigabili miraculo facta eſt, & Ancilla hominis per Deitatem, & Mater verbi per carnem.* D. Hieronymus lib. contrà

D. Hieronymus.

Helvidiũ hæreticum, inquit: *natum Deum eſſe de Virgine credimus, quia legimus* D. Auguſtinus ſerm. 15. de

D. Auguſt.

Temp. ait, *Quomodo in regula fidei confitemur credere nos in Filium Dei, qui natus eſt ex Maria Virgine, ſi non Filius Dei, ſed Filius hominis natus ex Virgine Maria? quis enim Chriſtianus neget ex illa fœmina filium hominis natum, ſed tamen Deum hominem factum;, & ità hominem Deum factum?* D. Cyrillus Alexandrinus, qui

D. Cyrillus.

floruit quinto currente ſæculo, lib. de recta fide in Chriſtum ad Theodoſium, & ad Reginas, inquit: *Ecce omnes optimi & ſapientes, qui diverſis temporibus ante nos extitere patres, Dei genitricem nominant Sanctam Virginem, & cum naturali unione copulatam fuiſſe carni Divinum Verbum aſſeverant. Idem in utero Virginis genitum eſſe docent, & ex eo ſecundum carnem proceſſiſſe: quamvis initio carentem & omni anteriorem ſaculo ac tempore generationem habuerit ex Patre.* Nihil ſanè poteſt his authoritatibus afferri clariùs, ut Mariam veneremur Matrem Dei.

Nihilominus non parũ juvat, ratione probare juxtà principia fidei, hanc ipſam veritatem, nam Maria non minus ac cæteræ Matres miniſtravit in generatione temporali Divini Verbi, materiam ex qua reſultavit humanitas, cum qua in eodem temporis momento unita eſt ſecunda perſona Trinitatis, ex qua unione reſultavit Chriſtus Dominus, qui licet ſit Deus, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ; quæ cùm divina ſit, & ipſâ perſonetur humanitas reſultans ex materia, quam miniſtrauit Maria, ut facilè infertur ex illo ad Rom. 1.

Rom. 1.

verſ. 3. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum*

carnem (quòd non poteſt intelligi niſi de nativitate Filij Dei ex Virgine Maria) certum eſt quòd ipſa Virgo eſt verè Matet illius ſubſiſtentis , nimirum Dei hominis , quia naſci ex alio, aut ex alio fieri ſecundum carnem , eſt generari ab illo , ac proindè dicenda eſt Deipara, ſeu Mater Dei : quippe ſi in eodem inſtanti,humanitas Chriſti fuerit concepta,& aſſumpta à perſona verbi , ut docent communiter Theologi (eo quòd ſi non fuiſſet in illo ſigno aſſumpta , fuiſſet perſonata propriâ, ſeu humanâ ſubſiſtentiâ , ac proindè incommunicabilis , & inaſſumptibilis) non poteſt negari ; quòd terminus actionis Marianæ ſit homo Deus , quia terminus generationis eſt perſona & hypoſtaſis Verbi ; quod eſt verè Deus , ut dictum eſt contrà Arianos; alioquin ſequeretur quòd humanitas fuiſſet prius concepta , quàm aſſumpta , quòd eſt falſum ob rationem à Theologis allegatam. Vel ſequeretur quòd humanitas non fuiſſet aſſumpta in unitatem perſonæ , quòd hæreticum eſſe probat D. Athanaſius in Symbolo cujus verba jam retulimus : Igitur Beata Virgo eſt verè Mater Dei ; cum ille , quem genuit, ſit Deus.

Undè Vincentius Lyrinenſis contrà Neſtorianos, qui ut Maria non crederetur Mater Dei , ſed ſolum hominis , perſonalitatem humanam admittebant in Chriſto , inquit : *Abſit ut quiſquam Sanctam Mariam divinæ gratiæ privilegiis , aut ſpeciali gloria fraudare conetur , eſt enim ſingulari quodam Domini , ac Dei noſtri Filij autem ſui munere , veriſſimè ac beatiſſimè Theotocos confitenda , ſed non eo modo Theotocos, quia impia quadam hæreſis ſuſpicatur , quæ aſſerit eam Dei Matrem ſola appellatione dicendam , quæ eum ſcilicet peperit hominem ; qui poſtea factus eſt Deus , ſicut dicimus preſbyteri Matrem , aut Epiſcopi Matrem non jam presbyterum , aut Epiſcopum pariendo , ſed eum generando hominem ; qui poſtea presbyter, aut Epiſcopus factus eſt , non itaque ita quæro , Sancta Maria Theotocos , ſed ideo potiùs quoniam in ejus Sacro utero Sacro-Sanctum illud myſterium perpetratum eſt , quod propter ſingularem quamdam, ac unicam perſonæ unitatem , ſicut Verbum in carne , ita homo in Deo , eſt Deus* Et D.Hylatius Pictavienſis lib. 9. de Trinit. ait : *Natus igitur Deus ex Virgine homo, & ſecundum plenitudinem temporum in ſemetipſo provectus in Deum hominem.*

Vincentius Lyrinenſis.

D. Hilarius

§. III.

Evelluntur fundamenta hæreticorum.

HÆretici contrà aſſertionem noſtram ſic inſurgunt:Beata Virgo non potuit attingere aliquâ actione ſibi propriâ , & præcipuè generativâ, unionem hypoſtaticam. Quia hæc unio non generatur, nec educitur de potentia extremorum , nec producitur à creatura. Nam juxtá communem Theologorum ſententiam , à ſola Sanctiſſima Trinitate operata fuit : ergo non poteſt dici Mater Dei , cùm homo in incarnatione fiat Deus , & Deus fiat homo per illam unionem hypoſtaticam à Maria omninò independentem in eſſendo.

Reſpondeo , argumentum non valere, nam quælibet Mater proprie , & verè dicitur Mater Filij qui ex ipſa naſcitur ; tamen Matet miniſtrat materiam ad formationem corporis neceſſariam ; eamque ultimo diſponit ad infuſionem animæ rationalis , quæ fit per creationem ſicut unio hypoſtatica, nec attingitur á Muliere aliquâ actione ei propriâ, ut tenent communiter omnes Theologi : igitur eadem ratione , Beata Virgo verè & propriè dici debet Mater Dei , ſeu Chriſti Domini , quamvis actione ſibi propriâ non attingat unionem hypoſtaticam , cujus cauſa productiva eſt ſola Sanctiſſima Trinitas , ea ratione ſcilicet quia miniſtravit & diſpoſuit materiam ad formationem corporis Chriſti , ſeu materiam neceſſariam ad generationem humanitatis , quam Verbum aſſumpſit in unitate ſuppoſiti , & qua Deus eſt homo , & homo eſt Deus per communicationem Idiomatum ; & ideo Beata Virgo , quæ genuit humanitatem ſubſiſtentem divinò ſuppoſitò , eſt Mater Dei quia homo , quem genuit , eſt verè Deus , ſicut Mulier eſt Mater hominis animati.

Invalidum eſt hæreticorum argumentum.

Inſtabunt. Ut Beatá Virgo ſit Matet Dei debuit concurrere activè ad unionem hypoſtaticam , vel ad generationem prolis conceptæ , cùm nihil aliud in Chriſto ſit , quo ille , qui eſt Filius Dei , poſſit dici Filius Mariæ ; ſed non potuit concurrere ad unionem , ut conſtat ex dictis & conceſſis , nec ad generationem prolis conceptæ. Quia concepit de Spiritu Sancto , ut aſſerit illud Math.cap. 1.verſ.20. *Joſeph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam , quod in ea natum eſt , de Spiritu Sancto eſt* : Ergo nihil eſt undè Maria poſſit eſſe Mater Dei.

Reſpondetur , Beatam Virginem in generatione Verbi Incarnati , ſuum puriſſimum Sanguinem miniſtraſſe , ut formaretur Corpus Chriſti , & ad hoc concurriſſe activè , cooperante Spiritu Sancto , ut monet Ricardus à Sancto Laurentio lib. 1. de laudibus Virginis cap. 2. dicens *de Virginis carne ſumpta eſt particula , de qua , artificio Spiritus Sancti , formatum eſt Corpus Chriſti.* Idem D. Bernardus homil. 4. ſuper *miſſus eſt*, ubi exponens illa verba, *fiat mihi ſecundum Verbum tuum* , inquit : *fiat mihi de verbo ſecundum verbum tuum , verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea , ſecundum verbum tuum.* His ſuffragatur Eccleſia, quæ in oratione feſti annunciationis ait : *Deus qui de Beata Mariæ Virginis utero* &c. ex his enim ſequitur quòd Filius Dei, qui per ſuam propriam perſonam gerit vices perſonæ humanæ in humanitate , quam aſſumpſit ; eſt Filius Mariæ,quæ Spiritu Sancto cooperante genuit humanitatem illam, quâ Verbum ſeu Filius Dei , eſt etiam Filius hominis , non in confuſione ſubſtantiæ , ſed in unitare perſonæ.

D. Bernardus.

Aliud argumentum proponunt hæretici , & illud ſic efformant. Ut Beata Virgo ſit verè Mater Dei, Deus debuit ab ipſa accipere initium exiſtendi,quia parentes dant eſſe Filio , qui per generationem de non eſſe tranſit ad eſſe. Hæc autem dici minimè poteſt de Maria reſpectu Dei , qui cùm à ſe totum habeat eſse , non poteſt habere Matrem , & ideo Maria non poteſt dici Matet Dei.

Reſpondeo quòd argumentum probat , Mariam non eſse Matrem divinitatis , aut Dei ſecundum ſe conſiderati. Quòd concedimus; ſed non probat, Mariam non eſse Matrem Chriſti , qui eſt verus Deus, veruſque homo. Nam ut Virgo ſit Mater Dei , ſufficit quôd dederit initium exiſtendi homini Deo,ſeu humanitati ſubſiſtenti perſonâ Filij Dei ; quæ quidem humanitas in concreto , id eſt ſecundum ſubſiſtentiam , aut perſonam , eſt Deus , quia perſona Chriſti Filij Mariæ (quæ eſt divina) eſt realiter Deus , ſicut divinitas Filij in concreto , ſeu prout unita humanitati in unitate ſuppoſiti , & cum ipſa efficit unum ſeu Chriſtum , qui eſt Deus & homo nonnè Iſay. cap. 7. ait. *Ecce Virgo concipiet , & pariet Filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel* , id eſt nobiſcum Deus : Igitur hæc Virgo , (quæ eſt Maria) eſt Mater Dei , ſeu Emmanuelis , qui eſt homo Deus , aut Deus homo , ad cujus rei veritatem ſatis eſt quòd actio à Virgine prodiens , terminetur ad humanitatem ſubſiſtentem in Verbo Divino.

Reſponſio ad hæreticos.

Dicent : ergo Beata Virgo eſt cauſa Dei,ſicut Ma-

ter eſt cauſa Filij, & ipsô prior, ſicut cauſa eſt prior effectu. Sed non valet hæc inſtantia. Nam ſicut Mater eſt cauſa Filij; quin ſit cauſa animæ rationalis à Deo creatæ, quâ Filius eſſentialiter conſtat, ità Beata Virgo eſt Mater Chriſti Filij Dei, licet non ſit cauſa divinitatis ejus: quare Ferrandus Epiſt. ad Anatholium inquit: *Proprie eſt nata de Patre divinitas pura, propriè eſt nata de Matre eadem incarnata divinitas, & in hoc diſtat inter unius Filij Dei duas generationes, quòd in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie naſcenti divinitas, ſi enim dixero, vel dicere voluero, Maria ſemper Virgo propriè genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem, videbitur ſub aliquo modo hominem purum genuiſſe, quem nullo modo ità genuit quia Verbum caro factum, Proprie genuit*: Igitur Maria cenſenda eſt genitrix Dei.

Dicent iterum hæretici: ergo divinitas ſe habet in Chriſto, ſicut anima in corpore: *Nego* quia anima informat corpus, eſtque actus ejus, divinitas veró non informat, ſed ſibi hypoſtatice ſeu in unitate perſonæ unit humanitatem, eamque ſubſiſtentem reddit ſubſiſtentiâ, aut perſonalitate divinâ; corpus verò non ſubſiſtit ſubſiſtentiâ animæ: igitur divinitas non ſe habet in humanitate Chriſti, ſicut anima in corpore humano.

ARTICULUS XXXIX.

Demonſtrat Antidicomarianitis, Chriſtum eſſe Mariæ Filium unigenitum.

HÆretici hîc impugnandi Antidicomarianitæ nuncupari, ſunt illi, qui dixerunt, Mariam à partu Chriſti, alios ſuſcepiſſe, aut habuiſſe Filios ex viro ſuo Joſeph, ac proindè Jeſum Chriſtum non fuiſſe Filium unigenitum ipſius. Impietatis iſtius primipilus, & author, eſt Bonoſius Sardicen-

Bonoſius

ſis Epiſcopus, qui inter plura Impia dogmata, quæ edidit adverſus Chriſtum, & adverſus Matrem ejus, iſtud poſuit anno CLVIII. tempore Conſtantij Imperatoris (& Liberij Papæ, ut aſſerit Marius Mercator in diſſertatione ad 12. Anathematiſmum Neſtorij. Ipſe enim Bonoſius Neſtorio prælusit ut monui in præcedenti articulo edito contrà Neſtorianos, pro ſtabilienda unitate perſonæ in Chriſto. Anno autem CCCXCV. regnante Theodoſio Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Syricio Papa, inſurrexerunt alij duo hæretici; ſcilicet Hel-

Helvidius.

vidius Auxentij Ariani diſcipulus, homo ruſticanus. Et Jovinianus Monachus in Monaſterio mediolanenſi, qui ſanctiſſimæ Deiparæ perpetuam Virginitatem impugnarunt, ore blaſphemo proclamantes, Mariam in partu reliquarum more fœ-

Jovinianus

minarum fuiſſe corruptam; & effutientes, ipſam poſt Chriſtum ex Spiritu Sancto conceptum, & ex Virgine natum, alios ex Joſepho conjuge Filios procreaſse, qui fratres Domini in Evangelio vocarentur. Ita referunt D. Hieronymus in lib. contra Helvidium, & D. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 84 D. Epiphanius hæreſ. 78. vocat Helvidianos Antidicomarianitas, ſeu Antimarianos, hoc eſt, Mariæ Virginitatis adverſarios.

§. I.

Probat Chriſtum eſſe unicum Mariæ Filium.

Concilium Capuenſe.

PErpetua Virginitas Deiparæ deffinita fuit contrà Bonoſij Diſcipulos in Concilio Capuenſi celebrato anno CCCLXXXIX. à Damaſo. In eo quidem determinatum fuit, Chriſtum Jeſum eſse Filium Mariæ Virginis unigenitum. Et in Concilio Ephe-

Epheſinum

ſino in Epiſtola Cyrilli ad Joannem Antiochenum, in qua legitur, Mariam Matrem Chriſti, fuiſse ſemper Virginem ante partum, in partu; & poſt partum.

His addo authoritatem Juris Pontificij, nam Can. *Si enim* 27. quæſt. 2. legitur: *Si enim cognoviſſet eam, & loco habuiſſet uxoris, quomodo illam Dominus quaſi abſque ſolatio, & nihil penitus habentem diſcipulo commendaſſet, jubens illi ut reciperet in ſuam*, & Can. *ſic*

Jus Canonicum.

quippe ubi habetur: *Sic quippè Diſcipulum Dominus poſt ſuam reſurrectionem dubitare permiſit, nec tamen in dubitatione deſeruit, ſicut ante nativitatem ſuam, habere Mariam ſponſum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. Nam ita factus eſt Diſcipulus dubitans & palpans teſtis fidelis veræ reſurrectionis, ſicut ſponſus Matris fuerat cuſtos integerrimæ Virginitatis.* Quibus conſtat, Joſephum non violaſſe virginitatem ſponſæ ſuæ, ſed fuiſse fidelem ejuſdem virginitatis cuſtodem, & ipſam Virginem Mariam poſt Chriſtum natum; nullum genuiſse Filium: nam ſi alios habuiſset Filios præter Chriſtum, certum eſt quòd ipſe Chriſtus moriens commendaſset eam alicui ex aliis Filiis. Injuriam namque feciſset illis commendando eam extraneo, videlicet Joanni Evangeliſtæ, quoniam per hoc diceretur, Chriſtum parum confidiſſe de Filijs Mariæ, qui ſanè viri Sanctiſſimi fuiſſent quia fratres Domini; & Filij Matris Dei: igitur cùm conſtet, Chriſtum morientem commendaſse Matrem ſuam Joanni Evangeliſtæ, certum eſt quòd Maria non habebat alios Filios.

Deindè Sanctus Joſeph fuit vir Juſtus, & Virgo, ut teſtantur plures Sancti Patres Græci & Latini, id ſuadetur hac ratione: nam Joſepho data fuit ſponſa Virgo, ſeu ſponſa Spiritus

Joſeph fuit vir juſtus & Virgo.

Sancti, & ipſe Joſeph datus fuit Chriſto, ut Pater putativus: ergo eſt probabile quód ipſe Joſeph fuit ſponſus Virgo, & nutritius Virgo, quomodo enim Chriſtus, qui eſt Sanctus Sanctorum, verus Agnus ſine macula, & Maria Virgo Virgini commendata, flos campi, lilium convallium, & Mater caſtiſſima, potuit Patrem putativum tot Filiis jam effectum admittere, & Deus potuit Virginem dare Joſepho non Virgini? Nullam ſanè aſſignare poſsunt rationem hæretici: ergo Beata Virgo non habuit alium Filium præter Jeſum Chriſtum.

Dicent quòd conſtat ex Evangelio Math. 1. dicentis: *Non cognovit eam Joſeph donec peperit Filium ſuum primogenitum*, ex quo inferunt, Joſephum carnaliter cognoviſse Mariam poſt Chriſtum natum, & ex ipſa habuiſse Filios, ſeu illos, qui dicuntur fratres Domini, idcircò parum refert, diſcurrere, & rationes convenientiæ afferre, ut Joſeph probetur Virgo; cùm potiùs Evangelio, quàm argumentis convenientiæ, credendum ſit.

Sed non valet hæc ratio: hoc enim ſuppoſito. Quæro ab hæreticis rationem, ob quam Joſeph noluit carnaliter cognoſcere Mariam ante partum, procul dubio dicent, non alia de cauſa, niſi ob reverentiam Filij, aut fructus, quem conceperat de Spiritu Sancto: audierat enim Joſeph Angelum ſibi in ſomnis dicentem. *Math. 1.*

Math. 1. verſ. 20. *Joſeph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*: Sed hæc cauſa reverentiæ Mariæ Virgini exhibendæ, urgentior

gentior fuit in Joſepho poſt Chriſtum natum, & ipſo Chriſto vivente cum illo & Matre ſua. Nam ſi propter Angeli vocem in ſomnis factam, tantam reverentiam exhibuit Mariæ, ut à contactu ſe abſtineret, nonnè multo magis ab eodem contactu, ſe abſtinuit poſt Chriſtum natum, & ipſo Chriſto præſente, tunc enim vidit propriis oculis ea, quæ crediderat Angelo atteſtante, agnovit Mariam eſſe Matrem Filij Dei, & ſponſam Spiritus Sancti. Tunc enim vidit innumera miracula, quæ pueri nati Majeſtatem, ac Divinitatem ipſi ità demonſtrabant, ut nullus poſſet eſſe ei ambigendi locus, audivit multitudinem Angelorum cantantium, & dicentium, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Vidit Paſtores clamantes, populos undequaque venientes: Magos aurum, thus & myrrham offerentes. Vidit inſuper Mariam, præter legem aliarum mulierum, parientem ſine dolore: ſciebat enim Joſeph quod dictum fuerat Evæ: *in dolore paries*; ergo ſi ob reverentiam, quam concepit ex verbis Angeli, Joſeph ſe abſtinuit à tactu Virginis ante partum, ut volunt Helvidiani, Joviniani, & alij adhærentes, certò magis ſe abſtinuit poſt partum. Quia clariorem de dignitate Mariæ habuit notitiam, & Evidentiùs cognouit, Mariam eſſe Matrem Dei, & ſponſam Spiritui Sancto conſecratam, non ſolùm Virginitatis votô, ſed etiam fœcunditate, quam ab ipſo acceperat.

Plures ſunt in Sacra Scriptura, & præſertim in quinque libris Moyſis figuræ ex quibus colligitur, Mariam Matrem Dei permanſiſſe Virginem poſt partum, nullumque genuiſſe Filium præter Chriſtum. Sed non referam omnes, una ſufficiet: legimus enim; Exod. 19. verſ. 12. Deum dixiſſe Moy-

Exod. 19. ſi. *Conſtitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos: cavete nè aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius.* Ratio hujus prohibitionis, aut reſervationis eſt. Quia in hoc monte erat recepturus legem decalogi, quam daturus erat populo Iſraëlitico, & Deus erat illi appariturus. Inde enim dicere poſſumus prohibitum fuiſſe Joſepho tangere Mariam; quæ eſt mons in quo Verbum divinum ſuſcepit humanitatem & in quo habitavit Sanctiſſima Trinitas.

Idem colligi poteſt ex illo Luc 23, ubi legitur virum nomine Joſeph petiiſſe à Pilato, Corpus Jeſu, & depoſitum involuiſſe in Sindone munda, & poſuiſſe eum in monumento exciſo, in

Luc. 23. quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Nam ſi in Sepolchro Chriſti ſicut nec ante, ità nec poſt Chriſtum, quiſquam alius poſitus eſt; divinâ providentiâ ſic ordinante; ut in eodem Sepulchro, in quo remanſerat Corpus Chriſti mortui, & de quo Propheta Iſayas ait: *Erit Sepulchrum ejus glorioſum,* nulla eſſet corruptio. Multò magis hanc puritatis ſingularitatem exigit Venter V. M. in quo Chriſtus non tribus Diebus, ſed novem menſibus permanſit. Et qui ante Chriſtum natum, nullum Filium portaverat, ut fatentur hæretici, cùm dicant; Chriſtum eſſe Filium primogenitum Mariæ, ut videbimus infrà in objectionibus; ergo ad inſtar ſepulchri non tantum exigentis honorem, quantum exigebat Uterus Virginis; nullus fuit poſt Chriſtum natum, in eodem Utero Filius, nec Ubera Virginis alium lactaverunt Filium præter Jeſum; quapropter in

Syricius Papa. Evangelio dicuntur beata; undè Syricius Papa in Epiſt. ad Anyſium ait: *Neque enim elegiſſet Dominus Jeſus naſci per Virginem, ſi eam judicaſſet tam incontinentem fore, ut illud genitale dominici corporis, illam aulam regis æterni, concubitus humani ſemine*

D. Epiphanius. *coinquinaret.* Et D. Epiphanius contrà eoſdem hæreticos in ſua Epiſtola loquens de Maria, & Joſepho ait: *Ambo erant Juſti, neque qui hoc ſemel auaſſet, fructum illum, quem in utero ipſa geſtabat, è Spiritu eſſe Sancto poſt tantam Dei adminiſtrationem vaſe illo auderet uti, quod eum capere meruerat, quem cœlum, & terra capere non poſſunt.*

§. II.

De hæreticorum objectionibus.

ANtidicomarianitæ ſic arguunt; Math. cap. 1. verſ. 18. ait: *Chriſti autem generatio ſic erat, cum eſſet deſponſata Mater ejus, Maria, Joſeph antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto* inde enim inferunt teſte D. Hieronymo; quòd debebant aliquandò convenire, quia hæc verba de non conventuris minimè dici poſſunt, ſicuti de non pranſuris, nemo dicere poteſt, *Antequam pranderem.* Undè cùm hæc verba, *antequam*, dicant quemdam reſpectum ad ſequentia futura; quæ erunt, ſequitur de facto Joſephum, & Mariam carnaliter conveniſſe poſt Chriſtum natum. Hinc eſt quòd idem Evangeliſta, verſ. ult. ait: & non cognoſcebat eam donec peperit Filium ſuum primogenitum: ergo (inquiunt) poſt partum cognovit eam, alioquin non poſuiſſet terminum continentiæ hujus ſanctiſſimi ſponſi, ſed abſolutè dixiſſet *non cognovit eam.* Quorſum hanc reſtrictionem poſuiſſet Evangeliſta, niſi ut ſuaderet, Joſephum non cognoviſſe carnaliter Mariam, niſi poſt partum, ſeu poſt Chriſtum natum?

Reſpondeo, hæreticos memoratos malè intelligere textus Scripturæ, ut inquit D. Hieronymus in opuſculo adverſus Helvidium, & in primo capite Mathæi, ubi habetur: *Quod dicitur antequam convenirent, non ſequitur ut poſtea convenerint, ſed Scriptura quod factum non ſit oſtendit.* Non enim deſunt câſus in quibus ad particulam, *antequam*, aut *Reſponſio ad primam rationem.* *donec*, non ſequitur poſteà effectus, ut conſtat ex variis locis Sacræ Scripturæ: nam Geneſeos cap. 8. verſ. 7. de Coruo dicitur: *Qui egrediebatur, & non revertebatur donec ſiccarentur aquæ ſuper terram,* quin tamen liceat inferre; coruum poſt inductam ſiccitatem fuiſſe reverſum in arcam; nam hæc particula *donec* interdum in Sacra Scriptura, non eſt nota rei poſt modum factæ, ſed nuſquam faciendæ. Iſay. cap. 65. verſ. 24. *antequam clament, ego exaudiam*, attamen multa nobis concedit Deus, quin ad eum clamemus: igitur hæc vox, *antequam*, non dixit ſemper reſpectum ad futurum, ità ut neceſsè ſit inevitabili conſequentia, inferre, & aſſerere, aut credere; quòd poſteà; ſeu adveniente termino, effectus ſequatur neceſſariò; alioquin ſequeretur quòd Chriſtus non ſederet à dextris Dei, modò expugnatis inimicis; cùm Pater dixerit ei; Pſal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, ſedet *Pſal. 109.* tamen, ad dexteram Patris, & inde venturus eſt Judicare vivos, & mortuos; idcirco particulæ, *antequam, donec, uſque* &c. ſæpè ſignificant continuationem actûs, nullo habito reſpectu ad futura. Nullus enim eſt, qui ex his verbis Chriſti, Math. ult. *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, inferat quòd conſummato ſæculo, Chriſtus non erit nobiſcum, nec cum Apoſtolis, cùm ſit de fide, ipſos Apoſtolos vivere cum Chriſto in gloria in æternum. Nec eſt qui ex illo Pſal. 122. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri*, inferat, quòd poſtquam Deus miſertus fuerit noſtri; non amplius levabimus oculos noſtros ad eum: ergo nec hæretici poſſunt ex locis ab ipſis

D. Hieron. adductis, inferre, beatum Joſephum carnaliter cognoviſſe Mariam poſt Chriſtum natum, aut poſt partum. Nam Evageliſta poſuit hanc reſtrictionem, *donec peperit*, ut quod factum non eſt, oſtenderet, inquit D. Hieronymus ſuprà.

Ad ſecundùm aſſerens, Chriſtum eſſe primogenitum Filium Mariæ. Dico quòd hæc vox, *Primogenitus*, non dicitur ſemper per comparationem ad ſecundum, aut tertium Filium, aliquandò exprimit illum, qui nullum fratrem habet, quia dicitur aliquando primogenitus ille Filius, qui eſt actu ſolus, ut colligi poteſt ex eodem textu Math. verſ. 25 ab hæreticis relato, in quo Chriſtus dicitur primogenitus Mariæ quamvis nullum fratrem haberet, nam tunc Maria nullum alium Filium habebat præter Chriſtum, ut fatentur hæretici: Igitur non erat primogenitus reſpectu ſecundi, & tertij, actu exiſtentium, cùm Chriſtus eſſet ſolus, & unicus Filius Mariæ, quia Filius ſolus, eſt Filius unicus, eſtque unicus quandiu eſt ſolus. Neque reſpectu futurorum, ſiquidem Helvidius, & alii hæretici tenent, Deum non eſſe ab æterno creatorem, quia mundus non eſt creatus ab æterno: ergo nec poſſunt dicere, Chriſtum eſſe primogenitum reſpectu Filiorum futurorum, quia nulla ab ipſis poteſt deſumi actualis denominatio, itaque Evangeliſta non loquitur poſitivè, ità ut velit, poſt Chriſtum fore alios Filios reſpectu quorum dictus fuit primogenitus, ſed negativè id eſt quia ante illum non fuit alius Filius, & ideo dicendum eſt quòd ibi *primogenitus*, idem ſignificat ac *unigenitus*, ac proindè quòd Chriſt us eſt Filius unicus Mariæ. Primogenitus non eſt ſemper ille poſt quem alius, ſed aliquandò ante quem, & poſt quem, nullus genitus eſt: *Factum eſt autem*, inquit Moyſes lib. Exod. cap. 12. verſ. 29. *in noctis medio, percuſſit Dominus omnem primogenitum in terra Ægipti, á primo genito Pharaonis* &c. ibi enim primogenitorum nomine intelliguntur etiam unigeniti, ut notant expoſitores & præſertim D. Hieronymus.

Primogenitus idem ſignificat ac unigenitus.

Tandem objiciunt omnes illos Sacræ Scripturæ textus, quibus aliqui dicuntur fratres Domini. Math. 12. verſ. 47. legitur quòd Judæi dixerunt Chriſto Domino: *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris ſtant quærentes te* Joan. 2. verſ. 12. *poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & Mater ejus, & Fratres ejus, & diſcipuli ejus.* Paulus ad Galat 1. verſ. 19. *alium autem Apoſtolorum vidi neminem niſi Jacobum Fratrem Domini*, Ex quibus verbis Antidicomarianitæ Virginis puritatem impugnatores inferunt, Mariam habuiſſe alios filios præter Chriſtum, quos de viro ſuo Joſepho conceperat, nullus enim poteſt eſſe alterius Frater, niſi cum illo habeat eumdem Patrem, vel eamdem Matrem, Joſeph autem nullam aliam uxorem habuit præter Mariam, nequé Maria alium virum habuit præter Joſephum: ergo Fratres Chriſti ſunt á Maria, quæ alios Filios præter Jeſum, genuit.

Math. 12. *Joan. 2.* *Ad Galat.*

Sed parum nocet hæc ratio. Qoia ſolemne eſt in ſacris litteris, Fratres appellari eos, qui aliqua conſanguinitate conjuncti ſunt; licet non ſint ex eodem utero, nec ex eodem Patre geniti. Hoc verum eſſe evidenter probat Loth qui vocatur frater Abraham Geneſ. 13. verſ. 8. ubi legimus: *Dixit ergo Abraham ad Loth ne quæſo ſit Jurgium inter me, & te, & inter paſtores tuos, & paſtores meos, Fratres enim ſumus.* Conſtat tamen ex Geneſ. cap. 11. verſ. 27. quó ipſe Loth non eſt Filius Thare, ſicut Abraham, ſed Filius Aram Fratris Abrahæ, hoc eſt, Abrahæ nepos: Igitur ex textibus memoratis, hæretici non poſſunt licitè inferre, Mariam genuiſſe alios Filios præter Chriſtum, nequé ipſum Chriſtum habuiſſe Fratres uterinos, ſed ſolùm conſanguineos, ſeu Jacobum, Joſephum, Simonem, & Judam, ut notat Math. 13. verſ. 55. *Nonnè hic eſt fabri Filius, nonnè Mater ejus dicitur Maria, & Fratres ejus Jacobus, & Joſeph: & Simon, & Judas?* quia erant conſanguinei, aut ſubcognati Chriſti, nempè geniti à Maria Cleophæ Filia, & Beatæ Virginis Sorore, aut potiùs conſobrina, nam Maria Cleophæ, hoc nomen habet. Quia erat uxor Cleophæ Fratris Joſephi viri Mariæ, ut poſt Helencum Epiſcopum Cæſarauguſtanum, refert Lobetius tom. 4.

Geneſ. 13. *Reſponſio ad ſecundam rationem hæreticorum.* *Helencus Cæſarauguſtanum.*

Inſuper non implicat, textus Sacræ Scripturæ relatos intelligi poſſe de Apoſtolis; & Diſcipulis Chriſti, quos ipſe Chriſtus vocavit Fratres Joan. 20. verſ. 17. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Mariæ Magdalenæ: *Noli me tangere nondum aſcendi ad Patrem meum, vade autem ad Fratres meos*, id eſt ad Diſcipulos meos, ut demonſtrant verba, quæ ſequuntur *Venit Maria Magdalena annuncians Diſcipulis*, ſed Apoſtoli non erant Fratres Chriſti naturâ, ut Jacob & Eſaü, nec genere, aut natione ut Iſraëlitæ, qui hac ratione dicuntur Fratres, ſed affectu & charitate, quâ omnes Juſti dicuntur & conſtituuntur Filij Dei: ergo dum Joannes ait: *Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe & Fratres ejus*, & Mathæus referens; Judæos dixiſſe Chriſto; *Fratres tui ſtant*, non debent intelligi de aliis Filiis Mariæ, ut prætendunt hæretici, nequé de aliis Filiis Joſephi, ut crediderunt nonnulli, ſed poſſunt intelligi de Diſcipulis, qui erant Fratres Domini affectu, & charitate; cùm ex Sacra Scriptora, & ex Sanctis Patribus conſtet, Chriſtum fuiſſe unigenitum Filium Mariæ ſemper Virginis. Et Beatum Joſephum fuiſſe Virginem ut affirmant D. Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, & alij quàmplurimi Doctores Sacri.

Explicatur textus ab hæreticis adductus.

ARTICULUS XL.

Conſundit Agnoëtas Chriſto denegantes rerum futurarum cognitionem.

ANno Domini CCCLXV. ſcilicet tempore Valentiniani Cæſaris, & Liberij Summi Pontificis, quidam hæretici dicti Agnoëtæ, qoorum Dux fuit Theophronius Eunomij Diſcipulus, & ſectarius, genere & patriâ Capadox. Vel Themiſtius Diaconus in ſexto ſæculo, ut tenet altera opinio minus probabilis. Dixerunt, Dei quidem Verbum omnia noſſe; humanitatem autem ſecundum ſubſiſtentiam ei unitam, multa ignorare, ac proindè Chriſtum in terris degentem non habuiſſe ſcientiam infuſam, nec notitiam rerum omnium, ſed ſolum earum, quas noſcunt cæteri homines. His adhæſit Eupſichius, ſectâ Eunomianus à quo habent nomen Eupſichiani, qui poſtea à Magiſtro ſuo reſiliens ob frigidam quãdam, & nullius penè momenti quæſtionem, ſuam propriam hæreſim inſtituit ſub Valentiniano Imperatore, & Liberio Papa circa annum Domini CCCLXVIII. & docuit in urbe Conſtantinopolitana, Chriſtum neſcire neque diem, neque horam ultimi Judicij.

Eupſichius.

Inſurrexerunt poſteà adverſus Chriſti Domini cognitiones, quidam nuncupati Ignoëtæ, ſic dicti ab ignorantia, quam tribuebant Verbo Incarnato. Quis autem fuerit primus iſtorum author, non prodit D. Iſydorus Hiſpalenſis Eccleſiæ Sydus, Doctor, & decus, neque apud alium qoempiam invenire potui. Id quod ex authoribus inferre mihi licuit, eſt iſtos hæreticos eſſe poſteriores aliis, ſcilicet Agnoëtis quoulam

Ignoeta.

non diù præceſſerunt prædictumSanctum Iſydorum, qui migravit in Cœlum Anno Chriſti DCXXXVI. exiſtimo tamen quòd iſtis, & illis hæreticis occaſionem præbuit Origenes, qui aſſerebat, teſte D. Epiphanio, quòd Filius non poteſt videre Patrem, nec Spiritus Sanctus, Filium. Hanc eſſe mentem Origenis teſtatur idem Sanctus Doctor in libris Periarchon, ubi ejuſdem Origenis verba referuntur, quæ ſunt hæc: *Sicut enim incongruum eſt dicere quòd poſſit Filius videre Patrem, ſic inconſequens eſt opinari, quòd Spiritus Sanctus poſſit videre Filium.* Inde quidem facilè fuit aliis hæreticis inferre, Chriſtum neſcire diem Judicij, nec habere ſcientiam infuſam reſpectu futurorum.

§. I.

De canonica veritatis probatione.

Concilium Sextum. PRænominatos hæreticos, eorumdemque hæreſim damnat ſexta Synodus, actione quarta ubi refertur Epiſtola Agathonis Papæ in qua legitur: *Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unam quamque proprietates naturales habere confitemur, divinam omniaque divina, humanam omniaque humana, ſunt, abſque ullo peccato.* Hæc enim articulum noſtrum probant,

Deciſio Eccleſiæ Africanæ. utpotè Chriſtum videre omnia propter communicationem Idiomatum, quâ homo eſt Deus, & Deus eſt homo. Eccleſia Africana, inſtante D. Auguſtino, Anathemate coegit Leporium ad retractandam hanc propoſitionem. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut homo, ignorat.* Ex qua ſequitur Eccleſiam ſemper crediſiſſe ſcientiam futurorum eſſe in Chriſto.

Sacra Scriptura variis in locis evidenter demonſtrat, Chriſtum in terris degentem; plenam habuiſſe notitiam rerum omnium, nam Joan. cap. 7. legimus quòd Chriſtus mirantibus Judæis ac di-

Joan. 7. centibus; *quomodo hic litteras ſcit, cum non didiſceris?* reſpondit: *mea doctrina non eſt mea; ſed ejus qui miſit me*, quaſi diceret; non illam mea induſtriâ comparavi, nec ab homine docente didici, ſed à Patre meo mihi fuit indicta à primo Inſtanti conceptionis. Nam ſi ſcientia Chriſti ſit Dei Patris, aut eam à Deo Patre habuerit, certum eſt quòd ipſe Chriſtus in terris degens, habuit ſcientiam, & notitiam eorum omnium, quæ Pater videt ad extrà, & ideo certum eſt etiam quòd novit diem judicij. Quare Apoſtolus ad Coloſſ. 2. cap. de Chriſto alloquens,

Coloſſ. 2. ait: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei:* Ergo Chriſtus habet ſcientiam Dei, quæ cùm attingat à fine uſque ad finem, apperit intellectui humano Chriſti omne tempus, omnes temporum circunſtantias, omniumque hominum geſta pro quibus in fine mundi judicandis venturus eſt ipſe Chriſtus, cui Pater dando omne judicium [teſte Evangeliſta] dedit quoque cognitionem rerum omnium, quæ ab homine procedunt, & temporis judicij: quippe cum majus donum; aut majus privilegium ſit, Chriſtum conſtitui judicem vivorum & mortuorum, quàm Chriſtum ſcire diem judicij, ſi habuerit à Patre poteſtatem judicandi homines, ab ipſo etiam habuit notitiam omnium humanorum actuum, nec non illius diei ultimi judicij, hoc eſt, nedùm dixit illi quòd judicabit vivos, & mortuos, ſed etiam tempus quo judicabit eos.

Idem ſuadetur ex illo Math. 9. *Cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* & cap. 12. *Jeſus autem ſciens cogitationes eorum.* Hæc enim oſtendunt, Chriſtum Dominum

Math. 9. cognoviſſe interiores hominum affectus, & cordium cogitationes, at cognitio humani cordis à Deo duntaxat haberi poteſt, quoniam eſt ſcrutator cordium; igitur Chriſtus, qui eam habuit, habuit & ſcientiam, quâ noſcuntur omnia, quæ ſunt, & quæ erunt, & præſertim ſcientiam eorum, quæ ipſum concernunt inter quæ ſunt judicare, dies judicij &c. hinc eſt quòd D. Joannes cap. 2. inquit: *Ipſe autem Jeſus non cre-* *Joan. 2.*
debat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine, id eſt actiones hominis; vidimus enim gloriam ejus, inquit idem Evangeliſta cap. 1. quaſi unigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis, ſeu habentem notitiam omnium veritatum.

Quoad futura conſtat etiam, quòd Chriſtus cog- *Math. 24.*
noſcebat ea, Math. cap. 24. prædixit templi Everſionem, & ſigna, quæ erunt in ſole, & luna & ſtellis in die judicij. Et cap. 26. in nocte paſſionis dixit Petro: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*, & Luc 19. verſ. 41. *Videns civitatem flevit ſuper illam, dicens: quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te. Et circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te; & coanguſtabunt te undique: & ad terram proſternent te, & Filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*: Igitur Chriſtus cognoſcebat illud viſitationis tempus, quod eſt dies mortis, aut dies judicij futuri:

Huic authoritati D. Lucæ ſuffragatur ratio, quia de eſſentia, & perfectione prudentiæ, eſt intueri præſentia, præteritorum reminiſci, & futura præ- *Senec.*
videre, ut monet Seneca lib. de virtutibus, ubi ait: *Si fuerit prudens animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur, præterita cogita, præſentia ordina, futura prævide*, ideoque Chriſtus cujus prudentia ſumma erat, hujuſmodi perfectiones habere debuit in ſummo poſitivè, id eſt, in cognitione cæteros homines excedere, & ipſa cognitione omnia attingere. Hæc ſiquidem cognitio ad ſtatum, & miniſterium ejus ſpectabat, erat enim Rex Regum, & Dominus dominantium, ſub cujus pedibus, Deus ſubjecerat omnia, idcircò dedit illi ſcientiam, quâ attingebat omnia tam præſentia, quàm futura, inter quæ ſunt dies futuri, quorum ultimus eſt dies ultionis, & ultimi judicij, qui dicitur etiam conſummationis, dies, quem videt Chriſtus, dicens per os Prophetæ Pſal. 118. *Omnis conſummationis vidi finem*, ultimus dies ille eſt finis, & conſummatio temporis, & viæ omnium hominum. Iſay. cap. 63. verſ. 6. ait: *Conculcavi populos in furore, & inebriavi eos in indignatione mea & detraxi in terram virtutem eorum.* Quòd certò minimè fieri poteſt abſque pleniſſima omnium hominum notitia, hinc eſt quòd apud eumdem Prophetam priùs dicerat: *Dies enim ultionis in corde meo, annus meæ redemptionis venit*: quippe hæc omnia concernunt futura; & ultimum judicium.

§. II.

De Agnoëtarum rationibus.

RAtio hæreticorum, ſeu Agnoëtarum, & aliorum ſcientiæ Chriſti impugnatorum, deſumitur ex illo Math. 24. *De die illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater*: ergo Chriſtus, qui non eſt Pater, ignorat diem judicij, idque confirmant, id eſt hanc judicij cognitionem denegant Chriſto, ſpecialiter ex illo Marci 13. verſ. 32. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.* Hoc quidem textu Filius expreſsè excluditur, & declaratur quòd non habet notitiam diei judicij: igitur non habuit ſcientiam infuſam, nec ſcivit ea, quæ futura

ſunt, quia à ſolo Deo, cuí omnia nuda & aperta ſunt, cognuſci poſſunt.

Reſpondeo: prædictos textus non nocere, nec ex ipſis inferri poſſe, Chriſtum non habere ſcientiam ultimi judicij, quia dum Chriſtus in præcitatis locis, & in aliis, ſoli patri tribuit notitiam diei Judicij, aut dicit ſe diem judicij neſcire, non eſt intelligendus ſimpliciter, ità ut Ipſe neſciat abſoluté ultimum judicij diem, ſed ità loquitur, quia licet ſciat eum, non tamen ſcit, ut illum revelare debeat, quemadmodùm ſi aliquid tibi ſecreté, & ſub ſigillo naturali, aut Eccleſiaſtico commiſſum eſt, ut nulli alteri reveles, & poſteá aliquis te de illa re interroget, reſpondebis (inquit Alphunſus à Caſtro) te neſcire, quoniam & ſi ſcias, non tamen ſic ſcis, ut revelare poſſis. Sacra autem Scriptura cùm pro hominibus erudiendis ſit, & ea, quæ Scripta ſunt, ad noſtram doctrinam Scripta ſint, eodem modo loquendi utitur, quo homines loqui ſolent, unde cùm nolle, aut non debere aliquid alteri manifeſtare, idem ſit ac neſcire illud reſpectu ipſius, inferendum eſt; quòd dum Chriſtus declarat Diſcipulis ſuis ſe neſcire diem judicij, declarat ſolum quòd nun poteſt illum revelare, aut quód Diſcipuli non debent ſcire illum. Ita reſpondent communiter doctores. Ratio hujus occultationis juxta communem Sacrorum interpretum mentem, eſt, ut nos cautos redderet, & hac occaſione vigilare faceret, quia Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret; quare ſtatim ſubdit: *Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit* Mar. cap 13. verſ. 33.

Explicantur obſcuri Scripturæ textus.

Ne autem Apoſtoli crederent, labore, aut induſtriâ, aut aliqua humana ratiocinatione, ſe poſſe illum diem ſcire, & cognoſcere, ſtatim Chriſtus dixit illis, *neque Angeli cœlorum*. Et ne ab ipſo Chriſto diſcere cuperent, & tacerent, addidit, *neque Filius, ſed ſolus pater*, quaſi hoc verbo illis diceret, nolite ſolliciti eſſe de illius diei notitia quoniam illam nullus habet, neque à me eam petaris, quia nec ego etiam ſcio ad revelandum, ſolus Pater, qui mihi revelavit eam, habet hanc poteſtatem, & ideo Chriſtus dixit diſcipulis ſuis, act. cap. 1. verſ. 7. *Non eſt veſtrum noſce tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate*, & alibi: *non poteſtis portare modo.* Noluit autem [inquit Alphonſus à Caſtro] illis dicere aperté: ſcio, aut nolo vobis revelare, nè illos hac reſponſione triſtes redderet, aut minùs ergà ſe ipſum affectos, hac occaſione, efficeret: idcircò tacendo diem judicij, non ignorantiam, ſed ſecretum expreſſit, quoniam non ſpectabat ad diſcipulos diei ultimi ſcientia. Hæc quidem dies, eſt ſecretum prætioſiſſimum Chriſto Domino reſervatum, & nulli revelandum, Chriſtus ſcivit diem Judicij ſibi, ſed non nobis, omnia didicit à Patre, tamen de omnibus, quæ ſciebat, loquendi poteſtatem non habuit, ut teſtatur ipſemet Joan. 1. verſ. 49. *Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar* &c.

Act. 1.

Joan. 1.

Inſtabunt furſan hæretici, & objicient illud Joan. cap. 15. verſ. 15. ubi legitur Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis. *Vos autem dixi amicos quia omnia quæcumque audivi a Patre, nota feci vobis*: Ergo ſi ipſe Chriſtus ſciviſſet, aut accepiſſet à patre notitiam diei judicij, illum diem notum feciſſet Apoſtulis ſuis; alioquin non manifeſtaſſet illis omnia, quæ à Patre didiſcerat.

Reſpondeo, hæc verba intelligenda eſſe de rebus eſſentialibus, quæ in Deo, & quæ in ordine credendorum, ſunt, quæ omnia fuere Apoſtolis revelata, ut docerent omnes gentes, eiſque Catholicam communicarent fidem; non veró de alijs, quæ ad fidem non ſpectant. Hine eſt quòd Chriſtus alia occultavit, alia revelavit Apoſtulis, ſcilicet reſurrectionem mortuorum, ſe eſſe judicem, aut judicaturum eſſe vivos, & mortuos, ut teſtantur ipſi Apoſtoli in Symbolo, ſed non revelavit eis diem judicij. Quia hoc non ſpectat ad fidem, ſicut judicium generalé, aut reſurrectio mortuorum, quoniam dies judicij, eſt quaſi circunſtantia hujus articuli: *Chriſtus venturus eſt judicare vivos, & mortuos.*

Chriſtus revelavit Apoſtolis ea, quæ ſpectant ad fidem.

Alios textus adducunt hæretici, nam [inquiunt] Chriſtus ignorabat ſepulchrum Lazari notum pluribus; alioquin nun dixiſſet Sororibus ejus Joan. 11. *ubi poſuiſtis eum.* Ignorabat etiam ea, quæ dicebant duo Diſcipuli ambulantes in via Caſtelli Emmaus, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, dixit enim ipſis Luc. 24. *Qui ſunt ij ſermones, quos confertis ad invicem triſtes.* Tandem ignorabat ficum non habere fructum, ut colligitur ex illo Math. 21. verſ. 19. *Et videns fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea, niſi folia tantum.* Venit enim ad ficum, quia putabat ipſam habere fructus, ut ſuadent verba, quæ immediaté præcedunt: *Mané autem revertentes in civitatem, eſuriit, & videns* &c. Idem habetur Marci, cap. 11. verſ. 13. *Cumque vidiſſet a longé ficum habentem folia, venit ſi quid forte inveniret in ea: & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.* Prius ergo quam accederet ad arborem, neſciebat in ea, non eſſe fructum, ac proindé Chriſtus nedùm ignoravit Diem judicij, ſed etiam plura alia, quæ hominibus idiotis nota erant.

Luc. 24.

Math. 21.

Reſpondeo ex prædictis locis, nullam in Chriſto Domino ignorantiam poſſe inferri, ſicut ex iſtis: *Adam ubi es!* & ad Cain: *ubi eſt Abel frater tuus?* nullus poteſt inferre, Deum habere ignorantiam locorum, in quibus tunc exiſtebant Adam, & Abel, quia omnes fatentur, Deum ſic fuiſſe locutum, ut uterque peccatum ſuum confiteretur. Jeſus ſciebat Ægrotum in probatica piſcina jacentem à triginta, & octo annis, velle ſanitatem, tamen dixit illi, Joan. 5. verſ. 6. *Vis ſanus fieri.* Hæc quidem interrogatio non probat, Chriſtum ignorare deſiderium illius ægroti; cùm unuſquiſque ſciat, infirmum velle ſanitatem; ſed ſolum his verbis, velle deſiderium ægroti adimplere, & oſtendere quòd ad Deum recurrere debemus in infirmitatibus noſtris, & vocationi conſenſum noſtrum præbere.

Cur Criſtus petiit ſepulchrum Lazari.

Undè non interrogavit Sorores Lazari, ut ab ipſis ſciret locum Sepulchri, nec Diſcipulos ut ab ipſis diſceret ſermones, quos conferebant ad invicem; ſed ut Martha, & Magdalena venirent ad ſepulchrum. Et ut ipſi Diſcipuli viderent ipſum Chriſtum habere unde poſſet eos increpare de tarditate ad credendam reſurrectionem; hæcque interrogatio decens fuit, quia Chriſtus eſt verus homo, quamvis ſit Deus: itaque decebat ipſum uti his, quæ ſunt hominis, quorum unum eſt interrogare; cùm debuerit moribus hominum ſe ſe accommodare. Poterat enim vivere ſine cibo, & potu, manducavit tamen, & bibit, ut ſe hominem oſtenderet, ità eadem ratione potuit interrogare Diſcipulos euntes in Emmaüs, & Sorores Lazari.

Ad illud Math. & Marc. quòd eſt de ficu. Et in quo major eſt difficultas, dico cum D. Bonaventura Doctore Seraphico, id factum eſſe ad oſtendendam hac parabolâ, animæ, vel Sinagugæ ſterilitatem; & ità eam viſitaſſe, ac quæſiviſſe in ea fructum, ut indicaret hominibus, & præſertim peccatoribus rigoroſam inquiſitionem, quam facturus erat in Sinagoga. Idem ſentiunt D. Hieronymus, Hilarius, Beda, & alij expoſitores. Nec mirandum

Explicatio parabolæ de ficu à D. Bonaventura data.

ſi ſic loquatur Chriſtus, & utatur figuris, ac parabolis, quia ea, quæ oculis noſtris non videmus, nec conſpicere valemus ſenſibus noſtris; per rerum ſenſibilium ſimilitudinem comprehendere poſſumus. Hinc eſt quòd in Evangelio plures ſunt parabolæ, & ſimilitudines, & quòd Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. verſ. 16. ait: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum &c.* & ad Rom.
Ad Tim. 3. 15. verſ. 4. *Quæcumque Scripta ſunt ad noſtram do-*
Rom. 15. *ctrinam Scripta ſunt*: Ideo cùm Chriſti intentio in locis adductis, ſit nos docere, aut moribus noſtris ſe accommodare, hæretici non debent ex ipſis ignorantiam imputare Chriſto Domino, cujus oculis omnia nuda ſunt & aperta, quique manifeſtabit Conſilia cordium.

Nec poſſunt hæretici inferre oppoſitum ex interrogationibus aliis á Chriſto factis, v. g. ut dom ſic interrogavit Petrum, dicentem illi Joan. 21. verſ. 15. *Simon Joannis diligis me plus his*, etenim Origenes in commen. ad cap. 13. Math. ad illa verba
Joan. 21. Chriſti: *Intellexiſtis hæc omnia*, ait: *qui novit quæ ſunt in cordibus hominum Chriſtus Jeſus, ſicuti de hoc docuit in Evangelio Joannis, non ignarus interrogat, ſed quoniam ſemel aſſumpſerat hominem, utitur omnibus, quæ ſunt hominis, quorum unum illud eſt interrogare. Nec*
Origenes *mirandum ſi id facit ſervator, cum ipſe etiam omnium Deus, moribus hominum ſeſe accommodans, perindè ac ſi quis homo morem gerat, Filio ſuo percometur: velut in hoc: Adam ubi es? & ubi eſt Abel frater tuus?* Mens hujus doctoris eſt, quòd ſicut ex illis Sacræ Scripturæ locis, nullus poteſt concludere, Deum ignoraſſe locum ubi erat Adam, nec poteſt concludere, Chriſtum ignoraſſe amorem, quo flagrabat Petrus.

Tandem addunt illud Lucæ cap. 2. *Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia coram Deo, & hominibus*, & indè inferunt, Chriſtum non habuiſſe omnem ſcientiam, ſaltem in ſua conceptione. Quia hæc verba Evangeliſtæ ſuadent, quòd ſi plus vixiſſet, majorem ſcientiam habuiſſet, ſicut majorem ætatem, creſcens autem, vivendo creſcit, vel decreſcit, & utrumque denotat quòd id, quod creſcit, aut decreſcit, non eſt perfectum.

Reſpondeo quòd non valet hæc ratio. Quia juxtà Sanctos Patres, ille profectus debet intelligi tantùm ſecundum externam ſpeciem, aut oſtentionem ut docet D. Gregorius Nazianz. orat. 20. ubi
Gregorius Nazianzenus. inquit: *Chriſtus proficiebat ætate, ità & ſapientia, & gratia, non quod incrementum iſta caperent, quid enim eò quod ab initio perfectum extitit, poteſt eſſe perfectius? ſed quod hæc paulatim aperirentur ac ſe ſe proderent.* Idem docet D. Hieronymus explicans hæc verba Jeremiæ cap. 3. *Mulier circumdabit virum*, & alij quamplurimi Sancti Patres, tàm Græci, quàm Latini.

ARTICULUS XLI.

Probat adverſus Antichriſtianos, Chriſti Impeccabilitatem.

QUamvis hæretici, qui impeccabilitatis, Innocentiæ, & Sanctitatis Chriſti impugnatores noſcuntur ab omnibus Catholicis, ſint recentes, & vixerint in penultimo ſæculo, ut patebit infrà, tamen antiquiſſima eſt hæreſis, quæ Chriſto tribuit eamdem peccandi potentiam, quam habent cæteri homines in terra degentes, viventes in carne mortali. Nam Arius ſuper omnes antiquos hæreticos inſolentiſſimus, auſus eſt latrare, & ponere nefandum os ſuum in Chriſtum Dominum, in principio naſcentis Eccleſiæ (vixit enim Arius in principio quarti ſæculi, ut in articulo de conſubſtantialitate Verbi Divini dictum eſt) & docuit, Chriſtum numquam peccaſſe; ſed voluit, ipſum eſſe capacem vitij, ſicut virtutis, ideoque impeccabilitatem à Chriſto removebat impius ille Arius; qui negando, Verbum caro factum, eſſe æterno Patri conſubſtantiale, & credendo, Chriſtum non eſſe Deum; credebat, ipſum eſſe puram creaturam, & peccatorem ſicut alter homo, peccator eſt, ſaltem quoad potentiam: removebat enim à Chriſto omne principium impeccabilitatis, volebat liberum arbitrium eſſe potentiam peccandi in Chriſto, ſicut in nobis, quamvis crederet, ipſum liberum arbitrium non defeciſſe actu in Chriſto. Undè ſi ex hæreticis antiquioribus nullus fuerit in Chriſtum ità blaſphemus; ut ei peccatum aliquod imputaret; fuerunt tamen qui illi adſcripſerunt potentiam proximam, ac actualem capacitatem, aut aptitudinem ad peccatum.

Arianis nequiores atque impudentiores fuerunt quidam, quos refert, & Antichriſtianos uocat Prateolus in Elenchon hæreticorum, qui in impietatis exceſſu dixerunt, Chriſtum non ſolum potuiſſe peccare, ſed de facto peccaſſe: voluerunt enim, ipſum Chriſtum Crucifixum, in deſperationem eſſe lapſum dùm in paſſione dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*; ideoque ob hanc rem, ſeu deſporationem, fuiſſe damnatum, ut referunt Lyndanus dialogo 2. ſui dubitantij, & Oſius lib. de hæreſibus noſtri temporis. Horum Antichriſtianorum primipilus, & Author, fuit Bertoldus de Bor-
baco, quem ſecutus eſt quidam Præmonſtratenſis *Bertoldus de Borbacò*
Apoſtata, ſectâ Antilutheranus ad tertiam utique noſtri temporis Evangelicorum claſſem ſpectans,
de quo Lyndanus loco citato, inquit: *Præmonſtra-* *Præmonſtratenſis.*
tenſis Apoſtata, qui hoc apud mortales jam nunc ob atrociſſimam in Chriſtum Dei Filium blaſphemiam, meruit præmij ut ſua cum impietate adeò eſſet hominibus execrabilis, ut ne nomen quidem ſupereſſe voluerim, nuſquam enim me legere memini: Ignoratur igitur proprium hujus hæretici nomen, Patria, natio, & tempus, ſicut ignoratur nomen illius Epulonis, de quo Luc. 16. verſ. 13. dicitur; *homo quidam erat dives* &c. qui in Evangelio nominari non debuit.

Calvinus docuit etiam (ut teſtantur plures) Chri- *Calvinus.*
ſtum in horto olivarum ità fuiſſe turbatum, & tentationibus agitatum, ut ſine Spiritu oraverit, dicens: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte*, prætereà (inquit Calvinus) quaſi ad ſe rediens ipſe Chriſtus, creditur inordinatam & peccaminoſam petitionem ſtatim correxiſſe, ſuamque voluntatem, Patris voluntati ſubjeciſſe his verbis: *verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat*, ſubindeque idem hæreticus vult, Chriſtum ſua petitione de Calice transferendo, perpetraſſe nedum peccatum inobedientiæ; ſed etiam deſperationis, quoniam erat illi præceptum de morte ſubeunda, & ipſe Chriſtus mori nolebat.

§. I.

In quo firmatur Chriſti impeccabilitas.

ARticuli veritas, nimirū Chriſti Innocentia; aut impeccabilitas tam quoad actum, quàm quoad poſſe, deciſa fuit in Concilio Epheſino celebrato ſub Cæleſtino Papa Anno CCCCXXXI. contrà Neſtorium, Can. 10. ubi legitur: *Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim ſemetipſum pro nobis in odorem ſuavitatis Deo Patri: ſi quis ergo Pontificem; & Apoſtolum noſtrum dicit factum, non ipſum Dei Verbum quando Verbum caro factum eſt; & homo*

Digitized by Google

Concilium Ephesinum. *juxta nos homines, ſed velut alterum præter ipſum ſpecialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potius pro nobis ſolis, non enim eguit oblatione quia peccatum omnino neſcivit: Anathema ſit:* Hæc authoritas nedum probat quòd Chriſtus non potuit peccare, & quòd non peccavit, ut indicant hæc ultima verba: *quia peccatum omninò neſcivit*, quæ tam potentiam, quàm actum excludunt, ſed etiam ſuadet; olim aliquos hæreticos Antichriſtianis, & Caluiniſtis longè antiquiores cenſiſſe, Chriſtum aliquo peccato fuiſſe obſtrictum, propter quod ſe ipſum obtulerit, & mortuus fuerit. Probabile enim eſt quòd tunc temporis quidam dicebant, Chriſtum pro ſe ipſo mortuum fuiſſe, & ut à peccato ſe redimeret, ſe obtuliſſe. Tum quia hoc evidenter patebit conſideranti verba Canonis aut decreti Concilii, & præſertim dum Anathematis gladio feriunt. Tum quia deciſiones in Conciliis fieri ſolent ad refutandas hæreſes. Idcircò cum Epheſinum ſanciat, Chriſtum non peccaſſe, nec pro peccatis propriis mortuum fuiſſe, & Anathematizet eos, qui oppoſitum dicunt, probabile eſt quòd quidam tunc temporis credebant oppoſitum, utpotè Chriſtum peccaſſe & pro peccatis ſuis ſicut pro noſtris mortuum fuiſſe.

Articulus probatur ex Sacra Scriptura, quæ toties eximiam Chriſti Sanctitatem, ac Innocentiam celebrat, nedùm in novo, ſed etiam in veteri Teſtamento. Nam Iſayas loquens de Chriſto venturo ait *Iſay. 53.* cap. 53. verſ. 9. *Et dabit Impios pro Sepultura, & divitem pro morte ſua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* His verbis conſonat illud D. Petri. *D. Petrus 1. cap. 2.* Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 22. *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Ideoque Chriſtus nullum peccatum habuit. Teſtimonio Iſayæ & D. Petri ſuffragatur ratio; quippè cum venerit ut officio Redemptoris fungeretur, & diſſolueret opera Diaboli; & ut tolleret peccata mundi, ut ipſemet teſtatur variis in locis ſancti Evangelii, & ut refert Joannes Baptiſta dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, nullum debuit habere in ſe peccatum, nullamque ad Legem Dei contrarietatem, quia ad merendum, & ad obtinendam integram pro peccatis noſtris remiſſionem, debebat eſſe gratus Deo, id eſt Sanctus, & Juſtus, totiuſque peccati & vitii expers: nam juxta Scripturam, dona iniquorum non probat altiſſimus. Hinc eſt quòd D. Athanaſius lib. de Incarnatione Chriſti inquit: *D. Athanaſius.* *Si enim Filius hominis venit ut diſſolueret opera Diaboli, qua ratione in ſe habere poſſet peccatum, ſi quidem ipſe venit ut deleret in nobis peccata?* Idem habent alii Sancti Patres, præſertim D. Chryſoſtomus, *D. Chryſoſtomus.* qui ad cap. 2. Iſay. hanc ipſam veritatem confirmat, ibi enim ait: *qui aliorum tollit peccata, immunis eſt omnis peccati, nec peccare poteſt:* Igitur Chriſtus qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, nullum peccatum habuit; cum in ſanguine immundo nullus mundari valeat, nec illud habere potuit ob rationes, quas afferunt Theologi Scholaſtici, ſcilicet ob unionem Hypoſtaticam, vel ob manutenentiam Dei. Undè ipſe Chriſtus meritò dicit Judæis *Joan. 8.* calumniantibus eum Joan. 8. *quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic enim reſpondit Judæis, quia ſciebat ſe eſſe ſine peccato. Habebat enim (teſte D. Joanne cap. 1.) gratiæ ſanctificantis plenitudinem, quæ cum peccato incompatibilis eſt, ut docent omnes Theologi.

Paulus Apoſtolus eamdem veritatem docet, & Antichriſtianos penitus confundit in Epiſtola ad Heb. *Ad Hebr. 4.* cap. 4. verſ. 15. dicens: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum enim per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, idcircò Chriſtus, qui eſt ille Sacerdos magnus, & Pontifex, qui in diebus ſuis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, tentatus fuit per omnia pro ſimilitudine, itá tamen ut numquam offenderit Deum, aut in Deum peccaverit; alioquin Apoſtolus non dixiſſet, *abſque peccato*, nec appoſuiſſet comparando homines cum Chriſto, hanc ipſam reſtrictionem aut diſtinctionem, *talis enim* quam addit cap. 7. verſ. 26. ubi ait: *decebat ut eſſet nobis Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus*; ex quibus exprimitur, peccatum nullatenus potuiſſe eſſe in Chriſto. His authoritatibus addenda eſt illa Joan. 1. cap. 3. verſ. 5. *1. Joan. 3.* *ut ſcitis quia ille*, id eſt Chriſtus, *apparuerit ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.*

Denique his ſuffragatur ratio. Nam Chriſtus ab inſtanti ſuæ Conceptionis fuit beatus, ut probant varii Sacræ Scripturæ textus, quibus evidenter conſtat, animam Chriſti videre intuitivè divinam eſſentiam, & ideo nullum peccatum habere potuit, quia nihil coinquinatum intrat in Regnum Cœlorum; hoc eſt, ut anima videat Deum, debet eſſe munda, Sancta, & Immaculata. Tandem impeccabilitas Chriſti ſuadetur unione Hypoſtaticâ, quâ in Chriſto Deus eſt homo, & homo eſt Deus, quòd maximè repugnaret ſi Chriſtus eſſet peccator, aut poſſet peccare. Quare D. Hylarius lib. 10. de Trinitate exponens *Hylarius.* illud Apoſtoli ad Rom. 9. de Chriſto Domino, quô dicitur factus in ſimilitudinem carnis peccati, monet tam repugnare Chriſto poſſe peccare, quám ei repugnat non eſſe Chriſtum: ibi enim ait: *Itá homo Chriſtus Jeſus, & in veritate Nativitatis eſt dum homo eſt, & non eſt in proprietate peccati, dum Chriſtus eſt, quia & qui homo eſt, non potuit non homo eſſe, quod natus eſt, & qui Chriſtus eſt, non potuit amiſiſſe, quod Chriſtus eſt, atque itá dum homo Jeſus Chriſtus eſt, habet Nativitatem hominis, quia homo eſt, nec eſt in vitioſa hominis infirmitate, quia Chriſtus eſt*, & D. Auguſtinus lib. de *D. Auguſt.* Corrept. & gratia, cap. 11. inquit: *Neque metuendum erat, ne iſto ineffabili modo in unitate perſonæ à Verbo Deo, natura humana ſuſcepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum illa ſuſceptio talis eſſet, ut natura humana à Deo itá ſuſcepta nulla in motum voluntatis admitteret.*

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

ARianis nullam afferunt authoritatem, quâ Chriſtus probetur capax vitii, ſicut virtutis (hunc enim errorem deducunt ex alio, qui ipſis Arianis proprius eſt, & de quo locuti ſumus in proprio loco) *Rejicitur ratio Arianorum.* ſed ſolum Arbitrii libertatem quam Chriſtus habebat, & quâ (inquiunt) poterat peccare, ſicut cæteri homines, ipſo liberô Arbitriô peccant. Sed non valet hæc ratio, quia in Chriſto liberum Arbitrium, non erat extrinſecè, & in actu ſecundo flexibile ad malum, & ad bonum ſicut noſtrum, quod, ad illud, quàm ad iſtud pronius eſt. Habuit quidem potentiam ſcilicet voluntatem liberam, quâ nos ſumus in actu primo capaces vitii, & virtutis; ſed non habuit potentiam peccandi, ſeu propenſionem in peccatum, quâ ſumus actu capaces vitii. Hæc quidem propenſio provenit ex peccato originali, quod Chriſtus non contràxit, ut fatentur omnes hæretici.

Undè neceſsè eſt Præmonſtratenſi reſpondere hujuſque Apoſtatæ rationem infirmare; vult enim, Chriſtum crucifixum in deſperationem eſſe lapſum, dum dixit: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me?* Quâ ratione utitur etiam Calvinus. Dico igitur hæc verba, non eſſe deſperantis, ſed maximè dolentis: nam ſi deſperantis eſſent, ut volunt Calvinus & Præmonſtratenſis, Chriſtus poſteá ſe Patri minimè commendaſſet his verbis: *In manus tuas commendo*

Spiritum meum. Nec dixiſſet Petro. *Mitte gladium in vaginam, Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum* &c. Quæ ſinceram & liberam moriendi voluntatem ſignificant. Falſum eſt etiam quòd petitio Chriſti dicentis: *Pater ſi poſſibile eſt*, &c. Sit peccaminoſa, & inordinata, quia eſt etiam petitio maximè dolentis; cùm conſtet ex variis Sacræ Scripturæ locis, voluntatem humanam Chriſti fuiſſe in omnibus conformem divinæ; dicit enim ipſemet Chriſtus Joan. 4. *meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris.* Et cap. 5. addit: *Non quæro voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.* Pater autem volebat mortem Filii ſui, eamque acceptare voluit, ſicut prætium redemptionis hominum, & ideo hæc petitio, *tranſeat à me Calix iſte*, non eſt peccaminoſa, nec contraria divinæ voluntati, cui in hoc non fuit contraria humana voluntas Chriſti dicentis: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte.* Etenim ut voluntates ſint propriè contrariæ, requiritur, quòd actus efficax, & abſolutus unius, adverſetur actui efficaci, & abſoluto alterius. Petitio autem Chriſti in horto, cùm fuerit conditionata, non eſt actus volitionis abſolutæ & efficacis, ſed conditionatæ, & inefficacis, quæ ſolitò dicitur, velleitas, ac ſi dixiſſet, vellem quidem hunc Calicem longè tranſire à me, non volo tamen, quòd tranſeat à me, aut volo quod ſit in me, quia ſcio te mihi præparaſſe mortem pro peccatoribus redimendis; & ideo fiat voluntas tua. Idque probatur verbis præcedentibus *ſi poſſibile eſt*, quæ donotant, Chriſtum non habuiſſe voluntatem abſolutam non moriendi. Et quæ cùm non includant oppoſitionem ad decretum Dei Patris de morte ſubeunda, ea, quæ ſequuntur, non poſſunt eſſe contraria divinæ voluntati, nec peccaminoſa. Humana Chriſti voluntas, cùm tota Deificata ſit, divinæ proculdubio non adverſatur inquit D. Gregorius Nazianz. orat. 36. quæ eſt quarta de Theologia.

Diſſoluitur ratio Præmonſtratenſis.

D. Gregorius.

Articulum noſtrum iterum impugnant Calviniſtæ authoritate Sacræ Scripturæ, quà peccatum Chriſto tribui videtur. Nam pſalmiſta loquens in perſona Chriſti ait Pſal. 21. *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Cum ergo Chriſtus in his verbis relatis, & in aliis referendis, aliqua delicta, appellet, *ſua*, & Pſal. 38. dicat: *a facie peccatorum meorum*, non videtur eſſe expers peccati, etenim peccata ſunt illius, qui commiſit ea, & nemo poteſt dicere peccata mea, niſi ſit peccator.

Reſpondeo, Chriſtum ibi per os Prophetæ, non loqui de delictis propriis: quamvis appellet ea, *ſua*, quoniam non ſunt Chriſti ratione commiſſionis, ſeu ut ab ipſo commiſſa, ſed ratione fidejuſſionis. Eſt enim fidejuſſor noſter, in quo Deus poſuit omnia peccata noſtra, & qui ſpopondit ſe pro nobis ſatisfacturum Deo Patri Pſal. 39. verſ. 8. & 9. ſed loqui de delictis populi, cujus erat caput, & fidejuſſor, à quo Deus Pater exigebat ſatisfactionem pro univerſis hominum delictis, & propter quæ, Deus percuſſit filium ſuum, ut ipſemet refratur Iſay. cap. 53. verſ. 8. dicens: *Propter ſcelus Populi mei percuſſi eum.* Certum enim eſt quòd debita tranſeunt ad fidejuſſorem, & cenſentur illi propria, dum debitor non habet undè poſſit ea ſoluere, ut docent juriſperiti.

Diſſoluitur ratio Calviniſtarum

His addunt authoritatem Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 5. & ad Galat. 3. dicentis, Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum. At non nocet hæc ratio, quia Apoſtolus non intendit docere, Chriſtum in ſe habuiſſe peccatum, ſed fuiſſe Hoſtiam pro peccatis, quæ quidem Hoſtia in antiqua Lege dicebatur peccatum juxtà illud Oſeæ cap. 4. verſ. 8. *Peccata Populi mei comedent*, &c. Hoc eſt, Hoſtias quas offerent pro peccatis. Vel reſpondeo ibi Apoſtolum accepiſſe ſolutionem pro debito, ſeu ſoluentem pro debitore, & ſatisfactionem peccati, pro peccato, id eſt locutum fuiſſe per Methonimiam.

Tandem adduut alium textum, qui eſt 1. Petri 4. cap. *qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis*: ergo (inquiunt) Chriſtus aliquando habuit peccatum. Minus nocet hæc authoritas. Quia Chriſtus non deſiit à peccatis, ut peccator, ſed ut fidejuſſor, nec à peccatis exiſtentibus in ſe, ſed in hominibus, & hoc efficienter. Quia morte ſua fecit deſinere peccatum in illis, ſeu ſatisfecit pro peccatis hominum, & liberavit eos à ſervitute peccati, quàque non ſumus amplius Filii Ancillæ, ſed liberæ; nec ſumus ſub lege, ſed ſub gratia, quæ teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus Filii Dei.

1. Petr. 4.

Quoad hæreticos illos, qui juxtà deciſionem Concilii Epheſini, can. 10. credimus dixiſſe, Chriſtum pro ſe ipſo obtuliſſe Deo Patri, & mortuum fuiſſe, ac proinde aliquod peccatum voluntariè, & liberè commiſiſſe. Exiſtimo quòd eorum fundamentum erat illud Apoſtoli ad Heb. cap. 7. verſ. 27. ubi ille Doctor gentium itá loquitur de Chriſto. *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis Hoſtias offerre, deindè pro Populi: hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo.* Indè enim (inquiunt) conſtat, & clarè colligitur, quòd Chriſtus ſemel ſe ipſum obtulit eo animo, quo Sacerdos quotidiè Hoſtias offert, ſed Sacerdos offert prius pro delictis ſuis, deindè pro delictis Populi, ut monet idem Apoſtolus, & ut credunt communiter omnes, qui miſſam recipiunt, & audiunt: Igitur Chriſtus ſemel fecit ſimiliter, id eſt, obtulit ſemetipſum prius pro ſuis delictis, deinde pro delictis hominum ſemel ſe ipſum offerendo Deo Patri in Cruce, & moriendo pro ſe ipſo, & pro aliis hominibus: quia pronomen, *hoc*, indicat id, quod Sacerdos quotidie facit offerendo hoſtiam in Sacrificio Miſſæ, ſemel à Chriſto fuiſſe factum.

ad Heb. 7.

Reſpondeo, Apoſtolum non loqui de Sacrificio expiatorio quod hominibus dumtaxat profuit, ſed de honorario, & impetratorio. Vel dico ipſum non loqui ità adæquatè, ut velit Chriſtum ſemel ſe ipſum offerendo, feciſſe pro ſe, & pro aliis omne id, quod faciunt quotidiè Sacerdotes noſtri, ſeu obtuliſſe ſe pro omnibus ipſo comprehenſo, ſicut Sacerdotes noſtri, qui cùm ſint peccatores, debent pro peccatis propriis, & pro peccatis Populi offerre, ſed ſolum inadæquatè id eſt, ità ut velit, Chriſtum ſe ipſum offerendo, mortuum fuiſſe pro peccatis Populi tantum, inter quæ ſunt peccata Sacerdotis, quia pronomen aut adverbium *hoc* non cadit ſuprà utramque partem pro qua offerre Sacerdotes noſtri habent neceſſitatem, ſcilicet pro peccatis propriis, & pro peccatis Populi, (cum in eodem capite dicat, Chriſtum eſſe Sanctum, impollutum, à peccatoribus ſegregatum; alias ſibi contradiceret,) ſed cadit ſuprá poſteriorem, & ſignificat Chriſtum ſe ſemel obtuliſſe pro peccatis Populi pro quibus Sacerdotes noſtri quotidiè offerunt, quia ibi *hoc* non eſt adverbium comprehendens totam ſacrificantis actionem ex parte termini, nimirum Sacerdotis, & Populi, ſed eſt pronomen ſignificans Sacrificium præcisè, ſeu quatenus pro peccatis hominum Sacerdotes noſtri quotidiè offerunt illud, id eſt ſignificat, illud idem Sacrificium, quod Sacerdotes quotidiè offerunt, fuiſſe ſemel oblatum à Chriſto pro iiſdem pro quibus Sacerdotes quotidiè offerunt illud. Hæc quidem verba Apoſtoli *qui non habet neceſſitatem*, &c. Debent intelligi in eodem ſenſu reſpectu Chriſti, ſicut intelliguntur ea, quæ præcedunt, quæ cùm affirment, Chriſtum nullum habuiſſe peccatum, ea, quæ ſequuntur, ſeu quæ hæretici offerunt, non poſſunt tribuere Chriſto peccata propria,

Vera Apoſtoli ad Heb. explicatio.

Inſtabunt : ergo Sacrificium Sacerdotum noſtrorum extenſius eſt Sacrificio Chriſti ; cùm ſe extendat ad Miniſtrum, ad quem non ſe extendit Sacrificium Chriſti offerentis ſe in Cruce.

Reſponſio ad inſtantiam. Nego inſtantiam, quia Sacrificium Chriſti ſe extendit ad omnia peccata, inter quæ ſunt, aut erant peccata Sacerdotum. Nullus poteſt negare, Chriſtum non ſe obtuliſſe pro iiſdem peccatis, & peccatoribus, pro quibus Sacerdotes noſtri quotidiè offerunt idem Sacrificium. Sacerdos enim non offert præcisè Hoſtiam pro ſe, quia eſt Miniſter Chriſti, ſed quia eſt peccator : ideoque objectum Sacerdotis offerentis, non eſt extenſius eo pro quo obtulit ſe Chriſtus, cùm obtulerit ſe pro omnibus peccatis, & peccatoribus ; aut pro Filiis Adæ, inter quos ſunt Sacerdotes & Populus.

ARTICULUS XLII.

Docet contrà Baſilidianos, Chriſtum, mortem Crucis ſubiiſſe.

QUamvis mors Chriſti prædicta fuerit à Prophetis, ab Apoſtolis ubique prædicata, & ex ſe ipſa ab omnibus nota, quoniam conſtat ex Evangelio, quòd in morte ipſius, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, obſcutarus eſt ſol, velum Templi ſciſſum eſt medium, Petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexèrunt, ut narrant Evangeliſtæ, & alii Viri Sancti, qui teſtati ſunt ea, quæ viderunt. Plures tamen inſurrexerunt in principio naſcentis Eccleſiæ viri hæretici, qui dixerunt, Chriſtum non fuiſſe crucifixum, nec mortem ſubiiſſe. Horum primi nuncupantur Baſilidiani, non ab hæreſi, *Baſilides.* ſed ab Authore, ſeu à Baſilide Alexandrino intemperantiæ Magiſtro, viro ingenii acuti, ſed perverſi, Saturnini Antiocheni ſocio, & Menandri Diſcipulo, qui ſub Imperio Adriani Ælii, & Pontificatu Alexandri Papæ Primi circa annum Domini : CXXIV. Inter plures Blaſphemias, abnegavit Chriſtum paſſum, & crucifixum, & docuit, loco ejus Simonem Cyrenæum Cruci ferendæ Angariatum verè fuiſſe crucifixum, & paſſum. Itá de eodem Baſilide teſtantur D. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 4. Et D. Epiphanius lib. de Hæreſ. Undè non mirum ſi Sanctus Ignatius Epiſtola ad Trullenſes dicat : *Fugite Baſilidem, & totam collectionem malignitatis ejus*, & meritò quia necesſè eſt fugere Impium, & Blaſphemum illum, qui negat Chriſtum Dominum pro nobis in Cruce fixum, paſſum, & mortuum eſſe, & vult purum hominem pro nobis mortem ſubiiſſe.

Moneo obiter lectorem, omnes hæreticos, qui dixerunt, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, dixiſſe etiam, ipſum Chriſtum non fuiſſe verè crucifixum, ſed ſolum apparenter, & in corpore elementari, & phantaſtico, qood dicunt á Verbo Divino aſſumptum, ut videri poteſt io articulo, in quo Chriſtus contrá eoſdem hæreticos, probatur verus homo, & verus Deus. Undè ſolus Baſilides docuit Simonem Cyrenæum fuiſſe crucifixum, & Chrifrum à morte liberatum, quare in hoc ab aliis hæreticis diſtinguitur, & hæc hæreſis Baſilidiana dicitur.

Anno autem CCLX. Imperante Gallieno, & Eccleſiam Dei regente Stephano Papa hujus nominis *Patropaſſiani.* primo, inſurrexerunt quidam hæretici Patro Paſſiani, dicti, non ab authore, quia nullum ipſis aſſignant Patronum Euſebius, & Auguſtinus, ſed ab errore, ſcilicet quia aſſerebant, Deum Patrem paſſum fuiſſe, & mortem in Cruce pro nobis ſubiiſſe, quia negabant Trinitatem perſonarum. Volebant enim, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eſſe unam, eamdemque perſonam, tria nomina habentem; ideoque Patrem fuiſſe crucifixum. His ſucceſſerunt alii hæretici dicti Paſſioniſtæ, qui teſte Philaſ- *Paſſioniſtæ.* trio, dicebant, Chriſtum in ſua Paſſione, ita his verbis D. Math. cap. 27. verſ. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*, carnem dimiſiſſe, & in Cœlum ſic aſcendiſſe, ut non ſit jam in carne Divinitas, ac proindè credebant, Chriſtum non fuiſſe verè crucifixum : nec paſſum, nequè mortuum. Et tempore Arcadii Imperatoris, & Innocentii Primi anno CCCCVII. Fauſtus natione Africanus, ſectâ *Fauſtus Manichæus.* Manichæus aſſerebat, Chriſtum nec naſci, nec mori potuiſſe. Poſteà ſcilicet anno CCCCLXXVI. quidam dictus, Gainus docuit tempore Zenonis Impe- *Gainus.* ratoris, & Simplicii Papæ, Chriſtum habuiſſe Corpus incorruptibile, & immortale.

His ſucceſſerunt Agateni aſſerentes, alium Chriſ- *Agateni.* to ſimillimum, fuiſſe crucifixum. Anno autem : DCCXCII. Felix Urgelitanus Epiſcopus docuit *Fœlix Urgelitanus.* (teſte Agobardo) Deum Dei Filium, nullactenus dici debere crucifixum. Hoc probabat exemplò Iſaac, qui à Patre ductus ad immolandum, non ipſe, ſed Aries pro eo eſt immolatus, quia in Iſaac eſt figuratus Filius Dei. Et in Ariete, Filius hominis, ſeu Mariæ. Tandem tempore Caroli V. & Clementis VII. circa annum Domini : MDXXXIII. emerſit Joannes Weſtphalus natione Germanus, profeſſio- *Joannes Vveſtphalus.* ne Doctor Theologus, ſecta Lutheranus, qui in concione de Paſſione Chriſti in die Paraſceves habita, explicans hæc verba, *crucifixerunt eum*. Dixit : *quis autem ſcit an funiculis illum alligaverint Cruci, an clavis affixerint ?* Ex quo ſequitur quòd hic Lutheranus non credebat, Chriſtum fuiſſe crucifixum : imo nec Cruci confixum, ſed ligatum ; reverá non negabat mortem Chriſti Filii Dei, ſicut hæretici ſupra memorati, ſed ſolum ipſius mortis circumſtantiam, quæ cum ſit de fide, tuenda eſt contrá eumdem hæreticum.

§. I.

De Hæreticorum Anathemate.

BAſilidem, ejuſque hæreſim damnant Apoſto- *Symbolum Apoſtolicum.* li in Symbolo inter cujus articulos reperitur iſte : *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*, qui eſt de Chriſto, ut patet ex articulis præcedentibus. Idem poſteá in Baſilidem projecit Anathema Concilium Nicænum, in cujus Symbolo habetur : *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus, crucifixus etiam pro nobis*, &c. Reverà hæc ſancta Synodus fuit convocata anno CCCXXV. à Sancto Sylveſtro Papa, tempore Conſtantini pro tuenda contrá Arium divinitate Filii, nihilominus cùm in ipſa conditum fuerit fidei noſtræ Symbolum (cui plura addidit Conſtantinopolitana) per ipſam Sanctam Synodum nedùm Arius, ſed etiam Baſilides Anathematizatur. Imò certum eſt, hæreticos, quos hîc impugnamus, damnatos fuiſſe ſaltem implicitè in omnibus Conciliis ſubſequentibus. Quia omnia receperunt Concilium *Concilium Nicænum.* Nicænum. Hoc quidem Symbolum aſſerens Filium Dei fuiſſe paſſum, crucifixum, & mortuum, Anatemathizat Patro Paſſianos, qui dicunt, Patrem fuiſſe paſſum. Et Paſſioniſtas, quia Filius Dei id quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit. His addo Conci- *Concilium Epheſinum.* lium Epheſinum can. 12. in quo Chriſtus expreſsè declaratur crucifixus, ibi enim habetur : *Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne, & crucifixum carne*,

& mortem carne guſtaſſe, factumque primogenitum ex mortuis, ſecundum quod vita eſt, & vivificator ut Deus; Anathema ſit.

Varii Sacræ Scripturæ textus, & præcipuè Evangeliſtarum loquuntur de Chriſti Paſſione, & morte Crucis, nullus tamen ait, Simonem Cyrenæum fuiſſe paſſum, ſed ſolum portaſſe Crucem, in qua poſteá crucifixus fuit Chriſtus Dominus, ut teſtatur

Luc. 23. Sanctus Lucas cap. 23. verſ. 26. ut dicemus infrà. Ideo abſque ullo authoritatis, aut rationis, vel traditionis fundamento, Baſilides vult, Simonem Cyrenæum fuiſſe crucifixum, & Chriſtum dimiſſum; cùm verum ſit Evangeliſtarum teſtimonium. Primò conſtat, Judæos non optaſſe mortem Simonis Cyrenæi, ſed Chriſti in Cruce, ut patet ex illo Math.

Math. 27. cap. 27. verſ. 22. & 23. ubi legitur: *dicit illis Pilatus, quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? dicunt omnes crucifigatur.* Tunc Pilatus, qui mortem Chriſti videbatur nolle, dicit illis, *quid enim mali fecit?* Quo dicto, Judæi magis clamabant dicentes, *crucifigatur:* ergo petierant mortem Chriſti. Hanc Judæorum malitiam ſuum habuiſſe effectum conſtat ex eodem Evangelio verſ. 38. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo Latro-*

Chriſtus fuit crucifixus. *nes, unus à dextris, & unus à ſiniſtris.* Item ex verſ. 40: ubi legitur quòd Judæi dicebant ei: *Si Filius Dei es deſcende de Cruce*, quòd certò non dixiſſent de Simone Cyrenæo. Quoniam ipſe non ſe faciebat Filium Dei, nec poſuiſſent milites ad cuſtodiendum Sepulchrum, quia non Simon Cyrenæus, benè verò Chriſtus dixerat: *tertia die reſurgam.* Marcus cap. 15. verſ. 24. ait de Chriſto, *& crucifigentes eum diviſerunt veſtimenta ejus.* Luc 24. verſ. 20. *Quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Joan 19. verſ. 17. & 18. *Et bajulans ſibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. Hebraicè autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum.* Act. 2. verſ. 36. refertur eadem veritas, ibi enim legitur. *Certiſſimè ſciat ergo omnis Domus Iſraël, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis:*

His Evangeliſtarum teſtimoniis addo aliud quod eſt Pauli Apoſtoli, qui eamdem veritatem ſæpiſſimè docet, & inculcat ferè in omnibus Epiſtolis ſuis. In Priore ad Corinth. cap. 1. ait: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* Et cap. 2. *Nihil judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Undè cùm illæ authoritates Scripturæ ſufficiant pro tuenda Chriſti crucifixione, brevitas cui ſtudemus, nos cogit omittere alias tam novi, quàm veteris teſtamenti, quas afferre liceret ſcriptoribus prolixioribus.

Sancti Patres eamdem tuentur veritatem, & Baſilidem plenè convincunt de hæreſi, ſed quia Baſilides paucos habuit Sectatores, & modò nullus ſit, qui de hac veritate, ſeu de morte Chriſti dubitet, ſufficit nobis afferre Auguſtinum, qui lib. de Virginitate ſic de Chriſto Filio Dei alloquitur peccatorem, ut eum ad Chriſti amorem excitet, & ut ex amore illo

D. Auguſtinus. naſcatur pœnitentiæ deſiderium. *Inſpice vulnera pendentis: Sanguinem morientis: pretium redimentis: cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum: brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum, hæc quanta ſit cogitare. Hæc in ſtatera cordis veſtri appendite: ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in Cruce.* Hæc quidem pia exortatio oſtendit, Chriſtum verè mortuum fuiſſe in Cruce. Tandem ille, qui ſurrexit non eſt Simon Cyrenæus, ſed eſt Chriſtus Filius Dei, ut fatetur univerſa Scriptura, & videbimus infrà contrà alios hæreticos.

§. II.

De reſponſione ad Hæreticos.

BAſilidis fundamenta ſunt conſuetudo Judæorum, & Sacra Scriptura malè intellecta. Ait enim quòd Judæi non crucifigebant reos ad mortem damnatos, & indè infert, Chriſtum non fuiſſe crucifixum. At hæc ratio non nocet, quia Chriſtus non fuit condemnatus à Judæis, ſed à Pilato. Parum igitur refert quòd non fuiſſet talis conſuetudo apud Judæos condemnandi ad Crucem reos. Dico inſuper, Baſili- *Reſponſio ad primam Baſilidianorum rationem.*

dem falſum ſupponere, quia ſi configere cruci conſuetudine prohibitum fuiſſet Judæis, non dixiſſent Pilato, *crucifige, crucifige eum* ut ipſos dixiſſe conſtat in Evangelio. Nec crucifixiſſent Simonem Cyrenæum. Quòd ipſe Baſilides negat, ut jam dixi. Quippè Judæi tam ergá Simonem Cyrenæum, quám ergá Chriſtum obſervaſſent illam conſuetudinem, ſi fuiſſet apud illos.

Textus quem affert ex Scriptura Sacra eſt Luc. cap. 23. verſ. 26. *& cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem venientem de villa, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt Jeſum. Sequebatur autem illum multa turba.* Indè enim vult ipſe Baſilides, Judæos Simoni impoſuiſſe Crucem, ut eum crucifigerent, non verò ut ſolatium Chriſto afferrent; aliás (inquit) aliquam pro ipſo habuiſſent charitatem, aut pietatem. Quod eſt improbabile.

Minus nocet hæc authoritas, quia Judæi non impoſuerunt Simoni Crucem portare, ad eum crucifigendum, ut impiè ſomniavit Baſilides; ſed quia Jeſus nimis fatigatus, viribus exhauſtus, non tam expeditè, aut citò ibat, ut ipſi Judæi volebant ob rabidam malignitatem, nè Sabbato ſuperveniente, mors, & depoſitio ejus de Cruce differrentur, aut nè Pilatus Sententiam revocaret, uxore ſollicitante, & dicente, *multa paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Ita reſpondet D. Bonaventura Doctor Seraphicus in me- *Reſponſio D. Bonaventuræ.*

ditationibus ſuis cap. 77. Idque, hoc eſt, Simonem portare Crucem, permiſſum fuit à Deo, non ut mortem pateretur in ea, ſed ut unuſquiſque ſciret, Crucem cum Chriſto eſſe portandam. Undè ipſe Chriſtus ait: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemet ipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Math. *Math. 16.*

16. verſ. 24. Et Luc 14. verſ. 27. *Qui non bajulat Crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* Non dixit, *meam*, ut moneret unumquemque teneri portare in carne ſua, & in corde ſuo, Crucem.

Tandem hæretici fidem noſtram ſic impugnant. Chriſtus non fuit maledictus; quippè cum caruerit omni peccato, nullam maledictionem habuit: ergo, inquiunt, non fuit crucifixus, nec pependit in ligno. Quia Scriptura, Deuteron. 21. ait *maledictus eſt a Deo qui pendet in ligno.* Unde cùm Chriſtus non potuerit eſſe maledictus, propter unionem hypoſtaticam, quà eſt Sanctus Sanctorum, neque potuit eſſe crucifixus.

Reſpondet D. Bonaventura exponens illud Joan. 19. *Ut non remanerent in Cruce corpora Sabbatho*, & negat conſequentiam, quia Chriſtus benedictus, factus eſt pro nobis maledictus, non quod in ſe maledictus eſſet, ſed quia pro maledictis debitam pœnam ſubiit, fuitque ipſorum fidejuſſor; undè D. Auguſti- *D. Auguſtinus.*

nus lib. 4. contrà Fauſtum cap. 2. & 12. ait: *Aufert Chriſtus de maledicto, maledictum, quomodo de morte mortem, de peccato peccatum.* Hoc eſt, fuit maledictus, ſicut fuit peccator, ſeu quia pro peccatoribus, & maledictis mortuus eſt, itaque argumentum non probat, Chriſtum non fuiſſe mortuum, nec infirmat hæc verba Lucæ cap. 18. verſ. 31. quæ Chriſtus morti proximus dixit Diſcipulis ſuis: *Ecce aſcendimus Jeroſoly-*

mam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum.

Qûoad authoritatem Deuteronomii, idem D. Auguſtinus contrà Adimantum cap 21. D. Hieronymus ad Galatas 3. & Tertullianus contrá Judæos cap. 31. dicunt litteralem ſenſum illius authoritatis, eſſe maledictionem ferri in eum, qui propter crimina Crucis Supplicium graviſſimum mereretur: ideoque hæc authoritas non probat, Chriſtum non fuiſſe crucifixum. Quia non pro peccatis propriis, ſed pro nobis pependit in ligno, ut Diabolus, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, eâque victoriâ, inter omnes arbor una eſſet nobilis, ut canit Eccleſia in Officio Sanctæ Crucis, & in Præfatione Miſſæ de Paſſione.

Reſponſio ad Urgelitanum. Ad rationem Urgelitani dico, ad figurandam Paſſionem Chriſti in Iſaac (qui non fuit immolatus, ſed Aries pro eo.) Sufficere alietatem naturæ: nam Chriſtus exiſtens unus unitate perſonæ, eſt Filius Dei, & Filius hominis, ſeu Deus & homo. Immolatus, & mortuus eſt, ut homo. Et verum eſt dicere quòd Chriſtus, qui ſe obtulit Deo Patri in Cruce, mortuus eſt ſecundum naturam humanam, & quòd non eſt mortuus ſecundum naturam divinam, cùm ipſius anima numquam fuerit ſeparata à divinitate, ſed ſolum à corpore humano per mortem Crucis, in qua adimpleta fuit figura quam affert Urgelitanus ſuprà de Sacrificio Abrahæ.

ARTICULUS XLIII.

Rejicit Baſſianos credentes, Chriſtum non habuiſſe intentionem moriendi pro hominibus.

Baſſus. HOmines oportere in Chriſto ſalvari, negavit Baſſus, aut Baſſius, Cerinthi, Ebioniis, & Valentini hæreticorum Diſcipulus, & Succeſſor, circá annum Domini CL. Imperante Antonino Pio, & Hygino Summo Pontifice. Revetà hic hæreticus alios docuit errores cum Magiſtris ſuis, ſed ille, quô ab ipſis diſtinguitur, eſt iſte, quem impugnamus. Nullus ſiquidem hæreticorum, quos habuit antiquitas, auſus eſt dicere, murtem Chriſti fuiſſe generi humano inefficacem, & inutilem, ut voluit ipſe Baſſus, qui aſſeruit veram hominum ſalutem, non eſſe ſperandam à Chriſto, & perconſequens, Chriſtum non habuiſſe intentionem moriendi pro nobis. Quia non venerat pro nobis in mundum. Anno autem

Petrus Abaillardus. MCXLIII Diabolus ſuſcitavit Petrum Abaillardum, de quo ſuprá locuti ſumus, qui Baſſi hæreſim jam pridem ſepultam, ab inferis ſuſcitavit, & dixit, Filium Dei non fuiſſe incarnatum, ut hominem liberaret morte ſua, ac proindè Chriſtum fuiſſe verè mortuum, ſed non pro nobis. Ejus ratio erat, quia nulla fuit neceſſitas moriendi pro hominibus. At ut clariùs ejus mens ſtulta appareat, verba illius hîc inſerenda ſunt: *Ideo*, ait, *ſicut dicunt Doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt Filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur à Jugo Diaboli; ſed ut nobis videtur, nec Diabolus unquam Jus aliquod in homine habuit, niſi fortè Deo permittente, ut Carcerarius, nec Filius Dei ut hominem liberaret, carnem aſſumpſit.* Itá refert D. Bernardus Epiſt. 190. His ſiquidem verbis liquidò conſtat, Petrum Abaillardum voluiſſe, Chriſtum non eſſe mortuum pro nobis, ut priùs dixerat Impius Baſſius, vel Baſſus.

Abaillardo ſucceſſerunt mortis Chriſti beneficium diviſuri, quidam hæretici ex factione Sacramentariorum Calviniſtarum, dicti, Boquini, de quibus Lindanus Dialogo 2. ſui dubitantii ait: *Boquini docent, Chriſtum non eſſe pro omnibus, aut omnium peccatis crucifixum, & mortuum, ſed tantum pro fidelibus, & piis.* *Boquini.* Iſti hæretici dicti Boquini à Boquino viro hæretico: quamvis Antitelutherano, directè impugnant præſentem fidei articulum aſſerentem, Chriſtum mortuum fuiſſe, pro omnibus, & ſingulis hominibus, cùm plures excludant. Idem dicunt de inſtitutione Euchariſtiæ, cum ex eodem Lindano velint, Corpus Chriſti in cœna, tantùm manducari ab iis, pro quibus dicunt mortuum fuiſſe, itaquè malos, & impios excludunt ab utroque Chriſti beneficio Euchariſtiæ ſcilicet, & Paſſionis. Hic tamen obiter obſervandum eſt, Boquinum non eſſe inventorem hujus partitionis juſtorum a reprobis, tám in Paſſionis, quàm Communionis beneficio, quia eumdem errorem juxtà Communiorem ſcriptorum partem, docuerant Lucidus Presbyter contrá quem Fauſtus Abbas Lirynenſis, & poſteà Epiſcopus Rejenſis ſcripſit Epiſtolam, quam approbavit Concilium Arelatenſe III. celebratum circà annum Chriſti: CCCCLV. *Lucidus Presbyter.* Et Goſteſcalchus de quo ſupra in Articulo contrà prædeſtinatianos. *Gotteſcalchus.*

Anno autem MDLIII. Eccleſiam Dei regente Innocentio X. Sancta Sedes à pluribus Epiſcopis Germaniæ, & Galliæ obnixè rogata fuit, ut definiret quid tenendum eſſet de quinque propoſitionibus è libro, cui Titulus eſt: *Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopus Yprenſis* excerptis, inter quas reperitur iſta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Et tandem poſt longam accurati examinis indaginem, & preces Patri luminum enixè effuſas, irradiante Spiritu Sancto, emanavit conſtitutio ſpecialis à Summo Pontifice Innocentio X. poſteà confirmata ab Alexandro VII. & noviſſimè à Clemente XI fœliciter regnante, quâ damnantur illæ quinquæ propoſitiones Janſenii, à quo earumdem propoſitionum Propugnatores nomen ſuſceperunt, & dicti ſunt Janſeniani, ſive Janſeniſtæ, *Janſeniſtæ.* quia cum Janſenio (de quo locuti ſumus ſuprá in Articulo docente, Deum non præcipere nobis impoſſibilia) non ſolum credunt, Chriſtum mortuum fuiſſe pro prædeſtinatis, & electis, pro reprobis autem non, ſed etiam alios errores, quorum quilibet in proprio loco juxtá ordinem in hoc opere ſtatutum, proponetur, & fidei diſſoluetur principiis. Sed quia præſens propoſitio de Chriſti morte pro omnibus, duobus modis poteſt intelligi, ſcilicet ſufficienter & efficaciter, hîc ad vitanda ſubterfugia præſupponendus eſt modus, in quo tuenda eſt: hæc: *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus* juxtà fidem totius Eccleſiæ Chriſti, & genuinum Sacræ Scripturæ ſenſum, & Sanctorum Patrum mentem.

Dicunt igitur Janſeniſtæ, Chriſtum mortuum fuiſſe pro omnibus ſufficienter, ſeu quoad ſufficientiam pretii exhibiti tantum, ſcilicet quia Chriſtus ſoluit pretium ex ſe pluſquam ſufficiens ad omnium, & ſingulorum hominum ſalutem. Non verò efficienter, ſeu quoad voluntatem moriendi, & in hunc ſenſum vertunt omnes Sacræ Scripturæ textus, qui aſſerunt, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & nolunt Ly, *pro omnibus*, omnes & ſingulos homines comprehendere, ſed ſolum aliquos, quia (inquiunt) ſumi debet pro generibus ſingulorum, ſeu in quantum mortuus eſt Chriſtus pro aliquibus ex quacumque gente, natione, & Regno ſint oriundi. Non vero in quantum ſumitur pro ſingulis generum. Vel in quantum, *Ly pro omnibus*, debet ſumi quoad cauſam communem; cùm Chriſtus mortuus ſit pro peccato originali, ſeu pro culpa Adæ, in quo omnes & ſinguli homines peccaverunt.

Digitized by Google

Explicatur mens Articuli.

Controverſia autem non ſoluitur per omnes hos dicendi modos, quippè cùm certum ſir; Chriſtum exhibuiſſe pretium pluſquam ſufficiens, & Ipſum mortuum fuiſſe pro peccaro Adæ, in quo omnes peccaverunt, in hoc nequir conſiſtere præſens controvertia, bene verò in hoc, ſcilicet utrum Chriſtus mortuus fuerlr pro omnibus & ſingulis hominibus efficienrer, aut efficaciter, non quatenus particula, *efficacitei* ſignificar adeptionem effectûs mortis, ità ut omnes & ſinguli homines ſinr electi, & ſalvati per mortem Chriſti; eùm oppoſirum decretum fuerir in Tridentino Seſſ. 6. cap. 3. ubi legitur. *Verum & ſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, &ce. Sed quatenùs particula *efficienter* ant efficaciter ſignificat voiuntatem Chriſti morientis, aur Chriſtum habuiſſe veram voluntatem moriendi pro omnibus.

Omnes Chriſtianl credunt, Chriſtum in Cruce pretii infiniti ſanguinem fudiſſe, huncque fuiſſe ſufficientem pro redimendis omnibus, & ſingulis hominibus, ſed omnes non eredunt, ipſum ſanguinem fuiſſe pro omnibus à Chriſto applicatum, nee Chriſtum habuiſſe formalem intentionem moriendi pro omnibus, & ſingulis hominibus, ur patet ex illis, quos ſuprá nominavimus. Undè, hoc ſuppoſito. Dico quòd Chriſtus voluit ſincerè, verè, formaliter, & efficaeiter mori pro ſingulis hominibus, & voluir gratiam, quæ eſt effectus Paſſionis ejus, applicari omnibus tum fideſibus, tum ioſidelibus, tum reprobis, tum prædeſtinatis, ut jam probatum manet contrá prædeſtinarianos, lieet hæe mors non ſuerit efficax omnibus & ſingulis hominibus, ſeu omnes & ſinguli homines non receperint Paſſionis beneficium, ut ait Sacra Tridentina Synodus:

§. I.

Hæreticorum proſcriptio.

Concilium Nicænum.

PRænominati hæretici damnantur in Concilio Nicæno in cujus Symbolo dicitur de Filio Dei. *Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt*, indè enim colligitur contrà Baſſum, & Abaillardum, Chriſtum Dominum per mortem Crucis, & ſui Sanguinis effuſionem; eſſe Redemptorem omnium hominum. Quia ibi decem & octo ſuprà trecentos Patres loquuntur nomine omnium hominum: Et dum dicunt quòd deſcendir propter nos homines, & propter noſtram ſalutem; indicant motivum, ut potè redemptionem omnium hominum, eſſe cauſam motivam Dominieæ Incarnationis; quia factus eſt homo, ut homines liberaret à ſervitute Diaboli per mortem ſuam; & lavaret eos à peccaris in Sanguine ſuo, quoniam non poſuir nos Deus in iram; ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſivedormiamus, ſimul cum illo vivamus, ut ioquir Apoſtolus; ad Theſſal. cap. 5. verſ. 9. & 10.

Boquinios autem; & Janſeniſtas eredentes Chriſtum non eſſe redemptorem omnium, ſed aliquorum tantùm, damnant Conciiia Moguntinum, & Rhemenſe in qoibus legitur: *Nullus eſt, fuit, vel erit homo pro quo paſſus non fuerit Chriſtus, licet non omnes Paſſionis ſua myſterio redimentur*. His quidem verbis, nullus homo excluditur. Er Tridentinum Seſſ. 6. eap. 3. Cujus verba poſui ſuprá, & infra iterum ponam in probationibus; declarar explicitè, Chriſtum Dominum pro omnibus mortuum fuiſſe. Tandem Innocentius X. & Alexander VII. conſtitutionibus ſpeciaiibus editis de Conſilio Cardinalium declarant; hanc Janſenii propoſitionem *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus, mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe*, eſſe falſam, temèrariam, ſcandaloſam; impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati deroganrem, & hæreticam.

Moguntinum. *Rhemenſe.* *Tridentinum.* *Decreta Apoſtolica.*

§. II.

Veritatis probatio.

EVangeliſta Mathæus cap. 1. verſ. 21. evidenter oſtendit, Chriſtum eſſe ſalvatorem, & apprimè de errore convincit Baſſum, & Abaillardum aſſerentes, ſuperfluum eſſe ſperare ſalutem noſtram in Chriſto Jeſu, ibi quidem legimus, Angelum dixiſſe Joſepho de Maria ejus Sponſa: *Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet Populum ſuum à peccatis eorum*. Idem habetur ex illo D. Pauli ad Hebr. eap. 10. verſ. 10. *in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti ſemel*: Igitur impiè ſentiunt ii duo hæretici, dum dicunt, ſalutem non eſſe ſperandam in Majeſtare Chriſti, nec in ejus præſentia eorporali, & Filium Dei non aſſumpſiſſe carnem, ur hominem liberarer; cùm conſtet ex Sacra Scriptura, Chriſtum veniſſe ſalvum facere Populum ſuum à peccaris eorum, & Populum Chriſti eſſe Populum Dei, ſeu omnes homines ſuper quos, Deus dedit illi poteſtatem; & conſtituir eum Regem & Dominum, juxtá illud Jeremiæ Vaticinium cap. 23. *Suſcitabo David Germen Juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet Judicium, & juſtitiam in terra.* Quòd verè adimpletum fuit; ut declarar Joan. cap. 3. verſ. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit illi in manu ejus.* Undè Prophera regius air de Chriſto: *Judicabit orbem terrarum in juſtitia, & Populos in æquitate*, Pſalm. 97. ubi per *Populos* intelligitur omnis homo. Ratio hujus poteſtaris eſt, quia omnia ſibi acquiſivit Sanguine ſuo, idcircò Chriſtus venit, ur Salvator, & Redemptor hominum, & in ipſo eſt ſperanda noſtra ſalus, ut teſtantur Samaritani Joan. 4. verſ. 42. dicentes de Chriſto, *ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi*. Idem docet Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 5. ubi ait: *Et ſcitis quia ille*, id eſt Chriſtos, *apparuit ut peccata noſtra tolleret.*

Chriſtus eſt Salvator omnium.

Hæretiei, qui cum Baſſo, Abaillardo & aliis, aſſerunt, Chriſtum non fuiſſe Redemptorem hominum, nec mortuom fuiſſe pro noſtra ſalute, nec pro eadem de Cælis deſcendiſſe, dicunr; quòd textus, quibus nos probamus Articulum noſtrum; non indicant evidenter, Chriſtum oos redemiſſe verè, & realiter per Sanguinem ſuum, nec verè probant, ipſum Chriſtum eſſe Redemptorem mundi per Nativitatem, Paſſionem, & mortem ſuam. Nam (inquiunt) Sanctus Stephanos Act. 7. vocat Moyſem, Redemptorem, tamen non conſtar, ipſum Moyſem ſuum effudiſſe Sanguinem, ut redimeret Populum Dei: igitur non valet inferre, Chriſtum fuiſſe mortuum pro redimendis hominibus: quamvis in Scriptura Sacra, in Conciliis, & in variis Hymnis Eccleſiæ vocetur Redemptor, & Salvator hominum. Nam Moyſes & liberatio per eum facta; fuir Typus Chriſti, & ſalutis pec eum partæ; eùm vetus Teſtamentum ſit figura novi, ac proindè ſine effuſione Sanguinis & morte, fuit facta liberatio noſtra per Chriſtum, ſicut per Moyſem facta fuir liberatio Iſraëlitarum.

Reſpondetur negando pariratem. Nam Moyſes fuit Redemptor à Tyrannide Pharaonica, à qua liberari poterar Populus Iſraëiiticus, aurhoritate, & poteſtate divina per miniſterium Moyſis, qui teſte ſcriptura, conſtitutus fuerat Deus Pharaonis, ſeu Princeps Pharaonis, & ideo poruit miniſterialiter redimere Populum; quin ipſe Moyſes effunderet Sanguinem, ſed ſolùm Pharaoni manifeſtando voluntatem Dei. At Chriſtus redemit nos ab ira Dei, & à

Reſponſio ad Baſſum

poteſtate tenebrarum, Diaboli, & mortis, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. 5. Ad Colloſſ. 1. Et ad Hebr. 2. idque per Sanguinem ſuum. Apoſtolus enim loco citato loquens de Chriſto ait: *In quo habemus Redemptionem per Sanguinem ejus*, non dicit per miniſterium, nec per verba, ſed per Sanguinem. Idem conſtat ex aliis textibus, in quibus legitur, Chriſtum mortuum fuiſſe pro ſalute mundi, & lavaſſe nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quòd tamen de Moyſe non legitur; ideoque paritas non tenet.

Nec licet dicere, Chriſtum non eſſe verum Redemptorem hominum per Sanguinem ſuum; quamvis Moyſes dicatur Redemptor, & ſuum Sanguinem non fuderit pro Populo Iſraelitico, licet dicatur Typus Chriſti. Quia non debet eſſe in omnibus ſimilitudo inter Typum, & Antitypum, inter figuram, & rem figuratam; cùm perſonæ ſint eſſentialiter diverſæ, officia quoque diverſa. Nam Moyſes non erat fidejuſſor noſter nec Populi Iſraelitici peccata tulerat, ſicut Chriſtus erat fidejuſſor noſter, & peccata noſtra portavit. Nec erat Deus ſicut Chriſtus: igitur Moyſes non debuit mori, nec mortuus eſt pro Populo ſuo, ſicut Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, & ſingulis hominibus, quorum cauſam ſuſceperat apud Patrem offenſum.

Illi autem, qui credunt, Chriſtum non habuiſſe voluntatem efficacem moriendi pro omnibus, & ſingulis hominibus, ſed ſolum pro prædeſtinatis, ut poſte Lucid'ani, Boquini & Janſeniſtæ, vincuntur ex variis Sacræ Scripturæ textibus, quos hîc referam, & rationibus infra adducendis, quamvis ſatis efficienter convicti maneant in Articulo, in quo oſtendimus, Deum habere voluntatem ſinceram ſalvandi omnes, & ſingulos homines. Prima autem ratio eſt hæc. Deus Pater voluit ſincerè, & efficaciter mittere Filium ſuum in mundum, ut facilè colligitur ex illo Joan.
Joan. 3. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret*, &c. Quòd exprimit magnitudinem divini amoris, qui verè ſincerus, & efficax eſt. Filius voluit venire in mundum, & de facto venit, & Patris voluntatem adimplevit: factus eſt enim obediens uſque ad mortem, & dixit Patri: *non mea, ſed tua voluntas fiat*. Itaque voluit eumdem adventus ſui finem, quem volebat Pater: finis autem ille eſt Redemptio, aut ſalus omnium hominum, nullo ſecluſo. *Non enim*, ait D. Joan. cap. 3. verſ. 17. *miſit Deus Filium ſuum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*. Quare ipſemet Chriſtus Joan. cap. 10. verſ. 10. ait: *Fur non venit niſi ut furetur, & Mactet, & perdat: ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Quibus conſtat, Chriſtum habuiſſe voluntatem procurandi, & merendi vitam æternam omnibus hominibus, nullo excepto: nulla quidem poteſt aſſignari ratio excluſionis, cùm nomine mundi, omnes comprehendan-
Petrus 1. cap. 3. tur. D. Petrus 1. cap. 3. verſ. 18. ait: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo*. Et Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 1. verſ. 15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum*. Voluit igitur venire, & mori pro omnibus, & ſingulis hominibus ſalvandis, ſuamque ſacratiſſimam mortem applicare omnibus, & ſingulis; cùm omnes, & ſinguli peccaverint in Adam, & nullus poſſit ſalvus fieri, niſi per mortem Chriſti, hancque ipſi applicatam à Chriſto, quia morientis eſt ſuam applicare mortem.

Indè Luce meridiana propèmodum clarius eſt, Chriſtum non ſolum exhibuiſſe Sanguinem pluſquam ſufficientem pro omnium hominum ſalute, ut volunt Janſeniſtæ, ſed etiam reverà mori voluiſſe pro omnibus, & ſingulis hominibus; alioquin non veniſſet ut mundus ſalvaretur per ipſum; cùm plures eſſent in mundo homines pro quibus mori non intendiſſet. Quòd eſt falſum, ut conſtat teſtimonio eorum, qui ceciderunt coram Agno, qui tollit peccata mundi: dicentes ei, Apocalypſ. 5. verſ. 9. *Dignus es Domine, accipere librum, & ſolvere ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in Sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & Populo, & natione*. Apocalyp.

Nec valet inferre ex illa authoritate, quòd Chriſtus redemit aliquos ex omni natione, ſeu illos, qui fideles, & pii erant, non verò omnes, & ſingulos individualiter, Itá ut quilibet ex omni natione fuerit Salvatus & Redemptus. Aut Chriſtus mortuus ſit pro quolibet individuo uniuſcujuſque nationis Non valet inquam hæc Janſeniſtarum replicatio, quia Apoſtolus loco citato cap. 4. verſ. 10. ait: *In hoc enim laboramus, & maledicimur quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, & maximè fidelium*. Igitur Chriſtus voluit redimere infideles, & impios, ſua morte. Hoc quidem Verbum, *maximè*, fideles extollens, non excludit infideles, Imò eos ſupponit; cùm inter Redemptos aliquam admittat comparationem, eoſque per majus & minus tantùm diſtinguat, nequè removeat reprobos, & impios ab objecto intentionis morientis, nequè à motivo, aut beneficio mortis, quod fideles receperunt ut facilè colligi poteſt, ex illo ad Corinth. 2. cap. 5. verſ. 15. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt*, ſeu juſti & electi, *jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*. Hæc particula, *& qui vivunt* extrahitur ex alia; *& pro omnibus mortuus eſt*, licet omnes non receperint beneficium mortis, & Paſſionis Chriſti.

Reponunt Janſeniſtæ, infideles non recepiſſe mortis beneficium; quia ipſis applicatum non fuit à Chriſto Domino, ſicut applicatum fuit juſtis. At hæc replicatio eſt falſa, quia ſi non receperint, hoc non provenit ex voluntate Chriſti, qui venit ſalvum facere quod perierat, & omnes, nullo excepto, perierant peccato Adæ, ſed provenit ex eorum mala voluntate, nimirum quia Paſſionis beneficium recipere noluerunt, ut probat illud Joan. 1. verſ. 11. & 12. *In propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus*, etenim hæc particula, *ſui*, non denotat tantum fideles, & juſtos, quia iſti receperunt eum, ſed denotat etiam infideles, qui noluerunt recipere eum; quippè ex ſuis ſunt etiam ii, qui non receperunt eum, alias omnes ſui recepiſſent eum, ac proindè pro ipſis venit, ſicut pro aliis. Quòd ſi non receperint poteſtatem Filios Dei fieri, hoc eſt. Quia non receperunt Chriſtum ſicut alii, & noluerunt credere in eum, ut poterant; nam Janſeniſtæ aſſerunt quòd Chriſtus mortuus eſt pro omnibus fidelibus, ſivè ſint reprobi, ſivè ſint prædeſtinati, quatenus fideles, qui ſunt reprobi, receperunt fidem, quam Chriſtus per mortem ſuam eis meruit, & quæ eſt effectus Paſſionis Chriſti eis in Baptiſmo communicatus; hinc eſt quòd ſi reprobi credidiſſent, plenarium Paſſionis beneficium recepiſſent ſicut illi, qui ſunt prædeſtinati.

Reſponſio ad Janſeniſtarum inſtantiam.

Nec valet dicere quòd per ipſos reprobos non ſtetit credere in Chriſtum. Non obſtat, inquam, quia ex Janſeniſtis, receperunt fidem, ſicut illi, qui prædeſtinati ſunt, & cum quibus ſimul exiſtunt in Eccleſia. Undè ſi Paſſio Chriſti profuit omnibus quoad ſufficientiam, profectò pro omnibus, ſeu tam pro reprobis baptizatis, quàm pro electis Paſſio Salvatoris oblata eſt. Et ſi non fuerit ab omnibus recepta, hoc eſt, quia aliqui eam recipere noluerunt, ut tradit D. Thomas in 3. diſt. 20. quæſt. 1. artic. D.Thomas.
1. ad 2. his verbis: *Dicendum eſt quòd hoc quod omnes homines non reparantur, non eſt ex inſufficientia medicinæ*

reparantis

reparantis, cùm ſit ſufficiens quantum in ſe eſt ad reparandum omnes, qui naturam humanam habent; vel habere poſſunt, ſed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in ſe ipſis impediunt.

Dicent: Chriſtum non applicaſſe reprobis mortem ſuam, licet eis meruerit fidem, quoniam prævidebat quòd nollent credere, abuterentur gratiis ad credendum, & mors foret illis inutilis, ideoque nonobſtante illo impedimento, verum eſt dicere, Chtiſtum non applicaſſe eis beneficium Paſſionis ſuæ, nec pro ipſis effudiſſe Sanguinem ſuum.

Reſpoodeo hanc rationem non nocere, nam ſi propter illam prævifionem mori noluiſſet pro reprobis, liceret dicere, quòd Deus non creaſſet eos, nec miſiſſet Moyſem ad Pharaonem. Quia prævidebat eos beneficio creationis abuſuros, & Pharaonem non dimiſſurum Populum. Nullus tamen hoc dicit: ergo nec dicere poteſt de Chriſto, quòd mortem ſuam non applicaverit reprobis, quos prævidebat abuſuros beneficio Redemptionis.

Inſuper, Chriſtus, qui in Scriptura Sacra dicitur ſecundus homo, Reparator generis humani, Salvator mundi, qui venit deſtruere opera Diaboli, debuit velle per mortis ſuæ applicationem, aut oblationem ſalvare eos, quos perdiderat primus homo, ſeu liberare eos, quos Diabolus detinebat captivos. Et ità extendere Redemptionem, ſicut peccatum extenſum eſt, ſeu Sanguinem ſuum effundere ſuper eos, qui peccatum habebant, Chriſtus enim eſt conſtitutus caput omnium, & ſingulorum hominum reſpectu meriti, & Redemptionis, ſicut Adam caput totius generis humani reſpectu demeriti, & prævaricationis, ut tradit Apoſtolus ad Rom. cap. 5. Sed Adam perdiderat omnes, & ſingulos homines, & Diabolus detinebat eos captivos; cùm naſcantur omnes Filii iræ: igitur Chriſtus, qui venit, ut per mortem ſuam diſſolveret opera Diaboli, & liberaret captivos, debuit velle redimere omnes, & pro omnibus mori; licet prævideret plures Paſſionis ſuæ beneficiô abuſuros; alioquin noo fuiſſet Salvator omnium, nec Mediator inter Deum & homines, Quòd eſt falſum ex illo Timoth. cap. 2. verſ. 5. & 6. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; quia ut dicatur, & ſit verè, & actu Redemptor omnium, non ſufficit quòd potuerit ſalvare omnes, ſed requiritur inſuper quòd redemerit omnes, vel ſaltem quod voluerit redimere omnes: nam ſi non voluiſſet mori pro reprobis, ſed ſolum pro juſtis, non dediſſet Redemptionem ſemetipſum pro omnibus, ſed ſolum pro aliquibus, ſeu pro illis, qui actu ſalvantur, & ſalui erunt. Nec eſſet Mediator Dei & hominum, ſed aliquorum hominum ſeu prædeſtinatorum duntaxat, quoniam non dediſſet ſe pro reprobis, nec voluntate, nec re, ſeu nec io effectu, nec in affectu. Sed hoc noo poteſt compati cum Sacræ Scripturæ textibus: ideoque ſi reprobi non ſint ſalvati; tamen Chriſtus voluit morte ſua eos ſalvos fieri; cùm ipſe ſit propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi, inquit D. Joan. 1. Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 2. Et Deus voluerit per Chriſtum reconciliare, omnia in ſe ipſum pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt, ut declarat Apoſt. ad Coloſſ. cap. 1.

Chriſtus eſt caput omnium hominum reſpectu meriti, ſicut Adam reſpectu demeriti.

Refutatur iterum Janſeniſtarum reſponſio. Aliquis eorum propter quos mortuus eſt Chriſtus, periit, ut declarat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 8. verſ. 11. *Peribit infirmus in tua ſcientia Frater: propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Et ad Rom. cap. 14. verſ. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus eſt mortuus*: Ergo Chriſtus mortuus eſt pro aliquo noo electo, ſeu quem prævidebat morte ſua abuſurum, ſeu reprobum.

Chriſtum pro omnibus corpus ſuum tradidiſſe, & ſuum Sanguinem fudiſſe probatur etiam ex Evangelio Lucæ cap. 22. verſ. 19. & 20. ubi de ipſo dicitur quòd accepto pane, gratias egit, & dedit Diſcipulis ſuis dicens: *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis traditur.* Et accepto Calice dixit: *Hic eſt Calix Novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Dare quidem Corpus, & effundere Sanguinem, includit intentionem dandi utrumque. Hæc autem corporis traditio, & effuſio Sanguinis ſunt pro omnibus, & ſingulis hominibus: ergo Chriſtus vult quòd Corpus & Sanguis proſint omnibus, & ſingulis hominibus; alioquin ſequeretur quòd tunc Chriſtus inconſideratè locutus fuiſſet, quòd non eſt dicendum. Vel quòd per particulam, *vobis*, ſolos Apoſtolos comprehendiſſet. Quòd eſt falſum, cum multi ex meritis Paſſionis Chriſti ſint verè Sancti, & Divina Beatitudine perfruantur in gloria; qui tamen non fuerunt Apoſtoli, nec præſentes in Cœna Domini. Vel comprehendiſſet ſolos prædeſtinatos. Quòd eſt etiam falſum, quia unus Apoſtolorum, ſcilicet Judas eſt reprobus: ergo alloquendo Apoſtolos, verè, & ſincerè alloquebatur omnes, & ſingulos homines, & habebat voluntatem ſinceram ſalvandi omnes morte ſua, & effundendi Sanguinem pro omnibus, & ſingulis hominibus. Si autem ſint plures, ſeu reprobi, qui non ſint actu Salvati, nec Redempti, hoc non ad Chriſtum, ſed ad ipſos reprobos refundendum eſt, ut monent Apoſtolus, & D. Leo Serm. ſeptimi menſis ubi ait. *Effuſio pro injuſtis tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum in ſuum Redemptorem crederet, nullum Tyrannica vincula retinerent*, his ſi quidem verbis ille Sanctus Doctor, non Chriſto, ſed humanæ voluntati tribuit privationem beneficii Paſſionis.

Chriſtus effudit Sanguinem ſuum pro omnibus.

D. Leo.

Idem docet D. Auguſtinus lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 5. ubi redarguens Herodem & Satellitas ejus, qui Inoocentes occidendo, Jeſum interficere quærebant, & ſic Redemptionem ſibi oblatam aſpernabantur, ait: *O Munde immunde? Venit qui te redimat, & turbaris, & hunc tu vis perdere quando ille te diſponit liberare.* cap. 8. etiam addit: *Ecce hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis! Agnoſcitis latus, quòd pupugiſtis? Quoniam & per vos & propter vos apertum eſt, & tamen intrare noluiſtis.* D. Auguſtinus autem hìc non loquebatur hominibus fidelibus, & piis tantùm; noo enim veriſſimile eſt quòd inter interfectores Innocentium, & Domeſticos Herodis non fuerint multi infideles maledicti, & impii: imò certi ſumus quòd ipſe Herodes erat impius, ut canit Eccleſia in Hymno Epiphaniæ qui incipit: *Hoſtis Herodes impie*: Ergo D. Auguſtinus credebat, Chriſtum mortuum fuiſſe, & Sanguinem ſuum fudiſſe pro aliis à fidelibus, ſcilicet pro infidelibus, & reprobis, qui ſi non intraverint in latus Chriſti, hoc eſt, quia intrare noluerunt, apertum eſt ènim omnibus, & ſingulis hominibus, & ad omnes manus ſuas extendit ipſe Chriſtus,

D. Auguſtinus.

Idem docet alibi, utputè in Pſal. 68. his verbis; *ille*, id eſt Chriſtus, *ſic voluit mori, ut Sanguine ſuo, effuſores ejuſdem Sanguinis redimeret.* Et loquens de Juda in particulari ait: *Non agnovit Judas pretium, quo ipſe à Domino Redempturus erat*: Igitur Chriſtus obtulit ſuum Sanguiuem pro Juda quamvis previderetur reprobus: Sanguis enim nequit eſſe prætium

Digitized by Google

pro aliquo, niſi ad hoc ab eo, à quo funditur, deſtinatus fuerit. Et acceptatus ab eo, cui ſit oblatio. Quare Scriptura docet, quòd Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis Deo Patri hominum offenſâ irato, ut indè agnoſcamus, Chriſtum non defeciſſe in his, quæ ad Redemptionem noſtram neceſſaria erant, ac proindè ipſum Chriſtum habuiſſe voluntatem moriendi pro omnibus; cùm hæc voluntas prorsùs eſſet neceſſaria, ut nominaretur verè Redemptor omnium, quippècum tale nomen habere meruerit,&ad meritum requirerentur intentio, & libertas, concludendum eſt, Chriſtum voluiſſe mori pro omnibus, & ſingulis hominibus, aliàs nullo modo poſſet dici Redemptor omnium, quoniam in hoc ſenſu, non intendiſſet Redemptionem omnium.

Idem D. Auguſtinus

Chriſtum voluiſſe mori pro omnibus, & ſingulis hominibus evidenter probat D. Auguſtinus pluribus in locis, & præſertim in Pſal. 95. ubi exponendo illud pſalmiſtæ, *Judicabit orbem terrarum in æquitate*, inquit: *non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Undè cùm Chriſtus debeat in fine ſæculorum judicare vivos & mortuos juxtà Symbolum Apoſtolorum. Et per vivos intelligantur juſti, per mortuos verò reprobi, ut demonſtrat communis expoſitio Sanctorum Patrum, certum eſt quòd Chriſtus Dominus verè mortuus eſt pro omnibus, & ſingulis hominibus, utpotè electis & reprobis, pro fidelibus, & infidelibus, quia ex D. Auguſtino & aliis Sanctis Patribus non judicabit, nec condemnabit niſi eos, pro quibus mori voluit,& quos emit Sanguine ſuo in Cruce moriendo, quapropter idemSanctusDoctor ſubjungit: *Quæritis quid emerit? Videte quid dederit? & invenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt: tanti quid valet? Quid niſi totus orbis, quid niſi omnes gentes? Valdè ingrati ſunt pretio ſuo, aut valde ſuperbi ſunt, qui dicunt, aut illud tam parvum eſſe ut Solos Afros emerit, aut ſe tam magnos eſſe pro quibus ſolis illud ſit datum.* His ſiquidem verbis liquido conſtat, nullum eſſe pro quo Chriſtus mortuus non ſit efficienter, ſeu cum intentione redimendi illum.

Nè dicant Janſeniſtæ, Chriſtum prætium illud obtuliſſe pro omnibus, quatenùs in toto orbe terrarum, & in omnibus gentibus, ſunt electi pro quibus mortuus eſt Chriſtus, audiendus eſt iterum idem

Idem D. Auguſtinus

Sanctus Auguſtinus lib. 6. contrà Julianum cap. 4. ibi enim firmiter aſſerit, Chriſtum mortuum eſſe pro illis omnibus, qui contraxerant peccatum Originale. Nam exponens illud Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 14. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*, ſic habet: *ex hoc probavit Apoſtolus omnes mortuos eſſe. Quia pro omnibus mortuus eſt unus. Inculco, infarcio recuſanti accipere ... unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt: vide quid conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi unus pro omnibus mortuus eſt.* Utitur autem Apoſtolus hac locutione, ut denotet quòd illi pro quibus Chriſtus mortuus eſt, nedum ſunt illi, qui ſalvantur, ſed illi etiam qui mortui erant peccatò primi Parentis. Sed omnes & ſinguli homines perierunt per peccatum primi Parentis, & omnes naſcimur Filii Adæ, ideoque omnes, & ſinguli, nemine dempto, per mortem Chriſti Redempti ſunt, non actu, ità ut nullus ſit, qui non ſalvetur, ut declarat Tridentinum, ſed potentia, ità ut nullus ſit, qui non poſſit ſalvari per Chriſtum, aut pro quo Chriſtus non obtulerit mortem ſuam.

Dicere, Chriſtum noluiſſe mori pro omnibus, hoc eſt improbabile, & repugnat rationi, quæ cùm demonſtret, Deum eſſe, hunceque bonum, Creatorem Cœli & Terræ; nullus poteſt capere quomodò potuit Deus, velle ſalutem peccatorum omnium. Et Chriſtum nolle pro ipſis mori, quoniam Chriſtus non deſcendit ut faceret voluntatem ſuam, ſed ejus, qui miſit illum, & Deus promiſit ſe per Prophetam Iſayam, omnibus manifeſtaturum. Lucas enim c. 3. verſ. 6. ait: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*; ideſt, omnis homo videbit Chriſtum Salvatorem ſuum naſcentem, & morientem; ergo Chriſtus obtulit omnibus, & ſingulis hominibus ſalutem, eſtque verus omnium hominum Salvator, & Redemptor, non ita ut quilibet homo per ipſum, aut per ipſius Paſſionem ſit actu prædeſtinatus, ſed itá ut ipſe velit omnes homines ſalvos fieri, pro omnibus & ſingulis carnem ſumere, & mori in Cruce per quam nos redemit; alioquin omnis homo non vidiſſet ſalutare Dei; neque D. Ambroſius dixiſſet in lib. 1. de Virginibus, *Verbum caro factum eſt, ut caro fieret Deus*, ſi quilibet homo non potuiſſet per Incarnationem Verbi, & mortem Chriſti ſalvari, ſi voluiſſet gratiis, & beneficiis Paſſionis benè uti; ſed Lucas Evangeliſta, & D. Ambroſius locuti fuiſſent

D. Ambroſius.

determinatè, & dixiſſent, quòd aliqui homines videbunt ſalutare Dei, & Verbum caro factum eſt, ut aliqui homines fierent Filii Dei; cùm Chriſtus noluiſſet omnibus, & ſingulis hominibus manifeſtare ſalutare Dei, nec carnem humanam pro omnibus ſumere. Et applicatio hujus mortis, abſolutè neceſſaria ſit ut homo ſalvetur.

Joan. 12.

Imò ſi Chriſtus noluiſſet mori pro omnibus, non dixiſſet Joan. 12. verſ. 31. & 32. *Nunc Judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*, tum quia nolendo mori pro infidelibus, & reprobis, noluiſſet ejicere foras Principem hujus mundi, id eſt Dæmonem, quem peccatum fecerat Principem hujus mundi, ſeu omnium hominum, quos Adam, ſuo peccato ſubjecerat Diabolo; quia nonobſtante morte Chriſti, remaneret Princeps eorum, quibus Chriſtus noluiſſet applicare mortem ſuam, abſolutè neceſſariam, ut liberarentur à poteſtate tenebrarum. Nec voluiſſet trahere exaltatus in Cruce omnes, & ſingulos homines, quia velle trahere omnia ad ſe ipſum; & velle pro omnibus mori in Cruce, unum & idem ſignificant in Chriſto. Tum quia nolendo mori pro omnibus, ſed ſolum pro prædeſtinatis, & electis, vellet aliquos remanere in poteſtate Diaboli, & nullam partem habere in Sanguine pro electis effuſo, ſaltem implicitè & interpretativè. Sed hæc omnia, quæ indicant, Deum eſſe acceptorem perſonarum, contraria ſunt Sacræ Scripturæ textibus, præſertim illis, quibus declarat ſe nolle mortem peccatoris: ſe facere vineæ ſuæ quidquid debet, ut faciat uvas, ergo dicendum eſt contrà Janſeniſtas, Chriſtum voluiſſe mori pro omnibus, & ſingulis hominibus, & de facto pro omnibus, & ſingulis mortuum fuiſſe.

Idem docet Tertullianus lib. 4. adversùs Marcionem ubi ait: *Chriſtus ab hominibus, non autem ab ſpiritibus immundis volebat Filius Dei agnoſci*, itá enim locutus eſt de Meſſia, ut probaret ipſum veniſſe

Tertullianus.

pro omnibus hominibus redimendis,& voluiſſe per mortem cognoſci ab hominibus, Filium Dei, ut de facto notus fuit, cùm conſtet ex Evangelio, plures Judæos ſtatim poſt mortem, dixiſſe: *Vere Filius Dei erat iſte.* Et Latronem in Cruce pendentem, & audientem Chriſtum dicentem; *Pater ignoſce illis*, exclamaſſe: *Memento mei dum veneris in Regnum tuum*: Ergo ſi voluerit agnoſci Filius Dei per mortem, & de facto per ipſam talis notus fuerit à Judæis, voluit mori pro omnibus, & pro omnibus mortuus eſt, ut ab omnibus agnoſceretur Filius Dei. Salvianus lib.

Salvianus.

2. ad Eccleſiam ait: *Chriſtus ſicut pro omnibus paſſus eſt*,

ſic pro ſingulis, & cunctis ſe impendit pariter, & ſingulis & totum ſe dedit univerſis, & totum ſingulis, &c.

His rationibus Sacræ Scripturæ, & D. Auguſtini addenda eſt authoritas aliquorum Sanctorum Patrum. D. Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum ait:
D. Hieronymus.
Si ſunt adhuc in ſæculo quorum Chriſtus peccata non tulerit, mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans: ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. D. Ambroſius lib. de Jacob, & vita beata cap. 7.
D. Ambroſius.
mirè addit: *pro nobis tradidit eum, ut oſtenderet, quod ità omnes diligat, ut dilectiſſimum Filium ſuum pro ſingulis traderet.* Sunt plures alii, qui ſatis manifeſtè docent eamdem veritatem, ſed eos omitto. Quia videri poſſunt in articulo contrà Prædeſtinatianos. Undè cum ſit certum, Joannem Baptiſtam non fuiſſe mentitum, & Deum tradidiſſe Filium ſuum, ſequitur quòd ipſe Filius ſe tradidit, & mortuus eſt pro omnibus, & ſingulis hominibus, ſeu tam pro juſtis, quàm pro injuſtis, & reprobis. Et quòd per mortem ſuam voluit tollere, & de facto tulit peccata mundi, ſeu peccata tam proborum, quàm reproborum, cùm per peccata mundi intelligantur, peccata omnium hominum. Et ex Scriptura Luc. 19. venerit quærere & ſalvum facere quod perierat, nullo excepto. Quare D. Leo Serm. 11. de Paſſione ait: *pro omnibus impiis mortuo Domino, potuiſſet etiam Judas aſſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad Laqueum.* Non video ergo qua fronte Janſeniſtæ dicere poſſunt, quòd Chriſtus juxtà doctrinam antiquorum Patrum, non ſit pro omnibus mortuus, cùm hoc potiùs tanquam errorem, à fide Catholica doceant eſſe reſpuendum.

Dicent Janſeniſtæ, Joannem Baptiſtam non fuiſſe mentitum, quoniam Chriſtus exhibuit ſufficiens prætium ad tollenda peccata mundi ex eo quod Sanguis ab eo effuſus, infinitum habeat valorem pro redimendis omnibus & ſingulis hominibus; non verò quòd ipſe Chriſtus exhibere voluerit prætium illud pro omnibus, & ſingulis hominibus animo redimendi eos in Cruce.

Hæc reſponſio, quâ ſolitò utuntur, eſt nulla, nam D. Joannes loquitur in actu exercito. Non dicit, qui tollet, neque qui poteſt tollere, ſed qui tollit, quod idem eſt ac dicere, qui vult tollere peccata mundi, ſeu qui vult ſalvare mundum; aliás Chriſtus non tolleret peccata mundi liberè, & voluntariè; cùm ibi ex Janſeniſtis, in eo nulla eſſet intentio. Quòd eſt falſum: hæc quidem Locutio Joannis Baptiſtæ non eſt ità intelligenda, ut nullum peccatum ſit in hominibus poſt mortem Chriſti, aut ità ut omnes homines ſint juſti, & prædeſtinati; ſed ſolùm ità ut Chriſtus noluerit per mortem ſuam ſalvare omnes homines, eoſque ab omni peccato redimere Sanguine ſuo liberè, & voluntariè oblato: ergo mentitus fuiſſet Joannes Baptiſta dicendo *ecce qui tollit peccata mundi*, ſi Chriſtus non habuiſſet voluntatem ſinceram tollendi peccata mundi per Sanguinem ſuum. Nam ratione ſufficentiæ, aut ſuperabundantiæ prætii Sanguinis effuſi, Chriſtus non poteſt dici Salvator omnium, nec tollere peccata mundi, niſi in morte Crucis habuerit intentionem applicandi omnibus & ſingulis hominibus Paſſionis ſuæ, & Sanguinis effuſi meritum, ut omnes & ſingulos homines eriperet de poteſtate tenebrarum, & deduceret in admirabile lumen ſuum. Hoc verum eſſe evidenter probat exemplum, quod ſequitur.

Ille vir, qui cumulat maximam pecuniæ copiam, non cenſetur eam cumulare pro omnibus Egenis, niſi habeat voluntatem eam illis applicandi. Ille qui
Probatur veritas exemplo familiari.
haberet pecuniam ſufficientem pro redimendis centum hominibus in captivitate detentis, & de facto redimeret tantum quinquaginta, non poſſet dici Redemptor, aut Liberator centum hominum, niſi habuiſſet intentionem ſinceram, & firmam redimendi centum homines, quamvis tantùm quinquaginta eſſent de facto redempti, aliis ad Redemptionem concurrere nolentibus: ergo Chriſtus non poteſt verè dici Redemptor hominum ratione ſufficientiæ prætii & mortis ſuæ, nec poteſt de eo rectè dici: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nec Sancti Patres, & Concilia poſſent aſſertivè dicere, Chriſtum fuiſſe mortuum pro omnibus, & ſingulis hominibus, ſi mortem ſuam ſolis prædeſtinatis intendiſſet applicare, & à fructu ſuæ Paſſionis excludere reprobos; cùm de facto omnes homines non ſint prædeſtinati, nec ſalvati, & Chriſtus vocetur ab univerſali Eccleſia Redemptor omnium hominum, Spiritu S. ſic inſpirante in Sancta Scriptura, & in Æcumenicis Conciliis, præſertim in Tridentino ſeſſ. 13. cap. 2. de Inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti. Denique ex Divo Bernardo, & ex aliis, dum Chriſtus pendens in Cruce dixit, *ſitio*, ſitiebat ſalutem omnium animarum, non earum, quæ erant prædeſtinatæ, quia habebat eas in manu ſua; ſed animas eorum hominum, qui erant reprobi, ergo tunc voluit ſalvare illas reproborum animas.

§. III.

Evelluntur Janſeniſtarum fundamenta.

JAnſeniſtæ, qui non negant, Chriſtum fuiſſe abſolutè verum Redemptorem. Nec mortuum fuiſſe: ſed dicunt ſolùm mortuum fuiſſe pro Electis, & prædeſtinatis, ac proindè non eſſe verè actu Redemptorem omnium hominum, ſed tantum eorum, pro quibus mori voluit, objiciunt illud Joan. 10. *Joan. 10.*
Pono animam meam pro ovibus meis, id eſt electis meis, ut colligunt plures ex illo Pſal. 110. *Redemptionem miſit Dominus Populo ſuo*, & ex illo Math. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſraël.* Hi ſi quidem textus manifeſtè indicant reſtrictionem, aut limitationem fructus Paſſionis Chriſti, eamque extendunt ad ſolos prædeſtinatos, qui ſolitò per oves, per Populum, & per Eccleſiam Dei, exprimuntur. Undè Apoſt. ad Epheſ. 5. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea*: Ergo (inquiunt) non ſe tradidit pro illis, qui ſunt extrà Eccleſiam, & extrà domum Iſraël.

Reſpondetur primò, per oves, Populum, & Eccleſiam, intelligi omnes homines. Quia Populus eſt creatus à Deo, & ex omnibus hominibus conſtituitur: nullus enim eſt homo in hoc mundo, qui non ſit ſub Imperio Dei. Homines ſunt etiam oves Chriſti quia ipſe Chriſtus eſt Paſtor omnium, ſunt pariter actu, vel potentia in Eccleſia, poſſunt enim Baptizari, & eſſe inter Filios Eccleſiæ.

Reſpondetur ſecundò ex textibus adductis colligi quidem, Chriſtum mortuum eſſe pro ovibus ſuis, pro Populo ſuo, pro Eccleſia, ſeu pro electis, & prædeſtinatis, ſed hoc non excludit, ipſum Chriſtum mortuum fuiſſe pro omnibus, & ſingulis hominibus, ut ſuprà probatum manet ex aliis Sacræ Scripturæ textibus, qui nullam reſtrictionem, habent, nec illis iſti ſunt contrarii, licet aliquam reſtrictionem habere videantur, ut attentè conſideranti patebit.

Nec valet dicere quòd ex affirmatione unius ſequitur negatio alterius, ac proindè quòd ex affirmatione Populi, Ovium, Domus Iſraël, ſequitur negatio aliorum hominum, ſeu eorum qui ſunt actu extra Eccleſiam. Non valet inquam, quia illud axioma habet locum inter ea dumtaxat, quæ incompoſſibilia ſunt, ſeu quorum unum negat aliud. Undè cum Scriptura in locis citatis aſſerentibus, Chriſtum

mortuum fuiſſe pro ovibus ſuis, ſeu electis, non excludat mortem Chriſti pro omnibus, quia mori pro electis, & mori ſimul pro reprobis, non ſunt incompoſſibilia, ex eo quod ibi nulla ſit particula exclusiva. Et Sanguis Chriſti in ſenſu Janſeniſtarū fuerit ſufficiens pro omnibus & ſingulis hominibus, ſequitur quòd ex præcitatis locis non infertur, Chriſtum fuiſſe mortuum pro prędeſtinatis, & electis, non verò pro reprobis: mori quidem pro iſtis, non impedit mortem pro illis. Quoad locum Math. in quo habetur particula *niſi* quæ excluſiva videtur, dico quòd Salvator noſter voluit per illam inſinuare ſe eſſe miſſum principaliter, & primariò pro Judæis; licet minus principaliter, & ſecundario miſſus ſit pro aliis hominibus, ut explicant Hieronymus, Cyrillus, & Ambroſius. Reſpondeo tertio ibi Chriſtum loqui de illis, quibus profuit mors, non verò de illis omnibus pro quibus mori voluit, & de facto mortuus eſt, ut monent Sanctus Proſper ad nonam objectionem Gallorum, & D. Auguſtinus expoſitione in Pſal. 87.

D. Hieronymus.
D. Cyrillus.
D. Ambroſius.

Adducunt alios textus Joan. 17. ubi Chriſtus ait: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi quia tui ſunt.* Indè enim probant, plures eſſe pro quibus non rogavit Chriſtus, & pro quibus non eſt mortuus. Idque confirmant ex illo Math. 20. *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis* plures homines excludit, & admittit tantum eos, quos Pater illi dederat, ſcilicet prædeſtinatus. Sunt alii ſimilea textus ex quibus infertur, Chriſtum fuiſſe mortuum pro fidelibus dumtaxat, ut ſuadet hæc particula, *pro multis* quæ eſt minor iſtâ *pro omnibus*, & tantum ſonat, quantum iſta, *pro pluribus.*

Chriſtus oravit pro omnibus.

Reſpondetur, Chriſtum indè aſſerere ſe non rogaſſe pro mundo completè & efficaciter in ordinè ad conſecutionem beneficii Paſſionis ſuæ, quaſi ſua oratio habitura fuerit ſuum effectum finalem in reprobis, non verò ſe non rogaſſe incomplete & ſufficienter in ordine ad conſecutionem beneficii Paſſionis ſuæ. Obtinuit enim reprobis gratias ſufficientes, quibus ſalui fieri potuiſſent, ſi illis benè uſi fuiſſent, ut fuſiùs dicemus in 3. lib. contrá hæreticos, qui inſurrexerunt adversùs gratiam. Ideo voluit mori pro ipſis, quia non meruit niſi pro his, pro quibus pati, & mori voluit; cùm ipſius Chriſti mors ſit fons, & origo totius meriti. Idque colligitur ex verbis Joan. 17. verſ. 20. ubi legitur: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt.* Ex quo ſequitur quòd nedum pro fidelibus, ſed etiam pro infidelibus oravit. Nam illi pro quibus rogat, non ſunt illi, dumtaxat qui crediturí erant; alioquin non dixiſſet; *ſed & pro eis qui credituri ſunt*: ad quid enim dixiſſet *& pro eis qui credituri ſunt*, ſi omnes illi pro quibus rogabat, crediturí fuiſſent? Ergo mortuus eſt pro omnibus ſive fidelibus, ſive infidelibus, & rogavit pro omnibus ſivè reprobis, ſive prædeſtinatis; licet omnes non receperint æqualiter, ſeu omnia Paſſionis ſuæ beneficia. Nè credas tamen, hanc inæqualitatem provenire ex voluntate Chriſti, quia voluit ſincerè mori pro omnibus, & omnes ſalvos fieri, ut dictum eſt contrà prædeſtinatianos, ſed ex defectu cooperationis reproborum, qui noluerunt ſe gerere more D. Pauli, qui volens mortem Chriſti in ſe reddere completam & efficacem per bona opera; ait: *adimpleo quæ deſunt Paſſionum Chriſti.*

Ad textum Mathæi dico quòd nomine *multi* idem ſignificatur, quòd nomine *omnes* in Sacra Scriptura. Nam Math. loco citato ab adverſariis dicit quòd Chriſtus dedit animam ſuam redemptionem pro multis. Et D. Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. 6. idem ſignificare intendens ait, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*: Igitur nè in Sacra Scriptura habeatur formalis, & expreſſa contradictio, dicendum eſt quòd illa verba, *multi. Et omnes* unum & idem ſignificant, eamdemque quantitatem denotant in ſacris paginis, ut in variis earumdem locis videri poteſt. Hoc verum eſſe probatur ex eodem Apoſtolo, qui in uno, eodemque capite, quos prius dixit multos, poſteá dixit, omnes. Nam ad Rom. 5. verſ. 15. ait: *Sed ſi non ſicut delictum, ità & donum: ſi enim unius delicto multi mortui ſunt*; & verſ. 18. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, idcircò indifferenter utitur nomine *multi* & nomine *omnes*, ut ſuadeat, hæc duo nomina, unum, & idem ſignificare aliquando in Scriptura Sacra, præſertim in his in quibus agitur de morte & Paſſione Chriſti, aut de remiſſione peccatorum. *Rom. 5.*

Undè idem Apoſtolus verſ. 19. inquit: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ità & per unius obedientiam, juſti conſtituentur multi.* Inde enim facile colligitur, *multi*, ſignificare idem ac *omnes*. Et Apoſtolum, *omnes & multi*, æqualiter uſurpare: alioquin ſequeretur quòd omnes & ſinguli homines non fuiſſent conſtituti peccatores delictô Adæ, ſed tantùm aliqui. Quòd eſt falſum, quia omnes contraxerunt peccatum originale, & in Adam peccaverunt, ut ſcriptum eſt. Ideoque Evangeliſta per multos intendit exprimere omnes; ut fuſiùs dictum eſt in articulo, in quo dixi contrá Prædeſtinatianos, Deum velle ſalutem omnium hominum. Objectiones enim adductæ contrá illum articulum, ſolitò adducuntur etiam contra iſtum ob neceſſariam connexionem, quæ eſt inter utrumque. Certum enim eſt quòd ſi adverſarii crederent, Deum velle ſalutem omnium hominum, crederent utique, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus, quia decretum Incarnationis procedit ex voluntate ſalvandi hominem, cùm ſi homo non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet ut Redemptor.

Dicent nonnulli, Alexandrum VII. poſt Innocentium X. condemnaſſe hanc propoſitionem. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum fuiſſe, aut Sanguinem fudiſſe* (ut jam notavi ſupra in principio articuli loquendo de propoſitionibus Janſenii) ergo cum Semipelagianiſmum refutare teneamur, ut dicemus in proprio loco: nulli licet credere quòd Chriſtus mortuus eſt pro omnibus.

Facilis eſt hujus argumenti ſolutio, quia hæc propoſitio non fuit ab Innocentio X. nec ab Alexandro VII. condemnata in ſe ut hæretica, cùm de facto talis non ſit. Sed condemnata fuit in ſenſu Janſeniſtarum, qui exiſtimant, prædictam propoſitionem; ut potè Chriſtum mortuum fuiſſe pro omnibus; & ſingulis hominibus, eſſe unum ex erroribus Semipelagianorum, voluntque propoſitionem oppoſitam, ſeu Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, & ſingulis hominibus, eſſe veram in ſenſu eorumdem Summorum Pontificum. Quòd eſt falſum. Quoniam illi duo Summi Pontifices damnarunt illam propoſitionem, quatenùs ſignificat Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus. Undè huic Articulo finem facio dicendo hæreticis illud Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 3. *Tradidi vobis in primis quod*, ſeu Evangelium, *& accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundum Scripturas.* Non dicit pro peccatis aliquorum, ſed pro peccatis omnium, & ſingulorum hominum. Nam Chriſtus, teſte D. Joanne, eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi, hoc eſt, non ſolum pro peccatis electorum totius mundi, ſed etiam pro peccatis reproborum. Mortuus eſt enim pro Juda, & pro Petro, pro juſtis, & injuſtis.

Explicatur mens Innocentii X & Alexandri VII.

ARTICULUS XLIV.

Repellit Petrum Joannis Aſſerentem, Chriſtum poſt mortem non fuiſſe Lanceâ vulneratum.

QUamvis hujus Articuli veritas Luce Meridiana propemodùm clarior ſit in Evangelio D. Joannis cap. 19. ut dicemus infrá. Nihilominùs (Diabolo ſuadente) apparuit hæreſis aſſerens, Chriſtum ſuſtinuiſſe vulnus Lanceæ cum adhuc vivus eſſet. Hujus hæreſis Author fuit quidam vir nomine Petrus Joannis Diœceſis Biraneuſis, qui Joachimi Abbatis errores docuit, & ut Magiſtro ſuo Pejor videretur, blaſphemavit in Chriſtum in quadam concione de Chriſti Paſſione ac morte. Et hæreſibus Joachimi iſtam addidit. Reverá in ſua ad Populum concione, hoc dixit animo amplificandi dolorem Chriſti, ut notant plures, ſed propter hoc non eſt ab hæreſi excuſandus, quia poſt cuncionem de errore admonitus, pertinaciter illum defendere auſus eſt, atque prædicare Populo.

Petrus Joannis.

Hic hæreticus varios libros compoſuit in Evangelium Sancti Mathæi, & in Apocalypſim D. Joannis, ſed quia blaſphemiis, & erroribus pleni erant, eos damnavit Sancta Sedes, reclamantibus in prædictum Petrum, tanquám in hæreticum, pluribus in Sacra Theologia Doctoribus, qui nedum librorum condemnationem petierunt, ſed etiam ejuſdem Petri (quamvis jam mortui, & ſepulti,) Eccleſiaſticam punitionem; quapropter Summus Pontifex dictus Cœleſtinus III. Regnante Henrico ſexto Imperatore circá annum Domini MCXCIX. propria ac plena authoritate decrevit, & juſſit quòd idem Petrus cum in ſacro loco poſt mortem eſſet, exhumaretur, & ejus oſſa rogo impoſita, & exuſta eſſent, quô mandatô, ſtatim ipſius Corpus igni fuit traditum.

Concilium Viennenſe celebratum anno MCCCXI. ſub Clemente V. pro extinguendis Templariis, & damnandis Dulciniſtis, Begardis, & Beguinis, ad quod venere ipſe Summus Pontifex Clemens V. ut Præſes, Cardinales permulti, Patriarchæ duo, Alexandrinus videlicet, & Antiochenus, Epiſcopi Treceuti, Regeſque plures; interquos Philippus pulcher Galliæ Rex cum tribus Filiis ſuis, nondum quidem tunc, ſed deindè poſt ipſum ſucceſſivè Galliæ Regibus. Et cum iſtis venit Eduardus ſecundus Angliæ Rex, venit & Jacobus ſecundus Rex Aragoniæ. Iſtud, inquam, tam celebre Concilium, tot, tantoſque hæreticos Anathematis gladio percutiens, articulum noſtrum declaravit certiſſimum, & juxtá teſtimonium D. Joannis Evangeliſtæ determinavit, ipſum eſſe de fide, & per conſequens damnavit opinionem prædicti Petri Joannis, qui oppoſitum docebat, utpotè Chriſtum recepiſſe vulnus Lanceæ cum adhuc vivus eſſet.

Condemnatio in Concilio Viennenſi habita.

Hujus Concilii declaratio habetur in volumine Decretalium Clementinarum Tit. de Summa Trinitate, & fide Catholica, ubi facta lectione Evangelii D. Joannis cap. 19. cujus verba infrá referemus, legitur: *Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac Sanctorum Patrum, & Doctorum communem Sententiam Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, Sacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apoſtolum, & Evangeliſtam Joannem, rectum in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe, narrando quod Chriſto jam mortuo, unus Militum Lancea latus ejus aperuit.*

Clementina. Tit. de Summ. Trinit.

Veritatem quam hîc defendimus contrá Petrum Joannis, firmatur nedum authoritate memorati Concilii Viennenſis, ſed etiam teſtimonio D. Joannis cap. 19. ubi narrans Paſſionem Chriſti Domini, & crudelitatem Judæorum, poſt multa tormenta, quæ Chriſto illata eſſe refert de morte ejus, ſic ait verſ. 32. 33. & 34. *Venerunt ergo Milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo, ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus Militum Lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit Sanguis & aqua.* Ex iſtorum autem verborum ordine contra eumdem Petrum Joannis conſtat, Chriſtum fuiſſe jam mortuum dum ejus latus fuit Lanceâ percuſſum, ut ſancit hæc particula, *ut viderunt eum jam mortuum*; ac proindè hæreſis Petri Joannis, eſt apertè contrà Scripturam Sacram, & Eccleſiæ fidem. Idem ſentiunt Sancti Patres communiter, quia omnes credunt, Chriſtum fuiſſe ab illo milite vulneratum poſt mortem ex eo quòd, ea, quæ in Paſſione Chriſti acciderunt, non poſſint à nobis aliter ſciri, quàm relatione Evangeliſtarum, vel traditione, quæ ſtant pro deciſione Concilii Viennenſis. Petrus Joannis, vult hæc verba: *Sed unus Militum Lanceâ latus ejus aperuit*, dicta fuiſſe per recapitulationem, & verbum illud *aperuit* idem eſſe quod *aperuerat*. Sed hæc interprætatio eſt manifeſtè falſa, & improbata in Concilio citato.

Joan. 19.

Petri Joannis fundamentum eſt extremus dolor, quem Chriſtus paſſus eſt, quô dicitur in Scriptura vir dolorum, exiſtimabat enim vir ille hæreticus, quòd ut augeretur dolor Paſſionis, & non minueretur crudelitas Judæorum, Chriſtum licitè poſſe dici à Milite percuſſum Lanceâ; cum adhuc vivus eſſet, ut ipſius dolorem ſentiret, plenamque extentionem haberet Judæorum crudelitas.

Ratio adverſarii.

Sed non nocet hæc ratio, quia non licet causâ devotionis, aut contemplationis, apertum mendacium fingere contrá Sacram Scripturam, quia Chriſtus non indiget mendacio noſtro: ut augeatur, & perfectè exprimatur dolor ejus, ſufficit nobis credere, ipſum paſſum fuiſſe omnium tormentorum genera, ſi non extenſivè, ſaltem intenſivè. Et audire ipſum dicentem per os Prophetæ: *ô vos omnes, qui tranſiis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus!* Nec eſt undè, ſeu ex illo vulnere poſt mortem illato, poſſit minui Judæorum crudelitas, quæ potius Diabolica, quàm humana fuit. Quia credebant ſe obſequium præſtare Deo, & perconſequens licet natura abhorreat percutere mortuum, tamen ipſe Miles, qui Lanceâ latus ejus aperuit, naturæ non indulſit, tunc enim Judæis novum ſupplicii genus inſpirabat invidia.

Reſponſio ad adverſarium.

Aliud fundamentum eſt. Quia continuò exivit Sanguis & aqua. Sed non valet hæc ratio, quia non implicat quòd ſtatim poſt ſeparationem animæ, Gutta aliqua Sanguinis oriatur, ſi Corpus vulneretur.

Quo verò in latere fixa fuerint Lancea, non eſt certum, nec determinatum; cùm non conſtet ex Evangelio, in quo tantum legitur: *Sed unus militum Lanceâ latus ejus aperuit.* Nec ex traditione, nec ex Sanctis Patribus poſſit evidenter probari. Divus Bonaventura in ſuis meditationibus cap. 80. dicit, latus dextrum fuiſſe effoſſum. Ratio eſt. Quia tunc, fuit impleta, inſignis figura formationis. Evæ è latere Adæ dormientis, de cujus Coſta formata fuit ipſa Eva; quæ erat figura formationis Eccleſiæ è latere Chriſti, ut colligunt D. Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus, Chryſoſtomus, & alii Sancti Patres ex illo ad Epheſ. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Alii tenent & dicunt oppoſitum, & ſtant pro latere ſiniſtro, ubi eſt ſedes cordis. Utraque opinio eſt probabilis. Sto tan

Probabilius eſt latus ſiniſtrum fuiſſe perforatum.

men pro ſecunda, propter amorem & charitatem Chriſti ergá nos, pro quibus paſſus eſt ipſe Chriſtus, qui ut in Ara crucis poſt mortem ſuam potiſſimum dilectionis teſtimonium monſtraret, cor ſuum Lanceâ aperiri voluit.

Ex illo latere fluxerunt verus Sanguis, & vera aqua, ut definivit Innocentius cap. *in quadam* de celebratione Miſſarum. Ratio eſt quia illo Sanguine ſignificatur, Chriſtum Eccleſiam ſuo Sanguine redemiſſe, hancque aquâ Baptiſmi abluendam, ut eſſe, monet D. Ambroſius lib. 5. de Sacrament. cap. 1. ubi ait: *Quare aqua? Quare Sanguis? Aqua ut mundaret, Sanguis ut redimeret.* Idem docent S. Cyprianus de Paſſione Domini in fine, Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 16. & alii graviſſimi Authores. Alii cum D. Hieronymo Epiſt. 83. per aquam, Baptiſmum explicant, & per Sanguinem, Martyrium. Alii dicunt quòd aqua fuit effuſa ad lavandam maculam Pilati, qui lavans manus aquâ in Signum Chriſti Innocentiæ, eum tamen condemnavit, & morti tradidit quamvis antea dixiſſet: *Non invenio in eo cauſam.* Sanguis verò fuit effuſus ad delendum peccatum eorum, qui dixerunt: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper Filios noſtros.* Itá tenet Cyrillus Jeroſolymitanus Patriarcha, qui migravit in Cœlum die XVIII. Martii, anno Chriſti CCCLXXXVI. Hinc eſt quòd plures dicunt, hanc Cyrilli opinionem receptam fuiſſe ab antiquis fidelibus.

Vera aqua & verus Sanguis fluxerunt ex latere Chriſti.

Nec valet dicere: Chriſtum non meruiſſe per vulnus iſtud, quia mortuus erat & meritum poſtulat ſtatum viæ, ut docent communiter Theologi, ac proindè ex hoc vulnere non fluxiſſe tot, tantaque beneficia. Non valet inquam, quia Chriſtus adhuc vivens præviderat vulnus illud, ut inquit Doctor Seraphicus, & perconſequens, Sanguis qui indè exivit, fuit verè meritorius. Quia anticipato effectu, fuerat oblatus Deo Patri à Chriſto, qui offerendo mortem & Paſſionem ſuam pro noſtra, omniumque ſalute, apertionem lateris ſui obtulit, ſicut alias ſui corporis plagas.

Chriſtus meruit in illo poſt mortem vulnere.

Communior opinio refert, Militem illum eſſe Longinum, qui Lanceâ latus Chriſti aperuit, & aquâ illâ, & Sanguine illo aſperſus, recepit viſum, quo carebat: idque infertur ex illo ejuſdem Evangeliſtæ Joan. verſ. 35. *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus.* Quidam tamen dicunt, ibi Evangeliſtam loqui de ſe ipſo in tertia perſona; non autem de Milite cœco, & volunt Militem, qui latus Chriſti aperuit, non eſſe Longinum, ſed alium cujus nomen non refertur; Longinum verò eſſe illum Centurionem, qui ſtatim poſt Chriſti mortem clamavit, & dixit de Chriſto crucifixo: *Verè Filius Dei erat iſte.* Hanc poſteriorem partem tuentur Lypomanus, Surius, Metaphraſtes, & alii, quos refert Gaudentius. Prior tamen opinio mihi videtur probabilior, quia Communior.

Miles qui Lanceâ Chriſti latus aperuit eſt Longinus.

ARTICULUS XLV.

Quo impugnantur Bucerus, & alii, negantes, Chriſtum poſt mortem ad Inferos deſcendiſſe.

Bucerus.

MArtinus Bucerus Patriâ Argentinenſis, profeſſione Monachus, qui poſt dimiſſum Religionis habitum anno MDXXX. docuit, Chriſtum non deſcendiſſe poſt mortem ad Inferos. Inquit enim in expoſitione decimi quinti capitis Marci Evangeliſtæ: *Poſt expirationem Chriſti, & Patri redditam animam, ſcripſerunt multi, ipſum deſcendiſſe ad Inferos, ubi ut fabulantur, requieſcebant animæ Patrum noſtrorum:* Ex quibus ſequitur quòd ipſe Bucerus negabat, Chriſti deſcenſum ad Inferos. Addebat etiam Apoſtolos, & omnes Martyres, qui id crediderunt, eſſe Aſſertores, & venditores fabularum. Bucero adhæſit Joannes Calvinus, qui lib. 2. Inſtitut. cap. 16. vocat deſcenſum Chriſti ad Inferos, & liberationem animarum ibi detentarum, fabulas, non qualeſcumque, ſed Aniles ſimul, & Pueriles. Utriuſque ſcilicet Buceri, & Calvini impietatem auxit quidam vir hæreticus in Zuigliana Miniſter, nomine Rodolphus Gualterus, qui Homil. 101. in Marcum ait: *Monachorum, & ſacrificulorum ſuperſtitiones cum Lymbo Patrum, Purgatorium quoque fabricaſſe.* Eumdem errorem ſecuti ſunt Theodorus Beza, natione Burgundus. Mathias Illyricus, & alii hæretici recentiores.

Calvinus. *Rodolphus Gualterus.* *Beza.* *Mathias Illyricus.*

§. I.

Probatur veritas ex Conciliis, & ex Scriptura Sacra.

HOs hæreticos deſcenſum Chriſti ad Inferos negantes, damnant plura Concilia, ſcilicet Epheſinum in Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, ubi legitur, Chriſtum ſecundum animam deſcendiſſe ad Inferos virtute divina. Toletanum IV. celebratum anno DCXXXIII. per ſeptuaginta Epiſcopos ſub Honorio primo, ubi habetur: *Deſcendit ad Inferos, ut animas, quæ illuc detinebantur, erueret.* Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 1. ubi legitur. *Deſcendit ad Inferos, reſurrexit à mortuis, aſcendit ad Cœlos.* His Conciliis addendum eſt Symbolum Apoſtolorum, in quo habetur iſte Articulus de Chriſto Domino, *deſcendit ad Inferos.* Idem ſancit Symbolum D. Athanaſii.

Concilium Epheſinum. *Toletanum quartum.* *Lateranenſe.*

Hæc veritas de Chriſti deſcenſu ad Inferos evidenter demonſtratur ex illo Act. 2. præclaro teſtimonio D. Petri dicentis de Chriſto: *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus Inferni, juxtá quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. David enim dixit in eum: providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi nè commovear: propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* Igitur Chriſtus deſcendit ad Inferos, ut interpretantur, & ut ex verbis Apoſtoli inferunt D. Baſilius, D. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, & alii Sancti Patres.

Act. 2.

Theodorus Beza & Calvinus reſpondent, Infernum hic accipiendum eſſe pro Sepulchro, in quo poſitum fuit Corpus Jeſu, idque colligunt ex divitis Epulonis parabola, ubi dicitur ſepultus in Inferno ipſe dives. Et ex illo Pſal. 67. *Qui educit Vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in Sepulchris.* Sed ridicula eſt hæc reſponſio, quia D. Petrus loqoitur de Inferno, in quo ſunt dolures, & pœnæ, ut conſtat ex proprio textu. Undè cùm in Sepulchro, in quo Corpus Jeſu permanſit tribus diebus, & tribus noctibus, nullus ſit dolor, nullaque pœna ſenſibilis, verba D. Petri non ſunt intelligenda de deſcenſu Chriſti Domini ad Sepulchrum, ſed de deſcenſu ad Inferos, pro ut ipſemet Chriſtus prædixerat per os Jeſu Filii Sirach, qui in lib. Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 45. ait: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Nam Sepulchrum Chriſti non erat in inferioribus partibus terræ, nequè in eo erant aliqui dormientes, etenim Joſeph ab Arimathæa poſuit Corpus Jeſu in monumento exciſo in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, Luc. 23. verſ. 23. & ideo hæc verba non poſſunt intelligi de Sepulchro, ſed de Inferno: nam ipſe, qui loquitur, eſt Chriſtus Filius Dei, qui eſt ſapientia divina. Partes inferiores terræ de quibus loquitur,

Rejicitur ratio Bezæ.

ſunt Inferorum receptacula in quibus illic dormientes, illuminati fuerunt à Chriſto, ideoque ipſe Chriſtus ad hunc locum, ſcilicet ad inferos, deſcendit, & de eo eruit animas, quæ ibi detinebantur, quia ibi; non verò in ſepulchro, detinebantur animæ defunctorum. Hac quidem liberatione de Chriſto verificatur illud Oſeæ 13. vaticinium *De manu mortis liberabo eos; ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne.*

D. Hieronymus.

D. Chryſoſtomus.

Aliud teſtimonium habemus de deſcenſu Chriſti ad inferos ex illo ad Epheſios cap. 4. verſ. 9. & 10. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut impleret omnia.* Ibi per inferiores partes terræ. D. Hieronymus. D. Chryſoſtomus, & alij Sancti Patres communiter intelligunt infernum, ad quem Chriſtus Salvator noſter deſcendit poſt mortem ſuam, ut Sanctorum animas, quæ ibi detinebantur incluſæ, ſecum ad Cœlos victor traheret, & captivam duceret captivitatem. Hinc eſt quòd poſt reſurrectionem ejus plurima corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt, & ideo eorum animæ non erant in ſepulchro, in quo erant corpora, neque in loco Damnatorum, in quo, teſte Scriptura, nulla eſt redemptio; ſed in illo, in quo detinebantur animæ ſanctorum, qui crediderant in Chriſtum futurum.

1. Petri cap. 3.

Unde D. Petrus in Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 18. & 19. hanc veritatem, ſuadet mirificè his verbis: *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, Juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit.* Ex quibus verbis Sancti Patres conveniunt, D. Petrum Apoſtolum docere, Chriſtum Dominum ſubitò poſt mortem ad inferos deſcendiſſe ſecundum Spiritum in manus Patris in cruce commendatum, & revera ad eos, qui inferni carcere detinebantur, perrexiſſe, ut generis humani redemptionem à ſe peractam eis prædicaret, & ut poteſtate ſua declarata, in nomine ipſius omne genu flecteretur Cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

D. Athanaſius.

D. Anſelmus.

D. Hieronymus.

D. Hilarius

Huic interpretationi ſuffragatur D. Athanaſius Epiſtolà ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, ubi ait: *Corpus Chriſti erat in monumento poſitum, quando ipſe ad prædicandum etiam Spiritibus in carcere. velut Petrus dixit.* D. Anſelmus in cap. 2. ad Coloſſenſes inquit: *Chriſtus ſpoliavit principatus & poteſtates Dæmonum, auferendo illis Animas juſtorum quos in inferno propter culpam primi parentis, detinebant.* Et alibi; *magnum gaudium factum eſt in Lymbo quando anima Chriſti in ipſum deſcendit, & Patres indè liberavit.* Et D. Hieronymus in cap. 54. Iſayæ, dicens. *Dominus fecit diluvium, qui juxta Apoſtolum Petrum occiſus eſt carne, vivificatus Spiritu, & prædicavit Spiritibus in carne conſtitutis.* Tandem D. Hilarius in Pſal. 118. & 141. ait: *Deſcendente ad inferna Domino, teſtante Petro, etiam his, qui erant in carcere, exhortationem prædicatam fuiſſe:* Igitur ex teſtimonio D. Petri & Sanctorum Patrum interpretatione, conſtat, Chriſtum poſt mortem ſuam deſcendiſſe ad inferos, conveniens enim erat, ut convicto per paſſionem Diabolo, vinctos ejus ibi detentos eriperet juxtà illud Zachariæ cap. 9. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.*

D. Ambroſius.

Tertullianus.

Niſſenus.

D. Bonaventura.

Tandem Chriſtus de ſe ipſo dicit apud Math. cap. 12. verſ. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, ex quibus verbis etiam infertur, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos poſt mortem, nam Sancti Patres per cor terræ, intelligunt infernum, & præſertim D. Ambroſius in cap. 4. ad Epheſios, Tertullianus lib. de anima cap. 31. Niſſenus oratione prima de reſurrectione. D. Bonaventura ſerm. 3. de reſurrectione, & alij.

D. Hieronymus.

Jonas.

Reſpondet Calvinus, duobus modis. Primo, inquit, ventrem ceti fuiſſe figuram mortis, quæ triduo Chriſtum detinuit, non verò inferni. Sed non valet hæc reſponſio, quia Chriſtus dixit, ventrem ceti fuiſſe ſimilem cordi terræ, cor autem terræ non eſt mors, ſed locus ſub terra. Nam ut inquit D. Hieronymus in cap. 2. Jonæ: *Sicut cor in medio eſt animalis: ita infernus in medio terræ eſſe perhibetur.* Inſuper ibi Chriſtus loquitur de manſione, ſeu exiſtentia in corde terræ, tali, qualis fuit manſio Jonæ in Ventre ceti: ideo per Ventrem ceti non ſignificatur mors, ſed permanentia Chriſti in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, hoc eſt, de permanentia in inferno, quia Chriſtus loquitur comparativè ad Jonas, qui in cap. 2. verſ. 3. & 4. Prophetiæ vocat ventrem ceti, infernum, ait enim: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me de ventre inferi. Clamavi & exaudiſti vocem meam, & & projeciſti me in profundum in corde maris.*

Tadaus.

D. Ignatius

D. Irenæus.

Cyrillus Jeroſolymitanus.

Clemens Alexandrinus.

D. Baſilius.

Hinc eſt quòd ſicut corpus Jonæ permanſit tribus diebus in ventre ceti, ità anima Chriſti manſit in Inferno, in quo detinebantur Sancti Patres, quos de eodem eduxit, ſic teſtante Thadæo (Chriſti Diſcipulo) apud Euſebium lib. 1. hiſtor. cap. ult. ubi habetur: *Deſcendit ad inferos & diſrupit Maceriem, quam nemo in ſæculo diſruperat, qui deſcendit quidem ſolus, aſcendit autem cum grandi multitudine.* Idem teſtantur. D. Ignatius Epiſt. ad Trullianos, Juſtinus Dialogo cum Triphone. Irenæus lib. 5. in fine. Cyrillus Jeroſolymit. Clemens Alexandrinus. Baſilius in Pſal. 44. & alij quam plurimi. Denique hæc veritas ſuadetur hac ratione. Chriſtus mortuus eſt, ut mortem noſtram deſtrueret, ſeu ut nos à morte liberaret, fuit ergo conveniens ut deſcenderet ad inferos, ut nos à pœnis æternis liberaret, dæmoniorumque ſpolia eriperet, eos virtute ſua, ſummaque poteſtate profligando.

§. II.

Refutantur hæreticorum objectiones.

Argumentum Calvini.

CAlviniſtarum ratio eſt. Quia in Symbolo Nicæno generaliter ab univerſa Eccleſia recepto, non reperitur hic articulus. *Deſcendit ad inferos*, & ideo, (inquit) hic articulus additus fuit Symbolo Apoſtolorum per aliquem Theologum ſcholaſticum, poſt prædicti Concilij Nicæni celebrationem: idcircò nequit eſſe articulus fidei. Hoc verum eſſe probat ex eo quod Sancti Patres exponentes illud Symbolum Nicænum, omittunt etiam hunc articulum: *Deſcendit ad inferos*, ut videri poteſt apud D. Auguſtinum lib. de fide & Symb. ad Cathecum. D. Irenæum lib. 1. cap. 21. & apud alios. Non omiſiſſent tamen illum, quia ad hoc eos incitaſſet occaſio: ibi enim agitur de paſſione, morte, ſepultura, & reſurrectione Chriſti, quæ ipſius ad inferos deſcenſum ſequitur.

Reſpondeo ex illa omiſſione, nullam ſequi affirmationem hæreſis Calvinianæ; nam idem Symbolum Nicænum omiſit proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, licet ibi dicatur procedens à Patre, tamen hæretici non dicunt Theologos Scholaſticos addidiſſe huic Symbolo hanc particulam, *filioque procedit.* Quam tamen admittunt ipſi Calviniſtæ contrà Græcos. Præterea Calviniſtæ credunt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Cœnam ſicut baptiſmum. Et licet inſtitutio Cœnæ, non ſit in Symbolo Nicæno, ſicut inſtitutio baptiſmi; tamen non dicunt Sacra-

mentum Cœnæ fuiſſe adinventũ à Theologis Scholaſticis: ergo nec poſſunt dicere hoc de articulo *Deſcendit ad inferos*, quamvis in eo declarentur Chriſti paſſio, mors, ſepultura, atque reſurrectio, & præſens articulus non ſit in Symbolo Nicæno.

Tandem ut objectioni Calviniſtarum plenè ſatisfaciam, dico cum nonnullis Theologis, quòd hic articulus omiſſus fuit à Patribus Nicæni Concilij. Quia tunc non erat explicitè neceſſarium ponere illum in Symbolo ab ipſis edito, ut patet de pluribus aliis articulis ab ipſis patribus Nicænis omiſſis, quia non videbantur ipſis neceſſarij ut poſteà viſi ſunt Sanctis Patribus Concilij Conſtantinopolitani, qui plures articulos addiderunt Nicæno.

Reijcitur argumentum Calvini.

Vel dico cum Doctore noſtro Seraphico. D. Bonaventura in 3 diſt. 25. quæſt. 1 ad ultimum, quòd hic articulus omiſſus fuit in Concilio Nicæno, & à nonnullis Sanctis Patribus, qui prædictum Symbolum expoſuerunt, quia nullus hæreticus tunc negaverat, Chriſtum deſcendiſſe ad inferus, illi autem, quos negabat Arius (contrà quem convocata fuit ipſa Nicæna Synodus) fuerunt expoſiti, idcircò Symbolum Nicænum ad hæreſes novas elidendas editum, omiſit hunc articulum; de quo nondum orta erat difficultas, ſicuti omiſit proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. Quia nondum ortus erat error Photii. Nulla eſt igitur ratio Calviniſtarum aſſerentium hunc articulum, *deſcendit ad inferos* eſſe falſum, quia omiſſum in Concilio Nicæno, certò enim ſciunt, & non poſſunt negare, quòd ex negativis, & ex omiſſis nihil bene confici poteſt, & quòd unum Concilium non tenetur definire omnes fidei veritates. Sciunt pariter eumdem articulum eſſe definitum in Concilio Toletano IV, & in aliis, & præſertim in Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato, cui tantam debent adhibere fidem, quantam adhibent Concilio Nicæno, quod non contrà Calviniſtas, qui nondum exiſtebant, ſed contrà Arianos, convocatum fuit. Sciunt denique D. Auguſtinum ſerm. 137. & 181 de temp. ſingulis Apoſtolis tribuiſſe ſingulos articulos. Thomæ verò hunc, *deſcendit ad inferos*: ergo perperam reiiciunt illum, è Symbolo fidei noſtræ; perperam quoque volunt, hunc articulum fuiſſe Apoſtolorum Symbolo additum à Theologis Scholaſticis, cum Chriſtiani ſemper crediderint, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos.

D. Bonaventura.

D. Auguſtinus.

ARTICULUS XLVI.

Docet contra Cerinthianos, Chriſtum Reſurrexiſſe à mortuis.

Cerinthus

CErinthus Simonis Magi Diſcipulus, peſſimis moribus imbutus, de quo alibi locuti ſumus, docuit tempore D. Petri, Chriſti in terris Vicarij, & Neronis Imperatoris, plura impia dogmata, quorum unum negat reſurrectionem Chriſti. Credebat enim vir ille Impiiſſimus, Chriſtum nondum reſurrexiſſe, ſed aliquando ſeu in fine mundi reſurrecturum eſſe cum aliis hominibus, quorum erit Judex ſupremus, & univerſalis. Anno DCCXCVI, tempore Conſtantini VI. Imperatoris. Et Leonis III. Papæ, Cerinthi errorem jam in inferno ſepultum, ſuſcitarunt Albanenſes: dixerunt enim, Chriſtum non pertuliſſe veras hominis pœnalitates, nequè reſurrexiſſe à mortuis. Ejuſdem hæreſis defenſores ſunt omnes hæretici, qui negant carnis reſurrectionem.

Albanenſes

Hæc hæreſis fidem reſurrectionis impugnans damnatur in Symbolis ab univerſali Eccleſia receptis, ut videri poteſt in Symbolo Apoſtolorum; in Nicæno, & in Athanaſiano, in quibus firmatur veritas Catholica, quam hîc defendimus. Damnatur etiam in Concilio Epheſino celebrato ſub Cæleſtino contrà Neſtorium anno CCCCXXXI. in Epiſtola Cyrilli ad Reginas, in qua legitur, Chriſtum in carne reſurrexiſſe divina virtute. Et ab omnibus Sanctis Patribus, qui unanimi voce eamdem veritatem proclamant

Definitio articuli in Conciliis

Ex veteri teſtamento præclarum habemus vaticinium de reſurrectione Chriſti, nam Propheta regius Pſal. 15. verſ. 10. ait: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, & Pſal. 138. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam*, id eſt paſſionem, *& reſurrectionem meam*, id eſt reſurrectionem glorioſam, ſicut exponit gloſſa. Ità loquitur David non de ſe ipſo, ſed de Chriſto, ut colligitur ex illo Petri: Act. 2. verſ. 31. *Providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti. Quia nequè derelictus eſt in inferno, nequè caro ejus vidit corruptionem.* Et ex illo Pauli act. 13. verſ. 34. *Quòd autem ſuſcitavit eum a mortuis, amplius jam non reverſurum in corruptionem, ita dixit* &c Ideoque ex illo vaticinio reſurrectionem Chriſti prædicente, & ex teſtimonio Apoſtolorum Petri & Pauli conſtat, Chriſtum, qui ſtatim poſt mortem deſcendit ad inferos, reſurrexiſſe à mortuis, ut qui crucifixus erat ex infirmitate, ex virtute Dei viveret, inquit Apoſtolus 2. ad Corinthios cap. 13.

Pſal. 15.

Act. 2.

Hoc vaticinium fuiſſe verè adimpletum teſtatur etiam ipſemet Chriſtus, Luc. 24. verſ. 44. *Et dixit ad eos, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ Scripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & pſalmis de me, tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas, & dixit eis: quoniam ſic Scriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die.* Hocque promiſerat Deus per os Michææ Prophetæ cap. 7. verſ. 8. *Nè læteris inimica mea ſuper me quia cecidi: conſurgam.* His ſiquidem verbis, Chriſtus oſtendit veritatem, atque realitatem figurarum reſurrectionis ſuæ, quarum præcipuæ ſunt figuræ Iſaac eruti è ſacrificio, & Joſephi è carcere, ut tradunt Sancti Patres contrà Cerinthianos, Albanenſes, & alios hæreticos contradicentes Scripturis Prophetarum, & functionibus Apoſtolorum, qui virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri act. 4. verſ. 33.

Luc. 24.

Michæas.

Quatuor Evangeliſtæ eamdem veritatem aſſerunt Mathæus cap. ult. verſ. 6. ait: *Non eſt hic, ſurrexit ſicut dixit*, & verſ. 7. *& citò euntes: dicite diſcipulis ejus, quia reſurrexit.* Et Marc. cap. ult; verſ. 6, refert, Angelum dixiſſe Mulieribus ad Chriſti monumentum obſtupeſcentibus: *Nolite expaveſcere, Jeſum quæritis Nazarenum, Crucifixum, ſurrexit non eſt hic, ecce locus ubi poſuerunt eum, ſed ite, & dicite Diſcipulis ejus, & Petro.* Lucas cap. ultimo verſ. 6. teſtatur, Angelum dixiſſe mulieribus ad Chriſti ſepulchrum conſternatis, quòd ejus corpus non invenirent: *Non eſt hic, ſed ſurrexit, recordamini qualiter locutus eſt vobis cum adhuc in Galilea eſſet.* Et Joan. cap. 20. affert teſtimonium Thomæ Apoſtoli approbatum à Chriſto Domino dicente illi: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*, id eſt quia vidiſti me à mortuis ſuſcitatum, non es incredulus, ſed fidelis. Hîc Chriſtus laudat fidem Thomæ reſurrectionem credentis, quam tamen non laudaret, niſi reſurrexiſſet. Eadem veritas firmatur variis textibus libri actuum Apoſtolorum, præſertim cap. 1. in quo legitur Petrum propoſuiſſe Diſcipulis electionem Apoſtoli in locum Judæ proditoris.

Authoritas Evangeliſtarum.

Tandem veritas reſurrectionis Chriſti evidenter

probatur prædicatione, laboribus, & martyrio Apoſtolorum, quorum ſonus exivit in omnem terram: probabile quidem, atque credibile eſt, quòd ſi Chriſtus non reſurrexiſſet à mortuis, & non apparuiſſet Apoſtolis poſt reſurrectionem. Imò certum eſt quòd; ipſi Apoſtoli non prædicaſſent Evangelium omni creaturæ, nec mortui fuiſſent pro Chriſto; qui eos decepiſſet; ſi non reſurrexiſſet, & non vidiſſent; nec cognoviſſent eum; quoniam non crediđiſſent ei; ut facile ſuadetur incredolitate Thomæ dicentis Joan. cap. 20. verſ. 25: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam.* His quidem verbis ipſe Thomas teſtatur quòd non crediđiſſet, niſi vidiſſet à mortuis ſuſcitatum, eum, quem viderat crucifixum.

Martyrium Apoſtolorum probat reſurrectionem Chriſti.

Idem demonſtratur tarditate aliorum ad credendam reſurrectiooem ut habetur Marc. cap. 16. verſ. 14. Luc. cap. 24. verſ. 25. ideoque ſi Chriſtus poſt morrem ſuam non ſe manifeſtaſſet Diſcipulis ſuis, Apoſtoli pro ipſo minimè mortui fuiſſent pro tuenda Chriſti divinitate; de qua poſt reſurrectionem certi fuerunt; ut conſtat ex teſtimonio Thomæ, qui viſis clavorum fixuris; ſtatim Chriſti reſurrectionem confeſſus eſt dicens: *Dominus meus, & Deus meus*; ſed Apoſtoli prædicaverunt ubique Evangelium Chriſti juxta ipſius mandatum: *euntes in univerſum mundum* &c. Et martyrium paſſi ſunt pro Chriſto, ut pro certo habemus ex traditione, & Hiſtoria Eccleſiaſtica: ergo viderunt Chriſtum à mortuis ſuſcitatum; & certi erant de reſurrectione per converſationem; quam cum Chriſto à mortuis ſuſcitato; habuerunt. Deindè fides Apoſtolorum erat informanda, & ſalus noſtra erat à Chriſto complenda. Hæc autem omnia facta ſunt in reſurrectione Chriſti, ut monet Apoſtolus dicens: *Si Chriſtus non reſurrexit inanis eſt prædicatio noſtra. Reſurrexit propter juſtificationem noſtram*: Ergo reſurrexit; cùm vera ſit fides noſtra; & benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneraverit nos in ſpem vivam, per reſorrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem &c.

Cerinthiani obiiciunt illud 2 ad Corinth. cap. 5. verſ. 6: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*, inde enim inferunt, Chriſtum nondum apparuiſſe poſt paſſionem ſuam, ac proinde neque reſurrexiſſe; quia apparuiſſet Apoſtolis; ſicut illis promiſerat; ſed Apoſtoli non viderunt Chriſtum: ut ſuadet hæc particula: *Sed nunc jam non novimus*: Ergò non reſurrexit; ſed reſurrecturus eſt (inquiunt.) Quare idem Apoſtolus ad Theſſal. 1. cap. 4. verſ. 13. ait: *Si enim credimus quòd Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit, ità & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum adducet cum eo* Volunt enim ibi, Apoſtolum inſinuare; Chriſtum eſſe exemplar reſurrectionis noſtræ; & ſimul cum hominibus reſurrecturum eſſe in ultimo judicio; quia tunc dumtaxat Deus adducet cum Chriſto; eos; qui per ipſum dormierunt, quapropter Chriſtus, act. 26. verſ. 23 vocatur primus ex reſurrectione mortuorum: Apocalypſ. 1. primogenitus mortuorum. Et 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 20. primitiæ dormientium; ſeu ille, qui reſurget primus, ex quibus ſequitur quòd non reſurrexit, nec reſurget ſolus, quia Ly *primus* indicat alios, qui debent cum eo reſurgere, qui cum nondum reſurrexerint, nec Chriſtus reſurrexit.

Hæreticorum rationes.

Reſpondetur conſequentiam eſſe falſam. Quia in primo textu, Apoſtolus non loquitur abſolutè de apparitione, aut notitia Chriſti ſecundum carnem, ità ut Chriſtus nullo modo fuerit notus poſt mortem ſuam, ut patet ex dicendis infrà, ſed loquitur cum hac reſtrictione, nimirum ſecundum carnem paſſibilem, ac mortalem, ità ut poſt ſuam reſurrectionem apparuerit in carne paſſibili, ut oſtendit per hæc verba, quæ præcedunt; *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Pariter & per hæc; *ecce nova facta ſunt omnia*, quæ ſunt in verſu immediatè ſequenti; quibus oſtenditur; Chriſtum reſurrexiſſe, huncque poſt reſurrectionem non habuiſſe carnem mortalem, ſed glorioſam, & impaſſibilem. Quomodo enim Cerinthiani poſſunt ità Apoſtolum interpretari, ut Chriſtus non apparuerit poſt mortem ſuam, cùm ad Corinth. cap. 15. verſ. 4. & ſeqoentibus dicat: *Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim. Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus, noviſſimè autem omnium tamquam Abortivo, viſus eſt & mihi.* Unde Caſſiadorus eadem verba exponens lib. de Incarnat. cap. 111. ait *Quia prius eum & hominem ſcimus, & Deum, nunc tantum Deum: ceſſante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus niſi virtutem divinitatis, quia totum in eo virtus eſt Majeſtatis Divinæ; ubi deſiit eſſe infirmitas imbecillitatis humanæ ... & ideo non novimus Chriſtum ſecundum carnem, quia abſorpta per Majeſtatem Divinam infirmitate corporea, nihil Sacro reſedit corpori, ex quo imbecillitas in eo carnis poſſit agnoſci*

Rationum adverſantium ſolutio.

Ad alios textus dico, Chriſtum reſurgentem eſſe exemplar humanæ reſurrectionis, nego tamen indè ſequi, Chriſtum eſſe reſurrecturum cum hominibus in die ultimi judicij; quia non eſt primus ex reſurrectione mortuorum, ità ut ſit reſurrecturus cum hominibus in ultimo judicio reſurrecturis, & primus inter ipſos reſurgentes, ſed quia primò, aut priùs quàm hominibus reſurrexit, aut reſurrecturi ſumus quia ipſe prior reſurrexit. Nec Deus adducet, cum eo reſurgente, eos qui dormierunt, ſed cum eo apparente ut judice; nam fides non dicit, Chriſtum reſurrecturum, ſed Chriſtum venturum eſſe.

Vel dico quòd vocatur primogenitus mortuorum, quia reſurrectio Chriſti e[st] cauſa reſurrectionis noſtræ, ut inſinuat idem Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 25. verſ. 20. & 21. ubi ait: *Nunc autem Chriſtus ſurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*; Quibus ſuadetur; quòd ſicut mors Adæ eſt cauſa mortis noſtræ; ità reſurrectio Chriſti Domini eſt cauſa reſurrectionis noſtræ. Tandem membra non debent conformari capiti in virtute: excellentior enim eſt virtus capitis, quàm membrorum, & ideò ad demonſtrandam excellentiam virtutis Chriſti, non debuit differri ipſius reſurrectio, ſicut noſtra, uſque ad ultimum judicium, ut citius fides de veritate divinitatis ejus confirmaretur, & ſuſtentaretur ſpes noſtra.

Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis noſtræ.

ARTICULUS XLVII.

Declarat contra Armenos, Chriſtum Reſurrexiſſe tertia die.

ARmeni de quibus locuti ſumus in principio hujus libri, ſemper crediderunt contra Cerinthianos, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis juxtà

fidem univerſalis Eccleſiæ, ſed erraverunt circà annum Domini DCXL. tempore Conſtantij tertij Imperatoris Filij Heraellj, & Theodori Papæ. Dixerunt enim, hanc reſurrectionem non fuiſſe factam tertiâ die, ut tenet fides Romana, ſed die ſecunda, ſeu die immediatè ſequenti poſt mortem, quæ eſt dies Sabbati poſt Paraſcevem, ſeu præparationem ad Paſcha, quæ erat dies Sabbati, ſeu dies ſecunda inter ſolemnia paſchalia, quæ (inquiunt) incipiebant die veneris. Hæc hæreſis non habuit alios defenſores præter Armenos. Quod ſciam, omnes enim illi, qui credunt cum Eccleſia Romana, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, credunt etiam ipſum reſurrexiſſe tertia die ſecundum Scripturas.

Armeni.

Omnia Concilia, quæ damnant Cerinthianorum errorem in præcedenti articulo impugnatum, damnant etiam Armenorum hæreſim, quam hîc impugnaturi ſumus contra eoſdem. Omnia quidem non ſolum definiunt, & dicunt, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ſed etiam aſſignant circunſtantiam temporis. Dicunt enim ipſum reſurrexiſſe tertia die, ut patet in Nicæno ubi habetur de Chriſto: *Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.* Idem docent omnes Sancti Patres communiter, præſertim D. Auguſtinus ſerm. 251. de temp. dicens: *Diem dominicum Apoſtoli, & Apoſtolici viri religioſa ſolemnitate habendum ſanxerunt, quia in eo Redemptor noſter à mortuis reſurrexit, quique ideo dominicus appellatur, ut eo tantum divinis cultibus ſerviamus, dantes dici huic honorem, & reverentiam propter ſpem reſurrectionis.* Hæc autem dies, eſt tertia ut patet: igitur non ſurrexit ſecunda die, ut volunt Armeni.

Armenorum condemnatio

Ut autem confundantur hîc addenda eſt authoritas Sacræ Scripturæ Math. 16. verſ. 21. ubi habetur: *Exinde cæpit Jeſus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere.* cap. 20. verſ. 18 & 19. Chriſtus Diſcipulis ſuis paſſionem & reſurrectionem ſuam prædicens, ait: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum: & crucifigendum, & tertia die reſurget.* Luc. cap. 18. verſ. 33. *& poſtquam flagellaverint occident eum, & tertia die reſurget.* Act. cap. 10. verſ. 40. *hunc*, id eſt Chriſtum, *Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri.* Deinde Apoſtoli, qui viderant eum mortuum, non ſperabant eum revidere viuum, niſi tertia die, ut conſtat ex illo Luc 24 verſ. 21. *Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël, & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quod hæc facta ſunt &c.* Ex quibus colligitur, diem tertium eſſe diem Chriſti reſurrectionis, hunequè eodem die reſurrexiſſe à mortuis. Si Armeni nolint hoc credere, cenſendi ſunt nequiores Judæis, qui dixerunt Pilato: *Domine recordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam, jube ergo cuſtodiri ſepulchrum*; & verè timebant, eſſe tunc reſurrecturum, quia ſe reſurrecturum promiſerat.

Math. 16.

Luc. 18.

Act. 10.

His addi poteſt aliqua convenientiæ ratio. Conveniens enim erat, quòd per reſurrectionem Chriſti denotaretur initium temporis legis gratiæ, quæ eſt lex tertia, quæ ſucceſſit duabus prioribus, ſcilicet legi naturæ, & legi Moyſis, aut legi Scriptæ; & ideo Chriſtus reſurrexit tertia die, quæ ſuccedit primæ, & ſecundæ; cùm lex gratiæ inceperit à reſurrectione Chriſti, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. 4, *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Quæ cùm fiat per

Rom. 4.

infuſionem habitus gratiæ, ut declarat Tridentinum ſeſſ. 6. in Chriſti reſurrectione, tempus incepit eſſe ſub gratia. Mors Chriſti operata eſt noſtram ſalutem, proprie loquendo quantum ad remotionem culparum; & malorum; reſurrectio autem quantum ad inchoationem & exemplar bonorum. Hinc eſt quod idem Apoſtolus, ad Corinth. cap. 15. ait: *Si Chriſtus non reſurrexit inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra*: Nam ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, ut voluit impiiſſimus Cerintbus, non aſcendiſſet in Cœlum, nec miſiſſet Spiritum Sanctum, nec Apoſtoli prædicaſſent Evangelium, quibus deficientibus, non fuiſſet habita ſalus, ac proinde conveniens fuit, Chriſtum reſurgere tertia die, ut denotaret tertiæ legis tempus, & ut probaret mortem ſuam fuiſſe veram. Poſt enim tale tempus, ſcilicet poſt tres dies, certum eſt quòd Corpus eſt verè mortuum, ſi in tali temporis decurſu, aut ſpatio nullum præbuerit ſignum vitæ, ut obſervat Sanctus Leo ſerm. 1. de reſurrectione Domini.

Quoad horam reſurrectionis variè ſentiunt authores, Niſſenus, Cyrillus Alexandrinus, Euthymius, Nicephorus, & alij dicunt, Chriſtum reſurrexiſſe hora prima poſt mediam noctem; dico tamen cum communiori Patrum ſententia, Chriſtum reſurrexiſſe in aurora Diei Dominicæ, juxtà officium Eccleſiæ: *Aurora lucis rutilat, cum Rex ille fortiſſimus* &c. Nec nocet illud Marci ultimo: *orto jam ſole*, ſic enim loquitur, quoniam ſol erat proximè venturus, & ipſius aurora apparebat. Et dum Joannes ait: Mulieres veniſſe cum adhuc tenebræ eſſent, loquitur de tenebris talibus, quales ſolent eſſe quandò aurora lucere incipit: ità Doctor noſter Seraphicus, & alij quamplurimi. Idem docet Sanctus Ignatius martyr in Epiſtola ad Trullianos ubi de Chriſto ait: *Illuſcente dominico die reſurrexit ex mortuis* quibus nedum declaratur contra Armenos, Chriſtum reſurrexiſſe tertia die, ſed etiam reſurrexiſſe in aurora.

Chriſtus reſurrexit In aurora dies tertia.

Armenorum ratio eſt, quia ſi Chriſtus reſurrexiſſet tertia die, ſequeretur quod à die reſurrectionis uſque ad adventum Spiritus Sancti, non intercederent quinquaginta dies, nequè utrumque myſterium die Dominica evenire poſſet. Nam Spiritus Sanctus venit dies Pentecoſtes Judæorum, ut dicitur Act. 2. *Cum complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt ipſa die, in qua Judæi celebrabant Pentecoſtem, ſed neceſsè fuit illum diem, eo anno occurrere in Sabbato, ut colligitur ex 23. cap. Levit. verſ. 14. 15. & 16. ubi habetur quòd ſecunda die Azimorum, ſeu ſexta decima Luna primi menſis, Judæi tenebantur offerre manipulum novarum ſpicarum, & ab illo die numerare ſeptem hebdomadas plenas, id eſt, quinquaginta dies, & in quinquageſimo celebrare feſtum hebdomadarum; ibi enim legitur. *Panem, & polentam & pultes non comedetis ex ſegete, uſque ad diem qua offeretis ex ea Deo veſtro. Præceptum eſt ſempiternum in generationibus, cunctiſque habitaculis veſtris. Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptima, id eſt, quinquaginta dies.* Illa autem dies quinquageſima, erat dies Sabbati, ſicut dies oblationis manipuli ſpicarum: igitur cum reſurrectio Chriſti, & adventus Spiritus Sancti, eadem die evenerint eo anno, certum eſt, quòd Chriſtus reſurrexit ſecunda die Azimorum, quæ erat prima dies ſeptem hebdomadarum, quia dies quinquageſima, erat dies Sabbati.

Ratio armenorum.

Reſpondetur negando ſequelam, nimirum à die reſurrectionis Chriſti uſque ad adventum Spiritus

Sancti, non intercedere quinquaginta dies; etiamſi reſurrectio fuerit die dominica, ſeu tertia Azimorum. Ratio eſt quia Spiritus Sanctus non deſcendit die Pentecoſtes Hebraico, ſeu die Sabbati, ſed poſtridie, ut notat D. Chryſoſtomus homil. 4. in act. qui vult illud Act. 2. *Cum complerentur dies Pentecoſtes*, ſic intelligi: *cum completi eſſent dies Pentecoſtes:* Ideoque Chriſtus non reſurrexit die ſecunda Azimorum, ſed tertia. Et ſic à die reſurrectionis uſque ad adventum Spiritus Sancti, intercedont quinquaginta dies. Et utrumque myſterium, eadem die, ſeu dominica, evenit.

Reſponſio ad rationem armentorum

Dicunt inſuper, quòd ex Sacra Scriptura, Chriſtus non potuit detineri ab inferno, nec à morte & ideo non deboit per tres dies manere in ſepulchro; nam quamdiu aliquis eſt mortuus, detinetur à morte: igitur congruum, & conveniens eſt, quòd reſurrectio Chriſti non debuit differri uſque ad tertiam diem, ſed ſtatim eadem die, vel ad minus, die ſequenti, fieri.

Reſpondeo, hanc convenientiam eſſe nullam. Detentio enim aliquam coactionem importat. Chriſtus autem nulla neceſſitate mortis tenebatur, cùm eſſet inter mortuos liber: ideo manſit tribus diebus in ſepulchro, quia ibi manere voluit, non quaſi detentus, ſed propria voluntate. Hocque nonobſtante ſtatim reſurrexit; quia id dicitur ſtatim fieri, quod fit brevi interpoſito tempore: quamvis potuerit citiùs fieri, & ob rationes nobis ignotas citiùs factum non fuerit.

ARTICULUS XLVIII.

Reiicit Appellianos credentes, Chriſtum non aſcendiſſe in Cœlum, nec ſedere ad dexteram Patris.

Appellitæ, ſive Appelliani (ſic dicti non ab hæreſi, ſed ab authore, ſeu Appelle viro hæretico, Marcionis Diſcipulo) nedùm dicebant, Chriſtum carnem ſuam non de Matre, ſeu de Virgine Maria, ſed ex Elementis accepiſſe, etenim huic errori alium addebant, nimirùm quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis, & in cœlum per aſcenſum redire volens, carnem quam aſſumpſerat, reddidit mundo, eamque iterum reſolvit. Et quod cuique elemento proprium erat, reddidit, calidum videlicet calido, ſiccum ſicco, frigidum, frigido, humidum humido, ſicque diſſoluto corpore, in Cœlum unde venerat, credebant aſcendiſſe, ut teſtantur Euſebius lib. 5. cap. 13. Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 24. Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum. D. Auguſtinus, Philaſtrius, & alij, qui eumdem errorem tribuunt Hermianis, Manichæis, & Hermogenianis. Iſte Appelles vixit temporibus Marci Antonini Philoſophi Imperatoris, & Soteris ſummi Pontificis circa annum Domini. CLXXVIII.

Appelliani — *Hermiani.* — *Manichai* — *Hermogeniani.*

Noſter Alphonſus à Caſtro adverſus hæreſes lib. 4. verbo *Chriſtus*, hæreſ. 12. Et Prateolus littera *A* numero 54. dicunt, hanc hæreſim cum ipſo Appelle ſepultam fuiſſe, quia (inquiunt) nihil fabuloſius dici poteſt. Nihilominus quidam hæreticus nomine Seleucus natione Galata, à quo ortum habuit hæreſis Maſſalianorum, docuit (teſte Philaſtrio) ſub Valente Imperatore, & Damaſo Papa, circà annum: CCCLXXX, Chriſtum antequam in Cœlum aſcenderet, carnem expoliaſſe, & in ſole eam poſuiſſe, juxtà illud Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Lutherani & Calviniſtæ eumdem errorem inferunt ex alio principio: nam credunt, Chriſtum ſecundum carnem eſſe ubique, & ideo de uno loco ad alium verè & propriè ſe movere non poſſe, ac proindè nec aſcendare in Cœlum. Unde miror viros doctiſſimos ac fortiſſimos contrà hæreticos, utpotè Alphonſum à Caſtro, & Prateolum, aſſeruiſſe, hanc hæreſim cum ipſo Appelle ſepultam fuiſſe, cùm ex Philaſtrio (quem ſequuntur) eam docuerit Seleucos Appelle longè recentior. Et quidam hæretici Paſſioniſtæ nuncupati (quia circà paſſionem Chriſti errabant) crediderint & docuerint poſt Appellitas, Chriſtum in ſua paſſione carnem ità dimiſiſſe, & in Cœlom ſic aſcendiſſe, ut non ſit jam in carne divinitas, nec Chriſtus ſit homo: Igitur præter Appellitas, aut Appellianos, ſunt alii hæretici, qui negant aſcenſionem Chriſti in carne.

Seleucus. — *Lutherani* — *Calviniſtæ.* — *Paſſioniſtæ.*

§. I.

De hujus hæreſis condemnatione.

Articuli noſtri veritatem declarant. Et Appellis, Seleuci ac Paſſioniſtarum hæreſim damnant Concilium Apoſtolorum, ſeu Symbolum Apoſtolicum, ubi habetur & dicitur de Chriſto: *Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis &c.* Symbolum Nicænum in quo dicitur: *aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* His addo Symbolum Sancti Athanaſij, in quo eadem veritas declaratur, his verbis: *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Concilium Lateranenſe IV. *De fide & ſumma Trinitate*, cap. *firmiter*. & Tridentinum cap. 1. ſeſſ. 13. Idem ſemper credidit univerſa Eccleſia, conſtat enim, omnes Catholicos fateri, Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum, & hunc ſedere ad dexteram Patris, ſeu habere poteſtatem judiciariam, ut notat D. Auguſtinus lib. 2. de Symbolo cap. 7. dicens: *Ipſam dexteram intelligite poteſtatem, quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, ut veniat judicaturus, qui venerat judicandus.*

Concilium Nicænum. — *Concilium Lateranenſe* — *Tridentinũ.*

§. II.

Probatur articuli veritas

Sacra Scriptura variis in locis præſentis articuli veritatem prædicat contra Prænominatos hæreticos, aſſerit enim, & affirmat, Chriſtum reſurrexiſſe in carne, & cum carne aſcendiſſe in Cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis, ut docet Marcus cap. ult. dicens: *Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis aſcendit in Cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Hinc eſt quòd ille, qui aſcendit in cælum, eſt ille, qui locutus eſt, ſed Chriſtus locutus eſt in carne: Igitur cum carne aſcendit in cœlum, ibique ſedet ad dexteram Patris. Eadem veritas ex aliis textibus colligi poteſt: nam Chriſtus Joan. 20. ait Magdalenæ: *Noli me tangere nondum, aſcendi ad Patrem*, quibus ſuadetur, quòd tunc erat in carne, & in ipſa aſcenſurus in cœlum. Nam ſi Chriſtus ſine carne reſurrexit, quis fuit ille, quem in medio Diſcipulorum conſtitutum, octava reſurrectionis die, Thomas tetigit? & cui ipſe Thomas dixit, Joan. 20. verſ. 28. *Dominus meus, & Deus meus*, niſi Chriſtus ut homo? Hoc probant verba, quæ immediatè ſequuntur: *Dixit ei Jeſus quia vidiſti me Thoma, credidiſti*, quæ non poſſunt intelligi de ſola divinitate Chriſti, quæ non poterat Cicatrices habere, nec manibus tangi, nec oculis corporeis videri: ergo dicta fuerunt, & ſunt intelligenda de humanitate Chriſti à mortuis ſuſcitati, ac proindè

Mar. cap. ult. — *Joan. 20.*

ipſe Chriſtus ſurrexit in carne, & cum ipſa aſcendit in cælum.

Luc. ult. Idque confirmatur ex illo Luc. ult. verſ. 36. & ſequentibus ubi legimus quòd Chriſtus apparens Diſcipulis ſuis poſt ſuam reſurrectionem, ipſi Diſcipuli conturbati, & conterriti fuerunt quia exiſtimabant ſe ſpiritum videre, ut patet ex Evangelio. Hanc autem admirationem videns ipſe Chriſtus dixit eis: *Videte manus meas, & pedes meos. Quia ego ipſe ſum, palpate & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, & cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes.* Quòd certè non dixiſſet, ſi in reſurrectione ſua reddidiſſet mundo carnem, quam aſſumpſerat; ideoque certum eſt quòd reſurrexit in carne, cum in carne apparuerit Diſcipulis ſuis.

Certum quoque eſt ex illa apparitione, quòd cum carne aſcendit in cœlum, quoniam verbum numquam dimitit quod ſemel aſſumpſit juxtà axioma Theologorum. Nam ſi ſine carne aſcendiſſet in cœlum, quis eſt ille, quem Stephanus vidit ſtantem à dextris virtutis Dei, ut teſtatur ipſe Martyr his verbis, act. 7. *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem a dextris virtutis Dei*, niſi Chriſtus ut homo, quia ſi carnem excludas, Chriſtus non dicitur ampliùs filius hominis: talis quidem nominatur, quia eſt verus homo, & verè natus de Maria Virgine. Unde cùm D. Stephanus teſtetur ſe vidiſſe Jeſum Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, omnes tenemur credere quòd ipſe Stephanus lapidibus obrutus, verè vidit Chriſtum ut hominem exiſtentem in Cœlo, & ideo aſcendit ad cœlos in carne, cum ſi carnem non haberet, non exiſteret ut Filius hominis, ut fuit definitum in Concilio Lateranenſi IV. capite *firmiter*. Nec diceret nobis ipſe Chriſtus per os Joannis in libro Apocalypſ. 3. verſ. ult. *Qui vicerit dabo ei ſedere in throno, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in Throno ejus*, nec dixiſſet Diſcipulis ſuis Joan. 20. *Aſcendo ad Patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.*

Teſtimonium. D. Stephani.

Joan. 14. Eadem veritas probatur ex illo Joan. 14. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis: *Vado parare locum*, qui quidem locus, eſt cœlum Empireum, aut ſedes Beatorum, ut interpretantur Sancti Patres: ideoque Chriſtus aſcendit in Cœlum in carne, & in carne ſedet ad dexteram Patris, ut evidenter colligitur ex verbis jam relatis, quæ habentur Marc. ult. verſ. 19. *Et Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei*: etenim nomen *Jeſus*, ſignificat hominem Deum, ſeu Chriſtum, quoniam Deus, & homo, unus eſt Chriſtus, quem ex Joan. 1. cap. 2. verſ. 1. habemus advocatum apud patrem, ac proinde eſt homo apud Patrem, ſeu in cœlo, ſicut erat homo degens in terra, quoniam ſeparata carne à divinitate, non remanet Jeſus Chriſtus, nec haberemus advocatum apud Patrem, Nam ſi ſit noſter advocatus apud Patrem, eſt minor Patre; cùm de officio advocati ſit, ipſum advocatum eſſe minorem illius, apud quem eſt: hæc autem minoritas in Chriſto non poteſt eſſe niſi ſecundum humanitatem ſecundum quam dumtaxat eſt minor Patre, ut dictum eſt contrà Arianos.

Mar. ult.

Idque confirmari poteſt ex illo Joan. 16. verſ. 7. ubi legimus, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem: *Expedit vobis ut ego vadam ad eum, qui me miſit. Si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero mittam eum ad vos*: ſed Spiritus Sanctus venit ad Apoſtolos die Pentecoſtes, ut conſtat ex illo Act. cap. 2. verſ. 1. & 2. Idem colligitur ex aliis Sacræ Scripturæ textibus: igitur Chriſtus aſcendit in cœlom quatenus Chriſtus eſt, ſeu Deus & homo in unitate perſonæ, ut denotat hæc particula *ego vadam* cum Spiritus Sanctus venerit, & juxtà monitum ipſiuſmet Chriſti, non veniſſet, ſi ad Cœlos non aſcendiſſet ipſe Chriſtus ut homo.

Actorum primò, verſ. 9. 10. & 11. aliud habemus teſtimonium aſcenſionis Chriſti in Cœlum, *Act. cap. 1.*
ibi enim legimus: *Et cum hæc dixiſſet videntibus illis elevatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: cumque intuerentur in Cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in Cœlum? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Item apud Lucam cap. ult. verſ. 50. & 51. legitur de Chriſto: *eduxit autem eos* id eſt diſcipulos ſuos, *foras in Bethaniam: & elevatis manibus ſuis, benedixit eis: & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in Cœlum.* Inde enim conſtat, teſtibus Apoſtolis, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, huncque in carne, ſeu ut hominem, aut ſecundum humanitatem. Quia natura divina non poteſt ſubijci motui locali, utpotè Aſcenſioni, ſicut humanitas ſubijcitur; cùm habeat immenſitatem ratione cujus eſt præſens in omnibus locis, & implet Cœlum & terram.

Clariùs infertur eadem veritas catholica ex ultimis uerbis relatis, nam ſi ille, qui aſſumptus eſt in cœlum, habeat manus? quæ ſunt membra corporis humani, neceſſariò ſequitur, ipſum habere carnem. Si venturus ſit, quemadmodum viderunt eum euntem in cœlum, veniet, eo modo quo aſcendit, & è converſo, hoc eſt, ſi aſcenderit eo modo, quo venturus eſt, certum eſt quòd aſcendit in carne. Quia in carne veniet judicaturus vivos & mortuos, juxta illud Math. 25. verſ. 31. *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua.*

Unde D. Gregorius homil. 29. ait: *Ille revertebatur Chriſtus ubi erat, & inde redibat ubi remanebat, qui cum per humanitatem aſcenderet in Cœlum, per deitatem ſuam, & terram pariter continebat & Cœlum*, ibidem addit: *oportet fratres cariſſimi ut illuc ſequatur corde, ubi Chriſtum credimus corpore aſcendiſſe, & ſi hac infirmitate corporis hic tenemur, ſequamur tamen eum paſſibus amoris, quia is, qui placidus aſcendit, terribilis redibit.* Apoſt. ad Epheſ. cap. 1. verſ. 20. & ſequentibus inquit: *Quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.* Nonnè ex his evidenter conſtat, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, & in cœlo eſſe cum carne ſedentem ad dexteram Patris? nullus ſanè poteſt de hac veritate dubium habere, niſi ſit hæreticus nequior cæteris. Quia negat firmiſſimum fidei argumentum. Chriſtus enim, teſte Apoſtolo, aſcendit ſuper omnes cœlos ut impleret omnia. Hinc eſt quòd D. Auguſtinus in ſerm. de Aſcenſione Domini inquit: *Aſcenſio Dei Catholicæ fidei confirmatio fuit, ut ſecuri impoſterum crederemus, & miraculi illius donum, cujus etiam in præſenti perciperemus effectum.*

D. Gregorius. *Ad Epheſ. 1.* *D. Auguſt.*

Præter teſtimonia novi teſtamenti jam adducta, convenit referre aliud quòd eſt veteris ſcilicet Iſayæ cap. 63. verſ. 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Hæc quidem verba continent qualitates, quæ humanitati Chriſti dumtaxat conveniunt, & de Chriſto in Cœlum aſcendente referuntur. Unde D. Cyrillus in Epiſtola ad Achatium ait. *Unigenitus Dei cum carne ſibi unita redit, eratque hoc novum in Cœlis ſpectaculum. Obſtupuit* *Iſay. 63.*

enim

quàm Sanctorum Angelorum multitudo cùm regem gloriæ, exercituumque Dominum in forma humana cerneret; aiebat enim: *Qui eſt iſte qui venit de Edon?* Id eſt *ex terra.* Idem docet Origines in illud Pſal. 23. *tollite portas principes veſtras.* Quo probat, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum cum carne.

Origenes.

Sunt aliæ authoritates tam in veteri, quàm in novo Teſtamento, quibus evidenter conſtat, Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam in cœlum aſcendiſſe cum humanitare, quam aſſumpſerat, & ſedere ad dexteram Patris. Sed plures omitto tum brevitatis gratia, tum quia hæc, quæ diximus, ſufficiunt ad oſtendendam aſcenſionem. Tum quia neceſsè eſt probare, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris. Paulus ad Rom. cap. 8. verſ. 24. ait: *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei.* Et Heb. 1. verſ. 7. inquit: *ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.*

§. III.

De reſponſione ad rationes hæreticorum.

APpellitarum, aut Appellianorum ratio, eſt authoritas Apoſtoli ad Epheſios 4 verſ. 10 ubi legitur: *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut impleret omnia.* Indè enim affirmant, Chriſtum, ſeu Filium Dei aſcendiſſe in Cœlum ſine humanitate, quia ſine humanitate deſcenderat de Cœlo; alioquin verbum fuiſſet caro in ſinu Patris, & ab æterno. Quòd eſt falſum, aut id, quod aſcendit, non eſt id, quod deſcendit. Quod eſt contra Apoſtolum; igitur humanitas non aſcendit in Cœlum: *Nemo* enim inquit Joan. cap. 3. verſ. 13. *Aſcendit in Cœlum niſi qui deſcendit de Cœlo,* id eſt, niſi Filius Dei, qui cum ſine humanitate deſcenderit, (deſcendit enim ut verbum Patri conſubſtantiale) ſine humanitare aſcendit.

Reſpondetur Primò, Apoſtolum loqui de deſcenſu ad inferos, ut poteſt colligi ex verbis præcedentibus: *Quod autem aſcendit, quid eſt? niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ,* Non verò de deſcenſu in Virginis uterum. Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam, nam Apoſtolus declarat, quòd, qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit. Non quoad omnia, quæ in ipſo ſunt: ſed tantum quoad ſuppoſitum. Quia eadem perſona, quæ ſemetipſam exinanivit, ut formam ſervi acciperet, ipſammet naturam aſſumptam ſuprà Cœlos evexit. Ratio eſt quia nomen relativum *qui* non ſignificat naturam, ſed ſignificat perſonam, ut notat D. Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 25. itaque aſcenſus, & deſcenſus ſumendi ſunt juxtà capacitatem, & ſtatum perſonæ. Unde cùm in Chriſto ſit tantum una perſona, ut probarum manet in proprio loco contrà Neſtorianos, ſequitur quòd qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit, & è converſo; quamvis aſcenderit cum humanitare, ſine qua deſcenderat.

Evellitur appellianorum fundamentum.

Paſſioniſtarum ratio eſt. Quia, Chriſtus Math. vult. verſ. 20 ait Diſcipulis ſuis: *Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi:* Ergo (inquiunt) humanitas Chriſti non eſt in Cœlo. Et Chriſtus ut homo remanſit in terra. At hæc ratio non obſtat, quia loquebatur de præſentia divinitatis, quæ ſemper adeſt fidelibus, vel de præſenria Euchariſtica, quà Chriſtus remanet in terris ſacramentaliter ſub ſpeciebus panis, & vini conſecraris.

Rejicitur ratio paſſioniſtarum.

Seleucus autem ſic objicit. Deus non habet Corpus (ut omnes proclamant adverſus Antropomorphiras) ut ad dexteram ejus ſedeat Chriſtus: igitur Chriſtus non ſedet ad dexteram Patris. Minus obſtat hæc ratio, quia Metaphorica eſt hæc locutio, hæc quidem ſeſſio Chriſti ad dexteram Patris, non poteſt propriè, & corporaliter intelligi, quia virtuti, & perfectiori corporis glorioſi ſedere non congruit, nec Deo propriè convenit habere dexteram; cùm dextera & ſiniſtra ſint differentiæ poſitionum corporalium divinitati maximè repugnantes. Porrò Sacra Scriptura docens, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, intelligit illam ſeſſionem, quatenus ſedere, eſt quieſcentis, & judicantis; dextera verò eſt honoris & dignitatis. Unde cum Chriſtus ſit in gloria in qua eſt ſumma quies. Et in ea ſummæ dignitatis gloriâ potiatur, dicitur ſedere ad dexteram patris. Id eſt ſedet ad dexteram patris, in quantum habet cum Patre quietam poſſeſſionem beatitudinis, & poteſtatem judiciariam ſuper omnes Angelos & homines, ut monet D. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo ubi ait: *Sedet ad dexteram Patris: ſedere, habitare intelligitur quomodo dicimus de quocumque homine in illa Patria ſedit per tres annos. Sic ergo credite, Chriſtum habitare in dextera Dei Patris, beatus enim eſt, & ipſius beatitudinis nomen eſt dextera Patris.* Quantum verò ad poteſtatem Judiciariam, idem D. Auguſtinus lib. 2. de Symbolo cap. 7. inquit: *Ipſam dexteram, intelligite poteſtatem, quam accepit ille homo ſuſceptus a Deo, ut veniat judicaturus, qui venerat judicandus.*

Seleuci rationis nullitas.

D. Auguſt.

Dicent hæretici: Chriſtus ſtat à dextris virtutis Dei, ut teſtatur Sanctus Stephanus, act. 7. ſuprà relatus; ideoque non ſedet, quia ſedere, & ſtare oppoſitionem videntur habere. Huic inſtantiæ dico cum D. Gregorio homil. Aſcenſionis quòd ſicut ſedere judicantis eſt, ità ſtare eſt pugnantis, uel adjuvantis. Stephanus in labore certaminis vidit, quem adjutorem habuit, ſed hunc, poſt Aſcenſionem Marcus ſedere deſcribit, quia poſt Aſcenſionis ſuæ gloriam, Judex in fine videbitur; unde cùm ſedere, & ſtare non ſint in Chriſto diſpoſitiones corporales propriè dictæ, ut jam monui, ſed diverſa officia, ſequitur quòd in noſtro caſu nullam includunt oppoſitionem inter ſe reſpectu Chriſti in Cœlo exiſtentis. Quidam hæretici dicti Metamorphitæ (quorum meminit Staphylus) circà finem decimi. quarti ſæculi, docebant, Chriſti humanitatem, poſtquam aſcendit in cœlum, divinitatem omninò factam fuiſſe, ità ut verum ſit dicere, humanitas eſt divinitas in ſenſu formali, ſubindeque hominem, aut carnem Chriſti non eſſe in cœlo. Eumdem errorem docuit Gaſpar Lovenehfeldius unus ex confeſſioniſtis, ut refert Lyndanus, ſed quia de hac hæreſi nullam rationem afferunt Scriptores, potiùs omittenda eſſet, quàm impugnanda, nihilominus rejicienda eſt authoritate D. Athanaſij in Symbolo ubi de Chriſto legitur: *Unus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ: nam ſicut anima rationalis, & caro, unus eſt homo: Ità Deus, & homo, unus eſt Chriſtus.* Deindè certum eſt quòd cùm divinitas ſit ſimpliciſſima & infinita, ens creatum nequit in ipſam converti: ideoque divinitas & humanitas in Chriſto non ſunt una, & eadem formalis ſubſtantia, nec una & eadem formalis natura, ſed duæ in uno, eodemque ſuppoſito, quod eſt verbi divini. Hic error metamorphitarum rejicitur etiam rationibus, quibus ſuprà rejicitur error Eutychianorum aſſerentium, Chriſtum non habere duas naturas, ſed ſolum divinam, in quam converſa fuit humana, ut patet ex dictis contrá eoſdem hæreticos in Articulo XXXIV.

Diſſolvitur hæreticorum inſtantia.

Impugnantur metamorphitæ.

ARTICULUS XLIX.

Quô probatur adverſus Borborianos, Chriſtum venturum eſſe Judicare vivos, & mortuos.

Fides Catholica, in hoc articulo, impugnata fuit tempore Neronis Imperatoris, & Divi Petri Apoſtoli, anno Domini LVI ab Alexandro Ærario, *Alexander Ærarius* viro hæretico, quem cum Hymenæo Satanæ tradidit Apoſtolus, 1 ad Timoth. cap. 1. verſ. 20: *Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Horum autem blaſphemia erat circà reſurrectionem generalem mortuorum, & ultimum Judicium. Volebant enim reſurrectionem illam jam factam fuiſſe, ac proinde Chriſtum non eſſe venturum Judicare vivos & mortuos, ſed jam veniſſe, & aſſumendo naturam humanam, Judicaſſe omnes homines.

His hæreticis adhæſit alter, nimirum Philetus, quem ſimul cum aliis duobus, Divus Paulus ob hæ- *Philetus* reſim & blaſphemiam in fidem Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam, Satanæ tradidit: 2 ad Timoth. cap. 2. verſ. 17. *Et ſermo eorum ut Cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorundam fidem.* Hoc D. Pauli teſtimonio certum eſt, prædictos hæreticos in principio naſcentis Eccleſiæ nedum negaſſe ultimum Judicium, ſed etiam Chriſtum venturum eſſe Judicem vivorum, & mortuorum.

Gnoſtici de quibus locuti ſumus in ſecundo arti- *Gnoſtici.* culo, in quo expugnatur Polytheiſmus, eamdem docuerunt hæreſim, tempore Adriani Imperatoris, & Sixti hujus nominis primi circà annum Domini: CXXIX. Tunc enim dixerunt, nullum eſſe timendum Judicium futurum, ut hac occaſione tantô faciliùs in quodlibet peccatum ruerent, quanto minus pœnam propter illud infligendam crederent. Gnoſticos ſecuti ſunt Manichæi, & Albanenſes, nedum in errore duo prima Principia, aut duos Deos ſtatuente, ſed etiam in præſenti hæreſi adverſus ultimum Judicium à Diabolo excitata, quia *Manichai* dicebant reſurrectionem corporum non eſſe expectandam, ſed univerſale Judicium jam factum, nec aliud ulterius eſſe futurum: ideoque docebant Chriſtum non eſſe venturum judicare vivos, & mortuos, nec ſæculum per ignem, nonobſtantibus *Albanenſes* tam apertis Sacræ Scripturæ textibus, quibus nobis promittitur, & firmatur ſecundus Chriſti adventus, in quo, teſte Scriptura, unuſquiſque recipiet ſecundum opera ſua.

Eodem anno, quo Gnoſtici, inſurrexerunt quidam hæretici dicti Borboriani, aut Cænoſij (propter nimiam illam, quam in ſuis myſteriis exercebant turpitudinem) qui docebant, futurum Judi- *Borboriani* cium non eſſe ſperandum in punitionem peccatorum; ſed potius carnalem ſæculi concupiſcentiam laudabant, & approbabant, volentes indè Januam aperire vitiis, & iniquitatibus. Anno autē CLXXXII. tempore Commodi Imperatoris, & Soteris Papæ, futuram reſurrectionem, & extremum Judicium acer- *Florinus* biùs negavit Florinus in urbe *Roma* qui unà cum Blaſto ſocio criminis & furoris, plures de Eccleſia in ſuum Barathrum deducit, eoſque Diſcipulos effecit, teſte Philaſtrio. Florino autem ſtatim *Prodianita* adhæſerunt Proclianitæ, aut Prodianitæ, viri natione Galatæ, qui adhuc commorantur in locis Galatiæ, ubi plurimos, ut vulpes latitantes, deprædantur.

In fine ejuſdem ſæculi utpotè anno CLXXXVII, ſub Severo Imperatore, & Victore Papa, Symmachus genere Samaritanus, poſteà Judæus, & circunciſus, deindè Chriſtianus, poſtremò Ebionis *Symmachus* & Patricij Romani virorum hæreticorum, Diſcipulus, teſte Philaſtrio, prædicabat juxtà unius magiſtrorum ſuorum (nimirùm Patricij) impietatem, ultimum Judicium non eſſe ſperandum, ſed vitiis, ſæcularibus deſideriis, & concupiſcentiis carnalibus ſerviendum abſque ulla formidine pœnæ. Verè hæc hæreſis diù ſopita remanſit, ſed invidiâ Diaboli tandem circà duodecimum ſæculum ſurrexit quidam vir Phanaticus, natione Gallus, Pa- *Eom à Stella* triâ Brito dictus Eom, agnomine *A ſtella*, homo illiteratus, & idiota, ſed ludificatione Dæmonum ità dementatus, ut crederet ſe Dominatorem, & Judicem vivorum & mortuorum. Hic autem hæreticus nullum Judicem credebat venturum pro judicandis hominibus. Dicebat enim ſe eſſe Chriſtum in lege veteri promiſſum ut Judicem vivorum, & mortuorum, quia cùm non poſſet diſtinguere inter *Eom*, & *Eum*, ad ſuam perſonam pertinere credebat quod interdum Eccleſia profert in ſuis orationibus, & in ſuis exorciſmis: *Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.* Captus autem ab Epiſcopo Rhemenſi; cùm ſtaret in conſpectu Concilij, interrogatus ab Eugenio III ſummo Pontifice, quis nam eſſet, reſpondit: *Ego ſum ille, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.*

His omnibus hæreticis, qui Chriſto homines judicandi poteſtatem denegant, ſucceſſit David Georgius Delphis in Batavia natus, arte vitria- *David Georgius* rius, qui anno MDXXVI ſub Carolo V Imperatore, & Clemente VII, multa impia dogmata docuit, prædicabat enim populo ſe eſſe eximium Prophetam, & Filium Dei, Chriſto Jeſu majorem, & negabat corporum reſurrectionem cum Saducæis, atque ultimum Judicium. Nec hoc ſufficiebat illi: dicebat inſuper & prædicabat ſe anno tertio poſt mortem reſurrecturum, & regnum Iſraël reſtituturum, hocque ità perſuadebat mulierculis, ut ſe ſe crederent beatiſſimas, ſi relictis maritis ex promiſſo ipſius quod nugabatur ſemine, conciperent. Hæc, & alia deteriora de iſto viro Satanicâ ſuperbia arrogantiſſimo ſcribunt Lyndanus in Dialogo ſecundo ſui dubitantii. Et Bulinguerus lib. 2. cap. 14 ut dicemus in aliis hæreſibus referendis, & refutandis. Omitto Doſitheanos, Saducæos, & alios, qui negant, Chriſtum venturum judicare vivos, & mortuos; cum negent reſurrectionem mortuorum, ob quam Deus omne judicium dedit Filio ſuo. Cauſa hujus omiſſionis eſt, quia de ipſis erit ſermo in proprio articulo.

§. I.

De Conciliis quæ nominatos hæreticos damnant.

Hæreticos, qui negant, Chriſtum venturum eſſe ad Judicandos vivos & mortuos: quia credunt, mundum jam judicatum eſſe, ideoque judicium univerſale jam factum fuiſſe, anathematis gladio fe- *Nicænum.* riunt, atque damnant plura Concilia, ea ſcilicet in quibus receptum, atque decantatum fuit Symbolum Nicænum, à decem, & octo, ſuprà trecentos, patribus editum, Spiritu Sancto dictante, in quo expreſsè declaratur, quòd Chriſtus iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos &

mortuos. Idemque priùs fuerat definitum ab Apoſtolis, in quorum Symbolo verè habetur hujus articuli deciſio, de Chriſto Domino noſtro : *Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Et in Symbolo Divi Athanaſij in univerſa Eccleſia recepto, & decantato : in quo de Chriſto hæc proponitur habenda fides : *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.* Quòd nequit intelligi de primo adventu de quo Chriſtus Joan. 12. verſ. 47. dicit : *Non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.* Sed de ſecundo, ut eſt manifeſtum. Tandem in Concilio Toletano IV. celebrato cum ſeptuaginta Epiſcopis anno Chriſti DCXXXIII. ſub Honorio Papa, urgente piiſſimo Hiſpaniarum Rege Siſenando. In Toletano VI. cap. 1. Et in Lateranenſi IV anno MCCXV ſub Innocentio III pro damnandis Albigenſium, & Almarici, necnon Joachimi Abbatis & aliorum hæreſibus, inter quas eſt hæc, quam hîc impugnamus.

Symbolum Apoſtolorũ.

Symbolum Athanaſianum.

Toletanum quartum.

Toletanum ſextum.

Lateranenſe quartum.

Patres hujus Concilij de ſumm. Trinit. & fide Catholica, cap. *firmiter* ſic loquuntur de Chriſto ; *Qui etiam pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in Cælum, ſed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne ; aſcenditque pariter in utroque venturus in fine ſæculi judicaturus vivos & mortuos : redditurus ſingulis ſecundum opera ſua.*

Hujus judiciariæ poteſtatis, aut ſupremi judicis adventus futuri ratio à Sanctis Patribus, & Theologis aſſignata, eſt quia Chriſtus excellentiſſimè continet omnia, quæ in judice ſunt optanda, ac proindè inevitabiliter veniet, & judicabit populos in æquitate. Unde Clemens Alexandrinus 1 pedagag. cap. 2. meritò ait : *Solus Dei Filius Judex eſt, qui neque peccare poteſt, & ab humanis animi perturbationibus eſt liber.*

§. II.

De authoritatibus quæ ultimum judicium probant.

EVangelium Sancti Math. cap. 25. evidenter demonſtrat contrà prænominatos hæreticos, quòd Chriſtus Dominus veniet, eritque judex ſupremus in finali judicio, ut patet in verſ. 32. *Cum venerit Filius hominis*, id eſt Chriſtus ; *in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & eos ſeparabit ab invicem ..... tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt : venite benedicti Patris mei &c.* igitur ex Evangelio, Chriſtus, qui aſcendit in Cœlum, & ſedet ad dexteram Patris, veniet & judicabit homines, quoniam hæc verba: *Venite Benedicti, poſſidete, diſcedite à me maledicti in ignem æternum* ſunt verba judicis, ac Domini cœli & terræ : habent ſiquidem vigorem ſententiæ, nec poſſunt proferri, niſi à judice ſupremo pro omnibus judicandis conſtituto ; hinc eſt quòd Chriſtus, qui ſic loquitur, dum venerit in Majeſtate ſua, erit Judex vivorum, & mortuorum. Itaque veniet judicaturus vivos, & mortuos, cum nondùm venerit in Majeſtate ſua, neque viderimus ſigna, quæ ſecundũ Scripturas, ante illum adventum apparitura ſunt hominibus. Quare Apoſtolus 2 Corinth. cap. 5. verſ. 10 ait : *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. Ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit ſivè bonum, ſivè malum.*

Math. 25.

2. Corint. 5.

Nec valet dicere Apoſtolum loqui de judicio particulari, & ſucceſſivo, quod fit ſtatim poſt uniuſcujuſque mortem juxtà monitum ejuſdem Apoſtoli ad Heb. cap. 9. verſ. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium*, & ut ſuadet miſeria, quam damnati patiuntur in inferno, quia in peccato mortui ſunt, & Dei judiciò condemnati.

Non valet, inquam, quia Paulus loquitur de manifeſtatione generali omnium hominum coram judice ſedente in tribunali, licet redditio geſtorum ſit reſpectivè ſingularis, id eſt, licet ſtatim poſt mortem reddat unicuique ſecundum opera ſua in ordine ad animam, reſervando corpori ea, quæ illi debentur, & dabuntur in alio judicio ; quod erit univerſale, ut infra dicemus exponendo eumdem textum ad Hebræos. Ideoque indicat, Chriſtum venturum eſſe judicare vivos & mortuos : ſeu omnes homines, ſive juſtos, ſive peccatores, ut probant ultima verba ad Corinth. Et ea, quæ refert idem Apoſtolus ad Rom. cap. 14. verſ. 10. *Tu autem qui judicas fratrem tuum ? aut tu quare ſpernis fratrem tuum ? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Ibi quidem loquitur de judicio generali, & declarat quòd Chriſtus erit ſupremus judex, cùm non dicat, *ſtamus*, ſed *ſtabimus*. Et verbum, *omnes* non poſſit intelligi ſucceſſivè : ſed conjunctim dumtaxat ; cùm nondum omnes ſteterint ante Tribunal Chriſti ; alioquin Apoſtolus non dixiſſet, *omnes*, ſed *unuſquiſque ſtabit*, ut indè facilè fuiſſet inferre, mentem ipſius fuiſſe de manifeſtatione ſucceſſiva & particulari, de qua certò non loquitur in Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 5. quia probabilius eſt, ibi ipſum Apoſtolum loqui de judicio, de quo loquitur in prima cap. 4. verſ. 5. *itaque nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit Conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Hîc autem loquitur de Judicio generali.

Rejicitur inſtantia hæreticorum.

Ejuſdem articuli veritatem teſtantur omnes Apoſtoli, cum quibus Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem manducavit. Act. 10. verſ. 41. & quibus præcepit ſuam prædicare Judiciariam poteſtatem : dicunt enim ipſi Apoſtoli verſ. 42. *Et præcepit nobis prædicare & teſtificari populo, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* Hoc autem intelligendum eſſe de judicio univerſali, & de Chriſto venturo ut judice pro omnibus, & ſingulis hominibus ſimul judicandis, docet Math. cap. 12. verſ. 41. ubi inquit, *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Hæc quidem verba nequeunt de judicio unius ſeu particulari intelligi. Et Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 52. ait : *In momento in ictu oculi, in noviſſima tuba.* Hæc ſiquidem verba indicant, quòd omnes & ſinguli homines ſimul judicabuntur à Chriſto Domino.

Idem Conſtat ex eiſdem actibus Apoſtolorum cap. 17. verſ. 31. ubi habetur : *Eo quod ſtatuit diem in quo judicaturus eſt orbem in æquitate*, ex quibus infertur ſecundus adventus Chriſti, cauſâ judijudicandi omnes homines ſimul congregatos in eodem loco, quia ſtatuunt diem judicij, & declarant, quòd Chriſtus erit Judex, & judicabit orbem terrarum, non ſtatim poſt mortem uniuſcujuſque hominum, ſeu in die mortis uniuſcujuſque in particulari ; cùm omnes homines non moriantur uno, & eodem die, & textus aſſerat, unum diem ſtatutum fuiſſe in quo Chriſtus eſt judicaturus orbem terrarum, ſed in die ultimo, qui adhuc futurus eſt, quia nondum judicatus eſt orbis terrarum. Quare Chriſtus Math. 19. verſ. 28.

ait Apoſtolis ſuis: *Amen dico vobis quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit Filius hominis, in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Quibus verbis obnixè ſuadetur, quòd judicium uniuerſale adhuc eſt futurum, ut textum ponderanti patebit. Et quòd Apoſtoli erunt aſſeſſores Chriſti judicantis, ut notat D. Auguſtinus eadem verba Mathæi exponens, lib. 20. de civit. dei cap. 5. ubi inquit: *Hinc diſcimus cum ſuis Diſcipulis Judicaturum Jeſum*: Igitur Chriſtus, qui ſedet ad dexteram Patris, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et Apoſtoli ſedebunt judicaturi duodecim tribus Iſraël: quidquid dicant prænominati hæretici, quos obnixè reiicit Epiſtola Catholica beati Judæ Apoſtoli verſ. 14. his verbis: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contrà omnes, & arguere omnes Impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris. Quæ locuti ſunt contra Deum peccatores Impii.*

Apoſtoli erunt in ultimo judicio aſſeſſores Chriſti.

Tandem ſi Chriſtus locutus fuiſſet de judicio particulari, ut volunt hæretici ſuprà memorati, Apoſtoli fuiſſent aſſeſſores Chriſti judicantis hominem ſtatim poſt mortem, juxtà illud Math. cap. 19. verſ. 28. jam relatum: ſed hoc eſt falſum; cum plures mortui fuerint, & ſtatim poſt mortem judicati, viventibus Apoſtolis: ergo ſedebunt cum Chriſto in alio judicio, quod erit univerſale, & fiet in fine mundi, Ratio confirmans hanc veritatem eſt, quia homo non eſt judicandus tantum ſecundum quod ei competit in particulari, ſed etiam ſecundum id, quod competit gubernationi univerſi. Unde unius præmium differtur pro utilitate aliorum, juxta illud Apoſt. ad Heb. 11. *Non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non ſine nobis conſummarentur*: Et ideo propter hoc, debet eſſe judicium univerſale.

Sancti Patres unanimiter docent hunc fidei articulum, ſed eorum verba omitto, quia recitanda ſunt in articulo de reſurrectione mortuorum, unde ſufficiet adducere hîc alia verba D. Mathæi cap. 24. verſ. 27. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret uſque ad occidentem, ita erit & adventus filij hominis.*

Math. 24. Hic autem adventus Chriſti eſt futurus, ut denotat particula, *ita erit*; ſed Chriſtus juxtà Sacram Scripturam, Sanctos Patres, & Concilia, veniet ut Judex, ut colligitur ex Illo Pauli apud Areopagitas, Act. cap. 17. verſ. 31. *Eo quod ſtatuit Diem in quo, judicaturus eſt orbem in æquitate: in viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus ſuſcitans eum à mortuis.* (*Act. 19.*) Similiter ex eodem cap. Mathæi verſ. 30. *Et tunc parebit ſignum Filij hominis in Cælo, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.* Ibi enim ſignum illius eſt Crux, ut inquit gloſſa interlin; quæ apparebit in Cœlo, causâ univerſalis judicij, ut canit Eccleſia in officio ſanctæ Crucis: ergo Chriſtus venturus eſt Judicare ſimul vivos, & mortuos.

§. III.

De ſolutione ad hæretica argumenta.

HÆretici articulum noſtrum impugnant & probant, Judicium jam factum eſſe ex illo Joan. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus eijcietur foras*, quo Salvator declarat, aliud judicium non eſſe ſperandum, non enim conſurget duplex tribulatio, ut notat Scriptura, neque duplex judicium: ut autem eorum hoc confirmaret ipſe Chriſtus moriens in Cruce, dixit: *conſummatum eſt*: Ergo Chriſtus non eſt venturus judicare vivos & mortuos, cùm tempore paſſionis factum fuerit Judicium mundi, & omnia conſummata fuerint.

Prima hæreticorum ratio.

Reſpondeo negando conſequentiam. Quia ibi Chriſtus loquitur de Judicio Diaboli, ſeu de Diabolo eijciendo à mundi poſſeſſione, aut de liberatione hominum à poteſtate Diaboli, cujus per peccatum Adæ ſervi eramus, & ideo in eodem verſu, qui eſt 31. ait *Nunc princeps hujus mundi eijcietur foras, & ego ſi exaltatus fuero à Terra, omnia traham ad me ipſum.* Nam ille princeps, qui foras ejiciendus dicitur, eſt Diabolus, ac proindè authoritas ab hæreticis allata, non probat, Judicium jam factum eſſe. ratio hujus diſtinctionis eſt, quia judicium de quo ibi loquitur Chriſtus, non eſt judicium retributionis, quô datur præmium merentibus, & ſupplicium malis dumtaxat. Nec eſt judicium diſcretionis, & juſtitiæ manifeſtationis ut notat gloſſa ordinaria.

Reijcitur ratio contraria.

Inſurgunt inſuper ex illo Joan. 3. verſ. 18. *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, Jam judicatus eſt*: Ergo jam factum eſt judicium tam vivorum, quàm mortuorum, ſeu juſtorum & peccatorum; etenim ſi juſti, aut credentes, non judicentur: alij verò jam judicati ſint; nullus ſupereſt judicandus, ac proindè Chriſtus non eſt venturus judicare homines, cum nullus ſit homo, qui non ſit in ordine credentium, vel in ordine non credentium, quia ſunt ordines contradictorij, inter quos nullus poteſt dari ordo, qui medict; *Joan. 3.*

Sed non nocet hæc ratio, quia hæc verba, *non judicatur*, idem ſignificant ac iſta, *Non habet cauſam condemnationis* aut *non condemnabitur in judicio. Ille qui crediderit quoniam Scriptum eſt*, quòd qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hæc verò, *Et qui non crediderit iam judicatus eſt*, Idem ſignificant ac iſta: *habet cauſam manifeſtam ſuæ damnationis*: Quia quicumque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem. Unde Evangeliſta ſubdit ſtatim hanc rationem. *Quoniam non credit in nomine unigeniti Filij Dei*, ut denotet cauſam condemnationis, ideo non excludit ſecundum adventum Chriſti, ſed ſolòm ſuadet, quòd fideles ſalvi erunt, infideles autem non, cum aſſignet cauſam ob quam, illi, qui non crediderint, peribunt in judicio. Et ob quam, qui crediderint, non peribunt; quòd idem eſt ac dicere. Qui credit in eum non judicatur in judicio punitivo. Qui autem non credit, jam judicatus eſt judicio punitivo, non in re, ſed in Dei præſcientia, id eſt jam præcognitus eſt à Deo condemnandus ad æterna ſupplicia; cùm ſtatutum ſit quòd qui non crediderit, condemnabitur.

Reſpondeo ſecundò quòd loquitur de præmio concedendo illis, qui crediderunt, & de ſupplicio infligendo illis, qui non crediderunt, ex quo ſequitur quòd ſolitó dicimus de Reo convicto, quód jam judicatus eſt, licet coram judice nondum apparuerit, & poſteà ab ipſo condemnetur. Quia ſcimus pœnam eſſe determinatam, & infallibilem, ideo dicimus quód jam eſt judicatus, non quód ſententia mortis jam lata ſit: ſed quia certó a judicè juxtà legem proferenda eſt. Et de Innocente quod non judicatur. Quia non habet cauſam condemnationis, ſed ſolum cauſam remunerationis, quoniam habet meritum, cui debetur præmium.

Reſolvitur hæreticorum inſtantia.

Hanc explicationem eſſe mentem Evangeliſtæ patet ex illo cap. 8. verſ. 24. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Quo conſtat de certitudine ſententiæ judicis aduerſus eos, qui non crediderint. Hujus autem ſententiæ infallibilitas, aut irrevocabilis promiſſio, pro prolatione ſumitur ſententiæ: certi enim ſumus quód, qui bona

egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.

Iterum impugnant hæretici, & negant Chriſtum venturum eſſe, quia in morte cujuſlibet hominis fit judicium, ut conſtat ex variis Sacræ Scripturæ textibus, & præſertim ex illo de Divite, qui apud Lucam 16. mortuus eſt, & Sepultus in inferno. Ex illo, quo aſſeritur quòd ubi cciderit arbor, ibi remanebit, ex illo Luc 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Et ex Apoſtolo ad Heb. cap. 9. verſ. 27, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium* quibus conſtat quod non erit aliud judicium, nec veniet Chriſtus judicare vivos & mortuos, nec ſæculum per ignem.

Luc. 16.

Nego conſequentiam, quia licet in morte cujuſcumque fiat judicium particulare, quo quilibet ad pœnas debitas. Vel ad præmium tranſmittitur; aliud tamen reſtat judicium, quod erit univerſale, cujus finis, nedum eſt punitio delictorum, & largitio præmiorum, ſed etiam oſtenſio, & exercitium divinæ juſtitiæ diſtributivæ, quæ licet exerceatur in morte cujuſlibet (cùm moriens in peccato mortali damnetur in gehennam; & moriens in gratia abſque ullo ad pœnas Purgatorij debito ad cœlum convoler (ut fuſiùs in proprio loco contra millenarios dicemus) non tamen exercetur publicè. Nec publicè manifeſtatur, quod Deus juſtè judicat, ſed ſolum privatim. Nec exercetur circà corpus, ſed circà animam, ideoque Chriſtus venturus eſt judicare vivos, & mortuos.

Judicium particulare non excludit univerſale

Dicent forſan hæretici quòd Deus bis puniret in idipſum, eſſetque duplex tribulatio, ſcilicet ſtatim poſt mortem, & in illo judicio univerſali. Quòd de Deo dici nequit, ut declarat Propheta Nahum cap. 1. verſ. 9. Sed reſpondeo quòd non valet hæc ratio, quia in ultimo judicio, Reus ad eamdem pœnam cum corporis conſortio damnabitur, & ideo non erit duplex tribulatio, ſed ſolùm manifeſtata & publicata erit prima. Nec judicabit Deus bis in idipſum ſecundum idem, ſed ſolum ſecundum diverſa, quæ ex ſuprà dictis cognoſci poſſunt. nec hoc eſt Inconveniens. Imo neceſſarium eſt generale judicium, ut in eo bonis præmia, improbis ſupplicia palam decernantur, & laus ab omnibus tribuatur ſupremo judici.

Nahum cap. 1.

Tandem objiciunt Joan. cap. 12. verſ. 14. & 48. ubi Chriſtus ait: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum, ſermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo Die*: Igitur non eſt Chriſtus, ſed alter, qui judicabit; cùm loquatur de judice illo venturo, ſicut de tertia perſona,

Reſpondeo, Chriſtum non loqui propriè de judice, ſed de accuſatore, qui accuſando condemnat, nam in Judicio, ſermo, prædicatio, aut verbum Chriſti Judicabit Impios, quatenus non fecerint juxtà verbum Dei, ſeu Deum non glorificaverint, ut ipſis præceperat lex, quæ eſt ſermo, quo Deus præcipit ea, quæ à nobis obſervanda ſunt, & prohibet mala. Qui autem mala fecerint, varios accuſatores habebunt. Ut monet D. Chryſoſtomus in cap. 24. Math. *In illo die nihil eſt quod reſpondeamus, ubi cælum, & terra, & aqua, & totus mundus ſtabit adverſus nos in teſtimonium peccatorum, & ſi omnia taceant, ipſa cogitationes noſtra, & ipſa opera ſtabunt ante oculos noſtros, ante Deum accuſantes.*

D. Chryſoſt.

ARTICULUS L.

Impugnat Brentianos aſſerentes, Chriſtum venturum eſſe ſine cicatricibus in corpore ſuo.

JOannes Calvinus fidei noſtræ infenſiſſimus Hoſtis, errorumque Zelantiſſimus defenſor, ferè omnes veritates Chriſti divinitatem, & actus ejus concernentes, conatus eſt impugnare, ut ex dictis ſatis patet. Scripſit in cap. 24. Lucæ, *Stultum, & anile fuit delirium, plagis adhuc confoſſum Chriſtum imaginari, cum adveniet mundi judex.* Ità quidem Scripſit, ut negaret, Chriſtum reſervaſſe in ſua carne cicatrices, figuraſque Clavorum, quibus confixus fuerat, iiſque notis ſignatum venturum eſſe ad ultimum judicium, ut ex ipſius verbis manifeſtè colligitur. Eumdem errorem docuit alter hæreticus non minus Impius, nomine Brentius, ſectâ Semilutheranus, de quo alibi. locuti ſumus, hic enim hæreticus homil. 73. & 74 in Lucam, temerè affirmat, in corpore Chriſti ſedentis ad dexteram Patris, nullum eſſe vulnus, nullamque fixuram clavorum.

Calvinus.

Brentius.

Contra hanc Calvinianam hæreſim nullum adinveni Concilium, in nullo fortè definitum fuit, Chriſtum Dominum conſervaſſe corporis ſui vulnera, ideoque impugnanda eſt authoritate Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum: omnes quidem docent hanc fidei veritatem, ſcilicet Cicatrices Corporis Chriſti, eſſe in ipſius carne perpetuò permanſuras.

§. I.

Oſtendit cicatrices eſſe in corpore Chriſti.

PRimò authoritate Sancti Lucæ cap. 24. verſ. 29. & ſequentibus, ubi legitur, Chriſtum poſt reſurrectionem apparuiſſe Diſcipulis ſuis, & dixiſſe: *Videte manus meas & pedes meas quia ego ipſe ſum, palpate, & videte quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, & cùm hæc dixiſſet oſtendit eis manus, & pedes*. Inde enim evidenter conſtat, tunc, hoc eſt, poſt glorioſam reſurrectionem, adhuc extitiſſe in corpore Chriſti notas, ſignaque clavorum, quoniam Chriſtus voluit ipſis ſignis redemptionis noſtræ, ſeu ſtigmatibus, Apoſtolos ad ſui cognitionem ducere, ut de facto verè notus fuit à Thoma qui viſis plagis dixit Joan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.*

Luc. 24.

Hæretici dicunt, Chriſtum reverà oſtendiſſe pedes, & manus, ſed non expreſſiſſe per illam oſtenſionem, ſigna clavorum eſſe in manibus & pedibus. Porro à veritate plurimùm aberrant, nam Chriſtus non oſtendit manus, & pedes, ut inde cognoſceretur vivus, oſtendiſſet potius faciem ſuam, ſed ut per manuum, & pedum vulnera, cognoſceretur idem, qui Crucifixus fuerat à Judæis, & ut ipſis Apoſtolis, quibus nota erat Chriſti mors, nota eſſet ipſius reſurrectio.

Prætereà dato & non conceſſo, quòd ex textu citato non conſtet de cicatricibus, & vulneribus, conſtat tamen ex teſtimonio D. Joannis cap 26. ubi habetur quod Chriſtus alloquens Thomam dicentem Diſcipulis aſſerentibus Chriſtum reſurrexiſſe. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam*, dixit: *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis* Ex his quidem verbis liquet; D. Thomam, Diſ-

Hæreticorum inſtantia.

cipulorum teſtimonio jam didiſciſſe Domini ſui reſurrectionem, ſed proteſtatur, ſe nou eam crediturum, niſi videret ipſius cicatrices: Chriſtus autem volens eum plenè convincere, oſtendit ei latus, ut videret corpus ſignatum poſt reſurrectionem veſtigiis lanceæ, ac clavorum. Et ut de hac ipſa veritate fuiſſet plené convictus teſtimonio certo; alioquin non credidiſſet ipſe Thomas ipſum reſurrexiſſe. Nec Chriſtus dixiſſet ei, *mitte manum tuam in latus meum*, ſi non reſurrexiſſet cum cicatricibus ſuis, quia manus non poteſt mitti in latus, niſi ſit lanceâ perforatum.

Act. 1.

Hæc autem vulnera, cum quibus Chriſtus reſurrexit, & Diſcipulis ſuis apparuit, permanere in corpore Chriſti glorioſo, & cum ipſis venturum eſſe judicare vivos, & mortuos, patet ex illo actuum cap. 1. verſ. 11. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum.* Nam Paulò antcà uiderant eum clavorum, & lanceæ ſtigmatibus, ac ſignis in corpore ſiguatum & notatum, ut teſtatur Thomas Apoſtolus. Viderant eriam eum aſcendentem in cœlum cum cicatricibus ſuis: veniet igitur cum iiſdem cicatricibus, quia hæc particula, *ſic veniet quemaamodum vidiſtis eum euntem*, non ſolùm denotat quòd ille, qui veniet eſt ille, qui aſſumptus eſt, ſed denotat etiam modum, hoc eſt, quod veniet in eodem apparatu, cum ijſdem notis, ſignis, & cicatricibus, cum quibus aſſumptus fuerat admirantibus Apoſtolis: idcircò habet eadem vulnera in cœlo, habebitque ea dum veniet judicare vivos, & mortuos; alioquin neceſſe eſſet dicere, quòd dum aſcendit in cœlum, non habebat hujuſmodi vulnera. Quòd falſum eſt, ut conſtat ex jam dictis. Vel quód illi advenirent in ſecundo adventu, quôd nulla ratione, nullave convenientia poteſt ſuaderi.

Ratio ſudeat Corpus Chriſti habere vulnera.

Ratio hujus rei eſt. Quia Chriſtus his argumentis fidei noſtræ conſulere voluit, ut omni ſecuritate crederemus idem corpus humanum cruci clavis affixum, lanceâ perforatum, & ſepultum, reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram: voluit enim piiſſimus Dominus homines ad fidem, ad fiduciam ſingularem, & amorem peculiarem in ſe ipſum his ſignis excitare. Et ut crederemus inſuper, eumdem, qui pro nobis paſſus eſt, eſſe judicem vivorum, & mortuorum, quippè cum acquiſierit nos ſanguine ſuo, plagis ſuis meruit conſtitui judicem eorum, quos redemit.

D. Cyrillus.

Unde D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 53. air: *Idcircò latus denudavit, & manus clavis perforatas oſtendit, ut illud corpus quod cruci fuit affixum, reſurrexiſſe monſtraret*: Etenim Dominus ea vulnera ſervare voluit in corpore glorioſo, ut his argumentis apud ſuos aſſereret corporis humani veritatem, ſimulque in extremo die exprobraret Judæis ſuam incredulitatem, juxtá illud Joan. 19. verſ. 37. *Videbunt in quem transfixerunt.* Et ut damnati hac vulnerum oſtenſione videant, quód juſtè damnantur, & quòd Chriſtus meritó dicet illis (ut monet D. Auguſtinus:)

D. Auguſt.

Ecce hominem, quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.

D. Ambroſius.

Idem ſentit D. Ambroſius lib. 10. in Luc; dicens; contra nonnullos, qui negabant, Chriſtum reſurrexiſſe: *Nam quomodo non corpus Chriſtus oſtendiſſet Apoſtolis, in quo manebant inſignia vulnerum, veſtigia cicatricum? in quo non ſolum fidem firmat, ſed etiam devotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis Cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet. Talem ſibi Pater ad dexteram locat, Trophæum noſtræ ſalutis amplectens: tales illic Martyres nobis cicatricis ſuæ corona monſtravit*: ex quibus colligitur, Chriſtum in Cœlo habere pedes perforatos, & alias cicatrices, quas habuit in cruce, hiſque omnibus inſignitum, venturum eſſe judicare vivos & mortuos. Nemo quidem poteſt aliam rationem aſſignare pro hujuſmodi cicatricibus conſervandis. Nam ſi Crux debeat apparere in die judicij, ut affirmant hæc verba officij inventionis Sanctæ Crucis: *Hoc ſignum crucis erit in Cælo cum Dominus ad judicandum venerit*, certum eſt etiam, quód Chriſtus apparebit ut Crucifixus, hoc eſt, habens in carne ſua vulnera; cùm non ſit major ratio de cruce, quàm de plagis crucifixi.

Hæc ipſa veritas firmari poteſt vaticinio Zachariæ Prophetæ cap. 12. verſ. 9. & 10. *Et erit in die illa quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jeruſalem, & effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum ut doleri ſolet in morte primogeniti.* Quod deſignat, Chriſtum cum eodem corpore (quamvis glorioſo, impaſſibili, & immortali) quod dudum pependit in cruce, venturum eſſe judicem in fine mundi, oſtenſurumque omnibus etiam Judæis, aſpectabilia, evidentiſſimaque lanceæ lateri impreſſa, veſtigia, ut denotat hæc particula, *& aſpicient in me, quem confixerunt* quæ nedum exprimit, Chriſtum, ſed etiam nobis apertè declarat, hunc crucifixum, ſeu vulneribus, & cicatricibus inſignitum, venturum eſſe, tum quia aſpicere ad eum, quem confixerant, eſt videre hominem Stigmatizatum, tum quia Zacharias per diem illam, intelligit diem judicij univerſalis. *Zachar.* 12.

Unde Iſayas cap. 63. inquit de Chriſto aſcendente in cœlum, *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Ille de quo loquuntur Angeli per os Iſayæ, ſanè eſt Chriſtus, qui cum cicatricibus in Cœlum aſcendit; nam aſcendere tinctis veſtibus Sanguine, ad ſolum Chriſtum ſpectat, quia non alterius, ſed ipſius Chriſti livore ſanati ſumus, & in ipſius ſanguine martyres laverunt ſtolas ſuàs. Hinc eſt quôd Angeli de cicatricibus rogant, & dicunt: *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari.* Ille autem, quem rogant Angeli, eſt Chriſtus, in quem ex Scriptura proſpicere deſiderant, & qui torcular calcavit ſolus: igitur per veſtes de Boſra tinctas, & per veſtimenta rubra, intelligendum eſt glorioſum corpus à verbo Dei aſſumptum, plagarumque ſignis, atque veſtigiis notatum, hocque cum cicatricibus, ſeu vulneribus ſuis apparuiſſe Angelis aſtantibus ante thronum Dei, ut exponit D. Cyrillus *D. Cyrillus* dicens: *apparuit ſupremis poteſtatibus non ſolum ſpecie noſtra, idque ut homo, ſed etiam paſſionis ſigna monſtrans.* Et lib. 12. in Joan. cap. 52. inquit: *cum in ipſum Cœlum aſcenderet, cumque virtutibus, poteſtatibuſque ſuperioribus myſterij ſui totam ſeriem declararet, eodem habitu illis apparuit, ut non hominem ſolummodo factum, verum mortuum pro vita noſtra crederent.* idcircó fuit neceſſarium, Chriſtum in Cœlum aſcendere cicatricibus, & vulneribus notatum, eodemque in apparatu deſcendere pro hominibus judicandis.

(Quare Angeli Chriſtum hominem Plagis notatum aſpicientes admirati ſunt dicentes (teſte Zacharia cap. 13. Spiritu Prophetico ipſam admirationem Angelorum prædicente) *quid ſunt Plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* Quæ verba exponens Cyrillus Ale-

ſandrinus lib. 12. in Joan. cap. 58. inquit: *Figuras clavorum monſtrante Chriſto: Angeli rogant quid ſunt Plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* Hæc quidem explicatio D. Cyrilli evidenter demonſtrat, Chriſtum in Cœlo ſuas habere cicatrices, & cum iiſdem venturum eſſe judicare vivos, & mortuos; quia ſic veniet quemadmodum vidimus eum euntem in Cœlum. Idque colligi poteſt ex illo Apocalyp.

Apocalyp.

cap. 1. verſ. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Ibi enim D. Joannes loquitur de Chriſto venturo, ut judice.

Hujus conſervationis vulnerum rationem aſſignat

D. Leo.

Leo magnus Serm. 1. de Aſcenſ. ubi eleganter inquit: *Ad Sananda infidelium cordium vulnera, clavorum, & Lanceæ erant ſervata veſtigia, ut non dubia fide, ſed conſtantiſſima ſcientia teneretur eam naturam indicit Patris conceſſuram Throno, quæ jacuerat in Sepulchro.* Hanc ipſam rationem evidenter demonſtrat venerabilis Beda

Beda.

ſuper Lucam, ubi ait: *Chriſtus non ex impotentia curandi, cicatrices ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum.* Illud verò triumphum, maximè in die Judicii eſt exaltandum, tunc enim Chriſtus apparebit in ſede Majeſtatis ſuæ: igitur tunc apparebunt hujuſmodi cicatrices, quibus domuit orbem, & de tenebris eduxit nos in admirabile lumen ſuum.

Denique inſerimus, Chriſtum venturum eſſe cicatricibus notatum, ex illo Math. 24. verſ. 30. *Tunc parebit ſignum Filii hominis in Cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & Majeſtate.* Nam per ſignum illud, intelligitur Crux, ut refert communis opinio interpretum. Et ſecundum D. Chryſoſtomum ſignificatur ipſe Chriſtus in Corpore ſuo habens omnia Paſſionis ſuæ teſtimonia, id eſt vulnera Lanceæ, & clavorum, ut in ipſa die Judicii, Paſſionis ſuæ teſtimonium præbeat contrá Judæos, & omnes, qui negando Filium Dei crucifixum in Corpore, Judaizant & credunt, nullum fore judicium univerſale. Hinc eſt quòd D. Hieronymus ſic

D. Hieronymus.

exhortatus eſt Heliodorum. *Tunc tu ruſticanus, & pauper exultabis & dices: ecce crucifixus Deus meus, ecce Judex qui obvolutus pannis, in præſepio vagit, cerne manus, Judex, quas figeras, cerne latus, Romane, quod foderas, videte Corpus an idem ſit.* Quod ex cicatricibus itá apparebit, ut omnes credent, ipſum Judicem, eſſe Chriſtum Filium Dei, qui pro nobis paſſus eſt, & à morte nos liberavit. Ex intuitu quidem vulnerum, aut vulnerati, inferimus, hunc pro nobis vulneratum, eſſe Redemptorem, ſicut ex cicatricibus Martyrum, cognoſcemus Martyres. Undè cùm neceſsè erit tunc Chriſtum apparere, & cognoſci ut Redemptorem, neceſsè etiam eſt, ipſum cum cicatricibus ſuis venturum eſſe.

Illa clavorum ſigna erunt bonis ſalutaria, & malis terribilia. Apparebunt in die Judicii in conſolationem bonorum, & malorum terrorem. Chriſtus conſtitutus fuit à Patre Judex vivorum, & mortuorum, teſte Joanne cap. 5. verſ. 22. dicente: *Neque Pater judicat quemquam, ſed omne Judicium dedit Filio.*

Judicis officium exigit in Chriſto vulnera.

Porrò hoc officium obtinuit. Quia nos redemit Sanguine ſuo, emitque prætio magno, ut docent communiter Sancti Patres, ideoque conveniens eſt, quòd in die Judicii appareat cum cicatricibus ſuis, ſeu ſignis Redemptionis noſtræ, ut ſupplicans Deo Patri pro nobis, noſque judicans, oſtendat quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit. Solis certò cicatricibus cognoſci poterit illius mortis genus, ut etiam perfidis denunciet in Judicio, quàm juſtè damnantur eo quod noluerint aliqua mala pati, ſeu Crucem ſuam portare pro Chriſto, qui tot, tantaque tormenta ſuſtinuit, & ab eis ſuſcepit, ut inquit Venerabilis Beda in cap. 24. Lucæ: veniet itaque Chriſtus ut Judex, ait, Cæſarius Arelatenſis Homil. 23. in illo Corpore, quod pro ſalute noſtra ſuſceptum, pro noſtra abſolutione natum, & pro noſtrorum vulnerum medicina, Lanceâ, claviſque confixum eſt, ut ſua morte Redemptis, quàm miſericorditer ſint adjuti, oſtendat, propoſitis ejuſdem mortis indiciis.

Cæſarius Arelatenſis

§. III.

Diruit fundamenta Calviniana.

FUndamentum Calviniſtarum, aliorumque hæreticorum, eſt, impaſſibilitas corporis glorioſi; quæ (inquiunt) liberat carnem, nedùm ab Anguſtiis, doloribus, & plagis; ſed etiam delet in ipſa carne omnia paſſibilitatis, aut potentiæ patiendi ſigna. Corpus glorioſum itá ſubtile, ac clarum, & perfectum eſt, ut in ipſo nulla appareat deformitas. Idque probant ex illo ad Corinth. cap. 15. *Mortui reſurgent incorrupti*, id eſt abſque ullo corruptionis, aut Paſſionis ſigno, & perconſequens Chriſtus, cujus caro fuit glorioſa poſt reſurrectionem, & impaſſibilis, nedum eſt immortalis, ſed etiam caret mortalitatis, & paſſibilitatis ſignis, ſcilicet vulneribus, ac cicatricibus, quæ oſtendunt quòd ipſe Chriſtus paſſus eſt. Et in hac perfectione corporali ſedet ad dexteram Patris, & indè venturus eſt judicare vivos, & mortuos, impaſſibilis & abſque ullo vulnere.

Reſpondetur quòd hæc ratio non valet, quia impaſſibilitatis dos, non delet paſſibilitatis, aut mortis præteritæ ſigna, quæ ſunt in carne glorioſa, quæ cùm ſit ſubſtantialiter eadem, quæ erat ante glorificationem, poteſt habere eaſdem cicatrices, quia Corporis ſubſtantiam minimè variant, ſufficit quòd ipſâ impaſſibilitatis dote, Corpus glorioſum liberetur impoſterum à doloribus, vulneribus, & morte, quâ deſtruitur & corrumpitur, & ideo Chriſtus ſedens in Cœlo ad dexteram Patris, habet eadem vulnera, & apparebit in Judicio cum iiſdem cicatricibus.

Cicatrices non variant ſubſtantiam Corporis.

Deindè dato, & non conceſſo, quòd argumentum Calviniſtarum eſſet prorsùs validum, exiſtimo tamen quòd non valeret reſpectu Corporis Chriſti, quamvis valeret reſpectu aliorum Corporum glorioſorum, quoniam audeo dicere, quòd Deus ſuſpenderet in Chriſto hujuſmodi impaſſibilitatis effectus, ob rationes ſuprá dictas, quibus convenit, cicatrices, & vulnera Chriſti eſſe in Corpore ipſius, dum venerit judicare vivos & mortuos.

Ad confirmationem dico quòd cicatrices illæ, quæ in Corpore Chriſti permanſerunt, non pertinent ad corruptionem, vel defectum, nequè ad deformitatem, ſed ad pulchritudinem, & ad majorem gloriam: ſunt enim de genere dignitatis, & quædam virtutis inſignia, aut ſigna noſtræ Redemptionis, in quibus nos gloriari oportet.

Nec valet dicere, cicatrices, & vulnera computari inter ſpectantia ad imperfectionem Corporis, cùm apertura, vulnera &c. contrarientur integritati Corporis, quia per vulnera diſcontinuatur ipſum Corpus. Et reponi inter accidentales Corporis deformitates, quæ non erunt in Corpore glorioſo. Non valet inquam quoad Corpus Chriſti, quia hujuſmodi vulnera erunt in ſignum Trophæi, & ad confirmandam fidem Reſurrectionis ejuſdem, qui in Cruce pependerat. Imò nec valet quoad alia Corpora Sanctorum. Nam teſte D. Auguſtino lib. 22. de Civit. Dei cap. 20. remanebunt quædam in Marty-

ribus inſignia vulnerum ad Triumphi gloriam exhibendam.

Idem Calvinus negat, Chriſtum Sepulchro clauſo, obſtructoque lapide. Et Sigillis Judæorum (quibus Juſſu Pilati munitum fuerat) inviolatis, è mortuis reſurrexiſſe,. credit enim lapidem monumenti fuiſſe Angelorum miniſterio revolutum ; ut Chriſtus poſſet de tumulo exire, licet ex Sacra Scriptura evidenter conſtet, Angelum revoluiſſe lapidem, ut Maria Magdalena, & altera Maria viderent, Chriſtum reſurrexiſſe. Idem crediderunt Hugo Sureus, vulgò dictus. Hugo à Roſariis, & Joannes de Spina, ambo hæreſis Calvinianæ Miniſtri. Porrò in hac hæreſi non eſt immorandum, quia ex 28. Math. & ex 16. Marci evidenter conſtat de oppoſito.

Alter error Calvini quem tuentur Joannes de Spina & Hugo à Roſariis.

Error Berengarii, Wicleffi, & aliorum.

Berengarius Archidiaconus Andegavenſis, Joannes Wicleffus, Boquinus, Beza, & alii alteram hæreſim tuentur ; negant enim, Chriſtum foribus, aliiſque domibus in quibus ſe ſe Diſcipuli propter metum Judæorum receperant, januis clauſis intraſſe. At quòd deteriùs eſt, dicunt quòd Chriſtus hoc facere non potuit. In hac hæreſi non eſt immorandum quia D. Joannes cap. 20. ait : *Cum ſero eſſet die illo una Sabbatorum, & fores eſſent clauſa, ubi erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit, pax vobis.* Idem docet D. Auguſtinus Serm. 138. ubi habet : *Judæi perfidi monumenti lapidem ſignaverunt, ut non haberet Chriſtus egreſſum, ſed ſicut eum mundus non capit, nec ſepultura cuſtodit. Nam quomodo de Sepulchro exire non poſſet, qui ex incorruptis Matris viſceribus (ſalva Virginitate) proceſſit ? Feſellit cuſtodes, exivit de Sepulchro, apparuit Diſcipulis Januis non apertis, inde clauſus exiit, huc excluſus intravit* igitur ex teſtimonio Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, dicendum eſt contrá Calviniſtas, Chriſtum exiiſſe de Sepulchto, ipſius Sepulchri lapide non revoluto. inviolatiſque Sigillis quibus Judæi munierant Sepulchrum.

Diſſolvitur ratio Berengarii.

Berengarius, & alii dicunt circá ſecundum membrum hæreſis, quòd Chriſtus non potuit intrare in domum Januis clauſis, eo quod duo corpora nequeant ſimul eſſe in eodem loco. Sed non valet hæc ratio, quia ille, qui propria virtute ſurrexit à mortuis, potuit tale miraculum facere. Undè D. Auguſtinus Serm. 199. ait : *Miraculum eſt quod Dominus noſter in carne vera intravit ad Diſcipulos per oſtia clauſa. Requiris à me forſitan rationem : ô homo, ſi rationem à me poſcis, non erit mirabile. Exemplum quæritur, non erit ſingulare* Serm. 160. ait : *audivit charitas veſtra, Dominum noſtrum clauſis oſtiis introiſſe ad Diſcipulos ſuos, magnum miraculum : ſed mirari deſinis, Si Deum cogitaveris. Refer ad omnipotentiam, non ad Phantaſiam.* His verbis plenè convincuntur hæretici, qui credunt, Chriſtum Dominum non potuiſſe tam miraculoſum peragerè opus.

ARTICULUS LI.

Condemnat Elcheſaitas volentes, Licitum eſſe negare Chriſtum.

Baſilides.

BAſilidiani (à Baſilide Alexandrino intemperantiæ Magiſtro, ſic dicti, de quibus locuti ſumus ſuprà in articulo in quo probatum manet, Chriſtum fuiſſe verè crucifixum, & mortuum) aliam ſuſcitarunt hæreſim tempore Ælii Imperatoris, & Alexandri Papæ primi circá annum Domini. cxxiv. Nam ut homines à Martyrio averterent, aſſerebant, Chriſtum negare tempore perſecutionis, non eſſe crimen contrà honorem Chriſto debitum, nequè peccatum contrá fidem Catholicam, ideoque non parvam fore Dementiam, hac de cauſa mortem ſubire ; cùm citrá crimen poſſit quilibet fidelis in tali caſu Chriſtum negare. Poſt hunc impiiſſimum, ac ſceleratiſſimum virum Baſilidem, Baſilidianorum authorem, inſurrexerunt alii hæretici dicti Elcheſæi, ſive Elcheſaitæ anno Domini CCXXXIX. tempore Julii Maximi Imperatoris, & Sancti Fabiani Papæ, qui non minus impiè, quàm ſtolidè dicebant (teſte Euſebio lib. 6. cap. 28. Hiſt. Eccleſ.) Negare Chriſtum tempore perſecutionis, peccatum non eſſe, quia (inquiebant) qui in corde ſuo fixus eſt, etiamſi ore neget in neceſſitate, ſcilicet pro vita conſervanda, tunc temporis in fide permanet : nam dum pro neceſſitate lingua negat Chriſtum, ſi cor in fide permaneat, lingua non peccat, cùm Deus magis aſpiciat cor, quàm linguam. Iſtorum hæreticorum Author, eſt quidam hæreticus nomine Elcheſaï de quo referunt plures impietates, innumeraque Sacrilegia D. Epiphanius, Nicephorus & Philaſtrius, qui dicunt de ipſo aliquid, quô nihil impius, nimirum Diſcipulis ſuis præbuiſſe duas Mulieres tanquam Deas ab eis adorandas.

Elcheſaitæ.

Hæc hæreſis diu ſopita, atque ſepulta remanſit, ſed poſteà ab inferis ſuſcitata fuit anno MDXXV. ſub Carolo V. Imperatore, & Clemente VII. Papa, à quodam viro hæretico, qui dicitur Georgius David, aut David Georgius (ut volunt aliqui) in Batavia natus, à quo nomen ſortiuntur Davidici, aut David Georgiani, qui impiè dicebant, ſtultum eſſe eum, qui putat eſſe peccatum abjurare Chriſtum coram hominibus, & ideo ſtolidos vocabant Apoſtolos, qui ibant ad conſpectum Concilii, & volebant pro nomine Jeſu contumeliam pati, eumdem contemptûs animum habebant ergà Martyres eo quod ob eam quærelam ſe occidi permiſiſſent.

Gregorius David.

§. I.

Probatur veritas Articuli.

Symbolum Apoſtolorum

Symbolum Athanaſianum.

HOc Baſilidianorum, Elcheſaitarum, & David Georgianorum aſſertum, eſſe verè hæreticum, & apertè contra fidem, declarant Symbolum Apoſtolorum, Symbolum D. Athanaſii, & Concilia, in quibus deffinitum fuit, Chriſtum eſſe Dei Filium proprium & verum Deum. Idem ſanciunt illa in quibus declaratur quòd Chriſtus eſt adorandus ut Deus, & ſuper omnia diligendus : nam ſi Chriſtus ſit Filius Dei, & teneamur eum adorare, & ſuper omnia diligere certum eſt quòd nemo poteſt eum citrà crimen negare, etiamſi in corde fidem retineat, quidquid dixerint Elcheſæi, quia, inquit D. Damaſcenus 4. de fide cap. 13. *Nos conſtamus naturâ viſibili, & Spirituali, Deum Summum Opificem duplici genere adorationis afficimus, ſicut etiam mente & Corporis labiis Pſallimus*, ideoque eadem Concilia damnant Baſilidianos, Elcheſæos, & alios hæreticos exiſtimantes licitum eſſe Chriſtiano negare Chriſtum Dominum ad vitandam mortem.

Joan. 17.

Conciliis & Symbolis addo authoritatem Sacræ Scripturæ, & primò illud Joan. cap. 17. verſ. 3. ubi legimus : *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Hoc quidem textu liquidò conſtat, nedùm pro ſalute, aut vita æterna conſequenda, cognitionem Dei, & Chriſti eſſe omninò neceſſariam : ſed etiam illum, qui coram hominibus negat Chriſtum, etiam in perſecutione, mortaliter peccare, cùm Chriſtum non cognoſcat, aut non cognoſcere velit. Imò nec amare. Certum enim eſt quòd ex nolle cognoſcere, naſcitur nolle amare, cùm amor cognitionem præmit-

tat, & neceſſariò præſupponat, alioquin voluntas poſſet ferri circá incognitum, quòd eſt falſum. Imò impius, & blaſphemus eſt ille, qui negat Chriſtum, etiam in perſecutione, ſicut blaſphemus eſt ille, qui negat Deum; cùm Chriſtus ſit Deus, à quo pendet ſalus noſtra, & accedentem ad Deum oporteat credere fide viva,& practica. Quapropter Apoſtoli poſt recluſionem in cuſtodia examinati de claudi curatione, oſtendebant in ſolo Chriſto lapide angulari, eſſe ſalutem: dicebant enim Act. 4.verſ.12. *Et non eſt in alio aliquo ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Indè infertur, Chriſtum omni tempore eſſe confitendum, non itá ut teneamur continuò, & ſine intermiſſione in effectu confiteri Chriſtum, ſed in affectu continuò, hoc eſt, ut teneamur eum ſemper cognoſcere,& dum erit occaſio, confiteri eum ore; corde enim, inquit Apoſtolus ad Rom. creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem. Quòd idem eſt ac dicere, quòd Confeſſio eorum, quæ credenda ſunt, eſt neceſſaria ad ſalutem. Non ſufficit credere ſola mente, neceſsè eſt credere corde. Non ſufficit cognoſcere Deum cognitione ſterili, neceſsè eſt enim cognoſcere cum cognitione amorem pariente.

Act. 4.

Ex dictis concludendum eſt contrá prædictos hæreticos, Martyrium pro Chriſto crucifixo paſſum, eſſe omni laude, & gloriâ dignum, Sacrificium Deo gratum. Inſuper ut contrá eoſdem hæreticos magis appareat neceſſitas confitendi Chriſtum, dicendum eſt cum D. Athanaſio in Symbolo: *Eſt ergo fides recta ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei Filius, Deus & homo eſt.* Hoc Symbolum non exigit ſolùm fidem in corde, itá ut ſufficiat nobis credere Chriſtum eſſe, ſed requirit inſuper Confeſſionem oris, ait enim, *ut credamus & confiteamur*: & ideò, qui corde credit Chriſtum, & ore eum negat, graviter peccat.

Neceſsè eſt confiteri Chriſtum eſſe Deum.

Neceſſitatem hanc confitendi Chriſtum nobis imponit ipſemet Chriſtus,ut vitam æternam conſequamur, & ſimul cum ipſo perfruamur gloriâ. Math. cap. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt.* Chriſtus autem eos dumtaxat, qui in peccato erunt, negabit dicendo, *diſcedite a me maledicti*, ſeu peccatores, & iniqui: ideo qui negabit eum, peccabit. Idem reperitur apud Sanctum Lucam cap. 12. *Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Hinc eſt quòd negare Chriſtum ducit ad mortem, quam peccatum mortale generat, ſicut confiteri illum, ducit ad vitam. Idem ſignificatur Rom. 10. ubi legimus, Apoſtolum dixiſſe: *Si confiteaaris in ore tuo Dominum Jeſum Chriſtum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris: corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem*: Ergo nemo poteſt citrá crimen,& peccatum,(etiam in perſecutione Tyrannica) negare Chriſtum, hæc quidem ore negatio fit ad damnationem æternam, ſicut ore Confeſſio fit ad ſalutem, & ad vitam æternam.

Idem ſuadet ratio, quia ſicut confiteri Chriſtum cadit in gloriam Dei, & honorem ejus Divinæ Majeſtatis, ut fatentur hæretici: itá negare Chriſtum cedit in contrarium utpotè in contumeliam, & contemptum, aut ſaltem cadit in privativum, id eſt, ſi aliquis homo Chriſtum non confiteatur, non reddit illi gloriam debitam, eſtque indignus nomine Chriſtiani, ſicuti indignus cenſeretur ille, qui aſcriptus in Familiam Principis, & ab eo Famuli ſtipendium accipiens, noller tamen ſe ex ipſius Principis Famulis profiteri. Eſſet etiam Injuſtus, quoniam nollet reddere alteri id, quod ei debet.

Ratio convincens hæreticos.

Nec poteſt excuſare perſecutio, quoniam ubique ligamur obligatione confitendi Chriſtum. Et tenemur probare factis, ac dictis nos eſſe Chriſtianos, ut docent Theologi tam Scholaſtici, quàm morales in tractatu de fide; alioquin liceret perſecutorem præferre Chriſto,& magis ipſum perſecutorem timere, quàm Chriſtum; qui poteſt occidere Corpus & Animam. Quòd abſit quoniam ipſemet Chriſtus ait nobis Math. cap. 10. verſ. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt Corpus, Animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt Corpus, & Animam perdere in Gehennam.*

Tenemur diligere Chriſtum ſuper omnia, quia Chriſtus omnes creaturas dignitate præcellit, eſtque earumdem finis, & Dominus, ut ſuadere intendit Apoſtolus dum ait ad Corinthios: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei.* Statque de hac dilectione præceptum in lege: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Sed qui negaret Chriſtum (etiam in perſecutione) certò non diligeret illum, ſuper omnia, cùm plus diligeret vitam,quám Chriſtum. Imò potius eum odio haberet ſaltem negativè: igitur peccaret graviter: nam ſi ille, qui amat Patrem, & Matrem pluſquam Deum, non eſt Deo dignus, ut declarat D. Math. cap. 10. verſ. 37. à fortiori indignus eſt ille, qui negat Chriſtum, cùm negare eum, nedum ſit poſtponere illum, & non amare,ſed etiam aliquo modo eum odio habere.Quòd graviſſimum peccatum eſt. Hæc ipſa neceſſitas confitendi Chriſtum ſuadetur etiam ex eodem Evangeliſta verſu ſequenti, ubi Chriſtus ait: *Et qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*: Quid enim eſt accipere Crucem Chriſti, & eum ſequi, niſi confiteri eum nedùm corde, ſed etiam ore? Nullus ſanè eſt de hoc ambigendi locus, cùm ex Apoſtolo, oris confeſſio fiat ad ſalutem. Igitur dum erit occaſio Palam confitendi nomen Domini, dicamus cum eodem Apoſtolo ad Rom. 1. verſ. 16. *Non Erubeſco Evangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.*

Altera ratio deſumpta ex Evangelio.

Baſilides, qui aſſeruit licitum eſſe negare Chriſtum, quia non credebat,ipſum fuiſſe crucifixum,ſed Simonem illum Cyrenæum, qui Angariatus portavit Crucem, ridebat & aſpernabatur eos, qui mori maluerunt, quàm negare Chriſtum fuiſſe pro nobis crucifixum. Hacque impia opinione fretus, laudabat eos, qui articulum noſtrum impugnabant cum eo. Hujus hæretici ratio erat, quia confiteri Chriſtum fuiſſe crucifixum, eſt mentiri: credebat enim Chriſtum reverá non fuiſſe crucifixum, nec mortuum, ut diximus in proprio articulo. At hæc objectio ſuluta manet ſupra in articulo, in quo reſolutur authoritate Sacræ Scripturæ, Judæos non crucifixiſſe Symonem Cyreneum, ſed Chriſtum: igitur falſum eſt, quòd qui moritur pro Chriſto crucifixo, moriatur pro mendacio,ut voluere Baſilidiani. Quia verè Martyrium ſuſtinet pro veritate, & pro eo, qui in Cruce pro omnibus, & ſingulis hominibus mori voluit, & de facto mortuus eſt, ut jam probavimus, ſuprá in articulo contrá Baſſianos.

Rejicitur ratio Baſilidis.

Deindè mori pro Chriſti nomine præcisè, ſeu præciſa morte Crucis; dùm urget Tyrannica perſecutio, eſt mori propter juſtitiam, juſtum enim eſt credere, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, atqui mori propter juſtitiam, eſt mereri vitam æternam, juxtá illud Math. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum*: Ergo mori pro Chriſto,(ſuppoſito & non conceſſo, quòd non fuerit crucifixus, ut nefariè voluit Baſilides) non debet reputari ſtultitia,

Digitized by Google

nec opus malum, ſed potiùs opus bonum & meritorium, quia eſt mori pro fide Evangelica.

Adducitur Elcheſai argumentum. Elcheſæi verò aliter ſentiunt, & alio modo inſurgunt, quippè exiſtimant quòd negare Chriſtum tempore perſecutionis, non eſt peccatum, ſi hæc negario de corde non exeat, quoniam (inquiunt) ille, qui fixus eſt in corde ſuo, etiam ſi ore negaverit Chriſtum pro vita ſua conſervanda, corde tamen in fide permaneat: non negavit propriè, nec formaliter Chriſtum. Quapropter, (inquiunt) qui Chriſtum ſic ore negat, non peccat, quia Deus magis aſpicit cor, quàm linguam, imò rejicit, atque deſpicit laudes, quæ non à corde, ſed ab ore tantùm procedunt, ut liquidò conſtat ex illo Math. cap. 15. verſ. 8. *Populus hic labiis me honerat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Reſpondeo argumentum eſſe falſum, ut ſuadet illud Sap. 1. cap. verſ. 11. *Os autem quod mentitur occidit animam*; atqui ille, qui ſolùm ore negat Chriſtum, licet corde confiteatur illum, mentitur; cùm neget eſſe id, quod verè eſt, & quod nedùm tenetur credere, ex toto corde, ſed etiam ore confiteri, ut jam ſuprà dictum eſt cum D. Athanaſio in Symbolo: ergo occidit animam, & ideo tenemur ſuſtinere mortem corporis confitendo Chriſtum in tempore perſecutiunis coram Tyranno, quoniam ut confeſſio fiat ad ſalutem, debet neceſſariò fieri ore, & verbo, ut docet Chriſtus dicens: *Qui me co feſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo.*

Nec ſatis eſt credere Chriſtum eſſe verum Deum ut quis ſit firmus in fide Evangelica, ſed requiritur, inſuper confeſſio ejuſdem coram hominibus. Nam Chriſtus vult quòd fideles ſint teſtes, id eſt, quòd confiteantur veritatem fidei, dum impugnabitur,
Act. 1. ut conſtat ex illo Act. cap. 1. verſ. 8. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judea, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Qui autem negaret Chriſtum ore, etiamſi eum confiteretur corde, eſſet teſtis mendax & falſus, quia negaret veritatem, & contrá Chriſtianam, ac Catholicam mentem iret, per conſequens peccaret mortaliter, æternamque incur-
Sap. 1. reret damnationem, ex illo Sap. 21. verſ. 28. *Teſtis mendax peribit, vir obediens loquetur victoriam*, idcircò impius, atque blaſphemus eſt ille, qui negat Chriſtum, & hunc crucifixum pro nobis, ac mortuum. Et verè Martyr eſt ille, qui pro Chriſto crucifixo, ejuſque divinitate tuenda, moritur. Quia in rebus fidei, loqui victoriam, & mori prædicando Chriſtum crucifixum, eſt palmam reportare Martyrii & temporalibus æterna præponere.

ARTICULUS LII.

Refellit errorem de Terreno, & millenario Chriſti regno.

Cerinthus. CErinthus (qui ſub Apoſtolis quæſtionem illam movit de Circuncisione, ac cæteris Legis Moſaycæ adhibendis cæremoniis) docuit tempore Neronis Imperatoris, & D. Petri immediatè Chriſti Succeſſoris, circá annum Domini LXIX. (teſte Dionyſio Alexandrino lib. 2. de promiſſionibus,) poſt Reſurrectionem carnis humanæ, Regnum Chriſti terreſtre futurum; & Jeroſolymis homines carnis cupiditatibus, atque voluptatum illecebris ſervituros, & numerum mille annorum in nuptiarum
S. Papias non eſt hujus hæreſis Patronus. feſtis conſummandum, antequam electi poſſideant hæreditatem Patris æterni. Plures volunt S. Papiam eſſe hujus erroris Patronum, & Authorem, ſed à veritate plurimùm aberrant, quia ille Epiſcopus Hyeropolitanus, vir juſtus, & timens Deum, teſte D. Hieronymo, reverá docuit, Sanctos poſt Judicium regnaturos eſſe mille annis in terra cum Chriſto, ſed non credidit, ipſos regnaturos eſſe in voluptatibus carnis, ſicut credidit Cerinthus, ut notant omnes Scriptores.

Cerintho poſteá, ſcilicet anno CXXX. ſub Adriano Imperatore, & Sixto Papa primo, adhæſerunt in Aſia quidam viri, qui non ab Authore, ſed ab hæreſi, dicti fuere Chiliaſtæ, id eſt Millenarii *Chiliaſtæ.*
(quia *Chile* eſt vox Græca, quæ latinè ſignificat, *Mille*) qui dixerunt, quòd cùm Chriſtus venerit de Cœlo judicaturus vivos, & mortuos, poſt Judicium illud, mille anni erunt iterùm nobis carnaliter ad vivendum, generandum, & manducandum, ſicut fit nunc in hoc ſæculo quotidie, ut cum pluribus aliis teſtatur Philaſtrius Brixienſis lib. de Hæreſ.

Eumdem errorem ſeminavit, & publicavit in Ægipto, circá annum CCLXX tempore Claudii II. Imperatoris, & Fœlicis primi Summi Pontificis, quidam cujuſdam Urbis Ægipti Epiſcopus, nomine Nepos, qui teſte Euſebio lib. 7. cap. 24. Ju- *Nepos.*
daico intellectu de futuris promiſſionibus ſentiebat, eaſque Epicureo more corporaliter habendas docebat, & mille annis in libidine, & voluptate corporali in hac vita, Sanctos poſt ultimum Judicium regnaturos cum Chriſto credebat, ut refert idem Dionyſius Alexandrinus.

§. I.

Authoritate, & ratione rejicitur Millenariorum error.

ILlam Cerinthianam hæreſim damnat ſecunda Synodus generalis, quæ eſt Conſtantinopolitana prima, celebrata anno CCCLXXXI. ſub Da- *Conſtantinopolitanum Concilium 1.*
maſo Papa pro declaranda, & tuenda Spiritus Sancti Divinitate contrá Macedonium Epiſcopum Conſtantip. in qua hæc verba: *Sedet ad dexteram Patris, & venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis*, addita fuerunt Symbolo Nicæno, in quo legitur tantùm, *& paſſus eſt.* Hæc quidem additio definit, Regnum Chriſti non eſſe Millenarium, nec terrenum, ſed cœleſte, & æternum. Et Gelaſius Papa in Epiſtola contrá Pelagianam hæ- *Gelaſius Papa.*
reſim ait: *Poſt Reſurrectionem non erit generatio, neque appetitus ſenſitivus.* Reverá ille Summus Pontifex ibi non declarat, Regnum Chriſti eſſe æternum, ſed ſancit quòd poſt ultimum Judicium, nulla erit voluptas, nullaque ſenſualitas, ut voluit Cerinthus, qui credebat oppoſitum. Hæc hæreſis etiam proſcribitur, & damnatur in Concilio Florentino Seſſ. *Concilium Florentinum.*
ult. in Litteris unionis, ubi habetur quòd animæ à corpore ſeparatæ, & ab omni macula purgatæ, ſtatim fruuntur Deo, ex quo ſequitur quòd juſti quorum animæ nunc in manu Dei ſunt, poſt Judicium univerſale, non remanebunt in terra; alioquin beatitudo non eſſet perpetua. Quòd eſt falſum, ut dicemus in proprio loco contrá Origenem, & alios, qui ſecuti ſunt eum.

Hæc hæreſis confunditur ex illo Math. 22. ubi le- *Math. 22.*
gitur, Chriſtum dixiſſe Saducæis: *In Reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*, ex hac quippè reſponſione, clarè ſuadetur, poſt Reſurrectionem, non eſſe futurum ullum maſculi & fœminæ coitum, nullumque fore cibi, & potus uſum, ut inſinuat Apoſtolus ad Rom. 4. dicens: *Regnum Dei non eſt eſca, nec potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, hoc eſt, beati illi, qui in Domino mortui ſunt, nulla egent eſcâ, nulloque potu, quibus in hoc ſæculo nos vivimus, & nutrimur; utrum-

tur enim cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus in terra conſtitutis videri non poteſt, ut affirmat Angelus Raphaël, Tobiæ cap. 12. verſ. 19. Cibus autem ille inviſibilis, nequit eſſe in voluptatibus corporis, neque in divitiis temporalibus, quæ ſenſibus percipiuntur: nam Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 6. verſ. 9. & 10. recenſens eos, quibus Regnum Chriſti eſt interdictum, enumerat carnis delitiis, & voluptatibus deditos, dicens: *Neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt:* Igitur in Regno electis conferendo, nulla erit poſt Reſurrectionem carnalis voluptas, nullusvè carnis, aut Sanguinis ſenſus, ibi nova erunt omnia, & ſimiles Deo erunt illi, qui videbunt eum, ipſaque viſione ſatiabuntur, ut teſtatur Sacra Scriptura.

Corinth. 1. cap. 15. Undè Apoſtolus loco citato cap. 15. ut oſtendat, electos poſt Judicium univerſale, fore viros cœleſtes; voluptuoſos autem eſſe privandos Regnô Chriſti: inquit: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Hoc autem dico Fratres; quia caro, & Sanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit*, id eſt, illi, qui vivunt ſecundum carnem & Sanguinem, non habebunt Regnum Chriſti, quod carni adverſatur, ſubindeque in hoc Regno, nulla poterit eſſe carnis voluptas, nullaque libido poſt Reſurrectionem: certum enim eſt, quòd ea, quæ nobis à Deo prohibentur tanquam impedimenta ad conſequendam glorioſam Reſurrectionem, aut æternam fœlicitatem, tam quoad Corpus, quàm quoad animam, non erunt in Corpore glorioſo, cujus præcipua conditio eſt, hæc omnia excludere vitia.

Quantum ad aliud membrum, quod negat Regnum Chriſti eſſe æternum, ut falſum & hæreticum appareat, adduco illud Luc 1. verſ. 31 & ſequentibus, quod Angelus dixit Mariæ de Chriſto, quem *Luc. 1.* paritura erat: *Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Falſum eſt igitur credere, quòd mille annis erit conſcriptum. Nec poteſt citrà hæreſim exiſtimari terrenum & temporale: nam Chriſtus ſedet ad dexteram Patris, & regnat in domo Jacob in æternum; idcircò cùm poſt Judicium univerſale non habuerit aliud Regnum, niſi illud quod nunc habet, ſequitur quòd non erit temporale, ſed æternum, ſeu idem, quod nunc habet, & in quo nunc cum Chriſto vivunt Beati.

Math. 24. Eamdem veritatem affirmat ipſe Chriſtus Math. 24. & 25. ubi poſt enarratam Antichriſti perſecutionem, & deſcriptum ultimum Judicium, conſtat quòd dicet electis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Hæc quidem verba liquidò demonſtrant, beatitudinem, aut viſionem Dei, eſſe conferendam ſtatim poſt Judicium quoniam Chriſtus non dicet, *venietis* aut *poſſidebitis*, ſed, *venite*; ut denotet; quòd electi erunt cum illo, non in terra; ut volunt hæretici, ſed in Cœlo, quia vocabit ad ſe Juſtos, ut actu poſſideant hæreditatem æternam, ut per hoc verbum, *poſſidete* clarè ſignificat. At dum loquitur electis in vita degentibus, ait *poſſidebitis*. Tunc autem, ſeu in Judicio, aut in Reſurrectione dicet: *poſſidete*. Et ſtatim de iiſdem ſubdet: *ibunt in vitam æternam*, ut indè videamus, quòd non poſt mille annos à die Judicii, ſed ſtatim poſt Judicium, dabitur præmium; hocque æternum, ſeu in inamiſſibili viſione Dei; & amore ejuſdem omninò conſiſtens, ut colligitur ex illo Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te Deum verum.* Pſalm. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* In die Judicii Chriſtus oſtendet ſe electis, eoſque ad ſe vocabit: erunt igitur beati, ac proindè nullo modo terreni, ſed ſimiles Deo quoniam videbunt eum in Cœlo ſicuti eſt.

His addo aliud teſtimonium Joan. 14. ubi legitur Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis: *Vado parare* *Joan. 14.* *vobis locum, & ſi abiero & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis.* Locus autem ille, eſt Regnum, aut domus Dei, in qua manſiones multæ ſunt. Hæcque prompta præparatio denotat, hanc ipſam domum, eſſe citò concedendam Apoſtolis, hæc verò: *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum*, oſtendunt mille annos non eſſe expectandos, ut ubi eſt Chriſtus, ibi ſint Apoſtoli. Nam veniet pro die Judicii, ſed non veniet poſt elapſos mille annos à die Judicii, cùm hoc nullibi conſtet. Nec poſt illum diem manebit cum electis per mille annos in terra, quoniam Judicium illud erit in fine mundi; ergo nec electi permanebunt in terra per mille annos cum Chriſto poſt Reſurrectionem, carnis cupiditatibus, & voluptatum illecebris ſerviturì, ſed Chriſtus ſecum ducet eos, ſtatim poſt Judicium, quique cùm ſedeat ad dexteram Patris, ut deffinitum eſt contrà Appellianos, Apoſtoli nunc ſunt in Cœlo, & ibi regnant cum Chriſto, ita pariter poſt Reſurrectionem regnabunt electi cum ipſo in gloria; alias hæc gloria non eſſet illis data ut æterna.

§. II.

Solvuntur rationes hæreticorum.

CErinthiani carnis voluptates in Millenario Chriſti Regno fruendas aſſerentes, arguunt *Prima hæreticorum ratio.* ex verbis Chriſti: Math. 26. qui in ultima cœna Apoſtolos ſic allocutus eſt: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem, Illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei:* ergo (inquiunt) in Regno Chriſti, electi bibent vinum, & delitiis corporeis perfruentur in cibo & potu, quibus in hac vita fruimur; undè Luc 17. ait: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Quibus verbis conſtat, quòd poſt Reſurrectionem, in Regno Chriſti erunt delicia corporalia, quæ in Cœlo haberi nequeunt.

Reſpondeo primò hæc verba eſſe intelligenda *Ad eandem rationem, reſponſio.* Metaphoricè, ſicut cætera Scripturæ verba, in quibus de cibo, & potu mentio fit pro altera vita, ſcilicet pro ſpirituali delitiarum fruitione. Quare S. Joannes in Apocalyp. cap. 19. ait: *Beati qui ad cœnam Agni nuptiarum vocati ſunt.* Hæc autem cœna non eſt materialis in alimentis corporeis conſiſtens, ſed ſpiritualis in viſione, & amore Dei præparata, juxtà illud Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Nam ſi omnia verba Sacræ Scripturæ intelligenda eſſent in ſenſu litterali, ſequeretur quòd Deus haberet membra. Quòd non concedunt Cerinthiani; ideoque in hoc loco ubi de menſa agitur, intelligenda ſunt metaphoricè.

Dico iterùm illa verba, *uſque in illum diem*, non denotare tempus illud, quod erit poſt Reſurrectionem generalem conſummandum, ſed illud quod fuit inter Reſurrectionem Chriſti, & triumphalem ejus in Cœlum Aſcenſionem, ut obſervat D. Chryſoſto- *D. Chryſoſt.* mus Homil. 38. in Math. ubi ait: *Novum autem, hoc eſt novo modo quodam, imo inaudito, atque mirabili non in impaſſibile Corpus habens, ſed immortale; atque incorruptibile, alimentoque non indigens, ſurrexit. Quare cum opus non erat, poſt Reſurrectionem, comedit, & bibit;*

cùm ejus Corpus iſtis nullo modo amplius indigeat, ſed ut certiori argumento, firmaret Reſurrectionem: Igitur textus D. Math. non probat Cerinthi errorem, imó ex mente D. Chryſoſtomi, illum prorsùs rejicit.

Vel dico cum D. Hieronymo in commentar. cap. 26. D. Mathæi. Quód hæc verba, *non bibam*, &c. ſunt intelligenda myſticè, ſeu de Eccleſia (quæ eſt Regnum Patris, in quo Chriſtus erat reverendus per fidem credentium) quæ per geniminem vitis ſignificatur, hoc eſt, per communiones, quæ fieri debebant à fidelibus in Eccleſia, Ideo ſic locutus eſt Diſcipulis ſuis pridiè quàm pateretur, ſeu in cœna, ſcilicet quando inſtituit ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum per modum convivii ſub ſpeciebus panis, & vini.

Apocalyp. 20.

Arguunt iterum Cerinthiani; & ut probent Regnum Chriſti eſſe Millenarium, & Terrenum, objiciunt illud Apocalyp. 20. verſ. 4. & ſequentibus: *Et vidi animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu & propter Verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis, & dixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille anni.* Indè enim inferunt, electos poſt Reſurrectionem regnaturos eſſe in terra per mille annos cum Chriſto, quia (inquiunt) illi mille anni, non ſunt conſummandi ante Judicium, nec in Cœlo poſt ipſum Judicium, ſed in terra vivendo luxuriosè.

Rejicitur altera millenariorum ratio.

Reſpondeo hanc authoritatem non probare errorem Cerinthi, cùm non dicat quòd electi regnabunt poſt Reſurrectionem per mille annos tantùm, itá ut per illos mille annos perfrui Deo nequeant. Nec dicat quód electi non videbunt Deum, niſi poſt elapſos mille annos à die Judicii. Dico tamen cum Sanctis Patribus præſertim cum D. Augustino lib. 20. de Civit. cap. 7. mille annos quibus Sancti Patres cumChriſto regnabunt non ſignificare aliquod tempus in terra conſummandum poſt Judicium univerſale, & ultimum; ſed ſolùm deſignare omne tempus decurrens à morte Chriſti uſque ad ultimum Judicium. Nec valet dicere quòd in illo intervallo ſunt pluſquàm mille anni, cum Chriſtus mortuus fuerit ſub Tiberio Imperatore. Non valet inquam hæc inſtantia, nec nocet expoſitioni D. Auguſtini, quoniam in Sacra Scriptura numerus millenarius deſignat numerum indefinitum, & excedentem mille annos Aritmeticè ſumptos. Quód verum eſſe probat illud Pſalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit* & Eccleſ. 16. *Melior eſt unus timens Deum, quàm mille Filii impii.* id eſt, quàm omnes Filii impii, qui certó excedunt numerum millenarium matematicè ſumptum: cùm infinitus ſit ſtultorum ſeu peccatorum, aut impiorum numerus. Certum quoque eſt, quód nedum mille anni, ſed etiam omnes anni ſunt ante oculos Dei tamquam dies heſterna: igitur per millenarium numerum, non debemus intelligere mille annos matematicè, aut aritmeticè, dum Sacram Scripturam interpretamur: ſed omne tempus quod præteriit à morte Chriſti uſque ad diem ultimi Judicii.

Mille anni non ſunt intelligendi aritmeticè.

ARTICULUS LIII.

Quo ſtatuitur contrà Stancarianos, Chriſtum eſſe verè mediatorem.

Ariani.

MAxima in prioribus Eccleſiæ ſæculis viguit controverſia de Chriſto mediatore, inter Catholicos, & hæreticos. Primùm Ariani, qui falsâ impiiſſimi Arii doctrinâ perverſi, veram Dei Filio Divinitatem detrahere auſi ſunt, dixerunt, Chriſtum non eſſe verè, propriè, ſeu efficienter, mediatorem Dei, & hominum. Addebantque ad incrementum Neſariæ doctrinæ ſuæ, inſanam hanc rationem, nempè quód idcircó Deus talem ſibi miniſtrum comparavit, nempè Chriſtum, ut ipſô uteretur tanquam temperamentô, & commerciô cum cæteris creaturis; quarum reparationem volebat; non autem ut ipſe Chriſtus eſſet aliquâ efficientiâ, aut virtute ſibi propriâ verus mediator Dei, & hominum; licet Apoſtolus ad Timot. oppoſitum doceat, & ad Epheſ. 2. expreſsè dicat, hanc mediationem factam fuiſſe per Sanguinem Chriſti Deo Patri pro noſtra Redemptione, & pace nobis obtinenda, voluntariè oblatum, per quem Sanguinem ipſe Chriſtus, teſte eodem Apoſtolo, pacificavit omnia ſive quæ in Cœlis, ſive quæ in terris ſunt.

Socinus.

Hanc hæreſim renovavit, & jam in Inferno ſepultam ſuſcitavit hiſce poſtremis temporibus impiiſſimus Socinus, qui lib. 2. *de Chriſto Salvatore*, docet Chriſtum eſſe mediatorem, non proprium, realem, & verum, ſed tantùm Metaphoricum, nec pro hominibus liberandis aliquam ſatisfactionem, aliquodvè prætium æterno Patri exhibuiſſe. Aliam viam arripuit quidam hæreticus dictus Franciſcus Stancarus, Patriâ Mantuanus in Academia regiomontana in Boruſſia Theologiæ, & Hebraicæ linguæ profeſſor. Hic quidem hæreticus reverá confeſſus eſt contra Arium, Chriſtum eſſe mediatorem noſtrum, & pacificatorem, ſed non abſolutè, quatenùs eſt Deus homo, ſed juxtá ſolam naturam humanam, ſecluſâ divinâ, itá ut noſtra Redemptio, aut mediatio non ſit effectus hominis Dei, aut Filii naturalis, Dei ſed ſolum Filii Mariæ, ſeu puri hominis. Hæc tamen hæreſis impugnata fuit à quibuſdam hæreticis dicti Muſculani ab Authore, ſcilicet Andrea Muſculo, quare Staphilus vocat eos Antiſtancarianos, qui ut Stancari opinionem refutarent, aſſeruerunt; Chriſtum juxtá utramque naturam, divinam ſcilicet, & humanam, mediatorem, & juſtificatorem eſſe; ſed non dubitarunt contendere, divinamChriſti naturam, unà cum humana in Cruce, eodem modo, & æqualiter mortuam fuiſſe, & ſic ut Stancari errorem fugerent, in deteriorem ceciderunt: magis enim implicat, & repugnat fidei, credere divinitatem eſſe ex ſe mortalem, quàm credere, Chriſtum non eſſe mediatorem inter Deum, & homines.

Stancarus.

Muſculani priorem ſuſtinuerunt errorem.

Non deſunt tamen qui ipſum Stancarum excuſare nituntur eo quod in libro contrá Ligurianos profiteatur ſe ſequi doctrinam Magiſtri ſententiarum, de eo (ut teſtatur Conradus Schulſſetus Burglus, ſectâ Lutheranus lib. de Stancarianis) itá honorificè loquitur. *Plus valet unus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanthones, trecenti Bullingeri; quadrigenti Petri Martyres, & quingenti Calvini, qui omnes ſi uno mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ.*

Plures in vanum excuſant Stancarum.

Sed hoc non probat Stancari Innocentiam, minimè quidem ſecutus eſt Petrum Lombardum virum doctiſſimum, atque Catholicum, ipſe Franciſcus Stancarus: etenim ſic locutus eſt de illo celeberrimo Magiſtro ſententiarum, non ad ipſius doctrinam propugnandam, ſed ut non audiretur clamor Calvini, Melanthonis, & aliorum, qui quamvis ipſo nequiores eſſent, ejus ſententiam tamen impugnabant tanquam hæreticam, dicentes, mediatoris, & juſtificatoris nomen Chriſto convenire, ſecundum utramque naturam, divinam ſcilicet, & humanam, non eo modo, quo docet fides Catholica, ſed diverſo, imo & oppoſito; quia Calvinus, Melanthon,

Melanthon, & alii hæretici, Franciſco Srancaro contrarii, exiſtimabant Chriſtum ſecundum utramque naturam exercere munus mediatoris, ſeu urramque naturam eſſe mediarricem, inter nos & Deum. Aur Chriſtum eſſe mediatorem ut Deum, & mediatorem ut hominem, itá ut in Chriſto eſſent duo mediatores, ſicut duæ naturæ, ſicque impugnabant Stancarum, qui excludebar à mediatione divinitatem, & directè impugnabat fidem Romanam, quæ docet Chriſtum Dominum fuiſſe inter Deum peccatô Adæ iratum, & homines, mediatorem officio, ratione quidem naturæ humanæ, non ſimpliciter, & abſolutè ſpectatæ, ſed ut ſubſiſtentis in perſona Verbi Divini gerente vices perſonæ humanæ.

§ I.

Statuitur veritas contrà Hereticos.

Concilium Tridenti-

STancarum, & Calvinum damnat Sacra Tridentina Synodus Seſſ. 6. in qua Chriſtus Jeſus declaratur Juſtificator, Redemptor, & noſter Mediator, non præcisè quatenus eſt homo, ſecluſâ quacumque divinitatis operatione, ſed quatenùs eſt Deus & homo. Nam Chriſtus conſtat duabus naturis, eſtque Deus & homo, non in confuſione ſubſtantiæ, ſed in unitate perſonæ divinæ: igitur non poteſt eſſe itá mediator tantum ſecundum humanitatem, ut debeat prorsùs excludi divinitatis operatio, ut impiè docuit Stancarus. Nequè ſecundum divinitatem ſolam ex una parte & ſecundum humanitatem ſolam ex alia, ut voluit Calvinus, ſed eſt mediator ut Deus homo, ſeu ut homo unitus Verbo. Itá tenent omnes Theologi tam antiqui, quàm recentes, & Sancti Patres quorum verba omitto brevitatis gratiâ.

D. Athanaſius.

Refero tantum authoritatem D. Athanaſii lib. de natura humana ſuſcepta, ubi ille Sanctus Doctor invincibilis fidei Catholicæ propugnator contrá hæreticos, & præcipuè contrà Arianos: ait: *Verus Deus eſt Filius, & antequam homo fieret, & poſtquam homo factus eſt, mediator Dei, & hominum homo Jeſus Chriſtus unitus Patri, ſecundum Spiritum Sanctum, nobis vero ſecundum carnem, atque itá mediatorie partibus functus inter Deum & homines, qui non ſolum homo eſt, ſed etiam Deus.* His ſiquidem verbis rejicitur Stancarus, qui à meditatione noſtra excludit omninò divinitatem, & voluntariè immemor Philoſophorum Axiomatis, quo actiones appropriantur ſuppoſitò, vult Chriſtum nos redemiſſe per Sanguinem ſuum ſecluſo quocumque influxu ſuppoſiti divini, in quo realiter ſubſiſtit ipſa natura humana. Rejicitur atque Calvinus, qui utrique naturæ disjunctim tribuit illam mediationem tanquam duobus mediatoribus. Quòd ſapit Neſtorianiſmum, cum ex illa hæreſi facilè inferatur alia, quæ eſt Neſtorii, nimirum in Chriſto eſſe duas perſonas ſolo affectûs aut amoris vinculo unitas.

Ad Timoth. 1.

Illis verbis D. Athanaſii ſuffragatur authoritas Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Indè enim Paulus indicat, nos habere mediatorem, huncque eſſe unum unitate perſonali, utpotè Chriſtum, qui nos morte ſua redemit, pretioſiſſimoque Sanguine ſuo in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio; atqui Chriſtus ſi divinitatem excludas cum Stancaro, non eſt Chriſtus Jeſus. Quia hoc nomen à Deo Patre, Angeli miniſterio nunciatum Mariæ, exprimit unitatem perſonæ in duabus naturis, aut duas naturas, divinam ſcilicet, & humanam unitas, in perſona Verbi, ut dicunt communiter Theologi cum fide catholica, quæ per Chriſtum, intelligit Verbum Divinum Incarnatum. Et ſi excludas unitatem principii *quod*, cum Calvino, id eſt, ſi velis quòd ſit mediator ſecundum utramque naturam ſolitariè ſumptam, ſeu quod ſit mediator ut Deus & mediator etiam ut homo, ita ut in Chriſto uniantur duo mediatores ſicut duæ naturæ, non eſt unus mediator, ſed duplex. Quòd eſt contrá Apoſtolum: igitur Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum ratione naturæ humanæ, non ſimpliciter, & abſolutè ſpectatæ, ſed ut eſt ſubſiſtens in ſuppoſito divino; nam homo ſine illo divino ſuppoſito non poterat eſſe mediator Dei & hominum, quia fuiſſet Inſufficiens, nec fuiſſet inter Deum, & homines, ſed tantùm inter homines, & in numero peccatorum. Filius Dei etiam ſine humanitate, non poterat eſſe mediator, quia mori non potuiſſet, nec fuiſſet inter Deum & homines, ſed in Deo & in ſinu Patris. Undè Sanctus Auguſtinus Sermone 120. inquit: *Ut autem mediator eſſet inter Deum & homines, inter juſtum & injuſtos, inter immortalem & mortales, aſſumpſit aliquid ab injuſtis, & mortalibus, ſervans aliquid cum juſto & immortali, cum juſto enim & immortali, ſervans juſtitiam, ab injuſtis & mortalibus, ſervans mortalitatem, factus eſt in medio reconciliator, dejiciens murum peccatorum noſtrorum.* Idem docet Abbas Rupertus in lib. 10. de Divinis Officiis cap. 6. ubi inquit: *Antea inter creatorem, & creaturam nullum fuiſſe remedium, nam quidquid erat, aut creator erat, aut creatura, ut ergo medium inveniretur perfecta ſocietatis vinculum, hic introductus eſt, qui ex eo creatorem, & creaturam firmius annecteret quia unus idemque Chriſtus utrumque eſt, Creator videlicet, atque creatura, Creator quia Deus, creatura quia homo.*

D. Auguſtinus.

Rupertus.

Verè hæc verba evidenter probant contra hæreticos, doctrinam Eccleſiæ Romanæ. Quoniam diſtingunt mediatorem Dei, & hominum à Deo & ab hominibus, ut neceſſariò exigir Officium illud, quia Chriſtus per humanitatem diſtinguitur à Deo Patre, & per divinitatem ab hominibus, ut declarat D. Athanaſius in Symbolo dicens, quod Chriſtus eſt æqualis Patri ſecundum divinitatem, & minor Patre ſecundum humanitatem: ergo non eſt mediator, ut Deus tantum, nequè ut homo tantum, ſed ut Deus homo, aut homo unitus verbo, ſic enim poteſt verè dici mediator inter Deum & homines quia utramque naturam, divinam ſcilicet & humanam in ſe ſociat, & ratione utriuſque perfectum mediatoris munus impler inter Deum, & homines.

Chriſtus ut Deus, & homo ſimul, eſt mediator.

Præterea ſi Chriſtus eſſet mediator ſecundum humanitatem tantum, ut docuit Stancarus, hæc humanitas operata eſſet cum perſona propria, ſeu perſonata perſonalitate humana, vel divina, vel operata eſſet imperſonata, id eſt abſque ulla perſona. Si propriâ, eſſet Neſtorianus ipſe Stancarus, quia admitteret duas perſonas in Chriſto vinculo affectûs, & amicitiæ unitas, ac proindè damnatus in Concilio Epheſino, in quo damnatus fuit ipſe Neſtorius. Si divinâ, non eſt contra nos, & ideo ignorat quod impugnat, & neſcit quod dicit. Si eſſet mediator ſecundum divinitatem, & ſecundum humanitatem disjunctim,

ut voluit impiiſſimus Calvinus, ſequeretur primo quòd Chriſtus ſecundum divinitatem eſſet minor Patre, quia mediator eſt in medio, ut ait D. Auguſtinus, & ideo non eſt æqualis ſuperiori; ſed Chriſtus ſecundum divinitatem eſt æqualis Patri, ut docet Scriptura ubi legitur Chriſtum dixiſſe: *Ego & Pater unum ſumus*: Igitur nequit eſſe mediator in hoc ſenſu, quoniam ſecundum divinitatem præcisè ſumptus, non eſt alius à Patre, in natura. Secundò ſequeretur quòd Chriſtus ſecundum humanitatem ſolam operatus eſſet, ſicut ſecundum divinam operatus eſt, juxtá perverſam doctrinam Calvini, ac proindè habuiſſet ſuum proprium ſuppoſitum. At hoc eſt Neſtorianum. Si velint quòd humanitas operetur abſque ulla perſonalitate, hoc eſt impoſſibile. Quia nemo operatur niſi ſubſiſtat, cùm ex Philoſopho operari ſequatur eſſe, cujus ultimum complementum eſt ſubſiſtentia, ergo eſt mediator ut homo unitus Verbo, aut ratione naturæ ſubſiſtentis in ſuppoſito divino.

Unitas perſona in Chriſto probat ipſum Chriſtum eſſe mediatorem ut Deum, & hominem.

§. II.

Reſponſio ad hæreticorum rationes.

RAtio Stancarianorum eſt, quia Chriſtus non eſt mediator ſui ipſius, ac proindè eſt mediator ut homo tantum ſecluſa divinitate juxtá quàm (inquiunt) non eſt diſtinctus à Patre, cui facta fuit ſatisfactio. Quia ſi divinitas aliquo modo concurriſſet, Chriſtus fuiſſet mediator ſui, ſicut Patris; cùm ſit Deus, ſicut Pater; ideoque eſt mediator ſecundum humanitatem ſolitariè ſumptam, ſecundum quam eſt minor Patre. Idque ſuadent ex illo ad Colloſſ. cap. 2. verſ. 26. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt*: Ex quo colligitur, quòd Deus reconciliavit omnia per Sanguinem Chriſti. Quod idem eſt ac dicere per humanitatem ſolam, ſeu ex ſe ſola operantem, quæ ſæpè per Sanguinem exprimitur.

Ad Coll. cap. 2.

Sed hæc ratio non convincit. Quia licet Chriſtus ſit mediator Dei, & hominum, ut Deus homo, non ſequitur tamen quòd ſit mediator ſui ipſius, quoniam ſic conſideratus tam à Deo diſtat, quàm ab homine, & cum utroque pariter convenit. Quoniam in hoc, medii, ſeu mediatoris ratio conſiſtit: nam Chriſtus conſideratus ut unus, qui eſt Deus homo, non eſt penitùs ipſe, qui eſt Pater, quia quamvis Filius ſit unum cum Patre, tamen non eſt unus cum ipſo, id eſt, licet ſit cum Patre una natura, vel ſubſtantia, non eſt tamen una perſona. Nec eſt ille, qui eſt Spiritus Sanctus, cùm ab utroque ſcilicet Patre, & Spiritu Sancto, propriâ Hypoſtaſi ſit diſtinctus, & habeat humanitatem ſibi hypoſtaticè unitam, quam Pater, & Spiritus Sanctus non habent. Nec penitùs convenit cùm aliis hominibus ipſe Chriſtus, licet ſit verus homo nobis per omnia ſimilis abſque peccato, cùm non ſubſiſtat ſubſiſtentiâ humanâ, ſicut cæteri homines, ſed ſubſiſtentiâ Verbi Divini; ergo non eſt mediator ſui ipſius, etiam quâ Deus eſt, quia hoc munus mediatoris convenit perſonæ, non ſolùm quatenus terminat naturam divinam, ſed etiam quatenus humanam afficit.

Nulla eſt Stancarii ratio.

Ad authoritatem Scripturæ dico, Apoſtolum non loqui de Sanguine ſolitariè ſumpto, ſeu de Sanguine purè humano, ſed de Sanguine ut unito perſonæ Verbi, id eſt, de Sanguine Filii Dei. Hinc eſt quòd ad Hebr. cap. 5. verſ. 8. ait: *Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Ideoque improbat ſenſum Stancarii, qui à Verbo mediationem penitùs excludit, & eam humanitati nudæ tribuit.

Proponitur & diſſolvitur altera Stancarii ratio.

Hoc iterum contendunt probare authoritate Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 8. ubi ait: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum*, indè enim (inquiunt) D. Paulus demonſtrat, mediatorem, aut reconciliatorem eſſe omninò diverſum à Deo, ſeu eſſe miniſtrum, quô uſus eſt Deus, quoniam propoſitio, *per*, dum eſt inter duo, excludit unum ab alio, tanquam cauſam miniſterialem à cauſa principali. Hinc eſt quòd D. Auguſtinus tract. 62. in Joannem ait de Chriſto. *Eſt mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, ſed in quantum eſt homo Jeſus Chriſtus*: Igitur divinitas excluditur à mediatione, & Chriſtus eſt mediator noſter ſecundum naturam humanam præcisè ſumptam, ſecluſo quocumque influxu divinæ perſonæ.

Nego conſequentiam, quia homo ut unitus Verbo, & è contra, nimirùm Filius unitus humanitati, eſt ſufficienter diſtinctus à Deo ut Apoſtolus dicere poſſit, quòd Deus ſibi nos reconciliavit per Chriſtum, qui mediatoris opus, & officium adminiſtravit, non per divinitatem, ſed per humanitatem, non præcisè, ſed per humanitatem ut perſonatam, & ſubſiſtentem perſonâ divinâ, & propter unionem, ac ſocietatem perſonalem cum divinitate. Ex vi communicationis Idiomatum, mediatio non tribuitur divinitati, ità ut nequeat convenire humanitati, nec humanitati itá ut nequeat convenire divinitati, ſed tribuitur Chriſto, ſeu homini Deo. Nec aliud ſignificare voluit D. Auguſtinus. Ratio eſt quia ſuppoſitum divinum eſt extraneum reſpectu naturæ aſſumptæ, cui præſtat vices ſuppoſiti proprii, ſeu humani, & ſic natura humana agit, & operatur in ſuppoſito ſibi extraneo; ideoque per ipſam naturam ſic divinô ſuppoſitô illô ſubſiſtentem, Deus potuit nos ſibi reconciliare velut per alium à ſe realiter diſtinctum, non tanquam per Deum ſolum, ut voluit Calvinus, neque tanquam per hominem ſolum, ut credidit Stancarus, ſed per hominem Deum, ſeu per unum, qui eſt Deus & homo ſimul, aut per hominem unitum Verbo Divino hypoſtaticè. Dum Chriſtus pronunciatur, non exprimitur, aut nominatur tantum Deus; ſed Deus homo, aut homo Deus.

§. III.

Subvertit Calvini fundamentum.

CAlvinus fundamentum erroris ſui deducit ex illo Joan. cap. 10. *Ego pono animam meam.* Hæc enim verba (inquit) quæ ſunt mediatoris, à ſolo Deo, homine nullatenus concurrente, dici poſſunt. Quia nullus eſt arbiter vitæ & mortis, id eſt, nullus poteſt animam ponere, niſi Deus: ergo Chriſtus eſt mediator, ut Deus, qui poſuit animam. Et ut homo, quia ſuſtinuit mortem, & à quo ſeparata fuit anima, quam Deus poſuit. Undè (inquit) Deus, qui poſuit animam, eſt unus mediator in Chriſto. Et homo poſitus, eſt alter mediator. Reſpondeo cum Divo Chryſoſto-

Reſponſio D. Chryſoſtomi. mo, Chriſtum loqui de ſe ſecundum totam humanitatem, ſeu quatenus ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ Verbi. Aut de homine unito Verbo, à quo habebat poteſtatem ponendi animam & iterum ſumendi eam; & in quo ſubſiſtebat: etenim hominis Dei eſt ponere animam ſuam & iterum ſumere eam.

Inſtat idem Calvinus dicens quòd Chriſtus fuit mediator Angelorum & primorum Parentum: igitur eſt mediator hominum ut Deus, naturâ humanâ non cuocurrente, nequit enim eſſe mediator Angelorum ratione humanitatis, quia hæc non convenit Angelis, nec mediat inter Deum, & Angelos, & ideò Chriſtus eſt mediator nedum ut homo inter Deum & homines, ſed etiam ut Deus, inter Deum, & Angelos.

Chriſtus eſt mediator Angelorum. Reſpondeo, Chriſtum eſſe mediatorem Angelorum, & Adæ. Quia Deus ipſis contulit gratiam ex meritis Chriſti prævisi, ut docent Theologi noſtri aſſerentes quòd Chriſtus veniſſet, Adamo non peccante, & ideo non eſt mediator hominum, nec Angelorum, ut Deus, ſecluſa humanitate, ſed ut homo Deus, qui eſt Chriſtus: etenim ad rationem mediatoris requirebatur operatio ſecundum naturam humanam, quæ tamen à divina accipiebat eam in perſona dignitatem infinitam meritorum, quæ ad officium mediatoris Dei, & hominum requirebatur, hinc eſt quod dicimus, Chriſtum non eſſe mediatorem, ut Deum ſolum, ſecluſo quocumque reſpectu ad humanitatem, neque ut hominem ſolum, ſecluſo quocumque reſpectu ad divinitatem, ſed ut hominem ſubſiſtentem perſonâ Verbi. Undè mediatio noſtra, juſtificatio, & Redemptio non ſunt ab homine puro, neque à Verbo ſimpliciter, ſeu tantùm quatenus Deus eſt, ſed à Verbo Incarnato, non tamquam à duobus agentibus, quamvis Verbum Incarnatum, ſeu Chriſtus duas naturas contineat, quarum quælibet ſuas habet operationes, ut definitum fuit contrà Monothelitas unicam in Chriſto admittentes voluntatem, ſed tamquam ab uno agente, vel ab uno principio operativo, modo humano, divinoque ad mediationem Dei, & hominum penitùs neceſſariô, ut docent Sancti Patres, & præſertim D. *D. Irenæus.* Irenæus lib. 3. cap. 20. ubi inquit: *Oportebat mediatorem Dei & hominum per ſuam cum utraque propinquitatem, ambos in amicitiam, & concordiam adducere, ac Deo quidem repræſentare hominem, hominibus vero Dei notitiam communicare.*

Dicent hæretici: ergo omnes actiones Chriſti ſunt uniformes, ſcilicet omnes ſunt penitùs divinæ, vel omnes ſunt humanæ (quòd tamen eſt falſum, quippè cum ſit Deus, & homo, actiones ejus, aliæ ſunt humanæ aliæ ſunt divinæ) quia unius agentis una eſt operatio, ideoque falſum eſt, quòd Chriſtus ſit unus mediator, ſed debet eſſe duplex, ſcilicet unus mediator ut Deus, & alter ut homo.

Duæ ſunt in Chriſto actiones. Nego inſtantiam, Chriſti enim actiones aliæ ſunt purè divinæ ut illæ, quas fecit ratione divinæ omnipotentiæ, & quæ à ſolo Deo fieri poſſunt, aliæ vero ſunt Theandricæ, ſeu humanæ, & divinæ. Ratio hujus diviſionis eſt, quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, quæ in ipſo ſunt duo principia *quo* agendi, & unum principium *quod*, ſeu unum ſuppoſitum ſuam denominationem deſumens in agendo à principio *quo* ſeu à natura, aut voluntate quæ operatur. Undè dum agit ratione naturæ divinæ, actio eſt purè divina. Quia principium *quo* eſt Divinum, ſicut principium *quod* ſeu perſona. Et dum agit ratione naturæ humanæ, actio eſt purè humana, quia principium *quo*, aut ratio agendi eſt humana. Et dum agit ratione utriuſque naturæ, ſeu compoſiti Theandrici, actio eſt Theandrica, id eſt divina & humana ſimul, ſicut eſt iſta de qua hîc agitur, utpotè mediatio, quæ eſt opus hominis Dei, ſeu Chriſti reduplicativè ſumpti: igitur non duos, ſed unum debemus in Chriſto agnoſcere mediatorem.

ARTICULUS LIV.

Oſtendit Calviniſtis, Chriſtum ſibi meruiſſe, & nobis.

JOannes Calvinus, Theodorus Beza & plures alii, qui poſt utrumque ſcripſerunt, publicè docuerunt, Chriſtum, tot orationibus, Jejuniis, Vigiliis, laboribus, & Paſſione ſua, nihil ſibi prorsùs meruiſſe, ait enim Calvinus in commeut. *Calvinus.* 2. ad Philip. *Frivolum eſt quòd ex hoc loco, propter quod Deus exaltavit illum &c. Sophiſtæ conantur elicere, Chriſtum ſcilicet primo ſibi meritum eſſe, deindè aliis. Quis non videat hoc à Sathana ſuggeri, Chriſtum in Cruce paſſum, ut ſibi compararet operis ſui merito: quod non habebat? Quis neget iſto Sathana inſtinctu reclamare, Chriſtum ſibi ante gloriam eſſe promeritum, quàm nobis ſalutem? Diſcant ergo Sorbonicos Sophiſtas cum tantis ſuis ſpeculationibus deteſtari.* His ſi quidem verbis liquido conſtat, hunc hæreticum velle, Chriſtum nihil ſibi meruiſſe Idem credunt omnes novatores, qui dicunt, ipſum Chriſtum ad nos dumtaxat ſua omnia merita ordinaſſe.

§. I.

Authoritate, & ratione firmatur Chriſti meritum.

HAnc hæreſim Calvinianam damnat Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 11. dicens: *Concilium Tridentinum.* *Chriſtus ipſe cum eſſet Filius Dei didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, his verbis conſtat, Chriſtum per mortem & Paſſionem ſuam ſibi meruiſſe officium Redemptoris, & eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis, & ſalutis, ut expreſſiùs oſtenditur in cap. 7. ejuſdem Seſſionis ubi habetur: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, ſuâ Sanctiſſimâ Paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit:* Igitur nedum meruit nobis vitam æternam, ſed etiam meruit ſibi nomen Salvatoris generis humani.

Hæc ipſa veritas probatur variis Sacræ Scripturæ locis. Legimus apud Sanctum Lucam cap. 24. verſ. 26. Chriſtum Dixiſſe duobus Diſcipulis in Emaüs euntibus: *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam.* *Luc. 24.* Corporis ſcilicet, quia à primo inſtanti Conceptionis ſuæ poſſidebar gloriam animæ, ut fatentur Calviniſtæ, idcircò ſibi hanc gloriam corporis, & nominis exaltationem meruit per Paſſionem ſuam: id enim quod oportet fieri ut aliud habeatur, & fit, aut acceptatur, eſt meritorium. Et id, quod datur eſt verè præmium reſpiciens aliquod opus meritorium, propter quòd datum fuit, ut facilè colligitur ex Pſal. 44. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea*, id eſt propter amorem Juſtitiæ, & odium iniquitatis, *unxit te Deus*, & Pſal. *Pſal. 44.*

109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*: Igitur Chriſtus, qui hæc omnia fecit, ſibi meruit, de ipſo enim ibi loquitur Pſalmiſta.

Heb. 2.

Idem docet Apoſtolus ad Heb. cap. 2. verſ. 9. ubi ait: *Videmus Jeſum propter Paſſionem mortis, gloriâ, & honore coronatum.* Et ad Epheſ. cap. 4. verſ. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Ibi enim Apoſtolus ſuadet, deſcenſum eſſe cauſam aſcensûs in Cœlum, cùm particula, *quia & deſcendit*, ſit cauſalis. Et ad Philippeoſes cap. 2. addit: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam servi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quibus verbis Dominicæ humilitati tribuit exaltationem, tamquam præmium, ut denotat hæc particula, *propter quod*, id eſt, quia ſe exinanivit: *Deus exaltavit illum.* Hoc eſt, fuit exaltatus, & habuit nomen, quod eſt ſuper omne nomen, quia humiliavit ſe, teſte Scriptura dicente; *qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Nam, inquit Divus Auguſtinus tract. 10. in Joan. *Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium.*

Philip. 2. *D. Auguſtinus.*

Reſponder Calvinus, quòd in illis verbis non exprimitur cauſa meritorum, nec declaratur, exaltationem præſupponere meritum aliqood, ſed exprimitur, & declaratur ſolùm ſimplex aſſecutio gloriæ Corporis, poſt mortem & Paſſionem Chriſti, qui non fuit exaltatus, quia paſſus eſt, ſed quia eſt Filius Dei.

Non valet hæc reſponſio, quia illa particula *propter*, quâ utitur Apoſtolus, denotat veram cauſam meritoriam, nam id propter quod aliquid fit, eſt cauſa meritoria illius, quod fit. Nonnè ſublatô eo propter quod aliquid datur, ſuſpenditur res danda? Igitur eſt in linea cauſarum, non efficientium, ſed meritoriarum. Inſuper ea claritas de qua loquitur Paulus, deſiderata fuit à Chriſto, ut conſtar ex illo Joan. 17. ubi habetur, Chriſtum Dominum Patrem ſic allocutum fuiſſe, *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater*, fuitque obtenta, ut patet ex illo Joan. cap. 12. verſ. 28. *Pater, clarifica nomen tuum, venit ergo vox de Cœlo, & clarificavi, & iterùm clarificabo.* Idcircò habet rationem præmii hæc clarificatio, quam Chriſtus habuit propter humilitatem ſuam, quæ cùm maxima fuerir, fuit tanto præmio digna, ut notat D. Bernardus Serm. de Aſcenſ. Domini in Cælum. Nullus eſt qui non credat, mereri eſſe quid perfectum, reſpiciens aliquod bonum, præſertim ſi opus elicitum, ſit in ordine ad Deum præmiantem. Quapropter Deus, Iſay. 53. verſ. 11. ait: *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur*: Igitur Chriſtus cui attribuenda eſt omnis perfectio, ſibi meruit apud Deum Patrem.

Joan. 17. *D. Bernardus.*

His ſuffragantur Sancti Patres tam Græci, quàm Latini, & præcipuè S. Hieronymus dicens: *Quia ſe aſſumptus homo humiliare dignatus eſt, divinitas, quæ humiliari non poteſt, eum, qui humiliatus fuerat, exaltavit.* His ſiquidem conſtat, Chriſtum fuiſſe propter humilitatem ſuam exaltatum. Ideo ipſe Chriſtus ad hanc veritatem firmandam, Math. cap. 23. verſ. 12. dicit, *qui ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* D. Cyrillus Alexandrinus, *ob eam mortem, & per Paſſionem, ſumma gloria coronam promeruit.* Hæc verba referuntur in primo tomo Concilii Epheſini. Et ex ipſis ſuadetur quòd in Chriſto humilitas Paſſionis ita meritum fuit exaltationis, & exaltatio præmium humilitatis, ut de ipſo Chriſto neceſsè ſit dicere cum D. Joan. in Apocalip. cap. 5. verſ. 17. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere gloriam, & virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

D. Hieronymus. *D. Cyrillus.*

Idem confirmant Sanctus Hilarius lib. 9. de Trinit. *Cum audis, Pater major eſt, ſcito eum de quo ob meritum obedientiæ dictum eſt, & donavit nomen quod eſt ſuper omne nomen.* D. Chryſoſtomus Homil. 7. ad Philip. ſic diſcurrit: *Hic mihi an non extremam præſtitit Chriſtus obedientiam, propterea accepit ſupremum honorem, an non ſervus factus eſt? Quapropter & Dominus eſt omnium, & Angelorum, & hominum.* Et S. Bruno in Comment. in cap. 2. Heb. inquit: *Coronaſti eum gloria, id eſt immortalitatis claritate, & honore: quia ſibi flectitur omne genu, coronaſti ab ea ſimilitudine dicit, quia ſicut victor de triumpho reverteus, coronam ſuſcipit; ſic Chriſtus triumphata morte, gloria & honore coronari meruit.* Et Paulo poſt addit: *Coronaſti inquam non ſine merito, ſed propter Paſſionem, non quomodo tolerabilis, ſed Paſſio mortis.* Corona antem eſt victoria, quæ ſupponit certamen: nullus enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit, ità autem certare, eſt meritorium. Itaque Calvinus nequit citrá temeritatem, & errorem aſſerere, ChriſtumDominum nihil ſibi meruiſſe, cùm ex dictis conſtet, quòd ſibi promeruit exaltationem nominis, Reſurrectionem, immortalitatem, cæteraſque glorioſi Corporis dotes.

D. Hilarius *D. Chryſoſtomus.* *S. Bruno*

Quantum ad nos certum eſt etiam, quòd plura nobis meruit beneficia, nam de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, teſte D. Joanne cap. 7. quo juxtá mentem Divi Chryſoſtomi Homil. 13. & D. Auguſtini tract. 3. in Joannem, ea quæ nos accepimus, ſunt omnia bona ſpiritualia, quæ Deus confert viatoribus propter merita Chriſti, qui omnia opera ſua ordinavit ad præmium illi à Patre promiſſum, ut patet ex illo Joan. cap. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Et cap. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quapropter Eccleſia in collectis ſivè auxilia ſupernaturalia, ſivè bona temporalia, ut nos ad ſalutem æternam conducant, ſemper ſic concludit: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* ot ſignificet, hæc omnia ex ſolis & propriis meritis Chriſti nobis donari. Nam inquit D. Bernardus Serm. 13. in Cant. *Sicut origo fontium & fluminum, mare eſt: itá virtutum, & ſcientiarum Dominus Jeſus Chriſtus, fons eſt*, id eſt cauſa, non principalis (nam omnia in manu Dei ſuot, & omne bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum) ſed meritoria.

Chriſtus plura nobis meruit beneficia. *D. Bernardus.*

Undè Apoſtolus 1. ad Tim. cap. 1. ait: *Vocabit nos vocatione ſua Sancta, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu*, & ad Epheſ. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* Ibi enim declarat, Deum nobis ſpiritualem benedictionem contuliſſe per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, ſeu per ipſius meritum, quia ex D. Ambroſio, & aliis Sanctis Patribus particula, *in*, ponitur pro particula *per*, quæ denotat cauſam efficientem moralem, ſicut quando idem Apoſtolus in eodem capite inquit: *Glorificavit nos in dilecto Filio ſuo*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, *per dilectum Filium ſuum.* Ut dum ait: *in quo habemus Redemptionem*, vult quod intelligamus, nos fuiſſe redemptos per Chriſtum, per quem habemus Redemptionem. Quia D. Bernardus loco ſupra laudato, inquit: *Quod-*

Admonitio D. Ambroſii.

quid ſapientiæ, quidquid virtutis habere confidit, Dei virtuti. Dei ſapientia, Chriſto deputa.

Eumdem in nos Chriſti influxum meritorium probat Tridentinum Seſſ. 6. cap. 16. per hæc verba: *Chriſtus Jeſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos, jugiter virtutem influit.* Indè enim Concilium oſtendit, nihil boni ſupernaturalis eſſe in nobis, niſi dependenter à Chriſto, & ab ejus influxu. Hoc firmatur authoritate D. Ambroſii in cap. 1. ad Ephesios ubi ait: *Omne donum gratiæ in Chriſto eſt, & ſi quis ſpreto Chriſto, benedici ſe putat, errare ſe ſciat.*

Chriſtus miſſus eſt à Deo in mundum, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut affirmat Apoſtolus ad Galatas 4. *Ad Galat. 4.* & de facto venit ſalvum facere quod perierat, exhibendo Corpus ſuum, effundendo Sanguinem, & ſatisfaciendo Deo Patri irato. Undè ingrediens mundum dixit: *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, Corpus autem aptaſti mihi, tunc dixi, ecce venio, in capite Libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hæc quidem verba ſuadent, oblationem illam, quam fecit Deo Patri Chriſtus ingrediens mundum, quamque conſummavit in Cruce, eſſe verè meritoriam noſtræ ſalutis, & ipſum Chriſtum meritò eſſe omnium hominum Redemptorem per meritum Paſſionis ſuæ, quia hæc voluntas Dei Patris, eſt ſanctificatio noſtra, ut monet Apoſtolus 1. ad Theſſ. cap. 4. verſ. 3. Ergo Chriſtus, qui redemit nos, & pacificavit omnia per Sanguinem Crucis, ſive quæ in Cœlis, ſive quæ in terris ſunt, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, teſte eodem Apoſtolo, eduxit nos de lacu, aperuit nobis viam ſalutis, pluraque meruit nobis Beneficia.

Leo Magnus Serm. 10. de Paſſione, contem- *D. Leo.* plando mortem, & Paſſionem Chriſti, ejuſque beneficia ſentiendo, firmiter declarat hanc veritatem, ibi enim ait: *Evacuatum eſt igitur illud venditionis noſtræ generale, & Lethale Chyrographum, & pactum captivitatis in Jus tranſiit Redemptoris, ſicut ſuam Chriſto conſummante Victoriam, ut cum ipſo, & in ipſo omnes, qui in eum crederent, triumpharent.* Et D. Thomas *D. Thomas.* quæſt. 44. *Chriſtus Deo magis aliquid exhibuit, quàm exigeret compenſatio totius offenſæ generis humani, propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat, quæ erat vita Dei & hominis: & ideo Paſſio Chriſti, non ſolùm ſufficiens? ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio fuit pro peccatis generis humani.* Secundum illud Joan. cap. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris non pro noſtris tan-* *Chriſtus meruit generi humano veniam.* *tum, ſed etiam pro totius mundi*, ex quibus infertur, Chriſtum nobis promeruiſſe remiſſionem peccatorum, hincque veniſſe diſſoluere opera Diaboli, quæ cùm nihil aliud fuerint, niſi perditio noſtra, unuſquiſque noſtrum fateri debet, Chriſtum ei promeruiſſe veniam delictorum, & libertatem Filiorum Dei; nam non per Sanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium Sanguinem, Chriſtus introivit ſemel in Sancta, æterna Redemptione inventa. Si enim Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi? Ad Heb. cap. 9. verſ. 12. & ſequentibus.

§. II.

Affert, & rejicit argumenta Calviniana.

FUndamentum hæreticorum aſſerentium, Chriſtum nihil ſibi meruiſſe, eſt, quia motivum Incarnationis non eſt aliud, quàm noſtra ſalus, & Redemptio, quoniam Deus tradidit illum pro nobis, ut pro nobis dumtaxat moreretur: igitur Chriſtus non meruit ſibi gloriam Corporis, nec ſibi proprium commodum procuravit; alioquin duo eſſent Incarnationis motiva, nimirùm Redemptio noſtra, & utilitas Chriſti. Quòd eſt falſum, quia, teſte Scriptura, venit diſſoluere opera Diaboli, qui in ipſo Chriſto nullam partem habuit.

Reſpondeo hanc rationem Calvini probare, *Rejicitur prima ratio Calvini.* Chriſtum pro nobis aliquid meruiſſe, quod tamen ipſe negat. Undè potiùs ad ipſum, quàm ad nos ſpectaret hoc argumentum ſolvere. Nihilominus addo quòd licet finis primò, & principaliter intentus per adventum Chriſti, fuerit ſalus noſtra & Redemptio, hoc tamen non obſtat, quin Chriſtus ſecundario, & minus principaliter potuerit intendere gloriam ſui Corporis, ſuique nominis exaltationem, & ad illam obtinendam, ſua merita ordinare ſecundariò. Nec implicat quòd Incarnatio habeat duo motiva, aut duos fines diverſi ordinis, ſeu motiva, quorum unum ſit per ſe primo intentum, aliud verò occaſionaliter. Juxtá ſubtilium Theologorum ſententiam Chriſtus venit pro gloria Dei, ſeu ut glorificator & pro ſalute noſtra, ſeu ut Redemptor, ita ut veniſſet, etiam ſi homo non peccaſſet, non implicat igitur, quod Chriſtus ut Redemptor meruerit pro nobis, & ut glorificator meruerit pro ſe ipſo. Fundendo enim Sanguinem acquiſivit nos, & nobis obtinuit veniam peccatorum, ut ipſemet Chriſtus fatetur Math. 26. verſ. 28. dicens Diſcipulis ſuis pridie *Math. 28.* quam pateretur: *Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et Paulus ad Rom. 3. verſ. 24. ait: *Juſtificati* *Rom. 3.* *gratis per gratiam ipſius per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipſius, ad oſtentionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Itaque Chriſtus effundendo pro nobis ſanguinem ſuum, ſanctificationem noſtram meruit. Et glorificando Patrem, glorificavit ſeipſum, & exaltavit nomen ſuum. Sicut enim Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ità exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Chriſtus teſte Apoſtolo exauditus fuit pro ſua reverentia, & factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Hæc quidem obedientia, glorioſa eſt, omnique laude digna, & apud Deum meritoria glorificationis, & exaltationis Chriſti.

Replicant Calviniſtæ, & ut oſtendant, Chriſtum nihil nobis meruiſſe, dicunt, homines fuiſſe Re- *Inſtantiæ Calviniſtæ.* demptos gratis; cùm ex Sacra Scriptura conſtet, Deum per miſericordiam ſuam ſalvos nos feciſſe, non verò ex juſtitia, nec ex operibus, quæ fecimus nos, neque ex operibus alterius; & indè inferunt, Chriſtum nihil per mortem, & paſſionem ſuam, verè & propriè nobis meruiſſe, quia quod datur alicui titulo meriti verè, & propriè dicti, datur per modum præmii, & mercedis; quod verò datur alicui, ut merces, præmium, & corona, non datur gratis, nec ex miſericordia, ſed ex debito Juſtitiæ, ut declarat Apoſtolus ad Rom. 4. dicens: *Ei qui ope-*

& movetnt ad opera perfectiſſima exercenda : nam qui timet Deum, faciet bona, iuquit Eccleſ. cap. 15. verſ. 2.

D. Gregorius.

Eamdem veritatem confirmat D. Gtegotius lib. 1. Moral. ubi ait : *Qui timet Deum, nihil negligit. Timere Deum, eſt nulla, quæ facienda ſunt bona ac ſancta, prætermittere.* Et lib. 2. *in viá Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur, & ſicut in via, ſæculi timor debilitatem, ita in via Dei, timor fortitudinem gignit.* Chriſtus autem nihil neglexit, fuitque vir omninò perfectus : ergo habuit timoris donum.

§. Unicus.

Reſpondet rationibus Abaillardi.

Male concludit Petrus Abaillardus.

PEtri Abaillardi ratio deſumitur ex illo Epiſt. 1. Joan. cap. 4. verſ. 18. *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in charitate,* ex hoc infert Chriſtum non habuiſſe Spiritum timoris, licet cætera Spiritus Sancti dona ſuſceperit, quoniam fuit perfectus in charitate, habuitque illam perfectam charitatem, quæ juxta D. Joannis monitum, forās mittit timorem, ut ptobat plenitudo gratiæ, quam in ſe babuit, teſte eodem Joanne Evangeliſta cap. 1. quæ cum indiſtincta ſir à charitate juxtà doctrinam Theologorum ſubtiliorum, concludendum eſt Chriſtum habuiſſe plenitudinem charitatis. Idem declarant varij Sacræ Scripturæ textus, qui docent, Chriſtum Dominum à primo inſtanti conceptionis ſuæ fuiſſe beatum, ea beatitudine (licet viator eſſet) quæ includit omnem ſecuritatem : erat quippè Dominus cœli, & terræ pacificus : ergo (inquit Abaillardus) rimor non fuit in eo. Sic diſcurrebat quoniam admittendo timorem in Chriſto, putabat negare in ipſo fuiſſe charitatem, quam cum timore judicabat incompoſſibilem.

Triplex eſt timor.

Porrò ut appareat quòd trepidavit timore, ubi non erat timor, juxtà communem Theologorum ſenſum, obſervandum eſt, triplicem eſſe timorem. Primus eſt naturalis, qui eſt paſſio, quà animal fugit malum imminens. Secundus eſt mundanus, ſeu humanus, quo quodcumque temporale malum, ità timetur, ut ptopterеà Juſtiria deſeratur. Tertius denique eſt divinus, quia eſt laudabilis, & aliquo modo tendit ad Deum. Quæſtio autem non eſt de primo, certum enim eſt quod Chriſtus habuit timorem naturalem, qui cum non procedat á peccato, potuit ipſi convenire, nequé de ſecundo, qui cùm vitioſus ſit, non potuir eſſe in Chriſto, ſed de tertio, qui eſt etiam triplex nempè ſervilis, initialis, & filialis. Primus eſt ille, quo, quis non amore Juſtitiæ, ſed metu pœnæ æternæ, vel etiam temporalis, à malo opere abſtinet, & quod legis eſt, operatur. Hic timor dicitur ſervilis quia eum conſueverunt habere ſervi. Secundus eſt ille, qui partim metu pœnæ, partim amore Juſtitiæ retrahit á malo, & impellit ad bonum, eſtque initium ſapientiæ. Tertius verò ſeu filialis, eſt ille, quo, quis fugit malum ex ſolo amore parris, né videlicet offendat patrem, & dicitur filialis, quia bonus filius tali timore debet rimere Patrem, aut adimplere præceptum de parentibus honorandis. Hic timor dicitur

D. Chryſoſt. Caſtus, Filialis, reverentialis, qui mentes corrigit, fugat crimina, Innocentiam ſervat, & omnis boni tribuit facultatem inquit D. Joannes Chryſoſtomus in ſerm. Sancti Joannis Bapriſtæ. Unde hoc ſuppoſito, juxta communem Theologorum ſententiam & Sanctorum Patrum mentem.

Reſpondeo ad authoritatem D. Joannis. Quòd perfecta charitas forās mittit timorem mundanum, ſeu humanum, imo & divinum, ſaltem quoad duo priora membra, ntpotè ſervilem, & initialem, nam hi duo timores ſunt imperfecti, quia ille non fit ex amore juſtitiæ, ut jam dixi, ſed ex meto gehennæ, & facilè deviat à Juſtitia, quia in cauſis, non Deum, ſed homines pertimeſcit, ut monet idem. D. Chryſoſtomus loco citato. Iſte verò ſeu initialis oritur ab odio pœnæ, & ſic timens ità agit quaſi coactus à pœna, quam timet, ut ſi ſciret eam numquam fore infligendam, deſiſteret ab actione, & ideo charitas perfecta utrumque emittit forās, quoniam incompatibilis eſt cum imperfectione, & ipſa accedente, recedir ancilla, ſeu timor, qui ex D. Auguſtino eſt Ancilla charitatis, ac proindè hi duo timores non fuerunt in Chriſto, qui eſt perfectus in charitate, nec de his eſt quæſtio, ſed de timore filiali, Caſto, & reverentiali, hunc non emittit foras perfecta charitas, imo eum producit, nutrit, & *In Chriſto fuit vere timor filialis.*
fovet, & ideo hic timor fuit in Chriſto Domino ſicut donum ſapientiæ &c. quia ab omnibus malis declinavit, non timore alicujus pœnæ, ſed ex ſolo Dei amore.

Inſuper Chriſtus fuit ſemper in omnibus obediens Deo Patri, ut ipſemet teſtatur, Joan. 8. verſ. 29. *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*, undè D. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. 6. loquens de illo *D. Aug.* timore filiali, ait : *Timoris caſti nomine, ea voluntas ſignificata eſt, quâ nos neceſſé nolle peccare, non ſollicitudine neceſſitatis, ſed tranquillitate charitatis* His verbis ille Sanctus Doctor ſuadet, timorem caſtum compatibilem eſſe cum charitate, aut eſſe effectum amoris Dei, cujus mandata facit, qui rimer eum. Certum eſt igitur, hunc timorem verè reperiri in Chriſto, & in Beatis, juxtà illud Pſal. 18. *Timor Domini* *Pſal. 18.* *Sanctus permanet in ſæculum ſæculi.* Quod de ſolo Statu beatifico, in quo nullus eſt finis, nullaque viciſſitudo, poteſt intelligi.

Dices, timorem filialem aliquam imperfectionem includere; cùm ſit ille, quô, quis fugit malum (quod Evenire poteſt, & timetur. Quia eſt poſſibile) & ideo incompatibilis eſt cum perfecta charitate, quæ omne malum repellit, unitque animam perfectè cum Deo. eſt etiam incompatibilis cum ſtatu beatifico, in quo nullum poteſt eſſe peccatum; in illo quidem ſtatu, ſpes ceſſat, poſſeſſio eſt firma, & æterna, idcircò Chriſtus, qui in terris erat beatus, nullum timorem habebat.

Nego ſuppoſitum, quia timor filialis eſt ille, quô, quis fugit malum ex ſolo amore Patris, qui cùm perfectus ſit, timor quoque eſt perfectus, ini- *Timor filialis nullam imperfectionem includit.*
tiumque ſapientiæ; alioquin non eſſet materia præcepti Divini, id eſt, nullus teneretur timere Deum, nec objectum timoris filialis eſſet malum culpæ; quòd eſt etiam falſum : nam licet ille, qui amat, quia timet, ſit aliquo modo imperfectus : tamen certum eſt quòd ille, qui timet, quia amat, eſt perfectus, quoniam in hoc ſenſu, timor eſt effectus amoris & charitatis ergà patrem, & fundatur in obedientia, vel in humilitate, vel in virtute Religionis, aut in aliquo alio quod Chriſto minimè repugnat. Ratio hujus rei eſt. Quia Theologi per illum áctum timoris filialis, ſeu reverentiæ ad Deum propter ejus eminentiam, intelligunt affectum parendi Deo ſupremo Domino, & ſic refunditur in obedientiam. Vel affectum colendi eum, ut ſupremum ens, & ſic refunditur iu Religionem, vel ſubdendi ſe Deo, præferendo in omnibus rebus honorem Dei Patris, & ſic ſpectat ad humilitatem. Unde cùm amor, ex quo procedit, & virtutes, ad quas ſpectat ille timor caſtus, filialis, & reverentiæ, perfectionem includat, concludendum eſt contra Abaillardum, perfectam charitatem non excludere timorem filialem, huncque fuiſſe in Chriſ-

to Domino, ſicut donum ſapientiæ, intellectus, fortitudinis; conſilij, ſcientiæ, & pietatis, cùm ſit à Spiritu Sancto, & includat perfectionem, quam Chriſto concedunt omnes Theologi, ſcilicet humilitatem, & obedientiam.

ARTICULUS LVI.

Quò, renuentibus Paulicianis, ſtatuitur Crucis Chriſti adoratio.

Claudius Taurinenſis natione anglus.

PRimus adorandæ Crucis impugnator, fuit Claudius Taurinenſis Epiſcopus, ut optimè inquit Thomas Uvaldenſis lib. de Sacramentalibus Tit.2. cap.16. Qualis autem fuerit hic hæreticus, & quo tempore hæc peſtis viguerit, diſſidium eſt inter ſcriptores; probabilius tamen eſt quod erat Anglus natione, & vixit tempore Uuicleffi, ſcilicèt circa annum Domini: MCCCLII, regnante Carolo IV. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Innocentio VI. Verùm hanc opinionem quoad Secundam partem impugnant Alexander Natalis in Hiſt. Eccleſ. Gaudentius Brixienſis Tom.6.& tenent, Claudium Taurinenſem fuiſſe in fine ſeptimi ſæculi. Fraſſenius noſter tom. 3. credit, quod fuit Fælicis Urgelitani in Concilio Francofordienſi unà cum Elipando damnati, diſcipulus; idque confirmat in catalogo hæreticorum, in quo iſtum refert in principio IX ſæculi, in quo etiam viguit ipſe Fælix Epiſcopus Urgelitanus. Petrus de Bruis, fuit etiam inimicus Crucis: nam Petrus Cluniacenſis in Epiſtula contrà Petrobruſſianos, ad Archiepiſcopos Arelatenſem, & Ebrodunenſem, necnon ad Epiſcopos Diecenſem, & Vapicenſem data, inter iſtius hæretici capita, illud refert: *Cruces Sacras confringi præcepit, & ſuccendi: quia ſpecies illa, vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam direptus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, nec aliqua ſupplicatione, dignum eſt* &c. Idem dicunt nonnulli Scriptores de Bongomiliis ab authore Baſilico medico, quem cremare fecit Alexius Commenus Imperator: quamvis alij recenſendo Bogomiliorum hæreſes in catalogo hæreticorum, non numerent hanc de Cruce non adoranda. Crucem impugnarunt Pauliciani manichæorum propago quædam, cui originem dedere Paulus, & Joannes Filij Callinicæ eujuſdam impuræ & perditæ fœminæ. Et Joannes Uviclef, vir ingenio acer, natione Anglus, profeſſione Sacerdos, & magiſter artium, de quo fit mentio ſuprà, docuit teſte Thoma Uvaldenſi, Crucem, in qua pependit Chriſtus, non eſſe adorandam, ſed potius infinitis contumeliis afficiendam. In hac ipſa impietate vivunt etiam Lutherani, & Calviniſtæ, qui bellum acerrimum Sanctæ Cruci, Sanctorum imaginibus, ac omnibus Sacris indixerunt, ut fuſius dicemus in articulo de Sacris imaginibus contra Iconoclaſtas.

Bogomilij · *Pauliciani* · *Uviclefus.* · *Lutherus* · *Calvinus.*

Armenorum error.

Alium errorem circà Crucis adorationem, de Armenis refert Euthymius, tit. 20. Panopliæ cap. 14. ibi quidem notat quòd Armeni non adorant Crucem ſecundum ſe, nec ubiquè, ut eam adorare ſolent Latini, ſed eam priùs lavant, & in medio figunt clavum, quem Sanguine Sacrificij ungunt, ſicque Crucem unctam, dicunt eſſe colendam, & eam adorant tantùm ſtatim poſt collatum baptiſmum (quem dicunt non poſſe alicui conferri niſi eidem conferatur Euchariſtiæ Sacramentum.) & die Sabbati poſt Paraſceven, quo juxta ipſorum fidem, Chriſtus ſurrexit à mortuis: nam crucem ſanctam die magna paraſceves ſub terra abſcondunt uſque ad Diem Sabbati, quam ut jam dixi, credunt eſſe diem reſurrectionis, & tunc cum luminibus per plateas, & angulos circumeuntes, hinc & inde eam quærunt, & inuentam proferunt adorandam. Unde ipſi Armeni impugnandi ſunt in hoc articulo, ſicut prænominati hæretici, quamvis non eumdem, ſed minorem Cruci afficiant injuriam, cùm Crux in qua Chriſtus pependit, ſit adoranda adoratione latriæ reſpectivè, ratione crucifixi, ut fuit definitum In Synodo ſeptima generali, quæ eſt Nicena ſecunda, & in Conſtantienſi contrà Uuicleffum.

Nec valet obijcere inter 45. articulos Uvicleffi in prædicto Concilio expreſsè damnatos, non reperiri iſtum de adoratione Crucis Chriſti. Non valet, inquam, quia idem Concilium poſtquam illos 45 articulos recenſuit, ſubdit, *Quod compertum eſt etiam libros Uvicleffi plures articulos continere.* Et ideo damnavit omnes Uvicleffi errores, tam expreſſos in decreto condemnationis, quàm alios ejuſdem qualitatis, qui in libris reperiri dicuntur, quoniam ipſius condemnatio poſt prædictam declarationem facta fuit. Iſte autem error de Cruce non adoranda, extat in prædictis libris, inquit Thomas Uvaldenſis.

§. I.

Prænominatos hæreticos confundit Sacra traditio.

Apoſtolorū exemplo comprobatur Crucis adoratio.

CRucis igitur Chriſti adoratio firmatur Conciliis [ut jam dixi.] Et exempló Apoſtolorum, ut colligere licet ex Hiſtoria paſſionis Sancti Andreæ, qui ſummo affectu, & ingentî animæ exultatione, ac veneratione paratam ſibi Crucem ſalutavit. Hinc eſt quòd Sanctus Martialis, qui migravit in Cœlum anno Chriſti LXXIV in Epiſtola ad Burdigalenſes cap. 8. vult, fideleſq; Crucem Domini ſemper, non ſolum in mente, & in ore, ſed & in ſignu habere. Idem docet in 2 Apologia pro Chriſtianis Sanctus Juſtinus martyr, qui pro Chriſto mortem ſubiit Romæ anno CL.

Ex traditione Eccleſiæ.

Alio argumento firmatur antiqua Crucis Chriſti adoratio, nimirum conſtanti atque perpetua Eccleſiæ traditione, quà conſtat, fideles ſalutiferam Crucem, cui fixus eſt Chriſtus honorandam, & venerandam fuiſſe. Quòd verum eſſe probat inventio miraculoſa ejuſdem Crucis tot annis ſub terra deliteſcentis, ab Helena Conſtantini Imperatoris Matre, Spiritu Sancto inſtructa, quæſitæ & inventæ, ut conſtat ex praxi univerſalis Eccleſiæ Catholicæ, quæ illius Inventionis feſtum celebrat die tertia Maij. Et ex teſtimonio antiquorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorum. Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, natione Paleſtinus, qui floruit in fine tertij ſæculi & in Cœlum migravit anno cccxl in libro, quem compoſuit de vita Conſtantini magni. Cyrillus Jeroſolimytanus, qui obiit anno ccclxxxvi die 18 Martij, in epiſtola ad Conſtantinum de apparitione Sanctæ Crucis. D. Ambroſius, qui meritis Clarus ex hoc terreno diſceſſit mundu anno Chriſti CCCXCVII, in oratione funebri, quà Theodoſium magnum, Mediolani defunctum commendat: præſente Honorio Theodoſij Filio jam occidentis Imperatore, per patrem inſtituto, ubi inquit: *Sapiens Helena, quæ Crucem in capite regum levavit, ut Crux Chriſti in regibus adoretur.* Sanctus Paulinus Epiſcopus Nolanus qui obdormivit in Domino anno ccccxxxi in Epiſtola. xi. ad Sulpitium ſeverum, & alij fide digni, reſtantur, Beatam Helenam inveniſſe Crucem Domini apud Jeroſolymam. Certum quidem eſt, quòd niſi Crux Chriſti veneratione, & honore digna eſſet, Helena non eam quæſiviſſet, inſpirante Spiritu Sancto. Nec eam

Euſebius. · *D. Cyrillus* · *D. Ambroſius.* · *S. Paulinus Epiſcopus Nolanus.*

invenisset peculiari Dei providentia. Nec in ejus præclara inventione miracula edidiſſet Deus, ut illa à Latronum crucibus diſcerneretur. Hæc tamen omnia eſſe vera, conſtat ex variis Hiſtoriis Eccleſiaſticis omni fide dignis, quidquid dicant Centuriatores, cent. 4. cap. 10. & Salmaſius Epiſt. 11 de Cruce, qui hanc narrationem de inventione Crucis quaſi fabuloſam rident: igitur Crux Chriſti eſt adoranda. Idem probatur exaltatione ejuſdem Sanctæ Crucis, cujus feſtum Eccleſia celebrat die XIV Septembris. Hæ ſiquidem ſolemnitates indicant reverentiam Sanctæ Crucis exhibitam, & adorationem ejus placere Deo, nullumque Chriſtianorum poſſe in hoc præcepto diſpenſari.

§. II.

Crucis adorationem probat Sacra Scriptura.

Pſal. 98. HÆc ipſa Crucis adoratio ex Scriptura apertè colligitur ex illo Pſal. 98, verſ. 5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* Hæc enim verba de Cruce Chriſti exponit Sanctus Hieronymus licet alia ſint, quæ ſcabellum Chriſti dici poſſint. Eamdem expoſitionem præbet Caſſiodorus in Pſal. 131 verſ.

Caſſiodorus 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus*, quoniam vult ibi Prophetam loqui de Sancta Cruce, in qua Chriſtus corporaliter ſtetit quando in ea confixus apparuit, & pro ſalute noſtra mortuus eſt, ut ſuadent ea, quæ immediatè ſequuntur. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Comes enim Crucis eſt reſurrectio, ut advertit D. Damaſcenus lib. 4. de fide

D. Damaſcenus. orthod. cap. 12 ubi ut demonſtret, Prophetam locutum fuiſſe de Cruce Domini, ait: *Hoc itaque ingentis ſanè pretii lignum, ac venerandum in quo Chriſtus ſeipſum Sacrificii cauſa pro nobis obtulit, & ut Sancti corporis, & Sanguinis contactu Sanctificatum, optimo jure adorari debet, clavique item, & lancea, & indumenta, ac Sacra ipſius tabernacula, hoc eſt, præſepe, antrum, Golgotha, Crux, viviſicum ſepulchrum, ſion Eccleſiarum arx; aliaque id generis: quemadmodum ait ejus parens David. Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco ubi ſedebunt pedes ejus: quod autem his verbis crucem intelligat, argumentum eſt id, quod ſequitur: exurge in requiem tuam. Comes enim Crucis eſt reſurrectio, nam ſi eorum quorum amore flagramus, & nobis domus chara eſt, & lectus & veſtis, quanto magis ea, quæ Dei & Salvatoris ſunt, per quæ nobis ſalus parata eſt.*

Hinc enim eſt quòd Crux illa, per quam Chriſtus nos redemit, eſt neceſſariò adoranda ab omnibus, velut altare, in quo ſe Deó patri pro nobis obtulit, ut via, aut ſcala per quam ad Cœlum cum Chriſto nos aſcendere oportet, ut declarat ipſemet Chriſtus Math. 16 verſ. 24 dicens Diſcipulis ſuis: *Si quis vult*

Math. 16. *poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam & ſequatur me.* Hæc quidem neceſſitas tollendi crucem pro ſalute conſequenda, reddit eam adoratione dignam, quamvis Chriſtus ibi per verba, *Tollat Crucem ſuam*, idem ſignificet, ac ſi diceret, patiatur pro peccatis ſuis. Quoniam tenemur ſequi veſtigia ejus, qui pro ſalute noſtra patiendo, nobis reliquit exemplum.

Tandem crucem Chriſti eſſe adorandam ſuadent ea, quæ de ipſa dicuntur in Sacra Scriptura, & in ſanctis patribus, nam Apoſtolus ad Colloſſ. 2 declarat, quòd Chriſtus, cruce ſua velut armis,

Crux Chriſti eſt ſalutis noſtræ inſtrumentum. Diabolum expugnavit, ut inquit Eccleſia, *Qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Quòd in cruce proprio ſanguine nos liberavit à poteſtate tenebrarum, adduxit nos in admirabile lumen ſuum, & redemit nos à peccatis noſtris, quibus tamquam debito noſtra voluntate contracto, & veluti Chyrographo manu noſtra conſignato, eramus additi cruciatibus æternis. Declarat inſuper quòd Deus in Chriſto crucifixo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, ut Chriſtus ipſe nos infenſos æterno patri reconciliaret. Unde idem Apoſt. ad Colloſ. 1, affirmat quòd Deus per Sanguinem Crucis Chriſti reconciliavit omnia ſivè quæ in terris, ſivè quæ in Cœlis ſunt. Et Eccleſia monet nos quòd hoc ſignum crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit: igitur, quia redempti ſumus à Chriſto per Crucem, ipſam Crucem adorare tenemur velut principalius inſtrumentum, quo uſus eſt Chriſtus pro redemptione noſtra. Ob hanc cauſam ſignum Crucis Chriſti in omnium ſacramentorum celebratione ab Eccleſia uſurpatur, inquit D. Auguſtinus.

Paria dicunt Sancti Patres de ipſa Cruce, & præſertim idem D. Auguſtinus qui ſerm. de laude Crucis, eam adorat, dicens: *O Crux, quæ Deo hominem* *D. Auguſt.*

conjunxiſti, & à Dominio Diaboli captivantis magnificè ſegregaſti! O Crux, quæ humano generi paſſionem Salvatoris mundi, & redemptionem captivitatis humanæ, vera fide comitante repræſentas incolumem! O Crux quæ quotidie laudes immaculati agni fidelibus dividis Apoſtolis, & dira ſerpentis venena, potu ſalutari depellis, atque Romphæam Paradiſi, ſignatam credentibus ſine intermiſſione reſtringis! O Crux, quæ quotidiè pacem terrenis cum cæleſtibus operaris, & mediatoris mortem, qui de mortuis ſurrexit, & jam non moritur, æterno patri Eccleſia pro Filiis Satagente ſedulò reparas, & ligatione falicisſima, renovas & reformas. Grande & profunde myſterium Crucis, ineffabile atque inſeparabile vinculum charitatis! per Crucem ad ſe traxit omnia Deus. Hoc eſt lignum vitæ, quô deſtructum eſt mortis Imperium.

Unde cum hæc omnia vera ſint, pariter & ſimilia, quæ de Cruce dicunt alii Sancti Patres, quos brevitatis gratia omitto, nullus pietatis compos, & nomine Chriſtiano inſignitus poteſt denegare Cruci cultum latriæ, quo colitur ipſe Chriſtus. Ratio eſt, quia ſecundum Concilium Tridentinum ſeſſ. 26. in decreto *de invocatione* &c. Imago eſt adoranda eadem adoratione, ac Prototypus, ſed Crux eſt imago Crucifixi, ipsâ quidem visâ, ducimur ad notitiam Jeſu Chriſti Crucifixi: ergo eſt adoranda cultu latriæ reſpectivè, ut reliquiæ, & imago Chriſti. Aliæ autem Cruces ſunt etiam ſic adorandæ, non ut reliquiæ, ſed ut imagines Chriſti Crucifixi, ut fuſiùs dicemus contrà Iconoclaſtas pro tuendo imaginum cultu. S. Leo ſerm. 8. de paſſione Domini

Crux eſt adoranda cultu latriæ.

cap. 7. ait: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Juſtum eſt igitur ob tot, tantaque beneficia, eam adorare. Quare idem Sanctus Doctor ait: *O admirabilis potentia Crucis, ô ineffabilis gloria paſſionis, in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi!*

Sanctus Leo

Ruſticus Diaconus in dialogo contrà Acephalos ait: *Clavos quibus confixus eſt Chriſtus, & lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Eccleſia abſque ulla contradictione adorat: & adoramus omnes Crucem, & per illam ipſum cujus eſt Crux.*

Ruſticus Diaconus.

§. III.

Impugnat hæreticorum rationes.

IMpugnatores colendæ crucis, dicunt, Crucem in qua Chriſtus pependit, non eſſe dignam adorationē, licet fuerit inſtrumentum, quo ipſe Chriſtus uſus eſt pro ſalute noſtra. Eorum ratio eſt, quia

Crux fuit inſtrumentum mortuum, & velut altare, in quo Chriſtus ſe obtulit Deo Patri, potius à Judæis, quam à Chriſto aſſumptum, & electum, ut probant varij Sacri textus, & perpetua Eccleſiæ traditio: Igitur ipſa Crux indigna eſt adoratione, quæ eſt effectus, ſeu actus à voluntate elicitus, quo quis efficaciter ſe ſe alteri ſubijcit ob ejus excellentiam, eique ſigna ſervitutis, ſubjectionis, & honoris exhibet: hic autem effectus non poteſt rationabiliter elici circa Crucem, quæ eſt inſtrumentum Judæorum, opprobrium gentium, & ideo nullam excellentiam, nullamque ſuperioritatem habens.

Crux eſt adoranda licet ſit inſtrumentum mortuum.

Reſpondetur, hanc rationem non nocere: nam licet Crux ſit inſtrumentum mortuum, & à Judæis electum, tamen ſummam aliquam excellentiam habet, ſeu eam, quam obtinuit à prætio, & valore Paſſionis Chriſti, qui cùm factus fuerit Redemptor, & opus redemptionis hominum perfecerit in Cruce, & in ipſa fieri Judex meruerit, ab eo ſummam excellentiam recepit. Unde ſicut ſubditi ſe ſe ſubijciunt Tribunali, aut Throno Principis, & in ipſo excellentiam quamdam regiam colunt, & venerantur, dum hanc ſedem conſiderant in ordine ad Regem, qui in eo ſedet, & judicat ſubditos ſuos. Ità homines Cruci Chriſti Domini ſe ſe ſubijcere debent, nedum corpore, verùm etiam cordis affectu, & in ea, excellentiam & ſuperioritatem venerari cùm ipſa Cruce, Chriſtus domuerit orbem, Principem hujus mundi ejecerit foras, ſibique ſubjecerit omnes nationes: factus eſt enim principatus ſuper humerum ejus, hoc eſt regia ejus dignitas effulſit, dum Crucem portavit ad locum ubi erat Crucifigendus.

Crux non eſt pura Judæorum inventio.

Falſum eſt aliud hæreticorum fundamentum, nempè, quòd Crux illa ſit inſtrumentum potius à Judæis aſſumptum, & electum, quàm à Deo. Quia præviſo Adæ peccato, Deus decrevit Crucem illam eſſe tribunal atque, altare Chriſti ſatisfacientis pro peccatis noſtris, ac reconciliantis nos Deo Patri peccatis noſtris offenſo, ut teſtantur Apoſtoli, Act. cap. 4. verſ. 27. & 28. ubi dicunt: *Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus Sanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Iſraël, facere quæ manus tua, & Conſilium tuum decreverunt fieri*, idcircò malitia Judæorum hujuſmodi Crucem eligentium, illi nullam ignominiam tribuit, nec offudit illam ſummam gloriam, quam accepit à paſſione Chriſti, quâ ipſa Crux, quæ Judæis erat opprobrium, & ſignum ignominiæ, facta eſt gloria & gaudium. Chriſtianorum: *Crux enim*, inquit Caſſiodorus in Pſal. 4. *Eſt humilium invicta tuitio, dejectio ſuperborum, victoria Chriſti, perditio Diaboli, infernorum deſtructio, cæleſtium confirmatio, mors infidelium, juſtorum vita.*

Caſſiodorus

Quare Paulus ad Galat. cap. 5. verſ. 11. ait: *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis*, ut ſuadeat, Crucem per Paſſionem Chriſti fuiſſe Sanctam. Exinde profanis uſibus interdicta fuit Crux in Concilio Trulano, Can. 3. & vetitum fuit à Conſtantino nè amplius ad Reorum ſupplicia exequenda deſtinaretur, ut refert Euſebius. Hinc eſt quòd D. Auguſtinus ſerm. 2. in Pſal. 36. ait: *Crux jam de pœna generis humani ſublata eſt, & finita, finita eſt in pœna, manet in gloria, à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum qui tantum honorem dedit pœnis ſuis, quid ſervat fidelibus ſuis?* & D. Chryſoſtomus in oratione *quod Chriſtus ſit Deus*, ait: *Hoc mortis genus diademate quovis glorioſius eſt, nam Reges poſitis diadematibus, Crucem ſuſcipiunt.*

D. Auguſt.

Replicant hæretici. Si Crux in qua pependit Chriſtus eſſet adoranda, quia fuit inſtrumentum aſſumptum à Deo pro redemptione noſtra, ſequeretur quòd Clavi & Lancea deberent etiam eadem ratione adorari, ſed non adorantur, quia adorarentur etiam omnes Clavi propter ſimilitudinem, ſicut adorantur omnes Cruces, quòd tamen non fit, nullus quidem eſt, qui Clavos, Lanceas, & ſimilia paſſionis inſtrumenta adoret.

Cur non adorantur omnes clavi ſicut omnes Cruces.

Non valet hæc inſtantia, nam Clavi, quibus Chriſtus fuit fixus Cruci, & lancea, quæ latus ejus aperuit, adorantur eodem cultu, quo Crux: quamvis alij Clavi, & Lanceæ non adorentur; ſicut aliæ Cruces adorantur ab omnibus, & univerſis Catholicis. Ratio diſparitatis eſt, primò quia Clavi, & Lancea ſunt partes Crucis, quatenus eſt altare, in quo Chriſtus ſe obtulit Deo Patri Crucifixum, oblationem, & Hoſtiam in redemptionem hominum, aut quatenus repræſentat Chriſtum pro nobis patientem, ideoque adorari debent ſicut ipſæ Cruces, ſed alij clavi non debent adorari, ſicut aliæ Cruces, quoniam iſtæ adorantur ex eo quod repræſentant Crucem integram in ratione ſupplicij, in quo mortuus eſt Chriſtus; Clavi autem non repræſentant talem ſimilitudinem, quia nullus eſt Clavus, qui ſit ſimilis, aut dicat reſpectum ad Clavos Crucis, quatenus ſunt partes Crucis, nec ex ipſorum aſpectu recordamur mortis Chriſti, ſicut ex aſpectu cujuſlibet Crucis.

Altera diſparitatis ratio.

Secundò, Clavi, & Lanceæ non aſſumuntur ad repræſentandam mortem Crucis, habent enim alium finem, & ad alium uſum ex propria inſtitutione deſtinantur, ideoque non debent adorari, niſi propter contactum, ſeu quia tetigerant Corpus Chriſti, at quilibet Clavus non tetigit Corpus Chriſti. Quælibet Crux eſt ſignum redemptionis noſtræ, repræſentatque mortem Chriſti, ideoque propter illam repræſentationem, eſt colenda, Clavi verò ſunt adorandi tantum propter contactum. Undè cùm tantum illi Clavi, quibus Chriſtus fuit Cruci affixus, ipſius carnem tetigerint, & quælibet Crux repræſentet Crucem in qua mortuus eſt Chriſtus, ſequitur quòd quælibet Crux eſt adoranda, & omnes Clavi non ſunt adorandi, nec omnes lanceæ; quapropter Apoſtolus non in Clavis, nec in Lancea, ſed in ſola Cruce gloriatur, dicens: *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et Beatus Andreas dixit. *Salve Crux pretioſa, ſuſcipe diſcipulum ejus, qui pependit in te magiſter meus Chriſtus.* Ibi enim nulla fit clavorum mentio, quia Clavi erant pars Crucis; ideoque non habent ſimiles ſub hoc titulo Clavos.

Inſurgunt inſuper & dicunt quòd contactus, quem Clavi, Lancea, & Crux habuerunt cum Chriſto Crucifixo, non ſufficiunt ad merendam adorationem, alioquim terra, quam pedibus calcavit, Malchi manus, quæ Chriſtum colaphis cædit, os Judæ proditoris, & aſina apparatu triumphali Jeruſalem intrans, quà inſedit, eadem ratione deberent adorari latriâ. Quod nullus Catholicorum admittet: ergo contactus non ſufficit, ut Crux, etiam illa in qua mortuus eſt Chriſtus, adoretur.

Reiicitur altera comparatio.

Reſpondeo negando inſtantiam, ad cujus probationes dico quòd ſi terra illa, quam Chriſtus tetigit, fuiſſet aſſervata, poſſet adorari ob ejus contactum, eſſet etiam terra ſancta, ſecùs de aſina, quæ non eſſet adoranda, ſi adhuc exiſteret, quia ex ſe eſſet incapax excellentiæ, & nobilitatis, aut dignitatis, nullumque ordinem haberet ad Chriſtum ſanctificatorem, nam quilibet contactus non ſufficit unicuique ſubſtantiæ; requiritur inſuper quòd ſubjectum ſit capax excellentiæ, & benedictionis, aut quòd ipſo Chriſtus uſus fuerit ad redemptionem, & ſanctificationem noſtram. Aut quòd ad Chriſti

Digitized by Google

redemptoris recordationem nos perducat, ut ex dictis ſuprà facilè colligitur, quòd de Aſina dici tepugnat ex utraque parte. Idem dico de terra, & aliis ſimilibus, quæ Chriſtus tetigit, cùm nullam relationem ad illum dicant.

Plura Chriſtum tetigerunt, quæ tamen non ſunt adoranda.

Quantum ad manum Malchi, os Judæ proditoris & ad carnificum brachia, dico, quòd non debent adorari: quamvis ſint ſubjectum capax excellentiæ & dignitatis. Ratio eſt quia membra illa tetigerunt Chriſtum cum ſævitia, invidiâ, odio, & contumeliis, quibus hæc membra, potiùs horrenda, quàm veneranda fiunt, quìa ex contactu illo corporis Chriſti, potiùs maculam, quàm ſanctitatem contraxerunt; quippè contactus ille utpotè contumelioſus, grande peccatum erat. Quare Propheta regius hæc omnia conſiderans Spiritu prophetico ait: *Quanta malignatus eſt inimicus in Sancto.* Ut autem contactus ſufficiat ad ſanctitatem ſuſcipiendam, neceſsè eſt quòd fiat abſque ulla attingentis iniquitate; alioquin manus Malchi, Brachia Judæorum, & os Judæ proditoris, de malo, bonum reportaſſent.

Dicunt tandem hæretici quòd adorare lignum, aut aliam creaturam, eſt crimen Idololatriæ, ut conſtat ex hoc præcepto, *unum Deum coles.* Crux autem eſt lignum ſubſtantialiter, ac proindè adorare Crucem, eſt crimen Idololatriæ prædicto præcepto oppoſitum.

Reſpondetur quòd adorare lignum ſimpliciter, & credere illud eſſe ſubſtantialiter, & ſecundum ſe aliquod numen, aut aliquòd ſupremum bonum, eſt crimen Idololatriæ; ſed adorare lignum, ſeu Crucem quatenus in illa, vel in alia ſimili, Chriſtus pro nobis pependit, & mori voluit, non eſt crimen Idololatriæ, nec opponitur huic præcepto: *unum Deum coles*, ſed potius eſt actus juſtitiæ, & Religionis: nam in illa adoratione nihil aliud Cruci tribuimus, quàm quod credimus, Chriſtum Dominum in ea, vel in alia ſimili, pro nobis omnibus mortem ſubiiſſe, tantumque beneficium agnoſcentes, & prætij Sanguinis effuſi memores ex aſpectu Crucis, Genibus flexis, nudatoque vertice ſervitutem profitemur, quòd certè non eſt actus Idololatriæ, ſed Juſtitiæ, & Religionis, quem exigit id, quod inſtitutum eſt ad nobis repræſentandam paſſionem, & mortem Chriſti. Nonnè qui credit, Chriſtum fuiſſe pro nobis Cruci affixum, dum id in memoriam reducit, non poteſt ſine injuſtitia, & impietate, Chriſtum amantem non redamare. Crux autem Chriſtum pro nobis Crucifixum reducit in memoriam; ergo Crucem illam adorare, non eſt adorare lignum præcisè ut tale, neque eſt actus Idololatriæ, ſed actus Religionis, & Juſtitiæ. Etenim dum Crucem adoramus, mens noſtra non fertur ad ſubſtantiam, aut materiam ligni, ſed ſolùm ad id, quod Crux ipſa repræſentat, Dei ſcilicet filium in Cruce pro nobis patientem, & indè adoratio, quæ Cruci exhibetur, dicitur reſpectiva, ut optimè explicat Petrus Cluniacenſis, Epiſt. 2. adversùs Petrobruſianos his verbis: *Lignum non colimus, aut adoramus, quia manet ſententia, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, ſed dum Crucem me adorare Credo, & dico Crucifixum Dominum Deum meum eſſe, meque illi ſoli ſervire debere profiteor ...... etenim cum dico: mortem Domini, reſurrectionem Domini, Aſcenſionem Domini, adoro non aliud, quàm mortuum Dominum, reſurgentem Dominum, aſcendentem Dominum, imo Dominum qui mortuus eſt, qui reſurrexit, qui aſcendit, me adorare profiteor. Simili intellectu cum ante crucem humiliatus proſternor, eum, qui in ipſa olim pro requie noſtra tortus, pro vita noſtra mortuus eſt, ut Deum & Dominum, cui hoc ſoli debetur, adoro.*

Adoratio Crucis eſt actus juſtitiæ, & religionis.

Petrus Cluniacenſis.

Idem declaratur ex Trident. ſeſſ. 25. in decreto de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus, ubi decernitur, imagines Chriſti eſſe colendas, non quod credatur ineſſe aliqua ex iis divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quia honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant, ità ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur id quod conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi, decretis contra imaginem oppugnatores, eſt Sancitum. Ita Concilium Tridentinum.

Concilium Tridentin.

ARTICULUS LVII.

Reijcit errorem Fælicis Urgelitani, & Elipandi Toletani aſſerentium, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum.

Hujus hæreſis author

Contrà Chriſti filiationem plures inſurrexerunt Hæretici. Horum tamen primus non eſt Fælix Urgelitanus Epiſcopus, nec Elipandus Archiepiſcopus Toleranus, ut referunt communiter Scriptores, paucis exceptis, qui poſt Philaſtrium aſſerunt quòd quidam Epiſcopus nomine Bonoſius (de quo fuit ſermo in articulo contra Antidicomarianitas) circà annum Domini: CLVIII, tempore Conſtantij Imperatoris, & Liberij Papæ, docuit, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum, non autem naturalem, & proprium. Undè hæc hæreſis olim dicebatur Bonoſiana, aut Monoſiana, quia nonnulli pro Bonoſio, Monoſium legebant, teſte eodem authore. Reverà hæc hæreſis nullum alium habuit defenſorem à Bonoſio uſque ad annum DCXLII, quo tempore Theodiſclus in Epiſcopatu Hiſpalenſi, Sancti Iſydori ſucceſſor, docuit, Chriſtum ut hominem eſſe Filium Dei adoptivum, ſecluſa omninò filiatione naturali, & propria. Sed diligentiâ, & zelo quorundam Epiſcoporum Hiſpaniæ, ſtatim hæc peſtis ceſſavit. Et ſic ſopita, & ferè extincta remanſit hæc hæreſis, uſque ad Fœlicem Urgelitanum ſcilicet ab anno DCXLII uſque ad annum DCCXCII, quo tempore Fœlix Urgelitanus, & Elipandus Toletanus, regnante in Gallis Carolo magno, Romæ verò ſedente Adriano I. extinctam, & compreſſam hæreſim reſtaurarunt, & dixerunt, Chriſtum ut hominem eſſe Filium Dei adoptivum dumtaxat. Hocque erroris ſui veneno infecere diverſas Provincias. *Elipandus*, Aſturias, & Gallæciam *Fœlix*, Galliam, ac Germaniam afficere fruſtrà conatus eſt, ut refert doctiſſimus Eginhardus in Annalibus ubi ait:

Bonoſius

Theodiſclus

Urgelitan.

Elipandus

Urgelis eſt Civitas in Perinei montis jugo ſita, cujus Epiſcopus nomine Fœlix natione Hiſpanus ab Elipando Toleti Epiſcopo, opinione Theodiſcli prædeceſſoris ſui moto, per litteras conſultus quid de humanitate Salvatoris Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſentire deberet, utrum ſecundum quod homo eſt, proprius, an adoptivus Dei Filius eſſet credendus, ac dicendus, valde incautè, & inconſideratè, & contra antiquam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, adoptivum non ſolum pronunciavit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris pertinaciſſimè pravitatem opinionis ſuæ defendere curavit. Hujus rei causâ ductus ad palatium Regis, qui tunc apud Reginum (*Ratiſbona*) Baioariæ civitatem, in qua & hiemaverat, reſidebat, ubi

Congregato Epiſcoporum Concilio, auditus eſt, & erraſſe convictus ad præſentiam Adriani Pontificis, Romam miſſus, ubi etiam coram Ipſo hæreſim confeſſus eſt, atque abdicavit: quo facto ad ſuam civitatem reverſus eſt. Ita idem Doctor, apud Fraſſenium noſtrum quæſt. proem. 5 *De erroribus circa Chriſti filiationem* ; porrò fuit inconſtantiſſimus ipſe Fœlix, nam hæreſim jam ejuratam, ac damnatam, adhortante Elipando Tolerano, ſuſcitavit, ut refert Alcuinus lib. 1. adverſus Elipandum.

An Felix & Elipandus in hæreſi perſeveraverint.

An ambo in hac hæreſi perſeveraverint uſque ad mortem. Quantum ad Fœlicem, dico cum Agabardo, & Adone Viennenſis Chron, quòd inventa poſt ejus obitum Schedula, dubiam ejus converſionem haberi fecit. Quantum ad alium ſcilicet Elipandum, dico poſt plures hiſtoricos fide dignos, quód fuit ejuſdem opinionis uſque ad Senectutem ſed tandem ceſſit veritati, & Conciliorum definitioni ſtetit uſque ad mortem.

§. I.

De hujus hæreſi proſcriptione.

Concilium forojulienſe

HÆc hæreſis damnata fuit in Concillo Forojulienſi ſub Forojulij Epiſcopo, & Paulino Patriarcha circá annum Domini DCCXCI, Imperante Carolo magno. Et Summo exiſtente Pontifice Adriano primo, in quo nedùm definitum fuit Spiritum S. a patre, filioque procedere, ſed etiam Chriſtum, verum eſſe ac proprium Dei Filium in utraque natura, non verò adoptivum, ut oſtendent verba ejuſdem Concilij infrà adducenda. Forumjulium eſt civitas Italiæ propè Aquileiam. Deindè Anno ſequenti eadem hæreſis Fœliciana damnata fuit in Ratisbonenſi ad Danubium Synodo, in qua ipſe Fœlix Urgelltanus pœnitentiâ ductus, ſuam damnavit hæreſim. Et per Angilbertum Abbatem indè Romam deductus, veniam recepit à Summo Pontifice, & in Epiſcopatum ſuum regreſſus eſt. Veruntamen iterùm ab Elipando Toletano Archiepiſcopo ſeductus, quaſi Sus lota ſe rursùs volutabro dedit, & vomitam hæreſim, quaſi Canis reſorbuit, ut jam monui ſupra.

Ratisbon.

Uterque videlicet tam Fœlix Urgelitanus Epiſcopus, quàm Elipandus Archiepiſcopus Toletanus, posteà damnatus fuit anno DCCXCIV in Concilio Francofordienſi celebrato juſſu Adriani primi ſub Carolo-Magno Imperatore. Celeberrimum fuit illud Concilium. Quia ex toto occidente, Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Germania trecenti confluxerunt Epiſcopi, qui omnes fuerunt præſentes, & conſentientes huic Synodo, cui etiam præſens ipſe Carolus interfuit, duoque Apoſtolici Legati Theophilatus, & Stephanus, ut in chron. Adonis refertur: quarta Synodus contra Fælicianam hæreſim Romæ celebrata eſt à Leone III, hortatu Caroli magni anno DCCXCIX: altera paritèr contrà eamdem hæreſim celebrata fuit Synodus Aquiſgrani, eodem anno, in ipſa, Alcuinus S. Martini Turonenſis Abbas, Caroli Magni juſſu diſputavit cum Fælice Urgelitano, ipſum convicit, & ad rectæ fidei profeſſionem revocavit.

Francofordienſe.

Romanum ſub Leone III.

Aquiſgranenſe.

§. II.

Probat Chriſtum non eſſe Filium adoptivum.

NUllam aliam filiationem eſſe in Chriſto præter naturalem, manifeſtè colligitur ex Sacra Scriptura, Joan. 20 ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Apoſtolis: *Aſcendo ad patrem meum, & Patrem veſtrum,* ex quo infertur, Chriſtum (etiam ut hominem) habere diverſam filiationem, ſeu Apoſtolos non eſſe Filios Dei, ea filiatione, quâ Chriſtus ut homo eſt Filius ejus, ſed Apoſtoli erant Filij Dei adoptivi, ut fatentur omnes: ergo Chriſtus ut homo, non eſt Filius Dei adoptivus, qua filiatione Apoſtoli erant Filij ejus, ut notat Adrianus dicens. *Chriſtus non dicit aſcendo ad patrem noſtrum, ſed ad patrem meum, natura videlicet, & ad patrem veſtrum beneficiò & gratia.* Certò ille Summus Pontifex his verbis ſuadet, Chriſtum non eſſe Filium Dei ea filiatione, quâ nos Filij ſumus, putâ adoptione, ſed aliâ, nimirum naturali, & propriâ.

Adrianus Papa.

Fateor cum adverſariis quòd ex puris negativis nihil benè conficitur, & perconſequens quòd hæc authoritas Adriani poteſt rejici ab hæreticis tamquam inſufficiens ad excludendam filiationem adoptivam, quoniam exiſtimant hanc poſſe cum naturali, & propria in Chriſto ſubſiſtere. Hic tamen non eſt parui momenti hæc Adriani authoritas. Nec parum facit ad caſum, cùm enim Chriſtus ſæpè, Filius Dei dicatur in Sacra Scriptura, cur non diceretur ſemel Filius adoptivus, ſi reverà talis eſſet? Igitur cùm in nullo loco dicatur Filius Dei adoptivus, ut notant plures Sancti Patres, & præſertim Divus Auguſtinus lib. contra Secundinum Manichæum cap. 3. ubi ait: *Lege Scripturas, numquam invenies de Chriſto dictum, quod adoptione ſit Filius,* ſequitur quòd ex Sacra Scriptura, Chriſtus non eſt Filius Dei adoptivus, ſed ſolum naturalis & proprius.

D. Auguſt.

Non valet objicere ad reijciendam authoritatem D. Joannis, nec non authoritatem Adriani, Chriſtum præſentibus Apoſtolis dixiſſe Math. 6. verſ. 9. *Pater noſter qui es in Cœlis.* Quia ibi tradidit illis formam orandi, eoſque docuit methodum petendi à Deo Patre panem quotidianum, remiſſionem peccatorum, & alia bona ſpiritualia. Nam cap. 26. verſ. 42. pro ſe orans ait: *Pater mi &c.* ut indè videamus quod ipſe Chriſtus etiam ut homo, non eſt Filius Dei beneficiô, & gratiâ, ut Apoſtoli, ſed naturâ, quâ non eſt Pater Apoſtolorum, ſicut Chriſti. Undè ipſe Pater in monte excelſo præſentibus Moyſe, Elia & tribus Chriſti Diſcipulis, dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* His quidem verbis diſtinxit eum ab Apoſtolis aliqua filiatione, ſcilicet naturali. Quare Apoſtolus ad Rom. 8. ait de Deo Patre, & Chriſto loquens: *Qui proprio filio ſuo non pepercit,* nam ſi proprium appellat, quomodo erit adoptiuus? cum Filius proprius ſit naturalis: & naturalis non poſſit eſſe adoptivus, ut conſtat ex reſponſione Adriani Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

Rom. cap. 8.

Quod autem verba Apoſtoli ſint referenda ad Chriſtum ut hominem, colligitur ex verbis ejuſdem Apoſtoli, quæ immediate ſequuntur: *Sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quæ exponens idem Adrianus inquit. *Quia non eſt traditus ſecundum divinitatem, ſed ſecundum id quod homo erat: illum nimirum qui traditus eſt hominem, ipſum Apoſtolus proprium Dei Filium proteſtatur.* His ſuffragatur D. Gregorius lib. 2. & 6. moralium ubi ait: *Deus Pater unicum filium ſuum in utero Virginis humana natura conjungens, Deum ante ſæcula ſibi coæternum fieri voluit hominem in fine ſæculorum, & quem ſine tempore genuit, ſalvandis hominibus cum tempore oſtendit:* igitur Chriſtus ut homo, non eſt Filius Dei adoptivus per gratiam, quam dedit nobis ipſe, ut eſſemus Filij Dei, juxtà illud Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.* Quæ verba exponens D. Auguſtinus tract. 2. ait: *Non enim nos nati ſumus de Deo quomodo ille unigenitus, ſed adoptati per gratiam ipſius: Ille enim venit unigenitus, ut ſolveret pec-*

D. Gregor.

D. Auguſt.

cata

ſata quibus peccatis implicamur ne non adoptaret nos propter impedimentum eorum. Authoritas hæc non eſt intelligenda de Chriſto ſecundum divinitatem, quia in hoc ſenſu, Chriſtus non habuit fratres adoptatos, ſed intelligenda eſt de Chriſto quatenus eſt homo, qui cùm ſit proprius Filius Dei, ex Apoſtulo non poteſt in eodem ſenſu eſſe Filius adoptivus, ut docet Synodus Forojulienſis. His verbis, *Non alter hominis Filius, & alter Dei, ſed unus, idemque Dei, hominiſque Filius, in utraque natura divina ſcilicet & humana, Deus & homo verus, non putativus Dei Filius, ſed verus, non adoptivus, ſed proprius, quia numquam fuit propter hominem, quem aſſumpſit, à patre alienus.*

Concilium Forojulienſe.

Idem declarat Concilium Francofordienſe in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, editionis Colonienſis, pagina 553, columna a circa initium ubi legitur: *Adoptivus ſiquidem non habet aliam ſignificationem, niſi ut Jeſus Chriſtus non ſit proprius Filius.* Hinc eſt quòd ex mente Apoſtoli, & Concilij Francofordienſis (quibus nemo poteſt citra hæreſim contradicere) Chriſtus non poteſt dici Filius Dei adoptivus, quia non eſt à Patre alienus, ſeu extraneus, ſed eſt proprius, ac ille, quem Deus ſine tempore genuit, & quem Salvandis hominibus cum tempore oſtendit, ut inqoir Divus Gregorios ſuprà citatus. Item Sanctus Hilarius Pictâvienſis Epiſcopus, qui lib. 3 de Trinit. ait: *Multi enim nos Filij Dei, ſed non talis hic Filius eſt, hic enim verus & proprius Filius eſt origine non adoptione, veritate, non nuncupatione, nativitate, non creatione.*

Concilium Francofordienſe.

S. Hilarius

Per Chriſtum Juſti facti ſunt Filij Dei adoptivi, quia per ipſum (ex cujus plenitudine nos omnes accepimus) nobis data eſt gratia, quæ eſt Spiritus ille, qui teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus Filij Dei, & in quo Clamamus Abba pater, ut docent communiter Theologi, ex Sacra Scriptora, & ut definitum fuit in Tridentino ſeſſ. de Juſtificat. Can. 10. Igitur Chriſtus, qui non duo, ſed unus eſt Filius, non poteſt eſſe Filius Dei adoptivus, etiam quatenus homo eſt, & Filius Mariæ. Hujus conſequentiæ veritatem detegit, & ſic refert Adrianus, dicens: *Quomodo per illius gratiam nos ſumus adoptati, ſi & ipſe conſors nobis in adoptionis gratia fuit? nam ſicut peccatum non tolleret, ſi ipſe peccatum haberet, ità adoptionis gratiam non tribueret, ſi ipſe propter hominem, quem aſſumpſit ſine ſorde peccati, neceſſarium habuerit ut gratiam adoptionis acciperet.* His quidem verbis ille Sanctus, ac Pius Pontifex intendit aſſerere, quòd ſi nos ſimus adoptati per gratiam Chriſti Domini, ut apud omnes Chriſtianos cautum eſt, ipſe Chriſtus non poteſt eſſe adoptatus eadem gratià, ſed adoptans, quemadmodum enim non eſt redemptus, quia nos Sanguine ſuo redemit; ità nec eſt adoptatus, quia gratià ſuâ nos adoptavit.

In Chriſto nulla eſt filiatio adoptiva

Idem colligitur ex citata Epiſtola Concilij, pagina 549 column. 2. circa medium, ubi legitur de Chriſto. *Si verus Deus, & verus Filius, & ſi verus Filius, nequaquam adoptivus, quia adoptivus, ſicut in teſtimenio Divi Hilarij poſitum eſt, non verè naturâ eſt Filius*, quod idem eſt ac dicere: *Chriſtus nullo modo eſt Filius adoptivus*, ut evidenter patet ex hac particula, *nequaquam*, quæ eſt omninò excluſiva rei, de qua profertur, ut probat uſus, quem ex ipſa auſus eſt aſſumere Serpens parentibus noſtris immortalitatem ſuadere contendens his verbis, *nequaquam moriemini*, Geneſ. cap. 3, verſ. 4. Unde ſi ex mente Concilij Chriſtus nullo modo ſit Filius adoptivus, nullus poteſt dicere quòd Chriſtus (poſita etiam hac additione, *ut homo eſt*, aut *ſecundum humanitatem*) ſit Filius Dei adoptivus; quin contradicat Concilio Francofordienſi.

Eamdem veritatem ſuadet ratio fide roborata principiis. Nam ut Chriſtus quatenus eſt homo, ſit Filius Dei adoptivus, neceſsè eſt quòd Deus adoptaverit per gratiam Filium Mariæ, quia Chriſtus ut homo, eſt Filius verus, & verè natus de Utero ipſius Virginis, quæ nedum eſt mater Chriſti, ut homo eſt, ſed etiam ut Deus eſt, cùm in Chriſto non ſint duo Filij. Et Maria ſit vere Mater Dei ut, jam dictum eſt contrà Neſtorianos: ſed Deus non adoptavit gratià ſuâ Filium Mariæ, idcircò nec Chriſtum ut hominem, ac proinde ipſe Chriſtus, etiam quatenus homo eſt, non eſt Filius Dei adoptivus. Major mihi videtur inconcuſſa, minor verò in qua conſiſtit difficultas, probatur: Maria Virgo eſt verè Mater Dei, ut fuit contrà Neſtorium in Concilio Epheſino definitum, Filius Mariæ eſt Filius Dei, veruſque æterni Patris Filius: ergo Deus non adoptavit gratià ſuâ Filium Mariæ, ſicut Maria non potuit adoptare Filium Dei. Ratio eſt quià Deus non adoptavit Filium ſuum, qui eſt etiam Filius Mariæ; alioquin Chriſtus ut homo, eſſet Filius adoptivus Mariæ, ſicut Dei. Porrò cùm falſum ſit, nulluſque hactenùs ſomniaverit, Chriſtum eſſe Filium adoptivum Mariæ, dicendum eſt quòd Chriſtus non eſt Filius adoptivùs Dei, ſed naturalis, ſicut eſt Filius naturalis Virginis. Hujus rei ratio deſumitur ex Epiſtola Adriani ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua, pagina 152, column. 2. circà medium, legitur, *Unitas perſona, qua eſt in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam.* Et ex Gregorio Magno lib. 1. Moral. cap. 6. de Chriſto ſic loquente: *Omnes qui in fide Deo naſcuntur, ſuperat, quia non ut cæteros adoptio, ſed natura illum divinitatis exultat.* Nam ſi Chriſtus habet unicam perſonam, ut fides docet, non duo, ſed unus eſt Filius Dei, ac Mariæ naturalis.

Deus non adoptavit Filium Mariæ.

Dices, Deum adoptaſſe humanitatem Chriſti, quam Maria genuit, & quà unà cum ſuppoſito divino conſtituitur Chriſtus ut homo, qui eſt adoptabilis, & extraneus, quoniam humanitas eſt creata, dependens, & finita.

Non nocet hæc inſtantia. Quia humanitas illa non potuit prius adoptari, quàm aſſumi: non enim potuit adoptari, niſi ſubſiſtens, nec ſubſiſtere niſi aſſumpta; cùm humanitas Chriſti ſubſiſtat ſubſiſtentià Verbi. Et adoptio ſit aſſumptio extraneæ perſonæ in hæreditatem. Ideoque Deus non potuit adoptare Chriſti humanitatem, & non adoptare eam ut perſonatam; ſeu adoptare eam ſine perſona, ratione cujus Maria eſt Mater Dei, ſeu Verbi, in eo inſtanti, in quo Deus eſt homo, & homo eſt Deus: ſed Deus non poteſt adoptare perſonam Chriſti, ſeu Chriſtum quatenùs Deus eſt: ergo nec quatenus eſt homo, & Filius Mariæ: quia Chriſtus quatenus eſt Deus, & quatenus eſt hòmo, eſt una, eademque perſona duas habens naturas, divinam ſcilicet & humanam, idiomatum communicationem inter ſe contrahentes. Dicimus enim Deus eſt homo, & homo eſt Deus, ut docent communiter omnes Theologi, quia nullum fuit inſtans, in quo Chriſtus fuerit homo, & non fuerit Deus, aut fuerit Deus, & non fuerit homo, ac proindè in quo non habuerit jus ad gloriam, quæ eſt finis adoptionis.

Natura humana non potuit prius adoptari, quam aſſumi.

Ex hoc ſequitur primo, Chriſtum non potuiſſe adoptari quatenus eſt homo, & non adoptari quatenus eſt Deus 2. non potuiſſe adoptari quatenus eſt homo, ſi non potuerit adoptari, quatenus eſt Deus, quoniam ut jam dixi, in eodem inſtanti, in quo Deus

fuit hom,homo fuit Deus. Hinc eſt quòd cùm Chriſtus non potuerit adoptari ſecundum divinitatem, ſequitur quòd potuit adoptari ſecundum bumanitatem. Tum ratione communicationis Idiomatum, quâ in Chriſto, Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Tum repugnantiâ Filij Dei ad extraneitatem, ſeu ad adoptionem: Nam ſi Deus ſit homo in Chriſto, & homo ſit Filius adoptivus, neceſsè eſt quòd Deus ſit Filius adoptivus. Quòd implicat à ptincipio intrinſeco, ſeu à Filiatione propria, aut naturali, quam illi attribuit Scriptura variis in locis, ut pater ex jam dictis ſuprà.

Adverſarij reſpondent non magis repugnare quòd Chriſtus habeat filiationem naturalem, & æternam ſecundum quod Deus eſt reſpectu Patris, à quo ab æterno generatur. Et ſecundum quòd homo eſt, habeat filiationem adoptivam reſpectu ejuſdem Patris, à quo homines in tempore adoptantur, quàm quod habeat filiationem æternam reſpectu Patris ſecundum quod eſt Deus, & filiationem temporalem reſpectu matris, ſecundum quod homo eſt, ac proindè volunt non repugnare quôd Chriſtus, ob duas naturas, ſit Filius Dei naturalîs, & adoptivus, ſicut non repugnat quòd ſit Filius Dei ab æterno, & Filius Mariæ Virginis in tempore.

Reſpondeo, argumentum non valere, & paritatem nullius eſſe momenti, qnia verbum ab æterno genitum á patre, potuit ratione ſubſiſtentiæ ſuæ terminare actionem generativam Virginis in tempore, humanitatem ſubſtentare, eique propriè præſtare effectus, quos præſtarer perſonalitas creata, ſi ad fuiſſet: alioquin Incarnationis myſterium fuiſſer impoſſibile. At quia hoc ita factum fuit in myſterio Incarnationis, ut credunt omnes Chriſriani, demptis Neſtorianis, ſequitur quòd Chriſtus remanens unus, & idem, eſt Filius Dei ab æterno, & Filius Virginis in tempore, ut definitum manet in Symbolo Nicæno, quia Verbum in æternitate genitum, unit ſe bypoſtaticè humanitati in tempore. Nec poteſt ab adverſarijs reijci hæc ratio, cùm omnes Theologi teneant communiter unam perſonam divinam poſſe aſſumere plures naturas creatas. Et tres divinas perſonas non poſſe aſſumere eamdem naturam humanam. Sed filiatio adoptiva non poteſt ſtare ſimul cum naturali reſpectu ejuſdem Patris, ità ut filius poſſit adoptari à Patre, à quo geuitus eſt, tum quia adoptio non convenit naturæ ſecundum ſe conſideratæ, ſed perſonæ ſeu ſuppoſito naturam terminanti. Tum quia adoptare aliquem in filium, eſt optare illum in Filium, & velle quod ſir Filius; cùm adoptandus juxtà adoptionis definitionem, non ſit talis naturaliter, ſed alienus, & extraneus. Quòd dici non poteſt de Chriſto conſiderato etiam quatenus eſt homo reſpectu Patris æterni, quia ipſe Chriſtus eſt homo, & Deus, eſt Filins Mariæ & Filius Dei naturalis, ut ſuader D. Ambroſius lib. a in cap. a. Lucæ ubi ait: *Cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quòd eſt Filius.*

Duæ ſunt in Chriſto relationes filiationis, una eſt ad patrem, & altera ad matrem.

D. Ambroſius.

His addo hanc etiam rationem. Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam, id eſt Pater voluit Filium ſuum fieri hominem, ut homo fieret Filius Dei proprius, & naturalis ratione perſonalitatis divinæ, vel adoptivus? Non boc ſecundum. Quia vir juſtus eſt Filius adoptiuus Dei; quin illi hypoſtaticè nniatur divinitas, ideoque admittendum eſt primum, ſcilicet verbum aſſumpſiſſe hominem, ut hic homo eſſet Filius naturalis, & proprius Dei, ut moner D. Auguſtinus ſerm. 13 de temp. ubi ait: *Factus eſt Deus homo, ut homo fieret Deus.* Item Divus Ambroſius lib. 1. de Virginibus: *Verbum caro factum eſt, ut caro fieret Deus*; Igitur non apparer unde Chriſtus ſecundum humanitatem fuerit adoptatus, aut Filius Dei adoptivus; cùm bomo fuerir aſſumptus, ut eſſet Filius proprius, & haberet Jus naturale ad hæreditatem ratione perſonalitatis divinæ gerentis vices perſonalitatis humanæ, quæ ſi adfuiſſet, Chriſtus ut homo potuiſſet adoptari.

Naturalis Chriſti filiatio probatur ex Incarnationis motivo.

Reponunt adverſarij, ae dicunt, adoptionem convenire perſonæ ratione naturæ, & inde concludunt in Chriſto duas poſſe admitti filiationes reſpectu Patris, naturalem ſcilicèt, & adoprivam. Quia duas habet naturas, ntpotè divinam, & humanam, rarione quarum illi competere poſſunt duæ filiationes, unaquæque juxtá propriam naturam.

Reſpondetur, adoptionem convenire perſonæ ratione naturæ modo convenienti, & poſſibili: certum enim eſt quòd quidquid recipitur, ad modum recipienris recipitur, & quidquid convenit alteri, convenit ei juxtà ſuam capacitarem, & ſtar in ipſo ſine ſuo effectu, ſi illum recipere nequeat ex ſe, ant ob aliquam conditionem oppoſitam. V. g. naturæ humanæ eſt habere perſonalitatem propriam, tamen in Chriſto non habet eam propter unionem cum natura divina, quæ habet perſonalitatem Verbi increati omuinò incompaſſibilem cum perſonalitate humana; atqui filiario adoptiva repugnat perſonæ divinæ; quæ cùm extranea non ſit reſpectu Patris æterni, nequit adoptari ratione alterius ei ab extrinſeco advenientis, ſcilicet ratione humanitatis. Divini Verbi perſona non ſit extranea reſpectu Dei Patris, quamvis ipſa natura humana ſit extranea, nec minus perſoner naturam humanam, quàm perſona creata: ergo filiatio adoptiva non poteſt illi convenire ratione naturæ humanæ; cùm ratione naturæ divinæ jam conveniat illi filiatio naturalis; quæ incompatibilis eſt cum adoptiva in eodem homine ſubſiſtente, reſpectu unius & ejuſdem Patris.

Filiatio adoptiva non fundatur pratisè in natura.

Gratia Sanctificans aliam præbet contrà adverſarios rationem, evidenterque probat, Chriſtum non debere per ipſam fieri Filium Dei adoptivum. Nam hæc eſt forma adoprionis, & ſanctificationis noſtræ, ut tenent & docent communiter Theologi, tamen non ſanctificat Animam Chriſti (ex D. Thoma) quia ſanctificatur per unionem hypoſtaticam. Baptiſmus delet peccatum originale iliis, quibus debitè confertur, non deluit tamen illud Chriſto, quia non contraxerat illud, erat enim abſqne ullo peccato. Eadem ratione hæc ipſa gratia non poteſt eſſe forma adoptionis in Cbriſto (quamvis talis ſit in aliis hominibus) nec ipſum conſtituere Filium Dei adoptivum, etiam quatenùs eſt homo, quia eſt Filius naturalis per eamdem unionem, qnæ tribuit naturæ humanæ Jus, quod habet ad hæreditatem; idcircó bæc gratia non potuit adoptare Chtiſtum, quia adoptare eſt dare alicui perſonæ aliquod Jus, quod non habet, & ab ea removere extraneitatem, quæ non potuit removeri à perſona Chriſti Incarnata, quia non habuit eam.

Gratia in Chriſto non eſt forma adoptionis.

§. III.

De Rationibus Hæreticorum ſolvendis.

AUthoritatem Sacræ Scripturæ afferunt adverſarij Joan. 14. ubi Chriſtus dicit ſe Filium, & ſnb eodem conceptu declarat ſe inferiorem Patre: his verbis: *Pater major me eſt*; ſed non eſt Filius inferior rarione filiationis naturalis, per quam eſt æqualis Patri juxtà illud ejuſdem Evangeliſtæ: *Ego & Pater unum ſumus*; Igitur dicit ſe infe-

Joan. 14.

riorem Patre ratione Filiationis adoptivæ, quia præter has duas, non eſt alia, quæ Jus ad hæreditatem tribuat. Huic explicationi ſuffragatur Apoſtolus ad Rom. 8. *Si autem Filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Et cap. 11. verſ. 29. ait quod Chriſtus eſt Primogenitus in multis fratribus, id eſt, in omnibus filiis adoptivis: ergo Chriſtus eſt Filius Dei adoptivus, ſicut homines juſti & prædeſtinati, qui ſunt cohæredes ipſius eodem titulo filiationis.

Rom. 8.

Reſpondeo cum Patribus Concilij Francofordienſis, Chriſtum non dixiſſe: *Pater major me eſt*, propter adoptionem, ſed propter formam Servi, quam ut homo habuit, ut indè oſtenderet futuris Arianis, & Eutychianis, ſe non ſolùm eſſe Dei Filium Patri conſubſtantialem, ſed etiam hominem paſſibilem, & mortalem. Nec hoc poſtulat filiationem adoptivam; cùm nullatenus incompatibile ſit cum filiatione naturali, & propriâ, propter naturam humanam, quam aſſumpſerat, ſicut cum ipſa Filiatione naturali, filiatio adoptiva incompatibilis eſt.

Explicantur nonnulli Sacra Scriptura textus.

Dicent quòd æqualitas excludit minoritatem, & inferioritatem reſpectu ejuſdem, ſicut naturalis filiatio excludit adoptivam, ac proinde quòd hæ duæ filiationes poſſunt eſſe in Chriſto propter duas naturas in una, eademque perſona ſubſiſtentes, ſicut æqualitas, & minoritas, quæ verè Chriſto conveniunt, ipſo teſte. Nego paritatem, quia minoritas convenit naturæ humanæ ratione ſui, & ex ſe; cùm ſit ſubſtantia quanta, & ex ſe inferior divinitate. Ideoque Chriſtus poteſt eſſe æqualis Patri ſecundum divinitatem, & minor patre ſecundum humanitatem. Perſona autem verbi eſt ex ſe naturalis, & naturaliter excludit adoptionem, ſubindeque adoptio nequit Chriſto convenire ratione humanitatis, quia ipſa nonobſtante, perſona Chriſti remanet divina, & verè ac propriè ſubſtentat naturam humanam; At natura humana aſſumpta non eſt ex ſe adoptata, ſicut eſt ex ſe minor patre.

Ad Apoſtolum dico, Chriſtum non appellari noſtrum cohæredem, & primogenitum in multis fratribus, quia eſt Filius Dei adoptivus, ſicut nos, ſed propter aliam rationem, nimirum quia habet Patrem, quem nos habemus, licet ſit ejus Filius alia ratione, ſcilicet filiatione verè naturali, & propriâ. Non enim implicat quòd Deus adoptet ſibi Filios gratiâ ſua, quamvis habeat filium naturalem. Nec implicat quòd filij adoptivi habeant jus ad illam hæreditatem Filij naturalis, cùm ſit infinita. Nec valet dicere Chriſtum eſſe prędeſtinatum Filium Dei, ut monet Apoſtolus ad Rom. 1 ac proindè eſſe Filium Dei adoptivum, cum prædeſtinatio ſit adoptio. Non valet inquam hæc paritas. Ratio eſt quia prædeſtinare non eſt proprie adoptare, nec è converſo. Plura enim requiruntur ad adoptionem, quàm ad prædeſtinationē; cùm ad adoptionem requiratur quòd adoptatus ſi extraneus ratione ſui, ſeu quód non ſit Filius naturalis illius á quo adoptatur, ad prædeſtinationem, verò ſolū requiratur, quôd aliquis eligatur ad gloriam, ſive interim ille ſit extraneus, ſivè non. Pater enim liberè dat hæreditatem ſuam; Igitur Chriſtus non fuit adoptatus, quamvis fuerit prædeſtinatus; cùm non ſit extraneus, & habeat Jus ad hæreditatem fundatum in filiatione naturali adoptionem omninò excludente.

Reſponſio ad authoritatem Apoſtoli.

Prædeſtinare non eſt adoptare.

His addunt authoritatem Sanctorum Patrum Inter quos, ſunt Divus Hilarius, qui 2. de Trinit. ait: *poteſtatis divinitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* D. Irenæus adverſus hæreſes cap. 21. *Propter hoc enim Verbum Dei homo, & qui Filius Dei, Filius hominis factus eſt, mixtus homo verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat Filius Dei.* Marius Victorinus lib. 1 contra Candidum Arianum ſic habet: *Nos adoptione Filij, ille naturâ etiam: & adoptione quadam Filius, & Chriſtus ſecundum carnem.* Sunt aliæ Sanctorum patrum authoritates, ex quibus colligunt humanitatem Chriſti fuiſſe adoptatam, ſed eas omitto brevitatis gratia, quoniam ex ſolutione ad unam, ſolvuntur, & aliæ.

D. Hilarius *D. Irenæus* *Marius Victorinus.*

Reſpondeo, Sanctos Patres non loqui de adoptione ſtrictè ſumpta, ſeu quatenus eſt aſſumptio extraneæ perſonæ in hæreditatem, ſed impropriè, quatenùs ſignificat Jus ad hæreditatem, & quamdam conjunctionem inter adoptantem, & adoptatum, aut complacentiam unius in alio, quæ quidem complacentia, adoptio dici poteſt, ut eſt ea, quam Deus Pater habuit in Chriſto, Math. cap. 17. Adoptionis nomen diverſas patitur ſignificationes, quippè Irenæus, & Victorinus adoptionem appellant unionem hypoſtaticam humanitatis cum Verbo. Vel dico hæc verba D. Irenæi, *ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei*, non referri ad Chriſtum, ſed ad homines, qui per Chriſtum, adoptionem filiorum percipiunt, ut ex textu Græco inferunt Theodoretus Dialog. 1. Jacobus Billius, & Sirmundus, qui in ſua verſione ait: *Propterea enim Verbum Dei eſt homo, ut homo Verbum capiens, adoptionemque conſecutus, Filius Dei efficiatur.*

Victorinus. *Theodoret.* *Jacobus Billius.* *Sirmundus.*

Ad S. Hilarium dico quód plures pro *adoptatur*, legunt, *adoratur*, qui quidem error facilè accidere potuit incuriâ Scriptorum, cùm in aliquibus Codicibus legatur, *adoratur*, ut obſervant plures, & præcipuè Fraſſenius noſter poſt Alcuinum, Hincmarum, Paulinum Aquileienſem, & alios. Quód verum eſſe probat ex eodem Hilario, qui loquens de Chriſti nativitate ſecundum carnem, ait: *Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conſpicitur, parit Virgo, partus à Deo eſt, infans vagit, laudantes Angeli audiunt, panni ſordent, Deus adoratur: ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur.* Ubi particula *dum*, vim habet ut cauſalis, perindè ac particula, *ſiquidem*; reddit ergo optimè cauſam, cur dignitas poteſtatis non amittatur per humilitatem partûs, & vagitûs dicens: *dum carnis humilitas adoratur.* Sancti Patres docent, Chriſtum eſſe Filium proprium præſertim S. Hilarius cujus verba retuli ſuprà. S. Leo homil. de Transfiguratione, habet: *Hic eſt Filius meus dilectus, non adoptivus, ſed proprius*, & D. Ambroſius ad illud Rom. cap. 1. *prædeſtinatus eſt* ait: *Legi, & relegi Scripturas, Jeſum Filium Dei numquam adoptione inveni.* Idem ſentiunt D. Auguſtinus lib. contra Secundinum Manichæum ut monui ſupra. D. Cyrillus Alexandrinus in homilia Paſchali 8. in Dialogo de Chriſto. S. Ildelphonſus Toletanus, Caſiadorus, & alij quamplurimi graviſſimi.

S. Hilarius. *S. Leo.* *D. Ambroſ.* *D. Auguſt.* *D. Cyrillus* *S. Ildelphonſus Toletanus.*

Inſtant inſuper ex authoritate Divi Hieronymi, qui in tractatu de ſimilitudine carnis peccati contrá Manichæos ait: *Hic filius hominis per Dei Filium, Dei eſſe, Filius in Dei Filio promeretur. Nec adoptio à natura ſejungitur, ſed natura cum adoptione conjungitur.* His quidem verbis conſtat, naturam humanam in Chriſto fuiſſe adoptatam.

Reſpondet Agobardus lib. adverſus Urgelitanum, ibi Divum Hieronymum accipere adoptionem pro aſſumptione, & adoptare pro aſſumere, adoptari pro aſſumi, idque evidenter probat ipſe Agobardus ex verbis ejuſdem Hieronymi. Nec de hoc mirari debent adverſarij, quia

Adoptari ſæpè ſumitur pro aſſumi.

adoptio communiter definitur: *Aſſumptio extraneæ perſonæ in hæreditatem*

Hæc reſponſio ſufficit ad alias Sanctorum patrum authoritates, quibus adoptio tribuitur naturæ humanæ aſſumptæ à verbo divino. Pariter & ad aliquas orationes ex Miſſali Eccleſiæ Toletanæ deſumptas, in quibus adoptionis nomen exprimitur, & quibus Elipandus voluit, naturam humanam fuiſſe adoptatam; nam ſi hoc nomen ſumeretur pro vera adoptione, quæ filium adoptivum conſtituit, aliquod ex Concilijs Toletanis appellaſſet Chriſtum Filium Dei adoptivum, nullum tamen eſt, quod eum hoc nomine vocet.

Objiciunt tandem. Si Chriſtus ſecundum humanitatem non eſt Filius Dei adoptivus, ſed naturalis, ſequitur quòd eſt tam Filius ſecundum humanitatem, & quatenus homo eſt, quàm ſecundum divinitatem, & quatenus Deus eſt. Quod eſt falſum, quia ſequeretur quòd humanitas genita eſſet ex ſubſtantia patris, & quòd Chriſtus ut homo procederet à patre, ſicut procedit ut Deus. Reſpondeo negando ſuppoſitum, quia Chriſtus ut homo non eſt Filius naturalis Dei per æternam generationem, per quam eſt filius naturalis Dei Patris, ut Deus, ſed per unionem perſonalem, cujus beneficio Chriſtus ut homo ſubſiſtit eâdem ſubſiſtentiâ, quâ ſubſiſtit ut Deus, undè cùm ille, qui hâc ſubſiſtentiâ ſubſiſtit, ſit naturalis Filius Dei; Chriſtus ut homo, qui ipsâ ſubſiſtit, eſt etiam naturalis, & proprius Filius Dei.

Chriſtus ut homo eſt filius Dei naturalis per unionẽ perſonalem.

Dicent: filiatio naturalis fundatur in generatione, quæ eſt origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ, ſed humanitas Chriſti non eſt genita ex ſubſtantia Dei, nec Deus Pater eſt origo ejus: igitur Chriſtus homo, non eſt verus & proprius Filius Dei. Major eſt certa, minor verò probatur. Si humanitas eſſet genita ex Dei ſubſtantia, Chriſtus non eſſet homo, ſed Deus tantùm.

Reſpondeo ſolam perſonam in Chriſto, genitam eſſe ex ſubſtantia Dei Patris. Et hoc ſufficit ut Chriſtus etiam quatenus homo eſt, ſit Filius Dei naturalis, & proprius, quia perſonatur, & ſubſiſtit hac ipſa perſona à Deo Patre genita. V. g. Petrus eſt proprius, & naturalis Filius Patris ſui, quamvis ipſius anima non ſit genita ex ſubſtantia Patris: ergo Chriſtus, qui eſt Deus & homo, ſicut Petrus eſt anima & corpus, aut corporeus, & ſpiritualis, debet eſſe totus Filius proprius, & naturalis Dei. Nec debet dividi in duos filios, ſcilicet in adoptivum, & naturalem, ſed debet eſſe unus filius, ſicut Petrus reduplicativè conſideratus, eſt unus filius etiamſi habeat animam creatam à Deo, & corpus genitum à Patre.

ARTICULUS LVIII.

Quò convincuntur Semiariani, & Neſtoriani Chriſto denegantes Sacerdotium.

Semiariani.

TEmpore Cõſtantij Imperatoris, & Liberij Summi Pontificis circa annum Domini CCCLVII, Inſurrexerunt quidam hæretici, quos D. Epiphanius lib. de hæreſibus vocat Semiarianos. Quia verè & Catholicè ſentiebant de Patre & Filio contra Arium (qui volebat, Filium eſſe creaturam) de Spiritu Sancto autem malè, volebant enim ipſum non eſſe Deum Patri, & Filio conſubſtantialem. Hi hæretici potius Semiariani nuncupati fuere, quàm Pneumatomachi, ſeu impugnatores Spiritus Sancti, à Philaſtrio, & à D. Epiphanio, quia contendebant doctrinam Arij erga Sanctiſſimam Trinitatem eſſe partim veram, & partim falſam. Et ex parte, quam tuebantur ut veram contra Arium, hæreſim deduxerunt, nempè, Chriſtum non eſſe verè & proprie Sacerdotem, quia credebant, Chriſtum eſſe Deum cui Sacerdos debet offerre Sacrificia, ac proinde ipſum non poſſe vere, nec proprie eſſe Sacerdotem, cùm non Deus ſibi, ſed homo ſacrificium offerat ipſi Deo.

Neſtoriani exiſtimantes duos eſſe Chriſtos, unum Filium Dei, & alium Filium Mariæ, dicebant Sacerdotium ità convenire Filio Mariæ, ut nullatenus conveniat Filio Dei, quocircà ut Catholicos in invidiam vocarent, tamquam divinitatem ipſam Pontificem eſſe dicerent, eorum profeſſionem ſic interpretabantur apud Cyrillum Alexandrinum lib. 3. adversùs Neſtorij dogmata *Legentes divinitatem, ſibi fingunt Pontificem admirabili quadam inſaniæ ſpecie.* Ut autem omnibus hanc prætenſam inſaniam ſuaderent, utebantur hoc Semiarianorum argumento. Si Deus offert ſacrificium, ſitque Sacerdos, nemo eſt cui offeratur. Aut ſi ſit aliquis, qui offerat, offert illud ſibi, quod eſt ridiculum, quoniam in quolibet Sacrificio, tria ſunt eſſentialiter, & neceſſariò conſideranda, utpotè Sacerdos, Hoſtia, & Ille cui ipſa hoſtia offertur; ideoque Chriſtus ſi ſit Deus, nequit eſſe verè & propriè Sacerdos; cùm nequeat ſibi, nec alteri Sacrificium offerre.

Neſtorianorum error erga catholicos.

Porrò hanc calumniam à Catholicis prorſus removet idem Sanctus Doctor, oſtendendo in eodem libro, eos non credere, Deum eſſe propriè Sacerdotem, ſciunt quidem nullum ab ipſo oblatum fuiſſe Sacrificium. Quia, teſte Apoſtolo, illi ſoli debetur honor, & gloria, ac proindè ipſum Deum nulli alteri poſſe offerre holocauſta firmiter credunt. Fides enim Catholica, eſt, Deum, ſeu verbum æternum patri conſubſtantiale, eſſe factum ſummum Sacerdotem humanitatem noſtram aſſumendo hypoſtaticè, ſeu quando caro factum eſt, hocque Sacerdotis munus, ab ipſo impletum fuiſſe, penès humanitatem, non præcisè, ſolitariè, aut nudè ſumptam, ſed quatenùs divinitati Hypoſtaticè unitam, ſeu cum ipſa divinitate in perſona Verbi Divini ſubſiſtentem. Hæc veritas ſuaderi poteſt hac ratione, nimirùm quia de hoc ſummo Chriſti Domini Sacerdotio diſcurrendum eſt ad repellendas Hæreticorum contradictiones, ſicut de ſatisfactione, quippe cum Chriſtus ſatisfecerit Deo Patri, quamvis ipſe ſit Deus, ut fatentur Semiariani, potuit etiam ipſe Chriſtus, licet ſit Deus, illi offerre ratione humanitatis Sacrificium, quod ſanè non magis exigit eſſe ad alium, quàm ſatisfactio. Nec illi ſoli minus debetur victimarum oblatio, quàm redemptionis noſtræ prætij exhibitio.

D. Cyrillus Alexandrinus juſtificat catholicos contrà Neſtorianos

§. I.

De Authoritate Conciliorum.

CHriſtum fuiſſe vere, & propriè Sacerdotem declarant tria Concilia generalia, quorum primum eſt Epheſinum celebratum anno CCCCXXXI ſub Cæleſtino primo contra Neſtorium in Can. 10. ubi legitur. *Pontificem, & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum divina Scriptura commemorat: obtulit enim ſemetipſum pro nobis in odorem ſuavitatis Deo, & Patri: ſi quis ergo Pontificem, & Apoſtolum noſtrum dicit factum, non ipſum Dei verbum quando caro factum eſt, & homo, juxta nos homines, ſed velut*

Concilium Epheſinum.

alterum, præter ipſum ſpecialiter hominem, ex muliere. Aut qui dicit quod pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potius pro nobis ſolis, non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino neſcivit: anathema ſit. Aliud Concilium generale Sacerdotium Chriſti prædicans, eſt Lateranenſe IV. cap. 1. de fide & ſumma Trinitate. §. *Una verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia.* Ibi enim legimus: *in qua idem ipſe Sacerdos eſt Sacrificium Jeſus Chriſtus, cujus Corpus & Sanguinem in Sacramento altaris &c.* quæ evidenter demonſtrant, Chriſtum eſſe verum, & legitimum Sacerdotem in lege nova, in antiqua pee Melchiſedech figuratum.

Lateranenſe quartum

Tertium tandem eſt Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. ubi habetur: *Quoniam ſub priori teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo, propter Levitici Sacerdotij imbecillitatem conſummatio non erat; oportuit, Deo Patre miſericordiarum ità ordinante, ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quot quot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter, & ſi ſemel ſe ipſum in ara Crucis, morte intercedente, Deo patri oblatus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: qui tamen per mortem ſacerdotium ejus extinguendum non erat; in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilecta ſponſa ſua Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud in cruce peragendum repreſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur; Sacerdotem ſecundum ordinem Meſchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo patri obtulit: ac ſub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, ut ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit*, certò his verbis, Patres hujus Concilij, Chriſti Domini Sacerdotium exprimunt: nam Sacerdotes noſtri quotidie offerunt hoſtias Deo Patri. At Chriſtus hoc fecit ſeipſum offerendo, juxtà tenorem Tridentini, igitur juxtà ejuſdem Concilij mentem, ipſe Chriſtus eſt verus & legitimus Sacerdos.

Tridentin.

§. II.

Probat Sacerdotium Chriſti, & Reſpondet hæreticis.

HAnc veritatem Catholicám de Sacerdotio Chriſti Domini teſtimonio luculentiſſimo declarant Sacræ Scripturæ, ut illud Davidis vaticinium Pſal. 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Meſchiſedech*, quod utique oraculum diſſertiſſimè explicat Apoſtolus ad Heb. cap. 5. verſ. 6. ſed præcipuè verſ. 10. ubi de Chriſto, ait: *Appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech*, & cap. 7. verſ. 22 & ſequentibus: *In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus, & alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quôd ibi Paulus de Chriſto loquatur, patet in cap. ſequenti verſ. 1 & 2, ubi habetur: *Capitulum autem ſuper ea, quæ dicuntur: talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in Cœlis, Sanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Ille quidem Pontifex, quem habemus, & qui in dextera majeſtatis ſedet, eſt Chriſtus, qui ſolus ſedet ad dexteram Patris: idcircò nullus poteſt citrà hæreſim impugnare Sacerdotium Chriſti, qui ex Scriptura, eſt ille Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.

Pſal. 109.

Hebr. 5.

His addo authoritatem juris Canonici de conſecrat. diſt. 2. Can. *Sacerdos Dei*, ubi legimus: *Sacerdos Dei Patris dictus eſt Filius Dei, non ſecundum divinitatem, ſed ſecundum humanitatem, in qua ſe pro nobis per paſſionem, & mortem ſuam acceptabile Sacrificium Deo Patri obtulit, ut ipſe eſſet Sacerdos, qui & ſacrificium.* Hic Canon confirmat etiam, Chriſtum eſſe verè & propriè Sacerdotem; cùm affirmet, Filium Dei, ſeu Chriſtum, eſſe ſacrificium Deo patri oblatum, velitque ſacerdotem eſſe ſacrificium, & è converſo.

Jus Canonicum.

Non parum juvat afferre Sanctos Patres aſſertioni noſtræ ſuffragantes, præſertim Auguſtinum in Pſal. 132, ubi ait: *Quis eſt Sacerdos niſi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? quis eſt Sacerdos, niſi qui fuit victima, & Sacerdos: qui cum in mundo non inveniret quod offerret, ſeipſum obtulit?* Fulgentium lib. 1. ad Traſimundum Uvandalorum Regem cap. 12, Sacerdotium Chriſti commendantem his verbis: *Unus igitur mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Ipſe Paſtor & ovis. Ipſe ſponſus, & ſponſa. Ipſe Sacerdos, & victima, unus idemque, & oblator muneris, & munus factus eſt oblatoris, ut nec oblator à muneris qualitate deſciſceret, nec munus ab oblationis merito diſcreparet.* Et Epiphanium, hæreſ. 55 de Sacerdotio Chriſti ſic loquentem: *Primum quidem ſeipſum obtulit, ut ſacrificium diſſolveret antiqui Sacramenti perfectiore, vivumque pro univerſo mundo mactatus hoſtia, ut eſſet ipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe altare, ipſe Deus, ipſe homo, ipſe Rex, ipſe Pontifex, ipſe ovis, ipſe agnus, omnia in omnibus pro nobis factus.*

D. Auguſt.

D. Fulgent.

D. Epiphan.

Idem confirmat ratio; nam ad conſtitutivum formale Sacerdotis propriè dicti, ſufficit, ut quis ſit Spirituali, & publica authoritate unctus, ac deſtinatus ad ſacrificandum, & orandum pro populo, ut fatentur omnes, nedum cum Theologis Sacerdotium definientibus; ſed etiam cum Apoſtolo ad Heb. cap. 5. verſ. 1 dicente: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* At Chriſtus Dominus ad utrumque fuit deſtinatus, & ordinatus à Deo ratione unionis hypoſtaticæ, ut monet idem Apoſtolus variis in locis ejuſdem Epiſtolæ ad Heb. qui dum de Sacerdote, aut Pontifice loquitur, de Chriſto intelligi debet, quia (inquit Claudianus Mamertus lib. 2 de ſtatu animæ) *Pontifex ille eſt Chriſtus, qui principaliter apud divinitatem ſummæ Trinitatis humani generis oblata ſanctificat, peccata expiat, vota commendat, non unius hominis tantum, ſed omnium.* Quare Tertullianus exponens hæc verba Lucæ *vade oſtende te Sacerdoti*, appellat Chriſtum, *Catholicum Patris Sacerdotem*, id eſt Sacerdotem generalem, aut univerſalem: Igitur Chriſtus fuit verè, & propriè Sacerdos, non ſolum quoad dignitatem, & potentiam ſacrificandi; ſed etiam quoad uſum, & exercitium, juxtà illud ad Epheſ. cap. 5. verſ. 2. *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & Hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.*

Argumentum ex ratione deſumptum probat Chriſti Sacerdotium.

Claudianus Mamertus

Tertullianus.

Sanctus Leo referens eadem verba ad Epheſ. in ſua Epiſtola 83. cap. 4. confirmat Sacerdotium Chriſti; ibi enim inquit: *Dicant quo Sanguine ſunt redempti? dicant quo ſacrificio ſunt reconciliati? quis eſt, qui tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem, & Hoſtiam in odorem ſuavitatis, aut quod umquam ſacrificium Sacratius fuit, quam quod verus Pontifex*

S. Leo.

altari Crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Quamvis enim multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit; nullius tamen Infantis occiſio propitiatio fuit in mundo. Ille Sanctus Doctor ibi petit à quo Sacerdote oblatum fuerit Sacrificium pro peccatis, & reſpondet, Chriſtum fuiſſe ſacerdotem, & Sacrificium ſimul, quia ex Apoſtolo tradidit ſemetipſum pro nobis.

Ex his evidenter demonſtratur, Chriſtum eſſe Sacerdotem, & Pontificem, non ſecundum naturam divinam ſolam, nec ſecundum humanam propriâ ſeu creatâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtentem, ut voluere Neſtoriani, ſed ſecundum humanam in perſona Verbi ſubſiſtentem, ut tenent communiter Sancti Patres tam Græci, quàm Latini, præſertim D. Epiphanius hæreſ. 69. ubi de Filio inquit: *Poſt ſuſceptam hominis naturam, Pontificiam dignitatem attributam fuiſſe.* An verò dicendus ſit Sacerdos ſecundum Ordinem Aaron, & Melchiſedech? Eſt quædam difficultas apud Theologos, ſed major pars exiſtimat probabilius, Chriſtum fuiſſe Sacerdotem tantum ſecundum Ordinem Melchiſedech, quia ex Apoſtolo ad Heb. cap. 7. neceſſè fuit, ut poſt Sacerdotem & Pontificem Leviticum, & ſecundum ritum Aaronicum, haberetur alius Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech, nempè Chriſtus, hinc eſt quod in verſibus 13. & ſequentibus ait. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Juda ortus ſit Dominus noſter; in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt, & amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius Sacerdos, qui non ſecundum Legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis* &c. Indè enim facilè colligitur, Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem ſecundum Ordinem Aaron, ſed tantùm ſecundum Ordinem Melchiſedech. Quia non fuiſſet neceſſè quòd alius Sacerdos exurgeret; cum Sacerdotium Aaronicum in Chriſto fuiſſet.

D. Epiphanius.

Chriſtus non eſt Sacerdos ſecundum Ordinem Aaron, ſed ſecundum Ordinem Melchiſedech.

Nec obſtat dicere quòd Chriſtus Dominus (teſte D. Luca Evangeliſta cap. 4. verſ. 16. *Et venit Nazareth ubi erat nutritus, & intravit ſecundum conſuetudinem ſuam die Sabbati in Sinagogam, & ſurrexit legere*) legit librum legis in Sinagoga, in qua Aaron erat Sacerdos & Pontifex. Non obſtat, inquam, quia legere librum in Sinagogis, non erat officium ad Levitas pertinens; unicuique enim erudito, & docto licebat legere illum: nam Paulus Apoſtolus, qui erat de tribu Benjamin, legit librum, & diſputavit in Sinagoga Antiochiæ, ut legitur Act. cap. 13. Minus obſtat dicere quòd Chriſtus, teſte Mathæo cap. 21. ejecit ementes & vendentes de Templo. Quòd facere non potuiſſet, niſi haberet aliquem Ordinem Aaronicum. Non obſtat inquam, quia hoc facere voluit authoritate Patris ſui. Undè dixit ementibus, & vendentibus, *domus Patris mei, eſt domus orationis, vos autem feciſtis illam Speluncam Latronum.*

Unicuique viro docto licebat legere librum in Synagoga.

Ad rationem hæreticorum jam relatam ſupra in principio articuli, utpotè in Sacrificio requiri duo. Dico non implicare quòd Chriſtus, in quo ſunt duæ naturæ, divina ſcilicet & humana ſimul ſubſiſtentes in una perſona, ratione humanitatis obtulerit Sacrificium Deo Patri, ſicut non implicat quòd ſatisfecerit, & mortuus fuerit, ut conſideranti evidens erit, cùm ſatisfactio ſit unius ad alium, ſicut Sacrificium.

Addunt inſuper hæretici adverſus articuli veritatem, quòd Chriſtus Dominus non occidit ſemetipſum, fuit enim crucifixus, & occiſus à Judæis, & perconſequens non fuit verè Sacerdos, qui neceſſariò ab Hoſtia diſtinguitur. Nec obtulit ſemetipſum in Cruce tanquam Hoſtiam, ità ut tunc Sacerdotis impleret munus; quoniam Sacerdotis officium, eſt occidere victimam: præcipua enim conditio victimæ, eſt immolari à Sacerdote, ut patet ex omni Sacrificio tám veteris, quám novæ Legis.

Primam hæreticorum ratio.

Nego ſuppoſitum, ſcilicet munus Sacerdotis eſſe occidere phyſicè victimam. Talis ſiquidem occiſio non fuit abſolutè requiſita in Lege antiqua: tunc enim ſufficiebat, & modo ſufficit moralis, quæ conſiſtit in libera, & voluntaria oblatione ejuſdem victimæ. Iſaac dicitur immolatus à Patre ſuo, non fuit tamen ab eo phyſicè occiſus, ut legimus in cap. XXII. libri Geneſis, Chriſtus autem fuit in Cruce Sacerdos, & victima, quia mortem ſibi allatam à Judæis (ſic jubente Pontio Pilato) ut rem Sacram voluntariè ſubiit, eamque Deo Patri in Sacrificium obtulit pro remiſſione peccatorum noſtrorum: oblatus enim eſt, quia ipſe voluit, teſte Scriptura. Et quamvis non ſe occiderit, ſicut Sacerdos occidebat victimam in Sacrificio, occidi tamen voluit. Inſuper ſua morte meruit, ut in proprio articulo dictum eſt contra Calviniſtas: ergo liberè ſe obtulit; cùm ad meritum requiratur libertas. Et actio, aut oblatio coacta, aut involuntaria minimè ſit meritoria. Velle mori, aut Sanguinem ſuum fudere, eſt aliquomodo mortis ſuæ cauſam eſſe, idcircò Chriſtus, qui pro nobis mori voluit in Ara Crucis, poteſt dici aliquomodo cauſa mortis victimæ.

Phyſica victima occiſio non requiritur ad Sacrificium.

Dicent: ergo Martyres ſunt verè Sacerdotes, & Martyrium eſt verum Sacerdotium, quia licet non occidant ſeipſos, tamen voluntariè, & ſpontaneè ſeipſos offerunt Tyrannis, & morti pro tuenda fide Chriſti; at Martyres non ſunt Sacerdotes, nec Martyrium eſt verum Sacerdotium, non obſtante hac oblatione libera, atque ſpontanea ad mortem: igitur nec Chriſtus debet dici propriè Sacerdos, ſed ſolum victima, quamvis propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuerit Crucem, & liberè mortuus fuerit.

Martyrium non eſt verè Sacerdotium.

Nego inſtantiam, & paritatem. Ratio differentiæ eſt. Quia Martyres non ſunt authoritate publica deſtinati ad ſacrificandum pro Populo, nec ex divina inſtitutione conſtituti ſunt, ut mortem ſubeant per modum Sacrificii: offerunt enim ſe ex motivo fortitudinis, & dilectionis tantum. Chriſtus verò ſe obtulit, ut pro peccatis hominum, Deo Patri ſatisfaceret, ejuſque placaret iram, non Sanguine Hircorum, & Taurorum, ſed proprio Sanguine: erat que præceptum de morte à Chriſto ſubeunda pro omnium hominum ſalute. Itaque licet Martyres voluntariè moriantur pro gloria Dei, non debent tamen dici verè & propriè Sacerdotes: quamvis confiteamur, Chriſtum fuiſſe verè Sacerdotem, quia voluntariè tradidit ſemetipſum.

ARTICULUS LIX.

Impugnat Bizochos adorationem Chriſto denegantes.

OBſervandum eſt, omnes hæreticos, qui negant Chriſti humanitatem eſſe adorandam, rejici in hoc articulo adverſùs Bizochos: nam ſi ſit adoranda cultu latriæ ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ut probabitur, certum eſt, contrà ipſos hæreticos quòd Chriſtus ſecundum ſe ſumptus, eſt eadem adoratione colendus, cùm hujus adorationis fundamentum nequeat provenire ex loco, aut ex modo exiſtendi in ipſo, ſed ex excelientia, & dignitate ipſius humanitatis in Verbo ſubſiſtentis. Idcircò nè de uno, eodemque fidei articulo, duas inſtituamus diſſertationes, neceſſè eſt ad vitandam ver-

borum ſuperfluitatem, totam de Chriſti adoratione difficultatem, uno articulo reſoluere contra hæreticos, cùm omnes, qui in hac parte, fidem impugnant, aut credunt humanitatem Chriſti non eſſe adorandam, eamdem pugnam habeant circá adorationem Sanctiſſimæ Hoſtiæ.

Omnes hæretici, qui negant præſentiam realem, atque ſubſtantialem corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis, negant pariter, Euchariſtiam eſſe adorandam, quia credendo Euchariſtiam eſſe tantùm figuram Corporis Chriſti, & per conſecrationem, in Hoſtia eſſe tantùm panem, ut non minus impiè, quàm ſtolidè voluerunt Berengarius, Calviniſtæ, & alii hæretici de quibus in proprio loco erit ſermo, certum eſt quòd non debent eum adorare, quia panis, quem illi hæretici credunt remanere poſt prolationem verborum Sacramentalium, minimè eſt adorandus. Sed contrà hos hæreticos hac impietate motos, ſic ſentientes, & realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia impugnantes, non eſt hîc nobis pugna. Undè accedendum eſt ad eos, qui credunt cum omnibus Catholicis, Chriſtum eſſe verè, & realiter in Euchariſtia, & dicunt tamen, ipſum non eſſe ibi adorandum. Voluntque in Corporis Chriſti elevatione, nullum debere aſſurgere, neque ullam quidem reverentiam ei exhibere.

Begardi.

Bizochi.

Primi hujus hæreſis Authores ſunt Begardi, ſivè Fratricelli, aut Fratres de Paupere vita, vel illi, qui à nonnullis Bizochi dicti ſunt. Qui tempore Ludovici Bavarii Imperatoris, & Joannis XXII. Papæ, circá annum Domini: MCCCXIV. docuerunt plures errores, quorum unus aſſerebat in elevatione Corporis Chriſti in Hoſtia conſecrata exiſtentis quæ immediatè poſt conſecrationem, fieri ſolet in qualibet Miſſa à Sacerdote ſtatim poſt prolationem verborum Sacramentalium, nullum debere aſſurgere, ſed omnes aſſiſtentes poſſe ſedere, nullamque reverentiam eidem exhibere. Eorum ratio erat, quia ex Apoſtolo ad Tim. cap. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum.* Etenim ex illa authoritate inferunt, humanitatem Chriſti non eſſe colendam in Euchariſtia.

Lutherus.

Eamdem hæreſim poſteá, ſcilicet Anno MDXVII. ſub Maximiliano Imperatore, & Leone X. docuit Martinus Lutherus, qui licet crediderit verum Chriſti Corpus, & verum illius Sanguinem eſſe verè, & realiter in Euchariſtia, (quamvis velit carnem, & Sanguinem eſſe ſub illis ſpeciebus Euchariſticis ſimul cum pane, & vino) docuit tamen, Euchariſtiam non eſſe adorandam, nequè colendam à conſecrante, nec à communicante, neque ab aliis. Anno autem MDXXIV. ſub Carolo V. Imperatore, & Clemente VII. Papa, Andreas Carloſtadius, vir Inſanus, natione Germanus, conditione Archidiaconus Wirtembergenſis adhæſit Luthero, & exiſtimans ſolam divinitatem adorationem exigere, prædicavit, Hoſtiæ conſecratæ nullam deberi venerationem, nullamque adorationem.

Carloſtadius.

Oecolampadius.

Eodem ferè anno, in eamdem hæreſim lapſus eſt Joannes Oecolampadius, patriâ Germanus, vir trium Linguarum, & omni genere bonarum Litterarum apprimè doctus, ſed quia Spiritu elationis ductus, ſapere voluit pluſquam oportet, in inſipientiam cæcidit. Hic primùm Lutheranæ factioni adhæſit, exemploque Lutheri (cùm Monachus Ordinis Sanctæ Brigittæ fuiſſet) Monachatu rejecto. Et continentiâ, quam in Religione ſolemniter voverat, poſthabitâ, velut Canis ad vomitum reverſus, uxorem duxit, ut eo argumento ſuos errores perſuaderet. Demùm impatiens, ac nollens amplius ſub vexillis Lutheri militare, aliquid ipſâ Lutheranâ factione, magis impium, atque blaſphemum excogitavit, quô ipſe Lutherô Populis clarior appareret, ut proprium levare poſſet Vexillum, ſeu particularem contra Lutherum inſtituere Sectam adverſus Chriſtum. Dixit namque, eum in Euchariſtia minimè contineri, atque ob id Idololatras nominavit eos, qui Sanctiſſimam Euchariſtiam adorant, & venerantur. Cùm autem Lutherum in hanc non poſſet trahere blaſphemiam, ut ſibi deſpoponderat, diviſus eſt hac ratione Oecolampadius à Luthero, & novus Hæreſiarcha factus eſt.

Indè videtur nonnullis recentioribus ſcriptoribus Oecolampadium non erraſſe denegando Euchariſtiæ adorationem, nec hæreſi hæreſim addidiſſe, nolendo Chriſtum adorare in Euchariſtia, cùm crediderit, nihil in ipſa eſſe, niſi panem, & vinum. At hoc non obſtat quominùs ponatur in Catalogo hæreticorum Euchariſtiæ adorationem impugnantium. Cauſa imputandi hoc delictum, eſt quia diſputando cum Lutheranis à quibus receſſerat, ſuſtinuit ſecundam ſui erroris partem, ſcilicet Chriſtum non eſſe adorandum in Euchariſtia, etiamſi in ipſa eſſet præſens realiter, ut volebat Lutherus. Ejus ratio erat, quia Chriſtus non eſt in ſe adorandus. Ità referunt plures hiſtorici, qui de eodem Joanne Oecolampadio ſcripſerunt, quibus lubens ſubſcribo, quia inde patet, Oecolampadium velle ſimpliciter, & abſolutè, Chriſtum Dominum non eſſe in ſe adorandum, ac proindè nec in Hoſtia conſecrata. Quòd ſanè eſt in hoc articulò impugnandum tamquam hæreticum.

Tandem ejuſdem erroris defenſores ſunt quidam hæretici dicti Anticalviniani, qui teſte Staphylo, aſſerunt contrá Calvinum ſubſtantialem, ac realem præſentiam Corporis Chriſti in Cœna, aut ſub ſpeciebus Euchariſticis. Tamen negant tranſelementationem, ſeu tranſſubſtantiationem, cum Lutheranis, pariter & adorationem Sanctiſſimo Corpori Domini noſtri Jeſu Chriſti debitam. Quòd eſt aſſerere contra fidem, Chriſtum Dominum non eſſe ſecundum ſe dignum adoratione, aut cultu Latriæ.

Anticalviniani.

§. I.

De Conciliis quæ Chriſti adorationem præcipiunt.

Synodus Tridentina.

Concilium Tridentinum Seſſ. 13. cap. 5. de cultu, & veneratione Sanctiſſimo Sacramento exhibenda, manifeſtè damnat hanc Hæreſim, nec non impietatem Begardorum, & Lutheranorum, ibi enim ait: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur; quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant: neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum: nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur.* Quibus verbis ſatis declaratur, humanitatem Chriſti, aut ipſum Chriſtum eſſe in ſe adorandum. Nam ſi Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſit adorandum, hoc non provenit ex ſpeciebus conſecratis, nec ex Sacramento, ſed ex ipſo Chriſto Filio Dei.

Eadem Synodus Can. 6. Seſſ. 13.

Idem docet his verbis in Can. 6. ejuſdem Seſſ. *Si quis dixerit, in Sancto Euchariſtiæ Sacramento, unigenitum Dei Filium, non eſſe cultu Latriæ, etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & univerſalem Sanctæ Eccleſiæ ritum, & conſuetudinem,*

ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè ut adoretur, Populo proponendum, & ejus adoratores eſſe Idololatras; Anathema ſit.

Nec debent Hæretici hanc conſtitutionem impugnare tanquam novam, & à Patribus ejuſdem Concilii inventam contra antiquiſſimum Eccleſiæ Romanæ uſum, ut de facto eam impugnant nonnulli Lutherani recentiores, qui contra idem Concilium ſcribere auſi ſunt. Quia ex 90. Can. diſt. 2. de conſecrat. conſtat, Petrum Apoſtolum præcepiſſe hanc adorationem, ibi enim legitur: *Tunc his*, id eſt Judæis, *Petrus annunciavit eum colendum, quem crucifixerunt: ut ejus Sanguinem biberent, credentes quem effuderunt ſitientes*, quibus verbis certum eſt, præceptum de Chriſto adorando, non eſſe novum, ut ipſi hæretici putant, cùm fuerit tempore Apoſtolorum, qui docuerunt illud tamquam verum cultum, & Chriſtianam Religionem cócernens. Quod ſanè non didiſcerant ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto Domino.

Diſt. 2. de Conſecrat.

Concilium generale quintum.

Idem priùs decreverat aliud Concilium, utpotè Conſtantinopolitanum ſecundum, quod eſt quintum Generale, celebratum anno DLIII. ſub Vigilio Papa contra errores Origenis, & pro decidenda celebri trium capitulurum lite. Hoc quidem Concilium Can. 9. *Anathematizat eum qui ſic in duabus naturis Chriſtum adorat, ut non una, & eadem adoratione, & Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne adoret, ſed duas introducat adorationes, unam Dei Verbo, alteram homini.* Indè enim infertur contra hæreticos, in hoc Concilio definitum fuiſſe, Chriſti humanitatem unitam Verbo, eſſe adorandam eadem adoratione, quâ adoratur Deus, nedùm in Cœlo ab Angelis, & à Beatis; ſed etiam ab hominibus, in loco in quo verè exiſtit, ac proindè in Euchariſtia, in qua eſt verè, & realiter præſens, & hypoſtaticè unita divinitati.

Ratio quæ hoc Concilium ad hanc definitionem movit, eſt quia Verbum, & humanitas Chriſti ſubſiſtunt eadem ſubſiſtentiâ & perſonâ; quæ cùm ſit divina, ut docet fides contrá Neſtorium, exiſtatque in Euchariſtia ratione humanitatis, aut Corporis, quod ex vi verborum ſub ſpeciebus ponitur, reddit hanc ipſam humanitatem adorabilem ſeu dignam adoratione Latriæ, ita ut nullus poſſit citrá impietatem non adorare Chriſtum Dominum, dum conſecrata elevatur Hoſtia. Nam Chriſtus eſt verè Filius Dei immortalis, eſtque Rex gloriæ; etiam pro ut exiſtit ſub ſpeciebus Sacramentalibus, idcircò illi (etiam pro ut exiſtenti ſub ſpeciebus Euchariſticis) debetur honor, eaque gloria, quam juxtà Apoſtoli præceptum, tenemur reddere Deo.

Alexander primus.

Undè Alexander primus (qui ſextus à D. Petro Summum Pontificatum egit, & tandem pro Chriſto coronatus eſt Martyrio) in prima Epiſtola de Sacrificio Miſſæ ad omnes fideles Scripta; ait: *Idcirco & Paſſio ejus vobis commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda: talibus enim Hoſtiis delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil in Sacrificiis majus eſſe poteſt, quàm Corpus & Sanguis Chriſti, nec ulla oblatio, hac potior eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda, & ſicut potior eſt cæteris, ità potius excoli, & venerari debet.* Ex quibus verbis apertiſſimè conſtat, Sacratiſſimam Euchariſtiam eſſe cum magna veneratione adorandam, imo & adoratam fuiſſe à primœva inſtitutione ſua; cùm hæc conſtitutio Alexandri ſit antiquiſſima, & inviolabiliter obſervata ab initio ſecundi Eccleſiæ ſæculi uſque ad noſtra tempora; fuit enim electus ille Summus Pontifex anno CXVIII. & obiit anno CXXIX. Igitur nullus hæreticus poteſt affirmare citrá mendacium, præceptum de adoranda Euchariſtia eſſe novum, & à Papiſtis (ut inquiunt) recenter, ſeu in Concilio Tridentino inventum, cùm non ſolum ſit Apoſtolicum, ut jam diximus, ſed etiam divinum ut infra dicemus, & in primitiva Eccleſia obſervatum fuerit.

§. II.

Statuitur Chriſti Adoratio.

Præterea, Chriſtus verè, & realiter exiſtens ſub ſpeciebus Euchariſticis eſt verè Deus, ſicut eſt verè Deus in Cœlo. In Cœlo verè adoratur: dicitur autem in Scriptura; *Adorabis Dominum Deum tuum.* Hocque præcepto tenemur adorare Deum in loco, in quo eſt, ideoque nullus poteſt Sacram Euchariſtiam intueri; quin teneatur ibi adorare Chriſtum; cùm ibi verè exiſtat, ibique ſit verè Deus ſicut in Cœlo adorandus. Hinc eſt quòd omnes communicaturi tenentur adorare Chriſtum in hoc Sacramento, ut dignè panem edant, & de Calice bibant, nè Judicium ſibi manducent, & bibant. Quòd factum ſemper fuiſſe, ſeu adorationem ſemper præceſſiſſe Communionem, legimus in omnibus Lyturgiis Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, & aliorum, quibus ſubſcripſerunt communiter Theologi. Concilium Viennenſe in Clementina unica de Reliq. & venerat. Sanctorum, inquit. *O adorandum, & reverendum excellentiſſimum Sacramentum.* Sunt alia, in quibus communicaturis commendatur tanquam res prorsùs neceſſaria hæc adoratio, quæ debetur illi, cujus Sanguine liberati, & redempti ſumus.

Clementina de reliquiis & veneratione Sanctorum.

Idem confirmat univerſalis Eccleſiæ Romanæ uſus elevandi Hoſtiam immediatè poſt Conſecrationem, qui quidem uſus, licet multas habeat ſignificationes myſticas, quas latiùs proſequuntur Concilium Epheſinum, Epiſt. ad Neſtorium, S. Auguſtinus Serm. 8. de verbis Apoſtoli, Doctor Seraphicus D. Bonaventura in declaratione Miſſæ, & alii Sancti Patres tam Græci, quàm Latini, qui de hoc uſu elevandi Hoſtiam loquuntur, tamen ratio litteralis elevandi Corpus Sanctiſſimum in Miſſa ſtatim poſt Conſecrationem, nullum alium finem habet niſi adorationem. Et conſuetudo deferendi illud in ſolemni proceſſione ſemel in anno juxtá communem omnium fidelium mentem, eſt etiam ut adoretur. Id conſtat ex omnibus Lyturgiis, & ex D. Dioniſio lib. de Eccleſ. Hier. cap. 8. part. 3. ubi inquit: *Pontifex Auguſtiſſima Myſteria conficit, at quæ antea laudaverat, in apertum agit, divina munera reverenter attendens.* Tali quidem modo, ſeu, *reverenter attendere*, eſt adorare; quia hîc, *reverentia* ſumitur pro cultu, & actu Religionis, quo Deo creatori & Redemptori nos ſubjicimus, eique ſubjectionis noſtræ teſtimonium reddimus. Hac de cauſa fideles dum Sacerdos conſecrans elevat Hoſtiam, dicere ſolent: *Adoramus te Chriſte*, &c.

Concilium Epheſinum.

D. Auguſtinus.

D. Bonaventura.

D. Dioniſius.

Denique idem probatur ex illo Hymno in Officio Sanctiſſimi Sacramenti decantando: *Pange lingua* in, quo habetur: *Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui*, quod non debet intelligi de ſolis ſpeciebus, quæ apparent nobis; licet totum Sacramentum ſit adorandum, ſed de Corpore Chriſti, quod propter unionem cum Verbo, dignum eſt cultu Latriæ, & adoratione, ut docet S. Auguſtinus ad Pſal. 98. & lib. 3. de doctrina Chriſtiana, ubi ait: *Qui vero aut operatur, aut veneratur utile ſignum divinitus inſtitutum cujus vim ſignificationemque intelligit, nec hoc veneratur quod videtur, & tranſit, ſed illud potius ad quod talia referenda ſunt.* His ſiquidem verbis ſuadetur, Corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus viſibilibus continetur, eſſe adorandum adoratione Latriæ, quia manet hypoſtaticè unitum divinitati, ex qua & humanitate conſtat Chriſtus: nam ſicut anima rationalis, &

D. Auguſtinus.

Digitized by Google

ſtro unus eſt homo , itá Deus , & homo , unus eſt Chriſtus , ait D. Athanaſius in Symbolo. Idcircò nedum in Cœlo , ſed etiam ſub ſpeciebus panis , & vini , eſt adorandus. Quoniam in utroque loco eſt Deus verus.

Eamdem veritatem declarat David Pſalm. 21. *Pſal. 21.* verſ. 30. dicens : *Manducaverunt , & adoraverunt omnes pingues terræ, in conſpectu ejus cadent omnes , qui deſcendunt in terram* : Indè enim ſequitur, hominem non debere edere panem Euchariſticum ; quin priùs adoret illum , quoniam ad dignam hujus cibi ſumptionem , adoratio optimè diſponit. Nec debet Euchariſtiam intueri ; quin eam adoret , eique ſe totum ſubjiciat. Nam D. Auguſtinus exponens eadem verba in comment. ſuper Pſalmos inquit : *Manducaverunt Corpus humilitatis Domini ſui etiam divites terræ , nec ſicut Pauperes ſaturati ſunt ad imitationem, ſed adoraverunt.* *Corpus Chriſti eſt adorandum.* Hac expoſitione liquidò conſtat , Prophetam fuiſſe locutum de manducatione carnis Chriſti venturi ; licet ipſius locutio ſit de præterito , quoniam poſuit more prophetico , præteritum pro futuro , id eſt, manducaverunt, & adoraverunt, pro manducabunt , & adorabunt. Idcircò nedum illi , qui carnem Domini manducant , debent eam adorare antequam manducent , & fructus Communionis recipiant , ſed etiam illi, qui Euchariſtiam intuentur, cùm ſtent ante conſpectum Domini , quem adorant Angeli , ut denotat hæc particula , *in conſpectu ejus.* Ratio hujus adorationis eſt, quia ſub illis ſpeciebus Euchariſticis , eadem caro realiter continetur , eſt que tam ſub illis ſpeciebus Euchariſticis , quàm in Cœlo , eadem adoratione digna propter unionem cum Verbo Divino , cum quo ſimul exiſtit in unitate ſuppoſiti increati , à quo itá dignificatur , ut illi nullus poſſit citrá peccatum denegare adorationem ; cùm ſic ſubſiſtens , ſit Deus homo in unitate perſonæ abſque ulla confuſione ſubſtantiæ.

D. Ambroſius. Undè D. Ambroſius in Serm. de Euchariſtia , diſpoſitiones ad dignam Communionem ſic deſcribit : *Quanta enim cordis contritione , & lacrymarum fonte , quanta reverentia & tremore , quanta cordis caſtitate, atque animi puritate iſtud divinum , & celeſte Myſterium eſt celebrandum , Domine Deus , ubi caro tua in veritate ſumitur , ubi Sanguis tuus in veritate bibitur , ubi ſummis ima, humanis divina junguntur : ubi adeſt Sanctorum præſentia , & Angelorum : ubi tu es Sacerdos , & Sacrificium mirabiliter , & ineffabiliter , quis dignè hoc poteſt celebrare Myſterium , niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum.* Ille Sanctus Doctor , inter diſpoſitiones communicanti deſiderandas, enumerat reverentiam ſeu adorationem , vultque hanc deberi Chriſto in Euchariſtia exiſtenti , ſicut debetur illi in Cœlo. Quapropter idem Sanctus Doctor ad primum Lucæ, *D. Gregorius.* D. Auguſtinus lib. de Corpore Chriſti , D. Gregorius dialogo 4. cap. 58. D. Chryſoſtomus lib. de Sa- *D. Chryſoſtomus.* cerdotio , Innocentius lib. 2. de hoc Myſterio cap. *Innocentius Papa.* 24. & plures alii ut oſtendant , Chriſtum in Hoſtia eſſe adorandum , dicunt quod ad Elevationem Sacratiſſimæ Hoſtiæ à Sacerdote factam immediatè poſt prolationem verborum , Angeli deſcendunt de Cœlo , ut ibi adorent Chriſtum , in quem proſpicere deſiderant , & ut una voce dicant : *Sanctus , Sanctus , Sanctus* , ad denotandam excellentiam ſanctitatis Chriſti Domini Deo Patri à Sacerdote in Sacrificio Miſſæ oblati , ratione cujus ipſo Chriſto debetur cultus Latriæ.

§. III.

Repelluntur Adorationis Impugnatores.

Lutheri , & aliorum hæreticorum ratio ob quam dicunt , Chriſtum non eſſe adorandum in Euchariſtia , eſt quia Dominus non præcepit hanc adorationem , nullibi enim legitur ; Chriſtum eſſe in Sacramento adorandum , ac proindè nullus debet eum ſub illis ſpeciebus exiſtentem adorare , quia in hac materia agendum eſt juxtá ea , quæ nobis ſunt præſcripta. At hæc ratio eſt ridicula , & argumentum inſanum, imò & nefanda impugnatio, cui nulla debetur reſponſio. Scriptum eſt enim quòd Chriſtus ductus in deſertum à Spiritu ut tentaretur à Diabolo, dixit ei : *Adorabis Dominum Deum tuum , & illi ſoli ſervies.* At Chriſtus in Hoſtia realiter exiſtens, eſt Dominus Deus noſter , ſicut in Cœlo : cùm ſit idem , qui eſt in Cœlo , ac proindè debemus eum adorare ex eodem præcepto , quod cùm factum fuerit creaturæ , omnem hominem obligat , quia fundatur in ſubjectione creaturæ ad Deum , quæ quidem ſubjectio eſſentialiter, & æqualiter reperitur in omni creatura. *Stat præceptum de Chriſto in Hoſtia adorando.*

Si hæretici velint , hoc præceptum *adorabis Dominum Deum tuum* eſſe intelligendum de ſola divinitate , aut de Chriſto itá quatenus eſt Deus , ut eidem quatenus homo eſt , nullo modo conveniat , allucinantur , nam dum Propheta Pſal. 96. verſ. 8. dicit , *adorate eum omnes Angeli ejus* , loquitur de Chriſto ſedente pro tribunali , ut notat Bellarminus , & extendit hoc præceptum ad Chriſtum Dominum reduplicativè, ſeu quatenùs eſt Deus homo in unitate perſonæ.

Hæc expoſitio confirmatur ex his verbis Apoſtoli ad Heb. 1. verſ. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ , dixit , & adorent eum omnes Angeli Dei* , quia probant , Chriſtum eſſe ſuperiorem Angelis. Ratio , quam aſſignat , eſt. Quia ab Angelis eſt adorandus ; alioquin malè ex illo loco argumentaretur Apoſtolus ; etenim ſi ad ſolam divinitatem adoratio referenda eſſet ex illo præcepto, certè non liceret indè ſcilicet ex illa adoratione aliud colligere , niſi quòd ſola Chriſti divinitas eſſet Angelis ſuperior ; cùm ſola divinitas eſſet adoranda , non autem Chriſtus reduplicativè conſideratus , nimirum quatenùs divinitate & humanitate conſtat. Atqui Apoſtolus apertè dicit quòd Chriſtus quatenùs eſt Deus homo , & ſimpliciter ſumptus , eſt ſuperior Angelis , quia ipſi Angeli adorant eum , Deo ſic præcipiente : igitur habemus præceptum , quo tenemur adorare Chriſtum. *Hebr. 1.*

Dicent forſan Lutherani , hoc præceptum de Chriſto adorando ſub ſpeciebus Euchariſticis , datum fuiſſe itá ſpecialiter & strictè Angelis , ut non poſſit extendi ad homines , qui carnem ejus videre non poſſunt ſub ſpecie panis. At hæc ratio eſt falſa , quoniam ſequeretur homines eſſe digniores , & præſtantiores Angelis; cùm Angeli eſſent ex præcepto obligati ad adorationem Chriſti , homines autem ab hujuſmodi obligatione eſſent exempti. Quòd eſt falſum ; cùm Angelus ſit creatura homine perfectior , atque ſuperior. Aliundè ut homo teneatur adorare Chriſtum in Hoſtia conſecrata , non eſt neceſſè quòd ibi carnem ejus videat , ſed ſufficit quòd credat carnem ejus eſſe ſub ſpeciebus panis; cùm deficiente ſenſu , ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficiat , ut inquit D. Thomas ; ideò ſi Angelus teneatur ex præcepto adorare Chriſtum Dominum in Euchariſtia exiſtentem , homo etiam tenetur adorare eum , quia hæc adoratio eſt actus inferioris ad ſuperiorem , ſeu creaturæ ad Creatorem. *Inſtantia Lutheranorum reſolvitur.*

Ut autem falſitas Argumenti hæreticorum evidentius appareat , dico quòd dato & non conceſſo , quòd Dominus non præceperit in Scriptura expreſſè , & formaliter , Chriſtum eſſe adorandum in Sacramento Altaris. Tamen illud præceptum eſt itá

notum, ut nullus poſſit ſana mente illud rejicere, quia ſub ſpecie Panis conſecrati eſt Deus ſicut in Cœlo. Ideoque adurandus eſt in Euchariſtia, ſicut in Cœlo, & ſicut olim fuit in præſepio, alloquin ſequeretur quòd illi tres Sanctiſſimi Magi, qui ab Oriente venerunt adorare Dominum, & qui de facto intrantes domum, Genibus flexis adoraverunt eum, offerentes ei munera, Aurum, Thus & Myrrham, malé feciſſent, & Idololatræ fuiſſent. Quòd eſt falſum, ad Chriſtum enim acceſſerunt ad hunc finem, ſeu ut eum adorarent, ducente ſtella ſicut flamma coruſcante, & Regem Regum Deum demonſtrante. Malè etiam feciſſent Maria Magdalena, Mulier Cananæa, Cæcus natus, Centurio, & alii, qui Chriſto Domino in terris degenti divinos exhibuerunt honores. Quôd non eſt dicendum. Chriſtus enim, qui malum approbare nequit, laudavit eos omnes, qui eum adoraverunt, ut legimus in variis locis Sacræ Scripturæ. Quòd non feciſſet niſi adoratio, illi itá debeatur, ut nullus poſſit in hac obligatione diſpenſari, quia eſt verè ille Deus, & Dominus omnium, cujus excellentia exigit ab omnibus adorationem, nedum prout in Cœlo, ſed etiam prout eſt ſub ſpeciebus Euchariſticis. Nam ſi ex Apoſtolo ad Philip. in nomine Jeſu omne genu flectatur, omnis homo viſâ Hoſtia conſecratâ, debet eam adorare, & genua flectere; eùm verè ſit ſub ſpeciebus ſacramentalibus.

Magi adoraverunt Chriſtum.

Hanc ipſam veritatem, ſeu Chriſtum eſſe adorandum, confeſſus eſt Herodes, qui clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus Stellæ, quæ apparuit eis, & mittens eos in Bethleem, dixit, *ite & interrogate diligenter de puero: & cum inveneritis, renunciate mihi, ut ego veniens, adorem eum.* Fateor hanc proteſtationem eſſe ſimulatoriam: quia Herodes quærebat puerum ad perdendum eum, ut notat Evangeliſta. At hoc nonobſtante, eſt vera ex parte ſubjecti, ſcilicet pueri, quem ipſe Herodes dicebat eſſe adorandum.

Huic teſtimonio de adoratione Chriſto exhibenda, addendum eſt aliud, quod habetur Joan 20. ibi enim legimus, D. Thomam Apoſtolum Chriſto dixiſſe: *Dominus meus, & Deus meus.* His quidem verbis confitebatur Chriſtum eſſe Deum & hominem, ſubindèque eum, ut Deum & hominem adorabat. Illa quippè profeſſio fuit actus inſignis cujuſdam fidei, quæ actum adorationis ſibi comitem habebat, præſertim cùm Chriſtus eſſet præſens; idcirco S. Thomas non ſolùm Chriſti divinitatem, ſed & humanitatem cenſendus eſt adoraſſe. Undè cum hæc humanitas, quam adoraverunt Magi, Thomas Apoſtolus, & alii, ſit ea, quæ eſt in Hoſtia conſecrata, adoranda eſt etiam adoratione Latriæ, dum ipſa Hoſtia à Sacerdote elevatur, & Populo oſtenditur adoranda.

Apoſtolus Thomas adoravit Chriſtum.

ARTICULUS LX.

Refellit Melchiſedechianos.

DIvus Auguſtinus lib. de hæreſibus, Hæreſ. 134. & S. Epiphanius Hæreſ. 55. referunt, quoſdam dixiſſe, Melchiſedech Sacerdotem, non fuiſſe hominem purum de Muliere natum, ſed fuiſſe Chriſtum. Vel ad minùs quamdam Dei virtutem Chriſto majorem, videlicet Spiritum Sanctum, cujus ordine, Chriſtum, Sacerdotem factum eſſe putabant, indeque ab omnibus dicebantur Melchiſedechiani. Quis autem iſtorum hæreticorum Princeps fuerit, aut quo tempore cœperit hic error, D. Auguſtinus non notavit; neque apud alium Scriptorem invenire potui. Id quod de hac re ſcimus, eſt, quemdam virum doctum, dictum Hieracem (de quo fusè loquitur. S. Epiphanius Hæreſ. 67.) hanc hæreſim docuiſſe, ſed neſcimus an eam adinvenerit. Tamen plures putant, Melchiſedechianos à Theodotianis avulſos, ac proindè exortos à Theodoto Patriâ Bizantino, profeſſione Coriatio, circà annum Domini CCLX. ſub Maximiano Imperatore, & Fabiano Papa. Sed hæc opinio, quæ videtur eſſe S. Epiphanii, loco citato, diſplicet Philaſtrio, qui exiſtimat, Melchiſedechianos fuiſſe tempore Apoſtolorum, & in primo ſæculo, hocque probabilius apparet. Tum quia plures Scriptores, qui hæreticorum Catalogum ediderunt, Melchiſedechianos collocant in primo ſæculo. Tum quia D. Epiphanius non loquitur aſſertivè de eorum origine, itá ut velit quòd fides illi adhibeatur: ait enim. *Melchiſedechiani fortaſſe à Theodotianis exorti ſunt.* Quòd probat Melchiſedechianorum Authorem fuiſſe incertum tempore D. Epiphanii. Undè licet aſſerere cum Philaſtrio, Melchiſedechianos eſſe antiquiores Theodotianis: iſti enim exorti ſunt tempore D. Epiphanii, vel paulò anteá; cùm conſtet certo teſtimonio, Theodotum vixiſſe in tertio ſæculo. Et D. Epiphanium obiiſſe anno Chriſti CCCCIII. ætatis ſuæ anno CXV. & itá hujus hæreſis Authorem facilè adinveniſſet ipſe S. Epiphanius, & aſſertivè dixiſſet, Melchiſedechianos à Theodotianis avulſos eſſe.

Melchiſedechiani.

Origo Melchiſedechianorum eſt incerta.

Contrá Melchiſedechianos nullum fuit celebratum Concilium, nullumque eſt quòd expreſsè declaret, Melchiſedech non fuiſſe Chriſtum. Omnia tamen aſſerendo, Chriſtum eſſe Filium Dei Unigenitum, damnant ſaltem indirectè errorem, quem impugnamus. Ideoque ut veritas fidei magis eluceſcat, & ut clariùs videamus, Melchiſedech non fuiſſe Chriſtum, nec virtutem quamdam Chriſto majorem, videlicet Spiritum Sanctum, ad Sacræ Scripturæ authoritatem recurrendum eſt.

Melchiſedechianos implicitè damnant Concilia.

Jeſus Chriſtus æternus Deus, æternique Patris Filius, mundum volens conſecrare ſuo piiſſimo adventu, de Spiritu Sancto conceptus, novemque poſt conceptionem decurſis menſibus in Bethleem Judæ naſcitur ex Maria Virgine, factus Homo, Anno Octaviani Auguſti quadrageſimo ſecundo, ut teſtantur omnes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, traditiones, & Martyrologium Romanum. Melchiſedech autem vixit tempore Abrahæ: legimus enim in lib. Geneſ. cap. 14. quod Melchiſedech exiit obviam Abrahæ captivus reducenti, aut regreſſo à cæde Regum (ut teſtatur Apoſtulus ad Hæb. 7.) & benedixit ei, & ait verſ. 19. & 20. *Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit Cælum & Terram, & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt, & dedit ei decimas ex omnibus:* Igitur Melchiſedech non fuit Chriſtus, qui natus eſt ſecundum carnem de Maria Virgine, Sexta mundi ætate, ſeu Anno bis milleſimo quinto decimo à nativitate Abrahæ, & fuit plurimis ſæculis poſtipſum Patriarcham, cum quo vixit Melchiſedech Sacerdos Dei altiſſimi, ſecundum cujus Ordinem, Chriſtus eſt Sacerdos in æternum.

Geneſ. 14.

Deindè Melchiſedech juxtá Apoſtolum, loco citato verſ. 3. eſt ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, Chriſtus verò natus eſt de Maria Virgine, ut docet Math. cap. 1. verſ. 16. ubi ait: *Jacob autem genuit Joſeph Virum Mariæ de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Idem declaratum fuit in Concilio Nicæno, & in aliis contra hæreticos negantes, Mariam eſſe Matrem Chriſti. Inſuper ipſe Chriſtus habet Patrem in Cœlis, ut

Math. 1.

Ipſemet teſtatur in variis locis Sacræ Scripturæ : ergo Melchiſedech, de quo habetur ſermo Geneſ. 14. & ad Heb. 7. non eſt Chriſtus Jeſus, ſed purus homo.

Neque eſt virtus quædam ipſo Chriſto major, videlicet Spiritus Sanctus. Nam Melchiſedech loco citato verſ. 18. dicitur Rex ſalem, ſeu cujuſdam civitatis Sichemiorum, quæ eſt in terra Chanaam, ut conſtat ex eodem lib. Geneſ. cap. 33. verſ. 18.

Geneſ. 33.

Atqui Spiritus Sanctus non dicitur Rex ſalem; cùm ſit Dominus Cœli & terræ, & dominetur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis ex illo Sap. cap. 1. verſ. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*, nulluſvè ſit in Sacra Scriptura textus, quo ipſe Spiritus Sanctus dicatur Rex, & Dominus unius urbis, aut civitatis terreſtris, ut Melchiſedech, qui certò non eſt Spiritus Sanctus, nec virtus quædam major Chriſto (qui factus eſt excelſior Cœlis, ut monet Apoſtolus ad Heb. 7. eſtque Filius Dei, teſte Scriptura, ſubindeque major, & dignior omni creatura) ſed fuit purus homo, ut docent D. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 3. D. Auguſtinus Hæreſ. 34. D. Epiphanius Hæreſ. 55. & D. Bonaventura ſuper Geneſ. cap. 14.

Sap. 1.

Melchiſedech eſt purus homo.

Tandem Scriptura Sacra multa tribuit Melchiſedech, quæ Spiritui Sancto convenire non poſſunt. Apoſtolus loco citato verſ. 3. de ipſo Melchiſedech ait : *aſſimilatus autem Filio Dei*, ſeu Chriſto, quòd non poteſt de Spiritu Sancto verificari, aliàs Spiritus Sanctus fuiſſet Incarnatus, eſſetque homo ſicut Filius, quòd eſt directè contra Sacram Scripturam; cùm ſit de fide, Filium dumtaxat, noſtram aſſumpſiſſe carnem. Neque poteſt intelligi de Chriſto ſecundum divinitatem, quia quod aſſimilatur alteri, non eſt ejuſdem naturæ individuæ cum illo, nam ſimilitudo de qua hìc agitur, quæ eſt aſſimilatio, eſt quædam relatio medians inter duo extrema realiter, & ex ſe totis diſtincta. Et Spiritus Sanctus eſt ejuſdem naturæ cum Filio Dei; alioquin in Deo eſſent tres naturæ, ſicut ſunt tres perſonæ. Quòd eſt hæreticum, ut in proprio loco dictum eſt, ac proindè Melchiſedech non eſt Spiritus Sanctus, nec è converſo. Quia Apoſtolus aſſimilat Melchiſedech cum Filio Dei, quadam aſſimilatione, quæ nequit eſſe inter Spiritum Sanctum, & Filium Dei. Quia habent eamdem numero naturam.

Melchiſedech aſſimilatur Filio Dei.

Inſuper ex Apoſtolo, Melchiſedech eſt Sacerdos Dei altiſſimi, & Summi, ut refertur in cap. 7. ad Heb. verſ. 1. At Deus non eſt Dei Sacerdos, id eſt Spiritus Sanctus non eſt Sacerdos Dei, nec mediator hominum : ergo ipſe Melchiſedech non eſt Spiritus Sanctus, qui cùm non aſſumpſerit humanitatem, nequit eſſe Sacerdos Dei, nec mediator Dei & hominum, ſicut Chriſtus, neque homo ſicut Melchiſedech. His addo quòd Abraham non dedit Decimas Spiritui Sancto, ſicut dedit eas Melchiſedech, ut pro certò habemus ex verbis Apoſtoli ad Heb. 7. verſ. 4. *Intuemini autem quantus ſit hic*, id eſt Melchiſedech, *cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.*

Hebr. 7.

Melchiſedechianorum ratio deſumitur ex Epiſt. ad Heb. loco citato verſ. 3. ubi de Melchiſedech dicitur : *ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum:* Hæc ſiquidem verba (inquiunt) non poſſunt convenire homini puro, quia principio & fine carens, eſt æternum, ac proindè ens divinum. Eſſe ſine Patre, ſine Matre, eſt carere causâ productivâ, & habere independentiam, ſeu eſſe à ſe, omnia autem hæc prædicata de ſolo Deo verificari poſſunt, & per conſequens Melchiſedech, de quo dicuntur, debet eſſe Chriſtus, ſeu Deus homo, vel Spiritus Sanctus non verò purus homo, qui cùm eſſet genitus, haberet Patrem, & Matrem, ortum, & interitum.

Prima Melchiſedechianorum ratio.

Nego conſequentiam : quia ſi Melchiſedech in Sacra Scriptura dicatur ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, ſine proſapia, non itá dicitur, ut re ipſa ſit ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia; ſed ſolum ex eo quòd genitores ipſius non ſint manifeſtè in Scriptura Sacra nominati, ut exponunt S. Epiphanius Hæreſ. 21. S. Hieronymus Epiſt. cxxvi. Nazianzenus, Chryſoſtomus, & alii. Et ſi dicatur non habere initium dierum, neque finem vitæ, non debet indè inferri quòd caruerit principio, & fine, ſed ſolum quòd nihil de ipſius nativitate, & morte habeatur in Scriptura Sacra certum quoad locum, & tempus. Undè Apoſtolus non eſt intelligendus de Patre, Matre, Proſapia, principio, & fine Melchiſedech abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſolum quantum ad eorumdem cognitionem, quam nullus hominum habuit ex Scriptura Sacra; licet de facto ipſe Melchiſedech habuerit Patrem, & Matrem : ideoque ipſe Paulus in Epiſt. ad Heb. non docuit, Melchiſedech eſſe Chriſtum cujus Mater eſt Virgo Maria, & cujus proſapia deſcribitur in Evangelio. Neque Spiritum, S. ut colligitur ex argumentis, quæ ſupra retuli, ex Apoſtolo deductis.

Melchiſedech habuit Patrem & Matrem.

Aliam adducunt authoritatem, quæ eſt Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech*, indè enim inferunt Melchiſedech eſſe digniorem Chriſto, quia Chriſtus (de quo loquitur Propheta) non indiguiſſet Ordine Melchiſedech, niſi fuiſſet in aliquo inferiori gradu poſitus, & eſſet minor ipſo, ſed id, quò Chriſtus ut homo, eſt minor, eſt Spiritus S. igitur Melchiſedech eſt Spiritus S. Porro non nocet hæc ratio; quia his verbis, *tu es Sacerdos in æternum*, &c. declaratur, Chriſtum fore Sacerdotem, ſicut Melchiſedech fuit Sacerdos Domini, offerens panem, & vinum. Nec per iſta, *ſecundum Ordinem Melchiſedech*, inſinuatur, Melchiſedech eſſe Chriſto majorem, ſeu eſſe Spiritum S. ſed ſolùm quòd ritus ſacrificandi, quem ſervabit Chriſtus, erit ſimilis ritui Melchiſedech, ut notat D. Bonaventura, ibi enim, *ordo*, non ſumitur pro Juſſu, aut ordinatione inſtituta à Melchiſedech, ſed ſolum pro ritu Sacrificii Melchiſedech.

D. Bonaventura.

Vel dico quòd Propheta itá loquitur ad oſtendendam tranſlationem Sacerdotii à Sinagoga ad Eccleſiam, à veteri conſuetudine ad novam, & optimam non habentem ſucceſſionem carnalem, ut evidenter demonſtrat Apoſtolus in eodem capite ad Heb. ut ſciamus, Chriſtum eſſe Sacerdotem juxta Ordinem Melchiſedech, non verò Chriſtum ipſum eſſe eumdem Sacerdotem ac Melchiſedech; iſte enim fuit in Sacerdotio ſuo figura illius, ideoque Chriſtus non eſt minor Melchiſedech, imò major, ſicut realitas eſt nobilior figurâ & umbrâ. Neque poſitus eſt in aliquo inferiori gradu; cùm non ſit Sacerdos authoritate, vel inſtitutione Melchiſedech; ſed ſecundum ritum, quem ſervabat Melchiſedech qui erat Sacerdos Dei altiſſimi, & figura Sacerdotis novæ legis, ſcilicet Chriſti, quemadmodum Sacramenta veteris legis erant figura Sacramentorum novæ. Quapropter Chriſtus eſt perfectior, & dignior Melchiſedech Sacerdote Dei altiſſimi in antiqua lege, in qua obtulit panem & vinum, ſicut Baptiſmus eſt dignior & major circumciſione.

Explicatur quid intelligendum ſit per Ordinem Melchiſedech.

Replicant Melchiſedechiani; & ut probent, Melchiſedech eſſe Spiritum Sanctum, dicunt, quòd nomine Melchiſedech ſignificatur Rex Juſtitiæ; & quòd *ſalem* idem ſonat ac *Pax*. Et ſic ex Apoſtolo loco citato verſ. 1. Melchiſedech, qui eſt Rex ſalem,

ſignificat Regem juſtitiæ, & pacis, Rex autem pacis eſt Deus, qui in variis Sacræ Scripturæ locis dicitur pax noſtra, & illi, qui apud eum ſunt, dicuntur juxtà Scripturam, eſſe in pace. Igitur ex Apoſtolo, Melchiſedech non eſt purus homo, ſed Chriſtus, vel quædam virtus Chriſto major, videlicet Spiritus Sanctus.

Reſpondeo quòd inutilis,& inefficax eſt hæc Replicatio. Quia ad aliquam aſſertionem confirmandam, ſenſus litteralis, non autem myſticus requiritur; aliàs ſequeretur quòd Iſaac eſſet Deus. Quia ſignificat gaudium, & Deus dicitur in variis locis Sacræ Scripturæ, gaudium. At hoc conſequens eſt falſum, cùm ex Math. cap. 1. verſ. 2, Iſaac ſit Filius Abrahæ, & purus homo: ergo Apoſtolus per ſuam interpretationem non intendit aſſerere, Melchiſedech eſſe Deum, nec Chriſtum, nec Spiritum Sanctum,ſed figuram Chriſti offerentis, & Sacrificantis, ſeu Sacerdotis in æternum. Quemadmodum enim Melchiſedech obtulit panem, & vinum in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, & poſteà eidem Abrahæ, & comitibus ejus panem & vinum, peracto Sacrificio, propriâ manu diſtribuit, potiùs in religionem, & cultum, quàm in refectionem: ità Chriſtus in ultima Cœna obtulit Corpus ſuum, & Sanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini, & dedit Diſcipulis ſuis: dicens: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum &c.* Hæcque eſt ratio ob quam Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſeu quia Melchiſedech geſſit figuram Sacerdotij Domini, ut refert Theodoretus Cyrenenſis Epiſcopus.

Melchiſedech non eſt aliqua virtus major Chriſto.

ARTICULUS LXI.

Repellit Eſſænos nullum in lege Chriſti admittentes Præceptum.

PRimi, qui circà leges Chriſti meditati ſunt inania, locuti ſunt falſa, & erraverunt ab utero, id eſt à lege, ut inquit, D. Auguſtinus, ſunt ipſi *Phariſæi*, ſic à voce *phares*, nuncupati, quia cùm eſſent in Judæa, quaſi Judæorum Clerici, erant à reliquo populo ſegregati. Hi autem de lege malè ſentientes, errabant traditiones ſuas humanas legis divinæ mandatis præferendo. Undè Chriſtus eos increpans, inquit, Math. 15, verſ. 3. *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram, nam Deus dixit honora patrem: & matrem, qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur.*

Phariſæi.

Eſſæi, ſeu Eſſæni, ut voluerunt aliqui, fuerunt quidam hæretici de tertia Judæorum Secta viri, qui cùm viderent Phariſæos ſuas cupiditates abundè ſectari, cæperunt ſejunctim ſeparatis in locis habitare, ut ibi Monachalem vitam exercerent, eſcas delicioſas non ſumerent, nec ſtudium in veſtimentis gererent, neque poſſiderent aliquid, & lectioni ac bonis operibus inſiſterent, unde *Eſſæi*, id eſt, *operarij*, dici voluerunt, ut à Phariſæis & Saducæis diſtinguerentur nomine, non verò fide, aut Sectâ, quia credebant ſicut illi,nullam eſſe legem divinam, homines poſt mortem Chriſti in terris obligantem.

Nazaræi ſic dicti à Nazareth Galileæ vicô (in quo Chriſtus fuit conceptus, & à quo etiam Nazarænus dictus eſt) Chriſtum Filium Dei confitebantur, ſed aſſerebant, legem veterem eſſe in omnibus præceptis ſuis obſervandam unà cum lege nova; volebant tamen iſtam non obligare, niſi ratione veteris, credentes iſtam (ſcilicet novam) nullum habere diſtinctum præceptum ſibi proprium, ità ut dici poſſit, Chriſti præceptum, aut mandatum Evangelicum. Iſti hæretici [qui emerſerunt tempore Adriani Imperatoris, & Xiſti hujus nominis Papæ primi circa annum Domini CXXXIII.] carnaliter eſſe vivendum affirmabant, omnemque juſtificationem in carnali obſervantia conſiſtere ſuſpicabantur,crines etiam capitis nutriebant, omnemque virtutem Juſtitiæ in eis putantes conſiſtere, ut refert Philaſtrius.

Nazaræi.

Samaritæ, ſive Samaritani, ſic à Samario Rege, vel ut voluut alij à Samarreo Filio Canaam, Filij Cham nominati, quatuor tantùm libros Pentateuchi recipiebant, tamquam veram legem ab omnibus inviolabiliter obſervandam, ideo Chriſto poteſtatem legiſlativam denegabant, & aſſerebant, Evangelium nullum præceptum continere, ac proindè nullum Chriſtianum obligari obligatione obſervandi Chriſti Evangelium.

Samaritæ

Paſchatitæ [qui vulgo quarto-decimani dicuntur, à decimâ quartâ primi menſis Lunâ, eo quod decima quarta occurrente luna, quocumque occurreret Hebdomadæ die, Paſcha neceſſariò eſſe celebrandum tenerent] plura præcepta Evangelij rejiciebant. Anomi verò, ſive Anomæi, vel Anomiani, id eſt ſine lege viventes, nullum admittebant præceptum à Chriſto inſtitutum: putabant enim, Chriſtum, qui non venit legem ſolvere, ſed adimplere, nullam legem condidiſſe. Cœleſtiani ſic à Cæleſtio quodam hæretico, incertæ Patriæ viro, profeſſione Monacho; Pelagiique Coëvo, ac Diſcipulo, nuncupati, erraverunt circà legis mandata, tempore Arcadij Imperatoris, & Innocentij primi circa annum Domini CCCCV.

Paſchatitæ *Anomi.* *Cœleſtiani*

His omnibus divinarum legum impugnatoribus, ab initio naſcentis Eccleſiæ, contradixerunt Apoſtoli in Concilio Jeroſolymitano, & Patres in Concilio Carthaginenſi, quorum tandem doctrinâ hæreſis extincta eſt, Evangelium Chriſti ſuum in populis obrinuit vigorem, & quilibet fidelis ſe præceptis Evangelicis ligatum agnovit. Sed poſteà, ſcilicet incipiente decimo quinto ſæculo, Diabolus ſuſcitavit Lutherum, qui ut homines ab omni via veritatis averteret, & ad quævis vitia pertraheret, docebat, nullum eſſe in tota lege Evangelica præceptum à Chriſto Domino inſtitutum. Quapropter ſtatim plures habuit Diſcipulos ipſe Lutherus, & contingit illi, quod olim Epycuro, qui [ut refert Lactantius] plures habuit ſectatores quàm reliqui Philoſophi,quia docebat delicias carnis, quas cæteri Philoſophi adverſabantur. Brentiani [ſic dicti à Brentio ingenioſo quidem eloquente, & erudito, ſed Impiiſſimo Semilutherano viro Uvitembergenſi Pſeudotheologo] aſſerebant cum Bucero, & nonnullis aliis, Evangelium veram legis rationem non habere, credebant enim Chriſtum in Evangelio, nihil prorsùs nobis præcipere, ſed ſolùm enunciare ea, quæ ſperanda ſunt, quia Evangelium ſignificat bonum nuntium, Eumdem errorem tenent Calviniſtæ.

Lutherus. *Brentiani* *Bucerus.* *Calviniſtæ*

§ I.

Evangelium eſſe veram legem probatur Authoritate.

HAnc hæreſim damnavit Synodus Tridentina ſeſſ. 6. Can. 19. & 20. *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos: anathema ſit: ſi quis hominem Juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei: & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum: quaſi verò Evangelium*

Concilium Tridentinũ

Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum: anathema ſit. Contrà hanc hæreſim ſcripſerunt plures celeberrimi doctores, ſcilicet noſter Alphonſus à Caſtro, natione Hiſpanus, Archiepiſcopus Compoſtellanus, à Rege Hiſpaniarum miſſus ad Concilium Tridentinum. Stanislaus Hoſius, Cracoviæ in Polonia natus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & alii, quamplurimi.

Chriſtus eſt Legiſlator. Chriſtum fuiſſe verum Legiſlatorem, ejuſque Evangelium habere veram rationem Legis, diu antequam naſceretur, nobis intimatum, & publicatum fuit per Prophetam Iſayam cap. 33. verſ. 22. dicentem: *Dominus enim Judex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Nihil ſane clarius prædici poterat, ut omnibus prænominatis hæreticis ſilentium imponeretur, aut cogerentur, ad proclamandum cum univerſa Eccleſia Romana, Chriſtum Dominum habuiſſe poteſtatem Legiſlativam, ejuſque Evangelium habere veram, & inconcuſſam Legis rationem.

Porrò ſi illud Iſayæ Vaticinium, quod da Meſſia, ejuſque Lege, ſeu Evangelio dictum eſt, non ſufficiat ipſis, audiant Chriſtum dicentem Apoſtolis ſuis Math. ult. 1. verſ. 18. & 19. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Indè enim diſcent Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum, & plura alia præcepta, eaque voluiſſe, nedum ab Apoſtolis, ſed etiam ab omnibus hominibus obſervari, ſicut voluit Baptiſmum conferri omnibus: cùm, ut iſta, utpotè præcepta obſervarentur, & ille, videlicet Baptiſmus reciperetur, miſerit Apoſtolos in univerſam terram ſuum Evangelium annunciaturos omni creaturæ. Undè Paulus ſcribens ad Titum, & de Deo loquens; cap. 1. verſ.
Ad Titum cap. 1. 3. ait: *Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in Prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundum Præceptum Salvatoris noſtri Dei*, ut confiteamur Chriſtum fuiſſe Legiſlatorem, & plura dediſſe præcepta in Lege gratiæ ab hominibus obſervanda ſub pœna damnationis æternæ. Nam ſi tranſgreſſores Legis à Moyſe datæ, puniti fuerunt, multo magis tranſgreſſores Legis, à Chriſto puniendi ſunt, inquit Apoſtolus, Quare meritò Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 21. ſic pronunciat: *Si quis dixerit; Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legiſlatorem cui obediant: Anathema ſit.*

Chriſtum fuiſſe Legiſlatorem, & ejus Evangelium continere præcepta neceſſariò obſervanda, conſtat ex propriis verbis Chriſti, qui de Lege ſua ſic loquitur:
Joan. 14. Joan. 14. verſ. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Quædam igitur inſtituit mandata; alioquin non dixiſſet *mea* Solius enim Legiſlatoris eſt ſic loqui. Et alibi *ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione*, hoc eſt, in me: finis enim Legis, Chriſtus ad Juſtitiam omni credenti, hæc autem Chriſti mandata habentur in Evãgelio, quod eſt verbum Chriſti; ideoque ipſe Chriſtus eſt Legiſlator ille, de quo D.
Jacob 14. Jacobus cap. 14. verſ. 12. ait: *Unus eſt Legiſlator & Judex, qui poteſt perdere, & liberare.* Eſt etiam ille,
Jerem. 31. de quo Vaticinatus eſt Jeremias cap. 31. verſ. 31. *Ecce dies veniem, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum . . . . . dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*, quæ verba de Chriſto, ejuſque fœdere & Lege, ſeu Evangelio, dicta eſſe interpretatur Apoſtolus ad Heb. cap. 8. verſ. 8. & 9. Et cap. 10. verſ. 16.

Inſuper certi ſumus ex Scriptura, quòd ſi homo non fuerit renatus ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei, ut fatentur ipſimet Lutherani neceſſitatem Baptiſmi admittentes. Quòd ſi non manducaverit carnem Filii hominis, & biberit Sanguinem, non habebit vitam in ſe, ut etiam fatentur Lutherani, quia credunt Corpus Chriſti eſſe realiter ſub ſpeciebus panis, & vini, ſaltem quoad uſum; licet credant ſub his ſpeciebus ſubſtantiam panis remanere cum carne Chriſti. Illa autem neceſſitas ad ſalutem apertè indicat eſſe præcepta aliqua à Chriſto inſtituta, & à nobis obſervanda, quia nullus à Regno Cœlorum abſolutè excluditur, niſi propter tranſgreſſionem alicujus præcepti, quia ſervanti omnia præcepta, Chriſtus promiſit vitam æternam. Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: *Math. 19.* Igitur Baptiſmus, & Euchariſtia verè ſunt ſub præcepto, quod non in Lege veteri, ſed in nova habetur; alias Chriſtus non eſſet Author Sacramentorum Baptiſmi, & Euchariſtiæ; quòd noluit dicere Lutherus; licet impiiſſimus fuerit, atque Blaſphemus. Eſt aliud etiam neceſſario ab adultis obſervandum, ut habetur Math. 4. Luc. 13. & alibi *Luc. 13.* ubi dicitur, Pœnitentiam eſſe abſolutè neceſſariam pro ſalute conſequenda. Ideo Chriſtus eſt verè Legiſlator, & Evangelium ejus eſt verè Lex gratiæ, in qua plura ſunt præcepta ab hominibus obſervanda.

Plura ſunt in Lege nova præcepta. Tandem aſſertio noſtra poteſt probari teſtimoniô Lutheri: nam impiiſſimus ille vir docet, Communionem eſſe ſumendam ſub utraque ſpecie, nedùm à Sacerdotibus, ſed etiam à Laicis. Ratio eſt (inquit) quia Chriſtus nobis præcepit Euchariſtiam ſumere ſub utraque ſpecie. Undè clamat contrá Catholicos (quos vocat Papiſtas, & rebelles voluntati Chriſti carnem ſuam ad manducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum concedentis omnibus fidelibus.) Ideo ſi ipſe Lutherus credat, Chriſtum hoc præcepiſſe, quomodo docere poteſt, nullum eſſe præceptum nobis à Chriſto datum in Evangelio? Cùm ſi Communio ſub utraque ſpecie eſſet de præcepto, ut ipſe falsò reſtatur, præceptum illud eſſet in Evangelio, quod eſt Teſtamentum, in quo Chriſtus ſuam nobis manifeſtavit voluntatem: tenetur igitur fateri, Chriſtum aliqua præcepta nobis reliquiſſe in Evangelio. Aut dicere, Eccleſiam Romanam non errare, nec violare præceptum Chriſti denegando Laicis Communionem ſub ſpecie vini. Recuſat autem fateri hoc poſterius; ergo debet admittere prius, ſeu in Lege gratiæ, plura eſſe præcepta ab hominibus obſervanda.

Deindè ſi nullum eſſet in Evangelio præceptum; nullum pariter eſſet peccatum in eis, qui ſub Evangelio vivunt, etiam ſi illud non obſervent; cùm Paulus doceat ad Rom. cap. 4. nullam eſſe prævaricationem, ubi nulla eſt Lex; ſed plures eorum, qui ſub Evangelio vivunt, peccant quia non obediunt ei: ergo Evangelium eſt ipſis Lex, ſub qua tenentur vivere, & obſervare omnia hæc, quæ in eo mandantur. Undè idem Paulus 1. ad Corint. cap. 9. verſ. 21. ait: *Iis qui ſub Lege ſunt, quaſi ſub Lege eſſem* *1. Corint. 9.* *(cum non ipſe eſſem ſub Lege) ut eos, qui ſub Lege erant, Lucrifacerem. Iis qui ſine Lege erant, tanquam ſine Lege eſſem (cum ſine Lege Dei non eſſem: ſed in Lege eſſẽ Chriſti) ut Lucrifacerem eos, qui ſine Lege erant*: His Apoſtolus declarat, ſe eſſe in Lege, hancque eſſe Legem Chriſti, ac proindè docet, Chriſtum eſſe Legiſlatorem, & Evangelium ejus plura continere præcepta ab hominibus obſervanda, ut vitam æternam aſſequantur, hinc eſt quod ad Rom. cap. 2. verſ. 13. habet: *Non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores* *Rom. 2.* *Legis juſtificabuntur*, hoc eſt, illi, qui Legem obſervant. Lex autem illa cujus factores juſtificabuntur, eſt Lex Chriſti, ſeu Evangelium, quod Romanis proponebat obſervandum idem Apoſtolus.

Digitized by Google

Eccleſia eſt Regnum in quo ſunt Leges.

His ſuffragatur ratio. Nam Chriſtus eſt Eccleſiæ Summus Pontifex, totiuſque mundi Supremus Monarcha, ut inferunt Sancti Patres, & Theologi ex illo Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper Sion montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Et ex illo Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech.* Conſtitutus eſt etiam à Deo Judex vivorum, & mortuorum, ut teſtantur Apoſtoli, & ſancit Concilium Nicænum, in cujus Symbolo legitur, quòd Chriſtus iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos; igitur cùm Chriſtus Eccleſiam inſtituerit ut novum Regnum Spirituale, cujus ipſe Rex ſimul & Summus Pontifex eſt, debuit Leges inſtituere, quibus ritè poſſint Adminiſtrari ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Et ut ſubditos nimirum fideles ad finem propoſitum (qui eſt vita æterna) promovere poſſent ejuſdem Eccleſiæ Miniſtri; quoniam ad prudentem Summi Regis adminiſtrationem pertinet Leges condere, quibus Regnum tranquille regatur, debituſque Deo impendatur cultus. Finis enim Legis eſt dilectio, quæ eſt vinculum perſectionis.

Undè idem Salvator ſe præcepta condidiſſe oſtendere volens, ait Math. cap. 5. *Non veni ſolvere Legem, ſed adimplere.* Adimplevit autem Legem veterem, ſeu Moſaycam, non ſolum obſervando eam, ſed etiam illi addendo præcepta, quæ non erant in illa, ut illis additis, fieret integra, & perfecta Lex, ut notat Tertullianus lib. 4. contrá Marcionem: *Recidit nè Chriſtus præcepta non occidendi, non adulterandi, non falſum teſtandi, diligendi Patrem, & Matrem? Ante & illa ſervavit, & quæ deerant adjecit: ſalvum eſt & hoc in Evangelio, non veni diſſolvere Legem, aut Prophetas; ſed potius adimplere.* Hujus additionis veritas evidenter patet ex illo Math. cap. 7. verſ. 43. & 44. *Auditis quia dictum eſt, diliges proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Indè enim conſtat, Chriſtum per Evangelium ſuum, antiquis præceptis addidiſſe novum, ſcilicet illud, quo tenemur diligere inimicos noſtros, quod D. Hieronymus in lib. 1. & in cap. 5. & 6. D. Math. appellat mandatum perfectum. Et alii vocant illud præceptum ſingulare, & proprium Chriſtianis ex illo Joan. 15. verſ. 12. *Hoc eſt Præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Ex quo Chriſtus præcipit mutuam dilectionem, vultque inimicos eſſe diligendos, ad redundantiam benignitatis, inquit Tertullianus Apolog. cap. 31. Quare idem Doctor ait: *Amare inimicum ſolorum Chriſtianorum eſt, quoniam Chriſtianus nullius eſt Hoſtis.* Aliud præceptum habetur Math. cap. 5. verſ. 31. & 32. *Quicumque dimiſerit Uxorem ſuam, det ei Libellum repudii: ego autem dico vobis quia omnis qui dimiſerit Uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam Mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat:* Ergo Chriſtus eſt verus & ſupremus Legiſlator, quia in Evangelio ſuo plura condidit præcepta neceſſariò obſervanda.

Math. 5.

Tertullianus.

Chriſtus nova præcepta addidit antiquis.

Joan. 15.

§.

Reſolvuntur Argumenta contraria.

1. Hæreticorum ratio.

HÆretici Articulum noſtrum impugnant authoritate Joan. cap. 1. verſ. 17. *Lex per Moyſem data eſt, gratia autem, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, indè enim concludunt, Chriſtum nullam Legem ſtatuiſſe, nullumque in Evangelio nobis reliquiſſe præceptum neceſſariò obſervandum, ſed ſolum gratiam, & juſtificationem nobis promeruiſſe.

Verum non nocet hæc authoritas, nec afferri poteſt à Luthero, qui in Sermone de Moyſe docet, decem præcepta Decalogi non pertinere ad nos, ſed ad ſolos Judæos, quia (inquit) non nos, ſed ſolos Judæos ex Ægipto eduxit Dominus. Et ideo Lutherus nequit hac authoritate fidem noſtram infirmare; alioquin teneretur ſervare Legem Moyſis (quod ipſe negat) cùm nulla alia Lex eſſet, niſi Lex Moſayca (ſuppoſito quòd Chriſtus nullam Legem nobis contuliſſet.) Vel cogeretur aſſerere quòd nullam habemus à Deo Legem. Quod eſt omninò falſum; cùm Chriſtus dicat Joan. 13. *Novum mandatum dedi vobis.* Undè dico, authoritatem Divi Joannis contrá nos adductam, non probare, Chriſtum nullam Legem tuliſſe, ſed ſolum non dediſſe Legem nudam, id eſt ſine ulla gratia, ut eam Moyſes dederat Judæis, juxtá illud Joan. *Lex per Moyſem data eſt.* Moyſes enim dedit Legem, quæ jubebat, ſed non juvabat, languores oſtendebat, ſed non ſanabat: Chriſtus autem dedit nobis Legem gratiæ, quæ præcipiendo ea, quæ facienda ſunt, ſubminiſtrat auxilia, ut fiant; hinc eſt, quòd Joannes meritò ait: *Lex per Moyſem data eſt* ſed Nuda, *gratia autem*, (quæ neceſſaria eſt homini, ut adimpleat Legem) *per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Quia Chriſtus, per quem gratia facta eſt, dando Legem, dat & gratiam, ut Lex impleatur. Nam dum Joannes dicit quòd gratia per Chriſtum facta eſt, non negat, Chriſtum dediſſe Legem, ſed ſolum narrat id, quod Chriſtus fecit, quodque non fecit Moyſes dum Legem dedit Populo.

Rejicitur Hæreticorum ratio.

Addunt illud Apoſtoli ad Rom. cap. 6. *Non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia.* 2. ad Corinth. cap. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et illud ad Galat. cap. 3. verſ. 5. *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum: in libertatem vocati eſtis Fratres:* Ergo (inquiunt) fideles nulli Legi ſubjiciuntur, quoniam ſunt ſub gratia. Ducuntur non virgâ ferreâ, ſeu Lege pœnali, ſed dilectionis Spiritu. Et vivunt in Evangelio, quod ex Scriptura Sacra dicitur Lex, non coactionis, ſed libertatis, ſeu Lex Filiorum adoptionis. Quapropter Chriſti Jugum dicitur ſuave, & onus ejus leve.

Reſponſio ad ſecundam Hæreticorum rationem.

Reſpondeo hos omnes, & plurimos alios Apoſtolicos ſermones non eſſe intelligendos de libertate abſoluta, ità ut nos ſimus ſine ulla Lege, & unuſquiſque vivere poſſit ad nutum propriæ voluntatis. Sed ſolùm de ea libertate, quâ non fruebantur veteres ante adventum Chriſti: certum enim eſt Apoſtolum in locis citatis, & in aliis, qui ab Hæreticis citari poſſunt, loqui ſolùm de illa libertate, quâ Deus liberavit nos à ſervitute Legis Moſayeæ, ut jam poſt mortem Chriſti, ſimus liberi ab obſervatione Cæremoniarum, & Judiciorum Legis Moſayeæ. Hoc verum eſſe patet ex tota illa Epiſtola ad Galatas, quâ Paulus docet, Cæremonias, & Judicia veteris Legis poſt mortem Chriſti ceſſaſſe, & nullam jam virtutem habere. Quòd non putabant Galatæ ſeducti ab aliquibus Pſeudo-Apoſtolis, qui docuerant eos, Legem Moyſis ſimul cum Evangelica eſſe ſervandam.

Explicatur Chriſtiana libertas.

Pro majori hujus reſponſionis intelligentia, advertendum eſt, libertatem Chriſtianam non conſiſtere in eo, quod ſimus liberi ab obſervantia omnium præceptorum Dei, ſed liberi à ſervitute peccati, & à morte æterna, juxtá illud ad Rom. 6. verſ. 18. *Liberati à peccato, ſervi facti eſtis Juſtitiæ.* Et liberi à Dæmonio, & à reatu Legis. Quare idem Apoſtolus in eodem capite, verſ. 15. ait: *Non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia:* Ergo ex Apoſtolo Lex gratiæ, eſt Lex Juſtitiæ, & illi, qui ſunt ſub Lege gra-

tiæ, liberi ſunt à Jugo Legis cæremonialis, & judicialis Judæorum, non verò abſolutè ab omni Jugo, cùm habeamus Jugum Chriſti, ſed ſuave, & onus, ſed leve, ut ex ſupra dictis conſtat.

Proponitur & diſſolvitur ratio Calvini.

Calvinus, qui eumdem errorem evulgavit cum Luthero, objicit argumentum ex Evangelii nomine deductum. Nam (inquit) Lex nova vocatur Evangelium, & Evangelium vocatur Lex nova. Quia vitam æternam promittit ſub conditione ſolius fidei. Quòd certò non eſt præcipere, nec mandare; alioquin quælibet promiſſio eſſet Lex, & quilibet promitteos eſſet Legiſlator, aut Superior. Quòd eſt falſum; igitur nullum poteſt eſſe præceptum in Evangelio Chriſti, nec Chriſtus poteſt eſſe Legiſlator hominum.

Reſpondeo reverà Evangelium promittere vitam æternam ſub conditione fidei; cùm ille, qui non crediderit, condemnabitur. Sed aſſero, hanc promiſſiooem & conſtitutionem authenticam præmii eſſe Legem, & partem totius Legis Evangelicæ, ut affirmat D. Auguſtinus lib. de cootinentia cap. 3. ubi ait: *Non ſumus ſub Lege, bonum quidem jubente, non tamen dante, ſed ſumus ſub gratia, quæ id, quòd Lex jubet, faciens nos amare, poteſt liberis imperare.* Quibus verbis ille Sanctus Doctor ſuadet, in Evangelio dati præcepta, licet promittat præmium his, qui obſervant illud, ejuſque mandata adimplent. Nec hoc implicat, nam ſi comminatio, & conſtitutio authenticæ pœnæ, eſt Lex pœnalis, ut fatentur omnes, nullus poteſt negare promiſſionem, & conſtitutionem authenticam præmii concedendi ſub tali conditione, ſeu illis, qui bona egerunt, eſſe Legem præcipientem laborem, & firmantem benè operantibus coronam.

D. Auguſtinus.

Viſis, & examinatis Sacræ Scripturæ authoritatibus, quibus probatur aſſertio noſtra, errorque Hæreticorum refutatur; addendæ ſunt Patrum authoritates pro veritate firmanda, pariter, & pro infirmanda reſponſione ab Hæreticis data, ut eorumdem argumentorum falſitas appareat; nam D. Gregorius Homil. 22. in Evang. ſic loquitur. *Novus homo, id eſt Chriſtus, venit in mundum, nova præcepta dedit mundo, vita etenim noſtra veteri in vitiis enutritæ contrarietatem oppoſuit novitatis ſuæ.* His ſiquidem verbis evidénter demonſtrat ille S. Doctor, Chriſtum fuiſſe Legiſlatorem, & Evangelium plura continere præcepta, & remedia ad recuperandam ſanitatem animæ. Quapropter Chriſtus ait adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* inter quæ eſt iſtud: *Diligite inimicos veſtros* à Chriſto conditum.

D. Gregorius.

Idem docet D. Auguſtinus citatus in Can. *quisquis* 14. quæſt. 1. ubi ait: *præcepto Domini non obedire, peccatum eſt, conſilio ſi uti volueris minus boni adipiſceris, non mali aliquid perpetrabis.* Hoc quidem Canone tenemur obedire Chriſto, ac proindè aſſerere, ipſum fuiſſe Legiſlatorem. Et Nicetas in commentario orationis de Encæniis D. Gregorii Nazianzeni ait: *Eſt Canticum novum allegorice novi Teſtamenti cantio. Tunc enim nova omnia facta ſunt, & creatura nova, & vita nova, & nova mandata, & nova gratia, & nova pollicitationes.*

D. Auguſtinus.

Nicetas.

ARTICULUS LXII.

Quo ſtatuitur adversùs Cerinthianos plura veteris Legis præcepta, non obligare in Lege Chriſti.

LEgem veterem, fideles adhuc obligare ſimul cum Lege nova, voluerunt plures Hæretici, quorum primi ſunt Cerinthiani, ſic dicti à Cerintho homine Hæretico, & peſſimis moribus aſſueto, qui tempore Neronis Imperatoris, & Sancti Petri ſcilicet anno LXIX aſſerebat; Legem veterem ſeu Moſaycam juxtà omnia illius præcepta, eſſe obſervandam unà cum Lege Evangelica; ideoque Circumciſionem neceſſariam eſſe ad ſalutem, nonobſtante Baptiſmo, quem etiam neceſſarium eſſe credebat. Non deſunt qui exiſtimant hunc errorem vigere adhuc apud Ætiopes, qui Abiſſini vocantur. Exiſtimo tamen, Abiſſinos non eſſe hujus hæreſis Sectatores; licet Circumciſionem obſervent ſimul cum Baptiſmo, quia non ſuſcipiunt Circumciſionem in remiſſionem peccati originalis (credunt enim hoc peccatum remitti per Baptiſmum.) Nec tanquam neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medii, nec tanquam cæremoniam Legis Judaicæ, ſed ſolum ob Chriſti imitationem, ſeu ut corporalem ejus ſimilitudinem gerant.

Cerinthiani.

Abiſſini non adhærent Cerinthianis quoad Circumciſionem.

Cerinthianis adhæſerunt Ebionitæ, quorum Author eſt quidam Ebion magnæ facundiæ, ſed perverſæ, & hæreticæ mentis vir, qui Imperante Tito & Eccleſiam Dei regente Clero, circà annum Domini LXXII. vel LXXX. ut volunt aliqui, Legem veterem nulla in parte ceſſaſſe per publicationem Evangelii, quinimò integram remanere, eumdemque habere vigorem, & indè affirmabat doctrinam D. Pauli eſſe erroneam, & ipſum Paulum Legis Apoſtatam appellabat, eo quod Circumciſionem, & cætera Legalia poſt acceptum Evangelium amplius ſervanda non eſſe, diceret.

Ebionitæ.

Poſteà inſurrexerunt Nazaræi (ſic dicti à Nazareth, celebri Galileæ vico, Chriſtique natali loco) anno CXXXIII. ſub Adriano Imperatore, & Sixto hujus nominis primo Pontifice, qui Judæorum cunctis feſtivitatibus additi, obſervabant omnia, & ſingula eorumdem Judæorum præcepta. Et poſt ſuſceptam Circumciſionem, volebant Baptiſmum eſſe conferendum, ut teſtantur D. Auguſtinus, & Philaſtrius lib. 6. de Hæreſibus.

Nazaræi.

Tandem his omnibus Hæreticis adhæſerunt Elceſaitæ, vel Sampſæi, ut affirmant S. Epiphanius, Nicephorus, & Philaſtrius credentes, Elceſeos, Elcheſaitas, & Sampſæos non eſſe diverſos Hæreticos, niſi nomine, quia eoſdem, eodem tempore, & animo tuebantur errores; licet à diverſis fuerint diverſè vocati. Hi Hæretici exorti ſunt temporè Julii Maximi Imperatoris, & D. Fabiani Papæ; anno Domini CCXXXV. aſſerentes cum Cerintho, Ebione, & Nazaræis, Legem Moſaycam ſecundum omnia præcepta eſſe ſervandam cum Evangelio Chriſti.

Elceſaitæ vel Sampſæi.

§. I.

Aſſerit plura Legis veteris præcepta non obligare.

HÆc Hæreſis damnatà fuit in quinto Concilio Apoſtolorum habito Jeroſolymis, de quo fit Sermo Act. 15. ubi dicitur quòd cùm Antiochiæ Chriſtianos ad Circumciſionem teneri docerent aliqui cum Cerintho, & aliis, qui dicebant Circumciſionem, non obſtante Lege Evangelica, eſſe neceſſariam ad ſalutem, ut probant hæc verba: *Quidam deſcendentes de Judæa docebant Fratres quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſis, non poteſtis ſalvari* fuit definitum, Circumciſionem non eſſe neceſſariam ad ſalutem, nec cætera Legalia neceſſariò obſervanda eſſe. Verba Concilii ſunt hæc: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & Sanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes bene agetis, &c.*

Concilium Jeroſolymitanum.

Legem veterem, ſeu Moſaycam de facto abrogatam fuiſſe, & jam obligare deſiiſſe affirmat Apoſtolus pluribus in locis, ſed præcipuè ad Galatas *Ad Galat. 5.* cap. 5. verſ. 1. & 2. ubi ait: *State, & nolite iterum Jugo ſervitutis contineri: ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſa Legis facienda.* Nam ſi Chriſtus nihil proſit illis, qui circumciſionem ſuſcipiunt, certum eſt, quòd Circumciſio fuit abrogata, quòd modò in Lege nova non confert gratiam, quam conferebat in Lege veteri, & quòd à Lege Chriſti omninò pendet ſalus noſtra; cùm Lex Moyſis fuerit extincta per Legem Chriſti, ut declarat D. Auguſtinus Serm. 114. de tempore dicens: *Velum Templi ſcinditur quia Sinagaga honore nudatur, obſervatio antiqua diſſolvitur.* His ſiquidem verbis, Circumci-*D. Auguſtinus.* ſio abrogata, & diſſoluta declaratur à D. Auguſtino, quia erat obſervatio antiqua. Undè idem Apoſtolus verſ. 6. ait: *in Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides.* Et in verſ. 4. ait: *evacuati eſtis à Chriſto, qui in Lege juſtificamini*, quibus certè ſignificatur, quòd gratia Chriſti Domini non prodeſt ei; qui Circumciſionem neceſſariò ſervandam credit, eamque ut Sacramentum antiquæ Legis ſuſcipit; cùm Eccleſia Chriſti, & Sacramenta ejus nullam aliam portam habeant niſi Baptiſmum.

Eamdem veritatem docet ad Heb. cap. 7. verſ. 12. ubi inquit: *Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſè eſt ut Legis tranſlatio fiat*; ſed Sacerdotium Legis veteris, ſeu Sacerdotium Aaronicum tranſlatum fuit in Sacerdotium Chriſti, qui in Sacra Scriptura dicitur Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech, aut Sacerdotem illum magnum, qui in diebus ſuis placuit Deo, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ut fatentur hæretici prænominati: igitur ipſa lex vetus novæ ceſſit, ac proindè de facto deſiit, & abrogata eſt. Undè D. *D. Hieronymus.* Hieronymus in cap. 4. ad Galatas, habet *priuſquam Chriſti Evangelium in toto orbe coruſcaret, habuerunt ſuum fulgorem præcepta legalia, poſtquam vero majus evangelice lumen effulſit, & Sol Juſtitia toti mundo ſe prodidit, ſtellarum lumen eſt abſconditum, & eorum radii caligaverunt.* Et Sanctus Leo Serm. 7. de Paſſione: *S. Leo.* *Ut umbra adhærent corpori, antiqua obſervantia novò excluditur Sacramentò, Hoſtia in Hoſtiam tranſiit, Sanguine Sanguis aufertur, & legalis feſtivitas, dum mutatur, impletur.*

His ſuffragatur ratio. Lex Moſayca non fuit data in ſempiternum, hoc eſt, in æternum duratura, ſed tantum ut vigeret uſque ad inſtitutionem, & promulgationem alterius Legis ſucceſſuræ, ut monet idem Apoſtolus ad Galat. cap. 4. poſt Malachiam Prophetam cap. 1 Legis mutationem prædicentem. Hæcque certò facta fuit in adventu Meſſiæ, qui no-*Ratio valida articuli veritatem probat.* va præcepta dedit mundo; ergo Lege Evangelicâ inſtitutâ, prior, ſeu Moſayca ceſſare debuit, ſicut fides ceſſat adveniente viſione, & figura, adveniente realitate, idque probant omnes illi Sacri Sacræ Scripturæ textus, quibus Deus olim promiſerat Patribus noſtris ſe daturum novam Legem. Sanè ob hunc finem, nimirùm ut ipſa nova Lex ſolvêret priorem, ſeu Moſaycam, præſertim quoad præcepta cæremonialia, ut optimè colligit Apoſtolus ad Hebr. *Ad Hebr. 8.* cap. 8. verſ. 10. ubi inquit: *Quia hoc eſt Teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus; dando Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas; & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in Populum*, Apoſtolus ibi deſignat, Legem veterem Patribus noſtris antiquis datam in monte Sinai, fuiſſe abrogatam, aut ceſſaſſe in adventu Meſſiæ, qui nova præcepta dedit mundo. Et cæremoniis, ac ſacrificiis Legis Moſaycæ, dedit finem conditô novô in Cruce Teſtamentô, ut declarat in ultimo verſu ejuſdem capitis, ubi ſic loquitur: *Dicendo autem novum, veteravit prius, quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Nonnè Apoſtolus oſtendit interitum veteris Teſtamenti, aut Moſaycæ Legis finem, vultque novum Teſtamentum, ſeu Evangelium Chriſti obligare nos? Quapropter ad Galat. *Ad Galat. 2.* cap. 2. verſ. 19. ait: *per Legem enim, Legi mortuus ſum, ut Deo vivam*, id eſt per Evangelium Chriſti mortuus ſum Legi Moſaycæ, hoc eſt, liber ſum ab illa, nam mori Legi, eſt eſſe liberum ab illa. Et vivere Legi, eſt eſſe ſub Lege, ideoque Lex vetus modò non obligat, ſicut Evangelium, quod eſt Lex; ſub qua ſumus.

Miror igitur, hæreticos velle veterem Legem adhuc nos obligare; cùm credant Chriſtum jam veniſſe, & promulgatum fuiſſe Evangelium quod eſt nova Lex ſuccedens priori, ſeu antiquæ, quæ cùm habuerit interitum in morte Chriſti, ſepultaque fuerit Synagoga, ſolius Legis novæ obligatione ligamur; hinc eſt quòd Apoſtolus loquitur de duobus Teſtamentis ſub figura duorum Filiorum Abrahæ ad Galat. cap. 4. Sub figura Filii Ancillæ, loquitur de veteri, & ſub figura Filii liberæ, loquitur de novo, & declarat Filium Ancillæ fuiſſe ejectum, ut oſtendat, Sinagogam fuiſſe repudiatam, & legem veterem ejectam, hæc enim fuit Legis Evangelicæ Ancilla, quæ recedit adveniente Domina, quoniam ſic loquitur in fine ejuſdem capitis, *ſed quid dicit Scriptura? Ejice Ancillam & Filium ejus: non enim hæres erit Filius Ancillæ cum Filio liberæ. Itaque Fratres non ſumus Ancillæ Filii, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus non liberavit.*

§.

Refutantur Argumenta Hæreticorum.

HÆretici veritatem hujus articuli impugnant ex Exod. cap. 28. ubi poſt deſcriptionem veſtis Sacerdotalis, quâ Aaron erat indutus, ſubdit Dominus per Moyſem dicens verſ. ult. *Et utentur eis ... Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini ejus poſt eum*: Indè enim inferunt; Sacerdotium antiquum eſſe æternum, ac proindè Legem Moſaycam eſſe in æternum duraturam; cùm Sacerdotium eſſe nequeat, quin Lex ſit. *Exod. 28.*

Non nocet hæc authoritas. Quia Sacerdotium illud legitimum, non dicitur ſempiternum in duratione, ſed ſolùm quia quodammodo ad vitam æternam diſponebat, non enim dicitur ſempiternum ratione temporis, aut durationis, ſed ratione effectûs, quem producebat. Vel dicitur ſempiternum, quia erat figura novi Teſtamenti, quod eſt æternum, teſte Scriptura variis in locis, ideo non dicitur ſempiternum in ſe; ſed in eo cujus figuram gerebat, ut notat Gloſſa interlin. in Exodo. Eadem reſponſio ſolvit aliam authoritatem, quam adducunt ex Levit. cap. 16. verſ. 34. *Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum, ut oretis pro Filiis Iſraël, & pro cunctis peccatis ſemel in anno, fecit igitur ſicut præceperat Dominus Moyſi.* Ibi enim ſempiternum dicitur Sacerdotium illud. Quia erat figura Sacerdotii, aut Sacrificii novæ Legis, quod eſt æternum. Addo Legem veterem dici ſempiternam quoad præcepta moralia tantùm, hæc enim quia partim in Decalogo, partim in aliis Sacræ Scripturæ locis continentur, ſemper vigent, & vigebunt; cùm ſint juris naturalis; non verò quoad præcepta cæremonialia, de quibus eſt quæſtio; alioquin modò eſſent offerenda animalia, ponendique eſſent ſuper Altare Vituli. Quòd eſt falſum. *Levit. 16.*

Expoſitionem noſtram expugnant hæretici ex alia authoritate, ſcilicet Geneſ. cap. 17. verſ. 13. ubi *Geneſ. 17.* de Circumciſione; Deus ait: *Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*, Exod. cap. 12. verſ. 14. *Habebitis autem hunc Diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu* *Pſal. 104.* *ſempiterno*, Pſal. 104. verſ. 10. *Et ſtatuit illud Jacob in præceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum.* Baruch cap. 4. verſ. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum, omnes qui tenent eam pervenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam, in mortem.* Ex his ſiqui- *Baruch. 4.* dem locis, hæretici inferunt, legem de Circumciſione ſuſcipienda, eſſe in æternum duraturam, & per conſequens non fuiſſe abrogatam per Evangelium, aut per legem novam, quæ licet obliget fideles; tamen non diſpenſat eos in præceptis legis veteris, cui addita fuit lex nova, ideoque utraque ſervanda eſt ab hominibus; cùm utraque ſit Sancta, & immaculata.

Reſpondetur, vocabulum illud *in æternum*, in Sacris Scripturis non ſignificare ſemper abſolutam æternitatem, ſed aliquandò denotare durationem diurnam, id eſt, longum tempus, cujus finis ab homine jam exiſtente videri non poteſt, ut dum *Paralip. 1. cap. 15.* 1. Paralip. cap. 15. verſ. 2. dicitur: *Illicitum eſt ut à quocunque portetur arca Domini, niſi à Levitis, quos elegit Dominus ad portandam eam, & ad miniſtrandum ſibi uſque in æternum*, ibi, *in æternum*, uſurpatur ad denotandum longum tempus, ſeu tempus cujus finis pertingi non poſſit ab homine Jam vivente. Sacra Scriptura In locis citatis dicens, legem veterem eſſe æternam; ſumit æternum pro longiſſimo tempore, ſcilicet pro illo, quod eſt á Moyſe uſque ad Chriſtum. Ideoque non probant prædictæ authoritates, legem veterem non habuiſſe finem, nec obligare nos, qui ſumus ſub gratia, & liberi à ſervitute legis antiquæ. Nec valet dicere novam legem additam fuiſſe veteri. Ratio eſt quia nova ſucceſſit antiquæ, & ideo ceſſavit antiqua, ut vigeret nova: nam Paulo teſte ad Epheſ. cap. 2. verſ. *Ad Epheſ. 2* 4. Chriſtus fecit utraque unum, id eſt, ex duobus populis Ethnico, & Judaico, fecit unum ovile; ac proindè debuit diſſolvere medium Moſaycæ legis parietem, qui ſeparabat unum populum ab alio. Et ambos una, eademque lege Evangelicâ conducere.

Vel dico cum nonnullis, quòd lex vetus dicitur fœdus ſempiternum, & perpetuum; eo quod ab hominibus ſolui non poterat; ſed à ſola ſuprema, Dei authoritate. Dicimus v. g. profeſſionem reli- *Explicatur modus quo vetus teſtamentum eſt ſempiternum.* gioſam eſſe perpetuam, & indiſſolubilem. Vinculum matrimonij eſſe indiſſolubile, & perpetuum non quòd in ſe profeſſio religioſa, & matrimonium contineant perpetuitatem, & æternitatem, ſed quia non poſſunt diſſolvi ab hominibus: Itá pariter Lex Moſayca dicitur indiſſolubilis, & perpetua. Quia à ſolo Deo potuit diſſolui, & de facto ab ipſo diſſoluta, & abrogata fuit per mortem Chriſti: Quare Cæſarius homil. 6. in Paſchate circa finem *Cæſarius.* ait: *Vel cum templi ſcinditur, velum ornamentum tabernaculi eſt, coruſcante igitur gratia, Eccleſia ædificatur, Sinagoga deſtruitur*: Ergo non tenemur ſervare leges Sinagogæ, unà cum lege Evangelica.

Dicunt tandem legem veterem eſſe bonam; cùm ſit lex Dei, Sancta, immaculata, & Juſta, ut declarat Sacrá Scriptura variis in locis; ideo non debuit mutari, nec abrogari, idcircò adhuc viget etiam cum nova. Et qui non obſervant eam, mortaliter peccant, ſicut peccabant illi, qui eam tranſgrediebantur ante publicationem Evangelij.

Reſpondeo hanc rationem non obſtare: nam fides eſt bona, & ſancta, tamen ceſſat adveniente viſione, ità licet lex vetus ſit bona, & Sancta, *Reſponſio ad ultimam hæreticorum rationem.* debuit tamen ceſſare adveniente nova, quæ eſt ſanctior, & melior, quia lex vetus ordinabatur ad ſignificandam legem Evangelicam, quæ erat aliquando inſtituenda, ut inferri poteſt ex illo Ezech. *Ezech. 20.* cap. 20. verſ. 25 *Ego dedi eis præcepta non bona*, ibi enim per *præcepta non bona*, non licet intelligere *mala*, ſed bona in ſe, & non bona comparative ad meliora, quæ erant inſtituenda à Chriſto in lege nova ad quam lex vetus tamquam ad meliorem ordinabatur, ſicut bonum ad melius ordinatur; idcirco ceſſat figura dum veritas apparet, ut notat D. Bernardus homil. 1. ſuper *miſſus eſt*, ubi ille Doctor mellifluus *D. Bernard.* ait: *Prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertranſiit.* Lex vetus erat umbra novæ, ſed umbræ deſinunt ad ſolis ortum: Igitur ceſſare debuit lex Moſayca, ad ortum Evangelij. Hæc omnia mirificè explicat Theodoretus ad Philip. 3. ubi ut oſtendat vigorem legis novæ, & ceſſationem legis antiquæ, ait: *ſupervacaneus eſt Lychnus, ſi ſol apparuerit, ſupervacaneus pedagogus iis, qui perfectam acceperunt ſapientiam, inutile lac nutricis* *Theodoretus.* *iis, qui ſolido cibo veſcuntur, palea fert frumentum, ſed poſtquam collectum eſt frumentum, palea ejicitur; ita lex oſtendit Chriſtum, poſtquam autem is apparuerit, ea eſt deinceps ſupervacanea.* Illicitum eſt ergo obſervare legis veteris cæremonias: hæc quidem præcepta cæremonialia, ſunt figuræ primò & per ſe tanquam inſtitutæ ad figuranda Chriſti venturi myſteria: lex autem Evangelica affirmat, & præcipit, ut credamus ea myſteria eſſe jam completa; unde cùm non liceat præjudicare veritati, aut realitati, nec licet obſervare legem veterem ſimul cum nova, quæ eſt realis, ſeu ea, quam figurabat vetus.

ARTICULUS LXIII.

Ponit contra Apoſtolicos plura in lege Chriſti Conſilia.

REgnante Severo Imperatore, videlicet anno CC. & Eccleſiam Dei regente Victore primo hujus nominis Papa, emerſerunt [teſte D. Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 40.] quidam viri, qui ſe dicebant Apoſtolicos, hocque nomine appellari voluerunt, quia in ſuam communionem non recipiebant utentes conjugibus, reſque proprias poſſidentes. Et vitam Apoſtolicam ducere gloriabantur. *Apoſtolici.* Erant tamen hæretici, quia docebant, eos Salvari non poſſe, qui non viverent in Cælibatu, & paupertate, credebant enim ea, quæ in Evangelia perhibentur, eſſe præcepta, nullumque in lege gratiæ eſſe conſilium & ſic ſpem ſalutis tollebant omnibus pecuniam recipientibus, aut aliquid in craſtinum ſervantibus. Eamdem hæreſim ſuſcitavit anno MCCXCV Gerardus Sagarellus de Parmá, qui *Gerardus Sagarellus* hujus erroris convinctus, vivus tandem exuſtus eſt. Hunc velut Diſcipulus Magiſtrum ſecutus eſt Dulcinus Navarienſis, qui cum uxore ſua Margareta *Dulcinus Navarienſis.* ejuſdem criminis conſcia, & damnata, ſuo authori ſimilem mortem perpeſſus eſt.

Philippus Melancthon confeſſioniſtarum Pater; quamvis plurium artium multiplici eruditione prædictus, & inſignis, multos tamen in Eccleſia invexit, & ſecutus eſt errores, inter quos unus eſt, qui *Melancthon.* articulum noſtrum impugnat: docuit enim circa annum Domini MDXXX ſub Carolo V Imperatore, & Clemente VII Papa, nullum eſſe prorſus diſcrimen inter conſilium, & præceptum, neque

aliquod eſſe in Evangelio conſilium, ſed omnia, quæ nobis commendantur à Chriſto Domino, eſſe præcepta. Nám in libro de locis communibus Theologiæ, Titulo de diſcrimine præceptorum, & Conſiliorum, inquit; *quidam finxerunt in Evangelio conſilia eſſe de non vindicando, de paupertate, de Virginitate, equidem putam in Evangelio doceri hoc fine, quod hac opera magis mereantur reconciliationem, aut ſalutem, quam alia opera. Deinde fingunt hæc opera perfectionem eſſe, ſed hæc plena ſunt errorum, & ſuperſtitionum, una eſt lex Dei, qua nihil niſi præcepta continet.* Obſerva tamen obiter (Chariſſime lector), Melanchthonem contra ſe pugnare & decidere, ut non raró contingit illis, qui veritatem fidei impugnant: Nam alibi dicit cum Luthero præceptore ſuo, nullum eſſe in Evangelio præceptum, ut ſuprà ootavimus. Hîc veró vult, idem Evangelium nullum continere conſilium, ſed omnia eſſe præcepta. Quare noſter Alphonſus à Caſtro monet Philippum Melanchthonem, eſſe unum ex illis, de quibus dici poteſt illud Horatij: *Dum vitant ſtulti vitium, in contraria currunt*, quia nolendo admittere præcepta in Evangelio cum ſuo præceptore Luthero, incidit in contrarium, & tenet conſilium (quod Catholici dicunt Evangelicum) merum eſſe præceptum ab omnibus fidelibus ſub pœna damnationis obſervandum.

Eamdem ſententiam Philippi Melanchthonis, tenuit Joannes Spangerbergus, qui quamvis eſſet ex Lutheranorum familia, tamen voluit Magiſtri ſui erroribus errorem addere. Nam Lutherus voluit, nullum in Evangelio eſſe præceptum. Iſte uero vult in eodem Evangelio nihil aliud eſſè niſi præcepta. His ſucceſſit Joannes Calvinus Hæreſiarcha inſignis, natione Picardus, patriâ Noviodunenſis, qui in ſuo opere de inſtitut. Religionis Chriſtianæ cap. 4. reprehendens Monachos, qui vovent conſilia Evangelica, docet, nullum penitùs vocabulum fuiſſe à Chriſto emiſſum, cui non ſit neceſſarió obtemperandum, & ideo vult nulla eſſe in Evangelio conſilia, ſed omnia eſſe præcepta.

Spangerbergus

Calvinus.

Ne autem de ſola vocis ſignificatione contendamus, prius ſtatuendum eſt, quid nomine præcepti, & conſilij intelligamus. Pro cujus rei veritate advertendum eſt, præceptum aliquando ſumi pro doctrina, & emanare à Verbo, *præcipio* quòd ſæpè ponitur pro *docere*, hinc eſt quòd qui docet alium dicitur ipſius præceptor, ſed (hîc) præceptum non ſumitur in hoc ſenſu, ſic enim conſilia eſſent præcepta. quia Chriſtus nos docuit ea, ſicut præcepta, cùm Scriptum ſit; *Cæpit Jeſus facere, & docere.* Mandatum aut præceptum etiam aliquando dicitur quidquid alicui quovismodo commendatum eſt, etiamſi non cogatur ad illud faciendum, in quo ſenſu conſilia dici poſſunt, mandata, quia Chriſtus nobis commendavit conſilia; licet non obliget nos ad ea exequenda: Igitur præceptum ſive mandatum, de quo hîc agitur, eſt lex, ſivè regula, quæ obligat eos, quibus datur ad aliquid agendum, vel omittendum ſub pœna peccati, ut fatentur omnes Theologi. Conſilium autem eſt adhortatio quædam ad bonum, cujus obedientia laudabilis eſt, transgreſſio verò inculpabilis. Undè hîc probandum eſt contra hæreticos, in lege gratiæ, ſeu in Evangelio Chriſti, plura eſſe conſilia, ad quæ Chriſtus nos adhortatur; quin nobis imponat obligationem faciendi ea.

Multipliciter intelligi poteſt præceptum.

Hanc Apoſtolicorum, Philippi Melanchthonis, & Calvini hæreſim in nullo concilio inveni expreſsè damnatam. Plura tamen ſunt concilia, ſivè generalia, ſivè particularia, in quibus fit ſive de præceptis, ſive de conſiliis mentio, veluti de rebus longè diverſis. Plures ſunt etiam in Jure Canonico textus, quibus evidenter probatur hæc eſſentialis differentia.

§. I.

Probat articuli veritatem.

EVangelium Chriſti plura continere conſilia à præceptis maximè diverſa, probat Chriſtiana perfectio: hæc enim ſuos patitur gradus; cùm unus poſſit eſſe alio perfectior, ut fatentur omnes contrà Jovinianum; tamen Chriſtiani non tenentur quoſlibet hujus perfectionis gradus pertingere; alioquin in uno ſtatu ſolùm poſſent conſequi ſalutem, quoniam in uno ſtatu habere poſſent illi Chriſtianæ perfectionis gradus quippè ſicut nullus poteſt ad vitam ingredi, niſi ſervet mandata, nullo prætermiſſo Itá pariter nullus poſſet ſalvari, niſi haberet omnes perfectiones vitæ Chriſtianæ, quas haboerunt plures viri religioſi. Nam ſi quilibet fidelis teneretur habere omnes perfectionis Chriſtianæ gradus (ut de facto teneretur, ſi omne opus bonum in Evangelio præſcriptum itá eſſet de præcepto, ut nullum eſſet de conſilio) illi, qui non haberent hujuſmodi perfectionem, hoc eſt, qui non eſſent continentes, pauperes, qui alteram maxillam non præberent percutiènti &c. quorum mentio fit in Evangelio, eſſent culpabiles, & transgreſſores; ſed falſum eſt, quemlibet Chriſtianum teneri ſe abſtringere voto, v. g. caſtitatis, paupertatis, obedientiæ; itá ut teneatur non nubere, paupertatem ducere & propriam voluntatem abnegare. Nec poſſunt de hoc dubitare hæretici ſuprà relati; cùm licet Chriſtianos ſe credant, nihilominus uxores habeant, bona temporalia poſſideant, nullumque ſuperiorem in ſpiritualibus agnoſcant, ut refertur de Melanchthonicis, & Calviniſtis. Nec poſſunt diffiteri, Chriſtianum talibus abſtrictum votis, vitam perfectiorem ducere, quám illi, qui nubunt, & bona temporalia poſſident. Nec dicere poſſunt, à talibus votis liberos non eſſe Chriſtianos, ſi aliundè mandata Dei obſervent, juſtè, & piè vivant, etiamſi uxores, & bona temporalia habeant.

Validum argumentum ex perfectione Chriſtiana deſumptum.

Dantur igitur in Evangelio plura conſilia ſeu exhortationes ad bonum, & ad perfectiorem vitam quæ non præcipiuntur, nec debent neceſſarió obſervari pro ſalute conſequenda; aliàs nullus ſalvaretur, niſi adhærendo conſiliis, ſicut nullus ſalvatur, niſi adhærendo mandatis; at falſum eſt quòd homo non poſſit eſſe perfectus Chriſtianus, aut Filius Dei adoptivus, & ſalvari ſine obſervatione conſiliorum, ad hæc enim ſufficit quòd obſervet præcepta, juxtà illud Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Ratio hujus diſcriminis eſt, quia obſervatio præceptorum eſt neceſſaria ad aſſequendam vitam æternam. Et obſervatio conſiliorum eſt neceſſaria ad obtinendam perfectionem, quare cùm Adoleſcens dixiſſet, ſe omnia mandata obſervaſſe à juventute ſua, Chriſtus dixit illi: *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni, & ſequere me.* In quibus verbis eſt notandum, quòd abdicatio bonorum temporalium, non eſt neceſſaria ad ſalutem, ſicut obſervatio mandatorum. Nam dum adoleſcens quærit medium neceſſarium ad obtinendam vitam æternam, Chriſtus indicat illi hanc ipſam mandatorum obſervantiam, *ſerva mandata*, at ut ſit perfectus, indicat illi rerum temporalium abdicationem, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes.* Ideoque vivere in Cælibatu, in paupertate Evangelica, eſt opus tendens ad perfectionem, ſine quo tamen homo poteſt ingredi ad vitam æternam; ergo vivere in Cælibatu, & in paupertate, non eſt præceptum ſicut obſervare mandata, ſed eſt conſilium Evan-

Conſilia Evangelica non ſunt abſolute neceſſaria ad ſalutem.

gelicum;alioquin Chriſtus non dixiſſet adoleſcenti, *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes &c.* Sed *ſi vis ad vitam ingredi vade &c.* Inſuper homo te- *D. Hieronymus.* neretur vendere ea, quæ habet: nam ut inquit D. Hieronymus ad Euſtochium: *Ubi conſilium, ibi offerentis arbitrium, ubi præceptum datur, ibi & neceſſitas eſt ſervientis.* At vendere omnia, vovere continentiam, non eſt neceſſitas fidelium, ſicut non occidere, nec concupiſcere, ſed eſt arbitrium: Igitur non eſt præceptum, ſed conſilium, quod cùm reperiatur in Evangelio Chriſti, certum eſt in ipſo Evangelio reperiri præcepta, & conſilia.

Quædam requiruntur ad ſervandam dilectionem Dei, aut proximi (quæ quidem dilectio eſt primum mandatum in lege) quædam autem requiruntur ad augendam illam dumtaxat. Ea, quæ neceſſaria ſunt ad diligendum Deum, ſunt de præcepto, ſicut ipſa dilectio Dei, ea autem, quæ augent illam dilectionem, ſunt tantùm de conſilio; cùm illud dilectionis augmentum non ſit abſolutè neceſſarium ad habendam vitam æternam., ſed ſi eſſent de præcepto, deberent obſervari ſub mortali. Deindè Evangelium promittit præmium illis, qui diligunt Deum, ac proximum, & pœnam transgreſſoribus, ſeu illis, qui non diligunt Deum, quippè qui non diligit, manet in morte. Sunt alia quorum obſervantibus promittitur præmium, & transgreſſoribus nulla deſignatur pœna: Scriptum eſt enim, ſunt Eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum, ſeu qui ſponte ſua caſtitatem ſervant, quibus promittitur regnum cœlorum, ſed ſi iſti poſteá nubant, nulla propter hoc à Deo eis infligitur pœna, teſte Apoſtolo ad Corinth. 1.cap.7. dicente, *Si nupſerit Virgo non* *1. ad corint. cap. 7.* *peccavit*: Igitur Virginitas non eſt de præcepto, ſicut dilectio Dei, & proximi, cum Apoſtolus loco citato dicat: *De Virginibus præceptum Domini non habeo*, & Chriſtus dicat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum*, idcircò in Evangelio datur præceptum, quod tenemur obſervare ſub mortali, datur & conſilium, quod poſſumus inculpabiliter omittere. Eodem modo cognoſcimus paupertatem Evangelicam non eſſe in præcepto, ſed tantum in conſilio, quia divitiarum poſſeſſori nulla pœna aſſignatur, & illis renuncianti præmium promittitur à Deo. Non legimus in Evangelio, Jejunium datum eſſe à Chriſto ſub præcepto, ſed tantùm in conſilio, quia numquam minatus eſt Chriſtus mortem, aut aliam pœnam non jejunantibus, & promittit præmium jejunanti propter Deum; cùm dicat, Math.6. verſ. 18. *Tu autem cum jejunas, unge* *Math. 6.* *caput tuum, & faciem tuam lava nè videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus, qui videt te in abſcondito, reddet tibi*, ex quo ſequitur, jejunium non eſſe in præcepto, ſed tantum in conſilio, quia ea, quæ ſunt in præcepto, non poſſunt omitti ſine reatu ad pœnam, ut patet in illis, qui omittunt dilectionem Dei, & proximi. At Jejunium perpetuum, aut abſtinentia, paupertas Evangelica, vita Religioſa, & ſimilia, quæ ſi obſervarentur, ampliarent meritum, omitti poſſunt abſque ulla culpa, hoc eſt; quin amittens ſibi damnationem acquirat: Igitur maxima eſt differentia inter præceptum, & conſilium. Nam juxtá communem Sanctorum Patrum, nec non Theologorum, ſententiam qui violat præcepta demeretur poſitivè, id eſt, peccat & perdit gratiam. Et qui negligit conſilia, perdit meritum. Furari v. g. eſt peccatum, quia datur in Evangelio præceptum de non furando, ſed non vendere omnia, non dare omnia pauperibus, non eſt peccatũ, hinc eſt quòd, qui furantur, violant præceptú, & qui non vẽdunt omnia, & non dant ea pauperibus, negligunt cõſilium: ideoque dantur in Evangelio Chriſti præcepta à conſilijs diſtincta, & è converſo.

Præterea ſi nullum eſſet in Evangelio conſilium, ut volunt hæretici, itá ut omnia eſſent de præcepto, & nos teneremur ea obſervare, ſequeretur quòd Jugum Chriſti non eſſet ſuavius, neque onus ejus levius Jugò legis Moſaycæ, quoniam materia præcepti eſt facilis, & bona, materia verù conſilij eſt difficilior, & melior, nam ad ſervandam conjugij fidem, quam Lex Moſayca præcipiebat, natura inclinat, non verò ad abſtinendum à conjugio, ſeu ad continentiam, ut notat D. Ambroſius lib. 1. de *D. Ambroſius.* virginibus, ideoque ſi Caſtitas non eſſet de conſilio, ſed de præcepto, lex vetus fuiſſet ſuavior lege Evangelicâ. Chriſtus ut non reſiſteremus alicui nos offendenti; dixit Math.5.verſ. 39. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Quod ſi obſervandum eſſet neceſſarió pro ſalute conſequenda, ſicut inimici ſunt neceſſariò diligendi, certò eſſet impoſſibile Jugum Chriſti: Itaque non repellere percutientem non eſt in præcepto, ſed in conſilio, & poteſt quis licitè vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ; quin peccet, ac proindè quin transgrediatur præceptum: quamvis non adhæreat conſilio Evangelico.

Deinde ſi ea, quæ nos vocamus conſilia, eſſent præcepta ut voluere Apoſtolici, Melancthonici, & Calviniſtæ, ſequeretur quòd paupertas, & continentia eſſent in præcepto, & per conſequens nullus poſſet ſalvari, ſi non viveret in Cælibatu, & paupertate, quæ ſunt in conſilio Evangelico, ſed hoc eſt falſum. Nam Deus creavit Maſculum & Fœminam, & dixit illis Geneſ.1. *Creſcite & multiplicamini.* Chriſtus *Geneſ. 1.* inſtituit Sacramentum matrimonij: Igitur non obligat homines, nec eos præcepto poſitivo aſtringit ad ſervandam continentiam, nec vult quod vivant in Cælibatu, hortatur tamen fideles ad illum tamquam ad ſtatum perfectiorem matrimonio, ut ſancit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. Can. 10. idcirco in Evangelio præter præcepta, reperiuntur conſilia.

Denique Chriſtus obligat divites ad dandam Eleemoſynam de his, quæ ſuperſunt, Luc. 11. verſ. 41. *Verum tamen quod ſupereſt, date Eleemoſynam, & ecce munda omnia ſunt vobis*: *Luc. 11.* Ergo non præcipit paupertatem, licet nos ad illam hortetur, non quòd divitiæ ex ſe malæ ſint, ſed ſolum ex circunſtantia aliqua, aut occaſionaliter, ut notat D. Auguſtinus ſerm.20 ubi ait: *difficile eſt ut non ſit ſuperbus, qui dives eſt, tolle ſuperbiam, divitiæ non nocebunt*, *D. Auguſt.* & D. Ambroſius ſuper Lucam lib. 8. *divites diſcant non in facultatibus crimen* *D. Ambroſius.* *haberi, ſed in his, qui uti neſciunt, nam divitiæ ut impedimenta ſunt vobis: ita bonis adjumenta ſunt virtutis*: Ideo paupertas non poteſt eſſe ſub præcepto, aliàs divitiæ eſſent malæ, ſed eſt ſub conſilio dumtaxat, ſubindeque in Evangelio dantur præcepta, & conſilia.

§. II.

Reſpondet Hæreticis.

HÆretici, qui in Evangelio nullum admittunt conſilium, volunt paupertatem eſſe de præcepto, nam (inquiunt) Chriſtus loquens Apoſtolis dixit Math. 6. *Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes quid* *Math. 6.* *manducabimus, aut quid bibemus aut quo operiemur? hæc omnia gentes inquirunt: ſcit enim Pater veſter. Quia his omnibus indigetis: quærite ergo primum regnum Dei, & Juſtitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis, nolite* *D. Auguſt.* *ergo ſolliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi, ſufficit diei malitia ſua.* Et cap. 10. verſ. 9. prohibet illis uſum pecuniæ, ait enim

nolite poſſidere aurum, neque pecuniam, neque argentum in Zonis veſtris. Hæc inquiunt hæretici [& præcipuè illi, qui ex D. Auguſtino hæreſ. 40. & D. Epiphanio hereſ. 6. dicuntur Apoſtolici] evidenter demonſtrant, Chriſtum in perſona Apoſtolorum præcepiſſe nobis paupertatem, & abdicationem omnium bonorum temporalium. Alij autem hæretici volunt indè omnia conſilia removere. Et ea, quæ ſunt in Evangelio Chriſti, tamquam præcepta ſtatuere.

D. Epiphanius.

Verùm hæc hæreſis ex pravo Sacræ Scripturæ intellectu oritur, nullum enim eſt præceptum de paupertate habenda, quia quod præcipitur, non poteſt voluntatie omitti citrà peccatum, ſed qui non eſt pauper, ſeu habet pecuniam, & ipsâ benè utitur, nullam meretur pœnam, nullumque committit peccatum, ut monet D. Ambroſius in loco citato, Chriſtus enim non præcepit, ſed conſilium dedit, ut inquit. D. Auguſtinus variis in locis, & præſertim in lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 30. ubi ait: *Cum Dominus diceret Apoſtolis, nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris &c. continuò ſubjecit, dignus eſt operarius cibo ſuo. Unde ſatis oſtendit, cur eos hæc poſſidere, aut ferre noluerit, non quia neceſſaria non ſunt ſuſtentationi hujus vitæ, ſed quia ſic eos mittebat, ut eis deberi monſtraret, ab eis quibus credentibus Evangelium nunciarent tamquam ſtipendia militantibus. Unde apparet, hoc non ità præcepiſſe Dominum, tamquam Evangeliſta, aliunde vivere non debeant, quam ab eis credentibus, quibus Evangelium annunciabant: alioquin contra hoc præceptum feciſſet Paulus, qui victum de manuum ſuarum laboribus tranſigebat, nè cuiquam gravis eſſet, ſed apparet, Dominum poteſtatem dediſſe Apoſtolis, in qua ſcirent iſta ſibi deberi, cum autem à Domino aliquid imperatur, niſi fiat, culpa inobedientiæ eſt, cum verò poteſtas datur, licet cuique non uti, & ſuo juri cedere. Hoc ergo ordinans Dominus quod qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant. Ità Apoſtolis loquebatur, ut ſecuri non poſſiderent, nec portarent huic vitæ neceſſaria*: Igitur hæc objectio non nocet veritati, nec probat paupertatem eſſe in præcepto, ſed ſolum in conſilio Evangelico.

Paupertas voluntaria non eſt ſub præcepto, ſed ſub conſilio

Quòd verum eſſe ſic probo; nam Chriſtus per illa verba Math. 6. *Nolite ergo ſolliciti eſſe &c.* Non prohibet pecuniam, nec bonorum reſervationem pro craſtino, ſed ſolum ſollicitudinem, nè ſcilicet adeo ſolliciti ſimus, ut ipſa ſollicitudo nos ſeparet à Deo [cui ſervire debemus] ut probant verba, quæ præcedunt ibi enim non legimus Chriſtum dixiſſe. *Nihil ſervabitis in craſtinum*, ſed *nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*, at ſine ſollicitudine, homo poteſt aliquid in craſtinum ſervare, imo ſi aliquid jam ſervaverit pro craſtino, ſollicitudo illa tollitur, ut non ſit ei jam cura de craſtino, ſed ut cogitet de Deo. Unde Apoſtolus 1. ad Timot, cap. 6 ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Ibi enim Apoſtolus non improbat ea, quæ neceſſaria ſunt ad vitam ſuſtentandam, nec eorumdem conſervationem, ſed ſolum divitiarum cupiditatem, quæ eſt radix omnium malorum. Certum enim eſt, Apoſtolos pecuniam habuiſſe, eamque ſecum portaſſe, ut teſtatur Evangelium Joan. 4 ubi legitur, quòd cum veniſſet Jeſus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, ipſo manente prope fontem extrà civitatem, diſcipuli ejus abjerunt in civitatem, ut cibos emerent; ideoque verbum Chriſti de non portanda pecunia, inter admonitiones, & conſilia computandum eſt, & non inter præcepta; nam ſi Chriſtus velit mutuum dari abſque ulla ſpe lucri, & non prohibeat mutuum, ſed ſolum uſuram, certum eſt quòd nulli prohibet pecuniæ conſervationem; quamvis paupertatem commendet.

Chriſtus non prohibet divitiarum poſſeſſionem, ſed earumdem cupiditatem.

Inſuper dato quòd verba Chriſti ab hæreticis relata, ſint de præcepto, non valent hæretici ſuprà citati indè inferre, paupertatem Evangelicam eſſe de præcepto omnibus fidelibus; nam aliqua fuerunt à Chriſto Domino prohibita Apoſtolis uno tempore, quæ poſteà eis licuerunt, ut conſtat ex illo Math. cap. 10 verſ. 5. *Hos duodecim*, id eſt Apoſtolos, *Miſit Jeſus, præcipiens eis dicens, in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum non introjeritis.* Quòd certè referendum eſt tantum ad illud tempus quô ad prædicandum mittebantur, ut tunc non accederent ad loca gentilium, ideoque illud præceptum, non erat abſolutum pro omni tempore; alioquin Apoſtoli poſt Aſcenſionem Chriſti, relictâ Judæâ, non veniſſent ad gentes Idem de non portanda pecunia in Zonis, quia ſi fuerit præceptum, ut volunt Hæretici, non fuit abſolutum, nec pro omni tempore, ſed ſolum pro illo ſolo tempore, quo mittebantur: voluit enim Chriſtus in illa prima delegatione ad Judæos, Apoſtolis interdicere uſum pecuniæ, & curam bonorum temporalium, ut indè diſcerent ſpem eſſe in Domino collocandam, ut expeditiùs ſuo munere fungerentur. Et omnia eis neceſſaria ab auditoribus eſſe copiosè miniſtranda. Unde Luc. 22. verſ. 35. de ipſa prima miſſione loquens, ait: *Quando miſi vos ſine ſacculo, ſine pera, ſine calceamentis, nunquid aliquid defecit vobis? at illi dixerunt, nihil.* Inde enim conſtat, quòd tunc fuit eis prohibitum portare pecuniam, ut diſcerent, Dominum curam illorum habere, nihilque eis deeſſe, etiam ſi pecuniam reijcerent, ut convincerentur, ſpem non eſſe collocandam in pecunia, neque in bonis temporalibus, ſed in Deo: Igitur dato, & non conceſſo, quòd Chriſtus in loco citato præceperit Apoſtolis paupertatem, Hæretici non debent inferre, illud præceptum fuiſſe ità abſolutum, ut ad fideles perveniret, cùm fuerit pro tempore determinato, ſeu durante prædicatione Apoſtolorum apud Judæos.

Math. 10.

Luc. 22.

Dicunt inſuper hæretici, Chriſtum prohibuiſſe omnibus proprietatem rerum, Luc. 14. verſ. 33. ubi ait: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus Diſcipulus.* Et Math. cap. 10. verſ. 10. exprimit hanc paupertatem, ibi enim nedum vult quòd renuncient pecuniæ, ſed etiam rebus neceſſariis, quia inquit. *Neque peram in via, neque calceamenta, neque virgam*, ex quo inferunt, neminem poſſe ad vitam æternam pervenire, niſi fuerit pauper, ac proinde paupertatem non eſſe ſub conſilio Evangelico, ſed ſub præcepto.

Math. 10.

Reſpondeo hanc interpretationem eſſe nullam, quia Chriſtus illis verbis non prohibuit rerum proprietatem, ſed ſolum nimium earumdem affectum quoniam affectus ille præfert divitias Deo. Proprietas autem divitiarum hoc non facit; plures enim ſunt divites, qui mallent divitias amittere, quàm Deum propter illas offendere. Nec prohibuit nè quis duas tunicas habeat ſimul, neceſſitatis & frigoris pellendi causâ, ſed nè Divitum inſtar plures mutatorias, & citra neceſſitatem veſtes habeant. Nec vetat ſandalia, ſed ſolum Calceos, qui totum pedem tegant, nec virgam ſuſtentatoriam, & portatoriam, qua pauperes innixi ſolent incedere ad fatigationis levamen, ſed virgam poteſtatis, quia Apoſtoli mittebantur ſicut oves in medio luporum, & ſic hæc renunciatio non eſt abſoluta, nec nos obligat ut præceptum, ſed hortatur, ut conſilium, ideoque paupertas Evangelica, ſcilicet ea, quam habere bonum eſt juxta Evangelium, non eſt de præcepto, ſed de conſilio.

Vera textus relati explicatio.

At ſi quis contenderit, illa verba eſſe intelli-

genda de renunciatione proprietatis rerum, non verò de renunciatione affectus. Reſpondendum eſt illi, verba Scripturæ relata, eſſe intelligenda ſicut iſta, quæ habentur Luc 18. verſ. 29. & 30.

Luc. 18.

Nemo eſt, qui reliquit domum, aut Parentes, aut Fratres, aut Uxorem, aut Filios propter Regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam. Quæ non ſunt intelligenda de renunciatione proprietatis, & Dominii eorum, quorum poſſeſſionem habemus, ſed de renunciatione affectus immoderati, qui itá cor allicit, ut ſit ubi eſt Theſaurus, juxta illud Math. 6. verſ. 21. *Ubi enim eſt Theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Quia Chriſtus non vult hæc omnia itá à nobis relinqui, ut illis careamus, aut ea deſpiciamus, quia Filius non poteſt orbari Patre, & Matre, niſi moriantur, nec poteſt Parentes ſuos deſpicere, ſed nè in illis cor noſtrum ita ponamus, ut illarum rerum amor nos ſeparet ab amore Dei; cùm eodem modo jubeat domum relinqui, quo jubet relinqui Parentes, & Fratrem, & Uxorem, & Filios: ergo ex prædictis verbis Chriſti, nullum poteſt inferri præceptum de paupertate ſervanda, ſed ſolùm conſilium.

Solutio tributi probat paupertatem Evangelicam eſſe de conſilio.

Nam ſi non liceret habere proprium, & ex Evangelio eſſe Pauperes teneremur, quomodo Apoſtolus juberet reddi omnibus debita? Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, ut de facto jubet in Epiſt. ad Rom. 13. verſ. 7. Quia ſi nulli liceat habere proprietatem rerum temporalium, ſanè nullum erit debitum principi tributum, aut vectigal; cùm tributa dare, & tributa recipere, ſint actus Dominii, & proprietatis, quos præcepit Chriſtus Phariſæis, dicens: Math. 22. verſ. 21. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Undè ex Apoſtolo concludendum eſt, nullum eſſe præceptum in Evangelio de paupertate ſervanda, & ſi idem Evangelium ad eam nos hortetur, hoc eſſe conſilium. Valeant igitur Apoſtolici, ſeu Pſeudo-Apoſtoli, Calviniſtæ, Melancthonici, & alii, & renuncient rerum temporalium proprietati, ſi ipſi velint, & obſervent paupertatem Evangelicam, ac ſi eſſet ſub præcepto, modo viam ſalutis non præcludant aliis, qui proprium aliquid ſibi retinent juxta modum præſcriptum, & monitum Prophetæ Pſalm. 61. verſ. 11.

Pſal. 61.

Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere, quô non prohibetur evidenter rerum proprietas; alioquin diceret, *nolite manus apponere*, ſed prohibentur ſolum immoderati affectus, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere*, quibus Propheta non vetat divitiarum poſſeſſiones, ſed ſolum earumdem concupiſcentiam.

Lutherani, qui ad removendum omne conſilium, aut ad ſtatuendum in Evangelio nihil eſſe quod non ſit de præcepto, vota impugnant ex illo D. Petri 1. cap. 2.

D. Petrus 1. cap. 2.

Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, quô Lutherus vult ſoli Deo obediendum eſſe, ac proindè votum obedientiæ, quod in profeſſione Religioſa, vel in ſuſceptione Ordinis Sacri emittitur, eſſe prohibitum, quia putat in Evangelio nullum eſſe conſilium. Reſpondetur D. Petrum per humanam creaturam intelligere omnem hominem poteſtate imperandi donatum, non verò omnem hominem abſolutè.

Nec valet dicere cum Lotheranis, Chriſtianos Servos fieri non debere, juxtá illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 23.

1. Corinth. 7.

Pretio empti eſtis, nolite fieri Servi hominum, & perconſequens votum obedientiæ, quo homo abnegat propriam voluntatem, & ſe ſubjicit alteri, eſſe prohibitum in Scriptura. Non valet inquam, quia per hoc, Apoſtolus declarat, illicitum eſſe homini, ſervire, aut ſe ſubjicere alteri propter ipſum, non verò ſe ſubjicere ei propter Deum, ut fatetur idem Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 3. verſ. 23. & 24.

Coloſſ. 3.

Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis: Domino Chriſto ſervite: Ibi enim idem Apoſtolus non prohibet ſervire hominibus propter Deum, ſed ſolum propter ipſos homines ultimatè, cum in verſ. 22. ejuſdem capitis dicat: *Servi obedite per omnia hominibus carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum.*

Vota ſunt de conſilio.

Licitum igitur eſt, ac bonum ad ſalutem æternam conſequendam, vovere, & promittere Deo paupertatem, obedientiam, & caſtitatem, quamvis nullus ſit, qui aliquo præcepto hujuſmodi vota emittere teneatur. Nam ſi hæc non ſint abſolutè neceſſaria ad ſalutem conſequendam, nec de præcepto, ſunt tamen neceſſaria ad perfectionem Chriſtianam, ut ex dictis conſtat: uſus enim divitiarum temporalium, Status conjugalis, & Gubernium dividunt hominem, & ſæpè cum à Deo avertunt, ut tradit Apoſtolus 1. ad Corinthios cap. 7. ubi Virginitatis affert commoda, & nuptiarum incommoda; Ideoque vota paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, quæ tendunt ad perfectionem, & ad quæ nos adhortatur Chriſtus in Evangelio, non ſunt de præcepto, ſed de conſilio tantum, ac proindè ipſe Chriſtus præcepta, & conſilia nobis reliquit in ſuo Teſtamento, quidquid dixerint quidam Hæretici, ut evidenter conſtat ex dictis ſuprà.

ARTICULUS LXIV.

Refutat Flagellantes exiſtimantes Chriſti Evangelium, modò nullam habere virtutem obligandi.

Evangelii vim atque dignitatem negarunt non nulli, qui voluerunt, Legem novam à Chriſto Domino inſtitutam, ſeu Evangelium modò non habere virtutem obligandi, quam habuit à morte ipſius uſque ad annum MCCLXXIII. Nam quidam viri hæretici, natione Itali dicti Flagellantes, eo quod ſe ipſos virgis, ac nodoſis Flagellis concidebant, non minus impiè, quàm ſtolidè dicebant, ab adventu ſuæ Sectæ Evangelium Chriſti Domini ab Apoſtolis prædicatum, penitùs deſiiſſe, hoc eſt, ab anno MCCLXXIII. tempore Rodulphi Imperatoris, & Gregorii X. Papæ, ceſſaſſe, & Flagellationem Evangelio ſucceſſiſſe.

Flagellantes.

Alii mox referendi quid pejus dixerunt, videlicet Evangelium non eſſe ita Legem, juxtá veram, & propriam legis rationem, ut modò teneamur ſub mortali illud obſervare. Hujus Hæreſis Author eſt Martinus Lutherus. Eumdem errorem docuit (circa annum Domini MDXXX. ſub Carolo V. Imperatore, & Clemente VII. Romano Pontifice) Philippus Melancthon, qui quamvis plurium artium multiplici eruditione præditus, & inſignis fuerit, multos tamen prædicavit errores, inter quos eſt iſte, quem hic impugnamus pro neceſſitate obſervandi Evangelium Chriſti, ſaltem quoad præcepta, quæ continet: credebat enim Evangelium non habere ex ſe, nec à Chriſto Domino habuiſſe virtutem obligandi nos ad obſervationem eorum, quæ in eo ſcripta ſunt, ſed habuiſſe ſolum virtutem oſtendendi nobis bonum de Jeſu Chriſto Filio Dei nuntium.

Lutherus. Melancthon.

Hujus Hæretici verba ſunt hæc: *Novum Teſtamentum non eſt aliud niſi bonorum omnium promiſſio citrà Legem, nullo juſtitiarum noſtrarum reſpectu, quæ bona nobis promittuntur citrà conditionem, cum nihil viciſſim à nobis exigatur.* His quidem

verbis ipſe Philippus Melanẽthon clarè aperit, mentem ſuam eſſe contra obligationem obſervandi Evangelium, quoad præcepta.

Brentius

Anno autem MDXL, regnante eodem Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Paulo III. Brentius, de quo alibi locuti ſumus, Sectâ Semi-Lutheranus, contendens ſe eſſe liberum ab omnium bonorum operum obligatione, credidit etiam, Evangelium Chriſti non eſſe legem obligantem nos, ut conſtat in Confeſſione fidei ab ipſo Brentio oblata in Concilio Tridentino, ad quod miſſus fuit à Duce Uvitembergenſi. Hujus confeſſionis verba ſunt hæc: *Evangelium non eſt aliud, quàm bona, & læta nuntiatio de filio Dei Domino noſtro Jeſu Chriſto, quàm quòd ipſe ſolus ſit expiator peccatorum noſtrorum, & Redemptor, & Salvator noſter.* Huic confeſſioni liberè ſubſcripſerunt plures Doctores ſectâ Lutherani, qui ad Concilium Tridentinum perſonaliter venerant, jubente eodem Duce Uvitembergenſi.

§. I.

Probatur veritas Articuli.

Concilium Tridentinũ Anathemate ferit prædictos hæreticos.

HÆc hæreſis, quæ mihi videtur una ex præcipuis earum, quæ Luthero tribuuntur (cùm fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis fundamentum evellere intentet) damnatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Can. 19. 20. & 21. ubi legitur: *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos: anathema ſit. Si quis hominem Juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum: quaſi vero Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum: anathema ſit. Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut legiſlatorem cui obediant: Anathema ſit.* His Sacris Canonibus non ſolum Lutherus, & Brentius damnantur, ſed etiam Flagellantes, qui volunt, Evangelium jam deſiiſſe, quoniam longè antè Tridentinum hanc Impietatem publicè docuerant. Nihilominùs ex Sacra Scriptura demonſtranda eſt eorum Inſania. Et aperienda eſt veritas Cathulica, ut videant Evangelium Chriſti habere modò eam obligandi virtutem, quam habebat tempore Apoſtolorum.

Flagellantes penitùs confundit nedum novum Teſtamentum; ſed etiam Vetus: Nam Iſayas cap. 40. verſ. 8 inquit: *Exſiccatum eſt Fœnum, & cecidit*
Iſaye 40.
flos, verbum autem Domini manet in æternum: verbum autem illud eſt Evangelium Chriſti, qui cùm ſit Deus, cujus facta ac dicta in Evangelio continentur, ut aſſerit Sanctus Lucas act. 1. his verbis: *primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cæpit Jeſus facere, & docere* neceſsè eſt quòd Evangelium ſit verbum Domini, quod non deſiit, dum incepit Flagellantium Secta, ſed durabit in æternum, ut fatetur ipſemet Chriſtus Math. 24.
Math. 24.
verſ. 34. & 35. *Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant, Cœlum & Terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ibi enim Chriſtus Dominus non terminat verborum ſuorum, aut Evangelij durationem, per durationem vitæ eorum, ad quos loquebatur, ſed per durationem eorum pro quibus venerat, & pro quibus in Cruce moriturus erat. Quoniam per generationem non debemus intelligere tantum eos, qui tunc aderant, ut notat Theophilactus exponens eadem verba Matthæi, ſed omnium hominum generationem, & præſertim eorum, qui quærent Dominum. Et per *verba mea* intelligit Evangelium de quo Chriſtus Marc. cap. 16. verſ. 15 dixit Apoſtolis: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*; Idcirco Evangelium non deſiit tempore Flagellantium, ſed manebit in æternum, ut juxtà mandatum Chriſti Domini prædicetur omni creaturæ. Idem docuerat Eccleſiaſticus, qui loquens de lege à Deo hominibus data cap. 17. verſ. 10. ait: *Teſtamentum æternum conſtituit illis, & juſtitiam, & Judicia ſua oſtendit illis*, quò conſtat, Teſtamentum Chriſti eſſe æternum, ſeu uſque ad finem mundi duraturum cum vigore ſuo, ſuaque virtute obligandi homines; cùm nullus fuerit, ſit, aut erit, qui habeat poteſtatem revocandi illud. Nullumque habeamus de hac ceſſatione in Scriptura teſtimonium.

Præcepta Evangelica ſunt divina

Eccleſiaſt.

Nec valet dicere, ibi Eccleſiaſticum loqui tantùm de priori, ſeu de veteri lege. Non valet inquam, quia revocata fuit per mortem Chriſti, ut monet Apoſtolus ad Heb. cap. 7. verſ. 12 dicens: *Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut legis Tranſlatio fiat*: Igitur Eccleſiaſticus Spiritu Prophetico loquebatur de novo Teſtamento, quod debebat ſuccedere veteri. Idem enim prius docuerat Propheta Baruch cap. 2 verſ. ult. ubi legitur: *Et ſtatuam illis Teſtamentum alterum ſempiternum, ut ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non movebo amplius populum meum, Filios Iſraël à terra, quam dedi illis*, ubi per teſtamentum alterum ſtatuendum, non poteſt intelligi vetus, quod jam ſtatutum, atque ſcriptum erat in libris Moyſis, ſeu in Pentateucho, & Prophetis Baruch antiquioribus, per quorum os, Deus locutus fuerat. Sed novum quod tunc erat futurum, ſeu ſtatuendum, & modo eſt actuale, atque ſempiternum, hoc eſt, uſque ad finem mundi duraturum cum plenitudine authoritatis ſuæ. Undè Chriſtus, Math. 28. verſ. ult. mittens Apoſtolos in univerſum mundum, dixit illis: *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*, hoc eſt, Evangelium, *Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, quo ſuadetur, Evangelium Chriſti eſſe obſervandum, uſque ad finem mundi ab hominibus, cùm pro ipſis Chriſtus illud reliquerit, & Apoſtoli illud prædicaverint per univerſum mundum: etenim in omnem terram exivit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.

Baruch. cap. 2.

Propheta regius in Pſal. 110. affirmat quòd Deus miſit Redemptionem populo ſuo, mandavit in æternum teſtamentum ſuum, hoc eſt, Evangelium, quod Apoſtoli annunciaturi erãt omni creaturæ, pariter & Redemptionem Iſraël per ſe, & per ſucceſſores ſuos, non ſolum uſque ad Flagellantium ſectam, ſed etiam uſque ad conſummationem ſæculi, ut ſuadet illud Math. 24. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Ex quo ſequitur, Evangelium non fuiſſe datum ad hoc tempus, ſcilicet uſque ad annum MCCLXXIII. ut, neſcio, quo delirio voluere Flagellantes, ſed pro omni tempore, & uſque ad finem mundi: non enim alia nobis data fuit Redemptio, niſi in adventu Chriſti, qui verbo, & opere prædicans Evangelium ſuum, nobis in æternùm Teſtamentum ſuum reliquit, jam per mortem ſuam confirmatum, ut irrevocabiliter omnes homines in terra degentes ſuis obligaret, ac ligaret præceptis. Nec eſt qui poſſit illud revocare, aut ejus virtutem infirmare; cùm interceſſerit mors Teſtatoris juxtà monitum D. Pauli cap. 9. ad Heb. verſ. 16. & 17. *Ubi enim Teſtamentum eſt; mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt.* Hoc igitur Evangelium, verè dici poteſt Teſtamentum

Evangelium datum fuit hominibus pro omni tempore,

Hebr. 9.

Digitized by Google

noſtrum, cùm Vetùs fuerit revocatum in morte Chriſti, in qua verè conſummata ſunt omnia, & Evangelium confirmatum fuit, & per Apoſtolos à Chriſto miſſos intimatum omnibus gentibus. Idcirco eſt illud Teſtamentum, quod mandavit nobis in æternum, quodque nondum ceſſavit, nec ceſſabit. Hinc eſt quòd in verbis ſacramentalibus quibus quotidiè vinum ex vi eorumdem verborum tranſit iu Sanguinem Chriſti, Sacerdos in perſona Chriſti loquens ait: *Hic eſt Calix Sanguinis mei novi & æterni Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; quæ ſi non ſint expreſſè in Evangelio cum hac particula, *æterni*, certum tamen eſt, quòd Eccleſia Romana recepit ea verba ab Apoſtolis cum eadem particula *æterni* quemadmodum ipſi Apoſtoli, ea acceperant à Chriſto Domino.

His ſuffragatur ratio, nam homo in lege novâ habet Sacramenta perfectiſſima, quæ ſunt verè fontes aquæ ſalientis in vitam æternam, ſeu fontes gratiæ ſanctificantis, quam conferunt omnibus illis, qui ea dignè, debitéque recipiunt. Habet etiam præcepta in illo Chriſti Evangelio præſcripta, à quorum obſervantia abſolutè pendet ſalus, aut ingreſſus ad vitam æternam, ut teſtatur Chriſtus dicens; Math. 19 verſ. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*: Igitur novum Teſtamentum, quod eſt vltima voluntas Chriſti hominibus manifeſtata, debet durare tandiù, quamdiu durabit Religio Chriſtiana, & donec Chriſtus ipſe veniat judicare vivos, & mortuos & ſæculum per ignem. Nec poteſt ex Scriptura, aut traditione afferri aliqua ratio, ob quam hæc Lex Evangelica debeat ceſſare quamdiù erunt homines à Chriſto Redempti; nec ob quam alia debeat ei ſuccedere; cùm ipſa lex Evangelica ſit perfectiſſima, & efficaciſſima, tam in ordine ad gratiam acquirendam in veram remiſſionem peccatorum, quàm ad conſequendam gloriam, in qua verè conſiſtit omne bonum. Unde Apoſtolus ad Heb. cap. 7. verſ. 22. inquit: *In tantum melioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus*. Hoc eſt, melius eſt Teſtamentum novum, quàm vetus, juxtà gloſſam, quia altiora, ac meliora bona confert, id eſt gratiam, & conducit ad gloriam, quæ cùm ſit finis noſter; certum eſt quòd Evangelio nulla poteſt ſuccedere lex, ſicut Chriſto Domino nullus poteſt ſuccedere Redemptor, aut legiſlator, cujus præceptum ducat ad majorem perfectionem, viſio quidem Beatifica, quam Chriſtus nobis meruit per mortem ſuam, quamque ipſe ſolus nobis mereri potuit, eſt perfectè ſatiativa, ut ſuadet illud Pſal. 16. verſ. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, ideoque Evangelium Chriſti non ceſſavit tempore Flagellantium, id eſt anno MCCLXXIII. nec ceſſabit uſque ad finem mundi, quia ipſius fidei nihil ſuccedet, niſi viſio beatifica; quam nemo habebit in hoc mundo: eſt enim præmium quod non datur niſi poſt laborem. Aut corona, quæ non datur niſi poſt victoriam, & pugnam, quæ durat tandiu, quamdiu durat vita hæc mortalis, & peregrina.

Argumentum ex ratione de ſumptum contrà hæreticos.

Hebr. 7.

Hæc ipſa veritas poteſt confirmari ex illis quatuor animalibus, quæ vidit Ezechiel, & quæ Joanni in viſione monſtrata fuere, per quæ deſignantur quatuor Evangeliſtæ juxtà gloſſam, de his autem animalibus dicitur, quòd ibant, & non revertebantur cùm ambularent: indè enim volunt expoſitores, quòd Evangelium ſemper manebit, quia ſonus Apoſtolorum exivit in omnem terram, & non eſt reverſus; Vetus Teſtamentum venit, & reverſum eſt, quoniam revocatum fuit, etiam amplius non obligat; finivit iter ſuum, nec dicetur de eo, quod vadit, & non revertitur, ſicutì de quatuor animalibus dictum eſt quòd ibant, & non revertebantur. Nouum verò venit, & reverſum non eſt, quoniam Deus pacis eduxit de mortuis Paſtorem magnum ovium in Sanguine Teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cùm ſit inviſibile caput Eccleſiæ Dei, neceſſe eſt quòd ipſa Eccleſia ejuſque Evangelium ſubſiſtant; donec ipſe Chriſtus veniat reddere unicuique ſecundum opera ſua. Neceſsè eſt inſuper quòd cùm ſit Doctor, & legiſlator, ejus verba non tranſeant, hoc eſt, quòd ejus Evangelium numquam ceſſet, eſt enim æternum, ut teſtatur etiam D. Joannes in Apocalyp. cap. 14. verſ. 6. *Et vidi Angelum alterum volantem per medium Cœli habentem Evangelium æternum, ut Evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & Tribum, & linguam, & populum*. Hoc teſtimoniô liquidò conſtat, quòd Chriſti Evangelium Evangelizabitur tandiu ab Apoſtolorum ſucceſſoribus (qui in variis Sacræ Scripturæ locis, & præſertim in Epiſtolis Divi Pauli dicuntur Angeli) quamdiu erunt gentes, & populus ſuper terram. Venit quidem Evangelium, quia Chriſtus contulit illud, & non revertitur, quia eſt æternum, atque regula cujus obſervatio ducit ad vitam æternam, ut notat D. Auguſtinus tract. 1. in Joan.

Quatuor animalia Apocalypſis figurant quatuor Evangeliſtas.

D. Greg.

Unde D. Gregorius homil. 6. ſuper Ezechielem ait: *Teſtamentum novum etiam per veteris teſtamenti paginas, teſtamentum æternum appellatum eſt, quia intellectus illius numquam mutatur, benè ergo dicitur quòd rota ibant, & non revertebantur cum ambularent, quia novum teſtamentum non reſcinditur, dum vetus jam ſpiritaliter intelligitur, poſt ſe non redeunt, quia uſque ad finem mundi immutabilia perſiſtunt: ambulant ergo, ſed non revertuntur, quia ſic ſpiritualiter ad cor noſtrum veniunt, ut eorum præcepta alterius non mutentur*. Eamdem expofitiooem dant plures alij Sancti Patres; quorum verba omitto; Coofirmatum quidem eſt teſtamentum novum morte Chriſti, ut jam dixi cum Apoſtolo, ac proindè fidei noſtræ, nobis in Evangelio divinitùs notificatæ, nihil ſuccedere poteſt, niſi viſio beatifica, quoniam cùm venerit quod perfectum eſt, Evacuabitur quòd ex parte eſt, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 13. verſ. 10. Id autem quod perfectum eſt, nihil aliud eſt, quàm beatitudo, quæ eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: ideoque Evangelium tandiù durabit, quamdiu erunt Viatores; cùm pro ipſis ad Cœlum conducendis conditum, ac prædicatum fuerit.

Evangelium eſt lex Chriſti.

Quamtum ad errorem Lutheri, Melancthonis, & Brenrij aſſerentium, Evangelium Chriſti non habere veram legis rationem, nec obligare nos ſub mortali. Dico quód ſufficit audire Chriſtum dicentem Joan. 15 verſ. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*, & afferre legis definitionem; ut confundantur. Nam ea, quæ Chriſtus nobis præcipit, continentur in Evangelio cùm ſit teſtamentum, in quo nobis ſuam manifeſtavit voluntatem. Undè legis nomine Sacra Scriptura intelligit quidquid nos ad aliquid agendum compellit; ſed in Evangelio aliqua ſunt præcepta, quæ nos ad aliquid agendum compellunt, ut v. g. ad dilectionem inimicorum, ad mutuum dandum abſque ulla ſpe lucri &c. Sunt etiam præcepta, quæ nos obligant ad vitandum aliquid, ut Evangelium attentè legenti, manifeſtum erit: ergo Evangelium eſt vera lex, ut fuſiùs probatum manebit contra eoſdem hæreticos in lib. de hæreſibus quæ inſurrexerunt adverſus gratiam, idcircò ad hunc locum remittendus eſt lector, ut videat, Evangelium Chriſti habere veram, ac propriam rationem legis, noſque obligare ad obſervantiam mandatorum, Dei (quæ Sancti Patres vocant præcepta Evangelica) quemadmodum obligabat tempore Apoſtolorum. Et ut ibi videat in-

ſuper hæreticorum argumenta reſponſionibus legitimis abſoluta.

§. II.

Proponitur, & reſolvitur Flagellantium argumentum.

Flagellantium ratio eſt, quia qui Flagellant ſe (inquiunt) perfectè animam Sanctificat, eamque ita mundat ab omni peccato, ut nemo poſſit ſalvari, niſi in proprio Sanguine de corpore flagellato excuſo, baptizetur, quia non in aqua (inquiunt) ſed in proprio Sanguine ſiſtit virtus Baptiſmi Chriſti. Quia baptiſmus aquæ ceſſavit, mutatuſque fuit in baptiſma Sanguinis. Et omnia Evangelij præcepta mutata ſunt in liberam Flagellationem corporis, ut Sanguis ex ipſo effuſus lavet ac mundet nos à peccatis actualibus, quemadmodum Chriſtus, qui exemplum dedit nobis, lavit nos à delictis, & peccatis noſtris in Sanguine ſuo. Et oportuit ipſum pati, & ità intrare in gloriam ſuam.

Flagellantium ratio

Reſpondeo hunc errorem, non niſi ab Idiotis, & indoctis hominibus [quales fuere Flagellantes] doceri potuiſſe, ut obſervant Prateolus; & plures alij Scriptores adverſus hæreſes; cùm ſint tam aperta Sacræ Scripturæ teſtimonia Evangelium Dei in perpetuum, hoc eſt, in finem uſque ſæculi duraturum, firmiter teſtantia, ut nulla hîc comprobatione, aut alia confirmatione, quàm ſolâ fide Catholicâ opus ſit pro tuenda neceſſitate obſervandi Evangelium. Nihilominus reſpondeo iterum Flagellationem non ita ſufficere homini ad ſalutem, ut poſſit quis ſalvari, ſecluſo quocumque Sacramento, tam in re, quàm in voto. Nam ut inquit. Joan. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et alibi *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, Hinc eſt, quòd ille, qui voluntariè Flagellationem ſuſciperet, & validum Baptiſmum aquæ, abſolutionem Sacramentalem, bona opera, & obſervantiam mandatorum Dei liberè recuſaret, non poſſet abſolutè ſalvari, quamvis continuò Flagellaret ſe eo animo, quo ipſi Flagellantes. Nam Chriſtus non docuit tunc Flagellationem uſque ad Sanguinis effuſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij, ſicut dixit Baptiſmum aquæ eſſe neceſſarium. Nec ipſe lavit nos in ſuo pretioſo Sanguine formaliter, ſed meritoriè, idcirco tempore Flagellantium non ceſſavit Evangelium, cujus fides abſolutè neceſſaria eſt. Quia qui Evangelio non crediderit, condemnabitur in ultimo Judicio. Nec Flagellatio ſufficit, ut homo, omnibus Spretis Sacramentis, & Evangelio, fiat Filius Dei adoptivus, hæres regni cæleſtis, & Cohæres Chriſti: quamvis Flagellatio ſuſcepta propter Deum & animo puniendi peccata commiſſa, meritoria ſit, & fructuoſa baptizatis, ut fatentur omnes Catholici cum ſanctis Patribus, & Conciliis, quibus pœnitentia hominibus commendatur.

LIBER SECUNDUS
FIDEI VINDICATÆ

In quo referuntur, & refutantur hæreſes, quæ inſurrexerunt adverſùs hominem, & adverſùs obligationes ejus.

ARTICULUS I.

Quò refellitur error Saturnianorum de duobus hominum generibus, naturaliter bonitate, & malitiâ diverſis.

PLURES Sancti Patres, & præſertim D. Irenæus lib. 1. cap. 22. D. Epiphanius hæreſ. 23. Theodoretus, Philaſtrius lib. de Hæreſ. Sanctus Auguſt. lib. de Hæreſ. *Ad Quodvultdeum*, & alii referunt, quemdam hæreticum

Saturninus. nomine Saturninum, genere Antiochenum Menandri Diſcipulum, Scholam erroris, & impietatis inſtituiſse in Syriâ, tempore Trajaoi Imperaroris, & & Evariſti Romani Pontificis anno CXVIII. Harum Impietatum una dividit homines in duo genera, affirmabat enim ille hæreticus, hominum alios eſſe naturâ bonos, alios verò naturâ malos. Et indè volebat, quòd neque mali vituperium, ac ſupplicium, nec boni laudem, & præmium mererentur; quoniam putabat homines malos, non eſſe ità liberos, ut poſſent vitare malum. Nec bonos ità liberos, ut poſſent non operari bonum. Anno autem CL. regnante Antonino Pio, & Eccleſiam Dei regente Higinio Papâ; inſurrexit alter hæreticus

Valentinus. nomine Valentinus, quem Epiſcopatus ambitio (cujus repulſam paſſus fuerat) ad plores impulit hæreſes [ex Tertulliano lib. adverſùs Valentinianos, cap. 4.] quarum XXII. tria hominum genera conſtituit, Coichum ſcilicet, ſivè Terrenum, Animale, & Spirituale; Terrenum ad Cain, Animale ad Abel, Spirituale ad Seth revocabat.

Hæc hæreſis profligatur in omnibus Conciliis, in quibus homo declaratur naturâ liber ad bonum, & ad malum, habenſque poteſtatem porrigendi manum ad mortem, vel ad vitam, ut in Moguntino IV, Can. 2. & Can. 10. In Dioſpolitano Can, 10. In Senonenſi Can. 15 & io pluribus aliis, ſed

Referuntur Concilia. præſertim in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. 5. & 6. quorum verba referemus in Articulo de libero arbitrio contrà Simonem Magum, Marcionem, Manichæum, Bardaſenem, & alios hæreticos ibi impugnandos. His addendus eſt Canon. 40. qui incipit, *ſi enim* de Pœnitentiâ, diſt. 2.

Suadetur aſſertio noſtra, ſeu refellitur error Saturnini hac ratione. Si eſſent aliqui homines, qui *Nullus homo eſt naturâ malus.* non à propria volutate, ſed à natura haberent bonitatem, & alij malitiam, ut voluit Saturninus, ſeqoeretur maxima, atque intolerabilis hæreſis, ſcilicet quòd pœna, ſeu mors non intraſſet in mundum per peccatum, quia mors eſt pœna, quæ neceſſariò debet ſupponere culpam liberam, & voluntariam. Hujus ſequelæ ratio eſt, quia ſuppoſito hoc errore Saturnini & Valentini, nullum fuiſſet peccatum, ſeu defectus in moribus tantâ pœnâ dignus: nullum enim eſt peccatum niſi ſit liberum, & voluntarium, id eſt, niſi potuerit non eſſe; quia quemadmodum, ut vir ſit beatus, neceſse eſt, quòd potuerit transgredi, & non ſit transgreſſus; ità etiam ut ſit damnatus, & punitus, oeceſsè eſt, quòd potuerit non transgredi, & ſit tranſgreſſus, ut fatentur omnes Theologi: ſed hæreticum eſt dicere quòd Mors non intravit in mundum per peccatum, ut declarat Apoſtolus ad Rom. cap. 5. verſ. 12. igitur homo, qui peccavit in Paradiſo deliciarum, fuitque malus, non fuit talis à naturâ, ſed à libero arbitrio. Mali pariter ſunt, hoc ipſo libero arbitrio omnes peccatores terræ; alioquin nullus eorum poſſet à peccato liberari, quoniam quod eſt à naturâ minimè tolli poteſt. At peccata noſtra nedùm remittuntur, ſed etiam ab ipſis declinare tenemur; idcirco nullus homo eſt naturâ peccator, ſed malâ voluntate ſuâ talis efficitur. Deindè omnes homines ſunt ex naturâ ejuſdem conditionis, habentque omnes proprietates eſſentiales, & ſpecificas; ideoque omnes eſſent boni, vel mali, quòd eſt falſum.

Sequeretur inſuper ex errore Saturnini, quòd Deus fruſtrà condidiſſet leges, & præcepta: nam homines naturâ boni, ſemper ſubditi fuiſſent, &

obedientes Divinæ voluntati, ità ut nunquam defeciſſent,nec declinaſſent à bono; alij verò,ſeu naturâ mali, numquam declinaſſent à malo, fuiſſentque ſemper diverſi & oppoſiti Deo tanquam ſupremo legiſlatori, & ſummè bono, ac proindè ſuperfluum fuiſſet intimare præcepta hominibus ſive bonis,ſive malis,quia eſſent à naturâ,(ſecluſo quocunque agente extrinſeco)determinati irrevocabiliter ad bonum, vel ad malum,ſicut gravia ad deſcenſum;& levia ad aſcenſum: abſurdum quidem eſt præcipere homini vitare malum, bonumque proſequi,& ampleɛti, ſi naturâ ſuâ ſit determinatus ad malum,inutile eſt pariter præcipere homini proſecutionem boni,ſi naturâ ſua ſit determinatus ad bonum, ſecluſo quocunque libertatis motu. Unde D. Irenæus ait: *Si autem naturaliter quidam boni,quidam vero mali facti fuiſſent,neque hi laudabiles eſſent, qui boni ſunt: tales enim facti fuerant:ſed neque illi vituperabiles,& ipſi enim tales fuerant inſtituti:ſed quoniam omnes ejuſdem ſunt naturæ,& potentes retinere,& operari bonum,& potentes rurſum amittere,id,& non facere juſtè,etiam apud homines ſenſatos, quanto magis apud Deum, alij quidem laudantur, & dignum percipiunt teſtimonium electionis bonæ,& perſeverantiæ,alij vero accuſantur,& dignum percipiunt damnum, eo quod juſtum & bonum reprobraverint; & ideo quidem Prophetæ hortabantur homines juſtitiam agere, bonum quoque operari, quia in nobis ſit hoc,& propter multam negligentiam in oblivionem inciderimus, & Conſilio egeamus bono, propter quod & bonus praſtabit bonum Conſilium per Prophetas.*

Irenæus.

Nullus homo eſt naturâ bonus.

Ultimum judicium probat utique, nullum hominem malum, eſſe malum à naturâ ſua. Nec bonum eſſe bonum ex naturâ ſuâ, ſed ſolum à libero arbitrio quod eſt principium meriti,&demeriti:legimus enim inEvangelioMatth.cap.25.quòdChriſtus dicet reprobis, *Ite maledicti in ignem æternum.* Ratio hujus applicandi ſupplicij eſt,(inquit ipſemet Chriſtus,) *eſurivi & non dediſtis mihi manducare; ſitivi & non dediſtis mihi bibere*, &c.Hoc ſuppoſito. Quæro à Saturnino, an ille reprobus in ignem æternum mittendus, poterat dare panem Chriſto in perſonâ pauperum, vel non? Si primum; ergo mali, non ſunt naturà mali, ſed mala voluntate,quia ſi feciſſent bonum, quod facere poterant,quodve fecerunt Sancti,fuiſſent electi, & perconſequens mali, non ſunt tales à naturâ, quia quod naturâ eſt tale, ſemper eſt tale, & ideo homines, qui(ex Saturnino)ſunt mali à naturâ, neceſſario ſunt mali,& ſemper erunt mali,etiam ipſis invitis. Si ſecundum, ergo injuſtè punientur in die judicij, quia à naturâ ſunt incapaces ad faciendum bonum, & ſic non poſſunt juſtè puniri ſupplicio æterno ignis, imò nec debent vocari ad generale judicium, quia hæc ad bonum impotentia, non ab ipſis, ſed ab authore naturæ proveniret: idcirco non debent puniri, cùm ex regulis juris in 6, non detur pœna, niſi ſubſit culpa voluntaria, quæ non poſſet eſſe in homine illo,qui eſſet naturâ malus.

Chryſoſtomus.

Idem docet D. Chryſoſtomus homil. 60. ſuper Math. dicens: *Si Maligni tales à ſe ipſis non ſunt, noli tuos ſervos caſtigare, nec uxorem ſi peccat increpa, nec Liberos verbera, nec amicos incuſa, nec offendentibus inimicis offenſus ſis: nam hi omnes, niſi ſponte delinquant, non punitione, ſed miſeratione digni ſunt, non poſſum inquies,ità Philoſophari, certe ſi non illorum culpâ quidquam factum conſpexeris ſed quadam alia neceſſitate incumbente, non poteris ità Philoſophari. Nam quando ſervus ægritudine oppreſſus juſſa non fecerit, non modo non criminaris, verum etiam valdè commiſereſcis. Quare tu ipſe teſtimonium perhibes, non niſi ab ipſo fieri.* Et paucis interjectis ſubdit. *Verum indè quoque ora iſtorum obruere facile poſſumus, nam undiquè veritatis affluunt adminicula, ſi eos interrogabimus quamobrem nunquam ſervos criminantur.ſi facie formoſi non ſint, ſi non proceræ ſtaturæ, ſi non quaſi volucres in eundo, cæteraque hujuſmodi, quia videlicet natura hæc, non voluntate conceduntur, immunis eſt ergo ipſe ejus culpa quam ſibi jam natura invexit, nec ullus unquam huic orationi contradicet. Cum igitur accuſas, tunc oſtendis profectò non à naturâ, ſed à voluntate malâ quidpiam proceſſiſſe; nam ſi quæ minimè culpamus,ea naturæ delicta eſſe, aut ſaltem non voluntate teſtamur. Patet ſolum ea culpari, quæ voluntate committuntur Nolè enim perverſas in medium ratiocinationes inferre,nec Sophiſmata, & orationis contextum telis aranearum viliorem.*

Ex his liquidò conſtat, malos homines, quos Chriſtus puniet in ultimo Judicio, & mittet in ignem æternum, non eſſe malos à naturâ, quoniam quod ab ipſa eſt, inculpabile & involuntarium eſt; ſed à libero arbitrio, de quo exeunt cogitationes malæ. Nec eos, quos vocabit ad ſe, & ad regnum, eſſe bonos à natura, & neceſſitate; ſed à voluntate & liberè. Plurimum igitur à veritate aberrat Saturninus exiſtimans homines eſſe diverſi generis, ſeu alios eſſe à naturâ bonos; alios verò à naturâ malos; cùm propter liberi arbitrij uſum omnibus hominibus conceſſum,fiat diſtributio præmij & pœnæ,ut notat Tertullianus lib.2.adversùs Marcionem dicens, *Nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate. In hoc & Lex conſtituta eſt, non excludens, ſed provans libertatem de obſequio ſponte præſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda. Ita ut in utrumque exitum libertas patuit arbitrij.*

Deindè Deus creavit Adam ad imaginem ſuam, & reliquit eum in manu Conſilij ſui, nihil fuit in ipſo ab authore naturæ, quod non ſit in Filius ejus: Adam autem non fuit naturâ ſuâ determinatus ad bonum, quia non peccaſſet edendo lignum vetitum; nec ad malum,quia poſt peccatum,pœnitentiam non egiſſet quoniam hæc virtus bona eſt, atque meritoria: igitur omnes homines ſunt naturâ ſimiles Adæ, ejuſdemque generis, hoc eſt, ita liberi ad bonum, & ad malum, ut ad quodcumque voluerint poſſint porrigere manum.

§.

Solvuntur Saturnini rationes.

SAturninus ſic arguit.Sunt quidam homines,quos Chriſtus vocat Filios Diaboli, Joan. 8. *vos ex patre Diabolo eſtis*, qui certò non ſunt naturâ, nec voluntate boni, ſed ſunt, non voluntate tantum, ſed etiam naturà mali;quia Filij Diaboli, verè mali ſunt naturà, ſicut ipſe Diabolus. Sed non valet hæc ratio. Quoniam Impij, quos Chriſtus vocat Filios Diaboli, non ſunt filij ipſius,origine, & generatione; ſed ſolum imitatione, & conſenſu, idcircò ſi ſint mali, ut de facto mali ſunt,hoc non eſt à naturà,ſed à mala voluntate, quà liberè ſe participes reddunt malitiæ Diaboli,qui reverà eſt malus, etiam mala voluntate,non naturâ,ut dictum atque probatum manet in articulo contrà Severianos.

Idem notat D. Aug. ſerm.14.de verbis Apoſtoli, ubi conſiderans cauſam peccati, non naturam, ſed malam voluntatem accuſat, dicens; *Non accuſamus naturam, naturæ Author Deus eſt, à Deo bona eſt inſtituta natura, ſed per malam voluntatem à ſerpente vitiata eſt, ideò quod fuit in Adam, culpæ, non naturæ nobis propagatis factum eſt,jam naturæ ab hoc vitio natura,cum quo naſcitur homo,non liberat,niſi qui natus eſt ſine vitio.* Et cap. 15. ejuſdem ſermonis, ait, *Si primum peccatorem requiris, Diabolum vide, ſed humani generis maſſam volens oſtendere Apoſtolus de origine venenatam,ideo eum poſuit unde nati ſumus,non eum,quem imitati ſumus,dicitur quidem,& pater tuus, quem fueris imitatus, Filij mei quos iterum partu-* *Auguſt.*

rio, qui ibidem dicit : imitatores mei eſtote, & propter iſtam imitationem dicitur Impiis, vos à Patre Diabolo eſtis. Nam conſtat in Catholica fide, quod Diabolus nec generavit noſtram naturam, nec condidit, ſola in illo ſeductio eſt præcedentis imitatio ſubſequentis. Hæc enim probant, nullum hominem eſſe malum naturâ ſuâ, ſed bonum, vel malum voluntate, quæ eſt principium meriti, vel demeriti; cùm ipſa ſola ſit, quæ cooperando gratiæ meretur vitam æternam, & deſpiciendo eam, atque mandata Dei, ſupplicium meretur æternum. Ex Philoſopho in naturalibus non laudamur, nec vituperamur. Idem dicendum eſſet de opere morali, ſi homo naturâ ſua eſſet determinatus ad malũ morale, quoniam in hoc, non eſſet laudandus, nec vituperandus.

Nec valet dicere cum eodem Saturnino, homines eſſe naturâ Filios iræ, ut affirmant nonnulli, ex illo Apoſtoli Eph. cap. 2. *& eramus naturâ filij iræ, ſicut & cæteri*, hoc eſt, naturâ mali. Hujus inſtantiæ nullitatis ratio, eſt quia Apoſtolus dicens *& erramus natura Filij iræ ſicut & cæteri* non innuit duplicem hominum ordinem, ſed unum dumtaxat: nam declarat, omnes homines eſſe filios iræ; quòd tamen non intendit Saturninus; cùm aſſerat omnes homines non eſſe ejuſdem ordinis, ſed quoſdam eſſe naturâ bonos; alios verò naturâ malos. Igitur ipſe Saturninus; non debet pro diviſione hominum in bonos & malos ſtabilienda, uti authoritate Apoſtoli, cùm ſit generalis, ſed debet eam explicare, vel omittere. Si autem velit ipſâ uti contrà nos, dico quòd Apoſtolus debet ſic intelligi, ſcilicet quòd ſumus Filij iræ naturâ, id eſt à nativitate, non verò naturâ, id eſt, eſſentiâ, vel proprietate, ſicut naſcimur rationales, & riſibiles; ſed ſolum conditione naturæ noſtræ, quæ cùm fuerit à primo parente vitiata, & in peccatis nos concipiant Matres noſtræ, neceſſè eſt, nos naſci Filios iræ, non propriæ, ſed alienæ, ſcilicet iræ parentum, quibus iratus eſt Deus, quia peccaverunt non naturâ, ſed propria voluntate. Nam ſi naſceremur Filij iræ naturâ, id eſt, eſſentiâ, & non conditione ſeu ratione parentum, ſequeretur primò, quòd omnes homines eſſent ejuſdem generis, hoc eſt, quòd omnes eſſent naturâ mali, quia omnes naſcuntur Filij iræ; quòd eſt contra ipſum Saturninum. Secundo ſequeretur quòd Baptiſmus non faceret nos Filios dilectionis, quia Sacramentum illud aufert id, quod habemus culpâ, non verò id, quod habemus naturâ ſeu eſſentiâ, ſed utraque ſequela eſt falſa, & hæretica, ergo falſa quoque, atque hæretica eſt opinio Saturnini, de duobus hominum generibus, bonitate, & malitiâ diverſis.

Tandem inquit idem Saturninus. Eſt aliquod genus hominum, in quibus habitat peccatum, & qui
Rom. 7. committunt illud etiamſi nolint, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. cap. 7. dicens, *Si autem nolo quod facio, jam non ego operor illud, ſed id, quod habitat in me peccatum*: Ergo ſunt homines, qui non boni, ſed mali naturâ ſunt, quoniam omnes illi, qui peccata nolentes faciunt, ſunt naturâ mali, quippè ſi mali eſſent ſolâ voluntate, non poſſent aliud peccatum facere, niſi illud quod facere vellent, cùm voluntas ad malum cogi non poſſit.

Reſpondeo negando conſequentiam: nam Apoſtolus nomine peccati, non intelligit id, quod propriè formaliter, & actu peccatum eſt, ſed pœnam peccati,
Per peccatum Apoſtolus intelligit concupiſcentiam. id eſt concupiſcentiam, quæ eſt in nobis etiam poſt Baptiſmum; & nos inducit ad peccandum, & ad peccatum inclinat, nobis nolentibus; ſed non facit nos peccatores, nec invincibiliter inclinat ad peccandũ; cùm voluntas, divinâ adjuvante gratiâ, valeat reſiſtere, ut monet D. Petrus Epiſt. 1. cap. 5. Idem ſentit D. Auguſt. lib. 1. retract. cap. 10. dicens, *Sed hoc peccatum, de quo ſic eſt locutus Apoſtolus, ideo peccatum vocatur quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt, quandoquidem, hoc de concupiſcentia carnis dicitur, quod appetit in conſequentibus, dicens: ſcio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea: bonum, velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum, non perfectio quippè boni eſt, ut nec ipſa concupiſcentia peccati ſit in homine, cui quidem quandò* *D. Aug.*
bene vivitur, non conſentit voluntas, veruntamen non perficit bonum, quia ineſt adhuc concupiſcentia cui repugnat voluntas, cujus concupiſcentiæ reatus in Baptiſmate ſolvitur, ſed infirmitas manet, cui donec ſanetur omnis fidelis, qui benè proficit, ſtudioſiſſimè reluctat. Peccatum autem quod nuſquam eſt niſi in voluntate; illud præcipuè intelligendum eſt quod juſta damnatio conſecuta eſt, hoc enim per unum hominem introiit in mundum, quanquam & hoc peccatum, quo conſentitur peccati concupiſcentiæ, non niſi voluntate committitur.

ARTICULUS II.

Rejicit Præadamitarum fabulam.

IN hoc Articulo impugnandi ſunt Præadamitæ, ſeu novatores illi, qui ante Adamum plures homines extitiſſe fingunt. Vel ij, qui ante Adamum
Præadamitæ. extitiſſe à nonnullis falsò creduntur. Hujus erroris Author fuit, quidam recentior natione Gallus, cujus nomen ignoratur, qui anno Domini MDCLV. auſus eſt aſſerere, alios ante Adamum extitiſſe homines, quos ideo Præadamitas vocabat. Ea de causâ, librum in lucem emiſit, cui Titulus eſt *Syſtema Theologicum ex Præadamitarum hypoteſi*, qui licet Anonymus ſit, nihilominus in hoc opere impugnanda eſt hæreſis, quam docet, cùm ex Sacrâ Scripturâ, Conciliis; & Sanctis patribus unanimiter, conſtet Adamum eſſe primum hominem abſolutè, ità ut ante ipſum, nullum alium condiderit Deus, & ſic impugnabitur Hæreticus, impugnabuntur, & ſectatores ipſius; indeque firmabuntur plures fidei veritates, quæ ab illo primatu Adæ pendent, ut v. g. exiſtentia peccati originalis, veritas hiſtoriæ Moyſis, creatio hominis, & totius mundi in tempore: nam ſi Adam non ſit primus homo, facilè eſt probare Baptiſmum eſſe inutilem, quoniam inſtitutum fuit ad delendum peccatum, quod ab Adamo nobis communicatur; facilè eſt etiam probare, hominem eſſe ab æterno, quia nullus poterit aſſignare primum hominem à Deo creatum.

Undè ut appareat Syſtema illius authoris Præadamitarum eſſe meram Fabulam contra univerſalem Eccleſiæ fidem, Somniatam; affero verba Con-
Concilium Milevitanum. cilij Carthaginenſis ſexti celebrati anno CCCCXIX (cujus Canones ſub Milevitani Concilij titulo editi ſunt) cap. 1. ubi legitur. *Ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ Anathema ſit.* Fateor hoc Concilium in hoc Canone im-
Carthaginenſe ſextum. pugnare Pelagium, ejuſque errores, quorum unus erat circa immortalitatem Adæ; volebat enim ille hæreſiarcha, quòd mortuus eſſet, etiamſi non peccaſſet; ſed hoc nonobſtante, in hoc Canone Adamus declaratur primus homo, proindeque Præadamitarum fabula rejicitur. Idem habetur in Tridentino, ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, in quo legitur: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim Sanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram, & indignationem Dei atque ideo mortem, quam anteà illi comminatus fuerat*

Tridentinum.

Deus, & cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offenſam ſecundum corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe: Anathema ſit. Ibi enim Adam declaratur primus homo, & per conſequens damnatur etiam Præadamitarum fabula in illis duobus Conciliis.

§. I.

Statuit Adæ primatum.

PRimus homo debet eſſe ille, quem Deus creavit ad imaginem ſuam, quemque Moyſes in libro Geneſis ſeu generationis indicat, ibi enim rerum omnium productionem deſcribit, pariter & ordinem creationis; cùm ſic pro eo deſcribendo incipiat: *In principio creavit Deus Cælum & Terram* &c. Nec ſit alius Scriptor ipſo Moyſe antiquior, nec fidelior, à quo diſcere valeamus nomen primi hominis, ejuſque Genealogiam, ſed ille homo, quem Deus creavit ad imaginem ſuam, & quem Moyſes indicat primum, eſt Adamus, ut habetur in libro Geneſis ergo Imaginarij ſunt prædeceſſores ipſius. Quod verum eſſe ſic evinco. Nam ex libro Geneſis, cap. 3. verſ. 20. Eva eſt uxor Adæ, & ſic fuit vocara, eo quod mater eſſet cunctorum viventium: igitur omnes homines, de quibus loqui intendit Moyſes, *per viventes* verè proveniunt ab Adamo, & Evâ, quoniam impoſſibile eſt, quòd Eva, ſeu uxor Adæ, ſit mater cunctorum viventium, ſeu hominum; quin vir ejus, ſeu Adam (cujus duntaxat ipſa Eva fuit uxor) ſit omnium primus, & Pater cunctorum viventium. Nam Eva eſt prima omnium mulierem; cùm ipſa ſit mater cunctorum viventium; Adam autem eſt vir ejus, ideoque Pater cunctorum viventium, ac proindè omnium hominum primus, alioquin Eva non fuiſſet formata ex coſta ipſius. Quòd eſt falſum ut conſtat ex communi Theologorum conſenſu. Et ex authoritate Geneſ. 2. verſ. 21. & 22. Ratio eſt, quia Eva, quæ eſt mater cunctorum hominum, formata immediatè à Deo, de coſta primi hominis, debet eſſe uxor, & non mater illius hominis primi; nam ſi fuiſſent alij homines præter illum, ex cujus coſta formata fuiſſet, eſſent plures homines, quorum Eva non eſſet Mater: Unde cùm hoc ſit falſum & expreſsè contra ſcripturam, ſequitur quòd Adam eſt ille homo, quem Deus creavit de limo terræ ad imaginem ſuam, ac proindè primus omnium hominum, quia eſt vir hujus Evæ, quæ eſt Mater omnium hominum, eſt etiam ipſe Adam ille homo, de cujus coſta, Deus formavit Evam. Quare Apoſtolus 1. ad Corinthios cap. 15. verſ. 45. Adamum primum hominem ſimpliciter vocat: *Factus eſt* inquit *primus homo Adam in animã viventem, noviſſimus Adam*, id eſt, Chriſtus, *in Spiritum vivificantem.*

Specialis contra Præadamitas ratio.

Eva eſt mater omnium hominum.

Homo ille, qui à nullo alio homine fuit genitus, ſed à ſolo Deo creatus, eſt primus omnium hominum, ut eſt manifeſtum; alioquin in linea hominum, nullus eſſet primus, quia nullus eſſet inter ipſos homines, qui non fuiſſet ab alio homine generante, & ſic ad infinitum; quòd Author Præadamitarum non concedit. Ille autem homo, qui non eſt ab alio homine generante; ſed à ſolo Deo, eſt Adam, juxta illud Pauli loco citato. verſ. 47. *Primus homo de terra terrenus*, quod de Adamo intelligitur, ut probant hæc verba quæ immediatè præcedunt; *factus eſt primus homo Adam in animam viventem*; ergo ille, qui non venit per generationem, ſed fuit à Deo formatus de limo terræ, eſt Adam, & per conſequens ipſe eſt omnium hominum primus, quia eſt ille, quem non genuit alter homo, ſeu quem Deus creavit, & cui Deus dedit adjutorium, ut generaret alios.

Ad Corinth 1. cap. 15.

Idem confirmari poteſt ex illo Geneſ. 2. verſ. 19. & 20. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus, appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia Cæli, & omnes Beſtias terræ. Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ejus.* Hæc verba confundunt Præadamitarum fabulam: veriſimile enim eſt, Adamum, ad quem Deus adduxit omnia animalia, eſſe primum omnium hominum; quoniam tunc non eſt inventus adjutor, hoc eſt, tunc nulla erat creatura rationalis, ſeu nullus homo; tum quia adductio hæc Animalium, volatilium ſcilicet, & reptilium fieri debebat ad eum propter quem facta fuerât. Quorſum potius ad Adamum, quàm ad alium exiſtentiâ priorem ipſo, Deus adduxiſſet animalia, quæ ex Apoſtolo propter hominem creaverat: nulla ſane poteſt aſſignari ratio, niſi quia tunc Adamus erat ſolus homo in terra, ſeu ille, quem Deus creaverat de limo terræ. Ideoque eſt omnium primus.

Geneſ. 2.

Præterea hæc adductio fieri debebat ad eum, cui Deus dixerat: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Quia nomen cunctis animantibus imponere, & terram ſubjicere, & dominari, pertinent ad actus juriſdictionis, authoritatis, & Dominij, qui primo homini convenientiùs, quàm cæteris congruebant. Hunc autem hominem fuiſſe Adamum conſtat, nedũ ex verbis Geneſis ſuprà relatis, ſed etiam ex cap. 5. v. 1. ubi legitur: *Hic eſt liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem ad ſimilitudinem Dei fecit illum. Maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis & vocavit nomen eorum Adam, in die qua creati ſunt*: Igitur antequam Adam ſtetiſſet, nullus erat homo; alioquin liber generationis Adæ, non eſſet à die, qua Deus creavit hominem, quia Adam à quo juxta Muyſem incipit Liber generationis, eſſet homine illo poſterior, & ideo ejus generatio non inciperet ab homine, quem Deus creavit ad ſimilitudinem ſuam, de quo loquitur Moyſes in primo capite. At hoc eſt manifeſtè contrà Sacrum textum: ergo Adam eſt homo ille, quem creavit Deus ad ſimilitudinem ſuam.

Adam omnibus animantibus nomen impoſuit.

Vanitatem ejuſdem Syſtematis Præadamitarum evidentiùs demonſtrant hæc verba Geneſ. 2. verſ. 5. *Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram.* Hæc enim ſuadent, quòd creatis terra, cœlo, & omnibus, quæ in eis ſunt, omnibuſque completis die ſeptimo, nullus erat homo ſuper terram, idcirco ille, qui poſteà creatus fuit, debet eſſe primus hominum. Ille autem, qui poſtea creatus eſt de limo terræ, & in cujus faciem Deus inſpiravit ſpiraculum vitæ, quique factus eſt homo in animam viventem, eſt Adam: ergo ipſe eſt primus homo. Deindè ille, quem Deus poſuit in Paradiſo voluptatis, eſt primus hominum; ille vero primus omnium hominum, quem Deus poſuit in Paradiſo voluptatis, eſt Adam vir Evæ, quæ genuit Cain, & Abel ut patet. Nam ille, quem Deus poſuerat in Paradiſo voluptatis, eſt ille, quem Deus ejecit de eodẽ Paradiſo, quoniam nullibi legimus duos homines fuiſſe à Deo creatos de limo terræ, & poſitos in Paradiſo voluptatis, ſed unum dumtaxat: ille autem qui fuit ejectus de Paradiſo eſt Adam, Geneſ. 3. verſ. 23. & 24. *Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt, ejecitque Adam, & collocavit ante Paradiſum voluptatis*

Ille homo quem Deus poſuit in Paradiſo voluptatis eſt omnium hominum primus.

Digitized by Google

Cherubim ; ergo Adam eſt homo ille, quem Deus creavit, & collocavit in Paradiſo voluptaris, id eſt, primus homo. Idque confirmatur ex illo Geneſ. 3. verſ. 10. ubi legitur, quòd Adam reſpondens Deo vocanti, air, *Vocem tuam audivi in Paradiſo*; igitur Adam poſitus fuit in Paradiſo voluptatis, cum in eo audierit vocem Domini clamantis, *Adam ubi es?* idcircò eſt primus homo, id eſt, ille homo, quem in Paradiſo poſuerat Deus. Certum enim eſt, quòd Deus interrogavit eum, quem poſuerat in Paradiſo. Certum pariter eſt quòd ille, quem poſuerat in Paradiſo, erat ille, quem creaverat de Limo terræ, & in quo omnes homines peccaverunt.

Inſuper primus homo, eſt ille, cui Deus præceperat, & dixerat cap. 2. verſ. 16. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*: hæc enim fuit prima Lex primo homini impoſita, ut probant verba, quæ præcedunt: *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Hæc autem Lex fuit facta Adamo, ut conſtat ex Geneſi, 3. verſ. 1. ubi legitur, ſerpentem dixiſſe mulieri Adæ; *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi.* Et verſ. 17. *Adæ vero dixit quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes.* His quippe ſignificatur, præceptum illud factum fuiſſe Adamo, cùm aſſerant, Deum reprehendiſſe ipſum Adamum, velut primi præcepti tranſgreſſorem. Propreteà eadem veritas ſuadetur, quia Deus de Adamo dixit, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Hac authoritate etiam probatur, Adamum eſſe hominem illum, cui Deus dixerat, *de ligno autem ſcientiæ boni, & mali nè comedas*: Ergo nullus erat homo ante Adamum, & chymerica eſt Præadamitarum affirmatio.

Geneſ. 3.

Deindè ſtatus Innocentiæ, in quo homo fuit creatus, eſt omnium primus. Et in ipſo unus duntaxat fuit homo; cùm unus tantum poſitus fuerit in Paradiſo voluptatis, in quo ceſſavit idem Innocentiæ ſtatus peccatô parentum noſtrorum. Et Deus non dixerit faciamus homines, ſed hominem. Ille autem qui fuit in ſtatu Innocentiæ, eſt Adam, ut conſtat ex hiſtoria Moyſis. Igitur primus omnium hominum, tam Gentilium, quàm Judæorum fuit Adam, à quo certè progeniti ſunt omnes homines, juxtà illud Geneſ. 3. verſ. 20. quo uxor Adæ, ſeu Eva dicitur Mater cunctorum hominum genitorum, unde act. 17. verſ. 26. Paulus concionem habens de Deo inquit, *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*; Nullus enim erat liber generationis præter librum generationis Adæ, qui incipit à die, qua Deus creavit hominem, fecitque illum ad ſimilitudinem ſuam, & perconſequens antè Adamum, nulla fuit hominum generatio, nullaque eorumdem creatio.

Eva eſt mater cunctorum viventium.

Tandem primus homo eſt ille, qui erat caput generis humani, & in quo peccante, omnes homines peccaverunt, nam ſi omnes homines peccaverint in uno originaliter, neceſsè eſt quòd ille homo ſit origo cæterorum, illi enim, qui præceſſiſſent eum, non peccaſſent in eo; ſed ille eſt Adam ut expreſsè & ex propriis terminis teſtatur Apoſtolus ad Corinth. cap. 15 verſ. 21. & 22. ubi ait, *Quoniam quidem per hominem Mors & per hominem Reſurrectio Mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ibi enim Apoſtolus demonſtrat peccatum eſſe ab Adamo, ſicut Salus à Chriſto; ergo Adam eſt primus homo, tum quia alioquin ſequeretur quòd illi, qui ante Adamum erant, in ipſo non peccaſſent; cùm non eſſent Filij ejus; at hoc eſt contra Apoſtolum, qui nullum excludit à culpa Adæ; cum dicat, *omnes moriuntur in Adam*, velut Filij in Patre, ſeu quatenus voluntates omnium hominum, in voluntate Adami continebantur; tum quia punitio primi peccati, ut veſci pane in ſudore vultûs; reductio in pulverem, aliæque pœnæ quarum nos participes ſumus, culpâ primi parentis, facta fuit; atque intimata Adamo, ut ſuadet illud Geneſ. 3. verſ. 17. & ſequentibus: *Adæ verò dixit, quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi nè comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: Igitur caput totius generis humani, eſt Adam, hicque eſt primus homo, cujus culpa ad omnes homines tranſmittitur, tanquam à patre ad Filios, & tanquam à primo ad poſteriores per generationem; qua ratione omnes, & ſinguli homines, in illo unus homo fuerunt, ut eo peccante, & ipſi peccare cenſerentur.

Geneſ. 3.

Author Syſtematis Præadamitarum reſpondet, neceſsè non fuiſſe ut omnes homines cenſerentur peccaſſe in Adamo, ipſum Adamum eſſe primum omnium hominum, quia, (inquit) peccatum alicujus poteſt imputari alteri, aliâ via, quam per viam generationis, & originis, nimirum per conjunctionem politicam, & civilem. Idque probat varijs exemplis, tum ex Sacrâ Scripturâ, tum ex hiſtoria deſumptis, quibus conſtat, multos punitos fuiſſe culpâ alterius, à quo non procedebant origine, imo quó erant tempore anteriores.

Reſpondeo quòd exempla, quæ hic referre ſuperfluum mihi videtur, non nocent. Tum quia nedum punitio Adæ ad nos tranſmittitur, ſed etiam culpa ipſius. Naſcimur enim Filij iræ, & peccatores conſtituimur; undè David air, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Quòd certò non eſſet, niſi omnes homines ab Adam deſcenderent per viam generationis; cùm peccatum illud, ſit peccatum originis, ſeu in origine contractum. Tum quia illi, qui puniti fuerunt culpâ alterius, aliquo modo participes erant peccati commiſſi ab illo, ac proinde neceſſe eſt, Authorem Syſtematis Præadamitarum aſſerere, omnes homines aliquo modo eſſe participes peccati Adæ. Hæc autem participatio, aut imputatio non poteſt eſſe Phyſica, ſicut ea, quæ eſt intra ejuſdem corporis membra; nec politica ſicut ea, quæ eſt civium ejuſdem civitatis, nec myſtica ſicut eſt ea, quæ reperitur inter fideles; idcircò èſt, quia Deus conſtituerat ipſum Adamum caput totius generis humani, non ſolum prioritate dignitatis, ſed etiàm productionis, & exiſtentiæ. Quod verum eſſe liquidò demonſtrat illud Geneſ. 2. cap. verſ. 20. ubi legitur quod non inveniebatur adjutor Adæ ſimilis, hoc eſt, in terra nondum erat mulier, quæ ſola eſt adjutor ſimilis Adæ; nam ſi fuiſſent alij homines ante Adamum, fuiſſent etiam mulieres, quoniam Geneſ. 1. verſ. 27 babetur, quod Deus creavit maſculum & fœminam, unde cùm non eſſet creatura ſimilis Adæ, dum Adam fuit creatus, certum eſt quòd Adam erat ſolus homo in mundo exiſtens, antequam formaretur Eva, & ideo chymerica eſt Præadamitarum narratio.

Diſſolvitur Præadamitarum reſponſio.

Geneſ. 1.

§. I.

Deſtruuntur Præadamitarum fundamenta.

AUthor Præadamitarum fabulæ objicit illud Apoſtoli ad Rom. cap. 5. verſ. 13. & 14. *uſque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum Lex non eſſet, ſed regnavit Mors ab Adam*

uſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri: Ex qua authoritate ſic arguit. Ibi Apoſtolus loquitur de lege data Moyſi, in monte Sinai, vel de lege data Adamo in Paradiſo voluptatis. Non primùm ſeu de lege data Moyſi: ſequeretur enim quòd ante legem Moyſis fuiſſent peccata, quæ non imputabantur à Deo. Quod eſt falſum, cùm ex Sacra Scripturâ conſtet, punitum fuiſſe Cain, punitos fuiſſe Sodomitas, punitos & alios diluvio divinitùs miſſo diu ante Nativitatem Moyſis. Sed ſecundùm, ſeu de Lege Adamo indicta, ut neceſſario concedendum eſt quia Apoſtolus loquitur de lege cujus tranſgreſſio erat peccatum quod tamen non imputabatur ante legem Moyſis; & ante Adamum; Legis vero Moſaycæ tranſgreſſiones imputabantur: ergo ſequitur, quòd ante Adamum fuerunt homines, qui peccabant, ſed Deus non imputabat illis peccatum, & ſic dantur Præadamitæ, ſeu homines Adamo priores, qui peccaverunt; quin peccatum imputaretur illis, ſicut imputatum fuit Adamo.

Reijcitur prima Præadamitarũ ratio. Reſpondeo Apoſtolum loqui de Moſayca lege, quæ abſolutè & ſimpliciter in Scripturâ Sacrâ, & ab ipſo Paulo vocatur Lex. Nego tamen ſequelam; nam Apoſtolus non dicit ante Legem Moyſis fuiſſe peccata, quæ abſolutè Deus non imputabat reis ſed ſolùm fuiſſe ante Legem Moyſis peccata, quæ Deus non imputabat eis virtute hujus legis Scriptæ. Etenim hæc peccati non imputatio additur ratione legis, quæ tunc non erat, ut ſuadet hæc particula, *cum Lex non eſſet*. Ideo Apoſtolus indè non concludit, ante legem datam Adæ fuiſſe aliam Legem contra quam erat peccatum, quod non imputabatur, ſed ſolùm ante Legem datam Moyſi, fuiſſe, Legem contra quam erat peccatum, quod non imputabatur per Legem illam Solemnem, ſeu Scriptam datam Moyſi; ſed ſolum per Legem indictam Adamo; ait enim *Sed regnavit Mors* (quæ eſt pœna peccati) *ab Adam uſque ad Moyſem*: Igitur Lex illa non erat aote Adamum, ſed ante Moyſem: ac proinde perperam infert Anonymus ille author, ante Adamum fuiſſe alios homines; cùm ex illa authoritate Apoſtoli, ſolùm liceat inferre, ante Moyſem fuiſſe homines, qui peccabant, quibus tamen Deus peccata non imputabat per Legem Scriptam, per quam imputavit ea poſt Moyſem, ſed per virtutem Legis naturæ, quæ dictat bonum eſſe faciendum, & malum vitandum. Quare idem Apoſtolus ait ad Rom. cap. 2. verſ. 14. *Cum enim gentes quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex*, inde oſtendit quòd in alio loco ubi ait, *uſque ad Legem peccatum erat, in mundo*, non loquitur de Lege naturali quæ eſt à naturâ, ſicut in iſto. Nec de Lege á Deo data Adamo, ſed de lege Moſaycâ, ut ſi dixiſſet: uſque ad Legem Moyſis erat peccatum in mundo, quod non imputabatur per hanc Legem, cùm non eſſet ipſa Lex, benè verò per aliam ſeu per eam, quæ Adamo fuit indicta; cùm loquatur de morte, quæ eſt pœna peccati imputati.

Objicit 2 idem author illud Geneſ. cap. 4. verſ. 2. *Fuit autem Abel Paſtor ovium, & Cain Agricola*: Ergo (inquit) præter Adamum, Abelem, & Cainum, erant alij homines: nam Ars aratoria multas alias ſupponit artes, & artifices, quas quidem artes exercere non potuit Cain ſolus. Deindè Abel cuſtodiebat oves, ergo timebat fures & homines alterius gentis: ergo præter Adamum, Evam, Cainum, & Abelem, erant homines timendi, qui ſanè erant Adamo priores, hæc enim Paulo poſt Adamum contigerunt.

Reſpondeo Cainum Patris Magiſteriô, fratrum ope agriculturam exercuiſſe; igitur neganda eſt conſequentia, nam tunc temporis Cain non colebat terram inſtrumentis, eoque apparatu, quô noſtros videmus Agricolas, ſed inſtrumentô naturali, ſeu ligno, non ferro. Ad Abel dico, quód poterat cuſtodire oves, etiamſi tunc non eſſent fures timendi, ſcilicet ad optima, & ſalubria paſcua eas ducere, cavere nè innoxias, ac venenatas herbas incautè irruerent, & nè diſpergerentur, errarent &c. quæ ovibus neceſſaria ſunt, etiamſi in terra eſſet tantum unus homo. *Abel non cuſtodiebat oves propter fures.*

Iterum objicit illud Geneſ. 4. verſ. 6. & 7. ubi legitur Deum dixiſſe ad Cainum, *Quare iratus es? & cur concidit facies tua, nonnè ſi bene egeris recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit*. Inde Author Syſtematis Præadamitarum vult, tunc alios fuiſſe homines antiquiores Adamo, à quibus Cain benè recepiſſet, ſi benè egiſſet, & à quibus malè recepit, quia malè fecit; quoniam *in foribus*, idem ſignificat, quàm in portis, in quibus apud orientales ſolitò exercentur Judicia, & puniuntur delicta iniquorum.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia Deus ſic loquebatur ad Cain in ordine ad pœnam futuram, quam poſt mortem recepturus eſſet ipſe Cain, ſi malè ageret. Vel ad præmium quod recepturus eſſet, ſi benè faceret: ergo authoritas non probat, tunc fuiſſe homines Adamo antiquiores. Nec valet expoſitio hujus particulæ, *Statim in foribus peccatum aderit*, quia nihil aliud ſignificat, quàm imminentem peccati pœnam, ſicut viatôres, cùm proximè ſunt acceſſuri, ad Januas eſſe dicimus, quamvis nondum ſint in Januis, quâ Metaphorâ utitur Scriptura Sacra: his verbis Epiſtol. 1. Divi Jacobi cap. 5. verſ. 9. *Nolite ingemiſcere fratres, in alterutrum, ut non Judicemini, ecce Judex ante Januam aſſiſtit*: Igitur ex verbis adductis ab authore Syſtematis, non licet inferre quòd Cainus tradendus eſſet judicibus, ut tunc reciperet pœnam Fratricidij, quia hæc locutio Moyſis eſt Metaphorica, & in ſenſu explicato accipienda. Nec nocet ſi dicat, quòd Cain timebat pœnam ſceleratis deſtinatam, & ab aliis ſeu à Superioribus infligendam. Quia tribulatio & Anguſtia naturaliter cadunt in animam hominis operantis malum. Tribulatio autem, & anguſtia ſunt maxima pœna, quæ à nemine infliguntur illis, qui contra naturæ legem agunt, omnis enim inordinatus animus ſibi ipſi eſt pœna, ut docet D. Auguſtinus. Et culpam pœna premit comes, inquit Horatius *Deus loquebatur ad Cainum de pœna futura.*

Huic authoritati addit aliam ejuſdem capitis verſ. 14. ubi legitur quod Cain dixit ad Dominum, *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear, ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui me invenerit, occidit me*: erant itaque tunc Judices timendi, quorum erat punire Fratricidium, qui certò non erant Filij Adæ, neque ipſe Adam, quia homicida non timet Patrem, nec fratres; unde né quis putet, Cainum fruſtrà timuiſſe homines, & judices ſui temporis; dicendum eſt quòd tunc erant homines, quorum Juriſdictionem timebat. Quare Deus dixit illi, *nequaquam ità fiet, ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*, at hoc non fuit dictum illi propter Adamum, nec propter Evam; probabile enim eſt quòd non occidiſſent eum: imò occultaſſent eum, ſed propter alios homines, ergo erant tunc plures homines Adamo anteriores: qui poterant eum invenire, & interficere. Deinde ait: *Poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui invenisſet eum*, idcircò né dicamus, Dominum fruſtrà in illo poſuiſſe ſignum né occideretur à quopiàm homine (ut de facto fruſtra poſitum fuiſſet ſignum il- *Profligatur altera Præadamitarum ratio.*

illud, ſi nullus homo fuiſſet in terra illa, ad quam Cainus confugiſſet) dicendum eſt quòd tunc erant homines alij antiquiores Adamo, & ab ipſo valdè diſſiti: nam Cainus nullum terræ locum excludebat, ut patet ex proprio textu, acproindè ſciebat in omni parte mundi, eſſe homines, qui certò ab Adamo geniti non fuerant, quia ex Geneſ. 4. Cain & Abel ſunt Filij Adæ primogeniti.

Reſpondeo cauſam timoris Caini fuiſſe ſceleris horrorem: timebat enim mori & occidi, ut ſolitò timent naturaliter homicidæ, etiamſi videant ſe in tuto, Sanguis enim Abel, qui ad Deum clamabat de terra, in Caini corde imprimebat timorem. Vel dico quòd timebat occidi ab hominibus ex Adami familia progenitis [qui orientalem plagam Edem incolebant] à fratribus ſcilicet, nepotibuſque ſuis, ut monet Divus Ambroſius lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. ubi ait, *Potuit & parentes Parricidas timere, qui docuerat Parricidium poſſe committi, potuerunt enim & parentes de Filio diſcere, quod didiſcerant poſteri de parente.* Nec hoc impoſſibile eſt, ut patet ex illo Geneſ. 4. verſ. 3. *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*; hæc enim particula, *poſt multos dies*, denotat longum tempus, ſeu multos annos fuiſſe elapſos à creatione Adami, uſque ad mortem Abelis. Quòd verum eſſe ſic evinco. Cainus occidit Abelem anno mundi centeſimo trigeſimo, ut colligitur ex illo Geneſ. 5 verſ. 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocavit nomen ejus Seth*, qui datus fuit Adamo & Evæ pro Abel, ad Solatium mæroris, & triſtitiæ; ut probat illud Geneſ. 4. verſ. 25. *Cognovit quoque Adam uxorem ſuam, & peperit Filium, vocavit nomen ejus Seth, dicens, poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Hoc enim ſuadet, Abelem fuiſſe occiſum eodem anno, aut ſaltem præcedenti, quô natus eſt Seth, alioquin non fuiſſet Adamo & Evæ datus ad ſolatium Mæroris, quem ex Abelis nece acceperant; quia poſt centum annos ceſſaſſet mæror primorum parentum, & ideo credibile eſt, quòd quando Abel occiſus fuit à Caino, plures homines erant in terrà; cùm non implicet intrà centum & triginta annos, multos fuiſſe homines ex Adamo per Cainum progenitos, à quibus ipſe Cainus occidi potuiſſet.

D. Ambroſ.

Tandem objicit illud Geneſ. 4. verſ. 17. *Cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch, & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine Filij ſui Henoch.* Ratio hujus nominis impoſiti, fuit, ut hæc civitas diſtingueretur ab aliis civitatibus orientalis plagæ Edem, quarum quælibet ſuum utique habebat nomen: Igitur (inquit) tunc erant Architecti, & Fabri, à quibus facta & conſtructa fuit civitas, erantque tunc etiam populi, quibus componi poſſet; alioquin non ædificaſſet eam, & perconſequens plures fuerunt geniti homines ante Adamum, à quibus facta, & populata fuit hæc civitas, cùm Cain ſit Filius primogenitus Adæ. Et Henoch Filius primogenitus Caini, ut conſtat ex proprio textu. Et improbabile ſit ex ipſis, in tàm paruo tempore, prodiiſſe populum ſufficientem ad replendam civitatem.

Proponitur & reſolvitur ultima ratio Præadamitarum

Reſpondeo negando conſequentiam. Tunc erat ſufficiens multitudo hominum ex Adamo per Cainum progenitorum, pro condenda, & incolenda civitate: nam quamvis Moyſes pauciſſimos numeraverit homines, ad illius uſque civitatis ædificationem, imò uſque ad diluvium; innumeros tamen tunc extitiſſe certum eſt. Nec licet oppoſitum inferre ex ipſius ſilentio, quia ſuſcepti operis ratio, plures recenſeri non exigebat, ut inquit D. Auguſtinus lib. 15. de civitate Dei cap. 8. quia Moyſis propoſitum fuit pervenire ad Abrahamum, ac deinde ex ejus ſemine ad populum Dei, idcircò neceſſarium non fuit numerare Filios Adæ, ex quibus non erat propagatura gens illa. Ad authoritatem dico quòd non eſt certum, Henochum fuiſſe primogenitum Caini, etiam ſi textus dicat, *Cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit & peperit Henoch*, quia Scriptura ſic loqui ſolet, cùm factos narrat hominum conceptus, ſive ſint priores, ſive poſteriores; cùm non enarret omnes: igitur non poteſt clarè inferri, Henoch fuiſſe primogenitum Caini: quamvis Moyſes dicat, *Cognovit autem Cain uxorem & peperit Henoch.* Reverà hoc probat Henoch eſſe Filium Caini, ſed non probat eſſe primogenitum, & perconſequens tunc erant multi alij homines Adamo poſteriores, à quibus fieri poterat illa civitas.

D. Auguſt.

Dato tamen Henochum fuiſſe primogenitum Caïni, dico nihilominus nullos fuiſſe Præadamitas, quia Cainus non impoſuit nomen Civitati, quando Henoch natus eſt, ſed cum illius hominis Familia tanta numeroſitate creſceret, ut haberet jam Populi quantitatem; nam conjunctio, *&*, non excludit tempus intermedium, quoniam ſi ſtatim poſt partum ædificata fuiſſet Civitas, ſequeretur quòd Uxor Caini, ſimul & ſemel concepiſſet, & peperiſſet, quia ait, *concepit & peperit*. Sed hoc eſt falſum; cùm partus ſit tempore debito conceptione poſterior, debuit etiam inter partum Henochi Filii Cain, & ædificationem Civitatis, eſſe tempus neceſſarium, ut Civitas ædificaretur. Hæc autem neceſſitas ædificandi illam, eſt quantitas Populi, ut refert D. Aug. lib. 15. de Civit. Dei, cap. 8. nequit igitur ex Sacra Scriptura colligi Præadamitarum exiſtentia, cum rationes & textus authoris hujus Præadamitarum Syſtematis, nullius ſint momenti; & in Sacra Scriptura aperte conſtet, Adamum eſſe illum, qui à Deo creatus fuit, poſt hæc verba Geneſ. cap. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; & illum, quem Deus fecit ad imaginem ſuam, eſſe omnium & ſingulorum hominum primum.

Geneſ. 1.

Reſpondet idem author Præadamitarum, Adamum eſſe primum hominum Judæorum, non verò omnium hominum abſolutè, quia (inquit) gens Judaica Segregata erat ab aliis univerſæ terræ gentibus, quia elegerat eam Deus, ut eſſet gens Sancta, & populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Hinc eſt quòd Moyſes in lib. Geneſ. ſcripſit tantum originem, Leges, propaginem, & Chronologiam Judæorum, ſeu gentis ſuæ, (erat enim Judæus ipſe Moyſes) quapropter incipit ab Adamo, qui eſt Pater, & primus origine Judæorum. Sed non Scripſit Chronologiam omnium hominum, & per conſequens dum in ſecundo capite Geneſ. verſ. 7. ait, *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*, narrat formationem primi hominis de limo terræ; & loquitur de Adamo tantum, quia eſt caput Judæorum; ille verò de quo in 1. cap. verſ. 27. ait: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*; eſt alter homo ab ipſo Adamo diſtinctus, ipſoque prior. Nam in 1. cap. Moyſes dicit quòd Deus creavit hominem, id eſt, maſculum & fæminam, benedixitque illis, & ait *Creſcite & multiplicamini*: Ergo non poteſt eſſe idem homo de quo loquitur in cap. 2. verſ. 7. dicens; *Formavit igitur Dominus Deus hominem de Limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, &*

Falſa Præadamitarum reſponſio.

factus eſt in animam viventem, cùm affirmet, duos fuiſſe homines à Deo productos, unum per creationem, alium verò per formationem.

Falſa Præadamitarum reſponſio diſſolvitur.

Sed non valer reſponſio authoris hujus Syſtematis: falſum enim eſt id quòd ſupponit, nimirum Moyſem non ſcripſiſſe Chronologiam omnium hominum iocipiendo à primo omnium hominum; ſed Judæorum dumtaxat; certum enim eſt quôd incipit à viro Evæ; quæ cùm ſit juxta eamdem hiſtoriam, Máter cunctorum viventium, neceſsè eſt quòd Adam ſit Pater cunctarum gentium, ac proinde Judæorum & gentilium, quia Eva non eſt Mater Adami, ſed uxor. Falſum eſt etiam quôd homo de quo loquitur in 1. cap. Geneſ. ſit diverſus ab eo de quo loquitur in 2. cap. quia Moyſes in 2. cap. non enarrar res de novo ereatas, ita ut eas multiplicatas credere valeamus, ſed prolixiùs explicat quod in primo capite propoſuerat. Quòd verum eſſe patet, nam cap. 2. verſ. 1. inquit *Igitur perfecti ſunt Cœli & Terra, & omnis ornatus eorum, complevitque Deus die ſeptimo Opus ſuum quod fecerat, requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat.* Hoc ramen nonobſtante, de earumdem rerum crearione loquitur etiam in 1. cap. quin ſint alij Cœli & alia terra. Igitur homo de quo loquitur In 2. cap. non eſt diverſus ab illo, de quo loquitur in primo, quia in 2. reſumit narrationem creationis hominis, eamque accuratiùs deſcribit, quàm in primo.

ARTICULUS III.

Aſſerit contrà Thomam de vio, Evam fuiſſe formatam de coſta Adæ.

NOſter Alphonſus à Caſtro propugnat tamquam de fide, Evam omnium gentium Matrem, fuiſſe formatam ex coſta Adæ, vultque, doctrinam, aut propoſitionem oppoſitam eſſe hæreticam, eamque tribuit Thomæ de vio Cajetano, inquir enim lib. 2. adverſus hæreſes, hæreſi ſextà. Hujus hæreſis author, & primus inventor fuit Thomas de vio Caietanus, Religioſus ex ordine Fratrum Prædicatorum ex Caieta oriundus, quam ob cauſam vulgò Caietanus nuncuparur. Fuit in Theologia Scholaſtica tam inſignis doctus, ut nulli ex his, qui ſuo tempore floruerunt, ſecundus fuerit. Ob litterarum eminenriam, & Morum probitatem communi fratrum ſui ordinis conſenſu, fuir in Generalem ejuſdem ordinis Magiſtrum electus, & inde à Leone X. ad Presbyteri Cardinalis dignitatem exaltatus, quo loco cum per viginti annos vixerit, nullam tamen, [ut cæteris Mos eſt] humanorum vitiorum ſiniſtram de ſe opinionem dedit, multa & varia opera edidit, ſed multa ſcribenti contigit quod ait Salomon Proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*, Nam quamvis multa utilia ſcripſerit, quia tamen ſuo ingenio multum fidebat, in aliquos lapſus eſt errores, è quibus unus eſt iſte, de quo nunc inquirimus, quo aſſerit, Evam non fuiſſe formatam ex coſta Adæ. Ita habet Idem Alphonſus à Caſtro, qui tamen non concludit Caietanum eſſe hæreticum, potuit quidem errare, & hæreticus non eſſe. Non diſſero (inquit) de perſona, ſed de doctrinâ in hac parte, ſeu in formatione Evæ. Ità Idem Doctor, cujus verba refert etiam Prateolus, lib. 8. verbo *Thomas de vio*. Gonetus tom. 2. tract. 8. diſp. 1. num. 20. ait: narrationem Evæ ex coſta Adæ, Caïetanus explicare conatur, Metaphoricè, & per quamdam parabolam. Et num. 21. ait, verum hanc ſententiam communiter reijciunt Theologi, & Scripturæ interpretes, adverſanturque ei mens omnium patrum, qui ex Adamo revera formatam eſſe Evam affirmant: Ego autem Caietanum impugno eodem animo, quo ipſum impugnabat Gonetus Ordinis Prædicatorum celeberrimus Theologus.

§. I.

De rationibus contrà Caietanum.

Geneſ. 2.

HUjus articuli veritas demonſtratur ex Geneſ. cap. 2. in quo legitur quòd homine formato, id eſt Adamo creato, Deus dixit, *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Quod formatis cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus Cœli, adduxit ea ad Adam, ur videret quid vocaret ea. Et quòd Adam appellavit ſuis nominibus cuncta animantia, & univerſa volatilia Cœli, & omnes Beſtias terræ; Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis: indè enim ſequitur quòd Deus non formavit Evam ſimul cum Adamo, nec ex eodem limo ut clarius Probant verba, quæ Immediatè ſequuntur: *Immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in Mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam, nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* Nonnè ex his verbis conſtat, Deum formaſſe Mulierem de coſta Adæ, hancque eſſe os & carnem ex oſſibus & carne Adæ ſeu de Adamo ſumptam; alioquin non poſſet vocari virago? Nonnè hæc mulier eſt Eva? Igitur Eva non fuit formata de Limo terræ ſicut Adam, ſed de coſta viri.

Eva fuit formata ex coſta Adæ

Act. 17.

Idem ſuadetur ex Apoſtolo Paulo Athenienſibus in medio Areopagi ſic loquente act. 17. verſ. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*; Nam ſi ex uno, id eſt Adamo, Deus fecit omne genus hominum, neceſsè eſt quòd ex Adamo, omnes homines procedant; & quòd ex eo Deus fecerit maſculos & fæminas intrà ſpeciem humanam exiſtentes, ac proindè Evam, quæ eſt intrà genus humanum, & non eſt homo ille, ex quo velut ex uno, Deus fecit omne genus humanum; alioquin falſa eſſer propoſitio Apoſtoli, quem certò reprehendiſſent Athenienſes, & dixiſſent, Deum non ex uno, ſed ex duobus ſcilicet ex Adamo, & Evâ feciſſe omne genus humanum. Undè cùm Eva non oriatur ex Adamo per propagationem, & tamen ex ipſo facta fuerit, dicendum eſt quòd fuit formata ex ipſius coſtâ.

Dicent adverſatij, Apoſtolum ibi non comprehendere Evam, quamvis ſit intrà genus humanum, ſicut Moyſes non comprehendir Adam dum dicit quôd Eva eſt Mater cunctorum viventium, quamvis tempore Evæ, Adam eſſet vivens. Nego paritatem, quia Apoſtolus loquitur de præterito, Moyſes veró de futuro, ſeu de hominibus, qui genituri erant, & ideo excludit Adamum qui creatus erat in formatione Evæ.

Sap. 10.

Eva non fuit formata ſimul cum Adamo, ut conſtat nedum ex verbis relatis, ſed etiam ex illo Sap. 10. verſ. 1. *Hæc illum qui primus formatus eſt à Deo, Pater orbis terrarum*, id eſt Adam, *cum ſolus eſſet creatus cuſtodivit.* Et ex illo 1. ad Timoth. *Adam primus formatus eſt, deindè Eva.* Ratio hujus ſucceſſionis non poteſt eſſe alia, niſi ea, quam aſſignat ſcriptura; ex qua colligitur, Deum tuliſſe unam de coſtis Adæ, ut ex ipſa formaret Mulierem, ſeu Evam. Ratio autem hujus motivi, eſt, ut Adam ſpeciali prærogativa eſſet principium ſuæ ſpeciei, ſicut Deus eſt principium totius univerſi, inquit D. Thomas quæſt. 99.

Adam eſt principium ſpeciei humanæ.

D. Thomas. art. 2. nam de ratione principii eſt præcedere cætera, quorum eſt principium: igitur ſi Adam creatus fuerit ut eſſet caput totius generis humani, dicendum eſt quòd Deus voluit priùs creare Adamum, quàm formare Evam; cùm de ratione capitis ſit eſſe ſuprá membra corporis cujus eſt caput. Et ſi ſit principium ſuæ ſpeciei, neceſſariò debuit eſſe principium Evæ, quæ eſt ſpeciei humanæ. Non potuit autem eſſe principium ejus per creationem, quia ſolus Deus poteſt creare. Nec per generationem, quia non habebat fœminam, nec uxorem, ut jam monui; igitur Adam non potuit à Deo conſtitui caput, & principium ſuæ ſpeciei [intra quam eſt Eva] niſi formando eam de Coſta ipſius Adæ.

Sunt aliæ ejuſdem motivi, ſeu formationis Evæ ex coſta Adæ rationes. Adam tenebatur diligere Uxorem ſuam, neceſſarius quippè eſt mutuus inter conjuges amor, ideo dixit ſtatim ac vidit Evam, *relinquet homo Patrem ſuum & Matrem ſuam, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* *Geneſ. 2.* Geneſ. 2. verſ. 24. Deus autem dedit illi omne medium ad diligendam illam, ſed non poterat Deus efficacius præbere medium ut Adamus Evam diligeret, & Eva Adamum, quàm eam ex ipſo formare, ex ipſius ſubſtantia procreare, & ità facere ut caro Evæ eſſet de carne Adami; ideoque Deus, cujus perfecta ſunt opera, ità fecit, ut inſinuat Baſilius Seleucienſis oratione primâ de Adamo, ubi ait: *Non* *Baſilius Seleucienſis.* *ex terra, ſed ex latere membrum mutatur, corpus partitur, animum jungat, & una natura opificis arte dividitur, ut unus animus efficiatur, imiſcturque natura*, quibus conſtat neceſsùm eſſe, formationem Evæ fieri ex coſta Adæ, ut in ipſis eſſet unus animus, una caro; & ut Adam videret Evam, non eſſe ſervam, ſed ſociam, ac collateralem. Et ut Eva videret non eſſe Dominam viri ſui, ſed viro inferiorem, eique ſubditam, ſicut coſta eſt inferior capite in corpore humano, eique ſubdita.

Aliam adducunt rationem Theologi cum Divo Hieronymo Epiſt. 61. ad Pammach. D. Chryſoſto- *D. Hieron.* mo Homil. 15. in Geneſim, D. Auguſtino lib. 22. *D. Auguſt.* de Civitate Dei, cap. 17. D. Thoma dicentibus *D. Thomas.* quòd per formationem Evæ de coſta Adæ myſticè figurabatur Eccleſia à latere Chriſti oritura. Undè Apoſtolus ad Epheſ. 5. ait, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ibi enim Apoſtolus intendit ſignificare, latus Chriſti, ex quo exivit Sanguis & aqua, eſſe principium Eccleſiæ, & vulvam omnium Chriſtianorum, obſtetricante Lanceâ, ut verbis Tertulliani utar, ſicut latus Adæ fuit principium, & vulva Evæ Matris cunctorum viventium, ut aſſerit D. Auguſtinus dicens loco citato. *Ut enim in exordio generis humani de latere viri dormientis coſta detracta, fœmina fieret, Chriſtum, & Eccleſiam, tali facto jam tunc prophetari oportebat.* Et alibi inquit. *Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Chriſtus ut fiat Eccleſia, dormiente Adam fit Eva de latere; mortuo Chriſto Lanceâ latus perforatur, ut ſuperfluant Sacramenta quibus formetur Eccleſia.* Ex quo ſequitur latus Adæ eſſe originem Evæ, ſicut latus Chriſti eſt origo Eccleſiæ.

Caïetanum rejicit, ſimulque aſſertionem noſtram firmat alter Sacræ Scripturæ textus, qui eſt Eccl. cap. 17. ubi legitur: *Deus creavit de terra hominem, &* *Ecleſ. 17.* *ſecundum imaginem ſuam fecit illum*; quòd de ſolo Adamo intelligitur; cùm de creatione Evæ loquens idem Eccleſiaſticus in eodem capite verſ. 5. dicat: *Creavit ex ipſo*, id eſt ex Adamo, *adjutorium ſimile ſibi.* Id eſt Evam: ergo non fuit creata de terrâ ſicut Adam, ſed de carne ejus, cùm Ly, *ex ipſo*, nihil aliud denotet, niſi ſubſtantiam, corpus, aut carnem Adæ, cùm ſit propoſitio extractiva unius de alio. Quare Adam videns eam verè dixit, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea eſt, hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* Quomodo enim Adam hoc dixiſſet, niſi Deus ei revelaſſet, aut cognoviſſet Evam fuiſſe creatam, aut formatam de carne ſuâ, ſi Eva aliter formata fuiſſet? Nonnè Deus Adamum reprehendiſſet, ut indè Eva cognoſceret ſe non eſſe partem Adæ, nec carnem de carne ejus. Hæc tamen reprehenſio facta non fuit; ideo Eva fuit formata ex Adamo, qui non metaphoricè, nec myſticè, nec parabolicè, ſed verè & propriè dixit. *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.*

Authoritatem Scripturæ conatur Caïetanus explicare metaphoricè & per quamdam parabolam, ut teſtantur Alphonſus à caſtro loco citato, Prateolus, & Gonetus in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ tom. 2. tract. 8. diſp. 1. num. 20. Somnus ille (inquit) quem Dominus miſit in Adam, ſignificat defectum virilis virtutis, undè naturaliter producitur homo, quoniam homo dormiens Semihomo eſt. Ablatio coſtæ ex viro ad formandam mulierem ſignificat diminutionem roboris ex animo viri ob uxorem, & ſic de cæteris ejuſdem narrationis, quæ non debent intelligi juxtá litteram, ſed juxtá Myſterium, & ſenſum myſticum, ut patet ex commentariis ejuſdem Caietani ſuper Geneſim; ubi aſſerit Evam ſimul cum Adamo à Deo formatam eſſe, motus ex illo Scripturæ Geneſ. 1. verſ. 27. *Maſculum & Fœminam creavit eos.*

Reſpondeo quòd non valet hæc interpretatio, cùm Spiritus Sanctus oppoſitum habeat in lib. Sap. *Reſponſio ad* cap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater* *interpretationem Caietani.* *orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus*, quibus evidenter conſtat, Evam non fuiſſe creatam cum Adamo; qui cùm ſolus eſſet creatus, extitit antequam exiſteret Eva. Deindè Paulus 1. ad Timoth. ait: *Adam prius formatus eſt, deindè Eva:* Ergo primi parentes non fuerunt ſimul & conjunctim producti, licet Moyſes dicat, *Maſculum & Fœminam creavit eos* Quoniam conjunctio & ibi denotat aliquam ſucceſſionem.

Inſuper Theologi, & Sacræ Scripturæ interpretes affirmant, Evam reverá formatam eſſe ex Adamo, idque colligunt ex narratione Moyſis, quâ procreatio Evæ deſcribitur. Quòd certò non affirmarent, ſi hæc narratio Moyſis eſſet intelligenda myſticè; non verò ſecundum ſenſum litteralem, in quo ſenſu intelligitur etiam narratio ab eodem Moyſe facta de creatione mundi. Quòd tamen non audet aſſerere Caïetanus, qui Hiſtoriam Moyſis quoad creationem rerum, præſertim prout jacet in primo capite Geneſis, admittit ſecundum ſenſum litteralem. Undè D. Hieronymus exponens Epiſtolam ad Philemonem commemorat Evam ex coſtâ & latere Adami eſſe fabricatam. Quòd non diceret ſi narratio Moyſis non eſſet litteraliter intelligenda, quoad formationem Evæ. Ad hanc authoritatem Scripturæ *Maſculum & Fœminam creavit eos* dico quòd non probat, Deum creaſſe Evam ſimul cum Adamo, ſed ſolum creaſſe Adam, & Evam. Quod nullus negat, nam Moyſes non dicit Maſculum & Fœminam creavit ſimul, ſed narrat per anticipationem comprehendendo compendiosè in creatione, Fœminam, ut monet D. Bonaventura, quoniam in homine aliquo modo continebatur fœmina. Præthereà ſi ratio *D. Bonaventura.* Caïetani valeret, ſequeretur quòd omnia fuiſſent creata cum Adamo in eodem inſtanti; cum Scriptura Eccleſ. cap. 18. verſ. 1. dicat quòd Deus creavit omnia ſimul. Undè cum iſtud Eccleſiaſtici eloquium non intelligatur de ſimultate actionis, ſed operis in ordine ad Creatorem, à quo omnia facta ſunt. Ità nec ſic, id eſt, de ſimultate actionis, debet intelli-

Digitized by Google

gi Moyſes dicens. *Maſculum & Fœminam creavit eos.* Ac ſi dixiſſet Deus creavit Adamum, & Evam.

§.

In quo rejiciuntur Argumenta contraria.

OBjicit Caïetanus dicens quòd ſi Eva fuiſſet formata ex coſta Adæ, ſequeretur quòd Adam antè ſublatam ex eo coſtam, fuiſſet monſtruoſus, vel quòd poſt ſublatam ex eo coſtam, fuiſſet mancus, nam, (inquit) illa coſta erat ſuperflua Adamo, vel neceſſaria. Si ſuperflua, erat monſtruoſus. Si neceſſaria, poſt coſtam ſublatam, remanſit mancus, & imperfectus, ſed nullum ex his poteſt dici, nihil enim abſurdi fuit in prima rerum omnium productione. Ergo Eva non fuit formata ex coſta Adæ, ſed de limo terræ, ſicut Adam.

Reſponſio ad primam rationem Caietani.

Reſpondeo nullum abſurdum ſequi ex formatione Evæ ex coſta Adami: licet concedam ipſum Adamum habuiſſe unam coſtam, quam cæteri homines non habent; quin tamen indè ſequatur Adamum fuiſse monſtruoſum ante ſublatam coſtam, quia hæc ex qua fuit formata Eva, quæque cæteris hominibus ſuperflua fuiſset, neceſsaria fuit Adamo, non prout erat individuum particulare naturæ humanæ; ſed prout erat principium ſpeciei. Nec hoc implicat, ut patet ex ſemine humano. Certum enim eſt quòd homo ante ſublatum ſemen, non eſt monſtruoſus, nec poſt ſublatum ſemen, mancus. Hujus reſponſionis ratio eſt, quia monſtrum eſt peccatum naturæ aberrantis à fine, ſeu peccantis per exceſsum; vel defectum in ſua operatione; ſed Deus creans Adam unam coſtam ſuper alios homines habentem, animo ex ipſa formandi Evam, non erravit à fine in ſua operatione, intendebat quidem ex illa coſta formare Evam Adæ neceſsariam: non ut ſubſiſteret, ſed ut eſset caput totius generis humani, & Pater omnium hominum: igitur Adam indè non remanſit monſtruoſus, nec illa ſublata per formationem Evæ, remanſit imperfectus, quia non pro ipſo Adamo complendo fuerat creata hæc coſta, ſed pro formanda uxore ſua Eva. His Sacra Scriptura ſuffragatur dicens: *Replevit carnem pro ea*, non enim dixit: creavit aliam coſtam pro ea, quia nulla coſta deficiebat Adæ individualiter ſumpto, ſed dicit, *replevit carnem pro ea*, ut ſignificaret in Adamo nullam fuiſse vacuitatem poſt ſublatam coſtam, ſed locum coſtæ repletum fuiſse carne.

Iterum objicit illud Geneſ. 2. verſ. 22. *& adduxit eam*, id eſt mulierem *ad Adam*. Nam, inquit, ſi Eva ex coſta Adami facta fuiſset, juxta eum, ſeu propè eum formata fuiſset: & ſic Deus non adduxiſset eam ad Adam, cùm fuiſset illi præſens; & adductio indicet terminum à quo, & terminum ad quem: ergo Eva non fuit formata ex coſta Adæ, ſed de limo terræ.

Diſſolvitur ſecunda ratio.

Reſpondeo Deum potuiſse coſtam longiùs aſportare, ſeu extrà Paradiſum, in quo poſuerat Adamum, ut tenent plures cum Joſepho lib. 1. antiquitatum, cap. 1. eamque immutare in mulierem, & poſteà ad Adamum deducere eam. Quare Scriptura dixit, Evam eſse ad Adamum adductam, ut eo loquendi modo ſignificaretur, Evam conditam eſse à Deo, ut eſset Adæ ſocia ad generationem, & ad educationem prolis adjutorium maximè idoneum. Vel dico cum aliis, quòd hæc locutio ſignificat, virum non eſse propter fœminam, ſed fœminam propter virum, quia Deus non adduxit virum ad fœminam, ſed fœminam ad virum. Per hæc enim verba, Deus noluit ſignificare diſtantiam locorum, ſeu illius in quo fuit creatus Adam, ab illo, in quo fuit formata Eva, ſed docere & ſignificare uxorem ad domum viri accedere debere ad habitandum cum illo, non autem virum ad domum uxoris. In Matrimonio uxor non ducit virum, ſed vir ducit uxorem, cùm nubere ſit uxorem ducere. Inter Adam & Evam fuit verum matrũnonium à Deo inſtitutum, & ideo ut hujus Sacramenti, ſeu Matrimonii Authorem ſe oſtenderet, & ut poſteri viderent, Adamum non accepiſſe uxorem niſi eam, quam dedit illi Deus Creator mundi, eduxit Evam ad Adam, hoc eſt, dedit eam Adamo, obtulitque eam amplexibus ejus.

Tandem inſtat idem Caietanus, & ut probet hæc verba Moyſis, *tulit unam de coſtis ejus, & ædificavit eam in mulierem*, non eſſe intelligenda litteraliter, & Evam jam fuiſſe creatam, advertit quòd formatis cunctis animantibus terræ, & volatilibus Cœli, adduxit ea ad Adam, appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, ut evidenter conſtat ex narratione Moyſis, qui ſtatim ſubdit: *Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ei*, hæc verba, inquit, ſignificant certò, Deum adduxiſſe ea ad Adam, ut quæreret, & videret an inter animalia inveniret fœmellam ad humani generis multiplicationem: ergo, (inquit Caietanus,) Eva tunc erat jam creata, nam ſi narratio Moyſis intelligenda ſit ſecundum litteram, hoc eſt, ita ut tunc nondum creata eſſet Eva, hæc inquiſitio erat ridicula, riſumque evocabat, quia quòd nondum eſt, non poteſt inveniri. Nec inter volatilia Cœli, nec inter beſtias terræ poterat vir invenire adjutorem ſimilem ſibi nempè mulierem, & perconſequens [inquit] antequam Deus mitteret ſoporem in Adam, Eva erat, ac proindè non fuit formata ex coſta Adæ formati de limo terræ, ſed de eodem limo, ut Adæ eſſet ſimilis, nedum quoad principium *quod*, ſeu Deum, ſed etiam quoad principium ex *quo*, ſeu materiam, fuitque adducta ad Adam ſimul cum volatilibus Cœli, & aliis creaturis, ut ipſe Adamus quæreret, & inveniret eam.

Reſpondeo, hæc verba, *Adæ non inveniebatur adjutor*, non ſupponere inquiſitionem, ſed idem ſignificare ac iſta. *Adam vero non habebat adjutorem ſimilem*, aut iſta; *Adæ vero non erat adjutor ſimilis*, quem habebant aves omnes & beſtiæ, quarum quælibet habebat adjutorium ex ſua ſpeciè, ut poſſet ad Phyſicam individuorum generationem adjuvari, ut iſta, Eccl. 44. verſ. 20. *Non eſt inventus ſimilis illi*, quæ de Abrahamo dicuntur, ſignificant, quòd non eſt creatus, aut natus ſimilis illi.

Reſponſio ad ultimam rationem.

Undè ex hac narratione Moyſis, non licet inferre, Deum, aut Adamum quæſiviſſe inter Beſtias terræ, mulierem, itá ut ex hac illatione ſit inſerendum, tunc mulierem fuiſſe jam creatam, aut abſentem, ac diſſitam ab Adamo, ſed ſolum Evam nondum eſſe creatam, ſeu Adamum non habere conſortium, dum beſtiæ terræ, & volatilia Cœli habebant illud, ut ſuadent hæc verba, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, quæ indicant quòd Adam erat, Eva verò non erat. Idem probant verba quæ immediatè ſequuntur; *immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam &c.* quæ indicant quòd poſt viſa cuncta animantia ab Adamo, ipſi Adæ non erat adjutor, & Deus creavit Evam ſimilem illi.

Porrò ut videat Caietanus, quòd verbum *inveniri* aut *invenire* non ſemper præſupponit inquirere, profero illud David Pſalm. 118. *Tribulatio & anguſtia invenerunt me.* Certum enim eſt tribulationem & anguſtiam non poſſe quærere, ut eſt manifeſtum, nullus ſiquidem quærit niſi id quod ſentire poteſt, igitur *non inveniri*, non ſemper ſupponit, *quæri*, ſeu

Pſalm. 118.

Inquiſitionem, ut clariùs habetur ex illo Iſay. cap. 65. verſ. 1. *Quæſierunt me qui antea non interrogabant, invenerunt qui non quæſierunt me.* Aut (inquit) Apoſtolus ad Rom. cap. 10. verſ. 20. *inventus ſum à non quærentibus me.* Undè ſi David dixiſſet, *tribulatio & anguſtia non invenerunt me*, omnes certò indè inferrent, tribulationem, & anguſtiam, non fuiſſe in Davide; ità pariter dum Moyſes Geneſ. 2. verſ. 20. ait: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*, nullus debet inferre, Deum quæſiviſſe adjutorem Adæ, ſed ſolum quòd mulier non erat tunc creata. Quoniam hoc verbum *non inveniebatur* ibi idem ſignificat, ac iſtud, non erat.

ARTICULUS IV.

Impugnat Adamianos volentes propagationem hominum ex ſola Adæ culpâ provenire.

Tempore Ælii pertinacis Imperatoris, & Victoris Summi Pontificis, ſcilicet circà annum CXCIV. inſurrexerunt quidam Hæretici prorſus luxurioſi, dicti Adamiani, de quibus alibi erit fuſior

Adamiani.

Sermo. Qui dixerunt quòd ſi primi parentes permanſiſſent in ſtatu Innocentiæ, non genuiſſent, nullamque copulam carnalem habuiſſent; quoniam putabant, peccatum eſſe cauſam coitus, ſicut eſt

Armeni.

cauſa mortis. Adamianis ſucceſſerunt Armeni hi ſaltem, qui Aſiam incolunt, ea in parte, quæ eſt inter Taurum, & Caucaſum montes ſita, de quibus in primo libro ſæpè locuti ſumus. Qui dixerunt circà annum Domini DCXL. ſub Imperio Conſtantini tertii Filii Heraelii; & Pontificatu Theodori, Adamum & Evam nunquam ad carnalem copulam acceſſuros, aut coïturos, ſi in eo ſtatu Innocentiæ, in quo Deus condiderat illos, ſemper permanſiſſent, humanam ſpeciem aliter, quàm per coïtum propagandam aſſerentes, facta autem hac ſuppoſitione, rollebant coïtum.

Eumdem errorem jam ſopitum, & ſepultum ſuſcitavit poſteà, ſcilicet anno MCCXXIV. Philippo Barbaroſſæ Filio Imperante, & Innocentio III Papâ Eccleſiam Dei regente, quidam vir Hæreticus natione Gallus, Patria Carnotenſis, nomine Almaricus profeſſione Clericus, in Academiâ Pariſienſi ſtudens, qui nedum Armenorum errorem ſuſcitavit, ſed etiam eum auxit: ille enim vir impiiſſimus di-

Almaricus.

cebat cum Armenis, quòd primi parentes nunquam carnalem Copulam habuiſſent, ſi non peccaſſent; verùm etiam aſſerebat contrà eoſdem Armenos, quòd nulla fuiſſet ſexuum differentia, & quòd hominum multiplicatio facta fuiſſet eodem modo, quo facta fuit Angelorum multitudo. Sed in hoc ultimo errore non eſt immorandum, quoniam diſſoluto priori, penitùs diſſolvitur: nam ſi in ſtatu Innocentiæ parentes noſtri generaſſent, ut probabimus, certum eſt quòd fuiſſet ſexuum differentia, ſi ſtatus ille duraſſet.

Hanc Adamianorum, Armenorumque Hæreſim in nullo Concilio invenio expreſsè damnatam, dicere tamen poſſum, quòd condemnata manet in libro Epiſtolarum Decretalium, Tit. de Summa

cap. damnamus.

Trinitate, & fide Catholica, cap. *damnamus*, in fine, ubi legitur: *Reprobamus etiam, & condemnamus perverſiſſimum Dogma Almarici, cujus mentem ſic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.* Nam ibi Innocentius III. damnans Almericum, damnat etiam ejus propoſitionem, quam nos hìc impugnaturi ſumus velut hæreticam.

§. I.

Probatur veritas Articuli.

Hanc Hæreſim damnat etiàm Sacra Scriptura in lib. Geneſ. cap. 2. verſ. 18. *Dixit quoque Dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Hoc autem dictum fuit propter generationem, quoniam hac exceptâ, bonum eſt homini eſſe ſine fœminâ: quapropter Divus Au-

D. Auguſtinus ad Geneſim.

guſtinus lib. 9. de Geneſ. ad litteram cap. 3. ait: *Si quæritur ob quam rem fieri oportuit hoc adjutorium, nihil aliud probal iliter occurrit, quàm propter Filios procreandos. Sicut adjutorium ſemini terra eſt ut virgultum ex utroque naſcatur .... nam ſi ad hoc adjutorium gignendi Filios non eſt facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta eſt? Si ut ſimul operaretur terram? Nondum erat labor, ut adjumento viri indigeret, & ſi opus eſſet, melius adjutorium maſculus fieret: ſi ſolitudinis fortaſſe tædebat, quanto congruentius ad convivendum, & colloquendum, duo amici pariter, quam vir & mulier, habitarent*; igitur Adam & Eva genuiſſent, etiamſi non peccaſſent; cùm ſi innocentiæ ſtatus duraſſet, Eva fuiſſet adjutor Adæ in propagnatione prolis dumtaxat, juxtà mentem Divi Auguſtini.

Idem infertur ex cap. 1. verſ. 27. & 28. Geneſis ubi *Geneſ. 1.*

legitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatibus Cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram:* Indè enim ſequitur quòd maſculum, & fœminam genuiſſent, etiamſi Adam non peccaſſet, quoniam Deus dixit Adamo hæc verba, antequam ipſe Adam peccaret, ut conſtat ex narrationis Moſaycæ decurſu, Adam autem, & Eva non poterant creſcere, niſi generando, ideoque genuiſſent, etiamſi ſemper fuiſſent innocentes. Deindè antequam Adam peccaret: dixit: *Relinquet homo Patrem ſuum & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: Geneſ. 2.

verſ. 24. Porrò vir & uxor non potuiſſent fieri una *Geneſ. 2.*

caro, niſi per coïtum, per quem fit ſeminum mixtio, ad unum hominis Corpus generandum, ac proindè ſi Adam non peccaſſet, maſculus, & fœmina fuiſſent coïturi, & genuiſſent, cùm vir debuiſſet adhærere uxori ſuæ, & eſſe cum ipſa una caro per commixtionem ſeminum, ſeu duo in carne una per copulam carnalem, cujus naturalis, legitimuſque finis eſt generatio prolis, aut generis humani propagatio.

Dicent forſan Armeni, Adam, & Evam eſſe unam carnem, non per coitum & generationem: ſed quia caro Evæ ſumpta eſt ex carne Adæ; poſteros verò dividi in carne, & ſic Adamum ibi non loqui de poſteris ſuis, ſed de ſeipſo & Evâ dumtaxat. Sed non valet hæc ratio, quia Adam loquebatur de poſteris ſuis, nam loquebatur pro futuro, ſeu de his, qui habituri erant Patrem, & Matrem, & Uxorem, non enim dixit *relinquam Patrem &c.* ſed *relinquet homo, &c.* ipſe autem non habebat Patrem, nec matrem, creatus enim fuerat à Deo: igitur loquebatur de poſteris ſuis, hique genuiſſent, etiam ſi Adam non peccaſſet; cùm certum ſit, quòd antequam peccaret, dixit *homo adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: Hoce autem unitas carnis non potuiſſet fieri, niſi per coïtum.

Inſuper Chriſtus oſtendit Phariſæis non licere vi- *Rejicitur*

ro dimittere uxorem ſuam Math. 19. verſ. 5. quòd *Græcorum*

certò non feciſſet, ſi verba illa Adæ non eſſent ad *inſtantia.*

omnes conjuges referenda, aut ſi Adam ſolùm pro

ſe ipſo, ea dixiſſet, Chriſtus enim non loquebatur Adæ, ſed Phariſæis. Deindè poſt peccatum Adæ, conjuges non eſſent una caro, cùm modò nulla ſit mulier, quæ de carne viri ſui facta fuerit, ſicut Eva facta fuit de coſta, & de carne Adæ. Tamen conjuges, conſummato Matrimonio, ſunt duo in carne una, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth cap. 6. verſ.

1. Corinth. 6.

16. *An neſcitis quoniam qui adhæret Meretrici unum corpus efficitur? Erunt enim* [inquit] *duo in carne una*: Et in margine refertur Geneſ. 2. verſ 24. ut videamus Apoſtolum uti verbis primi hominis, & ſuadere, virum & mulierem per copulam fieri unam carnem: ergo hæc verba Adami, *erunt duo in carne unâ*, dirigenda ſunt ad poſteros Adæ, etiam præciſo peccato; cùm dixerit ea antequam peccaret, & reverá vir, & uxor fuiſſent duo in carne unâ, etiamſi ipſe Adam non peccaſſet, quòd fieri non potuiſſet, niſi per copulam carnalem: igitur habuiſſent eam; & genuiſſent Filios, & Filias, ſicut nunc eorum poſteri habent illam, excepto libidinis periculo, aut ſecluſa ad voluptatem propenſione.

Eamdem veritatem ſuadet ratio. Namque unum hominem ab alio propagari per generationem, eſt naturale hominibus: cùm omnes ſint naturá unius, & ejuſdem ſpeciei: non fuit autem cur in ſtatu innocentiæ non ſervaretur ille modus, quoniam unitas ſpeciei non eſt effectus peccati. Et generatio ex ſola culpâ habet exceſſum libidinis in coitu, & dolorem in partu, cùm conſtet, omnium horum malorum originem, non eſſe naturam, ſed peccatum Adæ, ex quo omnia peccata noſtrá exordium ſumunt. Hanc ipſam veritatem expreſsè docent plures Sancti Patres, tamen præ cæteris ſufficit Divus Au-

D. Auguſt.

guſtinus, qui in lib. 4. contrà Julianum cap. 4. ait: *Neque enim etiam ſi natura humana primorum hominum peccatô vitiata non eſſet, poſſent Filii, niſi de corporum commixtione generari, ſed ideo ſub Diaboli poteſtate ſunt qui de corporum commixtione naſcuntur, antequam per Spiritum renaſcantur, quia per illam naſcuntur concupiſcentiam, quâ caro côncupiſcit adverſus Spiritum, & adverſum ſe cogit concupiſcere Spiritum*: Et lib. 14. de Civit.

Generatio non eſt effectus peccati.

Dei, cap. 23. evidentius demonſtrat peccatum Adæ non eſſe cauſam generationis humanæ, ibi enim inquit: *Quisquis dicit non coituros, non generaturos homines niſi peccaſſent, quid aliud dicit, niſi propter numeroſitatem Sanctorum, neceſſarium fuiſſe hominis peccatum* &c. quòd tamen dici non poteſt, quoniam ex numeroſitate Sanctorum, nec ex exiſtentia eorumdem poteſt oriri malum, nempè peccatum. Nec peccatum debet eſſe cauſa cur ipſa Sanctorum numeroſitas ſit, ex quo ſequitur quòd in ſtatu innocentiæ vir & mulier carnaliter conveniſſent, & generaſſent: diſtinctio enim ſexuum non eſt niſi propter generationem, ut eſt evidens. Undè cùm hæc ſexuum differentia fuerit in ſtatu innocentiæ, juxta illud, *Maſculum & Fœminam creavit eos*, & vir habuerit in eodem ſtatu vim generativam, non valentem intrà ſe concipere prolem; data fuit illi mulier tanquam adjutorium in generatione prolis quæ fuiſſet etiam ſi idem ſtatus innocentiæ duraſset.

Dicent quód idem D. Auguſtinus in lib. de bono conjugali cap. 2. docet oppoſitum, quia ibi ait: *Nuptiæ non niſi mortalium eſſe poterunt*. Hocque dicit quantum ad commixtionem ſexuum, quæ non fuiſſet in ſtatu innocentiæ, quia in ipſo ſtatu, homo erat immortalis propter Juſtitiam originalem, & lignum vitæ. Sed non valet hæc ratio, quia Divus Auguſtinus ibi per mortale, non intelligit illum, qui habet neceſſitatem moriendi, quam non habuiſſent parentes in ſtatu innocentiæ, ſed qui habet vitam animalem, in qua dumtaxat poteſt fieri generatio, quia in ea ſolùm poteſt fieri deciſio, & reſtauratio, quæ cùm fuiſsent in ſtatu innocentiæ, (quia homo in eodem ſtatu fuiſset animal,) ſequitur quòd in ipſo ſtatu fuiſsent etiam nuptiæ & generatio. Hanc eſse mentem Divi Auguſtini, patet ex lib. 2. de peccato originali cap. 35. ubi ait: *Eſſent autem procul dubio Nuptiæ, etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam cauſam viro adjutorium, non alius vir, ſed fœmina facta eſt, & illa verba creſcite & multiplicamini, non eſt damnandorum prædictio peccatorum, ſed fœcundarum benedictio nuptiarum.*

Expoſitio mentis D. Auguſtini.

§.

Reſolvuntur Objectiones.

ADverſarii aſſertionem noſtram impugnant variis rationibus, Primo enim dicunt, quód generatio prolis non poteſt fieri abſque corruptione ſignaculi, & integritatis virginalis, quæ quidem corruptio incompatibilis eſt cum ſtatu innocentiæ, in quo omnis homo fuiſſet Virgo, ſubindequè incapax generationis. Sed non valet hæc ratio; quia fractio ſignaculi integritatis virginalis, quæ ex partu eveniſſet, non fuiſſet proprie corruptio virginitatis & puritatis; *tunc enim*, loquit Divus Auguſtinus lib. 14. de Civit. cap. 26. *Potuiſſet utero conjugis ſalvâ integritate fœminei genitalis, virile ſemen immitti; ſicut nunc poteſt, eadem integritate ſalvâ, ex utero Virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Eadem quippè viâ poſſet illud injici, quâ Sanguis poteſt ejici. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaret; ſic ad fœtandum, & concipiendum non libidinis appetitus; ſed voluntarius uſus naturam utramque conjungeret*: Ergo nonobſtante generatione, in ſtatu innocentiæ Mulier fuiſſet Virgo, juxtá mentem Divi Auguſtini, cui plures ſubſcripſere Doctores.

D. Auguſtinus.

Vel dico cum aliis quód fractio ſignaculi virginalis non fuiſſet incompatibilis cum ſtatu innocentiæ; modus enim, quo nunc fit actus generationis per apertionem vulvæ muliebris eſt naturalis; ac proindè poſſet eſſe in ſtatu innocentiæ abſque impuritate, & turpitudine: quia tunc non fuiſſet ardor immoderatæ libidinis, nullaque difformitas concupiſcentiæ; cùm hæc duo mala, ex peccato & privatione Juſtitiæ originalis proveniant generationis actui; qui in ſtatu innocentiæ propter Juſtitiam originalem, non habuiſſet ea, ut docet idem Sanctus Auguſtinus loco citato dicens: *Abſit ut ſuſpicemur non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo*, & perconſequens generatio non fuiſſet vitiata, ſed merè naturalis; alioquin ſequeretur quód ea, quæ naturalia ſunt homini, eſsent mutata propter peccatum. Quód eſt falſum, ut monet Divus Thomas quæſt. 99. art. 1. ubi ait: *Ea quæ ſunt ſupra naturam ſolâ fide tenemus, quod autem credimus authoritati debemus.* Undè ait Gonetus: in omnibus, quæ de ſtatu innocentiæ aſſerimus, ſequi debemus naturam rerum, præter ea, quæ authoritate divina traduntur. Idem patet in libero arbitrio, quod reverá infirmatum fuit per peccatum, ſed non fuit ablatum, nec mutatum intrinſecè; cùm eſsentialiter diſtinguatur à principio neceſsario, & determinato ad unum.

Reſolvitur Adamianorum ratio.

D. Thomas.

Addunt inſuper Hæretici contra Articulum noſtrum, quód ſexuum commixtio turpitudinem, & voluptatem carnalem importat; in ſtatu autem innocentiæ nulla fuiſset turpitudo, nullaque inhoneſtas, & per conſequens nulla fuiſset ſexuum commixtio, nullaque generatio, etiam quatenùs eſt actus naturalis elicitus à potentia generativa, quæ naturalis eſt omnibus hominibus, qui cùm fuiſsent incapaces mali, fuiſsent etiam incapaces generationis.

Reſpondeo argumentum eſse verum pro hoc ſtatu, in quo omnis caro corrupit viam ſuam; &

ſexuum commixtio fit cum immoderato libidinis ardore, & effrenatis concùpiſcentiæ motibus propter peccatum, quod regnat in nobis. Sed in illo ſtatu innocentiæ, ſexuum commixtio non fuiſſet inhoneſta, nec turpis, quia animus fuiſſet omninò ſubjectus Deo. Et pars inferior hominis ſubjecta rationi, itá ut ea facilitate, ac moderatione, quâ nunc movemus cætera membra corporis, pedes ad ambulandum, manus ad capiendum, os, & linguam ad loquendum: eadem tunc facilitate in eo ſtatu innocentiæ abſque ulla animi perturbatione, & ſine ullo libidinis ardore, homo movebat, citrá omnem turpitudinem, regebat & moderabatur ea membra corporis, quæ ad generandum naturâ comparavit, ut affirmat Divus Auguſtinus loco citato.

Reſponſio ad inſtantiam Hæreticorum.

D. Bonaventura.

Armeni dicunt quòd commixtio ſexuum eſt opus carnale innocentiæ ſtatum dedecens. Huic rationi reſpondeo cum Doctore Seraphico Divo Bonaventurâ; opus carnale (de quo loquitur Paulus ad Galat. cap. 5. dicens: *Caro concupiſcit adverſus Spiritum*) eſſe vitium, quod dedecet ſtatum innocentiæ; non vero illud de quo loquitur ad Epheſ. cap. 5. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit*: Quodvè fuiſſet in ſtatu innocentiæ, quia non eſt vitium ex ſe, nec ex naturâ ſuâ, ſed opus naturæ licitum, juxtà illud Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*: Quòd dictum fuit primis Parentibus antequam peccarent; quòd tamen Deus non dixiſſet, ſi coitus ex natura ſua eſſet vitioſus, aut ex natura ſua ad vitium & ad peccatum provocaret; nam ſi modò talis ſit, totum hoc, non ad aliud refundendum eſt, quàm ad peccatum originale, quod eſt fons, & origo omnis mali, quatenùs ob ipſum commiſſum, Deus ſubtraxit juſtitiam originalem, & auxilia, quibus mediantibus, in copula non committerentur peccata, quæ nunc in ea omittuntur; licet enim de hujuſmodi peccatis diſcurrere, ſicut de dolore mulieris in partu, qui à ſolo Adæ peccato provenit, teſte Scriptura.

Dicunt tandem: ſi ſtatus innocentiæ duraſſet, homo non habuiſſet ſemen: quomodo ergo potuiſſet generare? Quòd non habuiſſet ſemen ſic probant hoc argumento. Juxta communem omnium ſenſum, ſemen eſt ſuperfluum nutrimenti, quæ quidem ſuperfluitas eſt vitioſitas, quæ cum ſtatu innocentiæ, in quo omnia perfecta erant, minimè compati poſſet. Itaque in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet generatio, cùm omninò à ſemine pendeat.

D. Bonaventura.

Reſpondeo cum eodem Doctore Seraphico Divo Bonaventurâ; quòd homo habuiſſet ſemen in ſtatu innocentiæ; alioquin Deus non dixiſſet: *Creſcite & multiplicamini.* Quantum ad probationem dico cum eodem Sancto Doctore, duplicem eſſe in ſemine ſuperfluitatem. Una eſt ſuperfluitas reſiduitatis, altera impuritatis. In ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet ſuperfluitas impuritatis, ſed fuiſſet alia, nimirum ſuperfluitas reſiduitatis, quæ eſt in ſemine, propter generationem. Hæc autem ſeminis ſuperfluitas, non excludit neceſſitatem, imò idem ipſum ſemen, quod eſt neceſſarium, eſt etiam ſuperfluum. Neceſſarium ſpeciei, & ſuperfluum individuo, neceſſarium virtuti generativæ, & ſuperfluum nutritivæ. Hæc autem ſuperfluitas non repugnat bonitati, & complexioni naturæ, (quia non ſonat in virium, cùm ſit quædam ſpecies fœcunditatis, quæ quamvis ſit ſuperflua individuo, eſt tamen neceſſaria ſpeciei) ſicut repugnat ſuperfluitas impuritatis, quæ provenit ex debilitate virtutis contentivæ, & converſivæ ſicut ſudor & rheuma. At talis non fuit in Adamo innocente, quia virtutes naturales, in ipſo itá erant in ſuis operibus efficaces, ut nihil relinquerent, quod eſſet individuo ſuperfluum, aut incommodum.

Replicabunt adverſarii, & dicent, quod virtus generativa, aut illa ſuperfluitas reſiduitatis eſſet tam ſpeciei, quàm individuo ſuperflua in ſtatu innocentiæ: hæc enim data eſt, ut quæ non poſſunt continuari, aut conſervari in ſe, continuentur in ſimili, ut docet Philoſophus. Homo autem in ſtatu innocentiæ potuiſſet continuari in perpetuum; cùm non fuiſſet mortuus, ideoque non habuiſſet potentiam generandi, quæ eſt potentia continuandi in ſimili ſeu in genito, eſtque in ſemine humano ad conſervandam ſpeciem, quæ fuiſſet conſervata per immortalitatem individuorum.

Reſolutur adverſariorum inſtantia.

Reſpondetur ſuppoſitum eſſe falſum, certum enim eſt, potentiam generativam habuiſſe alium finem, quem certò ignoravit Philoſophus, nimirum multitudinem electorum, quam Deus ſic diſpoſuit facere ſucceſſivè propter multiplicem congruentiam, videlicet propter divinæ gloriæ manifeſtationem, propter hominum majorem conjunctionem, ſeu ut ſe magis mutuò diligerent, & inter ipſos eſſet ſubordinatio quædam; & propter univerſi decorem, atque perfectionem, quæ non attenditur tantum ſecundum eſſe permanens, ſed etiam ſecundum eſſe ſucceſſivum, ac decurrens, quo unum debet eſſe ab alio. Adam conſtitutus fuit à Deo primus omnium hominum, nedùm prioritate durationis, & exiſtentiæ, ſed etiam prioritate originis: Chriſtus primus eſt in ordine gratiæ, non ſolum quia eſt Sanctior nobis, ſed etiam quia de plenitudine gratiæ ejus nos omnes accepimus. Adam verò eſt primus, non ſolùm quia antiquior nobis, ſed quia de carne ejus in decurſu temporis orta eſt caro noſtra. Creatus fuit Pater cunctorum hominum, quia de ipſius ſemine neceſſariò procreandum erat genus humanum: igitur Adam genuiſſet etiamſi immortalitatem non amiſiſſet per peccatum. Poſteri ipſius etiam genuiſſent Filios & Filias, cùm ipſorum eſſe, neceſſariò per propagationem, & generationem poſſet ad exiſtentiam pervenire, etiam in ſtatu innocentiæ, ut facilè infertur ex illis verbis, *creſcite & multiplicamini* ad Parentes noſtros directis.

ARTICULUS V.

Probat adverſùs Pelagianos, Adamum mortuum fuiſſe culpæ demerito.

Pelagius.

JUxta Divum Auguſtinum, lib. de Hæreſibus, ad *Quodvultdeum* Pelagius divinæ gratiæ hoſtis apertus, natione Britannus, profeſſione Monachus, non eorum Monachorum, qui Cænobiticam in Monaſterio, vel Eremiticam in deſertis locis, ſed ex his, qui religioſam ſuis in ædibus vitam agebant, & ſæculi contemptum modeſtiore corporis habitu profitebantur. Hic autem vir Hæreticus docuit in principio quinti ſæculi, ſub Arcadio Imperatore, & Innocentio primo Summo Pontifice, quòd Adam fuiſſet mortuus, etiamſi non peccaſſet. Et quòd mortuus eſt non

ex culpæ demerito, ſed ex conditione naturæ. Hujus Hæretici impietates, atque errores ſecutus eſt Cœleſtius, vir quidem incertæ gentis & Patriæ, profeſſione Monachus; Cœleſtium verò imitatus eſt Julianus, vir ingenio & eruditione magnus, ſed Pelagianæ Hæreſis, unà cum Cœleſtio veoeoo ità plenus, ut contrà Sanctum Auguſtinum, & Catholicam fidem, pro tuenda Hæreticà atque impia doctrina Pelagiana, varios ſcripſerit libros, in quibus nedum unam, ſed omnes Pelagii Hæreſes acriter defendit, & præſertim eam de qua hîc agimus, quoniam ex ipſâ conatur probare, nullum dari peccatum originale: nam ſi mors non eſſet pœna peccati, non tam facilè ſuaderent Catholici, peccatum Adami deſcendiſſe per viam generationis ad poſteros; cùm mors ſit illius peccati pœna.

Cœleſtius.

§. I.

Statuitur veritas.

Concilium Dioſpolitanum. *Carthaginenſe.* *Milevitanum.*

CONtra Pelagium, ejuſque errores tria celebrata fuere Concilia, ſcilicet Dioſpolitanum in Palaſtina anno CCCCXV. à quatuordecim Epiſcopis, præſide Eulogio Cæſarienſi Metropolita. Carthaginenſe anno CCCCXVI. & Milevitanum eodem anno præſide Zumenſi Epiſcopo Numidiæ Primate: in quo Concilio, cap. 1. dicitur, *placuit ergo omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac Sanctâ Synodo, conſtituere hæc, quæ in præſenti Concilio definita ſunt, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ità ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ: Anathema ſit.* Utriuſque Concilii ſcilicet Carthaginenſis & Milevitani geſta, ad Innocentium Summum Pontificem fuerunt delata, & ab ipſo approbata. Quapropter Divus Auguſtinus Serm. 2. de verbis Apoſtoli, ait: *Jam de hac causâ duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt; cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error.* Sunt alia Concilia in quibus damnatus fuit Pelagius, ſed ea hîc adducere, mihi ſuperfluum videtur, quia neceſsè erit ea apponere in 3. libro, articulo primo, in quo adverſus Pelagianos ſtatuetur neceſſitas gratiæ ad quodcumque opus bonum, & meritorium apud Deum.

Teſtimonium D. Auguſtini.

Dicendum eſt igitur contra Pelagianos, quòd Adam non eſt mortuus ex conditione naturæ, ſed ex culpæ demerito; non quòd haberet impotentiam moriendi, ſed quia habebat potentiam non moriendi, ſcilicet quia nunquam mortuus fuiſſet, ſi Legem illi à Deo præſcriptam, ſervaſſet, quippè mortalitati eo ipſo die quo peccavit, fuit additus ratione privationis Doni juſtitiæ originalis, cujus beneficio nuſquam de facto mortem paſſus fuiſſet. Hoc ſuadetur ex illo Geneſ. 2. verſ. 17. *de ligno autem ſcientiæ boni & mali nè comedas, in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: Ex quo ſequitur quòd ſi non comèdiſſet de ligno vetito, mortem non fuiſſet paſſus, licet mortalis eſſet ex ſua naturâ, hoc eſt, haberet potentiam moriendi, quæ per peccatum aut tranſgreſſionem præcepti, reducta fuit ad actum, quippè ſi Adam aliundè fuiſſet moriturus, ut voluit Pelagius, certò Deus mortem huic tranſgreſſioni non injunxiſſet, quoniam hoc ſuppoſito, id eſt, etiamſi de ligno ſcientiæ boni & mali non comediſſet, mortuus fuiſſet in ſenſu Pelagii.

Peccatum eſt cauſa mortis.

Geneſ. 2.

Dicent Pelagiani, quòd Scriptura loquitur de morte Spirituali Animæ, quæ conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis, quæ verè deperditur per peccatum: non verò de morte corporis, quæ in ſeparatione animæ à corpore conſiſtit; alioquin ſequeretur quòd primi Parentes, ſtatim poſt comeſtionem ligni vetiti, mortui fuiſſent. Quòd eſt falſum ut probat Scriptura Geneſ. 5. verſ. 5. Adæ tempus referens, his verbis, *& factum eſt omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt.*

Rejicitur Pelagianorum reſponſio. *Concilium Tridentinum.*

Sed non valet hæc interpretatio, quia ibi Deus loquebatur non ſolum de morte animæ, de qua nulla eſt controverſia, cùm peccatum & gratia opponantur, ſicut mors & vita. Sed etiam de morte corporis, ut colligitur ex Trident. Seſſ. 5. in decreto de peccato originali, ubi Sancti Patres declarant, Adamum incurriſſe per peccatum privationem gratiæ, ſeu indignationem Dei, & mortem corporis, ibi enim dicunt: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem, ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli: totumque Adam per illam prævaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, Anathema ſit*: Nonnè Patres hujus concilii, per hæc verba diſtingunt mortem animæ, quæ conſiſtit in amiſſione juſtitiæ & gratiæ, ab ipſa morte, quam Deus fuerat comminatus, dum dixit, *in quocumque die commederis ex eo, morte morieris.* Hoc eſt manifeſtum. Quia Patres Tridentini, per iram, & indignationem exprimunt malum, quod advenit animæ illius, qui non confitetur primum hominem, &c.. Et per mortem exprimunt malum, quod advenit corpori, nempè corruptionem, quæ fit poſt ſeparationem animæ; alioquin non dixiſſent, Adamum commutatum fuiſſe in deterius per peccatum ſecundum corpus & animam; cùm corpus novam mutationem non fuiſſet paſſum, propter peccatum, ſi ante peccatum fuiſſet mortale, ſicut modo mortale eſt. Idem clarè demonſtrat Sanctus Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 12. ubi ait, *niſi præceſſiſſet in peccato mors animæ, numquam corporis mors in ſupplicio ſequeretur, & homo in terram carne non iret, ſi terra peccando non fieret.*

D. Chryſoſtomus.

Eamdem expoſitionem addit Divus Chryſoſtomus, Hom. 17. in Geneſ. ubi ait: *Quamvis multorum annorum ſpatio vixerint, tamen ex quo audierunt illud, terra es, & in terram redibis, & ſententiam mortis acceperunt, mortales facti ſunt: atque ex eo tempore illos eſſe mortuos aliquis merito dixerit, hoc verò Scriptura ſignificans, ita dixit, quacumque die comederitis, & morte moriemini, quaſi diceret: ſententiam hanc accipietis, ut mortales deindè ſitis; ut enim in humanis judiciis, poſtquam in reum pronuntiata eſt ſententia, ut ei caput amputetur, iſque mox in carcerem, adducitur, licet diu ibi maneat, nihilominus, jam mortuis, extinctiſque deget, utpote jam ſententiâ ipsâ mortuus; eodem modo, & illi ab ea ipſa die, ex qua ſententia in eos mortalitatis edita eſt, & ſi longo tempore ſuperſtites fuerunt, ſententiâ ipſa jam mortui ſunt.*

D. Auguſtinus.

Hoc pariter habet Divus Auguſtinus lib. 13. de Civit. Dei, cap. 23. dicens: *Eo quippè die mutata eſt in deterius, vitiataque natura, atque à ligno*

vitæ ſeparatione juſtiſſima, mortis in eis etiam corporalis neceſſitas facta eſt, cum qua nos neceſſitate nati ſumus. Propter quod Apoſtolus non ait, corpus quidem moriturum eſt propter peccatum, ſed ait, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus autem vita eſt, propter Juſtitiam. Igitur ex Concilio Tridentino, & ex Sanctis Patribus, prædicta verba Geneſ. 2. verſ. 17. ſunt intelligenda etiam de morte corporis.

Ut autem hæc veritas magis eluceſcat, addenda ſunt hæc verba ejuſdem Apoſtoli ad Rom. 8. verſ. 10. *Si autem Chriſtus in vobis eſt, Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, quibus ſuadetur contra Pelagium, mortem corporis & ipſius corruptionem ex peccato provenire; nam Deus; qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, teſte Scripturâ, creavit hominem inexterminabilem, hoc eſt, ab omni cauſa deſtructivâ, & corruptiva independentem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, ut inquit Sapiens 2. verſ. 23. Ergo ſi inexterminabilem fecerit hominem, in tali naturæ conditione fecit illum, ut ſi in ea perſeveraſset, non fuiſset mortuus. Porrò ſi non perſeveraverit, hoc provenit, quia peccare, ſeu de ligno vetito comedere voluit, & ex illa comeſtione ſub pœna mortis expreſsè, & formaliter prohibita, ſtatim corporali morti ſubditus fuit, atque exterminabilis, juxtà hoc Dei decretum: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Aliàs ſequeretur quód poſt peccatum remanſiſset inexterminabilis, ſeu immortalis, quoniam mors, quâ corpus ſit exterminabile, non eſset à peccato commiſſo; at hoc eſt falſum, ut docet idem Sapiens loco citato, verſ. 24. ubi ait: *Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; hoc eſt, malitiâ Serpentis, quo Eva fuit decepta: nos qui vivimus in terra, quotidie morimur, & in terram revertimur: nam dum Deus dixit Adæ, Geneſ. 3. verſ. 17. & ſequentibus: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi nè comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es:* Suadere voluit quód comeſtio de ligno vetito, eſt itá cauſa mortis noſtræ, ut ſi Adam non comediſſet ex eo, hæc mors, quæ dies noſtros claudit, non advenisset. Impoſſibile enim eſt quòd homo poſſit reverti in terram de qua ſumptus eſt, & in pulverem reverti, niſi per mortem corporis. Impoſſibile etiam eſt quòd poſſit habere dies numeratos, comedere herbam terræ, veſci pane, & non mori; cùm ea, quæ immortalitatem non habent, qualia ſunt ea, quæ peccatum procuravit homini, ut ex ipſis viveret, non poſſint dare immortalitatem, reductio autem illa hominis in pulverem eſt effectus trangreſſionis Adæ, ut clarè demonſtrat hæc particula, *quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti*, quæ cauſalis eſt, hæcque omnia mala tribuit peccato Adæ. Igitur peccatum Adæ eſt cauſa mortis: Adam enim eſt ille homo per quem peccatum intravit in mundum, & peccatum ejus eſt illud per quod intravit mors.

Deus creavit hominem inexterminabilem.

Sap. cap. 2.

Tandem ſcriptum eſt quòd Deus ejecit Adamum de Paradiſo. Et quòd collocavit ante portam ejus Cherubim, & Flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, (ſeu ad cuſtodiendum eſum à morte præſervantem: etenim dicebatur lignum vitæ, quia à morte præſervabat, aut vitam conſervabat immortalem) hujus autem cuſtodiæ ratio, nulla eſt alia; niſi nè homo ex eo comederet, & non moreretur, juxtà illud Geneſ. 3. verſ. 22. quod Deus dicit de Adamo poſt peccatum; *nunc ergo nè fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*; cùm ſtatim poſt hæc verba, Deus collocaverit ante Paradiſum voluptatis Cherubim ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ut habetur in verſu ultimo ejuſdem capitis: igitur peccatum eſt unica cauſa privationis ligni vitæ, ſeu eſt cauſa mortis. Id enim quod privavit Adam eſu ligni vitæ, privat illum etiam immortalitate, & ſubjecit eum ad mortem, quam vitare poterat, obſervando mandata Dei. Quare D. Auguſtinus in lib. Enchiridii cap. 25. 26. & 27. Tom. 3. de primo homine itá loquitur. *Hinc poſt peccatum exul effectus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis, & damnationis obſtrinxit* &c. quibus conſtat peccatum eſſe cauſam mortis corporis, & animæ.

Lignum vitæ à morte præſervabat

His addi poteſt ratio Hugonis Victorini in lib. de Sacramentis ubi diſtinguit tres ſtatus hominis; quorum primus eſt ſtatus innocentiæ, qui duravit à principio conditionis Adæ uſque ad ejus peccatum. Secundus eſt naturæ lapſæ & per peccatum vitiatæ. Tertius verò eſt ſtatus naturæ per gratiam reparatæ, & perfectæ, ac conſummatæ per viſionem beatificam. In primo ſtatu [inquit] homo poterat mori, & non mori, quia poterat peccare, & per conſequens mori. Et poterat, ſi voluiſſet, non peccare, & per conſequens non mori. In ſecundo homo non poteſt non mori, quia per peccatum incurrit moriendi neceſſitatem, juxtà illud Geneſ. 2. *In quacumque hora comederis, morte morieris*: In tertio autem homo habebit non poſſe mori juxtà illud Apocalypſis 21. verſ. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit*: Ideoque homo ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſet, aut non peccaſſet, potuiſſet non mori, nec mortuus fuiſſet, cùm ex eodem Doctore, mortuus fuerit, quia ex illo ſtatu cecidit per peccatum, Diabolo ſuadente, commiſſum; ut luculentis Sacræ Scripturæ teſtimoniis confirmatur, Sap. 2. verſ. 24. *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

Argumentum Hugonis Victorini

Geneſ. 2.

§. II.

Referuntur, & refutantur Argumenta Pelagiana.

Hæretici Pelagiani ut probent Adamum fuiſſe mortuum ex conditione naturæ, non verò ex culpæ demerito, dicunt quòd corpus Adæ erat corruptibile ex conditione ſuâ, erat enim de terra formatum, & per conſequens non culpæ demerito, ſed naturâ ſuâ erat reducibile ad actum, ſeu ad deſtructionem, & corruptionem per mortem, quæ omnia diſſoluit, & corpus humanum in pulverem reducit.

Reſpondeo quòd Adam beneficiô conditoris ſui habebat in ſuo arbitrio & poteſtate, poſſe non corrumpi: appoſuerat enim illi Deus mortem, & vitam, & dixerat ei, *ad quodcumque volueris porrige manum tuam*, & ideo ſi mandatum Dei rectè obſervaſſet, & de ligno vetito non comediſſet, ut poterat, ſi voluiſſet, non vidiſſet corruptionem, quamvis omne Corpus à ſolâ pendens naturâ, tendat ad corruptionem, ut ſuadet Divus Auguſtinus lib. 7. Geneſ. ad litteram, cap. 25. ubi ait: *Corpus Adami ante peccatum, & mortale erat, quia poterat mori; & immortale quia poterat non mori: aliud eſt enim non poſſe*

D. Auguſtinus.

mori, ſicut quaſdam naturas immortales creavit Deus; aliud eſt autem poſſe non mori, ſecundum quem modum, primus creatus eſt homo immortalis; quòd ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ, à quo ligno ſeparatus eſt cum peccaſſet, ut poſſet mori. Qui niſi peccaſſet, poſſet non mori: mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris, ſi enim corpus animale utique mortale, quia ut mori poterat, quamvis & immortale: ideo quia mori non poterat, neque enim immortale, quod mori omninò non poſſit, erit, niſi ſpirituale, quod nobis futurum in Reſurrectione promittitur. Ratio eſt, quia eſſe incorruptibile, eſt præter naturam corporis humani, de natura enim ejus eſt, quòd ſit corpus mixtum, & compactum ex quatuor Elementis ac proindè corruptibile: igitur immortalitas non erat naturalis corpori Adæ, ſed beneficium gratiæ, quod dederat illi Deus ratione originalis Juſtitiæ, ut definitum fuit à Pio V. in Bulla quæ incipit, *ex omnibus*, edita anno MDLXVII. confirmata à Gregorio XIII. & Urbano VIII. contra errores Michaëlis Balj.

Dicunt iterum quòd homo fuit creatus propter vitam æternam, & conditus cum capacitate perveniendi ad gloriam, & ad viſionem beatificam, cujus ſemen eſt gratia, quam habebat, & perconſequens conditus fuit cum actuali tendentia ad mortem, & de facto mortuus fuiſſet, etiamſi non peccaſſet; cùm nemo conſtitutus in terra videat Deum, & Adamus aliquandò vidiſſet eum, cùm fuiſſet aliquandò beatus & comprehenſor, ſi ſemper permanſiſſet in Juſtitia originali.

Reſpondeo reverá hominem conditum fuiſſe cum aptitudine, aut capacitate perveniendi ad gloriam, & vitam æternam, cujus ſemen eſt gratia, quam Deus dedit Adamo; ſed nego conſequentiam, nimirum, ut Adam videret Deum, mortem fuiſſe neceſſariam, ſi ſtatus innocentiæ duraſſet: nam ſi Adam præcepto divino fuiſſet obediens, numquam incidiſſet in mortem, ſed poſt elapſa quædam tempora, in Cœlum tranſlatus fuiſſet, ut docet Gregorius magnus lib. 4. Moral. cap. 26. bis verbis: *Ad hoc in Paradiſo homo poſitus fuerat, ut ſi ſe ad conditoris ſui obedientiam vinculo charitatis aſtringeret, ad cæleſtem Angelorum patriam, quandoque ſine carnis morte tranſiret: ſic namque eſt immortalis conditus, ut tamen peccare, & mori poſſet; & ſic mortalis eſt conditus, ut ſi non peccaret etiam non mori poſſet: atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non poſſet: ubi igitur poſt redemptionis tempus, carnis morte interpoſita, electi tranſeunt, illuc proculdubio Parentes primi, ſi in conditionis ſuæ ſtatu perſtitiſſent, etiam ſine morte corporis transferri potuiſſent.* Idem ſentiunt plures alii Sancti Patres, igitur in ſtatu Innocentiæ, anima non indiguiſſet ſeparari à corpore ad videndum Deum.

Adam poſt elapſa quædam tempora in Cœlum tranſlatus fuiſſet.

Tandem objiciunt, Adam egebat cibo ad ſuſtentandam vitam, ſeu nè moreretur ut colligitur ex illo Geneſ. 1. verſ. 29. *Dixitque ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam*: At poterat non comedere ſi voluiſſet, ut de facto nos poſſumus, ac proindè mori ea morte, quæ neceſſariò ſecuta fuiſſet ex privatione alimentorum, quæ abſolutè neceſſaria ſunt ad ſuſtentandam vitam animalem.

Reſpondeo cum Doctore Seraphico Divo Bonaventurà, Adamum non potuiſſe moraliter, in illa divina, & naturali Lege, nolle comedere, debebat quidem famem prævenire, & comedere de his, quæ erant ei in eſcam, ut faceret voluntatem Dei, qui hujuſmodi eſcam dederat illi ad hunc finem: igitur ſemper ſequitur quòd mors eſt effectus peccati. Undè argumentum non impugnat articulum noſtrum, ſed ſolum probat id, quod ſuprá diximus, nimirum Adam potuiſſe mori, quia poterat peccare. Et potuiſſe non mori, quia poterat non peccare; quippè ex ipſius obſervantia, & obedientia in mandatis Dei dependebat immortalitas: nam ſi manducaſſet panem &c.... vixiſſet; & ſi manducare panem noluiſſet, peccaſſet. Et poſt peccatum fuiſſet morti additus, cùm mors ſit ſtipendium peccati, teſte Apoſtolo.

Reſponſio ad ultimam Pelagianorum rationem.

Dicent. Potuiſſet ſaltem ab extrinſecis cauſis lædi, vulnerari, interfici ab aliquo homine inimico, vel ab animalibus venenatis; homines enim eſſent liberi, & animalia ejuſdem ſpeciei, ac proindè mori potuiſset; quin peccaſset. *Reſpondeo* in illo ſtatu innocentiæ nihil eſſe timendum ab hominibus, quos unanimis ſociaſset concordia; nec à Belluis, quarum venenum, vel feritatem ſuà rarà ſcientià, & prudentià potiſſimùm præcaviſset Adam, quia perfectum in eas Dominium acceperat à Deo dicente. *Dominamini Piſcibus maris & volatilibus Cæli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram* Geneſ. 1. verſ. 28. idcircò in illo innocentiæ ſtatu nulla creatura fuiſset homini noxia, nec unus homo fuiſset inimicus alteri: charitas enim perfectiſſima fuiſset inter eos.

ARTICULUS VI.

Quô adversùs Encratitas defenditur ſalus Adæ, & Evæ.

PRimi præſentis Articuli impugnatores ſunt Tatianitæ viri Hæretici, ſic dicti, non ab erroribus in quos lapſi ſunt, ſed ab Authore, qui eſt quidam vir Hæreticus nomine Tatianus, natione Syrus, Sancti Juſtini Martyris & Philoſophi Diſcipulus, qui tempore Antonini Philoſophi Imperatoris, & Soteris Summi Pontificis, circà annum Domini CLXXIII poſt obitum Juſtini à veritatis tramite, in quo vivente Juſtino, conſtans perſeveraverat, deviavit; & Doctoris nomen ambiens, maluit Magiſter fieri erroris, quàm Diſcipulus veritatis; quapropter mortuo Magiſtro Viro Sancto, utpotè Juſtino Fidei Chriſtianæ doctrinà & Sanguine inclyto defenſore, ipſe Tatianus de fide male ſentire cæpit ut videbimus infrà. Hic ſufficit dicere quod erravit in ſalute primorum Parentum noſtrorum. Docuit enim Adamum, & Evam conjugem ſuam, ob inobedientiæ lapſum, poſt mortem damnationis ſententiam ſubiiſse, & deſcendiſse in infernum ubi modò patiuntur, & in æternum patientur pœnas damnatorum, ut tradunt S. Irenæus lib. 1. cap. 51. S. Epiphanius Hæreſ. 46. S. Auguſtinus Hæreſ. 25.

Tatianus.

Paulò poſt ſcilicet anno CLXXVIII. ſub Marco Antonino Imperatore, & eodem Romano Pontifice, Tatianis adhæſerunt quidam viri hæretici, qui à Divo Hieronymo in commentariis ſuper Prophetam Amos, à D. Epiphanio lib. 1. contrà 80. Hæreſes, à D. Irenæo lib. 1. adversùs Hæreſes, cap. 30. dicuntur Encratitæ; & dixerunt primos parentes eſſe damnatione perpetuà in Infernum detruſos, ac puniendos propter ipſorum crimina in Paradiſo terreſtri perpatrata. Eodem anno juxtà D. Epiphanium Hæreſ. 45. & Sanctum Auguſtinum lib. de Hæreſibus cap. 24. inſurrexit Severus vir hæreticus, natione Syrus, Tatiani Coævus, & in erroribus Diſcipulus, Severianorumque Author, qui docuit eamdem hæreſim, & credidit primos parentes fuiſse ſemper

Encratitæ.

Severus.

veniâ indignos, in impœnitentiâ finali obſtinatos, & mortuos, ac perconſequens poſt mortem in infernum detruſos. Plures indè putant, Tatianitas, Encratitas, & Severianos non diſtingui niſi ſolo nomine, ab illis tamen recedo, quia licet in hoc falſo Parentum noſtrorum Judicio conveniant, tamen differunt in aliis erroribus. His omnibus addi

Trinitarii. poſſunt Trinitarii, quia dixerunt & docuerunt, Deum denegaſſe primis parentibus auxilia ad ſalutem neceſſaria, indè enim ſequitur, Adamum & Evam non inter Beatos in Cœlo regnare cum Chriſto; ſed eſſe inter damnatos in inferno; cùm deficientibus mediis, finis inaſſequibilis fiat: alioquin auxilium divinæ gratiæ non eſſet abſolutè nobis neceſſarium. Quod ſapit Pelagianiſmum.

De veritate hujus Articuli nulla Eccleſiæ in Conciliis facta reperitur definitio: nulla enim habetur in jure deciſio contra prædictos Hæreticos, ratio eſt inquit Alphonſus à Caſtro, quia eo tempore, quo peſtis illa orta eſt, Concilium non potuit congregare Eccleſia ob ſævientem Imperatorum perſecutionem, quæ duravit à Nerone. [cujus crudelibus editis plurimi ſublati ſunt Martyres] uſque ad tempus Conſtantini Magni ſob quo pax data fuit Eccleſiæ Dei. Reverà poſteá quamplurima celebrata fuere Concilia, ſed nulla facta fuit de hac Hæreſi mentio, quia in principio tertii ſæculi ſopita fuit, & ſepulta: quamvis poſteá relata fuerit a D. Epiphanio, Hieronymo, Philaſtrio Brixienſi, & ab aliis Sacris Scriptoribus, à quibus Hæreticorum Cathalogum ſuſcepimus, & à quibus impugnata fuit eadem Hæreſis variis rationibus convenientiæ, & nunquam authoritate Sacræ Scripturæ, licet in ipſâ unus ſit textus ſalutem Adæ evidenter probans, quemque adducemus junctâ Divi Auguſtini, & aliorum expoſitionem.

§. Unicus.

De Parentum noſtrorum ſalute.

Sap. 10. Textus quo probatur hæc ſalus eſt Sap. cap. 10. verſ. 1. & 2. qui nedum de Adamo, ſed de Eva ejus conjuge, & complice intelligendus eſt, juxtá communem ſacrorum interpretum mentem; quamvis de homine uno ſit litteralis ſenſus, ibi enim legitur: *Hac illum, qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Ex quo certè colligitur, Adamum Dei Miſericordiâ ſalutem conſecutum fuiſſe; cùm ipſe ſolus ſit ille, quem Deus formavit Patrem, & Dominatorem cunctorum viventium ſuper terram. Et Scriptura ſoleat itá loqui de mortuis in peccato mortali, &

D. Auguſtinus. damnatis Undè D. Auguſtinus, in Epiſt. 99. ad Evodium ſic ait: *De illo quidem primo homine Patre generis humani, quod Chriſtus cum deſcendit ad Inferos indè eum liberavit; Eccleſia ferè tota conſentit, quòd eam non inaniter credidiſſe credendum eſt, undècumque hoc traditum ſit, etiam ſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur authoritas, quamquam illud quòd in libro ſapientia cap. 10. ſcriptum eſt, hac [nempè ſapientia divina] illum, qui primus factus eſt a Deo, Patrem orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit & eduxit eum à delicto ſuo, & dedit ei virtutem continendi omnia: hoc inquam, quod ibi ſcriptum eſt, magis pro hac ſententiâ, quàm pro ullo alio intellectu facere videatur.* Quibus liquidò conſtat, primos Parentes miſericordiam à Deo obtinuiſſe; cùm cuſtodire peccatorem, eumque à delicto ſuo educere, idem ſit ac ei miſericordiam facere, eique veniam delictorum concedere: non enim aliter homo à peccato educitur, & vocatur à Deo in admirabile lumen ſuum.

Eadem veritas educitur ex ſepulturâ Adæ, quæ fuit in loco ubi Chriſtus crucifixus fuit, probabile *De ſepultura Adæ.* quidem eſt, hujus ſepulturæ rationem eſſe, ut qui primus peccati fuerat Author, primus etiam ſalutaris medicinæ fieret particeps, ut inquit D. Auguſtinus Sermon. 71. de tempore: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur quòd & Adam primus homo in ipſo loco, ubi Crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus; & ideo Calvaria locum dictum eſſe, quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum. Et verè, Fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus ſit medicus, ubi jacebat ægrotus; & dignum erat, ut ubi ceciderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret divina miſericordia: & Sanguis ille pretioſus, etiam corporaliter dum dignatur pulverem antiqui peccatoris ſtillando contingeret, redemiſſe credatur.* Ille autem antiquus peccator, eſt Adam, in quo omnes peccaverunt, & pro cujus peccato delendo, Deus decrevit mittere Filium ſuum. Hanc ipſam veritatem docet alter Doctor, Divo Auguſtino antiquior nempè Origenes tract. 35. in Math. ubi ait: *Venit ad me tra-* *Origenes.* *ditio quadam quod Corpus Adæ primi hominis ſepultum eſt, ubi Chriſtus crucifixus eſt, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes vivificentur, ut in illo loco, qui dicitur Calvaria locus, id eſt locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inveniat cum Populo univerſo per reſurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi paſſus eſt &c.* Idem docent D. Hieronymus licet in Epitaphio Sanctæ Paulæ aliter ſentire videatur. Sanctus Cyprianus *Cyprianus.* Serm. de Reſurrectione Chriſti, & D. Chryſoſto- *Chryſoſtomus.* mus Hom. 24. in 19. cap. Joannis, quorum verba videri poſſunt apud noſtrum Fraſſenium tom. 2. tract. 3. de peccatis primorum Parentum Diſp. 3. art. 1. quæſt. 2.

His addo authoritatem Apoſtoli ex qua etiam colligi poteſt æterna primorum Parentum ſalus, nam 1. ad Corinth. cap. 15. ait idem Apoſtolus, *ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Ex quibus ſic diſcurro, hocque conficio argumentum. Si Adam propter peccatum quod commiſit, eſſet in inferno in æternum cruciaturus, Paulus ſanè ſic morti non inſultaſſet, quoniam ſi peccatum Adæ adhuc maneat, eſt irremiſſum; aut ſi non expiatum ſit, neceſsè eſt etiam, quòd adhuc maneat ſtimulus mortis, qui eſt peccatum juxtà eumdem Apoſtolum dicentem verſu ſequenti, *ſtimulus autem mortis, peccatum eſt*, ſed juxtà mentem Apoſtoli nullum aliud peccatum fuit ſtimulus mortis niſi peccatum Adæ, ſeu illud per quod mors intravit in orbem terrarum, juxtá eumdem Apoſtolum ad Rom. 5. verſ. 12. *Sicut per unum* *Rom. 5.* *hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & itá in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccaverunt:* Igitur ſi ex Apoſtolo non remaneat ſtimulus mortis virtute Paſſionis, & mortis Chriſti, nec debet remanere peccatum Adæ, quod eſt ſtimulus mortis hominum; alioquin Paulus morti malè inſultat, eam victam eſſe denuncians, quoniam victoria ejus eſſet in peccato Adæ adhuc in inferno ſubſiſtente, eſſetque victoria Diaboli, qui ut totum genus humanum perderet, illudque morti ſubjiceret, primos Parentes decepit, ad rebellionem compulit, per ipſorum inobedientiam rectorem mundi ſe conſtituit, & omnes homines perdidit, in perditione primi hominis, quia per ipſius peccatum mors intravit in mundum.

Idque confirmatur ex ſpoliis Diaboli, quæ Chriſtus ab ipſo abſtulit juxtá illud Apoſtoli ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 14. & 15. *Delens quod ad-* *Ad Coloſſ. 2.* *verſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci, & ſpolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.*

Primum autem Diaboli ſpolium, primaque ejus poſſeſſio, fuit Adam, qui primò peccavit, & quem Diabolus captivum ſub poteſtate tenuit: Igitur Chriſtus, qui ſpolia Diaboli ſuſtulit, & Diabolum vicit, primò Adamum liberavit & delevit ejus peccatum, propter quod tam durum bellum commiſſum eſt, quoniam ſolitò in prælio præcipua ſpolia capienda ſunt, quæ ab inimico ſuſcepta fuere; alioquin apud inimicum eſſet occaſio inſultandi, ſi apud eum remanerent illa vetera ſpolia, partâ victoriâ, ideo nè Diabolus glorietur ſe habere illum, per quem mors intravit in mundum, dicendum eſt quòd Adam non eſt ſub poteſtate Diaboli, ſed in Cœlo regnans cum Deo, & Chriſto Redemptore. Undè Hugo Victorinus exponens hæc verba ad ſerpentem, *inimicitias ponam inter te & mulierem, ipſa conteret caput tuum*, colligit, Evam in Dei amicitiam rediiſſe, & Dæmonem vixiſſe. Hoc meriro dixit, quia caput ſerpentis conterere; & peccatum, ſerpente ipſo ſuadente, commiſſum delere per pœnitentiam, idem ſonant.

Hugo Victorinus.

In Sacrâ Scripturâ, nullus eſt locus, aut textus qui damnationem Adæ aſſerat, revera conſtat de ipſius punitione, ejecit enim eum Deus de Paradiſo, ut operaretur terram, & veſceretur in ſudore vultùs ſui; & dixit Mulieri, *in dolore paries*, ſed nullibi conſtat de ipſorum maledictione, ſicut conſtat de maledictione Serpentis & Caini; Igitur Tatianitæ abſque ulla ratione, prætendunt, primos parentes fuiſſe propter peccatum in infernum detruſos, quoniam de damnatione alicujus hominis, nihil eſt aſſerendum, niſi id, quod eſt revelatum in Sacra Scriptura à Deo, vel ab Eccleſia à Spiritu Sancto directa; in conſtitutionibus aut decretis Apoſtolicis; ſed nullibi conſtat damnatio primorum parentum, imò potiùs conſtat eorumdem ſalus evidenter in lib. Sap. cap. 10. per pœnitentiam, quam egerunt: legimus enim Geneſ. 3. quòd Deus punivit eos abſque maledictione, quam dederat Serpenti, quamque poſteà dedit Caino fratrem ſuum occidenti. Ratio Tertulliani in lib. contra Marcionem cap. a 1. eſt, quia Deus reſpiciebat eos ut reſtitutionis candidatos & confeſſione revelatos, conſtat etiam eo quod Adam poſtquam peccavit, ſtatim timuit, tremuit, & mente confuſus præ rubore & verecundia peccati commiſſi, non venit in conſpectum, nec in colloquium Dei. Hoc quidem probat, quòd Adam eſt ſalvatus, & regnat in cœlo, quoniam cognitio peccati maximè ad pœnitentiam ſtimulat. Et quòd Deus pœnitenti peccata dimittit. Adamum egiſſe pœnitentiam conſtat ex Can. 80, diſt. 1. de pœnitentia ubi habetur, *Adam poſt culpam ſtatim de Paradiſo Deus ejecit, non diſtulit: ſed ſtatim ſeparavit à delicijs at ageret pœnitentiam, ſtatim veſtivit tunicam pelliceam, non ſericeam*, & ex D. Irenæo lib. 3. cap. 37. *Adamus transgreſſionis fecit pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem ſuam Deus.* Hæc enim ſuadent, Deum voluiſſe ſalutem Adæ, cùm velle pœnitentiam ejus, ſit velle ejus ſalutem, ad quam pœnitentia tendit, quapropter Deus nolvit, eum longè à Paradiſo habitare, teſte Scripturâ, ut per aſpectum & continuam loci memoriam, unde propter peccatum ejectus fuerat, major illi continui doloris ſuggereretur occaſio.

Nullibi conſtat de damnatione parentum noſtrorum

Tertullianus.

diſt. 1. de pœnit. Can. 8.

Hæretici reſpondent, Deum ejeciſſe Adamum de Paradiſo, ut ſignificaret. quòd numquam illuc erat reverſurus; & ut ex ipſa ejectione peccatum primorum parentum figuraretur Irremiſſibile; quare Deus collocavit ante illum voluptatis paradiſum, Cherubim & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ut inde videret Adam ejectus, ſe in æternum deliciis Paradiſi privatum, & ad dolores perpetuos deſtinatum, quoniam paradiſus in quo Deus eum poſuerat, eſt figura paradiſi Beatorum. Reſpondeo Tatianitas, & alios hæreticos à veritate plurimum aberrare in aſſignando hujus ejectionis fine: nam Deus ejecit Adam de paradiſo ut operaretur terram, in punitionem peccati commiſſi, ut docet D. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Epheſios, ubi ait: *Adam à Paradiſo ejectus, per Salvatorem revocandus erat*, & ut facilè colligitur ex illo Geneſ. 3. verſ. 16. & ſequentibus: *Mulieri quoque dixit, multiplicabo ærumnas tuas, conceptus tuos, in dolore paries, filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Adæ verò Dixit quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Etenim hæc omnia temporanea, & momentanea ſunt. corpuſque reſpiciunt, igitur illa ejectio de paradiſo terreſtri, non ſignificat ejectionem, aut excluſionem è Paradiſo Beatorum, quæ eſt æterna, ſicut manſio damnatorum in inferno.

Ejectio Adæ de Paradiſo non ſignificat damnationem ejus.

Quantum ad cuſtodiam fateor, Deum collocaſſe Cherubim ante paradiſum voluptatis, ut Adam ab ingreſſu excinderetur: ut notant Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Græca Catenâ Geneſ. 3. & Lactantius Firmianus lib. 2. divinarum inſtitutionum, cap. 13. ubi ait: *Deus ejecit hominem de Paradiſo, ipſumque paradiſum igni circumvallavit, ne homo poſſet accedere*; ſed nego hunc paradiſum ità ſignificare paradiſum Beatorum; ut liceat inferre, Adamum fuiſſe de eo ejectum, ex eo quod ejectus fuit de Paradiſo voluptatis, in quo Deus poſuerat illum, ex Geneſ. cap. 2. verſ. 8. nam ſi hoc eſſet, ſequeretur quòd omnes homines ejecti fuiſſent de paradiſo gloriæ, ſicut Adam, quoniam omnes ſimul cum ipſo ejecti fuerunt de illo Paradiſo voluptatis, in quo erat lignum vitæ & amiſerunt jus ad juſtitiam originalem, & ad vitam æternam; quoniam omnes in eo peccaverunt, ut monet Apoſtolus; & ut probat Baptiſmi neceſſitas, etiam apud Tatianitas; cum admittant illam pro delendo peccato originali. Ratio hujus rei eſt. Quia nulla fuit in primis parentibus pœna, quæ poſteà non fuerit in Filiis; quidni privatio gloriæ, etiam eſſet in omnibus hominibus, ſicut privatio originalis, aliorumque bonorum, ſi Adam incurriſſet Irrevocabiliter privationem gloriæ? ſed plures Filij Adæ regnant in Cœlo; igitur Adam non fuit abſolutè privatus à gloria æternâ, dum fuit ejectus de Paradiſo terreſtri poſt peccatum.

Gennadius Conſtantinopolitanus

Lactantius Firmianus.

Nulla deindè eſt ratio ob quam quis valeat aſſerere, aliquos Filios Adæ eſſe in Cœlo, & beatos, Adamum verò damnatum: nam ſalus noſtra eſt opus divinæ Miſericordiæ. Et vita æterna, quatenus eſt corona, datur omnibus diligentibus Deum ſuper omnia; undè illi, qui in Cœlo ſunt, ibi miſericordiâ Dei ſunt, illi, qui peccaverunt in via, miſericordiam ſunt conſecuti, ſi pœnitentiam egerint. Nonnè primi parentes pœnitentiam egerunt, nam timuerunt Deum, trepidaverunt, confuſi fuerunt propter peccatum commiſſum, voluntariè ſe ſubjecerunt pœnis, quas ipſis Deus præſcripſerat; Igitur ex his omnibus, & ex obſervantia legis, facilè colligitur, primos parentes pœnitentiam egiſſe, & eductos fuiſſe per Chriſtum ab inferis, ſeu Lymbo Patrum, ut aſſerit D. Auguſtinus lib. de peccatorum meritis cap. 34. ubi de primis parentibus ait: *Poſt peccatum ipſi [illegible] per Domini Sanguinem ab æterno ſupplicio liberati.* Idem

legimus in Can. *Hi duo ſolummodo* diſt. 1. de conſecrat. ubi habetur: *Nec mirum ſi ex lapſu ipſius hominis fuit perturbatus*, id eſt Angelicus chorus, *unde novem ordinum concentus in laudem Dei creatoris permanſit imperfectus, donec in Chriſto reſurgente, reſurrexit lapſus ille protoplaſtus.*

ARTICULUS VII.

Quo adverſus Bardeſaniſtas, probatur hominem non amiſiſſe liberum arbitrium, per peccatum.

Liberum arbitrium fuiſſe ex lapſu primi hominis in omnibus, & ſingulis ipſius poſteris penitus extinctum, Impiè affirmarunt plures hæretici nimirum Simon Magus anno LV, ſub Nerone Imperatore, & Divo Petro Chriſti Domini in terris Vicario. Valentinus Pitagoræ veriùs, quàm Chriſti Sectator, anno CL. ſub Antonino Pio, & Hygino Summo Pontifice. Marcion ſub eodem Imperatore, & Pio hujus nominis primo Romanorum Pontifice anno circiter CLV. Et Manichæi de quibus in primo libro plura diximus. Qui omnes liberum ab homine abſtulerunt arbitrium, docentes voluntatem humanam, non omninò agere in operibus bonis, ſed pati, ac veluti ſtatuam ſe habere in pœnam peccati originalis, quo facti ſumus ſervi. Ita referunt plures hiſtorici in Cathalogo hæreticorum. Veritatem Catholicam, quam hîc defendimus, alio modo impugnavit Bardeſanes genere Syrus ex Meſopotamia ortus, patriâ Edeſſenus, vir eruditiſſimus, qui floruit temporibus Marci Antonini Veri Imperatoris, & Pij Papæ primi circà annum Domini CLXIII, de quo Sanctus Epiphanius hæreſ. XXXVI. ait *primùm quidem optimus vir fuit, & libros non paucos conſcripſit quando ſanam mentem habebat, nam ex Sancta Dei Eccleſia procedebat: doctus exiſtens in duabus linguis Græca & Syriorum*, & qui [inquit idem Sanctus Doctor] inſignis & egregius fuit ſub initio fidei defenſor, ſed tandem ſub fine in errores Valentini lapſus, hoc rurſum addidit de ſuo, ut diceret humana omnia *fato* adſcribenda eſſe, & liberum hominis arbitrium Syderibus ità ſubjiciendum, ut impoſſibile ſit homini agere, velle, aut operari; quin agat, velit, & operetur neceſſariò, ſic refert Euſebius Cæſarienſis hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. ultimo.

Simon Magus.
Valentinus.
Marcion.
Bardeſanes

Eamdem mentem habuit anno Domini CCCLXXXVIII ſub Valentino Imperatore, & Syricio Papâ, Priſcillianus (de quo in 2. articulo primi libri Locuti ſumus) vir natione Hiſpanus, & in Hiſpania Eccleſiæ Abulenſis Epiſcopus. Huic Epiſcopo ſtatim ſucceſſit Jovinianus Monachus, qui voluit anno CCCLXXXXVII ſub Theodoſio ſecundo, & Syricio Papâ, liberum arbitrium non eſſe in homine, quia dicebat hominem eſſe fato, ſtelliſque ſubditum, & non poſſe peccare. Eumdem errorem ſecutus eſt Mahometes ille maledictiſſimus Arabs, ut referunt plures hiſtorici, aſſerentes Mahometanos credere, hominem eſſe fatalibus ſtellis alligatum. Albanenſes etiam eamdem hæreſim ſectati ſunt anno Domini DCCLXXXXVI ſub Conſtantino VI. Imperatore, & Leone III Summo Pontifice, à quo tempore Sopita remanſit uſque ad annum MCCCLII, ſcilicet uſque ad Uvicleſſum, natione Aoglum, profeſſione Sacerdotem, artium Magiſtrum, qui eumdem errorem docuit. His addendi ſunt Martinus Lutherus, œcolampadius, Melancthon, & alij quàmplurimi eorumdem diſcipuli, qui cum magiſtris ſuis, poſteà ſcilicet anno MDXVII docuerunt, àrbitrium hominis non eſſe liberum, ſed ſervum, non agere, ſed pati, ac Stoicam coactionem, & neceſſitatem ponebant in omni actione humanâ. Idem tenuit Jacobus Præpoſitus natione Flander, & ſectâ Lutheranos, dicendo, liberum arbitrium, non eſſe potentiam, ſeu cauſam activam actuum ſuorum Interiorum, ſed receptivam dumtaxat. Trinitarij Sacro-Sanctam ore blaſphemo Trinitatem violantes, volebant, liberum arbitrium non moveri activè, nec liberè, ſed ex neceſſitate appetibili quemadmodum moventur beſtiæ. Calvinus aſſeruit, hominem non eſſe liberum à neceſſitate, ſed ſolum reſpectu coactionis, quia non agit coactè, ſed neceſſariò facit quæcumque facit, & ideo aſſerebat, liberum arbitrium in nobis eſſe figmentum, & titulum ſine re.

Priſcillianus.
Jovinianus
Mahometes
Albanenſes
Uvicleſſus
Lutherus.
Œcolampadius.
Melanthon
Jacobus Præpoſitus.
Trinitarij
Calvinis.

§. I.

Statuitur liberum hominis arbitrium.

HÆc hæreſis damnata fuit in Concilijs Bracarenſi primo, celebrato anno DLXIII. ſub Joanne Papa tertiò, contra Priſcillianiſtas, cap. 9. decretorum ubi legitur: *Si quis animas, & corpora humana, fatali ſigno credit aſtringi ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt: Anathema ſit.* In Moguntino 4. Can. 2. Dioſpolitano Can. 10. Senonenſi decreto 16, de libero arbitrio. Et denique in Tridentino, ſeſſ. 6. Can. 5. & 6. *Si quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam Anathema ſit; ſi quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſivè ſolum, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli: Anathema ſit.* Damnatur etiam hæc ipſa hæreſis Bullâ Leonis decimi adversùs Lutherum. Eadem condemnatio habetur in variis Juris Canonici textibus.

Concilium Bracarenſe primum.
Moguntinum.
Tridentinum.

Liberum arbitrium remanſiſſe in hominc poſt peccatum Adæ, & modò eſſe in omnibus, & ſingulis hominibus, facile ſuaderi poteſt ex eo quod juxtà communem Theologorum ſententiam ſic definiatur: potentia ſpiritualis animæ indifferens ad agendum, & non agendum, aut agendum hoc, vel illud ex ſuâ naturâ, etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis. Hæc autem potentia eſt in homine tam impio, quàm juſto, ut facilè inferri poteſt ex illo Eccleſ. 15. verſ. 14. & ſequentibus, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu Conſilij ſui: Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere, appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi*: Nihil enim poteſt evidentius dici ad oſtendendam ex Sacra Scriptura arbitrij noſtri libertatem contrà prænominatos hæreticos, cùm ibi aſſeratur, hominem habere ex conditione ſua, & intrinſecè poteſtatem obſervandi, vel non obſervandi mandata, & porrigendi manum ad bonum, vel ad malum, vel ad neutrum eorum.

Liberi arbitrij definitio.
Eccleſ. 15

Dicent forſan hæretici, & præcipuè Lutherani, librum Eccleſiaſtici non eſſe Canonicum, & ideo non eſſe ſufficientem ad confirmandam Doctrinam, quæ ad fidem Chriſti ſpectat; ſed hæc falſitas, non eſt hic rejicienda, nedum quia ex ſe patet; ſed etiam quia rejicietur in proprio loco, ubi erit ſermo de libris Canonicis Eccleſiæ. Tamen ut penitùs confundantur hæretici, & magis eluceſcat humana

libertas, adducenda eſt anthoritas ab ipſis recepta, *Math. 23.* quæ eſt Math. 23. verſ. 37. ubi legitur Chriſtum dixiſſe Populo Jeroſolymitano: *Jeruſalem Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*: Quibus verbis liquidò conſtat, quòd Deo volente, homines nolunt, & perconſequens quòd arbitrium hominis ita liberum eſt, ut á Dei voluntate non cogatur, ut homo ſemper remaneat indifferens ad agendum, vel non agendum, etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis. Homo ſiquidem eſt agens vitale, & activum, nec ſe habet liberum ejus arbitrium merè paſſivè, ſeu more mortuo, veluti quoddam inanime, ut putant Hæretici; & noviſſimè Michaël de Molinos in 2. propoſitione ex damnatis ab Innocentio XI. certò in ejus poteſtate poſitum eſt, vias ſuas *Luc. 19.* malas facere, ut inſinuat illud Lucæ cap. 9. verſ. 23. *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*, hæc enim particula, *ſi quis vult*, noſtram innuit libertatem, cui ſubſunt poſſe, & non velle, ſicut poſſe & velle, cùm nobis viſum fuerit; quoniam ſi in nobis nulla eſſet libertas propter peccatum, quod contraximus, aut propter gratiam, quam dat nobis Deus, ut rectè operemur, aut ut juſti ſimus, Chriſtus minimè locutus fuiſſet ſub conditione. Nec voluntati humanæ imputaſſet negationem effectus, cùm ea, quæ in nobis non ſunt, a nobis non dependeant. Et ea, quæ neceſſariò adveniunt, ſœpè nobis nolentibus, imò & invitis adveniant: occiſio autem Prophetarum, aut eorumdem lapidatio, non advenit invito Populo Jeroſolymitano, alias non fuiſſet culpabilis, nec Chriſtus increpaſſet eum. Et tollere Crucem Chriſti, eſt ità in poteſtate hominis Dei gratiâ adjuti, ut ſi contingat quòd Petrus V. G. non tollat eam, hoc accidit, quia ipſe Petrus non vult tollere, & perconſequens cùm poſſe tollere, ſit actus libertatis, ſequitur quòd homo eſt neceſſariò liber, & voluntatis ſuæ Dominus.

Poteſtas eligendi probat hanc ipſam veritatem, quoniam electio non eſt niſi eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate, nullus enim dicitur propriè eligere id (quòd velit, nolit) erit futurum. Non pendet V. G. ex noſtra electione, mori, vel non mori, quia mori neceſſe eſt (inquit Tertullianus) expe- *Tertullianus.* rientia ſic comprobante; ſed in nobis eſt poteſtas eligendi, ut ait David Pſal. 118. *Fiat manus tua ut ſalves me: quoniam mandata tua elegi.* Idem probat Scriptura Sacra, data enim fuit optio Judæis, Joſue cap. 2. verſ. 15. an Deum ſequi vellent, vel non: *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis optio, vobis datur, eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis, utrum Diis quibus ſervierunt Patres veſtri, in Meſopotamia, an Diis Amorrhaeorum in quorum terra habitatis: ego autem, & domus mea ſerviemus Domino.* *Electio eſt actus libertatis.* Salomoni dictum fuit à Domino, *poſtula quod vis ut dem tibi*: Igitur Salomon habebat libertatem, eratque indifferens ad eligendum, volendum, & non volendum, nullatenus neceſſitatus, nec coactus, quia optio non poteſt convenire illis, qui inevitabili neceſſitate feruntur ad operationem, nec dicitur agenti neceſſario, *poſtula quod vis*; cùm teneatur recipere quod datur, aut offertur illi; quin poſſit rejicere illud. Sunt alia multa in Sacrâ Scripturâ teſtimonia, quæ homini optionem, & electionem tribuunt, quibus Hæretici libertatem hominis negantes, penitùs confunduntur.

Iſay. 5. Undè adhuc unum afferre ſufficit, quòd eſt Iſayæ cap. 5. verſ. 4. ubi legitur Dominum dixiſſe de Populo Iſraëlitico, ſub nomine Vineæ loquentem. *Quid eſt quod ultrà debui facere Vineæ meæ & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit Labruſcas?* His ſiquidem verbis penitus ſuadetur, quòd Populus Iſraëliticus, per nomen Vineæ ſignificatus, habebat libertatem faciendi uvas, ſcilicet bona opera, alioquin Deus non expectaſſet uvas, cùm nemo faciat id, quod non poteſt facere; nec ſperet ab alio id, quod dare non poteſt; cùm ad impoſſibile nulla ſit ſpes, nullumque verum deſiderium ut fatentur communiter Philoſophi. Habebat etiam libertatem faciendi Labruſcas, ſeu mala opera; aliàs non feciſſet Labruſcas, ſed uvas, quas expectabat Deus, aut nullatenus egiſſet. Habebat tandem omne requiſitum ad faciendas uvas, aliàs nihil ab eo expectaſſet Deus, cùm ab impotente, ſeu incompleto agente, nihil produci poſſit: actus enim à ſola potentia completa provenit: habebat igitur indifferentiam ad agendum, & non agendum, ad agendum hoc, vel illud, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, abſque ulla coactione ad opus. Nam ſi omnia neceſſitate abſoluta evenirent, & hominis arbitrium fuiſſet omninò extinctum per peccatum, ut voluere Simon Magus, Valentinus, Marcion, & Manichæi; aut præſcientiâ Dei cogeretur, ut volunt alii Hæretici, certò Populus ille produxiſſet uvas, quas expectabat Deus, aut Deus expectaſſet Labruſcas, quas fecit ipſe Populus Iſraëliticus. Hoc tamen falſum eſt, cùm conſtet quòd Deus expectabat uvas; & quòd Populus Iſraëliticus fecit Labruſcas; quin hoc poſſit refundi in voluntatem Dei expectantis uvas, ſed in poteſtatem hominis, qui Labruſcas facere voluit, quia liberum habebat arbitrium, quod cùm indifferens ſit & ex ſe indeterminatum, ſeu determinativum ſui ipſius, voluntati divinæ ſœpè reſiſtit, ut ſuadet illud act. 7. *Vos Spiritui Sancto ſemper reſiſtitis*, quoniam ſola potentia libera poteſt re- *Act. 7.* ſiſtere & ſola voluntas eſt libera, quia eſt ſola in homine potentia, quæ poteſt reſiſtere: quare David, Pſal. 94. ait. *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, hoc eſt, nolite reſiſtere voci *Pſal. 94.* Domini, ſed obedire illi. Quòd ſanè denotat hominem eſſe liberum, & in ſe habere poteſtatem audiendi vocem Domini, & poteſtatem non audiendi eam.

Hoc verum eſſe evidenter probatur ex illo Iſayæ cap. 1. verſ. 19. & 20. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius provocabit vos quia os Domini locutum eſt.* Hæc quidem verba demonſtrant, velle & nolle, reperiri in homine: poſſe autem velle, & nolle, eſt ſolius libertatis humanæ, ut fatentur omnes Theologi communiter: igitur homo ſive juſtus, ſive peccator, habet liberum arbitrium, quô poteſt Dei gratiæ conſentire, vel diſſentire, ſi velit. Quô poteſt fructus aut bona terræ comedere, vel non comedere ſi velit. Quare Divus Hilarius lib. 1. de Trinit. Motus verbis Divi Joannis cap. 1. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri*, ait, *eſſe Filios Dei opus* *D.Hilarius* *eſt voluntatis, non neceſſitatis. Quia propoſito univerſis Dei munere, non per naturam gignentium adſertur ea filiatio, ſed voluntas præmium conſequitur*: Indè enim ſuadet ille Sanctus Doctor, hominem non conſequi coactè gratiam ſanctificantem quâ peccator fit Filius Dei adoptivus, ſed voluntariè, & liberè. Hocque affirmat Chriſtus Joan. cap. 5. verſ. 6. dicens Languido, (qui eſt figura peccatoris) *vis ſanus fieri*, quâ evidenter oſtenditur, ad ſanitatem animæ recuperandam, neceſſariò requiri voluntatis noſtræ conſenſum; alioquin Chriſtus omiſſâ interrogatione, aut petitione illa, dixiſſet ei, *tolle grabatum tuum & ambula*, ideoque in nobis eſt libertas, tàm ad bonum, quàm ad malum; nec aliquid poſſumus aſſequi abſque liberi arbitrii uſu, ut teſtatur Propheta regius, Pſal. 26. verſ. 9. dicens, *adjutor meus eſto nè* *Pſal. 26.*

derelinquas me, quia cùm ipſe David Deum petat adjutorem, operatorem ſe eſſe affirmat. Nam ſi arbitrium non eſſet in nobis, nihilque ageret, ſed ſolum reciperet, ut volunt hæretici, Deus non diceretur adjutor, ſed integer, & ſolus operator. Et Pſal. ſequenti, verſ. 7. *Dominus adjutor meus, & protector meus in ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum*, quô etiam demonſtratur libera, ac voluntaria actio humanæ voluntatis, quoniam *adjuvari* duo denotat principia, adjuvans ſcilicet & adjutum, utrumque liberum, & voluntarium; cùm Deus liberè agat, ut ſancit Sacra Scriptura, & homo poſſit gratiæ adjuvanti reſiſtere.

Pſal. 118.

Iterum probari poteſt eadem veritas ex illo Pſal. 118. verſ. 109. *Anima mea in Manibus meis ſemper.* Quid enim eſt animam in manibus meis eſſe, niſi me habere poteſtatem diſponendi de affectibus animæ meæ, aut poſſe flectere eam ad quodcumque voluero, ſcilicet ad bonum, vel ad malum, ad vitam, vel ad mortem? hoc eſt, habere animam omninò liberam. Quod enim manibus meis teneo, ità eſt in mea poteſtate, ut poſſim illud dimitere, vel relinquere.

Inſuper liberum arbitrium eſſe in nobis probant oblatio, & Eleemoſyna, quæ ab hominibus fiunt. David exhortans populum Iſraëliticum ut offerat Domino pro ædificio templi, inquit lib. 1. Paralip. cap. 29. verſ. 5. *Si quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie & offerat quod voluerit Domino.* Hæc autem oblatio erat libera, tam à neceſſitate, quàm à coactione, quoniam quod ſponte fit, ſine ulla cogente neceſſitate fit, cùm ſponte & coactè ſint actus directè oppoſiti, ac contrarij: Igitur oblatio illa (quæ bonum opus erat, atque meritorium apud Deum,) erat ſpontanea, & Iſraëlitæ erant liberi tam à neceſſitate, quàm à coactione; aliàs Propheta non dixiſſet *offerat quod voluerit*, ſed potiùs, *offerat id, ad quod determinatus eſt* cùm juxta hæreticos, populus Iſraël fuiſſet neceſſitatus, & coactus ad tale, vel tale munus exequendum. Idem docet Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 9. verſ. 7. ubi exhortans Corinthios ad Eleemoſynas faciendas, inquit: *unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut neceſſitate*, id eſt prout voluerit, liberè, & ſponte, ſeclusâ triſtitia, quæ ab agente extrinſeco cogente, aut diſplicente provenire ſolet, (ut refert Divus Auguſtinus) & remotâ neceſſitate, quæ ſepè cogit ad turpia, & involuntaria, quoniam deſtinare in corde ſuo, idem eſt, ac reſolvere ad nutum propriæ voluntatis, ſeu liberi arbitrij: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, id eſt Datorem non coactum.

1. Paralip. cap. 2. 9

Oblatio probat liberum arbitrium.

Eamdem diſtinctionem neceſſarij a voluntario; & in nobis eſſe liberum arbitrium, reſolvit idem Apoſtolus ad Philemonem ſic ſcribens in gratiam Oneſimi verſ. 14. *Sine Conſilio autem tuo, nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium*: Igitur opus miſericordiæ, & charitatis, aut Eleemoſynæ, ad quod Paulus Philemonem hortabatur, non fit ex neceſſitate, nec ex violentiâ, aut coactione, ſed eſt à libero arbitrio, & opus voluntarium, prout voluntarium à neceſſariò diſtinguitur; ac proindè in homine datur liberum arbitrium, ut liberè agat, & poſſit meritò puniri dum malè agit; nam inquit Divus Chryſoſtomus, homil. 60. in Math. homines niſi ſponte delinquant, non punitione, ſed miſeratione digni ſunt: Et Tertullianus adversùs Marcionem lib. 2. *Nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate, in hoc & Lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem de obſequio ſponte præſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda, ità ut in utrumque exitum libertatis patuit arbitrij*

Epiſt. ad Philemonem.

D. Chryſoſthomo.

Tertullianus.

Unde quia Deus in ultimo judicio puniet peccatores, certum eſt, quòd dum viverent, erant liberi, & poterant facere ea, quæ omiſerunt in vitâ: certum quoque eſt, quòd homo non cogitur, nec neceſſitatur ad opus, ſed elicit illud quod vult. Quare Divus Petrus inſtruens Seniores, ut verbo, & exemplo paſcant gregem Domini, ait: 1. cap. 5. verſ. a. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque ut dominantes in cleris, ſed formam facti gregis ex animo.* Quippè hæc verba ſuadent, nos nedùm poſſe ſponte & liberè operari, pro noſtra ſalute, & utilitate Eccleſiæ; ſed etiam teneri; ad quod certè non teneremur, niſi eſſemus liberi arbitrij compotes; alioquin hæc obligatio, non ad nos, ſed ad illum, qui nos cogeret, aut neceſſitaret, remittenda eſſet, quoniam agenti neceſſario, aut irrevocabiliter coacto, nulla poteſt imponi Lex, quæ; cùm ſit obſervanda à ſubditis, hæc obſervatio pendet a libertate; [ſcriptum eſt enim beatus vir qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit) ſequitur quòd liberos dumtaxat ligare poteſt, quodque omnes & ſinguli homines ſunt plenè Liberi, integrumque Liberi arbitrij uſum habent, etenim Lex divina obligat omnes, & ſingulos homines, quia omnes homines ſubjiciuntur ei.

1. Petr. cap. 5.

Denique Deus Cainum alloquens lib. Geneſ. cap. 4. verſ. 6. & 7. oſtendit in ipſo, & in aliis hominibus, eſſe libertatem, nedùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate: legimus enim dictum fuiſſe huic Fratricidæ, *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit; ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Nonnè Deus per hæc verba teſtatur, Cainum à ſe expellere potuiſſe perverſam voluntatem, quam conceperat ergà Abelem fratrem ſuum? certò nullus hoc negat. Ratio hujus rei eſt. Quia ſunt interrogatoria, quæ ſolitò à voluntate interrogati exigunt reſponſum; Nonnè exprimunt Cainum eſſe liberum, & potuiſſe facere bonum, quòd non fecit, & vitare malum in quod incidit. Hoc eſt manifeſtum, quia loquitur conditionaliter, & Caini erat admittere, vel non admittere conditionem, id eſt benè, vel malè facere, nonne hæc ultima verba, *ſub te erit appetitus ejus &c.* ſignificant, hominem eſſe in plenâ indifferentia ad bonum, & malum, ut exponit D. Hieronymus dicens: *Quaſi Deus dicat quia liberi arbitrij es, moneo non ut tibi peccatum, ſed ut peccato domineris?* Idem habet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 37. ubi ait, *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem; poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, benefacit.* His ſiquidem verbis, etiam Apoſtolus teſtatur, cor hominis non ſtatuere, decernere, aut velle ex neceſſitate, ſed ex plena libertate, ut facilè colligi poteſt ex illo Lucæ 10. verſ. 13. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis; olim in Cilicio, & Cinere ſedentes pœniterent*; Quod notat libertatem, ſeu hominem habere liberum arbitrium, ejuſdemque Liberi arbitrij uſum. Quoniam habere poteſtatem voluntatis ſuæ, idem eſt, ac eſſe liberum tam à neceſſitate, quàm à coactione: nam qui ad agendum neceſſitatur, aut ità cogitur, ut non poſſit reſiſtere, excuſatur ex eo quòd alius ſit ipſius voluntatis Dominus, aut ex eo quòd non habeat voluntatis ſuæ poteſtatem. Unde Divus Athanaſius ait *Anima libera eſt & ſui arbitrij: poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ità bona quoque adverſari*, Et Divus Epiphanius in hæreſim Phariſæorum ait: *Manifeſtum, cui*

Geneſ. 4.

D. Hieronymus.

Luc. 10.

D. Athanaſius.

D. Epiphanius. *dens, & unicuique in dubium eſt, unicuique liberum arbitrium conceſſum eſſe à Deo, ut penes hominem ſit benè facere, vel pravè operari.* Eamdem veritatem docent alij Sancti Patres, quos omitto.

Nec valet contra illam adducere illud Sancti Auguſtini in enchir. cap. 8. *Homo*, id eſt Adam, *malè utens libero arbitrio, & ſe perdidit, & ipſum*, & Epiſt. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum ſuper omnia peccati gravitate perdidimus.* Non valet inquam, quia Divus Auguſtinus in primo loco loquitur de libertate à peccato, & à miſeriâ. Si Adam non peccaſſet reverà liberum arbitrium fuiſſet firmius, & homo eſſet liber nobiliori modo, ſed eadem libertas remanſit ſubſtantialiter poſt peccatum, quia Adam per peccatum non receſſit à manu Conſilij ſui, neque perdidit facultatem porrigendi eam ad quodcumque voluerit. Ad ſecundum dico ex Divo Auguſtino liberum arbitrium fuiſſe deperditum accidentariò, ſcilicet quoad optimum, & perfectiſſimum gradum, quem habebat in ſtatu Innocentiæ, & adjunctâ juſtitiâ originali, protunc enim facile poterat vitare omnia peccata, non ſic autem nunc, quoniam fuit infirmatum in primo homine, ut inquit Concilium Arauſicanum Can. 13. & ratione concupiſcentiæ, maxima nobis ineſt ad bene agendum difficultas. Non verò quoad ſubſtantiam, in quo ſenſu, liberum arbitrium eſt ipſa voluntas, quæ eligit unum præ alio, ut ipſi placet, nonobſtante peccato primi hominis, ut docet Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 25. cap. 1. Hanc eſſe mentem Divi Auguſtini patet ex pluribus locis, & præcipuè ex illo lib. 2. de actis cum Fælice Manichæo cap. 3. *Nemo niſi Deus, poteſt facere arbores, ſed habet unuſquiſque in voluntate eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*

D. Auguſt.

Concilium Arauſicanum

Magiſter ſententiarũ.

Articulum noſtrum impugnant hæretici, authoritate Divi Joannis cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, inde enim concludunt, voluntatem humanam propter peccatum Adæ nullam habere poteſtatem operandi, cum ex ſe (inquiunt) nihil facere poſſit.

Sed non valet hæc illatio, nec exponit veram mentem Euangeliſtæ. Si ex illa authoritate inferrent, voluntatem humanam ex ſe eſſe impotentem, aut inſufficientem ad benè operandum, optima eſſet concluſio; ſed inferendo, humanam voluntatem eſſe omninò operandi orbatam virtute; nec benè, nec rectè concludunt: nam dum Christus ait, *Sine me nihil poteſtis facere*, declarat quòd cum illo poſſumus aliquid facere, ut patet in qualibet cauſa ſecunda, quæ ſine auxilio cauſæ primæ non poteſt agere, & cum tali auxilio agit, & operatur: homo igitur habet poteſtatem volendi, Deo adjuvante, ac proindè habet liberum arbitrium, quod ſine auxilio gratiæ, nullum opus bonum operari poteſt, ut docebimus contra Pelagianos; non quod in ſe omninò careat virtute operandi; ſed quia eſt impotens & inſufficiens ad illud, propriis naturæ viribus relictum, ſic docente Apoſtolo, qui teſtatur, nos eſſe inſufficientes cogitare aliquid ex nobis, noſtramque ſufficientiam eſſe à Deo. Et aſſerit ſe omnia poſſe in eo, qui eum confortat, & ſic declarat, nos habere libertatem, quæ licet ſit ex ſe inſufficiens, aut nihil poſſit facere ſine auxilio Dei, poteſt tamen cum eodem auxilio adjuvante, poni in eſſe completo, & benè operari, hocque eſt id, quòd ſignificatur ex textu Divi Joannis: nam dum Chriſtus ait: *ſine me* aut ſine gratia mea, *nihil poteſtis facere*, non tribuit ſibi totam virtutem agendi, nec actionem totaliter, ſed ſolùm concurſum, quô quilibet homo indiget, ut vitam conſequatur immortalem, & gloriam mereatur: quidquid dixerit Pelagius, quoniam Joan. 5. ait: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum* id eſt facit opera bona, & meritoria; productio autem fructus eſt hominis manentis in Deo, ideoque dum Chriſtus ait, quòd homo gratia adjutus fert fructum, declarat, hominem habere virtutem operandi, hancque per gratiam compleri. Nam cauſa, quæ non habet in ſe virtutem ſaltem incompletam ad aliquem effectum, non poteſt ad illum etiam divinitùs adjuvari. Hinc eſt quod Theologi docent, voluntatem non poſſe, nitente etiam divinâ virtute, videre Deum, bene quidem Intellectum, qui poteſt per lumen gloriæ adjuvari, & elevari ad videndum intuitivè Deum, ut diximus in primo libro, contrà Armenos, & Petrum Abaillardum, itaque humana voluntas eſt potentia, quæ poteſt operari, & non operari, ut affirmat Chriſtus apud Lucam 9 dicens, *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum &c.* Hæc enim verba noſtram indicant libertatem, quoniam ſi nulla eſſet in nobis libertas circa crucem tollendam, ſuperfluum eſſet loqui ſub conditione, ſeu dicere, *ſi quis vult*, cùm omnes vellent, aut nullus poſſet velle.

Rejicitur Bardeſaniſtarum ratio.

Joan. 5.

Afferunt aliam authoritatem, quæ eſt Joannis cap. 6. verſ. 44. *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*, indè enim hæretici, & præſertim Lutherani volunt, humanam libertatem cogi, quoniam (inquiunt) trahi, & cogi, unum & idem ſignificant; cum tractus quamdam violentiam dicat. Sed plurimum a veritate aberrant, tractus autem divinus nullam violentiam importat, nullamque coactionem dicit, quoniam ſcriptum eſt quòd Deus, qui attingit à fine uſque ad finem fortiter, diſponit omnia ſuaviter. Talis ſiquidem tractus, nihil aliud eſt, quam vocatio quædam interna, & exhortatio, quâ movet & monet voluntatem noſtram ad benè operandum, cui vocationi ſæpiſſimè reſiſtit humana voluntas, ut ſuadet illud ſupra citatum, *Vocavi, & renuiſtis extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne Conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*: Ergo Deus per gratiam ſuam non ità trahit liberum arbitrium, ut tollat illud; cùm in ipſo ſemper maneat poteſtas reſiſtendi, & conſentiendi, ſi velit; alioquin omnes reſiſterent, vel omnes conſentirent. Quòd tamen eſt falſum, quia certi ſumus infallibilitate Evangelij, multos fuiſſe vocatos, paucos verò electos. Ratio hujus diviſionis eſt, quia non omnes, ſed pauci divinæ vocationi conſentire voluerunt, etenim renuere, non eſt voluntatis divinæ, ſed humanæ.

Alia hæreticorum ratio proponitur & reſolvitur.

Impugnant hæretici concluſionem noſtram Authoritate Apoſtoli ad Rom. cap. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed Dei eſt miſerentis, cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, ex hoc inferunt, opera noſtra, quæ Deus acceptat, non eſſe humanæ voluntatis, ſed divinæ, ac proinde hominem non habere potentiam liberam ad benè operandum. Et bonum opus non ad nos, ſed in Deum duntaxat eſſe refundendum, veluti in ſolam, ac totalem actionem operis boni, & meritorij.

Obiiciunt hæretici.

Reſpondetur authoritates illas contrà aſſertionem noſtram non militare, quoniam verba Apoſtoli accipienda ſunt de voluntate Prædeſtinationis divinæ, cùm in toto illo capitulo, de nulla aliâ re loquatur, quàm dè prædeſtinatione. Nam Apoſtolus declarat (inquit noſter Alphonſus à Caſtro) prædeſtinationem illam divinam, quâ Deus aliquos ab æterno præordinavit ad vitam æternam, non pendere ex noſtris meritis, ſed ex ſola miſericordiâ divinâ, quæ ſine noſtris meritis ad hæreditatem æternam nos elegit ante mundi conſtitutionem, ut docent plures Theologi aſſerentes prædeſtinationem ad gloriam fieri ante præviſa merita; ergo ex illa authoritate

Reſpondetur primo objectioni hæreticorum.

Apoſtoli, non poteſt inferri remotio liberi arbitrij; cùm nonobſtante prædeſtinatione, electi, & reprobi poſſint liberè agere, & de facto neceſſe ſit quòd benè egerint, ut aſſequantur gloriam; cùm juxta Sanctorum Patrum Doctrinam, prædeſtinatio in executione, non fiat ante præviſa merita, teſte Divo Athanaſio in Symbolo dicente, *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum:* Nec valet dicere quod talis prædeſtinatio ſit infallibilis, ut propter hoc, noſtrum arbitrium, juxta illam cogatur operari. Ratio quam affert idem Author, eſt quia qui prævidit finem prædeſtinatorum videlicet gloriam, prævidit etiam media per quæ talis finis eſt acquirendus: opera ſcilicet bona, quæ cum Dei adjutorio, illi ſunt operaturi. Quare Divus Petrus admonet nos in 2. Epiſt. cap. 1. nè videlicet nos ſecuros reddat divina Prædeſtinatio, ibi enim ait: *Quapropter fratres mei magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis,* ex quâ authoritate ſatis apertè conſtat, prædeſtinationem divinam, nullam prorsùs inferre neceſſitatem noſtris operibus, aut in aliquo minuere noſtri arbitrij libertatem.

D. Petrus. 2. cap. 1.

Reſpondetur ſecundò Apoſtolum loqui de Prædeſtinatione ad gratiam, quæ eſt purum Dei miſericordiæ opus; non verò de operatione meriturum; cùm merita ſint actus voluntatis humanæ ſupernaturali auxilio adjutæ, ut teſtatur idem Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 10. dicens: *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi non ego autem, ſed gratia Dei mecum:* ibi enim Apoſtolus laborem ſuum (qui meritorius erat) non tribuit gratiæ tantum, nec voluntati ſuæ tantum, ſed utrique ſimul, ſubindeque docet, in nobis eſſe potentiam ad benè operandum, hancque poſſe benè operari cum gratia Dei, vel malè, nonobſtante eadem gratia, quæ cum detur ut nos adjuvet ad benè operandum, & fiat efficax ſeu effectus ſequatur cooperatione noſtrâ, ſeu poſito conſenſu noſtro, certum eſt quòd liberum arbitrium vere operatur, ſi velit, vel non operatur; ſi velit non operari.

Altera reſponſio objectionis ſolutio.

Tandem objiciunt illud Apoſtoli ad Rom. 7. verſ. 15. *Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio:* in his ſiquidem verbis, Paulus declarat ſe non eſſe liberum, nec poſſe facere bonum quod vult, ſed teneri facere malum, quod non vult. Et oſtendit ſe coactum, & neceſſitatum ad faciendum illud quod facit, ſive bonum, ſive malum: ait enim verſ. 16. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Ultima hæreticorum ratio.

Reſpondeò Apoſtolum ibi non excludere liberum arbitrium, nec potentiam ad actum bonum, divinæ gratiæ Juvamine roboratam; cùm loquatur de ſe ipſo propriis naturæ viribus relicto, ut ipſe demonſtrat per ea, quæ ſequuntur; *Scio enim quia non habitat in me bonum; nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio:* Sed ſolùm declarare concupiſcentiam eſſe in nobis maximam difficultatem ad operandum bonum, quod præcipitur in lege Chriſti, ut ſuadet ſenſus verborum; ait enim verſ. 16. *Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt,* Nonnè hæc verba denotant facultatem nolendi & conſentiendi? Ergo erat in ipſo voluntas, quâ poterat conſentire, vel diſſentire; Reverà huic legi (quam bonam agnoſcebat) conſentire non poterat niſi cum maximâ difficultate, propter pondus concupiſcentiæ, quâ quidem concupiſcentiâ proni ſumus ad malum, quod Lex bona prohibet. Non autem cum impoſſibilitate aut impotentiâ, ac ſi ipſa voluntas eſſet ab intrinſeco inapta ad conſentiendum legi mentis; ait enim verſ. 22. *Condelector Legi Dei ſecundum interiorem hominem,* quibus verbis declarat ſe poſſe obſervare Legem Dei per voluntatem cooperantem gratiæ, & per Spiritum Sanctum excitatam.

Explicatur vera mens Apoſtoli.

Vel, reſpondeo, ibi Apoſtolum loqui ſecundum Partis inferioris & Carnis, aut Corporis affectus, qui provocant ad malum, ſeu de motibus concupiſcentiæ, ideo ait, *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Non verò ſecundum affectum partis Superioris, & mentis in Deum; quare infrà ait: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: Igitur ego ipſe mente ſervio Legi Dei, carne autem Legi peccati.* Nam Apoſtolus ſignificat in ſe jam ad Chriſtum converſo, bonam quamdam eſſe propenſionem ad volendum id, quod bonum eſt, imò & ipſam bonam voluntatem à Spiritu Sancto excitatam, & adjutam ad comprimendos concupiſcentiæ motus; ſed reluctantibus illecebris corporis & animi affectibus non poteſt abſque aliâ opitulante gratiâ piam illam voluntatem executioni mandare. Quare conſiderans illos concupiſcentiæ motus adverſantes Legi divinæ, qui in eo eliciuntur: ait verſ. 19. *Quod nolo malum, hoc ago,* id eſt, quod eſt contra Legem, hoc facio propriis naturæ viribus derelictus; ſed conſiderans voluntatem Dei, ſecundum interiorem hominem, delectatur, quia divinæ gratiæ juvamine roboratus, mente ſervit Legi, & bonum operatur quamvis in illo habitet peccatum, ſeu concupiſcentia, quæ hîc per peccatum exprimitur, ſicut cauſa per effectum; Unde cap. ſequenti verſ. 1. ait, *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant.* Et alibi: *omnia poſſum in eo qui me confortat.*

Altera Apoſtoli explicatio.

His addo authoritatem Divi Auguſtini tract. 93. in Joannem, qui exponens hæc verba, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* ſuprà relata inquit, *Audiamus Evangeliſtam dicentem,* dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, *Nè omnino exiſtimemus in noſtrâ poteſtate non eſſe quod credimus. Verumtamen in utroque beneficia illius cognoſcamus: nam & agenda ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas ad orandum nè ſuccumbat infirmitas.*

D. Auguſt.

ARTICULUS VIII.

Defendit adverſùs Tertullianiſtas, homines ſceleratos non converti poſt mortem in Dæmones.

ADverſùs hunc articulum olim inſurrexiſſe hæreſim, refert Philaſtrius, nullum tamen aſſignat authorem neque Patronum ejuſdem hæreſis (ſuppreſſo etiam authoris nomine) meminit Guido Carmelita in ſuo lib. de hæreſibus ubi inter hæreſes, quas recenſet, iſtam numerat inter eas quarum authorem ignorat, ut advertit noſter Alphonſus à Caſtro, qui valdè miratur quòd ipſe Guido eam ſine nomine in ſuo catalogo poſuerit, ejus ratio eſt, quia, (inquit) Divus Auguſtinus recenſens hæreſes, quæ nec à Philaſtrio, nec ab Epiphanio commemorantur, cap. 86. de Tertulliano diſſerens, teſtatur ipſum Tertullianum cenſiſſe, animas hominum peſſimas, poſt mortem in Dæmones verti, licet in lib. de hæreſ. ad *Quodvultdeum*, ſequens in illa parte Philaſtrium, hunc errorem ſine nomine authoris ſcribat in cap. 78. at quia ex omiſſis nihil benè conficitur, hæc hæreſis Tertulliano adſ-

Tertullianus.

cribenda eſt. Ita tenet etiam Prateolus lib. 18. Nullum contrà hanc hæreſim poſſum afferre Concilium. Quia in nullo vidi veritatem, quam defendimus adverſus Tertullianum, niſi velit lector pro hac veritate firmandâ, admittere plura Concilia, Dæmones ab animabus damnatorum diſtinguentia, aut de illis, & iſtis loquentia; nam ſi Dæmones ab animabus in inferno exiſtentibus diſtinguantur eſſentialiter, ſintque diverſi, certum eſt ſceleratorum animas poſt mortem non verti in Dæmones.

Unde ut veritas eluceſcat. Utor authoritate Matthæi Evangeliſtæ cap. 25. in quo legitur quòd Chri-
Math. 25. ſtus in die Judicij dicet peccatoribus; *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus* ibi enim Chriſtus oſtendit quòd ignis inferni paratus eſt ad torquendos alios præter malos Angelos, aut Dæmones, nimirum animas damnatorum ad pœnas inferni damnandas; alioquin diceret eis, *Ite in ignem qui paratus eſt vobis*, quoniam in inferno nulla creatura detinetur, quæ non ſit malus Angelus, aut malus homo. Homo autem eſſet malus Angelus, ſeu
Ex ultimo Judicio probatur articuli veritas Dæmon, idcirco peccator ſceleratiſſimus poſt mortem non conuertitur in Dæmonem, cùm in vanum paraſſet ignem illum Deus pro hominibus reprobis, & pro malis Angelis, ſi reprobus poſt mortem fieret formaliter & vere Dæmon. Præterea hæc converſio repugnat ex authoritate Sacræ Scripturæ, quâ anima noſtra declaratur, incorruptibilis, & per conſequens inconvertibilis in aliam ſubſtantiam: nam quòd in aliud convertitur, tunc corrumpitur, vel annihilatur, quoniam ſit aliquid, quod non erat antea; & deſinit eſſe id quod erat, ut probat exemplum vini in acetum converſi, aut aëris in aquam, tunc enim vinum & aër deſinunt eſſe; Igitur ſi anima peccatoris in Dæmonem convertitur poſt mortem, neceſſe eſt, ut in hac verſione, anima deſinat eſſe, & proindè quòd ſit ex ſe corruptibilis & mortalis; quod nequit defendere Tertullianus, cum doceat, animam eſſe immortalem, & incorruptibilem; licet docuerit cum Antropomorphitis animam eſſe corpoream.

Animæ peccatorum, quæ modò exiſtunt in inferno, reſurgent cum corporibus ſuis, & reddent de factis propriis rationem, ut eſt de fide ex Symbolo Divi Athanaſij, & ex variis Sacræ Scripturæ locis, præſertim ex illo Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 5.
2. Corint. cap. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit ſive bonum, ſive malum*, & ex alijs locis, ut videbimus in proprio articulo contra Saducæos, Valentinianos, Albanenſes, & alios hæreticos reſurrectionem carnis negantes. At ex errore Tertulliani ſequitur contrà ipſius mentem, hanc reſurrectionem eſſe falſam, nam ſi anima peccatoris converſa ſit in Dæmonem ſtatim poſt mortem, nullum corpus habet propter verſionem illam. Quia Dæmon, in quem verſa eſt, nullum corpus habet, neque habuit, nec habebit in ultimo Judicio, ut fatentur omnes, qui Angelorum exiſtentiam admittunt: Igitur hæc anima damnata (ſuppoſito quod ſit Dæmon, ſeu malus Angelus) non poterit reſurgere cum proprio corpore, cùm nullum Corpus habeat; niſi hic Dæmon, in quem converſa eſt anima damnata; iterum vertatur in animam proprium corpus aſſumpturam. Quod nemo hactenùs dixit. Deinde ſequeretur quòd homo malus non referret in illo ultimo judicio, ſicut homo juſtus, propria corporis prout geſſit, nedùm ex defectu corporis quod non habeter, ſed etiam quia ea, quæ geſſit ipſe homo ſceleratus, in corpore, non eſſent propria Dæmonis, in quem poſt mortem converſus fuiſſet: Etenim peccaſſet ut homo, & puniretur ut malus Angelus. Quòd eſt ridiculum, & abſque ulla authoritate, nullaque ratione cogitatum. Unde cùm hic error ſit omninò intolerabilis, facilè rejicitur alter ex quo naſcitur, ſcilicet homines ſceleratos converti poſt mortem in Dæmones.

Id per quod motus fuit Tertullianus ad tantum *Ratio Tertulliani.*
errorem docendum, eſt illud Joannis cap. 8. verſ. 44. *vos ex Patre Diabolo eſtis*, nam, inquit, Chriſtus per hæc verba oſtendit quòd Phariſæi & peccatores ſunt ſubſtantialiter Dæmones, ſicut Diabolus à quo ſunt, ſicut filius hominis eſt ſubſtantialiter homo, cùm generatio ſit origo viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ. Et peccatores ſint filij Diaboli, non per generationem; ſed per converſionem quamdam, quæ ſit per peccatum, quò filij Diaboli generantur, quemadmodum per gratiam generantur Filij Dei, ſeu juſti. Idem colligit ex illo ejuſdem Evangeliſtæ cap. 6. verſ. 71. *Ex vobis unus Diabolus eſt? dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem, hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim*; undè, (inquit) cùm Chriſtus ſit veritas, & in ipſo nullus ſit dolus, neceſſe eſt quòd Judas, qui peccator eſt, ſit, non Metaphoricè, ſed verè & realiter Diabolus, ac proinde quòd omnes peccatores, poſt mortem ſint verè & realiter Dæmones per quamdam converſionem.

Non nocent authoritates illæ: Tertullianus enim male intellexit eas ſicut & alias, quibus juxta qua- *Reſponſio ad Tertullianum.*
rumdam opinionem, voluit probare Deum eſſe corporeum, ut monui in primo Libro contra Antropomorphitas, in quo evidenter probatur Deum eſſe merè ſpiritualem. Hujus reſponſionis ratio eſt, quia Scripturæ Sacræ verba, non ſunt ſemper intelligenda juxtà ſolam & nudam grammaticæ ſignificationem, non ſolum quia littera occidit, Spiritus autem vivificat, ut monet Apoſtolus, ſed etiam quia Sacra Scriptura ſæpe utitur Metaphoris, in quibus propter aliquarum rerum inter ſe convenientiam, nomen unius pro nomine alterius uſurpat, ut dum Chriſtum vocat Leonem, & agnum, lapidem angularem, & paſtorem; quin tamen Chriſtus ſit verè, aut realiter Leo, aut Agnus, hoc enim dicit propter quamdam ſimilitudinem, aut proprietatem Leonis, & Agni, ſcilicet fortitudinem, & manſuetudinem: Igitur per hæc verba, *vos ex patre Diabolo eſtis* non debemus intelligere peccatores fieri filios Diaboli juxta naturam per aliquam converſionem eſſentialem, ac ſubſtantialem, ſed juxtà mores, vitia, & malas voluntates dumtaxat, in quibus Filij parentes imitantur, nam cujus opera quiſque facit, ejus & filius vocari poteſt, ut facilè colligitur ex illo Joannis 8. verſ. 39. ubi legitur *Joan. 8.*
Judæos dixiſſe Chriſto, *Pater noſter Abraham eſt*, & Chriſtum eis reſpondiſſe, *Si Filij Abrahæ eſtis, opera Abrahe facite*.

Inſuper. Si Tertullianus velit ex illa authoritate Joannis quòd peccator poſt mortem verè & ſubſtantialiter convertatur in Dæmonem, debet etiam velle, quòd juſtus poſt mortem convertatur etiam verè, & ſubſtantialiter in Deum, quoniam Propheta ſic juſtos alloquitur, *Dij eſtis vos, & filij excelſi omnes*, Chriſtus Math. cap. 5. verſ. 44. & 45. inquit, *Math. 5.*
Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & Calumniantibus vos. Finis hujus præcepti eſt, *ut ſitis Filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt*, Item ex illo 1. Joan. cap. 3. *Chariſſimi nunc Filij Dei ſumus*, quod dictum eſt de juſtis, ut probant *Joan. 3.*
ea, quæ præcedunt: *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut Filij Dei nominemur & ſimus*, ſed Tertullianus ex his locis non infert, animam Juſti converti in Deum, ergo nec ex alijs debet inferre, animam peccatoris converti in Dæmones.

ART. IX.

ARTICULUS IX.

Oſtendit Philaſtrio, omnes homines ante confuſionem Babilonicam locutos fuiſſe uno, eodemque Idiomate.

PHilaſtrius Brixienſis Epiſcopus, qui cum Sancto Ambroſio, & Juſto Lugdunenſi, Aquilejenſi Concilio interfuit, anno CCCLXXXI, vir eruditus, & Sanctus, cujus meminit Divus Auguſtinus in ſuo de hæreſibus Catalogo. Docet In lib. de hæreſ. cap 56. varias linguas fuiſſe in mundo, ante
Philaſtrius confuſiouem Babelicam, ſeu ante ædificationem Turris Babel, de quâ fit mentio in lib. Geneſ. cap. 11. verſ. 4. vultque ſententiam oppoſitam eſſe hæreticam. Sed omnes Scriptores tam antiqui, quàm recentes communiter credunt, ipſum Philaſtrium erraſſe, & putant hæreſim eſſe, quod ille docet, ut fatetur noſter Alphonſus à Caſtro, quoniam (inquit) Scriptura Sacra tam apertè dicit, unicam tantum fuiſſe linguam, ut nihil manifeſtius dici poſſit. Undè obiter obſervandum eſt, librum de hæreſibus, quem edidit Philaſtrius, eſſe magnâ cum prudentia, & diſcretione legendum, cùm plura inter hæreſes recenſeat, quæ verè hæreſes non ſunt. Ut autem veritas eluceſcat & conſtet, Scripturam Sacram demonſtrare quòd omnes homines ante Babelicam confuſionem, loquebantur uno, eodemque idiomate; ſic diſcurro authoritate Sactorum librorum & Sanctorum Patrum, qui communiter aſſertionem noſtram tenent.

Babelicæ Turris ædificatores graviter peccarunt, ut fatentur omnes contrà Toſtatum quæſt. 8. in cap: 11. Geneſ. qui eos à peccato excuſare conatur. Peccatum illud colligunt ex illo Geneſ. 11: verſ. 4. *Dixerunt venite faciamus nobis civitatem, & Turrim cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen noſtrum antequam dividamur in univerſas terras.* Hæc enim verba arguunt peccatum, ſeu ſuperbiam, ut advertit Divus Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei,
Ædificatores Turris Babilonicæ peccaverunt. cap. 4. ubi ait *Erigebat ergo Nembrod, cum ſuis populis Turrim contra Dominum, quâ eſt impia ſignificata ſuperbia*: Idem docent Joſephus lib. 1. antiquit. Et Divus Joannes Chryſoſtomus Homil. 30. in geneſim ait: *Hi quoque honore pares, & ejuſdem linguæ honore conceſſo, in malum abuſi, quàm graviter peccarint. Et linguarum varietate ſunt experti*: peccatum autem illud fuit punitum, ut advertit idem Sanctus Auguſtinus ſtatim dicens: *meritò malus punitur affectus, etiam cui non ſuccedit effectus*; ſed punitum fuit diviſione aut pluralitate linguarum: nam ante ædificationem Turris illius Babelicæ, omnes homines erant unius linguæ, & terra erat unius Labij; ut habetur in eodem capite verſ. 1. & Deus deſcendit ut linguam populi divideret, ut patet ex eodem cap. Geneſ, verſ. 5. & ſequentibus: *Deſcendit autem Dominus ut videret civitatem, & turrim, quam ædificabant Filij Adam & dixit. Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus: cæperuntque hoc facere nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant, venite igitur aſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui; atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras, & ceſſaverunt ædificare civitatem, & idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt Labium univerſæ terræ, & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum*: Hæc enim verba ſunt judicialia, & ſignificant pœnam in varietate linguarum conſiſtentem, fuiſſe hominibus impoſitam, ut notat textus hac particulâ, *Et confundamus ibi linguam eorum*: Hæc quippè oſtendunt tunc labium fuiſſe confuſum, & Idioma multiplicatum, ut obſervat Abydenus apud Euſebium, de præparat. Evangelij cap. 14. ubi de Turris Babilonicæ molitione loquens, ait: *Homines quorum ad id tempus una, eademque linguâ fuerat, multiplicem, ac diſcrepantem ex eo vocem emiſiſſe*: Sicque Deus punivit Turris Babelicæ ædificatores: hæc autem verba *Deſcendit Dominus ut videret* Judiciariam actionem ſignificant, quâ de re Maimonides in more Nevochim p. 1. cap. 10. ait: *Quando plaga ſuper gentem, vel regionem aliquam, juxta voluntatem Dei deſcenſura eſt, eamque Deus infligit, dicitur deſcendere, & res iſta vocatur deſcenſio.* Itaque homines uſque ad hujus Turris ædificationem, locuti ſunt uno, eodemque Idiomate.

His ſuffragatur Divus Auguſtinus in lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 9. ubi ait: *Cum ad* *D. Auguſt.*
illud uſque tempus eſſet unius linguæ cunctus populus univerſorum, qui ad tale opus venerat, lingua in diverſa verba diviſit, ſcilicet ac rectiſſimo arbitrij Judicio, qui alto ſuperbiæ tumore membra contempſerat in fragiliſſima ſubſtantia ſua modo ſermonis utique pœnam ſentiret; & hoc non in ipſis tantum patribus, quod evenerat, fiebat, ſed per omnes Filiorum propagines, talis vindicta conditio pertranſibat, ut qui æternam ſibi poſteritatis famam quærerent, manſuram in illis poſteritatibus ipſius præſumptionis per univerſas venturi ſæculi tempora animadverſionem, invenirent: Quibus manifeſte demonſtratur, unam linguam fuiſſe in diverſas diviſam á Deo, ut perduelles illi; nullam amplius invicem ſocietatem habere volentes; ob ſermonis ignorantiam, neceſſitate compellente, diverſi diverſas cum ſuis, quibus eadem lingua communis erat, quærerent ſibi commodas, & gratas terræ regiones, quas incolerent, & excolerent. Certum eſt igitur quòd lingua fuit diviſa in pœnam inſolentis operis, nimirum ædificationis Babelicæ Turris.

Idem docet Eucherius, ex Lirinenſi Monacho Lugdunenſis Epiſcopus lib. 52. ſuper Geneſ. cap. *Eucherius*
1. ubi ità loquitur: *Eo autem tempore quando lingua-* *Lirinenſis*
rum facta eſt Varietas, in ſola domo Heber, quæ anteà fuit lingua: remanſit, ex quibus liquidò conſtat, Doctorem illum ſentire aliquando apud homines, unam ſolam fuiſſe linguam, ſcilicet Hebraicam, hancque remanſiſſe in domo Heber dumtaxar, ut tradunt
Origines Homil. 11. in num. dicens: *Manſit lingua* *Origenes*
per Adam primitus data, ut putamus Hebræa. Et D. Hieronymus in cap. 3. verſ. 18 Sophoniæ, ubi exponens hæc verba, *Nugas, qui à lege receſſerant, congregabo*, inquit; *id quod dicimus, nugas, ſciamus in Hebræo, ipſum eſſe latinum ſermonem nugæ, & propterea à nobis,*
ita ut in Hebræo erat, eſſe poſitum, ut noſſe poſſimus *D. Hieronymus.*
linguam Hebraicam omnium linguarum eſſe matricem, quod non eſt hujus temporis diſſerere: Idem tenent Sanctus Auguſtinus, & alij Sancti Patres, qui communiter credunt, linguam; quâ loquebantur homines ante Babelicam confuſionem, fuiſſe Hebraicam; unde cùm ab illo tempore varijs linguis loquantur Filij Adæ, ut experientia docet, nullus poteſt negare, linguas fuiſſe diverſas in ædificatione Turris Babelicæ, anteá verò unam, eamdemque apud omnes homines fuiſſe linguam, hancque Hebraicam.

His rationibus, & authoritatibus Sacræ Scripturæ, Philaſtrius reſponder, terram fuiſſe unius labij, non quòd omnes homines tunc loquerentur uno, eodemque Idiomate, ſed quia tunc quamvis plura
eſſent genera lingnarum, ſicut modò ſunt, omnes *Reſponſio*
tamen ſe invicem intelligebant, quia [inquit] uni- *Chilaſtrij*
cuique notæ erant omnes linguæ, quapropter Scriptura ait: *Erat terra labij unius, & ſermonum eorumdem*, hoc eſt, quilibet homo intelligebat omnes linguas;

V

& addit quòd hæc intelligentia ſublata fuit tempore confuſionis Babelicæ, Quòd verum eſſe probat, ex illo Geneſ. verſ. 9. *Et idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ*, hoc eſt, confuſa fuit intelligentia linguarum, qoam unuſquiſque habebat ante ædificatinnem Turris, quamque unuſquiſque poſteà perdidit.

Nullitas reſponſionis Philaſtrij Non valet hæc reſponſio, quia Sacra Scriptura dum dicit quòd terra erat labij unius, affirmat omnes homines habere eamdem expreſſionem, idemque Idioma, ſeu loqui eadem linguá, aut tunc, ſeu ante ædificationem Turris Babelicæ, varietatem linguarum, non fuiſſe in terra; benè verò poſteà, ut ſuader hæc particula, *Ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ*, id eſt, confuſum eſt idioma, quo homines loquebantur; ratio hujus expoſitionis eſt, quia dato quòd quilibet homo ſcirer modò omnes linguas, nullus tamen dicere poſſet, omnium hominum idioma eſſe unum, & idem. Vel omnes homines habere eamdem lingoam; cùm eſſet cuique nationi propria lingua: facta enim hac ſuppoſitione, certum eſt, quod Italus v. g. qui intelligeret linguam Hiſpanicam, Gallicam, & alias, & vice verſá, id eſt Hiſpanus, qui intelligeret linguam Italicam &c. haberet ſuam linguam propriam ſeu italicam, quæ non eſſet Hiſpanica, quoniam linguarum intelligentia non efficit, ut duæ, aut tres linguæ, una dicantur.

Deindè Scriptura dicit quód homines erant unius labij, id eſt unius pronunciationis; locutionis, & Idiomatis: idcirco quamvis tunc omnes ſe mutuò intelligerent, Moyſes non poſſet dicere, terram fuiſſe unius labij, ſi tunc varietas linguarum eſſet ob rationem jam dictam; quia ibi per labium, ſignificatur locutio, aut Idioma. Ad illud quod addit, nimirum, per confuſionem linguarum, nihil aliud intelligendum eſſe, niſi privationem intelligentiæ linguarum, quam quilibet homo tunc habebat. Dico quòd eſt ſiniſtre interpretatum; nam ſi hoc eſſet, ſequeretur quód nullus homo intelligeret linguá hominis alterius nationis, quia Deus ex Philaſtrio ſubſtuliſſet illam intelligentiam linguarum in pœnam peccati. Deinde quid eſt dicere; labium tunc fuiſſe confuſum, niſi quod tunc primo diviſum, & multiplex, variumque factum; nonnè ubi unitas eſt, ibi confuſio eſſe non poteſt, ubi autem confuſio eſt, ibi eſt multitudo; itaque in hac confuſione, lingua fuit verè multiplicata in varias ſpecies, juxtà diverſitatem regionum, ut facilè colligi poteſt ex fine confuſionis linguarum, qui habetur verſ. 17. *Ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui*, quo manifeſtè oſtenditur, diviſionem non fuiſſe in intelligentia, ſed in linguâ: hæc enim verba ſuadent, quòd per confuſionem illam, lingua onius, diverſa facta fuit à lingua alrerius; & ab ipſo inintelligibilis; illa quidem confuſio, cujus meminit Scriptura, non fuit in intellectu hominum, ſed in lingua, cum dicat ibi *confuſum fuit labium univerſæ terræ*. Et per labium intelligator lingua, aut idioma, quo omnes homines loquebantur, ut unuſquiſque audiret vocem proximi ſui; unde cùm hæc confuſio fuerit, ut unus non audiret vocem alterius, ut conſtat ex dictis ſuprà; certum eſt quòd poſt illam, lingua unius regionis, nou fuit lingua alterius, ſed quælibet regio habuit ſuam linguam; non veró ante illam Turris ædificationem.

§. Unicus.

De ſolutione rationum Philaſtrij.

PHilaſtrius intendens probare, linguas fuiſſe diviſas ante ædificationem Turris Babelicæ, objicit illud Geneſ. 10. verſ. 5. *ab his*, id eſt à Filijs Noë, *Diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis*: Idem dicitur de Filijs Chami & Semi verſ. 20. ejuſdem capitis ubi legitur: *Hi ſunt Filij Cham in cognationibus, linguis, & generationibus, terriſque & gentibus ſuis*; ſed Filij Noë, Sem & Cham præceſſerunt ædificationem Turris Babelicæ, ut eſt manifeſtum, juxtà narrationem Moyſis, aut creationis hiſtoriam; ergo tunc linguæ erant diverſæ, & multiplicatæ, licet quilibet homo intelligeret omnes linguas, ut exprimunt hæc verba, *Erat autem terra labij unius*, quæ idem ſignificant, ac iſta, quilibet homo intelligebat omnes linguas univerſæ terræ. *Geneſ. 10.*

Huic rationi reſpondeo, Moyſem in illo capite locutum fuiſſe per anticipationem, quæ quidem anticipatio, Sacræ Scripturæ ſatis familiaris eſt, ut ſupra monui in articulo contrà Præadamitas; nam dum ait: *Erat autem terra labij unius*, loquitur per recapitulationem, ut notat Divus Auguſtinus, lib. 16. de civit. Dei, cap. 4. ubi ait: *Cum ergo in ſuis linguis iſtæ gentes fuiſſe referantur reddit tamen ad illud tempus narrator, quando una lingua fuit omnium, & inde jam exponit quid acciderit, ut linguarum diverſitas naſceretur; erat, inquit, omnis terra labium unum, & vox una omnibus*: Igitur Philaſtrius non probat ex illa authoritate, plures linguas fuiſſe ante ædificationem Turris Babelicæ, ſeu tempore Filiorum Noë, cùm Moyſes per anticipationem narret, & per recapitulationem, *Terra autem erat unius labij*, quæ exponens idem Sanctus Doctor inquit: *Latente narratione redeunte, ut diceretur quomodo factum ſit, ut ex una omnium lingua, fuerint diviſi per multas, & commio de illa Turris ædificatione narratur &c.* Neque id obſcurè ſignificat Moyſes, iſtam enim Noë Filiorum genealogiam claudit: his verbis: *Ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.* Sic reſpondent omnes communirer. Nihilominus dico iterom cum nonnullis, quód revera ex his verbis ſequitur propriam unicuique familiæ ac populo fuiſſe linguam ante ædificarionem Turris Babelicæ, ſed non ſequitur, fuiſſe propriam, & à cæteris diſtinctam, ita ut filij diverſà linguà á parentibus uterentur, aut ità ut tot fuiſſent idiomata, quot erant familiæ: nam licet una lingua ſit communis pluribus, hoc non obſtat: quominus unuſquiſque valeat dicere quòd ſit lingua ſua ſibi propria & naturalis. *Ad rationem Philaſtrii reſponſio.*

Hæc ultima reſponſio probari poteſt ex illo Eſther cap. 8. verſ. 9. *Accitiſque ſcribis, & librariis Regis, [erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban] vigeſima & tertia die illius, Scriptæ ſunt Epiſtolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Judæos, & ad Principes, procuratoreſque & Judices, qui centum viginti ſeptem provinciis ad india uſque ad Æthiopiam præſidebant, provinciæ, atque provinciæ, populo & populo, juxta linguas & litteras ſuas, & Judæis, prout legere poterant, & audire.* Inde enim non poteſt colligi tot fuiſſe linguas, imo & ſcribendi modos in imperio Aſſueri, quot tunc erant ejuſdem imperij provinciæ, quia *Eſther 8.*

improbabile eſt, Aſſuerum habuiſſe viginti ſeptem ſuprà centum, librarios aut ſcribas, qui tot linguis ſcriberent, ergo dato quòd Filij Noë fuerint diviſi ſecundum ſuas linguas ante ædificationem Turris Babelicæ, ut Somniavit Philaſtrius, non ſequitur ante illam Turrim, tot fuiſſe linguas, quot regiones & provincias. Ita reſpondet Natalis in hiſtoria Eccleſiaſticâ veteris Teſtamenti Tom. 1. diſſert. 5. propoſitione, 2.

Hic occaſio materiæ poſtulat á nobis, ut videamus, an ex illis linguis in ea Babilonica confuſione inductis, aliquæ jam ſuperſint, quæ aliarum modò extantium matrices cenſeantur. Ad hanc difficultatem dico, plures ſupereſſe, ut certiſſimum efficiunt vetuſtiſſima quarumdam linguarum monumenta, ex quibus conſtat, linguas illas eodem modo ab antiquis, atque à modernis in uſu fuiſſe, nec niſi Leui deflexione, aut pronunciatione varias, ut apparet ex antiquis Scriptoribus Græcis, Latinis, Teutonicis, & Illiricis, ut obſervat noſter Fraſſenius in diſquiſitionibus biblicis cap. 7. §. 2. num XI. Quæ verò, & quot ſuperſint Matrices linguæ, omnes affirmant, quòd ſunt quinque, nempe Hebræa, Græca, Latina, Teutonica & Illyrica è confuſione Babilonicâ ad nos uſque traductæ, ex

Quinque ſunt linguæ matrices.

quibus, (inquit Kircherus) quæcumque linguæ in universâ Europâ, Aſiâ, & Affricâ natæ ſunt. Idem teſtatur Lipſius Epiſt. 44. centuriæ tertiæ ad Belgas. Ex Hebraicâ, quæ in domu Heber ſemper manſit, ut Jam dictum eſt ſupra; ſucceſſu temporum derivatæ ſunt Chaldaica, Arabica, Madianitica, Samaritana, Æthiopica, & Syriaca veluti ex Græca, & Hebræa mixta. Ex græca, quam nepotes Phaleg à confuſione linguarum ſecum in Graciam detulerunt, derivatæ ſunt Attica, Jonica, Æolica, Phrigia, & aliæ diverſæ pró conſtitutione populorum, quæ in græcia ſunt. Ex Latina ortæ ſunt Italica, Gallica, Hiſpanica, Luſitanica, & ex hiſce aliæ ex Italicæ & Latinæ comixtione, inſulares Sarda & Sicula. Ex Teutonica ſiatæ ſunt Belgica, Danica, Suecica, Anglica, Scotica. Ex Illyrica autem ortum habent Polonica, Hungarica, Bohæmica, Moſcovita, Tartarica, Turcica, Bulgarica, & aliæ, quæ vigent in partibus orientalibus, quæ ita tamen corruptæ ſunt, ut vix ullum primitivæ veſtigium retineant, ut referunt plures hiſtorici poſt Kircherum apud varios modernos Scriptores citatum.

Quantum ad Perſicam Linguam. Quæritur apud hiſtoricos, an primogenita ſit; vel ex qua ex quinque principalibus oriatur? cum non appareat, ex qua alia derivata ſit, aut quæ alia Idiomata ex ipſa nata ſint. Sed quia inſtitutum noſtrum, non eſt quærere uriginem, neque multiplicitatem linguarum, ſed ſolum impugnare hæreticos, qui inſurrexerunt adverſus Eccleſiam Chriſti, hujus reſolutionis difficultatem remittimus ad Hiſtoricos, ne falcem mittamus in meſſem alienam: quamvis obiter dixerimus ex illa diviſione linguarum poſt Turris Babelicæ confuſionem, quinque primigenias linguas permanſiſſe, & ad nos uſque perveniſſe; ſufficit quidem nobis reſolvere juxtá Sacræ Scripturæ principia, & communem Eccleſiæ fidem, contra Philaſtrium, quòd ante ædificationem Turris Babelicæ, terra erat unius labij, & omnes homines tunc loquebantur eadem linguâ, eodemque Idiomate; ſic enim decebat cùm omnes homines tunc eſſent Filij unius viri, ut notat Maimonides.

ARTICULUS X.

Probat contra Arabes, animam rationalem eſſe immortalem.

CIrcá animam rationalem, varia fuerunt Philoſophorum placita, teſte Divo Auguſtino; At cum non contra Philoſophos gentiles, bellè quidem contra hæreticos, ſit nobis colluctatio, illos omittimus, ut pro tuendà animæ rationalis immortalitate, impugnemus iſtos, quorum primi ſunt Samaritani, à Samario eorum rege ità nuncupati, licet plores aſſerant, Samaritanos ſic nuncopari à Samareo Filio Cànaam Filii Cham, qui verendà

Samaritani

patris detecta conſpiciens, indeque illum delubrio ac deriſui habens, ab eo maledictus fuit. Sed quidquid ſit de hac difficultate, quæ vix reſolvi poteſt, ſufficit nobis hic oſtendere, quòd Samaritani plures docuerunt errores. Recipiebant ex Moyſi Pentateucho quatuor priores tantum libros. Negabant futurum judicium, & reſurrectionem mortuorum Inficiebantur pariter Chriſtum eſſe Filium Dei. Et hominem habere animam immortalem. Anno autem CCVII. ſub Severo Imperatore & Zephirino

Arabes.

Summo Pontifice, inſurrexerunt Arabici, ſic dicti ab Arabia, in qua habitabant, qui dicebant animam hominis mori ſimul cum corpore, ut refert Euſebius, lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 26. Idem teſtantur Divus Chryſoſtomus, & Sanctus Iſydorus, qui pro immortalitate animæ, contra Arabicos ità ſubtiliter ſcripſerunt, ut omnes cum fide Catholicâ crederent, hominem eſſe immortalem ſecundum animam, & de facto omnes ſic crediderunt; cùm Eccleſia circa hanc veritatem Diu fuerit ſine hoſte: Porro quia ſuperbia Diaboli, & eorum, qui odiunt Deum, aſcendit ſemper; In ſæculo decimo quidam vir hæreticus nomine *Vualfredus* in Occitania publicavit animam ſimul cum corpore perire. Hunc

Vualfredus

hæreticum valide impugnavit, & confutavit Durandus Caſtrenſis Abbas ordinis Sancti Benedicti.

Anno MCCCCIXC regnante Maximiliano Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Alexandro ſexto, exortus eſt Hermas Riſſuich natione Batauus,

Hermas Riſſuich.

qui dicebat, animam per hominis mortem ſimul cum corpore ità interire, nullamque poſt hanc vitam, aliam fore particularem, ut mortuo Socrate, moriatur anima ejus; & deſinat ſicut in corpore incepit eſſe, exiſtimans quòd dum Deus dixit Adamo, *Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris* locutus eſt de animæ & corporis corruptione, quòd tam animam, quàm corpus ſubjecit morti. Huic hæretico adhæſerunt Libertini, & Trinitarij, de qui-

Libertini

bus alibi ſæpe locuti ſumus, qui ut more Brutorum vivere valerent, nullamque pœnam timerent, maluerunt credere, poſt mortem, nihil de homine remanere, quàm opera meritoria elicere & pœnitentiam agere.

§. I.

Statuitur animæ immortalitas.

ANimæ rationalis immortalitatem firmant varia Concilia, videlicet Arabicum celebratum ſub Fabiano Papâ. Et Lateranenſe quintum celebratum anno MDXII ſub Julio ſecundo, & Leone X. definit in ſeſſ. 8. animam hominis eſſe immorta-

Concilium Arabicum

lem, atque in pluribus hòminibus, non unam, ſed plures eſſe animas, hoc eſt, quemlibet hominem habere animam ſuam. Tandem hanc

Ipſam animæ immortalitatem contra prænominatos hæreticos & Barbaram Sigiſmundi Imperatoris uxorem, hujus hæreſis Sectatricem, ſtatuunt ea Concilia, quæ declarant dari vitam & mortem æternam, ſeu quædam loca, in quibus animæ vel præmiantur, vel puniuntur. Pariter & omnia Concilia quæ ſtatuunt, animas decedentes cum reatu, ſeu obligatione ſolvendi pœnas temporales, in Purgatorio detineri ad tempus. Inter quæ Concilia, eſt Tridentinum.

His addo conſtitutiones Apoſtolicas lib. 6. cap. 11. ubi legitur *Nos animam incorpoream & immortalem affirmamus, nec interire eam ſicut corpora, ſed perpetuò manere, ut rationis participem, & libertate præditam.* Et articulum fidei de vitâ æternâ, qui habetur in Symbolo Apoſtolorum, quique ſtare non poteſt, niſi anima rationalis ſit immortalis, ut eſt evidens: Nam ſi vita æterna ſit credenda, atque expectanda vita venturi ſæculi, neceſſè eſt quòd anima noſtra ſit immortalis; alioquin non poſſet in æternum ipſâ vitâ frui in gloria: quamvis innocens & impolluta. Nec poſſet in æternum pati in inferno: quamvis peccatrix.

Conſtitutio apoſtolica

Evidentiùs manifeſtatur immortalitas animæ ex Sacrâ Scriptura, tam in veteri, quàm in novo Teſtamento, nam Sap. 3. dicitur. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori. Et quod à nobis eſt iter: exterminium, illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.* His enim verbis liquidò conſtat, animas eorum, qui in pace ſepulti ſunt, aut in oſculo pacis è vivis deceſſerunt, eſſe extrà corpora, atque immortales; cùm ſint in manu Dei. Et tormentum mortis minimè tetigerit eas. Idem conſtat de cæteris, ſcilicet de animabus peccatorum, quæ cum ſint ejuſdem ſpeciei, tam immortales ſunt animæ peccatorum, quàm juſtorum. Hæc quippè immortalitas, aut incorruptibilitas eſt eſſentialis proprietas animæ rationalis. Præterea animæ peccatorum æternum patiuntur in inferno ſupplicium ſicut animæ juſtorum æterna in Cœlo perfruuntur beatitudine: nullus igitur poteſt citrà hæreſim affirmare, animas noſtras ſimul cum corporibus mori, atque diſſolvi.

Sap. 3.

Apoſtolus qui cupiebat diſſolvi, ut eſſet cum Chriſto, non ſecundum corpus; cùm ſit corruptibile; ſed ſecundum animam, credebat, ipſam animam eſſe immortalem. Nec poteſt oppoſitum firmari citrà inſipientiam, quia maximum delyrium eſt, negare immortalitatem animæ ut facilè infertur ex cap. 5. ejuſdem libri Sapientiæ, ubi ipſe Sapiens inducit eos inſipientes, nimium ſeram in inferis pœnitentiam agentes, & præ anguſtia Spiritu gementes, ad intuitum fœlicis animarum juſtorum ſortis, in hæc verba erumpentes: *Hi ſunt quos habuimus aliquandò in deriſum & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodò computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos Sors illorum eſt.* Certò conſiderabant illos, quos anteà contempſerant, hæc autem conſideratio erat, ſecundum animam; non verò ſecundum corpus; quia conſpiciebant eos inter Sanctos perfruentes gloriâ, quâ corpus non fruitur, nec ſatiatur: benè verò anima, quæ per lumen gloriæ elevatur ad viſionem intuitivam Dei; & ipsâ viſione perfectè ſatiatur, ut confeſſus eſt Propheta Regius dicens, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; hanc autem gloriam corpus videre non poteſt, quia homo conſtitutus in terrâ non poteſt videre Deum, qui oculo corporeo prorsùs inviſibilis eſt ob varias rationes naturales prorſùs demonſtrativas, quas afferunt Theologi Scholaſtici. Quare anima, quæ ex ſe hujuſmodi appetitum habet, debet eſſe omninò immortalis. Undè idem Propheta Pſal. 21. verſ. 31. ait: *Et anima mea illi vivet.* Quæ verba exponens Divus Irenæus lib. 5. cap. 7. inquit: *Caro eſt quæ moritur, & ſolvitur, non anima, neque Spiritus.*

1. Idem 5.

Pſal. 21.

Deus creavit hominem inexterminabilem, & fecit illum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, non ſecundum corpus, & carnem, aut humanitatem: in hoc quidem ſenſu, homo non eſt inexterminabilis, nec imago Dei; qui cùm ſit immortalis, & ſpiritualis, ipſe homo nequit eſſe imago ejus ſecundum corpus, & carnem, quæ materialia, & corruptibilia ſunt: Igitur eſt talis ſecundum animam. Idcircò ipſa anima rationalis, eſt ſpiritualis, incorruptibilis, & immortalis; alioquin eſſet Deo diſſimilis ſicut corpus diſſimilè eſt. Quód eſt falſum, ut in proprio loco probatum manet contrà Antropomorphitas, & Audeanos impiè membra corporea Deo tribuentes.

anima eſt immortalis

Ad hanc ipſam veritatem ſuadendam, addo illud Exodi cap. 3. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob*, cui Marcus Evangeliſta cap. 12. verſ. 27. addit, *Non eſt Deus mortuorum ſed vivorum.* Ex quo ſequitur, quòd corrupto corpore, anima non perit, ſed vivit, quia hic ſermo eſt de reſurrectione mortuorum, & declarat quòd Deus eſt Deus vivorum, ſeu animarum, quæ ſimul cum ipſo erunt in regno Cœlorum; & ibi vivent in æternum, juxtà illud Math. cap. 25. *Venite percipite regnum vobis paratum a conſtitutione mundi*, hoc quidem regnô intelligitur gloria æterna, in qua collocantur juſtorum animæ à corporibus poſt mortem ſeparatæ, ut patet de animâ juſti Lazari, quæ ab Angelis deportata, & collocata fuit in ſinu Abrahæ. Idem colligitur ex illo Apocalyp. 6. *Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei* Quo etiam ſuadetur, animas juſtorum exiſtere in Cœlo ſine corpore; alioquin non diceret *Vidi animas interfectorum*, ſed *vidi interfectos*, ſi comprehendiſſet corpus & animam. Corpus autem in terra corrumpitur, aut ſi non videat corruptionem, Deo ſic volente, tamen non vivit, nec ſentit, cùm vivere, & ſentire à forma proveniant. Anima verò vivit in gloria, non pro aliquo tempore, ſed in æternum, quia viſio beatifica eſt perpetua, & perconſequens dicendum eſt, quòd anima rationalis eſt immortalis, aliàs non poſſet frui æterna beatitudine.

Exod. 3.

Math. 25.

Nec valet dicere, hoc verum eſſe de anima juſti, quæ vivet in æternum ſpeciali providentiâ, quâ à morte præſervatur; non verò de anima ſecundum ſe ſumpta. Non valet, inquam, quoniam anima non habet in ſe principium corruptionis, ſcilicet materiam: quippe cùm facta fuerit ex nihilo, ut imago Dei, immortalitatem Dei participat ex conſtitutione ſuâ. Deindè anima impij vivet in ſupplicijs æternis, ut probant hæc verba Math. *ite maledicti in ignem æternum*, hocque conforme eſt Divinæ juſtitiæ. Diverſa eſt enim hominum in hoc ſæculo vita, cui indignum ſæpè pro nunc contingit, præmium: videmus peccatores, ſceleratiſſimoſque homines ſæpiſſimè proſperare, nullaſque ſuis meritis dignas hîc Luere pœnas, videmus etiam juſtos adverſis vexari, morbis cruciari plurimaque pati incommoda. At ſi animæ numquam poſt mortem hominis manerent, poſſet Deus (cui hæc omnia ſubſunt) velut injuſtus accuſari, & injuſtitiâ reprehendi, eo quod juſtos puniret, ſceleratoſque homines præmio afficeret, eo quòd juſtus, qui patitur, nullum poſt mortem ſperaret

Anima rationalis non habet in ſe principium corruptionis

ſolatium, & injuſtus nullum timeret ſupplicium. Sed Deus nullo pacto eſt accuſandus, tanquam injuſtus; quoniam juſtitias dilexit, & æquitatem vidit uultus ejus; nec perdet juſtum cum impio; ideoque hoc argumento convincimur, animam poſt mortem hominis habere aliquam vitam, in qua unuſquiſque recipiet congrua ſuis meritis præmia, quæ nun reciperet, ſi ſimul cum corpore periret; quoniam quod non exiſtit, non dat nec recipit. Deindè ſi anima rationalis eſſet corruptibilis, impius de impietate ſua commodum reportaret, cùm reciperet bona in vita ſua, & juſtus ſimiliter mala. Hoc autem fieri non poſſe patet; quia qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum, igitur in homine eſt aliquid, quod in æternum vivet.

In novo Teſtamento firmatur etiam animæ immortalitas: nam Math. 10. verſ. 28. Chriſtus nos ſuaviter, blandéque conſolatur dicens, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, quaſi diceret (inquit Divus Hieronymus eadem verba exponens) *Nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter ſolvitur, timete maledictum Spiritualis mortis, & per quod anima in æternum cum ſuo corpore cruciatur; non poteſt homo occidere animam tuam, uſque ad corpus ſævit: tu noli ſævire in animam tuam, præſent à anima tua Caro vivit, perſecutor poteſt eijcere, non autem interficere animam tuam*; & Divus Gregorius lib. 4. Dialogorum ait: *Tres vitales ſpiritus creavit omnipotens Deus, unum qui carne non tegitur, alium qui carne tegitur, ſed non cum carne moritur. Tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur. Primus Angelorum, ſecundus hominum, tertius Brutorum animalium.* His enim conſtat, animam rationalem non eſſe morti ubnoxiam, ſicut corpus, ſed immortalem, ut proprium eſt cuilibet enti ſpirituali, quod cùm careat materiâ, ſeu principio corruptionis, debet eſſe incorruptibile & immortale; nam ſi ens Spirituale (quale eſt anima rationalis juxta illud Eccleſ. 12. verſ. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat & Spiritus redeat ad Deum*, & 1. Corinth. cap. 2. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt?*) poſſet corrumpi & deſtrui, per mortem, quâ deſtruitur, & corrumpitur corpus, hoc proveniret vel à ſe, vel ab alio; ſed ens ſpirituale non poteſt corrumpi à ſe. Quia nihil appetit ſui deſtructionem: imò perennem ſui conſervationem, naturali ſtimulante deſiderio, omnia copiunt; cùm quodlibet ens tendat ad propriam conſervationem, ut docent omnes cum Apoſtolo dicente 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 4. quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri. Nec poteſt corrumpi ab alio, ratio eſt. Quia hæc corruptio proveniret ab alio inferioris virtutis, vel æqualis, vel ſuperioris. Non primum, quia inferius non poteſt deſtruere ſuperius; cùm activum majorem arguat virtutem, quàm paſſivum. Nec ſecundum quoniam par in parem non habet poteſtatem, nec ſimile agit in ſimile, ut deſtruat illud. Nec tertium, quia ſola ſubſtantia divina eſt ſuperior, & in virtute excedit ſubſtantiam Spiritualem creatam. Nam inter creaturas, immaterialis eſt nobilior corporali; & inter ſubſtantias ſpirituales, ſubſtantia Dei eſt longè, imo & infinitè perfectior creatis: Igitur anima rationalis, eſt omninò incorruptibilis, & immortalis, quia Deus licet poſſit eam deſtruere, & annihilare, tamen non decrevit eam in nihilum reducere, unà cum corpore, quod eſt materiale, ac corruptibile. Imo voluit eam in æternum manere, cum anima rationalis appetitu innato tendat ad Deum, ut teſtatur Propheta Pſalm. 41. dicens: *Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Naturaliter enim fugimus mortem, teſte Apoſtolo dicente, *Nolumus nos ſpoliari, ſed ſemper ſuperveſtiri*, ac proinde appetimus vitam immortalem, quia fugiens juxta naturalem inclinationem unum oppoſitorum, fugit propter amorem alterius oppoſiti, ideoque fugiens mortem, appetit vitam; cùm Mors & vita opponantur, hæc autem vita immortalis, quam appetimus, nequit eſſe in corpore, ſed in anima, ergo hæc eſt immortalis.

Math. 10. — *D. Hieronymus.* — *Subſtantia ſpiritualis eſt incorruptibilis.* — *Pſal. 41.*

Præterea omne ens habet ſuum finem à natura inſtitutum, in quo perfectiſſimè quietatur, delectatur, & beatur; anima autem in hac vitâ non aſſequitur talem finem, teſte Auguſtino dicente, *inquietum eſt cor noſtrum donec quieſcamur in te*. Ergo debet dari alia vita, præter vitam corporis, quæ conveniat animæ, quæ ſit ſine fine, cùm id, quod eſt in Deo, æternum ſit. Quare Scriptura inquit, quòd juſti in perpetuum vivent, & impios mors depaſcet, hoc eſt, vivent in ſuppliciis æternis; hocque congruit Divinæ Providentiæ, cujus diſpenſatio ità digna & æqua eſt, ut probis pacem, & improbis pœnam decernat in æternum; hæc autem pax immortali tantum dari poteſt, ut notat Divus Cyprianus exponens illud Luc. 2. *Nunc dimittis ſervum tuum in pace.* Ubi declarat tunc ſervis Dei eſſe pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quandò de mundi miſeriis extractis; ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quandò expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus: igitur anima rationalis, cui hæc pax in cœlo datur, eſt immortalis.

D. Auguſt. — *D. Cypriani*

Pro immortalitate rationalis animæ firmanda, non parum juvat afferre nonnullas rationes phyſicas; nam anima rationalis habet potentias infinitæ capacitatis, nimirum intellectum, & voluntatem, quæ in nullo ente creato quieſcunt, & à creaturâ nullactenus dependent, cùm ſint immediate à Deo per creationem, ideoque intellectus & voluntas ſunt potentiæ immortales, & indefectibiles; quippe quod primo ſe movet ad ſuas operationes, & habet in ipſas plenam poteſtatem, eſt immortale; quia quod primo ſe movet, & non movetur ab alia cauſa, eſt duraturum in æternum, quoniam ſi deberet interire, deberet moveri ab alio naturali agente, & ad conſervationem concurrente; anima autem, quæ habet potentias indefectibiles, ab ipsâ indiſtinctas, non eſt alterius naturæ à voluntate, & intellectu; idcirco debet eſſe immortalis, ſicut ipſa voluntas, quia ſicut hæc operatio volitiva non poteſt impediri, nec auferri à creaturâ aliqua, [quilibet enim homo dicere poteſt ſicut David Pſal. 118. verſ. 109. *Anima mea in manibus meis ſemper*] itá nec ejus eſſentia & exiſtentia ſcilicet anima, poteſt deſtrui per actionem alicujus creaturæ, nam qualis eſt operatio, talis eſt eſſentia; cùm operari ſequatur eſſe, ideoque ſi potentiæ animæ ſint immortales, immortalis quoque eſt ipſa anima.

Rationes Phyſicæ quæ probant immortalitatem animæ.

Præterea quod corrumpitur cum corpore, magis ac magis declinat, declinante corpore, ut quotidiè experimur. At anima non declinat, nec ſeneſcit, ſeneſcente, & declinante corpore, cùm intellectus in ſenibus magis vigeat; ergo anima rationalis non corrumpitur cum corpore, tum quia non incipit cum corpore, hoc eſt, non fit per eamdem potentiam, per quam fit corpus. Illud generatur; anima verò creatur à Deo, qui juxta Scripturam Sacram finxit Spiritum omnibus hominibus. Tum quia anima exercet multas

operationes omninò à corpore independentes, ut patet in intellectione & maximè in extaſi, aut raptu in quo omnes corporeæ actiones ceſſant, & ipſa anima operatur; idcircò anima & corpus non deſinunt per eamdem potentiam, ſcilicet per corruptivam; cùm per eamdem non naſcantur: res enim per quaſcunqoe cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, ut *D. Chryſoſt.* tradit D. Chryſoſtomus in regulis juris cap. 1. ex quo ſequitur quòd corpus deſinit per corruptionem, anima verò non poteſt ſic deſinere, ſed ſolum per annihilationem, cùm non ſit alius deficiendi modus, & corpus corruptione deficiat: Igitur anima non moritur cum corpore, nec perit pereunte corpore, ut putant Hæretici: ſed eſt immortalis.

Tandem ſi anima rationalis eſſet mortalis, ut volunt hæretici ſupra nominati, ſequeretur quòd nullus deberet pro republica, aut juſtitia mortem appetere, etiamſi urgeret neceſſitas tuendi rempublicam, aut ſervandi juſtitiam; cùm indè nullum bonum recipere poſſet, imo ſummum malum, id eſt, mortem, & per conſequens ſecundum rationem, potiùs eſſet eligendum malè agere, quàm mori; cùm minus malum ſit ſemper eligendum & poſt mortem, nullum remaneret bonum, nulla remuneratio, nullaque punitio. Sequeretur etiam quòd nullus eſſet Dei timor, nulla religio, nullaque juſtitia, maximè quia Deus in hac vita non ſolet ſtatim peccatorem punire, etenim (teſte Divo Petro) patienter agit nollens aliquos perire. Daretur etiam locus vitiis, nam ſi ſolum in hac vita omne bonum eſſet ità ſperandum, ut mortuo corpore, nihil ſupereſſet; nullus utilitatis eſſet tanto labore virtutem comparare, quinimo melius eſſet impiè, & luxurioſè vivere, ut habet D. Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. cap. ult. ubi ait: *Si animus mortalis eſt, Epicurus in animo meo palmam habet.* Porrò hæc omnia ſunt abſurda, cùm pro juſtitia mori, dum ſe offert occaſio tuendi eam, & Deum timere, bonum ſit, ſequitur ergo quòd anima eſt immortalis, ens per ſe ſubſiſtens, à corpore omnino independens, tam in fieri, quàm in conſervari, & remanens deſtructo corpore. Idem ſuadet Apoſtolus dicens ad Hebræos, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Judicium*, ſanè non protulit hæc verba circa corpus, quia poſt mortem hominis caret vitâ, ſed circà animam, ideoque hæc anima vivet, mortuo corpore; alioquin non poſſet judicari ſtatim poſt mortem hominis, quoniam tunc nihil remaneret.

§. II.

Solvuntur Hæreticorum Rationes.

HÆretici objiciunt illud Pauli ad Timot. 6. *Ipſe eſt rex regum, & Dominus Dominantium, qui ſolus habet immortalitatem.* Inde enim inferunt, animam rationalem non gaudere immortalitate, ſed corrumpi in corruptione corporis, aut ſimul cum corpore; alioquin Deus non eſſet ſolus immortalis, cùm anima rationalis non ſit Deus, & eſſet immortalis. Porrò falſa eſt hæc conſequentia aut illatio; duplex enim eſt immortalitas, una eſt per eſſentiam, quæ negat omnem virtutem corruptivàm, tam ab extrinſeco, quàm ab intrinſeco, & denotat omnimodam indefectibilitatem, ſeu principio & fine carentem eſſentialiter & intrinſecè. *Refutatur prima hæreticorum ratio.* Altera negat principium corruptionis ab intrinſeco dumtaxat, putà materiam; unde hoc ſuppoſito. Dicendum eſt, quòd ſolus Deus eſt immortalis in primo ſenſu. Quia cùm ſit à ſe neceſſariò exiſtens, nequit ab aliquo annihilari, aut deſinere eſſe; cùm ſit eſſentialiter exiſtens. Anima verò eſt immortalis in ſecundo ſenſu; quia corrumpi poteſt ab extrinſeco, nimirum per divinam potentiam, quæ cùm ex nihilo omnia formaverit, eadem poteſt iterum in nihilum animam redocere: Ergo Apoſtolus non negat immortalitatem animæ, dum dicit quòd ſolus Deus habet immortalitatem; cùm loquatur de immortalitate in primo ſenſu; nos vero in poſteriori.

Addunt inſuper contra aſſertionem noſtram hæc verba ſap. 2. verſ. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Ex quibus etiam inferunt, animam mori, dum moritur corpus, aut poſt mortem nihil remanere de homine. Sed minus nocet hæc authoritas, quia hæc verba non ſunt Spiritûs Sancti, ſed impiorum, ut conſtat ex verbis præcedentibus. *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè &c.* ex quibus infertur, ibi Scripturam Sacram referre mentem impiorum vitæ futuræ ſpem non habentium; non verò mentem Spiritûs Sancti; cùm ipſe Spiritus Sanctus per ſapientem dicat cap. 3. *Juſtorum anima in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* His ſiquidem evidenter conſtat, Spiritum Sanctum aſſerere immortalitatem animæ rationalis. Vel ipſam animam non eſſe de natura corporis, id eſt corruptibilem. *Solutio alterius rationis.*

Afferunt alias ex Scriptura Sacrâ authoritates, & præſertim ex Geneſ. cap. 37. verſ. 22. ubi legitur quòd Ruben audiens fratres Joſeph dicentes, *venite occidamus eum*, inquit, *ne interficiatis animam ejus*: Ergo inquiunt, anima Joſeph *Geneſ. 37.* juxtà mentem fratrum, erat mortalis, & per conſequens anima rationalis perit pereunte corpore, ſicut anima Canis. Idemque probant ex illo Eccleſ. cap. 3. verſ. 18. & 19. *Dixi in corde meo de Filijs hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis, idcircò unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento ampliùs, cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur*: Ergo ſicut animæ jumentorum ſunt mortales, etiam anima hominis mortalis eſt. *Eccleſ. 3.*

Reſpondeo authoritatem Geneſ. intelligendam eſſe de vita totius, ſeu hominis, quæ per nobiliorem partem, putà animam, exprimitur. Non verò de anima præciſè ſumpta, & quatenus eſt forma hominis: illi enim, qui occidunt corpus, non poſſunt occidere animam, ut monet Chriſtus Dominus, licet occidant hominem, igitur non nocent illa verba geneſis, nec probant animam eſſe mortalem. In Scriptura Sacra, anima ſignificat vitam, ut dum Chriſtus ait, Joan. 10 verſ. 17. *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam*, ubi anima ſumitur pro vita, animam ponere pro mori, & iterum ſumere eam pro reſurgere, ut ipſemet declarat: *Oportet filium hominis multa pati & occidi, & tertia die reſurgere*, *Explicantur textus ab hæreticis adducti.*

Ad probationem reſpondeo hæc verba Eccleſ. prolata fuiſſe in perſona impiorum, & de ipſorum mente dumtaxat intelligenda eſſe; hi quippe, ut ad pecudum inſtar omnibus corporeis voluptatibus, ſe ſe libentius ingurgitent, animam ſuam pronunciant mortalem, ut ſuadent verba ſuprà relata, quæ habentur in cap. 2. lib. Sap. & ut ſine timore vivere poſſint, nullam differentiam ponunt inter hominum & jumentorum interitum, ut notat Divus Gregorius 4. Dialog. cap. 4. aſſerens Impios *D. Gregorius.* aut Salomonem pro impiis, ſic loqui, *unus eſt interi-*

tus hominis & jumentorum, &c. Undè Sapiens ſubjunxit, *hæc cogitaverunt impii, & erraverunt*, quo etiam ſuadetur, ibi Salomonem loqui nomine ſtultorum: Vel reſpondeo cum Divo Hieronymo, & aliis, hæc verba Eccleſiaſtes intelligenda eſſe quoad conditionem corporis humani, ſcilicet quatenus de limo terræ formatum eſt; non verò quoad formam, & ſpecificationem hominis; nam ſicut moritur homo, ſic & jumenta moriuntur quantum ad conditionem corporis; ſed homo differt à jumentis quantum ad finem: etenim recipiet mercedem ſecundum ſuum laborem, quoniam qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala egerunt, in ignem æternum: undè in ult. cap. verſ. 5. ait: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, jumentis autem nihil ſupereſt, quoniam per mortem prorsùs deſtruuntur, ergo interitus hominis non eſt abſolutè talis, qualis eſt interitus jumentorum, cùm reſtet aliqua pars ipſius, ſeu anima judicanda, de jumentis autem nihil.

D. Hieronymus.

Inſuper objiciunt ratione. Anima eſt forma corporis humani, ut eſt manifeſtum, ideoque debet eſſe talis in ſuo eſſe, ſuaque duratione, quale eſt ipſum corpus, cùm neceſſe ſit quòd inter ſe proportionentur partes, ut totum componant: ſed corpus eſt corruptibile; ergo etiam corruptibilis eſt anima cum qua componit, & facit unum per ſe, quod debet eſſe totaliter ſpirituale, vel totaliter corporale. Non primum, quia videmus materiam, ſeu corpus, quod in morte corrumpitur: ergo ſecundum. Idcirco dicendum eſt, quòd homo eſt totaliter corporeus atque mortalis quoad omnes ſuas partes.

Reſponſio ad argumentum ex ratione deſumptum.

Reſpondeo animam eſſe formam corporis corruptibilis: quamvis ipſa incorruptibilis ſit, nam proportio partium non eſt entitativa, nec eſt neceſſè quòd hæ duæ partes ſint ſimiles in naturâ, in eſſentiâ, & in entitate ſubſtantiali, ita ut ambæ ſint ſpirituales, ſed ſufficit quòd una ſit potentia, & altera actus; & inter ipſas poſſit eſſe connexio & unio, quæ omnia de facto ſunt inter animam (quamvis ſpiritualis ſit) & corpus, quod eſt materiale. Quia corpus ſe habet per modum potentiæ, & anima per modum actus complentis, & informantis: igitur non repugnat quod efficiant unum per ſe conſtans partibus in natura diſſimilibus, ſcilicet Spiritu & carne; cùm unum per ſe neceſſariò includat actum, & potentiam in natura diſſimiles, & in ratione unibilium conformes, ut patet in formis ſubſtantialibus, quæ ſunt inter ſe diverſæ & ſpecificè diſtinctæ. Materia verò eſt ſpecificè una in omnibus viventibus: hoc enim probat, formas non eſſe ejuſdem naturæ cum materia.

Inſtabunt: anima poſt deſtructionem totius compoſiti nullam operationem habet, ut probat illud, Pſal. 145. *In illa die*, [ſcilicet mortis] *peribunt omnes cogitationes eorum*: Eccleſ. cap. 9. verſ. 4. & 5. *Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam: melior eſt canis vivus Leone mortuo: viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultrà mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum*. Reſpondeo negando ſuppoſitum, quia anima ſeparata à corpore intelligit, & vult; cùm vivat in Cœlo, vel in Inferno, ut dixi ſuprà. Ad primam probationem reſpondeo, prophetam loqui de cogitationibus, quas habuerunt in vita, ſeu de animo faciendi hæc, vel illa pro hac ipſa vita; nam hujuſmodi cogitationes, quæ pro rebus temporalibus in hac vita aſſequendis, fiunt, impediuntur per mortem, quæ omnia diſſoluit; non verò de operationibus abſolutè, ità ut velit, animam ſeparatam à corpore, non poſſe operari; cùm idem Propheta Pſal. 16. verſ. 15. aſſerat quòd ſatiabitur cum apparuerit ei gloria Domini, quæ non poteſt videri ab animâ exiſtente in carne, nec ab animâ non operante; ſed ſolum ad ipſa anima ſeparata à corpore. Et Pſal. 88. declarat quòd miſericordias Domini in æternum cantabit; quòd non poteſt fieri per cantum, qui à voce, & ore procedit, ſed ab intellectu, aut ab anima; idcirco hæc anima in æternum vivet. Tandem Pſal. 126. ait, *cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini:* Hæc autem hæreditas non poteſt dari corpori poſt mortem: cùm ſit gloria inamiſſibilis, & æterna; ergò in homine eſt aliquid, ſeu anima hujus æternitatis compos.

Diſſolvitur inſtantia Hæreticorum.

Ad aliam authoritatem dico, ipſam intelligendam eſſe de vita corporali; non verò de vita ſpirituali, & intellectuali, quæ poteſt adhærere Deo, & unum Spiritum eſſe cum eo. Nec ſignificat idem textus, animas hominum mortuorum nihil cognoſcere: hæc eſt enim vita æterna (inquit Divus Joannes) ut cognoſcamus Deum verum; ſed ſolùm ipſos homines mortuos non cognoſcere. Quòd eſt certum, quia per hominem intelligimus compoſitum Phyſicum ex anima & corpore reſultans, quod per mortem diſſoluitur. Vel reſpondeo Prophetam ibi loqui de juſtis, & de peccatoribus; illi enim vivunt in gratia, & ſciunt ſe eſſe morituros, & poſt mortem præmium accepturos: iſti vero ſi obſtinati ſint, nihil cognoſcent amplius, nec Mercedem habebunt; quia noluerunt audire vocem Domini, & ideo oblivioni tradita eſt memoria eorum.

ARTICULUS XI.

Quô Metempſicoſis fabula velut ridicula exploditur.

JUxtà Divum Auguſtinum lib. 2. de Trinit. cap. 5. Pytagoras docuit, animas quamdam habere revolutionem, & eaſdem poſt mortem aliquorum tranſire in alios homines de novo conceptos, hoc eſt, animam Petri V. G. poſt mortem ipſius, informare, aut animare corpus aliud in utero Matris & ſic ſucceſſivè diverſa informare corpora; quapropter idem Pytagoras dicitur hujus erroris Author, ſeu primus qui tenuit Metempſicoſim, id eſt, tranſitum animarum de corpore in corpus. Eumdem errorem tenuerunt Talmuldiſtæ, ut teſtatur Salelus, regula, 250. Verùm nos hîc impugnare eos non intendimus; cùm inſtitutum noſtrum ſit ſcribere contrà Hæreticos, qui à Chriſto nato inſurrexerunt, inter quos Pytagoram, & Talmuldiſtas non comprehendimus. Unde hic advertendum eſt, quòd hujus Hæreſis Primipilus, fuit Simon Magus de quo Act. 8. fit mentio; quique primus in Hæreticorum grege numeratur. Hujus Hæreſis defenſor fuit Marcion Ponticus, cui adhæſerunt Manichæi, qui anno Domini CCLXXIII. regnante Aurelio Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Fœlice primo, docuerunt teſte Epiphanio, Hæreſ. LXVI. animas ſubire corpora modò hominum, modò bruttorum, modò reptilium, modò piſcium, &c.

Simon Magus.

Marcion.

Plures credunt, Manichæos hunc errorem à Gnoſticis accepiſſe, & pro hac parte citant Divum Epiphanium, Hæreſ. 46. & Divum Irenæum lib. 1. cap. 24. & lib. 2. cap. 31. Alii verò hoc negant, & pro hac parte citant nonnullos recentiores, qui in Catalogo Hæreſum, iſtam Gnoſticis non tribuunt. Quantum verò ad nos ſtat non priori, ſed poſteriori opinioni ſubſcribimus, quoniam Manichæi, Gnoſticis duo coæterna rerum omnium principia admittentibus, Metempſicoſim addiderunt. Reapsè ſtatim

Manichæi.

ſopita fuit hæc Manichæorom Hæreſis, ſed diu poſtea, ſeu anno DCCLXXXXVI. tempore Conſtantini ſexti, & Leonis tertii Papæ, ab inferis ſuſcitata *Albanenſes* fuit per Albanenſes, adjunctis Bajolenſibus, & Concordenſibus, qui dixerunt, Deum non creare animas novas, nec eas fundere in corpora humana, ſed ſimol in principio creaſſe omnes animas, quæ creandæ erant; & modò eas transmigrare de corpore in corpus, adeo quidem, ut poſt unius hominis mortem, illius anima ad aliud corpus vegetandum atque fovendum tranſiret. Eamdem Hæreſim ſecuti *Albigenſes.* ſunt Albigenſes; cùm conſtet ex variis hiſtoriis, ipſos in comitatu Toloſano circà annum Domini MCCXVI. tempore Friderici II. & Innocentii III. dixiſſe, animam hominis, ſecundum ejus meritum per diverſa tranſire corpora, etiam animalium, & Serpentiom, ſi malè vixiſſet, ſi verò probè, in corpus alicujus Principis, vel alterius perſonæ illuſtris tranſmeare. Quòd quàmfabuloſum, ridiculum, & inſaniâ plenum ſit, oemo non videt. Quapropter Hæretici recentiores, qui licet plura malignati ſint, in hoc tamen à Manichæis receſſerunt.

§.

De Rationibus contra tranſmigrationem animarum.

HÆc Hæreſis damnata manet in vatiis Concilis, ſeu in omnibus illis, in quibus definitum fuit, animas hominum creari à Deo, cum corpora generantur, & perfectè organizantur, ut ipſa animent. Et in aliis, in quibus declaratur, quòd anima ſtatim poſt mortem judicatur, & ad præmium, vel ad pœnam deſtinatur. Hæc deciſio babetur præ- *Lateranenſe IV.* ſertim in Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. celebrato anno MCCXV. pro damoandis Albigenſium, & Almarici, necnon Joachini Abbatis Hæreſibus, inter quas, eſt hæc, quam hîc impugnamus contrà Hæreticos ſuprà nominatos. Tandem & in Latera- *Lateranenſe V.* nenſi V. celebrato anno MDXII. contrà Conciliabulum Piſanum, & pro reformandis Eccleſiæ moribus, & Chriſtianis principibus uniendis, ſub Julio II. & Leone X. in hujus enim Concilii Seſſ. 8. legitur: *Cum anima non ſolum verè & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm etiam immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multitudine, ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit,* quibus ſuadetur Concilium velle, quòd tot ſint animæ, quot ſunt homines, ac proindè animam unius non tranſire in corpus alterius, nam ſi una anima plura corpora ſucceſſivè animaret, corporum numerus, animarum excederet numerum. Sunt alia Concilia ex quibus evidenter inferri poteſt eadem veritas, ſed ea omitto, tum brevitatis gratia, tum quia infrà erit locus adducendi ea.

Conciliorum authoritatem, & univerſæ Eccleſiæ *Math. 25.* Chriſti fidem firmat Sacra Scriptura Math. cap. 25. declaratur, quòd cum venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, congregabuntur ante eum omnes gentes, ex quo ſequitur neceſſariò, animam ab uno corpore ſeparatam non tranſire lo aliud, quia indè accideret, quòd anima, quæ fuiſſet in duobus, aut tribus corporibus, non poſſet congregari ſeu reſurgere niſi in uno corpore, & ſic aliud non reſurgeret, ac proindè omoes gentes, ſeu omnes homines non congregarentur ante eum. Vel ipſa anima reſurgeret cum duobus aut tribus corporibus naturâ diverſis, quòd eſt falſum, cum ex Symbolo Divi Athanaſii omnes homines reſurgere habeant cum corporibus ſuis, & redditur ſint de factis propriis rationem. Et nullus ſit homo, qui non conſtet animâ & corpore (non Canino, ſed humano) tamquam partibus iotrinſecis, & eſſentialibus; etenim hæc apparitio ſignificat primò quòd tunc tot erunt animæ, quot corpora, & tot corpora, quot animæ. Secundò quòd illa corpora erunt humana, omnes enim, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona egerunt in Reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in Reſurrectionem Judicii: ut ſancit Evangelium, Joann. 5. At ſi tot fuerint animæ, quot corpora & è converſo, maniſeſtiſſimum eſt quòd anima ſeparata à corpore, non tranſit in aliud, nam in ultimo Judicio, tot erunt *Ultimum Judicium impugnat Metempſicoſim.* corpora, quot animæ; una anima non erit in duobus, aut tribus corporibus, nullum corpus reſurget ſine anima, nullum corpus reſurget niſi humanum, ut attentè conſideraoti patebit: ergo Judicium univerſale damnat tranſmigrationem animarum. In illo quidem Judicio, omnes nos maniſeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum, ut teſta- *2. Corinth.* tur Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. Quòd certò ſignificat, quemlibet hominem, ſeu quodlibet compoſitum ex corpore, & anima rationali, eſſe reſurrecturum, & rationem redditurum eorum, quæ fecerit. Quia tunc Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua, quæ non ab anima ſola, nec à corpore ſolo, ſed ab homine, id eſt ab anima, & corpore ſimul conjunctis & unitis, ut ab uno agente, proceſſerunt; quippè anima ſeparata à corpore oon meretur, & corpus ſeparatum ab anima non operatur, ac proindè non peccat; idcircò anima rationalis eſt ità forma unius corporis dumtaxat, ut oon poſſit etiam ſeparata ab illo, informare aliud.

Hæc ratio confirmari poteſt ex quodam abſurdo, quod ex errore Hæreticorum procederet: ſuppoſito enim quòd anima in priori corpore plura commiſiſſet peccata, de quibus nullam pœnitentiam egiſſet dum viveret in eodem corpore. Et quòd in ſecundo corpore nullum peccatum mortale commiſiſſet, aut ſi commiſiſſet aliquod, fuiſſet illi per veram pœnitentiam & ſinceram Confeſſionem remiſſum, certum eſt quòd ipſa anima quatenus eſt forma ſecundi corporis, non poſſet puniri, quoniam ſic conſiderata innocens eſt, atque impolluta; cùm pœnitentia, aut perfecta contritio mundet nos ab omni peccato. Nec poſſet coronati, quatenus eſt forma primi corporis, quia quatenus eſt forma ipſius, innumeris oneratur peccatis. Igitur non poſſet habere præmium ſpeciale, nec ſupplicium, quia non eſſet ſpecialis uni corpori, ſed communis duobus, aut tribus, ſeu omnibus corporibus, in quibus fuiſſet. At hoc eſt falſum, quia Deus reddet uniquique ſecundum opera ſua. Inſuper ſequeretur quòd eadem anima in illo ultimo Judicio juxta ea, quæ diximus, eſſet coinquinata, ſeu maculata, & munda, quòd eſt impoſſibile reſpectu unius, & ejuſdem ſubjecti indiviſibilis, & inextenſibilis, quale eſt anima rationalis.

Dicent Hæretici Metempſicoſim defendentes. *Rejicitur inſtantia.* Hæc duo oppoſita poſſe in rigore Philoſophico verificari de eodem in ordine ad diverſos terminos, aut reſpectus. Porrò hæc ratio Philoſophica non nocet; quia agitur de animâ, quæ debet pœnam, vel præmium habere, ſeu mitti in Infernum, vel in Cœlum, & perconſequens diſcurrendum eſt, (remota quacumque dialecticorum ſubtilitate) atque examinandum, an hæc anima in die Judicii erit à dextris, vel à ſiniſtris, ſeu inter homines quibus dicetur, *venite Benedicti Patris mei,* vel inter alios, qui audient hanc vocem Judicis offenſi, *diſcedite à me Maledicti.* Si dicant, hanc animam eſſe inter beatas reponendam, errant, quia ſunt coinquinatæ, & ideo non intrabunt in Regnum Cœlorum. Si ſtent pro altera

parte, errant etiam, quia hæc anima non peccavit in ſecundo corpore, ut ſupponimus. Hoc autem abſurdum prorsùs rejiciendum eſt: ideirco rejicienda eſt etiam animarum tranſmigratio, nè tale inconveniens ſequatur, ut docet Divus Auguſtinus, lib. de origine animæ; ad Optatum, ubi exponens hæc verba Pſal. 32. *Qui finxit ſigillatim corda eorum*, monet, pſalmiſtam per corda ſignificare animas hominum. Et velle quod ſinguli homines, ſingulas habeant animas, & non aliquis animam alterius.

Multum juvat hîc afferre communem doctrinam, quæ demonſtrat, quemlibet naturaliter ex Adamo propagatum, contrahere peccatum originale, ut contra Pelagianos dictum eſt. Indè enim etiam ſequitur, animam uni corpori dumtaxat uniri, quia peccatum illud contrahitur ſemel tantum, ut probat ipſius remedium initerabile, nimirum Circumciſio, quæ in veteri Lege remittebat illud. Et Baptiſmus, qui in novâ confertur; ut peccatum originale deleatur; quin licitum ſit iterare illum, ut contrà Anabaptiſtas difinitum eſt: ergo ex hoc principio fidei, ſequitur, animas non tranſmigrare de corpore ad corpus. Tum quia ſæpè contraherent peccatum originale. Quòd eſt falſum. Vel quòd omnes ab Adamo nati non contraherent illud; quòd eſt etiam falſum, quia omnes in Adam peccaverunt. Tum quia ſæpè

Valida contra Metempſicoſim ratio

eidem animæ applicaretur Baptiſmus, quòd eſt illicitum; quamvis primus applicatus fuerit à Miniſtro impuro, ut declarat Sacra Tridentina Synodus Seſſ. 7. Can. 12. nam in Lege naturæ, peccatum illud ſemel remittebatur per Sacrificium, vel oblationem aliquam Deo gratam. In Lege ſcripta, per Circumciſionem, quæ gerebat vices Baptiſmi. Et in nova per Lavacrum Baptiſmi: Ergo anima poſt mortem corporis, non tranſit in aliud corpus, ſed vadit ad Deum juxtà Eccleſ. cap. 12. verſ. 7. ut ab eo recipiat ſecundum opera ſua.

Idem pariter probat hominum interitus; nam ex Concilio Florentino in Decreto unionis conſtat, animas de corporibus exeuntes, vel in Cœlum immediatè mitti, vel in Infernum, vel in Purgatorium. D. Lucas cap. 16. verſ. 22. Hanc veritatem docet,

Luc 16.

ibi enim ait: *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ. Mortuus eſt autem Dives, & ſepultus eſt in Inferno.* Quibus verbis ſuadetur, animam Lazari non tranſiiſſe in aliud corpus, nec animam Divitis, quia tunc nec in Cœlo, nec in Inferno erat aliquod corpus, in quòd tranſire poſſet anima. Deindè dato, & non conceſſo, quòd fuiſſet tunc ibi aliquod corpus, illud corpus habuiſſet animam, ideoque non potuiſſet animam Lazari, aut Divitis recipere. Si velint Hæretici, has duas animas non tranſmigraſſe de corpore in corpus, benè verò alias; à veritate plurimùm aberrant; quia non eſt major ratio de his duabus, quàm de aliis. Præterea fides docet quòd Chriſtus poſt mortem deſcendit ad Inferos, ut Patrum animas ibi detentas, ab exilio liberaret: igitur animæ illæ, non erant in corporibus aliorum in hâc vitâ exiſtentium, ac proindè nedum animabus Lazari & Divitis, ſed etiam pluri-

De animabus Lazari & divitis.

bus aliis animabus non fuit conceſſa tranſmigratio juxta fidem, ut fateri tenentur adverſarii, & indè coguntur aſſerere, animas rationales non tranſmigrare de corpore in corpus, ſed quemlibet hominem habere animam ità ſibi propriam, ut nullus alius poſſit habere illam, ut jam diximus cum Divo Auguſtino. Idem habetur ex Divo Hieronymo, qui variis in locis docet ſingulis hominibus conceptis, etiam adulterinis, ſingulas à Deo dari animas, quas creat.

Ratio naturalis idem demonſtrat, quia anima rationalis, etiam ſeparata à corpore, recordatur omnium eorum, quæ cognovit dum erat in corpore. Dives in Inferno poſitus recordabatur Patris, Fratrum, ac domûs: dicebat enim *habeo quinque Fratres*. Beati in Cœlo miſericordias Domini in æternum cantabunt, Pſal. 88. Ideoque recordantur miſericordiarum, quas in eis exercuit Deus remittendo eorum peccata, & præſervando à futuris. Paulus in *Pſalm. 88.* tertium Cœlum raptus, vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, in quo raptu (quamvis ipſe dubius ſit, an ejus anima in corpore fuerit, an extrà corpus, ut reſtatur 2. ad Corinth. cap. 11.) anima minimè corporeis ſenſibus uſa eſt, ſed ipſa ſola, ſine ullo corporis adminiculo, fuit in illa Arcanorum contemplatione, quia corporei ſenſus ad illa contemplanda minimè valerent, & tamen poſteà illorum, quæ viderat, reminiſcebatur. Et Abraham Luc. 16. verſ. 25. dixit Diviti in Inferno exiſtenti; *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Quod ſanè non dixiſſet, ſi anima ſeparata à corpore, non recordaretur eorum, quæ cognovit dum erat in corpore; ſed experientià patet, quòd nullus homo recordatur, niſi eorum, quæ ipſe cognovit. Prima idea, quam homo habet, eſt eorum, quæ cognovit. Nullus recordatur niſi eorum, quæ propriis oculis vidit, aut propriis auribus audivit: igitur nulla eſt anima, quæ fuerit in alio corpore, præter illud, in quo eſt, quodque animat, quoniam recordaretur omnium eorum, quæ in alio corpore cognoviſſet; cùm ſpecies intelligibiles non deleantur; tamen nullus eſt homo, qui dum naſcitur, recordetur aut qui ſit memor eorum, quæ ipſius nativitatem præceſſerunt, omnes enim homines naſcuntur ignari, & ſunt tamquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, niſi id quod acquirunt, ideoque nulla eſt anima, quæ fuerit in alio corpore.

Hæretici hanc rationem Philoſophicam rejiciunt; eorum ratio eſt, quia dum anima transfunditur in aliud corpus, datur illi oblivio à Dæmone, ut præteritorum non recordetur, & ſit immemor eorum, quæ vidit in alio corpore. At hoc eſt purum Figmentum Poëtarum, quia nullibi conſtat, animam tunc oblivionis poculum potare, ut Platonis & Pithagoræ terminis utar; undè ut huic articulo unuſquiſque credat, dico cum Divo Athanaſio in lib. de Beatitudine Filii Dei, lib. 6. *Si quis confitetur animas hominum in revolutionem rursùs in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in ſerpentibus verti: Anathema ſit.* Hocque merito, quia fides damnat omninò Metempſicoſim. *D. Athanaſius.*

Manichæorum, Albanenſium, & aliorum Hæreticorum ratio, ob quam Pithagoræ adhæſerunt, deſumitur ex illo Eccleſ. cap. 1. verſ. 10 & 11. *Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt: jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos. Non eſt priorum memoria: ſed nec eorum quidem, quæ poſteà futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in noviſſimo.* Ex hoc quidem textu concludunt, Deum non creare animas, dum corpora generantur, quia eſſet ſub ſole aliqua res nova, utporè anima illa, quam Deus crearet in generatione corporis: Deus enim (inquiunt) creavit omnia ſimul, teſte ſcriptura, ac proindè omnes animas, quæ cùm in hac vita non exiſtant ſine corpore, nec extrà corpus, neceſſè eſt quòd poſt mortem hominis tranſeant de corpore in corpus.

Reſpondeo hanc authoritatem non nocere textibus Scripturæ ſuprà relatis. Nec confirmare mentem Hæreticorum; tùm quia nedum probaret, animas fuiſſe ſimul creatas à Deo in principio, haſque tranſmigrare de corpore ad corpus; ſed etiam corpora fuiſſe ſimul creata, genita, aut producta à Deo; vel à parentibus; cùm non ſit diſpar ratio de corpore, quod dum naſcitur, novum ſub Cœlo, & recens

Fundamentum Metempſicoſis.

eſt, ſicut anima; quia Eccleſiaſtes non loquitur numericè, ità ut nullum ſit individuum ſub ſole novum, ſed genericè, vel ſpecificè. Quia nullum eſt genus, nullaque ſpecies ſub ſole, quæ ſit recens & nova, ut monet Divus Auguſtinus: ergo hæc authoritas non probat Metempſicoſim, nec animam neceſſariò exigere corpus ad exiſtendum. Vel dico quòd Eccleſiaſtes vult, omnia, quæ ſub Cœlo ſunt, præceſſiſſe in mente divinâ, aut in verbo, in quo omnia repræſentantur; idcirco nihil eſſe ſub ſole novum, non in ſe & reſpectu exiſtentiæ ſuæ, ſed reſpectu Dei, qui ab æterno videt omnia, & continet tempora in æternitate ſua: omnia enim propter divinæ ſcientiæ infinitatem, nuda & aperta ſunt oculis ejus. Undè mens Eccleſiaſtes non eſt oſtendere tranſmigrationem animarum, ſed infinitam cognitionem Dei, ejuſque infinitam omnipotentiam, quæ creavit omnia ſimul, non ſimultate temporis, ſed ſimultate operis, neque quoad individua, & exiſtentiam propriam, & ſingularem, ſed quoad ſpeciem.

Vanum eſt Metempſicoſis fundamentum.

Adducunt inſuper rationem: nam inquiunt, Deus de facto tenetur præſtare concurſum cauſis ſecundis ad effectus eis connaturales, & ad quos habent ſufficientem, & completam potentiam in ſuo ordine: ità enim Deus cauſas ſecundas adminiſtrat, ut eas motus ſuos agere ſinat pro conſequendo complemento, aut fine; ſed anima ſeparata à corpore appetit corpus tanquam complementum, & compartem, hocque naturaliter; & Deus dat illi concurſum ſuum, ut uniatur corpori, non priori, quia deſtructum, & corruptum eſt, ergo alteri recenter formato; alioquin de Lege ordinaria denegaret illi concurſum debitum, quòd eſt improbabile: ergo anima dum exit de corpore, tranſit in aliud, quod naturaliter appetit eam, ut cùm ipſa hominem ſeu aliud compoſitum Phyſicum conſtituat.

Argumentum ex ratione deſumptum.

Reſpondeo animam rationalem appetere corpus, non ut in ſe compleatur, & perficiatur, aut ſubſiſtat; cùm ſit ens reale, & ſpirituale, quod non poteſt per materiam eſſentialiter & intrinſecè compleri, cùm Spiritus & corpus ſint diverſi generis & ordinis; ſed ut ex ipſa & corpore fiat homo. At non appetit aliud corpus, præter illud, quod prius informaverat, & cum quo hominem & unum per ſe intrinſecè conſtituerat. Hinc eſt quòd non debetur illi concurſus Dei, ut facta ſeparatione per mortem, eidem corpori ſtatim uniatur, quia tunc non debetur illi, ſed ſolum in die Judicii, etenim non appetit corpus, ut alius homo conſtituatur, ſed ſolum ut idem homo reſurgat, & appareat ante Tribunal Chriſti pro reddenda ratione eorum, quæ geſſit. Igitur nulla eſt anima, cui modò debeatur concorſus, ut uniatur alicui corpori, ac proindè illuſoria eſt animarum tranſmigratio: nam juxta monitum Eccleſiaſtes cap. 12. verſ. 17. neceſsè eſt quòd Spiritus ſeu anima redeat ad Deum, qui dedit illam, hocque dum à corpore ſeparatur. Quilibet homo dum moritur, eſt juſtus, vel peccator. Si juſtus anima non tranſit in aliud corpus, ſed vadit ad Deum quia juſtorum animæ in manu Dei ſunt. Si peccator peccatô mortali, deſcendit in Infernum. Si cum veniali, in Purgatorium, ut docet fides Catholica: ſtatutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori; poſt hoc autem Judicium, ſeu pœnam vel præmium.

Solvitur Argumentum Hæreticorum.

ARTICULUS XII.

Concludit contra Manichæos, Bruta non habere animam rationalem.

INter errores Gnoſticorum, [quorum mentio fit in 1. lib. art. 2.] juxtà communem ſententiam, unus eſt, qui aſſirmat, Bruta verè intelligere, & diſcurrere, ut referunt Philaſtrius, & alii Scriptores. Nihilominus Divus Auguſtinus in lib. de Hæreſibus ad *Quodvultdeum*, hunc errorem minimè illis tribuit, nec Divus Iræneus [multo vetuſtior Divo Auguſtino & Philaſtrio] qui lib. 1. de Hæreſibus cap. 34. referens Gnoſticorum errores, unquam hujus erroris meminit. Tamen nonobſtante hac omiſſione, exiſtimo cum Philaſtrio, Prateolo, & aliis, Gnoſticos docuiſſe anno Domini CXXIX tempore Adriani Imperatoris & Xiſti primi Papæ, omnia Bruta eſſe rationis capacia, eaque æquè hominem ſentire, intelligere, & diſcurrere. Ratio eſt, quia quòd Divus Iræneus, & Sanctus Auguſtinus omiſerunt, Philaſtrius potuit admittere, idcircò potiùs iſti referenti, quam illis omittentibus, adhærendum eſt, cùm non rarò contingat unum Scriptorem referre aliquid, quòd ab aliis præcedentibus omiſſum fuit. Aut omittere id, quod præcedentes dixerunt. Gnoſticis adhæſerunt Manichæi anno CCLXXIII. regnante Aureliano Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Fœlice hujus nominis Papa primo.

Gnoſtici.

Manichæi.

Hæc Hæreſis Scripturæ Sacræ, & rationis naturali ità adverſatur ut nullus ſit, qui eam expreſsè cum Gnoſticis ſuſtinuerit, & cum Manichæis dixerit, bruta eſſe ejuſdem ſpeciei cum hominibus, ſeu dotari animâ rationali, nullaque ſit Synodus, quæ eam impugnaverit: idcircò ſola authoritate Scripturæ Sacræ rejicienda eſt; cùm circa ipſam, nullum habeatur Concilium, niſi velis damnatam fuiſſe in Concilio Grangrenſi, & in Romano primo, in quibus damnati fuerunt Manichæi.

Propheta Regius mirificè oſtendit, bruta eſſe rationis incapacia, & in negatione ad intelligendum, & diſcurrendum: nam Pſal. 31. verſ. 8. & 9. ait: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos, nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Etenim hæc verba declarant, bruta non habere intellectum, qui eſt principium intelligendi, ſeu potentia intellectiva, à qua oriuntur ratiocinatio, & diſcurſus. Declarant etiam, bruta non habere animam rationalem, quæ eſt eſſentialiter & indiſtinctè intellectus. Idem Propheta hanc ipſam veritatem confirmat in Pſal. 48. ubi ait: *Et homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Per hoc enim quod homo non intellexerit, cùm in honore eſſet, aſſimilatus eſt jumentis, hoc eſt, non diſcurrit, nec intelligit, ideoque jumenta non intelligunt, quia ſi bruta intelligerent, & haberent animam rationalem, ſicut homo, illa comparatio eſſet falſa; cùm bruta haberent intellectum, ſicut homo; nullaque eſſet eſſentialis differentia inter homines, & bruta: haberent enim eamdem formam.

Pſal. 31.

Prætereà Moyſes in primo capite libri Geneſis verſ. 25. affert verum aſſertionis noſtræ teſtimonium: ibi enim ait: *Et fecit Deus Beſtias terræ, juxta ſpecies ſuas & jumenta & omnia reptilia terræ in genere ſuo.* Quòd probat, bruta non habere rationem, quoniam omnia eſſent ejuſdem ſpeciei, ſicut ſunt ejuſdem generis, quia vivunt & ſentiunt. De creatione autem hominis aliter loqui-

Homo creatus fuit ad imaginem Dei.

tur, hoc eſt, ejus creationem refert tamquam rem altiorem, & digniorem, ſeu rem ad imaginem & ſimilitudinem Dei faciendam. *Faciamus* [inqnit Deus] *Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, quâ quidem imagine, aut ſimilitudine, homo beſtias præcellit, & ab ipſis ſpecificè, ultimòque diſtingoitur. Atqui hæc imago Dei, quæ non comperit brutis, bene verò homini, conſiſtit in intellectu, voluntare, & memoria, ut dicemus contrà Antropomorphitas exiſtimantes, hominem eſſe imaginem Dei ſecundum corpus: ergo bruta & jumenta non intelligunt, ner ſunr capacia rarionis, ſicur homo; licet ſentiant ſicut homo, ratione animaliratis, quâ homo & bruta conveniunr; nam animal dividitur in rationale, & irrationale tamquam in duas ſpecies, & differentias primò diverſas, infinitè inter ſe diſtantes, undè cùm bruta ſinr irrationalia, ut conſtat nedum ex Philoſophia vera animal ſic primò dividente, ſed etiam ex illo Petri 2. cap. 2. verſ. 12. *Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignoram blaſphemantes in corruptione ſua peribunt.* Sequitur quòd nullus poteſt citra inſaniam, & hæreſim, hoc eſt; quin peccet contra rationem, & contrà fidem, aſſerere bruta eſſe intellectiva, & capacia rationis, qooniam per ſolam rationem, homo differt à brutis, ut tradit Sanctus Auguſtinus Tract. 3. in Joan. dicens: *Non diſtas à pecore, niſi intellectu, noli aliunde gloriari.*

1. Petr. 2. *D. Auguſtinus.*

His ſuffragatur ratio, nam ſi bruta diſcurrerent, & intelligerent, ſanè aliquam parricipatem libertatem, eſſentque libera, quoniam non eſt major ratio, cur potiùs debeant habere rationabilitatem, quàm libertatem, quæ in homine reperitur propter animam rationalem, cujus potentiæ ſunt intellectus & voluntas: ſed hæc participatio libertatis non eſt in brutis, quia poſſent mereri & demereri, prædeſtinari ad gloriam, vel reprobari; cùm omne opus liberum, ſit meritorium, vel demeritorium, præmio, vel ſupplicio dignum. Dicere autem quòd bruta poſſunr mereri, vel demereri, eſt manifeſtè contrà fidem, & contrà Sacram Scripturam; cùm prædeſtinatio, reprobatio, Paradiſus, & Infernus, felicitas æterna, & ſupplicium perpetuum brutis minimè conveniant: Chriſtus enim cum venerit in Sede Majeſtatis ſuæ, non judicabit geſta brutorum, ſed hominum: igitur bruta non intelligunr, nec diſcurrunt, nec judicant, nec judicabuntur; hæc quidem verba: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare, nudus eram & operuiſtiſme*, quæ Judex proferret, nequeunt ad bruta dirigi, ſed ſolum ad Judicandos poſt mortem, ſeu ad homines, quibus (nullo excepto) ſtatutum eſt ſemel mori, poſt hoc autem Judicium, ut monet Apoſtolus, quod quidem Judicium non fiet brutis, licet moritura ſint.

Dicenr Gnoſtici & Manichæi. Bruta ſunt prædita cognitione aliquâ ſcientificâ, vel arte, habentque Dialecticam, demonſtrante experientia: nam ſi Canis in trivio quæreret feram, ſi olfactu perciperet, per duas vias non pertranſiſſe feram, ſtatim abſque alio olfactu, tertiam arripit viam, ac ſi ita diſcurreret, *fera non pertranſiit per primam, nec per ſecundam: ergo per tertiam.* Hæc conſequentia deducitur ex præmiſſis perfectè cognitis, eſtque infallibilis: igitur Canis, qui eam deducit, diſcurrit, judicat & intelligit; cùm unum ex alio inferat, & rectè concludat. Idque probat alia experientia, quam videmus in brutis; certum eſt quòd habent medicinam, multa enim remedia à hruris accepimus, præcipuè cognitionem herbarum medicinalium. Poſſent Aſtrologiâ, prævident namque tempeſtates, ſerenitates, pluvias, &c. habent plurimas artes, ut Aranea artem texendi, Hyrundo ædificandi, habent prudentiam & multas virtutes, quia in formicis elucet providentia, ut conſtat ex illo Proverb. 6. *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam.* In columba ſimplicitas, in Serpente prudentia; cùm conſtet, Chriſtum dixiſſe Math. 10. verſ. 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ*: Indè enim ſequitur quòd bruta ſunt capacia Judicii, & rationis. Deindè benedicunt Domino juxta illud Dan. 3. *Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino*: Profectò hæc verba non dixiſſent tres pueri in fornace, niſi pecora eſſent rationabilia, ſicut homo rationabilis eſt, ideo enim dixerunt de beſtiis, ſicut de hominibus quia ſtatim ſeu in eodem verſu addiderunt: *Benedicite Filii hominum Domino.*

Hæreticorum ratio. *Proverb. 6.*

Reſpondeo bruta non habere veram cognitionem; licet plurima animalia ſint tam perſpicacis cognitionis, ut valdè accedant ad potentiam rationalem, & imitentur homines, in induſtria, arte, & virtutibus: numquam enim operantur ſicut homo, ſcilicet rationabiliter, aut ex vero Judicio, & diſcurſu, ſed ſolum ex inſtinctu naturæ dirigentis res ad fines ſuos. Ad exempla dico, Canem tertiam viam apprehendere ex inſtinctu naturæ: videmus enim aquam omnes tentare vias, ut foras erumpat; indè tamen non inferimus, aquam habere Judicium, & diſcurſum, ſed ſolum ipſam aquam, non potens per unam viam exire, tendere ad aliam ex inſtinctu naturæ dirigentis, quæ ducit unamquamque rem ad finem illum, quem quærit. aut ad quem naturali pondere trahitur, aur tendit narurali appetitu; qui cùm non ſit fruſtraneus, ad debitum finem à naturâ dirigitur: nam plantæ, ut advertit noſter Maſtrius, mirum in modum proprios flores, & fructus producunt, atquè exornant. Potentia generativa, in ſemine conſtruit corpus miro artificio, tamen plantæ, & potentia generativa nullum Judicium habenr in hac operatione, nec ſunt verè rationales: nullus igitur poteſt ex exemplo adducto inferre, bruta habere Judicium, & rationem, ſed ſolùm inclinationem naturalem ad agenda ea ob quæ creata fuere, aut per quæ conſervantur, quoniam quælibet res ſuam conſervationem naturaliter appetit, & propter ipſam operatur; illa autem bruta, quæ aliqua exercent medicamenta, non operantur ex vero habitu; aliter eſſent nobiliora, & perfectiora nobis, qui non poſſumus intellectu nudo, hoc eſt, ſine actibus, & effectibus, herbarum virtutes agnoſcere, ſed operantur ſolùm ſuppoſitâ primâ apprehenſione appetitûs, naturali inſtinctu appetunt, & addita experientia, quod eſt conveniens, & juvat vi memoriæ ſenſitivæ retinentis ſpecies horum omnium, iterum appetunt dum offertur occaſio, & quandocumque intentiùs, quia perfectiùs repræſentantur objecta, ſed numquam rationabiliter, nec diſcurſivè, ſicut homo appetit.

Reſpuitur Hæreticorum ratio.

Idem dicendum eſt de Aſtrologia, & de aliis artibus, quæ verè non ſunt in brutis, ſed ſolum æquivocè propter aliquam ſimilitudinem, ſecluſis diſcurſu, & Judicio, quorum adminiculo artes perfectè exercentur. Neque eis concedendæ ſunt virtutes propriè dictæ, ſed umbræ quædam virtutum. Undè dum Salomon ait, *vade ad formicam ô piger*, non oſtendit, formicam habere providentiam veram, veramque Judicium, ſed ſolum quòd homo debet in operationibus ſuis magis regulate procedere, propter rationis lumen, quod in ſe habet, quam bruta, quæ ſolum inſtinctu naturali diriguntur, & non ſunt tantæ dignitatis, quantæ eſt homo, ut ait Chriſtus Math. 6. verſ. 26. dicens: *Reſpicite volatilia Cœli quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter Cœleſtis paſcit illa, nonnè vos magis pluris eſtis illis?* Profectò hæc prærogativa provenit ex ani-

Math. 6.

ma aut ratione, quâ homo eſt imago Dei, idcircò bruta non habent illam.

Solvitur altera Hæreticorum ratio.

Addunt quòd bruta ad invicem loquuntur, proprioſque animi conceptus proferunt, ſuntque diſciplinæ capacia: videmus (inquiunt) plura animalia, aut bruta, quæ exercent actus ſimiles humanis. Reſpondeo bruta mediâ locutione internas ſenſationes ad invicem patefacere, ſed hoc non eſt propriè loqui, nec judicare, nec diſcurrere, ſed ſolum manifeſtare rudi modo propria Phantaſmata & apprehenſiones, ut natura debet dare omni ſentienti; alioquin non dediſſet illi medium aſſequendi finem naturalem, quòd eſt falſum. Nec habent veram diſciplinam, quæ ſi videatur eſſe in aliquibus brutis, hoc non arguit verum Judicium, nec rationem, quia non percipiunt, nec penetrant naturam, nec convenientiam objectorum; ſed ſolùm arguit perfectiorem Phantaſiam, & memorativam potentiam eſſe in quibuſdam brutis, quàm in aliis, ut V. G. in Picis, & Pſitacis, quàm in aliis brutis. Ratio hujus differentiæ eſt, quia articuli humani ſermonis ſunt litteræ, quæ efformantur linguâ & labiis. Quòd de brutis non verificatur.

ARTICULUS XIII.

Quô adverſus Luciferianos probatur, Animam Hominis creari à Deo.

Gnoſtici.

PLures circa hominis animam inſurrexerunt Hæretici de ipſa variè ſentientes, æquali tamen impietate. Primi ſunt Gnoſtici illi de quibus locuti ſumus in ſecundo articulo primi libri, qui anno CXXIX. tempore Adriani Imperatoris, & Xiſti hujus nominis Papæ primi, docuerunt, animam noſtram non fuiſſe creatam à Deo, ſed eſſe ipſammet Dei ſubſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia eductam. At hoc falſum eſſe patet, quia anima eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, & divina; quòd eſt manifeſtè falſum, nec poteſt citrà Hæreſim defendi; cùm juxtà fidem, homo ſit ſimpliciter, & in omni parte creatus.

Tertullianus.

Tertullianus natione Afer, patriâ Carthaginenſis, profeſſione Eccleſiæ Catholicæ Presbyter, humanis æque, ac divinis imbutus diſciplinis, ſui temporis Rhetor præſtantiſſimus, ſcripſit anno CCXVIII ſub Alexandro Severo, & Pontiano Papâ, librum unum de anima contra Philoſophorum Hæreticorum placita, in quo de animæ naturâ, & dotibus ejus agens, varios intermiſcet errores, quorum unum Articulus noſter impugnat, ibi enim ait ille vir doctiſſimus, quòd anima non venit ex Cœlo, ſed fit per traducem ab anima Patris, quemadmodum corpus ex corpore propagatur; ſeu quòd unus homo ſecundum ſe totum generatur ab alio; & nihil in ſe habet, quod ei infuſum fuerit à Deo.

Manichæi.

Manichæi Gnoſticorum Diſcipuli, de quibus ſuprà habetur ſermo, dixerunt regnante Aureliano Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Felice primo circà annum Domini CCLXXIII. animam hominis, aut Dei ſubſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia eſſe, & ex eo tamquam ex alio fonte emanare.

Apocaritæ. Dicartitæ. Brachitæ.

Manichæis ſtatim, videlicet anno CCLXXVIII. ſub Tacito Imperatore, & Euthychiano Papâ, adhæſerunt Apocaritæ, Dicartitæ, & Brachitæ, qui multas, magnaſque regiones, & urbes Manichæorum Hæreſi infecerunt; prædicaverunt enim, animam rationalem eſſe ſubſtantiam increatam, & æternam ea æternitate, quâ Deus eſt æternus. His ſucceſſerunt Luciferiani, à Lucifero quodam Calaritano in Sardinia Epiſcopo, qui, teſte Divo Auguſtino lib. de Hæreſ. ad *Quodvultdeum*, cap. 8. ſolâ Ambitione motus, ſuum errorem Populo obtruſit tempore Conſtantii Imperatoris, & Liberii Summi Pontificis circà annum Domini CCCLV. Hic autem Luciferi error erat contrà creationem animæ rationalis, quoniam inquit Nicephorus, Luciferiani dicebant, animam hominis de carnis ſubſtantia propagatam eſſe, hoc eſt, animam rationalem ex humano ſemine procreari, ſicut corpus humanum.

Luciferiani

Meſſaliani. Phanatici.

Anno CCCLXXX ſcilicet tempore Valentis Imperatoris, & Damaſi Papæ inſurrexerunt adverſus animam rationalem, nec minùs impiè locuti ſunt alii Hæretici, nimirum Maſſaliani; vel ut alii ſcribunt, Meſſaliani, vel Euchitæ, id eſt Orantes, vel Enthuliaſtæ, hoc eſt, numine afflati, ſeu Phanatici ob extaſes & raptus, quibus divinas inſpirationes jactitabant, ut fuſius dicemus in Articulo de oratione, in quo refutabitur ipſorum error palmaris. Hujus Phanaticæ Sectæ Authores præcipui fuerunt Seleucus, & Hermias Galatæ, qui inter varia impia dogmata, dicebant, Spiritum hominis, id eſt, animam, non factam à Deo per Filium, ſed de terra eſſe, hoc eſt, eductam de potentia materiæ, ſeu humanæ carnis elevatæ ad productionem rei Spiritualis, nimirum animæ rationalis, ut per ipſam nedùm perficiatur & compleatur tamquam per formam, ſed etiam ut ex carne, & animâ conſtituatur homo, qui corporalis & Spiritualis ſit. Obiter obſervandum eſt quòd Phanatici animæ ſalutem in ſola oratione ità conſtituebant, ut omnia etiam bona opera, & Sacramenta ut indifferentia negligerent, ipſum Baptiſmum inutilem reputarent, ſolamque orationem ſibi ſufficere crederent ad delenda omnia peccata, & ad conſequendam vitam æternam.

Appollinaris non fuit hujus Hæreſis defenſor.

Non deſunt Scriptores, qui in libris de anima aſſerunt Appollinarem docuiſſe, animam noſtram fieri per propagationem & ex traduce. Sed Anthores, qui ejuſdem Appollinaris Hæreſes referunt, ſaltem illi, quos præ manibus habeo, nullam de iſta Hæreſi mentionem faciunt.

§. I.

Probatur Articuli veritas.

Concilium Conſtantinopolitanum. Lateranenſe. Bracarenſe.

ANimam ſimul & carnem per Adam produci, multi Sancti Patres antiqui dubitarunt; & dixerunt, eſſe rem inſolubilem, ut refert Divus Gregorius lib. 7. ex regiſt. cap. 54. Sed Concilium Conſtantinopolitanum decernit Verbum Divinum aſſumpſiſſe carnem & animam rationalem incorpoream; hoc eſt, in fieri omninò independentem à carne: nam quod eſt incorporeum, non debet produci corpore concurrente. Lateranenſe ſub Innocentio III ſtatuit animam hominis à Deo creari. Sic habetur in cap. *firmiter* de fide & Summa Trinit. Et Concilium Bracarenſe primum Provinciale celebratum Bracaræ in Hiſpania Luſitanica anno DLXIII. ſub Joanne Papa III Anathemate percutit eos, qui dixerint, animam hominis eſſe ſubſtantiam Dei. Idem ſanciunt omnia Concilia, quæ dicunt ſubſtantiam, aut naturam divinam eſſe tantum in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Inde enim ſequitur animam noſtram non eſſe ſubſtantiam Dei, nec de ſubſtantia ipſius.

Decreta Summorum Pontificum.

His addendæ ſunt conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 5. cap. 6. ubi legitur: *Qui eo modico ſemine genitali hominem in utero format, & animam, quæ ante non erat, in eo creat.* Idem definitum fuit à Sancto Leone Papa Epiſt. 73. ad Thuribium cap 10. ubi ait: *Animæ à Deo incorporantur, quia earum eſt opifex.* Et Leo IX. in Epiſt. ad Petrum: ait: *Animam ex nihilo eſſe creatam credo,*

credo, & prædico. Ità refert Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea in 4. Sententiarum Diſp. 24. art. 3. Hæreticum eſt igitur nunc dicere, animam hominis non eſſe à Deo creatam, ſeu eſſe realem, & veram portionem ſubſtantiæ Dei, aut eductam de potentia corporis humani, aut carnis, quæ à parentibus gignitur.

Quòd verum eſſe colligitur ex illo Geneſ. cap. 2. *Geneſ. 2.* verſ. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: Nam ſpiraculum illud fuit anima, quam Deus corpori Adæ infuderat, ut docent communiter Sancti Patres, & Theologi contrà Philaſtrium Brixienſem; ergo anima Adæ non eſt ſubſtantia Dei, ut voluerunt Gnoſtici, Manichæi, Apocaritæ, Dicratitæ, & Brachitæ; cùm ſubſtantia Dei non ſit diviſibilis, nec ipſa anima rationalis ſit Deus, ut ex dicendis patebit. Nec facta fuerit ex traduce, aut ex propagatione, ut poſt Tertullianum crediderunt Luciferiani, & Maſſaliani, ſed fuit creata ab eo, à quo fuit formatum corpus, ſcilicet à Deo, qui inſufflavit eam. Undè cùm anima Adæ, & animæ noſtræ ſint ejuſdem ſpeciei, dicendum eſt, animam hominis, non eſſe ſubſtantiam Dei, nec verè eductam de potentia carnis, ſed verè ex nihilo creatam à Deo: nam, inquit noſter Alexander A- *Alexander Alenſis.* lenſis quæſt. 60. memb. 3. art. 3. quemadmodum in primo homine, corpus de terra ſumptum, Spiritus verò à Deo datus legitur: ita & ratio expoſtulat, ut in ſequentibus quoque hominibus, caro quidem ex carne deſcendere: Spiritus autem à Domino credatur venire, tamquam à creatore.

Dicent forſan Hæretici, Spiraculum illud non fuiſſe animam hominis, quia Deus inſpiravit in faciem Adæ jam creati, & perconſequens jam habentis animam ex carne deductam: textus enim ait: *Formavit Deus hominem*, ecce hominem jam formatum. Et continuò ſubditur. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*: Ergo anima Adæ facta fuit ante ſpiraculum illud, ac proindè non à Deo immediatè ex nihilo, ſed per traducem, & eductionem ex corpore de limo terræ formato; alioquin Adam fuiſſet homo ſine anima rationali. Quòd eſt omninò abſurdum.

Rejicitur Hæreticorum inſtantia. Reſpondeo hanc inſtantiam non nocere: nam licet homo ſit unus, ità conſtans animâ, & corpore, ut nequeat eſſe homo ſine animâ, aut ſine corpore; tamen dici ſolet, quòd ubi eſt corpus, ibi eſt homo, ut dum dicitur, talis homo ſepultus eſt in hoc loco, in quo tamen eſt tantum corpus; cùm anima ſit immortalis, & poſt ſeparationem à corpore vadat ad Deum, qui fecit illam teſte Scripturâ. Talis homo eſt in gloria, in qua tamen eſt tantum anima, igitur non implicat quòd corpus Adæ de limo formatum, dicatur homo (etiam ſi nondum receperit à Deo animam) ob ultimas diſpoſitiones in quibus erat ad recipiendam animam à Deo per inſpirationem illi infundendam. Sicut non implicat quòd anima ſeparata à corpore, dicatur homo, & ſumatur pro homine, ut de facto ſumitur in variis Scripturæ locis, & *Geneſ. 46.* præſertim Geneſ. 46. verſ. 26. *Cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægiptum, &c.* hoc eſt, homines, qui ingreſſi ſunt cum Jacob in Ægiptum.

Dicent Hæretici, animam Adæ fuiſſe creatam à Deo, noſtram autem non. Quia corpus Adæ non fuit per generationem, aut per traducem, ſicut noſtrum fit, cùm homo generet hominem: nam ſi anima debeat creari à Deo, quia ab ipſo creata fuit anima Adæ, dicendum eſt, quòd corpus hominis non debet fieri per propagationem, ſed per creationem, quoniam per hanc viam venit corpus Adæ: ſed hoc non poteſt dici, ergo nec quòd anima hominis ſit à Deo per creationem, quamvis anima Adæ creata fuerit à Deo.

Reſpondeo negando paritatem: nam corpus hominis, aut caro hominis petit generari; quamvis *Rejicitur altera Hæreticorum inſtantia.* corpus primi hominis fuerit de limo terræ formatum à Deo; qui cùm poſſit ſupplere defectum cauſæ efficientis, potuit creare primum hominem, quamvis homo petat generari ab alio homine, & ideo non repugnat quòd corpus fiat per propagationem. Sed anima petit creari, quia ſpiritualis eſt, aut Spiritus, caro enim inquit Apoſtolus, concupiſcit adverſus Spiritum, ſeu animam, ex quo ſequitur quòd corpus, & anima ſunt diverſi generis: ergo neceſſè eſt quòd creetur à Deo, ſicut anima Adæ; licet corpus humanum non fiat eo modo, quo factum fuit corpus Adæ. Alioquin de re materiali deduci poſſet res ſpiritualis, quin in ipſâ contineatur. Quod eſt falſum. Legimus quòd Deus formavit Adam de limo terræ. Evam verò ex carne Adæ, idcircò anima fuit ei data à Deo, ſicut data fuit Adæ, ſed non legimus animam Evæ eſſe ex anima Adæ. Quare dum vidit mulierem, ſtatim dixit, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, ſed non dixit, *& anima de anima mea*. Hac de re nulla alia poteſt aſſignari ratio, niſi quia anima Evæ eſt à Deo, à quo eſt anima Adæ: corpus verò ex carne, & corpore Adæ.

Theodoretus exponens hæc verba Zach. cap. *Theodoretus.* 12. verſ. 1. *Dominus extendens, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*, veritatem articuli edocet, eamque ex illo Sacræ Scripturæ textu deducit. Et declarat, Prophetam velle ſpiritum ſeu animam hominis non eſſe ex traduce virtute ſeminis humani, nec de potentia corporis organizati, ſed verè & realiter provenire & fieri ab eo, à quo formata eſt terra: ibi enim ait Doctor ille *non ego vobis narro, ſed omnium factor & opifex, qui corpora in alvos adhuc concluſa fingit, & unà cum his animas creat.* Eumdem Zachariæ textum citat Sanctus Hieronymus, in Epiſt. 61. adversùs errores Joannis Jeroſolymitani cap. 6. ut probet animam rationalem nullatenus dependere à carne, aut à materia: ſicut in fieri, & in eſſe dependent formæ materiales: ſed eſſe creatam à Deo. Idem Divus Auguſtinus in lib. de Geneſi adverſus Manichæos cap. 8. *D. Auguſtinus.* ait; *nam factam eſſe animam ab omnipotente Deo, & ideo illam non eſſe partem Dei, vel naturam Dei, manifeſtè dicit Propheta, qui finxit ſpiritum omnibus.* Et alio in loco, *qui finxit ſpiritum hominis, ſpiritum autem hominis dicitur in Scripturis ipſius animæ potentia rationalis.* Idque, nimirum, ſpiritum, quem fingit Deus, eſſe animam hominis, patet ex illo Evangeliſtarum de Chriſto dicentium: *Inclinato capite emiſit ſpiritum*, id eſt animam. Et ex aliis Sacræ Scripturæ locis, quibus anima nomine ſpiritus proponitur, & intelligitur omninò immaterialis, ideòque ex Zacharia, anima fit, & infunditur ab eo, à quo facta fuit terra. Sed Deus creavit, & fecit Cœlum & terram, ut canit Scriptura: ergò creat animam, quæ cùm ſit forma ſpiritualis, nequit eſſe ex traduce, de parentibus ſcilicet, nec eſſe ex ſe ipſâ, nec de divina natura, ſed debet à Deo ex nihilo per creationem eſſe deducta, inquit Doctor Seraphicus Divus Bonaventura in 2. Sentent. diſt. 18. part. *D. Bonaventura.* 2. quæſt. 3.

Spiritum, ſeu animam hominis non habere cauſam in ſemine, nec in potentia parentum; ſed creari à Deo, evidenter probat Eccleſiaſtes in 12. cap. libri ſui, ubi finem hominis deſcribens, ait verſ. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam undè erat; & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ibi enim demonſtrat,

cauſam productivam corporis eſſe longè diverſam à cauſâ productivâ animæ. Docet enim pulverem, ſeu corpus ex limo terræ formatum, in pulverem reducendum eſſe; animam autem ad Deum. Ejus ratio eſt, quia non pulvis, corpus, aut caro; ſed Deus dedit illam, non tamqnam aliquid de ſua ſubſtantia, quæ non poteſt dividi, nec communicari niſi ad intrà, & termino infinito, nimirum Filio, & Spiritui Sancto, in quibus, una & indiviſa extitit. Sed tamquam aliquid quod creavit & fecit, ut hominem eſſentialiter conſtitueret, eumque ſibi ſimilem redderet.

Iſay. 42.

Idem colligitur ex illo Iſayæ cap. 42. verſ. 5. *Hæc dicit Dominus Deus, creans Cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum Populo, qui eſt ſuper eam, & Spiritum calcantibus eam*, quia per flatum intelligitur anima, ut advertit Gloſa interlinealis, & perconſequens ſi caro de carne generando producatur, Spiritus de Spiritu minime propagatur inquit Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 27. Sed datur per ſe & immediatè à Deo, qui creat eum, & fingit ſigillatim corda eorum, qui habitant terram, ut inquit David Pſal. 32. verſ. 14. & 15.

D. Gregorius.

Eamdem veritatem docent Sancti Patres. Divus Gregorius lib. 4. Dialogorum ait *tres vitales, Spiritus creavit omnipotens Deus, unum, qui carne non tegitur; alium, qui carne tegitur; ſed cum carne non moritur. Tertium, qui carne tegitur, & cum carne moritur. Primus Angelorum, ſecundus hominum, tertius brutorum animalium.* Indè enim conſtat Deum creaſſe animam hominis, nedum immortalem, ſed etiam independenter à corpore; cùm independenter ab ipſo vivat; & in hoc differt ab anima brutorum, quæ non vivit extrà corpus, quia de corpore educitur. Anima hominis tegitur carne ſicut anima brutorum, ſed non eſt à carne, ſicut anima brutorum.

§. II.

Solvuntur Hæreticorum argumenta.

Prima Hæreticorum ratio.

HÆretici creationem animæ impugnant ex variis Sacræ Scripturæ locis, in quibus aſſeritur Parentes generare animas Filiorum, ſicut eorum corpora, & præſertim in illo Geneſ. cap. 12. verſ. 5. *Tulitque Sarai uxorem ſuam, & Lot Filium Fratris ſui, univerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haram.* Et cap. 46. verſ. 18. *Genuit Jacob ſexdecim animas:* Indè enim inferunt, animas non creari à Deo, ſed produci & generari à parentibus; ſicut corpus. Idque confirmante ratione, quia (inquiunt) vis generativa primariò, & magis principaliter reſidet penès animam, ideircò homo principalius in generatione producit animam, quàm carnem, aut corpus; cùm generatio conſiſtat in productione ſimilis; & ſimilitudo hæc in anima magis quàm in carne poſita ſit. Alioquin anima non eſſet nobilior pars hominis. Quòd eſt falſum; ideòque generat animam & corpus, quibus conſtat Filius genitus; alias Canis eſſet nobilior homine, quia Canis producit quantum ad corpus, & quantum ad animam, Canem ſibi ſimilem.

Reſponſio ad primum Argumentum.

Reſpondeo negando conſequentiam, utpotè animas generari à parentibus, nam Scriptura Sacra, per animas in locis citatis non exprimit animam rationalem, quatenus eſt forma hominis, quæ dat illi vivere, & intelligere, eſtque capax vitæ æternæ. Sed intelligit perſonas, ſeu Filios, & Filias, ut notat Divus Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. & facilè inferri poteſt ex lib. Geneſ. loco citato verſ. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægiptum, & egreſſæ ſunt de femore illius.* Quòd non intelligitur de anima ſimpliciter ſumpta; ſed de perſona, aut homine; alioquin ex mente Hæreticorum, animæ ſine corpore ingreſſæ fuiſſent cum Jacob in Ægiptum, cùm per animas nolint intelligere compoſitum humanum, ſed animas nudas. Quòd eſt falſum. Igitur textus Scripturæ non probant, animam generari à parentibus, ſed Filios, quos Scriptura exprimit per animas ut ſolitò exprimuntur homines, & mulieres alicujus civitatis; ut dum dicimus: in illa domo ſunt decem animæ, in illo loco ſunt centum animæ, & ſic de cæteris, in quibus homines numerantur ſub nomine animarum & pro animabus intelliguntur.

Anima rationalis non poteſt generari.

Ad confirmationem nego conſequentiam, quia vis generativa reſpicit corpus tanquam illud ex quo producit, & reſpicit animam per modum moventis & agentis, & ideo principalius reſpicit corpus, quàm animam, & ordinatur ad productionem corporis, non verò ad productionem animæ, quæ non ex ipſo corpore diſpoſito venit, ſed ipſi corpori diſpoſito advenit. Nec per hoc, homo poteſt dici imperfectior brutis, quæ producunt animam & corpus dum generant, quia hoc provenit ex imperfectione animæ brutorum, quæ eſt materialis, ac corruptibilis, & dependens à materia in fieri, & in conſervari. Anima autem hominis eſt ſpiritualis & incorruptibilis, quæ cùm à corpore non dependeat in fieri, nec in conſervari, & nullatenus contineatur in illo, non poteſt fieri ab eo, à quo fit, aut generatur corpus, ſed à Deo, qui ſolus habet virtutem creativam, à qua ſubſtantiæ ſpirituales procedere petunt; nam perfectio generantis, non provenit ex potentia generandi, ſed ex perfectione geniti, ſeu compoſiti, ſicut perfectio cauſæ provenit ab effectu. Undè cùm homo ſit perfectior bruto, ſequitur quòd homo generans eſt longe perfectior bruto: quamvis non generet animam Filii.

Reſponſio ad Hæreticorum inſtantiam.

Inſurgunt; ut homo generet ſibi ſimile, neceſſe eſt quòd det genito omne id, quod habet, ergo homo dat Filio ſuo corpus & animam; cùm Filius ſit ſimilis Patri. Non valet hæc inſtantia: ſufficit enim quòd Filius genitus habeat id, quod habet Pater, ſeu corpus, & animam ex vi generationis formaliter, aut concomitanter, ut contingit in generatione hominis, in qua parentes producunt ex carne carnem, & Deus infudit animam, unitque eam carni, & ſtatim ex illa carne, & anima unitis, fit homo in animam viventem ſimilis parentibus, & Deo, cujus ſimilitudinis cauſa eſt generatio.

Dicent: ergo Deus approbat coitum adulterinum & ipſi cooperatur; cùm creet animam, & uniat eam corpori per adulterium genito. At non valet hæc inſtantia, quoniam Deus in hac infuſione non agit ut cauſa particularis, & moralis cui adſcribendus eſt creaturæ aberrantis defectus; ſed ut cauſa univerſalis, & Phyſica, quæ ſtatuit concurſum ſuum præbere cauſis ſecundis juxtà ordinem providentiæ ſuæ.

Ultima Hæreticorum objectio.

Tandem objiciunt. Si anima crearetur à Deo, homo in conceptione ſuâ, non contraheret peccatum originale, quia peccatum illud, ſicut & cætera peccata actualia, & propria, aut voluntaria, eſt in anima, quæ cùm non eſſet ex carne Adæ, peccatum Adæ non haberet; certum enim eſt quòd non poteſt peccatum Patris ad Filios deſcendere, niſi in eo quod habent à Patre; nec poſſunt eſſe ipſius Hæredes, niſi in eo quod ipſe Adam dederit illis per generationem; & ideò ſi Filius non acciperet animam à Patre, & Matre, ſed à Deo, nullum peccatum haberet, quia quod Deus dat, purum & Sanctum eſt. Atqui homo in conceptione ſua contrahit peccatum Adæ, ut dicetur in proprio loco contrà Pelagianos: ergo anima hominis, non creatur à Deo, ſed generatur à parẽtibus, ſicut corpus.

Reſponſio Secti.

Nego ſuppoſitum, ratio eſt. Quia anima dum

nuſtur carni infectæ, ſtatim contrahit peccatum Adæ, ſeu originale, quoniam tunc ille homo fit Filius Adæ, & reus ob contactum animæ cum carne. Nam juxtà communem Theologorum ſententiam, peccatum originale non alia ratione traducitur, quàm quia homo ex Adamo per ſeminalem propagationem viâ communi generatur. Ità quod anima eo ipſo inſtanti conceptionis, quo in corpus organizatum infunditur, & hominem Adæ Filium conſtituit, etiam cenſeatur in ipſo protoparente, tamquam in capite totius generis humani, Dei præceptum violaſſe [ſic diſcurrit Doctor ſubtilis] etiamſi creetur à Deo, cum ad hoc peccatum contrahendum, non requiratur quòd generetur ab anima Patris, nec quòd educatur de potentia corporis, ſed ſufficiat quòd uniatur carni ex carne Adæ traductæ, & cum ipſa carne hominem conſtituat.

Inſtabunt Sancti Patres, & præſertim D. Auguſtinus diffusè probant animam Chriſti non eſſe ex traduce, quia non eſt ex copula viri cum muliere: ergo [inquiunt] ſi anima noſtra peccatum Adæ contrahit, hoc eſt, quia fit ex traduce. Nec debemus affirmare ipſam animam non fieri ex traduce, ſeu creari à Deo, cùm de hac re nullum habeamus teſtimonium, & conſtet ex fide, ipſam animam contrahere peccatum ſtatim ac unitur corpori. Quare idem D. Auguſtinus lib. 4. de anima & ejus origine cap. 2. ait: *De origine animarum quæ poſt primum hominem datæ ſunt, vel dantur hominibus; non ſum auſus aliquid definire, quia fateor me neſcire*. Indè enim demonſtrat originem animæ hominis eſſe incertam. *Reſpondeo* Sanctos Patres ſic loqui, non ut indè inferamus, animam noſtram, non verò animam Chriſti fieri ex traduce, ſed ſolum animam Chriſti non fuiſſe unitam carni ex carne Adæ traductæ per copulam viri cum muliere, ſicut anima noſtra, ac proindè animam Chriſti non contraxiſſe peccatum Adæ, quod anima noſtra contraxit, quia unitur carni infectæ, & ſimul cum ipſa facit unum per ſe utpote hominem, qui eſt Filius Adæ, ipſiuſque peccati particeps.

Reſponſio ad Sanctos Patres.

Ad authoritatem adductam. Dico quòd probat tempore D. Auguſtini, originem animæ eſſe in controverſia inter Doctores. Quòd verum eſſe fatemur. Hinc eſt quòd Divus Auguſtinus noluit eam tunc definire in illo libro de origine animæ. Tamen frequentiſſimè adhæret ſententiæ eorum qui tunc dicebant quòd à Deo creatur, ut notat Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea. Imò lib. de animæ quantitate cap. 1. idem S. Auguſtinus ait: *Propriam quamdam habitationem Animæ ac Patriam, Deum ipſum credo eſſe, à quo creata eſt*, & numquam dixit animam fieri per traducem, aut per eductionem, quamvis dixerit ſe neſcire, an & quomodo anima producatur. Hæc autem controverſia definita fuit tempore Leonis IX qui obiit anno MLIV teſte eodem Cardinali & ideo nullus Chriſtianus modò poteſt citrà Hæreſim credere quòd Spiritus de Spiritu traducitur, ſicut caro de carne, nullus enim poſt hanc Eccleſiæ definitionem, poteſt negare, animam hominis creari à Deo.

D. Auguſtinus.

Urgebunt Hæretici: ergo antecedenter ad Leonem IX. anima hominis non credebatur immortalis, quoniam ex ſententia aſſerente, animam fieri per traductionem, ſequitur neceſſariò animam eſſe mortalem: quæ enim naturaliter & cum corpore fiunt, cum corpore pereunt, quoniam ab ipſo dependent in eſſe & in conſervari. Porrò Eccleſia ſemper credidit, animam eſſe immortalem: ergo de hac controverſia, nulla eſt definitio. Sed non valet hæc inſtantia. Tum quia nullus Sanctorum Patrum, tunc docebat animam fieri per traductionem ut jam monui. Tum quia non ſequitur neceſſariò, quòd anima pereat pereunte corpore, etiamſi cum corpore producatur ab animâ Patris, quoniam hoc nonobſtante, anima credebatur immortalis; ſpiritualis, & ideo incorruptibilis, tunc enim Doctores dicebant, aut credebant, animam filii produci ab anima patris, hoc eſt, animam Abelis ſpiritualem & incorruptibilem eſſe, ſicut animam Adæ, à qua proveniebat immortalis, incorruptibilis, & ſpiritualis. Volebant enim quamlibet partem hominis producere pro homine generando partem ſibi ſimilem, idcircò anima Filii eſt immortalis, quia anima Patris immortalis eſt. Igitur Hæretici nequeunt inferre ex definitione Leonis IX quòd ante illam, anima credebatur mortalis.

Solvitur ultima inſtantia.

ARTICULUS XIV.

Demonſtrat Audæanis imaginem Dei non eſſe in corpore hominis, ſed in Anima ipſius.

Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, in opere ſuo de Hæreſibus, refert, nonnullos fuiſſe Hæreticos aſſerentes, imaginem Dei, ad quam homo factus eſt juxtà illud Geneſ. cap. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*, non eſſe impreſſam animæ, ſed corpori, quod idem artifex formaverat de limo terræ, antequam inſpiraret in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Sed non nominat illius erroris Authorem. D. Auguſtinus in ſuo Libello de Hæreſibus, ad *Quodvultdeum* cap. 76. ejuſdem Hæreſis poſt Philaſtrium meminit, nec Authorem illius indicavit. Tamen plures Scriptores Philaſtrio, & Divo Auguſtino poſteriores, arbitrantur hunc errorem ex altero derivari, ſeu ex eo, qui docet, Deum eſſe corporeum, & habere membra, quemadmodum homo habet ea. Undè cùm hic error, aut Hæreſis affirmans Deum eſſe corporeum, tribuatur Antropomorphitis, & Audæanis, de quibus locuti ſumus in 3. articulo hujus operis, iiſdem Hæreticis abſque ulla difficultate, & ſine ſcrupulo, attribuendus eſt etiam hic error affirmans, imaginem Dei, ad quam factus eſt homo, non eſſe in anima, ſed in corpore. Antropomorphitæ exorti ſunt in partibus Ægipti anno Domini CCCXCV tempore Theodoſii majoris (qui cum Arcadio & Honorio Filiis tribus annis imperium tenuit) & Syricii Papæ.

Antropomorphitæ. *Audæani.*

Adverſus hanc Hæreſim nullum celebratum fuit Concilium quod ſciam, tamen verè damnata manet in his, quæ declarant, animam eſſe ſpiritualem & immortalem: indè enim infertur, imaginem Dei non eſſe in corpore, ſed in anima, quippecùm hæc imago ſit immortalis, ſeu in æternum duratura, non debet eſſe in corpore, quod eſt mortale, & corruptibile, ſed in anima, quæ participat de ſpiritualitate & immortalitate Dei, qui non formavit animam de limo terræ, de quo formavit corpus, ſed eam produxit inſpirando in Adam ſpiraculum vitæ, & indè ipſe Adam factus eſt homo in animam viventem.

Hujus divinæ imaginis ratio maximè conſiſtit in eo quod homo tribus facultatibus, intellectu ſcilicet voluntate, & memoriâ illuſtratus, divinarum perſonarum Trinitatem, in unitate eſſentiæ conſiſtentem adumbret, ut docet Sanctus Auguſtinus in pluribus locis, præſertim in lib. 9. de Trinit. cap. 4. & ſequentibus; ubi tria illa, quæ in homine totidem divinis perſonis reſpondent, ità ſumit, ut ſint memoria, intelligentia, & voluntas, in quibus imago Dei conſiſtit. Sed hæc tria non reſident in corpore ut eſt manifeſtum, quia corpus non vult, nec intelligit, nec recordatur. Nec reſident præcisè in homine, quatenus eſt compoſitum illud, quod conſtat ex anima & corpore, quodque ab anima, & corpore ſimul ſumptis, & unitis, realiter, & Phyſicè diſtinguitur,

Imago Dei non eſt in corpore humano.

quia hoc compoſitum per mortem diſſoluitur : ergo reſident in anima, cujus potentiæ, ſunt intellectus, voluntas, & memoria, ut docent communiter Philoſophi in tractatu de anima. Idque facilè colligitur *Pſal. 41.* ex illo Prophetæ Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*, & ex illo præcepto quod unicuique hominum *Math. 22.* ſignificavit Chriſtus dicens Math. cap. 22. verſ. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua*, id eſt ex toto intellectu, ex tota voluntate, & ex tota memoria, ut inquit *D. Ambroſius.* Divus Ambroſius lib. de dignitate conditionis humanæ cap. 11. *Nam ſicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filioque procedit Spiritus Sanctus, ità ex intellectu generatur voluntas, & ex his itidem ambobus procedit memoria, &c. Et ſicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres dii ſunt, ſed unus Deus, tres habens perſonas, ità & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria non tamen tres animæ in uno corpore, ſed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo.* Igitur non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam ipſe homo eſt imago Dei : Anima enim intelligit, non corpus ; anima recordatur, non corpus ; anima vult, non corpus. Si corpus vivit, & vitæ actus exerceat, hoc provenit ex miniſterio animæ, quæ dat illi vivere, & operari. Idem affirmat *Clemens Alexandrinus.* Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, ubi docet, hominem ad imaginem Dei eſſe factum, non propter Staturæ ſuæ figuram, ſed quoniam uti Deus ratione molitur omnia, ſic homo, qui perfectâ cognitione præditus eſt, rationali facultate bonas & honeſtas actiones exequitur.

Ut creatura aliqua ſit imago Dei, aut fiat ad imaginem & ſimilitudinem ipſius, debet produci immediatè à Deo ; & ab ipſo ſolo effici, nulla creaturâ concurrente, quia ſolius Dei eſt facere aliquid ſimile ſibi. Quare antequam crearet hominem dixit : *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* atqui corpus humanum non fit, nec creatur, nec immediatè procedit à Deo, nulla creatura concurrente, cum à parentibus generetur mediante concurſu divino. Benè verò anima, quæ non fit à parentibus, nec habetur per traducem ſicut corpus, ut in proprio articulo probatum manet, ſed à Deo creatur ut declarat Concilium Lateranenſe 4. Can. 1. Idem *Eccleſ. 12.* habetur ex illo Eccl. 12. verſ. 5. & ſequentibus, *ibit homo in domum æternitatis ſuæ, &c. Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, quibus verbis conſtat, animam fuiſſe creatam à Deo, & ad ipſum redire poſt ſeparationem à corpore, ideoque non in corpore, ſed in anima, eſt imago Dei, qui non corpori, ſed animæ divinas perfectiones communicavit ; quia ipſa eſt, quæ intelligit, & amat : intellectus enim & voluntas ſunt Baſes & fundamenta omnium divinarum perfectionum, cùm ſi Deus careret intellectu & voluntate, neque Sapiens eſſe poſſet, neque prudens, neque juſtus, neque miſericors, neque creator, neque gubernator, neque rector : fieri enim non poteſt, ut benè & plenè gubernet, qui non intelligit neque vult. Undè cum homo, non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam, habeat intellectum, memoriam, & voluntatem, ſequitur quòd non eſt imago Dei ſecundum corpus, ſed ſecundum animam.

Solus homo fuit creatus ad imaginem Dei. Rursùm ſi imago Dei non eſſet in anima, ſed in corpore, neceſſariò ſequeretur, quòd ea animalia, quæ ſimilem homini habent ſui corporis figuram [qualia in mari aliqua eſſe dicuntur ut refert noſter Alphonſus à Caſtro] eſſent ad imaginem Dei quemadmodum homo. Hæc ſequela eſt evidens (admiſſa ejuſdem Doctoris ſuppoſitione) quia nulla poteſt aſſignari differentia, (ſi ſit aliquod brutum, quod habeat corpus ſimile corpori humano) ſed nulla creatura facta fuit ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, niſi homo. Nam ex primo capite Geneſis conſtat, quòd Deus, creatis beſtiis terræ, juxta ſpecies ſuas, & piſcibus maris, & volatilibus Cœli, dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram ut præſit*, &c. Ideoque homo non eſt imago Dei ſecundum Corpus, cùm ratione corporis plura animalia ſunt illi ſimilia, ſed ſecundum animam, per quam differt ab aliis animalibus, eſtque ipſis nobilior.

Undè Divus Auguſtinus Tract. 3. in Joan. ait : *Non diſtas à pecore, niſi intellectu, noli aliunde gloriari. De viribus præſumis, à beſtiis vinceris, de velocitate præſumis, à muſcis vinceris, de pulchritudine præſumis, quanta pulchritudo eſt in pennis Pavonis ? Unde ergo melior es ? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei ? In mente, in intellectu.* *D. Auguſtinus.* Tandem imago illa debet eſſe æterna, ſeu indelebilis, & in ſubjecto libero, ut tradit Tertullianus lib. 2. *Tertullianus.* contrà Marcionem cap. 5. dicens : *Liberum & ſui Arbitrii, & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quàm hujuſmodi ſtatus formam, neque enim facie & corporalibus lineis tam variis in genere humano ad uniformem Deum expreſſus eſt, ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt animæ ad formam Dei ſpondentis, & arbitrii ſui libertate, & poteſtate ſignatus eſt.* At libertas non eſt in corpore, ſed in anima, ut eſt manifeſtum ; cùm nullus actus vitalis ſit in corpore, qui non ſit ab anima, in qua eſt voluntas, quæ eſt fons libertatis, & quæ non eſt, aut libera eſt. Quare Divus Ambroſius loco citato ſuprà ait : *Sicut Deus* *D. Ambroſius.* *unus ſemper ibique totus eſt, omnia vivificans, movens, & gubernans, ſic anima in ſuo corpore, ubique tota viget, vivificans, movens illud, & gubernans.* Deindè inquit, *ſicut Deus eſt, vivit, & ſapit, ità anima, ſecundum ſuum modum, eſt, vivit, & ſapit :* Igitur imago Dei eſt in anima hominis, non verò in corpore, quod non contemplatur Deum, nec cognoſcit inferiora & temporalia : imago enim Dei in facultate intelligendi conſtituitur, ut notat D. Auguſtinus in lib. 12. de Trinit. cap. 7. & in lib. 1. de Geneſ. contrà Manichæos, cap. 17.

§. Unicus.

Deſtruitur fundamentum Hæreſis.

ANtropomorphitarum, & Audianorum ratio non eſt hîc proponenda, quia affirmabant, Deum eſſe corporeum, & humanâ formâ, atque figurâ præditum. Et indè credebant, hominem penes corpus ad imaginem Dei formatum fuiſſe. Sed quia hæc ratio manet impugnata, & convicta in loco citato, hic eſt omittenda, ut proponatur altera, quam Antropomorphitæ afferunt & quâ credunt, imaginem Dei eſſe in corpore humano. Dicunt enim quòd Deus fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam ; anima autem rationalis non eſt facta, ſed creata ex nihilo : ergo (inquiunt) imago Dei non eſt in anima, quæ non eſt facta, ſed in corpore, quod fecit Deus de limo terræ. Inſuper addunt quòd homo quatenùs talis, eſt imago Dei ut ſuadet illud Sap. 9. *Ad imaginem quippè Dei factus eſt homo.* Et Eccleſ. cap. 17. *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum* ; ſed homo *Sap. 9.* *Eccleſ. 17.* reduplicativè ut homo, tam includit corpus, quàm animam : ergo, inquiunt, homo ad minus eſt imago Dei, tam ſecundum corpus, quàm ſecundum animam.

Reſponſio ad rationem Hæreticorum.

Reſpondeo ad primum, conſequentiam eſſe falſam: nam in Sacrâ Scripturâ, creare, & facere, pro una & eadem ſignificatione ſæpè intelliguntur & uſurpantur, ut conſtat ex 1. cap. Geneſ. ubi legitur Deum dixiſſe, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & in verſu ſequenti, qui eſt 27. *& creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos.* Nec mirandum eſt, quoniam creatio eſt productio, quæ ſoli Deo convenit. Undè dum dicimus quòd Deus fecit aliquid, intelligimus quòd creavit illud, ideòque in Sacrâ Scripturâ facere, & creare, unum & idem ſonant; alioquin homo fuiſſet factus, & non factus, creatus, & non creatus. Quòd eſt ridiculum, idcircò prima authoritas contrà nos adducta, non nocet; cùm Deus creaverit hominem ad ſimilitudinem, & imaginem ſuam, ex eodem 1. cap. Geneſ. verſ. 27. ſicut in eodem cap. dicitur quòd Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

Imago Dei non poteſt eſſe in corpore, & in anima ſimul

Ad ſecundam authoritatem dico, quòd imago Dei non poteſt eſſe in anima, & in corpore ſimul. Tum quia non poteſt eſſe in duobus ſubjectis. Nec corpus, & anima poſſunt eſſe duæ imagines Dei. Neque una ex duabus partibus compoſita. Tum quia corpus & anima ſunt duo entia entitativè, & ſpecificè ità diverſa, ut in nullo conveniant; niſi in ratione entis, actûs, & potentiæ: igitur imago Dei nequit eſſe tam in corpore, quam in anima. Nec in homine quatenùs eſt totum compoſitum à partibus ſuis ſimul unitis, realiter diſtinctum, aut quatenus includit ſuas partes ſimul unitas; ſed ſolùm quatenùs eſt ſubſtantia ſpiritualis & intellectualis, ut inſinuat Sanctus Propheta Pſal. 31. verſ. 9. dicens: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, & Pſal. 48. verſ. 13. *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Per quæ Propheta indicat diſtinctionem hominis à bruto conſiſtere in intellectu, in quo ex D. Auguſtino conſiſtit imago Dei, Et in ipſa imagine ſiſtit honor hominis, ex eodem Sancto Doctore.

Maximus Martyr.

Idem inſinuare videtur Maximus Martyr, centuriâ tertiâ de charitate cap. 25. ubi ait: *Ob id etiam ad imaginem Dei, & ad ſimilitudinem homo fabricatus dicitur eſſe: ad imaginem quidem tamquam exiſtentis exiſtens: & ſemper exiſtentis ſemper exiſtens, ut quamvis non abſque initio talis ſit, tamen ſine fine ſit: ad ſimilitudinem verò tamquam boni bonus, & ſapientis ſapiens, ejus qui natura iſtud eſt illi qui gratiâ eſt. Porro ad imaginem ſunt prorſus omnes homines, ad ſimilitudinem verò ſoli boni ac ſapientes.* Quibus conſtat, hominem eſſe imaginem Dei, quia ſemper exiſtit, & eſt ſine fine. Hoc autem non convenit illi ratione corporis, quod eſt corruptibile, benè verò ratione animæ, quæ eſt ſpiritualis, & immortalis: igitur ipſa imago Dei non eſt in corpore, nec in corpore & animâ ſimul, ſed in anima ſola, in qua eſt intellectus. Undè D. Auguſtinus in Pſal. 54. ait: *Meminiſſe debemus ad imaginem Dei nos eſſe factos, nec alibi, quàm in ipſo intellectu, nam in multis rebus à beſtiis ſuperamur. Ubi autem homo ad imaginem Dei factum ſe novit, ibi aliquid in ſe agnoſcit amplius eſſe, quàm datum eſt pecoribus, conſideratis verò omnibus rebus, quas habet homo, invenit ſe eo propriè diſcretum à pecore, quod ipſe habeat intellectum.*

D. Auguſtinus.

ARTICULUS XV.

Declarat adversùs Baſilidianos, animam nullum habere peccatum dum carni advenit.

Baſilides.

BAſilides natione Alexandrinus docuit circa annum Domini CXXIV ſub Ælio Imperatore & Alexandro Papa, animam rationalem eſſe peccato infectam antequam informet corpus, & in ipſo recipiatur, ut referunt plures Scriptores, quorum nomina omitto. Epiphanius Epiſcopus Salaminæ in quadam Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Jeroſolymitanum, quam Beatus Hieronymus è Græca in Latinam Linguam vertit, & quæ ideò inter Epiſtolas ejuſdem Hieronymi continetur, tom. earum ſecundo, refert quòd Origenes Patria Alexandrinus, Sancti Leonidis Martyris Filius, & Clementis Alexandrini Diſcipulus, voluit Adamum in ſua creatione recepiſſe animam, quæ jam peccaverat, ac proindè nos recipere animam infectam peccato proprio, & voluntario, quod commiſit antequam infunderetur. Eumdem errorem Origeni tribuit etiam Theophilus Alexandrinus, in ſuo Paſchali lib. 1. etiam ab eodem Hieronymo è Lingua Græca in Latinam traducto. Origeni ſubſcripſit Priſcillianus natione Hiſpanus, & Epiſcopus Abulæ, qui anno Domini CCCLXXXVIII ſub Imperio Valentiniani, & Pontificatu Syricii, dixit, animas noſtras ante infuſionem peccaſſe, & in pœnam peccati in corpore tamquam in carcere eſſe.

Origenes.

Priſcillianus.

Plura ſunt Concilia contrà hanc Hæreſim.

Hæc Baſilidianorum, Origenis: & Priſcilliani Hæreſis, damnata fuit in Concilio Cæſarauguſtano in Hiſpania Celebrato ſub Damaſo Summo Pontifice à duodecim Epiſcopis contrà Priſcillianiſtas, in quo contrà eorumdem perverſa dogmata, octo fuere Canones editi. Et in Burdigalenſi celebrato ſub Syricio Papâ ad inſtantiam Maximi Imperatoris; cùm enim Priſcillianus in Cæſarauguſtano Concilio damnatus, Gratiani Imperatoris mandato fuiſſet reſtitutus, Ithacius Hiſpaniæ Epiſcopus, & Priſcillianiſtarum hoſtis acerrimus, eumdem Priſcillianum nedum de hæreſi, ſed etiam de criminibus aliis apud Maximum Imperatorem accuſavit, mortiſque ſupplicio dignum eſſe nuntiavit, quibus accuſationibus motus Imperator, hoc Concilium Burdigalenſe haberi, & ad illud Priſcillianum cum Ithacio venire mandavit; qui cùm cauſam dixiſſet, Ithacius ſuo Epiſcopatu indignus eſt judicatus, non quia adverſus Hæreticos auxilium Imperatoris impetraverat, ſed quia Epiſcopus ipſe eum pœna capitis, vitæque ſupplicio mulctandum denunciaverat. Priſcillianus pariter ſe damnandum prævidens, ad Principem appellavit, quâ appellatione contrà jus, & Eccleſiæ regulas admiſsâ, Treviris auditus, & convictus cum nonnullis aliis, juſſu Maximi Imperatoris, gladio truncatus eſt. Tandem eadem Hæreſis condemnata fuit in tribus Conciliis Bracaræ celebratis authoritate Summorum Pontificum, & præſertim in primo, quod in Can. VI. habet: *Si quis animas humanas dicit prius in Cæleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana in terram dejectas, ſicut Priſcillianus dixit, Anathema ſit.*

Sacra Scriptura ſuadet Adamum recepiſſe animam totius peccati expertem, atquè puram, & mundam ab omni macula. Primò ex teſtimonio conditoris, qui declarat ſe feciſſe hominem ad ima-

Digitized by Google

ginem & ſimilitudinem ſuam, non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam: Imago autem Dei & ſimilitudo ejus, nullum peccatum ſupponunt; ideòque Deus infudit corpori Adæ animam mundam ab omni peccato, ut ſuaderi poteſt ex his verbis, quæ habentur in cap. 2. Geneſ. verſ. 7. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Ibi enim fit mentio de creatione Adami, ſecundum utramque partem, hoc eſt, ſecundum corpus, & ſecundum animam. Et declaratur utramque partem eſſe à Deo, à quo nullum poteſt communicari peccatum. Declaratur etiam animam Adami non extitiſſe extrà corpus ipſius, ſaltem tanto tempore, quanto opus eſt ad peccatum committendum; cùm ex Scriptura liceat inferre, Deum eodem tempore ſimul creaſſe corpus, & animam; *formavit*, inquit, *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, ut videamus nullum interceſſiſſe tempus inter formationem corporis, & communicationem animæ; ideòque ex Sacra Scriptura infertur, animam Adæ non peccaſſe antequam infunderetur. Idem dicendum eſt de cæteris animabus.

Gen. ſ. 2.

Hæreticorum inſtantia proponitur.

Hæretici reſpondent, animam fuiſſe priùs creatam, quàm corpus, hocque inferunt ex Sacra Scriptura, quia (inquiunt) in primo libro Geneſis cap. 1. verſ. 27. legitur, *& creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, hoc eſt, creavit animam, quia homo non eſt imago Dei ſecundum corpus, ſed ſecundum animam, ibi igitur loquitur de creatione animæ. De corpore autem loquitur in cap. 2. verſ. 7. *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Quòd debet intelligi de ſola corporis formatione; cum corpus, & non anima, ſit de limo terræ: ergo creavit prius animam, quàm corpus, & ipſa anima potuit peccare antequam informaret corpus Adami.

Oſtenditur nullitas inſtantiæ.

Hæc ratio non nocet, quia ſupponit falſum, nimirum animam Adæ fuiſſe prius creatam, quàm corpus; nam Sacra Scriptura in utroque loco loquitur de totius hominis formatione: nec inuſitatus eſt in Sacris Bibliis modus loquendi per anticipationem, ſæpè enim ſub compendio dicit aliqua, & poſteà ad illa longè differenda, redit. Dixerat priùs Moyſes, hominem a Deo ad ſui imaginem creatum; ſed undè factus fuerat, an ex materia, an ex nihilo, non dixerat; ideo in 2. cap. iterum hominis formationem repetit, ut largiùs & expreſſiùs de ea loquatur. Quòd autem in 1. capite non de ſolius animæ, ſed de totius formatione hominis fiat ſermo, ſicut fit in ſecundo, ex proprio textu conſtat, quia ibi habetur, *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & fœminam creavit eos.* ex quibus apparet ſexùs diſtinctio, maſculi videlicet, & fœminæ, ſed hæc ſexùs diverſitas in corpore ſita eſt, & non in anima, in qua eſt imago Dei; ergo in illo loco Moyſes narrat, Deum creaſſe hominem, tàm quoad corpus, quam quoad animam; cùm ſexùs diſtinctio exprimatur. Quòd autem corpus fuerit prius formatum, ſaltem prioritate præſuppoſitionis, & ſubjecti, quàm anima, patet, ex 2. cap. Geneſ. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*: Ideò dum dicit hominem formatum de limo terræ, exprimit corpus; cùm anima non fuerit formata de limo terræ. Et dum dicit, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* exprimit animam, quæ eſt ſpiraculum vitæ, quod Deus inſpiravit in faciem Adæ: idcircò anima non fuit creata priuſquam corpus formaretur, nec poſt formationem corporis, ſaltem ſufficienter ad peccandum, ac proindè anima Adæ non fuit priùs peccato maculata, quàm infuſa. In ſiquidem illo inſtanti, in quo anima præſupponitur ad infuſionem, non erat verè, nec propriè in via, neque extrà proprias cauſas.

Leo Papa.

Idem probat Sanctus Leo Papa in quadam Epiſtola ad Aſtirogenſem Epiſcopum, quæ in ordine eſt 71. in qua errores Priſcillianiſtarum damnat. Poſtquam decimo loco recenſuit quemdam illorum errorem, quo dicunt, animas hominum prius in Cœlo fuiſſe, & indè propter ſua peccata, fuiſſe delapſas, & humanis corporibus inſertas, hæc verba ſubnectit: *quam impietatis fabulam ex multorum ſibi erroribus texuerunt, ſed omnes eos Catholica fides à corpore ſuæ unitatis abſcidit, conſtanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere; nec ab ullo incorporantur, niſi ab opifice Deo, qui & ipſarum eſt creator & corporum*, nam licet hæc authoritas ſit de animabus noſtris, tamen comprehendit animam Adæ, quæ eſt ejuſdem ſpeciei, quæque non debet eſſe deterior noſtris in ſua creatione, & perconſequens nec fuiſſe in corpore Adami tamquam in carcere in pœnam peccati.

Rom. 9.

Animam noſtram non peccaſſe antequam informaret corpus, evidenter probat Paulus ad Rom. cap. 9. verſ. 11. & ſequentibus *cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Quoniam indè certò patet, illos fratres nihil boni, aut mali egiſſe antequam naſcerentur. Quòd tamen falſum eſſet, ſi anima peccaſſet antequam informaret corpus, eſſetque in ipſo incluſa in pœnam peccati, quia peccatum quod commiſiſſet, & in cujus pœnam eſſet incluſa in corpore, tribueretur homini; ac proindè Jacob, & Eſaü aliquid mali egiſſent, antequam naſcerentur, quoniam malum illud exiſtendo in anima, exiſteret in eo homine cujus eſt anima; cùm homo nihil aliud ſit, quàm anima & corpus. Deindè ſi anima noſtra eſſet in corpore, velut in carcere in pœnam peccati, ut voluere Origenes, & Priſcillianus, anima à corpore liberaretur dum puer baptizatur, quia Baptiſmus liberat à culpa, & à pœna: utramque enim dimittit. Sed hoc eſt falſiſſimum, cùm anima ſit in corpore incluſa tàm poſt, quàm antè Baptiſmum, licet poſt ipſum ſit munda ab omni culpâ, & Sancta.

Argumentum contrà Hæreticos deſumptum ex generali Reſurrectione.

His rationibus adjungenda eſt alia etiam deſumpta ex Sacrâ Scripturâ, & ex principiis fidei. Nam in reſurrectione hoc corpus induet immortalitatem & in æternum erit unitum animæ, & ſicut anima congruum ſuis meritis accipiet præmium. At ſi corpus eſſet carcer animæ datus in pœnam peccati, reſurrectio non eſſet præmium animæ beatæ, nec daretur illi in requiem, ſed eſſet illi ſupplicium, & daretur illi in pœnam; cùm per illam Reſurrectionem cogeretur iterum redire ad carcerem, ſeu ad corpus; undè ſemel liberata fuerat. Quòd eſt falſiſſimum, cùm poſt Reſurrectionem nulla erit pœna in beatis animabus, nulluſque dolor, juxtà illud Apocalypſ. 21. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt.* Deindè ſi anima eſſet in corpore velut in carcere, & in pœnam peccati ibi maneret, probabile eſt quòd anima non diligeret illud, nec ab eo ſeparari doleret, nec ullo modo ad illud redire vellet. Quòd tamen eſt falſum, cùm ſuam deſideret compartem, ut inſinuat Apoſtolus, 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 4. dicens: *Nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri*, hoc eſt, volumus vivere, idcircò anima non eſt in corpore velut in carcere in pœnam peccati.

2. Corinth. 5.

Nec valet dicere Apoſtolum deſideraſſe diſſolui, & eſſe cum Chriſto, hoc eſt, mori, & vivere in gloria cum liberatore ſuo, aut exire de carcere, & potiri libertate Filiorum Dei. Non valet, inquam, quia Apoſtolus non reſpiciebat corpus ſuum tamquam carcerem datum animæ ſuæ in pœnam peccati priùs commiſſi; cupiebat enim mori, ut poſſet frui Chriſto, quô nemo in hac vita frui poteſt viſione intuitivâ, & perſecto amore. Si ſint alii Sancti, qui deſideraverint mori, dicendum eſt, quòd non horrebant corpus tamquam pœnam datam animæ, ſed horrebant corporis miſeram conditionem, & periculum, in quo eſt: igitur ex illo dicto Sanctorum, nullus Hæreticus poteſt colligere, animam eſſe in corpore incluſam tamquam in carcere dato in pœnam peccati. Quia ſi animæ antequam in corpus intrarent, peccaſſent, & in corpore eſſent in pœnam peccati, quod extra corpus feciſſent, certum eſt quòd Chriſtus, qui pro hominibus liberandis venit, non aſſumpſiſſet corpus, quia ipſius anima, quæ juxtà Origenem, & Priſcillianum, numquam peccavit, habuiſſet pœnam peccati, ſcilicet carcerem, & ſic habuiſſet pœnam ſine culpâ. Quòd eſt abſurdiſſimum, itaque dum anima informat corpus, nullum peccatum habet.

Primum peccatum quo maculatur anima eſt originale

Tandem primum peccatum quod maculat animam, eſt peccatum originale, ut dicunt communiter Sancti Patres & Concilium Tridentinum, Seſſ. 6. cap. 3. ubi legitur: *Sicut reverà homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur non injuſti, cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto naſcerentur, numquam juſtificarentur; cùm ea renaſcentia per meritum Paſſionis ejus gratia quâ juſti fiant, illis tribuatur.* Ex his quidem ſequitur, quòd ſi non naſceremur ex ſemine Adæ, naſceremur juſti, hoc eſt, ſine peccato. Quòd tamen falſum eſſet, ſi anima peccaſſet priuſquam informaret corpus, quia homo naſceretur injuſtus ob peccatum illud ante informationem commiſſum. At peccatum originale, quod ex Concilio eſt primum, quô maculatur anima, non aliâ ratione traducitur, quàm quia homo ex Adamo per ſeminalem propagationem via communi generatur, ità quòd anima eo ipſo inſtanti Conceptionis, quô in corpus Organizatum infunditur, & hominem Adæ Filium naturalem conſtituit, etiam cenſeatur in ipſo protoparente, tamquam in capite totius generis humani, Dei præceptum violaſſe, ut docent communiter Theologi poſt Sanctos Patres: igitur anima antequam infundatur, nullum peccatum habet, cùm primum, quod in ipſa eſt, contrahatur in illo primo inſtanti, in quo unitur carni maculatæ peccatô Adæ.

Ratio Hæreticorum.

Origenis, & Priſcilliani ratio eſt. Quia anima exiſtens in corpore, unitur, atque includitur in materia, quæ naturaliter repugnat ſubſtantiis merè ſpiritualibus, inter quas anima locum tenet: hæc autem unio non poteſt advenire animæ, niſi in pœnam alicujus delicti commiſſi ante ingreſſum animæ in corpus, quoniam pœna non datur, niſi propter culpam.

Reſponſio ad rationem Hæreticorum.

At hæc ratio non nocet, ut patet in Chriſto ut homine, cujus anima unitur corpori phyſicè, ſicut anima noſtra corpori noſtro; quin tamen illa unio ſit propter peccatum ab anima commiſſum; quin etiam illa repugnantia, aut oppoſitio (quam Hæretici volunt, eſſe inter ſubſtantiam materialem, & ſpiritualem) advenerit ei in pœnam peccati; alioquin anima Chriſti fuiſſet aliquandò ſub poteſtate Diaboli, quòd eſt falſiſſimum. Præterea anima naturaliter ordinatur ad conſtituendum hominem ſimul cum corpore; cùm homo eſſentialiter conſtet ex his duabus partibus, ſcilicet ex anima & corpore. Idcircò non poteſt uniri corpori, ſeu ſubſtantiæ materiali repugnanter, ac proindè nec in pœnam peccati, quia quod naturaliter deſideratur, & appetitur in ordine ad bonum licitum, non poteſt appeti, nec dari in pœnam delicti; cùm pœnæ & ſupplicia ſint omnibus objecta diſplicentia, imò & horrenda.

ARTICULUS XVI.

Rejicit Carpocratianos peccatum originale impugnantes.

Diù Eccleſiam vexandi occaſio pluribus olim fuit peccatum originale, quod dari, & in primo inſtanti conceptionis ab homine contrahi affirmat præſens articulus fidei, contrà quem plures extiterunt Hæretici, ut communiter referunt Scriptores: quamvis de primo Hæreſis hîc impugnandæ patrono, non conveniant. Sunt enim nonnulli, qui exiſtimant, Carpocratem primarium fuiſſe peccati originalis impugnatorem; communior tamen ſententia affirmat hujus Cænoſii fontis & erroris primum reſeratorem fuiſſe Ruffinum, qui in Concilio Carthaginenſi dicere auſus eſt, nullam eſſe à parentibus in parvulos peccati traductionem, ac proindè nullum eſſe peccatum originale in conceptione à nobis contrahendum. Huic Presbytero, utporè Ruffino adhæſit Pelagius, de quo erit ſpecialis Sermo in tertio libro, nec poteſt excuſari eo quod coram Patribus Synodi Palæſtinæ, Anathema dixerit in eos, qui credunt quòd Adæ peccatum, ipſum ſolum læſerit, quia hoc dixit, *ut Catholica Synodus falleretur, nè novus Hæreticus damnaretur* ut obſervat Divus Auguſtinus cap, 13, de peccato originali. Hunc Pelagii errorem tuentur Armeni credentes, Adamum ſibi dumtaxat nocuiſſe, parvulos verò nullam contrahere culpam, & pœnam ex parte Adami; fatentur tamen Baptiſmum eſſe ipſis neceſſarium ad vitam æternam conſequendam, quæ ſi denegetur parvulis ſine Baptiſmo morientibus, hoc non provenit (inquiunt) ex peccato originali, ſed ex privatione gratiæ, quæ non tollitur niſi per formam, ſeu gratiam, quam parvulis confert ſolus Baptiſmus, quô conſtituuntur Filii Dei adoptivi, & acquirunt jus ad Regnum Cœlorum. Hoc addunt diſcrimen inter parvulos ſine Baptiſmo morientes, nempè quòd ſi ſint Filii fidelium, collocantur in Paradiſo Terreſtri, ſi autem infidelium, aut Hæreticorum, deſcendunt in Infernum cum parentibus ſuis.

Ruffinus Presbyter. *Pelagius.* *Armeni.*

Omnes Pelagii erroneas ſententias pridem ſepultas, & in variis Conciliis infrà citandis damnatas, ex tenebrarum Abyſſo in Lucem revocarunt Albanienſes anno Domini DCCXVI tempore Conſtantini VI Imperatoris, & Leonis III Summi Pontificis, Petrus Abaillardus, & Albigenſes, qui tempore Friderici II & Innocentii Papæ III circà annum Domini MCCXVI. Baptiſmum prorsùs abjiciebant velut inutilem, & ſupervacaneum ex deffectu peccati originalis; exiſtimantes nullum hominem peccaſſe in Adam, ipſumque ſibi dumtaxat nocuiſſe. Idem docuit anno MDXXV Huldrichus Zuinglius Canonicus Conſtantienſis, qui ut Eccleſiam Catholicam turbaret, errores Pelagii, & Neſtorii prædicabat; eoſque ſui temporis Hæreſibus addebat, ut refert Tilmanus Heſhuſius. His ſucceſſit Joannes Weſtphalus natione Germanus, Doctor Theologus, diverſis in locis concionator inſignis habitus, ſectâ Lutheranus, qui anno Domini MDXXXIII regnante Carolo V Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Clemente VII confeſſus eſt, nullum eſſe peccatum

Albanenſes. *Abaillardus.* *Albigenſes.* *Zuinglius.* *Joannes Weſtphalus.*

originale, nec parvulos recenter natos, aut etiam conceptos illud contrahere: ejus ratio erat, quia peccatum non poteſt eſſe in homine niſi per voluntariam commiſſionem. Sanè hæreticus ille non advertebat, Adamum commiſiſſe peccatum inobedientiæ, pro ſe, & pro omnibus; ille enim peccavit actualiter, nos verò virtualiter in eo. Ille ut caput, & nos ut membra in capite contenta. Tandem omnes, qui Baptiſmum negant, & fatentur Circumciſionem non delere peccatum, hunc errorem Pelagianum tenent.

§. I.

Statuitur veritas articuli authoritate Conciliorum.

IN variis Conciliis damnata fuit hæc Pelagiana hæreſis, nimirum in Palæſtino celebrato anno Domini CCCCXV. ſub Innocentio Papâ hujus nominis primo à XIV. dumtaxat Epiſcopis, præſide Eulogio Cæſarienſi Metropolita. In Carthaginenſi anno ſequenti celebrato à XXXIV. Epiſcopis in Africa. In Milevitano ſecundo celebrato eodem anno à Silvano Numidiæ Primate, cum LXI Epiſcopis. In Africano celebrato Anno Chriſti CCCCXXXVIII ſub Zozimo Papâ, ab Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, totiuſque Africæ Primate, cum CCXVII. Epiſcopis; de quo Sanctus Proſper in Chronico ſic Scripſit: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta prolata ſunt, quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* In Epheſino habito, anno CCCCXXXI contrà Neſtorium unionem hypoſtaticam impugnantem, & duas perſonas in Chriſto admittentem, ut in primo libro dictum manet. In Arauſicano ſecundo, ſub Fælice quarto celebrato anno DXXIX, à Cæſario Arelatenſi Epiſcopo contrà Semipelagianos, & Maſſilienſes presbyteros. Tandem in Florentino, In quo Pàtres ſic definiunt, *Animas illorum qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt; mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Nam licet hic Canon articulum noſtrum non definiat expreſsè, ut ex propriis terminis patet; tamen definit illum occaſionaliter; cùm aſſignando hanc differentiam, peccatum originale decernat. Et in Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, ubi legitur: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis, etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum quo mors eſt animæ, Anathema ſit; cum contradicat Apoſtolo dicenti: per unum hominem, peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Concilium palæſtinum — *Carthaginenſe* — *Milevitanum.* — *Epheſinum* — *Arauſicanum.* — *Florentinū* — *Tridentin.*

§. II.

De Rationibus quæ probant peccatum originale.

HAnc ipſam veritatem peccatum originale ſtatuentem confirmant innumeri Sacræ Scripturæ textus, & præcipuè ille, qui habetur in Pſal. 50. qui eſt teſtimonium Davidis ſic alloquentis: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea*: Hic autem locus non intelligitur de peccatis actualibus parentum; ſed de ipſo peccato originali, quod in conceptione contrahimus. Ratio Divi Auguſtini eſt, quia David non eſt natus ex adulterio, ſed ex caſto conjugio piorum parentum; idcircò non affirmat ſe à peccatoribus, aut à peccantibus conceptum fuiſſe, ſed ſolum fuiſſe conceptum peccatorem, non peccato proprio, ſed peccato à primo homine in eum per generationem transfuſo, quô factus eſt infirmus, & proclivis ad peccandum: ità enim loquebatur Propheta Miſericordiam à Deo obtinere deſiderans, ut faciliùs eam impetraret ratione in peccatum pronitatis, quam à parentibus contraxerat, & quâ pronus erat ad peccandum. Sanè hæc ratio propoſitum noſtrum affirmat, nam ſi nullum eſſet peccatum originale, nulla eſſet iniquitas, nullumque peccatum in conceptione contrahendum, quoniam generatio, aut conceptio pueri, non erat tunc, nec modó eſt vitiata ex ſe, ſed ſolum ex origine, vel copula illicita, quâ fructus ex ea proveniens, non dicitur filius in iniquitate conceptus, ſed Filius iniquitatis. Propheta autem non dicit ſe filium iniquitatis, ſed in iniquitate conceptum: Ergo vitium aliquod contrahitur in conceptione, non ex parentibus, qui ſæpè ſunt juſti, ſed ex peccato primorum parentum, ut demonſtrat D. Auguſtinus, verba ejuſdem Prophetæ ſic expendens: *Quid eſt quod ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam? etiam ipſum vinculum mortis, cum ipſâ iniquitate concretum eſt: nemo naſcitur, niſi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.* *D. Auguſt.*

Idem infertur ex illo Eccleſ. cap. 40. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper Filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium*: Certò Jugum illud, nihil aliud eſt, niſi peccatum originale, quod ab Adam deſcendens, pertranſit in omnes homines, ſicut à Patre in Filios; & à capite in membra, ut inquit noſter Alphonſus à Caſtro; quoniam ſicut jugum ex conjunctione duorum oritur, & quodam modò premit illud cui imponitur, ità etiam peccatum originale contrahitur ab omni homine qui ex conjunctione maris & fœminæ concipitur, ut probat hæc particula *a die exitus de ventro matris eorum*, quapropter Chriſtus tale jugum non ſuſcepit: quamvis ſit verus homo, quia non fuit conceptus ex conjunctione duorum, videlicet maris & fæminæ, ſed operante Spiritu Sancto de Virgine natus; cæteri autem homines (ſi Mariam excipias) habent jugum illud, ſeu obligationem ad pœnam, quæ quidem obligatio, juxta Theologos noſtros, eſt culpa, quæ in parvulis non poteſt eſſe actualis, & ideo originalis eſt. Nec valet dicere hæc verba Eccleſ. non eſſe intelligenda de peccato originali, cùm jugum illud ſit ſuper Filios Adam uſque in diem ſepulturæ; & peccatum originale per Baptiſmum deleatur. Non valet, inquam, quia licet non remaneat peccatum Adæ in nobis uſque ad mortem, manent tamen toto tempore vitæ hujus peccati effectus, ſcilicet multæ miſeriæ, & calamitates, quæ ex peccato originali ortum habuerunt: Igitur Eccleſiaſticus per illud grave jugum, intelligit peccatum originale, & effectus ejuſdem, quorum plures non delentur per Baptiſmum, quô deletur culpa ejuſdem peccati, ſeu privatio juris ad hæreditatem Patris cæleſtis, cujus Filij efficimur per Baptiſmum, quo abluimur, & mundamur à ſorde, & peccato; cùm abluere & mundare, ſordes & immunditiam ſupponunt in mundando. *Eccleſ. 40.*

Eadem veritas confirmatur ex illo Job. cap. 14. verſ. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Ubi juxtà verſionem ſeptuaginta interpretum legimus: *Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram*: Hoc ſuppoſito ſic diſcurrendum eſt. Si nemo à ſorde mundus ſit nec infans unius diei, profectò eſt in illo *Job. 14.*

Pſal. 50.

Infante verè & Phyſicè aliquod peccatum, quòd nequit eſſe actuale, nec perſonale, nec voluntarium; cùm infans unius Diei nondum habeat uſum liberi arbitrij, qui maximè exigitur, ut peccatum poſſit alicui imputari, ſed eſt peccatum quod ipsâ naturali propagatione contrahitur, ut ſuadet hæc particula, *conceptum ſemine*, hoc eſt, immundum conceptione, aut generatione:hæc enim verba evidenter oſtendunt quòd homo eſt immundus ab ipſa conceptione, non immunditiâ corporeâ,aut materiali, quæ corpus inquinat,& maculat,ſed immunditiâ peccati.Tum quia à ſolo Deo tolli poteſt,ut infertur ex his verbis Deo directis, *non è tu qui ſolus es*. Tum quia Job loquitur de ſorde ratione cujus homo eſt reus, & deducendus ad judicium, ut facile colligitur ex his verbis præcedentibus, *Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium*: in quo peccata dumtaxat judicabuntur. Loquitur ergo de peccato generatione contracto, quod eſt

D. Hieron. macula animæ, à qua mundat ſolus Deus, quia ſolus delet peccata. Unde Divus Hieronymus in illa verba Jobi ait: *Hic verſiculus totius generis humani caſum exponit, ſicut in Job, nec ſi unius diei ſit ſuper terram poteſt eſſe mundus a ſorde peccati,concipitur autem, & naſcitur in originali peccato; quod ex Adam trahitur, ſed Baptiſmo per gratiam Dei purificatur*: Inde enim ille Sanctus Doctor liquidô demonſtrat, Jobum loqui de peccato, quod non commiſimus nos, ſed quod ſemine contraximus, hoc eſt, in conceptione, quo immundi ſumus antequam naſcamur; & dum naſcimur, ſumus filij iræ; hoc quippè peccatum, non poteſt eſſe actuale; licet excitet iram Dei; cùm in parvulo naſcente, nulla poſſit eſſe voluntaria culpa quâ ipſe ſit objectum iræ; ſed debet eſſe peccatum contractum, ſeu quod habemus, quia ſumus Filij Adæ, qui voluntariè peccando, ut caput totius ge-

Origenes neris humani, in poſteros culpam ità traduxit & in ſervitutem Diaboli ità redegit eos, ut nullus naſcatur, qui non ſit immundus, & averſus à Deo, ut inquit Origenes Homil. 8. in Levit. *Quacumque*

Tertullianus. *anima in carne naſcitur, iniquitatis, & peccati ſorde polluitur.* Tertullianus in lib. de anima cap. 5. ſic loquitur: *Omnis anima quæ eſt, uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur; tamdiu immunda, quamdiu*

D. Cyprianus. *recenſeatur, peccatrix autem quia immunda.* Et Divus Cyprianus qui lib. 3. Epiſtolarum, Epiſt. 8. ait: *Quia ſi graviſſimis delictoribus, & in Deum multo antè peccantibus cum poſtea crediderint remiſſio peccatorum datur, & à Baptiſmo, atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit; niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiqua prima nativitate contraxit, qui ad remiſſam peccatorum accipiendam, hoc ipſo facilius accedit, quod illi non propria remittuntur, ſed aliena peccata.* eſt igitur in parvulis aliquod peccatum ex origine, ſeu quia ſunt Filij Adæ, in quo peccaverunt.

Rom. 5. Aliud teſtimonium cæteris (ni fallor) clarius,& apertius adducit Divus Paulus ad Rom. cap. 5. verſ. 12. dicens: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccaverunt.* Inde enim hoc invincibile Argumentum deducunt Theologi omnes, & Sancti Patres, tam Latini, quàm Græci. Per unum hominem intravit in mundum quoddam peccatum, quo omnes homines (ipſis non concurrentibus) fiunt peccatores; & morti ſunt obnoxij, ſed hujuſmodi peccatum, nequit eſſe in unoquoque actuale, hoc eſt,actuali voluntate uniuſcujuſque commiſſum, quia non dixiſſet, *Per unum hominem intravit*, ſed dixiſſet *per unumquemque intravit*, quilibet enim eſſet author peccati ſui, ac mortis, ſi nullum eſſet peccatum originale in conceptione contrahendum; parvulis etiam non exceptis, cùm morti ſint obnoxij, & ſæpè ſæpius moriantur antequam quidquam boni vel mali propria voluntate egerint, alloquin haberent liberi arbitrij uſum,dum

Validum contrà hæreticos argumentum. naſcuntur, quòd hucuſque à nullo hæretico fuit conceſſum. Ille autem homo, per quem peccatum intravit in mundum, eſt Adamus, debet enim eſſe omnium hominum primus; aliàs mors non pertranſiſſet in omnes homines, quoniam tranſire non poſſet ad prædeceſſores. Rursùm homo ille, per quem peccatum intravit, debet eſſe omnium hominum Pater, in quo Filij peccare poſſint; atqui homo ille, qui eſt primus omnium hominum, & pater omnium viventium, eſt Adam, ut probatum manet contrà Præadamitas: igitur peccatum illud, per quod omnes homines obnoxij ſunt morti, neceſſariò debet eſſe origine ipsâ contractum ac proindè originale, hoc eſt, debet traduci in poſteros, quia in Adamo peccante, peccaverunt: namque illi, qui in alio peccant, tamquam in patre, aut capite, efficiuntur peccatores, hac ipſa ratione, ſcilicet quia ab ipſo deſcendunt per viam Seminis; reverà non actu, nec facto, nec opere, ſed origine: Idcircò omnes homines ſunt origine peccatores, hoc eſt, in generatione contrahunt peccatum, quod eſt peccatum Adæ, in iſto actuale, in illis verò originale, quia omnes in Adam peccaverunt. Peccatum quod eſt commune omnibus hominibus, ſeu illud pro quo Chriſtus venit juxtà illud Joan. 1. verſ. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: quo ſuadetur, eſſe aliquod peccatum commune mundo, id eſt,omnibus hominibus.

Pelagiani ut Apoſtoli argumentum diſſolvant, dicunt quòd peccatum Adami intravit in mundum,&

Reijcitur pelagianorum reſponſio. tranſivit in poſteros, non per originem, & propagationem, ſed per imitationem,ità quòd Adamus viam peccandi poſteris aperuerit,ſuoque exemplo ad peccandum eos pellexerit; non verò ità quod peccatum primi parentis ſit in nobis, noſque peccatores efficiat, & perconſequens, (inquiunt) nullum exiſtit peccatum originale, ſeu communicatum per originem, & naturalem propagationem ab Adamo primo parente, veluti totius humani generis capite commiſſum, indeque ad poſteros quaſi in membra transfuſum.

Huic Pelagianorum evaſioni reſpondeo, hanc expoſitionem eſſe à mente Apoſtoli longè diverſam; nam Paulus tam parvulos, quàm adultos comprehendit, vultque peccatum primi hominis, tam in parvulos, quàm adultos, fuiſſe tranſfuſum, tam parvulos, quam adultos, morti eſſe obnoxios, ut de facto obnoxij ſunt; cùm abſque ullâ diſtinctione loquatur, *& ita*, inquit, *in omnes homines mors pertranſiit*. & parvuli mortem experiantur ſicut adulti. Sed peccatum Adæ in parvulos non pertranſiit per imitationem, quia antè uſum rationis non poſſunt ipſum peccantem imitari, ut eſt manifeſtum: imitari ſiquidem arguit cognitionem, animadverſionem, applicationem &c. quæ in parvulis eſſe nequeunt; Igitur nec in adultos pertranſiit per imitationem quoniam peccatum intravit in mundum univocè, hoc eſt, eodem modo pro parvulis & adultis; ex quo ſequitur quód Apoſtolus non loquitur de tranſitu peccati per imitationem, ſed per propagationem, per quam peccatum tranſire poteſt etiam ad eos, qui nullum liberi arbitrij uſum habent, nullâque potiuntur cognitione,ſeu in primo inſtanti conceptionis, quia ut hoc modo peccatum ab Adam tranſeat in poſteros, ſufficit quód eorum voluntas includatur in voluntate ipſius primi parentis peccantis, non quatenùs eſt homo particularis, ſed quatenus eſt caput omnium.Quaptopter Apoſtolus inquit,

in quo omnes peccaverunt, non actualiter, ſed virtualiter, hoc eſt, quatenus voluntates omnium erant in Adamo, qui actu peccando, peccavit pro omnibus, & demeruit pro ſe, & pro omnibus, ſicut Chriſtus in cruce pro ſe merendo, meruit pro omnibus, & in ſe moriendo, mortuus eſt pro omnibus.

Confirmatio reſponſionis ad Pelagianos.

Idem Apoſtolus loco citato verſ. 18. hanc paritatem efficere videtur, ibi enim ait: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi*: ſed in morte Chriſti omnes juſti non fuerunt actu conſtituti tales; cùm juſti fiant per generationem in lavacro Baptiſmi, ſeu per regenerationis gratiam, quam Chriſtus per Sacratiſſimam paſſionem ſuam meruit, ità homines, peccatores ſiunt in generatione ob privationem gratiæ originalis, quam Adam peccando demeruit, nedum pro ſe; ſed etiam pro omnibus, quia dum peccavit erat pater omnium hominum, qui licet per ſe non peccaverint, tamen participes ipſius fuerunt, tam in culpa ſeu in privatione gratiæ, quàm in pœna, ſeu in morte, quam patimur propter peccatum, per quod mors intravit in mundum, quam nullus pateretur, ſi primus homo ſtetiſſet: certum enim eſt quòd juſtitiam originalem omnes in generatione habuiſſent, ſi Adam non peccaſſet, inutilis eſt igitur reſponſio Pelagianorum ad authoritatem Apoſtoli.

D. Auguſt.

Ut autem argumenti noſtri vis magis eluceſcat, adducenda eſt authoritas Divi Auguſtini lib. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 9. ubi Pelagianos arguit in hunc modum: *Si Apoſtolus peccatum illud commemorare voluiſſet quod in hunc mundum non propagatione, ſed imitatione intraverit, ejus principem non Adam, ſed Diabolum diceret, de quo Scriptum eſt* s *Joann. 3. ab initio Diabolus peccat, de quo legitur etiam in lib. Sap. cap. 2. invidiâ autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum, nam quoniam iſta mors, ſic à Diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propagati, ſed quod eum fuerint imitati, continuò ſubjunxit, imitantur autem eum, qui ſunt ex parte ejus. Proinde Apoſtolus cum illud peccatum ac mortem commemoraret quæ ab uno in omnes propagatione tranſiiſſet, eum principem poſuit à quo propagatio generis humani ſumpſit exordium.* Inde enim liquidò conſtat, peccatum, & mortem intraſſe in mundum per propagationem, quia ut intraret per imitationem, ſufficiebat peccatum Diaboli, qui diu ante Adamum peccavit, noſque ad peccandum ſuo exemplo potuiſſet movere, & nos ſecum trahere, ſicut traxit tertiam partem Angelorum, qui eum imitati ſunt. His addi poteſt authoritas Divi Gregorij Nazianzeni oratione tertia de pace, ubi ſic ait: *Totus lapſus ſum atque ex primigenij hominis inobedientiâ, & Diaboli fraude condemnatus ſum.* Per hæc enim verba denotat ille Sanctus Doctor, ex propagatione maculam Adæ, & mortem ad nos pertranſire, quia ſe declarat peccatorem peccatô Adæ, Diabolo ſuadente, & parentes noſtros in Paradiſo voluptatis ad tranſgreſſionem legis provocante, ut ipſis parentibus lapſis, laberetur totum genus humanum in ipſis virtualiter contentum.

D. Gregor.

Neceſſitas moriendi eſt effectus peccati originalis.

Non deſunt argumenta Theologica ad errorem Pelagij refellendum. Primum eſt ex neceſſitate moriendi, quæ eſt in omnibus, & ſingulis hominibus, in primo inſtanti conceptionis, ſeu conjunctionis animæ ſpiritualis cum corpore; hæc ſiquidem neceſſitas eſt effectus peccati origine contracti, cùm in illo inſtanti, nullus ſit proprium in paruulo peccatum, quô ſit morte, & exterminatione dignus, unde ſi homo (quem, teſte ſcripturâ, Deus creavit inexterminabilem) ſtatim poſt nativitatem moriatur in pœnam peccati in eo exiſtentis, neceſſè eſt quòd in eo ſit peccatum, non propria voluntate commiſſum, ſed origine contractum; ideoque culpa illa, quæ in unoquoque eſt cauſa mortis, eſt origine contracta, & communis omnibus hominibus, proveniens ex illa lege Geneſ. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* à primo homine tranſgreſſa, ut à capite totius generis humani, hoc eſt, tàm pro ſe, quàm pro poſteris.

Neceſſitas ſuſcipiendi baptiſma ſupponit in homine peccatum originale.

Aliud argumentum eſt altera ejuſdem legis pœna, ſcilicet infirmitates, curæ, mærores, dolores, labores, aliæque pœnæ communes omnibus hominibus à nativitate, aut à die exitus de ventre matris uſque in diem ſepulturæ: hæ quidem miſeriæ, & calamitates certiſſima ſunt peccati originalis indicia; communis enim pœna, communem oſtendit præceſſiſſe culpam. Quorſum tot mala eſſent in homine á nativitate, ſi in ipſo nulla eſſet culpa? quæ ſi ſit, ut eſt manifeſtum ex experientia pœnæ, neceſſè eſt quòd in ipſo ſit culpa; cùm pœna non detur, niſi propter culpam inhærentem illi, cui injungitur pœna culpæ correſpondens; neceſſè eſt inſuper quòd hæc culpa ſit originalis; cùm puer in utero matris nequeat culpam actualem habere.

Tandem hæc veritas probatur ex neceſſitate Baptiſmi: Baptiſmus enim eſt abſolutè neceſſarius ad remiſſionem peccati, ut dicemus in proprio loco contrà alios hæreticos. Baptiſmus autem juxtà Apoſtolicam traditionem, confertur paruulis, in quibus nullum eſt actuale peccatum, ut docent Sanctus Dionyſius lib. de cæleſti Hyerarchiâ, cap. ult. Origenes, & alij Eccleſiæ Patres, & Scriptores celeberrimi: igitur illud ſacramentum ſupponit in ipſis peccatum eluendum, non actuale, ſed originale; cùm pueri non poſſint aliquid facere, vel concupiſcere contra legem Dei; & Baptiſmus ipſis neceſſarius ſit, ut renaſcantur, & renaſci neceſſè ſit, ut habeatur regni cæleſtis ingreſſus, juxta illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Certè renaſci non deberet parvulus per gratiam, niſi ejus generatio corrupta fuiſſet per peccatum in generatione contractum: idcircò parvuli naſcuntur mali, & peccatores, ſeu mortui & maculati ex propagine & origine, aut unione animæ cum carne vitiata, alioquin in Baptiſmo, non poſſent fieri Sancti, nec reſurgere, nec mundari; cùm ubi nulla eſt infirmitas, nulla ſit curandi neceſſitas; neque ſit reſurrectio, ubi mors non præceſſit, ideóque ex neceſſitate Baptiſmi pro remittendo peccato paruulorum, infertur exiſtentia peccati originalis, quo omnes naſcimur mortui, ſeu peccatores illi, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; nam Chriſtus Dominus non ſolum pro adultis, ſed etiam pro paruulis mori voluit, ut teſtatur Scriptura, & præſertim Paulus 2. ad Corinth. cap. 5. dicens: *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergò omnes mortui ſunt.* Paruuli autem non poſſunt eſſe mortui (morte animæ de qua loquitur Paulus) niſi habeant aliquam culpam, per quam ſolum induci poteſt mors animæ: habent igitur culpam originalem; cùm nequeant habere culpam actualem, ex defectu liberi arbitrij. Hinc eſt quòd dum ſine Baptiſmo decedunt, non puniuntur pœnâ ſenſûs, quâ puniuntur peccata ſenſûs, ſeu propria, & perſonalia, ſed ſolum pœnâ damni, quæ conſiſtit in privatione viſionis Dei, non ſub ratione præmij acquirendi, cùm caruerint actibus demeritorijs, ſed ſub ratione hæreditatis conſequendæ, quia Adam eam ità pro poſteris perdidit, ut per Baptiſmum dumtaxat recuperari poſſit jus ad illam.

Joan. 3.

2. Corinth. cap. 5.

Paruuli ſine baptiſmo decedentes non puniuntur pœnâ ſenſus.

§. III.

De reſponſionibus ad Argumenta Hæretica.

ARticulum noſtrum impugnant Pelagiani ex illo Apoſtoli ad Rom.5.verſ. 14. *Regnavit mors ab Adam uſquè ad Moyſem etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ:* Indequè

Pelagianorum ratio

inferunt, omnes Adami poſteros ipſius peccato non fædari, quia ex Apoſtolo, ſunt, qoi non peccaverunt in Adam. Et ſunt, qui peccaverunt, non ità verè & propriè ut peccatores conſtituantur, ſed ſimilitudinaliter, ac metaphoricè. At hæc authoritas non improbat peccatum originale, quia mens Apoſtoli eſt, quòd mors regnaverit ante legem Scriptam, etiam in illos, qui non peccaverunt actualiter, ut peccavit Adamus, ut ſuadet hæc ultima particula: *In ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, quæ idem ſignificat ac iſta, *Qui non peccaverunt ſicut Adam.* Unde ſi mors regnaverit etiam in eos, qui non peccaverunt, ſicut Adam, id eſt actualiter & perſonaliter, neceſsè eſt dicere ex mente ejuſdem Apoſtoli, quòd omnes peccaverunt in Adam; cùm mors per ipſum Adam nedùm intraverit in mundum in pœnam peccati, ſed etiam ſit pœna ſolius peccati omnibus infligenda: ſtatutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori; aliàs puerorum plures morerentur ſine peccato, & haberent pœnam, nullâ præcedente culpâ, quòd eſt falſum, ut jam monui. Hinc eſt

D. Auguſt.

quod Divus Auguſtinus inquit: *Qui nondùm ſuâ, & propriâ voluntate, ſicut ille peccaverunt, ſed ab illo peccatum originale traxerunt, qui eſt forma futuri, quia in ille conſtituta eſt forma condemnationis futuris poſteris, qui ex ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem naſceremur, ex quâ non liberat niſi gratia Salvatoris*: Ergò ex Apoſtoli authoritate, non impugnatur, ſed potius propugnatur exiſtentia peccati originalis; nam ſi mors regnaverit ab Adam uſque ad Moyſem etiam in eos, qui non peccaverunt actualiter, aut conttà legem Dei, ſicut Adamus: Certum eſt qoòd aliquo modo peccaverunt, cùm mortui fuerint: modus autem ille fuit per propagationem, id eſt, quia parentes peccaverunt: Igitur omnes Adæ poſteri, ſunt ipſius peccato rei, eo quidem cadente, omnes lapſi ſunt, quia in eo omnes erant virtualiter, & originaliter, cùm ipſe ſit, qui terram replevit ot infertur ex illo à Deo Adæ, & Evæ dicto: *Creſcite multiplicamini, & replete terram.*

Alium Scripturæ textum affetunt Pelagiani, qol eſt Ezech. cap. 18. verſ. 20. ubi dicitur, *Filius non*

Ezech. 18.

portabit iniquitatem Patris: Ergo, inquiunt, nullus homo iniquinatur peccato Adami, qui eſt omnium hominum pater, ſed unuſquiſque portabit iniquitatem ſuam. Nam ea Apoſtolo 2. ad Corinth. cap. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*, ex quo ſequitur, quòd ſolum ilii, qui proprium peccatum commiſerunt, ſunt judicandi, & damnandi, hoc eſt, pater judicabitur ſecundum propria peccata, Filius etiam judicabitur ſecundum peccata ſua, non verò ſecundom peccata patris; quòd probat, peccatum Adæ nullo modo eſſe in poſteris, quorum quilibet judicabitur, non ſecundum peccara Adæ, ſed ſecundum peccata ſua.

Reſpondeo Ezechielem intelligendum eſſe de peccatis perſonalibus, quæ in prolem uon refunduntur, & ratione quorum filij divinæ ultioui non ſubjiciuntur, niſi peccando actualiter, & prava parentum eaempla ſectando: tunc enim portant pœnam, quam portat pater, quia commiſerunt peccata, quæ commiſit pater. Non verò de peccato communi totius familiæ, hoc eſt, de peccato, quod committitur à patre pro ut talis eſt, & caput totius familiæ, tunc enim Filij portant iniquitatem patris apud offenſum, aut legis transgreſſæ conditorem, quia talia peccata nocent filijs, ut inſinuat illud Lament. Jeremiæ: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt,*

Reſponſio ad alteram pelagianorum rationem.

& nos iniquitates eorum portavimus. Idem ſuadet Divus Auguſtinos lib. 1. operis imperfecti, cap. 48. ubi reſpondens Juliano objicienti, neminem debere perire peccato alieno, ait: *Aliena ſunt, ſed paterna ſunt; ac per hoc, jure Seminationis, atque germinationis, & noſtra ſunt.* Et cap. 57. *Sic autem aliena ſunt originalia peccata propter nullum in eis noſtra voluntatis arbitrium, ut tamen propter originis contagium eſſe inveniantur, & noſtra, quid eſt ergo quod clamas, & dicis non poſſe, Deum & dimittere peccata majoribus propria, & imputare parvulis aliena.* Quibus verbis idem Divus Auguſtinus probat, peccatum primi parentis eſſe noſtrom; hac ipſa ratione, ſcilicet quia ſumus ipſius filij.

Ad Apoſtolum reſpondeo intelligendum eſſe de bono, & malo in ordine ad præmium, & pœnam; ad meritum, & demerinm uniuſcujuſque, nec non de judicio, in quo Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua; nam in illa ultimâ die, vita æterna da-

Vera verborum Apoſtoli expoſitio.

bitur propter bonum proprium, aut meritum perſonale, tanquam corona & merces. Et propter bonum alienum, ſeu meritum Chriſti, cujus virtute, aut gratiâ pueri juſtificantur, dabitur etiam ut hæreditas filiorum Dei; hoc eſt, adulti; qui bona egerunt, habebunt vitam æternam, tamquam coronam. Et parvùli, qui baptizati fuerunt, & poſt Baptiſmum deceſſerunt, habebunt illam ut hæreditatem. Illi verò, qui mala egeruot per ſe, ibunt in ignem æternum tanquam in ſupplicium. Illi autem, qui mala egerunt per aliom, id eſt per Adamum, & qui ab illo malo mundati oon fuerint, quales erunt parvuli, qui ſine Baptiſmo mortui fuerint, non punientur pœnâ ſenſûs, ut alij qui peccatis propriis onerati fuerint, ſed ſolâ pœnâ damni, quæ conſiſtit in privatione hæreditatis æternæ, quâ privavit eos Adam peccando, & quam Chriſtus recuperavit Baptizandis, moriendo: Igitur Apoſtolus his verbis non affirmat abſolutè, filium non portare iniquitatem patris, ſeu non eſſe reum delicto Patris; cùm iſtius peccata ſint etiam filij, ſi ſint à patre reduplicativè, ut docet Divus Auguſtinus. Et per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſint multi.

Pelagius, & Julianus peccatum originale repellere contendunt hâc ratione apud Divum Auguſtinum lib. 2. de nuptijs, & concupiſc. cap. 18. & lib.

Afferunt authoritatem D. Auguſtini.

3. contrâ Julianum cap. 24. *Non peccat iſte, qui naſcitur; non peccat iſte, qui genuit, non peccat ille, qui condidit; per quas igitur rimas, inter tot præſidia peccatum fingis ingreſſum?* ità diſcurrunt Pelagios, & Julianus, quibus Pelagiani addunt aliam ratiooem, nam (inquiunt) qui naſcitur, præſertim ex legitimo conjugio, eſt Sanctus, ut conſtat ex illo Apoſtoli ad Corinth. 1. cap. 7. verſ. 14. *Nunc autem Sancti ſunt Filij veſtri*, & perconſequens mundi ſunt ab omni ſorde. Qui genuit non peccavit generando filium, quia copula in matrimonio eſt licita; nec peccavit qui condidit, id eſt Deus: ergo non eſt undè puer poſſit in generatione peccatum contrahere; cùm ad generationem non ſit alius agens, niſi Deus, ut cauſa univerſalis, parentes ut cauſa particularis, & puer ut terminus.

Reſpondet huic argumento optimè idem Sanctus Auguſtinus dicens: *Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertiſſimam Januam? per unum hominem ait Apoſtolus, per unius delictum ait Apoſtolus, per unius hominis*

Digitized by Google

inovedientiam, ait Apoſtolus, quid quaeris amplius, quid quaeris apertius, quid quaeris inculcatius? Igirur quamvis Filius, qui naſcitur, non ſit cauſa peccati, nec pater qui generat; nec Deus qui condidit, tamen non ſequitur, nullam eſſe originalis peccati cauſam, cùm ex Apoſtolo, hoc peccatum intret per Adamum, qui licet non concurrat virtute ſuppoſiti ad generationem paruuli, concurrit tamen ratione virtutis; nam Pater eſt Filius Adæ; Filius etiam genitus, eſt Filius Adæ, ac proindè privatus eſt vitâ æternâ, ſubditus miſeriis, & morti ratione filiationis, ac generationis. At quia per Baptiſmum renaſcitur, fitque nova creatura, jus ad hanc hæreditatem ei reſtituitur; licet remaneat ſubjectus miſeriis, & morti, quæ ſunt pœna peccati Adæ. Ad rationem Pelagianorum dico, quòd filij fidelium, dum naſcuntur, ſunt Sancti Sanctitate legali, non veró Sanctitate per gratiam; nam dum Apoſtolus ait, *Filij veſtri Sancti ſunt*, idem eſt ac ſi diceret, *Filij veſtri legitimi ſunt, & non ſpurij*, ut obſervat Divus Ambroſius. Vel dico, Apoſtolum, Filios fidelium Sanctos appellare, non actu, ità ut ſint Sancti dum naſcuntur, ſed potentiâ proximâ, quoniam ob fidem parentum, faciiè illis applicari poteſt Baptiſmus, quô à peccato mundantur. De illo autem, qui genuit, dico quód non peccat in copulâ licitâ, ſed hoc non impedit nè peccatum aliquod contrahatur, ut mox dicemus.

Explicatur authoritas D. Auguſt.

D. Ambroſ.

Inſtaur. Si peccatum originale in poſteros traduceretur per generationem, ſequeretur quòd uſus Matrimonij eſſet illicitus, quia eſſet cauſa peccati, quod contraheret filius in generatione, aut conceptione, quæ fit per copulam carnalem; ſed hoc eſt falſum: ergo nullum peccatum contrahitur in generatione, nullumque exiſtit peccatum originale.

Reſpondeo negando ſequelam, nam, inquit Divus Auguſtinus peccatum originale non ſequitur ex generatione carnali ſecundum ſe ſumpta, ſeu quatenus eſt à parentibus tamquam à causâ proximâ, & immediata; ſed in quantum eſt originaliter ab Adamo, à quo primordialiter deciſum eſt ſemen, quo fit generatio, quapropter defectus culpæ originalis, non in parentes, ſed in Adamum reducendus eſt, ac perconſequens uſus matrimonij non eſt illicitus, quia peccatum origiuale non provenit immediatè ex conjugibus, nec ex copula; nam ſi Deus crearet maſculum & fœminam, filij qui ex illis naſcerentur, non haberent peccatum originale, ſed provenit ex conjunctione animæ cum corpore deſcendente ex ſemine Adæ corrupto.

Cauſa ex qua naſcitur peccatum originale.

Dicem: ergo id, quod in conceptione contrahitur, non eſt verè peccatum, cùm hæc conjunctio vitari non poſſit. Et nemo peccet in eo, quod vitare nequit. *Nego* conſequentiam, nam licet parvuli ſecundum ſe, & phyſicè ſumpti, ſeu ſecundum proprias virtutes, non poſſint vitare peccatum originale ex illa neceſſaria conjunctione animæ ſpiritualis cum corpore proveniens, potuerunt tamen illud vitare in Adamo, non per ſe, ſed per ipſum Adamum, in quo continentur moraliter. Id eſt, peccatum originale potuit vitari, non â nobis, ſed à primis parentibus. Certum eſt quòd nullus homo potuit vitare peccatum Adami, ſed ipſe Adam potuit vitare illud pro ſe, & pro alijs; alioquin non peccaſſet, quia non eſt peccatum niſi voluntarium. Undè quia ipſa peccati commiſſio fuit Adamo voluntaria, nobis etiam voluntaria eſt in eo tamquam in capite, idcircò rei ſumus peccato Adæ, illudque ſuſcipimus, ſuſcipiendo ipſius naturam cum quâ traducitur. Ille primus homo perdidit juſtitiam originalem, quam habebat poſteris ſuis origine communicandam: hæc autem alienatio voluntaria nedùm Adamum infecit privando eum hujuſmodi juſtitiâ, ſed etiam poſteros, pro quibus illi data fuerat: ideóque naſcimur in illa privatione juſtitiæ originalis, id eſt cum peccato, quia ex Divo Thomâ, peccatum originale eſt privatio juſtitiæ originalis.

Peccatum originale eſt liberum in ſua cauſa.

Tandem objiciunt: nullum eſt in nobis peccatum, quod non ſit voluntarium, ut docent communiter Theologi cum Divo Auguſtino lib. de verâ religione cap. 14. ſed peccatum illud originale nequit eſſe voluntarium in infantibus; cùm rationis, ac libertatis uſu careant, igitur peccatum Adæ non poteſt eſſe in eis, ſed remanſit tantum in Adamo, qui voluntariè commiſit illud.

Reſpondeo cum Doctore Subtili, quòd omne peccatum debet eſſe voluntarium peccatori, quatenus eſt in poteſtate ipſius, vel ſecundum ſe, vel ſecundum aliud, in quo moraliter continetur, tamquam in capite; non verò quatenus eſt in poteſtate ipſius, & ſecundum ſe tantum, ita ut nemo ſit peccator, niſi per ſe voluntariè peccaverit, quoniam poſſumus peccare in aliis. Duobus quidem modis peccatum poteſt exiſtere in homine, commiſſione ſcilicet & traductione, aut origine; hinc eſt, quòd peccatum Adæ, eſt in nobis voluntarium, non à nobis, ità ut commiſerimus illud, ſicut Adam, ſed ab Adamo, ex cujus voluntate ità ſeminatum eſt, ut in illo eſſet tamquam in capite, & in nos tranſiret origine (quâ ſumus Filij Adæ) tamquam in membra.

Scotica reſponſio.

Inſtabunt Pelagiani. Voluntarium liberum debet eſſe in poteſtate voluntatis illius, cui voluntarium dicitur; nec ſufficit quòd ſit illi voluntarium voluntate alterius: at peccatum originale non eſt itá in poteſtate voluntatis parvulorum, ut ſit, vel non ſit; & ideò in ipſis nec voluntarium eſt, nec liberum, ſed omninò neceſſarium. Reſpondeo quòd duplex eſt voluntarium, perſonale, ſcilicet, & capitale, utrumque ſufficit ad peccatum. Primùm procedit phyſice a propriâ voluntate operantis; alterum verò ſeu capitale, procedit à capite alicujus membri moralis: igitur peccatum originale eſt in parvulis voluntarium, non voluntate perſonæ, ſed voluntate capitis naturæ humanæ; & perconſequens pueri dum naſcuntur, ſunt verè peccatores, non peccato actuali, & perſonali, quod phyſice ab eorum voluntate oriatur; ſed peccato originali, quod cum ipſa natura humana traducitur ex Adamo ad poſteros, qui ſunt membra corrupta corruptione capitis in ipſa membra transfuſa, dolente quidem capite, cætera membra dolent.

Duplex eſt voluntarium.

Inſtabunt iterùm. Ut id, quod fit per voluntatem alterius, cenſeatur mihi voluntarium, neceſsè eſt quòd ego vices meas illi commiſerim, hoc eſt, quòd faciam per illum, quod ipſe facit, ut oſtendi poteſt ex hac 72. regula juris, *Qui facit per alium, eſt perindè ac ſi faciat per ſe*: atqui nullus homo voluntatem ſuam commiſit Adamo, ergo dum Adamus peccavit, nemo per ipſum peccavit voluntariè, quoniam poſteri nihil Adamo voluntariè commiſerunt. Reſpondeo negando inſtantiam: nam ut peccatum originale cenſeatur mihi voluntarium voluntate capitis, non eſt neceſsè, quòd conſenſum meum commiſerim Adamo, quoad conſervationem, vel amiſſionem juſtitiæ originalis, quam pro ſe, & pro poſteris recoperat, quamque pro ſe, & pro poſteris peccato ſuo perdidit; ſed ſufficit quòd Deus (qui magis habet in ſuâ poteſtate hominum voluntates, quam ipſi ſuas, ut inquit Divus Auguſtinus lib. de corrept. & gratiâ cap. 14.) conſtituens ipſum Adamum caput naturale, & morale totius generis humani, voluntatem meam in ipſo moraliter conſtituerit. Et ſtatuerit, ut ipſius Adæ patris cunctorum viventium voluntas, eſſet pariter voluntas omnium hominum, non quatenùs perſonæ ſingulares ſunt, in

Adam conſtitutus eſt caput totius generis humani.

quo

quo ſenſu quilibet hominum propriam voluntatem habet, ſed quatenus ſunt partes, aut membra generis humani, cujus caput & origo eſt Adamus, per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.

Dicent. Peccatum illud ſcilicet originale, non eſt in parentibus; cùm in eis per Baptiſmum fuerit expunctum, nequeunt igitur ipſi parentes illud in filios transfundere; quamvis Adamus fuerit conſtitutus totius generis humani caput, nemo enim dat quod non habet.

Reſpondeo peccatum originale non eſſe in parentibus formaliter; cùm fuerit in eis expunctum per Baptiſmum; qui mundat nos ab omni peccato; benè verò virtualiter, nempè virtute ſeminis, aut concupiſcentiâ naturæ corruptæ, quæ eſt cauſa, quâ homo eſt Filius generationis Adæ, anima unitur cum carne vitiata, & peccatum Adæ contrahitur. Hujus rei argumentum eſt, quia homo per Baptiſmum in Chriſto regeneratus, non generat filium, ſecundum id quod regeneratus eſt, id eſt ſecundum Spiritum, quem accepit à Chriſto in Baptiſmate, ſed ſecundum id, quod natus eſt, id eſt ſecundem carnem, quam hauſit ab Adamo, quæ cum corrupta fuerit, carnem corruptam gignit quamvis à peccato per Baptiſmum homo fuerit purgatus. Nam, (inquit Divus Auguſtinus) ſicut triticum humanâ diligentiâ purgatum, generat aliud triticum non purgatum, ſed paleis & ariſtis involutum, quia eodem modo natum eſt triticum ſeminatum. Itá quia parentes nati ſunt ex Adamo, cum peccato originali generant filios ſuos infectos peccato originali, in quo & ipſi nati ſunt, quamvis per Baptiſmum fuerint ab illo purgati. Baptiſmus reſtituit puero jus ad gloriam, & hæreditatem Patris Cæleſtis, cujus gratiâ efficitur Filius adoptionis, quod quidem jus verè perdiderat in Adamo peccante: At Baptiſmus non reſtituit ei jus illud tamquam patri, hoc eſt pro eo, & pro filijs, qui ab ipſo deſcenſuri ſunt, ſed tamquam filio Adæ. Nequit igitur filiô (quem generant) communicare jus ad gloriam, neque eum mundum producere, neque indutum juſtitiâ originali, quia tenetur generare filium talem, qualis ipſe genitus fuit à Patre ſuo; quippe cum Filius non ſit origine nobilior patre, neceſsè eſt, quòd concipiatur in iniquitatibus, ſicut Pater conceptus fuit.

Mira Divi Auguſtini comparatio.

ARTICULUS XVII.

In quo adverſùs Lutheranos oſtenditur peccatum originale non eſſe formaliter concupiſcentiam.

PLures hæretici admittunt peccatum originale contrà Pelagianos, de eo tamen impiè ſentiunt, quoniam credunt peccatum illud eſſe formaliter concupiſcentiam, quæ poſt Baptiſmum in nobis remanet; noſque ad malum inclinat. Hujus hæreſis defenſores ſunt Lutherani, & Calviniſtæ; ducibus Luthero & Calvino de quibus plura dicemus in articulis de Euchariſtia. Ab hoc errore tamen receſſit Mathias Illyricus Centuriatorum Anteſignanus, ſectâ Lutheranus; homo revera ad monſtra excogitanda quodammodo natus, qui in Libello de peccato originali docet juxtà fidem Catholicam, peccatum illud non eſſe concupiſcentiam, ſivè fomitem; ſed contrà eamdem fidem tenet, peccatum originale eſſe ipſammet animæ rationalis ſubſtantiam ipſo Adami peccato ſubſtantialiter vitiatam, & ex imagine Dei, quam in creatione acceperat, in imaginem Diaboli transformatam. Hic hæreticus incidit in Syllam hæreſis, cupiens vitare Carybdim erroris.

Lutherani Calviniſta Mathia Illirjci error.

Fuerunt alij hæretici, qui circà propoſitam veritatem erraverunt conſtituendo peccatum originale in quodam amore inordinato, inquit Guillelmus Pariſienſis lib. de vitiis & peccatis cap: 5. ſed eos non nominat, licet referat eorum errorem; dicebant enim, animam naturaliter diligere corpus, ipſiuſque conjunctionem deſiderare, & propterea cum eidem conjungitur, nimiô gaudiô amplecti corpus, arctiúſque ei conjungi, quàm deberet, & hoc (inquiunt) eſt originale peccatum ſeu in origine contractum ab anima, nimio iſto gaudio & amplexu inordinato, quo anima eſt culpabilis, niſi interveniat gratia ſpecialis, quæ ipſius animæ amorem regulet, & ordinet, ut de facto intervenit in conceptione Mariæ, ut ipſamet teſtatur dicens Cant. cap. 2. verſ. 4. *Ordinavit in me charitatem*: At hæc hæreſis ex ſe patet, quia unumquemque facit peccati originalis authorem, quód eſt manifeſtè falſum, atque Hæreticum. Reverà variè ſentiunt Doctores Catholici de peccati originalis naturâ, ſed nullus in fide errat, quia nullus prædictos ſequitur hæreticos; cùm omnes contrà Pelagianos probent dari peccatum originale, ut apud Scholaſticos videri poteſt. Undè cum inſtitutum noſtrum non ſit impugnare Catholicos de naturâ peccati originalis variè diſcurrentes, ſed hæreticos definitiones Eccleſiæ, & Conciliorum abnegantes. Hic contrà iſtos nobis erit colluctatio.

Falſa peccati originali deſcriptio.

Peccatum originale non eſſe formaliter concupiſcentiam, nec fomitem, definitum fuit contrà Lutheranos, Calviniſtas, & alios in Concilio Trident. Seſſ. 5. nam patres ejuſdem Concilij in decreto de peccato originali, inquiunt: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti, negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari: Anathema ſit: in renatis enim nihil odit Deus quia nihil eſt damnationis iis; qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem: qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum qui ſecundum Deum creatus eſt induentes, Innocentes, Immaculati, puri, innoxij ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti ita ut nihil prorsùs eos ab ingrèſſu Cæli remoretur: manere autem in Baptiſatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur & ſentit; quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet, quinimò qui legitimè certaverit coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquandò Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; ſi quis autem contrarium ſenſerit: Anathema ſit*: Nam ſi ex Concilij Tridentini doctrinâ, concupiſcentia remaneat in parvulis poſt Baptiſmum; & peccatum originale non remaneat, de fide eſt; quód peccatum originale non eſt formaliter concupiſcentia; nec fomes inclinans ad peccatum, cùm impoſſibile ſit, quòd unum, & idem formaliter tollatur, & non tollatur.

Concilium Tridentin.

Sanctus Jacobus in Epiſt. Cathol. aſſertionem

noſtram affirmat ; hæreticoſque confundit, dicens : *unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deindè concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum ; peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Per hæc enim verba quæ Baptizatis, & non baptizatis conveniunt, Apoſtolus diſtinguit concupiſcentiam à peccato, ſicut cauſam ab effectu, & peccatum à morte, quam peccatum conſummatum generat : ergò ex Divo Jacobo concupiſcentia, à quâ unuſquiſque tentatur, non eſt peccatum originale, quod neminem tentat ; nec ipſa concupiſcentia tentans, eſt formaliter peccatum actuale, ſed ſolùm effectus peccati originalis, & potentia prona ad peccatum actuale, quoniam concupiſcentia producit omnia mala, id eſt ſeptem vitia principalia, ſcilicet, Superbiam, Iram, Invidiam, Acediam, Avaritiam, Gulam, & Luxuriam, ut monet Gloſſa in Can. *Nam concupiſcentia* de Conſtitut. verbo *oriuntur.*

Concupiſcentia eſt effectus peccati originalis.

Idem colligitur ex Divo Auguſtino adversùs Julianum cap. 5. ubi ait : *Sed cùm dicit Apoſtolus Jacobus, unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus ; deinde concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum, profectò in his verbis partus à pariente diſcernitur, pariens enim, eſt concupiſcentia, partus, peccatum ; ſed concupiſcentia non parit, niſi conceperit, non concipit niſi illexit, hoc eſt, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum.* Ideoque ex Divo Auguſtino Divi Jacobi Doctrinâ freto, peccatum originale non poteſt eſſe formaliter concupiſcentia, nec è converſo, ſeu concupiſcentia peccatum originale. Tentari non eſt peccatum, ſed vinci peccatum eſt ; poſſe peccare, aut pronum eſſe ad peccandum, non eſt peccatum, ſed actu peccare peccatum eſt : concupiſcentiâ autem tentamur, & ad peccatum proni ſumus ; ſed ex hoc, peccatores non ſumus ; tales enim ſumus per actus peccaminoſos concupiſcentiæ adhærendo liberè productos ; cùm denominatio ſit à forma ; hæc autem forma, ſcilicet peccatum, ſit ex eodem Divo Auguſtino, dictum, vel factum, vel concupitum contrà legem Dei. Idque ſuadetur ex eodem Divo Auguſtino lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. ubi ait : *Si concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris morібundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſuâ movetur : quantò magis abſque culpâ eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis.* Ità legimus in cauſa, 15. quæſt. 1. Can. 8.

D. Auguſt.

Hanc ipſam veritatem affirmat hæc ratio Theologica. Concupiſcentia remanet in baptizatis, ut teſtatur Divus Paulus jam baptizatus, dicens ad Rom. 7. *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ.* Et ad Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum* : Igitur non poteſt eſſe peccatum originale, quod per Chriſti gratiam tollitur in Baptiſmo, ut monet idem Apoſtolus ad Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, & 1. Joan. cap. 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*, concupiſcentia verò non tollitur, ut jam dixi, nedùm cum Apoſtolo, ſed etiam ſuprà cum Tridentino. His ſuffragatur Divus Auguſtinus relatus in Can. 2. diſt. 4. de conſecrat. ubi ait : *Per Baptiſmum Chriſti id agitur, ut evacuetur caro peccati, evacuatur autem, non ut in ipſa vivente carne, concupiſcentia conſperſa, & innata repentè abſumatur, & non ſit : ſed ne obſit mortuo, quæ oberat nato Nam ſi poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum quâ pugnet, eamque adjuvante Deo, ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit ſi reprobatus eſſe voluerit. Nam nec grandibus hoc præſtatur in Baptiſmo, niſi fortè miraculo ineffabili omnipotentis creatoris, ut lex peccati, quæ ineſt in membris repugnans legi mentis penitus extinguatur, & non ſit : ſed ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum fuerit, cum eidem concupiſcentiæ ſubjecta mente ſerviret, totum aboleatur, & velut factum non fuerit, habeatur.*

Ratio Theologica.

Deindè concupiſcentia, & peccatum originale in diverſis ſubjectis ſubſiſtunt. Concupiſcentia enim reſidet in Carne id eſt principaliter in appetitu ſenſitivo, tamquam in ſubjecto, peccatum veró tam originale, quàm actuale exiſtit in voluntate, ut docet ſubtilis Scotus, vel in anima ut voluit Divus Thomas ergo falſum eſt, quód peccatum originale formaliter ſumptum, ſit concupiſcentia, ut crediderunt Lutherus artic. 2. & 3. eorum quos damnavit Leo X. Calvinus lib. 2. inſtitut. cap. 1. ſeſſ. 9. & alij hæretici ; ratio eſt, quia una & eadem forma in duobus ſubjectis ſpecificè diverſis ſubſiſtere nequit.

Concupiſcentia, & peccatum ſunt in diverſis ſubjectis.

Mathiæ Illyrici ſententia ſuprà allata rejicitur hac ratione, Deus non fecit peccatum, quippè omnis creatura Dei bona eſt, teſte ſcripturâ ; fecit tamen animam rationalem : Igitur ipſa anima, non poteſt eſſe peccatum originale, ut optimè oſtendit Divus Auguſtinus in Pſal. 88. dicens : *Iniquitas ipſa non eſt ſubſtantia ; non enim iniquitas eſt natura, quam formavit Deus, ſed iniquitas eſt perverſitas, quam formavit homo.* Rursùm Baptiſmus non tollit animam, nec delet potentias ejus ; tamen tollit peccatum originale, ut ex dictis ſuprà patet, ideoque illud peccatum non eſt ipſa anima, quæ à peccato mundatur in lavacro Baptiſmi, nec in nos traducitur ipſa anima, culpâ Adæ, ſed ſola providentiâ, & bonitate Dei ; alioquin anima eſſet ex ſemine, ſicut caro ; quód eſt hæreticum. Faciliùs rejicitur aliorum hæreticorum ſententia aſſerens, peccatum originale eſſe nimiam dilectionem animæ ergà corpus, cui uniri deſiderat inordinatè ; cùm ex Apoſtolo, peccatum originale ſit illud quod per unum hominem intravit in mundum, anima verò non per hominem, ſed per creationem communicetur corpori.

D. Auguſt.

Nulla eſt Illyrici ratio.

Reſpondet Idem Mathias, quòd ſicut in homine reproducitur ſubſtantialis imago Dei per gratiam Baptiſmi, juxta illud ad Coloſſ. 3. *Qui renovatur ſecundum imaginem.* Sic per peccatum corrumpitur imago ſubſtantialis ipſius Dei, quam homo habet in creatione ſuâ, & introducitur ſubſtantialis imago Diaboli : ſed productio eſt ſubſtantiæ ; ergo productio, quæ fit per peccatum, non eſt productio alicujus accidentis, aut denominationis, vel privationis juſtitiæ originalis, ſed eſt ſubſtantiæ, ſcilicet animæ, quæ peccatrix fit. Porrò non valet hæc ratio Illyrici : nam licet ſubſtantia animæ, ſit verè imago Dei, falſum eſt tamen quód hæc imago per peccatum deperdatur, vel in aliam transformetur, ut olim voluit Origenes, ut colligitur ex Divo Epiphanio hæreſi. 64. Falſum eſt etiam, quòd per gratiam introducatur imago ſubſtantialis Dei in Baptiſmo ; cùm puer baptizandus, & infideles ſint Imago Dei, qui ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit hominem teſte Scriptura : accidentales quidem ſunt gratiæ, & peccati mutationes. Quia gratia Sanctificans, quæ eſt qualitas, & peccatum non in linea ſubſtantiæ, ſed accidentis reponuntur. Parum refert quód gratia habeatur per produ-

Imago Dei Impreſſa animæ non deperditur per peccatum.

ſtionem, quia eſt accidens ſpirituale, quod petit creari, peccatum veró eſt defectus reſultans ex voluntate, quæ peruerſè operatur.

Rom. 6. Idem hæreticus addit illud Pauli ad Rom. 6. *Vetus homo noſter Crucifixus eſt ut deſtruatur corpus peccati*, indè enim concludit, quòd peccatum eſt vetus homo, id eſt, anima peccatrix, quæ pee gratiam ſubſtantialiter deſtruitur, ut renovetur. Reſpondeo Apoſtolum per corpus peccati deſtructum, intelligere multitudinem, & congeriem omnium peccatorum, quam reverà deſtruxit Chriſtus moriens in cruce; non verò animam rationalem, quæ per mortem Crucis non fuit deſtructa ſubſtantialiter; ſed ſolum liberata à ſervitute Diaboli, & mundata ab omni peccato. In hoc quidem caſu diſcurrendum eſt de anima, ſicut de ſervo, aur de debitore. Servus non mutatur ſubſtantialiter dum liberatur, nec debitor dum ſoluit: Itá anima, quæ incidit in peccatum, non mutatur ſubſtantialiter, dum ab ipſo liberatur: igitur peccatum non eſt aliquid ſubſtantialè, ac proindè non eſt anima, ſed accidens in anima ſubſiſtens; Undè Divus Baſilius in oratione probante Deum non eſſe Authorem malorum, ait: *Non imagineris eſſe aliquam propriam ſubſtantiam mali, nam malitia non eſt aliquid ſubſiſtens.*

§. Unicus.

De ſolutione ad Lutheranorum Rationes.

Lutheranorum, & Calviniſtarum objectio Lutherus & Calvinus objiciunt varia Apoſtoli oracula, quibus probare nituntur, peccatum originale eſſe formaliter concupiſcentiam. Primò illud ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, ſed id quód regnat in corpore, eſt concupiſcentia, ergo peccatum eſt ipſa concupiſcentia. Secundó objiciunt illud cap. 7, *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*: Indè enim concludunt, Apoſtolum nullam diſtinctionem ponere inter concupiſcentiam, & peccatum, non actuale, quod eſt actus, ſed originale, quod eſt habitus, quo homo pronus, & facilis eſt ad peccandum, imò & potens ad malum.

Primæ authoritati dico; quòd Divus Paulus ibi per *non regnet* idem ſignificat ac *non ſit*, aut *non moveat*; vel *non impellat* vos ad peccatum, nam concupiſcentia regnat in corpore dum ad peccatum movet, huicque motioni homo conſentit, undè ait: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ad ſecundam authoritatem dico, Paulum vocare concupiſcentiam peccatum, ut reſolvit Tridentinum loco ſuprà citato; ſed moneo

Objectionis ſolutio. cum eodem Concilio, quod ſic eam appellat, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; quippe Apoſtolus ibi ſumit peccatum pro cauſa peccati actualis, juxtà morem Scripturæ Sacræ, quæ plerumque vocem peccati uſurpat, nunc pro ipſa culpa; nunc pro pœna, quæ eſt culpæ effectus, nunc etiam pro cauſa peccati, ut patet in Scriptura Sacra verſatiſſimis. Nam appellat legem, peccatum, non quòd lex ſit formaliter peccatum, ſed quia eſt manifeſtativa peccati: ergo licet dicat, concupiſcentiam eſſe peccatum, non debet intelligi formaliter; ſed ſolum cauſaliter, ſcilicet quia concupiſcentia eſt cau-

D. Auguſt. ſa peccati actualis, & effectus peccati originalis. Idque facilè colligitur ex Divo Auguſtino lib. de nuptiis cap. 23. ubi dicit expreſsè concupiſcentiam vocari peccatum, quia peccato facta eſt; *Cum jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum, ſicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua; & manus vocatur Scriptura quam facit manus, itemque ſic vocatur peccatum, quia peccatum ſic vincit, facit, ſicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, ſed quod pigros faciat.*

Inſtant ex eodem Sancto Auguſtino in Pſal. 45. ubi ait quòd Deus concupiſcentiam odio habet: ergò (inquiunt) concupiſcentia eſt peccatum, quia Deus nihil odit, niſi peccatum, ut firmat idem Sanctus Doctor exponens illud Joan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil*, id eſt ſine ipſo factum eſt peccatum, quod eſt nihil. His quidem verbis oſtendit, concupiſcentiam eſſe peccatum, & purum voluntatis humanæ effectum. Quia Deus amat ea, quæ fecit, & odio habet ea, quæ non fecit, ſcilicet peccata ad quorum formale non concurrit.

Reſpondeo negando inſtantiam: Deus enim non ſolum odio habet quod eſt formaliter malum morale, ſed etiam quod eſt malum morale cauſaliter, id eſt, quod eſt cauſa malitiæ moralis, ut patet in habitu vitioſo, & in peccato reduplicativè ut tale eſt, ſeu prout fundat malitiam moralem, ſic enim conſideratus habitus vitioſus, odio habetur à Deo ſicut actus vitioſus: in neutro tamen eſt malitia moralis formaliter, ſed cauſaliter tantum, aut fundamentaliter: igitur ut concupiſcentia odio habeatur à Deo, non eſt neceſsè quód ſit peccatum formaliter, ſed ſufficit quód ſit peccatum cauſaliter; aut fundamentaliter. *Reſponſio ad inſtantiam.*

Nec valet dicere, ea, quæ verbum non aſſumpſit; aſſumendo naturam humanam, eſſe formaliter peccata, & perconſequens concupiſcentiam eſſe formaliter peccatum, quia non fuit aſſumpta, ut docet fides Catholica. Non valet inquam, hæc ratio, quia Chriſtus non dimiſit ſolum in aſſumptione humanitatis, ea, quæ ſunt formaliter peccatum; ſed etiam ea, quæ ſunt peccatum cauſaliter, qualis eſt concupiſcentia. Nam Chriſtus aſſumpſit ea, quæ ſpectabant ad actus pœnales naturæ humanæ, ut eſſet verus homo; ſed non aſſumpſit ea, quæ ſpectant ad imperfectionem hominis, qualia ſunt ignorantia, concupiſcentia; & ſimilia mala utpotè repugnantia fini incarnationis, quæ exigebat Salvatorem plenum gratiæ & veritatis: quamvis aſſumpſerit alios defectus, quos omnes homines communiter habent ex peccato primi parentis, ſcilicet mortem, famem, ſitim, & alios actus pœnales, qui non repugnant fini incarnationis, ſed congruunt; ut Salvator ſatisfaciat pœnis debitis peccatis hominum. *Verbum non aſſumpſit ea, quæ ad peccatum induxunt.*

Tandem objiciunt ratione. Quod formaliter opponitur legi, eſt formaliter peccatum, cùm ex Divo Auguſtino, peccatum nihil aliud ſit, quàm dictum, vel factum; vel concupitum contra legem æternam, ſed concupiſcentia opponitur legi rationis, juxtà illud Pauli ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quæ quidem lex repugnans eſt concupiſcentia, quæ opponitur rationi contrà quam operari, peccatum eſt, ut inſinuat idem Apoſtolus dicens: *Quod non eſt ex fide*, ſeu ex conſcientia, aut ratione applicata ad opus *peccatum eſt*: Igitur concupiſcentia eſt peccatum; non actuale, quia ſe habet per modum legis permanentis: ſed originale. Addunt aliud Argumentum quod ſic efformant. Quidquid ad peccatum inducit; debet eſſe formaliter peccatum, quoniam ad peccatum inducere, eſt peccare; & inductio ad peccatum, peccatum eſt, ſed concupiſcentia ex eodem Apoſtolo inducit ad peccatum; & captivat in lege peccati, ergo eſt formaliter peccatum. *Ultima hæreticorum ratio.*

Reſpondeo concupiſcentiam non opponi legi, & dictamini rationis formaliter, & per ſe, ut ad peccatum formale requiritur, ſed ſolum cauſaliter, & perconſequens non poteſt eſſe formaliter peccatum, ſed tantum cauſaliter. Quòd per ſe non opponatur dictamini rationis, ſed ſolum per conſenſum voluntatis humanæ liberè conceſſum, conſtat, quia prodeſt homini ad pugnam & coronam: certum enim eſt, quòd qui legitimè certaverit adverſus concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, quæ cootiouè militant adversùs animam, coronabitur, ut monet idèm Apoſtolus. Undè Divus Thomas part. 2. quæſt. 80. art. 1. 3. ad 3. ait: quòd concupiſcentia carnis adversùs Spiritum, quandò ratio ei actualitèr reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis. Ad additum dico, omne id, quod ad peccatum indocere poteſt, non eſſe peccatum formaliter; aliâs occaſio eſſet peccatum formaliter, Diabolus etiam eſſet formaliter peccatum. Quod eſt falſum; ſed id tantum eſſe formaliter peccatum, quod voluntas pleno ac libero conſenſu admittit contrà legem Dei. At concupiſcentia non fit à voluntate, ut eſt manifeſtum, ergò non eſt formaliter peccatum, ut voluerunt Lutherus, Calvinus, & alij hæretici.

D. Thom.

Confirmatur reſponſio ad hæreticos.

Hanc reſponſionem confirmat D. Auguſtinus explicans illud Apoſtoli ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum* ubi non appellat peccatum omnes concupiſcentiæ motus, ſed ſolum eos, quibus homo in pœnam peccati præcedentis, juſto Dei judicio, cedere permittitur, ut indè videamus, concupiſcentiam nedùm provocare ad peccatum, ſed etiam ex ipſâ nos poſſe afferre coronam, ſi ipſam concupiſcentiam impugnemus exercitio pœnitentiæ, & virtutum: ibi enim ait: *Aliud eſt habere mala deſideria cordis, aliud tradi eis, utique ut conſentiendo eis poſſideatur ab eis, quod fit cum divinò judicio traditur eis .... Cum ergo dicitur homo tradi deſideriis ſuis indè fit reus, quia deſertus a Deo, cedit eis, atquè conſentit, vincitur, traditur, poſſidetur, à quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt, & fit ei peccatum conſequens præcedentis pœna peccati*: quibus patet, concupiſcentiam eſſe cauſam peccati, aut peccata à concupiſcentia provenire, ſi accedat voluntatis conſenſus. Et ex ipſa concupiſcentia impugnata, & victa provenire victoriam; certum enim eſt, quód conſenſu non accedente, concupiſcentia peccatum non parit, & quód conſenſus ille noo accedit neceſſarió, dum accedit, quia Deus non patitur nos tentari ſuprâ id, quod poſſumus, teſte Apoſtolo; alioquin Spiritus Sanctus fruſtrà diceret Eccleſ. cap, 18. verſ. 30. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quibus verbis facilè ſuadetur, concupiſcentiam non eſſe formaliter peccatum, ſed peccari cauſam. cooperante conſenſo noſtro, quem non dare poſſumus divinâ adjuvante gratiâ, ſi velimus. Hæc ſanè ſufficiunt ad confundendos hæreticos concupiſcentiam â peccato originali minimè diſtinguentes, & exiſtimantes, concupiſcentiam formaliter ſumptam, eſſe peccatum mortale. Nam ſi hoc eſſet, ſequeretur quòd coinquinatum intraret in regnum Cœlorum, aut quòd nulla anima eſſet in Cœlo, qoia ibi nullus eſſet homo, qui non habuerit concupiſcentiam ſuam, nec ullus vivit in hac vita mortali (quæ eſt militia ſuper terram) qui non tenteτur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus.

Eccleſ. 18.

ARTICULUS XVIII.

Qui adversùs Calviniſtas, maximam decernit Inter peccatum mortale & veniale, differentiam.

JOannes Calvinus, Gerardi Cauvini, hominis Impij, & in Deum maximè Blaſphemi Filius, natione Picardus, & Patriâ Novlodunenſis, vir inter diſſolutos ſuæ patriæ viros, diſſolutiſſimus eminuit, & exulavit, profuguſque inter hæreticos ſuæ ætatis (poſt Lutherum) celeberrimus evaſit anno MDLVII. ſob Carolo V Imperatore, & Paulo III Papa, docens & prædicans inter alia impia plura dogmata, quibus nedum Sabaudiæ, ſed & ferè totius Galliæ Provincias infecit; impiiſſimos reliquit libros, inter quos unus dicitur opus de inſtitutione religionis Chriſtianæ, ubi docet, nullum eſſe peccatum veniale, ſed omne peccatum eſſe mortale. Huic errori pertinaciter adhæſit, ob aliquas rationes malè intellectas ex Scripturâ deductas, quamvis leves, & infirmæ ſint. Porrò advertendum eſt, quòd in hoc declinat â duce ſuo utpotè Luthero, non minus impio; quoniam hic hæreticus non agit de hac differentia, ſed docet, omnia infidelium peccata, eſſe mortalia, fidelium autem peccata, eſſe venialia, præter infidelitatem, quam dumtaxat credit eſſe mortale peccatum. Unde hic; non Lutherus, ſed Calvinus, impugnandus eſt; cùm Lutherus velit peccata venialia, licet admittat unum peccatum mortale tantum, quod eſt incredulitas. Hæc hæreſis convicta manet pluribus in locis hujus operis, nedùm contrà Lutherum, & Calvinum, ſed etiam contrà Melancthonem, Bucerum, & alios hæreticos, qui volunt fideles in peccata venialia tantum, labi poſſe, modó non deficiant á fide, quia (inquiunt) non eſt aliud peccatum mortale, niſi infidelitas. Idem prius ſcilicet MCCCLII ſub Carolo IV Imperatore & Clement VI Papâ, docuerat Joannes Vuicleffus, Sacerdos Anglus à Concilio Conſtantienſi damnatus. Hic quidem Impiiſſimus vir dicebat, omne peccatum prædeſtinati; eſſe veniale. Et omne peccatum reprobi, eſſe mortale, non ex natura ſua, ſed ex divina ordinatione. Quód falſum eſſe oſtendemus infrâ.

Calvinus.

Joannes Vuicleffus.

§. I.

Hæreſis Calviniana proſcriptio.

HÆc hæreſis Calviniana nullum peccatum veniale admittens, expreſsè contrà prædictos hæreticos damnata fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. ubi legitur. *Licet enim in hac mortali vitâ quamvumvis Sancti, & Juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant non proptereà deſinunt eſſe juſti: nam juſtorum illa vox eſt, & humilis & verax, dimitte nobis debita noſtra.* Indè enim conſtat, Patres Concilij declarare, hominem poſſe venialiter peccare, ac proindè dari peccata venialia à mortalibus ex ſe diſtincta; cùm ex eodem Concilio ſint peccata, quæ non expellunt juſtitiam. Idem habetur io ſeſſ. 14. cap. 5. de confeſſione, ubi etiam fit mentio de peccatis venialibus diſtinctis à mortalibus. Hæc veritas prius fuit pronuntiata à Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, præſertim Auguſtino, Athanaſio, Hieronymo & alijs, nec non in Concilio Milevitano, cui interfuit Divus Auguſtinus, nam in ſeptimo Canooe ejuſdem Concilij legitur;

Concilium Tridentinum.

Item placuit ut quicumque dixerit in oratione Dominica, ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita noſtra, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt in eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, ut hoc pro aliis, potius quam pro ſe petere intelligatur, anathema ſit: His ſiquidem verbis ſignificatur, quòd ſunt quædam peccata, quæ gratiam Sanctificantem non expellunt, acproinde quæ non ſunt mortalia; cùm iſta repugnent gratiæ, & avertant hominem à Deo; alia verò ſcilicet venialia, minimè. His addi poſſent innumeri Juris Canonici textus, ſed eos omitto, quia hæretici non Jure Canonico, ſed authoritate Sacræ Scripturæ, & argumentis ex ratione deductis, ſe vinctos ſentiunt.

Concilium Milevitanum.

Omnia peccata non eſſe mortalia, ſed quædam eſſe venialia, eſt manifeſtum ex Sacrâ Scriptura, in quâ Chriſtus diversè loquitur de peccatis, itâ ut quædam ſint ab aliis omninó diſtincta, ideóque omnia non ſunt mortalia, nec omnia ſunt levia & venialia: nam Luc 6. verſ. 41, ait: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns?* Indéque indicat, diverſos in hominibus eſſe defectus morales; cùm per feſtucam & trabem intendat demonſtrare, in nobis eſſe peccata gravia, hæcque longè diverſa, nedum in qualitate, & ſecundum ſpeciem, ſed etiam intensivè, ab aliis; ita ut aliqua ſint levia, & alia gravia, & mortalia; quoniam feſtucæ non poſſunt per ſe excæcare oculum, in quo ſunt; trabes verò excæcant eum, ideóque peccata, quæ per feſtucas exprimuntur, non extingunt lumen animæ, ſeu gratiam; cùm feſtuca non excæcet oculum, in quo eſt; ea verò, quæ per trabes exprimuntur, extingunt lumen illud, acproindè ex verbis Chriſti, quæ de vitiis hominum intelliguntur, dantur peccata venialia, quæ non conſtituunt illum, qui committit ea, cæcum ſeu injuſtum, nec ab eo gratiam explodunt; quamvis habeant rationem peccati. Et ſunt alia peccata, ſeu mortalia, quæ excæcant animam, eamque privant gratia ſanctificante, ut concludit Divus Thomas quæſt. 7. art. 1. ubi ait: *Si charitas excludatur, eſt peccatum mortale; ſi autem ſit talis defectus rectitudinis, qui charitatem non excludat; erit peccatum veniale.* Audivi olim Calviniſtam dicentem; ibi Chriſtum loqui de peccatis, eaque diſtinguere per majus, & minus mortale, vel grave, non verò per differentiam eſſentialem in mortalia, & venialia. Sed non valet hæc reſponſio; quia mortale non recipit majus & minus, niſi intenſivè. Deindè pœnæ his peccatis deſtinatæ, ſunt ſpecificè diverſæ: diverſa etiam ſunt peccata, utpotè mortale, & veniale, non ſolum diverſitate numericâ, ſed etiam ſpecificâ, cùm veniale nequeat puniri pœnâ, quâ punitur mortale, neque eoſdem effectus habere.

Luc. 9.

D. Thomas

Hanc veritatem docet etiam Matth. cap. 5. verſ. 22. ubi ait: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Judicio, qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit Concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hæc enim verba apertiſſimè demonſtrant, diſtinctionem peccati mortalis à veniali, quia diverſas deſcribunt naturas, qualitates, pœnas &c. ex quibus èvidenter colligitur peccatorum diverſitas: cùm pro menſura delicti, erit & plagarum modus, ut legimus in Deuteron. Undè cùm ex illis tribus peccatis; tertium dumtaxat puniatur gehennâ ignis, hoc eſt, morte perpetuâ, aut damnatione æternâ, alia verò duo priora, non puniantur tantâ pœnâ, ſed aliâ multò leviori, & ſpecificè diverſâ; certum eſt, quòd Chriſtus docet, illa tria peccata non eſſe mortalia, ſed unum dumtaxat ex illis, utpotè tertium eſſe mortale, alia verò duo eſſe venialia; etenim per peccatum mortale intelligimus illud per quod tollitur vita ſpiritualis animæ, quæ eſt per gratiam, quâ ſublatâ, ſtatim recedit Deus ab anima, in qua habitabat, & indè continuò mors ſequitur, ut monet Divus Auguſtinus dicens *vita corporis tui eſt anima tua, vita animæ tuæ, eſt Deus tuus.* Per venialia autem intelligimus illa, quæ ex ſe, & ſua natura ſunt tam levia, & tam minuta, ut non valeant aliquem privare gratiâ divinâ, aut facere illum Dei inimicum, aut reddere illum dignum morte æternâ; licet ſint verè peccata.

Maxima eſt differentia inter peccatum mortale & veniale.

Hanc eſſe veram mentem illorum Chriſti verborum docet Divus Chryſoſtomus, eadem verba Divi Mathæi interpretans Homil. 16. ubi inquit: *Raca non grandis alicujus eſt ſermo convitij, ſed magis de contemptu veniens impatientia dicentis, ut ipſi non numquam, vel ſervulis, vel inferioribus quibuſcumque aliquid imperantes, dicimus, vade tu, dic illi, ſed etiam qui utuntur linguâ Syriorum, raca, pro eo quod eſt tu dicere ſolent, ſed miſericors Dominus cum majoribus etiam minima quæque delicta pariter evellit, præcipiens ut mutuo nobiſmetipſis, & honorabilius utamur, & cautius, ut per hæc majora quoque peccata moriantur.* Per hæc autem verba ille Sanctus Doctor, multa & graviſſima numerat mala & peccata, quæ ex conviciis oriri ſolent, & illis enumeratis, ſtatim addit: *Quæ omnia Chriſtus jam comprimens, eum quidem qui ſine cauſa iraſcitur judicio condemnat, & idcircò dicit, qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit judicio: eum verò qui dixerit, raca, reum pronunciat eſſe Concilio. Sed adhuc iſta non magna ſunt. Hæc etiam idcircò non ſunt memorata ſupplicia, ut eum qui fratri ſuo fatue dixiſſet, gehennæ ignibus deputaret: modo certè primum nomen gehennæ commemorans, cùm enim prius multa de regno dixiſſet; tunc iſtius intulit mentionem, oſtendens quoniam illud quidem illius voluntatis ſit atque pietatis, hæc verò noſtra profectò deſidia &c.* Per quæ ille Sanctus Doctor indicat, Chriſtum oſtendiſſe eſſe aliqua peccata minima, vel levia, quæ non ſunt digna morte æternâ, nec merentur gratiæ privationem: cùm ſint peccata, per quæ homo non conſtituit ultimum ſuum finem in creatura. Indicat etiam Chriſtum oſtendiſſe eſſe alia peccata, quæ ſunt tali pœnâ, ſeu æternâ damnatione digna, hæcque ſanè mortalia ſunt eo quod mortem æternam afferant, nempè perpetuam carentiam viſionis, & fruitionis Dei, nec non gehennam ignis, ſeu pœnam æternam ſensûs.

D. Chryſ.

Eſſe autem alia peccata quibus tanta non infligitur pœna, hæcque non eſſe peccata mortalia, ſed venialia, clarè deducitur ex illo Math. cap. 12. verſ. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Sunt igitur aliqua peccata, quæ remitti poſſunt nedùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, ut ſentiunt communiter Sancti Patres; alioquin illuſoria eſſet hæc proteſtatio. Nam ſi in futuro ſæculo nullius peccati fieret remiſſio, ut volunt hæretici, fuiſſet ſuperfluum dicere, *neque in futuro*, quoniam de pœna impoſſibili, nulla fit comminatio niſi illuſoriè; atqui peccata illa, quæ in futuro ſæculo remittuntur, non ſunt mortalia, quia hæc deducunt hominem ad mortem æternam; hocque delicto rei, ſeu culpabiles, rei ſunt non Concilio, nec judicio, ſed gehennâ ignis, & in æternum in inferno, in quo nulla eſt redemptio, cruciabuntur: lignum

Pœnarum diverſitas peccatorum differentiam probat.

enim quod ad Aquilonem ceciderit, ibi manebit, ut proteſtatus eſt Salomon: Ideo hæc peccata, quæ in alio, ſicut in iſto ſæculo dimittuntur, juxtà communem verborum Chriſti interpretationem, non puniuntur pœnâ peccato mortali debitâ, ac proindè non ſunt mortalia, ſed venialia, & puniuntur pœnâ temporali in Purgatorio, in quo detinentur illi, qui deceſſerunt in ſtatu gratiæ cum peccato mortali prorsùs incompoſſibili; compoſſibili tamen cum peccato veniali, quoniam non eſt tanta illius malitia, nequé adeô juſtitiæ repugnat, ut illâ adveniente, ſtatim juſtitia, ſeu gratia pereat, ut monet D. Hieronymus lib. 2. contrà Pelagianos: quamvis includat aliquam imperfectionem, quæ cùm leviſſima ſit, non impedit amicitiam, aut unionem animæ cum Deo, nec orationis utilitatem, nec Sacrificij acceptationem.

D. Hieron.

Undè ſi omnis Sacerdos pro hominibus conſtitutos in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis, debeat orare, & offerre pro ſe ipſo, & pro populo, ut docet D. Paulus ad Hebr. neceſsè eſt quòd dentur peccata, quæ non ſint mortalia, ſed ſolum venialia; cùm illa peccata Sacerdotis pro quibus offerre debet ipſe Sacerdos, non poſſint eſſe mortalia, nam ſi in peccato mortali Sacrificium offerret, eo Sacrificio non ſolum non impetraret ſui peccati veniam, pro quâ obtinenda Sacrificare debet, ſed magis augeret peccatum, Deum magis ad iram concitaret, ejuſque oratio fieret in peccatum: quippè Sacerdos nequit citrà peccatum, accedere ad altare, niſi ſit juſtus & Deo gratus, quoniam Sancta à Sanctis ſunt miniſtranda: ergo Apoſtolus, qui obligat Sacerdotem ad offerendum Sacrificium Deo pro peccatis ſuis, ſupponit in ipſo Sacerdote Sacrificium offerente, poſſe eſſe aliqua peccata quæ non ſunt mortalia, ſed ſolum venialia pro quorum remiſſione offert Deo Sacrificium; idcircò datur peccatum veniale, & leve, quod amicitiam Dei non diſſoluit, nec occidit animam.

Sacerdos accedens ad altare debet eſſe juſtus.

His concordat Apoſtolus ad Corinth. 1. cap. 3. verſ. 12. ubi de bonis & malis operibus diſcurrens, peccata aliqua rebus natura ſua leviſſimis comparat, nempe ligno, fæno, ſtipulis; alia veró rebus graviſſimis, idcirçó vult præter peccata gravia & mortalia, dari levia, & venialia. Quemadmodum per aurum, argentum, & lapides pretioſos, ſignificat opera perfecta, quæ in Dei judicio examinata præmiantur vulque ea eſſe diverſi valoris. Ità vult dari diverſa peccata levia, quæ juſtitia divina non punit pœnâ æternâ, qua punit gravia, ſeu mortalia; ſed pœnâ temporali: verba autem Apoſtoli ſunt hæc: Si *quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fænum, ſtipulam; uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Nam hæc peccata de quibus loquitur Apoſtolus, non ſunt gravia & mortalia, cùm comparentur rebus naturâ ſuâ leviſſimis; & quodlibet peccatum mortale ſit injuria infinita, maximaque Dei offenſa rebus graviſſimis comparanda; Ideoque omnia mala, quæ ex Apoſtolo dies Domini, ſeu ultimum judicium declarabit, non ſunt mortalia, ſed quædam erunt mala levia, aut peccata venialia, ut notat Haimo eadem verba ſic interpretans: *Per aurum, argentum, & lapides pretioſos, poſſumus intelligere bona opera, virtuteſque præclaras; per fænum verò, lignum, ſtipulam, levia peccata, ſicut eſt otioſus ſermo, ipſis ò honeſtus & cætera talia. Per plumbum verò, ferrum, & ſtannum, quæ Sancti Doctores adduņt, gravia & immaniſſima peccata, quæ à regno Cælorum ſeparant: igitur ſicut aurum, argentum, & lapides pretioſi igne probantur, & tamen non conſumuntur, ita in die judicij, qui habuerint bona opera, & bonam prædicationem; licet per ignem tranſeant, tamen nullam pœnam, nullamque læſuram ſuſtinebunt; qui verò habuerint levia peccata, tranſeundo per ignem, expiabuntur, quia conſummentur ibi ſicut fænum, vel ſtipula, ſive ut ligna comburentur ab igne; tamen ipſi non remanebunt in igne, ſed mundati & probati aſcendent ad Dominum: at qui habuerunt gravia peccata, quæ à regno Cælorum ſeparant, ſicut ferrum & plumbum, ſivè ſtannum, liqueſiunt quidem, ſed non deficiunt per ignem: ita illi pondere peccatorum gravati remanebunt in igne, & ſuſtinebunt pœnas non deficientes.* Ex quo ſequitur, quód ex Divo Paulo juxtá hujus Doctoris interpretationem, præter peccata gravia, dantur quædam venialia; nuſquam enim peccata cum fœno, ſtipulis aliquas actiones malas comparaſſet, niſi aliqua peccata noſtra eſſent minuta, atqué leviſſima, ut tradit Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. dicens: *Peccata enim ex naturâ mortalia ferro potius, æri, vel plumbo forent comparanda, quam fæno, ligno, ſtipula, & ſimilibus, quæ per ignem facilè pereunt & citò tranſeunt.*

Haimo.

Cor'nth. cap. 3.

D. Gregor.

Idem probari poteſt ex illo Proverb. cap. 24. verſ. 16. *Septies cadet Juſtus, & reſurget: Impij autem corruent in malum*; ex quo etiam colligitur dari peccatum veniale, quia ibi fit ſermo de caſu Juſti, & de caſu Impij, ſeu de culpâ utriuſque. Culpa juſti non tollit juſtitiam, quia nonobſtante hoc caſu, homo, qui cadit, remanet Juſtus poſt caſum; alioquin non diceret, *Septiès cadit Juſtus*, quia in ſecundo caſu eſſet peccator, cùm per primum amitteret gratiam ſanctificantem, ſi quilibet caſus eſſet mortalis, ut volunt hæretici; iſta verò, ſeu culpa Impij eſt mortalis, quia tollit juſtitiam; idcircò hi duo caſus, juſti ſcilicet, & Impij, aut hæc duo peccata, non ſunt ejuſdem generis, ità ut ambò ſint mortalia, vel ambò venialia: ergò neceſsè eſt quód ſit aliquod peccatum, quod non ducat ad mortem, ſed ſola pœnâ temporali puniatur poſt mortem, non in inferno, in quo pœna eſt æterna, ſed in Purgatorio, ideoque debet dari peccatum veniale, quod juſtus committit, quin à juſtitia & Sanctitate defecerit.

Juſtus poteſt cadere quin gratiam amittat.

Reverà Divus Auguſtinus lib. 11. de Civit. Dei, cap. 31. intelligit hæc verba Salomonis de tribulationibus. Sed hoc non obſtat: plures enim ſunt Scripturæ ſenſus. Divus Hieronymus in comment. intelligit ea de peccatis: *Quomodo autem* (inquit) *Juſtus appellatur, qui cadere, id eſt peccare memoratur, niſi quia de levibus, quotidianiſque loquitur peccatis.* Huic interpretationi favet Beda, qui prædicta Salomonis verba exponens in comment. ſuper 3. cap. Epiſtolæ Catholicæ, ait: *Etſi enim Juſtus per fragilitatem carnis, vel ignorantiam fortè offenderit, juſtus tamen eſſe non deſiſtit, quia ut quotidiana eſt hujuſmodi, & inevitabilis offenſio, ità eſt, & quotidiana orationum & bonorum operum medela, quæ offendentem juſtum, nè in terram proruat, & nuptialem charitatis, ac fidei veſtem, pulvere vitiorum ſordidet, ocyùs erigit*: Quippè verbis his demonſtratur, dari aliquam offenſam, quæ veſtem charitatis non ſordidat, ſeu quæ gratiam ſanctificantem non expellit, ſicut offenſa mortalis, quâ homo fit formaliter inimicus Dei. Quæ quidem offenſa adoptioni divinæ non repugnans, debet neceſſarió eſſe levis, aut venialis, pœnâ temporali duntaxàt punienda; cùm nulla ſit culpa, quæ non ſit aliquâ punitione digna; hinc eſt quód juxta infallibilem Romanæ Eccleſiæ fidem, peccata venialia non ſunt materia neceſſaria, ſed libera Sacramenti pœnitentiæ, in quo mortalium culpa remittitur, & pœna debita de æternâ in temporalem mutatur.

D. Auguſt.

D. Hieronymus.

Math. 6. His omnibus addi poteſt illud Math. cap.6. verſ. 12. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hæc debita ſeu peccata (de quibus hic loquitur Chriſtus nos orandi methodum docens, juxtà communem Sanctorum Patrum mentem, & præſertim Divi Auguſtini, nedùm loco citato, ſed etiam Epiſt. 108. & lib. 50. Homil. 19.) non ſunt mortalia, ſed venialia, quotidiana, pro quibus etiam quotidiana Sacrificia Eleemoſynarum, jejuniorum, & orationum offerre non ceſſamus. In hoc ſenſu etiam loquitur Divus Jacobus in Epiſt. Catholica, cap. 3. verſ. 2. dicens: *In multis enim offendimus omnes:* *Epiſt. Catholica.* quæ verba intelligi non poſſunt de offenſa peccati mortalis, quoniam falſum eſt quòd omnes (etiam ſi de ſolis adultis loquatur) offendant Deum in multis mortaliter; cùm ex Sacrâ Scripturâ conſtet, extitiſſe veros Iſraëlitas, in quibus non fuit dolus. Et Eccleſia doceat, fuiſſe aliquos Sanctos, qui peccatum mortale non habuerunt, ut refert Hiſtoria Sacra. At ſi Hæretici nolunt Hiſtoriis Sacris credere, non poſſunt negare, plures perſonas fuiſſe à peccato mortali immunes, ſcilicet Joannem Baptiſtam, & Jeremiam, qui verè in utero matris ſanctificati fuerunt, quique nonobſtante hac ſanctificatione, forſan aliquod peccatum leviſſimum habuerunt, ut credere poſſumus ex illo Joan 1. cap. 1. *Epiſt. Joan. 1.* *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Quòd de viris ſanctiſſimis à gravibus quibuſque offenſis ſe abſtinentibus, verum eſt, ſi non de omnibus: ſaltem de pluribus.

Beda. Undè venerabilis Beda verba ejuſdem Jacobi interpretans, inquit: *Præmiſit in multis, ſubjunxit omnes, ut tantò cautiùs ſe imperfecti quique in agendo, vel loquendo circumſpicerent, quantò certiùs cognoſcerent, quia non perfecti quidem boni, & qui Spiritûs Sancti gratiâ duce incedunt, hujus vitæ viam abſque offenſione peccati alicujus tranſire ullatenùs poſſint, juxtà quod alibi ſcriptum eſt, Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus, & ſicut Salomon ait; quia non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* Hæc quidem verba juxtà interpretationem Bedæ non poſſunt intelligi de peccato mortali, ſubindèque inferendum eſt dari peccata venialia, & levia, a quibus nullus eſt mundus, *quia non eſt juſtus in terra, qui non peccet.* Hæc peccata ſunt ea propter quæ poſt mortem non damnatur homo, ſi cum illis è vita decedat; cùm illis ſtantibus, anima ſit in gratia ſanctificante, quâ ſit grata Deo, & habet jus ad vitam æternam, quam tamen non poteſt conſequi, niſi priùs purgetur igne Purgatorii. Quoniam nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum.

Ut confundantur Lutherani, & Calviniſtæ, non parùm juvat authoritatibus addere rationem. Nam *Ratio ſpecifica probans articulum.* ex opinione Calvini omne peccatum eſt mortale, & morte perpetuâ dignum: ergo verbum otioſum non eſt peccatum, cùm non ſit mortale, nec punietur pœnâ æternâ. At hoc conſequens eſt falſum juxtà illud Math. 12. verſ. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii.* Datur igitur peccatum veniale; vel Deus eſt nimis ſeverus, quia ſeveritas maxima eſt, ob quamlibet leviſſimam offenſam, morti perpetuæ tradere hominem: Vel non judicabit verbum otioſum, quòd eſt etiam falſum, ut paret ex verbis Divi Math. Deus autem non eſt ſeverus; cùm nolit mortem peccatoris. Et Jugum Chriſti dicatur ſuave, & onus ejus leve: idcircò ob leviſſimas offenſas (quas quotidiè committimus, cum ſi diximus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt) non privat nos gratiâ ſanctificante. Nam ſi hæc privatio tunc ſequeretur, onus Chriſti eſſet tam grave, quòd nec nos, nec prædeceſſores noſtri portare potuiſſent. Vix enim ullus homo poſſet eſſe juſtus in hac vitâ; ſi ob quamcumque offenſam, Deus privaret eum juſtitiâ, & quodcumque peccatum apud ipſum reputaretur mortale, cùm ferè nullus ſit, qui quotidiè ſic non peccet, ut jam dixi ex Sacrâ Scripturâ.

Effectus peccati mortalis ſunt diverſi ab effectibus peccati venialis. Sequeretur inſuper ex errore Calvini, quòd Deus eſſet levis & inconſtans amicus, ſi ob quamlibet leviſſimam offenſam, amicitiam ſemel cum homine contractam diſſolueret eumque ad pœnas inferni damnaret; at Deus eſt immutabilis, non deſerit, niſi priùs deſeratur, ideòque non ob quamcumque offenſam, ſed ſolùm ob mortalem, per quam homo ultimum finem ſuum in creaturą conſtituit, & per quam ab homine deſeritur, amicitiam contractam cum homine diſſoluit, non verò per offenſam venialem, ſeu levem, v. g. per verbum otioſum, licet ſit peccatum, cùm de eo reddenda ſit ratio in ultimo Judicio. Non minùs inconveniens ſequitur ex errore Lutheri exiſtimantis contrà verum; & legitimum ſenſum Evangelii, omne peccatum eſſe veniale præter infidelitatem, quam ſolam dicit eſſe peccatum mortale; indè enim ſequitur quòd Deus eſt parùm juſtus, propterea quòd peſſimis, ac ſceleratiſſimis hominibus, nimirùm adulteris, ſimoniacis, uſurariis, homicidiis, & ſimilibus, qui in multis, & graviſſimis rebus nocent proximo, facilè indulgeat, ſicut indulget juſtis, qui leviter peccant, nec eos æternâ pœnâ puniat. At hoc eſt falſum, cum ipſe Deus in Sacrâ Scripturâ affirmet quòd avari, homicidæ, & alii erunt damnati, & in ultimo Judicio maledicti, quamvis crediderint: etenim ex eadem Scripturâ Sacrâ, fides ſine operibus mortua eſt, & perconſequens avarus, fornicarius, homicida, & alii ejuſdem malignitatis, & nequitiæ viri erunt damnati, niſi pœnitentiam agant; etiam ſi habeant fidem. Undè ne tot, tantaque admittamus abſurda, dicendum eſt contrà Calvinum quòd dantur peccata venialia à mortalibus diſtincta. Et contrà Lutherum quòd omnia peccata non ſunt venialia præter infidelitatem, ſed quòd plura ſunt peccata mortalia ab infidelitate diſtincta.

Quantùm ad Joannem Wicleffum, qui reverâ admittit diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale cum Catholicis; *Rejicitur error Wicleffi.* ſed credit peccatum eſſe veniale ex eo præcisè, quia eſt peccatum hominis prædeſtinati, & quia Deus non vult peccatum illud puniri morte æternâ: quamvis hâc ipsâ pœnâ puniretur, ſi commiſſum fuiſſet à viro reprobo. Et credit; peccatum mortale, eſſe mortale ex eo præcisè, quia eſt commiſſum à viro reprobo, quem Deus vult punire morte æternâ. Quantum ad hanc Sententiam dico, quòd Hæretica eſt; cùm affirmet contrà Sacram Scripturam, & Concilia, Deum eſſe acceptorem perſonarum, aut ſolos reprobos eſſe peccabiles mortaliter, & ſolos juſtos venialiter. Nam gratia ſanctificans, & prædeſtinatio non tollunt libertatem, nec ponunt hominem extrà ſtatum viæ. Peccatum Adæ fuit mortale, ut fatentur omnes ex illo Geneſ. cap. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* *Geneſ. 2.* tamen hoc nonobſtante, Adam prædeſtinatus erat ad vitam æternam; cùm ſit beatus, ut credimus contrà Tatianos. Quando peccavit erat in gratia; eratque vir juſtus & rectus: ergò falſum eſt, quòd omne peccatum hominis prædeſtinati ſit ità veniale, ut non poſſit ipſe prædeſtinatus peccare mortaliter; cùm peccatum primi parentis fuerit mortale. Idem dici poteſt de Prophetâ regio, qui adulterium, & homicidium commiſit. De Maria Magdalenâ, quæ fuit in civitate peccatrix. Et de aliis viris ſanctis, qui dum viverent, plura commiſerunt peccata mortalia, & tamen vivunt, & regnant cum Chriſto in gloria: Falſum eſt etiam aſſerere, reprobos non

Digitized by Google

poſſe peccare venialiter ; quia quandò reprobus eſt in gratia (ut fuit Judas Iſcariotes) poteſt aliquod committere peccatum , per quod non amittat gratiam , alioquin ſequeretur, quòd qui poteſt peccare graviter, non poſſet peccare leviter. Quòd implicat, quoniam qui poteſt facere majus , poteſt facere minus , & ideo reprobus poteſt habere peccata mortalia & venialia , cùm poſſit verba otioſa proferre , inimicos odio habere , &c.

§. II.

Deſtruuntur Calviniſtarum fundamenta.

Prima Calviniſtarum ratio proponitur.

CAlviniſtæ inſurgunt , plurimaque Scripturæ Sacræ afferunt teſtimonia, quibus evincere nituntur , omne peccatum ex natura ſua eſſe mortale , nam , inquiunt, ſcriptura Sacra abſque ulla diſtinctione loquitur de peccato generatim Ezech. cap. 18. dicitur *anima quæ peccaverit , ipſa morietur.* Deuteron.27. *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis hujus.* Quibus ſuadetur , quamlibet tranſgreſſionem Legis eſſe à Deo maledictam , acproindè mortalem , cùm maledictio ſit pœna , quam ſolum peccatum mortale poteſt incurrere. Ad Rom. cap. 61. *Stipendia peccati mors.* Jacobi 2. *qui peccat in uno , factus eſt omnium reus :* Igitur ex Sacrâ Scriptura omne peccatum eſt mortale , vel eſt veniale , quoniam abſque ulla differentia prohibet peccata. Dicere omne peccatum eſſe veniale, eſt expreſsè contrà Apoſtolum , quò ſtipendium peccati , eſt mors , quæ per peccatum mortale infertur animæ , & perconſequens cùm ex Apoſtolo , uniuſcujuſque peccati ſtipendium, ſit mors, ſequitur quodlibet peccatum eſſe mortale.

Diſſolvitur prima Calviniſtarum ratio.

Reſpondeo hos , & alios ſimiles Sacræ Scripturæ textus , non eſſe intelligendos de peccatis generatim , ut volunt Hæretici, ita ut omnia ſint æqualia, eumdemque effectum præſtent; cùm ſint alii textus, illi ſcilicet , quos ſuprà retulimus , qui de peccatis venialibus ſolùm intelligi poſſunt. Et videamus in Evangelio , quòd inter peccatores, aliqui ſunt rei Concilio , alii Judicio , & alii Gehennâ ignis : ergo textus adducti à Calviniſtis , ſolùm de peccatis mortalibus intelligendi ſunt.

Explicatur authoritas D. Baſilii.

Dicent , Divum Baſilium in quæſtionibus compendiò explicatis , interrogatione 4. affirmare omne peccatum eſſe mortis ſtimulum , & perconſequens ex illo Sancto Doctore , peccatum quamvis minimum eſt mortale , quia punitur pœnâ æternâ. Et dum Sacra Scriptura loquitur de peccato , vult intelligi de mortali. *Reſpondeo* negando conſequentiam, quia Divus Baſilius non loquitur in ſenſu formali , nec vult quodlibet peccatum eſſe ſtimulum mortis effectivè , ità ut eam inferat , ſed loquitur in ſenſu diſpoſitivo , hoc eſt, vult, venialia peccata diſponere ad mortalia , maximè quandò frequentiùs admittuntur , ut facilè colligitur ex illo Eccleſ. cap. 19.

Eccleſ. 19.

Qui ſpernit modica, Paulatim decidet : Nam ſpernere modica , eſt peccare leviter , & quin ſequatur privatio gratiæ , quæ eſt vita animæ , quoniam peccata levia non opponuntur ei ; alioquin primo rei modicæ contemptu , homo decideret effectivè , quòd eſt falſum : quia decidere eſt peccare cum privatione gratiæ , ſeu mortem incurrere.

Alium Scripturæ Sacræ textum adducunt : ſcilicet iſtum Math. cap. 5. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis , minimus vocabitur in Regno Cœlorum*, id eſt, rejicietur à Regno Cœlorum , & minimè in eum vocabitur. Vel minimus vocabitur in Regno Cœlorum ; id eſt, nullus (inquiunt Calviniſtæ) vocabitur in Regno Cœlorum , niſi obſervaverit omnia mandata, quoniam ille erit beatus , qui omnia mandata etiam minima obſervaverit : igitur non ſolùm peccata mortalia , quæ ſunt contrà maxima mandata , ſed etiam ea , quæ ſunt contrà minima , excludunt à gloria æterna, inducuntque reatum pœnæ æternæ , & perconſequens nulla eſt culpa , quæ ſit venialis , ſeu quæ non ſit mortalis , nullaque eſt eſſentialis differentia inter peccata ; cùm quodlibet peccatum , quamvis minimum, excludat gratiam.

Reſpondetur ad ſecundam Calviniſtarum rationem.

Reſpondeo hunc textum fuiſſe vitiatum à Calviniſtis , auferunt enim hæc verba , *& docuerit ſic homines* , ſic enim loquitur Chriſtus : *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis , & docuerit ſic homines , minimus vocabitur in Regno Cælorum ; qui autem fecerit , & docuerit , hic magnus vocabitur in Regno Cælorum* : Ex quo ſequitur , quòd ille, qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis , non vocabitur minimus in Regno Cœlorum , non ex hoc præcisè , ſcilicet , quia ſolverit mandatum minimum, ſed quia ſolvendo illud, docuerit alios ſic eſſe faciendum. Quod eſt ſolvere unum de mandatis iſtis maximis , illud ſcilicet, quo prohibentur ſcandala, & mendacium pernicioſum , cùm ſolvere minima, & docere ea eſſe ſolvenda , & aſpernenda , ſit mentiri & alteri præbere occaſionem ruinæ. Quare Chriſtus ait : *Si ſcandaliſaverit te manus tua, abſcide illam* , ut moneat , Scandalum eſſe vitandum , etiam in minimis ſub pœnâ peccati mortalis : non enim implicat , quòd quis ſolvendo minima ; peccet venialiter. Et docendo alios , ut ſic faciant , peccet mortaliter. Quia docere homines , ſolvenda eſſe Dei mandata , quamtumvis minora aliis , non poteſt provenire , niſi ex contemptu Legis , qui eſt mortaliter culpabilis. Nec poteſt fieri , quin cadat in contemptum Legiſlatoris, qui quamvis Lege ſuâ minima præcipiat, & peccatum veniale tantum ſit ea ſolvere , nequit tamen in hac Lege contemni , citrà peccatum mortale ; quoniam talis contemptus eſt in materia gravi. Hanc interpretationem eſſe veram , patet , quia Chriſtus ibi loquitur de ſolventibus mandata minima modo Phariſaico : Phariſæi autem contemnebant mandata Dei, ea eludendo pravâ interpretatione , & dicendo , Deum non prohibere modica , ſed tantum homicidium , adulterium , ſimiliaque peccata graviſſima. Quòd eſt falſum , quia Deus prohibet omne malum quamtumvis parvum , & modicum ſub pœnâ diversâ.

Ex definitione peccati Calviniſtæ impugnant articuli veritatem.

Tandem objiciunt ex ratione. Quod eſt contrà Legem , eſt de ſe, & ex natura ſua peccatum mortale ; cùm iſtud nihil aliud ſit , niſi dictum , factum , aut concupitum contrà Legem Dei , ut dicunt omnes communiter cum Divo Auguſtino : ſed peccatum quamtumvis leve , & minimum, eſt contrà Legem Dei : nam furtum quamtumvis leve , eſt contrà Legem de non furando : quæ prohibet omne furtum & ſic de cæteris peccatis quæ Papiſtæ(inquiunt) vocant venialia : ergo cuilibet peccato convenit definitio eſſentialis, & ſpecifica peccati mortalis, & perconſequens quodlibet peccatum eſt mortale. Et illud quod veniale dicitur (ſi eſſet) non poſſet diſtingui à mortali, niſi per majus & minus , quòd non variat ſpecificè peccata , nec ea eſſentialiter dividit, in mortalia & venialia, ſed ſolum in peccata magna, & majora.

Peccatum veniale non eſt ſimpliciter contrà Legem Dei.

Reſpondeo peccatum veniale non eſſe ſimpliciter contrà Legem Dei : quamvis peccati nomen habeat, quia per actus venialiter culpabiles , v. g. per verbum otioſum , per furtum pomi , per turpem cogitationem , aut motum infidelitatis Judicium antevertentem , Lex Dei , quæ mendacium & furtum prohibet , non violatur ſimpliciter : quippè cùm agentibus imponatur , & commune bonum intendat, violatur ſolum ab his , qui liberè & deliberatè

contrà ipſam Legem operantur, & ob quantitatem materiæ cognitam, notabile nocumentum inferunt proximo, aut inferre intendunt. Undè dum peccatum non procedit ex deliberata voluntate violandi Legem Dei, nec ex intentione nocendi notabiliter & de facto ſic procedit, & parum nocet, ſequitur quòd non eſt ſimpliciter & formaliter violatio, aut tranſgreſſio Legis Dei, ſed ſolum leviter, & ideò ſequitur quòd non eſt peccatum mortale: quamvis verè ſit peccatum propter pœnam temporalem, quam meretur, quæ quidem pœna, non poteſt dari, niſi propter aliquam culpam, ſaltem levem, quoniam ex 23. regula Juris in 6. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*. Nec poteſt comprehendere privationem gratiæ ſanctificantis, quam incurrit ille, qui mortaliter peccat; aut Legem Dei violat formaliter.

Dicent. Pœna illa, quæ debetur peccato quantumvis minimo, debet eſſe infinita, ac æterna, quia quælibet offenſa Dei eſt infinita, cùm creſcat juxtà dignitatem perſonæ læſæ. Et Deus contrà quem eſt, ſit infinitus: ergo peccatum illud, quod dicitur veniale, naturâ ſuâ pœnam æternam promeretur, ſubindèque nulla eſt culpa, quæ ex levitate ſua intrinſeca ſit venialis, ſed tantum ex divinâ miſericordiâ pœnam aliquibus peccatis debitam miſericorditer relaxante, & volente talem culpam non eſſe verè culpam, ſubindèque nulli pœnæ ſubjectam.

Reſpondeo peccatum veniale non eſſe offenſam infinitam, ſicut peccatum mortale, quamvis ſit offenſa Dei infiniti; & æterni. Ratio hujus rei eſt, quia peccatum veniale non avertit (ut mortale) hominem à Deo tanquam ab ultimo fine, ut eum ad creaturam convertat, in ipſa ultimum finem ſuum conſtituat, & reſultet infinita moralis diſtantia hominis à Deo; ſed tantum minuit fervorem ejuſdem dilec-

D. Bonaventura. tionis. Quapropter Divus Bonaventura in cantiloquio, parte prima cap. 6. ſic diffinit peccatum veniale: *Libido ſeu amor voluptatis in creatura citrà Deum*: Et ideò non contrahit malitiam, ſeu culpam moraliter infinitam, ſicut peccatum mortale, quod includit contemptum Dei, ex quo contemptu, infinita naſcitur culpa, quia infinita eſt Majeſtas læſa.

D. Auguſtinus. Inſtabunt. Ex Divo Auguſtino variis in locis, ſi Deus judicaret homines abſque miſericordia, nullus ſalvaretur; at hoc verum non eſſet, ſi peccatum veniale non mereretur pœnam æternam, cùm multi ſint, qui in morte habent tantum peccata venialia, quoique non poſſet damnare Deus; quia damnare, eſt æternam pœnam dare, ſubindèque plores poſſent ſalvari; etiamſi abſque miſericordia judicarentur à Deo, qui non damnabit eum, qui erit ſine peccato excludente gratiam, ſeu mortali.

Explicatur mens Divi Auguſtini. Reſpondeo hanc inſtantiam non nocere, quia D. Auguſtinus ſolùm vult, neminem ſalvari poſſe abſque miſericordia; quatenùs gratia, per quam homo ſalutem æternam conſequi meretur in præmium meritorum, fuit illi miſericorditer data; hæc quidem gratiæ collatio, non eſt opus Juſtitiæ, ſed miſericordiæ. Vel reſpondeo D. Auguſtinum ſolum velle, neminem fore ſalvum, ſi abſque miſericordia judicetur à Deo, quatenùs peccata venialia debent remitti, ut quis ſalvus fiat & intret in Regnum Cœlorum, in quod ex Sacrâ Scripturâ; nihil immundum; & coinquinatum poteſt intrare. Hæc autem peccatorum venialium remiſſio ad conſequendam vitam æternam abſolutè neceſſaria, eſt actus miſericordiæ, quamvis fiat in gratiam; & favorem Juſtorum: idcircò verum eſt dicere, quòd nemo ſalvus eſſe poteſt abſque miſericordia Dei, quin verum ſit dicere, peccata venialia ex ſe ipſis promereri pœnam æternam; ſeu ex ſola miſericordia divina pœnam perpetuam mutante in temporalem, fieri venialia; ut voluerunt Hæretici Wiclefitæ. Nam licet peccata venialia, ex ſe ipſis non opponantur phyſicè, nec moraliter gratiæ ſanctificanti, opponuntur tamen aliquo modo gloriæ, cùm ſint priùs purganda in hac vita per pœnitentiam, aut in purgatorio per ignem, quæ quidem purgatio prorsùs neceſſaria; miſericorditer conceditur.

ARTICULUS XIX.

Quò adverſùs Valentinianos probatur peccatum procedere à libero hominis Arbitrio.

Valentiniani, ſic à Valentino quodam Pytagoræ veriùs quàm Chriſti Sectatore, appellati; *Valentiniani.* docuerunt ſub eodem Duce anno CL regnante Antonino Pio Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Hygino Summo Pontifice, nullum peccatum eſſe efficienter, & effectivè à libero hominis arbitrio, ſed à Dæmone, qui eſt pater mendacii, & cauſa à qua oritur omne malum. Eumdem errorem poſteà ſcilicet anno CCLXXIII tempore Aureliani Imperatoris, & Fœlicis primi, docuerunt Manichæi ſic *Manichæi.* dicti à Manete quodam natione Perſa, de quo fuſius locuti ſumus in ſecondo articulo hujus operis. Anno autem DCCXCVI ſub Conſtantino Imperatore, & Leone III Summo Pontifice, Manichæis adhæſerunt Albanenſes inter reliquos, qui ab orbe condito ex- *Albanenſes.* titere divinæ doctrinæ corruptores, ſceleratiſſimi. Hi enim docuerunt, peccatum non proficiſci à libero arbitrio, imò nullum eſſe in homine arbitrium, nullumque hominem poſt peccatum commiſſum confiteri debere, quoniam credebant, non hominem, ſed Diabolum in ipſo homine peccare, aut à Diabolo provenire omnia peccata hominum. Tandem ejuſdem erroris defenſores ſunt Armeni Hæretici, hi *Armeni.* ſcilicet, qui Aſiam incolunt, eâ in parte quæ eſt inter Taurum, & Caucaſum montes conſtituta, cùm credant, quòd nullum fuiſſet futurum peccatum, ſi Dæmones non extitiſſent qui homines ad tentationem impellerent. Ex hoc enim facilè inferunt, peccatum eſſe ſimpliciter à Dæmone, & nullo pacto à libero arbitrio; ità ut homo poſſit juſtè puniri à Deo, quia (inquiunt) homo nequit reſiſtere Diabolo impellenti, & ideò non homini, ſed Diabolo imputari debet peccatum commiſſum.

Nullum Concilium expreſsè celebratum fuit contrà hanc Hæreſim: nihilominus omnes Doctores tenent, ipſam fuiſſe implicitè damnatam in omnibus Conciliis, in quibus tanquam de fide determinatum fuit, hominem eſſe liberum ad bonum, & ad malum; ad obſervantiam, & ad tranſgreſſionem mandatorum Dei. Nam ſi homo poſſit, Dæmone nullatenùs cooperante, facere aliquid contra Legem Dei, ſcilicet omittere quod præcipitur, aut committere quod prohibetur, certum eſt quòd independenter ab eodem poteſt peccare, cùm omne opus contrà Legem Dei factum, dictum, aut concupitum, ex D. Auguſtino ſit peccatum. Hominem autem eſſe ità liberum ea libertate, quæ ſufficit ad peccandum, decretum fuit in Trident. Seſſ. 6. de juſtificatione, *Concilium Tridentinum.* Can. 5. ubi legitur: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique à Satana invectum in Eccleſiam: Anathema ſit.* Hoc quidem Canone convincimur, & ſub pœna Cenſuræ tenemur credere, hominem eſſe liberum, huncque poſſe peccare, ut expreſſiùs habetur ex Canone ſequenti: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis*

vias ſuas malas facere, ſed mala opera ità ut bona Deum operari non permiſſivè ſolum, ſed etiam propriè & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli: Anathema ſit: Igitur ex Tridentino non eſt in poteſtate Diaboli, ſed in poteſtate hominis, peccare, cùm vias ſuas malas facere, & peccare unum & idem ſignificent.

§. Unicus.

De Effectiva Peccatorum Cauſa.

ASſertionis noſtræ veritas ex innumeris Sacræ Scripturæ textibus ita conſolidatur, ut negari non poſſit, niſi ab impiiſſimis viris, qui verbo Dei nullam adhibent fidem, & in omnibus Eccleſiam Chriſti impugnant, ut omnibus vitiis, & voluptatibus viam aperire poſſint: nullus enim ignorat Stephanum reprehendiſſe Judæos Spiritui Sancto ſæpe reſiſtentes, juxta illud Act. 7. verſ. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos:* Hæc autem reſiſtentia, aut inobedientia eſt mortaliter culpabilis, juxta illud Pſalm. 94. *Hodiè ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Omnes tenent juſtam & rationabilem fuiſſe hanc Stephani reprehenſionem: talis tamen non eſſet, ſi a ſolo Diabolo tanquam à principio productivo, ortum haberet quodlibet peccatum, non verò à libero hominis arbitrio, quoniam non ipſi Judæis à quibus peccatum provenire non poterat, ſed Diabolo facienda fuiſſet hæc reprehenſio; cùm impedimenta ejus, aut prohibitio pariter, & correctio, aut reprehenſio agenti, & male operanti debeat fieri, corripientis quidem finis eſt delinquentem à tali operatione removere: ideòque ille, cui fit, ipſe eſt, qui delinquit. Injuſtum etiam, aut ſaltem inutile fuiſſet illud monitum D. Pauli, 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 34. *Evigilate juſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.* Item illud Petri 1. cap. 3. verſ. 10. & 11. *Qui vult dies videre bonos, declinet à malo, & faciat bonum*, cùm in Sententia Hæreticorum, peccatum non ſit ab homine, nec à libero arbitrio, ſed à Dæmone, qui non eſt in poteſtate Juſti. Porrò hoc monitum non fuit inutile, nec contrà propoſitum factum fuit illis, qui peccant, cùm audiamus Salvatorem Joan. 5. dicentem cuidam, quem à languore ſanaverat: *Ecce jam ſanus factus es, jam amplius noli peccare:* Igitur non à Dæmone, ſed à libero arbitrio proveniunt mala animæ, ſeu peccata. De corde enim humano, inquit Chriſtus, Math. 15. verſ. 19. exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. His Chriſtus Dominus oſtendit radicem, aut principium principale, aut formale, nullam tamen de Diabolo mentionem facit, de ſolo corde humano loquitur, ideòque probat, peccatum non à Diabolo, ſed ab homine eſſe.

Act. 7.

Pſalm. 94.

1. ad Corinth. 15.

1. Petr. 3.

Joan. 5.

Math. 15.

Deinde ſcimus quòd Deus ab initio conſtituit hominem rectum & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata, & præcepta ſua, ut oſtenderet, hominem habere plenum libertatis ſuæ uſum, atque poteſtatem obſervandi, vel non obſervandi mandata, ideò dicit illi Eccleſ. cap. 15. verſ. 16. *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere; appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Antè hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc autem poteſtas illi data fuit, ut ſibi, mediante gratiâ, acquireret gaudium Domini. Vel ut ex propriâ malâ voluntate æternum ſibi promereretur ſupplicium. Hinc eſt quòd Oſeas ait: *Perditio tua ex te eſt.* Et Chriſtus in ultimo Judicio dicet reprobis; *eſurivi & non dediſtis mihi manducare, &c.* Idcircò non Dæmoni, aut naturæ mundi, id eſt generi diabolico, ut loquitur Valentinus; ſed ſibi malitiam imputare debet homo; cùm non ſit peccatum, niſi liberum & voluntarium. Et liberum illud ad peccandum neceſſarium hominibus; non Dæmoni, ſed homini datum fuerit. Quapropter Apoſtolus hortatur homines ad cooperandum cum gratia Dei (quæ juvat ad bonum; & ad fugam peccati) 2. ad Corinth. cap. 6. dicens: *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quippè per hæc verba, nedùm oſtendit neceſſitatem gratiæ contrà Pelagianos ad eliciendum opus Deo gratum, & meritorium; ſed etiam concurſum & operationem voluntatis humanæ ad eliciendum illud, ut declarat 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 10. dicens: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, ſubindèque declarat etiam, peccatum eſſe ab ipſa voluntate gratiam Dei in vacuum recipiente, quia bonum & malum ab eodem principio proveniunt; tamen cum hoc diſcrimine, quod malum eſt à voluntate ſola, juxtà illud Oſeæ Prophetæ: *Perditio tua ex te ipſa eſt:* Bonum verò ab ipsâ voluntate gratiâ divina adjuta, ideòque non a Dæmone, ſed à libero arbitrio ſunt peccata hominum.

Eccleſ. 15.

2. ad Corinth. cap. 6.

1. ad Corinth. cap. 15.

Hanc ipſam veritatem confirmat ratio. Si peccatum eſſet a Dæmone, ut volunt Hæretici, eſſet ab illo tanquam a principio productivo, & operativo peccati. Vel tanquam a cogente voluntatem noſtram ad peccandum. Vel tanquam à perſuadente. Sed in nullo ſenſu peccatum noſtrum poteſt tribui Diabolo, tanquam ipſius peccati principio; nam ſi ſit ab illo tanquam a principio productivo, & operativo, peccatum noſtrum non debet dici humanum, ſed diabolicum, quia effectus, & præſertim operatio mala, à cauſa ſuam accipit denominationem. Et Deus non hominem, ſed Diabolum deberet punire, quoniam pœna debet dari ſubjecto, cui tribuitur culpa. Si tanquam à cogente, peccatum noſtrum non eſt verè peccatum, quia debet eſſe liberum, & tunc voluntas noſtra non eſſet libera, ſed coacta & neceſſitata ad eliciendum actum prohibitum, aut ad omittendum actum præceptum: quòd tamen implicat; cùm voluntas noſtra ſit ità libera, ut poſſit reſiſtere Diabolo; alioquin D. Petrus in Epiſt. 1. cap. 5. fruſtrà dixiſſet Judæis. *Vigilate quia adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Si à perſuadente, neceſsè eſt quòd etiam ſtante hac perſuaſione, peccatum ſit à libero arbitrio, quia Dæmon perſuadens, reverà ſuadet illi, ut malum eligat, ſed non eligit illud: Diabolus facit, ut homo faciat, ſed non facit id, quod homo facit, ipſo ſuadente. Undè D. Auguſtinus Serm. 197. de tempore, ait loquendo de Dæmone: *In ordine ad voluntatem noſtram latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt, niſi volentem; non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit:* Idcircò injuſtè Diabolum accuſant illi, qui peccata noſtra ei tanquam principio productivo tribuunt: quamvis ſit omni malo, omnique accuſatione dignus; quinimò ipſi ſe excuſant, dum dicunt peccata noſtra non à nobis, ſed ab ipſo eſſe, cùm non Diabolo, ſed hominibus Deus dicat per os Prophetæ Jerem. cap. 2. verſ. 13. *Duo mala fecit Populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Omni ex parte peccatum eſt à libero hominis arbitrio.

D. Auguſtinus.

Jerem. 2.

Valentiniani, & Manichæi credunt, peccatum non eſſe ab homine, quia duos Deos admittunt. Unum bonum, à quo omne bonum procedit. Et alium malum à quo eſt omne malum. Hoc autem fundamento freti, publicant, peccata non à nobis, ſed à Deo malo eſſe. Porrò hanc inſaniam & impietatem rejecimus in

Oſtenditur nullitas fundamenti Valentinianorum, & Manichæorum.

ſecundo articulo hujus operis, in quo probatum manet, unum dumtaxat eſſe Deum; & hunc bonum, huncque juſtum; & per conſequens non Diabolo, nec alicui Deo malo, ſed homini tanquam principio formali,& effectivo tribuendum eſt peccatum, quod nunc contrà Lègem Dei committitur, tàm cogitatione, quàm verbo, & opere: alioquin Deus da Populo Iſraëlitico ſub nomine vineæ loquens Iſay 5. non dixiſſet: *Expectavi ut faceret Uvas, & fecit Labruſcas* ſeu fructus malos. Quia ſi peccata eſſent à Diabolo, non dixiſſet, quòd vinea, ſeu Populus Iſraëliticus fecit fructus malos,ſed dixiſſet quòdDiabolus fecit eos. Nec per eumdem Prophetam diceret

Iſay. 1.

cap. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, quod ſi nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*; cùm nolle bona terræ comedere, non ab hominibus, ſed à Diabolo prorsùs penderet: videant igitur Valentiniani, & Manichæi,Albanenſes & Armeni, ex his, & ex aliis Sacræ Scripturæ textibus voluntati humanæ mala tribuentibus, peccatum non eſſe à Diabolo,tanquam à principio productivo, ſed ab homine, qui ad malum porrigit manum, dum eam poteſt ad bonum porrigere; cuique Chriſtus in ultimo Judicio: dicet, *ſitivi & non dediſti mihi bibere, &c.*

Armeni alio utuntur principio. Nam non ex pluralitate Deorum à Manichæis ficta, concludunt, peccatum eſſe à Diabolo, ſed ex eo quod ſi Dæmones non fuiſſent, qui hominem tentarent, nullum futurum fuiſſet peccatum, quemadmodum ſublatâ causâ tollitur effectus. Hocque probant exemplô primorum parentum, qui Diabolo ſuadente, & tentante, peccaverunt. Idque colligunt ex illo Geneſ. cap. 3. verſ. 13. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem, quare hoc feciſti? Quæ reſpondit, Serpens decepit me, & comedi.*

Deſtruitur Armenorum fundamentum.

Hæc ratio minimè valet, quia ut ex dictis ſuprà cum D. Auguſtino conſtat, homo remanet liber, tentatione nonobſtante: non enim Dæmon, qui tentat, ſed homo, qui tentatur, eſt qui eligit mortem, & ideo homo eſt qui peccat, & Dæmon eſt qui ad peccatum tentat, & provocat, non phyſicè, aut impellendo effectivè; ſed moraliter, & ſuadendo. Hinc eſt quòd Eva non dixit, *Serpens impulſit me*, ſed *decepit me*. Alioquin Deus non ejeciſſet Adamum de Paradiſo, quia peccatum non fuiſſet commiſſum ab eo, ſed à Dæmone. Reverà Serpens fuit punitus ut tentator peccati, ſed Adam & Eva,ut peccatores, ſeu quia liberè comederunt de ligno vetito: igitur non à Dæmone tanquam à principio elicitivo procedit peccatum, ſed ab homine: certum enim eſt, quòd Deus non puniret hominem, ſi non eſſet cauſa libera, & voluntaria peccati.

Peccatum Adæ eſt à Diab. tanquam à cauſa extrinſeca.

Ad probationem dico, quòd nihil probat, quia quamvis primum hominis peccatum proceſſerit à tentatione Dæmonis,tanquam à cauſa extrinſeca, & remota; tamen hoc nonobſtante,homo potuit tunc non peccare, quia erat liber, & gratiâ Dei adjutus. Inſuper tunc potuit peccare etiamſi non fuiſſet tentatus, eadem ratione, quâ non peccara poterat, ſcilicet quia liber creatus fuerat à Deo, & ideo benè, & malè agere poterat, ſeu de ligno vitæ comedere, vel non comedere: illius quippè eſt ſervare Legem,cui ipſa Lex imponitur. His addo exemplum primi Angeli, qui cecidit de Cœlo, quia volebat ſolium ſuum aſcendere, & eſſe ſimilem altiſſimo, nullo alio Dæmone tentante, ut eſt manifeſtum;alioquin primus Angelus malus, non eſſet primus Dæmon. Quòd eſt falſum; ideòque dicendum eſt quòd Adam peccavit, & peccara voluit, quia liber erat; idcircò homo poteſt peccare, nullo Diabolo tentante, aut provocante, ſicut peccavit malus Angelus.

Fateor tentationem, aut provocationem Diaboli, eſſe aliquo modo cauſam peccati, ut jam monui ſuprà, ſed cauſam moralem, & extrinſecam, non verò formalem, & efficientem, ut voluere valentiniani, Manichæi, & Armeni. *Dicent* peccatum Adæ ab omnibus Catholicis appellatur neceſſarium, non alia ratione, niſi quia fuit ab Adamo neceſſariò commiſſum.At non valet hæc ratio. Quia non dicitur neceſſarium ratione principii productivi, quod eſt libera voluntas Adæ, ſed propter Incarnationem, Paſſionem, & mortem Chriſti; qui non veniſſet ſaltem ut Redemptor, ſi Adam non peccaſſet, hinc eſt quòd Eccleſia Romana ſic canit: *O fælix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Peccatum Adæ non dicitur neceſſarium ratione principii productivi.

ARTICULUS XX.

Affirmat contrà Armenos nullum eſſe in homine peccatum, quod non ſit remiſſibile.

Contrà hunc fidei articulum, nulla (inter Hæreticos qui Sacramentum Confeſſionis admittunt) inſurrexit Hæreſis, præter eam, quæ eſt Armenorum, qui inter plures errores ab ipſis diſſeminatos, unus eſt, qui a Sacerdotibus aufert poteſtatem abſolvendi ab aliquibus peccatis. Aut aſſerit eſſe aliqua peccata, à quibus nullus Sacerdos poteſt abſolvere; quia credunt, ea eſſe irremiſſibilia ob aliquam rationem ex Sacrâ Scripturâ malè intellecta deductam, ut videbimus infrà. Contrà hanc Hæreſim militant omnia Concilia, cùm nullum ſit, quod non declaret explicitè, vel implicitè, Chriſtum reliquiſse Eccleſiæ ſuæ poteſtatem ſolvendi ab omnibus peccatis: quippè cùm nolit mortem peccatoris; neceſsè eſt quòd in Eccleſia ſit aliquod remedium mundans à peccato, & præſervans à damnatione æternâ, ad quam ducitur ille, qui in peccato mortali è vivis decedit, ut declarat Sacra Scriptura variis in locis.

Armeni.

Nullum eſſe peccatum abſolutè irremiſſibile, ſeu quod in hac vita remitti non poſſit, occurrentibus circonſtantiis, & conditionibus neceſſariis, probant varii Sacræ Scripturæ textus: nam Deus Iſay. cap. 1. verſ. 18. ait: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi Vermiculus, velut Lana Alba erunt*: Ibi fit mentio de peccatis graviſſimis, & gratiæ ſanctificanti magis oppoſitis, ut ſuadet oppoſitio, quæ eſt inter Rubrum, & Album; & nullum excluditur, ut indicant hæc verba quæ præcedunt, *diſcite bene facere: quærite Judicium; ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam & venite*, quæ promittunt conditionaliter remiſſionem omnium peccatorum; nam Ezech. 18. verſ. 27. legitur, quòd cum averterit ſe impius ab impietate ſuâ, quam operatus eſt; & fecerit Judicium, & Juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. Ex quo inferre poſſumus, nullum eſſe peccatum ità irremiſſibile, ut non poſſimus à via damnationis recedere, & per pœnitentiam in via Domini ambulare; alioquin non diceret DominusDeus: *Convertimini ad me, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris*, ſi eſſet aliquod peccatum, quod per pœnitentiam remitti non poſſet; quoniam ille, qui haberet illud peccatum, quod Armeni credunt irremiſſibile, non poſſet venire, & in vanum pœnitentiam ageret; at hoc eſt falſum: omnes enim vocantur, ideò omnes poſſunt venire, omnes enim invitantur ad pœnitentiam, ideò omnibus fructuoſa erit, ſi debitè, & verè fiat. In vanum pariter diceret apud eumdem Ezech. loco citato, verſ. 31. *Projicite a vobis omnes*

Iſay. 1.

Ezech. 18.

Deus vocat peccatores ad pœnitentiam.

prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum. Nonnè fruſtraneum eſſet hoc monitum? Si velint Armeni quòd non ſit fruſtraneum reſpectu omnium peccatorum, tale tamen eſſt ſaltem reſpectu aliquorum, eorum ſcilicet, qui haberent illa peccata irremiſſibilia, quæ admittunt Armeni, cùm baberent prævaricationes, quarum remiſſio nequit haberi in hac vitâ, ſeu prævaricationes, quas non poſſent projicere à ſe ipſis, quoniam prorsùs irremiſſibiles ſunt juxtà Hæreticos.

Math. 16.

Novum Teſtamentum eamdem veritatem affirmat variis in locis, ſed præſertim ex illo Math. 16. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, &c.* Quibus conſtat, Chriſtum dediſſe Petro, & ſucceſſoribus ejus plenarium, & univerſalem poteſtatem abſolvendi ab omnibus peccatis commiſſis, nullo excepto, quia qui totum dicit, nihil excludit. Chriſtus autem non dixit Petro, *ſi ſolueris hoc, aut illud, erit ſolutum in Cœlis*, ſed dixit, *quodcumque ſolveris*, ut indè videamus, nullum eſſe vinculum in anima, quod Petrus non poſſit diſſoluere, id eſt peccatum, quod non poſſit remittere, ſi peccator velit quòd remittatur illi. Et ſi Sacerdoti dicenti illi, *vis ſanus fieri*, ſincerè reſpondeat, *volo*, illique confiteatur omnia peccata ſua in amaritudine animæ ſuæ, & cum firmo propoſito non peccandi de cætero: cautum enim eſt in regulis juris, quòd venia non datur niſi correcto; nullum eſt igitur peccatum, quod peccatori benè diſpoſito non poſſit remitti à D. Petro, & à ſucceſſoribus ipſius; cùm eamdem habeant poteſtatem, quæ congruit, eſtque conformis miſericordiæ, bonitati, ac Clementiæ Dei, qui nos ad pœnitentiam expectat, vultque omnium peccatorum converſionem, cùm omnibus dicat, *pœnitentiam agite. Convertimini ad me*, & ſimilia verba, quæ oſtendunt, Deum velle ſalutem omnium, & inſtituiſſe remedium aliquod, quo infirmi, ſeu peccatores, nullo excepto, veniam peccatorum obtinere poſſunt: miſericordiæ enim eſt omnibus peccatoribus ſubvenire, & neminem reſpuere. Porrò ſi his verbis nolint convinci Armeni, audiant Chriſtum Joan. 6. verſ. 37. dicentem, *eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.*

Nullum eſt peccatum quod non poſſit remitti peccatori benè diſpoſito.

Prima Armenorum ratio.

Armeni autem hæc verba Joannis infirmare nitentes, objiciunt nobis illud Matth. 12. verſ. 31. & 32. *Ideò dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittitur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur, & quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, ex quo colligunt, eſſe aliqua peccata, & præſertim blaſphemiæ, quæ à nullo Sacerdote dimitti poſſunt; cùm textus dicat abſolutè *non remittetur*, velitque, peccata contrà Spiritum Sanctum, non poſſe in hac vita remitti per pœnitentiam, per quam delentur cætera.

Reſpondeo hanc Evangelii authoritatem, non eſſe ſic intelligendam, quoniam Chriſtus ibi non loquitur abſolutè de peccato Spiritûs, & de peccato in Spiritum Sanctum, ità ut aliquem peccatorem excludat à venia, & remiſſione, ſed de aliquo peccato; non enim dicit, omne peccatum blaſphemiæ, omne peccatum in Spiritum Sanctum, eſſe irremiſſibile, ſed dicit, Spiritum blaſphemiæ eſſe irremiſſibile peccatum, ideòquè Armeni ex illo textu, nihil aliud colligere poſſunt, niſi eſſe aliquod peccatum contrà Spiritum Sanctum, quod numquam remiſſum fuit, nequè remittetur: quod quidem peccatum eſt animus blaſphemandi prout continet aſſuetudinem, quæ durat uſquè ad mortem; ut fatentur Catholici. At non poſſunt colligere, plura eſſe peccata ex ſe prorsùs irremiſſibilia. Peccatum autem eſt irremiſſibile, ex mala voluntate obſtinata, & ex duritia cordis, quâ homo renuit uſque ad finem vitæ veniam peccatorum petere, & noluit pœnitere, hoc eſt, voluit mori in peccato, & computari inter eos, quibus Chriſtus dixit Joan. 8. verſ. 21. *In peccato veſtro moriemini.* Hoc quidem peccatum certò numquam remittetur. Non quòd in Eccleſia non ſit poteſtas remittendi illud, verè, ac debitè contrito. Aut quòd ex ſe irremiſſibile ſit, ut volunt Armeni, ſed quia de illo peccato numquam pœnitentiam egit peccator; quapropter numquam in hac vita remittetur; cùm nullum peccatum remitti poſſit, ſine dolore & pœnitentia, juxtà Sacram Scripturam ut dicemus in proprio loco contra Lutheranos, & Calviniſtas; iſte verò peccator de quo loquitur Matthæus, noluit dolere, & voluit mori in peccato, idcircò non remittetur ei in hoc ſæculo. Minus remittetur poſt mortem, quoniam poſt illam, nullus poterit invenire cibum, ut utar terminis Eccleſiaſtici, hoc eſt, non poterit invenire remiſſionem peccatorum, etiam ſi doleat, quoniam eſt in termino, & irrevocabiliter condemnatus. Undè Apoſtolus ait ad Galat. cap. 6. verſ. 9. & 10. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes; ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*: ità verba Divi Matthæi explicant Sancti Patres, præſertim Divus Auguſtinus in quadam Epiſtola ad Boniſacium comitem.

Rejicitur Armenorum ratio.

Joan. 8.

Ad Galat. 6.

Sunt alii doctores, qui eadem verba exponunt de remiſſione pœnæ, & volunt, eſſe aliquod peccatum (ſeu illud quod eſt in Spiritum Sanctum) cujus pœna non remittetur, non abſolutè, ità ut ex ſe irremiſſibilis ſit; ſed quia non remittitur cum tantâ facilitate, quâ remittitur pœna peccati, quod eſt in Patrem, vel Filium. Ratio eſt (inquit Ricardus a Sancto Victore) quia ille, qui peccavit in Filium, habet excuſationem, eo quod peccavit per ignorantiam, quæ quamvis vincibilis ſit, aliquo modo minuit voluntarium, & ideò dignus eſt veniâ, quâ videlicet aliquid de pœna peccato debita, remittatur illi. Ille autem qui peccavit in Spiritum Sanctum, nullam poteſt habere excuſationem, quia peccavit ex purâ malitiâ, & cum plenâ, & perfectâ cognitione, & per conſequens non eſt dignus veniâ, quâ videlicet illi remittatur aliquid de pœna debita peccato, imò meretur eam pati juxtà naturam delicti. De remiſſione autem culpæ, aliter ſentit idem Doctor in quodam libello, quem ſcripſit de ſpiritu blaſphemiæ, ubi docet, culpam peccati ex purâ malitiâ commiſſi, infallibiliter & effectivè remitti verè contrito in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut remittitur culpa peccati ex ignorantia, aut ex infirmitate commiſſi, quamvis non remittatur abſolutè quoad pœnam, quæ ob malitiam peccatoris ſolui debet uſque ad ultimum quadrantem, & hoc eſt id, quòd ſignificare intendit Chriſtus, dum in Evangelio dicit, peccatum in Spiritum Sanctum non remitti in hoc ſæculo, neque in futuro, inquiunt Ricardus, & Theophilactus, qui ex verbis Divi Matthæi non inferunt, quòd peccatum in Spiritum Sanctum, ſit abſolutè irremiſſibile quoad pœnam, & quoad culpam; ſed ſolum quòd pœna hujus peccati difficilè remittitur. Nec modo loquendi Scripturæ diſſimilis videri debet hæc explicatio: quemadmodum enim Sacri Scriptores, voces illas, *non amplius, non ultrà, æternum, in æternum*, uſurpant perſæpè non ad ſignificandam abſolutam æternitatem, ſed ſolum ad denotandam durationem diurnam, id eſt longum tempus, cujus finis ab homine jam exiſtente videri non poteſt, ut conſtat ex variis Sacræ Scripturæ locis, ità irremiſſibile poteſt uſurpari, non ad ſignificandam impoſſibilitatem abſolutam remittendi peccata, ſed ad denotandam difficultatem remittendi illa.

Altera ratio ab Armenis male expoſita.

Ricardus à Sancto Victore.

Theophilactus.

ART. XXI.

ARTICULUS XXI.

Convincit Albanenſes de exiſtentia Inferni, in quo puniuntur peccata hominum.

PLures exiſtentiam inferni negarunt; & de ipſius pœnis variè opinati ſunt. Saleles Tom. III regula CCLVIII teſtatur quemdam Hæreticum nomine Clementem, natione Scotum, in principio ſæculi VIII docuiſſe Infernum fuiſſe in initio mundi conditum ſimul cum terra, ſed per mortem Chriſti omninò evacuatum, & deſtructum, ita ut modò ſub Lege amoris & gratiæ, nullum Infernum credere neceſsè ſit. Hic Hæreticus damnatus fuit cum Alderberto, qoi Confeſſionem auricularem abrogabat.

Clemens Scotus.

Albanenſes. Albanenſes inſurrexerunt anno DCCXCVI tempore Conſtantini VI Imperatoris, & Leonis III Papæ, & docuerunt nullum fuiſſe à Deo creatum Infernum, nullumque eſſe locum in quo peccata puniri debeant, nullumque eſſe ſupplicium, niſi illud, quod in hoc mundo patimur, & experimur in pœnam delictorum noſtrorum. Huic errori ſubſcripſit tempore Philippi Barbaroſſæ Filii, & Innocentii III Summi Pontificis, circà annum Domini MCCIV quidam

Almaricus. Doctor Pariſienſis nomine Almaricus, natione Gallus, Patriâ Carnotenſis, qui negavit Reſurrectionem corporum, Paradiſum, ſimiliter & Infernum. Quia dicebat quòd ille, qui in ſe habet gratiam, & cognitionem Dei, habet quoque in ſe Paradiſum, & perconſequens credebat etiam quòd ille, qui habet in ſe peccatum mortale, habet etiam in ſe Infernum. Anno autem MCCXVI invidiâ Diaboli excreſcere cœpit hæc Hæreſis in comitatu Toloſano, malitiâ

Albigenſes. Albigenſium, quibus poſteà ſucceſſit Hermanus Riſ-

Hermanus Riſuich. ſuich, natione Batavus, vulgò nuncupatus Holandinus, qui anno Domini MCCCC ſub Maximiliano Imperatore Germano, & Alexandro VI Papâ, ad perpetuus carceres damnatus fuit, propter multos, quos docebat errores inter quos unus erat ille, quem hic impugnamus. Origenes non negavit Infernum, ſed ab eo abſtulit æternitatem, & ideo eſt in hoc articulo impugnandus ſimul cum prænominatis Hæreticis.

§. I.

De Exiſtentia Inferni.

Probatur Inferni exiſtentia.

DAri Infernum, ſeu locum, in quo cruciantur Dæmones, & in quo poſt mortem puniuntur peccata mortalia: probatur ex variis Sacræ Scripturæ locis. Num. cap. 16. verſ. 26. & ſequentibus: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinet, nè involuamini in peccatis eorum.* Moyſes enim hæc dixit, jubente Deo, qui volebat graviſſimè punire Core, Dathan, & Abiron, ob ſeditionem, quam moverant, & alia crimina, quæ de facto punivit, non in hac vitâ, pœnâ temporali, ſed in Inferno pœnâ æternâ, ut conſtat ex verſ. 31. 32. & 33. in quibus legitur: *Confeſtim igitur ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, devoravit illos cum tabernaculis ſuis & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque vivi in Infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis; at verò omnis Iſraël, qui ſtabat per Gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: nè fortè & nos terra deglutiat.* Ideòque datur Infernus in quo damnati detinentur, quia Core, Dathan, & Abiron in peccato mortali mortui erant, & poſt mortem diruptâ terra, deſcenderunt in Infernum, ſcilicet in eum locum, in quo cruciantur damnati. Hicque locus ineſt parti inferiori ad terræ ſuperficiem; hinc eſt quòd dum in Sacra Scriptura fit mentio de punitione alicujus in Inferno, Scriptor Sacer ſemper utitur hoc verbo, *deſcendere*, ut patet ex illo Job. cap. 21. verſ. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt.* Pſal 34. verſ. 16. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendam in Infernum viventes.* Matth. cap. 11. verſ. 23. *Et tu Capharnaum, numquid uſque in Cœlum exaltaberis? Uſque in Infernum deſcendes: quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem.* Hæc enim nedùm probant, Infernum eſſe ſub terra, ut expreſsè ſignificat verbum *deſcendere*, ſed etiam probat Capharnaitas deſcendiſſe in Infernum propter peccata commiſſa, pro quibus in eo tormenta patiuntur; idcircò datur Infernus, in quo puniuntur peccata hominum pœnâ æternâ. Deindè ſi nullus eſſet Infernus, Pſalmiſta non dixiſſet Pſal. 17. *Dolores Inferni circumdederunt me.* Pſal. 138. verſ. 8. *Si deſcendero in Infernum ades.* Quoniam his verbis oſtendit dari Infernum, aut ſupplicium æternum, ſicut ex verbis præcedentibus, *ſi aſcendero in Cœlum tu illic es*, oſtendit dari Cœlum Empyræum.

Job 21. *Pſal. 34.*

Hanc veritatem manifeſtè probat Princeps Apoſtolorum in Epiſt. 2. cap. 2. verſ. 4. & 5. ubi ait: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari. Et Originali mundo non pepercit; ſed octavum Noe Juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens, &c.* Quibus etiam patet, D. Petrum admittere Infernum, in quo cruciantur nedùm Angeli mali, ſed etiam homines impii, qui in impietate mortui ſunt. Sanè eodem puniuntur Supplicio peccatum Angeli & peccatum hominis, qui pœnitentiam agere noluit; cùm ambo ſint eadem pœnâ digni. Undè Chriſtus Matth. 25. nè homines, qui in peccato mori voluerunt, maneant impuniti: ait: *ibunt hi*, ſeu peccatores, qui à ſiniſtris erunt, *in ſupplicium æternum*, quod non poteſt infligi animæ, niſi in Inferno, in quo nulla eſt redemptio, & in quo nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ut majora tormenta patiantur animæ peccatorum, quæ in eo ſunt, ut tradit D. Auguſtinus in lib. de triplici habitaculo cap. 1. in fine dicens: *Omne malum abundat in Regno Diaboli, nullus dignus, nullus juſtus ad Infernum trahitur.* Ut indè agnoſcamus, dari Infernum, & in ipſo detineri peccatores dumtaxat: nam ſi nihil coinquinatum poſſit intrare in Regnum Cœlorum, ut Sacra canit Scriptura. Et privatio hujus Regni ſit pœna damni, omniumque maxima, neceſsè eſt, quòd anima coinquinata per peccatum, hanc pœnam in aliquo loco determinato patiatur in æternum, quia ipſa eſt æternæ durationis, eritque in æternum indigna fœlicitate beatorum. Neceſsè eſt inſuper quòd ibi præter hanc, patiatur alteram, nimirùm pœnam ſenſus propter peccata voluntaria, ſenſuumque delicta igne doloris, & pœnitentiæ non purgata. Quæ cùm ſint objectum Juſtitiæ divinæ ſicut opera bona, neceſsè eſt quòd puniantur pœnâ ſenſûs æternâ, ſicut bona opera præmiantur, aut coronantur gaudió æternó: hinc eſt quòd Chriſtus cùm venerit judicare vivos & mortuos, & apparuerit in Sede Majeſtatis ſuæ, dicet his, qui à dextris ejus erunt, *venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* His verò, qui à ſiniſtris ejus erunt: *Diſcedite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Quibus conſtat, dari locum in quo omnia peccata mortalia non remiſſa per pœnitentiam, punientur in eodem loco, eademque pœnâ, quâ peccata Dæmonum puniuntur; cùm affirment, eumdem ignem paratum fuiſſe malis Angelis, & reprobis.

D. Petr. 2. *Math. 25.* *D. Auguſtinus.*

Idem ſuadet Sacra Scriptura in veteri teſtamento, nam Deuteron, cap. 32. verſ. 22. Deus air: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit uſque ad Inferni noviſſima, devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet*: Hæc verba dicta fuerunt peccatoribus, ut probant ea, quæ immediatè præcedunt: *Ipſi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis, & ego provocabo in eo, qui non eſt Populus, & in gente ſtulta irritabo illos*, quæ peccatoribus dumtaxat dici poſſunt, & de pœnis Inferni intelligi, ut in ipſo puniantur. De hac æterna punitione in Inferoo à peccatoribus ſuſtinenda loquitur

Judith. 16.

Judith. cap. 16. verſ. 20. & 21. ubi legitur. *Va genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die Judicii viſitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum.* Hæc verba clarè ſignificant, quòd Deus viſitavit peccatores, & quòd puniet eos pœnâ æternâ, ſeu igne ſempiterno, qui nnn fuit evacuatus in adventu Chriſti, ut voluit Clemens Scotus;cùm ex teſtimoniô Chriſti ſit æternus, neque habeamus illum in hac vitâ, ut putant Albanenſes, ſed ſit in quodam loco determinato, ſcilicet io Inferno, ut probat illud celebre teſtimonium Divitis ſepulti in Inferno, in quo dixit: *Crucior in hac flamma.* Tormentum quod patitur hic Dives, patientur omnes, qui è vita decedent in peccato mortali, ut declarat

Apocalyp. 4.

Apocalyp. cap. 14. verſ. 9. *Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magnâ: ſi quis adoraverit beſtiam,& imaginem ejus,& acceperit characterem in fronte ſua,aut in manu ſua: & hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in Calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum & antè conſpectum Agni. Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus.* Ibi quidem agitur de peccatoribus, qui in Sacra Scriptura, creaturarum cultores dicuntur. Et de pœnis Inferni ipſis infligendis poſt mortem, qoia tunc ut puniantur, Juſtitia Dei detinebit eos in Inferno(qui in eodem libro Apocalypſis vocatur ſtagnum iguis,& ſulphuris) teſte Prophetâ regio, qui ait: *Si deſcendero in Infernum ades, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*: Ergo ſolus impius poteſt dicere non eſſe alibi Infernum, quàm in hac vitâ. Nimis clara ſunt verba quibus Inferni comprobatur exiſtentia, cujus miſeriæ & tribulationes longè hujus vitæ pænas excedunt.

Fateor maximam eſſe hujus mundi miſeriam, ut

Job. 14.

oſtendit Job. cap. 14. ubi ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*, ſed hujuſmodi miſeriæ longè minores ſunt illis, quas patiuntur damnati in Inferno,

Iſay. 14.

ut ſuadet illud Iſay. cap. 33. verſ. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante. Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis.* Huncque miſeriæ, & calamitatis exceſſum optimé repræſentat,acriterque

D. Cyprianus.

depingit D. Cyprianus lib. de Laudibus Martyrii cap. 12. Infernum ſic eleganter deſcribens: *Sæviens locus, cui gehenna nomen eſt magno plangentium murmure & gemitu, & eructantibus flammis perhorrendam ſpiſſa caliginis noctem ſæva ſemper incendia & minii fumantis expirat, globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœna exitus relaxatur. Hanc ſæviendi plurima genera, tunc in ſe ipſo convoluit quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciavit ora*: Idem Serm. de Aſcenſione Domini: *Incorruptibiles flamma*, ait: *Nudum corpus alambent: ardebit purpuratus Dives .... in proprio adipe frixa libidines bullient, & inter ſartagines & flammas miſerabilia corpora cremabuntur*: Sed dato quòd hæc omnia eſſent in hac vita; tamen non conſtituerent Infernum, quia non ſunt æterna, nec ſumma, ideoque facilè colligitur contra Hæreticos, Infernum non eſſe in hæc vita, neque illum, ut talem habere peccatores quamdiu vivunt in hac mortali carne; cùm hujuſmodi pœnas & miſerias hic minimè videamus, nec ſimus in illo loco tormentorum, de quo Dives loquitur Luc. cap. 16. verſ. 28.

Almaricus & Blaſphemi Albanenſes,qui dixerunt, Infernum eſſe in hac vita, nunc aliter ſentiunt; quippè cùm Inferni pœnas jam experiantur, jam ſciunt alium eſſe Infernum præter illum, quem dicunt eſſe in hoc mundo, & Inferni pœnas eſſe longè diverſas ab illis, quas in hoc ſæculo experiuntur peccatores: ideòque nullus poteſt citrà impietatem, & Hæreſim, negare Infernum, cùm in innumeris Sacræ Scripturæ locis publicetur, tam in veteri, quàm in novo Teſtamenio, nullaque ſit natio quamtumvis barbara, quæ non credat quòd, qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.

Ex exiſteotia Paradiſi (in quo cum Chriſto regnant Sancti, juxtà innumeros Scripturæ Sacræ textus, quos hic referre ſuperfluum mihi videtur)colligitur exiſtentia Inferni, ut obſervat D. Gregorius lib. 4. *D. Gregorius.*

Dialog.cap.28.dicens: *Si eſſe Sanctorum animas in Cœlo Sacri eloquii ſatisfactione credidiſti: oportet ut per omnia eſſe credas, & iniquorum animas in Inferno, quia ex retributione æterna Juſtitiæ, ex qua Juſti jam gloriantur, neceſſè eſt per omnia, ut & injuſti crucientur. Nam ſicut electos beatitudo lætificat, ità credi neceſſè eſt, quòd à die exitus ſui, ignis reprobos exurat.* His ſuffragatur ratio: nam ſi divina Juſtitia coronet bona opera,& in Regnum Cælorum ducat eos, qui mandata Dei ſervaverunt, neceſſè eſt, quòd eâdem Juſtitiâ eo Regno priventur, & ad pœnas deſtinentur æternas illi, qui mala egerunt, quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum, ac proindè quemadmodum electi & juſti erunt in Paradiſo. Ità peccatores manebunt in Inferno, in quo exiſtunt illi, qui ambulaverunt in tenebris, quoniam, inquit Eccleſiaſticus cap. 21. *Eccleſ. 21.*

verſ. 11. *Via peccantium complantata lapidibus, & in fine illorum Inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Idque clariùs exprimit in verſu præcedenti, his verbis: *Stuppa collecta Synagoga peccantium & conſummatio illorum flamma ignis*: Ergò Deus reſervat in Judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine, nedùm Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed etiam homines, qui peccaverunt, ea enim, quæ dicuntur in Epiſtola Canonicâ de Dæmonibus, dici poſſunt de peccatoribus, qui ſunt eorumdem Dæmonum Filii,atque imitatures. Nec ſine juſta cauſa tantâ punientur pœnâ, quia ex D. Matthæo, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur; & in ignem mittetur, cùm per fructus bonos, intelligantur fructus digni pœnitentiæ, aut bona opera. Et per arborem idem Evangeliſta intendat ſignificare hominem.

Origenes non negavit ſimpliciter Infernum,ut putant nonnulli;quamvis in hac materia erraverit, docendo, temporanea eſſe Dæmonum, atque impiorum hominum Tormenta. Hoc autem eſſe Hæreticum manifeſtè conſtat ex illo Marci cap. 9. verſ. 42.

Origenes non negavit abſolutè Infernum.

Marc. 9.

Si ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam, bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur; & ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum, bonum tibi eſt, claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Indè patet, ignem Inferni eſſe inæternum duraturum. Hæc quippè verba intelliguntur de pœna peccatis infligenda. Et ſignificant, hanc pœnam eſſe perpetuam,

ſeu inextinguibilem, ut expreſſiùs declarat ipſe *Math. 25.* Chriſtus Matth. 25. aſſerens ſe in die Judicii peccatoribus dicturum, *ite Maledicti in ignem æternum.* Undè Divus Athanaſius in Symbolo ait: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum.* Ex quo concludendum eſt, contrà Albanenſes dari Infernum, ſed etiam hanc ipſam pœnam Inferni eſſe æternam, ſicut vita in gloria, æterna eſt, cùm contrariorum eadem ſit ratio. Hanc æqualitatem durationis gaudii electorum, & ſupplicii reproborum, probat etiam illud quod dictum fuit Diviti, *Luc 16.* Luc. 16. verſ. 25. *Recordare fili mi quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Quòd falſum eſſet, ſi Dives aliquandò eſſet de Inferno exiturus, quoniam Lazarus conſolaretur, & Dives non cruciaretur.

§. II.

De Reſponſione ad Rationem Hæreticorum.

Pſal. 76. HÆretici contrà Inferni exiſtentiam objiciunt illud Davidis Pſal. 76. verſ. 8. & ſequentibos: *Numquid in æternum projiciet Deus: aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem? Aut obliviſcetur miſereri Deus? Aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Ex quo concludunt, Deum non punire peccata hominum pœnâ æternâ, acproindè nullum eſſe Infernum, ſeu locum in quo Deus velit punire in æternom eos, qui traogreſſi ſunt divina mandata. Eorum ratio eſt, quia non obliviſcetur miſereri, ideſt, non puniet in æternum. Addunt aliam authoritatem ejuſdem Prophetæ Pſal. 15. verſ. 8. *Pſal. 15.* *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper quoniam à dextris eſt mihi nè commovear, propter hoc lætatum eſt cor meum, caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in Inferno,* ideſt in pœnis: igitur (inquiunt) ex Propheta non datur Infernus, ſeu locus, in quo peccatores poſt mortem detineantur in æternum cruciaturi. Nihil clariùs dici poteſt nam ſi Deus non relinquet animas in Inferno, quia miſericors eſt, nullus dubitare poteſt, pœnas Inferni eſſe temporaneas, acproindè fictivum eſſe illum Infernum, quem admittunt Catholici contrà rationem, nam ſi Deus eſt bonus, ideoque nequit culpam temporalem punire pœnâ æternâ, aliàs puniret ultrà condignum: Quod eſt falſum.

Reſponſio ad objectionem Hæreticorum. Huic objectioni reſpondeo, hæc verba Prophetæ non poſſe referri ad damnatos, quos Juſtitia decreto irrevocabili detinet in Inferno; ſed eſſe meditationem, & agitationem mentis, in qua noctu, diuque idem Propheta ante Incarnationem Dominicam exercebatur, ut nutat Berlarminus hunc locum ſic interpretans. Videns David multitudinem hominum peccatorum propè infinitam. Et quòd vix inveniretur qui faceret bonum; quoniam omnis caro corruperat viam ſuam; & totus mundus in maligno poſitus erat, dicebat intrà ſe: *Num Deus projiciet omnes homines in interitum ſempiternum; ubi eſt igitur infinita miſericordia ejus?* At his interrogationibus reſpondet; quod Deus in tempore ſuo viſitabit Populum ſuum; ac ſalvabit eum à peccatis eorum. Et concludit futurum aliquandu tempus redemptionis generis humani, in quo per miſericordiam Dei, non ſolum reliquiæ Judæorum, ſed etiam multitudo gentium ſalvaretur in Sanguine Chriſti futuri: undè ſtatim ſubdit, *& dixi nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelſi.* Et Paulo poſt; *notam feciſti in Populis virtutem tuam, redemiſti in brachio tuo Populum tuum,* quibus conſtat, mentem Prophetæ non eſſe excludere Infernum, nec à pœnis ipſius damnatos eſſe aliquando liberandos, aſſerere, nec loqui abſolutè de miſericordia remittente omnia, & ſingula peccata, ità ut nullus ſit locus timendi iram, & Juſtitiam Dei, ut putant Hæretici; ſed de miſericordia illà, per quam ſalvos nos fecit, de poteſtate tenebrarum eripuit, & liberavit; aut redemit à peccato primi Parentis, per Sanguinem Crucis Chriſti, cujus livore Sanati ſumus, ſeu de miſericordia illa, quam Deus miſit Populo ſuo, Pſal. 110. verſ. 9.

Ad textum additum dico. Quòd juxtà explicationem Apoſtolorum Act. cap. 2. verſ. 25. & ſequentibus, intelligendus eſt de Chriſto Domino, cujus anima non eſt relicta apud Inferos, ſeu in Lymbo *Act. 2.* Sanctorum Patrum, legitur enim verſ. 30. & ſequentibus: *Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus, de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus: providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti quia neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jeſum reſſuſcitavit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus.* Ideoque Propheta non excludit perpetuitatem pœnarum infernalium, ut docuit Origenes. Nec voluit Infernum eſſe ità in hac vita, ut nullus ſit poſt mortem timendus, ut crediderunt Albanenſes: diſcimus enim à Divo Matthæo cap. 14. verſ. 40. Quòd ſicut colliguntur Zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi: mittet Filius hominis Angelos ſuos & colligent de Regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in Caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et à Divo Gregorio lib. 9. *D. Gregorius.* Moral. quòd quidquid ad tuleranda Inferni mala deſcendit, nequaquam ulteriùs ad Lucem redibit. Nec hoc eſt contrà rationem (ut volunt Hæretici) quamvis Deus ſit infinitè bonus. Quoniam dum punit peccatum pœnâ æternâ, punit eum cum miſericordia, & bonitate: nam peccatum mortale eſt offenſa infinita, quæ in rigore Juſtitiæ debet puniri pœnâ intenſiori, quàm ea, qua punitur in Inferno.

ARTICULUS XXII.

Oſtendit Deiſtis in Inferno eſſe ignem corporeum, peccatores torquentem.

QUidam Hæretici, quos nonnulli nuncupant *Deiſtæ.* Deiſtas, alii novos Arianos, & communiter Trinitarios (quia teſte Lindano, Sacroſanctam ore blaſphemo violant Trinitatem) hanc tuebantur impietatem, nimirùm nullam poſt mortem peccatoribus remanere pœnam ſenſibilem. Verùm illi, inquam, viri Hæretici admittebant Infernum, ſed dicebant animam peccatoris ſeparatam à corpore, poſt mortem non pati ignem corporeum, acproindè nullum eſſe in Inferno ignem phyſicum realem & elementarem, ſed ſolum allegoricum, & imaginarium. Horum Hæreticorum primipilus eſt Ludovicus Herſerus qui omnem prorsùs diſtinctionem negabat in divinis perſonis: obiter tamen obſervandum eſt, quòd plures Scriptores credunt, Origenem, *Origenes fuit etiam hujus Hæreſis defenſor.* de quo in præcedenti articulo locuti ſumus, cenſuiſſe ignem cui jam additi ſunt Dæmones, & cui addicendi ſunt peccatores, non eſſe corporeum, nec aliud ſignificare verba Scripturæ, quæ ignem exprimunt, quam peccatorum ſtimulantem conſcientiam. Alii autem ſunt qui eum ab hoc errore excuſant: Divus Hieronymus in Apologia ſecunda contrà Ruffinum, Theophilactus in Marc. cap. 9. Et D. Ambroſius lib. 7. in Luc. Stant pro parte affirmativa. Undè cùm iſtorum Patrum Sententia mihi videatur probabilior opinione quorumdam Doctorum. Exiſ-

Digitized by Google

timo Origenem cenſiſſe ignem Inferni non eſſe corporeum, in ſenſu infrà explicando, ſed ſolùm allegoricum.

Ignis Inferni eſt realis & corporeus.

Univerſa Eccleſia Chriſti credit ignem Inferni eſſe verè phyſicum, realem & corporeum. Hanc fidem habent omnes Hæretici, qui exiſtentiam Inferni admittunt, præter Trinitarios, ſeu Sacroſanctam Trinitatem impugnantes, qui credunt Infernum eſſe, & volunt in ipſo nullum eſſe ignem verum. Trinitarios ſolùm excipio, quia Origenes quamvis negaverit, ignem Inferni eſſe corporeum, cum tamen inter hujus aſſertionis impugnatores non comprehendo, quia propriè non admittit Infernum talem, qualem credit Eccleſia, quoniam Infernus eſt æternus, & ipſe voluit, damnatorum & Dæmonum ſupplicia eſſe temporanea; quod ſtatui infernali prorsùs repugnat. Quare hìc Trinitarii dumtaxat à nobis proprie impugnandi ſunt. Ut autem eluceſcat veritas Catholica ignem Inferni corporeum eſſe affirmans, utor teſtimoniô Chriſti Matth. 25. dicentis: quod in ultimo Judicio Maledicti ibunt in ignem æternum, paratum Diabolo, & Angelis ejus. Ille quidem ignis debet eſſe corporeus juxtà ſolemnem Theologiæ regulam, quâ verba Scripturæ Sacræ ſunt explicanda in proprio ſenſu, dum nihil ex eo ſequitur abſurdi, ut de facto non ſequitur, ex exiſtentia veri ignis corporei in Inferno, ut videbimus infrà; alioquin quilibet Scripturæ textus poſſet intelligi in ſenſu allegorico, nec poſſet aliter accipi. Quòd eſt falſum, ut fateri debent ipſi Hæretici Trinitarii: nam volunt, quòd ſit Infernus verus, realis, ac æternus quia Scriptura aſſerit, quòd eſt, aut exiſtit Infernus, ut probatum manet contrà Albanenſes in articulo præcedenti: idcircò hæc verba Chriſti, *ite in ignem*, ſunt intelligenda de igne reali, & corporeo, ut manifeſtè oſtendunt hæc verba Divitis in Inferno ſepulti, *crucior in hac flamma*, quæ non Metaphoricum, ſed verum & corporeum ignem ſignificant, cùm petat ſibi ſubveniri per guttas aquæ in refrigerium, dicit enim de medio ignis: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam ut refrigeret linguam meam*; ideòque ignis eſt corporalis, non enim poſſet aqua materialis, qualis erat iſta de qua loquitur Dives, reprimere ardorem ignis, ſi hic eſſet ſpiritualis, metaphoricus, allegoricus, aut intentionalis. Undè Divus Gregorius lib. 20. Moral. ait: *Ignis cùm ſit corporeus, ut in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret.* Ardor autem eſt effectus ignis veri, realis, & corporei.

Teſtimonium divitis in Inferno ſepulti.

D. Gregorius.

Deuter. 32.

Sunt varii Sacræ Scripturæ textus, quibus ſuadetur eadem veritas, nam Deuteron. cap. 32. verſ. 22. legitur: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad Inferni noviſſima:* Hæc autem proprietas ſcilicet, *ſuccenſus*, denotat ignem Inferni eſſe corporeum, & ſubſtantialem, quia ignis allegoricus, aut intentionalis, non poteſt ſuccendi, quia hoc fit per actionem veram, & realem ex principio extrinſecè advenicote, cujus terminus, & materia debent eſſe reales, & ſenſibiles; idcircò ſolus ignis corporeus poteſt ſuccendi, & poteſt ardere, acproindè ille, qui eſt in Inferno, eſt verè realis. Idem colligitur ex illo Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis & Sulphur*, nam pluere ſignificat miſſionem, aut effuſionem rei ſubſtantialis, & realis. Et ex illo Iſay. cap. ultimo *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, quo ignis Inferni diſtinguitur ab igne hujus vitæ, non in eſſentia, & in natura, ſed in duratione. Ille quidem textus de igne inextinguibili, de igne corporeo dumtaxat intelligi poteſt, quia extingui exigit actionem phyſicam igneæ virtutis deſtructivam, idcireò ignis ipſe inextinguibilis, quem Scriptura Sacra admittit in Inferno, debet eſſe materialis; licet ejus virtus nequeat deſtrui á creatura, & in æternum ardeat, hoc eſt, inextinguibilis ſit, quoniam hæc inextinguibilitas ſupponit ardorem phyſicum & realem, qui æternus eſt, Deo ſic volente, ut anima, quæ peccaverit, & à culpâ munda non fuerit, pœnam ſemper habeat. Hinc eſt quòd Divus Gregorius Niſſænus in Orat. Cathol. cap. 40. ait: *Plures Patres in ſola defectibilitate dicunt hunc noſtrum ignem differre ab infernali, non verò in aliis putà corporeitate, &c.* ut indè videamus, ignem Inferni eſſe diverſum à noſtro, non in ſubſtantia elementari, materiali, ſenſibili, & corporea; ſed in modo & duratione, ut ſit in æternum divinæ Juſtitiæ inſtrumentum: anima enim eſt in æternum duratura; cùm ſpiritualis, & incorruptibilis ſit, quamvis peccatrix, & ideo debet in æternum puniri eo ſupplicio, quod exprimit Scriptura, ſeu igne reali, & proprio, ac cruciativo, ut ipſæ peccatorum animæ in Inferno verè patiantur, & ut Infernus ſit verus, & realis tormentorum locus.

Pſal. 10.

Iſay.

D. Gregorius Niſſænus.

Peccatores in Inferno cruciantur eo igne, quo cruciabuntur cum corpore & anima ſimul poſt Judicium: nulla enim eſt neceſſitas diverſificandi ignem; cùm erit eadem damnatio. Sed poſt Judicium peccatores igne corporeo cruciabuntur juxtà illud Matth. *Ite Maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*, quæ verba denotant, ignem eſſe terminum, ad quem miſſuri ſunt peccatores in corpore & anima poſt Judicium. Hic autem terminus debet eſſe corporeus, & ſenſibilis, ſicut peccator in corpore & anima ſenſibilis eſt; alioquin nulla pœna ſenſus remaneret poſt mortem. Quòd eſt contra communem Sanctorum Patrum mentem. Deindè ignis allegoricus & intentionalis nequit peccatorem in corpore & anima exiſtentem torquere: ergo ignis Inferni eſt verè corporeus. Divus Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. expreſsè quærens an ignis Inferni ſit corporeus, ait: *Certò reprobis veritas in fine dictura eſt, ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus: ſi igitur Diabolus, ejuſque Angeli cum ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi, quod mirum ſi animæ etiam antequam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta.* Fateor hæc verba expreſsè ſignificare, Diabolum & animam in Inferno eadem tormenta pati, damnati enim cremantur eodem igne, quem divina Juſtitia paravit Diabolo, & Angelis ejus, ſed fateri etiam debent Hæretici, Divum Gregorium docere, hunc ignem eſſe corporeum.

D. Gregorius.

Idem docent alii Sancti Patres, ſcilicet Divus Joannes Chryſoſtomus. Divus Cyprianus, Serm. de Aſcenſione Domini. Divus Baſilius magnus Homil. in Pſal. 33. Divus Thomas, Divus Bonaventura & omnes Theologi. At horum Doctorum verba non refero brevitatis gratià, ſufficit mihi referre verba Divi Auguſtini lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. ubi cum inquiſiviſſet, quod ſi ignis Inferni non ſit ſpiritualis, qualiter in eo poſſunt Dæmones cruciari, ſi verò non ſit corporeus, quomodo hominum corpora torquere poterit, ſic ait: *Si autem quiſquam nulla habere corpora Dæmones aſſeverat, non eſt de hac re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non dicamus quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergò ſi nulla ſunt eis corpora Spiritus Dæmonum, imò Spiritus Dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, &*

D. Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Baſilius.
Thomas.
Bonaventura.
D. Auguſtinus.

Digitized by Google

corpore; ſed ut dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Certò nihil clariùs dici poteſt pro ſuadenda hac veritate Catholicâ, quam docet Eccleſia Romana Spiritu Sancto directa.

Dicent Hæretici hanc Sententiam non eſſe communem, quoniam juxtà plurium Sanctorum Patrum mentem, ignis Inferni eſt incorporeus. Nam Divus Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. ult. dicit quòd non eſt materialis. Et Divus Ambroſius in cap. 14. Luc. ait: *Ergò neque corporalium aliquis ſtridor dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis:* Igitur (inquiunt) ignis Inferni eſt allegoricus, & dum Scriptura Sacra utitur nomine, *ignis*, loquitur metaphoricè; alioquin in Inferno daretur verus, ſenſibilis, & realis ſtridor dentium. Quòd eſt falſum; cùm Dæmones ſint dentium expertes. Et damnatorum corpora nondum ſint in Inferno, cùm anima ſeparata, corpus in terra remaneat.

Explicatur mens Sanctorum Patrum, quos adducunt Hæretici.

Reſpondeo negando conſequentiam. Quia Sancti Patres hîc ab adverſariis citati, non negant, ignem Inferni eſſe corporeum, nam Divus Damaſcenus, dum dicit ignem non eſſe materialem, non loquitur abſolutè, & adæquatè, ità ut velit, ignem inferni nullatenùs convenire cum igne elementari, ſed ſolum comparativè, hoc eſt, in quantum non eſt ſimilis noſtro, qui eget alimento, ſeu materiâ, ut ardeat, ignis autem Inferni minimè. Ad Divum Ambroſium dico quòd ibi loquitur de interno igne, ſeu triſtitiâ, rabie, invidiâ, & de verme conſcientiæ, Id eſt, de remorſu. Non autem de igne externo communi omnibus damnatis, qui eſt verè corporeus, exiſtens in loco, in quo nunc eſt ipſe ignis, qui omnes animas damnatas, ac Dæmones cruciat, poſtea verò, ſcilicet poſt ultimum Judicium, etiam corpora cruciabit.

§. Unicus.

Solvuntur Rationes Hæreticorum.

Hæreticorum ratio proponitur.

TRinitarii, & alii libertini ignem infernalem negantes, varios Scripturæ textus objiciunt, quibus contendunt ſignificare, ignem quo Dæmones cruciantur, non realiter & propriè, ſed metaphoricè eſſe accipiendum; nam, inquiunt, flamma illa de qua loquitur Dives in Inferno ſepultus, dicens Luc. 16. *Crucior in hac flammâ*, debet accipi ſicut oculi, digitus, & lingua de quibus ibidem fit mentio; cùm eodem modo deſcribatur ſtatus divitis. Atqui manifeſtum eſt, quod oculi, digitus, & lingua, non niſi per metaphoram tribuuntur animæ damnatæ: ergò pari modò flamma illa, in qua cruciantur damnati, etiam metaphoricè eſt accipienda. Addunt quòd ignis torquens damnatos, accipiendus eſt eò modo, quô vermes eos corrodentes, quoniam Iſay 66. eodem modo de igne, & vermibus loquitur, ut conſtat ex propriis verbis textus: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quæ verba de pœnis damnatorum interpretatus eſt Chriſtus, Matth. 18. verſ. 9. dicens: *Bonum eſt tibi cum uno oculo intrare in vitam, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:* Sed vermis accipitur tantum metaphoricè, ſeu pro remorſu conſcientiæ, ideòque ignis debet accipi metaphoricè tantùm propter ſimilitudinem, quam ardores infernales habent cum igne.

D. Auguſtinus.

Hanc expoſitionem confirmant ex Divo Auguſtino lib. de Civit. Dei 21. cap. 10. ubi inducens pro veritate ignis Inferni verba illa divitis, *crucior in hac flamma*, ſic diſcurrit, & difficultatem reſolvit: *dicerem utique flammam illam eſſe corpoream, niſi congruenter reſponderi cernerem talem eſſe illam flammam, quales oculi, qualis lingua, qualis digitus, ubi erant ſine corporibus animæ*, undè concludit: *ſit ergò incorporalis eſt flamma illa, quâ exarſit, & illa gutula quam popoſcit, qualia etiam ſunt viſa dormientium, ſivè in extaſi cernentium res incorporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum:* Indè enim ſequitur, Divum Auguſtinum pari ratione, eodemque ſenſu, ignem & vermes, flammam & oculos accipere, hoc eſt, metaphoricè; cùm ſufficienter pateat, non niſi metaphoricè, vermes, oculos, manus, & linguam animabus poſſe tribui.

Reſponſio ad rationem Hæreticorum.

Huic argumento cui plurimùm confidunt libertini, reſpondeo eſſe falſum, nam ad primum textum dico quòd quamvis in ea divitis narratione, plura ſint accipienda metaphoricè, ut v. g. lingua, gutta, & digitus, tamen ignis ibi commemoratus non debet etiam eſſe metaphoricus; cùm aliundè conſtet, Scripturam Sacram conſtanter aſſerere, verum atque realem ignem eſſe in Inferno, quoniam Chriſtus ſingulariter, & quaſi per Antonomaſiam de igne dicit, *qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus:* Ibi enim ignis, ad quem mittet reprobos, pari ratione accipiendus eſt, quâ accipitur Regnum prædeſtinatis paratum à conſtitutione mundi; cùm ſint duo fines, aut termini, ad quos diviſim mittendi ſunt omnes homines in die Judicii, & quibus diſtincti erunt: ſed Regnum paratum, eſt verum, & reale, & tale, quale in Scriptura exprimitur, nullatenus metaphoricum; prædeſtinati ſiquidem intrabunt in verum gaudium Domini, vere ſatiativum, juxtà illud Davidis Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua:* Verè, & propriè videbunt Deum; licet plura alia de illo ſtatu dicantur, quæ ſunt metaphoricè accipienda; ergò reprobi patientur verè & realiter tormentum igneum, quod ex igne verè corporeo duntaxat provenire poteſt, ſicut illud gaudium Domini ex objecto beatifico intuitive viſo, & effectivè influente naſci poteſt. *Pſal. 16.*

Ad rationem additam dico quòd ignis non eſt accipiendus eodem modo, quo accipiuntur vermes, quia Chriſtus pœnam ignis perpetuam, & irremiſſibilem, & quaſi unicam expreſsè comminatur; de alia verò pœna, nivium ſcilicet aquarum, & vermium, nec verbum quidem dicit in narratione divitis; idcircò non idem dicendum eſt de vermibus, aquâ & aliis, ac de igne. Nam ſi pœna frigoris eſſet realiter in Inferno, dives ille non poſtulaſſet guttam aquæ, quæ cruciatum ignis mitigaret, quoniam pœnam aquæ, ſeu frigoris ſuſtinendo, expertus fuiſſet ex ea nullum refrigerium poſſe accipi, & ideo agnoſcebat aquam eſſe ibi metaphoricam, ignem verò realem, phyſicum, & cruciativum.

Non eſt diſcurrendum de igne, ſicut de vermibus.

Præterea conſtat quòd vermes non poſſunt rodere Spiritum, nec ejus ſubſtantiam laniare, quia dolor ille cauſatur à vivente per actionem vitalem ipſius vermis, qui aliquid de ſubſtantia alterius ſubtrahit, cujus ſubſtractionis, & quaſi diviſionis non eſt capax ſubſtantia ſpiritualis, quia eſt prorsùs indiviſibilis. Ideò cùm repugnet, vermes talem actionem exercere circà ſpiritum, neceſsè eſt quòd vermis Inferni accipiatur metaphoricè, ſeu pro remorſu conſcientiæ, qui per vermem figuratur, & exprimitur. De igne autem aliter diſcurrendum eſt, quia ignis agit actione merè extrinſecâ reſpectu animæ, immittendo ſcilicet qualitates, vel aliquid ejuſmodi, non ſubtrahendo, nec dividendo ſubſtantiam ſpiritualem, quæ eſt incapax diviſionis, & corruptionis. Igitur non eſt neceſsè uti metaphorâ, ut dolor ignis exprimatur, ſicut neceſsè eſt ipsâ uti, ut exprimatur remorſus conſcientiæ.

Explicatur mens Divi Auguſtini.

Ad authoritatem Divi Auguſtini dico quòd quamvis ibi anceps videatur; alibi tamen conſtanter affirmat, ignem Inferni eſſe corporeum, præcipuè Serm.

181.de tempore. Nihilominus lectorem obiter moneo, eumdem Sanctum Doctorem ſtatim poſt verba ab adverſariis citata, mentem ſuam apperire, ibi enim air: *At verò Gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut hominum, & Dæmonum ſolida hominum, Aëra Dæmonum, aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus, Dæmones autem ſpiritus ſine corporibus hærentes ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus, unus quippè utriuſque ignis erit ſicut veritas dicit.* Quibus conſtat, D. Auguſtinum docere, ignem Inferni non eſſe Metaphoricum, & intentionale, ſed verè reale corporeum.

Idem expreſſiùs docet in lib. de fide cap. 12. ubi ut oſtendat contrà Origenem, ſupplicia damnatorum eſſe æterna, ait: *neque illud dici hic poteſt, in quo nonnulli ſe ipſos ſeducunt, ignem æternum dictum non ipſam combuſtionem æternam: per ignem quippè qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam, per ignem promittunt ſalutem, ut videlicet ipſe ignis ſit æternus, combuſtio vero eorum, hoc eſt, operatio ignis non ſit in eos æterna: cum & hoc providens Dominus, ſententiam ſuam ita concluſit, dicens: ſic ibunt illi in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam:* Nam per hæc verba demonſtrat, ignem Inferni habere operationem realem, & Phyſicam, quæ cùm ſequatur neceſſariò eſſe reale & phyſicum ignis, idem D. Auguſtinus demonſtrat etiam, illum ignem eſſe realem, phyſicum, & corporeum, quia operari ſequitur eſſe.

Dicent tandem qoòd ignis ille ſi corporeus eſſet, inutilis, & abſque ulla actione eſſet in Inferno, quia non poteſt cruciare animas phyſicè, & realiter, cùm corporeum in ſpirituale agere non poſſit, nec alio modo, niſi maximo miraculo: miracula autem non ſint affirmanda, niſi vel evidenter pateant in Scripturâ Sacrâ, vel aliundè certò conſtent. Sed non conſtat ex Scriptura, nec aliundè, illum ignem eſſe corporeum: igitur non eſt affirmandus talis, ſeu activus in Inferno, Deus enim, & natura nihil faciunt fruſtrà.

Damnati verè cruciantur.

Reſpondeo ignem corporeum non eſſe ſuperfluum in Inferno, quinimò eſſe inſtrumentum activum divinæ Juſtitiæ in punitionem reproborum, & Dæmonum deſtinatum. Ad hoc affirmandum nos inducit, non ſolum Scriptura Sacra in locis ſuprà relatis, ſed etiam Sanctorum Patrum, ac communis Theologorum Sententia, quâ conſtat, ignem Inferni reverà corporeum eſſe. Et Dæmones (quamvis ſpirituales ſint) illô verè & realiter cruciari, ut probat teſtimonium divitis exiſtentis in Inferno, & dicentis: *Crucior in hac flamma.* An verò cruciet phyſicè, vel intentionaliter, hoc non ad nos, ſed ad Scholaſticos pertinet. Nec nobis nocet hujus dubii reſolutionem ad ipſos remittere, cùm de hoc cruciandi modo, nihil hucuſque definitum fuerit ab Eccleſia.

D. Gregorius.

Hanc veritatem diſertè expendit Divus Gregorius lib.4. Dial. cap.28. Ubi reſpondens Petro ſciſcitanti quomodo rem incorpoream tenere poſſit ignis corporeus, ait: *Si viventis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, cur non poſt mortem, cùm incorporeus ſit ſpiritus, etiam corporeo igne teneatur.* Deindè cujuſmodi ſit ea pœna, declarat: *Teneri autem ſpiritum per ignem dicimus, ut Tormento ignis, videndo, atque ſentiendo puniatur. Ignem namque ex ipſo patitur quod videt, & quia cremari ſe aſpicit, crematur, ſicque fit ut res corporea incorpoream exurit, tum ex igne viſibili ardor, ac dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum, mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur: quamvis colligere ex dictis Evangelicis poſſimus, quia incendium, anima non ſolum videndo, ſed etiam experiendo, patiatur.* Non implicat igitur quòd ignis Inferni ſit corporeus, etiamſi in damnatos non agat phyſicè.

ARTICULUS XXIII.

Expugnat errorem Arnoldi de Villanova aſſerentis in Inferno puniri tantum peccata publica.

ADverſùs hunc fidei articulum, quo tenemur credere, peccata occulta puniri in Inferno eodem igne, quò puniuntur peccata publica, nullus inſurrexit impugnandus, niſi quidam vir Hæreticus, nomine Arnoldus à Villanova, natione Catellonenſis, profeſſione medicus, qui teſte Prateolo docuit, Medicinam magis placere Deo, quàm altaris Sacrificium, reparatæ ſanitatis causâ. Volebat fortè vir ille impietate motus, ſalutem corporis eſſe præſtantiorem ſalute animæ, & peccatorum remiſſione. Varios, multipliceſque libros edidit, multis tamen erroribus ſcatentes, & conſperſos, quapropter damnati fuerunt Trachonæ per duos Doctiſſimos, & inſignes viros, Dominum Ganfredum Trachonenſis Eccleſiæ Vicarium Generalem, ſede vacante. Et Fratrem Joannem Longeum Ordinis Prædicatorum. Inter quos errores, unus eſt, qui aſſerit Deum numquam comminatum eſſe occultè peccantibus æternam damnationem, ſed iis ſolùm, qui ſunt aliis malo exemplo, & offenſioni. Hoc eſt, nullum peccatum occultum, & ſecretum, eſſe puniendum in Inferno. Credebat enim impiiſſimus ille vir, neminem eſſe peccatorem apud Deum, niſi ratione ſcandali, ità ut ille, qui non ſcandalizat, non erit damnatus, etiamſi malas cogitationes, furta, adulteria, & alia ſimilia crimina commiſerit in occulto. *Arnoldiſta.*

Contrà hanc Hæreſim nullum fuit convocatum Concilium, quamvis videatur una ex præcipuis earum, quæ inſurrexerunt adversùs actus humanos, & adversùs Legem Dei, quæ nedùm publica, ſed etiam occulta, & privata prohibet peccata.

Impugnatur tamen, hæc Arnoldi de Villanova propoſitio, velut hæretica, & rejicitur per diverſos Sacræ Scripturæ textus: nam Propheta regius Pſal. 18.verſ.13.& 14.ait: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo;* quibus demonſtrat, peccata occulta, & ſecreta, ſeu hominibus incognita, & ſoli Deo nota, veram habere culpam, ſicut publica, & eſſe digna pœnæ ſecundum propriam malitiam, ac deformitatem ad Legem, & rectam rationem. Idem docet in Pſal. 10. ubi ait: *Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem,* per hæc enim verba oſtendit, potentes adjunctis ſibi ſociis aliis divitibus, & potentibus, variis artibus & dolis, pauperes ad extremam perniciem occultè adducentes, eſſe verè peccatores, hoſque puniendos ſicut interfectores innocentium. Huic Prophetæ articuli noſtri veritatem proclamanti addendus eſt alius, nimirùm Sophonias cap 1. verſ. 12. ubi primùm peccatoribus univerſis, deindè Judæis minatur ob idololatriam, & Dei contemptum, dicens: *Scrutabor Jeruſalem in lucernis: & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis; qui dicunt in cordibus ſuis: non faciet bene Dominus, & non faciet male,* quibus conſtat, in die Judicii peccata cordium, quæ certò occultiſſima ſunt, eſſe punienda eodem igne, quô punientur publica & ſcandaloſa: peccatum quidem ſcandali non poteſt dici peccatum cordis ſimpliciter, & ità abſolutè, ut in ſolo corde ſiſtat, cùm de ratione ſua intrinſeca ſit externum. Et deſſiniatur communiter per Theologos, *dictum, vel factum minus rectum dans proximo occaſionem ruinæ.*

Pſal. 18. *Pſal. 10.* *Sophon. cap. 1.*

Si Deus in inferno nollet punire peccata occulta,

Peccata occulta puniuntur in Inferno.

& ſecreta, ut voluit Arnoldus de Villanovâ, certum eſt quòd non manifeſtarentur in ultimo Judicio, quoniam ea, quæ tunc manifeſtabuntur, obtinebunt pœnam æternam, aut perpetuam fœlicitatem; illam, ſi opera ſint mala, ſevè publica, ſivè occulta, & privata; iſtam verò, ſi mala. At peccata occulta, nulllque hominum nota, manifeſtabuntur in die Judicil: in illa autem die Deus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: Tunc enim omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, id eſt; occultè, vel publicè, ſive bonum, ſive malum, ut declarat Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. quia ibi loquitur indifferenter de omnibus hominibus, ſaltem in ordine ad manifeſtationem omnium delictorum, & omnium operum: Nec poteſt aliter intelligi ipſe Apoſtolus, quia Judicium illud erit generale, & in eo nihil inultum remanebit. Tunc liber ſcriptus proferetur in quo totum continetur: igitur illi qui habebunt peccata occulta & ignota omnibus hominibus, erunt à ſiniſtris. Et audient hanc Sententiam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*, aliàs eſſent à dextris. Quòd eſt falſum, quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum.

Undè idem Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 4. prohibet hominibus omne Judicium, remittitque illud ad Adventum Domini, quia (inquit) Dominus illuminabit abſcundita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, quæ ſi mala ſint, ſunt peccata occulta, & tamen erunt aperta, & judicata, ut notat

Divus Ambroſius.

Divus Ambroſius eumdem Pauli locum ſic interpretans: *In die Judicii nihil occultum erit eorum, quæ geſta ſunt, aut cogitata ſunt, & ſimplicitas & hypocriſis hic apparebit, ut & qui deſpectus habeatur, fortè appareat dignus. Et qui aliquid eſſe putabatur, inveniatur reprobus: omnia enim nuda erunt in die Judicii*: Sanè cauſa manifeſtandi illa peccata occulta, eſt eorumdem punitio, id eſt, manifeſtabuntur ſicut publica, ut ſicut ipſa puniantur pœnâ æternâ. Quarè Eccleſiaſticus cap. 1. verſ. 38. ut homines vitent hypocriſim; & hypocritam, in quo peccata ſunt occulta; inquit unicuique noſtrum: *Attende in illis nè fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet Deus abſcondita tua, & in medio Synagogæ elidat te; quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.*

Eccleſ. 1.

Actus impuri puniuntur in Inferno.

Nullus Hæreticus negavit; actus concupiſcentiæ eſſe prohibitos hoc præcepto *non concupiſces uxorem proximi tui*, quod habetur in cap. 5. Deuteron. in quo habetur etiam illud, *neque Mœchaberis*. Hæc autem concupiſcentia poteſt eſſe occulta, atque ſecreta, tamen peccaminoſa; quin ſit ſcandaloſa, ut manifeſtat Chriſtus Dominus Matth. 5. verſ. 27. & 28. ubi aït: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non Mœchaberis, ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam Mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Nonnè hæc concupiſcentia in corde, eſt occulta, & contrà illud præceptum *non Mœchaberis*, tamen punietur in Inferno ſimul cum peccato publico, & ſcandaloſo, quia habet eſſentialiter rationem formalem peccati; quæ conſiſtit in deformitate ad Legem Dei, contrà quam agere, aut velle, eſt offendere Deum, & peccare: igitur peccatum occultum punietur in Inferno ſicut publicum.

Pe[illegible] pu[illegible] pub[illegible] ſunt graviora occultis.

Fateor peccata publica eſſe occultis graviora (ſervatis ſervandis) cùm adverſentur directè charitati, quæ ex Apoſtolo eſt major fide, & ſpe. Et majores habeant effectus, nimirum ruinam peccantis, ſeu ſcandalizantis, & ſcandalizati, ac proindè dicere audeo quòd peccata publica graviori pœna puniuntur in inferno, quàm peccata occulta; & privata; ut plures Scriptores inferunt ex illo Matth. 16. verſ. 23. *Vade poſt me Satana ſcandalum es mihi.* Sed impiiſſimum mihi videtur, aſſerere peccata occulta quantumvis graviſſima, non eſſe in Inferno punienda, nam ibi punientur omnia peccata, (nullo excepto) peccamus autem verbo, cogitatione, & opere, ut colligitur ex hac definitione Divi Auguſtini: *Peccatum eſt dictum, factum, aut concupitum contrà Legem Dei.* Volo quòd dicta, & facta ſæpè præbeant proximo occaſionem ruinæ, quia ſunt externa, & ſæpè publica, at cogitationes ſemper ſunt internæ & occultæ; & tamen dum ſunt malæ, maculant animam, ſicut peccata externa & publica, ut ſuadetur ex illo Matth. cap. 15. verſ. 18. 19. & 20. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant animam. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt quæ coinquinant hominem*, Per hæc quidem verba, Chriſtus oſtendit cogitationes malas, eſſe ſicut homicidia, adulteria, & alia peccata mortalia, ac proindè ipſas cogitationes: quamvis occultæ ſint, coinquinare animam. At anima coinquinata non poteſt intrare in Regnum Cœlorum, ut teſtatur Scriptura Sacra: itaque qui moritur in peccatis mortalibus occultis, eſt damnatus, & pœnas æternas patietur cum peccatoribus, & impiis in inferno. De fide enim eſt, quòd poſt mortem nullus reſtat locus perpetuus animæ deſtinatus, in quo debeat in æternum manere, niſi Paradiſus in quem nihil coinquinatum intrabit. Et Infernus in quo cruciantur peccatores; cùm ſtatutum ſit omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Judicium. Quod certò fit tam de peccatis occultis, quàm de publicis. Et non poteſt fieri, quin ad illud ſequatur ſententia ad gloriam, vel ad pœnam.

Math. 15.

Hic non parùm juvat afferre hanc rationem. Hypocriſis eſt peccatum, quod Deus puniet in Inferno, ut certum eſt ex illo Job. cap. 8. verſ. 13. *Spes hypocritæ peribit.* & ex aliis Sacræ Scripturæ textibus, qui eamdem veritatem liquidò demonſtrant. Illud autem peccatum eſt occultum; nullique præbet occaſionem ruinæ, cùm ſit ſtimulatio illa, quâ quis ſimilat perſonam alterius, à quo eſt longè moribus, & vitâ diverſus, ſicut cùm peccator ſimulat perſonam juſti, ut notat Divus Thomas, 2. 2. quæſt. 3. artic. 2. in corpore. Undè Divus Auguſtinus in lib. de Serm. Domini in monte: inquit, *ſicut hypocritæ ſimulatores aliarum perſonarum agunt partes illius, quod non ſunt (non enim qui agit partes Agamennonis verè ipſe eſt, ſed ſimulat eum) ſic in Eccleſiis, & in omni vitâ humana; qui ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt, ſimulat enim ſe; juſtum non exhibet*: Igitur peccata occulta; & privata, quamvis à nullo homine videantur, privant animam gratiâ ſanctificante, eamque maculant, & ſubjiciunt damnationi æternæ, nam David peccavit in occulto, ut ſuadet illud 2. Reg. cap. 12. verſ. 12. *Tu enim feciſti abſconditè*, tamen in hoc peccato fuit punitus publicè, ut probant verba, quæ immediatè ſequuntur: *Ego autem faciam in conſpectu omnis Iſraël; & in conſpectu ſolis.*

Job. 8.

D. Thomas.

D. Auguſtinus.

2. reg. 12.

§. Unicus.

De Reſponſione ad rationem contrariam.

ARnoldi à Villanova ratio deſumitur ex illo Matth. 18. verſ. 6. Malè intellecto, *qui ſcandaliſaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt; expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, væ mundo à ſcandalis, neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit, &c.* Ex hoc enim & ex aliis

Argumentum Arnoldi.

Digitized by Google

ſimilibus locis infert, quòd Deus numquam comminatus eſt peccantibus æternam damnationem, niſi peccaverint peccatô ſcandali. Idque confirmant hujus Hæretici Sectatores, ex illo 2. Reg. cap. 12. verſ. 14. quod dictum fuit Prophetæ regio, *verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, Filius qui natus eſt tibi, morte morietur.*

Rejicitur Arnoldi argumentum.

Reſpondeo negando conſequentiam, Chriſtus enim declarat quòd homo non poteſt ſalvari, niſi obſervaverit mandata, & per conſequens nedùm peccantibus peccatô ſcandali comminatur æternam damnationem, ſed etiam peccantibus peccatô odii, invidiæ, &c. quia præter præceptum de proximo non ſcandalizando, ſunt alia neceſſariò obſervanda. Chriſtus non dicit *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandatum* ſed *ſerva mandata*, quorum aliqua per actus internos implentur, ut patet de præcepto diligendi Deum, & proximum, cujus violatio poteſt eſſe prorsùs occulta, & ignota hominibus; cùm amor, & odium poſſint manere in corde; quin foris exeant; & quin ſcandalizent proximum. Divus Paulus 1. ad Corinth. cap. 6. enumerando quædam peccata, quibus involuti Regnum Dei non poſſidebunt, numerat quædam quæ poſſunt eſſe occulta, ibi enim ait: *An neſcitis quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt, nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt*: Iniquus autem, quis poteſt eſſe; quin ſit publicus, & notus, ut eſt evidens; certè plurimi ſunt, qui volunt videri amatores proximi, & tamen amore proprio excæcati, malum habent in corde, id eſt; odio & invidia ergà eum afficiuntur: Igitur peccata occulta punientur in inferno, quia peccatores etiamſi occulti ſint, non poſſidebunt regnum Dei.

1. Corinth. 6.

Ad confirmationem dico, Prophetam probare, quód Deus puniet peccatum ſcandali. Quòd nullus negat. Sed indè non ſequitur, quód non puniet alia peccata quoniam mala ſunt: quamvis non ſint ſcandaloſa; quippè ſcandalum priùs eſt in ſe malum, quàm malum alteri, cùm ille, qui ſcandaliſat, priùs ſibi, quàm proximo, noceat. Peccatum eſſe publicum, eſt quaſi circunſtantia exterior, quæ aggravat peccatum, ſed non conſtituit illud; ideóque non poteſt eſſe ratio totalis ob quam debeat puniri. Et licèt Chriſtus dicat ſcandalum eſſe puniendum; tamen non docet eſſe puniendum præcisè quia ſcandalum eſt: hoc enim provenit ex deformitate actûs liberi ad legem Dei.

Qui ſcandalizat prius ſibi quàm alteri nocet.

ARTICULUS XXIV.

Explodit errorem Adamitarum.

Adamitæ

ADamæi, ſeu Adamiani, vel Adamitæ ſic dicti à quodam viro nomine Adam, ut refert Divus Epiphanius, plures docuerunt errores tempore Ælij pertinacis Imperatoris, & victoris Papæ circà annum Domini CIVC. Inter quos, unus eſt circà honeſtatem, & modeſtiam: nudi enim velut de novo egreſſi ex utero matris, tum viri, tum fœminæ ſimul conveniebant, & aggregabantur, ſicque lectiones, preces, & quodcumque tandem aliud perficiebant, orabant, ſuaque ſic nudi ſuis in Eccleſiis, ſivè ſpeluncis Sacra peragebant, ſuam Eccleſiam Paradiſum, & ſe ipſos eſſe Adam, & Evam ſomniabant. Eorum ratio erat, quia Adam in ſtatu Innocentiæ, & antequam peccaret, in Paradiſo nudus ambulabat, nec cooperuiſſent ſe Adam, & Eva, ſi non peccaſſent. Hacque ratione putabant, Chriſtianos debere nudos ambulare, & nudos exiſtere in Eccleſia: Idcirco quilibet ingrediens, ſivè vir, ſivè mulier exuebatur foris, & ingrediebatur nudus, illum autem, quem credebant eſſe in aliquo delicto, non admittebant, putantes illum eſſe Adam, qui comedit de ligno, acproindè judicabant, hunc eſſe expellendum de Paradiſo, hoc eſt, de Eccleſia.

Anno autem MCCCLXXII. regnante Carolo IV. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Gregorio XI. inſurrexerunt quidam viri hæretici dicti Turilupini, qui teſte Joanne Gerſone in quodam ſermone de Beato Ludovico Francorum Rege, dicebant de nulla re, quæ nobis à natura data eſt, erubeſcendum eſſe, quamobrem Cynicorum Philoſophorum more, omnia verenda nudata publicè geſtabant, & in publico velut Jumenta coibant, inſtar Canum in nuditate & exercitio membrorum pudendorum degentes. Iſti hæretici nequiores ſunt Adamitis, quoniam nedum in Eccleſiâ, ſed ubiquè nudi erant, & coibant. Hanc Adamitarum, & Turilupinorum hæreſim amplexi ſunt in Gallia Belgica tempore Sigiſmundi Imperatoris, & Joannis Papæ XXII. circa annum MCCCXIV. quidam viri hæretici à quodam viro nomine Picardo ſuborti, qui cùm renovarent antiquam, & infamem antiquorum Adamitarum Sectam, novi Adamitæ vocati fuerunt.

Turilupini

Hanc hæreſim, quæ Chriſtianos ad nuditatem obligat, in nullo Concilio inveni damnatam. Nec mirari debet lector, quia hæc hæreſis præſefert damnationis ſententiam, omniaque hæreſis ſigna. Contrâ ipſam unam dumtaxat inveni authoritatem in lib. 1. Conſtitut. Apoſtol. cap. 6. ubi legitur quòd corpus hominis nudum numquam oſtendendum eſt.

§. Unicus.

Impugnat nuditatem corporis.

EX Scripturâ Sacrâ probanda eſt aſſertio noſtra contrà Adamitas & Turilupinos, ut videant & fateantur nuditatem corporis humani eſſe illicitam, & prohibitam abſolute, ità ut nulli liceat ſe oſtendere nudum, & præſertim in Eccleſia legimus enim in lib. Exodi cap. 28. verſ. 4. Deum præcepiſſe indumenta Aaronis. *Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient. Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, Cidarim, & Balteum, facient veſtimenta Sancta fratri tuo Aaron, & Filij ejus, ut Sacerdotio fungatur mihi.* Et cap. 39. verſ. 2, legimus *fecit igitur ſuperhumerale de auro Hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.* Et verſ. 41. *veſtes quoque quibus Sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron ſcilicet, & Filij ejus.* At ſi neceſſè eſſet nos eſſe nudos in Eccleſia, quia Adam nudus erat in ſtatu Innocentiæ, certò Deus talia veſtimenta non præcepiſſet Sacerdoti antiquæ legis, & Sacerdos in eadem lege nudus intraſſet in Sancta Sanctorum; quod tamen falſum eſſe, nemo negat; cùm in Sacrâ Scripturâ conſtet de præcepto indumentorum Sacerdotalium: igitur nec nos debemus nudi in Eccleſiam intrare.

Exod. 28.

Nuditas corporis prohibetur in veteri teſtamento.

Dicent forsàn hæretici, hoc fuiſſe privilegium Sacerdotibus ſpecialiter conceſſum à Deo, qui in ſua lege diſpenſare poteſt quemcumque voluerit diſpenſare. Sed non nocet hæc ratio. Quia privilegium illud non fuit conceſſum Sacerdotibus veteris legis, ut in templo haberent veſtimenta, ut ab aliis hominibus non Sacerdotibus diſtinguerentur, ſed ut haberent talia veſtimenta, ſcilicet Sacerdotalia; tunc enim omnes tam Laici, ſeu non Sacerdotes,

Digitized by Google

quàm Sacerdotes, veſtes habebant, ut patet ex illo
Deuteron. 22. Deuteron. cap. 22. verſ. 5. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea, abominabilis enim eſt apud Deum, qui facit hæc.* Quo conſtat, homines in veteri lege viventes habuiſſe veſtimenta & numquam ambulaſſe nudos; ideoque dum Deus præſcripſit Pontificalia, non permiſit abſolutè veſtimenta Sacerdotibus, ſed ipſis præſcripſit modum veſtimentorum, quibus uti debebant. Hinc eſt quòd Deus ſtatuit populo Iſraelitico quoddam genus veſtimenti, per quod ab aliis nationibus diſtingueretur; ut conſtat ex illo ejuſdem capitis Deuteron. verſ. 11. & 12. *Non indueris veſtimento quod ex lana, linoque contextum eſt, funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui, quo operieris.* Indeque falſa eſt hæreticorum reſponſio ad authoritatem Exodi, quæ; quin infirmari poſſit, probat, homines in Eccleſiâ non poſſe manere nudos.

Aliud habemus de cooperienda nuditate teſtimonium in Sacrâ Scriptura in qua legimus, Cham Noëti Filium, maledictum fuiſſe à Patre, non ob coopertam, ſed fratribus nunciatam dormientis Patris nuditatem, ut patet ex illo Geneſ. 9. verſ. 24. &
Geneſ. 9. 25. ubi legimus *Evigilans Noe ex vino cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: maledictus Chanaan ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Hujus maledictionis cauſa fuit ea, quæ habetur in verſ. 22. ejuſdem capitis. *Quod cùm vidiſſet Chan Pater Chanaan verenda ſcilicet Patris ſui eſſe nudata, nunciavit duobus fratribus ſuis foras.* Ex quo inferendum eſt, nuditatem numquam fuiſſe licitam, aut toleratam in Synagoga Judæorum, nec apud homines veteris legis, quia ſi licita fuiſſet, abſque dubio Noëti Filij, ſcilicet Sem, & Japhet Patrem nudum minimè operuiſſent, tunc enim ſuppoſita illa de nuditate habenda, obligatione, aut conſuetudine, non commoviſſet eos verecundia, ad cooperiendam nuditatem Patris: operuerunt tamen illam, juxtà illud verſ. 23. *At verò Sem, & Japhet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda Patris ſui, facieſque eorum averſæ erant, & Patris virilia non viderunt*; Nec Noë maledixiſſet Cham, quia nullam legem, nullamque conſuetudinem offendiſſet: aliàs, ipſe Chan dixiſſet Patri ſuo, *Si non malè feci, cur me cædis; aut de bono opere cur me lapidas?* Unde ſi maledictus fuerit Chan à Patre; quanto magis Adamitæ maledictionem æterni patris incurrere debent; cùm turpes & inverecundi ſe ipſos ſpontè nudant, & nudi cum nudis ambulent, conveniant; orent, & ſua nuditate Sacramenta non Sanctè, ſed impurè, & inverecundè celebrent, turpiaque alia dictu horrenda peragant: pejores enim ſunt Chan, acproindè digni ſunt majori maledictione, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur juxtà monitum Pauli ad
Galat. 5. Galat. cap. 5. verſ. 21. cùm nuditas corporis manifeſtata odibilior ſit, invidiâ, homicidiis, ebrietatibus, & his ſimilibus, de quibus loquitur Apoſtolus loco citato.

Chriſtus Dominus, qui nos viam Dei in veritate docuit, verbo, & exemplo, habuit veſtimenta quo-
Joan. 19. rum unum fuit tunica inconſutilis, ut legimus Joan. cap. 19. verſ. 23. & 24. *Milites ergo cum Crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus; & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem & tunicam; erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum; dixerunt ergò ad invicem, non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit, ut Scriptura impleatur dicens: partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem, & milites quidem hæc fecerunt.* Nos igitur tenemur habere veſtes nè carnem noſtram, & verenda oſtendamus. Tenemur etiam ſervare pudicitiam, quam Sacra Scriptura, & Sancti Patres nobis ſæpè commendant, ut honeſtè ambulemus; acproindè partes illas interiores corporis humani, per quas mares, & fœminæ in coitu commiſcentur, occultare, nè contingat quod olim accidit Davidi, qui cum vidiſſet mulierem ſe lavantem, requiſivit, quæ eſſet mulier, & tulit eam, quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum ea, ut legimus in lib. 2. reg. cap. 11.

Apoſtoli etiam habebant veſtimenta, ut teſtatur Paulus 1. ad Timoth. cap. ult. verſ. 8. dicens, *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus*, Idem probat illud act. cap. 12. verſ. 8. *Dixit autem Angelus ad eum*, id eſt ad Petrum, *præcingere & calcea te caligas tuas & fecit ſic, & dixit illi circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me*, Quidni fideles in Eccleſia erunt veſtiti? aut quorſum erunt nudi? Nam Petrus Apoſtolus incarceratus, erat Innocens, & in Gratia & continuò orabat, tamen non erat nudus: imò tunc temporis omnes homines erant veſtiti, ut conſtat ex illo act. cap. 7. verſ. 57 de his qui lapidabant Stephanum: ibi enim habetur: *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant, & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes Adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* Et cap. 22. verſ. 20. Paulus ait: *Ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*, id eſt Stephanum. Tandem de Epulone, Lucas cap. 16. verſ. 19. refert, quod quidam homo erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo. Nullus igitur poteſt affirmare, homines aliquando ambulaſſe nudos, cùm ex Sacrâ Scriptura conſtet, ipſos ſemper fuiſſe veſtibus indutos.

Ad Timoth. cap. ult.

Act. 22.

Luc. 16.

Dicent hæretici. Primos parentes fuiſſe nudos durante ſtatu Innocentiæ, & per conſequens viros juſtos debere etiam eſſe nudos; cùm neceſſitas habendi veſtimenta, ſit effectus peccati. *Reſpondeo* quòd hi hæretici efrones, & inverecundi, qui Adæ nuditatem in Paradiſo imitari, & Adamitæ dici volunt, illius Innocentiam non ſervant, nec habent. Idem dico de aliis hominibus quantumvis juſtis, cùm nullus ſit, qui habeat juſtitiam originalem; idcircò nullus tenetur manere nudus, imò peccant Adamitæ, quia licèt primi parentes fuerint nudi in Paradiſo (ut confeſſus eſt Adam, qui poſt peccatum commiſſum; peccatum ſuum cognoſcens; volenſque à facie Domini in Paradiſo ambulantis fugere, dixit Deo, Geneſ. 3. verſ. 10. *vocem tuam audivi in Paradiſo & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me*) tamen poſt peccatum conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata, ut refertur in eodem capite Geneſis verſ. 7. *Et Deus fecit quoque Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*, verſ. 21. ergo Deo ſic jubente, nos qui ſumus Filij Adæ peccatoris, cui Deus dedit veſtimenta, tenemur habere veſtimenta, ut cooperiamur, & abſcondere nos à facie hominum, dum nudi ſumus, cùm non ſimus in ſtatu Innocentiæ, in quo erat Adam dum nudus erat, & habeamus fomitem peccati, & rebelliones carnis vincendas, & in hoc ingemiſcamus: ait Paulus 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 2. habitationem noſtram quæ de Cœlo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur. &c.

Primi parentes nudi erant in ſtatu Innocentiæ.

2. Corinth. cap. 5.

Quantum ad Turllupinos, qui credebant nos poſſe licitè oſtendere omnia, quæ nobis dedit natura, & per conſequens omnes partes corporis, nullâ exceptâ, ſicut oſtendimus faciem & manus. Reſpondeo quòd ſi hoc eſſet, ita ut de nulla re naturaliter data, eſſet erubeſcendum, injuſtè maledictus fuiſſet Chan Filius Noë, eo quod videns Patrem inebriatum habentem verenda nudata, nunciaverit fratribus ſuis. Immeritò etiam alij fratres, videlicet Sem & Japhet laudarentur, quia verenda Patris operuerunt, imò potius iſti maledicti fuiſſent, quàm

Chan, quia de bono opere nemo lapidatur, nec Adam nudus abſcondiſſet ſe. Sed Chan fuit maledictus, & Adam nudus abſcondit ſe: ergò nulli *Levit. 16.* licet nedum in Eccleſia, ſed etiam nec in alio loco partes corporis ſui nudas oſtendere: ea ratione, quâ nulli licet occaſionem proximam peccandi præbere alteri; cùm verenda oſtendere, ſit ad libidinem provocare, & dehoneſtare ubique, ſed præſertim in Eccleſia; hac fortè de cauſa, ſcilicet quia Deus docens Moyſem quandò & quomodò Sacerdos ingredi debeat Sanctuarium Levit. cap. 16. verſ. 4. ait: *Tunica linea veſtietur, fæminalibus lineis verenda celabit.*

Deindè verecundia eſt omnibus commendanda; *D. Damaſcenus.* cùm ex Divo Damaſceno ſit timor de turpi actu, ſubindéque nuditas eſt prohibita, quoniam ut ait Eccleſiaſticus cap. 32. verſ. 14. *Ante grandinem præibit coruſcatio, & antè verecundiam præibit gratia.* Item *2. Machab. cap. ult.* lib. 2. Machab. cap. ult. verſ. 12. plurimum laudatur Onias, qui fuerat Summus Sacerdos, vir bonus, & benignus, verecundus viſu, & modeſtus *1. ad Tim. 2* moribus. Et Divus Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. 9. docens quomodo orare debent vir & mulier. Et quomodo hæc ornari debet, ait: *Et ſimiliter mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa.* Ex his ſequitur, verecundiam eſſe ab omnibus ſervandam, ſed ſervari non poteſt in nuditate corporis, nec publicè oſtendendo ea, quæ nobis à natura data ſunt, ut eſt manifeſtum, ideoque nullus poteſt ſine veſte ambulare, ſeu nudum ſe oſtendere aliis, ſivè intrà, ſive extrà Eccleſiam, ſive Adoleſcens, ſive puer ſit.

ARTICULUS XXV.

Probat contra Manichæos licitum eſſe homini bellum gerere.

Circà actiones, aut actus hominis, plures fuerunt hæreſes bonum in malum vertentes: olim enim plures inſurrexerunt hæretici dicentes, bonum malum, & malum bonum, hoc eſt, plures actus prohibitos eſſe licitos. Et plures licitos, eſſe prohibitos. His autem hæreticis dicendum eſt cum Iſaya cap. 5. verſ. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Manichæi de quibus locuti ſumus in 2 articulo *Manichæi* hujus operis, dicebant nullo modo licere bellum gerere, ut refert Divus Auguſtinus lib. 22. contrà Fauſtum, cap. 74. & ob hanc cauſam reprehendebant Moyſem, quòd bella geſſiſſent. In hoc autem errore Aſſeclas non habuit Manes ſicut in aliis, licet in alio utpotè in pluralitate Deorum, fuerit impior. Hic enim error de bello non gerendo, & de calumnia contrà Moyſem, ſtatim rejectus fuit, & Sepultus, ſepultuſque diu remanſit, hoc eſt, ab anno CCLXXIII regnante Aurelio imperatore & Eccleſiám Dei regente Felice primo, uſque ad tempus Caroli V & Clementis VII, ſeu ad annum MDXXV tunc enim Joannes Ocolampadius, ſectâ Lutheranus *Ocolampadius.* ab inferis ſuſcitavit illum: quamvis non eſſet Manichæus; & docuit bellum nullo pacto eſſe gerendum. Porrò ut à Manichæis ſe diſtingueret, & Scripturæ Sacræ non contradicere videretur, approbavit Moyſi bellum, quod damnabant Manichæi. Ejus ratio erat, quià tunc temporis Dei Juſſu, aut permiſſu bellare licebat; nunc verô cùm Chriſtus bellum prohibuerit, & venerit ut vitam habeamus, & abundantius habeamus, non licet Chriſtianis ullo modo bellum gerere.

Lutherus anno MDXVII. Manichæorum ſententiam, aut errorem mitigare voluit, & dixit, bellum *Lutherus.* licitum eſſe Chriſtianis in Chriſtianos, non veró in Turcas, quia (inquit) eſt reſiſtere voluntati Dei, qui voluit viſitare, & corrigere iniquitates noſtras per Turcas: Igitur Lutherus non prohibet Chriſtianis abſolutè bellum, ut Manichæi, nec ut Joannes Ocolampadius, ſed ſolum prohibet illis bellum adverſus Turcas, & infideles. Plures Scriptores volunt indè errorem Lutheri eſſe mitiorem errore Manichæorum, & Joannis Ocolampadij, quia arcet Chriſtianos á bello in Turcas gerendo dumtaxat; Manichæi veró abſolutè ab omni bello. Ego autem exiſtimo, hunc Lutheri errorem eſſe Manichæorum errore atrociorem, quia magis adverſatur juſtitiæ, & ſanctitati Baptiſmi; nam ſi Chriſtiano liceat adversùs Chriſtianum pugnare, magis licebit pugnare adversùs Turcam, cui non eſt conjunctus, nec per Baptiſmum, nec per fidem. Bellum eſt juſtum, dum cauſa potiſſimùm explorata; apparet juſta. Undè ſi Rex Chriſtianus habet juſtam cauſam movendi bellum contrà Turcas, poteſt tunc adverſus eos bellum gerere, ſicut adverſus alium Regem Chriſtianum in pari causâ; alioquin conditio Turcarum reſpectu unius principis Chriſtiani, eſſe melior, quam conditio alterius principis etiam Chriſtiani: ergò error Lutheri eſt pejor errore Manichæorum in hac parte de bello non gerendo.

§. I.

Probatur articuli veritas.

Contrâ hanc Manichæorum hæreſim, nullum adinveni Concilium expreſſum, in quo Anathematizentur illi; qui dicunt bellum eſſe omninò illicitum, niſi velis, hunc errorem fuiſſe damnatum in illis, in quibus damnati fuerunt Manichæi, & Lutherani. Plures tamen ſunt in jure Canonico *Jus Canonicum approbat bellum juſtum* textus, quibus bellum Juſtum; (ſeu illud; quod ſit ad repellendos hoſtes, vel ad repetenda bona propria) declaratur licitum, ut videri poteſt in Can. *Juſtum* 24. quæſt. 2. Can. *Summa.* Et Nicolaus primus in Decret. Tit. de bellis, cap. 2. & 3. monet quòd bellum fieri poteſt pro recuperatione rerum Eccleſiæ. Idem habetur in Can. *Authoritatem* 15. quæſt. 6. ubi legitur prædictum Summum Pontificem, ſic ſcripſiſſe ad Epiſcopos Galliæ: *Quin etiam præfato fratri noſtro, ſuiſque Trevirenſis Eccleſiæ, illiuſque defenſoribus hæc in mandatis damus ut Spirituali ſimul, & materiali gladio tandiù malignos eſſe eorumque fautores inſequantur, quouſque cum integritate poſſeſſiones, vel quæcumque res Eccleſiaſticæ hoc facto, vel quocumque pacto diſtractæ, ſeu direptæ ſunt, revocentur.* Indè enim conſtat authoritate Pontificia, & jure Eccleſiaſtico, bellum eſſe licitum, modò ſit juſtum, & rationabile, ſivè ſit contrà fideles, quidquid dixerint Manichæi, ſivè contrâ Infideles: quidquid dixerint Lutherani; cùm tàm fideles, quàm infideles poſſint injuste retinere bona aliorum principum, & Eccleſiæ; nec ſit alia prætèr bellum via recuperandi hujuſmodi bona. Hinc eſt quòd Leo X in Conſtitut. 40. quæ incipit *exurget*, ait: *Turcas bellis oppetere, non eſt repugnare Deo*, Ità refert Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea in Epitom. Can. verbo, *Turca*; hoc eſt, occidere Turcas in bello, non eſt peccatum.

In Sacrâ Scripturâ evidenter manifeſtatur, bellum non eſſe prohibitum, nec illicitum, ità ut nullus poſſit quacumque ex cauſa debellare; quin peccèt: ſed licitum & permiſſum, juſtâ intervenien-

Digitized by Google

Bellum juſtum eſt licitum ex ſcriptura.

re cauſâ; nedùm quia ibi legimus, Deum noſtrum vocari Deum exercituum, ex quo plures inferunt belli honeſtatem;ſed etiam quia legimus,Moyſem ex præcepto Domini bellaſſe contrà plures nationes.Et in cap. 26. num. numerentur Iſraelitæ per ſingulas Tribus, qui bello apti; ſunt terram promiſſionis ingreſſuri: ſuperfluum igitur eſt impugnare Manichæos quodcumque bellum illicitum credentes, &

num. 26.

impunè reprehendentes Moyſem, cùm ſi Moyſes bellum geſſerit, Deo jubente, geſſerit illud, acproindè ſine culpâ, & abſque ulla reprehenſione.

Reſponſio ad manichæorum inſtantiam.

Dicent Manichæi duos Deos admittentes, bonum unum, & malum alterum. Hoc præceptum de bello gerendo, datum fuiſſe Moyſi à malo Deo, & ideo exemplum Moyſi non poſſe reddere bellum licitum, nec mandatum Dei excuſare illum, qui bellum gerit. Sed non nocet hæc ratio. Tum quià non ſunt duo Dij, etenim Deus eſt unus, & ipſe eſt bonus, ut probatum manet in 2. artic. hujus operis contrà Polythæos. Tum quia Deus cujus imperio, & virtute Moyſes pugnauit, eſt ille à quo Moyſes ipſe divinam habuit legem in monte Sinai, cujus præcepta intimavit populo Iſraelitico, & cujus authoritate eumdum rexit populum ipſe Moyſes. Ideòque non Deus malus, quiá non eſt, ſed Deus bonus præter quem non eſt alius, dedit Moyſi virtutem bellandi. Si autem hæc, & alia, quæ videri poſſunt in lib. Joſuë, & Regum non ſufficiant ad convincendos eos, qui Manichæorum partem tuentur, ad Novum Teſtamentum recurrendum eſt: ibi enim videbimus Chriſtum nou improbaſſe bellum juſtum.

Lucas Evangeliſta deſcribens geſta Joannis in deſetto prædicantis & baptizantis:ait: cap. 3. verſ, 14

Luc. 3.

Interrogabant autem eum, & milites dicentes: quid faciemus, & nos? & ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Indè

Joannes baptiſta non improbat bellum

enim infertur; Joannem præcurſorem Chriſti, & virum miſſum à Deo non improbare bellum, nec velle quodcumque bellum eſſe illicitum ex ſe, ità ut nulli bellare liceat, ſicut nulli licet mentiri. Quia ſi hoc eſſet, profectó eis reſpondiſſet, arma abjicite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, neminem vulnerate. Ille ſiquidem prædicator Baptiſmi pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum clamans in deſerto *parate viam Domini*, qui auſus eſt dicere Herodi, *non tibi licet habere uxorem fratris tui*, dixiſſet militibus,nolite debellare, ſi bellum eſſet malum, ſicut malum eſt habere uxorem alienam; cùm autem hoc non dixerit, ſed calumniam prohibuerit, vitioſoſque exerſtus condemnaverit, & ut ſuis ſtipendiis contenti forent, præceperit, eo ipſo viſus eſt approbare bellum.

Si dicant Manichæi Joannem Baptiſtam non eſſe Chriſtum ut ipſe confeſſus eſt Joan. 1. acproindè teſtimonium illud non eſſe Chriſti, nec divinum, ſed puri hominis, qui in hoc; ſcilicet non increpando milites,peccavit. Minus valet hæc ratio, quia Joannes Baptiſta, quo inter natos mulierum non ſurrexit major, eſt Propheta miſſus à Deo, cujus teſtimonium, aut doctrinam nullus poteſt citrà hæreſim refellere, vel negare Joannem Baptiſtam eſſe beatum.

Sanè hæc ſufficerent ad fidem adhibendam teſtimonio Divi Joannis, nihilominus ut Manichæi plenè convincantur,adduco teſtimoniumChriſti Matth.

Math. 8.

8. ubi legimus, quòd cum Centurio diceret Chriſto Domino. *Ego homo ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade & vadit, & alij, veni & venit.* Chriſtus audiens hæc, fidem centurionis laudavit: dicens: *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* Militiæ verò deſertionem non imperavit. Imperaſſet tamen eam, ſi bellum nullo pacto liceret fidelibus: ille enim cujus oculi irà mundi ſunt, ut ad malum non poſſint reſpicere, non laudaſſet centurionem habentem milites, ſi habere milites, eſſet

D. Auguſt.

malum. Unde Divus Auguſtinus in ſerm: de puero ejuſdem centurionis, inquit. *Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potius Conſilium ſalutis petentibus in Evangelio daretur, ut abjicerent arma; ſeque militia omninò ſubtraherent: dictum eſt autem eis, neminem concutiatis, eſtote contenti ſtipendiis veſtris, quibus proprium ſtipendium ſufficere præcipit, militare non prohibuit:* Igitur ex textibus ſcripturæ relatis, licet Chriſtianis gerere bellum, modò ſit licitum; & jubeatur à principe, cujus mandatô bellum eſt gerendum: princeps enim non ſine cauſa gladium Dei portat; & eſt miniſter Dei, vindex in iram ei, qui malè egit; & id eo ad eum pertinet, Rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus, modò illi,qui impugnantur,propter aliquam culpam impugnari mereantur; modò tandem bellantium intentio ſit recta, hoc eſt, modò reges intendant gerere bellum, ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Quare idem D.

Idem D. Auguſtinus

Auguſtinus lib. de verbis Domini, inquit: *Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non ſunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coërceantur, & boni ſubleventur.* Et ad Bonifacium ait: *Non quæritur pax ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur ut pax acquiratur; eſto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.*

§. II.

De reſponſione ad Manichæos.

MAnichæi objiciunt illud Matth. 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et illud ad Rom. cap. 12. verſ. 17. & ſequentibus; *nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus; ſi fieri poteſt, quod ex vobis eſt cum hominibus pacem habentes non voſmetipſos defendentes, Chariſſimi, ſed date locum iræ.* Ex his inferunt, Chriſtum præcipere pacem, & perconſequens prohibere bellum, aliàs Apoſtolus non prohibuiſſet defenſionem.

Reiicitur prima Manichæorum ratio.

Reſpondeo cum Divo Auguſtino in lib. de ſermone Domini in monte, quód hujuſmodi præcepta non ſunt præcepta operis, ſed affectùs, & ideò ſemper ſunt ſervanda in animi præparatione, ut autem ſic ſerventur; juxrà intentionem Chriſti, ſufficit quòd homo ſemper ſit paratus non reſiſtere, vel ſe non defendere,ſi opus fuerit; ſed quandoque eſt aliter agendum propter commune bonum, vel etiam propter bonum illorum, qui offendunt & provocant ad iram, modó hæc actio adverſus offendentem, fiat abſque vindictà, & agens moveatur ſolô juſtitiæ zelô, ut inſinuare videtur idem Sanctus

D. Auguſt.

Doctor in Epiſt. 5. ad Marcelinum ubi ait: *Agenda ſunt multa etiam cum invitis, benigna quadam aſperitate plectendis, nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur; quoniam nihil eſt infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.* Et lib. contrà Fauſtum: ait: *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, & implacatus, & implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.* Remotis igitur his circunſtantiis; aut motivis, bellum eſt licitum. Vel reſpondeo, verba Chriſti, & Apoſtoli non ſignificare præceptum,ſed Conſilium, ut facilè colligi poteſt ex verbis, quæ præcedunt, & ex illis, quæ ſequuntur.

Iterum objiciunt. Vir Chriſtianus non habet arma Carualia, ſed ſpiritualia, & ideo debet] debellare orationibus & precibûs ad Deum fuſis, ut Deus nocentium miſereatur, & injuriam repellat ab eis, qui eam receperunt; igitur bellum eſt illicitum Filiis Dei, quem Propheta ſic rogabat, Pſal. 67. verſ. 32. *Diſſipa gentes quæ bella volunt*, Quod ſanè non dixiſſet, niſi bellum eſſet ex ſe prohibitum: alioquin ille Propheta optaſſet deſtructionem, & diſſipationem aliquorum juſtorum; cùm per nos liceat juſtis velle bellum, & plures eſſe poſſunt, qui velint illud.

Reſponſio ad alteram manichæorum rationem.

Reſpondeo concedendo juſtum bellatorem debere orationibus ad Deum emiſſis debellare, non ità ut arma deponat, & ſolis orationibus militet, ſed ſolum ut victoriam reportet, quoniam Machab. 1. cap. 3. verſ. 19. *Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.* Undè nego ità abſtinendum eſſe à bello; & rejicienda eſſe arma, ut ſufficiat principi orare pro illo, qui ejus bona injuſtè detinet, aut regnum perturbat; licet ei bonum ſit, orationes & preces jungere armis: Nam Moyſe orante in monte, Amalech vincitur Gladio Joſuë, Exodi 17. verſ. 13. *Fugavitque Joſue Amalech, & populum ejus in ore gladij.* Ad Pſalmiſtam dico quòd non rogat Deum ut deſtruat, & diſſipet eos, qui bellum gerunt pro pace ſtatuenda contrà alios principes, qui eam perturbant, aut pro recuperandis bônis, quæ alij principes injuſtè deſtinent, ſed prædicit nunc victoriam adverſus perſecutores, *diſſipa*, inquit, *gentes*, id eſt tu diſſipabis omnes, qui bella movent adverſus populum tuum, & tunc, *venient legati ex Ægipto*, pacem petentes, & ſubjectionem profitentes, *Æthiopia*, quæ longiùs diſtat, *præveniet manus ejus Deo*, id eſt, præveniet apud Deum manum Ægipti offerentis munera. Ita hunc verſum, *Diſſipa gentes, quæ bella volunt* &c. exponit Bellarminus. Miror Manichæos velle Regem David improbare bellum cùm de ipſo habeatur lib. 2. Reg. cap. 11. *Factum eſt autem vertente anno, eo tempore quo ſolent ad bella procedere, miſit*

2. Reg. 11.

David Joab, & ſervos ſuos cum eo, & univerſum Iſraël, & vaſtaverunt Filios Ammon, & obſederunt Raba &c. quibus ſuadetur, ipſum Regem voluiſſe bellum, & de facto pugnaſſe contrà Filios Ammon. Vel dico quod David, in hoc Pſal. 67. loquebatur contrà ſeditioſos, & eos, qui ut pacem perturbent, movent ad pugnam &c.

§. III.

Impugnatur Lutherus.

Impugnatur Lutherus

Contrà Lutheranos dicentes Chriſtianis non licere bellare in Turcas, dico quòd ſi liceat principi Chriſtiano bellum gerere contrà alium principem Chriſtianum pacem perturbantem, aut bonum ſuum injuſtè detinentem, licebit utique illi debellare in Turcas. Quia Turcæ poſſunt perturbare pacem, imò eam perturbant, aut ſaltem conturbare vellent, ſi poſſent: ſunt enim implacabiles nominis Chriſti hoſtes, quos principes Chriſtiani valent armis dumtaxat vincere. Deindè poſſunt detinere bona principum Chriſtianorum, imò de facto plura injuſtè detinent regna, & plures Chriſtianorum provincias, quas bello, & armis Mahometo ſubjecerunt, ut conſtat ex hiſtoria: ergò Princeps Chriſtianus poteſt bellum gerere adverſus Imperatorem Turcarum, ſicut adverſus alium Principem, concurrentibus conditionibus ſuprà dictis; cùm non ſit major ratio debellandi adverſus Chriſtianos, quam adverſus Turcas: nam Machabæus pugnabat adverſùs Antiochum, & alios Reges infideles pro religione & fide, & cæremoniis. Et in hoc laudatur ut legitur in 1. lib. Machab. cap. 7. Quarè ergo non laudabitur Chrſtianus pugnans adverſus Turcas pro religione, & fide Catholicâ.

1. Machab. cap. 7.

Contrà eoſdem Turcas olim fortitèr pugnavit Sanctus Ludovicus Rex Galliæ, qui pro recuperanda poſſeſſione Jeroſolymorum, vexillum ab Epiſcopo Pariſienſi accepit, deindè mare cum ingenti exercitu trajiciens primo prælio Saracenos fugavit. Similiter fecit in Hungaria Sanctiſſimus Frater noſter Joannes à Capiſtrano, & in hoc defacto eum laudavit Eccleſia univerſalis, eumque in Catalogo Sanctorum ſcripſit. Innumera ſunt de bello contrà Turcas exempla Sanctorum virorum, qui contra infideles pugnaverunt, & modó cum Chriſto regnant in Cœlo; Quorſum ergo Lutherus contrà tot Sanctorum exempla auſus eſt dicere quód non licet Chriſtianis debellare in Turcas? Certè puto quód hac ſententiâ vult ſe inimicum nominis Chriſtiani, & Miniſtrum Diaboli declarare, hoc enim docens videtur velle nomen Chriſtianum funditùs delere, quoniam niſi Chriſtiani Turcis huc uſque reſtitiſſent, Jam (ut inquit noſter Alphonſus à Caſtro) eſſet actum de religione Chriſtiana. Poſſet inſuper Turcarum Imperator abſque ullâ difficultate, omnes Chriſtianorum Provincias ſibi ſubjicere, & Chriſtianos ad fidem Mahometanam impellere, Altaria noſtra evellere, Hoſtiam Sacram pedibus calcare, & ſimilia mala in Deum, & Sanctos ejus facere. Nonnè meritó inferimus, Lutherum tantam impietatem docentem velle nomen Chriſtianum delere, & Turcarum Imperatorem totiùs mundi Chriſtiani regem inſtituere contra Juſtitiam, & fidei noſtræ incrementum? ergo impia eſt hæc Lutheri cogitatio. Nonne Turcæ reponi poſſunt inter eos à quibus nos ſeparare debemus juxta monitum Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 6. igitur licitum eſt eos pugnare bello & armis. Imó juſtius mihi videtur bellum contra Turcas, quoniam ſunt fidei noſtræ inimici nati & continuó Chriſtianam religionem verbis deſpiciunt, oppugnantque armis.

S. Ludovicus Rex Galliæ

Beatus Joannes à capiſtrano.

2. Corinth. 6.

His ſuffragatur authoritas Sanctorum Patrum; D. Hieronymus lib. 1. de officijs cap. 27, ait: *Fortitudo quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitia eſt.* D. Auguſtinus ad Bonifacium relatus in Canone, *Noli exiſtimare* 23. quæſt. 1. *noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe qui in armis bellicis militat, in his erat Sanctus David cui Dominus tam magnum perhibuit teſtimonium, in his etiam plurimi illius tempore juſti. In his erat ille Centurio qui Domino dixit, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Idem D. Hieronymus ſuper Sophoniam ad cap. 1. relatus in Can. *Si quis* 23. quæſt. 3. *Si quis fortitudinem Latronis, & Pyratæ, & furis enervat, infirmoſque eos reddat, prodeſt illis ſua infirmitas, debilitata enim membra quibus priùs non bene utebantur, à malo opere ceſſabunt.* Turcæ autem adverſus Chriſtianos Pyratæ ſunt, & Latrones. Quód verum eſſe probat multitudo captivorum, apud ipſos detentorum. Poſſumus igitur in eos debellare juxtà communem Sanctorum Patrum mentem, quidquid dicat Lutherus permittens Chriſtianis in Chriſtianos bellum gerere, & damnans eos, qui adverſus Turcas pugnant, ac ſi Chriſtiani eſſent deterioris, & malignioris conditionis, quàm Turcæ, & infideles, qui putant ſe obſequium præſtare Deo, dum pugnant adverſus fideles, & religionem Chriſti, cujus divinitatem confiteri debemus etiam in periculo vitæ.

D. Hieronymus.

D. Auguſt.

D. Hieronymus

§. III

§. III.

De Reſponſione ad Rationes Lutheri.

LUtheranorum argumentum, eſt quia (inquiunt) adverſus Turcas bellare, eſt reſiſtere Deo; qui uiſitat, & punit iniquitates noſtras per illos; ex hoc quidem fundamento concludunt, & affirmant, malum eſſe bellum gerere adverſus Turcas, ſicut malum eſt reſiſtere Deo, qui ipſis adversùs Chriſtianos utitur.

Diſſolvitur Lutheranorum ratio.

Reſpondeo hoc argumentum eſſe ridiculum, & omni reſponſione indignum, dignumque calumniâ. Nam reſiſtere Deo, aut divinæ voluntati, reverà eſt malum æternâ punitione dignum, ſed falſum eſt quòd Turcis reſiſtere, ſit reſiſtere Deo, qui ſanè ſuper nos nullam dedit eis poteſtatem, nec regunt populum, juxtà Dei voluntatem. Imò potius eſt reſiſtere Diabolo cujus ſunt filij, quia non audiunt verbum Chriſti, juxtà illud Joan. 8. verſû 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Ideoque non ſunt ex Deo, ſed ex Diabolo.

Joan. 8.

Rursùm dato quòd Deus viſitet iniquitates noſtras per bellum, quod à Turcis contrà nos geritur, ut voluit Lutherus, & quod reſiſtamus eis, ſicut reſiſtimus illis, qui bellant contrà nos. Non valet tamen ex hoc inferre, quòd non liceat nobis reſiſtere Turcis; ut repellantur, & ad diſſitas regiones confugiant; quoniam licet Deus viſitet iniquitates noſtras, non impedit tamen, nè remedio aliquo adhibito, illis obviemus, Deus enim ità viſitat ſuos, ut non derelinquat eos, quia Miſericordia ſuperexaltat judicium, & ſemper intervenit dum juſtitia punit: *viſitabo* (Inquit) Pſal. 88. verſ. 33. & 34. *in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Igitur dato quòd Deus velit viſitare iniquitates noſtras per bellum Turcarum, ut voluit Lutherus, non vult tamen quòd ſinamus eos terras Chriſtianorum arripere, Chriſtianos in ſervitutem redigere, & alia ſimilia mala facere; quin liceat nobis eos debellare; cùm vim vi repellere liceat jure naturali.

Pſal. 88.

Idem Lutherus docet non licere Chriſtianis petere coram judice injuriæ reparationem. Sed in hoc errat, & videtur mihi Phariſæus, quoniam alligat onera gravia, & importabilia, digito autem ſuo non vult ea movere, ut notat Alphonſus à Caſtro, verbo, *Injuria.* Hic author (qui interfuit Concilio Tridentino, ut Theologus Regis Hiſpaniarum) ſic loquitur de Luthero (qui dicit non licere petere coram judice reparationem injuriæ) Ipſemet ſi quæ ſibi ab aliquo infertur injuria, impudenter, ne dicam atrociter, eam repellit, unam certè injuriam, centum acerbioribus propoſſat. Et quod pejus eſt etiam cùm illam receperit, mille convitijs afficit eum, qui extremis digitis eum tetigerit. Vide quale ſit vulnus quod nec tangi permittitur. Nam Sereniſſimus Rex Angliæ ſatis modeſtè pro ut regiam dignitatem decet, adverſus illum ſcripſit, at ipſe Luther correptionem odiens, & falſitatem amans, atque peccatum juxtà Eccleſiaſticum cap. 21. dicentem, *Qui odit correptionem, peccatoris veſtigium eſt*, in illum Sereniſſimum Regem, nullo regis dignitatis habito reſpectu, mille opprobria injecit, mille illum ſcommatis ſubſannavit: Igitur Lutherus poteſt cenſeri Phariſæus, cùm dicat, & non faciat, hoc eſt, cùm correctionem injuriâ repellat, & nolit quòd liceat aliis injuriam repellere. Ita idem Doctor.

Licet injuria reparationem petere à judice.

His ſuppoſitis refellendus eſt Lutheri error ex rationibus ſupra dictis quibus probavimus, licitum eſſe bellare, dum juſta intervenit cauſa: nam ſi liceat principi pugnare, & bellum gerere contrà alium principem injuſtè inimicum, debet etiam licere homini particulari petere à judice injuriæ reparationem ab inimico illatæ, modò hoc faciat, depoſito quocumque odij, vel vindictæ affectu, quia licitum eſt ob peccantis emendationem, aliorum exemplum, & juſtitiæ conſervationem, recurrere ad judicem pro obtinendâ punitione delinquentis zelo juſtitiæ, & ideo offenſus poterit ex amore hujus, aut alterius virtutis, citrà odium, petere ab inimico damnum & ſatisfactionem honoris, & bonorum temporalium reparationem; quia habet jus ad hæc omnia recuperanda. Tenebatur ea conſervare, nullus poterat ea licitè illi auferre, & ideo aliquam debet habere viam recuperandi ea, quæ eſt via judicij, ſeu judicis; cùm nullus poſſit eſſe judex in propria cauſa, alioquin inimicus commodum reportaret de injuria, quâ non teneretur reſtituere, aut ſaltem cogi non poſſet ad reſtitutionem. Etenim non ſolùm inimicus eſt in obligatione reſtituendi hæc damna, ſed etiam amicus. ſi contingat ipſum nobis damna intuliſſe, ſed falſum eſt quòd ex injuria allata poſſit quis ſperare commodum: ideoque licet Chriſtianis petere coram judice reparationem injuriæ, & punitionem inimici, dummodò ſine odio fiat hæc petitio.

Apponitur & rejicitur ratio Lutheri.

Dicunt Lutherani Chriſtum Dominum Matth. 6. verſ. 15. dixiſſe, *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Hoc enim probat quòd nullus Chriſtianus poteſt petere coram judice reparationem injuriæ; cùm ex illis verbis teneatur dimittere eam inimico. Idem ſuadet illud Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus, ciba illum, ſi ſitierit, da ei aquam bibere.*

Sed hæc verba non excludunt reparationem injuriæ à judice exigendam: repellunt enim tantùm odium, & vindictam, quoniam odium eſt ex ſe malum; cùm omnis qui odit fratrem ſuum, homicida ſit. Et vindicta reſervetur Deo, qui dicit, *Mihi vindicta, & ego retribuam* ideoque non nocent hæc verba Sancti Evangelij. Ibi Chriſtus vult quòd diligamus inimicos; ſed non vult quòd mali, & iniqui maneant impuniti; cùm juſtitia vindicativa, aut punitiva, ſit vera virtus Chriſtianis, ſi non ſingulis, ſaltem pro ſingulis neceſſaria: Deus inſtituit judices, qui firmi eſſe debent in exequenda ſententia, & in omni judicio ſemper Deum præ oculis habere, omnes mundi illecebras deſpicere, atque munera, juxta illud Regis Joſaphati monitum, lib. 2. Paralip. cap. 19. verſ. 6. & 7. *præcipiens judicibus, videte ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vobis redundabit: ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum &c.* quibus conſtat, Deum conſtituiſſe judices pro delictis puniendis & reparationibus faciendis juxta tenorem legum, ut monet Sanctus Auguſtinus relatus in Can. *in iſtis.* diſt. 4. ubi habetur: *in iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent cum eas inſtituunt: tamen cum fuerint inſtituta, & firmata, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas.* Quare Deus Pſal. 74. verſ. 3. ait: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*, hoc eſt. ſententias judicum, & videbo an juſtæ, & rectæ fuerint.

2. Paral. 19

D. Auguſt.

Undè ſi Deus conſtituerit judices, & nullus poſſit eſſe judex in propria cauſa, certum eſt quòd offenſus poteſt, ſecluſo quocumque odio, injuriæ reparationem petere coram judice, quin peccet, alioquin judicandi authoritas fruſtrà data fuiſſet

Digitized by Google

hominibus, qui alijs præſunt, & in vanum gladium Dei portarent, ſi nulli liceret ad eos recurrere, ut ipſorum authoritate, mali, & nocentes puniantur, Innocentes à nocentium vexationibus liberentur, & ut unicuique reddatur quod ſuum eſt, ſcilicet cui honor, honor, cui vectigal, vectigal, cùm ad hos fines conſtituti fuerint Judices. Deus enim ait, Jerem. cap. 22. verſ. 3. *Facite judicium & Juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, & advenam & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprimatis iniquè, & Sanguinem innocentum ne effundatis in loco iſto.*

Jerem. 22.

Fateor quòd bonum eſt, offenſo dimittere injuriam, & pro Chriſto velle injuriam pati; ſed non eſt malum illi, ſi zelo juſtitiæ, & præcisè ut mali ad bonum cogantur, velit injuriæ reparationem petere coram judice, ea ſiquidem vindicta, quæ valet ad correctionem, non prohibetur, ut oolat Divus Auguſtinus in ſerm. Domini in monte lib. 1. cap. 37. & 38. quia, inquit, hæc vindicta pertinet ad miſericordiam, nec impedit illud propoſitum, quo, quis paratus eſt, ab eo, quem vult eſſe correctum, plura præferre. Sed huic vindictæ referendæ non eſt idoneus, niſi ille, qui odium, quo flagrare ſolent qui vindictam deſiderant, dilectionis magnitudine ſuperaverit. Ita idem Sanctus Doctor in Can. *ea vindicta* 23. quæſt. 4. Undè cauſa hujus difficultatis (difficile quidem eſt non habere odium in proſecutione injuriæ). Eccleſiaſticus ait: cap. 10. verſ. 6. *Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ*, non ut abſolutè impediat recurſum ad judicem, ſed ut animum á vindicta elonget: nam authoritas judicum, & Regum, eſt a Deo, qui cùm ex eodem Eccleſiaſtico puniat calumniatores, vult etiam quòd puniantur à judicibus legitimè conſtitutis in hac vitâ.

D. Auguſt.

Eccleſ. 10.

ARTICULUS XXVI.

Quo adverſus Catharialios juramentum permittitur Homini.

DIvus Auguſtinus lib. de hæteſibus cap. 40. teſtatur quòd tempore Severi Imperatoris, & Victoris Papæ circà annum Domini CC. quidam viri hæretici (qui arrogantiſſimè appellarunt ſe Apoſtolicos, eo quod in ſuam communionem, non reciperent utentes conjugibus, nec res proprias poſſidentes, ut jam notavimus in alio Articulo, in quo probamus, licitum eſſe Chriſtianis poſſidere bona temporalia, quorum poſſeſſionem dicebant prohibitam) credebant non licere Chriſtianis juramentum præſtare, nec exigere etiam pro firmandâ veritate.

Juxtà eumdem Sanctum Doctorem loco citato cap. 46. anno CCLXXIX. vivente Aurelio Imperatore & regnante Fælice ptimo Summo Pontifice, inſurrexerunt Catharialij, ſeu Cathariſtæ, non ij, quos nonnulli appellant Novatianos, ſed alij Novatianis poſteriores, qui ad Manichæorum ſectam pertinent, & quos idem Sanctus Auguſtinus non Catharos, ſed Cathariſtas appellat, qui aſſerebant omne juramentum, ita eſſe Chriſtianis interdictum, ut eis numquam jurare liceat, etiam ſi ad id judicum juſſu, aut principum coactione impellantur. Quoniam (inquiebant) juramentum eſt ex ſe res illicita, mala, & inhoneſta, ad quam nullus Princeps poteſt ſubditos ſuos cogere.

Catharialij ant Cathariſtæ.

Ab hoc tempore nullus apparuit hæreticus juramentum rejiciens, uſque ad annum DCCXCVI regnante Conſtantino VI. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Leone III. niſi Albanenſes divinæ doctrinæ corruptores, qui unà cum Concordenſibus, & Bajolenſibus plures docuerunt errores, quorum unus erat circà juramentum. Dicebant enim quòd homo numquam graviùs peccat, quàm dum jurat; etiamſi ad jurandum authoritate aliquâ fuerit requiſitus; quoniam credebant juramentum eſſe Blaſphemiam in Deum, jure naturali, ac divino prohibitam. His anno MCLX. tempore Friderici primi Imperatoris, & Alexandri III. Papæ, ſucceſſerunt pauperes de Lugduno, ſeu Uvaldenſes de quibus ſæpè locuti ſumus; qui dixerunt quodcumque juramentum eſſe Chriſtianis prohibitum; quia credebant illud illicitum, etiam coram judice extorquendæ veritatis causâ ad id aliquem adigente. Eorum ratio eſt, quia, nullus eſt in terris judex qui valeat in divinis legibus diſpenſare.

Albarenſes

Concordenſes.

Bajolenſes

Uvaldenſes

Eodem anno emerſerunt quidato hæretici Uvaldo in hac parte obnixè adhærentes, qui tamen non Uvaldenſes, ſed Inſabbatati dici voluerunt, eo quod in ſuperiore parte calcearij quoddam ſignum deferebant. Hi enim quodlibet juramentum quocumquè caſu reſpuebant, & aliquos alios errores Uvaldi admittebant & aliquos reſpuebant; ideóque ut ab Uvaldenſibus diſtinguerentur Inſabbatati dicti fuerunt. Anno autem MCCCLII. exorti ſunt Uuicleffitæ aſſerentes, juramenta, quæ fiunt ad humanos contractus & commercia civilia roboranda, eſſe prorsùs illicita, quia nefas eſt teſtem appellare Deum pro tuendâ veritate, aut certitudine rei humanæ. Idem poſteà dixerunt quidam viri hæretici dicti Adiaphoriſtæ, id eſt indifferentes, de ſecta Uvitembergentium, ut notat Oſius lib. 1. de hæreſ.

Inſabbatati

Uvicleffitæ

Adiaphoriſtæ.

§. I.

Probat licitum eſſe Juramentum:

PLurimorum Conciliorum definitionibus conſtat juramentum eſſe licitum Chriſtianis, dum neceſſitas hoc exigit, ut videbimus in probationibus contrà hæreticos adducendis. Legimus enim quod Concilium Epheſinum primum celebratum anno CCCCXXXI. ſub Cæleſtino primo Romano Pontifice pro una in Chriſto perſona contra Neſtorium, parùm Neſtorij verbis fidens ſcripſit illi, ut ſuas recantaret hæreſes, & ab ipſo Neſtorio exegit juramentum ſolemne, ut conſtat ex verbis Epiſtolæ ejuſdem Concilij ad Neſtorium. Idem habetur in Concillo Conſtantienſi ſeſſ. 8. in quo damnantur quadraginta quinque hæreſes Joannis Uvicleffi, inter quas, eſt hæc, quam hîc impugnamus. Ut autem clarius appareat juramentum eſſe licitum, exemplo Concilij Epheſini addo aliud, quod eſt ejuſdem Concilij Conſtantienſis, quod ſeſſ. 20. decernit, ut ad confirmationem pacti initi inter Regem Romanorum, & Regem Aragonum pro Schiſmate tollendo, juramentum ab omnibus peteretur, & omnes poſtmodum in Concilio exiſtentes, à maximo uſque ad minimum, jurarunt. Alia poſſunt afferri exempla in variis Concilijs data, & præſertim in Concilijs Toletanis, ſcilicet in IV. Can. 75. Et in XVI. Can. 9. in quibus declaratur quod juramentum fidelitatis factum ergà principes, eſt inviolabiliter obſervandum. Hæc ſufficerent ad couvincendos hæreticos, ſed quia contra nos

Concilium Ejheſinum primum.

Concilium conſtantienſe.

Concilium Toletanum 4.

Digitized by Google

pugnant authoritate Sacræ Scripturæ malè intellectæ, ex eadem Scriptura benè intellectâ eos refellere neceſſe eſt.

Juramentum non eſſe ex ſe malum, facilè culligi poteſt ex fine, ob quem inſtitutum fuit, qui cùm bonus, & boneſtus ſit, ipſum juramentum ex ſe malum eſſe nequit, niſi ex aliqua circunſtantia quæ vitiet illud: ordinatur ex ſe ad confirmationem veritatis; *Homines enim per maiorem ſui Jurant, & omnis controverſia eorum finis ad confirmationem, eſt iurament um* inquit Apoſtolus ad Hebr. 6. *Hebr. 6.* Ordinari autem ad confirmationem veritatis non eſt ex ſe malum, licet tale poſſit eſſe ex fine jurantis, aut ex aliquâ circunſtantia. De juramento diſcurrunt plures Doctores, ſicut de ſumptione Euchariſtiæ. Undè ſicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum, licet qui eam iudignè ſumit, judicium ſibi manducer, & bibat: itâ juramentum ſecundum ſe non eſt malum, nec illicitum, ſed licitum, & honeſtum, ut probant ejus origo, & finis. *Corint.* Origo quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & rerum omnium univerſalem cognitionem. Finis autem, quia, juramentum introducitur ad juſtificandos homines, & ad ſuadendam veritatem pro booo communi, aut particulari, ut poſt D. Paulum, tradunt Sanctus Thomas, & alij Doctores. Hinc eſt quòd juramentum non poteſt interdici Chriſtianis, quibus ſæpè contingit ſuadere, aut firmare veritatem ad juſtificandos homines, & ad finiendas controverſius, quamvis non rarò malum ſit ex mala Jurantis intentione.

Nec valet dicere quòd juramentum aliqnandò cedit in malum alicui tertio, acproindè prohibendum Chriſtianis, qui debent declinare ab omni malo, & facere bonum. Non valet inquam, quia hoc ex juramento non provenit, ſed ex jurante, qui eo *Juramentum poteſt eſſe illicitum ex circunſtantia.* malè utitur, hoc eſt, ſine neceſſitate, & cautela debita jurat; videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi cauſa indifferenter, & abſque ulla neceſſitate inducit teſtem; aliàs ſi hoc inconveniens ab hæreticis aſſignatum, redderet juramentum ex ſe illicitum & malum, ſequeretur quód malum eſſet ſumere Euchariſtiam; cùm non rarò contingat quòd communicantes damnationem ſibi acquirunt; idcircô malitia jurantis non poteſt interdicere Chriſtianis juramentum; nec indiguitas communicantis Euchariſtiam: Igitur juramentum non eſt actus illicitus, ſed potiùs actus religionis, ſeu latrix, ut docet idem Sanctus Thomas, *D. Thom.* quia ille, qui jurat ad confirmandum id, quod dicit, piè invocat divinum teſtimonium; nihil enim confirmatur, niſi per aliquid, quod eo certius, & altius eſt; ideoque dùm homo jurat per Deum, profitetur Deum eſſe homine certiorem, & altiorem; & ſic aliquo modo exhibet illi reverentiam, quæ ad religionem, ſivè latriam pertinet.

Videant ergo hæretici, ſi jurare per Deum ad confirmandam veritatem, ſit offendere illum? Ex rationibus ſuprà dictis certò videbunt juramentum non eſſe prohibitum, ut expreſsè affirmat San- *D. Iſydorus* ctus Iſydorus in Can. *Non eſt contra* 22. quæſt. 1. Tùm quia homines jurant per majores ipſis ſe ſubjiciendo. Quòd non eſt malum; cùm major elevatio ſit ſe ſubjicere Deo. Tum quia qui jurat, unum ex duobus agit, hoc eſt, aut veneratur, aut diligit eum per quem jurat, ut docet Sanctus Hieronymus ſuper Matth. At venerari, aut diligere, utrumque bonum eſt; ergo juramentum nequit eſſe illicitum ex ſe, quamvis malum eſſe poſſit ex malo fine jurantis, aut ex aliqua circunſtautia.

Hæc omnia confirmat Sacra Scriptura, quæ dum admonet, & apertè declarat nôs in neceſſitate poſſe jurare, conjungit com præcepto adorationis, juramentum: Nam Deuter. cap. 6 vers. 13. ait: *Deuter. 6.* *Cave diligenter nè obliviſcaris Domini qui eduxit te de terra Ægipti, de domo ſervitutis; Dominum tuum adorabis & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis.* Et cap. 10. verſ. 20 *Dominum tuum timebis, & ei ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis.* Indè enim conſtat juramentum eſſe conjunctum adorationi, ſervituti, & timori Dei, acproindè ex ſe bonum, & licitum; ut bonum eſt adorare Deum, timere Deum, & illi ſoli ſervire: quoniam Sacra Scriptura, non ſolet vitia virtutibus conjungere, nec in eodem ordine referre ea, quæ prohibentur ſimul cum illis, quæ præcipiuntur. Undè cum dicat ſimul, & conjunctim. *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ipſique adhærebis, & jurabis in nomine illius* Inferendum eſt quòd jurare per nomen Dei, modò id debitè, & prout decet, fiat, eſt bonum, & res licita Chriſtianis, ſicut timere Deum, & ſervire illi.

Quod non eſt ex ſe bonum, non poteſt eſſe *Juramentum poteſt eſſe materia præcepti* materia præcepti, nec Conſilij; cùm præceptum debeat eſſe juſtum, & Conſilium utile. Juramentum autem juxta hanc Deuteronomij authoritatem, eſt materia præcepti, aut Conſilij, quia hæc particulà, *Jurabis in nomine illius*, non poteſt eſſe niſi præceptum, vel Conſilium, ut liquidò conſtat ex propriis terminis, qui cùm exprimant actiooem, hæc actio eſt neceſſitatis, vel voluntatis, hoc eſt, debet neceſſariò fieri, vel poteſt fieri: ideoque juramentum eſt ex ſe bonum, & licitum Chriſtiaois, qui exhortantur ad exequenda Conſilia, & quibus incumbit obligatio obſervandi præcepta.

Reſpondent adverſarij Deuteronomium probare juramentum fuiſſe permiſſum judæis in veteri lege, quæ ceſſavit obligare; non verò Chriſtianis, qui vivunt ſub lege novâ, ſeu Evangelicâ, *Falſa hæreticorum reſponſio.* quæ prohibet Juramentum. At non nocet hæc reſponſio, quia in novà lege ſubſiſtunt præcepta moralia, quæ erant in veteri; tenemur enim adorare Deum, eum timere, & illi ſervire, ſicut Judæi tenebantur in lege Moyſi. Deindè falſum eſt quòd lex gratiæ abſolutè prohibeat juramentum, ut infrà oſtendemus in ſolutione objectionum, quibus hæretici impugnant veritatem.

Quod Deus fecit non poteſt Chriſtianis eſſe prohibitum, quia ex ſe bonum eſt, cùm Deus ſit Sanctus in omnibus operibus ſois, & nequeat malè agere. Deus autem juravit, ut conſtat ex innumeris Sacræ Scripturæ locis, teſte Apoſtolo *Hebr. 6.* ad Hebræos 6. verſ. 17. ubi ait: *In quo abundantius volens oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Conſilij ſui interpoſuit Jusjurandum:* Igitur Chriſtianus poteſt licitè jurare, & pro veritate firmanda Deum ut teſtem invocare. Nec poteſt indè aliqua injuria fieri Deo, qui eſt veritas eſſentialis à quâ pendet omnis veritas creata.

Hæretici hanc paritatem negant, quia, inquiunt, ſolus Deus eſt verax, & ideò cùm mentiri nequeat, poteſt jurare; homo autem eſt mendax, ut affirmant Propheta Regius Pſal. 115. verſ. 15 & illud num. 23. verſ. 19. *Falſa hæreticorum paritas.* *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur.* Et ideò nè exponatur periculo mentiendi, prohibetur ei jurare.

Sed non nocet hæc ratio, nam licet homo ſit mendax, & poſſit perjurare, ſeu falsò jurare, hoc non obſtat, quominus licitum ſit ipſi jurare, dum ſe

offert néceſſitas legitima, aut debita jurandi occaſio; cùm perjurium non ſit à juramento, ſed à jurante, ut ſuprà dictum eſt. Nullus quidem dubitat, Euchariſtiam ſumere eſſe bonum, & licitum Chriſtianis; quamvis plures ſint, qui indignè communicant. Malitia operantis non reddit actionem illicitam ex ſe, ita ut hæc actio ſit ex ſe mala; alioquin nullus poſſet ad Sacramentalem confeſſionem, nec ad menſam Domini accedere. Quia ad eam plures malitiosè accedunt. Nec Paulus juraſſet. Quod eſt falſum, ut patet ex illo ad Rom. 1. verſ. 9.

Rom. 1. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in Spiritu meo in Evangelio Filij ejus.* 2. ad Corinth. cap. 1. verſ. 23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam.* Et ad Philip. cap. 1. verſ. 8. *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.*

Ad Philip. 1. Ita enim loqui eſt jurare, quia qui per Deum jurat, nihil aliud facit, quàm Deum invocare in teſtem eorum, quæ dicit. Ideo ſi Divus Paulus potuit citrà peccatum jurare, omnes Chriſtiani poſſunt urgente neceſſitate, etiam jurare; quin peccent.

D. Auguſt. Quare Divus Auguſtinus in Can. *ita ego*, 22. quæſt. 1. ait: *quapropter qui intelligit non in bonis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt, ut non eâ utatur, niſi neceſſitas cogat, videlicet cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmetur*: Et in fine ſubdit: *Tu enim non malum facis, qui benè uteris juratione.*

§. II.

Reſpondet Argumentis Hæreticorum.

Matth. 5. HÆretici ut ſuadeant juramentum eſſe prohibitum Chriſtianis, objiciunt illud Matth. 5. verſ. 34. & ſequentibus: *Ego autem Dico vobis non jurare omninò, neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt. Neque per terram, quia ſcabellum pedum ejus; neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.*

Jacob. 5. Objiciunt etiam illud Divi Jacobi cap. 5. verſ. 12. *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum ſit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, ut non ſub judicio decidatis.* Ex his ſiquidem verbis, & alijs ſimilibus inferunt, Chriſtum prohibuiſſe Chriſtianis juramentum.

D. Auguſtinus reſpondet, & ſoluti argumentum Contrà hæc dico primo cum Divo Auguſtino relato in Can. *in novo* 22. quæſt. 1. quòd Chriſtus ibi non declarat jurare eſſe peccatum. ibi enim ait, ille Sanctus Doctor, *In novo Teſtamento dictum eſt ne omninò juremus, quod quidem mihi propterea dictum videtur, non quia verum jurare, peccatum ſit, ſed quia perjurare immane peccatum ſit, à quo longè nos eſſe voluit, cui omnino ne juremus admonuit.* Quibus conſtat, Chriſtum non prohibuiſſe juramentum, ſed perjurium.

Altera D. Hieronymi reſponſio. Dico ſecundo cum Divo Hieronymo quòd Chriſtus ibi non prohibuit jurare per Deum, ſed ſolum jurare per Cœlum, & terram, & per quamcumque creaturam, licet dicat omninò non eſſe jurandùm, quia hæc locutio, non eſt prohibitio omnis juramenti, ſed ſolum juramenti faciendi per Cœlum, aut terram, ait enim: *Ego autem dico vobis non Jurare omninò, neque per Cœlum &c.* Hoc eſt, dum jurandum erit, non eſt jurandum per Cœlum, & terram. Ratio hujus prohibitionis fuit, nè per illa Elementa jurantes, illa tamquam Deos venerarentur, cum jurans amet, aut veneretur id per quod jurat, ut docet Theophilatus: *Theophilatus.* *Igitur Dominus prohibens eos, non dicit quia pulchrum, & magnum eſt Cœlum, & terra utilis eſt, ideo per ea non jurare, ſed quia Cœlum thronus eſt Dei, terra autem ſcabellum pedum eius, ut nè ſit locus idololatriæ, fortè enim in Deorum numerum relata fuiſſent elementa à jurantibus per ea, id quod antea factum eſt.* Quibus verbis conſtat, Chriſtum non prohibuiſſe juramentum qood faciebant Judæi per Deum, ſed ſolùm ità locutum fuiſſe; nè jurarent per terram, aut per Cœlum, nè fideles putarent jurando per Cœlom, aut per terram, terram eſſe Deum, ſicut ille per quem jurabant judæi, eſt Deos. Nam inquit Chriſtianus Druthmarus in expoſitione ſuper Matth. *Chriſtianus Druthmarus.* *Ne Judæi per Idolorum nomina jurarent, permiſit eis Dominus, iurare per nomen ſuum, nec nobis etiam inhibuit; ſed perfectionem nos docuit, quòd ea fides ſit habenda inter Chriſtianos, ut non ſit neceſſe teſtem nomen Domini interponere periurium, & illis & nobis prohibitum eſſe.* His ſuffragatur ratio, quia ſi Chriſtus prohibuiſſet abſolutè omne juramentum, addidiſſet hanc particulam, *neque per Deum*, quia Judæi ſic jurabant. Vel omiſiſſet illam, *neque per Cœlum*, quia hæc locutio, *nolite Jurare omninò*; ſuffeciſſet: Igitur non prohibet jurare per Deum, ſi adſit jurandi neceſſitas, ſed per terram, aut aliquid creatum.

Ex illo, *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*, debet inferri quòd jurans debet vitare perjurium, hoc eſt, quòd debet dicere veritatem dumtaxat, quia ſi dicat rem aliter ac eſt in ſe, tunc juramentum eſt à malo, & perjurium: Chriſtus non dicit juramentum eſſe malum ex ſe, ſed à malo, ſeu à mendace, *Quod autem abundantius his eſt*, dictum fuit, ut intelligamus mendacium non poſſe eſſe in juramento. Quia illud dicitur *abundantius*, ſeu eſſe ſupra *eſt, eſt, non, non* quod eſt ſupra, aut contra veritatem juramentó firmandam. Unde per illa verba, Chriſtus ſolum prohibuit perjurium, quod fit per id, qood in juramento profertur præter, aut contra veritatem, quæ exprimitur per *eſt, eſt: non, non*, & præter uſum jurandi, ex quo ſolet naſci perjurium, ut inſinuat venerabilis Beda exponens verba Divi Jacobi: dicens: *D. Jacobi authoritas explicatur.* *Ideo vos à iurationis verbo compeſco, nè frequenter vera Jurando, aliquandó etiam in perjurium decidatis, ſeu eo longius à periurandi vitio ſtetis, quo nec verum pejerare, niſi proximâ neceſſitate velitis.*

Tandem dico verba Evangeliſtæ Matthæi, & & Divi Jacobi non inſinuare præceptum, ſed Conſilium, ut notat Rupertus Tuicenſis lib. 5. de glorificatione Chriſti, ubi ait: *Rupertus Tuicenſis* *Hoc pacto quo non Jurare omninò ſit Conſilium: non iurare autem per Cœlum, neque per terram, neque per Jeroſolymam, neque per caput tuum ſit preceptum; ita ut ſi Jurandum ſit ex neceſſitate aliqua, tunc Juretur per Deum, & non per aliquam aliam rem:* Ergo Chriſtus in locis citatis non prohibet juramentum abſolutè, ita ut non liceat nobis jurare, quacumque ex causâ; ſed prohibet tale juramentum, id eſt, perjurium. Vel prohibet modum jurandi. Quia vult quòd juramentum fiat per Deum; non verò per Cœlum, neque per terram. Vel dico quòd prohibet jurandi facilitatem, nè ex hac facilitate ad conſuetudinem, & ex conſuetudine in perjurium veniamus, ut infallibiliter contingit multum juranti inquit D. Auguſtinus lib. de mendacio.

Idem facilè colligi poteſt ex illo Eccleſ. cap. 23. verſ. 9. & ſequentibus, ubi legitur: *Jurationi nè aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa nominat.*

Eccleſ. 23. *verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis; ſicut enim ſervus interrogatus aſſiduè à livore non minuitur: ſic omnis jurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur: vir multum jurans implebitur iniquitate & non diſcedet à domo illius plaga.* Hinc eſt, quòd D. Chryſoſtomus eadem verba Divi Matthæi ſupra relata *D. Chryſoſtomus.* exponens ait: *Nemo eſt qui frequenter juret, qui aliquandò non perjuret, ſicut qui conſuevit multa loqui, aliquandò loquitur importuna.* *D. Auguſt.* Et Divus Auguſtinus citatus in Can. *non eſt contra* 22. quæſt. 1. ait *non eſt contrà Dei præceptum jurare, ſed dum jurandi uſum facimus, perjurij crimen incurrimus*, Caueat igitur homo nè juret ſine neceſſitate & cautelâ debitâ. Videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi causâ inducit teſtem, hoc quidem Chriſtiano ſufficit, ut adimpleat mandatum Chriſti, & monitum Divi Jacobi, cùm non intendat prohibere juramentum, ſed perjurium.

ARTICULUS XXVII.

Pugnat adversùs Priſcillianiſtas perjuria approbantes.

PRiſcillianus natione Hiſpanus, Epiſcopus Abulenſis, qui anno Domini CCCLXXXVIII tempore Valentiniani ſecundi, & Syricij Papæ, Eccleſiam perturbavit, nedum jam diu ſepultas ſuſcitando hæreſes; ſed etiam ſeminando novas, & ad ſe majorem partem Hiſpaniarum alliciendo: Sectarij enim ipſius univerſæ Hiſpaniæ Provincias, & Aquitaniam in Gallia occuparunt, & dicti fuerunt *Priſcillianus.* Priſcillianiſtæ. Hic hæreticus admittebat juramentum, volebatque ipſum eſſe Chriſtianis licitum, & in hoc impugnabat Cathariſtas, non ut pro veritate propugnaret, eorumdemque Cathariſtarum refutaret errorem, ſed ſolum ut indè ſuaderet perjurium eſſe licitum, ut notat D. Auguſtinus lib. de hæreſibus. Priſcillianus (inquit idem Sanctus Doctor) diſcipulos ſuos docebat, ut juramento interrogati, & inquiſiti, nihil umquam revelarent de illorum doctrinâ, & ad illius doctrinæ occultationem dicebat eſſe licitum perjurium. Quapropter hanc ſemper in ore habebant ſententiam Priſcillianiſtæ, *Jura, perjura ſecretum prodere noli.*

Eamdem hæreſim pronunciarunt, eumdemque errorem de perjurio ſecuti ſunt (poſteà ſcilicet anno MCCLXXIII. ſub Rodulpho Imperatore, & Gregorio X.) in Italia, deindè in Gallia, & in Germaniâ, *Flagellantes.* quidam viri hæretici dicti Flagellantes, qui admittebant juramentum cum Priſcillianiſtis, ut etiam perjurium licere aſſererent, exiſtimabant juramentum omninò à libertate pendere, neglectâ veritate, aut exiſtentiâ facti. Æqualiter pro falſo, & vero jurabant, in ſolo jurantis teſtimonio, ſivè vero ſivè falſo veritatem reponentes. Scriptores quos præ manibus habeo, his hæreticis adjungunt alios, *Apoſtolici.* qui dicuntur Apoſtolici, quia videlicet jactabant, ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, ut refert D. Bernardus ſerm. 65. & 66. ſuper Cantica, ubi ait: *Eumdem errorem, ſcilicet perjurium eſſe licitum, tenent quidam hæretici qui Apoſtolici dici volunt.*

§. I.

De hujus Hæreſis Proſcriptione.

HÆc hæreſis damnata fuit contra Priſcillianiſtas in Concilio, Cæſaraguſtano in Hiſpania anno Domini CCCLXXXI ſub Damaſo Summo Pontifice à duodecim Epiſcopis; In Burdigalenſi anno Domini CCCLXXXV ſub Syricio Romano Pontifice ad inſtantiam Maximi Imperatoris convocato contrà Priſcillianiſtas. In Bracarenſi I. Bracarenſi II. & III. Tandem in Hiſpanico celebrato anno Domini CCCCLVII à Sancto Thuribio Aſturicenſi Epiſcopo, ſuaſu Sancti Leonis magni Romani tunc Pontificis, ex diverſis Hiſpaniarum Provinciis videlicet Tarraconenſi, Carthaginenſi, Luſitana, & Bætica in cauſa Priſcillianiſtarum indicto, in quo damnata fuit Priſcilliana hæreſis; & contrà eam particularis fidei regula cum aliquot capitulis edita fuit. *Concilia Cæſaraguſtanum, Burdigalenſe, Bracarenſe, & Hiſpanicum damnant Priſcillianiſtas.*

Perjurium ſolemniter damnavit Deus in veteri lege, in qua præceptum de non perjurando eſt morale, dirigens hominem ad faciendas actiones, à quibus vir bonus dicitur, & ad abſtinendum ab his à quibus malus denominatur, ac proinde obligans etiam in lege novâ, in qua vigent antiquæ *Levit. 19.* legis præcepta moralia. Legimus enim in lib. Levitici cap. 19. verſ. 11. & 12. *Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus.* Per hæc quidem verba inferendum eſt, perjurium eſſe in eadem damnatione, in qua ſunt furtum, & mendacium; cùm eadem lege prohibeantur, & ad eamdem pœnam ſubjiciantur illi, qui perjurant, illi qui mentiuntur, & furantur, ut fateri tenentur Priſcillianiſtæ, & Flagellantes, qui furtum, & mendacium improbantes, perjurium patrocinari nequeunt, quia ſemper includit mendacium. Nec poſſunt citrà hæreſim proferre *Perjurium eſt prohibitum ſicut furtum.* hanc ſententiam, *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Non enim minus eſt turpe, nomen Domini polluere, quàm rem aliquam invito Domino retinere. Ille autem qui perjurat, polluit nomen Dei, quia Deum affert in teſtem mendacij, & falſitatis & ideò graviter peccat qui perjurat, ſicut qui furatur, vel mentitur.

Si hæretici ſuprà nominati, vellent contrà genuinum, & naturalem Scripturæ ſenſum aſſerere, perjurium non polluere nomen Dei, non poſſunt tamen negare, quòd qui perjurat, mentiatur; cùm mendacio faveat, mendaciumque confirmet, aut confirmare velit teſtimonio divino, cui nulla poteſt ſubeſſe falſitas: ſicut enim finis juramenti eſt confirmatio veritatis, ut tradit Divus Paulus ad Hebr. cap. 6. ita finis perjurij eſt confirmatio falſitatis, quæ eſt de ratione perjurij, ſicut veritas eſt de ratione juramenti. Juxtà omnium Doctorum ſententiam, ille, qui firmat veritatem coram Judice, & jurat per Deum, quòd ea, quæ dicit ſunt vera; Juramentum verè præſtat, hoc eſt verè jurat pro veritate, vel pro falſitate. Si pro veritate, Juramentum eſt licitum, quia ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 13. verſ. 6. charitas congaudet omni veritati. Si juret contrà veritatem, peccat graviter. Quoniam ex eodem Apoſtolo 2. ad Corinth. cap. 13. verſ. 8. non poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate; ideòque perjurat qui falſitatem per juramentum affirmat, & uocat Deum in teſtem falſitatis, Maximum igitur, atque graviſſimum

crimen eſt perjurium ; ſanè gravius eſt mendaciô, quia perjurium definitur : mendacium juramento firmatum, eſtque æquale homicidio, ut *D. Auguſt.* ſcripſit D. Auguſtinus Severo Milevitano Epiſcopo relatus in Can. *inter cætera* 22. quæſt. 4. ubi circà mendacium : ait : *Perjurij namque percutitur pœna, & velut homicida in extremo examine à juſto judice degrandinabitur, per quem Sacroſanctum Evangelium, ad iniuſtum, & illicitum, & de eo minimè amabile, quaſi teſtimonium juſta, & humana petitionis adducitur.*

Hæc veritas confirmatur authoritate Sacræ Scripturæ Matth. cap. 5. verſ. 33. Chriſtus ait : *Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* His enim improbatur, & prohibetur perjurium. In lib. Sap. cap. 14. verſ. *Matth. 5.* 25. habetur : *Et omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio & infidelitas turbatio, & perjurium, tumultus bonorum.* Spiritus Sanctus ibi vult perjurium eſſe conſiderandum ut crimen homicidio, & furto æquale, acproindè tamquam aliquid à quo declinandum eſt. Et Divus Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. verſ. 8. & ſequenti- *1. Ad Tim. 1.* bus, inquit : *Scimus autem quia, bona eſt lex, ſi quis eâ legitimè utatur ; ſciens hoc, quia lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidiis, & homicidiis, matricidiis, fornicariis maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur :* Ex quo ſequitur, perjurium eſſe peccatum, & lege divina prohibitum, ſicut furtum, homicidium & alia vitia, quæ prohibentur ; cùm velit eamdem legem impoſitam fuiſſe mendacibus, & perjuris, ſicut peccatoribus, & ſceleratis. Hinc *Fabianus Papa.* eſt quòd Fabianus Papa relatus in Can. 18. 6. quæſt. 1. ait : *Quicumque ſciens ſe perjuraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pæniteat ; & numquam ſit, ſine pœnitentia, & numquam in teſtimonium recipiatur : communionem autem poſt hoc, percipiat.*

Ex ratione, quâ hæretici volunt perjurium eſſe licitum, firmari poteſt noſtra aſſertio. Nam dicunt Priſcilliani, ideo licitum eſſe perjurare, ut videlicet non reveletur aliis eorum doctrina, exiſtimantes pro illa occultanda licitum eſſe mentiri cum juramento. At hæc ratio non valet, quia doctrina *Rejicitur ratio Priſcillianiſtarum.* Priſcillianiſtarum, vel eſt conformis Evangelio, vel eſt illi contraria. Si eſt conformis Evangelio, debent eam palàm confiteri juxtà illud Matth. 10. *Quod dico in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Et Marci, ult. ubi legitur Chriſtum dixiſſe Apoſtolis in omnem terram mittendis : *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, nonne indè conſtat, Doctrinam Chriſti eſſe publicandam in univerſo mundo ? Ergo Priſcillianiſtæ, Flagellantes, & Apoſtolici, non poſſunt ea licitè occultare teſtimoniô falsô, aut juramentô iniquô, acproindè nec perjurare pro ipsâ occultandâ. Si eſt contraria Evangelio, Priſcillianiſtæ, & alij hæretici admittentes perjurium, errant in fide, cùm doceant doctrinam contrariam Evangelio, quod eſt fidei noſtræ regula firmiter tenenda, ut ait Divus Paulus ad Galat. *Ad Galat. 3* cap. 1. his verbis : *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo Evangelizet vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis : anathema ſit ;* & per conſequens dupliciter peccant. Primò docendo doctrinam contrariam Evangelio. Secundò occultando eam juramentô falsô, ſeu perjuriô, & mendaciô.

Alias rationes afferre poſſem contra hanc hæreſim, ſed illæ, quæ ſuprà dedimus, videntur mihi ſufficientes, quia hæreſis ita aperta eſt, ut nullus ſit, qui eam ſuſtinere poſſit. Omnes enim Chriſtiani fatentur, maximum malum eſſe, operari contrà conſcientiam certam, perjurium autem eſt contra conſcientiam certam ; cùm perjurans juramentô affirmet contra veritatem, de qua evidentem habet certitudinem, ideóque graviter peccat.

ARTICULUS XXIX.

Docet Helceſaitas mendacium eſſe peccatum.

ANno Domini CCXL. regnante Julio Maximo Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Sancto Fabiano, ſurrexerunt quidam hæretici nuncupati Helceſaitæ, vel helceſeitæ, non ab errore, ſed à falſo Propheta Helceſae qui mendacium in cauſa Religionis licitum eſſe propugnabat ; ut tradunt *Helceſaità* Divus Epiphanius, & Nicephorus. Ejuſdem erroris defenſor fuit Joannes Caſſianus (notus ſub nomine Abbatis Joſeph, cujus opera Apocripha recenſentur à Gelaſio Papâ, in Can. *Sancta Romana*, diſt. 15.) qui docuit in collationibus ſuis, collat. 17. à *Joannes* cap. 15. uſque ad cap. 20. licitum eſſe mentiri pro *Caſſianus.* vita hominis tuenda, aut pro magno beneficio homini impendendo, aut cauſâ humilitatis, ut dum quis laudes ſuas audit, aut dum interrogatus an talem actum virtuoſum fecerit, reſpondet negativè.

§. I.

Probat Articulum

COncilium Lateranenſe tertium, celebratum ſub Alexandro III. anno MCLXXVII. declarat in appendice, tit. de uſuris cap. 1. mendacium *Lateranenſe tertium* eſſe illicitum, & ideo damnat hanc Helceſeitarum, *condemnat* & Abbatis Joſeph hæreſim, ut refert Eminentiſ- *mendacium* ſimus Cardinalis noſter Laurea in Epitom. Can. verbo *mendacium*. Idem habetur in Can. *ne quis arbitretur* 22. quæſt. 2. & in aliis Canonibus ejuſdem quæſtionis.

Mendacium eſſe prohibitum conſtat ex variis Sacræ Scripturæ textibus, Pſal. 5. verſ. 7. Propheta ait Domino : *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium*, Hæc quidem verba demonſtrant, omnes mendaces eſſe *Scriptura* reos, & peccatores coram Deo ; quoniam os, quod *Sacra prohibet men-* mentitur, occidit animam ſap. 1. Unde Eccleſiaſti- *dacium.* cus cap. 7. verſ. 13. ait : *Noli arare mendacium adverſus fratrem tuum : neque in amicum ſimiliter facias.*

Dicent hæretici ibi Sacram Scripturam non loqui de mendacio officioſo, de quo locutus eſt Caſſianus, ſed de perniciosô. At non nocet hæc inſtantia, quia qui omnes dicit, nullum excludit, acproindè Propheta non excludit mendacem officioſum ; cùm dicat Deo, *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et mendacium officioſum ſit verè mendacium ; nam *D. Thom.* inquit Divus Thomas 2. 2. quæſt. 110. artic. 2. in corpore ; mendacium poteſt dividi in quantum habet rationem culpæ, ſecundum ea, quæ aggravant, vel diminuunt culpam mendacij ex parte finis intenti ; aggravant autem culpam mendacij, ſi aliquis per mendacium, verè intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum

diminuitur autem culpa mendacii, ſi ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, & ſic eſt mendacium jocoſum, vel utile, ſeu officioſum, quo intenditur juvamentum alterius, vel remotio nocumenti, & ſecundum hoc dividitur mendacium in tria prædicta: igitur ex Divo Thoma cujus verba fideliter retuli, mendacium officioſum eſt verè mendacium: quamvis ſit minus grave, quàm pernicioſum, cùm non tollat culpam mendacii, licet eam diminuet, ſicut pernicioſum eam aggravat, & per conſequens prohibetur à Deo eodem præceptô, quô prohibetur mendacium pernicioſum, quia eſt ità malum ex ſe, & ex genere ſuo, ut nullo modo poſſit eſſe bonum, & licitum: etenim ut aliquid ſit bonum, neceſſè eſt quòd omnia *D. Dioniſius* rectè concurrant, quoniam ex D. Dionyſio bonum ex integrâ causâ: malum verò ex quocumque defectu. Defectum autem eſſe in mendacio officioſo patet, voces naturaliter conceptuum ſigna ſunt, quæ nullus poteſt mutare, quin contra conſcientiam operetur, & rationem, quæ dictat nullum poſſe per voces ſignificare id, quod non habet in mente. Quare Philoſophus in 4. Etihc. docet mendacium eſſe per ſe pravum, & fugiendum: verum autem, bonum, ac laudabile.

Pſal. 14. Eadem veritas probatur ex Pſal. 14. ibi enim Propheta ait: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & requieſcet in monte Sancto tuo, hoc eſt, in gloriâ Cœleſti, & ſtatim reſpondet. *Qui loquitur veritatem in* *Pſal. 33.* *ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* Et Pſal. 33. *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolum.* Sed omnis qui mentitur, etiam ſi officioſè mentiatur, non dicit veritatem in corde ſuo, & dolum agit in linguâ ſuâ, quoniam utitur ſignificatione & habet intentio*D. Auguſtinus.* nem fallendi; ut notat Divus Auguſtinus lib. 50. Homiliarum Homil. 1. cap. 1. ubi ait: *Quid eſt enim aliud loqui dolum, quàm aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore?* Et Tract. 7. in Joan. *Quando aliquis aliquid cor detegit; & aliud loquitur, dolus eſt, & tanquam duo habet corda, unum quaſi ſinum cordis ubi videt veritatem, & alterum ſinum ubi concipit mendacium:* Ergo nullus mendax, etiamſi officioſus ſit, habitabit in tabernaculo Dei.

Ne credas tamen Lector Benevole, nos indè velle, modò exiſtentem in illo peccato non poſſe ad gloriam pervenire. Sed ſolum mendacii peccatum debere purgari; aut mendacem, qui non eſt à ſuo peccato purgatus, non poſſe requieſcere in monte Sanc*Eccleſ. 7.* to Dei. Jeſus Filius Sirac cap. 7. demonſtrando mala à quibus nos abſtinere debemus, numerat mendacium verſ. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona:* Igitur vult quòd nos abſtineamus ab omni mendacio, hoc eſt, tàm ab officioſo, quàm à pernicioſo: quamvis iſtud ſit aliô gravius, quia, qui omne mendacii genus prohibuit, nullum permiſit; & per conſequens nulli licet mentiri prò vita hujus mundi ſalvandâ aut pro magno beneficio homini impendendô, ut expreſſè declarat *Alexander III Papa.* Alexander III in Can. *Super eo* de Uſuris. Nec poteſt quis licitè mentiri humilitatis causâ, ut videlicet virtutes ſuas mendacio tegat, os enim, quod mentitur, occidit animam, inquit Sapiens, cap. 1. verſ. 11.

Reverà dicere poſſunt adverſarii, verba Eccleſiaſtici eſſe intelligenda de mendacio pernicioſo, dumtaxat. Sed hoc non valet; quia licet principaliter de pernicioſo dicta fuerint, non obſtat quominus intelligantur de mendacio officioſo, quia occidere animam, ſeu peccare; ſuſcipit magis & minus, & qui mentitur officioſè, peccat, alias falſa eſſet diviſio peccati mendacii in pernicioſum & officioſum; ideòque licet mendax pernicioſus magis peccet, quàm officioſus, non ſequitur quòd iſte nullo modo peccet: peccat enim quia prætextu boni, malum fieri non debet, ut facilè colligitur ex Cao. *non eſt putanda* 1. quæſt. 1. Et ex Apoſtolo ad Rom. 3. verſ. 8. *Rom. 3.*

Idem inſinuat D. Iſydorus in lib. Sinonim. ubi ait: *D. Iſydorus* *Omne genus mendacii ſummoperè ſuge, nec caſu, nec ſtudio loquaris falſum, nec etiam ut praſtes, mentiri ſtudeas, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas, cave mendacium in omnibus.* Per hæc verba ille Sanctus Doctor improbat omnem locutionem falſam; quia dum loquimur, tenemur interroganti aperire veritatem, juxtà illud Matth. 5. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non.* Idem docuit D. Gregorius lib. 18. Moral. *D. Gregorius.* ubi exponens illud Job. *Nec lingua mea meditabitur mendacium,* inquit: *Summoperè cavendum eſt omne mendacium, quamvis non nunquam ſit aliquod mendacii genus culpa levioris, ſi quiſquam vitam praſtando mentitur: ſed quia ſcriptum eſt: os quod mentitur, occidit animam. Et perdes omnes qui loquuntur mendacium, hoc quoque mendacii genus perfecti viri ſummoperè ſugiunt ut nè vita cujuſlibet per eorum fallaciam defendatur, nè ſua animæ noceant, dum praſtare vitam carni nituntur alienæ, quamquam hoc ipſum peccati genus facillimè credimus relaxari.* Illicitum eſt igitur mentiri officioſè quamvis mendacium officioſum, ſit peccatum levius mendacio pernicioſo, eſt enim contrà veritatem. Et ille qui liberè, & ſcienter protulit illud, it contrà mentem.

Mendacium non ſolum habet rationem peccati ex damno, quod infert proximo. Quodque de facto ſolitò infert mendacium pernicioſum, ſed etiam ex ſuâ inordinatione ad verum cuilibet mendacio adjunctâ, quoniam mendacium ex ratione ſuâ intrinſecâ opponitur veritati, quæ maxima virtus eſt, non licet autem inordinatione illicitâ uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum, ſicut non licet furari pro Eleemoſynâ dandâ pauperibus; ideòque non licet uti mendacio officioſo, ſeu dicere mendacium, etiamſi ex illo aliquis à mortis periculo liberetur, quia non ſunt facienda mala, ut indè eveniant bona, ſicut non licet pecuniam dare ad uſuram pro redimendis captivis, ut inquit Alexander III relatus in *Alexander III Papa.* Can. *ſuper eo*, jam citato; ubi legitur: *Reſpondemus quod cum uſurarum crimen, utriuſque teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc aliquam diſpenſationem poſſe fieri non videmus: quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multò magis prohibendus eſt, quis nè etiam pro redimendâ vitâ captivi uſurarum crimine involvatur.* Indè conſtat, mendacium eſſe fugiendum ſicut uſuram. Sequitur pariter quòd ſicut nullus poteſt eſſe uſurarius, quin contrahat peccati maculam; nec poteſt eſſe mendax, ſeu mentiri, quin peccet. Cùm mendacium (quod ex D. Auguſtino, lib. 1. contrà men- *D. Auguſtinus.* dacium, cap. 42. eſt enunciatio falſa, cum voluntate fallendi prolata) ſit ex ſe peccatum, ut ſuadet illud proverb. 13. *Verbum mendax juſtus deteſtabitur*, & *Proverb. 13* illicitum jure ipſo naturæ, hâc ratione ſcilicet, quia ut ait D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 22. *Verba propter ea inſtituta ſunt, non per quæ ſe invicem homines fallant, ſed per quæ quiſque in alterius notitiam, cogitationes ſuas proferat:* Idcircò nullus poteſt mentiri; quin peccet; quin operetur contrà Juſtitiam; & quin ſit teſtis iniquus. Quoniam ut inquit proverb. 12. verſ. 17. Salomon, *qui quod novit loquitur, Judex Juſtitiæ eſt; qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus.*

§. II.

De ſolutione ad Rationem contrariam.

JOannes Caſſianus, ſeu Abbas Joſeph, ut probet licitum eſſe mentiri, urgente aliquâ neceſſitate *Ratio Caſſiani.* procurandi bonum alteri, vel ſibi, nonnulla affert veteris Teſtamenti, & Patrum exempla, & præſertim

exemplum de Abrahamo, Jacob, & aliis. Certum enim eſt (Inquit) quòd Jacob mentitus eſt, dum dixit Patri ſuo, Geneſ. 27. ſe eſſe Eſaü primogenitum Patris, qualis tamen non erat. Abraham etiam dum dixit Uxori ſuæ Saræ, *dic obſecro quòd Soror mea es*. Et ſic de aliis.

Aliud eſt mentiri, & aliud occultare verum.

Reſpondeo, Jacob, Abraham, & alios non fuiſſe mentitos. Verum occultarunt, falſum tamen non dixerunt; aliud enim eſt mentiri, & aliud verum occultare: ſumma quidem differentia eſt, inter falſum dicere, & verum tacere. Ad exempla dico, quòd Jacob non eſt mentitus, ſed locutus eſt prophetico Sermone, ut indicaret ex parte Dei, Populum Gentillum (qui minor erat) ſubſtituendum fore in locum Populi Judaïci, qui fuit primogenitus, ut notat D. Thomas 2. 2. quæſt. 110. artic. 3. ad 3. poſt D. Auguſtinum lib. de mendacio, cap. 10. Vel quod duplici titulo primogenitus dici poterat, jure ſcilicet emptionis, & decreto Dei, horum Filiorum Matri ſignificato quando ei fuit revelatum aliquando futurum quod major ſerviet minori. Et ſic dum Jacob dixit ſe eſſe Eſaü, non eſt mentitus, quia ſe Eſaü non in perſona, ſed in jure, dixit.

D. Thomas.

Rejicitur ratio Caſſiani.

Quantum ad Abrahamum qui dixit Saram eſſe Sororem ſuam, quæ tamen erat uxor. Dico quòd non eſt mentitus, ſed locutus fuit tantum ambiguè accipiendo Sororem pro conſanguineâ, ſicut pro conſanguineo accipitur Frater Geneſ. 13. ergo exempla adducta non probant mendacium eſſe licitum; quoniam Patres citati minimè mentiti ſunt: quamvis eorum dicta, aut facta mendacia appareant, quia non juxtà Litteræ Corticem, ſed juxta latens myſterium accipienda ſunt. Si verò ſint aliqui, qui falſum dixerint, aut ſimolando fecerint, talem falſitatem Scriptura non laudat. Non enim omnia eorum geſta quæ ibidem narrantur, propterea quòd illic ſcripta ſunt, laudantur, ut notat noſter Alphonſus à Caſtro; alioquin ſequeretur, quòd aliqua illorum peccata, quæ commiſerunt, eſſent etiam laudata: nam licet Scriptura referat mendacium, quod Judith dixit Holoferni; tamen illius mendacium non laudat, ſed virilem illius animum, quo inter media Hoſtium Caſtra pertranſire non metuit, & ducem exercitûs in lecto cubantem interficere, & caput ducis ſecum in civitatem deferre; hunc animum laudat Scriptura, non autem mendacium, quo & ducem, & illius milites decepit. Scriptura narrat delicta quæ commiſerunt Loth, Samſon, David, Salomon, & alli de quibus loquitur, ſed ea non laudat, nec approbat, ſolum ea refert ut integram Hiſtoriæ veritatem declaret.

Altera Caſſiani ratio reſoluitur.

Iterum objicit illud Matth. 6. *Nè videaris hominibus jejunans ſed Patri tuo qui eſt in abſcondito*, & alibi, *neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*. Et rurſum de his qui palam opera ſua faciunt, inquit, *amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*: ergò (inquit Joannes Caſſianus) interrogatus an dederit Eleemoſynam hoie, vel alteri pauperi, debet humilitatis cauſà, negare quòd dederit eam, & mentiri, nè opera ſua bona manifeſtet, id eſt, ut ſint in abſcondito. Et ut Pater, qui videt in abſcondito, reddat ei.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ut inquit D. Auguſtinus. Chriſtus per illa verba non prohibuit opus bonum, & meritorium, ſed ſolùm malam intentionem, prohibuit quidem inanis gloriæ appetitum, quem habent plures, ſcilicet illi, qui opera bona publicè faciunt, hâc intentione, ut videantur ab omnibus, ſed non prohibuit bonorum operum Confeſſionem, ſi interveniat interrogatio. Nec improbat bonorum operum manifeſtationem, ità ut nulli liceat aliquod bonum opus facere, dum non poteſt fieri; quin videatur ab aliis; alioquin Chriſtus ſibi eſſet contrarius, quoniam Matth. 5. inquit, *luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* *Matth. 5.* Quæ exponens D. Gregorius Homil. 13. ait: *Lucernas quippè ardentes in manibus tenemus; cùm per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus:* *D. Gregorius.* Igitur Interrogatus de bono, quod fecit, aut de virtute, quam habet, non poteſt mentiri, ſeu dicere ſe non feciſſe tale opus, nec poteſt negare ſe habere talem qualitatem, ſed poteſt fateri ſe habere illam, aut feciſſe tale bonum, non ut laudetur, ſed ut Deo gratias reddat, & illius gloriam Deo, à quo accepit, tribuat, quamvis poſſit ea latere; & occultare aliquâ viâ, excepto mendacio, & ſeclusâ intentione fallendi.

ARTICULUS XXIX.

In quo conſtat contrà mundatores licere Homini veſci carnibus.

FUerunt olim Hæretici, qui exiſtimabant, veſci carnibus, nullatenùs licere Chriſtianis. Tales fuerunt, juxtà Divum Epiphanium, Tatianitæ tempore Marci Antonini Philoſophi Imperatoris, & *Tatianitæ.* Soteris Romani Pontificis circà annum Domini CLXXIII qui (duce Tatiano Diſcipulo Juſtini Martyris, & Philoſophi, qui ex Samaritanis in Chriſtum credidit) dicebant animalia omnia eſſe immunda, ac maledicta, ſubindèque carnes eſſe abominandas, & velut à Dæmone creatas; & Ideo nedùm Chriſtianis, qui verum Deum colunt, ſed etiam omnibus & ſingulis hominibos omninò prohibitas.

Hanc Hæreſim ſtatim, ſcilicet anno CLXXVIII. ſuſceperunt quidam viri Hæretici dicti Encratitæ; teſte Divo Irenæo, lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 30. *Encratitæ.* quapropter à nonnullis dicuntur Tatianitæ, licet ab ipſis per varios errores diſtinguantur. His ſucceſſerunt Manichæi de quibus ſæpè locuti ſumus, qui *Manichæi.* dixerunt non licere veſci carnibus, eo quod à Diabolo eſſent, aut à Deo malo, non autem à Deo bono cujus Filii ſumus.

Anno autem CCLXXIX regnante Aureliano Imperarore, & Eccleſiam Dei regente Fœlice primo Papâ, emerſerunt Cathariali, ſeu Cathariſtæ ad ſectam Manichæorum pertinentes. Quos D. Auguſtinus non Manichæos, nec Catharos, ſed Cathariſtas *Cathariſtæ.* appellat, hoc eſt, mundatores, ſivè purificatores propter horrendas quaſdam, & execrandas purificationes, quas faciebant, & quibus à Manichæis; & à Catharis diſtinguebantur. Qui dicebant etiam non licere veſci carnibus, alimenta eſſe immunda aſtenentes propter mali principii commixtionem. Et in hoc cum Manichæis conveniebant eodem utentes principio. Eamdem Hæreſim docuit Priſcillianus anno CCCLXXXVIII tempore Valentiniani II, & *Priſcillianus.* Syricii Papæ.

Tandem ejuſdem Hæreſis defenſor acerrimus fuit Secundinus Manichæorum Diſcipulus, ille ſcilicet *Secundinus.* Hæreticus, qui ad D. Auguſtinum Epiſtolam ſcripſerat (quamvis illum anteà non vidiſſet Auguſtinus) quâ eum toto conatu hortabatur, ut ad Manichæorum ſectam à qua Chriſtianus factus, defecerat, redire dignaretur; cui Epiſtolæ reſpondens Auguſtinus, in eum, librum ſcripſit, in quo illum ſuæ, ſuorumque veſaniæ carpens, fallacem ejus benevolentiam protsùs rejicit, eumque mirandum in modum hortatur, ut ipſemet relictâ ſuâ perfidiâ, ad Catholicam fidem revertatur, ut diximus in Articulo IV. primi libri. Quoad tempus, quo Secundinus docuerit carnes non eſſe edendas, alioſque errores

Digitized by Google

ſeminaverit, diſſidium quoddam eſt inter Scriptores, ſed communior opinio cui lubens ſubſcribo, tenet quòd fuit tempore Arcadii Imperatoris, & Innocentii I. Papæ, circà annum Domini CCCCV. Guido Carmelita in ſuo Hæreticorum Catalogo, bis omnibus Hæreticis adjungit Græcos, quia damnant eos, qui comedunt de ſuffocatis, aut alias carnes in Lege veteri prohibitas.

Græcus.

§. I.

Refert Authoritates, & Rationes pro firmanda Articuli veritate.

CONtrà hanc Hæreſim pronunciavit Concilium Bracarenſe primum celebratum ſub Joanne Papa III circà annum Domini DLXIII cap. 14. Decretorum, ubi ſic legitur: *Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in uſu hominum dedit, & non propter afflictionem ſui corporis, ſed quia putaverit immunditiam ità abſtineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus prægustet, ſicut Manichæus, & Priſcillianus docuerunt: Anathema ſit.* Idem decrevit Concilium Lucenſe Cañ. 58. celebratum ſub eodem Papâ anno ſequenti. Hujus Concilii in Delphinatu celebrati definitio ferè ſimilis eſt alteri, quam prius dederat Concilium Gangenſe, celebratum ſub Sylveſtro Papâ, anno cccxxv quod habetur diſt. 38. Can. XIII ubi legimus: *Si quis carnem manducantem ex fide cum Religione, præter Sanguinem, & idolo immolatum & ſuffocatum, crediderit condemnandum, tamquam ſpem non habentem, qui eam manducat: Anathema ſit.* Sunt innumeri in jure Canonico textus, quibus manifeſtè conſtat, eſum Carnium numquam fuiſſe Chriſtianis prohibitum.

Proſcriptio Hæreſis in Conciliis Bracarenſi, Lucenſi, & Gangrenſi.

Horum Conciliorum definitiones, nec non textus Juris Canonici, quibus nobis conceditur eſus Carnium, firmat Sacra Scriptura, in quâ legimus Deum præſcripſiſſe Leges eorum, quæ comedere poterant Filii Iſraël, ut ea à prohibitis decernerent: nam locutus eſt Dominus ad Moyſem, & Aaron, dicens; Levit. cap. 11: verſ. 2. *Dicite Filiis Iſrael: hæc ſunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. Omne quod habet diviſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis. Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam ſed non dividit eam, ſicut Camelus & cætera; non comeditis illud, & inter immunda reputabitis. Chærogryllus qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus eſt Lepus quoque: nam & ipſe ruminat, ſed ungulam non dividit. Et Sus, qui cùm ungulam dividat, non ruminat.* Hâc quidem deſcriptione, aut hoc divino præcepto, conſtat, Deum non prohibuiſſe Populo Iſraëlitico abſolutè eſum carnis. Reverà plura aſſignantur animalia, de quibus manducare non poterant Iſraëlitæ, Deo ſic prohibente per Moyſem: ſed Hæretici non poſſunt negare eſſe alia de quibus comedere poterant, Deo ſic permittente: igitur ex illa authoritate Sacræ Scripturæ ſequitur, quòd Chriſtiani, qui non ſunt ſub Lege, ſed ſub gratiâ, & ſub Jugo Chriſti, quod eſt ſuavius, poſſunt; quin Legem aliquam transgrediantur, veſci carnibus, ſi non omnibus, ex vi hujus Legis, ſaltem aliquibus. Ideircò Manichæi; Tatianitæ; Encratitæ, & alii Hæretici; contrà Legem aſſerunt, veſci carnibus eſſe omninò illicitum Chriſtianis, qui cùm nobilioris conditionis ſint, quàm Judæi, debent dulciorem habere Legem.

Levit. 11.

Eadem facultas veſcendi carnibus conceditur in Lege moyſi, ſcilicet in Deuteron. cap. 14. verſ. 4. & ſequentibus, ibi enim legitur: *Hoc eſt animal quod comedere debetis, Bovem, & Ovem, & Capram, Cervum & Capream, Bubalum, Tragelaphum, Pygargum, Orygem, Camelopardalum. Omne Animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comeditis, &c.* Quibus pariter conſtat, eſum aliquorum animalium licitum fuiſſe in veteri Teſtamento, acproindè licitum quoque eſſe, & in novo, in quo ſubſiſtunt omnia, quæ non figurant, aut ſignificant Chriſtum venturum; nec ſunt legalia, nec cæremonialia. Uſus autem carnium in ullo ex his reponi poteſt: ideo licitus eſt in novo Teſtamento, ſicut licitus erat in veteri.

Deuteron. 14.

Non obſtat dicere cum Manichæis, vetus Teſtamentum nullam virtutem habere, quia eſt à malo Deo. Ratio eſt, quia ut in ſecundo hujus operis articulo dictum eſt, unus eſt Deus, hicque ſummè bonus. Sed nè contradicant: proponendum eſt exemplum Chriſti, qui Agnum Paſchalem comedit, ut teſtantur Evangeliſtæ. Nam ſi carnes ex ſe immundæ, & illicitæ eſſent, certò Chriſtus, numquam comediſſet illum Agnum Paſchalem, qui vere caro erat, nec dixiſſet Diſcipulis ſuis, Luc. 10. verſ. 8. *& in quamcumque Civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis*, quia potuiſſent Magiſtri domûs apponere carnes ab eis comedendas, & de facto comediſſent eas Apoſtoli virtute hujus permiſſionis abſolutæ, ſi eis appoſitæ fuiſſent; hæc quidem permiſſio erat in materia gratiæ, & ideò potiùs amplianda, quàm reſtringenda erat.

Luc. 10.

Aliud habemus exemplum in actibus Apoſtolorum cap. 10. verſ. 10. & ſequentibus ubi legimus: *Et cùm Petrus eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit Cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut Linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de Cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia Cœli. Et facta eſt vox ad eum: ſurge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: abſit Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum. Et vox iterùm ſecundò ad eum: quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in Cœlum.* Nonne ex his verbis evidenter conſtat, Divo Petro fuiſſe datam à Deo facultatem comedendi de volatilibus Cœli? Quam ſanè non obtinuiſſet, ſi eſus carnium eſſet illicitus & prohibitus, cùm quadrupedia, & volatilia Cœli carnes ſint, & Deus non præcipiat malum, nec provocet homines ad tranſgreſſionem Legis.

Act. 10.

His omnibus exemplis & rationibus adjungi poteſt authoritas Divi Pauli ad Timoth. 1. cap. 4. ut damnetur Tatianitarum, Manichæorum, Priſcillianiſtarum, & aliorum Hæreticorum error, ibi enim ait: verſ. 1. & ſequentibus. *Spiritus autem manifeſtè dicit; quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in Hypocriſi loquentium mendacium, & cauterizatam ſuam habentium conſcientiam; prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quòd cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Per hæc verba Apoſtolus manifeſtè declarat, malum eſſe abſtinere ſe à cibis, aut nolle veſci carnibus, non abſolutè, ſed eo animo, quo noluerant Hæretici, ſcilicet quia caro eſt immunda; cum omnis creatura Dei bona ſit, poſſitque percipi cum gratiarum actione: quamvis licitum ſit pœnitentiæ animò abſtinere ſe à tali cibo, ſeu à carnibus, ut fecit Joannes Baptiſta, cujus eſca erant locuſtæ, ac mel Silveſtre, & modò faciunt plures Religioſi, quorum conſtitutio obligat ad ſervandam vitam quadrageſimalem.

Timoth. 1.

Eſus carnium non eſt abſolutè prohibitus.

Inſuper Deus, qui omnia propter ſemetipſum operatus eſt, ſubjecit homini omnia animalia, & fecit ea propter hominem, ut monet Paulus dicens 1. ad Corinth. cap. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti,*

1. Corint. 3

Chriſtus autem Dei. Igitur homo poteſt licitè uti reptilibus terræ, piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & ipſis veſci, ſi illi conveniant; cùm plenam habeat in animalia poteſtatem; poteſt enim uti jure ſuo juxtà Legem ei à Deo præſcriptam, aut licentiam illi datam Geneſ. 9. verſ. 3. *Er omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto, quod carnem cum Sanguine non comedetis.*

Geneſ. 3.

D. Thomas. Indè enim conſtat, inquit D. Thomas 22. quæſt. 102. artic. 6. ad 2. Deum poſt diluvium conceſſiſſe hominibus eſum carnium, hæc autem conceſſio revocata non fuit in novo Teſtamento, ut ex dictis facilè colligi poteſt. Undè cùm Chriſtus non prohibuerit eſum carnium, carnes animalium licitè manducare poſſimus in Lege novâ, exceptis diebus ab Eccleſia prohibitis.

§. II.

Refutat Rationes Hæreticorum.

Objectio Hæreticorum.

HÆretici objiciunt illud D. Pauli ad Rom. 14. verſ. 21. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.* Sed non nocet hæc authoritas, quia ibi Apoſtolus, non improbat abſolutè eſum carnium, ſed declarat ſolùm, quòd dum ex tali eſu deſtruitur opus Dei, aut naſcitur ſcandalum, tunc non eſt bonum manducare carnem, ut probant hæc verba quæ præcedunt: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda; ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.* Et ex illis, quæ immediatè ſequuntur: *Neque in quo Frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur,* Quare idem Apoſtolus ut mentem ſuam declaret, ad Corinth. cap. 8. verſ. ult. ait: *Quapropter ſi eſca ſcandalizat Fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, nè Fratrem meum ſcandalizem,* ut indè videamus eſum carnium non eſſe prohibitum abſolutè, & pro omni tempore. Sed ſolùm dum indè provenit ruina proximi, nam Apoſtolus ibi loquitur conditionaliter, *ſi eſca ſcandalizat*, inquit, *non manducabo carnem*, ergo manducabat, dum eam manducando, nullum ſcandalizabat, ſublato quidem fine, tollitur medium, hoc eſt, ſublato ſcandalo, tollitur proteſtatio de carne non manducandâ: idcircò Apoſtolus loco ab adverſariis citato, ità loquitur propter vitandum ſcandalum aut proximi ruinam, quam certò vitare debet homo: væ enim homini per quem ſcandalum venit. Dicent quòd eſus carnium non fuiſſet in ſtatu Innocentiæ, quia Deus determinaverat nos ad eſum fructuum terræ, & herbarum, & arborum. Reſpondeo cum Divo Thomâ ſuprà relato, determinationem fuiſſe ſublatam poſt diluvium, ut idem Sanctus Doctur affirmat ex Geneſ. cap. 9. verſ. 3.

Corinth. 8.

Valida ad Hæreticos reſponſio.

Græci noſtram aſſertionem impugnant authoritate Concilii Apoſtolorum Jeroſolymis habiti, in quo deciſâ, & determinata fuit diſputatiu de eſu carnium, in hoc quidem Conciliò, præſes, ſeu Divus Petrus ſic pronunciavit, act. 15. verſ. 28. & 29. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & Sanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, bene agetis.* Indè enim concludunt Græci, Apoſtolos nobis prohibuiſſe eſum carnium; quippè cùm hæc conſtitutio Apoſtolica ſit, non potuit ab Eccleſia revocari.

Proponitur, & reſolvitur Græcorum ratio.

Allucinantur Græci, quia Apoſtoli tunc talia ſcilicet immolata prohibuerunt, nun quia ex ſe mala, aut à Lege divinâ ita prohibita, ut ea manducare modò nulli liceat, ſed ea prohibuerunt propter Judæos de novo Converſos ad fidem. Hujus rei ratio eſt, quia illi Judæi horrebant comedere immolata ſimulachrorum, ſivè Idolotyta, & ſuffocatum. Apoſtoli autem maximâ cum causâ timentes, nè hac occaſione ſepararentur à communione fidelium manducantium cibum, quem horrebant Judæi, præceperunt fidelibus, ut ab illis cibis ſe abſtinerent, non quòd ex ſe mali eſſent, aut prohibiti à Deo, ſed nè ſcandalizarent, ſeu nè indè Judæi de novo Converſi ſumerent occaſionem recedendi à fide, & doctrinâ Apoſtolorum: Idque confirmatur authoritate Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 8. ubi expreſsè declaratur, quòd licet Idolotytis veſci, non ſit ex ſe illicitum; tamen non ſunt illa edenda, repugnante conſcientiâ, nec cum infirmurum offendiculo. *Eſca autem nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus neque ſi non non manducaverimus, deficiemus,* hinc eſt quod ſtatim ſubdit, *videte autem nè fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis*, ex quo ſequitur, fideles poſſe edere carnes, modò nullus offendatur.

1. Corinth. cap. 8.

ARTICULUS XXX.

Quo adverſùs Nicolaitas prohibetur homini coitus, excepto Matrimoniali.

Simon Magus.

SImon Magus docuit anno LV tempore D. Petri primi in terris Chriſti Vicarii, & Neronis Imperatoris promiſcuum fœminarum uſum ità fore licitum, ut quiſque quâ vellet uti ſine peccatu puſſet; acpruindè ille Hæreticorum primus quemcumque coitum approbavit, imò laudavit; ideò non mirum ſi Sanctus Ignatius Martyr ad Trallenſes ſcribens; ait; *Fugite malas Soboles Diaboli, Simonem dico primogenitum generis illius.* Eamdem turpitudinem eodem ferè tempore docuit Saturninus Patriâ Antiochenus, ejuſdem Simonis Magi Diſcipulus, ut refert Euſebius lib. 4. cap. 6 In eodem errore fuerunt Nicolaitæ de quibus fit mentio Apocalyp. 2. verſ. 6. ſic dicti à Nicolao, qui fuit unus de ſeptem Diaconis, qui cum Divo Stephanu ad miniſterium viduarum electi, atque deputati fuerunt. Nam hic Hæreticus cùm ab Apoſtolis de Zelutypia formoſæ conjugis increparetur, ut de hac re ſe immunem redderet coram ipſis Apoſtolis, uxorem ſuam in publicum produxit, permittens, ut qui vellet eâ uteretur, volens hoc turpi facto oſtendere, ſe non eſſe adeo Zelotypum, ut ei impingebatur (indè plures qui Nicolaitæ dicti fuerunt, occaſionem ſumentes, crediderunt mulieres eſſe communes, & quemcumque coitum eſſe licitum) ipſe tamen inquit Euſebius lib. 3. Hiſtoriæ capite 29. non alia, quàm ſua uxore uſus, & filiæ ejus conſenverunt virgines, ac filius permanſit incorruptus.

Saturninus.

Nicolaus.

Anno autem CXXIV tempore Ælii Imperatoris; & Alexandri primi Papæ, emerſerunt Baſilidiani, à Baſilide Alexandrino intemperantiæ Magiſtro ſic dicti, qui docebant, quemlibet coitum eſſe licitum, & liberum unicuique reſpectu uniuſcujuſque uxoris, ut teſtatur D. Epiphanius lib. 1. contra Hæreſes Tom. 2. ubi de Baſilide diſſerens, omneſque illius errores recenſens, non dicit illum æquaſſe nuptias virginitati, ut volunt plures cum Divo Hieronymo, ſed ſolùm refert, quòd ipſe Baſilides prædicabat, uxores communes eſſe. Et honeſtum eſſe promiſcuum coitum.

Baſilidiani.

His ſucceſſit Flotinus Presbyter, qui anno CLXXXII ſub Commodo Imperatore, & Sotero Romano Pontifice, à gradu Presbyteri collapſus, nova adverſùs veritatem figmenta machinatus eſt, & multos Ruinæ docuit errores, unà cum Blaſto etiam viro Hæretico. Inter quos errores, unus erat contrà caſtitatem,

Florinus.

Blaſtus.

Digitized by Google

pudicitiam, & fidem matrimonii : talem enim habebant conſuetudinem in Eccleſia ſua Floriani, ut poſt occaſum ſolis lucernis extinctis, miſceri cum mulierculis non dubitaverint, putantes ſe ſe hoc ritu implere præceptum, quo Deus in principio homini ſic dixit, *creſcite & multiplicamini, & replete terram*, ut aſſerit Philaſtrius. Volebant enim, Deum per hæc verba promiſcuos præcepiſſe concubitus. Hîc tamen obiter obſervandum eſt, quòd plures Scriptores Florinum liberant ab hac calumnia. Eorum ratio eſt, quia D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 66. de Florianis loquitur, & tamen eis hunc errorem non tribuit. Sed non valet hæc ratio contrà Philaſtrium quia D. Auguſtinus ibi non loquitur de Florianis de quibus hîc agitur, ſed de Florianis, à Florino quodam illorum Magiſtro, ſic dicti, ſed diverſo à Florino Presbytero, Blaſti Socio, ut teſtantur plures.

Cynici. Florianorum impietatem, & turpitudinem auxerunt quidam Philoſophi dicti Cynici à Cynoſarge Gymnaſio(in quo Anthiſthenes profitebantur) qui dicebant licere coique commiſceri fœminis, nedùm in domibus,& in locis privatis,ſed ad inſtar Canum, omni pudore ſublato,in omni loco & publicè. Quapropter plures volunt hos Philoſophos dictos fuiſſe Cynicos,ab eo quodCanum more in Propatulo coire non dubitarent, omnia verenda publicitùs nudata geſtantes. Quis autem fuerit iſtorum Cynicorum Dux, & quo tempore vixerit,non refertur. Ejuſdem dementiæ fuerunt anno MCCCLXXII regnanteCarolo IV & Eccleſiam Dei regente Gregorio XI *Turilupini.* quidam viri Hæretici dicti Turilupini, qui teſte Gerſone in ſermone quodam de Beato Ludovicu Francorum Rege, dicebant de nulla re, quæ nobis à natura data eſt, erubeſcendum eſſe, acproindè in publico velut jumenta coire licitum eſſe ad inſtar Canum,cum unaquaque muliere. Eorum ratio erat, quia mulier nequit eſſe unius viri dumtaxat, ſed omnium.

Oſius lib. de utriuſque ſpeciei communione refert quòd anno MCCCCXIV tempore Sigiſmundi Imperatoris,& Joannis XXII Papæ,quidam viri Hære- *Adamitæ.* tici (qui ab æmulatâ nuditate, Adamitæ dici voluerunt) perperam, & falsò dicebant uxores eſſe communes. Hujus Sectæ Princeps fuit quidam Picardus ex Gallia Belgica in Bohæmiam profectus causâ ſeminandi errores, & cùm in Bohæmiam penetraſſet, præſtigiis quibuſdam numeroſam virorum,ac mulierem plebem ad ſe traxit,quos nudos in nudos incedere jubens,Adamitas vocavit,ſe autem Filium Dei dixit, & Adam vocari voluit. Reverà Hæreticus iſte Connubia promiſcua permiſit, & quemcumque coitum licitum eſſe dixit, non ex natura rei, ſeu ſecluſâ quacumque approbatione, ſed interveniente majoris,aut principalioris viri ejuſdem ſectæ licentiâ, ità enim neceſſarium cenſebat Principis hujus Sectæ conſenſum, ut ſine illo nefas eſſet aliquam mulierem cognoſcere. Undè quiſq; libidine urente, in aliquam exardeſcebat, eam manu apprehendens, & adiens Principem hujus Sectæ, dicebat ei ſe illam appetere, & tunc ipſe Princeps reſpondebat, *ite,creſcite & multiplicamini*. Hoc dicto putabat ſe licitè coire, & poſt coitum oxorem illam dimittere. Et poſt hanc, aliam aſſumere eodem modo, quo priorem dimiſſam, duxerat.

Error Begardorum, & Vualdenſium. Alii Hæretici quales ſunt Begardi, Beguinæ, & Vualdenſes ſeu Pauperes de Lugduno,de quibus omnibus jam locuti ſumus, variis in locis; dixerunt mulierem deoſculari eſſe peccatum mortale. Eorum ratio erat, quia natura non impellit, nec inclinat hominem ad oſcula; neque ad tactus, neque ad amplexus, neque ad alios actus impudicos; hoc tamen nonobſtante, voluerunt carnalem coitum non eſſe peccatum, imò actum juſtum, & laudabilem. Quia natura impellit ad illum, ac per conſequens; qui naturæ obtemperatur accedendo ad mulierem, eamque carnaliter cognoſcendo, non peccat.

Obiter obſervandum eſt maximum eſſe diſcrimen inter Begardos & Vualdenſes. Illi carnalem admixtionem admittebant urente carnis libidine, tantùm inter virum, & mulierem; ſeu maſculum & fœminam, ità ut liceret viro coire cum qualibet muliere. Iſti verò,ſeuVualdenſes admittebant commixtionem carnalem tam inter viros, quàm inter fœminas, ut teſtatur Guido Carmelita. Quòd vix crederem poſſibile apud homines; niſi certus eſſem teſtimonio Scripturæ aliquos fuiſſe maſculorum concubitores. Quia vix credere poſſum quòd ſic facientes, ſe malè facere non credant,aut ſaltem non timeant conſcientiâ illos accuſare;talis ſiquidem concubitus eſt contrà naturam, conſcientiam, & rationem. Sed quia Vualdenſes erant Idiotæ, Sceleratiſſimi, & Sodomitis nequiores, Authoribus Vualdenſes de hoc peſſimo crimine accuſantibus, fidem adhibeo.

Tandem Græci dicunt ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, nec Chriſtum eam prohibuiſſe. *Error Græcorum & Martini de Magiſtris.* Græcis adhærere videtur quidam Doctor ſatis celebris in Hiſpania,nomine Martinus de Magiſtris, qui in ſuo libro de Temperantiâ quæſt.2. de Luxuria dicit, *fateor fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale, tamen credere oppoſitum non eſt Hæreticum*, indè enim facilè infertur quòd Doctor ille exiſtimat Græcos in hoc non errare, nec impugnare fidem Chriſti.Quòd eſt falſum, ut infrà oſtendemus, ideoque erronea & hæretica eſt Sententia Martini de Magiſtris; cùm ſimplex fornicatio jure divino prohibeatur.

§. Unicus.

Probat Articuli veritatem.

Eccleſiaſtica hujus Hæreſis proſcriptio. NUllum adinveniConcilium prænominatos Hæreticos expreſsè anathematizans, licet quam plurima ſint omnem copulam prohibentia, excepta conjugali, quæ habetur inter maritum, & uxorem ſuam. Unum tamen obſervandum eſt, nimirùm Begardos damnatos fuiſſe in Concilio Viennenſi celebrato ſub Clemente V. cujus definitio legitur in lib. Clementinarum tit. de Hæreticis cap. *ad noſtram*; ubi condemnantur octo Beguinarum errores, inter quos iſte de quo hic agitur, eſt ſeptimus. Hinc eſt, quòd cum Concilium Viennenſe decreverit, nullum poſſe citrà peccatum coire, aut carnalem coitum habere cum alienâ oxore, ſequitur quòd declarat, nullum coitum eſſe licitum, niſi in matrimonio. Sunt varii in jure Canonico textus quibus firmatur,quòd actus carnalis ſolô matrimoniô redditur licitus, & honeſtus. Sed eos omitto, quia ab omnibus videri poſſunt.

Hæretici quos hîc impugnamus non affirmant, *Exponitur coitus de quo hic agitur.* quemcumque coitum eſſe licitum,ita ut velint quòd homo poſſit coire citrà peccatum cum jumento;cùm ex Lege naturali, & divina ità prohibeatur,ut nullus ſit quamtumvis Hæreticus, & impius, qui velit hujuſmodi coitum permittere homini. Deus enim in Levit. cap. 18. ait: *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo.* Nec volunt unum hominem poſſe cum alio homine coire,ſi Vualdenſes excipias: qui cùm non ſint audiendi (quoniam punitio Sodomæ, & Gomorræ, probat coitum hominis cum alio homine eſſe peſſimum) alios nimirum Simonem Magum, Nicolaum Diaconum, Baſilidem, Florinum, Turilupinos,& Begardos impugnare debemus; quia præſens controverſia eſt de coitu viri cum fœmina; quem Hæretici promiſcuè permittunt contrà Sacram

Scripturam, quæ coitum conjugalem dumtaxat vult eſſe licitum.

Ut autem hæc veritas magis eluceſcat, advertendum eſt, coitum viri cum fœmina tripliciter fieri poſſe à virò, ſcilicet cum Uxore ſuâ, aut cum Uxore alterius, aut cum ſoluta. Si cum Uxore alterius, coitus eſt adulteriũ, quòd ex Lege divinâ damnatur, ut colligitur ex illo Levit. cap. 20. verſ. 10. ubi legitur.

Levit. 20

Si Mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur, & Mœchus, & adultera. Idem teſtatur Chriſtus Matth. 15. dicens: *de corde exeunt mala cogitationes, homicidia, adulteria, furta, fornicationes &c.* Ibi enim Chriſtus, inter opera, quæ maculant hominem, enumerat coitum viri cum fœmina alterius, & cum ſolutâ, nec non coitum ſoluti cum ſolutâ, hoc eſt, adulterium, & fornicationem, vultque hos duos actus eſſe malos velut actus homicidii, & furti. Et cap. 19. verſ. 4. & 5. inquit: *Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ:* Ergo coitus viri cum fœmina eſt prohibitus, niſi fiat inter conjugatos, ſeu à marito cum uxore ſua; nam ſi juxtà monitum Chriſti, Uxor ſit viri ſui, non poteſt abſque injuſtitia & peccato, eſſe Uxor alterius, ſeu cum alio viro habere copulam carnalem. Undè Apoſtolus 1.

1. Corint. 6.

ad Corinrb. cap. 6. ait: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt* ut ſuadeat copulam extrà matrimonium, ſeu adulterium, & fornicationem, eſſe actus à lege Dei prohibitos, quoniam nullus rationis capax ab eo regno excludi poteſt niſi propter peccatum mortale.

Ad Corint. 7.

Et ad Corinth. cap. 7. verſ. 4. ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir:* Ergo uxor nequit ſe dare alteri, ſolique viro tenetur reddere debitum.

Job. 4.

Quare Tobias cap. 4. verſ. 13. ait: *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire.*

Dicent Græci, Fornicationem ibi accipi generaliter pro Luxuria, quæ ex ſe eſt mala; non verò pro ſpecie, ſeu pro fornicatione ſimplici, quæ quamvis ſit quædam ſpecies Luxuriæ: tamen non eſt peccatum, quia (inquit Martinus de Magiſtris) teſtimonia Scripturæ Sacræ, non ſunt expreſſa: nam quamvis in pluribus locis fornicatio prohibeatur, poſſunt tamen verba Scripturæ ſic interpretari, ut credere valeamus quòd nomen fornicationis ſumitur generaliter pro Luxuria in communi; & quia Luxuriæ ſpecies multæ ſunt, & malæ, dicit fornicationem, hoc nomine ſumptam, eſſe damnatam; quia Luxuria ex genere ſuo eſt mala; non verò ſumptam reduplicativè.

Sed hæc interpretatio non nocet; Chriſtus loquitur de fornicatione ſpecificè, ſicut de adulterio, ut conſtat ex dictis ſuprà cum Divo Matth. cap. 15.

Fornicatio ſimplex eſt peccatum.

ubi poſt adulteria, ſubjungit fornicationes, & per conſequens expreſsè loquitur de fornicatione ſecundum ſpeciem ſuam, & reduplicativè, ſicut de adulterio; cùm loquatur diſtinctè, ſcilicet numerando ſpecies Luxuriæ: Igitur fornicatio ſimplex eſt peccatum, ſicut adulterium, non ſolum in genere; ſed etiam in ſpecie. Deindè dato, & non conceſſo quòd Scriptura Sacra loquendo de ſimplici fornicatione ſicut de adulterio, loquatur de Luxuria in genere, ſequitur etiam; quòd ſimplex fornicatio eſt peccatum, quia eſt ſpecies Luxuriæ: ea enim, quæ conveniunt generi, conveniunt ſpeciei in qua conſervatur ipſum genus; v. g. animali genericè ſumpto, convenit vivere & ſentire, quæ conveniunt etiam homini & bruto, ſeu ſpeciebus dividentibus ipſum animal: ergo ſi Luxuriæ conveniat avertere hominem à Deo, aut excludere eum à regno cœlorum, ut affirmat D. Paulus, neceſsè eſt quòd hæc conveniant adulterio, & fornicationi ſimplici, quæ ſunt ſpecies luxuriæ. Et quòd talis coitus ſit peccatum, ſicut brutum eſt vivens ſentiens. Hinc eſt

Ad Ephes. 5.

quòd loco citato ait: *Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat:* Et ad Epheſ. cap. 5. verſ. 3. & ſequentibus, *fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Quibus expreſsè declaratur, fornicatorem ſivè cum liberâ, ſivè cum alligata viro, eſſe fugiendum, & indignum hæreditate æternâ.

Tandem ſi coitus promiſcuus non eſſet malus, ſequeretur quòd ſtatus meretricius eſſet licitus; nullus enim concubitus poteſt veriùs dici promiſcuus, quàm coitus meretricis, quoniam parata eſt coire cum quocumque volente, eſtque coitus adulterij, ſi meretrix illa ſit conjugata, aut cum conjugato copulam habeat, vel actus fornicationis ſi ſit innupta; talia autem coitus ſcilicet meretricius, eſt malus & prohibitus ut colligitur ex illo Deuteron. cap. 23. verſ.

Deuteron. 17.

17. *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filijs Iſraël.* Idem inferri poteſt ex illo Apocalyp. 17. *Et venit unus de ſeptem Angelis, qui habebat ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens: veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ.* Igitur concubitus promiſcuus eſt prohibitus à lege divinâ; aliàs ſtatus meretricius eſſet licitus. Quod eſt falſum. Undè Paulus ad Theſſal. cap. 4. verſ. 3. & 4. ait

Ad Theſſalon. 4.

Hæc eſt enim voluntas Dei, Sanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. Quibus conſtat voluntatem Dei prohibere fornicationem ſimpliciter, & abſolutè, hoc eſt, quamcumque copulam carnalem extrà matrimonium: fornicatio autem ſecundum ſe

D. Auguſt

ſumpta ex D. Auguſtino relato in Can. *Nubendi*, 27. quæſt. 5. nulli impunè conceditur, hoc eſt, à nullo fieri poteſt citrà peccatum; niſi ſacramento Matrimonij fiat licita, ex quo ſequitur, quòd coitus promiſcuus eſt malus; cùm ex illa authoritate ſit vitandus, aut cum ſola uxore propriâ habendus,

Eccleſ. 19.

& fornicarij ſint fugiendi juxtà illud Eccleſ. cap. 19 verſ. 3. *Qui ſe jungit fornicariis erit nequam, putredo, & vermes hæreditabunt illum.*

Omnes prænominati hæretici veritatem fidei Catholicæ impugnant tantum ex illo Geneſ. cap. 1. *Creſcite, & multiplicamini & replete terram.* Indè enim concludunt, coitum promiſcuum, nedum eſſe licitum, ſed etiam præceptum, quoniam à Deo dictum fuit hominibus abſque ullâ reſtrictione, aut exceptione perſonarum.

Reſpondeo Deum per hæc verba non impoſuiſſe ſingulis hominibus neceſſitatem nubendi, ut volunt aliqui exiſtimantes, quemlibet hominem teneri ad contrahendum matrimonium. Nec dediſſe hominibus libertatem coëundi cum qualibet fœminâ, ut credunt hæretici, quos hîc impugnamus, ſed ſolum declaraſſe cauſam ob quam inſtitutum fuit matrimonium: non enim hominibus tantùm in perſona primorum parentum dixit: *Creſcite, & multiplicamini & replete terram*, ſed etiam cunctis animalibus præcepti, & licentiæ incapacibus. Quòd probat ibi, Deum non exprimere præceptum obligans omnes, & ſingulos homines ad matrimonium, nec

permiſſionem

permiſſionem accedendi ad omnes, & ſingulas fœminas indifferenter, ſed continuam fœcunditatis largitionem, & benedictionem. Dicendo: *creſcite*, dedit illis virtutem generandi, eamque benedixit, ſicut dum dixit terræ: *germinet terra*; tribuit ei virtutem producendi. Hæc autem generandi virtus inter virum, & uxorem determinata eſt, præmiſsâ benedictione conjugali, inquit enim: *erunt duo in carne una*, Unde D. Hieronymus Epiſt. 11. ad Ageruchiam, ait: *Unus Adam, & una Eva, imò una ex eo coſta ſeparatur in fœminam: rurſumque quod diviſum fuerat, nuptiis copulatur; dicente Scriptura erunt duo in carne una, non in duas, nec tres.* Quòd probat hominem eum uxore ſua dumtaxat poſſe creſcere, & multiplicare, quoniam ex illo textu, illa copula tantum eſt licita, quæ habetur inter maritum, & uxorem, ſeu inter Adamum, & Evam prout ſunt vir, & uxor, præmiſſo Sacramenti matrimonio.

Expoſitio D. Hieron.

ARTICULUS XXXI.

Declarat contrà pauperes de Lugduno occiſionem hominis eſſe licitam, ſi fiat Judicis Sententiâ.

INter aliòs Uvaldenſium, ſeu pauperum de Lugduno, errores, quos Guido Carmelita, Alphonſus à Caſtro, & alij recenſent, unus eſt, quô docuerunt circa annum Domini MCLX. tempore Friderici Imperatoris, & Alexandri III Papæ, nullum hominem poſſe occidi juſtè, etiamſi id fiat ex legitimi judicis præcepto. Credebant enim nullum judicem poſſe damnare aliquem hominem ad ſupplicium, aut pœnam mortis. Nec miror, quia hoc eſt ſceleratis hominibus proprium, ut ſemper ſuis ſceleribus optent impunitatem, quo liberiùs & ſecurius, quæ voluerint, ſcelera perpetrare valeant. Eumdem errorem poſteà, ſcilicèt anno MCCCCXXXIV. tempore Sigiſmundi Imperatoris, & Eugenij IV. Papæ, docuit quidam vir hæreticus, nomine Nicolaus Galeeus ex Bohæmia oriundus, conditione presbyter, & profeſſione artium Baebalaureus, unus eorum, qui à Bohæmia ad Concilium Baſileenſe miſſi fuerunt. Hic enim inter reliquos ſuos errores docebat, nullum hominem juſtè occidi poſſe tempore legis Evangelicæ, quia novum Teſtamentum prohibet quamcumque occiſionem. Et à judicibus aufert poteſtatem condemnandi ad mortem: quippe cùm Deus omne judicium dederit Filio, hicque venerit, ut gratiam habeamus, nullus homo habet poteſtatem judicandi ad mortem; etiamſi ſit princeps ſupremus. Volebat enim hæreticus ille, nullum hominem modò habere juriſdictionem in alium quamtumvis malum & reum, hancque remittendam eſſe ad Chriſtum, qui eſt judex vivorum, & murtuorum.

Uvaldenſe

Nicolaus Galeeus

Contra hanc hæreſim nullum potui adinvenire Concilium; plures tamen ſunt in jure Canonico textus, quibus judex ex officio poteſt occidere reos, eoſque ad mortem damnare, ut ex dicendis patebit: igitur Uvaldenſium, & Nicolai Galeei ſententia, eſt rejicienda ut hæretica; nedum quia adverſatur juri Canonico, & Summorum Pontificum decretis, quæ nemo deſpicere poteſt; quin incurrat Anathema, ut habetur in Canone, *Si quis dogmata* 25. quæſt. 2. ſed etiam quia adverſatur Sacræ Scripturæ.

§. I.

Statuit poteſtatem judiciariam.

DEus contulit judicibus, quos conſtituit, poteſtatem condemnandi ad mortem, eos, qui propter ſcelera, & delicta, aut legum transgreſſionem ſunt morte digni. Legimus enim in lib. Deuteron. cap. 17. verſ. 10. & ſequentibus: *Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te. Juxtà legem ejus: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram, qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Quibus conſtat, in judicibus eſſe poteſtatem puniendi reos, etiam pœnâ mortis. Et in delinquentibus, eſſe obligationem ſubeundi pœnam à judice inflictam, etiamſi hæc pœna ſit ultimi ſupplicij. Nulla eſt igitur difficultas quòd legitimus judex poſſit condemnare ad mortem; reos morte dignos, quales ſunt fures de quibus Exod. cap. 22. verſ. 2. dicitur, Si *effringens fur domum ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus Sanguinis.* Nam ſi occidens furem illum, de quo hic agitur, non ſit reus, nec reus erit judex, qui malefactorem juſtè damnat ad mortem; cùm in eodem capite verſ. 18. Deus dicat: *Maleficos ne patieris vivere.* Hoc meritò inſtitutum fuit. Quia ſummè neceſſaria eſt in republica malefactorum punitio, oportet enim, ut inquit Ariſtoteles lib. 10. Ethic. bonos provocare ad virtutes, per præmia; malos autem per pœnam & ſupplicia totaliter exterminare; quin taliter juſtè punitus poſſit licitè conqueri. Quia omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt.

Eſt in judicibus poteſtas puniendi reos.

Deut. 17.

Exod. 22.

1. Petr. c. 2.

Undè D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 13. inquit: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſivè regi, quaſi præcellenti, ſivè ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei &c.* Hæc ſiquidem verba indicant eſſe in malefactoribus obligationem ſubeundi pœnam eis à judice inflictam. Hæc malefactorum vindicta denotat pœnam inflictivam corporalem, quæ ſi non ſit ſemper ad mortem; tamen ad illam, aliquandò eſſe poteſt, ſcilicet dum malefactor non vult à malo ſe abſtinere; cùm nulla ſit alia via recuperandi pacem, & tranquillitatem in populis. Divo Petro loquente, Deus punivit morte Ananiam, & Saphiram uxorem ſuam, quia fraudaverant de pretio agri venditi; ut legitur, act. cap. 5. verſ. 5. ubi habetur *audiens autem Ananias hæc verba cecidit & expiravit, & factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt.* Ex quo ſequitur contrà Uvaldenſes, judices habere poteſtatem puniendi morte delinquentes, ſi non omnes, ſaltem publicos, & maximos; ſeu eos, qui juxtà leges, quas à Deo habemus, debent mori, quales ſunt, verbi gratia homicidæ, rationabiliter quidem condita fuit hæc lex, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur & qui gladium acceperit, gladio peribit, id eſt, qui occiderit propria authoritate, occidetur authoritate publica quæ reſidet in Regibus, & judicibus

Act. 5.

Idem docet Divus Paulus ad Rom. cap. 13. ubi loquens de poteſtate ſublimiori, quæ eſt poteſtas Regum, & judicum reſpectivè adverſus ſubditos, & inferiores, ait: *Principes non ſunt timori boni operis; ſed mali: vis autem non timere poteſtatem? bonum fac; & habebis laudem ex illa:*

Rom. 13.

Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit. Hæc evidenter demonſtrant, malefactorem poſſe juſſu aut ſententiâ judicis interfici, quia mors poteſt eſſe effectus gladij, quem portat; cùm gladij ſit ferire. Et ſi neceſsè ſit pro bono publico, aut pro gloria Dei, occidere, quia per malefactorem omnis honeſtas politiæ pervertitur. Et pax tam nobis neceſſaria, & à Chriſto commendata, perturbatur. Idcirco Divus Cyprianus relatus in Canon. 40. cauſæ 23. quæſt. 5. ait *Rex debet furta prohibere, adulteria punire, impios de terrà perdere, parricidas, & pejerantes vivere non ſinere, filios ſuos non ſinere impiè vivere.* Idcoque juſtum eſt, atque conforme legi divinæ, & rationi interficere hujuſmodi malefactores, ut perpetua pax in republica ſubſiſtat; nam ſi in corpore humano, aliquòd membrum particulare aliquo morbo ità laboret, ut cætera membra ſint in periculo corruptionis, & mortis, homo cujus membrum malè habet, procurat omnibus modis quibus poteſt, illud reſtituere in priſtinam ſanitatem; quòd ſi nulla via poſſit huic membro ſubveniri, libentèr paritur ipſius inciſionem; quoniam mavult unum membrum, quam totum corpus perdere; ergo ſimiliter Judex, qui eſt caput Reipublicæ (quæ eſt unum corpus) ſi ſit unus homo, qui commiſerit aliquod grave crimen, debet laborare ad ejus emendationem. Quòd ſi nulla ſit ſpes emendationis, neceſsè eſt quòd illum condemnet ad mortem, nè reliqua membra, ſeu cæteros homines inficiat; nec in hoc erit homicida, ut monet Divus Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 4. ubi ait: *Si homicidium eſt hominem occidere; poteſt tamen aliquando òccidere ſine peccato: nam & miles hoſtem, & judex, vel miniſter ejus nocentem.*

D. Cyprianus.

D. Auguſt.

Hoc eſſe neceſſarium patet: nam ſi numquam mors eſſet infligenda malefactoribus, ſeu illis, qui occidunt, furantur, ſimiliaque mala faciunt, terra eſſet plena latronibus, mare Piratis, nullaque eſſet res in tuto. Quia homo pronus eſt ad malum, à quo non tarò fugit formidine pœnæ. Ipſis malefactoribus etiam utilis eſt punitio hæc, ut tradit Divus Hieronymus, ſuper Sophoniam ad cap. 1. ubi ait: *Si quis Latroni fortitudinem, & pirata & furis enervat, infirmoſque eos reddat, prodeſt illis ſua infirmitas; debilitata enim membra quibus prius non bene utebatur, a malo opere ceſſabunt.*

D. Hieronymus.

Innocentius Papa Epiſt. 3. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum cap. 5. relatus in 46. Can. cauſæ 23. quæſt 4. inquit; *Illud etiam ſciſcitari voluiſti an preces dictantibus liberum concedatur utique poſt Baptiſmi regenerationem, a principibus poſcere mortem alicujus, vel Sanguinem de reatu, quam rem principes numquam ſine cognitione concedunt, ſed ad judices commiſſa ipſa, vel crimina ſemper remittunt, ut cauſa cognita vindicentur: quæ cum quæſitori fuerint delegata, aut abſolutio, aut damnatio pro negotijs qualitate profertur, & dum legum authoritas in improbos exercetur, erit dictator immunis.* Quibus conſtat, reum poſſe accuſari licitè apud judicem, ut ab ipſo puniatur pœna mortis, ſi delictum tanta pœna ſit dignum. Nec propter hoc judex cenſendus eſt crudelis, ut putant hæretici. Quia ut inquit D. Hieronymus ſuper Jeremiam cap. 22. homicidas, ſacrilegos, & fœnerarios punire, non eſt effuſio Sanguinis: ſed legum miniſterium, & per conſequens non judici; à quo ad mortem ſecundum formam juris, & ſecundum allegata, & approbata damnatur, nec juſtitiæ executori, benè verò ipſius hominis voluntariè, & liberè delinquentis malæ voluntati tribuenda eſt tanta punitio (quæ ſolitò non datur, niſi pro culpa, ut habetur in regulis juris in 6. regula 23. quæ quidem culpa voluntariè contrahitur) etenim peccatoris perditio, ex ipſo peccatore eſt; nec poteſt licitè omitti à judice hæc delinquentis, aut malefactoris punitio, quoniam in hoc augetur ipſius malitia & ad iram Deus provocatur, ut monet Divus Auguſtinus relatus in Can. *ſi ea* ejuſdem cauſæ ubi inquit: *ſi ea de quibus vehementer Deus offenditur, provocamus, nonnè Achor Filius Zare præteriit mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſrael ira ejus incubuit? & ille erat unus homo, atque utinam ſolus periiſſet in ſcelere ſuo.* Nullus eſt igitur, qui poſſit citrà hæreſim auferre à principibus, & judicibus poteſtatem condemnandi ad mortem maleficos.

Innocentius Papa.

D. Hieronymus.

D. Auguſt.

Nec valet dicere, quòd hæc condemnatio nequit eſſe ſine ira, aut vindicta, quæ cum prohibeantur in nova lege, prohibetur etiam punitio ad mortem. Non valet inquam, quia officia vindictæ poſſunt bono animo impleri, ut ait. D. Auguſtinus ſuper Evangelia lib. 1. quæſt. 10.

§. II.

Reijciuntur rationes Hæreticorum.

OBjiciunt hæretici illud Matth. cap. 7. *Nolite judicare & non judicemini, in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Indè enim concludunt Uvaldenſes, & Nicolaus Galecus, Chriſtum prohibuiſſe judicium, quia ipſi data fuit omnis poteſtas, & omne judicium faciet; ac proinde voluit, nullum hominem habere poteſtatem judicandi alium ad mortem. Hoc verum eſſe probant, ex eo quod Chriſtus imponit pœnam judicantibus, per hæc verba, *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini,* hoc eſt (inquiunt) qui condemnabit ad mortem, ad mortem condemnabitur & qui non judicabit, non judicabitur. Undè cum malum ſit condemnati, malum quoque debet eſſe alium condemnare.

Argumentum hæreticorum proponitur & reijcitur.

Huic authoritati cui plurimum confidunt hæretici Dico, quòd Chriſtus non prohibet omne judicium, ità ut nulli hominum liceat judicare delinquentes & maleficos, nec voluit per hæc verba improbare ſententiam contrà reos à judice latam; cùm apud Matth. cap. 26. verſ. 53. ità loquatur, *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, id eſt, qui mortem dabit alteri, dabitur illi, hoc enim probat, homicidas, alioſque ſimiles reos, eſſe morte plectendos, non authoritate privatâ, ità ut unicuique liceat occidere homicidam, & ipſe homicida dicere poſſit, ſicut Cain, *Omnis, qui invenerit me, occidet me*, nulli quidem licet interficere, ut teſtati ſunt Judæi dicentes Pilato *Nobis non licet interficere quemquam*, & ut declaratur in Can. *Si non licet* 23. quæſt. 5. ſed authoritate publica, quæ reſidet in Rege & in judice ab ipſo delegato, homicida poteſt licitè condemnari ad mortem, ut docent Sancti Patres, & Theologi; cùm authoritas Scripturæ, non prohibeat authoritatem judicis, nec ſanciat, ipſum non poſſe judicare ad mortem, ſed prohibeat tantum authoritatem particularem, & privatam, & declaret, nullum hominem authoritate propriâ, aut quatenus eſt perſona privata, poſſe condemnare ad mortem. Hoc quidem judicium, aut hæc mortis ſententia, eſt actus juriſdictionis, quæ cùm non ſit in omnibus, non licet unicuique ad mortem condemnare.

Autra ad hæreticorum argumentum reſponſio.

Dico ſecundò ibi Chriſtum prohibere judicium temerarium, aut leve multorum hominum, qui re minimè cognitâ, ſed ex minutulis ſuſpicionibus, & apparentiis nullatenùs ponderatis, ſtatim apud ſe definiunt, & ſententiam inconſideratè proferunt contrà innocentem, cenſentes talem eſſe malum, aut malè aliquid voluiſſe facere; quare Chriſtus Joan. 7. verſ. 24. ait: *Nolite judicare ſecundum faciem*, hoc eſt, ſecundum apparentiam, quæ cùm non raró ſenſus dicipiat, judicium quod ex illa fit, eſt ferè ſemper injuſtum, & temerarium, quia in nobis non eſt poteſtas judicandi, & ideò non prohibet judicium juſtum, quod (re prius maturè conſiderata) fit juxtà æquitatem, eſtque tale, quale ipſum vult eſſe idem Chriſtus dicens: *Juſtum judicium judicate*, quia Deus, qui intuetur cor, dat judicibus gratiam ſpecialem cognoſcendi delictum, & exigendi confeſſionem à delinquente interrogato, plura enim requiruntur ad verum judicium, quæ à ſolo judice fieri poſſunt pro veritate cognoſcendâ, antequam feratur ſententia, juxtà illud ejuſdem Evangelij Joannis verſ. 51. *Numquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat:* Hinc eſt quòd ex jure Can. *nullum* 30. quæſt. 5. nemo poteſt judicari ſine probationibus; judex antequam ſententiam proferat tenetur audire partes, cùm nequeat judicare, niſi ſecundum allegata, & approbata per teſtes fide dignos.

Joan. c. 1.

Objiciunt iterùm præceptum divinum, quo Deus in Decalogo prohibet occiſionem, *Non occides.* Dicunt enim hoc præceptum, eſſe ſemper ab omnibus hominibus obſervandum, hoc eſt, tam à perſonis privatis, quàm à principibus, & judicibus reſpectu omnium & ſingulorum hominum, quia Deus eſt ſupremus Dominus, & legiſlator omnium hominum.

Explicatur hoc præceptum non occides.

Porrò hoc præceptum, non prohibet omnem occiſionem ſimpliciter, & abſolutè, ita ut ſe extendat tam ad judices, quàm ad perſonam privatam, ſed ſolum ad perſonam privatam, hancque extrà abſolutam neceſſitatem defendendi ſe conſtitutam. Nam unicuique licet vim vi repellere, & vitam ſuam contrà injuſtum aggreſſorem conſervare, & per conſequens hoc præceptum non poteſt eſſe ità abſolutum, ut omnes, & ſingulos homines obliget. Ratio hujus diſtinctionis eſt, quia in lege Moyſi vigebat idem præceptum, eo tamen non obſtante, erant multæ aliæ leges, quibus præcipiebatur occiſio furis nocturni, & hominis blaſphemantis, juxtà illud Levit. cap. 24. verſ. 16. & 17. *Et qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſivè Peregrinus fuerit: qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur, qui percuſſerit & occiderit hominem morte moriatur.* Et Exod. 21. verſ. 16. *qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.*

Levit. 24.

Undè nè appareat manifeſta in præceptis legis antiquæ contradictio, dicendum eſt, quòd dum Deus dicit; *non occides* non prohibet quamlibet hominis occiſionem, ita ut velit, hominem nullo modo poſſe licitè interfici, ſivè in bello, ſivè in injuſta aggreſſione, ſivè juſtà judicis ſententiâ, ſed ſolùm eam, quâ interfector fit homicida, ſeu quæ fit authoritate privata, & abſque ulla neceſſitate defendendi propriam vitam, in qua ſunt illi, qui nequeunt contrà injuſtum aggreſſorem propriam vitam defendere, nec conſervare, niſi occidendo injuſtum aggreſſorem. Ea autem quæ fit ex decreto judicis, non eſt prohibita, quia judicum poteſtas eſt à Deo per quem Reges regnant, principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam, ut ſuaderi poteſt hac Chriſti ad Pilatum dicentem Joan. 19. verſ. 10. *Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Reſponſione *non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Et ex illo 2. Paralip. cap. 19. verſ. 6. *& præcipiens judicibus, videte ait quid faciatis; non enim hominibus exercetis judicium, ſed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.*

Joan. 19.

ARTICULUS XXXII.

Repellit Albanenſes Uſuram approbantes.

Hic non eſt diſcutiendum quid ſit uſura, nec qualiter committatur, quoniam non de vitiis, & peccatis, ſivè in genere, ſivè in particulari: ſed de hæreſibus ſolum diſputationem ſuſcepimus. Undè ad Theologos morales remittendæ ſunt difficultates, quæ circà uſuram verſari poſſunt; ad nos autem ſpectat tantum, oſtendere uſuram eſſe ità prohibitam, tamquam malam ut nullus poſſit eam licitam credere; quin ſit hæreticus; cùm ex Sacrâ Scriptura, & ex jure, uſura declaretur mala. Hoc igitur ſuppoſito dicimus cum Guidòne Carmelitâ, Græcos exiſtimare licitum eſſe dare pecuniam ad uſuram. Judæi etiam ſentiunt uſuras eſſe honeſtas. Judæis & Græcis adhærent plures, qui ex mutuo aliquid recipiunt, ſeu uſurarij: uſura enim nihil aliud eſt, niſi lucrum ex mutuo proveniens, ut notant Theologi cum D. Thoma. Præter Judæos & Græcos, alios habuit uſura tutores, nimirum Albanenſes qui tempore Conſtantini III. Imperatoris, & Leonis III Papæ, circà annum Domini DCCXCVI dixerunt uſuram non eſſe à Deo prohibitam.

Græci

Albanenſes

§. I.

De Conciliis, & Scripturis, quæ uſuram damnant.

In Concilio Viennenſi ſub Clemente V. celebrato, habetur: *Sane ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras, non eſſe peccatum, decernimus illum velut hæreticum puniendum, locorum nihilominus ordinariis; & hæreticæ pravitatis inquiſitoribus diſtrictius injungentes, ut contrà eos, quos de errore hujuſmodi diffamatos invenerint, aut ſuſpectos, tanquam contrà diffamatos, vel ſuſpectos de hæreſi procedere non omittant.* Ità legitur in libro 5. Clementinarum Tit. de uſuris, capite *ex gravi*, in fine. Idem prius definitum fuerat in Concilio Lateranenſi III. celebrato anno MCLXXIX pro damnandis Catharorum, Uvaldenſium, Albigenſium hæreſibus. Nullus poteſt igitur citrà hæreſim aſſerere, uſuram eſſe licitam; cùm ex Sacrâ Scriptura, & ex definitione Eccleſiæ conſtet, ipſam eſſe vitioſam, & inter peccata mortalia reponendam.

Declaratiò Concilij Viennenſis

Lateranenſe III.

Aſſertionem noſtram affirmat Sacra Scriptura, Deus in Exodo, cap. 22. verſ. 25. ait: *Si pecuniam mutuam dederis pauperi populo, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Nonnè hæc ſolemnis prohibitio convincit Græcos, & Judæos, eiſque oſtendit, malum eſſe, & contrà Dei voluntatem, pecuniam ad uſuram dare? nullus ſanè poteſt dubitare de hoc; cùm pauperem opprimere ſit ex ſe malum, hoc clariùs

Exod. 22.

exprimitur in Levitico cap. 25. verſ. 35. & ſequentibus ubi habetur : *Si attenuatus fuerit frater tuus , & infirmus manu , & ſuſceperis eum , quaſi advenam , & peregrinum , & vixerit tecum , ne accipias uſuras ab eo , nec amplius quàm dediſti. Time Deum tuum , ut vivere poſſit frater tuus apud te ; pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram , & frugum ſuperabundantiam non exiget.* Uſurarius autem exigit , aut recipit plus quàm dedit in mutuo. Et omnis qui exigit, aut recipit pluſquam dedit in mutuo , eſt uſurarius, acproindè eſt transgreſſor legis , & adverſatur bis verbis , quæ habentur in libro Deuteroo. cap. 23. verſ. 19. *Non fænerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges , nec quamlibet aliam rem.* Et verſ. 20. *fratri autem tuo abſqur uſura , id quo indiget , commodabis.* Nulli igitur licet uſuras accipere ; uſura enim eſt peccatum grave ab omnibus vitandum, ſub pœnà damnationis æternæ, hinc eſt quòd David reſpondens huic interrogationi *Domine ; quis habitabit in tabernaculo tuo ,* Pſal. 14. ait : *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram , & munera ſuper innocentem non accepit.*

Levit. 25.

Deuteron. 23.

Pſal. 14.

Solvitur Albanenſium inſtantia.

Dicent forſan Albaneſes , præcepta veteris legis non obligare in lege nova , & per conſequens Chriſtianos poſſe pecuniam dare ad uſuram , quin agant contrà legem. Non valet , inquam ; hæc inſtantia , quia præcepta citata non ſunt legalia , nec ceremonialia,quæ abrogata fuerunt morte Chriſti, ſed moralia, quæ obligant in lege nova , & Evangelica , alioquin Chriſtianis liceret occidere, furtum facere , aliaque ſimilia mala committere. Quod eſt falſiſſimum.

Luc. 6.

Nedum vetus , ſed etiam nouum Teſtamentum uſuras prohibet : nam Salvator noſter apud Lucam cap. 6. verſ. 33. & ſequentibus inquit : *Et ſi bene feceritis his , qui vobis benefaciunt , quæ vobis eſt gratia ? ſiquidem & peccatores hoc faciunt , & ſi mutuum dederitis his , à quibus ſperatis recipere , quæ gratia eſt vobis ? nam & peccatores peccatoribus fænerantur , ut recipiant æqualia , verumtamen diligite inimicos veſtros , benefacite , & mutuum date , nihil inde ſperantes.* Hoc eſt , nullum ex illo mutuo lucrum recipientes.

Nec valet dicere quòd ex beneficio , beneficium ſperari poteſt, & licitè recipi. Ratio noſtra ob quam inſtantia hæc non valet eſt, quia Chriſtus ex mutuo ibi beneficium recipere vetat , ut denotat hæc particula , *nihil indè ſperantes.* Et maximum promittit beneficium mutuantibus,dicens ; *Et erit merces veſtra multa , & eritis filij altiſſimi* , quippè hac promiſſione penitùs convincimur , mutuum eſſe omninò gratuitum , & abſque ullà ſpe retributionis exercendum ut quod hîc miſericorditèr tribuimus , ab eo Domino, qui multiplicitèr , & in perpetuum manſura tribuit , recipere valeamus , loquit Leo Papa Epiſt. 1. ad Epiſcopos Campaniæ relatus in Can. *Sicut non ſuo* , Diſt. 46.

Leo Papa

Minus valet dicere hoc non eſſe præceptum , ſed Conſilium; quia Chriſtus loquitur de mutuo , ſicut de dilectione inimicorum ; ideoque voluit , & præcepit nihil ex mutuo eſſe ſperandum , ſicut præcepit, & voluit , inimicos eſſe diligendos.

Mutuum debet eſſe gratuitum.

Mutuum debere eſſe gratuitum patet , nam eſt in ſolius recipientis gratiam contractum , ut facilè colligitur nedum ex verbis Evangelij Lucæ relatis. *Mutuum date , nihil indè ſperantes* , ſed etiam ex ratione : nullus quidem mutuo pecuniam petit ab alio , niſi ipsâ indigeat,& ut miſeriæ ſuæ ſubveniat , undè cum juſtum ſit ſuccurrere indigenti , nullum ex illo beneficio mutuans debet ſperare lucrum à mutuario , ſed ſolum à Deo : quippè Dives , qui mutuum dat , ſi indè aliquod lucrum ſperet , ſeu aliquid ſuprà ſortem , vel pluſquam dedit ; certò vult quòd mutuarius ſolvat beneficium mutui ; quod eſt ſpecies charitatis aut quoddam auxilium indigenti debitum ab eo, qui poteſt præſtare illud,ſic præcipiente Deo,qui unicuique mandavit de proximo ſuo,& diviti impoſuit obligationem adjuvandi pauperé mutuo gratuito,hoc eſt,abſque ullà ſpe recipiendi à mutuario lucrum, ex vi mutui; alioquin non eſſet mutuum, ſed locatio,& contra naturam beneficij,& charitatis.Nec eſſet indigentis miſeriæ ſubvenire, ſed mutuantis divitias augere de bonis mutuarij,mutuanti indebitis aut recipere ex vi mutui , quod in mutuo datū non fuit : nonnè qui mutuat centum nummos , ſi poſteà centum,& quinque recipiat,recipit pluſquam dedit, ſeu quinque quos non mutuavit ; per quod manifeſtè conſtituitur inæqualitas , quæ contrariatur juſtitiæ , quà cogimur reddere unicuique quod ſuum eſt , & qua unuſquiſque poteſt illud exigere : illi autem quinque nummi non ſunt mutuantis , ſed mutuarij , qui à mutuante centum nummos tantum habuit , eique tantum centum nummos debet : igitur contrà juſtitiam eſt , atque hæreticum aſſerere , quòd mutuarius tempore præfixo, tenetur reddere pluſquam accepit , aut quod mutuans poteſt ex pecunia mutuata recipere lucrum , ſeu plus quam dedit ; cùm hoc ſit contrà jus divinum , & definitionem Eccleſiæ.

§. II.

Refutantur Hæreticorum Argumenta.

GRæcorum fundamentum eſt , quia Deus in veteri Teſtamento permiſit uſuras populo Iſraëlitico, idque colligunt ex illo Deuteron.c. 23. verſ.19 ubi legitur: *Non fænerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges , nec quamlibet aliam rem , ſed alieno.* Indè enim concludunt , Deum prohibuiſſe uſuram fratris ad fratrem , eam vero permiſiſſe ergà alienum , & extraneum , ut patet ex verſ. 29. ubi habetur , *Sed alieno : fratri autem tuo, abſque uſura id quo indiget , commodabis*:hæc quidem verba in materia mutui, fratrem ab alieno diſtingunt , & uſuram inter alienos permittunt.

Deuteron. 23.

Reſponſio D. Thomæ ad Græcos.

Ad hanc authoritatem dico cum D. Thomâ quòd Judæis prohibitum fuit accipere uſuram à fratribus ſuis , ſcilicet à Judæis , porrò hoc oſtendit dare ad uſuram , eſſe ſimpliciter malum , quoniam omnis homo , præſertim in lege Evangelicâ , eſt proximus & frater noſter : fratres enim ſumus gratiâ Chriſti,per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti:ideóque modo nulli hominum licet alteri pecuniam dare ad uſuram, quemadmodum apud Judæos non licebat Fratri. Per hæc autem verba , *ſed alieno* , Deus non permiſit Judæis abſolutè uſuras , neque fuit eis conceſſum , ab extraneis uſuram accipere;dixit enim ea ſolùm ad malum majus vitandum , nè ſcilicet à Judæis Deum colentibus uſuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant : nequeunt igitur Græci ex illa authoritate Deuteronomij inferre , licitum eſſe dare pecuniam ad uſuram , cùm hæc permiſſio ſit conditionata , & non omnes , ſed quoſdam veteris legis reſpiciat , quæ quidem conditio , etiamſi ſubſiſtat in novâ lege , tamen tenere non debet , ſublata enim fuit hoc Chriſti mandato , *mutuum date nihil indè ſperantes* , quod cum divinum ſit , ab omnibus debet obſervari , & uſura inter peccata præcipua reponi.

Dico ſecundò cum D. Ambroſio lib. de Tobia

cap. 15. citatus in Can. *ab illo* 14. quæſt. 4. quòd Deus hoc non permiſit ad exercendam uſuram, ita ut licitum eſſet populo Iſraëlitico aliquod lucrum, ex mutuo immediate recipere ab alienis, ſed ſolum ad compenſationem faciendam, quapropter potuerunt lucrum illud ex mutuo juſtè exigere à gentibus; nam inquit ille Sanctus Doctor: *Ab illo uſuram exige, cui meritò nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, huic legitima judicantur uſura, quem bello vincere facilè non potes. De hoc citò potes centeſima vindicare te; ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere, ſine ferro dimicat qui uſuram flagitat, ſine gladio ſe de hoſte ulciſcitur qui fuerit uſurarius exactor inimici: ergo ubi jus belli, ibi etiam jus uſura.* Hoc juxtà gloſſam intelligitur de Judæo, Pagano, hæretico, & Chriſtiano quolibet, contrà quem bellum juſtè movetur. Nec mirandum eſt, nam ſi juſtè bellantibus liceat accipere prædam ab hoſtibus; quin ad reſtitutionem teneantur, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 8. ad 1. licebit etiam ratione compenſationis accipere cum uſurâ res debitas; id enim quod ſuprà ſortem erit, non proveniet ex vi mutui, ſed ex vi expenſarum, vel ex vi belli.

Reſponſio D. Ambroſij ad eoſdem Græcos.

Adduut: olim leges civiles uſuras permiſiſſe ad certas ſummas redactas, & ad illas exigendas, actionem dediſſe tam circà fruges, quàm circà pecuniam numeratam; ergo (inquiunt) uſura non eſt peccatum. Sed non valet hæc ratio. Tum quia erant velut reliquiæ nuperi Paganiſmi, ut cum pluribus Scriptoribus obſervat Cabaſutius. Tum quia hujuſmodi leges abrogatæ fuerunt in variis Concilijs. & præſertim in Viennenſi, & in Eliberino.

Vel dico quod hæc ratio Græcorum, & Albanenſium non valet, quia Juſtinianus numquam voluit permittere uſuras, licet potuerit eas tolerare, ob urgentiſſimas rationes nobis ignotas, quibus eum excuſatum habere debemus.

Dico tandem jus civile quod olim permiſit uſuras, intellexiſſe per uſuras aliquod lucrum ex ſocietate, aut ex aſſecuratione, vel ex aliquo alio contractu proveniens; non verò ex mutuo præcisè. Hoc enim eſt contra jus naturale, & divinum quo prohibetur uſura.

Jus civile non permiſit uſuram.

ARTICULUS XXXIII.

Quo adversùs Græcos, homo obligatur ad reſtitutionem rei furto ſublatæ.

GUido Carmelita, ſeu Guido de Perpiniano dictus, Carmelitici Ordinis Prior Generalis, & poſteà Majorienſis Epiſcopus in lib. de hæreſibus quem ſcripſit circà annum Domini MCCCXXX. Noſter Alphonſus de Caſtro Archiepiſcopus Compoſtellanus in opere adverſus hæreſes, verbo, *Reſtitutio*, affirmant Græcorum Sacerdotes, pro furtis, uſurâ, & rapinâ manifeſtâ, nullam imponere pœnitentibus hujuſmodi peccata confitentibus, obligationem ſatisfaciendi, aut reddendi rem furatam Domino ad quem pertinet, etiamſi noſcatur; ſed ſolum oleô ſimplici ungere raptorem, aut uſurarium, eumque aſtringere ad aliquam pecuniæ furatæ portionem illis tribuendam pro abſolutionis beneficio, quod ipſi Sacerdotes, portione furti obtentâ, eis impendunt & ea quæ de furto aut uſurâ illis ſuperſunt, cum benedictione concedunt: hoc autem eſſe hæreticum nullus ſacro Baptiſmo inſignitus negare poteſt; quapropter contrà articulum noſtrum nullus inſurrexit hæreticus.

Græci.

Fateor quòd plures volunt Eraſmum Roterodamum Græcorum ſecutum fuiſſe opinionem, in lib. Annotationum ſuper novum Teſtamentum, ubi tenet, raptorem ut ſatisfaciat, & peccatum rapinæ remittatur ei, non teneri ad reſtitutionem rei furto ſublatæ, ſed ſolum ad Eleemoſynam faciendam, quoniam (inquiunt) Eraſmus exiſtimabat, rem furto ſublatam reſtitui Domino, ſi detur pauperibus; cùm dare pauperibus, ſit dare Deo. Et dare Deo; ſit dare Domino rei. At errant illi, qui de Eraſmo hoc judicium ferunt, & volunt ipſum Græcorum errorem ſecutum fuiſſe irrevocabiliter, eo quod in lib. citato ſuper cap. 11. Lucæ exponens illud Chriſti mandatum: *Quod ſupereſt date Eleemoſynam, & ecce munda omnia ſunt vobis*, habeat, *illud annotandum cum modo fecerit mentionem rapina, in remedio non fieri mentionem reſtitutionis, tantum pollicetur, Eleemoſyna data omnia fore munda.* Hæcque eſt ratio, ob quam eum de hæreſi accuſant: ego autem ab hac ſententia recedo; tum quia fortè loquebatur de re furto ſublatâ, aut ex uſura acquiſita, Domino incerto, in quo caſu fur, aut uſurarius tenetur dare eam pauperibus, ut docent communiter Caſuiſtæ; Tum quia licèt omiſerit reſtitutionem, tamen non negavit rem furatam eſſe reſtituendam; cùm ex omiſſis non ſequatur affirmatiu oppoſiti; alioquin ſequeretur quòd Sara non fuiſſet uxor Abrahæ, ſed tantum ipſius ſoror, quia in lib. Geneſ. cap. 12. verſ. 13. non vocat eam uxorem, ſed ſororem ſuam; Igitur mens Eraſmi non fuit negare, reſtitutionem. Hoc verum eſſe patet ex verbis quæ immediate ſequuntur: *Sed qui jubetur dare iis, quibus nihil debet, multò magis jubetur reddere, ſi quid cui debet.* Hæc quidem verba prorſus tollunt de reſtitutione non faciendâ ſuſpicionem, & ſuadent Eraſmum errorem Græcorum minimè ſecutum fuiſſe.

Eraſmus Roterodamus non eſt hujus hæreſis defenſor.

Plures referunt hæc ultima verba non eſſe in primâ editione (& hoc eſt verum) Idcircò ſentiunt, ipſum Eraſmum Roterodamum in hoc erraſſe cum Græcis, ſed hoc non obſtat, quia omnes conveniunt quòd ſunt in ultima, & per conſequens nullus poteſt aſſerere, Eraſmum fuiſſe hæreticum, & in hac parte erraſſe, quia ut quis ſit hæreticus, neceſſè eſt, quod pertinaciter defendat, aut tueatur propoſitionem hæreticam.

§. Unicus.

Statuitur Preceptum de reſtitutione facienda.

FUres, raptores, & uſurarios ad reſtitutionem obligat huncque Græcorum errorem, ſolemniter damnat Concilium Lateranenſe IV. celebratum ſub Innocentio III. anno MCCXV. cum MCCLVIII patribus, videlicet Summo ipſo Pontifice ut Præſide, duobus Patriarchis, Conſtantinop. & Jeroſolymit. ſeptuaginta Archiepiſcopis, quadringentis Epiſcopis, duodecim Abbatibus, Octingentis Prioribus, Decanis vel præpoſitis conventualibus. In cap. 99. hujus Concilij habetur, ut conſtat in Canone 18. de reſtit. Spol. *Sæpè contingit quod Spoliatus per ſpoliatorem in alium re tranſlata, dum adverſus poſſeſſorem non ſubvenitur, per reſtitutionis beneficium ſpoliato commodo poſſeſſionis amiſſo propter difficultatem probationum juris proprietatis amittit effectum. Unde nonobſtante juris civilis rigore, ſancimus, ut ſi quis de cætero ſcienter rem talem receperit cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium (eo quod non multum interſit quoad periculum animæ injuſtè detinere, ac invadere alienum), contra poſſeſſorem hujuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.* Per hæc enim verba patres hujus celeberrimi Concilij, præcipiunt reſtitutionem rei furto ſublatæ, aut uſurâ acquiſitæ, & ſtatuunt quòd hæc res debet proprio Domino integra reſtitui; cùm res pro Do-

Lateranenſe IV.

mino ſuo clamet, ut dicunt communiter Canoniſtæ. Idem habetur in primo Canone cauſæ 14. quæſt. 6. ubi legitur: *Si res aliena propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Jus Canonicum.

Reſtituendi obligatio neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate præcepti divini. Nam dum Deus dicit Exodi cap. 20. verſ. 15. *non furtum facies* impoſuit obligationem reſtituendi; cùm furari; & bonum alterius detinere, invito Domino, dum reddi poteſt, ſint ejuſdem naturæ. Nec obſtat quòd ſit aliqua differentia inter hæc duo, ſcilicet quòd præceptum non furandi ſit negativum obligans pro ſemper. Et præceptum reſtituendi ſit poſitivum obligans tantum, quandò fieri poteſt reſtitutio. Ratio hujus identitatis eſt, quia detinere rem alienam, invito Domino, quamdiu habetur, furto detinetur; idcircò Deus in hoc præcepto negativo, *non furtum facies*, obligat furem ad reſtitutionem rei, quam habuit, Domino juſtè & rationabiliter invito: in hoc quidem ſiſtit ratio eſſentialis furti, & furis, qui tamdiu fur eſt, quamdiu rem alienam detinet, invito Domino.

Præceptum prohibens furtum præcipit reſtitutionem.

Neceſſitatem hujus præcepti ad conſequendam vitam æternam confirmat Chriſtus Matth. 22. tentatus à Phariſæis ſuper cenſu dando Cæſari: his verbis: *Dic ergò nobis quid tibi videtur, licet cenſum dari Cæſari, an non?* Quibus ipſe Chriſtus, cognitâ eorumdem nequitiâ, ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, hac quidem reſponſione liquidò conſtat contrà Græcos, Chriſtum oſtendere, neminem poſſe tutâ conſcientiâ habere bona aliena, Domino rationabiliter invito, & detinere ea, quæ jure naturali, vel acquiſito pertinent ad alium.

Matth. 22.

Inſuper juſtitia, quæ eſt virtus generalis ab omnibus univocè obſervanda, prohibet poſſeſſionem rei alienæ, invito Domino, quoniam proprium & eſſentiale hujus virtutis, eſt reddere unicuique quod ſuum eſt, acproindè ipſi raptores tenentur reddere eas res, quas furtô habent; paritèr & uſurarij ad reſtitutionem pecuniæ, quam ex uſurâ habent. Hinc eſt quod D. Paulus ad Rom. cap. 13. verſ. 7. ait: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem: cui honorem, honorem, nemeni quidquam debeatis niſi invicem diligatis.* Indè enim infertur obligatio reſtituendi, quia ſi nullus poſſit licitè retinere tributum, quod debet alteri, pari ratione retinere non poterit rem, quam ab alio abſtulit furtò; cùm ſpoliatus ſit Dominus rei furatæ, ſicut alter eſt Dominus tributi. Et res furata ſit furi aliena, ſicut tributum eſt alienum illi qui noluit ſolvere illud, illudque fraude retinet.

Rom. 13.

Hanc ipſam veritatem docet Sanctus Tobias, qui auditâ voce Balantis hædi, quem uxor illius domum detulerat, dixit in cap. 2. verſ. 21. *Videte ne fortè furtivus ſit, reddite eum Dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Nonnè per hæc verba Tobias ſentit ſe obligatum, ad reſtitutionem eorum, quæ furtô habere poterat; cùm ibi doceret hædum eſſe reddendum Domino ſuo, ſi furtivus fuiſſet. Et declaret ſibi non licere ex re furto ſublatâ edere. Et cap. 4. verſ. 15. ait Filio ſuo: *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat*: quibus etiam docet, rem alienam eſſe reſtituendam; cum merces mercenarij ſit, juxtà illud Chriſti Matth. 20. verſ. 14. ad operarium *Tolle quod tuum eſt, & vade*: miror igitur Græcos, qui Scripturam Sacram habent, in tantum lapſos fuiſſe errorem; ut crederent furem non teneri ad reſtitutionem. Si velint Sacram Scripturam non eſſe ſic intelligendam, ut Latini putant, rationi naturali

Tob. cap. 2.

fidem adhibeant, quippè hæc lex unicuique præcipit, non facere alteri, quod ſibi fieri non vult, ut probat teſtimonium Tobiæ, cap. 4. verſ. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide nè tu aliquando alteri facias*; Sed nullus eſt etiam apud Græcos, qui non odiat ſe re ſuâ ſpoliari, unuſquiſque enim juſtè optat, ut quod ſibi furtu ſublatum fuit, reſtituatur: ideò qui furatus eſt, tenetur jure naturali reſtituere; alioquin non poteſt aſſequi vitam æternam.

Huic juri naturali ſuffragatur divinum ſanciens neceſſitatem reſtituendi, ſub pœnâ mortis æternæ Nam Deus Ezech. 33. verſ. 14. & 15. ait: *Si autem dixèro impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille Impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum, vita vivet, & non morietur.* Quoniam Deus hac lege promittit, ſe pœnitenti peccata donaturum ſub conditione, ſcilicèt modò rapinam, ſeu bona furtô ſublata reddat; hinc eſt, quòd ſublatâ conditione, hoc eſt, non reſtituto furto, Deus peccata non dimittit, idque certum eſt ex quartâ regula juris in 6. undè Propheta Regius Pſal. 6. verſ. 11. hortatur nos ad reſtitutionem his verbis: *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere.* Per iniquitatem intelligitur calumnia, & per rapinam lucrum injuſtum, tum ex occultâ injuſtitiâ, quale eſt calumniantium, tum èx manifeſtâ, quale eſt rapientium, ut notat Bellarminus in eumdem Pſalmum, idcircò indè prohibet tale Lucrum, ex furto, aut uſurâ proveniens. Et prohibendo illud ad reſtitutionem hortatur, ut ſuadent verba quæ ſequuntur: *Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* Id eſt, ad opes hoc titulo acquiſitas, nolite affectum ponere, ſeu nolite retinere, ſed reddite; nam ſi hæc reddendi obligatio aſtringat mutuarium, ut fatentur omnes, potiori jure debet obligare furem, & uſurarium ſub graviori pœna. Hujus rei ratio eſt, quia, inquit D. Auguſtinus fures rapiunt pecuniam fratri, & rapit illis Diabolus animam.

Ezech. 33.

Pſal. 6.

D. Auguſt.

Græcorum fundamentum eſt illud Luc. 11. verſ. 41. *Verumtamen quod ſupereſt date Eleemoſynam, & ecce munda omnia ſunt vobis.* Indè enim inferunt, Chriſtum docuiſſe ea, quæ neceſſaria non ſunt (inter quæ numerant ea, quæ noſtra non ſunt) danda eſſe pauperibus, acproindè etiam ea, quæ ex furto habemus, ſi ſuperſint; cùm non ſint noſtra. Inferunt inſupèr quòd omnia munda ſunt latroni, ſi rem furtó ſublatam det pauperibus: ergo (inquiunt) nulla eſt neceſſitas abſoluta reſtituendi eam Domino, cui fuit ſublata, etiamſi noſcatur.

Fundamentum Græcorum.

Huic authoritati reſpondeo ibi Chriſtum non loqui de his, quæ ſuperſunt ex furto, rapina, aut uſura, ſed ex bonis propriis juſtè, ac debitè acquiſitis, quæ ſi nobis neceſſaria non ſint, tenemur ea dare pauperibus. Hocque probari poteſt ex illo Tobiæ cap. 4. verſ. 7. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam*, non verò ex re furata, quæ cùm ſit Domini cui ſublata fuit, ipſi reddenda eſt: nam ex juſtitia unuſquiſque tenetur reddere alteri, quod ſuum eſt. Ratio manifeſtans furem non ſatisfacere dando eleemoſynam, eſt quia dare rem alteri, præſupponit in datore dominium; cùm nemo det quod non habet, nec plus transferat in alium jus rei, quam in ſe habet, ut tradit LXXIX. regula juris in 6. At fur non habet dominium rei furatæ, alioquin per furtum fieret legitimus rei Dominus, quòd eſt falſum: ergo non ſatisfacit præcepto, dando eleemoſynam pauperibus, ſi adhuc exiſtat, & cognoſcatur ejuſdem rei Dominus, res enim pro Domino ſuo clamat, ut ſolitò dicunt Caſuitæ. Si verò contingat furem ſatisfacere præcepto de reſtitutione faciendâ, dando

Evellitur Græcorum fundamentum.

pauperibus rem furatam, hoc eſt condiṫionaliter, id eſt, ſi ille cui debet fieri reſtitutio, ſit omninò ignotus: reſtitutio enim de incertis fit pauperibus, at reſtitutio horum bonorum, ex ſe petit fieri Domino, non pauperibus.

Ad ſecundam illationem dico quòd omnia munda ſunt Latroni, ſi eleemoſynam de bonis propriis det pauperibus, non verò de bonis alienis, nam eleemoſyna mundat diſpoſitivè, non autem formaliter, & effectivè, quia eleemoſyna reſiſtit pecca-
Eccleſ. cap. 3. ris, Eccleſ. cap. 3. verſ. 33. aut ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras, Tobiæ 4. verſ. 11. quia Deus ſpeciales gratias confert illis, qui pauperes diligunt, eiſque dant eleemoſynam, ut valeant fructus facere dignos pœnitentiæ, & ad ſanctificationem pervenire: etenim eleemoſyna non ſanctificat, aut mundat eos formaliter, cùm forma ſanctificationis noſtræ, ſit gratia habitualis; eleemoſyna autem ſit materia præcepti. Dives, qui eam denegat pauperibus, juſtifi-
Joan. 1. cari nequit, juxtà illud Joan. 1. cap. 3. verſ. 17. *Si quis habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum habere neceſſitatem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei eſt in illo*: Ideoque ſequitur eleemoſynam non mundare formaliter, ſed ſolum diſponere ad ſalutem conſequendam; licet dives, qui eleemoſynam denegat pauperi extremè indigenti, formaliter peccet.

ARTICULUS XXXIV.

Quo apparet contrà eoſdem Græcos nulli homini licere vindictam de Inimicis ſumere.

IDem Guido Carmelita ſupra citato refert quòd Græci, qui in primitivâ Eccleſiâ celebres erant in fide, credunt modò licitum eſſe decipere inimicum, nec peccare illum, qui odit inimicum ſuum, eique damnum infert; etiamſi ad hoc agendum perjuriis, aut alio quovis mendacio juvetur. Idem teſtimonium afferunt plures alij Scriptores in Catalogo hæreticorum. Hæc hæreſis verè dici poteſt, hæreſis Græcorum: nullus enim inſur-
Græc. rexit hæreticus, qui dilectionem inimicorum in Evangelio præceptam, impugnaverit, aut docuerit, non peccare eum, qui ſuo inimico damnum infert. Nullum adinveni Concilium veritatem noſtram definiens; unde Græci ſola authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum impugnari poſſunt.

Deus in lib. Levit. cap. 19. (in quo varia præcepta moralia, ac judicialia habentur) ait: *Non furtum fa-*
Levit. 19. *cies, non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum*; Sed inimicus eſt proximus noſter; cùm ſit capax beatitudinis; ideòque ex hoc præcepto divino, nullus poteſt citrà peccatum mentiri, ut inimicum ſuum decipiat, nec poteſt illi citra peccatum damnum inferre, præſertim in lege Evangelicâ in quâ nullus Chriſtianus poteſt habere inimicum, ut inquit Tertullianus, juxtà illud Matth. cap. 5. verſ. 43. & 44. ubi legitur Chriſtum dixiſſe: *Audiſtis quia*
Matth. 5. *dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Ex quibus conſtat, Chriſtum Redemptorem noſtrum prohibuiſſe inimicitias, & quodcumque malum inimicis inferendum.

Idem declarat D. Petrus in Epiſt. 1. cap. 3. verſ.
Petr. 1. c. 3. 9. dicens: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hæreditate poſſideatis,* Quibus verbis apparet, nullum Chriſtianum poſſe inimico ſuo nocere, quin peccet, imò tenemur illi bonum pro malo reddere, & illi dimittere ſub pœnâ damnationis æternæ, ut facilè colligi poteſt ex illo Matth. 6. verſ. 14. & 15. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra; ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*; Nam ibi Chriſtus indicat, veniam peccatorum noſtrorum dependere à venia inimicis concedenda. *Dimittite* (inquit apud Sanctum Lucam cap. 6.) *Et dimittemini, date, Luc. 6.*
& dabitur vobis: menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem, dabunt in ſinum veſtrum: eadem menſura quâ menſi fueritis, remetietur vobis.

Idem præceptum de inimicis diligendis habemus apud Divum Paulum, Epiſt. ad Rom. cap. 12. verſ. *Rom. 12.*
17. ubi ſic loquitur: *Nulli malum pro malo reddentes providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ſi fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes, non voſmetipſos defendentes Chariſſimi, ſed date locum iræ: Scriptum eſt enim, mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus; ciba illum: ſi ſitit potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.*

Iſtud præceptum adimplet qui inimico ſuo generalia exhibet dilectionis ſigna, quæ aliis hominibus *De modo*
ejuſdem conditionis exhibere ſolet; eſtque paratus *adimplendi*
ad ipſi præſtandum auxilium in extremâ, vel gravi *præceptum*
neceſſitate, quod præſtaret aliis; quidquid dixerint *de dilectione*
nonnulli exiſtimantes, ſigna ſpecialia dilectionis *ne inimicorum.*
eſſe neceſſariò exhibenda inimico, ut præceptum iſtud adimpleatur; hoc eſt, quòd cum eo familiariter agat, hoſpitio recipiat, ægrotum inviſeat, & ſimilia, quæ ſunt ſigna ſpecialia amoris; hæc quippè non exigit hujus præcepti obſervantia, niſi ex omiſſione horum omnium ſignorum ſequeretur ſcandalum, aut ruina proximi, quia tunc unuſquiſque teneretur exhibere inimico ſpecialia amoris ſigna, ea ratione, qua quilibet tenetur ſcandalum, & proximi ſui ruinam evitare. Hinc eſt, quòd ſalutatus ab inimico, tenetur ſalutare illum, eique exhibere eadem amoris ſigna, quæ ab eo ipſe recepit, quoniam tunc urget occaſio evitandi ſcandalum, & ruinam proximi. Certum enim eſt, quòd ſi non ſalutaret illum, tolleret diſpoſitiones ad reconciliationem, quam Chriſtus Sacrificio præfert, Matth. cap. 5. verſ. 23. ubi ait: *Si ergo offers munus tuum ad* *Matth. 5.*
altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare; & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres illud.

Tenore ejuſdem præcepti non ſolùm tenemur odium deponere, ſeu injuriam remittere inimico quoad odium internum, & iram: etiam ipſo non petente, necnon vindictam, aut ultionem, juxta illud Levit. cap. 9, verſ. 8. *Non quæres ultionem, nec* *Levit. 9.*
memor eris injuriæ civium tuorum, quia ira, & odium contrà proximum, ex ſe, & ex natura ſua, eſt intrinſecè malum charitati repugnans, ſed tenemur inſuper, quandò petit veniam, & ex animo ſe offert ad ſatisfaciendum pro injuria & damno illato; illi exhibere ſpecialia dilectionis ſigna, ne inimico præbeatur vehemens occaſio renovandi inimicitias, & aliis grave ſcandalum. Ratio eſt quia iſtud præceptum Chriſti Matth. 5. verſ. 24. ſuprà relatum; quo, præfertur reconciliatio, ſacrificiu, obligat ſub pœna divinæ indignationis teſte D. Auguſtino in En- *D. Auguſt.*
chirid, cap. 74. dicente: *Quiſquis veniam negat & petenti ſi è pœnitenti, non ex corde dimittit, nullo modo exiſtimet à Domino ſua peccata dimitti,* Itaque nullus poteſt citrà

Digitized by Google

peccatum, vindictam ſumere de inimicis ſuis, nec poteſt citrà hæreſim pronunciare, quod licitum eſt nocere inimicis, à quibus injuriam accepimus, quamvis non teneamur actionem contrà inimicum coram judice intentam intermittere, modò depoſito quocumque odij, vel vindictæ affectu, jus noſtrum proſequamur, & proſecutio apud judicem ad ſententiam obtinendam, ſit neceſſaria ad conſulendum honori, & famæ.

Plura promittuntur beneficia dil gentibus inimicos.

Sunt aliæ quam plurimæ rationes ad inimicorum dilectionem inducentes, quarum prima eſt bonum proprium omnibus aliis dignius, quod promittit Chriſtus Matth. 5. dicens: *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis Filij Patris veſtri, qui in Cœlis eſt*, ſi enim diligia amicum, amor ille non eſt ſignum filiationis divinæ, nam Publicani, & Ethnici hoc faciunt, tamen non ſunt Filij Patris cæleſtis ea filiatione, quâ Filij ſunt hi, qui diligunt inimicos. Altera ratio eſt victoria, quam ſuadet Paulus ad Rom. 2. dicens. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, ſi eſurierit &c.* ut ſuprà quibus conſtat, quòd ille, qui diligit inimicum ſuum, eum ſibi acquirit. Undè D. Auguſtinus ait: *nulla major provocatio ad amorem, quàm prævenire amando.* Nullus quidem ita durus eſt, qui etſi dilectionem nolit impendere, nolit etiam rependere eam, quoniam ut dicitur Eccleſ. *Amico fideli nulla comparatio.* Deindè preces illius, qui diligit inimicos, faciliùs exaudiuntur à Deo, ut probat exemplum Chriſti, qui exauditus fuit pro ſua reverentia dum oravit pro Judæis, qui Crucifigebant eum, & dixit: *Pater ignoſce illis.* Nec non exemplo Sancti Stephani, qui orando pro inimicis ſuis, Paulum convertit Eccleſiæ, & vidit cœlus apertos. Tandem qui inimicos ſuos diligit, eiſque injuriam condonat, miſericordiam conſequitur, juxtà illud Luc. 6. *Eadem menſurâ quà menſi fueritis, remetietur vobis.* Et verſ. 37. *dimitte, & dimittemini.* Et Matth. 5. *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:* Igitur ſumma perfectio eſt diligere inimicos, nulla enim major miſericordia eſt, quàm offendenti dimittere & benefacere bis, qui oderunt nos.

Reiicitur græcorum reſponſio.

Græci reſpondent hæc verba in quibus fundatur obligatio diligendi inimicos, non continere præceptum, ſed Conſilium. Eorum ratio eſt, quia nullam pœnam imponit, ſed beneficium promittit, addit enim, *ut ſitis Filij Patris veſtri.* At hæc ratio non valet, quia ibi Chriſtus loquitur modo Imperativo: inquit enim *diligite inimicos veſtros*, quæ verba condunt præceptum, ſi attentè conſiderentur hæc: *Ego autem dico vobis*, quæ præcedunt. Hocque declaravit Chriſtus homines alloquens, in perſona Apoſtolorum his verbis: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Ita ſentiunt omnes Sancti Patres.

ARTICULUS XXXV.

Improbat Polygamiam.

CUm hæreſis affirmans, licitum eſſe promiſcuum mulierum uſum, & nullum poſſe cum muliere vinculum indiſſolubile contrahere, ſit longè diſpar, & diverſa ab ea, quæ permittit pluralitatem uxorum, quia talia promiſcua connubia, non ſunt vera matrimonia; non ſunt hîc impugnandi, nec adducendi Nicolaitæ; & alij hæretici, qui promiſcuum mulierum uſum propugnant, cùm alibi videri poſſint convicti; ſed nobis ſufficit adducere, & impugnare eos, qui volunt unum virum poſſe pluribus uxoribus nubere; hi autem ſunt Mahometani, ſic vulgò nuncupati, quicumque apud Agarenos & Saracenos informem ſequuntur, & Diabolicam Mahometicæ religionis formam, ſeu religionem à Mahomete PſeudoProphetâ viro natione Arabe, & conditione mercatore viliſſimo, Antichriſti præcurſore, in perniciem animarum infeliciter ortam, circà annum Domini DCXXX. tempore Heraclij Imperatoris, & Honorij Summi Pontificis, ut referunt innumeri Scriptores, qui vitam, mores, & impietates ejus referunt. Plures errores in ſuo Alcorano præcipit ille novus impiiſſimus legiſlator, & inſtitutor ſectæ, quâ nulla impior. Negat enim cum Sabellio, Trinitatem perſonarum, aſſerit cum Ario, & Eunomio Chriſtum puram eſſe creaturam. Cum Donatiſtis negat Eccleſiæ Chriſti myſteria. Cum Epicuro in corporis voluptate ponit ſupremam felicitatem, ſeu bonum ſupremum. Tandem permittit pluralitatem uxorum, vultque Polygamiam eſſe licitam, imò & neceſſariam homini, quamvis ſolemniter prohibeatur in Sacrâ Scripturâ, ſitque contraria inſtitutioni, & naturæ matrimonij, quod eſt contractus, quo unus conjux tradit corpus ſuum pro corpore, quod ab alio recipit: cùm in matrimonio ſit mutua corporum traditio, quæ inter duo corpora dumtaxat eſſe poteſt, ut ex infrà dicendis evidenter conſtabit.

Mahometani.

Polygamiſtæ ex Anabaptiſtarum ſecta exorti

Huic hæreſi adhæſerunt quidam ex Anabaptiſtarum familia dicti Polygamiſtæ, qui teſte Staphilo Mahometanorum impietatem auxerunt; etenim docuerunt anno MDXXX. nedum licere uni viro plures habere uxores ſimul, & eodem tempore; ſed etiam licere fratri, uxorem vivi fratris ducere. Tali nomine vocari voluerunt, & diſtingui ab Anabaptiſtis, nolentes cum ipſis dicere, mulierem eſſe obligatam ad coëundum cum quolibet viro eam petente, & omnem virum eſſe adſtrinctum ad reddendum cuilibet mulieri debitum ab illo petenti. Undè ad repellendam hanc libertatem, aut obligationem impoſitam mulieri pariter & viro reſpectu uniuſcujuſque mulieris, maluerunt affirmare, unum virum poſſe habere ſimul plures uxores matrimonio ſibi copulatas; & ſic inciderunt in Syllam cupientes vitare Caribdim. Hæc hæreſis Polygamiſtarum ſtatim approbata, & promulgata fuit à Martino Bucero, patriâ Argentinenſi, Lutheri diſcipulo; qui in hac parte magiſtrum ſuum deſervit, per hoc tamen minimè inculpabilis evaſit; imò deterior effectus eſt, quia deſerendo Lutherum, Mahometis amplexus eſt hæreſim.

Bucerus.

§. I.

Quò prohibetur Uxorum pluralitas.

Concilium Nicænum primum.

JUxtà Eminentiſſimum Cardinalem noſtrum de Laureâ in Epitom. Can. litera v. §. *uxorum pluralitas*, Concilium Nicænum primum ex Arabico Can. 66. celebrato anno CCCXXV. ſub Silveſtro Papâ & Imperatore Conſtantino pro determinanda feſti Paſchalis die, contrà quartadecimanos pro extinguendo Meletij Schiſmate, & pro tuendâ verbi æterni divinitate contrà Arium, prohibet Polygamiam, & declarat nulli viro licere, nubere pluribus uxoribus. Eadem prohibitio habetur in lib. Conſtitut. Apoſtolic. Can. 2. & in variis textibus juris Canonici. Tandem in Tridentino ſeſſ. 24. de Sacramento Matrimonij Can. 2. ubi legitur: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege prohibitum: Anathema ſit.* Et in doctrina de eodem ſacramento inquit: *hoc autem vinculo duos tantummodò copulari, & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba tanquam à Deo pro-*

Tridentinum.

lata referens dixit : itaque jam non ſunt duo , ſed una caro : ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam , his verbis confirmavit , quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet : Ex quibus ſeqoltur matrimonium eſſe vinculum ex inſtitutione ſua petens eſſe duorum dumtaxat , ſeu eſſe tantum inter unum virum , & unam mulierem. Hanc ipſam veritatem jam longè antè definierant Syricius Papa Epiſt. 1. Innocentius I. Epiſt. 9. Innocentius III. in in cap. *De divortio* , & alij plures Summi Pontifices, quorum deciſio, aut coostiturio ſufficit ad declarandam aliquam propoſitionem hæreticam.

Conſtitutiones Pontificia.

Pluralitas uxorum prohibetur à lege divina, quâ ligantur omnes , & ſinguli homines. Hac quidem lege licet uni viro , unam tantum habere uxorem, ut conſtat ex ipſa primaria matrimonij inſtitutione, in qua Deus non pluribus ,ſed uni mulieri virum copulavit , & uni viro mulierem ; nam Geneſ. cap. 2. verſ. 22. refertur, quòd ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem , & adducit ea ad Adam. Unde de utroque in primis hominibus ad conjugium deſtinato ſic loquitur in primo capite ejuſdem libri , verſ. 27. *Maſculum & fœminam creavit eos* , ſignificans per hoc , non unam mulierem pluribus viris , nec plures mulieres uni viro ; ſed unum virom uni mulieri in matrimonio eſſe copulandum , aut ut clarius loquar , ſignificans per hæc verba , Monogamiam dumtaxat eſſe licitam , & permiſſam. Hinc eſt primò quòd in cap. 2. Deus non dixit quod vir adhærebit uxoribus ſuis ſed uxori ſuæ ; nec dixit quod in matrimonio tres vel quatuor erunt duo in carne una , ſed tantum quod duo erunt in carne unâ. Nec Adamus cap. 3. verſ. 12. dixit : *mulieres quas dediſti mihi ſocias* ſed *mulier quam dediſti mihi ſociam* : quòd denotat , Deum voluiſſe matrimonium eſſe conjunctionem unius cum una , non cum multis ; alias nedum unam fœminam creaſſet Deus , ſed multas , quas potuiſſet in uxores adducere Adamus. Secundò quòd in cap. 5. verſ. 2. appellat conjuges uno , eodemque nomine dicens : *Maſculum & fœminam creavit eos , & benedixit illis ; & vocavit nomen eorum Adam* ut videamus matrimonium eſſe quoddam compoſitum ex uno viro, & una muliere conſtans , ſecluſis alijs compartibus ; cùm nomen illud , *Adam* ; uni mulieri tantum , videlicet Evæ datum fuerit ; quoniam vir , & mulier ſunt una caro per uſum matrimonij.

Lex divina pluralitatem uxorum prohibet.

Geneſ. 2.

Hanc ipſam veritatem docuit Chriſtus Matth. 19. verſ. 4. & ſequentibus , ubi revocat matrimonium ad primam inſtitutionem, quam vult deinceps valere , cùm reſpondit Phariſæis ab ipſo quærentibus, an licèret homini dimittere uxorem ſuam, quacumque ex causâ , dicens : *Qui fecit hominem ab initio , maſculum , & fœminam fecit eos , & dixit : propter hoc dimittet homo Patrem , & Matrem ; & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una ; itaque jam non ſunt duo, ſed una caro ; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Per hæc quidem verba Salvator noſter voluit oſtendere Phariſæis , non licere viro primâ uxore vivente , alteram ducere , neque primam dimittere ut obſervat D. Hieronymus in Comment. ſup. Matth. eadem verba ſic interpretans : *In exordio Geneſis ſcriptum eſt , dicendo autem maſculum , & fœminam ; oſtendit ſecunda vitanda conjugia ; non enim ait : maſculum & fœminas , quod ex priorum repudio quærebatur , ſed maſculum & fœminam ; ut unius conjugis conſortia necterentur, & dixit propter hoc relinquet homo Patrem , & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ , ſimiliter ait ; adhærebit uxori ſuæ, non uxoribus , & erunt duo in carne una : præmium nuptiarum è duobus unam carnem fieri , caſtitas juncta ſpiritui unus efficitur ſpiritus.*

Matth. 9.

D. Hieronymus.

Idque non minus clarè explicat in lib. 1. contrà Jovinianum his verbis : *una coſta in principio in unam mulierem verſa eſt , & erunt inquit , duo in carne una, non dixit tres, neque quatuor , alioquin non duo , ſed plures. Primus Lamech Sanguinarius , & homicida unam carnem in duas diviſit uxores , fratricidium , & bigamicum, eadem Cataclyſmi pœna delevit.* Quibus conſtat Deum prohibere uxorum pluralitatem ſimultaneam. Hæc qoidem bigamia de qua loquitur D. Hieronymus, non eſt ea , quâ bigamus eſt ille vir , qui mortuâ primâ uxore , duxit aliam , ſed eſt illa , quæ pro Polygamia ſumitur, cum ex eodem Sancto Doctore, mortuâ uxore , liceat viro viduo , aliam uxorem ducere.

Hæc veritas patet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 2. dicens : *Propter fornicationem autem, unuſquiſque ſuam uxorem habeat , & unaquaque ſuum virum habeat.* Ubi duo advertenda ſunt ex illo textu, unum explicitè, & aliud implicitè. Primum eſt quod unicuique permittit ducere uxorem , non plures, non enim dixit *ſuas* , ſed , *ſuam* : hoc eſt non duas, ſed unam , hancque ſolam. Alterum eſt quòd dicit propriam uxorem , & non proprias , quoniam ly *ſuam* , idem ſignificat ac *propriam* : nulla autem res poteſt verè eſſe propria alicui , niſi ille , cui propria dicitur , ſingularem , & nulli alteri communem, in ea re habuerit poſſeſſionem, quia ſi multi illam poſſident , neutri erit propria , ſed communis multis; Hoc ſuppoſito facilè infertur ex verbis Apoſtoli nulli viro licere habere plures uxores , ibi enim æqualiter loquitur de uxoribus , ac de viris , ut ex proprio textu conſtat , idcircò vult , quòd vir ſit unius uxoris , id eſt quòd habeat tantùm unam uxorem : dato enim quòd unus vir , habeat tres uxòres, certum eſt quòd nulla ex ipſis habet proprium virum , cùm aliæ duæ , habeant eumdem. Et vir ille ſit ita communis tribus, ut nulla poſſit dicere, meum virum, vel habeo proprium virum : quemadmodum ſi una mulier haberet tres viros , nullus eorum poſſet dicere de muliere illa, hæc mulier eſt uxor mea, nec dicere poſſet , habeo uxorem propriam mihi. Paulus tamen dicit quod unaquæque habeat ſuum virum , ſeu unum tantum , qui ſit illi proprium ; itaque vult quòd vir habeat tantum unam uxorem; & uxor unum virum tantum.

1. Ad Corinth. 7.

Idem ſuadet ratio ex natura matrimonij deducta; nam in matrimonio intervenit quidam contractus, quo conjuges corpora ſua permutant ad actum generationis , ſic docente eodem Apoſtolo loco citato verſ. 4. his verbis : *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet , ſed vir : ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier* : Igitur vir , qui unam habet uxorem , nequit nubere alteri , quia daret illi id, quod non habet ; cùm daret quod eſt alterius , ſcilicet corporis ſui poteſtatem , quæ eſt prioris uxoris ex iuſtitia , quæ dat mulieri corpus viri , mulier ſiquidem quandò viro nubit, non tradit illi gratis poteſtatem corporis ſui , ſed propter æqualem compenſationem, hoc eſt. Quia ille vir, tradit etiam mulieri poteſtatem corporis ſui , idcircò vir ille, qui unam habet uxorem , non poteſt abſque injuſtitia, ſe tradere alteri; cùm non habeat poteſtatem corporis ſui , imò nec recipere aliam mulierem , quia iſta ſecunda mulier , vivente prima , non poteſt illi dare poteſtatem corporis ſui , niſi commutando, hoc eſt , recipiendo poteſtatem corporis viri , qui cùm non habeat illam poteſtatem , nequit recipere poteſtatem corporis hujuſce ſecundæ uxoris ; etenim hæc acceptio , aut donatio , non eſſet mutua, nec reciproca, quia non poſſet acquirere poteſtatem in corpus viri jam priori uxori datam ; at hoc eſt contrà naturam matrimonij , quod contrahi nequit ſine traditione corporum , ut notant omnes Theo-

Ex naturâ matrimonij prohibetur Polygamia.

logi , tàm ſcholaſtici , quàm morales , qui docent unanimiter traditionem corporum eſſe materiam proximam hujus ſacramenti : igitur uxorum pluralitas eſt contra naturam matrimonij.

Anabaptiſtarum inſtantia.

Anabaptiſtæ dicunt , virum non tradere primæ uxori corporis ſui poteſtatem ità plenam & integram , ut non habeat adhuc aliquam poteſtatem tradendi ſecundæ corpus ſuum , cùm unus vir poſſit cum duabus , vel tribus habere fructum nativitatis: generatio quidem fit in inſtanti , & ſemel facta ſuperfluum eſt ad mulierem gravidam accedere, ideòque nulla eſt ratio , quæ viro prohibeat pluralitatem uxorum.

Verum hæc inſtantia argumentum noſtrum authoritate Apoſtoli ſuffultum minimè infirmat. Nam poteſtas de qua hìc agitur , non reſpicit poſſibilia, ſeu ea , quæ ab ipſa haberi poſſunt , certum quidem eſt , quod una mulier nequit ſufficere potentiæ generativæ viri , ſed reſpicit actus , aut exercitium conjugale corporis viri , quod eſt mutuum; id eſt, reſpicit corpus quatenus alligatum eſt uxori,cui vir in primo matrimonio dedit poteſtatem corporis ſui eo modo , quo mulier dedit illi potentiam corporis ſui , atqui mulier dando corpus ſuum viro , nullam ſibi reſeruat poteſtatem corporis ſui , datque eam ità plenam & integram, ut nullatenùs poſſit eam dare alteri viro , ut fatentur Anabaptiſtæ, qui licet admittant Polygamiam , improbant tamen virigamiam: Igitur vir etiam dat eam plenam & integram uxori ſuæ ; aliàs non daret tantum , quantum acciperet , nec mutua eſſet corporum traditio ; quòd eſt falſum , quia Paulus de viri & uxoris poteſtatibus loquens , pares in hac parte facit eos ; undè ſtatim ſubdit : *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus ut vacetis orationi ; & iterum revertimini in idipſum ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram* , ut ſignificet unum conjugem date plenè alteri conjugi poteſtatem corporis ſui, unumquemque teneri ad reddendum debitum , id eſt, virum uxori , & uxorem viro , fraus autem illa in matrimonio à conjugibus vitanda,eſt coitus,quem mulier adultera & vir adulter habent , qui eſt contra debitum quod debent ſibi invicem reddere ; porrò hoc debitum , non poteſt pluribus uxoribus reddi à marito ; nam ſupponamus quòd tres uxores ſimul petant debitum conjugale ab illo viro cujus ſunt , quæro ab Anabaptiſtis , & alijs hæreticis,cui illarum tenebitur vir reddere debitum , aut omnibus , aut uni tantum , non omnibus ſimul , quia omnibus ſimul reddere illud non poteſt : ergò uni tantum. Hoc enim ſuppoſito , neceſſè eſt quòd una recuſetur , ergò unam uxorem tantum habere poteſt, etiamſi hæc ſit gravida , quia vir poteſt citrà peccatum ad uxorem gravidam accedere , modò abſit abortûs periculum, quia effectus matrimonij non privat virum jure , quod habet in corpus uxoris ſuæ ; nec per prolem conceptam Sacramentum matrimonij ceſſat eſſe remedium concupiſcentiæ.

Refutatur Anabaptiſtarum inſtantia.

Hoc confirmant Evangeliſtæ Matth. cap. 5. verſ. 32. Marc. cap. 10. verſ. 11. Luc. cap. 16. verſ. 18. declarantes eum mæchari, qui dimiſsâ uxore, aliam duxerit. Potiori autem jure mæchatur , qui retentâ uxore , aliam ducit ; cùm in hoc ſenſu plures habeat uxores. Et in alio caſu , ſeu dimiſsâ uxore , habeat tantùm unam ſeu eam , quam duxit dimiſsâ priore. Idcircò ſicut nullus vir poteſt licitè uxorem ſuam dimittere , & aliam ducere , ità nullus poteſt aliam ducere quamdiù ſua vivit. Hujus prohibitionis ratio eſt , quia ille , qui dimiſsâ uxore , aliam ducit, habet ſimul duas uxores. Quòd ſubſiſtit etiam in illo , qui retentâ primâ , ducit aliam.

Matth. 5.

Idem inſinuat Apoſtolus ad Rom. 7. verſ. 2. & 3. *Rom. 7.* dicens : *Quæ ſub viro eſt mulier , vivente viro , alligata eſt legi , ſi autem mortuus fuerit vir ejus , ſoluta eſt a lege viri: igitur vivente viro , vocabitur adultera , ſi fuerit cum alio viro ; ſi autem mortuus fuerit vir ejus , liberata eſt à lege viri,ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.*

Dicent hæretici hanc Apoſtoli prohibitionem eſſe ex parte mulierum , quæ plures viros habere non poſſunt , non autem ex parte virorum , ut clarius inferri poteſt , ex 1. ad Corinth. cap. 6. verſ. 39. ubi habetur : *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit , quod ſi dormierit vir ejus , liberata eſt , cui vult nubat tantum in Domino.* Hoc enim non dicitur , niſi de muliere vidua , hocque ità ſtrictè , ut homini convenire non poſſit, quoniam viris videtur permitti plurium mulierum uſus.

Vir, & fœmina pares ſunt quantum ad debitum conjugale.

Reſpondeo quòd non valet hæc interpretatio,quia Apoſtolus de viro dicit,ſaltem implicitè , quòd expreſsè dicit de muliere ; cùm velit virum & fœminam pares eſſe quantum ad fidem , & debitum conjugale , ut jam ſuprà probatum eſt ex 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 7. hæc autem æqualis obligatio reddendi debitum conjugale , fundatur in traditione corporum , quæ cùm æqualis ſit , & mutua , id eſt, cum tam det mulier viro , quàm vir mulieri , & unum corpus pro alio tradatur , ſequitur quòd vir eſt uxoris ſuæ, ſicut mulier eſt viri ſui : eadem quippè obligatio ligat utrumque æqualiter , ſcilicet virum uxori inſeparabiliter , & uxorem viro, quoad vinculum, quod cùm indiſſolubile ſit , nullus poteſt ſe alteri alligare , durante primo vinculo , hoc eſt, alio conjuge vivente , quoniam ut quis ſe alteri alliget , debet eſſe ſolutus ab uxore : idcircò ſi ex Apoſtolo , mulier poſſit eſſe tantum unius viri , vir etiam non poteſt eſſe niſi unius uxoris , acproindè Polygamia tàm prohibetur ex parte virorum,quàm ex parte mulierum.

Innocentius III.

Undè Innocentius III. cap. *Gaudemus* , de divortijs inquit : *nulli umquam licuit ſimul plures habere uxores , niſi cui fuit divinâ revelatione conceſſum.* Sunt aliæ rationes ex finibus matrimonij deducendæ , quæ evidenter demonſtrant , Polygamiam repugnare ſtatui conjugali ; ſed eas omitto (quoniam facilè videri poſſunt apud Theologos morales) ut citius à nobis confundantur hæretici , & rejiciantur rationes eorum.

§. II.

Reſpondet objectionibus.

Polygamia fuit licita in veteri lege.

HÆretici volunt Polygamiam eſſe licitam Chriſtianis , quoniam olim ſcilicet in veteri Teſtamento licita fuit , ſcimus enim (inquiunt) quod Abraham , Jacob, Elcana , David , & alij poſt diluvium habuerunt plures uxores , quibus utebantur licitè. Chriſtiani autem non ſunt deterioris conditionis , nec jugum ipſorum gravius eſt jugo antiquorum Patrum; ideòque vir in lege nova poteſt habere plures uxores , ſicut eas habuit in lege veteri,

In veteri lege polygamia non fuit licita omnibus.

Reſpondeo huic Argumento , hanc rationem , ſeu exemplum Patriarcharum non ducere ad conſequentiam. Plures quidem habuerunt uxores inculpabiliter propter divinam diſpenſationem , aut revelationem divinam de hoc factam illis omnibus. Hæc autem promiſſio non fuit communis omnibus illis , qui fuerunt in lege veteri , ut tradit Innocentius III. loco citato. Nec data fuit alicui ex illis qui fuerunt in lege novâ : *Non eſt enim* , inquit Divus Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 15. *Nunc propagandi neceſſitas , quæ tunc fuerat , quandò & paren-*

tionis conjugibus, alias, propter copioſiorem poſteritatem ſuperducere licebat, quod nunc certè non licet, nam tantum affert opportunitas ad aliquod juſtè agendum, ſivè non agendum temporum ſecreta diſtinctio, ut non melius faciat qui nec unam duxerit, niſi ſe continere non poſſit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant, & qui ſe multò facilius continere poſſent, niſi aliud pietas illo tempore poſtularet. Sanè D. Auguſtinus apertè docet, rationem matrimonij Chriſtianorum eſſe longè diverſam à ratione matrimonij eorum, qui erant in veteri lege, nam ſicut pro varietate temporum, humana etiam variantur ſtatuta, ità Deus pro varietate temporum, varias condidit leges, variaſque etiam diſpenſationes conceſſit; quin liceat homini uno tempore facere quod fecit in alio, & per conſequens nullus poteſt in nova lege plures habere uxores, quamvis in antiqua nonnulli eas habuerint; quia Deus in nova lege prohibet Polygamiam, quam in veteri permiſit nonnullis ob rationes, quæ nunc non ſubſiſtunt. Nec per hoc jugum Chriſtianorum fit gravius jugo antiquorum, hæc enim uxorum pluralitas eſſet maximus fomes diſcordiæ, quia multarum rixarum, & contentionum præberet occaſionem. Quælibet uxor ut virum ſibi magis propitium, & ardentiorem ſui amatorem faceret, ſemper procuraret illum alteri uxori reddere inviſum & infeſtum, quòd ſanè viri animum perturbaret.

D. Auguſt.

Addunt quòd in lege veteri, non ſolùm aliquibus particularibus perſonis, ſed omnibus conceſſum fuit duas habere uxores; idque probant ex illo Deuteron. cap. 21. verſ. 15. & ſequentibus: *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcat primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit cuncta duplicia, iſte eſt enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.* Ex quo inferunt quòd in veteri lege, nulla erat prohibitio facta à Deo contrà Polygamiam, imò erat licitum, omnibuſque permiſſum habere plures uxores, quoniam ſi hoc non fuiſſet, lex nihil ſtatuiſſet de Filijs duarum uxorum; cùm tunc altera earum non fuiſſet uxor, ſed adultera, ſicut modò adultera eſſet mulier, quæ nuberet viro jam habenti uxorem. Et Filius adulteræ non debuiſſet præferri Filio uxoris legitimæ.

Deuteron. 21.

Reſpondeo ſuppoſitum eſſe falſum. Nullus enim in veteri lege habuit plures uxores ſine diſpenſatione, aut revelatione, ut jam vidimus. Ad probationem dico; quòd ſi verba legis Moſaicæ attentè conſiderentur, cognoſcemus prædicta verba non permittere Polygamiam, nec oſtendere pluralitatem uxorum fuiſſe in veteri Teſtamento conceſſam omnibus, ut putant hæretici. Nam lex illa non utitur verbo præſentis temporis, ſic dicens: *Si habet homo uxores duas*, ſed utitur verbo præteriti temporis ſic dicens *Si habuerit homo uxores duas*, Unde colligitur, ipſam legem Moſaicam non inſinuare, uxorum pluralitatem fuiſſe licitam, ſed ſolum hominem poſſe habere duas uxores ſucceſſivè, ſcilicèt ſecundam, mortuâ primâ, non verò duas ſimul. Plures quidem ſunt in nova lege, qui duas uxores habuerunt, quorum una fuit dilecta, & altera odioſa, ſeu qui duas nuptias contraxerunt, & de utroque cõjugio filios habuerunt; nullus tamen eſt, qui duas uxores habeat, indè tamen, ſeu ex lege permittente Chriſtianis ſecundas nuptias, nullos poteſt inferre pluralitatem uxorum eſſe licitam Chriſtianis, itá nec ex lege Moyſi ab Anabaptiſtis inductâ colligi poteſt, Polygamiam eſſe licitam, quamvis dicat: *Si habuerit homo duas uxores*, cùm etiam in novo Teſtamento condi poſſit eadem lex, ſcilicèt, *ſi habuerit &c.*

Vera textus ex Deuteronomio deducti explicatio.

Ut autem appareat hujus interpretationis veritas, advertendum eſt quòd Moyſes conceſſerat legem repudij, (ſicut legitur in cap. 24. Deuteron.) & facultatem ducendi aliam, priore ob legitimas cauſas repudiata hoc animô, ſcilicet nè vir ad Filium uxoris repudiatæ extenderet odium, quod contrà priorem uxorem conceperat, ità ut eum ob matris odium, privaret primogeniturâ; undè cum hæc privatio ſit contrà legem naturalem, lex prædicta ſtatuit primogenituram fore ſemper firmam penès Filium prioris uxoris repudiatæ; etiamſi exiſtant Filij ex dilecta nati, quoniam nonobſtante repudio matris, ſemper Filius eſt principium liberorum Patris: Igitur Moyſes in lege citata non loquitur de duabus uxoribus ſimul retentis, ſed de duabus, quas ſucceſſivè vir habuit, quique de utraque legitimè ductâ legitimos filios habet, quorum primo natus debet alijs præferri, quamvis mater ipſius ob cauſas in lege permiſſas, repudiata fuerit, repudiatâ ſiquidem matre, non repudiabatur Filius, acproindè ex illa authoritate Moyſi, Anabaptiſtæ non debent concludere, Polygamiam fuiſſe permiſſam omnibus in veteri lege, ſed ſolùm debent concludere contra Montaniſtas, Novationos, & alios hæreticos, ſecundas nuptias eſſe licitas, vel licitum eſſe dimittere uxorem adulteram, de quo hic non eſt controverſia, eritque in ſuo loco.

ARTICULUS XXXVI.

Expugnat Tatianitas uſum vini hominibus prohibentes.

Tatianus Juſtini Martyris, & Philoſophi Diſcipulus, qui ex Samaritanis in Chriſtum credidit, ſed à mente Magiſtri ſui longè alienus, docuit ſub Marco Antonino Imperatore, & Sotero Papâ, circà annum Domini CLXXIII. nullo pacto licitum eſſe hominibus uti vino; teſte Divo Hieronymo in commentarijs ſuper Prophetam Amos. In hoc errore (ſicut in alijs plurimis) Tatiano poſt glorioſam Juſtini mortem à veritatis tramite devianti adhæſerunt plures, qui dicti fuerunt Tatianitæ, non ab errore, ex hac quidem parte potiùs Aquarij vocarentur apud D. Auguſtinum lib. de hæreſ. cap. 4; ſed ab authore, ſeu à Tatiano natione Syro, qui licet vivente Juſtino, in fide conſtans perſeveraverit; Juſtini tamen poſt obitum, de fide malè ſentire cepit, & plures errores docuit, quorum unus uſum vini prohibet, etiam in Sacrificio, ſicut Aquarij de quibus erit ſermo in Articulo de conſecratione Calicis.

Tatiani.

Anno CLXXVIII. ſe Tatianitis conjunxerunt alij hæretici nuncupati Encratitæ, ſic dicti quaſi continentes, qui proprijs hæreſibus, quas prædicabant, addiderunt iſtam adversùs vinum, quod aſſerebant prohibitum à lege divinâ. Eodem anno inſurrexerunt Severiani, qui damnabant cibos, quos Deus humano generi propoſuit ad veſcendum. Et aſſerebant nulli licere vinum bibere; ut teſtatur D. Iſydorus. His omnibus poſteà, ſcilicèt anno Domini CCLXXIX. ſub Aureliano Imperatore, & Fælice Papâ, ſucceſſerunt Cathariarij, ſeu Catharistæ, ſectâ Manichæi, qui inter plures errores, quos impugnavit D. Auguſtinus, aſſerebant, nullum hominem poſſe citrà peccatum bibere vinum. Ratio eorum erat, quia vinum eſt fel Diaboli; veſcebantur tamen Uvis, teſte Philaſtrio eorumdem Catharistarum errorem referente. Sed hæc prohibitio vini citiùs abo-

Encratitæ.

Severiani.

Cathariſtæ.

lita fuit, ſtatim enim prævaluit apud ipſos Tatianitas, & Encratitas, uſus bibendi vinum, ut referont plures authores. Tandem Mahometes ille maledictiſ-
Mahometes ſimus Arabs Pſeudopropheta, profeſſione mercator viliſſimus, Prænuntius Satanæ, & Antichriſti Præcurſor, in perniciem animarum plures ab inferis revocavit errores ſub Heraclio Imperatore, & Honorio I. Romanorum Pontifice, circà annum Domini DCXXX. inter quos errores, eſt iſte de uſu vini ſub damnatione prohibeodo.

§. I.

Uſus vini declaratur licitus.

NUllum eſt Concilium quod uſum vini præcipiat, nullumque eſt, quod illud prohibeat, & ideo nullum poteſt afferri, quod hanc Tatianitarum, Encratitarum, & aliorum hæreſim damnet; plures tamen ſunt in corpore juris Canonici textus, qui vetant exceſſus in potu, ut videri poteſt in diſput. 35 decretorum Gratiani, & præſertim in Canone *Luxuriosa res Luxuriam facit*, ubi legitur: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: omnis qui cum his miſcetur, non erit ſapiens, Luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura*: ideo ſequitur contrà hæreticos, uſum vini non eſſe prohibitum hominibus, benè verò nimiam ipſius perceptionem, hoc eſt, Ebrietatem. Obiter tamen obſervandum eſt, hujus hæreſis condemnarionem poſſe ſaltem indirectè inferri ex Conciliis, in quibus explicitè contrà Aqua-
Lateranenſe ſub Innocentio. rios ſolam aquam conſecrandam eſſe exiſtimantes, declaratum fuit panem triticeum eſſe materiam Euchariſtiæ, & ſolum vinum de vite eſſe materiam Calicis conſecrandi. Hæc Concilia ſunt Lateranenſe ſub Innocentio celebratum anno MCCXV cum MCCLXXXV partibus pro damnandis Albigen-
Carthaginenſe III. ſium, & Almarici, necnon Joachimi Abbatis hæreſibus. Et Carthaginenſe III. celebratum juxtà Communiorem opinionem anno CCCXCVII ſub Syricio Papâ. Nam ſi Sacerdos teneatur conſecrare vinum in ſacrificio Miſſæ, & Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini ſumere, certum eſt quòd vinum nequit eſſe res à Deo prohibita, ſed res uſualis, cùm Euchariſtiæ Sacramentum fuerit inſtitutum à Chriſto Domino per modum convivij.

Nullus eſt in Scripturâ Sacrâ textus, qui vinum abſolutè prohibeat, imò plures ſunt, qui licitum declarant ipſius uſum: legimus enim in lib. Eccleſ. cap. 31. verſ. 35. & ſequentibus, effectus vini eſſe ſalutares, modò potetur moderatè. *Vinum*, inquit
Uſus vini Licitus eſt Eccleſiaſticus, *in Jucunditate creatum eſt, non ad Ebrietatem ab initio, exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum; ſanitas eſt animæ, & corporis ſobrius potus.* Idem
Eccleſ. 31. docet D. Paulus 1. ad Timotheum cap. 5. verſ. 23.
Ad Tim. 5. dicens: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates:* Ideòque prohibere vinum abſolutè, eſt hæreticum, cùm Sacra Scriptura permittat ipſius uſum; licèt bibere illud immoderatè, ſit peccatum mortale contrà ſobrietatem.

Prætereà homo poteſt vovere abſtinentiam à vino, ad obtinendam ſapientiam, juxtà illud Eccleſiaſtes, cap. 2. verſ. 3. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapien-*
Eccl. 2. *tiam*: Ideo uſus vini non poteſt eſſe abſolutè prohibitus à lege divinâ: cùm juxtà communem Doctorum ſenſum, votum debeat eſſe de meliori bono, & propter majorem perfectionem; nam ſi votom ſit de majori bono, & abſtinentia vini poſſit eſſe materia voti: certum eſt quòd bibere vinum, eſt bonum. Et non bibere illud propter perfectionem, ſcilicèt ad acquirendam ſapientiam, ad domandam carnem, aut propter mortificationem, & pœnitentiam, eſt melius, idcircò uſus vini non poteſt eſſe illicitus, nec prohibitus à lege, quidquid dixerint Encratitæ, Tatianitæ, Mahometani, & alij contrà quos manifeſtè pugnat illud Pauli 1. ad Timotheum, *1. ad Tim. 4*
cap. 4. verſ. 1. *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus &c.*

Ratio hujus aſſertionis eſt. Quia ſi vinum ex natura ſua malum eſſet; ità ut nulli liceret bibere illud, Chriſtus non præcepiſſet miniſtrantibus in convivio nuptiarũ, ut ferrent vinum Architriclino, nec aquam in vinum convertiſſet, ut aſſiſtentes, non aquam, deficiente vino, ſed vinum biberent. Quod tamen feciſſe conſtat ex Evangelio Divi Joannis cap. 2. verſ. 7. 8. 9. & 10. ubi legitur: *Dicit eis Jeſus, implete hydrias aquâ, & impleverunt eas uſque ad ſummum, & dixit eis Jeſus, haurite nunc, & ferte Architri-* *Miraculoſa aqua in vinum converſio.*
clino, & tulerunt; ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum Architriclinus, & dixit ei: omnis homo primum vinum bonum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Nec cœnando cum Diſcipulis ſuis idem Salvator bibiſſet vinum, nec dediſſet illud Diſcipulis ſuis potandum, nec illud in Sanguinem ſuum mutaſſet, neque eos eodem modo facere docuiſſet, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, quoniam Chriſtus, qui non venerat ſolvere leges, ſed adimplere, bibiſſet aquam ſolam, & non aſſumpſiſſet materiam prohibitam, pro conficiendo Euchariſtiæ Sacramento. Indè enim ſequitur nullum fuiſſe in lege veteri præceptum prohibens vinum, nullumque nobis impoſitum fuiſſe in lege nova, ut conſtat ex textibus ſuprà relatis, quibus vini uſus firmatur licitus.

Non parum Juvat hic afferre Abſtemios, ſeu illos, qui non poſſunt deguſtare vinum, eſſe irregulares, nec poſſe ad Sacros ordines promoveri, nec à Summo Pontifice diſpenſari, cùm jure divino Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, conficiendum ſit ſub utraque ſpecie, ſcilicet panis, & vini; Illi autem ſeu Abſtemij, qui non poſſunt deguſtare vinum *Abſtemij*
nequeunt ſumere Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini contentum, quem ſumere neceſſariò tenetur Sacerdos, totiès quoties Euchariſtiæ Sacramentum conficit. Propter hanc rationem initor Tatianitas, & Severianos, qui Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini conficiebant, crediſſe vinum eſſe prohibitum à lege divinâ; cùm ſine vino nequeant Sacramentum illud conficere, ut ipſimet fatentur contrà Aquarios. Nec valet dicere, vinum eſſe in potu prohibitum, non verò in conſecratione Calicis, Chriſto ſic præcipiente. Non valet inquam, quia conſtat, Chriſtum pro Euchariſtiæ Sacramento conficiendo, aſſumpſiſſe materiam uſualem.

§. II.

Reiicit rationes impugnantes uſum vini.

HÆretici volunt, vinum eſſe prohibitum, quià credunt, vinum eſſe de Satana germinatum, & Fel Diaboli. Sed hæc ratio impugnari minimè meretur, quia ut dictum eſt in proprio loco, Deus eſt creator rerum omnium, creaturæ omnes ex ſe bonæ

ſunt

Chriſtus elegit vinum pro materia calicis.

ſunt, ſcriptum eſt enim: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, ex quo ſequitur, vinum non eſſe prohibitum, quia ex ſe non eſt malum, nec malum, quia prohibitum, ſed eſſe quid ex ſe bonum, & à Deo productum pro vitâ hominis ſuſtendandâ, ſicut extera alimenta producta fuere. Deindè ſi vinum eſſet fel Diaboli, ut voluerunt Chariſtæ, Chriſtus non elegiſſet vinum pro materiâ Calicis conſecrandi. Nulla enim eſt conventio Chriſti ad Belial.

Objiciunt nonnullas authoritates Sacræ Scripturæ, quibus vini uſus videtur prohibitus, ut patet ex illo Eccleſiaſtici cap. 19. verſ. 2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos.* Et cap. 31. verſ. 30. *Diligentes in vino noli provocare, multos enim exterminavit vinum. Ignis probat ferrum durum, ſic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum.*

Porrò non nocent hæc, quia non prohibent abſolutè uſum vini, ſed immoderatum ejuſdem potum, qui reverà eſt illicitus, & peccaminoſus; nam idem Eccleſiaſticus verſu ſequenti ait: *Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate, ſi bibas illud moderate, eris ſobrius.* Nonnè per hæc verba Eccleſiaſticus approbat uſum vini, & improbat tantum uſum immoderatum ejuſdem, quia opponitur ſic ſobrietati, eſtque Ebrietas, quæ dicitur fomes & nutrix omnium vitiorum, ut habetur in Can. *Sanè*, cauſæ 15. quæſt. 1. ubi legitur: *Sanè diſcimus vitandam ebrietatem per quam crimina cavere non poſſumus, nam quæ ſobrij cavemus, per Ebrietatem ignorantes committimus.* Et in Can. *ante.* diſt. 35. *ante omnia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt.* Idem aſſerit D. Hieronymus ad Pammachium, & Oceanum, ubi ait: *Noe ad unius horæ ebrietatem, nudavit femoralia ſua, quæ per ſexcentos annos contexerat.* Et D. Auguſtinus lib. de pœnitentia; *Ebrioſus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.* Et lib. 5. ſuper Geneſim. *Ebrietas decepit quem ſodoma non decepit, uritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non urebat.* Igitur non vinum, ſed vini exceſſus vetant Sacra Scriptura, & Sancti Patres, quia exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum, Eccleſ. loco citato verſ. 36. Idcircò bibere vinum non eſt malum, niſi adjuncto exceſſu, aut immoderatione, ut ſuadet etiam Apoſtolus ad Galat. cap. 5. verſ. 21. dicens: *Invidia, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

Scriptura prohibet immoderatum vini uſum.

D. Hieronymus.

D. Auguſt.

Galat. 5.

Dicent forſan indè ſequi, vinum eſſe occaſionem ad peccatum, & per conſequens eſſe fugiendum, & prohibendum Chriſtianis, quibus incumbit obligatio vitandi occaſionem proximam peccandi.

Reſpondeo inſtantiam non valere, quia hæc occaſio eſt activa, hoc eſt, voluntariè ſumitur à potatore, qui bibit pluſquam debet; & per conſequens vinum non eſt abſolutè prohibendum, alioquin ſequeretur quòd non liceret veſci carnibus, ut voluerunt Tarianitæ, quia inde naſci poteſt peccatum gulæ. Et homo in carnibus edendis, poteſt nimium ſaturati, ad libidinem, ſimileſque actus peccaminoſus pruvocari. Hoc tamen non obſtante, licet veſci carnibus moderatè; & uti armis pro hoſtibus repellendis, & vitâ contra ipſos conſervandâ: ergo licet etiam nonobſtante perverſorum luxuriâ, uti moderatè vino, quia uinum moderatè potatum eſt exultatiu animæ, & cordis, ut monuit ſuprà Eccleſiaſticus: idcircò ſic ſumi poteſt propter Stomachum, & frequentes infirmitates, ut inquit Apoſtolus; cùm cibus, vel potus ſecundum ſe conſideratus, ſit licitus, ut patet ex dictis ſuprà: igitur uſus vini non eſt abſolutè prohibendus, ut conſtat ex illo Machab. 2. cap. ult. *Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt: alternis autem uti: delectabile &c.* Et ex illo Eccleſ. cap. 31. verſ. 35. *Vinum in jucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem, ab initio.*

Solvitur inſtantia hæreticorũ

2. Machab. cap. ult.

ARTICULUS XXXVII.

Docet contrà Diſcalceatos uſum Calceamentorum eſſe hominibus licitum.

Divus Auguſtinus lib. de hæreſibus, & Philaſtrius Brixienſis varijs in locis, firmiter aſſerunt, in fine ſæculi III. quoſdam viros hæreticos, nomine Diſcalceatos, credidiſſe non licere homini præſertim Chriſtiano, Calceamenta portare, nec Sancta Loca intrare, aut locum orationis, niſi excalceato, propter nonnullas rationes, quas infra deducemus. Hæc autem opinio eſt prorsùs temeraria, quoniam uniuſcujuſque menti adverſatur, nullam quippè agnovimus nationem quæ calceamenta vetet. Eſt etiam hæretica, nullibi enim prohibentur calceamenta fidelibus, quamvis nullibi à Deo præcipiantur; alioquin calceamentis non utentes, animò macerandi corpus, peccarent, quòd eſt falſum. Nam D. Franciſcus minorum Pater in ſua regula à Sanctâ ſede approbatâ, præcipit fratribus ſuis, & vult quòd nullus (niſi neceſſitate cogente) calceamenta portare poſſit. Idem præcipiunt alia inſtitura Religioſorum. Contrà hanc Diſcalceatorum hæreſim nullum legi Concilium, nullumque in jure Can. inveni textum.

Diſcalceati;

Si nullo pactu liceret hominibus (& præſertim Chriſtianis) portare calceamenta, ut voluerunt Diſcalceati de quibus loquuntur Auguſtinus, & Philaſtrius; Dominus in lib. Exod. cap. 12. aſſignans Judæis modum in eſu Agni Paſchalis obſervandum; non præcepiſſet illis habere calceamenta, nec dixiſſet eis: *Sic autem comedetis illum, Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Quoniam quod eſt hæreticum, numquam eſt permiſſum, ſemper quidem peccat, qui adhæret ei, quod fides vetat, ut in variis juris canonici textibus cautum eſt.

Nulla eſt in lege de calceamendis portandis prohibitio.

Dicent præceptum illud de calceamentis habendis in comeſtione Agni Paſchalis, non omnibus hominibus, ſed ſolis Sacerdotibus tempore Sacrificij permittere calceamenta, eaque prohibere aliis. At non valet hæc inſtantia, quia nullum habet in Sacra Scriptura fundamentum: etenim uſus calceamentorum omnibus ità permittitur, ut quilibet homo poſſit ea abſque ulla culpâ portare, niſi aliquo inſtituto, aut promiſſione ſpeciali, ea non portare teneatur (ut accidit Franciſcanis) quòd verum eſſe probat illud Ezech. cap. 24. verſ. 17. *Ingemiſce tacens: mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis.* Hæc quippè verba evidenter demonſtrant quòd ex veteri Teſtamento, calceamentorum uſus eſt licitus omnibus hominibus, ut conſtat nedum ex locis citatis, ſed etiam ex aliis, quæ omitto, tum brevitatis gratiâ cui ſtudemus, tum quia hæc hæreſis, quàm hic impugnamus, nullo fulcitur fundamento.

Zech. 24.

Hæc ipſa veritas ſuadetur etiam ex novo Teſtamento: legimus enim quòd Chriſtus mittens Apoſtolos ſuos binos ante faciem ſuam, miſit illos calceamenta habentes, ut conſtat ex illo Marc. 6. verſ. 8. & 9. Et præcepit eis néquid tollerent in via, niſi virgam tantum: non peram, non panem, neque in Zona æs, ſed calceos Sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis: Igitur Chriſtus nulli prohibuit uſum calceamentorum, imò permiſit illum. Nam Apoſtoli portabant calceamenta, alioquin Angelus non dixiſſet Petro, qui ſervabatur in carcere: *Præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit ſic*, id eſt, præcinxit ſe & calceamenta ſumpſit, ut conſtat ex cap. 12. act. verſ. 8. Nec D.

Digitized by Google

Paulus ad Epheſ. cap. 6. verſ. 14. & 15. ità locutus fuiſſet: *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ. Et calceati pedes in præparatione Evangelij pacis.*

His addo ut calceamentorum uſus appareat licitus, Chriſtum etiam portaſſe calceamenta, ut facilè colligi poteſt ex reſponſione Joannis Baptiſtæ ad Sacerdotes,& Levitas à Judæis miſſos, quæ habetur Joan.
Joan. 1. 1. verſ. 27. *Ipſe eſt,qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* Idem teſtantur Apoſtoli in act.cap. 13.verſ.25.de eodem Chriſti Præcurſore ſic loquen-
Act. 13. tes: *Cum impleret autem Joannes curſum ſuum, dicebat, quem me arbitramini eſſe, non ſum ego, ſed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus calceamenta pedum ſolvere*, Sanè Joannes Baptiſta ità non reſpondiſſet, ſi Chriſtus calceamenta numquam portaſſet, tum quia ipſe Chriſtus, non venit ſolvere legem, ſed adimplere, tum quia docuit quod fecit,& è converſo,fecit quod docuit: Idcirco cum calceamenta portaverit, peccare nequeunt ij, qui ea portant.

Idem uſus fuit etiam licitus Judæis in veteri lege, ut probant innumeri Sacræ Scripturæ textus, præter eos,quos ſuprà citavimus; nam in lib. Joſuè cap. 9. verſ.13.habetur. *Utres vini novos implevimus, nunc rupti ſunt,& ſoluti, veſtes, & calceamenta quibus induimur,*
Joſuè *& quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & penè conſumpta.* Idem refert Daniel de tribus pueris in fornacem miſſis, ut legitur in cap.3. verſ. 21. *Et Confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & Tiaris, & Calceamentis,& veſtibus miſſi ſunt, in medium fornacis ignis ardentis.* Quibus conſtat, uſum Calceamentorum fuiſſe licitum apud Judæos; quin conſtet de hujus permiſſionis revocatione.

Hocque verum eſſe colligitur ex lib. Ruth. cap.
Ruth. ult.verſ. 8.ubi legimus: *Dixit ergo propinquo ſuo Booz: tolle Calceamentum tuum. Quod ſtatim ſoluit de pede ſuo:* Igitur tunc homines portabant Calceamenta. Ratio hujus ſolutionis datur in verſu præcedenti ubi habetur: *Hic erat autem mos antiquitus in Iſrael inter propinquos, ut ſi quando alter alteri juri ſuo cedebat, ut eſſet firma conceſſio, ſolvebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo, hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſrael.* Idem Calceamentorum uſus colligitur ex illo Pro-
Amos. 2. phetæ Amos cap. 2.verſ. 6. *Hæc dicit Dominus ſuper tribus ſceribus Iſraël, & ſuper quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis.* Ibi enim Deus minatur peccatoribus interitum, quia acceptis beneficijs ſemper fuerunt ingrati, Deique legem, abjecerunt vendendo juſtum pro argento, & pauperem pro calceamentis. Ideò tunc calceamentis utebantur Judæi.

§. Unicus.

De reſponſionibus ad Diſcalceatos.

Diſcalceatorum ratio fuit, illud Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum,neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris,non peram in via, neque duas tunicas,neque calceamenta, neque virgam*: Indè enim inferunt, Chriſtum prohibuiſſe Diſcipulis ſuis. Et in ipſis, omnibus fidelibus uſum calceamentorum.

Sed non nocet hæc authoritas: nam Chriſtus reverà prohibet hîc calceamenta, ſed non prohibet ea omnibus hominibus, ſed aliquibus dumtaxat, nimirùm Apoſtolis. Nec prohibet ea pro ſemper, ità ut
Explicatur prohibitio de calceamentis portandis. numquam licuerit Apoſtolis ea portare, ſed ſolum pro aliquo tempore determinato. Hujus expoſitionis ratio eſt,quia Chriſtus tunc loquebatur ſolis Apoſtolis: ideóque Apoſtolos dumtaxat voluit obligare. Non pro ſemper, ſed pro illo tempore, hoc eſt, durante miſſione dumtaxat: plura enim Chriſtus præcepit pro uno tempore, non autem pro alio. Legimus in eodem cap. Matth.verſ.5. quod Chriſtus Apoſtolos ſuos miſit, dicens: *In viam gentium ne abieritis,& civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Quod ſanè non poteſt intelligi pro omni tempore,quia in cap.ultimo Marci verſ. 15.legimus quòd dixit eis, *euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ideoque prohibitio eundi in viam gentium, non fuit perpetua,ſed ſolum pro aliquo tempore. Idem dicendum eſt de prohibitione calceamentorum, quæ fuit etiam pro illo tempore,nam Chriſtus Luc.cap.10.verſ.4. ait: *Nolite por- Luc. 10.*
tare ſacculum,neque peram,neque calceamenta Et cap.22. verſ.35.& 36. ait: *Quando miſi vos ſine ſacculo,& pera, & Calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis, ſed nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam.* Nonnè inde conſtat, quòd dum Chriſtus prohibuit Diſcipulis ſuis ſacculū,peram,& calceamenta, hæc prohibitio non fuit abſoluta,nec pro omni tempore,ſed pro aliquo temporis intervallo,id eſt,durante miſſione,hoc enim exigebat tale miniſterium,cùm poſteà,ſeu miſſione factà, eis præcipiat ſacculum, & peram habere. Dixit Apoſtolis *neminem ſalutaveritis in via*; tamen hæc obligatio non ſalutandi,non obligavit eos pro omni tempore,neque in omni occaſione. Ratio eſt omninò evidens, quia ſalutare eſt honeſtati,& humanæ rationi conſonum. Præterea ſi hoc non eſſet, Paulus fidelis Chriſti mandatorum obſervator neminem ſalutaſſet: legimus tamen oppoſitum in Epiſtolis ejus: ſcribens enim ad Timoth. ait: *Saluta Priſ- Ad Titum. 3.*
cam,& Aquilam Epiſt.2.cap. 4 verſ. 19. Et ad Titum cap.3.verſ. ult. *Salutant te qui mecum ſunt omnes, ſaluta eos qui nos amant in fide.*

Tandem ad Philemonem verſ. 23.& 24. ait: *Salu- Ad Philemonem.*
tat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu, M... cus, Ariſtarchus,Demas,& Lucas adjutores mei; Igitur errant Diſcalceati, dum intendunt ex authoritate ab ipſis adducta, aſſerere, & docere, Chriſtum nobis prohibuiſſe uſum calceamentorum; cùm ex dictis evidenter conſtet, verba Matth. ſolum pro illo itinere peragendo data fuiſſe Apoſtolis; non autem pro tempore ſequenti, ità ut ad nos pervenire poſſit præceptum prohibens calceamenta; alioquin nobis prohibuiſſet uſum pecuniæ,aliarumque rerum,quarum mentio fit in eodem Evangelio. Quòd nemo hactenùs conceſſit.

Objiciunt inſuper illud Exodi 3.verſ.5. *Solve cal- Altera hæreticorum ratio.*
ceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt: hæc verba evidenter probant, Deum prohibuiſſe Moyſi uſum calceamentorum, & in perſona Moyſi omnibus hominibus, qui ad templum Dei accedere volunt. Eandem prohibitionem habemus Iſai cap. 20. verſ. 2. *In illo tempore locutus eſt Dominus in manu Iſaiæ Filij Amos: dicens vade & ſolve ſaccum de Lumbis tuis,& calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic, vadens nudus & diſcalceatus. Et dixit Dominus ſicut ambulavit ſervus meus Iſaias nudus & diſcalceatus, trium annorum ſignum & portentum erit ſuper Ægiptum, & ſuper Æthiopiam.*

Reſpondeo ut ſuprà, nimirum hoc præceptum fuiſſe pro Moyſe dumtaxat, non abſolutè & ſimpliciter; ſed ſolum ſecundum quid, hoc eſt, fuit terminatū quoad *Rejicitur*
locum, vel quoad tempus, ut ſuadet hæc particula, *quia hæc ratio.*
locus in quo ſtas, terra Sancta eſt, quæ determinat locum, & indicat, Deum tunc voluiſſe quòd Moyſes accederet nudis pedibus ad Rubrum, quem viderat; ex quo ſequitur, ipſum Deum noluiſſe ad hoc obligare omnes & ſingulos homines; aliàs præcepta, quæ fecit perſonis particularibus in veteri lege, uſque ad nos perveniſſent. Quòd eſt falſum. Quoad tempus autem ſuadetur hâc particulâ, *trium annorum*, quæ indicat tempus determinatum: ergo Diſcalceati non poſſunt indè nobis imponere obligationem deponendi calceamenta, dum volumus accedere ad altare.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXVIII

Refellit Pattalorinchitas obligantes hominem ad perpetuum ſilentium.

JUxtà D. Auguſtinum lib. de hæreſibus, hæreſ. LXIII. olim fuerunt quidam viri hæretici, exiſtimantes ſilentium perpetuum eſſe ſub pœna peccati mortalis obſervandum ab omnibus fidelibus, tamquam medium ad conſequendam vitam æternam. Idem refert Philaſtrius Brixienſis qui diù ante D. Auguſtinum ſcripſit adverſus hæreſes. Quo autem tempore hæc hæreſis cœperit, aut quis illius fuerit Inventor, non habetur apud D. Auguſtinum, nec apud Philaſtrium, neque apud alios, qui adverſus hæreſes ſcripſerunt, & de ijſdem hæreticis loquuntur. Id quod certum habemus, eſt quod illi viri taciturnitati, & ſilentio ita ſtudentes, vocabantur Pattalorinchitæ, non ab authore, cum ignoretur, nec ab hæreſi; cùm ex illo vocabulo *Pattalorinchita*, non exprimatur ſilentium perpetuum. Sed à modo, utpotè quia digitum naribus & labijs ſuis continuò opponebant ne loquerentur, & taciturnitati dumtaxat ſtudium accommodarent, quoniam Pattalorinchita, idem ſignificat ac palus, Vel digitus in modum pali ſuprà narem poſitus.

Pattalorinchita.

Contrà hanc hæreſim nullum fuit convocatum Concilium, nec de ipſa fit mentio in aliquo, quòd ſciam. Nullus eſt etiam qui contrà illam expreſsè ſcripſerit: quamvis referatur à D. Auguſtino, Philaſtrio, & aliis à quibus Catalogum hæreticorum ſuſcepi. Nec valet inferre, hanc hæreſim numquam fuiſſe, eo quod plures Scriptores & præſertim Guido Carmelita, de Pattalorinchitis nullam mentionem faciant. Non valet, inquam, tum quia ex omiſſis, aut negativis nihil benè conficitur, tum quia D. Auguſtinus eſt præferendus.

Undè dico nullum poſſe citrà hæreſim aſſerere, locutionem eſſe ſub mortali prohibitam Chriſtianis, aut Chriſtianos teneri ad obſervantiam ſilentij perpetui; ità ut nullus poſſit loqui, quin peccet mortaliter, & impugnet veritatem fidei Chriſtianæ: Legimus enim Eccleſ. cap. 3. quod omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt omnia ſub cœlo, ex quo ſequitur quod eſt tempus loquendi, ſicut eſt tempus tacendi, ut expreſsè habetur in verſ. 8. ejuſdem capitis: igitur ex Scriptura licet homini loqui, modò loquatur dum eſt tempus loquendi, ſicut debet tacere dum eſt tempus tacendi, quoniam ex illo textu, quo præcipitur ſilentium, non præcipitur abſolutè; cùm aſſerat eſſe tempus loquendi, ſicut eſt tempus tacendi.

Eccleſ. 4.

Nedum in veteri Teſtamento conſtat hominem non teneri ad ſilentium perpetuum; alioquin Iſayas non dixiſſet, *Væ mihi quia tacui*, nec deploraſſet obſervatum ſilentium. Sed etiam in novo, in quo non raró præcipitur nobis narrare laudes Dei, Deo gratias agere, & ſimilia, quæ perficere non poſſumus ſine verbo, ut conſtat omnibus illis, qui Sacram legere Scripturam; ideoque nulli fideli abſolutè prohibitum fuit loqui: nam ſi eſſet præceptum in lege Evangelica de ſilentio inviolabiliter obſervandu, ut voluere Pattalorinchitæ; Apoſtoli minimè locuti fuiſſent, & taciturnitati perpetuò ſtuduiſſent, quoniam fuerunt legis obſervatores, ſicut & imitatores Chriſti, nec Chriſtus Dominus miſiſſet eos per univerſum mundum; ſed conſtat quod Chriſtus dixit illis: *Ite prædicate Evangelium omni creaturæ, docete omnes gentes*: ergò loquebantur; alioquin non docuiſſent verbô, ſed exemplô dumtaxat; quòd eſt falſum. quinimo loquebantur variis linguis magnalia Dei, ſcripſerunt Evangelium, condiderunt Symbolum; inter ſe convenerunt & verum Scripturæ ſenſum aperuerunt in varijs Concilis. Hinc eſt quòd poſſumus citrà peccatum loqui ſervatis ſervandis, quia qui procax eſt ad loquendum, eſt odibilis, ut affirmat Spiritus Sanctus Eccleſ. cap. 20. verſ. 5.

Nullum eſt in Evangelio præceptum de ſilentio in perpetuum ſervando.

§. Unicus.

Evelluntur hujus hæreſis fundamenta.

PAttalorinchitarum fundamentum eſt illud Pſal. 140. verſ. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis*. Indè enim concludunt, digitos eſſe naribus & ori apponendos, & ſilentium juxtà Sacram Scripturam (cui nemo poteſt citrà hæreſim contradicere) eſſe abſolutè neceſſarium ad ſalutem, & per conſequens ſub præcepto reſpectu fidelium, quibus Chriſtus Dominus præcepit omnia, ſine quibus homo ad æternam felicitatem pervenire nequit.

Apponitur hæreticorum ratio.

Sed allucinantur Pattalorinchitæ, nam Propheta nolebat indè neceſſitatem ſilentij demonſtrare, ſed eloquia vana devitare, murmurationes ſcilicet & & detractiones condemnare, non enim dicit: *Pone murum ori meo* quoniam ſi petiiſſet murum, omnem videretur loquendi facultatem a ſe abjeciſſe, ut notant plures, ſed dicit *oſtium*, non qualecumque, ſed oſtium circumſtantiæ: igitur Propheta non poſtulabat perpetuum ſilentium, ſed moderatam & licitam locutionem: dicebat enim: *Pone cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantiæ labijs meis*, ut taceret cum tacendum eſſet, & loqueretur cum oporteret loqui. quapropter ſtatim ſubdit, *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Quibus conſtat quod petebat oſtium, & cuſtodiam in ore ſuo, ut non excuſaret verbis excuſationes in peccatis, non verò ut eſſet moraliter mutus, & abſolutè prohibitus ad loquendum.

Reſponſio ad hæreticos.

Legimus Eccleſ. cap. 20. verſ. 7. quod homo ſapiens tacebit uſque ad tempus, Laſcivus autem & imprudens non ſervabunt tempus. Quo ſuadetur; ſilentium non eſſe ſemper licitum; cum ex Sacrâ Scripturâ ſit tempus loquendi. Et ſapiens taceat uſque ad tempus loquendi. Nec loqui eſſe ſemper prohibitum; cùm ex Scripturæ Sacræ oraculo, tempus tacendi ſit determinatum, huicque ſuccedat tempus loquendi, quod quidem tempus debet cognoſcere homo prudens, rectus, ac timens Deum: hominis quidem eſt gubernare linguam ſuam ità ut non loquatur, dum eſt tempus tacendi; & ut non ſileat, dum eſt tempus loquendi, nè poſtcà dicat cum propheta *Væ mihi quia tacui*. vel *væ mihi quia locutus ſum*.

Eccleſ. 20.

Pattalorinchitarum Sectatores poſſent neceſſitatem ſilentij inferre ex variis locis Sacræ Scripturæ. Præſertim ex illo Pſal. 38. verſ. 1. *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, poſui ori meo cuſtodiam. cum conſiſteret peccator adverſum me*: Ex quo colligitur, ſilentium eſſe neceſſarium ad vitandum peccatum, quod ducit ad perditionem, quam fugere neceſsé eſt, ut divina ſancit fides. Ipsâ quidem tenemur fugere peccatum, quoniam eſt contrà Deum.

Pſal. 38.

Non obſtat hæc ratio, quia non obligat ad ſilentium perpetuum, ſed ſolum docet linguam eſſe domandam, aut refrænationem linguæ eſſe neceſſariam quia ut monet D. Jacobus: *Si quis in verbo non offendit hic perfectus eſt vir*. Non vero ſilentium eſſe ità obſervandum, ut loqui ſit illicitum Chriſtianis. Quod verum eſſe demonſtrat idem Propheta Pſal. 33 verſ. 13. & ſequentibus ubi ait: *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam*. Quibus conſtat, Prophetam non prohi-

Refrenatio linguæ eſt neceſſaria.

bere locutionem abſolutè, ità ut velit quodcumque verbum ore prolatum, eſſe illicitum, ſed ſolum verba doloſa, inutilia, & otioſa, de quibus reddenda eſt ratio in ultimo Dei judicio. Converſatio humana non eſt mala ex ſe; cùm poſſit eſſe honeſta, Sancta, & Religioſa; nec eſt ſecundum ſe prohibita, quoniam nulla eſt authoritas, nullumque præceptum, quo teneamur perpetuum obſervare ſilentium: falſa eſt igitur, atque erronea Pattalorinchitarum opinio.

ARTICULUS XXXIX.

Oſtendit Pepuzianis mulierem non poſſe ad Sacerdotium promoveri.

PLures hæretici credunt, mulierem poſſe Euchariſtiæ Sacramentum conficere. Sed diſconveniunt in principiis, motivis, & rationibus; quamvis in ſubſtantia erroris conveniant, ſeu exiſtiment, mulierem poſſe promoveri ad Sacerdotium. Lutherus hanc poteſtatem tribuit mulieribus, ſicut Pepuxiani, *Lutherus.* ſed diverſo modo, ſeu diverſo principio; nam rationes hæreticorum infrà citandorum rejecit, & exiſtimavit, hanc poteſtatem provenire à Baptiſmo, & per conſequens voluit, quemlibet fidelem, ſive maſculum, ſivè fœminam, poſſe conſecrare panem, & Euchariſtiam conficere, ſi ad hoc munus à Republicâ deſtinetur. *Cataphrigij.* Cataphrigij aliâ ratione affirmarunt, mulierem promoveri poſſe ad Sacerdotium, nam tempore Commodi Imperatoris, & Soteri Papæ circà annum Domini CLXXXI. dixerunt, nullum eſſe fundamentum removens mulierem à Sacris ordinibus ſuſcipiendis, quia anima mulieris eſt capax ad recipiendum Characterem, ſicut anima viri: alioquin) dicebant) animę rationales diſtinguerentur ſpecie; aut character non reciperetur in anima, quòd eſt falſum. Ita teſtantur Philaſtrius, & Nicephorus lib. 4. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 22.

Eodem anno (D. Auguſtino ſic teſtante lib. de hæreſibus cap. 27.) inſurrexerunt quidam viri hæretici, dicti Pepuzitæ, aut Pepuxiani à quodam Oppido quod Pepuza nominatur. *Pepuziani* Hi quidem hæretici aſſerebant, mulieres juſtè ad Sacerdotium promoveri poſſe. Eorum ratio erat, quia volebant, Chriſtum apparuiſſe in hac civitate Pepuzæ ſub ſpecie fœminæ, ut oſtenderet, mulieres eſſe promovendas ad ſacrificandum pro delictis, & peccatis populi. Hacque fictione, aut Delyrio moti, tantam mulieribus tribuebant dignitatem, authoritatem, & principium quantam viris, ut Sacerdotiô quoque apud eos honorarentur mulieres, ſicut viri.

§. I.

De Conciliis, & rationibus veritatem propugnantibus.

HAnc hæreſim damnant plura Concilia, ſcilicet ea, in quibus declaratur, mulierem non poſſe Euchariſtiam diſpenſare, nec vaſa Sacra tangere, nec altari inſervire; & præſertim Concilium Pariſienſe *Concilium Pariſienſe 6.* VI. celebratum ſub Greg. IV. anno DCCCXXIX Et alia antiquiſſima, in quibus decretum fuit, viros dumtaxat poſſe ordinari, & pro Chriſto in Eccleſia legatione fungi. Idem declaratur in variis textibus Juris Canonici, quibus conſtat, mulieres eſſe incapaces Sacrorum ordinum ratione ſexûs, & dependentiæ naturalis ad virum, ut videbimus infrà, quamvis ſint ejuſdem ſpeciei cum viro, & verè atque validè Baptiſmum ſuſceperint; cùm non ex anima, nec ex Baptiſmo proveniat capacitas ad Sacros ordines ſuſcipiendos.

Mulierem non poſſe Euchariſtiam conficere evidenter colligitur ex Epiſtola 1. ad Timoth. cap. 2. *1. Tim. 2.* verſ. 11. ubi habetur: *Mulier diſcat in ſilentio, cum omni ſubjectione, docere autem mulieri non permitto &c.* Nam ſi mulier non poſſit docere, neque poteſt Euchariſtiam conficere, neque abſolvere, quia cui competit munus, & officium Sacerdotis: convenit etiam docere, cùm per hæc tria, nimirùm, docere, à peccatis abſolvere, & Euchariſtiam conficere, Sacerdos diſtinguatur à non Sacerdote; hinc fit quòd cùm ex Apoſtolo mulier teneatur diſcere cum omni ſubjectione; & docere nequeat, ſequitur quòd non poteſt ſuſcipere Sacerdotium, cujus munus eſt docere fideles, eiſque Chriſti Domini Evangelium prædicare, ut declarat ipſe Chriſtus mittens Apoſtolos per univerſum mundum. Illi quippe repugnat forma, cui repugnat ipſius effectus formalis.

Undè Apoſtolus ejuſdem incapacitatis ad docendum rationem ſtatim aſſignans: ait, verſ. 13. & 14. *Adam enim primus formatus eſt; deinde Eva. Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Quibus verbis Apoſtolus affert rationem quarè mulier ſilere debeat in Eccleſia, quæ eſt hæc, ſcilicet. Quia ex creatione eſt ſubjecta virò cui in adjutoriū facta eſt ex illo Geneſ. cap. 2. verſ. 18. *Dixit quoque* *Geneſ. 2.* *Dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Nequit igitur mulier eſſe Paſtor hominis, neque eum docere, nec ipſi præcipere, acproindè nec Sacerdotium ſuſcipere, quoniam Sacerdotibus incumbit alios docere, ut teſta- *Malach. 2.* tur Dominus per Malachiam cap. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Incumbit pariter Sacerdotibus, alijs præeſſe: conſtituit enim eos Deus principes ſuper omnem terram, deditque illis ligandi, atque ſolvendi poteſtatem, cujus mulier non eſt capax, cùm nequeat præeſſe viro, ut mandavit Deus Geneſ. 3. verſ. 16. dicens mulieri: *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries Filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui* Ideoque mulier nequit Sacerdotium ſuſcipere, quia in ſexu fœmineo non poteſt ſignificari gradus eminentiæ qui eſt in Eccleſia ratione ordinis Sacri, quo traduntur ordinato Claves regni Cœlorum; eique committitur cura animarum, ſaltem remotè; cùm præter ordinem, Sacerdoti requiratur deſignatio gregis; alioquin quilibet Sacerdos eſſet Paſtor, aut Parrochus. Quod eſt falſum.

Deindè Sacerdos ſignificat Chriſtum mediatorem, *D. Bonaventura.* ut notat Sanctus Bonaventura Doctor Seraphicus in 4. Diſtin. 25. artic. 2. quæſt. 1. fungitur enim tali officio, ut teſtatur Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. dicens: *pro Chriſto legatione fungimur*, ſed mediator primus Dei, & hominum, fuit Chriſtus Jeſus. Et ſemper ipſius miniſter fuit vir, ut probat totius Eccleſiæ Catholicæ perpetuus uſus, quo conſtat numquam permiſſum fuiſſe mulieri, Sacerdotis & mediatoris officio fungi: idcircò ſolus vir eſt Sacerdotij capax, ipſique dumtaxat data fuit à Chriſto Domino poteſtas conſecrandi in Cœna noviſſima; nam dum Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, *Chriſtus conſecravit Apoſtolos.* nulla ibi aderat mulier, ad quam illa verba poſſent referri, ut patet nedùm ex electione duodecim Apoſtolorum; ſed etiam ex illo Matth. cap. 26. verſ. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum.* Quibus verbis ſuadetur, Chriſtum conſecraſſe coram viris; cum hæc verba *cœnantibus illis*, de Apoſtolis tantùm intelligenda ſint. Et demonſtratur, Chriſtum Sacerdotium contuliſſe tantum Diſcipulis ſuis, inter quos nulla erat mulier, ut conſtat ex Evangelio. Præterea illi, qui relictis re-

tibus ſecuti ſunt Chriſtum, & quibus ipſe Chriſtus fecit ea, quæ didiſcerat a Patre, erant viri: ideoque viros tantùm ordinavit Chriſtus Dominus.

Scotus.

Scotus Doctor ſubtilis lib. 4. ſentent. diſt. 25. quæſt. 2. §. *hic breviter* littera D. evidenter probat mulieres eſſe incapaces ad ſuſcipiendos ordines, ex parte ſexus, idque jure divino; ibi enim ait: *Sed habetur hoc a Chriſto, non enim Eccleſia præſumpſiſſet totum ſexum muliebrem privare, ſine culpa ſua, actu, qui poſſet ſibi licitè competere, qui eſſet ordinatus ad ſalutem mulieris, & aliorum in Eccleſia per eam; quia hoc eſſe videretur maxima injuſtitia, non ſolum in ſolo ſexu, ſed etiam in paucis perſonis. Nunc autem ſi de lege divinâ licitè poſſet competere mulieri ordo Eccleſiaſticus, poſſet eſſe ad ſalutem, & earum, & aliorum per eas. Et quod dicit Apoſtolus* 1. *ad Timoth.* 2. *docere mulierem non permitto, intelligens de doctrina publicâ in Eccleſia, non eſt dictum Apoſtoli tamquam ſtatuentis, ſed non permitto, quia nec Chriſtus permiſit: cujus argumentum evidens accipitur, quia nec matrem ſuam poſuit in aliquo gradu ordinis in Eccleſia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in ſanctitate æquiparari. Ratio autem naturalis huic dicto conſonat quam Apoſtolus innuit* 1. *ad Corinth. nam natura non permittit, mulierem ſaltem poſt lapſum tenere gradum eminentem in ſpecie humana, ſiquidem eſt dictum ſibi in pœnam peccati ſui Geneſ.* 1. *ſub viri poteſtate eris*: Igitur ex Doctore noſtro Mulier nequit ordinari, nec poteſt ad Sacerdotium promoveri ratione ſexûs, & jure divino, quo eſt inferior viro, eſtque ſub ipſius poteſtate, acproindè incapax Sacerdotij, quod eſt gradus eminentiæ & ſuperioritatis.

Mulier neque ordinari.

D. Gregor.

Hinc eſt quòd Sacerdotes in Sacris eloquiis, aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur, ut narrat Divus Gregorius ſcribens ad Mauritium Imperatorem, relatus in Can. 41. cauſæ 11. queſt. 1. Mulieri enim minimè convenit tale nomen: ergò nec Presbyteratus poteſt ei convenire.

Non valet dicere, quòd Debbora judicavit Iſraël, & ei præfuit, ut patet ex cap. 4. lib. judicum, eique tradita fuit ſuprema poteſtas, aut primus in populo locus. Non valet, inquam, ait Doctor noſter Seraphicus, quoniam poteſtas judiciaria aut præfecturæ Debboræ erat temporalis, quæ mulieribus non repugnat; cùm poſſint temporaliter dominari ratione conjugij, quo mulier & vir fiunt una caro; aut ratione hæreditatis; non vero ratione electionis. Poteſtas autem ordinis eſt ſpiritualis, quæ nequit mulieribus convenire. Ratio hujus diſcriminis eſt, quia ille, qui dominatur Dominio ſpirituali, gerit typum capitis, & mediatoris inter Deum & homines, atque ſucceſſoris Apoſtolorum, aut Diſcipulorum. Unde cùm mulier nequeat eſſe caput viri, ſequitur quòd nequit plenum habere Dominium ſpirituale ſuper hominem, nec homo poteſt ipſi in ſpiritualibus totaliter ſubjici.

Poteſtas ſpiritualis convenit illi qui poteſt ſibi ſponſare Eccleſiam.

Alia eſt diſparitatis ratio, ſcilicet quia poteſtas ſpiritualis eſt ita propria ſponſo Eccleſiæ, ut nullus valeat eam habere; quin poſſit ſibi eam ſponſare; mulier autem non poteſt eſſe ſponſus Eccleſiæ, nequit igitur recipere ordines ſacros, nec poteſtatem ſpiritualem habere; cùm ſit poteſtas Eccleſiaſtica. Et mulierem in Eccleſia tacere deceat, ut jam diximus cum Apoſtolo 1. ad Timoth.

Tandem aliam rationem addit idem Doctor Seraphicus in 4. diſt. 25. artic. 2. quæſt. 1. ſcilicèt quia mulieres ſunt incapaces Tonſuræ, cùm ſemper debeant habere caput velatum, ut præcipit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. acproindè incapaces ſunt Sacerdotij, quia Tonſura eſt diſpoſitio ad ordines Sacros: etenim illi, cui repugnat diſpoſitio ad aliquam formam, repugnat etiam ipſa forma, cujus eſt diſpoſitio neceſſaria, ut patet in formis Phyſicis, & moralibus.

§. II.

De Reſponſionibus hæreticos impugnantibus.

Prima Pepuzianorum ratio.

PEpuziani, & Cataphrigij objiciunt illud Apoſtoli ad Galat. cap. 3. verſ. 28. *Non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina, omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*: hoc quidem textu, conſtat, nullam differentiam eſſe in lege Chriſti inter maſculum, & fœminam; ſubindéque mulierem poſſe in Eccleſia recipere Sacramenta, quæ vir poteſt recipere; quia Chriſtus ea inſtituit pro hominibus ſpecificè ſumptis; alioquin mulier nullum Sacramentum recipere poſſet. Quod eſt hæreticum.

Non valet hæc ratio, quia Apoſtolus ibi loquitur de gloria conſequendâ, & de gratia habenda; non verò de gradu & poteſtate in Eccleſia Chriſti. Undè cùm mulier poſſit habere tantam gratiam, & tantam gloriam attingere, quantam poteſt habere vir, ſequitur quòd nulla eſt differentia inter maſculum & fœminam, quantum ad gratiam, & gloriam, ſed non ſequitur nullam eſſe differentiam inter virum & mulierem in lege Chriſti quantum ad gradum habendum, neque quantum ad miniſterium exercendum in Eccleſia, quia hoc conſonat legi naturæ, ut notat Scotus loco citato §. *Ad argumenta*, nam Apoſtolus apertè docet quòd vir eſt caput mulieris, non è contrà: ergo inter virum & mulierem eſt differentia aliqua quantum ad gradum habendum, ſcilicèt ad gradum capitis, aut ordinis, qui cùm nequeat mulieri convenire, quamvis poſſit eſſe ſanctior viro; nequit etiam ipſi convenire poteſtas ordinis Sacri in Eccleſia Chriſti, quia hæc poteſtas eſt capitis, & ſucceſſoris Apoſtolorum, quibus ſuccedere nequeunt mulieres. Nec indè ſequitur, Chriſtum non inſtituiſſe ordinis Sacramentum pro omnibus hominibus. Quia licèt mulier non poſſit ordinari, nihilominus pro ipſa inſtitutus fuit ordo; cùm Sacerdos pro mulieribus conſecret, Sacrificet & ipſas à peccatis confeſſis abſolvat. Ordo non confertur ſingulis hominibus, ſed pro ſingulis inſtitutus fuit.

Reſponſio ad prædictam rationem.

Afferunt inſuper plura Concilia in quibus fit mentio Subdiaconiſſarum, Diaconiſſarum, Presbyteriſſarum, & Epiſcopiſſarum, ut indè inferant, in primitiva Eccleſia mulieres ſuſcepiſſe ordines Sacros, & per conſequens ipſarum incapacitatem non eſſe de jure divino, nec naturali, ſed ſolum de jure Pontificio. Vel Eccleſiam Romanam olim erraſſe. Quòd dicere, nefas eſt.

Quid ſentiendum ſit de Diaconiſſis.

Reſpondeo hanc conſequentiam eſſe falſam, quia licet antiquitus nonnullæ mulieres appellatæ fuerint Presbyteriſſæ, & Epiſcopiſſæ; tamen non licet inferre, quod eſſent aliquo ordine Eccleſiaſtico ordinatæ, ſic enim vocabantur ob alias cauſas 1. Quia erant deſtinatæ ad quædam obſequia divina, ſcilicet ut inſtruerent mulieres ad legendum; orandum, & ad ſimiles pietatis actus, ut obſervant plures Doctores, & præcipuè Pamelius in comment. ad lib. Tertulliani de exhortatione caſtitatis. 2. quia, ut inquit Scotus loco citato. In Græcia ubi Sacerdotes licitè utuntur matrimonio priùs contracto, uxor poteſt dici Presbyteriſſa; cùm uxor nedum nomen, à viro accipiat, ſed etiam nomen officij, quod maritus habet, & præſertim ſi publicum ſit. Sed apud nos Latinos, ubi caſtitas eſt ordini annexa, Presbyteriſſa poteſt dici aliqua bona matrona vidua, vel perfecta inter alias mulieres, vel fortè in Collegio, illa, quæ præeſt omnibus alijs, ut Abbatiſſa inter Moniales, ſed iſta non habet per hoc gradum altiorem ordinis, imò nec præeminentiam reſpectu alicu-

jus viri, eo modo quo habet illum reſpectu aliarum mulierum ipſi ſubditarum: Ità ſimiliter poteſt reſpondere ad illud de Diaconiſſa: quippè illa, cui competit ex ordinatione Abbatiſſæ, vel Collegij, legere homiliam in matutino, poteſt dici Diaconiſſa, ſed hoc non eſt actus alicujus ordinis; cùm non habeatur per impoſitionem manuum Epiſcopi: Ità Doctor ſubtilis loco citato, ubi perfectè reſpondet hæreticis, ipſiſque demonſtrat numquam in Eccleſia fuiſſe mulieres, appellatas Presbyteriſſas ob quædam officia Eccleſiaſtica, quia hæc mulieri repugnant ex natura ſexûs, quò ſubijcitur viro.

Denique ut confirmetur hæc reſponſio, moneo quòd in primitiva Eccleſia, fœminæ ſuſcipiebant, & levabant è Baptiſterio fœminas Baptizatas, nè ſcilicèt viris nudæ apparerent, ut obſervat Sanctus Clemens lib. 3. inſtit. Apoſtolicarum cap. 14. Et ob hanc cauſam antiquitùs dicebantur, Presbyteriſſæ, non verò ob conſecrationem, vel Euchariſtiæ adminiſtrationem. *D. Clemens*

Idem notat Divus Epiphanius hæreſ. 79. ubi ait: *Et miniſterium quidem Diaconiſſarum appellatarum ordo eſt in Eccleſia, ſed non ad ſacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur, verum reverentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut viſitationis, affectionis, aut laboris, & quando nudatum fuit corpus mulieris, ut nè à viris ſacrificantibus conſpiciatur, ſed à miniſtrante muliere cui præcipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore nudationis corporis ipſius; ita ut ordo bonæ diſciplinæ. &c. Munitus ſit in menſura bona regula.* Ex quibus ſequitur quòd per Subdiaconiſſas, Diaconiſſas, Presbyteriſſas, & Epiſcopiſſas, de quibus fit mentio in pluribus Concilijs, & Sanctis Patribus; non debemus intelligere olim mulieres fuiſſe verè ordinatas ordine Eccleſiaſtico, & Sacro, ſed ſic appellatas fuiſſe propter aliqua exercitia ſpiritualia, ad quæ erant deſtinatæ à Presbyteris; & Epiſcopis; ac proindè nullus poteſt citrà hæreſim aſſerere mulieres poſſe ordinari aliquo ordine Sacro. Nec valet dicere quòd mulieres habent eamdem ſpecie animam cum viro. Non valet inquam quia ut jam dixi, ſexus conditio eſt abſolutè neceſſaria ad Sacros ordines ſuſcipiendos, propter Eminentiam, quam conferunt, quamque mulier habere non poteſt, quidquid dixerint Cataphrigij. Nec poſſunt ordinem Sacrum ſuſcipere; licet ſint baptizatæ, quia Baptiſmus non aufert illis eam dependentiam, quam dicunt ad virum. Quoniam hæc dependentia fuit in Eva matre cunctorum viventium, etiam durante ſtatu Innocentiæ. *D. Epiphan.*

ARTICULUS XI.

Affirmat contrà Uvicleffitas publicam Evangelij prædicationem non licere cuilibet homini.

ÆNeas Silvius lib. de origine Bohæmorum cap. 35. plures Uvaldenſibus imputat errores, inter quos eſt unus circà prædicationem Evangelij, ibi enim ait: quidam viri hæretici (qui ſolitò dicuntur Pauperes de Lugduno) à Petro Uvaldo, natione Gallo è vico Uvaldo ad Rhodanum orto, profeſſione Lugdunenſi mercatore, ſuborti; & cum illo paupertatem Lugduni ſponté profeſſi, anno MCLX. ſub Friderico I. Imperatore, & Alexandro III. Romano Pontifice, prædicandi officium cuilibet Chriſtiano ità liberum putabant, ut crederent, quemlibet Chriſtianum utriuſque ſexus habere ex vi Baptiſmi poteſtatem prædicandi publicè & ſolemniter verbum Dei. *Uvaldenſes*

Eumdem errorem poſteà docuit Uvicleffus, natione Anglus, profeſſione Presbyter in Linconienſi Diœceſi Parrochus, & acris ingenij Theologus, qui ſub Carolo IV. Imperatore, & Clemente VI. Papa, plures diſſeminavit errores, quos damnavit Concilium Conſtantienſe, anno MCCCCXIV. Huic viro hæretico ſucceſſit Joannes Hus, vir natione Bohæmus, doctus. Hic enim hæreſiarcha ſceleratus, & impius, licet aliundè apud Bohæmos ingenio & eruditione Clarus, ac Pragenſis Eccleſiæ Rector Præpoſitus, cum ſibi adjuncto Hieronymo Pragenſi inſigni Bohæmorum Doctore alterò, cæpit renovare Uvaldenſium & Uvicleffitarum hæreſes; anno MCCCCXLVII. ſub Uvenceſlao Bohæmorum Rege, & Gregorio XI. Summo Pontifice: tunc enim docuit, quemlibet Chriſtianum poſſe prædicare verbum Dei, & annunciare Evangelium Chriſti; quin poſſit citrà peccatum ab Epiſcopis impediri in exercitio hujus miniſterij. Hæc propoſitio tamquam hæretica damnata fuit in Conciliò Conſtantienſi, ſed eam ab inferis ſuſcitavit poſteà impius Lutherus, qui aſſeruit omnes Chriſtianos, nulla prorsùs ſtatus, aut ſexûs diſcretione habitâ, eſſe Sacerdotes, & æqualem omnes obtinere poteſtatem concionandi, ità tamen ut nemini liceret illâ authoritate uti ſine conſenſu communitatis, quia inquit, quod eſt omnibus commune, nullus ſibi ſingulariter vendicare poteſt, niſi vocetur. *Uvicleffus* *Joannes Hus.* *Lutherus*

Hunc errorem expreſsè ac ſolemniter damnat Tridentina Synodus, ſeſſ. 7. Can. 10. ubi legitur: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; Anathema ſit:*

§. I.

Probat articuli veritatem.

SCriptura Sacra non omnibus, ſed aliquibus committit prædicationis officium, nec poteſt quis citra hæreſim illud indifferenter extendere, aut conferre omnibus fidelibus. Nam Paulus ad Heb. 5. ait: *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Reverà ibi Apoſtolus loquitur de Pontifice; & de Pontificatus honore; ſed quia Pontificis munus eſt populum docere; Evangelium annunciare, & verbum Dei prædicare, ut conſtat ex Epiſtolis ejuſdem ad Timotheum, & ad Titum, poſſumus inferre, ibi etiam loqui de prædicatore publico Evangelij, ac myſteriorum Dei. Et declarare quòd nullus poteſt ſumere ſibi honorem Sacri miniſterij, niſi ille, qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. *Hebr. 5.*

Hæc Apoſtoli interpretatio conformis eſt Evangelio Lucæ, hoc eſt, exemplo Chriſti; qui ut refert idem Evangeliſta cap. 6. verſ. 13. vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, qui & Apoſtolos nominavit, ut in omnem terram exiret Sonus eorum. Et vocavit eos Apoſtolos, hoc eſt, miſſos, ut ex nominis ratione unuſquiſque agnoſceret; neminem habere poteſtatem prædicandi Evangelium, niſi ad hoc miſſus fuerit: igitur nullus poteſt ſibi ſumere honorem, niſi qui vocatur à Deo tamquam Aaron, ſeu qui ad Sacerdotium deſignatur, & ex Sacerdotibus aſſumptus, ad prædicationis munus à Prælatis deſtinatur; quoniam nulli prædicare licet abſque miſſione, ut facile infertur ex illo Apoſtoli ad Rom. cap. 10. verſ. 15. *Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur? ſicut Scriptum eſt: quam ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.* mittitur autem dum ei à ſuperiore poteſtatem habente, facultas *Luc. 6.* *Nulli prædicare licet abſque miſſione.*

Digitized by Google

Prædicandi conceditur, ille verò, cui non conceditur, non mittitur; ideóque non poteſt prædicare, quia non eſt major defectus, quàm defectus poteſtatis Prædicatio Evangelij ſi ſit publica reſpiciens totam Eccleſiam, & curam publicam Eccleſiæ, commiſſa eſt Prælatis Eccleſiæ, ſeu Epiſcopis, & Paſtoribus ánimarum noſtrarum, hoc quidem prædicandi officium, eſt miniſterium, non politicum, ſed merè Apoſtolicum, ideò nullus debet aliquid exercere quod requirat authoritatem publicam in Eccleſia, niſi habeat authoritatem Prælati, ut docet D. Thomas quodlib. 12. artic. 27. Paſtoris enim eſt paſcere, regere, & cuſtodire gregem, & per conſequens nemo poteſt quantum ad prædicationis miniſterium, de ovibus curam habere, niſi ab eo fuerit delegatus, acproindè nullus poteſt licitè prædicare, niſi mittatur à Paſtoribus gregis Chriſti, ut declarat Innocentius III. Can. *Excommunicamus* de hæreſ. §. *quia verò*, ubi excommunicat eos, qui ſibi authoritatem prædicandi vendicant, ſine licentia à Sancta ſede; vel ab Epiſcopo loci illis conceſſa.

D. Thomas. *Innocentius III.*

Hanc ipſam veritatem confirmat Joannes Evangeliſta cap. 1. in quo expreſſè demonſtratur miſſio Joannis Baptiſtæ, his verbis: *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes, hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Etenim per hæc, Evangeliſta declarat, Joannem Baptiſtam noluiſſe teſtari de lumine, niſi prius à Deo ad hoc fuiſſet miſſus, ſeu priuſquam à Deo accepiſſet poteſtatem perhibendi teſtimonium de veritate, & de lumine, hoc eſt, de Chriſto Filio Dei, qui eſt lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, ut ſancit Symbolum Nicænum. Hæreticum eſt igitur & contrà Scripturam Sacram aſſerere, quemlibet Chriſtianum habere ex vi ſolius Baptiſmatis poteſtatem prædicandi publicè Evangelium; aut eſſe miniſtrum ejuſdem publicum, atque ſolemnem; cùm Dei ſit tales ſibi eligere miniſtros, ut per ipſos loquatur nobis. Scimus enim Deum olim multifariam, multiſque modis locutum fuiſſe nobis, noviſſimè autem in filio, ut monet Apoſtolus ad Hebr. 1. hoc eſt, per Filium, & per homines à ſe delegatos, qui ſua mandata, aut documenta, alijs vaticinando, aut nunciando, aut concionando, manifeſtant.

Joan. 1. *Hebr. 1.*

Quare Chriſtus Dominus cùm Apoſtolis prænunciaſſet eos eſſe perſecutoribus tradendos, & antè Reges, & Præſides ducendos, ſubjecit: *Cum autem tradent vos nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, ut viderent nullum poſſe publicè loqui de Deo, aut explicare ea, quæ Chriſtus nobis revelavit de divina Scriptura, niſi Spiritus Sanctus loquatur in illo, hoc eſt, niſi fuerit miſſus, & ad Evangelij prædicationem à Deo aſſumptus. Sic etiam Prophetæ vice, juſſu, ac motu Dei, ſua fundebant oracula: *Non enim*, ait Divus Petrus, *humana voluntate allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti homines*, & ideo cùm Spiritus Dei, ubi vult ſpiret, & Deus diverſè talenta diviſerit, non ad omnes pertinet prædicationis miniſterium, ſed ad eos dumtaxàt, quibus datum eſt annunciare myſteria, & verbum Dei. Sic tandem in Evangeliſtis, Apoſtolis, aliſque viris Sacri divini verbi interpretibus, atque diſſeminatoribus, Deus loqui dicitur: undè Apoſtolus 1. ad Theſſalonicenſes cap. 2. verſ. 13. ait: *Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei*, interiùs ſcilicet dictantis, ac linguam & calamum exteriùs dirigentis; idcircò nullus homo poteſt publicè prædicare Evangelium propria electione, quoniam ad hoc munus exercendum, miſſione & authoritate opus eſt. Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur inquit Scriptura.

1. Theſſal. 2.

His accedit Teſtimonium Tertulliani lib. 4. contra Manichæos. cap. 2. ubi aſſignans rationem ob quam Deus voluit ex quatuor Evangeliſtis, duos eſſe Apoſtolos, alios autem Diſcipulos Apoſtolorum, ait, *Constituimus imprimis, Evangelicum inſtrumentum Apoſtolos authores habere, quibus hoc munus Evangelij promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum: ſi & Apoſtolos, non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos, quoniam prædicatio Diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non adſiſtat illi authoritas magiſtrorum, imò Chriſti, qui magiſtros Apoſtolos fecit: denique nobis fidem ex Apoſtolis Joannes, & Matthæus inſinuant; ex Apoſtolicis Lucas, & Marcus inſtaurant: iiſdem regulis exorſi quantum ad unicum Deum attinet creatorem, & Chriſtum ejus, natum ex virgine ſupplementum legis & Prophetarum.* Hinc eſt quòd nullus poteſt prædicare Evangelium, niſi illi adſit authoritas magiſtrorum, ſeu eorum, quibus data eſt cura gregis Chriſti, qui cùm teneantur paſcere oves doctrinâ verbi Dei, non ſpectat ad omnes Sacerdotes mittere operarios in vineam Domini, ſed ſolùm ad illos, qui curam animarum, ſeu ejuſdem vineæ habent.

Tertullianus.

Quare Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 5. verſ. 17. inquit *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in verbo & doctrinâ.* Quibus ſuadet, aliquos eſſe Presbyteros, qui non laborant doctrinâ, ſeu qui non habent poteſtatem prædicandi publicè verbum Dei. Et alios eſſe, qui laborant doctrinâ, ſeu qui prædicationis miniſterium exercent, aut qui ad illud exercendum deputati ſunt, alioquin non fuiſſet opus, illos, qui verbo & doctrinâ laborant, magis commendare, cùm omnibus disjunctim incumberet prædicandi obligatio, ſeu quilibet haberet prædicandi poteſtatem: ergò ad illos, qui præſunt dumtaxat, ſpectat laborare doctrinâ & verbo, ſeu prædicare verbum Dei, per ſe, vel per alios, ut refertur in jure canonico, & in varijs Conciliis, in quibus agitur de officijs Epiſcoporum. Quapropter ſi prædicandi officium, aut poteſtas annunciandi publicè Evangelium non competat cuilibet Sacerdoti juxtà monitum Apoſtoli, minus competit cuilibet fideli, qui quamvis ſit membrum Eccleſiæ; tamen non eſt in Hierarchia Eccleſiæ, niſi ſit Sacerdos.

1. Tim. 5.

Non parum juvat referre exemplum veteris legis in qua hoc fuit perpetuo tenore ſervatum, ut nullus umquam ex Sanctis Prophetis, quales fuerunt Iſayas, Jeremias, Ezechiel, Jonas, Daniel & alij populo prædicarent, niſi poſt acceptam à Deo miſſionem, ut probat illud Matth. cap. 23. verſ. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt*: quo conſtat, nullum Prophetam prophetaſſe ſine miſſione; imò Moyſes cui lex data fuerat in monte Sinai, nec non commiſſa populi Iſraëlitici cura, divina præcepta explicare auſus non fuit, niſi hoc Deus prius præceperit. Quapropter Dominus reprehendit Pſeudo-Prophetas, ut teſtatur Jeremias cap. 14. qui propria voluntate abſque ſpeciali mandato, ſe ad Prophetandum injecerant: *Et dixit Dominus ad me: falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo, non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos, viſionem mendacem & divinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.* Deus reprehendit eos, qui ſine miſſione prophetabant antè adventum Chriſti, tamquam falſos Doctores. Chriſtus autem Joan. 10. verſ. 8. reprehendit etiam eos dicens: *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*, quæ verba interpretans Philaſtrius ſuper Joannem ait: *Diligenter attende verbum ipſum, quicumque venerunt inquit; non quicumque miſſi ſunt, nam Prophetæ quidem*

Matth. 23. *Jerem. 14.* *Joan. 10.*

miſſi advenerunt: Pſeudo-propheta autem quales & ſeditioſi dicti illi, a nullo miſſi venerunt, ſicut & Dominus dixit, ego mittebam eos, & illi currebant. Undè qui ſine miſſione venerunt, dicuntur fures, ut ſciamus, nullum poſſe prædicare niſi mittatur, ut monet Apoſtolus dicens: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*: Chriſtus non omnibus qui baptizati erant, ſed ſolis Apoſtolis dixit *euntes ergo docete omnes gentes. Ite in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Beda.

Eamdem interpretationem dat venerabilis Beda in Joannem ubi ait: *Per ſe venerunt, quia per eum miſſi non fuerunt: dicente Apoſtolo, quomodo prædicabunt niſi mittantur, & quia per ſe venerunt & non ſunt ab eo miſſi, fures ſunt & latrones; nam antè adventum Chriſti, falſi fuerunt in populo Dei, falſi Doctores, ſicut poſt adventum illius ſub nomine Chriſtiano quamplurimi fuerunt falſi Doctores, nec Doctores, ſed Seductores*, Illi ergò qui ad prædicandum Evangelium miſſi non ſunt, nequeunt prædicare illud, illi enim qui per ſe veniunt, fures ſunt & latrones, ut conſtat ex dictis, quia mittunt manum in meſſem alienam, & intrant non habentes veſtem nuptialem, ac proinde nullus eſt prædicator verus, niſi ille, cui commiſſum eſt prædicationis officium, non à communitate laica, ut voluit Lutherus, quoniam hæc cùm civilis ſit, nequit aliquam in Eccleſiaſticis, aut Spiritualibus rebus poteſtatem concedere, ſed à Prælatis, & alijs animarum curam habentibus, quibus ex officio incumbit prædicationis munus, ut declarat Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 24. cap. 4. ubi habetur. *Prædicationis munus quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens Sancta Synodus quo frequentius poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones aliàs ſuper hoc editos ſub Fel. Record. Paulo III. aptius præſentium temporum uſui accommodandos, mandat ut in Eccleſia ſua, ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument &c.*

Concilium Tridentin.

Tandem omnes Chriſtianos non eſſe Sacerdotes, nec prædicatores Evangelij, patet ex Apoſtolo ad Epheſ. cap. 4. verſ. 11. & 12. ubi legimus: *Et ipſe* (id eſt Chriſtus) *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Indè enim conſtat, non omnes Chriſtianos eſſe Prophetas, aut omnes Doctores, ſed quoſdam eſſe Doctores & quoſdam Prophetas; & ideò omnes Chriſtiani non receperunt poteſtatem publicè prædicandi verbum Dei, nec Chriſtus conſtituit eos prædicatores, non enim omnibus fidelibus, ſed Apoſtolis dumtaxat dixit: *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Epheſ. 4.

Omnes Chriſtiani, non ſunt Sacerdotes.

Conſtat inſuper, omnes Chriſtianos non recepiſſe æqualiter Sacerdotium, ut voluit impiiſſimus Lutherus, qui ut mulieribus placeret, & illas, quas ardenter amabat, in ſui amorem alliceret, docendi poteſtatem, nec non prædicandi facultatem tribuebat eis: quamvis Sacerdotibus dumtaxat poſſit concedi poteſtas publicè prædicandi Evangelium, & verbum Dei: Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs: quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis, inquit Apoſtolus ad Hebræ. cap. 5. verſ. 1. ut oſtendat, quemlibet hominem non eſſe Sacerdotem, ſed illum, qui ex hominibus aſſumptus eſt Pontifex, & pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum.

Hebr. 5.

Taceant igitur hæretici, qui dicunt oppoſitum eſſe verum. Sileat & Lutherus, qui dicit omnes Chriſtianos abſque ulla ſtatûs, aut ſexûs diſcretione, eſſe Sacerdotes, ex eo quod exiſtimabat nedum contrà univerſalis Eccleſiæ fidem; ſed etiam contrà magiſtros ſuos, ſcilicet Uvaldenſes, Sacerdotis officium in ſola prædicatione conſiſtere, & quemlibet Chriſtianum poſſe prædicare publicè Evangelium. Quippè hæc Lutheri opinio eſt falſa & hæretica, ut ex ſuprà dictis evidenter patet.

§. II.

De Rationibus Hæreticorum ſolvendis.

HÆretici contra aſſertionem noſtram objiciunt illud Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 4. & ſequentibus ubi omnes alloquens ait: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti: non littera, ſed Spiritu: littera autem occidit, Spiritus autem vivificat.* Idem declarat ad eoſdem Corinthios 1. cap. 14. verſ. 31. ubi ait. *Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes exhortentur.* Indè enim (inquiunt hæretici) Apoſtolus declarat, quemlibet Chriſtianum eſſe idoneum miniſtrum novi Teſtamenti, hoc eſt, prædicationis Evangelij; omnes & ſingulos Chriſtianos poſſe prophetare, docere & exhortari. Quoniam loquebatur omnibus Corinthiis ad fidem converſis.

Prima hæreticorum ratio.

Reſpondeo Apoſtolum ibi non loqui de omnibus Chriſtianis; ità ut velit, quemlibet fidelem eſſe miniſtrum novi Teſtamenti: ſed de ipſo ſolo, & de alijs Apoſtolis in prædicatione Evangelij conſortibus, ut colligitur ex principio ejuſdem Epiſtolæ, in qua non omnes, ſed ſe & alios Apoſtolos commendat tamquam miniſtros Chriſti, & Apoſtolos: ut demonſtrat per hæc verba *idoneos nos fecit miniſtros &c.* Idem dico ad ſecundum, nam dum ait Corinthiis: *Poteſtis omnes per ſingulos prophetare &c.* Non loquitur de prædicatione; ſed de interpretatione, quia ut notat Divus Ambroſius. Interpres, qui declarat obſcura in lege Evangelica, idem eſt, ac Propheta: nam ſicut olim Propheta dicebatur, qui videbat illa, quæ ab alijs non videbantur, nec videri poterant; ita nunc propheta dicitur, qui intelligit, & ſcit declarare ea, quæ alijs ſunt obſcura; undè Apoſtolus loquitur de illis, qui receperant Prophetiæ donum; non verò de omnibus indiſcriminatim; cùm ſtatim addat, *Mulieres in Eccleſiis taceant, non eis permittitur loqui, ſed & ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit: ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent, turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Sed permittitur eis, qui facti fuerunt à Chriſto miniſtri novi Teſtamenti, & ad hunc finem electi fuerunt; ideóque Paulus, non de omnibus Chriſtianis, ſed de Diſcipulis Domini tantum loquitur.

Reſponſio ad rationem hæreticorum.

D. Ambroſ.

Alij verò, qui poſtea fuerunt prædicationis miniſtri, non ab ipſo Chriſto immediate, ſed ab hominibus, qui ſucceſſerunt Apoſtolis, ſuſceperunt miniſterium illud; quod cùm non fuerit datum omnibus, omnes non habent poteſtatem publicè prædicandi Evangelium; ſed ſolum illi, quibus datum eſt. Huic interpretationi ſuffragantur Sancti Patres, Ambroſius, Anſelmus, & alij ſuper Paulum.

Objiciunt iterum illud Divi Petri 1. cap. 2. verſ. 9 *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Ille Princeps Apoſtolorum his verbis ſuadet, omnes in Chriſtum credentes, ſeu omnes Chriſtianos, eſſe Sacerdotes Chriſti Domini; & habere poteſtatem annunciandi virtutes ejus, quoniam ad illos ſuam primam dirigebat Epiſtolam ipſe Divus Petrus: ergò (inquiunt) omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes, &

Secunda hæreticorum ratio.

poſſunt prædicare publicè verbum Dei, & Chriſti narrare geſta, cùm hæc omnia tendant ad augmentum fidei, cujus ſunt defenſores.

Reſpondeo, ibi Divum Petrum oon loqui de prædicatione verbi Dei publica, & ex officio, ſed de laude, & gratiarum actione, quam omnes Chriſtiani tenentur reddere Deo propter tot, tantaque beneficia, quæ ab eo receperunt, non ex operibus juſtitiæ, ſed ex miſericordia Dei, qui dat omnibus, & non improperat. Nec hoc eſt inuſitatum in Sacrâ Scripturâ; cùm conſter propheras, & Apoſtolos ſæpè uti hoc verbo *annunciare* pro *laudare*, aut gratias agere.

Explicantur textus citati.

Idem ſuadetur ex propriis verbis Apoſtoli, nam loquitur de gente Sancta, de populo acquiſitionis, & de genere electo per Regale Sacerdotium, vultque gentem ſanctam annunciare virtutes Chriſti, quia de tenebris vocavit eam in admirabile lumen ſuum; quòd indicat, ipſum Apoſtolum, velle fideles promovere, & hortari ad gratiarum actionem propter redemptionis beneficium.

Deindè ſi illa verba Divi Petri intelligenda eſſent de prædicatione verbi Dei, ut volont hæretici, non debent tamen intelligi de publica, & ſolemni prædicatione, ſed de privata. Quòd non negamus: hæc quidem privata prædicatio licita eſt omni Chriſtiano, quia quilibet poteſt ſic proximum ſuum ad fidem hortari, & docere præcepta Dei, ut conſtat in parentibus reſpectu filiorum. Idem colligitur ex illo Eccleſ. 17. *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo*, quo conſtat, mutuam correctionẽ, aut inſtructionem nedum licitam eſſe inter fideles: ſed etiam præceptam dum ſe offert occaſio: debemus enim nos alterutrum diligere, ſicut Chriſtus dilexit nos.

Eccleſ. 17.

ARTICULUS XLI.

Reſpuit Pſeudo-Apoſtolos homini denegantes libertatem emittendi vota.

HÆretici, qui credunt ea, quæ fiunt ex neceſſitate, & obligatione voti, eſſe mala, quia putant ea, quæ ex voto fiunt, non eſſe libera, impugnant, & damnant vota, quæ emittuntur in ordinatione, vel in profeſſione religioſa, qualia ſunt vota caſtitatis, paupertatis, obedientiæ, aliarumque virtutum moralium. Primi hujus hæreſis Patroni fuerunt quidam viri dicti Pſeudo-Apoſtoli, qui ſub Adolpho Cæſare Germano, & Bonifacio Papâ VIII circà annum Domini MCCXCVI. docuerunt, nedum Eccleſiam conſecratam non plus ad orandum valere, quàm porcorum Stabulum; ſed etiam opera illa, quæ ſine voto fioot, eſſe ad majus præmium deſtinata, quàm ea, quæ ex voti neceſſitate fiuot; indéque rejiciebant vota ſolemnia, tamquam perniciosa meritis liberi arbitrij.

Pſeudo-Apoſtoli.

Alij ejuſdem hæreſis defenſores apparuerunt anno MCCCLII. tempore Caroli IV. Germani Cæſaris; & Innocentij VI. Papæ, ſcilicet quidam viri hæretici dicti Lamperiani quorum author ignoratur. Hi quidem viri, his verbis Pſal. 53. *Voluntariè Sacrificabo tibi* malè intellectis moti, aſſerebant, vota eſſe contraria Scripturæ, & Sanctorum Patrum obſervationi: quaptoptèr reſpuebant vota religionis, tamquam illicita, & nociva libertati humanæ, nec non divinæ perfectioni. Lamperianos ſuſcitavit Joannes Uvicleffus, vir natione Anglus, conditione Presbyter, qui anno MCCCCX. ſub Carolo IV, & Clemeote VI docuit malum eſſe vota emittere.

Lamperiani

Joannes Uvicleffus

His omnibus ſucceſſit Martinus Lutherus, qui in lib. de votis monaſticis, ſic ait: *Vota monaſtica ſunt impia, gentilia, Judaica, Sacrilega, mendacia, erronea, Dæmoniaca, hypocritica, apoſtatica, etiam Sanctorum exemplis adverſantia, quarè cum fiducia revocanda, & deſerenda ſunt, etiamſi pia, & ſeria opinione emiſſa fuerint.* Per hæc quidem verba aperte declarat, vota ſolemnia eſſe inimica ſalutis. Et Monachos (quorum inſtitutio Sancta eſt) eſſe in ſtatu perditionis. Non miror, Lutherum fuiſſe hujus ſacrilegij, & impietatis defenſorem, quia ſi liceat credere pluribus authoribus, quos citat, & ſequitur Toletus in additionibus ſuper caput tertium decimum libri qointi inſtitut. Sacerdot. Lutherus ex ſemine humano ab incubo in matris ejus uterum transfuſo conceptus fuit. Deindè Lutherus putabat, omnes Religioſos, & Sacerdotes, qui continentiam voverunt, ei ſimiles eſſe, ut ſolitò putant mali, & impij, qui in his, quæ ipſi faciunt contra præcepta leges, & bonos mores, judicant de alijs. Undè ut exitum ſuum à religione, aut apoſtaſiam aliquo prætextu juſtificaret, locutus eſt de votis, ea, quæ jam retuli, & ea, quæ ſequuntur, contrà monaſteria *Cupio eradicata, extincta, & abolita eſſe omnia monaſteria quæ utinam Dominus igne, & Sulphure cæleſti ad exemplum Sodomæ, & Gomorræ demergat, adeò ut nè memoria quidem illorum ſuperſit, neque enim ſatisfuerit illis Anathema imprecari.* Alter acerrimus hujus hæreſis propugnator, eſt Joannes Calvinus natione Picardus, & Patriâ Noviodunenſis, qui anno Domini MDLVII. ſub Carolo V. Imperatore, & Paulo III. Summo Pontifice, docuit & prædicavit, omnia vota eſſe inutilia, & nihil prodeſſe ſaluti.

Lutherus

Calvinus

Tandem hujus hæreſis ultimus defenſor, fuit Michaël Molinos, Presbyter Hiſpanus, novus Quietiſtarum author, qui anno MDCLXXXVII. plures ſcilicet LXVIII. errores Romæ docuit, inter quos tertius eſt iſte. *Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva* ut conſtat ex decreto condemnationis á ſancta ſede emanato, juſſu Innoceotij XI. Papæ, die XXVIII. Auguſti ejuſdem anni.

Michael Molinos

§. I.

De Conciliis, quæ Vota commendant.

EXcellentiam votorum mirificè deſcribunt, & vitam monaſticam extollunt varia Concilia, quæ Anathematizant eos, qui vota damnant. Nam Toletanum IV. celebratum ſub Honorio Papa. I. cum LXX Epiſcopis, anno ſalutis DCXXXIII. cap. 29. ſoorum decretorum, ſic ait: *Clerici qui monachorum propoſitum appetunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopo in monaſterijs largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur*: Ex his verbis clarè colligitur, monachorum vitam eſſe perfectiorem vitâ ſæcularium, quòd non aliundè provenit, niſi ex votis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ emiſerunt; idcóque vota Religionis, ſeu monaſtica, non poſſunt citrà hæreſim improbari; cùm ſint de meliori bono, & ducant ad perfectionem, & efficiant ſtatum clericali perfectiorem, ut conſtat ex uarijs juris Canouici textibus.

Toletanum IV.

Præthereà Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Sacrameoto matrimonij, Can. 10. ſtatum virginitatis extollens ſuprà ſtatum conjugalem his verbis: *Si quis dixerit ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatûs, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quàm jungi matrimonio: Anathema ſit* extollit etiam prædicta vota monaſtica, ſuprà ſtatum conjugalem; cùm vita religioſa ſit anteponenda ſtatui cælibatûs, & virginitatis, ob firmitatem, aut obligationem indiſpenſabilem, quâ vovens dat ſe Deo irrevocabiliter. Sunt

Tridentin.

Digitized by Google

alia quam plurima Concilia, & oracula io corpore juris, quibus firmatur excellentia votorum. Sed ea omitto brevitatis gratia, ut citius ex Scriptuta videamus quòd opus ex voto factum, cedit in majus ipſius operantis præmium, quàm ſi liberè, & abſque ulla voti obligatione fuiſſet effectum.

§. II.

Votorum excellentiam demonſtrat.

VOvens vitam religioſam, hoc eſt promittens Deo obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, ſe conſecrat Deo meliori modo, quo ſe dare poteſt cùm ſe det irrevocabiliter, liberè, ac voluntariè uſqoe ad mortem, intuitu amoris Dei, ut verè, & propriè exigit donum perfectum Deo exhibendum; idcircò magis gratus eſt Deo, quàm ille, qui abſque voto, caſtitatem, & paupertatem ſervat. Cùm iſte habeat adhuc poteſtatem nubendi, & poſſidendi bona temporalia, quam non habet alter per votum, nam caſtè vivete propter Deum, valdè meritorium eſt, ſed teneri, aut obligari à ſe ipſo ad hanc vitam, multò magis meritorum eſt, quia hoc eſt abnegare propriam voluntatem in ordine ad matrimonium, & nolle propter Deum, virginitatem dimittere, aut velle in perpetuum caſtum eſſe propter Deum. Certò ille, qui vovet aliquod bonum, & facit illud, plus ſe Deo ſubjicit, non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem; cùm de cætero nequeat aliud facere, ſicut v. g. plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret fructus tantum, ut notat Divus Anſelmus in lib. de ſimilitud. ità plus dat ille, qui vovet, quám ille, qui non vovet.

Per vota monaſtica ſubjicimus nos Deo.

D. Anſelmus.

Inſuper vovere eſt actus latriæ quæ inter virtutes morales, præcipua eſt. nobilioris autem virtutis eſt opus melius, & magis meritorium, hinc eſt quòd actus inferioris virtutis eſt perfectior, & magis meritorius, ſi à virtute ſuperiori imperetur, ut patet de fidei, vel ſpei actu, qui eſt melior ſi imperetur à charitate, quæ eſt principium meriti, & virtus quâ ſumus, & nominamur Filij Dei; Ideò continentia quæ eſt actus caſtitatis, debet eſſe melior & magis meritoria, ſi fiat ex voto, quoniam votum eſt actus virtutis latriæ ex ſe reducens caſtitatem ad divinum cultum, & ad quoddam ſacrificium.

D. Auguſt.

Undè Divus Auguſtinus lib. de virginitate ait: *Neque ipſa virginitas quia virginitas eſt, ſed quia a Deo dedicata eſt, honoratur, quam fovet & conſervat continentia pietatis.* Ideóque vota non deſtruunt meritum, nec valorem operis apud Deum, ut dicere voluerunt Lamperiani, Pſeudo-Apoſtoli, Lutherani, & Calviniſtæ, imò augent illud; cùm opera bona nedum ex agentis intentione, ſed etiam ex duratione operationis, virtutem, & valorem deſumant, ut inferri poteſt ex illo Apoſtolorum: *Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* ibi enim Petrus exprimit id, quod relinquerant Apoſtoli, ut oſtenderet æquale præmium eſſe dandum juxta quantitatem operis; & circonſtantias ejuſdem, ex quibus ſequitur quòd vota ſolemnia in ordinatione, vel in Religioſa perſeſſione emiſſa ſunt ità bona, rationabilia, utilia ad ſalutem, & grata Deo noſtro, ut ille, qui vovit perpetuam caſtitatem, aut paupertatem, poſſit plus petere, quàm ille qui non vovit eam, licèt caſtè vivat, quia: hic ſemper in ſe retinet libertatem tranſeundi ad alium ſtatum minus dignum qui eſt ſtatus conjugalis, quâ quidem libertate caret alter qui vovit eam, quapropter Chriſtus Adoleſcenti de ſua ſalute ſollicito dixit Matth. 19. verſ. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ſed quia petijt an aliquid deeſſet illi, qui mandata Dei obſervaverit, Chriſtus reſpondit verſ. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni, & ſequere me.* Per hæc enim verba volebat ipſe Chriſtus, Adoleſcentem illum eſſe pauperem in perpetuum, volebat enim quod renunciaret, poſſeſſionibus ſuis, abſque libertate iterum ſumendi eas, ut probat hæc particula, *Veni & ſequere me*, quæ indicat, Chriſtum velle quòd Adoleſcens duceret vitam Apoſtolicam, ſeu quod ſemper viveret io paupertate, & caſtitate propter majorem perfectionem aſſequendam; unde cum obſervare mandata Dei, & relinquere omnia, & ſequi Chriſtum, ſit quid perfectius, quàm ſervare tantum mandata Dei, ut conſtat ex eodem Evangelio Matthæi, ſequitur quòd dare ſe Chriſto per vota ſolemnia, hoc eſt, vovere paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, eſt quid perfectius, quidque magis meritorium, quàm dare ſe retenta libertate nubendi, & bona temporalia poſſidendi. Nullus ſanè dubitat perſeverare in bono uſque in finem, non eſſe melius, quam incipere illod. Qui piè vivit laudabilis eſt, ſed laudabilior eſt qui vult ſemper piè vivere.

Matth. 19.

De votorum excellentia, bonitate, & merito, plura babemus in ſacris paginis teſtimonia, Propheta Regius Pſal. 75. invitat nos ad emiſſionem votorum dicens: *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.* Igitur bonum eſt vovere perpetuam virginitatem; alioquin David non hortaretur nos ad votum, ſi opera quæ ſine voto fiunt, eſſent digniora, & magis Deo grata, minus hortaretur nos, ſi vovere eſſet malum, quia libera obligatio offerendi aliquid Deo, provenit ex amore qui ſignificat opus, illudque totaliter in Deum dirigit, nec Pſal. 49. verſ. 14. diceret: *Immola Deo Sacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua*, Cùm in ſententia hæreticorum, melius eſſet Sacrificium laudis immolare Deo, ſeclusâ obligatione voti, quam ex voto.

Propheta invitat ad emiſſionem votorum.

Pſal. 49.

Eamdem veritatem affirmat illud Num. cap. 30. verſ. 3. & 4. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento; non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit implebit: mulier, ſi quippiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo Patris ſui, & in ætate adhuc puellari, ſi cognoverit Pater votum quod pollicita eſt, & juramentum quo obligavit animam ſuam, & tacuerit, voti Rea erit.* Nam ex his conſtat, rem cum juramento Deo promiſſam, eſſe faciendam ſub pœna peccati, acproinde certum eſt, opus ex promiſſione factum, eſſe dignius eo, quod ſit plenè liberé, hoc eſt, ſine voto aut promiſſione. Ratio hujus rei eſt, quia libera obligatio offerendi aliquid Deo, provenit ex amore perfecto, qui opus in Deum totaliter dirigit.

Num. 30.

Deindè illud eſt bonum cujus oppoſitum eſt malum, & illud eſt verè perfectum, quod habere eſt melius, quàm non habere, v. g. Charitas eſt perfectio, quia melius eſt habere illam, quàm non habere illam; cùm ex communi omnium Theologorum ſententia, perfectio ſimpliciter ſimplex ſit id, quod melius eſt, quàm quodcumque incompoſſibile cum ipſo, ideoque id cujus omiſſio eſt peccatum, eſt perfectius eo, cujus omiſſio non eſt mala, & per conſequens dignius eſt non nubere, v. g. ob votum jam emiſſum de continentia ſervandâ, quam non nubere ſine voto; cùm nubere poſt votum ſit peccatum. Et nubere (ſi non præceſſerit votum) non ſit malum. Denique vivere caſte, eſt bonum: ergo votum quod hanc vitam confirmat, non poteſt eſſe malum.

Hæretici, & præſertim Lutherani reſpondent, vota pro certo tempore tenenda, poſſe emitti licitè,

ac eſſe de meliori bono, non autem illa, quibus homo ad perpetuam alicujus virtutis obſervationem, ſe adſtringit, qualia ſunt vota monaſtica, quia (inquiunt) per talia vota, homines fiunt ſervi & amittunt libertatem, quam dedit illis Chriſtus acquirendo eos per ſanguinem ſuum, cùm non debeant negligere, nec omittere ea, quæ Deo voverunt, & teneantur obſervare ea reluctante etiam libertate.

Ioannis Lutheranorum reſponſio.

Non valet hæc Lutheranorum reſponſio, quia per vota perpetua, homo non fit ſervus, ea ſervitute à qua Chriſtus nos liberavit, quæ eſt ſervitus peccati. Et homo, nonobſtante voto perpetuo; eſt liber ab hac ſervitute; cùm ſervire Deo regnare ſit. Et nemo ſit liberior illo, qui Deo ſervit. Ridiculum quidem eſt dicere obligationem, quam homo ſibi impoſuit ad bonum perpetuò faciendum, eſſe malam & injurioſam Evangelicæ libertati. Nam peto à Lutheranis, an homo per matrimonium perdat libertatem, quam acquiſivit illi Chriſtus? Sanè dicent coniugatos habere hanc libertatem; tamen vinculum matrimonij eſt indiſſolubile, & unus conjux nequit citrà peccatum, ſeparari ab alio quamdiu vivit; quare ergò poſſunt dicere quod homo, qui ſe dat Deo per votum perpetuum, perdit libertatem Chriſtianam & fit potius Filius Ancillæ, quàm Liberæ cùm votum ex ſe poſtulet eſſe liberum, & ſemper fuerit gratum Deo, ut patet ex lib. 1. Regum, cap. 1. verſ. 10. & 11. de Anna voto perpetuo ligata, ibi enim legitur: *Cum eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter: Et votum vovit, dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus fueris mei, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus*: Igitur vota perpetua non tollunt libertatem Chriſtianam, nec diſplicent Deo, cùm Anna emittens votum de filio conſecrando in miniſterium templi omnibus diebus vitæ ejus, meruerit exaudiri à Deo, & Filium habere, ut conſtat ex verbis relatis in verſ. 20. *Et factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel; eo quod à Domino poſtulaſſet eum.*

1. Reg. cap. 1.

Hoc exemplô penitùs confunduntur Lutherani, & & tenentur admittere vota monaſtica: quamvis ſint perpetua, ſicut admittunt ea quæ fiunt ad tẽpus. Nam ſi Anna potuit votum perpetuum emittere de conſecrando Filio quem nondùm conceperat, huncque poſt natum offerre Domino, ut legimus in eodem capite, verſ. 27. & 28. ſi puer dum baptizatur emittat vota perpetua in perſona parentum, eaque teneatur obſervare, potiori ratione poterit homo de ſe ipſo votum perpetuum emittere, cum quilibet plus juris in ſe habeat, quàm mater in Filium, præſertim dum eſt ſui juris, ut de facto eſt, dum ordinem Sacrum ſuſcipit, aut profeſſionem emittit.

In novo Teſtamento habemus etiam vota perpetua de caſtitate ſervanda, in glorioſiſſima Chriſti matre, quæ virginitatis votum emiſerat, priuſquam eum in utero conciperet de Spiritu Sancto, ut colligunt Sancti Patres ex verbis, quæ ipſamet Angelo nuntianti conceptionem verbi divini, reſpondit, dixit enim illi: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*. Hoc eſt, numquam me virum cognituram ſpopondi, ut vertit Divus Bernardus in homil. 4. ſuper Evangelium, *miſſus eſt*, ubi ait: *non dubitat de facto, ſed modum requirit, & ordinem, nec enim quærit an fiet iſtud, ſed quomodo, quaſi dicat, cum ſciat Dominus meus teſtis conſcientiæ meæ, votum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat iſtud? ſi oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium. Et gaudeo de Filio, & doleo de propoſito, fiat tamen voluntas ejus.*

Beata Virgo emiſit votum virginitatis.

D. Bernardus.

Divus Auguſtinus Idem priùs aſſerverat, ut conſtat ex Can. *Beata Maria*, cauſ. 17. quæſt. 2. ubi ille Sanctus Doctor ait: *Beata Maria propoſuit, ſe ſervaturam Votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore, ſubjecit ſe divinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus ei aliter revelaret.* Idem ſentiunt alij Sancti Patres, quos brevitatis gratia omitto.

D. Auguſt.

Certum eſt etiam Apoſtolos emiſiſſe votum de paupertate ſervanda, quandò relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum, ut teſtatur Divus Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 4. ubi ait: *Dixerant enim, potentes illi, ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te: hoc votum potentiſſimi voverant, ſed undè hoc illis, niſi ab illo, de quo dictum eſt: dans votum voventi*: ergo vota perpetua ſunt grata Deo, & poſſunt citrà omnem culpam emitti ab homine, qui dum redit Deo vota ſua, plus meretur, quàm dum liberè, ſeu ſine voto facit eadem opera. Quòd verum eſſe probat nedum ratio, quæ libertatem deſiderat in operibus noſtris, ut ſint meritoria, cùm in naturalibus, nec laudemur, nec vituperemur, ut docet Philoſophus, ſed etiam illud Deuteron. cap. 23. verſ. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Inde enim ſequitur quod bonum eſt vovere. Quia Deus non requirit mala: mundi enim ſunt oculi ejus, ut non poſſit reſpicere ad iniquitatem; & inter bona requirit meliora.

Apoſtoli voverunt paupertatem.

Deuteron. 21.

De hac ipſa veritate Eccleſiaſtes dat aliud teſtimonium, cap. 5. verſ. 3. dicens: *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio, ſed quodcumque voveris redde*, quippè cùm votum, nihil aliud ſit, quàm promiſſio deliberata, Deo facta de meliori bono, quod non præcipitur à lege externa, ſed à ſola charitate, aut dilectione Dei imperatur, neceſsè eſt quòd ſervare caſtitatem, & paupertatem ex voto, ſit melius, quàm obſervare eam ſinè voto, quoniam charitas eſt nobilior, & perfectior quacumque lege externa, & Scripta.

Eccleſ. 5.

Hoc cõfirmari poteſt authoritate ejuſdem Eccleſiaſtes verſ. 4. ubi ait: *Multo melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere*, cùm inde ſequatur quòd melius eſt vovere, & poſt votum promiſſa reddere, quàm non vovere. Nam ſi melius ſit non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere: certum èſt quod vovere eſt omnino bonum ex ſe. Et nequit eſſe malum, niſi ex omiſſione, aut negligentia rei promiſſæ, ac proindè ſuppoſitâ obſervatione voti, voviſſe eſt meliùs, quam non voviſſe. Quoniam non voviſſe, non eſt omninò bonum. Hinc fit quòd dum Paulus I. ad Corinth. cap. 7. verſ. 38. ait: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benefacit, & qui non jungit, melius facit* declarat, non nubere, ſeu ſervare virginitatem, eſſe melius, quàm nubere. Idcircò ſi non vovere cælibatum ſit bonum, vovere illum debet eſſe melius. Nec hoc, id eſt perfectio rei, v. g. Cælibatus, impediri poteſt per caſtitatis, aut continentiæ votum, quoniam res facienda, ſi ex ſe ſit bona, nullum detrimentum ſuſcipit ex voto, ſeu obligatione faciendi eam; quinimo majorem perfectionem, quoniam format propoſitum non deficiendi à bono opere.

Corinth.

His non parùm juvat afferre antiquitatem votorum, cùm evidenter probet, vota ſemper fuiſſe approbata. Id patet nedùm ex voto Annæ ſuprà relato, & ex voto Jacob de decimis offerendis Domino, Geneſ. 28. quibus conſtat vota fuiſſe emiſſa in veteri Lege: ſed etiam in nova, in qua ſemper vota fuerunt emiſſa à fidelibus & meritoria apud Deum; nam præter ea, quæ diximus de beata Virgine, & de Apoſtolis, aliud habemus teſtimonium, quod eſt Urbani primi, qui floruit in fine II. ſæculi, &

Vota fuerunt emiſſa in veteri lege.

in principio III. ille enim ſanctiſſimus Pontifex in Epiſtola de vita communi & oblarione fidelium air: *& quicunque veſtrûm communem vitam ſuſceptam habet, & vovit ſe nihil proprium habere, videat nè pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed hoc quod Domino eſt pollicitus, fideliter cuſtodiat nè damnationem, ſed præmium ſibi acquirat, quoniam ſatius eſt non vovere, quam votum pro ut melius poteſt, non perficere; gravius enim puniuntur qui votum fecerunt, & votum non perfecerunt, aut fidem perceperunt, & in malis vitam finierunt, quàm illi qui vitam ſine voto finierunt, aut ſine fide mortui ſunt, & tamen bona egerunt opera.* Ex quibus verbis conſtat, in in II. Eccleſiæ ſæculo fuiſſe jam homines, qui voverant paupertatem pro ut nùnc Religioſi faciunt. Imò uſus vororum antiquius eſt in Eccleſia Dei, quàm hæc Pontificia Conſtiturio. Nam Divus Dionyſius Pauli Diſcipulus, Sanctorum Martyrum Ignatij, & Polycarpi Coævus, qui obijt anno Chriſti CII. ſcripſit unam Epiſtulam ad Demophilum Monachum. Et quatuor ad Caiium Monachum. Hoc ſanè probat antiquiſſimum eſſe ſtatum Monachorum, ac proindè emiſſionem votorum non poſſe citra hæreſim improbari tanquam rem novam; cùm Eccleſia Chriſti ab exordio eam laudaverit, & approbaverit, ut ſuadet inſtitutio Diaconiſſarum, & Monialium, quæ facta fuit in primitiva Eccleſia, juxtà Divum Clementem Papam, ſancti Petri Diſcipulum, Divum Ignatium Martyrem, Divum Epiphanium, alioſque veteres ſanctos Patres, qui de Virginibus per vota Deo conſecratis, mentionem faciunt.

Urbanus Papa.

D. Dionyſius.

§. III.

De reſponſionibus ad Argumenta Hæreticorum.

VOtorum impugnatores, & præſertim Lutherani utuntur hac authoritate Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccatti, & ſi nupſeris virgo, non peccavit*: ergo, inquiunt, Sanctimoniales quæ caſtitatem Deo voverunt, Monachi etiam, qui caſtitatis votum emiſerunt in profeſſione. Et Sacerdotes qui in ordinatione continentiam promiſerunt, poſſunt città peccatum, matrimonium contrahere; cùm virgines ſint, ac proindè Apoſtolus nullo modo attendit votis tam in profeſſione, quàm in ordinatione emiſſis; cùm virgo poſſit ſine peccato nubere.

Primum Lutheranorum argumentum.

Reſpondeo Apoſtolum ibi non loqui abſolutè de omnibus virginibus, ità ut velit, quamlibet virginem poſſe nubere; quin peccet; ſed ſolum de virginibus liberis, ſeu de illis, quibus nubere, aut non nubere adduc liberum eſt: Igitur non loquitur de Sanctimonialibus, vel de Monachis, & aliis perſonis, quæ caſtitatis votum emiſerunt. Quia per votum illud ab ipſis emiſſum, nubendi poteſtatem à ſe prorſus rejecerunt; ideòque graviter peccarent, ſi nuberent, cùm juxta textus jam relatos, vovens teneatur reddere vota, quæ promiſit. Hanc eſſe veram Apoſtoli mentem, probarur ex verbis præcedentibus, quibus conſtat quòd loquebatur de perſonis liberis; verſ. enim 20. ait: *unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt; in ea permaneat*, hoc eſt, illi qui vocati ſunt ad matrimonium, maneant cum uxore, illi verò qui ad continentiam, vivant continentes: igitur non permiſit virginibus voto ligatis matrimonium, ut impiè ſomniavit Lutherus.

Explicatur Apoſtolus à Lutheranis citatus.

Idem docent Divus Hieronymus Lib. 1. contrà Jovinianum, Divus Chryſoſtomus Hom. 19. qui exponens prædicta Apoſtoli verba, ait: *Neque de ea, qua ſibi elegit virginitatem, loquitur: quippe quæ jam peccavit, nam ſi viduæ quæ ſecundis nuptijs ſe alligarunt, judicium ſubeunt, ſi ſemel viduitatem elegerint, multò magis virgines.* Theophilactus: *Virginem hic dicit, non eam, quæ Deo conſecrata ſit: ea enim ſi nupſerit, peccavit omnino, ſeu ea quæ mœchum ſuperinduxerit ſponſo ſuo Chriſto, ſed innuptam dum puellam: ea enim ſi nupſerit, non peccavit, non enim res impura eſt matrimonium.* Iſydorus, & alij quàm plurimi eamdem adhibent interpretationem: ideòque hæretici nequeunt ex verbis Apoſtoli inferre, perſonas, quæ vota emiſerunt, poſſe tutâ conſcientia, vota negligere. Et ſi ſint in Monacharu, aut in ordine ſacro, ad nuptias convolare.

D. Chryſoſtomus.

Theophilactus.

D. Iſydorus

Iterum objiciunt hæretici ex ratione, & ſic diſcurrunt. Vota in profeſſione Religioſâ, aut in ordinatione emiſſa repugnant libertati Evangelicæ, & Chriſtianæ, quæ non ſolum eſt ea, quæ regnat in mente, quâ libertate conſcientia ſolvitur ab operibus; ſed etiam quâ ſunt ſublata univerſa hominum mandata, & quidquid in cæremonijs, & ritibus externis ſervati poteſt, ut ſunt omnes cibi, omnes veſtes, omnes perſonæ, omnes geſtus, & cætera, quæ poſſumus licitè facere, vel non facere, quibus valemus licitè uti, vel non uti, quæque poſſumus licitè obſervare, & non obſervare, quamdiu, ubi, quomodo, quando, aut quoties placuerit, aut res ipſa ſe obtulerit. Sed vota (inquit Lutherus) tollunt hanc libertatem, quam dedit nobis Chriſtus; ſi ille, qui vovit caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, non poſſit uti omnibus cibis, perſonis, & alijs, quæ licita ſunt Chriſtianis: Igitur vota Monaſtica ſunt contra libertatem Evangelicam, acproinde ſunt prohibita in nova Lege, quæ eſt Lex gratiæ, & amoris jugum ſuave & onus leve habens.

Altera Lutheranorum ratio.

Huic argumento (quod eſt Baſis, & fundamentum hæreticorum vota impugnantium) Reſpondeo falſum eſſe ſuppoſitum, utpotè vota monaſtica repugnare libertati Evangelicæ. Nam ſi hoc eſſet, Deus non conſuleret nobis ad majorem perfectionem vota, quæ tamen conſulit in varijs ſacræ Scripturæ locis, & Libris, quos Lutherani recipiunt, ut Canonicos, & præſertim in Pſal. 75. ubi Propheta ait: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Et in reſponſione Chriſti ad Adoleſcentem, Matth. 19. verſ. 21. *Si vis perfectus eſſe: Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cælo, & veni & ſequere me.* Quoniam Chriſtus per hæc verba conſulit Adoleſcenti vitam caſtam, pauperem, & obedientem; cùm ſequi Chriſtum, ſit renuntiare mundo, & pompis ejus: Ideòque vota non tollunt libertatem Chriſtianam, ut putant Lutherani; licet non ſint de divino Præcepto; cùm nullibi præcipiatur nobis vita monaſtica; ſed ſint ab humana voluntate, quæ cùm ſit ſui juris, poteſt ſponte ſuâ vovere ſtatum perfectionis; & ſecundum conſilia Evangelij vivere; quin eximatur ab obſervatione Legis Chriſtianæ: idcircò ille, qui vota emiſit, eſt Chriſtianus perfectus, ſi ea ad amuſſim obſervet, quamvis poſt illam votorum emiſſionem, teneatur ex præcepto divino ad reddendum Deo id, quod vovit: quædam enim ſunt, quæ etiam non voventes debemus; quædam verò, quæ niſi voverimus, non debemus; ſed poſtquam ea Domino promiſimus, neceſſariò ea reddere tenemur, ut patet in lib. Numer. capite 30. verſ. 3. Idem probant textus adducti circà obſervantiam votorum.

Vota monaſtica non repugnant libertati Evangelicæ.

Deindè ſi argumentum Lutheranorum valeret, ſequeretur quòd indiſſolubilitas matrimonij repugnaret libertati Evangelicæ, quia ſemel contracto matrimonio, vir nequit dimittere uxorem, quam anteà ducere, vel non ducere liberum erat ei, nullum quippe eſt præceptum de matrimonio contrahendo

herido, ſed indiſſolubilitatem matrimonij impugnare non audent Lutherani, nec ex illa obligatione retioendi uxorem, inferre, indiſſolubilitatem eſſe perniciosſam: Igitur nequeunt eadem ratione aſſerere, vota monaſtica repugnare libertati Chriſtianæ, quamvis ſint indiſſolubilia, & obligent ad vitam.

Alio argumento impugnant Articuli noſtri veritatem. Contrà rationem eſt (inquiunt) vovere id, quod nullo modo eſt in noſtra poteſtate: ſed ſervare caſtitatem non eſt in noſtra poteſtate, ſed in poteſtate ſolius Dei, quia teſte Scripturâ, nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det: igitur vovere nedùm eſt contrà libertatem Chriſtianam; ſed etiam contrà rationem, quæ vetat promittere alteri quod, ei dare non poſſumus.

Lutherus falſo credit vota eſſe impoſſibilia

Reſpondeo primo Argumentum non concludere, alioquin probaret, nos non poſſe vovere vitam Chriſtianam, quam promiſimus in Baptiſmo, quia nihil eorum, quæ in hoc Sacro fonte promittimus, eſt in noſtra poteſtate; cùm certum ſit quòd non poſſumus ex nobis, hoc eſt, viribus liberi arbitrij dumtaxàt præſtare fidei firmitatem, mandatorum Dei integram obedientiam, & Satanæ abrenunciationem: etenim ad hæc omnia obſervanda, neceſſariò indigemus ſpeciali adjutorio Dei, ut dicemus contrà Pelagianos, quibus hæretici, quos hîc impugnamus, adhærere non audent, quoniam tenent, fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem, hancque non operari in nobis, aut nos in illa, ſine gratiæ Dei auxilio.

Obſervatio votorum eſt poſſibilis adjuvante gratia.

Reſpondeo ſecundò negando obſervationem votorum non eſſe in noſtrâ poteſtate divinæ gratiæ auxilio adjutâ; aliàs ſequeretur quòd Conſilia Chriſti eſſent omninò impoſſibilia: quòd eſt falſum; ut ſuadet, Articulus, quô poſſibilitas mandatorum Dei defenditur, ſuppoſito gratiæ auxilio, quod certò paravit Deus omnibus in veritate invocantibus eum, ut jam diximus; nam Apoſtolus ad Philip. 4. ait: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Si omnia poteſt: ergo & caſtitatem integram ſervare. Scimus enim hominem non poſſe ex ſe ipſo, ſecluſo gratiæ auxilio, vincere carnis tentationes, ſed ſcimus quòd eas vincere poteſt, ſi benè utatur auxilio Dei, quod habebit, ſi petat illud, inquit Chriſtus Marci, 11. verſ. 24. *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*, & ideò ſub hâc promiſſiune divinâ omninò immutabili, poſſumus rationabiliter vovere paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, ſicut in Baptiſmo vovemus obſervare mandata Dei. Poſſumus etiam ſi velimus, mediante eodem auxilio, obſervare conſilia (alioquin eſſent impoſſibilia, quòd eſt falſum ut jam monui) ſicut poſſumus obſervare præcepta Dei.

Marc. 11.

Inſurgunt ex alio argumento, & dicunt quòd dum videmus, nos non poſſe ſervare caſtitatem, nec poſſe vincere tentationes carnis, nonobſtante illo auxilio, debemus nos credere ſolutos á voto, quoniam recta ratio ſuadet, quòd ſi quidquam à nobis fieri non potuerit, nos amplius ad illud non aſtringi; At in Religioſo, qui voto caſtitatis ſe aſtrinxit, infirmitas carnis poteſt eſſe tanta, ut nec jejunijs, nec orationibus vinci poſſit; ergò tunc Religioſos ille: quamvis adjutus divinâ gratiâ, poteſt, imo, & debet ſe ſolutum à voto exiſtimare, & uxorem ducere citrà peccatum; illi autem qui tentationes carnis vincunt, debent monaſticam vitam ſervare, alij verò non. Quoniam illis impoſſibilis eſt caſtitas, etiam ſtante adjutorio divino.

Reſpondeo quòd carnis infirmitas non poteſt eſſe tanta, ut illi neceſſariò cedere cogatur homo divinâ gratiâ adjutus; cùm Apoſtolus dicat, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat, & ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et Divus Petrus: *Sobrij eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.*

1. Petro cap. 5.

Fateor nonnullos fuiſſe victos in tentatione carnis; cûm Spiritus promptus ſit, caro autem infirma; ſed hoc provenit ex mala voluntate, quæ cùm prona ſit ad malum, Sanctas inſpirationes ſpernit, & rejecit gratiæ auxilium illi datum à Deo ad vincendum, aliàs Deus non diceret peccatori, *Perditio tua ex te eſt in me tantummodo auxilium tuum*; ideóque vota non ſunt impoſſibilia, nec ità difficilia, ut Monachus poſſit ſe à voto caſtitatis abſtinere, proptèr periculum frangendi ipſum votum. Hujus inconcuſſæ veritatis ratio, eſt quia periculum non naſcitur ex facto ſeu ex voto, neque ex impotentia voluntatis divinâ gratiâ adjutæ, ſed ex eo quod monachus, aut vovens liberè deficit ab illo, quod promiſit: nam periculum frangendi votum, non imminet voventi ex ipſo voto, ſed ex culpa hominis, qui volnntatem mutat transgrediendo votum abſque ulla neceſſitate; undè Divùs Auguſtinus ait: *Non te voviſſe pæniteat, imo gaude, jam tibi ſic non licere quod cum tuo detrimento licuiſſet.*

Cauſa tranſgreſſionis votorum eſt mala voluntas.

D. Auguſt.

Tandem objiciunt hæretici contrà votum obedientiæ. Dicunt enim hoc votum eſſe contra ordinem divinæ providentiæ, quoniam homo ex conditione ſuà tenetur obedire parentibus, Regibus, Magiſtratibus, ut ſuadet ſcriptura varijs in locis; & ut ex præcepto tàm naturali, quàm divino conſtat; ſed per votum obedientiæ uni duntaxat, ſcilicèt ſuo Superiori ſe obligat, & ab omnibus alijs Superioribus, & æqualibus ſe ſubtrahit, ut ſoli ſuperiori ſuo obediat: ergo illud obedientiæ votum eſt irrationabile, & damnandum, tamquam contrarium divinæ providentiæ, quæ aliter diſponere voluit.

Ultima Lutheranor. ratio.

Reſpondeo negando ſuppoſitum; falſum enim eſt quòd votum obedientiæ ſit contrarium divinæ providentiæ, ejuſque ordinem ſubvertat, qoia dum Monachus ſe obligat uni ſoli, ſeu Superiori, non ſe ſubtrahit ab omnibus alijs ſuperioribus, ſaltem in bis in quibus ex præcepto naturali, & divino tenetur illis obedire; quia per votum illud non diſpenſatur in honore reddendo parentibus, Regibus, & Magiſtratibus. Scriptum eſt enim, obedite præpoſitis veſtris; reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo. Et per conſequens Religioſus in profeſſione, aut Sacerdos in ordinatione, per votum obedientiæ quod emittit, non ſe eximit ab obedientia Regum; imò magis ſe obligat, ut advertit noſter Alphoſus à Caſtro. Nam ea ratione, quâ Monachus ſubditur Superiori ſuo, eadem ratione ſubditur etiam omnibus alijs, quibus Superior ille ſubditus eſt; & in omnibus illis non minorem, imò multò majorem obedientiam exhibere tenetur hocque ſemper à Religioſis fuit obſervatum; neque contrarium Lex apud eos Statuit, nec uſus inolevit; cùm ſemper Summo Pontifici ſubditi fuerint in Spiritualibus. Et Regibus, in temporalibus; ſeu his, qui poteſtatem habent in ſubditos, & inferiores ſuos.

Votum Obedientia non eſt contra ordinem providentiæ.

Obiter obſervandum eſt, Lutheranos circà vota eſſe inter ſe diviſos, ſunt enim, ut Uvitembergenſes, qui fatentur vota eſſe bona, & Sancta; volunt tamen nihil poſſe Deo voveri, niſi id quod ab illo nobis præceptum eſt; & ob hanc cauſam damnant omnia vota monaſtica, quamvis multa alia vota probent; quia (inquiunt) vota monaſtica ſunt de rebus, quæ non præcepit Deus, ſcilicèt

de caſtitate, paupertate; & obedientia, quæ non ſunt ſub præcepto divino; ſed tantùm ſub Conſilio.

Sed falſum eſt, votum non poſſe emitti de re non *Votum poteſt emitti de re non præcepta.* præcepta, ſufficit enim quòd ſit de re bona, & ad perfectionem conducente, ut patet de Conſilijs Evangelicis, quæ ducunt ad gradus perfectiores, de quibus poteſt emitti Votum, quidquid dicant Uvitembergenſes, & Calviniſtæ. Hoc conſtat nedùm exemplo Annæ uxoris Elcanæ, Beatæ Virginis Mariæ, & Apoſtolorum, ſuprà relato, ſed etiam ex teſtimonio deſumpto ex lib. num. cap. 30. ubi Deus per Moyſem ait: *Si uxor voverit & juramento ſe conſtrinxerit, ut per Jejunium, vel cæterarum rerum abſtinentiam, affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit ut faciat, ſivè non faciat. Quod ſi audiens vir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam, quidquid voverat atque promiſerat, reddet, quia ſtatim ut audivit, tacuit.* Indè enim conſtat, votum poſſe emitti de re, quam non præcepit Deus; cùm ex illis verbis Moyſi, uxor poſſit (marito non contradicente) vovere Jejunium non præceptum à Deo. Hocque facilè infertur ex conſenſu mariti, quem lex divina requirit, ut votum uxoris de jejunio ſervando ſit validum, quia ſi ut tale jejunium eſſet materia voti, deberet eſſe à Deo præceptum, maritus illius uxoris non poſſet tali voto contradicere, nec illud irritum facere, quamvis emiſſum contrà ipſius voluntatem; alioquin maritus poſſet uxorem ſuam diſpenſare in præceptis Decalogi, & in præceptis Eccleſiaſticis. Quòd eſt falſum. Deus enim eſt Dominus omnium. Et Eccleſia eſt mater fidelium.

Deindè nullum eſt præceptum in lege divina, quo teneamur obſervare virginitatem, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 7. dicente: *De virginibus præceptum Domini non habeo*: Sed de ipsâ virginitate perpetuò ſervanda poteſt emitti votum, hocque de facto emiſſum fuiſſe à Virgine Maria conſtat ex dictis: Igitur ut validum ſit votum, non eſt neceſsè quòd res promiſſa, ſit de præcepto.

Fundamentum Uvitembergenſium, & Calviniſtarum veritatem Catholicam impugnantium, eſt, quia nullain inter præceptum, & Conſilium ponunt differentiam, & ideò dicunt nihil Deo placere, niſi id quod ab illo præceptum eſt. At hæc ratio eſt falſa, alias Chriſtus Matt. 19. Dixiſſet Adoleſcenti *Si vis ad vitam ingredi, vende quæ habes*, ſicut dixit illi, *ſerva mandata.* Sed dixit illi; *ſi vis perfectus eſſe, vende quæ habes*, quia paupertas non eſt neceſſaria ad ſalutem, ſicut obſervatio mandatorum, ſed ſolùm ad perfectionem. Nihil habere, non eſt præceptum, ſicut non furari: Igitur homo poteſt vovere ea, quæ ſunt de Conſilio, & obligare ſe ad perpetuam eorumdem obſervantiam, & placere Deo; quamvis faciat ea, quæ Deus non præcepit, ſi ſint bona illi: Nam nullus tenetur ex præcepto obſervare paupertatem Evangelicam, Apoſtoli tamen obſervaverunt eam, & placuerunt Deo, ut patet ex illo Matth. cap. 19 ubi legitur: quod Petrus petens à Chriſto quid daturus eſſet illi, & condiſcipulis ſuis, ex eo quod omnia reliquerant, ut ſequerentur illum. Huic Apoſtolo ſic reſpondit ipſe Chriſtus. *Amen dico vobis*
Matth. 19. *quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Hæc quidem reſponſio probat, Apoſtolos relinquendo omnia, placuiſſe Chriſto. Et paupertatem voluntariam, ſeu ex voto, eſſe meritoriam apud Deum, ut infertur etiam ex eodem capite Matth. verſ. 19. *Omnis qui reliquerit domum aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, cùm vita æterna non detur adultis, niſi propter laborem, & opera meritoria, ut ſæpè ſuprà dictum eſt juxtà Sacram Scripturam, & Sanctos Patres.

ARTICULUS XLII.

Confundit Dulciniſtas aſſerentes uſum pecuniæ fuiſſe prohibitum Apoſtolis.

PSeudo-Apoſtoli in præcedenti Articulo relati, docebant Apoſtolos Chriſti nec habuiſſe, nec recepiſſe pecuniam, nec aliquid in craſtinum ſervaſſe, Deo ſic mandante; volebant enim, Chriſtum prohibuiſſe Apoſtolis uſum pecuniæ, & nullum hominem poſſe vitam æternam aſſequi, ſi pecuniam habeat. Hujus hæreſis author, aut Pſeudo-Apoſtolorum Dux, fuit quidam Gerardus Sagarel- *Gerardus* lus de Parma, qui captus in errore, damnatus, & *Sagarellus* combuſtus fuit, circà annum Dominum MCCCIX. ſub Henrico VII. Imperatore, & Clemente V. Papà.

Hunc, ut verus Diſcipulus Magiſtrum ſecutus eſt Dulcinus vir hæreticus, Patria Novarienſis, qui *Dulcinus* teſte Bernardo de Lutzemburgo in Catalogo hæreticorum, defenſor tam pudendæ, & effrenæ libidinis extitit, ut ad ſe millia utriuſque ſexus ſub charitatis ſpecie cohabitare docuerit, & blandiloquentià quadam, atque ſuadela impulerit qui Alpes incolentes in omnem luxuriam prolabebantur, adeò quidem ut hæc peſtis, per duorum, aut trium annorum ſpatium, multos corruperit, tantà quidem vi, ut neceſsè fuerit, eum cum uxore ſua Margareta ejuſdem criminis conſortia, comburere inquiſitorum diligentià; ut tantis faſcinoribus, tantiſque impietatibus daretur finis. Hic hæreticus docebat dominium rerum temporalium ſaluti eſſe omninò contrarium. Quapropter dicebat etiam ſe eſſe Apoſtolum; Jactabat ſe vitam Apoſtolicam habere; eo quod ſicut Apoſtoli (dicebat) pecuniam non recipiebat, neque aliquid in craſtinum ſervabat, ut vitam æternam aſſequi poſſet.

§. I.

Probat uſum pecuniæ eſſe licitum.

REverà nullum Concilium pronunciavit contrà hanc hæreſim aſſerentem ad ſalutem conſequendam, neceſſarium eſſe pecuniam non recipere, nullumque temporalium rerum dominium habere, damnata tamen fuit à Boniſacio VIII. à qoo fuerunt dam- *Condemnatio fratricellorum* nati Fratricelli, ſeu Fratres de paupere vita, qui in partibus Italiæ dicebant, habere aliquid in proprio Dominio prohibitum eſſe Chriſtianis. Eorum ratio erat, quia Apoſtoli nihil habuerunt, nec habere potuerunt, Chriſto Domino ſic ſtatuente.

Apoſtolos tamen habuiſſe pecuniam, eamque ſecum portaſſe, conſtat ex varijs Sacræ Scripturæ locis Legimus enim in Evangelio D. Joannis cap.4. quòd *Joan. 4.* cum veniſſet Jeſus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxtà prædium, quod dedit Jacob Joſeph Filio ſuo, Diſcipuli ejus abierunt in civitatem, ut cibos emerent, ſanè pecunià, ut emptoribus proprium eſt: ergò ſecum habebant pecuniam; alioquin Evangeliſta alio termino uſus fuiſſet, non enim dixiſſet, *ut cibos emerent* ſed potius *ut peterent cibos*, cùm emere, ſit pecuniam pro re empta dare. Et per hoc

Digitized by Google

emptio diſtinguatur ab alijs contractibus.

Inſuper legimus in eodem Evangeliſta cap. 13. quòd Judas Apoſtolus antequam Chriſtum traderet, habebat loculos, ut patet ex eodem capite verſ. 29. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret.* Quibus ſuadetur, Apoſtolos ſecum portaſſe pecuniam pro emendis rebus neceſſarijs Chriſto Domino, & ipſis; aut pro diſtribuendis egenis rebus; quæ ipſis neceſſaria erant; infrà adducenda. Nec valet dicere, Apoſtolos non habuiſſe dominium pecuniæ, ut colligi poteſt ex verbis D. Matthæi infrà adducendis in objectione hæreticorum. Non valet, inquam. Tùm quia emptio nequit fieri ſine pecunia propriâ; & quia res empta acquiratur. Tùm quia authoritas.

D. Matth. Non indicat præceptum, ſed Conſilium ut tradit Theophilactus eadem verba ſic exponens: *Quomodo qui alios admonet nè portent peram, nec æs: ipſe autem marſupium ferebat: oſtendit quod & poſſeſſione carentem, & Crucifixum mundo, magnam oportet ejus partis, videlicèt pauperum curam habere*: his verbis Theophilactus apertè docet, verbum Chriſti de non portandâ pecunia, non eſſe præceptum, ſed Conſilium.

Theophilactus.

Beda

Idem docet venerabilis Beda lib. 4. cap. 54. ſuper Lucam cap. 12. ubi declarat hæc verba Chriſti: *Facite vobis ſacculos &c.* non eſſe præceptum, ibi enim ſic loquitur: *Non hoc præceptum eſſe putandum eſt, ut nihil pecuniæ reſervetur à Sanctis, vel ſuus ſcilicet, vel pauperum uſibus ſuggerenda, cum ipſe Dominus, cui miniſtrabant Angeli, tamen ad informandam Eccleſiam ſuam loculos habuiſſe legatur, & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, alijſque indigentibus tribuens; ſed ne Deo propter iſta ſerviatur & ob inopiæ timorem juſtitia deſeratur*: Chriſtus volebat his verbis, divinæ providentiæ curam oſtendere, non verò præceptum de paupertate obſervanda, inſtituere.

Quòd Apoſtolis prohibitum non fuerit habere aliquid in craſtinum, patet etiam ex varijs locis Sacræ Scripturæ; nam cum Dominus Jeſus ex quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiaſſet quinque millia hominum, dixit Diſcipulis ſuis: Joan. 6. verſ. 12. *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta nè pereant, collegerunt ergò & impleverunt duodecim Cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant*, nonnè indè conſtat, Apoſtolos hunc panem reſervaſſe, Domino ſic præcipiente, ut illum pauperibus diſtribuerent, prout eorum neceſſitas exigebat; & ut haberent panem ad manducandum: Idque firmatur ex lib. act. cap. 11. verſ. 28. 29: ubi legitur: *Et ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio: Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus.* His enim conſtat, Apoſtolos tùnc ſecum aliquid habuiſſe in craſtinum; aliàs non feciſſent quod propoſuerant ad impediendam famem, ut ità factum fuit, juxta illud verſ. 30. *Quod & fecerunt mittentes ad ſeniores per manum Barnabæ, & Sauli.*

Joan. 6.

Act. 11.

Aliud habetur de hac re in eodem libro exemplum, cap. 25. nam Paulus navigans, cùm appellaſſet ad Cæſarem ad quem miſſus eſt; ſequitur, enim, *Tunc Feſtus cum Concilio locutus reſpondit: Cæſarem appellaſti ad Cæſarem ibis*: aliquid alimenti recepit, ut viveret in via, nec tamen tantum pro uno die providit, ſed pro multis, quia non una die ſolet navis ex Aſia Romam pervenire: Igitur Apoſtolis licitum erat recipere pecuniam, & alimenta; eaque in craſtinum reſervare.

§. II.

De reſponſione ad Hæreticos.

PSeudo-Apoſtoli objiciunt illud Matthæi 10. verſ. 9. *Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Indè enim concludunt, Chriſtum prohibuiſſe Apoſtolis uſum pecuniæ, & quodcumque dominium rerum temporalium, ut quærerent primùm regnum Dei, quoniam hoc præceptum per hoc verbum *nolite* expreſſum, excludit quamcumque poſſeſſionem.

Reijcitur hæreticorum ratio.

Reſpondeo quod non nocet hæc authoritas, quia aliqua fuerunt Apoſtolis prohibita, non abſolutè, & pro omni tempore; ſed tantum pro uno tempore, non autem pro alio, ut conſtat ex eodem Matth. cap. 15. in quo dicitur *& egreſſus inde Jeſus ceſſit in partes Tyri & Sidonis*, quæ erant oppida, quæ pertinebant ad gentes, ad quas ire prohibitum fuerat Apoſtolis, Matth. 10. verſ. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Hæc autem prohibitio non erat abſoluta; alioquin numquam acceſſiſſent ad Samariam, ſed tantum pro aliquo tempore, ſeu pro illo, quo ad prædicandum mittebantur, nè tunc accederent ad loca gentilium. Idem dicendum, ac diſcurrendum eſt de iſta prohibitione de non portanda pecunia; quæ habetur apud Divum Matthæum cap. 10. quippè non fuit abſoluta, ſed ſolum pro illo tempore, quo Apoſtoli mittebantur causâ prædicandi Verbum Dei, & proclamandi adventum Meſſiæ; diu à cunctis gentibus deſiderati, ut ex illa abdicatione rerum, diſcerent, ſpem collocandam eſſe in Deo cui ſerviebant; non verò in proviſione Alimentorum, & ideò Chriſtus miſit illos ſine pecunia, ut tunc poſſent experiri quomodo nihil eis deeſſet, & de facto nihil eis defuit, ut teſtatus eſt eis Chriſtus ipſe dicens, Lucæ 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & ſine pera, numquid defuit vobis in via?* Quo conſtat, Chriſtum miſiſſe Apoſtolos ſine pecunia, ut indè agnoſcerent illis prohibitum eſſe uſum pecuniæ, non abſolutè & pro ſemper, ſed ut experiri poſſent, Dominum habere curam illorum, qui diligunt eum, & laborant in Evangelio, nec non pro ſalute propria; & aliorum, nihilque illis deeſſe etiamſi pecuniam reijcerent. Et ut convinceret eos non debere ſpem ſuam in pecunia collocare, ſed in Deo: cujus providentia cuncta diſponit.

Vel dico cum Divo Auguſtino, illam vocem; *nolite*, à Chriſto prolatam, non fuiſſe præceptum, continuò obſervandum, ſed Conſilium; alioquin contrà hoc præceptum feciſſet Paulus, qui victum de laboribus manuum ſuarum deſumebat, nè cuiquam gravis eſſet. Nec Apoſtoli recepiſſent quæ dabantur illis pro victu & veſtitu (quibus contenti erant) ea tamen poſſidebant abſque ulla culpâ, ex eo quòd dignus ſit operarius mercede ſua, ut inquit Chriſtus.

Altera ad hæreticos reſponſio.

Ut autem probent ijdem hæretici, Apoſtolos non potuiſſe ſibi reſervare aliquid; adducunt illud Matth. 6. verſ. 31. *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.* Et verſ. 34. *Nolite ergò ſolliciti eſſe in craſtinum:*

Sed non obſtat hæc authoritas, quia Chriſtus non prohibet reſervationem, aut detentionem re-

rum pro craſtino, ſed ſolum nimiam ſollicitudinem, nè ſcilicèt adeo ſolliciti eſſent Apoſtoli ut ſollicitudo ipſa eos ſepararet à Deo, cui ſoli ſervire debebant, cùm nemo poſſit duobus Dominis ſervire Matth. cap. 6. & ideò non dixit illis, *nihil ſervabitis in craſtinum*, aut, *nihil habebitis pro craſtino apud vos*; ſed dixit, *nolite ſolliciti eſſe in craſtinum* quòd non reſpicit rem pro craſtino conſervandam, ſed modum, id eſt, nimiam conſervandi, aut habendi curam. Porrò non implicat quòd rejectâ cupiditate, & ſine ſollicitudine, quis poſſit in craſtinum ſervare aliquid, ut de facto ſervabant Apoſtoli, teſte Paulo 1. ad Timotheum cap. 6. verſ. 7. & ſequentibus: *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid poſſumus, habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Nam hi qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem, radix enim omnium malorum eſt cupiditas*: Igitur non reſervatio, ſed ſollicitudo, aut cupiditas fuit prohibita, quia eſt ſpecies avaritiæ, quæ eſt radix omnium malorum.

Chriſtus prohibet nimiam verò temporalium ſollicitudinem.

1. Timoth. 6

Deindè dico quòd ſi Chriſtus prohibuiſſet reſervationem rerum pro craſtino, nulli liceret colligere grana, alioſque fructus terræ: nam ex Divo Hieronymo ſuper Matthæum, *Cras*, in Sacris litteris nedum ſumitur pru die proximè futuro poſt præſentem; ſed pro omni tempore futuro, & incerto, ut colligitur ex illo Geneſis 30. verſ. 33. *Reſpondebit mihi cras juſtitia mea, quandò placiti tempus advenerit coram te: & omnia quæ non fuèrint varia, & maculoſa, & furva, tam in ovibus, quàm in capris, furti me arguent*: ibi enim illud adverbium *Cras*, non ponitur tantùm, pro die immediatè ſequenti, ſed pro tempore futuro. Sed licèt ſeminare, metere, grana colligere: ergò licet hæc omnia conſervare, ac proindè Chriſtus dicens; *Nolite ſolliciti eſſe quid manducabimus, aut quid bibemus*, non prohibet reſervationem rerum pro craſtino, ſed nimiam ſollicitudinem, quæ avaritia eſt, quæque non de anima, ſed de corpore curat.

D. Hieronymus.

ARTICULUS XLIII.

Quo impugnatur Joachim Abbas, exiſtimans Apoſtolos non prædicaſſe Evangelium, ſecundum ſpiritualem intelligentiam.

JOachim Abbas, & Monachus in celeberrimo Florenſi Cœnobio in Calabria ſito, Abbas multa ſcripſit animo nocendi Eccleſiæ Chriſti, pluresque ſeminavit errores, tempore Henrici VI. Imperatoris, & Cæleſtini III. Summi Pontificis, circà annum Domini MCXCV. in quibus ſuum leve oſtendit ingenium (inquit Alphonſus à Caſtro) cujus ratio eſt, quia ipſe Joachim, in omnibus ſuis libris, ut ſe futurorum præſcium oſtenderet, conſuevit miſcere prognoſtica, quòd maximæ levitatis, & gloriæ cupiditatis indicium eſt, maximè cum aliter ſe impoſterum res habuerint, quàm ipſe prædixit. Nam idem Doctor imbecillitatem Joachimi ſuadere volens, ait: *Ut de cæteris taceam Fridericum Imperatorem, hoſtem Eccleſiæ futurum, ſicut forte ſomniaverat prædixit, quem omnes hiſtoriæ tradunt, uſque ad mortem in pace & tranquillitate Eccleſiæ permanſiſſe.* Et D. Thomas de eodem Abbate in 4. diſt. 43. quæſt. 1. art. 3. ait: *Abbas Joachim noni prophetico Spiritu ſed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando, ad verum pervenit, aliquando fallitur*, &c. Sed cùm ad nos non ſpectet ejus explicare ſomnia, ſed errores impugnare, dico cum Guidone Carmelitâ, quòd inter cæteras fabulas, quas ipſe Joachim populo Chriſtiano ingerere ſolebat, una eſt quâ tres hominis Status eſſe, affirmabat, ſic diſcurrendo.

Abbas Joachim.

Primus eſt ille in quo homines vixerunt ſecundum carnis Statum, & duravit ab Adamo uſque ad Chriſtum. Secundus eſt ille in quo homines mediam vitam duxerunt inter carnem, & Spiritum, & duravit à Chriſto, uſque ad Sanctum Benedictum. Tertius eſt ille in quo homines vivunt ſecundum Spiritum, & durabit à Divo Benedicto, uſque ad finem mundi.

His autem tribus Statibus, tres hominum ordines adoptat, conjugatorum ſcilicet, clericorum, & Monachorum. Primus, ſeu conjugatorum, ſumpſit initium ab Adam & fructificat ab Abraham; Secundus ordo, ſeu Sacerdotalis, ab Ozia, qui de tribu Juda incenſum Deo obtuliſſe traditur, & fructificavit à Chriſto, qui eſt Rex & Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Tertius tandem, ſeu Monachorum, incepit à Divo Benedicto, ſed fructificare cæpit ab ipſo Joachimo. In primo Statu (inquit) lex Carnalis data eſt hominibus. In ſecundo lex Spiritualis, quæ eſt Evangelium per Apoſtolos promulgatum, non juxtà ſpiritualem intelligentiam, ſed tantum ſecundum litteram. In tertio autem Statu illud Evangelium fuit prædicatum ſecundum ſpiritualem ejus intelligentiam per Monachos Sancti Benedicti. Ità refert noſter Alphonſus à Caſtro.

Anno MCXCIX. Petrus Joannis Diœceſis Biranenſis Joachimi errores docuit & eoſdem tres Status admiſit, ſi unum excipias in tertio, nimirum Chriſti Evangelium fuiſſe in tertio Statu ſecundum Spiritualem intelligentiam prædicatum per Monachos Sancti Benedicti. Iſte enim volebat Evangelium fuiſſe prædicatum ſecundum veram intelligentiam per Religioſos ordinis Sancti Franciſci minorum Fundatoris, & Patris. Petrus Joannis tribuebat Ordini Sancti Franciſci, quòd Joachim tribuebat Ordini Sancti Benedicti. Et indè plures inferunt, ipſum Petrum Joannis fuiſſe Minoritam. Sed hoc mihi ſuppoſititium videtur, nam Divus Franciſcus ſuum inſtituit ordinem anno MCCVIII. & migravit in Cœlum MCCXXVI. Petrus Joannis verò errores ſuos ſcripſit, & prædicavit diù antè inſtitutionem ordinis Minorum, ſcilicèt anno MCXCIX. vel MCC. ut volunt aliqui: ergo non erat minorita, dum dixit, Evangelium fore ſpiritualiter prædicandum per fratres Minores.

Petrus Joannis.

Indè tamen non ſequitur, ipſum Petrum non dixiſſe, nec publicaſſe talem errorem, quamvis nondum inſtitutus fuerit ordo fratrum Minorum; quià locutus eſt per prædictionem, & prognoſticè. Malo ſic reſpondere, quàm negare, Petrum Joannis talia dixiſſe, quià Alphoſo à Caſtro Lubens fidem adhibeo. Hîc tamen obiter obſervandum eſt, Ludovicum Abbely aſſerere, Abbatem Joachim, & Petrum Joannis, quamvis damnati fuerint in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato, non eſſe inter hæreticos, computandos quoniam uterque ſua Sanctæ Sedis cenſuræ ſubjecit ſcripta, & in fide Eccleſiæ obijt in Domino. Huic aſſertioni contradicunt plures Scriptores.

§. Unicus.

Probatur articuli veritas.

PRima ratio probans Apoſtolos prædicaſſe Evangelium ſecundum ſpiritalem intelligentiam, deſumitur ex Joannis Evangelio cap. 14. in quo legitur, quòd Chriſtus propè mortem ab Apoſtolis diſceſſurus dixit eis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, & vos doceat omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* *Apoſtoli prædicarunt Evangelium ſecundum ſpiritalem intelligentiam.* Ex hac quidem promiſſione ſequitur, Apoſtolos habuiſſe notitiam Evangelij ſecundum ſenſum ſpiritualem, quia ſuggerere Apoſtolis Evangelium Chriſti, eſt illis declarare, & exprimere quæ fortè obſcurius à Chriſto dicta, non intellexerant, ob eorum tunc, ſeu antè deſcenſum Spiritus Sancti, obtuſum ingenium. Quare Chriſtus Joan. cap. 16. verſ. 12. & 13. Dixit illis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Joan. 16.* Si autem Apoſtoli veram, & Spiritualem Evangelij intelligentiam habuerint, adveniente Spiritu Sancto, certum eſt quòd prædicaverunt illud tale, quale illud intelligebant; alioquin noluiſſent induſtriâ docere gentes, omnem veritatem, neque eis aperire verum ſenſum Scripturarum, & Evangelij quem conceperant. Quòd de Apoſtolis minimè dici poteſt citrà hæreſim, quoniam ad amuſſim ab ipſis obſervatum fuit iſtud Chriſti mandatum, Marc, 16. cap. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et verſ. 20. declaratur hujus mandati executio; *Marc. 16.* ibi enim legitur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*, quòd non debet intelligi de prædicatione quoad ſubſtantiam dumtaxat; ſed etiam quoad ſenſum quem ipſi perceperant; ſed intelligebant Evangelium ſecundum ſenſum Spiritualem. Intelligebant enim illud ſecundum omnem veritatem: ergò ſecundum eumdem ſenſum prædicaverunt illud.

Undè Divus Auguſtinus lib. 2. contrà Fauſtum *D. Auguſt.* cap. 2. ait de Apoſtolis: *Non omnes enim illi Evangelium Scripſerunt, ſed tamen omnes Evangelium prædicaverunt. Narratores quippè originis, factorum, dictorum, paſſionum Domini noſtri Jeſu Chriſti propriè dicti ſunt Evangeliſtæ.* Hoc Auguſtini teſtimoniô ſuadetur, omnes Apoſtolos prædicaſſe Evangelium, illudque gentes docuiſſe ſecundum intelligentiam, quam habebant de ipſo, & per quam faciliùs poterant homines inducere ad ſuſceptionem Baptiſmi, & fidei, ob quam Chriſtus miſerat eos in univerſum mundum; non verò ſecundum ſenſum litteralem dumtaxat; ut voluerunt Abbas Joachim, & Petrus Joanois. Littera quidem occidit, Spiritus autem vivificat.

Alia ſpiritualis intelligentiæ ratio, deſumitur ex illo Lucæ, cap. 8. verſ. 10. in quo refertur Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis. *Luc. 8.* *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ibi enim aſſeritur, maximam eſſe differentiam inter notitiam, quam Apoſtoli habuerunt de Evangelio, ac de Scripturis; & eam, quam habuerunt cæteri homines. Profectò illa eſt perfectior, & magis univerſalis nedum intenſivè, hoc eſt, ſecundum ſenſus Scripturæ; ſed etiam extenſivè, hoc eſt, in ordine ad objecta, aut ad veritates revelandas. Quare Chriſtus Joan. 15. Dixit eiſdem Apoſtolis, ut agnoſcerent ſe hanc intelligentiam recepiſſe: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* *Joan. 15.* Nihil certo clariùs audire potuimus, ut fateamur, Apoſtolos habuiſſe intelligentiam Evangelij ſecundum ſenſum Spiritualem; cùm didiſcerint à Chriſto, omne quod ipſe Chriſtus didiſcerat à Patre. Nec poſſumus aliquid certiùs videre, ut agnoſcamus ipſos Apoſtolos prædicaſſe Evangelium ſecundùm eumdem ſenſum.

Idem fatetur Paulus 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 6. dicens de Chriſto: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non litterâ, ſed Spiritu*, idonei quidem miniſtri eſt Evangelium prædicare ſecundum ſenſum ſpiritualem.

At ſi hæretici velint quòd hæc verba non probent Apoſtolos prædicaſſe Evangelium ſecundum *2. Corint. cap. 3.* ſpiritalem intelligentiam, ſed ſolùm eumdem ſenſum recepiſſe, allucinantur, quoniam ſcimus quod cap. 1. ad Galat. Paulus oppoſitum declarat, ibi enim ait: verſ. 11. *Notum vobis facio fratres Evangelium*, quòd debet intelligi ſecundum ſenſum perfectiorem, & ad ſalutem utiliorem, qui eſt ſpiritalis & myſticus, ut tenent communiter Theologi, cum Sanctis Patribus, alioquin non diceret ſuprà verſ. 8. *Licet nos, aut Angelus de Cælo Evangelizet vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis anathema ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterum dico ſi quis vobis Evangelizaverit præter id, quod accepiſtis: Anathema ſit.* *Ad Galat. 1.* Nam ſi Apoſtoli non prædicaſſent Evangelium ſecundum ſpiritalem intelligentiam, ille qui ſecundum illum ſenſum prædicaret illud, non eſſet Anathemate percutiendus, imò laudandus, & audiendus, quia ſenſus Spiritualis eſt nobilior litterali, & magis neceſſarius, nec non magis principaliter intentus à Chriſto, qui ut legitur in verſu 27. incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant, ita ut ipſi Apoſtoli cognito Domino, dixerint Luc. 24. verſ. 32. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas:* *Luc. 24.* Igitur Apoſtoli ſecundum illum ſenſum prædicaverunt Evangelium.

His addo verba ejuſdem Apoſtoli de Judæis ſic loquentis 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 14. *uſque in hodiernum diem id ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum, ſed uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum; cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.* *2. Corint. 3.* Per hæc enim verba Apoſtolus declarat, lectionem, aut publicationem veteris Teſtamenti, factam fuiſſe cum velamine, novi autem revelatâ facie, & cum omni intelligentia, & ſublato velamine ſenſum ſpiritualem occultante, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia; nec filij Ancillæ, ſed liberæ: quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu, inquit Apoſtolus, loco citato, cap. 4. verſ. 6.

Si unius Apoſtoli teſtimonium non ſufficiat hæreticis, repono aliud, quod eſt omnium Apoſtolorum ore Joannis 1. cap. 1. verſ. 3. dicentis: *Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum.* id eſt, ut intelligatis ea, quæ dicimus, ſi-

cut nos ea intelligimus. Fateantur igitur Joachim Abbas, & Petrus Joannis prædicationem Evangelij ſecundùm ſpiritualem intelligentiam non incepiſſe à Divo Benèdicto; nec à Patriarcha pauperum Divo Franciſco, cùm ab Apoſtolis Evangelium prædicatum fuerit juxtà intentionem Chriſti, & ſecundum veram intelligentiam, & ſimiliter per alios viros Apoſtolicos continuò uſque in hodiernum diem.

Pro majori veritatis notitia, quæro ab illis Monachis, an Apoſtoli noluerint Evangelium prædicare ſecundum ſpiritualem intelligentiam, vel an non potuerint? Primum non poteſt dici, ut probat eorum charitas, aut obſervatio mandatorum Dei. Nec ſecundum; quis enim audeat dicere, Joannem Evangeliſtam, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia. Et Divum Paulum, qui in tertio cœlo audivit arcana Dei, non potuiſſe prædicare Evangelium Chriſti, ſecundum veram & ſpiritualem intelligentiam? Sicut illud poſteà prædicaverunt Benedictus, & Franciſcus, qui non fuerunt Sanctiores, nec perfectiores Apoſtolis. Reverà fuerunt viri Apoſtolici, ſed non fuerunt ex numero duodecim Apoſtolorum: ego autem nullam adinvenire potui rationem, ob quam Deus voluerit, populum ſuum privare tanto beneficio uſquè ad adventum Divi Benedicti, aut Divi Franciſci, & ob quam potius his duobus Patriarchis, quàm Apoſtolis, Chriſtus voluerit conferre donum prædicandi Evangelium ſecundum intelligentiam ſpiritualem: Imò certus ſum quòd hi duo Patriarchæ à Deo ſpecialiter dilecti, prædicaverunt Evangelium juxtà mentem, & animum Apoſtolorum, cùm ambo vitam Apoſtolicam duxerint, & veri Apoſtolorum imitatores fuerint tam in vita, quàm in doctrina.

Imaginarij ſunt illi tres ſtatus à Joachim Abbate admiſſis.

Undè rejiciendi ſunt tres illi Status hominis à Joachimo admiſſis in principio hujus articuli; nam Status ab Adamo uſquè ad Chriſtum, non fuit vita ſecundum carnem, id eſt, homines in lege naturæ, & in lege ſcripta non vivebant ſecundum carnem, ut declarat Apoſtolus ad Romanos cap. 8. dicens: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*; hoc eſt, qui ſecundum carnem vivunt; quoniam eſſe in carna, & vivere ſecundum carnem, idem ſunt juxtà mentem Apoſtoli, & expoſitionem Divi Ambroſij: Sed plures ab Adam uſque ad Chriſtum placuerunt Deo, ut v. g. Abel ad cujus munera reſpexit Dominus, Henoch qui tranſlatus fuit nè videret mortem. David quem Deus invenit ſecundum cor ſuum; & Joannes Baptiſta, quo inter natos mulierum non ſurrexit major. Si iſti non ſufficiant addo primos parentes noſtros, ſcilicet Adamum, & Evam, quorum converſatio in cœlis eſt, ut dictum manet contra Encratitas. Addo etiam Abraham, Iſaac, & Jacob, & alios quorum nomina facilè inveniri poſſunt in ſacra Scriptura: igitùr Status hominis ab Adamo uſque ad Chriſtum, non fuit in carne, id eſt, omnes; qui tùnc vixerunt, non vixerunt ſecundum carnem, alioquin in illo Statu nullus fuiſſet Sanctus, ut facilè colligitur ex eodem Apoſtolo dicente ad Romanos: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.*

Ad ſecundum Statum appono Evangeliſtas, qui ut jam dixi, veram Evangelij intelligentiam receperunt, illudque Evangelium prædicaverunt omni creaturæ juxtà mandatum, & intentionem Domini: ideoque ſecundum ſpiritualem intelligentiam. Tertius autem Status hominis eſt admittendus ſaltèm quoad finem, quià incepit à Chriſto, & durabit uſque ad finem mundi. Plures enim ſunt, qui non vivunt ſecundum ſpiritum; & erunt ſemper aliqui, qui ſic vivent uſque ad ultimum judicium.

Nullam aliam invenio rationem impugnandam, ſeu firmantem errorem Joachimi Abbatis, & Petri Joannis, niſi eorum dementiam, aut temeritatem, nec poteſt aliud habere fundamentum horum Monachorum opinio, aut potius error, niſi utriuſque delerium.

ARTICULUS XLIV.

Impugnat Montaniſtas aſſerentes Prophetas non intellexiſſe ea de quibus loquebantur.

Plures hæretici credunt, Prophetas dixiſſe vera, eorumdemque vaticiniis fidem adhibent, ſed volunt, ipſos fuiſſe ignaros, & non intellexiſſe ea de quibus loquebantur. Hujus erroris Patruni ſunt Montaniſtæ, ſic dicti à Montano viro natione Phryge, qui ſub Commodo Imperatore, & Sotero Romano Pontifice circà annum Domini CLXXXI. plures errores prorſus nefandos Seminare cæpit unà cum duabus Sociis ſuis, ſivè Mulierculis, *Priſcà*, videlicet & *Maximilla*, quas, Prophetiſſas ſuas dici volebat, dum ſe ipſum Paracletum eſſe docebat. Hujus hæretici errorum unus Prophetarum intelligentiam negat; docebat enim Hæreſiarcha ille, Prophetas fuiſſe arreptitios, non intelligentes ea, de quibus locuti ſunt: Ità teſtantur Euſebius lib. 5. cap. 15. & 18. necnon Apollinaris Hyerapolita. *Montaniſt.*

Hujus hæreſis cauſa fuit Priſcæ, & Maximillæ ignorantia; hæ quippè mulieres, quas Prophetiſſas vocabat ipſe Montanus, neſciebant ea, de quibus loquebantur; undè nè populus eas deſpiceret, eo quod interrogantibus reſpondere non poterant; Montanus ad excuſandas excuſationes in peccatis, docebat Prophetas neſcire ea de quibus loquuntur, & penitùs ignorare ea, quæ affirmant, quoniam (inquiebat) ſunt voces Dei, quæ annuntiant ventura, quæ non noſcunt. Et inſtrumenta quibus Deus utitur ad mentem ſuam nobis apperiendam; quin ipſa inſtrumenta mentem divinam agnoſcant, ſic liberé diſcutrebat nè populus mitaretur, ſi ipſæ Prophetiſſæ non reſponderent.

Juxtà Bernardum de Lutzemburgo in ſuo Catalogo hæreticorum, Priſcillianus vir natione Hiſpanus, Epiſcopus Eccleſiæ Abulenſis, ſub Valentino Imperatore, & Syricio Papa, circa annum Domini CCCLXXXVIII. multos nobiles, pluresque Plebeios ſibi adjungens, nec non & mulierum catervam confluentium, ſingularem Sectam inſtituit, & plures errores docuit, inter quos eſt prædictus error Montani, ut referunt plures Scriptores celeberrimi. *Priſcillianus.*

Priſcilliano adhæſerunt Inſtantius, & Salvianus ambo Epiſcopi Hiſpani, qui non ſolum conſenſerunt, ſed etiam conjuratione quadam Sectam ejus ſuſceperunt, & dixerunt cum Manichæis, Gnoſticis, Priſcillianiſtis, & aliis antiquioribus hæreticis, plures eſſe Deos, animas hominum, & corpora fatalibus Stellis aſtringi; Prophetas eſſe arreptitios, & non intellexiſſe ea de quibus locuti ſunt hominibus in veteri lege, neque ea quæ ſcripſerunt. *Inſtantius. Salvianus.*

§. Unicus.

De intelligentia Prophetarum.

Concilium Carthaginenſe. Bracarenſe. Cæſaraugustanum. Burdigalenſe.

ETſi hæc hæreſis non inveniatur expreſſè proſcluſa in aliquo Concilio; fuit tamen indirectè damnata ab Innocentio I. in Concilio Carthaginenſi VI. in quo Montanus fuit Anathemate percuſſus. In Concilio Bracarenſi, & in aliis ſcilicet in Cæſeraugustano, & Burdigalenſi, in quibus proſcriptus fuit Priſcillianus; nam Patres, aut Concilia Montanum, & Priſcillianum damnando, damnaverunt etiam eorumdem errores; cùm ſolitò Concilia damnent propoſitiones falſas, quæ reperiuntur in libris hæreticorum pro quibus damnandis convocata fuere.

Deffinitur Prophetia.

Ut autem Montani, & Priſcilliani error appareat, præmittendum eſt, Prophetiæ nomen propriè ſignificare cognitionem eorum, quæ à ſenſibus remota ſunt; hancque ordinariam hominum apprehenſionem, excedentem, hæc autem remota, ſunt futura contingentia, divinæ voluntatis decreta, cordium ſecreta, & ſimilia, quæ captum humanum ità excedunt, ut ab ipſo cognoſci non poſſint, niſi revelentur à Deo, cujus oculis omnia nuda, & aperta ſunt. Quarè Alexander Alenſis quæſt. 67. membro 3. ait: quòd Prophetia eſt divina revelatio, rerum eventus immobili veritate denuntians. Hanc definitionem affirmat illud Iſaiæ cap. 41. verſ. 23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dei eſtis vos.* Inde enim

Iſai 4.

patet nedum, veram Prophetiam, aut verum Prophetiæ donum, eſſe à Deo, ſed etiam eſſe participationem ſcientiæ divinæ; hinc eſt quòd Judæi exiſtimabant, Deos eſſe eos, qui annunciabant futura: Igitur Prophetæ, quorum vaticinia habemus in Eccleſia, cognoſcebant ea de quibus loquebantur, eaque, inſtruente Deo, verè intelligebant. Nam ſi Prophetia ſit cognitio rerum futurarum à Deo communicata, Prophetæ hujuſmodi cognitionem habebant, (Deus enim dat affluenter, & non improperat) ideoque dedit Prophetis cognitionem eorum, quæ ipſis revelavit, & quorum cognitio excedit capacitatem aliorum hominum.

His addendum eſt quòd Propheta dicitur videns; & prophetia dicitur revelatio, ut facilè infertur ex illo 1. Reg. cap. 9. verſ. 9. *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: venite, & eamus ad videntem. Qui enim Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim videns.* Et ex illo Nahum cap. 1. verſ. 1. *Onus Ninive: liber viſionis Nahum Elceſæi,* quo conſtat, Prophetias eſſe viſiones. Et Prophetas eſſe videntes, hoc eſt, intelligentes; nam ſecundum Doctorem Angelicum in Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 12. *Revelo*, eſt verbum addens ſuprà viſionem, intelligentiam viſorum: itaque Deus revelando aliquid Prophetis, dat eis intelligentiam rei revelatæ: revelare quidem nihil aliud eſt, niſi monſtrare naturam rei revelatæ.

2. Corinth. 12.

Eamdem veritatem apertè demonſtrat illud Danielis cap. 1. verſ. 17. *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro, & ſapientia; Danieli autem intelligentiam omnium viſionum, & ſomniorum*, hoc eſt, intelligentiam eorum, quæ revelavit ei Deus, quæque nobis prædixit ipſe Daniel: cùm dederit illi cognitionem viſionum, ſeu Prophetiarum, aut eorum, quæ prophetizabat. Hanc ipſam veritatem hæreticis evidentèr oſtendit illud Ezechiel. cap. 10. verſ. 20. *Ipſum eſt animal, quod vidi ſubter Deum Iſrael juxta fluvium Chobar: & intellexi quia Cherubim eſſent.* Ibi enim Propheta teſtatur, ſe in omnibus cognoviſſe animal, de quo loquitur; ac proindè nullus poteſt citrà hæreſim dicere cum Montano, & Priſcilliano, Prophetas quorum ſcripta, aut Prophetias ſervat Eccleſia Romana, eſſe arreptitios, & ignoraſſe verum, ac genuinum ſenſum eorum de quibus loquebantur; quoniam ſi hoc eſſet, ſequeretur quòd eorum Prophetiæ non eſſent à Deo: nam; dum Deus inſpirat aliquid homini, illud ei demonſtrat, quoniam inſpirando inſtruit. Et ut perfectè inſtruat, præbet intelligentiam, ut monet Job cap. 32. verſ. 7. dicens: *Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam; ſed ut video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam*; atqui Prophetæ inſpirati ſunt à Deo, juxtà illud Divi Petri Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirante, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Ideoque ab eo acceperunt veram intelligentiam ſcripturarum.

Daniel. c. 1. Ezech. 10. Job. 32.

Deinde eamdem veritatem evidentiùs oſtendit Paulus 1. ad Corinth. cap. 14. verſ 37 dicens: *Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata*; Quibus idem Apoſtolus declarat, Prophetæ, aut viri ſpiritualis eſſe, cognoſcere ea, quę ſcribebat, & naturam, aut virtutem præceptorum quæ referebat. Declarat etiam quòd Prophetarum eſt interpretari ſcripturas, ut docet in eodem capite verſ. 29. his verbis: *Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent; quod ſi alij revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.* Ibi enim loquitur de interpretibus ſcripturarum, ut patet in verſu præcedenti, vultque, hanc interpretationem fuiſſe conceſſam Prophetis pro utilitate Eccleſiæ, ut oſtendit ſuprà verſ. 4. ubi ait: *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat; qui autem Prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. Volo autem vos omnes loqui linguis: magis autem prophetare. Nam major eſt, qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat.*

1. Corint. 14.

Prophetæ intelligebant ea quæ prædicebant.

Ex illis verbis Apoſtolus docet eſſe Prophetas, eos, qui habent illam intelligentiam, quæ neceſſaria eſt ad interpretationem Scripturæ pro ædificatione Eccleſiæ. Vultque Prophetam cognoſcere ea de quibus loquitur, eaque intelligere, quia impoſſibile eſt quod quis ſit alicujus ænigmatis, aut linguæ, vel ſcripturæ interpres; quin ſit intelligens, cùm ſcopus interpretum ſit, verum ſcripturarum ſenſum aperire, & inſtruere alios quibus datum non fuit noſcere myſteria. Ratio hujus intelligentiæ eſt, quia nemo dat quod non habet, id eſt, nemo reddit explicatione ſua intelligibile id, quod ipſe non intelligit.

D. Epiphanius.

Undè Divus Epiphanius lib. 2. adverſus hæreſes, hæreſi XXVIII. refellens inanem Montaniſtarum figmentum, ſeſe ſolos novæ Legis Prophetas ſuperſtites Jactitantium, ait: *Aut Prophetas poſt Maximillam aliquos oſtendant, ne ea quam illi Jactitant, gratia extincta videatur. Aut Maximilla cum ſuis falſæ vates nomine cenſendæ ſunt, quæ poſt præſcriptum prophetici doni, officiique tempus, non ſancti Spiritûs, ſed immiſſi à Dæmonibus erroris afflatum admittere, non ſunt veriti, ac ſuis auditoribus illudere. Verus quippè Propheta* (inquit cap. 3.) *cum ſui compos tum eo, quæ dicebat intelligens, futura nuntiabat, proque eo ac Spiritus ſanctus impulerat, præcipuo quodam animi robore vaticinari ſolebat .... at contrà quæ iſti (Montaniſtæ) vaticinari ſe jactitant, neque certa cum animi firmitate prædicant, neque quo dicunt intelligentiâ conſequentur, ſed obliqua ſunt illorum ac perplexa verba,*

nec recti omninò quidquam efficiunt. Ibi ille Sanctus Doctor veros Prophetas à falſis diſtinguir in hoc, ſcilicet quòd veri Prophetæ intelligunt ea, quæ dicunt, falſi autem non: Atqui Prophetæ quos recepit Eccleſia Romana, ſunt veri Prophetæ; ſunt enim illi per quos Deus nobis locutus eſt: igitur verè intelligebant ea, de quibus loquebantur; idcitcò Divus Hyeronimus Præfat. Comment. in Nahum ait: *Non loquitur in extaſi ut Montanus, Priſca, Maximillaque delirant, ſed quod Prophetat, liber eſt viſionis intelligentis univerſa, quæ loquitur.*

D. Hieronymus

Montaniſtarum, & Priſcillianiſtarum ratio, eſt, quia Prophetæ pluta prædixerunt, quæ tamen non evenerunt: Reſpondeo hoc eſſe falſum, quia omnia quæ prædixerunt veri Prophetæ jam advenerunt, vel advenient. Nec Motaniſtæ valent aſſignare aliquam prophetiam abſolutam, quæ ſuum non habuerit effectum, aut quæ non ſit habitura illum.

Solvitur Montaniſtarum ratio.

Hujus reſponſionis validitas manifeſtè confundit Montaniſtas, & Priſcillianiſtas: Nam Chriſtus, Matth. 7. verſ. 15. monet nos, ut attendamus à falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Sanè ut indè inferamus, aliquos eſſe veros Prophetas audiendos, & à falſis diſtingoendos. Quoniam illi annunciant ea, quæ erunt; iſti verò, ſeu falſi annuntiant ea quæ non eruot: Igitur illi, quos recepit Eccleſia; intellexerunt ea, quæ dixerunt; alioquin non eſſent audiendi. Quòd eſt apertè falſum, ut probat hoc reſponſum datum diviti Epuloni Luc. 16. verſ. 29. *Habent Moyſem & Prophetas, audiant illos.* Hac quidem reſponſione conſtat, verba Prophetarum noſtrorum eſſe vera, ſicut verba Moyſi, & ipſos Prophetas intellexiſſe ea de quibus locuti ſunt.

ARTICULUS XLV.

Expugnat Apellitas volentes omnes Prophetas fuiſſe malos, & vaticinatos fuiſſe falſa.

Marcion Hæreſiarcha celebris, de quo locuti ſumus in ſecundo articulo hujus operis, vulgò dictus Mus ponticus, & vocatus à ſancto Polycarpo, primogenitus Satanæ; dicebat tempore Antunini Imperatoris, & Pij primi Summi Pontificis, circà annum Domini CLV. Prophetas proceſſiſſe à Deo malo, ac proindè ipſos Prophetas eſſe malos; & falſum eſſe eorum vaticinium, quoniam à principio malo, nihil prucedere poteſt, niſi malum.

Marcioniſta.

Eadem hæreſis contrà ſanctitatem Prophetarum renovata fuit poſteà, ſcilicet anno CLXXVIII. ſub Marco Antonio Imperatore, & Sotero Papa, ab Apelle viro hæretico, Marcionis Diſcipulo, qui licèt pro tuendà hac hæreſi novam non addiderit rationem, novam tamen addidit malitiam: etenim cum majori impudentia aſſerebat, falſa eſſe Prophetarum oracula, quia (dicebat) Prophetas contrario Spiritu fuiſſe inſpiratos, & ideò dixiſſe ea, quæ contraria ſunt veritati, & falſas eſſe eorum Prophetias, eo quod ſe ipſos (ut dicebat) arguunt, & ſibi ipſis adverſantur.

Apellita.

Anno autem CCCCVII. regnante Arcadio Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Innocentio I. apparuit alter Propnetarum Hoſtis, videlicèr Fauſtus, natione Afer, Sectà Manichæus, qui fundamentò Marcionis, Prophetias blaſphemabat, & Prophetas molos eſſe dicebat, ut tamquam falſa haberentur omnia de Chriſto futuro, & de ultimo judicio vaticinia.

Fauſtus Manichæus.

§. I.

Tuetur ſanctitatem Prophetarum.

Contrà hanc hæreſim nullum adinveni Concilium, nullaque ſcripta Sanctorum Patrum, & ideo authoritate ſolios Scripturæ eſt rejicienda. Ipſa enim eſt, quæ teſtimonium perhibet de ſanctitate Prophetarum, nec-non de ipſorum Prothetiarum veritate. Et ſcimus quòd verum eſt teſtimonium ejus.

Chriſtus expreſſè declarat, Prophetas eſſe Sanctos, & regnare in cœlo cum Deo, Matth. cap. 13. verſ. 28. Ibi enim loqnens de fine, & ſorte in ultimo judicio habendis ab illis qui operantur iniquitatem, ait: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium, cum videritis Abraham, Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras.* His enim cōſtat, Prophetas eſſe Beatos, & Sanctos; ſicut Abraham, Iſaac, & Jacob Sancti ſunt; cùm dicat, ipſos eſſe in regno Dei cum Patriarchis veteris Teſtamenti. Et per regnum Dei intelligendum ſit cœlum Beatorum, ad quod ex eodem Evangelio Chriſtus in illa die magna & amara valdè, vocabit electos, eis dicens; *Venite benedicite, percipite Regnum.*

Prophetarum ſanctitas.

Idem docet Sanctus Jacobus, qui divitibus pauperum oppreſſoribus gravem comminans ultionem; pauperes verò ad longaoimitatem exhortans, cap. 5. Epiſt. Cath. verſ. 10. inquit: *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patintiæ, Prophetas: qui locuti ſunt in nomine Domini.* Certò Divus Jacobus Prophetarum exempla non perhibuiſſet illis, quorum ſalutem peroptabat, ſi ipſi Prophetæ non eſſent amici Dei, Sancti, & Beati; alioquin magis in pauperum deſtructionem, quàm in ædificationem laboraſſet. Et Paulus 1. ad Corinth. cap. 12. demonſtrans modum, quo Chriſtus providit Eccleſiæ ſuæ de variis hominum Statibus, ait: *Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores.* Hoc enim ſignificat, Prophetas eſſe Miniſtros Dei honorandos, imó & intér Sanctos computandos, ut ſuadet illud Sap. 7. verſ. 27. ubi de Sapientia dicitur: *Et cùm ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit.* Sed illi, quos Sapientia conſtituit, non ſolum dominantur creaturis, quæ à Deo factæ ſunt, ut teſtatur idem Sap. cap. 9. verſ. 2. ſed etiam ſunt Eccleſia Juſtorum, & natio illorum eſt obedientia, & dilectio, juxtà monitum Eccl. cap. 3. verſ. 1. igitur Prophetæ quorum ſcripta habentur in Eccleſia, ut canonica, ſunt Sancti & Beati; cùm ſapientiâ fuerint conſtituti, & maneant in Regno cœlorum, cum Abraham; Iſaac, & Jacob.

Epiſt. Cath. 5.

1. Corinth. 12.

Sap. 10.

Eccleſ. 9.

Apellem verò ſic impugno: Si Prophetæ quos veneratur Eccleſia Romana, ſuppoſititia & falſa docuiſſent, & ſibi invicem contraria dixiſſent: certum eſt quòd mendacium, aut falſitas illurum Prophetarum, non ipſis, ſed Deo tribueretur; quia Deus eſt, qui Prophetas illuminatione ſpeciali conſtituit, eiſque divinitùs inſpiravit, ut ſic loquerentur, ſeu ut veritates nobis annuntiarent. Quin imò Deus locutus eſt per ipſos, juxtà illud Luce cap. 1. verſ. 70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus*, quemadmodum Spiritus ſanctus in Lege novâ locutus eſt nubis per

Luc. 1.

Apoſtolos, ut ipſis declaravit Chriſtus, dicens: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus qui loquitur in vobis.*

Idem docet Jeremias 26. verſ. 12. *Et ait Jeremias ad omnes Principes, & ad univerſum populum, dicens: Dominus miſit me, ut Prophetarem ad domum iſtam, &* *Jerem. 26.* *ad civitatem hanc, omnia verba, quæ audiſtis. Nunc ergò bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri.* Quibus conſtat, Deum locutum fuiſſe hominibus per Prophetas, ut affirmant *Hebr. 1.* Paulus ad Hebræ. cap. 1. verſ. 1. dicens: *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* D. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 21. *Non enim voluntate humana allata aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Et Concilium Nicænum in Symbolo. Idcircò ſi in Prophetis fuiſſet aliqua falſitas, tribueretur Deo, qui dedit eloqui illis, atqui à Deo nulla poteſt falſitas procedere, quia eſt veritas eſſentialis, cui nequit ſubeſſe falſum: ergò nec à Prophetis (quorum ſcripta & Prophetias habet Eccleſia) proceſſit falſitas, quoniam vaticinati ſunt vera, ut probat illud Act. cap. 3. verſ. 18. (quod licèt ſit ergà Chriſtum, & de ipſo adimpletum, poteſt tamen extendi ad cætera quæ dixerunt Prophetæ, quæque Eccleſia recepit ut Canonica.) Ibi enim Petrus ait: *Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.* Quo evidenter probatur, vaticinium Prophetarum tam majorum, quàm minorum, eſſe verum, cùm ad noſtram doctrinam, ſcriptæ fuerint Prophetiæ. Hinc eſt quod Paulus 1. Theſſ. cap. 5. verſ. 20. ait: *Prophetias nolite ſpernere.*

Sunt alij quamplurimi textus in ſacris Bibliis quibus manifeſtè oſtenditur Prophetarum ſanctitas, ſed eos omitto; quia adverſus Marcionem, & Apellem tam appertam proferentes blaſphemiam, ampliùs contendere mihi ſuperfluum videtur: ſufficit quòd memores ſint reſponſionis Apoſtolorum factæ Chriſto Matth. 16. dicenti: *Quem dicunt ho-* *Math. 16.* *mines eſſe Filium Hominis?* Quæ oſtendet illis, ſcilicèt Marcioniſtis, Prophetas eſſe Juſtos. Nam Apoſtoli reſponderunt, Chriſtum eſſe Jeremiam, aut unum ex Prophetis, ut conſtat ex verſ. 14. ejuſdem capitis. Quòd certò non dixiſſent de Chriſto, ſi Prophetæ mali fuiſſent; alioquin malis ac reprobis comparaſſent Chriſtum. Quòd de Apoſtolis credere, nefas eſt.

§. II.

Deſtruitur Hæreticorum fundamentum.

HÆreticorum fundamentum quoad primam partem hujus hæreſis, eſt quia volunt Prophetas creatos, & miſſos fuiſſe à Deo malo. Nec mireris Lector: hæreticos talia dixiſſe; quia Mar- *Ratio contraria ſolvitur.* cion & Apelles duos Deos admittebant, unum bonum, à quo omne bonum. Et malum alterum, à quo omne malum, ut dixi in ſecundo articulo primi libri. Et indè inferebant, Prophetas eſſe malos, & Dæmones.

Sed hoc fundamentum non eſt hîc evellendum, quià ſcimus, Deum eſſe unum, & hunc bonum, Creatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, ut probatum manet in loco citato contrà Manichæos, & alios Polytheos: igitur fundamentum hæreticorum non probat Prophetas eſſe malos; cùm ſit ſuppoſititium & falſum, ex quo nulla veritas naſci poteſt.

Alterius partis hæreſis, quæ tuetur Prophetas eſſe falſos, falſaque vaticinatos fuiſſe, eſt quia contraria dixerunt & in ipſorum Prophetiis plura reperiuntur ità oppoſita, ut non poſſint inter ſe conciliari: ex hac quidem oppoſitione (inquiunt) ſequitur quòd non fuerunt inſpirati à Deo, qui cùm puriſſimus ſit, puriſſima inſpirat; ac proindè quòd merè humana ſunt ea, quæ dixerunt Prophetæ, tàm majores, quàm minores in quibus plurimæ reperiuntur contradictiones.

Reſpondeo Argumentum, eſſe in omnibus partibus ſuis falſum, nulla enim eſt in Prophetiis con- *Nulla eſt in Prophetiis contradictio.* tradictio, nullaque oppoſitio; & ſi aliqua reperiatur, non eſt realis, ſed apparens duntaxat. Si nonnulla ſcripta Prophetarum videantur duos ſenſus oppoſitos habere, hoc provenit ex diverſis reſpectibus, diverſas explicationes patientibus juxtà diverſitatem ſenſuum, qui ab omnibus ſanctis Patribus tribuuntur ſacræ Scripturæ; non verò à diverſis rebus diverſa ſignificantibus, ut imaginati ſunt hæretici, & præſertim Fauſtus Manichæus, blaſphemans Leges, & Prophetas.

Undè neceſsè eſt adducere aliquos textus, qui licet oppoſiti videantur Hæreticis, uniformes tamen ſunt, V. g. Ezech. cap. 4. verſ. 9. de myſticis animalibus ait: *Non revertebantur cum incederent.* & verſ. 14. *Animalia ibant, & revertebantur.* Ibi videtur eſſe aliqua oppoſitio. Nulla tamen eſt, quia *Ezech. 1.* primus textus ſignificat, ea animalia non deflexiſſe à recta via, nec fuiſſe reverſa priuſquam deſignatum ſui curſus Scopum attigiſſent: In poſteriori autem ſignificat quòd aſſecuto Scopo, rectà viâ, & pari velocitate reverſa ſunt: Igitur ibi nulla eſt contradictio, nullaque oppoſitio formalis, ſed pura veritas, que non potuit aliter ſignificari.

Aliud exemplum adduco ut probetur; nullam eſſe contradictionem intér Prophetas. Jeremias; cap. 34. verſ. 3. dixit Sedeciæ Regi: *Oculi tui, oculos Regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis.* Ezech. verò cap. 12. verſ. 13. ait *Adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit, ibique morietur.* Indè videtur quòd Propheta Ezechiel contradixerit *Unus Propheta non contradicit alio.* Jeremiæ. Tamen in hoc nulla eſt contradictio manifeſta, & formalis, ſed ſolum apparens, ut oſtendet ràtio ſequens, nimirum quia Sedecias captus à Chaldæis, & ad Nabuchodonoſoris præſentiam deductus, vidit equidem Regem Babylonis, ut prædixerat Jeremias; at cum fuiſſet ad ejus imperium viſu privatus, & in Babyloniam captivus deportatus, ut affirmat illud 4. Reg. cap. 25. verſ. 7. *Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit Babylonem.* Eum amplius non vidit, nec videre potuit, ut prædixerat Ezechiel: Igitùr Propheta Ezechiel non contradixit Jeremiæ, nec Jeremias Ezechieli. *4. Reg. 25*

Hujus concluſionis ratio eſt, quia contradictio eſt affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem, ſecundum ídem, ſeu de eodem ſubjecto formaliter ſumpto; hoc eſt, ſub eadem ratione, & in eodem ſenſu conſiderato, juxtà communem Philoſophorum mentem. Ideò ut duo ſacræ Scripturæ textus dicantur ſibi contradicere; neceſsè eſt quòd unus affirmet, & alter neget, idem de eodem, & ſecundum idem. Quòd de textibus ſacræ Scripturæ verificari non poteſt. Si aliquis majorem hujus veritatis optet explicationem, videat authores, in quibus præcipuè ſacri textus ſpecie tenus pugnantes, conciliantur, & explicantur.

Sanctus Juſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo, ait: *Nuſquam audebo, vel hoc in animum inducere meum, vel eloqui, ut dicam adverſari ſibi invicè Scripturas. verùm ſi qua Scriptura ejuſ-* *D. Juſtinus* *modi eſſe videatur, & obtentu; quaſi adverſaria ſit alteri, habeat; omnibus modis perſuaſum habens nullam*

Scripturam ab alia diverſam eſſe : ipſe me potiùs quæ dicta ſunt, non intelligere fatebor. Quibus conſtat, nullam eſſe contradictionem, nedùm intér Prophetas, ut dicere auſi ſunt Hæretici, quos hic impugnamus, ſed etiam nec intér alios ſacræ Scripturæ tàm veteris, quàm novi Teſtamenti libros. Et ſi ſint aliqui textus, qui contrarij videantur, non ità eſſe, debet oſtendere ille, qui fideliтér & integrè ſacrorum voluminum colllgit ſenſus, ut docet Ori-
Origenes. genes in cap. 3. Epiſt. Pauli, ad Rom. quoniam illi, quibus datum eſt noſcere, tenentur verum ſacræ Scripturæ ſenſum apperire, né littera occidat, & ut ſpiritus vivificet.

Idem habet Divus Auguſtinus lib. de Prædeſt. & gratiâ, cap. 1. ubi aït : *Cum in voluminibus ſacrarum Litterarum, ſeu futurorum quid ſpiritu Prophetico prænunciantibus; ſeu præteritarum hiſtoricâ ve-*
D. Auguſtinus. *ritate narrantibus, ſeu vitæ monita Apoſtolica authoritate tradentibus aliqua veluti diverſum ſonante ſententia, vel movetur Lector, vel ſollicitatur Auditor, certa & inconcuſſa fide teneri debet; unius atque ejuſdem ſpiritûs, & ejus præter quem nihil eſt veritatis, aperiùs alibi, paulò occultiùs alibi ſonare myſteria, ac proindè ſi quid occulta ſignificatione ſuſpenſum, aut ſcribente breviтér indicatum, minùſque quam humani cordis obtuſio poſcebat, expoſitum eſt, hic lucidiùs apparere, ibi aliunt latere, nuſquam deeſſe moverit veritatem.* Et lib. de Geneſi ad litteram cap. 8. inquit : *Conandum eſt efficere, ne aliqua abſurditas, vel repugnantia putetur eſſe in ſacris paginis, quæ opinionem Lectoris offendat.* Ita idem ſanctus Doctor. Sunt aliæ quam plurimæ ſanctorum Patrum authoritates, quibus paret, nullam eſſe in ſacrâ Scripturâ contradictionem formalem. Sed eas omitto, ex eo quod Scriptura ſacra non ſolùm quoad res, & Sententias, ſed etiam quoad ſingula verba uſque ad minimos apices, ſit à Spiritu ſancto dictata; qoı cùm nequeat ſibi contradicere, nec poteſt in ſacra Scriptura contradictionem admittere.

ARTICULUS XLVI.

Rejicit errorem Pſalianorum, Monachis prohibentium laborem manuum.

QUidam Monachi ignavitatis amatores in Syria degentes dicti Pſaliani, juxtà Divum Auguſtinum lib. de hæreſ. cap. 57. dixerunt anno CCCLXVII. nullum manuum laborem eſſe Mo-
Maſſaliani. nachis licitum, etiam cauſâ ſuſtentandi vitam. Et quoniam in hoc ſe eſſe Monachos profitebantur, ut ab omni opere Manuum vacantes, orationi ſemper inſiſterent, dicti ſunt Maſſaliani, id eſt, orantes, aut Enthuſiaſtæ, hoc eſt, Sacrificatores. Horum Hæreticornmpræcipui fuerunt Dadoës, Sabas, Adelphius, Hermas, & Simeones, omnes otioſi.

His hæreticis, ut errorem jam diù ſepultum
Vvaldenſes ſuſcitarent, adhæſerunt alij ſcilicet Vvaldenſes, qui anno MCLX. dixerunt virum perfectum non debere manibus laborare; ex quo principio, quamvis falſo, Vvaldenſium Sectatores inferebant, laborem ità repugnare perfectioni Munachatùs, & perfectioni Religioſæ, ut nulli Monacho laborare ſit licitum; Eorum ratio erat, quià debent omninò fidere providentiæ Dei. Ità refert Guido Carmelita : licet Aenas Sylvius lib. de origine Bohæmorũ cap. 35. errores Vvaldenſium recenſens, de hoc nullâ mentionem faciat, nec illum ipſis tribuat.

§. I.

Quô Labor manuum permittitur Monachis.

HAnc hæreſim in nullo Concilio invenio expreſſè damnatam, niſi ſaltem Indirectè, & implicitè in Concilio Carthaginenſi IV. celebrato per CXIV. Epiſcopos, ſub Anaſthaſio Papâ I. circà annum Domini CCCXCVI. in cujus Decretorum capite 52. legitur : *Clericus victum, & veſtitum* *Concilium*
ſibi, vel artificiolo, vel agriculturâ, abſque officij ſui *Carthaginenſe.*
duntaxàt detrimento, præparet. Et in cap. ſequenti : *Omnes Clerici qui ad operandum validi ſunt; & artificiola, & litteras diſcant.* Etenim ex verbis hujus Concilij, facilè eſt inferrè, laborem non eſſe prohibitum Monachis; cum præcipiatur Clericis, aut ſaltèm ipſis permittatur, (quamvis plura liceant Clericis quæ non licent Monachis) & laborare manibus non ſit contrà perfectionem Clericalem, nec contra Statum Religioſum, modo ipſe labor pertineat ad honeſtatem, & non impediat exercitia pietatis, ac religionis; & fiat ad repellendam otioſitatem, aut pro bono publico, & utilitate Monaſterij.

Sancti Patres hortantur Monachos ad laborem manuum, modò non recedant pro hoc labore ab exercitio Monachatûs. Et præſertim Divus Au-
guſtinus in lib. quem rogatus ab Aurelio Cartha- *D. Auguſtinus.*
ginenſi Epiſcopo ſcripſit contrà otioſos non nullos Carthaginis Monachos, ſe ab omni labore abſtinentes, dicentes ſe eſſe quaſi Volatilia cœli, & Lilia agri : Jactantes ſe implere illud Chriſti præceptum, Matth. 6. *Reſpicite volatilia cœli, conſiderate lilia agri, quomodò creſcunt, non laborant, neque nent.* *Matth. 6.*
Sed cùm ad prolixitatem traherer, hîc omnium Patrum verba referre non audeo, ſufficit mihi apponere ea, quæ ſunt Divi Hieronymi ad Ruſticum Monachum, relata in Canone, *nunquam* de conſecrat. Diſt. 5. quibus magis expedit credere, quàm otioſis Maſſalianis, aut Fatuis, & Idiotis Vvaldenſibus.

Verba autem Divi Hieronymi ſunt hæc : *Nun-*
quam de manu tua & oculis tuis recedat liber, dicatur *D. Hieronymus.*
Pſalterium ad verbum, oratio ſine intermiſſione, Vigil ſenſus ſit, nec vagis cogitationibus patens, corpus pariter & animus tendatur ad Dominum, iram vince patientiâ, ama ſcientiam ſcripturarum & carnis vitia non amabis, nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ ſi pectorè inſiderint, dominabuntur tui, & te ducent ad delictum maximum, facite aliquid operis, ut ſemper te Diabolus inveniat occupatum, ſi Apoſtoli habentes poteſtatem de Evangelio vivere, laborent manibus ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares? vel fiſcellam texe junco : vel caniſtrum lentis plecte viminibus : Sarriatur humus, areolæ quo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ aquæ ducantur irriguæ, ut pulcherrimorum verſuum ſpecialiter aſſiſtas.

Monachi & Religioſi poſſunt licitè facere ea, quæ faciebant Apoſtoli, & vivere vitâ Apoſtolicâ; cùm ſint Apoſtolorum Imitatores. Apoſtolis autem licitum fuit laborare. Tum quia nullum videmus in ſacris Scripturis textum, ipſis manuum labo- *Labor non*
rem vetantem. Tum quia conſtat quòd plures de *fuit prohibi-*
facto laborabant, & de labore manuũ ſuarum vive- *tum Apoſto-*
bant, ut fatetur Paulus act. cap. 20. verſ. 33. & ſe- *lis.*
quentibus, ubi dicens : *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtra-*

verunt manus iſtæ, omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, quia ea quibus opus habebat per laborem manuum ſuarum comparaverat; cùm nullam haberet poſſeſſionem. Nec ea quibus indigebat, haberet ex furto. Undè ad Epheſios cap. 4. verſ. 28. ait: *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat undè tribuat neceſſitatem patienti.* Quorſum Pſalliani, Maſſaliani, & Vvalden- Epheſ. 4. ſes poſſunt aſſerere, laborem eſſe prohibitum Monachis; cùm licitum fuerit Apoſtolis, quorum vita eſt Monachorum Prototypus. Et Paulus propriis manibus laborans, alios ut etiam manibus laborent, hortetur.

Deindè labor manuum non eſt ex ſe contrarius profeſſioni Religioſæ: nec Monachatui, modò ſit honeſtus, & decens; nec fiat propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ut præcipit Seraphicus Pater noſter Franciſcus in Teſtamento ſuo. Nequit igitùr Monachis prohiberi labor, imò debet potiùs ipſis præcipi ad vitandam otioſitatem, & né alios gravent pro vitâ ſuſtentandâ. Hinc eſt quod Idem Seraphicus Pater ait: *Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam hoſtiatim.* Ex quo ſequitur, Divum Franciſcum velle quòd Fratres laborent, & de pretio laboris vivant. Et ſi laboris pretium non detur, aut non ſufficiat, vult quòd recurrant ad eleemoſynas.

In hoc D. Franciſcus ſecutus eſt mentem Apoſtoli 2. ad Theſſalon. 2. cap. 3. verſ. 7. & ſequentibus, ubi inquit: *Ipſi ſcitis quemadmodum oportent* 2. Theſſalon. cap. 3. *imitari nos: quoniam non inquieti fuimus intér vos: neque gratis panem manducávimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes né quem veſtrum gravaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabimus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim intér vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſe agentes.* Quibus conſtat quòd Paulus Apoſtolus (qui meritò intér perfectos numerari poteſt) propriis manibus laborabat, & ad laborem alios hortatus eſt. Itaque cùm bonum ſit hortationes, & conſilia eius ſequi: bonum etiam eſt: quinimò & neceſſarium Monachis, & Religioſis, manibus operari. Nec debent ob Maſſallianorum, & Vvaldenſium calumnias, à labore manuali deſiſtere, ſed patientér tolerare, & ipſis dicere cum Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 4. verſ. 12. *Et laboramus operantes manibus noſtris, maledicimur, & benedi-* 1. Corinth. 4. *cimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus, blaſphemamur & obſecramus.*

Si labor manuum illicitus eſſet Monachis, & Religioſis. Seraphicus Pater noſter Franciſcus verus Chriſti imitator, exteriùſque ſigno Crucifixi inſignitus, non dixiſſet filiis ſuis, in ſuo Teſtamento: D. Franciſcus commendat laborem *Ego manibus meis laboravi, & volo laborare, & omnes alij Fratres volo quòd laborent de laborius, quod pertinet ad honeſtatem, & qui neſciunt diſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellandam otioſitatem.*

Idem priùs docuerat in ſua Regula Beatus Benedictus Monachorum Patriarcha, dicens: *Otioſitas eſt inimica animæ, & ideò certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in lec-* D. Benedictus. *tione divina: Ideò hac diſpoſitione credimus. Utraque tempora ordinari, id eſt, ut à Paſcha uſque ad Kalendas Octobris, mané exeuntes, à prima uſque ad horam penè quartam laborent quod fuerit neceſſarium: Ab hora autem quarta, uſque ad horam ſextam, quaſi lectioni vacent.* Et paucis interjectis adjungit: *Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges legendas per ſe occupentur, non contriſtentur, quia tunc verè hi, Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivant ſicut & Patres noſtri, & Apoſtoli: omnia tamen menſuratè fiant propter puſillanimes.* Tuendum eſt igitur, laborem manuum eſſe licitum, imò & neceſſarium Monachis, & Religioſis, & præſertim illis, qui ſtudia non amant, ut repellant otioſitatem: etenim labore manuum in Clauſtro tutiores ſunt contrà inſidias Diaboli; qui ex ſola otioſitate Monachorum ruinam, aut perditionem extrahere conatur. Hinc eſt quòd Monachus, qui ſtudia non amat; neceſſe eſt pro ſalute animæ ſuæ; quòd manibus laboret.

His addendus eſt Divus Hieronymus qui Epiſt. 2. ad Ruſticum, ait: *Ægiptiorum Monaſteria hunc morem tenent, ut nullum abſque operis labore ſuſcipiant,* D. Hieronymus. *non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, né mens vagetur cogitationibus pernicioſis.* Hoc antiquorum Monachorum exemplo, Solitarius illè Divus Hieronymus optat, omnes Monachos movere ad laborem, ut Apoſtolus hortatur Theſſalonicenſes, ut tradita ſibi præcepta obſervent, abſtinentes a fornicatione, ac ſe mutuò diligentes, manibuſque operantes: ideo laborare manibus eſt bonum conveniens, imò & neceſſariom Religioſis, ſicut aliis quibus Paulus 1. ad Theſal. 4. verſ. 11. 1. Theſſ. 4. ait: *Operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcipimus vobis, &c.*

§. II.

Referuntur Maſſalianorum Argumenta.

RAtio Maſſalianorum eſt quia Chriſtus Joan. cap. 6. verſ. 27. ait: *Operamini non cibum* Joan. 6. *qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Indè enim inferunt, ſuperfluum eſſe, imò & prohibitum, aut ſaltem contrà Conſilium, manibus operari; cùm finis operis manuum ſit habere cibum illum, qui perit, ut facilè colligitur ex illo Pauli: *Qui non laborat, non manducet.* Quò ſuadetur finem, aut pretium laboris manuum, eſſe cibum materialem pro quo non eſt operandum: Ergò Religioſi, qui vitam perfectam ducere debent, tenentur abſtinere ſe à labore manuum.

Reſpondeo hanc rationem non nocere, ut optimè *notat* Theophilactus, qui eadem verba exponens, ait: *Nam quia multi ſunt cupientes ignavi vi-* Theophilactus. *vere, & maximè Maſſaliani, qui nſi ſunt hoc dicto ad patrocinium ſuæ ignaviæ, operæ pretium fuerit declarare hoc dictum. Non enim hoc dixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut corporalem quidem operationem ab eis velit amovere, & ipſos ad otium cogere. Omnem enim malitiam docuit otioſitas, & ſi oportet evidentér dicere ipſum otioſe vivere, cibus eſt, qui perit, & ita eum qui Chriſtum ſequitur, oportet operari, ut habeat quod & aliis communicet: Hoc enim habet mercedem, & promiſſionem futuri regni.* Præterea ſi hæc authoritas noceret, ſequeretur quòd nullus fidelis poſſet licitè laborare, quia obligaret omnes. At hoc eſt manifeſtè falſum. Ideò Chriſtus ibi non prohibet laborem manuum, ſed ignavitatis deſiderium.

Vel dico, per hæc verba, Chriſtum oſtendere, hominem non debere ad Deum accedere, impellente bono temporali, aut cibo materiali; ſed irradiante fide, ut probant ea, quæ præcedunt: *Quæritis me,* Altera ad hæreticorum rationem reſponſio. *non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.* Et ideò ſubdit: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*, id eſt, *fidem.* Quarè Chriſtus Judæis ſciſcitantibus quid ab

ipſis faciendum eſſet, ut operarentur illum cibum, qui non perit, reſpondit: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*: Igitur Chriſtus noluit Judæis vetare manuum operationem, ſed voluit eos ad credendum excitare. Noluit impedire operationem, quâ habetur cibus corporeus, ſed ſolùm ſollicitudinem bonorum quæ pereunt, amovere.

Objiciunt iterùm illud Lucæ 10. verſ. 41. *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima*,
Luc. 10. num inquiunt Chriſtus ibi reprehendit Martham de labore manuum: ergò pariter reprehendendi ſunt Monachi, qui manibus laborant.

Sed minus nocet hæc authoritas, quia reprehenſio non fuit de opere & operatione manuum, ſed de temporis negligentia; & ità locutus eſt Chriſtus ad Martham, nè tempus audiendi inſumatur in occupatione parandorum ciborum, ut notat idem Theophilactus, dicens, quòd Chriſtus perſuadet Marthæ, né tempus doctrinæ fruſtrà perdat propter occupationem in his, quæ ſunt ventris. Poſſunt igitur Monachi operari, modò in hoc labore non conſument tempus exercitiis ſpiritualibus neceſſarium, nec præferant laborem temporalem, ſpirituali, & ea, quæ ſunt corporis, illis, quæ ſunt animæ: omnibus enim neceſſe eſt primùm quærere regnum Dei.

Nec poſſunt Maſſaliani, & Vvaldenſes argumentum contrà nos deducere ex illo Matth. 6. verſ. 31. *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*. Quia per hæc
Matth. 6. verba, Chriſtus non impedit operationem, aut laborem manuum; alioquin nullus Apoſtolus laboraſſet, ſed prohibet laboris ſollicitudinem, & cupiditatem, quarum ardore homo fit immemor Dei, & inimicus providentiæ ejus; idcircò meritò dicit: *Nolite ſolliciti eſſe*. Quippè aliud eſt ſollicitudo, & aliud operatio; cùm fieri poſſit, ut quis operetur; quin ſit ſollicitus; Chriſtus itaque loquitur (inquit Theophilactus) nè additi ſimus curis vitæ, neque habeamus curam quomodo cras refocillemur; & vult ut unoquoque die operemur, tamèn ſine ſollicitudine verſ. 34. *Nolite ergò ſolliciti eſſe in craſtinum*. Indè enim ſequitur quòd non prohibet laborare hodiè, pro vita hodiè, & cras ſuſtentandâ, ſed ſolùm ſollicitudinem ergà laborem pro vitâ cràs ſuſtentanda, quia debemus in Dei providentiâ confidere, & ſolliciti eſſe, circà ea, quæ facienda ſunt pro vita æternâ conſequendâ: Hanc ipſam veritatem, ſeu explicationem ſuadet ipſe Chriſtus in verſ. 33. ubi ait: *Quærite ergò primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia*. Id eſt bona temporalia quibus indigetis, *adjicientur vobis. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi*. Ac ſi diceret: Nolite ſolliciti eſſe, quomodo hodiè operando, cras facietis, ſed quotidiè quotidiana operatione parate ea, quæ vobis neceſſaria ſunt, nè ſolliciti ſitis de craſtino, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi, ſufficit diei malitia ſua. verſ. 34. ejuſdem capitis.

Chriſtus nō prohibet laborem, ſed ſollicitudinem.

ARTICULUS XLVII.

Confutat Guillelmum de Sancto Amore, dicentem Religioſos Mendicantes non poſſe licitè ex Eleemoſynis vivere.

ANno Domini MCCL. regnante Conrado IV. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Alexandro IV. inſurrexit contrà Monachos, & Religioſos mendicantes, quidam Doctor Pariſienſis nomine Guillelmus de Sancto Amore, qui odio furens in Religioſos mendicantes, docuit paupertatem actualem eſſe illicitam, & ſufficere habitualem; *Guillelmus de S. Amore* nempè eam, quâ quis in corde paratus eſt omnia relinquere proptèr Chriſtum: aſtringebat enim Religioſos abſque ullo diſcrimine ad laborem, & dicebat hominem ſalvari non poſſe in Ordine Mendicantium, ſeu in illo Ordine, in quo Religioſi non vivunt ex redditibus, nec ex labore manuum, ſed ex ſolis Eleemoſynis fidelium. Contrà hunc virum hæreticum condemnationis ſententiam tulit ſtatim Alexander Papa IV. in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex*, data Anagniæ die III. Octobris, Pontificatus anno II.

Eumdem errorem docuit Deſiderius Longobardus, de quo Divus Thomas libro, quem contrà Religionem impugnantes edidit, cap. 6. ait, *Deſiderius Hæreſiarcha Longobardus noſtri temporis edidit quemdam tractatum contrà Catholicam veritatem, in quo intèr cætera condemnat Statum eorum, qui relictis omnibus, egere volucrunt cum Chriſto.* *Deſiderius Longobardus.*

His duobus hæreticis ſcilicet Guillelmo, & Deſiderio ſucceſſerunt plures alij, utpotè Joannes Vviclef, Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus *Vvicleffus.* de quibus erit ſermo alibi; Primus prædicabat omnes & ſingulos Monachos debere ſub pœna damnationis æternæ, victum & veſtitum ſibi parare *Lutherus.* per laborem manuum; quin in hoc valeant licitè diſpenſari. Lutherus verò fuit modeſtior Vvicleffo, uſuſque eſt aliqua modificatione reſpectu *Calvinus.* quorumdam Religioſorum; dixit enim, quòd illi Religioſi, qui prædicationi verbi Dei, & aliis ſimilibus exercitiis ſtudent, non tenentur ad laborem manuum; alij verò qui tale miniſterium non exercent, coguntur in conſcientia per laborem manuum dumtaxàt ſibi acquirere victum, & veſtitum; quin liceat ipſis vivere ex mendicitate.

Tertius tandèm, ſcilicèt Calvinus hanc modificationem rejecit, & voluit Religioſos omnes & ſingulos teneri ità ex proprio labore victum, & veſtitum comparare, ut nullo modo mendicare illis licere valeat.

§. I.

Hæreſis condemnatio.

HAnc hæreſim damnavit nedum Alexander IV. ut jam dixi, ſed etiam Concilium Conſtantienſe, nam ex XLV. articulis Joannis Vvicleffi damnatis in hoc Concilio ſeſſ. 8. unus Videlicèt, XXIV. ait: *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem*, contrà quem Articulum, hæc lata fuit ſententia. *Prima pars eſt ſcandaloſa & præſumptuosè aſſerta pro quanto ſic generaliter, & indiſtinctè loquitur. Et ſecunda erronea, pro quanto aſſerit mendicitatem Fratribus non licere.* *Conſtantienſe Concilium.* Hoc quidem decreto non minus percutiuntur Guillelmus de Sancto Amore, Deſiderius Longobardus, Lutherus, & Calvinus, quàm Vvicleffus; cùm idem decretum approbet mendicitatem Religioſorum mendicantium, quam prius ſcilicèt anno MCCCVI. approbaverat Concilium Viennenſe ſub Clemente V. in *Concilium Viennenſe.* quo concluſum fuit modum quo vivunt Fratres Minores, ſcilicet per mendicitatem, non ſolùm eſſe licitum, verùm etiam meritorium.

Ut autem videant omnes, hunc modum petendi eleemoſynam eſſe licitum Religioſis mendicantibus, attendant quòd contrà eoſdem hæreticos nominatos, & alios ipſis in hoc errore adhærentes, eadem condamnatio videtur eſſe in Tridentino. Illud enim celeberrimum Concilium ſeſſ. 25. de

Regularibus

Tridentinum.

Regularibus, & Monialibus cap. 3. ſtatuens omnia Monaſteria & domos tàm virorum, quàm mulierum, poſſe habere redditus & immobilia, exceptis domibus Fratrum Sancti Franciſci Capucinorum, & eorum qui Minorum de Obſervantia vocantur, inquit: *In prædictis autem Monaſteriis, & Domibus tàm virorum, quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac impoſterum conſervetur; qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis Eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſit: Nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentiâ prius obtentâ:* Nonnè Concilium per hæc verba manifeſtè declarat, Fratres de Obſervantia, & Capucinos poſſe vivere ex Eleemoſynis, ſicùt declarat cœteros Religioſos (quibus immobilia poſſidere licet) vivere poſſe ex redditibus? Cùm velit quod non babeant redditus, & quòd numerus fratrum non excedat Eleemoſynas conſuetas: ergo coutrà Tridentinum eſt, aſſerere Religioſos teneri ità abſolutè vivere ex labore manuum, ut non poſſint mendicare; cùm ex codem Concilio, Capucini, & obſervantes nequeant habere redditus, & debeant ex Eleemoſynis conſuetis ſuſtentari.

§. II.

Statuitur veritas articuli.

QUamvis malum, malum non ſolvat, nec malum pro malo alicui reddere liceat, ut docet Apoſtolus 1. ad Theſſal. cap. 5. verſ. 15. poſſumus tamen bæreſim per hæreſim ſolvere, hoc eſt, per hæreſim Lutheri confundere hæreſim Guillelmi de Sancto amore, uterque enim animo malevolo pugnat contrà Monachos, & Religioſus, ſed diverſo modo, ſi non contrario, ſaltem reſtrictivo, aut diminutivo.

Guillelmus à Sancto amore (ut jam monui) aſtringit omnes, & ſingulos Religioſos ad laborem manuum, ut ex illo ſibi victum acquirant, Lutherus verò in hoc labore diſpenſat prædicatores tantum; in hoc tamen errat. Non quòd hæreticum ſit aſſerere, Prædicatores Monachos non teneri ad laborem manuum; ſed quia tantùm Prædicatores eximit ab illa obligatione laborandi, alios verò neceſſariò, & indiſpenſabiliter vult eſſe obligatos ad laborem manuum; nullus enim eſt in ordine mendicantium Religioſus, cui non liceat veſci pane ex Eleemoſyna proveniente. Idcircò ex hoc errore Lutheri ſequitur quòd Guillelmus de Sancto amore aſſerens, omnes Monachos abſque ullo diſcriminè, teneri ad laborem manuum, errat, & convincitur à Luthero, qui affirmat Monachos, qui prædicationi ſtudent, non arctari ad laborem illum; licèt velit reliquos cogere ad victum ſibi artificiolo aliquo acquirendum: Igitùr licet dicere in ſenſu explicato, quòd hæc hæreſis per hæreſim ſolvitur; & quòd Monachi omnes abſque ullo diſcrimine, (ex ſententia Lutheri) non tenentur neceſſariò vivere ex labore manuum, ut voluit Guillelmus à Sancto amore.

Error Lutheri ſolvit errorem Guillelmi de S. Amore.

Contrà hunc hæreticum pugnant omnes Catholicæ fidei defenſores; etenim ex Sacrâ Scriptura conſtat, Prædicatores verbi Dei, & omnes Doctores, qui verbo, aut Scripto alios docent legem Dei, poſſe abſque ullo labore manuum manducare panem, ſeu ex Eleemoſynis fidelium vivere, quia à Domino habent jus accipiendi ea, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, ab illis, quos docent, & ad quos miſſi ſunt legitima authoritate. Quia qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt. Et qui Altari deſerviunt, cum Altari participant, qui plantat vineam, de fructu ejus edit; & qui paſcit gregem; de lacte gregis manducat, ut ait Divus Paulus: ergò Religioſus, qui prædicationi verbi Dei ſtudet, & docet fideles, Sacramenta adminiſtrat; alioſque actus exercet pro utilitate Sanctæ Eccleſiæ, poteſt de fidelium labore vivere; quin ipſe manibus operetur, præſertim ſi nullos habeat redditus, nullumque beneficium, quoniam Miniſterium Evangelij eum prorsùs occupat, ac proindè juſtum eſt, ut fidelium labore vivat, dum illi interdicitur omnis pecunia, ut interdicitur fratribus ordinum mendicantium, & præſertim Franciſcanis, quibus nullo modo licet pecuniam recipere.

Hæc ratio confirmatur exemplo Apoſtolorum ad prædicandum miſſorum, quibus Chriſtus dixit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris; neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Ex quo ſequitur, Apoſtolos tunc fuiſſe abſque ullo medio comparandi victum (ſi hæretici excludant id, quod ex prædicatione poteſt provenire, & velint quod illi, qui vitam Apoſtolicam ducunt, ſeu Monachi, vivant de labore manuum) cùm durante miſſione, alium laborem habere non poterant. Sed implicat quòd illicitum ſit, Prædicatores vivere ex labore eorum, quos docent, quoniam Chriſtus dicit Apoſtolis ſuis; ſub prædictis conditionibus ad prædicandum miſſis, hoc eſt, ſine argento, ſine pecunia, ſine pera; *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, ac ſi dixiſſet, juſtum eſt, quòd ab illis, quos docebitis verbum Dei, accipiatis ea, quæ vobis neceſſaria ſunt, ut vivere valeatis; quin manibus laboretis, quia digni eſtis alimentis, ſeu mercede veſtra: Igitur prædicatores non poſſunt tunc cogi ad laborem manuum; nam velle quòd manibus laborent, eſt velle quòd non prædicent verbum Dei. Et velle quòd prædicent verbum Dei, eſt velle quòd non laborent manibus, ſed lingua & Spiritu.

Licuit Apoſtolis vivere ex Eleemoſynâ fidelium

Dicent forſan hæretici, jus illud ſolis Apoſtolis fuiſſe à Chriſto Domino conceſſum; non autem alijs prædicatoribus; alioquin omnes prædicatores eſſent ſucceſſores Apoſtolorum, ſicut Epiſcupi. Quòd eſt falſum.

Non valet hæc inſtantia, eſtque falſa, quia qui ſuccedit alteri in onere, debet etiam ſuccedere in honore & beneficio. Sed Apoſtolis in hac parte, ſeu in officio prædicationis, ſuccedunt prædicatores. Deinde cap. 10. Lucæ, legimus quod convocatis duodecim Apoſtolis, Chriſtus dedit illis virtutem ſuper omnia Dæmonia, & miſit illos prædicare regnum Dei. Poſt hæc autem deſignavit alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos antè faciem ſuam in omnem civitatem, & locum quo erat ipſe venturus, & dixit illis: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci: Rogate ergò Dominum Meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam: Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos, nolite portare ſacculum, neque peram. In quamcumque domum intraveritis primùm dicite; Pax huic domui: Et ſi ibi fuerit Filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem, ad vos revertetur, in eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſuâ.* Indè enim infertur, Chriſtum nedùm duodecim Apoſtolis ſuis dediſſe poteſtatem recipiendi victum ab illis, quibus annunciabant verbum Dei, ſed etiam alijs, qui verbum Dei prædicabant (quamvis non eſſent Apoſtoli) nimirùm ſeptuaginta Diſcipulis ſuis. At Sacerdotes tàm Regulares, quàm ſæculares ſunt ſue-

Luc. ibi

S. Anacletus Papa.

ceſſores Diſcipulorum Chriſti, inquit Sanctus Anacletus Papa, & Martyr in Epiſtola de communi vita, & oblatione fidelium: Igitur Sacerdotes Regulares, qui laborant in Evangelio, de Evãgelio poſſunt accipere, quæ ad vitàm ſuſtentandam neceſſaria ſunt; quin teneantur ea ſibi comparare labore manuali.

Urbani Papæ.

Nec poſſunt hæretici ab hoc ordine removere Sacerdotes Monachos. Tùm quia tempore Anacleti; & Urbani Papæ & Martyris, qui eamdem declarationem edidit, Jam erant Monachi; Tùm quia Sacerdotes ratione Caracteris & miniſterij ſuccedunt Diſcipulis; ideóque Monachus poteſt victum recipere ex officio prædicationis, ac proindé vivere, quin laboret manibus ſuis; quippe cum licitum ſit illi prædicare verbum Dei, & ad hoc miniſterium ab Epiſcopo mittatur, mercede ſua dignus efficitur.

D. Thomas.

D. Bonaventura.

Quantum ad alios, qui prædicare non poſſunt. Dico, nullam eſſe manibus laborandi obligationem: nam ut inquiunt Divus Thomas 2. 2. quæſt. 187. artic. 3. & Divus Bonaventura lib. de paupertate Chriſti, non magis tenentur Monachi ad victum labore comparandum, quàm ſæculares. Eorum præcipua ratio eſt, quia manibus laborare, vel eſt præceptum, vel eſt Conſilium. Si præceptum, æqualitèr obligat ſæculares, ac Religioſos, cùm præceptorum obſervatio neceſſaria ſit omnibus. Si Conſilium nullus tenetur ad illius obſervationem, niſi ille, qui voto ſpeciali ſe obligavit ad laborem. Undé cùm plures ſint Religioſi, qui manibus laborare non voverunt, ſequitur quòd nullum exiſtit præceptum obligans eos ad laborem manuum. Nec poſſunt obligari ex ipſo ſtatu Religioſo, aliàs omnes Religioſi, quibus Tridentinum permiſit poſſidere immobilia, tenerentur renunciare redditibus. Et manibus laborare. Quòd negant hæretici. Nec poſſunt obligari ex ipſo ſtatu mendicantium, quoniam per poſſe mendicare, aut per mendicationem, talis ordo diſtinguitur ab alijs ordinibus, qui temporalia bona poſſident.

Si hæretici velint, præceptum de laborando eſſe naturale, reſpondendum eſt, illud præceptum naturale non obligare unumquemque in particulari; alioquin unuſquiſque cujuſcumque ſexûs, & conditionis ſit, teneretur manibus laborare; cùm nullus poſſit ſe in præcepto naturali diſpenſare. Sed ſolùm obligare Rempublicam in qua alij debent eſſe opifices, alij Agricolæ, alij medici, alij judices, quin quodlibet ejuſdem Reipublicæ membrum teneatur habere officium manuale: ſufficit enim quòd unuſquiſque aliquo modo Reipublicæ inſerviat, & pro ipſa aliquo modo laboret: Acproindè Religioſi non prædicatores, quos Lutherus aſtringit ad laborem manuum, in hoc labore diſpenſantur, quià in Republica habent officium orandi, Pſallendi, & ſimilia faciendi, quæ pro bono ſpirituali Reipublicæ neceſſaria ſunt: ſicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eumdem actum habent, ità multi unum Corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra; habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis indifferenter, ſivè Prophetiam, ſecundum rationem fidei, ſivè miniſterium in miniſtrando, & ideò non eſt neceſsè quòd omnes manibus laborent, ut ſint Reipublicæ membra, ſed ſufficit quòd aliquem actum Reipublicæ utilem habeant, & aliquid pro ipſus bono eliciant.

Decreta Summorum Pontificum.

Ex varijs Summorum Pontificum decretis licet omnibus Monachis, & Religioſis mendicantibus, ex mendicitate vivere, ut probat inſtitutio Religioſorum mendicantium, quam tamquam Sanctam, & perfectam approbarunt Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Nicolaus IV. & alij. Idemque probat exemplum Apoſtolorum, qui omnia dimiſerunt, nec habuerunt poſſeſſiones in communi, nec ſemper operabantur manibus ſuis, ſed aliquandò vivebant ex liberalitate auditorum & fidelium, ut legimus in Actibus ipſorum.

Exemplum Apoſtolorũ.

D. Auguſtinus.

Fateor quòd juſtum erat ipſos Apoſtolos vivere ex prædicatione Evangelij, ſed hoc non improbat mendicitatem. Nam ſupponamus auditores adeò ingratos eſſe, & immiſericordes fuiſſe, ut nullus eorum Apoſtolis alimenta præſtitiſſet, nulluſque illorum, Apoſtolos ad domum ſuam invitaſſet, ut contigit Chriſto in die ſolemni Palmarum, qui poſtquam prædicaſſet Jeroſolymis, à nemine illius civitatis invitatus fuit, & redijt Bethaniam, ut ibi pranderet. Quid ergò tunc facere debuiſſent Apoſtoli? numquid pati debebant mortem? Sané hoc affirmare nemo poteſt; cùm poſſent mortem evitare, alijs ſuam prodendo egeſtatem, itaque ſi poterant alijs ſuam revelare egeſtatem, poterant mendicare: quid enim ēſt mendicare, inquit Divus Auguſtinus, ſuper Pſal. 108. verſ. 10. *Nutantes transferantur Filij ejus & mendicent*, niſi ad Dominum miſericordem recurrere? Igitur Religioſi poſſunt ex mendicitate vivere.

Hæc patent ex Epiſtola 1. ad Corint. 16. ubi refertur quòd in Eccleſijs Galatiæ fiebant collectæ per unam Sabbati pro Sanctis, qui erant in Jeruſalem, ut ex ipſis viverent: probabile quidem eſt quòd ſi manibus laboraſſent, pro ipſis minimè factæ fuiſſent collectæ. Eadem ratione Religioſi mendicantes poſſunt collectas facere, & vivere ex Eleemoſynis fidelium pro quibus orant. Et mendicitas poteſt laudari, & meritoria dici; cùm Sanctificata fuerit nedùm factô Sanctorum virorum, Dominici ſcilicèt, & Franciſci, ſed etiam Apoſtolorum Chriſti exemplô.

§. II.

Rejiciuntur Hæreticorum Rationes.

Deuteron. 15.

HÆretici, qui mendicantes, nec non mendicantium ordinum fundatores præcipuè Benedictum, Dominicum, & Franciſcum damnant. Et omnes Monachos ad laborem manuum aſtringunt, aſſertionem noſtram impugnant ex illo Deuteron. cap. 15. *Et omninò indigens, & mendicus non erit inter vos.* Indè enim inferunt, nulli licere mendicare, cùm hoc fuerit verè à Deo prohibitum, ac proindè omnes Religioſi tenentur laborare labore manuum, ſi non habeant redditus.

Reſponſio ad rationem contrariam.

Sed non nocet hæc objectio, quoniàm verba illa, non ſunt prohibitoria, ſicut iſta *non habebis Deos alienos*, ſed promiſſoria, non enim prohibebant mendicitatem, ſed tantum promittebant ubertatem, ut nullus eſſet futurus mendicus & egenus inter Judæos. Hoc quippè Deus promittit ſuam ſervanti legem. Et ſi quod promiſſum fuit, non evenerit, hoc provenit ex ſola transgreſſione Judæorum, qui ſi legem Dei obſervaſſent, nullus inter eos fuiſſet egenus, aut mendicus,

quia Deus fidelis eſt, & dat quod promittit, modò homo adhibeat conditiooes ſub quibus promittit, ut ditm ait: *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Vel in eodem capite Deuteron. verſ. 5. *Si tamen audieris vocem Domini tui, & cuſtodieris univerſa quæ juſſit, benedicet tibi*, Ergò mendicare licitum eſt illis, qui bona temporalia non habent, nec ea babere poſſunt, cùm verba Deuteronomij non ſint prohibitoria; alioquin peccaſſent Elias mendicans à viduâ; & Lazaros ulceribus plenus a Divite Epulone.

Alia ad eamdem rationem reſponſio.

Vel reſpondeo cum Thoma Uvaldenſi quòd ſi illa verba Deuteron. ſint prohibitoria, ut voluere hæretici, non debent tamen intelligi de pauperibus, ità ut nullus poſſit (Deo ſic ſtatuente) eſſe paupee & mendicus; nam tunc Deus non loquebatur cum pauperibus, nec pauperibus dedit hanc prohibitionem, ſed ſolum ad Divites loquebatur de pauperum miſeria ſublevanda. Et ut inter eos nullus eſſet indigens, & mendicus, præcipiebat illis tantam pauperum curam habere, ut non ſinerent illos propter inopiam, fame confici, ut probant verba, quæ ſequuntur in verſ. 11. ejuſdem capitis Deuteron. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcircò præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum verſatur in terra.*

Addunt, mendicitatem eſſe cauſam multorum malorum ex illo Eccleſ. cap. 27. *Propter inopiam multi deliquerunt*, ac proindè Religioſos non poſſe mendicare, illi enim (inquiunt) qui per mendicitatem quærunt panem, non ſunt juſti, ſed peccatores. Hocque colligitur ex illo Pſal. 36. verſ. 25. *Junior fui etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Ex quo ſequitur quòd qui mendicat non eſt juſtus: ergò illicitum eſt, imò prohibitum monachis mendicare; cùm ſtatum perfectionis, & juſtorum amplexi fuerint.

Eccleſ. 27.

Pſal. 36.

Reſpondeo hanc authoritatem non deſtruere mendicitatem, quià hæc mala non proveniunt ex inopia, ſed ex mala inopis voluntate; alioquin improbaret etiam divitias, propter quas etiam multi deliquerunt, ut notat Divus Iſydorus Sollilоq. lib. 2. cap. 52. dicens: *Multi propter opes periclitarunt, multi propter divitias in diſcrimen venerunt; multis exitiales fuerunt divitiæ; multis mortem gustravere opes.* Undè moneo Eccleſiaſticum loqui de mendicitate involuntaria, & coacta, ſeu de ea, quæ non habetur ex electione, nec patienter pro Chriſto agitur, quæ eſt cauſa, ut multi furentur &c. Non vero de mendicitate voluntaria, nec de paupertate Evangelicâ, quæ cùm ſit in linea virtutum, eſt in genere boni, nullumque ad malum provocat, imò ad perfectionem promovet; alioquin Chriſtus non fuiſſet panper: Nec de eo dixiſſet Evangeliſta Luc. 9. verſ. 58. *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet*, Nec quòd dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. Nec quòd facilius eſt, camelum perforamen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum; cùm in Chriſto nihil fuerit eorum, quæ ſunt cauſa malorum, ſeu quæ ad malum provocant.

Non ex inopia ſed ex inopis mala voluntate provenit malum.

Luc. 9.

Ad Prophetam dico quòd non loquebatur de pane corporali, ut notat Divus Auguſtinos, ſed de pane ſpirituali verbi Dei, quem panem nunquam juſtis denegavit Deus, neque juſtum aliquem ſic deliquit, ut famem verbi Dei pateretur; cùm conſtet, panem corporalem fuiſſe à multis juſtis quæſitum. & ipſum Prophetam quæſiviſſe panes propoſitionis à Sacerdote. Et non conſtet, aliquem juſtum privatum fuiſſe verbo Dei.

Urgebunt. Accipere panem, aut petere illum; ſeu mendicare, non eſt tàm perfectum, quàm dare illum, juxtà illud Act. 20. *Beatius eſt magis dare, quam accipere.* Et per conſequens, quòd Monachi non debent mendicare; cùm dicant ſe perfectiores laicis. Sed potiùs ità inſtitui, ut poſſint indigentibus dare Eleemoſynam. *Act. 20.*

Reſpondeo hæc verba Pauli intelligenda eſſe de illo, qui omnia ſimul dat proptèr Jeſum Chriſtum, ut fiat pro ipſo pauper, qui eſt beatior dum dat ea, aut dando ea, quàm accipiendo. Non autem de eo, qui dat, ità ut ille, qui dat panem, ſit beatior illo, qui accipit eum; alioquin ſequeretur quòd Joanna Uxor Chuſæ procuratoris Herodis, Suſanna, & multæ mulieres, fuiſſent perfectiores Chriſto, quia miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, ut refert Lucas cap. 8. verſ. 3.

Dicent tandem hæretici, Eccleſiaſticum, Prophetam, & Apoſtolum in locis præcitatis improbare mendicitatem voluntariam, & quotidianam. Tum quia non legitur, Chriſtum aliquandò mendicaſſe. Tum quia qui ſe ſpontè redigit ad mendicitatem, exponit ſe periculo moriendi fame, tentatque Deum quotidiè, & aufert media ordinaria ad vitam conſervandam, renunciando facultatibus, quas ipſi dederat Deus.

Reſpondeo negando conſequentiam. Nam licet Chriſtus non mendicaverit oſtiatim, tamen indè non ſequitur, mendicitatem eſſe illicitam ad vitæ ſuſtentationem. Certum enim eſt, Chriſtum multa non feciſſe, quæ tamen licita ſunt homini, ut indè vitæ ſuæ provideat, ut omnibus manifeſtum eſt. Nam inquit Alphonſus à caſtro, Chriſtus nunquam Calceos ſuit, aut Caniſtra ex viminibus intexens fecit, aut ligna levigavit, aut lapides polivit; nullus tamen indè infert, nullam ex illis artibus mechanicis eſſe licitam Chriſtianis: ergo nec poſſunt hæretici inferre, nulli licere mendicare, quia Chriſtus non mendicavit.

Solvitur inſtantia hæreticorum.

Nec valet dicere, quòd Religioſi mendicantes gravant fideles, juxta illud Pauli 2. ad Theſ. cap. 3. verſ. 8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes ne quem veſtrum gravaremus.* Non valet inquam, quia qoilibet dat prout dare vult, & ſpontè dat, ut Religioſi orent pro eo. Petunt enim Eleemoſynam in nomine Domini, qui reddet ei centuplum. Et ille, qui dat eis, dat ea, quæ ei ſuperſunt, ut illi præcipitur Luc. 11. verſ. 41. *Verumtamen quod ſupereſt, date Eleemoſynam.*

Ad aliam probationem dico quòd ille, qui ſpontè ſe redigit ad mendicitatem, exponit ſe periculo mortis, ſi probabiliter ſciat ſe nihil poſteà inventurum; undè ſuſtentari poſſit: Religioſi autem in Deum totaliter confidentes, experientià qootidianà noſcunt, ſibi neceſſaria eſſe ſuppeditanda, itàque poſſunt mendicare pro vita conſervanda, & paupertatem vovere, quin ſe exponant periculo mortis; alioquin nullus poſſet mendicare, ſaltem licitè; cùm nullus laicus quamtumvis paoper ſit, habeat plus juris ad mendicandum, quàm Religioſus, qui cùm reliquerit propter Deum bona propria, quædam juſtitia eſt, ut vivat ex bonis deſtinatis pro illis, qui propter Chriſtum reliquerunt omnia. Et pro illis, quibus Deus providentià ſuâ, nullas poſſeſſiones dedit: oculi enim Dei ſunt ſupér juſtos, & Dominus exaudit preces eorum: idcircò Religioſi, qui proptèr Deum abnegaverunt proprias voluntates, & reliquerunt omnia, ut ſequerentur Chriſtum, ſunt tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, non alia ratione, niſi quia nihil deeſt timentibus Deum. Et quia primùm quærendo regnum Dei, cætera adjiciontur eis.

Altera ejuſdem inſtantia ſolutio.

ARTICULUS XLVIII.

Refutat Valeſianos aſſerentes Chriſtianos debere neceſſarió eſſe Eunuchos.

Valeſiani

ANno Domini CXCVIII. ſub Severo Imperatore, & Victore Papâ, Inſurrexerunt in Arabia quidam viri hæretici, dicti Valeſiani qui ex illo Matth. cap. 19. verſ. 12. *Sunt Eunuchi quidam qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Cælorum*, malè intellecto, ſpontè & voluntariè, propriaque manu ſe ipſos caſtrabant, exiſtimantes neceſſarium eſſe ad Deum benè, & integrè ſerviendum, ut quiſque ſit Eunuchus, & caſtratus. Nec hoc ſufficiebat illis quoniam zelo quidem, ſed falſo, moti, nedùm ſe ipſos & proprios caſtrabant, ſed etiam peregrinos ad eos accedentes, & adhuc apud ipſos hoſpitio acceptos, ad talem vitam deducebant, ut ſic conſtituti, ſeu caſtrati, poſſent vitam æternam conſequi, ut notat Divus Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 37. Autumabant enim invincibiles eſſe concupiſcentiæ motus, adjuvante etiam divinâ gratiâ: ideóque nè in periculo eſſent, nec alios in eodem damnationis periculo viderent, omnes caſtrari volebant.

Origenes creditur ejuſdem hæreſis defenſor.

Ejuſdem erroris defenſor creditur Origenes Patriâ Alexandrinus, ſublimis ingenij, magnæ eruditionis, & ita patiens, laboris ac duræ patientiæ vir, ut Adamantius fuerit cognomine dictus, cùm conſtet quod ſe ipſum conſtraverit, eodem motivo, eodemque fine, quo Valeſiani.

§. I.

De Rationibus contra Valeſianos.

ADverſus hanc hæreſim, quam Divus Epiphanius, & alij Sacri Scriptores vocant non minus crudelem, & temerariam, quàm erroneam, nullum adinveni Concilium, nullumque textum in jure Canonico, habemus tantum conſtitutionem Sixti V. incipientem *cum frequenter* datam Romæ apud S Marcum die XVII. Junij MDLXXXVII. Pontificatus anno III. ex qua facilè infertur caſtraturam non eſſe ad ſalutem neceſſariam. Ideò ut convincantur Valeſiani, & Origeniſtæ, ad Sacram Scripturam recurrendum eſt, & ad Sanctos Eccleſiæ Patres, qui nos oppoſitum docuerunt: quamvis ex conjugio plurium virorum Sanctorum, qui in Cœlis regnant cum Chriſto, pateat caſtrari non eſſe neceſſarium ad ſalutem æternam conſequendam, deficiente quidem neceſſario ad finem aſſequendum, finis inaſſequibilis eſt.

Si ad ſerviendum Deo, neceſſarium eſſet, ut quiſque eſſet Eunuchus & caſtratus, certum eſt quòd Deus, qui vult ſalutem omnium, non dixiſſet primis parentibus etiam in Statu Innocentiæ conſtitutis: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Hæc quippè verba non fuere dicta Eunuchis, quoniam terræ repletio, aut multiplicatio per Eunuchos fieri minimè poterat: Igitur ut quis vitam æternam aſſequatur, non eſt neceſſè ut ſit Eunuchus Phyſicè & realiter, ut voluere Valeſius, & Origenes.

Filiæ Lot excuſantur à peccato.

Nec Filiæ Lot coeuntes cum Patre (prout refertur in lib. Geneſ. cap. 19. verſ. 31. ubi legitur quod major dixit ad minorem: *Pater noſter Senex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos juxtà morem univerſæ terræ, veni, inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, ut ſervare poſſimus ex Patre noſtro ſemen*) à peccato inceſtûs excuſarentur ob finem, ſcilicet quia credebant poſt incendium Sodomæ, & Gomorrhæ, omnes homines periiſſe, excepto earum Patre, ac proindè poſſe ex ipſo licitè concipere. Sed Divus Irenæus lib. 4. adverſus hæreſ. cap. 51. eas excuſat à peccato, ibi de filiabus Lot, ſic loquitur: *Illæ quidem filiæ ſecundùm ſimplicitatem, & Innocentiam putantes univerſos homines periiſſe, quemadmodum & Sodomitæ, & univerſam terram iracundiam Dei ſuperveniſſe, dicebant hæc: quapropter & ipſæ excuſabiles ſunt arbitrantes ſe ſolas relictas cum Patre ſuo ad conſervationem generis humani, & propter hoc circumveniebant patrem*, non Eunuchum, ut infertur ex verſ. 36. tamen juſtum, ut facilè colligitur ex illo 2. Petri cap. 2. verſ. 7. *Et juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuria, ac Luxurioſa converſatione eripuit.* Ex quo patet, hanc copulam non eſſe culpabilem ex parte patris, nec ex parte filiarum.

D. Irenæus

2. Petr. 2.

Idem dicit Origenes, homil. 5. ſuper Geneſim ubi ſic loquitur: *Quamvis grande eis crimen videretur furari concubitum patris, gravior eis tamen videbatur impietas, ſi humanæ (ut putabant) poſteritatis ſpem, ſervatâ caſtitate, delerent, propter hoc ergò Conſilium ineunt minore (ut arbitror) culpâ, ſpe tamen, argumentoque majore, patris mæſtitiam, vel rigorem, vino molliunt, & ſolvunt ſingulis ingreſſæ noctibus, ſingulæ ſuſcipiunt ab ignorante conceptum, ultrà non repetunt. Ubi hic libidinis culpa? ubi inceſti crimen arguitur? quomodo dabitur vitio quod non iteratur in facto?* Igitur ut quis ſit Sanctus, & abſque peccato vivat, non eſt neceſſè quòd ſit Eunuchus; cùm vir non caſtratus ſeu Lot copulam habuerit à peccato immunem, & filiæ ejus non peccaverint peccato inceſtûs, quamvis copulam habuerint cum viro non Eunucho, ſcilicet cum patre.

Origenes.

Dicent forſan aliqui, Divum Auguſtinum lib. 22. contrà Fauſtum cap. 43. citatum in Can. *Inebriaverunt*, 15. quæſt. 1. docere, filias Lot peccaſſe; Ibi enim ille Sanctus Doctor ait: *Et potiùs quidem nunquam eſſe matres, quàm ſic uti debuerunt, quapropter culpandus eſt Lot, non tamen quantum ille inceſtus, ſed quantum illa meretur ebrietas.*

D. Auguſt.

Reſpondeo hoc eſſe verum, nihilominùs illas valdè excuſat, quia videlicet, non ardore libidinis motæ, ſed ſolum propter conſervationem generis humani ad patrem acceſſerunt, credentes humanum genus tunc perire, ſi ipſæ patre ſuo non uterentur. Harum filiarum oculus lucidus fuit, itaque totum lucidum fuit corpus earum, quia ut inquit Chriſtus Matth. 6. verſ. 22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, ſeu intentio, & ſi oculus, aut intentio operantis fuerit ſimplex, totum corpus, ſeu totum opus, lucidum, aut rectum erit.

Deindè dato, & non conceſſo quòd peccaverint Filiæ Lot peccato inceſtûs, certum eſt quòd ipſe Lot non peccavit in illa copula, quia ignoranter habuit eam; nec peccavit, quia non erat Eunuchus; alioquin peccaſſet generando filias, cum quibus poſteà copulam habuit ignorantèr. Quòd eſt falſum.

Peccarent utique matrimonium contrahentes; peccaſſet etiam Paulus dum 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 3. & 4. dixit. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem, & uxor viro, mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Quoniam ſi homo deberet eſſe caſtratus, & Eunuchus, ut eſſet Sanctus, quomodo matrimonium poſſet eſſe Sacramentum? Quomodò vir poſſet uxori debitum reddere, cùm talis debiti ſolutio, & matrimonij conſummatio non aliter fiant, quàm per carnalem congreſſum, & copulam maritalem. Quomodo etiam idem Apoſtolus loco citato verſ. 2. poſſet

1. Corint. 7.

dicere : *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquaque virum ſuum habeat.* Profectò hoc non dixiſſet, ſi Chriſtianus deberet eſſe Eunuchus, quoniam caſtratis impoſſibilis eſt completa fornicatio; itaque nullum eſt à Deo datum præceptum, quo caſtratio ſit ad ſalutem neceſſaria, aliàs Deus inſtituiſſet aliquid, utpotè matrimonium, ſaluti æternæ eſſentialiter oppoſitum. Quòd eſt hæreticum.

His addo verba Divi Epiphanij probantis quàm erronea ſit Valeſianorum ſententia : *Quomodò poſſunt in regno Cælorum aliqua eſſe detruncata? ſi enim regnum Cælorum perficit omnia, id imperfecti nihil quidquam habere neceſſè eſt, cumque corporum erit reſurrectio, omnia membra reſurgent, & nullum ex ipſis relinquetur, & ſi omninò membrum non reſurget, neque totum corpus reſurget : & ſi unum membrum quod offendiculo ſuit ſolum relinquitur, nullum omninò membrum reſtans relinquetur : omnia enim nobis offendiculo fuerunt, quis verè reſcindet cor ſuum quod omnibus offendiculo eſt? ex corde, inquit, procedunt fornicationes, adulteria, & his ſimilia. Quis igitur rumpet cor ſuum? ſi verò non reſurgit corpus, juxta quorumdam dementiam, & impietatem. Quomodò ergò differet ſermo de his decretus? cum enim omnia membra non ingrediantur in regnum Cælorum, quid ampliùs opus circa unum fieri membrum, cum alia hoc non expleant? Si verò non reſurgit corpus (reſurgit enim) quomodo poſſibile eſt adhuc in regno Cælorum fieri mutilationem? aut quomodo non erit indecorum regnum Cælorum multa habens corpora ad gloriam.*

D. Epiphan.

Hæc verba evidenter probant ſententiam Valeſij nedùm eſſe hæreticam, ſed etiam temerariam, quoniam directè pugnat contrà Sacram Scripturam, & communem Sanctorum Patrum, & Theologorum mentem. Nam tam illi, quàm iſti docent, nullum dari præceptum de virginitate promittenda, teſte Apoſtolo dicente de virginibus, ſe non habere præceptum Domini, ex quo ſequitur, nullum dari de caſtratione præceptum; cùm caſtratio tendat ad virginitatem ſervandam, ut tenent ipſi Valeſiani, qui credunt Chriſtianum debere eſſe Eunuchum, ut ſit caſtus.

Tandem Eunuchus non liberatur à concupiſcentiæ motibus. Plures enim Scriptores, inter quos eſt noſter Alphonſus à caſtro, referunt, Eunuchos (ipſis Eunuchis teſtantibus) vehementiores carnis motus pati, & ſæpè dolere ſe non poſſe exequi quod caro concupiſcit : ad quid ergò Valeſiani volunt, Chriſtianos debere ſub pœnâ damnationis æternæ, eſſe caſtratos & Eunuchos, ſi parùm proſit animæ ſaluti hæc phyſica caſtratio? Taceant igitur, inquit idem Doctor, & animas ſuas à prava voluntate caſtrent, & corpora intacta relinquant. Divinâ quidem adjuvante gratiâ, homo poteſt nedùm concupiſcentiæ motus reprimere, quoniam omnia poteſt in eo, qui illum confortat, quique non patitur quod tentetur ſuprà id quod poteſt, ſed etiam poteſt in hoc ſæculo, juſtè, piè, & caſtè vivere, & ad vitam æternam poſt hujus vitæ decurſum, pervenire; quamvis non ſit Eunuchus, nec caſtratus;

Caſtratio non eximit à motibus carnis.

§. Unicus.

Rejicit Rationem contrariam.

VAleſianorum ratio fundatur in Sacra Scriptura malè intellecta. Nam ex illo Matth. 5. verſ. 27. 28. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis : non Mœchaberis, ego autem dico vobis : quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam Mœchatus eſt eam in corde ſuo, quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam,* inferunt, neceſſariam eſſe caſtrationem; & ſolos Eunuchos poſſe ſalutem conſequi, quià putant Teſticulos ſcandalizare, ſeu præbere occaſionem ruinæ, ideóque eſſe amputandos. Putant etiam, carnalem concupiſcentiam, ejuſque motus eſſe invincibiles; idque probant ex illo Matth. 19. verſ. 12. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Cælorum*; indè enim oſtendunt caſtrationis neceſſitatem pro conſequendo regno Cœlorum.

Hæreticorum ratio.

Reſpondeo cum communi Sanctorum Patrum ſententiâ, hæc verba Chriſti non eſſe intelligenda de caſtratione Phyſica & reali, quæ membra virilia abſcindit, ſed de caſtratione morali, quæ voluntatem removet à voluptate, & deſiderijs carnalibus, nec non ab occaſionibus proximis, ex quibus ſolitò naſcitur peccatum. Hujus reſponſionis ratio eſt, quia Chriſtus in eodem Evangelio non commendavit natos Eunuchos ex utero matris ſuæ, nec Eunuchos, qui facti ſunt ab hominibus, ſed ſolùm eos, qui ſe caſtraverunt propter regnum Cœlorum, hoc eſt, eos qui à coitu ſe abſtinuerunt propter regnum Cœlorum, non verò eos, qui copulam habere non potuerunt; ideòque non loquitur de caſtratione Phyſica & carnali, ut voluerunt Valeſiani. Ratio hujus expoſitionis eſt evidens : nam commendaret eos, qui Eunuchi nati ſunt, aut ab hominibus tales facti ſunt; cùm ſint (juxtà eorumdem Valeſiànorum mentem) verè Eunuchi.

Explicatur textus ab hæreticis relatus.

Tandem ſi verba Chriſti eſſent intelligenda litteraliter, ille qui membra phyſicè detruncat non eſſet excommunicandus, cùm virtuoſus & laudabilis eſſet, ſicut ille, qui detruncat illa moraliter; ſed detruncans membra phyſicè, eſt excommunicandus, ut patet ex Can. *Si quis* 23. quæſt. 8. Ergò verba Chriſti intelligenda ſunt in ſenſu morali, ità ut ſi oculus noſter ſcandalizet, ſeu, ſi ſit nobis occaſio peccandi, illum avertere teneamur ab hoc objecto, in quo offendimus. Et hoc eſt eruere oculum, juxtà intentionem Chriſti, qui in eodem ſenſu loquitur de alijs membris, ut diſcamus in occaſionibus pro armis fugam ſumere, ad inſtar Patriarchæ Joſeph, nè amando periculum, in eo pereamus. Ad ultimum textum qui eſt Matthæi 19. dico quòd debet intelligi etiam moraliter, ſeu de illis, qui coinquinari noluerunt, & Virgines ſunt voluntariè propter regnum Dei.

ARTICULUS XLIX.

Quo impugnatur Diotrephes peregrinos ejiciens.

TEmpore Neronis Imperatoris, & Divi Petri primi in terris Chriſti Vicarij, circà annum Domini LXX. inſurrexit quidam Hæreſiarcha nomine Diotrephès, vir ſuperbus, & inſolens, crudelis & inhumanus, qui dixit, peregrinis nullam eſſe impendendam curam, ut Scriptores colligunt ex Epiſtola tertia Divi Joannis verſ. 9. & 10. ubi ait : *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ : ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos; & quaſi non ei iſta ſufficiant : neque ipſe ſuſcipit fratres; & eos,*

Diotrephès.

qui ſuſcipiunt, probibet, & de Eccleſia ejicit. Sanè per hæc verba Divus Joannes ſuadet, Diotrephem non recepiſſe fideles peregrinos, eoſdemque non eſſe recipiendos, exemplô ſuô docuiſſe.

Nullum video, qui Diutrephem ſecutus fuerit; cùm Hæreticorum nullus dixerit, peregrinos non eſſe recipiendos: Quamvis nonnulli Novatores infenſiſſimi Eccleſiæ Romanæ hoſtes dicant quòd illicitum eſt recipere Peregrinos Catholicos; ſed in hoc non conveniunt cum Diotrephe, qui juxtà probabiliorem ſententiam aſſerebat, omnes & ſingulos Peregrinos eſſe rejiciendos, ut obſervant plures Scriptores contrà paucos exiſtimantes, Diotrephem ejeciſſe ſolùm fideles Catholicos, quos Divus Joannes vocat Fratres.

§. I.

Laudat Hoſpitalitatem.

CONtrà hanc hæreſim nullum eſt convocatum Concilium, nullamque inveni conſtitutionem Summorum Pontificum, niſi eas, quæ hoſpitalia ſtatuunt, & laudant; Ideòque authoritate ſacræ Scripturæ, & Juris Canonici convincenda, atque rejicienda eſt præſens hæreſis, quæ charitatis, & miſericordiæ opera improbat.

Hæreticum eſt aſſerere divina præcepta non obligare, cùm juxtà fidem ſint obſervanda ſub pœnâ damnationis æternæ: Quicumque enim vult ſalvus eſſe, opus eſt, ut ſervet Mandata, Præcepta, & Leges Dei, & Eccleſiæ, cùm ex Divo Auguſtino, quòd eſt contrà Legem, ſit peccatum ſaluti directè oppoſitum, & gratiæ ſanctificanti contrarium. (*Exod. 23*) Deus autem curam Peregrinorum videtur præcipere, ex illo Exodi cap. 23. verſ. 9. *Peregrino moleſtus non eris: Scitis enim advenarum animas: quia & ipſi Peregrini fuiſtis in terra Ægypti.* Vel ſaltèm eam commendat: Peccat igitùr, qui Peregrinos contumelioſè rejicit; vetando enim Deus moleſtiam ergà Peregrinos, certò ergà eoſdem præcipit curam, ſaltèm indirectè, vultque etiam quòd (*Levit. 23.*) divites adjuvent eos, ut facilè colligitur ex illo Levit. cap. 23. verſ. 22. *Poſtquam autem meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non ſecabitis eam uſque ad ſolum: nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego ſum Dominus Deus veſter.*

Ex his certò conſtat, Peregrinos eſſe ſicut pauperes, ac proindè ſuſcipiendos charitativè & benignè; pauperes enim ſunt, egentque hoſpitio, quod dare tenentur ij, qui habent illud, quemadmodum tenentur dare panem pauperi eſurienti, ut ſuadetur ex illo Deuteron. cap. 14. verſ. 21. (*Deuter. 14*) *Peregrino qui intrà portas tuas eſt, da ut comedat, aut vende ei.* Quo conſtat, Deum velle quòd panis detur Peregrino, & quòd hoſpito ſuſcipiatur, ſi non habeat undè poſſit utrumque emere, hoc eſt, ſi ſit verè egenus, & pauper. Hæreticum eſt igitur aſſerere, Peregrinos non eſſe ſuſcipiendos.

Undè Divus Paulus ad Hæbreos 13. peregrinos & pauperes plurimùm commendat: ibi enim ait: *Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hoſpitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Et Divus Petrus, Epiſt. 1. cap. 4. verſ. 8. *Antè omnia autem, mutuam in vobi metipſis charitatem continuâ habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* (*Hebr. 13.*) *Hoſpitales invicem ſine murmuratione. Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illâ adminiſtrantes, ſi ut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Hi duo Apoſtoli omnibus commendant hoſpitalitatem, ad quam nos provocat exemplum Sanctorum Patrum, qui tàm in lege naturæ, quàm in lege Moyſi ergà pauperes hoſpitalitatem exercebant. Hoc plenè obſervavit Job, ut ipſemèt teſtatur cap. 29. verſ. 15. dicens: (*Job. 29.*) *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum.* Et cap. 31. verſ. 2. *Foris non manſit Peregrinus, oſtium meum viatori patuit.*

Nedùm Jus Divinum vult Peregrinos eſſe ſuſcipiendos. Sed etiam naturale, ut declarat Divus Auguſtinus de verbis Apoſtoli, ubi ait: quòd ille dicitur humanus, qui ſe exhibet, beneficiiſque probat eſſe hominem, & hoſpitio ſuſcipit hominem: Igitur non ſolùm Hæreticus eſt, qui hanc doctrinam impugnat, ſed etiam crudelis & inhumanus. Hinc eſt quòd idem Divus Auguſtinus con- (*D. Auguſtinus.*) tra quinque hæreſes inquit: *Diſce Chriſtiane ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatem, nè fortè cui domum clauſeris, cui humanitatem negaveris, ipſe ſit Chriſtus.* Et Di- (*D. Ambroſius.*) vus Ambroſius lib. de officiis: *Eſt publica ſpecie humanitatis ut peregrinus in hoſpitio non egeat, ſuſcipiatur officioſè, pateat advenienti janua.*

Eamdem veritatem nos docet Chriſtus apud Matth. cap. 25. ubi declarat ſe hoc peccatum, ſcilicet inhumanitatem in die judicij aliquibus exprobaturum, tunc enim dicet his, qui a ſiniſtris erunt: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus, hoſpes eram, &* (*Matth. 25.*) *non collegiſtis me.* Illis verò, qui a dextris erunt, dicet: *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi, hoſpes eram & collegiſtis me.* Maximum ergò peccatum eſt nolle peregrinos recipere, cùm æternâ punitione damnentur illi, qui eos ejiciunt. Et Maxima virtus eſt peregrinos, & advenas inducere in domum ſuam; cùm in die judicij erunt à dextris Chriſti illi, qui in hoc mundo peregrinos recipiunt, nudos induunt, panem eſurientibus frangunt quoniam audient Chriſtum dicentem eis; *Venite Benedicti Patris mei.*

Hanc benedictionem præcedunt plurima beneficia, nam in hac vita maximum aſſequuntur præ- (*Origenes.*) mium illi, qui hoſpites recipiunt, ut poſt Origenem Homil. 5. ſuper Geneſim, notat Divus Auguſtinus contrà quinque hæreſes, ubi ait: *Obſequens Lot* (*D. Auguſtinus.*) *Angelis tanquam Peregrinis conſuetudine hoſpitalitatis, liberatus a periculo civitatis, & temporale evaſit incendiū, & æternum conſecutus eſt præmium:* Igitùr maxima virtus eſt ſuſcipere peregrinos, ac proinde nullus poteſt impugnare eam ſine hæreſi, & contradictione inexcuſabili; Ratio enim ſuadet, pauperes eſſe ſuſcipiendos, cùm unicuique dicat: *Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris.* Et nulla ſit natio quantumvis Barbara, infidelis, roſtica, & diſſita, quæ non ſuſcipiat eos, ut obſervat Divus Ambroſius in lib. de Patriarchis, lib. 1. de Abraham, cap 6. relatus in can. *Offerebat* 32. quæſt. 7. ubi de Sancto Lot, ait: *Præferebat domus ſua verecundiæ hoſpitalem gratiam, etiam apud Barbaras gentes inviolabilem.*

Hìc obiter obſervandum eſt, in recipiendis peregrinis, & hoſpitibus, nullam apponendam eſſe diſtinctionem, ut tradit Divus Joannes Chryſoſtomus in Epiſt. ad Hebræ, Homil. 11. cap. ubi ait: *Quieſcamus ab hac abſurda curioſitate, & diabolicâ, &* (*D. Chryſoſtomus.*) *præemptoriâ. Si enim in Clero ſe electum eſſe dicat, ſi Sacerdotem ſe nominet, ſcrutare, non enim ſine periculo, in talibus diſcuſſa communicatio eſt: Circà majora periculum vertitur: Non enim das, ſed accipis. Si vero pro nutrimento poſtulat, nihil in his examines; inquire quomodo Abraham hoſpitalem ſe circà omnes oſtendebat, ſi ſcrutator fuiſſet circà refugientes ad ſe, nunquam Angelos hoſpitio recepiſſet. Fortaſſis enim non putans eos Angelos eſſe, cum reliquis, & hos repuliſſet: ſed quoniam omnes reci-*

pibat, ſuſcepit, & Angelos. Non enim ex vita eorum, quos accipis, mercedem tibi retributurus eſt Deus, ſed ex voluntate tuâ, ex liberalitate, ex honorificentia multa, ex miſericordia, ex bonitate. Ità legitur in cap. 2. Diſt. 42. Decretorum Gratiani, ut videamus hoſpites, & peregrinos eſſe indifferentèr recipiendos, ut filios Chriſti, qui cùm omnes ſint unius, & ejuſdem Patris, eos eodem modo recipere, & aſpicere, convenit.

Nihil eſt quod magis à Deo laudetur, quàm hoſpitalitas, aut charitas ergà pauperes, ut tradit Divus Ambroſius: qui loco citato, ait: *Tanta eſt apud Deum hoſpitalitatis gratia, ut nè potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis ſit, vides quod*

D. Ambroſius.

Abraham Deum recepit hoſpitio: Dum hoſpites quæris, vides quia Lot Angelos recepit, undè ſcis an & tu recipis hominem, ſuſcipias Chriſtum, licet Chriſtus in hoſpite ſit, quia Chriſtus in paupere eſt, ſicut ipſe ait: Hoſpes fui, &c.

Quare Divus Joannes Epiſt. 3. verſ. 5. Gaium plurimum collaudat, & ad hoſpitalitatem alios hortatur, dicens: *Chariſſime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ: quos, benefaciens, deduces dignè Deo. Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipienses à Gentibus: Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis:* Cooperari autem veritati, Divinum eſt, & Deo gratum, univerſæ enim viæ Domini, miſericordia, & veritas: Idcircò verè Hæreticus eſt Diotrephes, qui contrà Sacram Scripturam, hoſpitalitatem ergà peregrinos improbat. Inſanus quoque eſt ipſe Diotrephes dum abſque ullâ ratione vult, peregrinos ejiciendos eſſe.

Hoſpitalitas plurimum commendatur.

ARTICULUS L.

Docet contrá Didymum Alexandrinum, omnes homines eſſe morituros anté diem judicij.

HUjus Articuli Controverſia olim magna fuit inter antiquos Eccleſiæ Patres, & Scriptores Sacros. Diſputandi cauſa erat, quia ex variis Sacræ Scripturæ locis, colligi poteſt quòd in adventu Chriſti adhuc erunt plures homines vivi, ut ex illo Matth. 24. verſ. 30. *Tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, &c.* ex quibus ſequitur, quòd dum Chriſtus venerit judicare vivos & mortuos, ſeu juſtos & peccatores, ut Sancit Symbolum Apoſtolorum, multi adhuc erunt vivi ſupèr terram, cum affirmet quòd tunc erunt qui viderint Chriſtum venientem. Undè hîc examinandum eſt, an hujuſmudi vivi morientur, & deindè reſurgent antequàm à Chriſto judicentur, & appareant antè Tribunal ejus. De hac re, ut jam dixi, maxima fuit olim controverſia intèr Doctores, & Sanctos Patres, ſed modò omnes fideles, qui mortuorum reſurrectionem admittunt, credunt omnes homines eſſe anté judicium morituros: Ideòque hic rejicienda eſt opinio Origenis, Dydimi, Theodori Herocleoti, Accacij Cæſarienſis, & Appollinaris, qui teſte Divo Hieronymo declarando locum Pauli 1. ad Corinth. cap. 15. *Omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, legunt, *omnes non dormiemus*, hoc eſt, non omnes moriemur antè judicium.

Cauſa controverſiæ, quæ olim fuit inter Doctores.

Reverà Doctores citati non erraverunt in fide, nec cenſendi ſunt hæretici, in hac parte, quia Articulus, hic reſolvendus, tunc non erat de fide, quià non fuerat ab Eccleſia expreſſe definitum, tamquam de fide, omnes homines antè generale judicium, eſſe morituros, ſed utramque opinionem permiſerat, juxtà diverſam, piamque Patrum intelligentiam. Nunc autem ex quo Eccleſia definivit, Biblia ſecundum veterem Latinam editionem continere Libros Canonicos, & in illa editione, legendum eſſe, *omnes reſurgemus*: Hæc doctrina, ſeu articlus præſens, èſt conſequentia fidei, & propoſitio eſt principiis fidei deductâ; cùm in tali editione habeatur, 1. ad Corinth. cap. 12. verſ. 51. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, quià verſ. 21. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*, nam ſi omnium reſurrectio eſt de fide explicitè, omnium mors videtur conſequentia fidei quia dato quòd omnes non moriantur, ut voluere Doctores ſupra nominati, non poteſt eſſe vera, nec univerſalis, hæc prædictio Divi Pauli, *Omnes reſurgemus*, cùm reſurrectio fieri non poſſit, niſi mors præceſſerit. Quapropter ſi omnes debemus reſurgere, omnes debemus mori antè judicium univerſale.

1. Corin. 15.

Nec mirandum eſt ſi antiquitùs aliqui credebant, omnes homines non eſſe morituros antè judicium, & alij credebant oppoſitum, ſcilicet omnes eſſe morituros, quià locus ille, *omnes reſurgemus*, non erat adhuc firmiter ab univerſa Eccleſiâ receptus. Quià neque editio vetus Latina ſic declarat, ſed tam illa, quàm Græca habens, *non omnes dormiemus*, æquè ferè recipiebatur, ut notat Eminentiſſimus Cardinalis noſter de Laurea in Comment. in 4. Sent. Hinc eſt quòd ipſimet Sancti Patres, (inquit idem Doctor) modò in unam, modò in aliam declinabant ſententiam; & inter ſe diviſi erant, ſicut circà originem animæ rationalis, ut in proprio loco dictum eſt; ſi autem nunc viverent, cum tenerentur juxtà Decretum Concilij Tridentini ſequi Latinam editionem, dicentem *omnes reſurgemus*, ceſſaret apud eos problema, & unanimiter dicerent, omnes homines eſſe antè judicium morituros; ſicut ceſſavit problema de origine animæ, & ſicut modò omnes dicunt, animam rationalem non eſſe a parentibus, ſed creari à Deo: Igitur convenit præſentem Articulum reponere inter Articulos fidei, & probare contrà nonnullos Novatores, quos non raro audivimus de ultimo judicio, pro ut volunt, diſcurrentes. Et contrà eoſdem pariter convenit aſſerere, quòd omnes homines qui erunt ſuper terram in adventu Chriſti, morientur, & deindè reſurgent antequam ipſe Chriſtus judicet mundum.

Omnes homines ſunt morituri.

§. I.

Probat quòd mors omnium hominum præcedet judicium univerſale.

HAnc ipſam veritatem ſuadent plures Sacræ Sripturæ textus, & præſertim illi in quibus refertur ſententia mortis contrà Adamum, ejuſque poſteros lata. Peccante Adamo, omnes homines, & animæ, & corporis mortem incurrerunt, ut teſtatur Divus Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 3. Nam ſi Adam non peccaſſet, homines non eſſent morituri, ut monet idem Sanctus Doctor, ut in proprio loco probatum manet contrà Pelagianos: Ideòque cùm omnes homines per propagationem Adæ procreati, ſint ſubjecti huic pœnæ, quæ habetur, Geneſ. 3. *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua ſumptus es, quià pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sequitur quòd nullus eſt homo, qui non moriatur antè judicium,

D. Auguſtinus.

Geneſ. 3.

cùm omnes homines ſint à Chriſto judicandi, ut docet Symbolum Apoſtolorum, hocque judicium mors præcedat; ſcriptum eſt enim: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium* Hebræ. 9. verſ. 27.

D. Ambroſius exponens eadem verba, ait: *Statutum eſt quippè omnibus hominibus ſemel mori, & poſt mortem judicabitur unuſquiſque*; Idcireò Chriſtus non judicabit omnes, & ſingulos homines, niſi poſt omnium, & ſingulorum reſurrectionem. Quia Deus, qui omnes, & ſingulos homines ſubjecit judicio Chriſti, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, nullum excludit à morte; Undè noſter Lyranus ait: *Statutum eſt ex divina ſententia quod homines ſemel moriantur, & poſteà in judicio divino omnes præſentabuntur.* Per hæc quidem verba declarat, judicium eſſe univerſale, & mortem generalem præcedere illud.

Hebr. 9.

D. Ambroſius.

Nicolaus de Lyra.

His ſuffragatur Symbolum Athanaſianum, in quo dicitur, quòd omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, de propriis factis rationem redditurì: Idcireò nullus homo vivus remanebit in ultimo judicio, hoc eſt, nullus judicabitur; quin prius mortuus fuerit, & reſurrexerit. Quoniam nullus eſt, fuit, aut erit homo, qui non ſit reus mortis peccato Adæ. Et qui poſt mortem non ſit judicandus.

Omoes, & ſingulos homines eſſe morituros ante judicium univerſale futurum, evidentiùs probat Propheta Regius Pſal. 88. verſ. 49. *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem*? Hæc ſiquidem interrogario inſinuat, nullum eſſe hominem ſivè præſentem, ſive futurum, qui non ſit moriturus, & qui poſteà non reſurgat ut judicetur; cùm reſurgere à mortuis, mortem ſopponat præcedenrem. Et judicium ſupponat reſurrectionem, haneque univerſalem, omnes quidem reſurgemus, quià Chriſtus reſurrexit, & ejus reſurrectio eſt exemplar reſurrectionis omnium hominum, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 15. nos ſic alloquente: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Chriſto omnes vivificabuntur*: Hæc quidem omnium hominum reſurrectio erit poſt morrem omnium hominum: ergò omnes reſurgemus, nullo excepto, priùſquam judicemur, quoniam Chriſtus reſurrexit poſt mortem, & conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum. Nam ſi aliqui non reſurgent, neque Chriſtus reſurrexit, inquit Paulus, oſtendens omnes homines eſſe morituros, deindè reſurrecturos, ex eo quod Chriſtus mortuus fuerit, & reſurrexerit; ità ut non reſurrexiſſet, ſi mortuus non fuiſſet. Hinc eſt quòd verſ. 21. addit: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*, hoc eſt, per peccatum primi hominis, mors intravit in mundum, & in omnes homines pertranſiit; & ideò ipſa mors pertranſitura eſt etiam in eos, qui reperientur vivi in adventu Domini. Per Chriſtum verò reſurrectio mortuutum erit, ita ut ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, nec homo reſurgeret, & è converſo. Id eſt, ſi homo noo reſurgeret, nec Chriſtus reſurrexiſſet. Non quod reſurrectio hominum ſit cauſa reſurrectionis Chriſti, ſicut reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis hominum, ſed propter neceſſariam utriuſque reſurrectionis connexionem, & reſurrectionis Chriſti finem. Undè Apoſtolus, verſ. 13. ait: *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit*, quô ſuadetur, nullum eſſe hominem, qui non moriatur, & qui poſt mortem, non reſurgat, ut judicetur.

Pſal. 88.

1. Corinth. 15.

Hujus univerſalis reſurrectionis ratio, nulla alia eſſe poteſt, niſi quià Chriſtus reſurrexit, cùm nullus ſit homo, cujus Chriſtus reſurgens, non ſit exemplar; ideo omnes reſurgemus ex cap. 15. verſ. 51. Epiſt. 1. ad Corinth. ubi gloſſa interlin. ait: *Tam boni, quàm mali, quià etiam vivi reperti, Chriſto veniente, morientur.*

Hanc gloſſam confirmat Lyranus poſt Divum Ambroſium, qui his verbis Apoſtoli, *omnes reſurgemus*, addit: *Quia in adventu Chriſti mortui inveniemur*, ideòque mors uniuſcujuſque præcedet judicium, ut unuſquiſque anté judicium reſurgat; Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis Chriſti, ſimùl & reſurrectioni erimus, id eſt, reſurgemus, ſicùt ipſe reſurrexit. Et quemadmodum oportuit ipſum Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam; ità oportet etiam electos pati mortem antequam intrent in regnum Dei; alioquin conditio eorum, qui vivent cum Antichriſto, eſſet longè melior noſtrâ. Quòd eſt falſum, quià tunc erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modò, neque fiet, & per conſequens tunc erit mors, quæ cùm ſit pœna peccati originalis, quod contraxerunt omoes, qui tunc erunt, neceſſe eſt quòd omnes mortis pœnam ſubeant.

1. Corinth. cap. 15.

D. Ambroſius.

Non parum juvat ad convincendos Adverſarios, afferre authoritatem Sanctorum Patrum. Divus Auguſtinus lib: 20. de Civit Dei, cap. 20. diſcurrens de illis, quos hic viventes inventurus eſt Chriſtus, inquit: *Exiſtimamus etiam illos, quos hic vivos inventurus eſt Dominus, in ipſo parvo ſpatio, & paſſuros mortem, & accepturos immortalitatem, ipſe Apoſtolus non videtur urgere, ubi dicit: in Chriſto omnes vivificabuntur: cum alio loco de ipſa loquens reſurrectione corporum, dicat: tu quod ſeminas, non vivificabitur, niſi moriatur; quomodo igitur, quos viventes hic Chriſtus inveniet, per immortalitatem in illo vivificabuntur ſi non moriantur: cùm videamus, & propter hoc eſſe dictum, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur: aut ſi rectè non dicimus ſeminari, niſi ea corpora hominum, quæ moriendo quoque modo revertuntur in terram: ſicut ſeſe habet illa in tranſgreſſorem patrem generis humani divinitùs prolata ſententia: terra es, & in terram ibis: fatendum eſt iſtos, quos nondùm de corporibus egreſſos, cum veniet Chriſtus, inveniet: & iſtis verbis Apoſtoli, & illis de Geneſi, non teneri: quoniam ſurſum in nubibus rapti, non utique ſeminantur: quia nec eunt in terram, nec redeunt: ſivè nullam prorſùs experiantur mortem: ſivè paululùm in aëre moriantur, &c.* Quibus conſtat, Divum Auguſtinum docere, omnes homines eſſe ante judicium morituros.

D. Auguſtinus.

Idem docet Divus Ambroſius in Epiſt. 1. ad Theſſal. cap. 4. ubi exponens hæc verba, *Deindè nos qui vivimus, qui relinquimur*, ait: *In ipſo enim raptu mors præveniet, & quaſi per ſoporem, ut egreſſa anima in momento reddatur, cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, præſentia Domini recipiant animas, quià cum Domino mortui eſſe non poſſunt.* Quibus eſt manifeſtum quòd homines, qui in adventu Chriſti reperientur, morientur antequam Chriſtus judicet mundum; cùm mors generalis debeat præcedere judicium univerſale, ut dictum eſt ſuprà cum Apoſtolo ad Hebræos cap. 9.

D. Ambroſius.

Deindè judicium illud, juxtà Prophetarum oracula, fiet in fine mundi, hoc eſt, poſt mortem omnium hominum: hoc quidem tempus probat omnes homines eſſe antè judicium morituros. Idem inſinuat Tertullianus in lib. de Anima cap. 50. ubi declarat quòd nonnulli, qui nondùm mortui ſunt, tunc morientur, ibi enim ait: *Tranſlatus eſt Henoc, & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicèt, cæterum morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant, obiit & Joannes, quem in adventum Domini remanſurum fruſtrà fuerat ſpes*: Igitùr omnibus, & ſingulis hominibus, ſivè præſentibus, ſivè futuris, ex

Tertullianus.

Divi Auguſtini, & Tertulliani doctrina, mors eſt communis, ac proindè nullus judicabitur dum Chriſtus venerit in Sede Majeſtatis ſuæ, quin priùs mortuus fuerit, & reſurrexerit, ut affirmant alij Sancti Patres, ſcilicet Athanaſius orat. 2. contrà Arianos; Divus Baſilius Homil. 5. Divus Gregorius Nazianz. orat. 19. Sanctus Cyprianus Epiſt. 52. Sanctus Hilarius lib. 10. de Trinit. & alij quorum ratio eſt; quia omnes morimur, & ſicut aqua in terram dilabimur; ſed poſt corporum reſurrectionem nullus morietur; cùm tàm præmium quod dabitur juſtis, quàm ſupplicium ad quod condemnabuntur impij, erunt æternæ durationis.

D. Athanaſius. *D. Baſilius.* *D. Gregorius.* *D. Cyprianus.*

§. II.

Proponuntur, & ſolvuntur rationes Adverſariorum.

DOctores adverſantis Sententiæ plures authoritates adducunt ex Sacra Scriptura, quibus conantur probare quòd illi, qui adveniente Chriſto, erunt vivi, non morientur. Primò objiciunt illud Matth. 24. verſ. 37. & ſequentibus: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit, & adventus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noë in Arcam, & non cognoverunt donec venit Diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filij hominis. Tunc duo erunt in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur. Duæ molentes in mola: una aſſumetur, & una relinquetur. Vigilate ergò, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Indè enim concludunt, aliquos eſſe præſervatoros à morte in adventu Chriſti, quemadmodum tempore Diluvij quidam fuerunt præſervati ab aquis.

Prima adverſariorũ ratio

Neganda eſt tamen hæc conſequentia adverſariorum. Etenim Evangeliſta non loquitur ità comparativè de Arca Noë, & de ultimo judicio, ut dicere valeamus, quod dum Chriſtus venerit, quidam præſervabuntur à morte, ſicut quidam reſervati fuerunt à Diluvio. Sed ſolum ut videamus quòd tunc invenientur vivi aliqui, bibentes & comedentes, & nubentes, de illo tremendo judicio minimè cogitantes, ſicut quidam ità facientes, inventi, & manifeſtè deprehenſi fuerunt tempore diluvij. Non enim poſſumus, ex illa comparatione inferre, eoſdem non eſſe morituros, ſicut vidimus quoſdam tempore diluvij fuiſſe exemptos à morte per Arcam Noë; quia iſti qui vivi tunc invenientur, in ipſomet raptu ad Chriſtum, morientur, & poſteà reſurgent, ut teſtantur Divus Ambroſius, & Divus Auguſtinus ſuprà relati. Ratio eſt, quia tempore diluvij quidam fuerunt conſervati pro futura generis humani propagatione. At in ultimo judicio nulla erit ratio à morte præſervandi eos, qui tunc vivent. Idem docent alij Sancti Patres, nec-non plures Theologi juxtà gloſſam ordinariam, quâ totum id, quod per Evangeliſtam prædicitur gerendum tempore adventus Chriſti, intelligi debet antecedenter, id eſt, quòd plura fient, antequam adveniat Chriſtus, qui ſtatim ac hæc facta fuerint, judicabit omnes gentes; non verò concomitanter, aut conſequenter, id eſt, in ipſo judicio, aut poſt judicium, ob rationes pro aſſertione noſtra ſuprà adductas.

Non tenet paritas de Arca Noë & ultimo judicio.

Alia adverſariorum ratio deſumitur ex illo Pauli 1. ad Theſſal. cap. 4. *Nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt, &c. Sed ſimul cum illis rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Igitur (inquiunt) illi, qui tunc reperientur vivi, ſaltem Sancti, & electi, non morientur, ſed ad immortalitatem tranſibunt, nam qui vivus rapitur & ſemper cum Chriſto erit, ad immortalitatem tranſit, quoniam Chriſto mors ultrà non dominabitur.

Altera adverſariorũ ratio.

Huic authoritati reſpondeo, concedendo quòd tunc viventes occurrent Chriſto, & rapientur in nubibus. Sed nego indè ſequi, non morituros eſſe eos, qui tunc vivi invenientur; quia Apoſtolus non affirmat quòd in occurſu non morientur; licet dicat, *& ſic ſemper cum Domino erimus*; nam reverà Apoſtolus dicit reſiduos ituros eſſe obviam Chriſto in aëra, ſed non dicit, ſine morte prævia. Nec implicat divinæ omnipotentiæ quòd moriantur, & ſtatim reſurgant: Igitùr ex illa authoritate, non poteſt rectè concludi, omnes homines non eſſe antè judicium morituros.

Reſponſio ad rationem Hæreticorũ.

Vel dico cum Origene, Apoſtolum pro viventibus, intelligere Gentem Sanctam, aut Populum electum, qui eſt Domino occurſurus. Et per conſequens dum ait: *Nos qui vivimus & reſidui ſumus.* Non loquitur de omnibus perſonis, quæ tunc vivent. Nec affirmat quòd illi, qui in adventu Chriſti invenientur vivi, non morientur. Sed ſolum quòd electi, ſeu animæ juſtæ occurrent obviam Chriſto, & rapientur, & ſemper cum ipſo erunt; quoniam verba Apoſtoli non ſunt intelligenda litteraliter, ut communiter advertunt expoſitores; & ideo non excludunt mortem eorum, qui vivi erunt in adventu Chriſti; cùm ad Hebræ, cap. 9. dicat, quòd ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium. Et 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 51. quòd omnes reſurgemus, reſurrectio autem non poſſit eſſe, quin mors præcedat; ſed intelligenda ſunt ſolum Tropologicè, & ſic exprimunt ſortem electorum; alioquin veritas veritati, & Paulus Paulo contradiceret, quoniam ſæpè dicit quòd omnes moriemur, & juxta expoſitionem adverſariorum in cap. 4. Epiſt. 1. ad Theſſal. plures eſſent, qui non morientur, ſcilicet electi, qui invenientur vivi in adventu Chriſti.

Inſuper dicunt adverſarij quòd Chriſtus venturus eſt judicare vivos & mortuos, ut docet fides in Symbolo Apoſtolorum contrà plures Hæreticos, ſcilicet Alexandrum Ærarium, Phyletum, Hymenæum, Gnoſticos, Borborianos, & alios in primo libro impugnatos: Ergò (inquiunt) fides docet quòd in adventu Chriſti erunt plures vivi, qui non morientur; nec reſurgent, & tamen judicabuntur; alioquin vana eſſet diſtinctio vivorum, & mortuorum.

Per vivos Symbolum intelligit juſtos; & per mortuos intelligit peccatores.

Huic Symboli Articulo, reſpondeo conſequentiam eſſe falſam. Nam licet Symbolum dicat quòd Chriſtus venturus eſt judicare vivos & mortuos, hoc non probat quòd illi, qui tunc invenientur vivi, non ſint morituri, & deindè reſurrecturi; etenim ex Apoſtolo, & ex Symbolo Athanaſiano, ad Chriſti adventum, omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Sed probat ſolum quòd erunt à Chriſto, ſicut & mortui, judicandi. Quòd non diſputamus. Vel dico cum pluribus Sanctis Patribus, Eccleſiæ Symbolum, per vivos intelligere juſtos, & per mortuos peccatores. Nam Symbolum nequit intelligi litteraliter, quia omnes homines judicabuntur vivi, cùm ſcriptum ſit quòd illi, qui in monumentis ſunt audient vocẽ Filij Dei. Et quòd homines reſurgent priuſquam judicentur. Aliam addo reſponſionem cum Ruffino in Commentario Symboli. Scilicet per vivos intelligi animas, & per mortuos intelligi corpora, quæ ſimul conjuncta cum animabus, judicanda ſunt, & præmiis, vel ſuppliciis addicenda.

Denique dico cum Leonardo Coquæo in lib. 20. de Civit. Dei, cap. 20. qui recitans Symbolum, præſentem Articulum explicat. & ait: Per vivos, intelligendus eſſe omnes illos, qui actu vivunt, vel vivent uſque ad finem mundi. Per mortuos verò intelligendos eſſe omnes, qui præceſſerunt, id eſt, qui mortui erant dum conditum fuit Symbolum: Itaque Symbolum Apoſtolicum non affirmat; eos, qui vivi tunc reperientur, non eſſe ante judicium morituros.

Joan. 5.

Hanc reſponſionem impugnant Adverſarij ex illo Joan. cap. 5. verſ. 28. *Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei.* Indè enim inferunt quòd illi, qui tunc non erunt in monumentis, ſeu qui vivent, non audient vocem, ſeu non reſurgent in adventu Domini, ſed ſolum illi, qui in monumentis erunt, id eſt, mortui. Idque confirmant ex verbis præcedentibus, quæ ſunt in verſu 25. *Quando mortui audient vocem Filij Dei*, quibus ſuadetur quòd in judicio quidam erunt vivi, & quidam mortui, qui reſurgent priuſquam judicentur; alij verò judicabuntur, quin prius moriantur, & reſurgant, quoniam non erunt in monumentis, ſed in terra viventes.

At non valet hæc inſtantia, quia licet illi, qui in monumentis ſunt, audituri ſint vocem Filij Dei, ex hoc tamen non valet inferre, eos, qui tunc vivi invenientur, ſeu qui non erunt in monumentis, non eſſe morituros, deindè reſurrecturos. Hæc enim verba Joannis dicta ſunt ad oſtendendam virtutem vocis Domini, quæ nedum à vivis; ſed etiam à mortuis audietur; Idcircò non ſolum intelligenda ſunt de mortuis, qui præceſſerint judicium; ſed etiam de illis, qui tunc morientur, ut judicentur.

Vel reſpondeo quòd licet Evangeliſta dicat, *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei*; tamen non valet illatio adverſariorum, ſcilicet quòd illi dumtaxat qui in monumentis erunt, audient vocem Filij, quoniam non poſſunt rectè ex illis verbis concludere, aliquos eſſe extrà monumenta, ſeu vivos, dum Filius Dei judicabit mundum, quia hæc particula *omnes*, non eſt ita excluſiva, aut reſtrictiva, ut inferre liceat, aliquos eſſe extrà monumenta, qui non audient vocem Filij Dei, ut patet ex variis locis Sacræ Scripturæ, in quibus eadem particula, *omnes*, nullum excludit; quamvis jungatur alteri reſtrictivè, ſicut iſta *omnes* quæ adjungitur iſti, *qui in monumentis ſunt*. Nam Apoſtolus ad Thimoth 3. verſ. 12. ait: *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur*, quæ habet particulam reſtrictivam; quin tamen valeamus dicere quòd illi dumtaxàt qui piè vivunt in Chriſto, perſecutionem patiantur.

Ad Tim. 3.

Aliam impugnationem deducunt ex reſurrectionis fine, quem dicunt non convenire omnibus hominibus, credunt enim reſurrectionem eſſe ad remunerationem corporum, pro ut fuere inſtrumenta operandi, ut facilè colligi poteſt ex illo Joan. 5. verſ. 29. *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicij*, & aliis ſimilibus. Sed (inquiunt) plures mortui ſunt, & in die judicij plures vivent, ſcilicet parvuli, qui ad opera uſi non fuerint corpore: Ergò non reſurgent; cùm non habuerint in corpore undè rationem reddere poſſint.

Reſpondeo reſurrectionem non ordinari ad ſolam remunerationem propriorum meritorum, ſed etiam ad remunerationem meritorum Chriſti applicatorum: quippè Deus ſtatuit decendentibus cum gratia, ſtatum gloriæ etiam corporibus donare, licet operibus propriis non ſint emeriti, ſed ſolùm operibus & meritis Chriſti. Hocque ſuadetur ex Cæleſtino Papa Epiſt. ad Epiſc. Galliæ, cap. 12. dicente: *Tanta erga homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, atque pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus*: Igitur neganda eſt adverſariorum ratio de parvulis, quia parvuli, vel decedent in originali, vel ſine originali. Si cum originali, culpam ex unione animæ cum corpore contraxerunt, & ſunt peccatores peccatò parentum, ideò neceſſè eſt ut reſurgant cum corpore, ut ſimul etiam corpus habeat pœnam. Si verò ſint ſine peccato originali beneficio Baptiſmi, debent etiam reſurgere cum corpore, ut ſimul cum ipſo recipiant hæreditatem Dei, quam merentur per Chriſti merita; Ideòque nulla eſt ratio excuſans à morte & reſurrectione, eos, qui in adventu Chriſti invenientur vivi. Omnes quidem morimur, & ſicut aqua in terram dilabimur, & omnes reſurgemus. Hæc duo ſcripturæ oracula morti, & reſurrectioni ſubjiciunt omnes, & ſingulos homines; ut unuſquiſque ſubeat pœnam peccati, quod contraxerit, quæ quidem pœna eſt mors.

Reſurrectio ordinatur etiam ad remunerationem.

Cæleſtinus Papa.

Tandem volunt non eſſe de fide, omnes homines, poſtremis comprehenſis, eſſe morituros antè judicium univerſale. Nam (inquiunt) multi Sancti Patres, & ferè major pars eorum tenebat contrarium, ante Auguſtinum & Ambroſium, ut patet ex Divo Hieronymo, qui in Epiſt. ad Marcellam, quæ eſt CXLVIII. ait: *Hoc ex ipſius loci continentia ſciri poteſt quod Sancti, qui in adventu Salvatoris fuerint deprehenſi in corpore, in iiſdem corporibus occurrent ei, ita tamen ut inglorium, & corruptivum & mortale, gloria & in incorruptione, & immortalitate mutetur, &c.* Idem ex Divo Auguſtino qui lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 31. ait: *Denique hoc quibuſdam in fine largietur, ut mortem iſtam repentina commutatione non ſentiant, ſed ſimul cum reſurgentibus rapiantur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino vivant.* Et ideò Articulus noſter non poteſt eſſe de fide; alioquin evidenter erraſſent Sancti Patres, nedùm Hieronymus, Auguſtinus, ſed etiam plures alij qui oppoſitum docuerunt. Quòd dicere de Eccleſiæ Patribus nefas eſt.

Ultima objectio.

D. Auguſtinus.

Reſpondeo & fateor cum recentioribus, quòd Articulus noſter non fuit ſemper de fide, quià nunquam definitum fuit ab Eccleſiæ Pontificibus, neque in Conciliis tam generalibus, quàm particularibus, eos, qui in adventu Chriſti repeterentur vivi, eſſe antè judicium morituros. Sed fateri etiam audeo quod Eccleſia utramque opinionem permiſit juxtà diverſam, piamque Patrum intelligentiam, ut jam monui ſupra: Nullus tamen negare poteſt quòd modò (poſt receptionem, præſertim in Concilio Tridentino Latinæ dictionis Bibliorum quæ habet, *Omnes reſurgemus*) non ſit de fide, aut ſaltem quòd non ſequatur ex fide, quoniam ſi reſurrectio omnium ſit de fide explicitè, neceſſè eſt quòd omnium mors, ſeu quòd omnes morituri ſint antè judicium, ſit conſequentia fidei.

Reſponſio ad objectionem

Ad teſtimonium Divi Hieronymi, & Divi Auguſtini dico, quòd tunc Sancti Patres modò unam, modò alteram ſententiam tenebant, eo quod tunc temporis, locus ille, *omnes reſurgemus*, (quo tenemur credere fide divina homines reſurrecturos eſſe ante judicium) non erat adhuc firmiter, & abſque ulla dubitatione receptus ab Eccleſia, quià tunc nedum Latina editio, ſed etiam Græca habens, *non omnes dormiemus*, recipiebatur à Doctoribus, ac Patribus antiquis; ideoque ex Sanctis Patribus tam citatis, quàm citandis, nihil inferendum

eſt contrà aſſertionem noſtram de omnium morte futura, nequé concludendom contrà hunc Articulum, *omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Quoniam modò quatuordecim Epiſtolæ Divi Pauli Apoſtoli, ſunt receptæ in Eccleſia ut divinæ, & canonicæ, quibus nemo poteſt pertinacitér contradicere; quin ſit & cenſeatur verè Hæreticus.

ARTICULUS LI.

Affirmat contrâ Janoveſianos Antichriſtum eſſe venturum.

CIrcà Antichriſtum plura fuerunt Hæreticorum Somnia. Nonnulli, qui dicuntur Evaogelici, crediderunt adventum Antichriſti eſſe imaginariom, & purum antiquorum figmentum. Alij dixerunt quod jam venit, nam quidam vir hæreticus nomine Bartholomæus Janoveſios ex Inſula Minorica oriundus, docuit tempore Caroli IV. Imperatoris, & Urbani V. Papæ circà annum Domini MCCCLXIII. Antichriſtum apparuiſſe anno Domini MCCCLX. die Pentecoſtes. De hoc errore ſcripſit quemdam libellum, quem poſteà, eo ipſo pœnitente, & errores publicè abjurante, igni tradidit poteſtas Eccleſiaſtica ejuſdem Inſulæ Minoricæ, ut refert Prateolus.

Bartholomeus Janoveſius.

Sunt aliqui qui credunt Mahometem (qui apparuit ſub Heraclio, & cujus Secta in hunc uſque diem durat) fuiſſe Antichriſtum. At hæc hæreſis facilè rejicitur teſtimonio adverſariorum: Nam Rabanus Tom. 9. dicit Antichriſtum naſciturum eſſe de aliqua virgine operâ Diaboli; ſicut Chriſtus operâ Spiritus Sancti natus eſt de Maria Virgine; Sed hæc circunſtatria, ſcilicet naſci de Virgine, non verificatur de Mehomete, qui natus eſt de muliere corruptâ; & per conſequẽs non fuit Antichriſtus de quo hic agitur: quamvis ſit Aotichriſtus, quatenus hoc nomine, juxta Divi Auguſtini mentem lib. 2. contra adverſarium legis cap. 12. intelligendus eſt adverſarius Chriſti. Præterea Antichriſtus regnaturus eſt per tres annos cum dimidio dumtaxàr, ut dicemus infrà; atqui Mahometes jam à multis ſeculis regnat, ſeu ab anno DCXXX. ergò noo potuit eſſe Antichriſtus

Mahometes à nonnullis creditur Antichriſtus.

Lutherus, Calvinus, Bucerus, Ocolampadius, & omnes alij Hæretici, qui poſt hos duos Hæreſiarchas, Lutherum ſcilicét, & Calvinum, inſurrexerunt adverſus Eccleſiam, dicunt Antichriſtum jam à longo tempore veniſſe, huncque eſſe Papam malitioſé clamitant, licet oppoſitum, videlicét Antichriſtum eſſe venturum, aperté videant in ſacris Paginis, & certò ſciant ea, quæ ante adveotum Antichriſti præcedent, nondùm apparuiſſe. Ità loquutitur in odium Eccleſiæ Romanæ, à qoa, cauſâ impuritatis, totiuſque libidinis, & licentiæ, receſſerunt; Diabolo ſuadente. Ad hanc Apoſtaſiam excuſandam conantur ſuadere populis, Romanam Eccleſiam defeciſſe. Et Romanum Pontificem, non Epiſcopum, nec ſucceſſorem Petri, ſed Antichriſtum eſſe.

Lutherus & alij credũt Antichriſtũ jam veniſſe

§. I.

Oſtendit Antichriſtum eſſe venturum.

QUoad Concilia afferenda pro Articuli noſtri reſolutione. Dico qood Lateranenſe V. ſeſſ. 11. conſtitut. 1. ſupponit Aotichriſti adventum futurum, nam ex eo nulli licet prædicare tempus aliquod determinatum, in quo venturus ſit. Et excommunicatione latæ ſententiæ ferit eos, qui dixerint quod venier determinaté in tali tempore, vultque hujus juſtæ cenſuræ abſolutionem reſervari ſanctæ Sedi. Ut autem hæc veritas magis eluceſcat ad Sacram Scripturam recurrendum eſt: In ipſa enim videbimus an Antichriſti ſigna jam apparuerint. Et quanta malignati ſunt Hæretici in Sancto, id eſt, in Summo Pontifice in terris Chriſti Vicario.

Concilium Lateranenſe.

Signa quæ infallibilitér, & neceſſariò Aotichriſti adventum præcedent, juxtà Sacram Scripturam, ſunt duo. Primum eſt univerſalis Evangelij prædicatio, ot monet Chriſtus, Matth. 24. dicens: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Aliud verò eſt deſolatio Imperij Romani, joxtà illud 2. ad Theſſal. cap. 2. *Rogamus vos Fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti .... neque terreamini .... quaſi inſtet dies Domini, nè quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primùm & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.*

De ſignis quæ Antichriſti adventum præcedent.

Hæc quidem verba juxtà Sanctos Patres, idem ſignificant ac iſta; ſcitis quid Antichriſti adventum impediat, dixi enim vobis Romanum Imperium impedire, quia non ſunt adhuc adimpleta peccata ejus, myſterium jam operatur iniquitatis, & non anté veniet Antichriſtus, qui hoc Imperium proptér peccata ejus, tollat de medio ejus; undé gloſſa interlin. ait: *Sed non inſtat dies Domini niſi prius gentes à Romano diſcedant Imperio.* Et Divus Ambroſius explicans illa verba Apoſtoli, *& tunc revelabitur ille iniquus*, (quæ ſunt in eodem capite ejuſdem Epiſt. verſ. 8.) inquit: *Poſt defectum Regni Romani, appariturum Antichriſtum dicit, ſicut memoratum eſt, deficiente autem Regno Romano, & ille de cœlis mittetur, deorſum projectus in terram.*

D. Ambroſius.

Idem tradit Divos Cyrillus Catech. 15. ubi circà eadem verba diſcurrens ait: *Veniet prædictus Antichriſtus cum impleta fuerint tempora Romani Imperij.* Huic Doctori adhæret Divus Chryſoſtomus io eumdem locum dicens: *Quando è medio ſublatum fuerit Imperium Romanum, tunc veniet Antichriſtus.* Ità paritér ſentiunt communiter Sancti Patres, ut videri poteſt in Commentariis in 4. lib. ſent. juxta mentem Doctoris Subtilis, editis ab Eminentiſſimo Cardinali de Laurea Tom. 4. diſput. 1. atqoi nullùm ex his duobus Antichriſti ſignis apparuit. Probatur. Non primum, cùm certum ſit varias adhuc eſſe mundi partes, & populos utpotè Chioenſes, & Americanos multos habitantes io lociſ, & montibus à mari longé diſſitiſ, quibus oihil de Evangelio nunciatum adhuc fuit: plures enim ſunt terræ incognitæ, ad quas nondom acceſſerunt fideles: Ergò hæc prædictio, *prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe*, nondùm adimpleta eſt. Certum eſt pariter ſecundum ſignum nondùm adveniſſe, cùm Romanum Imperium duret adhoc; quamvis tranſlatum; etenim Imperium durat quamdiu in Imperatoria dignitate ſuccedit aliquis; ſuccedit aotem Occidentis Imperator: Ergò nondùm venit Antichriſtus.

D. Cyrillus

D. Chryſoſtomus.

Nec valet dicere quòd deſolatio Imperij Romani facta fuit. Primo quando Roma capta fuit à Gothis. Secundò quandò Imperium defecit in Occidente. Tertiò quando reſtaurato in Occidente per Carolum Magnum, deſtructum fuit in Orieote per Turcas. Non valet, ioquam, hæc ratio; quia numquam facta fuit iotegra Imperij ſubverſio, nec amiſſa eſt dignitas Imperatoris Romanorum; nam Apoſtolus per prædictam defectionem Imperij Romani, non intelligit quamlibet ejuſdem ſucceſſionem, rebellionem, aut diminutiooem, aut

Falſa Hæreticorum inſtantia.

tranſlationem, ſed totalem, & integram abolitionem dignitatis Imperialis, quæ nondùm viſa fuit.

Prætèr hæc ſigna antecedentia adventum Antichriſti, quæ nondum vidimus, eſt aliud concomitans, nimirum miſſio Eliæ, & Henoch, qui juxtà communem ſententiam, mortui non ſunt, ſed adhuc vivunt in Paradiſo terreſtri, & mittentur antè diem judicij univerſalis ad prædicandum, ut conſtat ex illo Malachiæ cap. 4. verſ. 5. & .6 ubi legitur: *Ecce ego vobis mittam Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et converiet cor Patrum ad Filios, & cor Filiorum ad Patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Eccleſ. cap. 44. verſ. 16. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum ut det gentibus pœnitentiam.* De utroque autem dicitur Apocalyp. cap. 11. verſ. 3. *Et dabo duobus teſtibus meis, & Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſacci.* Ubi gloſſa ordinaria, verbo, *duobus teſtibus*, per illos teſtes, non intelligit alios homines, niſi Eliam & Henoch.

De ſignis concomitantibus adventum Antichriſti.

Apocal. 11.

Idem docent plures Sancti Patres, & præſertim Divus Auguſtinus lib. de Antichriſto, ubi inquit; *Subito autem & improvisè Antichriſtus veniet, & totum ſimul humanùm genus ſuo errore decipiet, & perdet: Ante ejus exortum duo Propheta mittentur in mundum, Henoch, ſcilicet, & Elias, qui contrà impium Antichriſtum fideles Dei divinis armis præmunient, & inſtruent eos, & confortabunt, & præparabunt electos ad bellum, docentes & prædicantes tribus annis & dimidium; Filios autem Iſraël quicumque eo tempore inventi fuerint, hi duo maximi Propheta, & Doctores ad fidei gratiam convertent, & à preſſura antè turbinis in partes electorum inſeparabiles reddent, tunc implebitur quod Scriptura dicit, Iſay. & ad Rom. 9. Si fuerit numerus Filiorum Iſraël quaſi arena maris reliquia ſalva fient.* Quibus verbis conſtat quòd Henoch, & Elias venient contrà Antichriſtum prædicaturi Divinitatem Chriſti, & præſertim Judæis, ut notat Beda in Samuelem c. 11. dicens, *Henoch & Elias tunc venient Judæis fidei gratiam aperturi nec mora ab Antichriſto mortem creduntur eſſe ſuſcepturi.*

D. Auguſtinus.

Elias, & Henoch venient contra Antichriſtū

Præter iſtud Eliæ, & Henoc habemus aliud ſignum concomitans, quod eſt perſecutio omnium maxima, quæ facilè infertur ex illo Matth. 24. verſ. 21. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet.* Et ſuprà: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, Ea autē ſæviente perſecutione; omnia Sacra ceſſabunt, hoc eſt, Juge Sacrificium, Officium Eccleſiaſticum ritusque Sacri Chriſtianorum omnes, ut colligitur communitér ab omnibus, ex illo Dani. 12. verſ. 11. *Et à tempore cùm ablatum fuerit Jugo Sacrificium, & fuerit apposita abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Idem infertur, ex illo Job, cap. 18. verſ. 20. *In die ejus ſtupebunt noviſſimi, & primos invadet horror.* Et Dan. 11. verſ. 33. *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum*; Sed Henoch & Elias nondùm apparuerunt, nec venerunt adhuc: Adhuc enim vivunt in loco, ad quem trāſlati fuerunt; nam Paulus ad Hebræ. cap. 11. verſ. 5. ait: *Fide Henoch tranſlatus eſt nè videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus; ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.* Et de Elia Matth. 17. dicitur: *Et interrogaverunt eum Diſcipuli dicentes: Quid ergò ſcribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille reſpondens, ait eis; Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* Nec venit adhuc illa maxima perſecutio, cùm divinâ protegente gratiâ, durent adhuc Juge Sacrificium, Officium Eccleſiaſticum, rituſque Sacri Chriſtianorum omnes. Nec tribulatio ità magna fit, ut infauſtiſſimus ſit prægnantium, & nutrientium ſtatus: Ergò Antichriſtus nondum venit.

Matth. 24.

Daniel. 12

Job. 18.

Heb. 11.

Tandem duo erunt ſigna Antichriſtum ſubſequentia, nimirùm ipſius Antichriſti interitus poſt tres annos cum dimidio futurus, ut colligitur ex illo Danielis cap. 7. verſ. 25. de Antichriſto: *Et ſermones contrà Excelſum loquetur, & Sanctos altiſſimi conteret, & putabit quod poſſit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Idem docet Divus Auguſtinus eadem verba ſic exponens lib. 1. de Civit. Dei, cap. 23. *Tempus quippè & tempora, & dimidium temporis annum unum eſſe, & duos, & dimidium, ac per hoc tres annos, & ſemiſſem etiam numero dierum poſteriùs poſito dilucesſit, aliquando in Scripturis, ac menſium numero declaratur, videntur enim tempora indefinitè, hic dicta lingua Latina, ſed per dualem numerum dicta ſunt, quem Latini non habent, ſicut autem Græci, ità hunc dicuntur habere, & Hebræi.*

De ſignis ſubſequentibus.

D. Auguſtinus.

Hoc tempus durationis Antichriſti ſuadetur ex illo Apocalyp. cap. 11. verſ. 2. *Atrium autem, quod eſt foris templum, ejice foras, & nè metiaris illud, quoniam datum eſt gentibus, & Civitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus*, hoc eſt, tribus annis cum dimidio, cùm annus integer, duodecim menſibus tantum conſtet. Et verſu ſequenti: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabant diebus mille ducentis ſexaginta.* Reverà indè ſequitur, quòd erunt aliqui dies ſupra tres annos & dimidium, ſed hoc non obſtat; quia textus intelligendus eſt, de teſtibus, ſeu de Elia, & Henoch, non verò de Antichriſto, poſt cujus obitum, Deus dabit aliquos dies, ut illi, qui ab ipſo decepti fuerint, poſſint pœnitere.

Apocal. 11.

Aliud ſignum ſubſequens eſt conſummatio mundi, ut declarat Sanctus Matthæus cap. 24. verſ. 14. dicens: *Et tunc erit conſummatio*, ſed nondum vidimus interitum Antichriſti, ut manifeſtè patet, nullus enim poteſt aſſerere Antichriſtum jam mortuum fuiſſe, & finem mundi jam eveniſſe: ergò nec venit Antichriſtus, ſed veniet, & accipietur à Judæis pro Meſſia, ut colligitur ex illo Joan. 5. verſ. 43. *Ego veni nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, accipietis illum.*

Joan. 5.

Naſcetur ex patre & matre ſicut alij homines, non verò ex ſola Virgine, ut dicunt aliqui, quos impugnant Sanctus Auguſtinus, & Divus Hieronymus in Epiſt. ad Algaziam. quæſt. 11. ubi improperantes Judæis Antichriſtum expectantibus, dicunt: *Et quidem ſi Antichriſtus de virgine natus eſt, & primus veniſſet in mundum, poterant habere Judæi excuſationem, & dicere quod putaverint veritatem.* Et in cap. 7. Danielis: *Nō putemus juxtà quorumdam opinionem, vel Diabolum eſſe, vel Dæmonem, ſed unum de hominibus.* Naſcetur de Judæorum natione juxtà gloſſam ordinariam in cap. 11. Danielis ſuper illud, *Et ſtabit in loco ejus deſpectus*, ubi legitur: *Antichriſtus in fine mundi conſurget de gente moſaica, id eſt de populo Judæorum, tam humili, atque deſpectu, ut eis non detur honor regius.*

Antichriſtus naſcetur ex natione Judæorum.

Idem docent ſancti Patres, & præſertim Divus Auguſtinus, tract. de Antichriſto. Divus Ambroſius Tom. 1. cap. 7. Divus Proſper Aquitanicus, & alij docentes quòd Antichriſtus naſcetur ex Tribu Dan. Quòd verum eſſe probant ex illo Geneſ. cap. 49. verſ. 17. *Fiat Dan Coluber in via, Ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò.* Ubi gloſſa per *Coluber*, intelligit Antichriſtum, ut aſſerunt Sancti Patres, & præſertim Divus Ambroſius Tom. 1. de benedictione Patriarchali, cap. 7. ubi declarans illa verba Geneſ. loco citato verſ. 16. *Dan judicabit populum ſuum, &c.* inquit, *fuit & Samſon de Tribu Dan, & Judicavit Iſraël viginti annis, ſed*

D. Ambroſius.

D. Proſper.

non

Digitized by Google

non hunc prophetia ſignificat, ſed Antichriſtum qui futurus eſt ex Tribu Dan, Severus Judex, & Tyrannus immanis. Idem replicat in eodem Tomo in Pſal. 40. ubi ait: *Legimus quidem quòd Samſon de Tribu Dan Judex fuerit, ſed alius hîc ſignificatur futurus; qui ex ea tribu progreſſus, populum ſupplicijs Sacrilega impietatis affliget, Antichriſtus ille, qui ſedebit in Templo.*

De loco in quo naſcetur Antichriſtus

Naſcetur in Babylonia, ut affirmat Divus Auguſtinus tract. de Antichriſto, dicens: *Audite etiam locum ubi naſci debeat: nam ſicut Dominus, & Redemptor noſter, Bethleem ſibi providit ut ibi pro nobis humanitatem aſſumeret, & naſci dignaretur; ſic Diabolus illi homini perdito, qui Antichriſtus dicitur, locum novit aptum, undè radix omnium malorum oriri debeat, ſcilicet civitatem Babyloniæ. In hac enim civitate quæ quòndam inclyta, & glorioſa urbs gentilium, & caput regni Perſarum erat, Antichriſtus naſcetur, & in civitate Bethſaida, & Corozain nutriri, & verſari dicitur.*

D. Epiphanius.
D. Hieronymus.

Hanc ipſam veritatem docent alij Sancti Patres, & præſertim Divus Epiphanius, & Divus Hieronymus in cap. 11. Danielis, ibi enim ait: *Antichriſtus naſciturus eſt de populo Judæorum, & de Babylone venturus, primumque eſt ſuperaturus Regem Ægypti.* In primo inſtanti conceptionis ſuæ habebit Diabolum ſibi ex tunc aſſiſtentem. Quapropter plures dixerunt quòd Antichriſtus non erit verus homo, ſed Dæmon.

Circà aſſertionem noſtram de conceptione Antichriſti; nullum poteſt efformari dubium, nam ſicut in Chriſto habitavit plenitudo divinitatis, ità in Antichriſto, habitabit plenitudo malitiæ, & iniquitatis; quia in ipſo erit caput omnium malorum-ſcilicet Diabolus, à quo erit totaliter obſeſſus, ut monet gloſſa in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſ. verbo, *tamquam ſit Deus.* Idem aſſerit Sanctus Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis in Dominica ſecunda adventus, ubi de Antichriſto loquens ait: *plenus erit Spiritu Satanæ, virtutes multas, & miracula arte Diabolicâ operabitur.* Tamen non erunt vera miracula, ſed fallacia, apparentia, & phantaſtica, ut ſe oſtendat Deum, & credatur talis ab hominibus ea videntibus, ut tradit Divus Ambroſius in Comment. cap. 13. Apocalyp.

Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus.

Eamdem veritatem circa conceptionem Antichriſti docet Divus Auguſtinus in tract. de eodem, ubi inquit: *In ipſo vero conceptionis initio, Diabolus ſimul introibit in uterum matris ejus, & ex virtute Diaboli confovebitur, & contutabitur in ventre matris, & virtus Diaboli ſemper cum illo erit; ſicut Spiritus Sanctus in matrem Domini noſtri venit, & eam ſua virtute obumbravit, & de divinitate replevit, ut de Spiritu Sancto acciperet, ut quod naſceretur, divinum eſſet, & Sanctum: ità quoque Diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, & totam eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, totam interius, exteriuſque poſſidebit, ut Diabolo per hominem cooperante, concipiat, & quod natum fuerit, totum ſit iniquum, totum perditum; undè ille homo peccati, Filius perditionis appellatur, quia in quantum poterit, genus humanum perdet, & ipſe in noviſſimo die perdetur.*

D. Auguſtinus.

Ex his manifeſtè patet, Antichriſtum nondùm veniſſe in mundum. Patet inſuper ex omnibus ſuprà dictis, Lutherum, Calvinum, & alios hæreticos eſſe impiiſſimos, dum aſſerunt Papam non eſſe verè Epiſcopum, nec Petri ſucceſſorem, ſed eſſe Antichriſtum, cùm ſigna, & nota ſuprà memorata nedùm Summo Pontifici minimè conveniant, ſed etiam nec alteri ex hominibus jam natis ut attentè conſideranti ea, quæ ſuprà diximus, evidenter patebit. Præterea Antichriſtus primò docebit ſe eſſe Deum, & ut Deum colendum, ut notat Gloſſa in 2. ad Teſſ. cap. 2. Et prædicabit quòd Chriſtus non eſt Deus, ſed purus homo, ut colligitur ex Epiſt. 1. Joan. cap. 2. verſ. 22. At Summus Pontifex ſeu Papa non docet hæc. Impiiſſimi ſunt igitur Lutherani: & Calviniſtæ.

§ II.

Soluit Hæreticorum Argumenta.

HÆretici aſſertionem noſtram impugnant authoritate Sacræ Scripturæ, ex quâ inferunt, Antichriſtum jam veniſſe, nam Joan. Epiſt. 2. verſ. 7. legitur: *Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem; hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.* Et Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt, undè ſcimus, quia noviſſima hora eſt.*

Prima hæreticorum ratio.

Reſpondeo nomina Antichriſti juxtà mentem Divi Auguſtini lib. 2. contrà adverſarium legis cap. 12. dupliciter ſumi poſſe, videlicet generatim pro quocumque Chriſti inimico; & ſpeciatim pro præcipuo Chriſti adverſario in fine mundî venturo. In primo ſenſu quilibet hæreticus dicitur Antichriſtus, quia fuit adverſarius, & impugnator Chriſti ſecundum ſe conſiderati, vel ſecundum leges, quas condidit, aut Evangelium, quod nobis reliquit, & præcepta quæ nos docuit, vel ſecundum opera, quæ fecit, ut in hoc opere videri poteſt. Quare Divus Irenæus vocat Valentinianos, & Marcioniſtas, Antichriſtos. Et Divus Hilarius Arianos, & ſic de cæteris. In ſecundo autem ſumitur pro quodam homine eximio Chriſti adverſario, qui naſcetur in fine ſæculorum, & quem Divus Paulus 2. ad Theſſ. vocat hominem peccati, & filium perditionis. Nec poteſt hanc diſtinctionem impugnare Janoveſius, nam ſicut nomen Chriſti dupliciter ſumitur, ſeu propriè, aut ſpecificè pro verbo Divino incarnato. Et Analogicè ſeu generaliter pro illis, qui cum eo habent ſimilitudinem, & conformitatem aliquam, ut ſunt Prophetæ, Apoſtoli, Sancti, & præſertim Seraphicus Pater noſter Franciſcus, quem Chriſtus ſignavit ſignis redemptionis noſtræ, Prælati, Reges &c. de quibus dicitur: *nolite tangere Chriſtos meos.* Sic etiam nomen Antichriſti dupliciter ſumitur, prout ſuprà explicatum eſt.

Dupliciter ſumitur nomen Antichriſti.

Undè dico, textus relatos, intelligendos eſſe de Antichriſto generaliter & analogicè ſumpto, ſeu de omnibus Chriſti adverſarijs, id eſt de hæreticis, quos Diabolus ſuſcitavit adversùs Deum, & adversùs Chriſtum ejus. Non verò de Antichriſto ſpecialiter ſumpto, ſeu de eo, de quo loquitur Paulus loco citato. Ille quidem venturus eſt contrà vitam fidelium cum morſu peſtiferæ prædicationis armatus, ut notat venerabilis Beda in cap. 42. Geneſis. Idèm infertur ex textibus Scripturæ à nobis ſuprà relatis, qui non de hæreticis, nec de omnibus Chriſti adverſarijs intelligi poſſunt, ſed ſolum de aliquo in particulari, qui veniet.

Bedæ obſervatio.

Objiciunt Lutherani, & conantur probare, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, nam (inquiunt) notæ Antichriſti in Sacris paginis conſcriptæ, conveniunt Papæ, quia Antichriſtus de quo loquitur Scriptura, deficiet à fide, ſedebit in templo Dei, oſtendet ſe tamquam Deum, negabit Chriſtum, falſa

Altera hæreticorum ratio.

miracula faciet, & ſubditis imprimet characterem, ſed hæc omnia, quæ Sacra Scriprura tribuit adverſario Chriſti futuro, conveniunt Romano Pontifici, quia defecit à fide, admittit enim Purgatorium, Miſſæ Sacrificium, Sanctorum invocationem, & plura hujuſmodi alia, quæ ſunt contrà veram fidem Chriſti. Sedet in Throno Dei, cùm ſedeat ſuper Cathedram Moyſi. Oſtendit ſe tamquam Deum; cùm dicat ſe viſibile Eccleſiæ caput, & habere abſolutam ſuper terram ligandi atque ſolvendi poteſtatem. Extollit ſe ſuprà id omne, quod dicitur Deus; cùm ſtatuat ſe ſuprà omne jus poſitivum, nullique ſubditum. Negat Chriſtum, cùm ſanam Chriſti doctrinam corrumpat. Falsa miracula facit; cùm affirmet, Sanctos Apoſtolos, & alios viros probos feciſſe miracula plura; Tandem ſubditis ſuis characterem imprimit in aliquibus Sacramentis Igitur eſt Antichriſtus ille, quem promiſerunt Prophetæ.

Solutio ad hæreticorum rationem.

Reſpondeo Argumentum eſſe falſum quoad ſingulas partes. Primò enim dum Summus Pontifex docet Purgatorium &c. non deficit à fide, Imò juxtà fidem docet nos ea, quæ credenda ſunt ſub pœna damnationis æternæ, quia Purgatorium, Sanctorum invocatio, Miſſæ Sacrificium, & ſimilia ſunt de fide, Sacrâ Scripturâ ſic affirmante, ut in proprijs locis videri poteſt. Revera ſedet in Templo Dei, ſeu in Eccleſia Chriſti, & Cathedra Petri; At Antichriſtus de quo dicitur, *Sedebit in Templo Dei* ſedebit in Templo Jeroſolymitano, & adorabitur à Judæis, à quo recipietur: & ideò illud ſignum de Antichriſto nobis in Scriptura datum, non convenit Romano Pontifici, cùm non recipiatur à Judæis, nec adoretur ut Deus à fidelibus; nec ſe oſtendat tamquam Deum, licet pro viſibili Eccleſiæ capite ſe exhibeat, quia Chriſtus eſt caput inviſibile & primarium, Papa verò eſt caput viſibile, & ſecundarium. Nec ſe extollit ſuprà id omne quod dicitur Deus, licèt ſuperiorem non habeat in terris a quo judicari poſſit, ſitque prima ſedes (hoc enim fecit & Moyſes, nec per hoc ſuprà Deum ſe extulit) nec negat Chriſtum; Imò ipſum confitetur, & ejus doctrinam integram ſervat.

Deinde Papa non imprimit Characterem illum, quem imprimet Antichriſtus, ſed alium longé diverſum, nimirum Characterem fortitudinis per Sacramentum Confirmationis ad vincendos hoſtes Chriſti, & animæ. Et per Sacramentum Ordinis imprimit Characterem poteſtatis, & juriſdictionis ſpiritualis; Antichriſtus verò imprimet Characterem perditionis, malitiæ, & abominationis: ideòque ſigna Antichriſti venturi, non conveniunt Romano Pontifici, nec in ipſo reperiri poſſunt. Rursùm Papa eſt verè Chriſti Vicarij, ſeu Divi Petri Succeſſor, ut in proprio loco ſuprà probatum manet, & iterum probabitur in quarto libro contrà plures hæreticos: Antichriſtus autem erit ejuſdem Petri adverſarius, & deſtructor Evangelij generaliter & ſecundum ſe totum conſiderati, ut ex dictis ſuprà facilè colligi poteſt. Quòd de Summo Pontifice abſque impietate dici nequit, cùm ſit omnium fidelium Pater; & labia ejus cuſtodiant ſcientiam Sanctorum ad opus miniſterij, & in ædificationem corporis Chriſti.

ARTICULUS LII.

Tenet contrà Cerdonianos omnium hominum reſurrectionem.

Poſt Apoſtolorum prædicationem, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos, & Saducæos. Iſti dicebant nullam eſſe reſurrectionem, nullum Angelum, nullum Spiritum. Phariſæi autem utramque confitebantur, ut conſtat in cap. 23. Act. verſ. 7. & 8. Hanc Saducæorum hæreſim ſequebantur Samaritani, teſte Divo Joanne Damaſceno lib. de hæreſibus. Et præcipuè Poſithæus genere Judæus, unus de adulterinis, & primis corruptoribus fidei ſub Domitiano Nerone, & Apoſtolo Petro, circà annum Domini LII. Simon Magus magiæ diſciplinæ peritiſſimus, de quo alibi locuti ſumus, Hymenæus, Alexander, & Philetus de quibus mentionem facit Apoſtolus 2. ad Timotheum cap. 2. verſ. 16. & 17. *Saducæi* *Samaritani* *Poſithæus* *Simon Magus.* *Hymenæus*

His hæreticis ſucceſſit poſteà ſcilicet anno CXXIV tempore Adriani Imperatoris, & Alexandri Papæ I. Baſilides Alexandrinus, qui eamdem ſuſcitavit hæreſim, & paulò poſt ſcilicèt anno CXXIX. ſub eodem Imperatore & Sancto Xiſto Romanorum Pontifice, ad ſe traxit Carpocratem, quem Divus Irenæus lib. adversùs hæreſes cap. 24. dicit æqualem Baſilidi, ſeu illi, quem facit Gnoſticorum ducem, & authorem, contra plures antiquos Scriptores, qui alium Gnoſticis aſſignant patronum, ut diximus in ſecundo articulo hujus operis. His omnibus ſucceſſit anno Domini CLIV. Cerdon, arte Magus, qui tempore Antonini Pij, & Higini Papæ Romam venit, & ibi plures errores docuit (teſte Divo Auguſtino) quorum unus aſſerebat carnis reſurrectionem non eſſe futuram; licet Tertullianus & alij non tribuant illi hunc errorem, pro quo tuendo, antea, ſeu Anno C L. ſub eodem Imperatore, & ſub eodem Summo Pontifice inſurrexerat quidam hæreticus nomine Valentinus, Pithagoræ Sectator Saducæis, & Cerdone nequior, qui vanam quamdam, & perniciosam doctrinam eructans, plures populis ſuadebat errores, pluresque impietates proponebat credendas, ſed præcipuè, nullam ſperandam eſſe carnis reſurrectionem, ut monent Divus Auguſtinus, & Tertullianus qui plura alia de ipſo Valentino viro hæretico referunt. *Alexander* *Philetus* *Baſilides* *Carpocrates.* *Cerdron* *Valentinus*

Anno autem CLV. ſub eodem Imperatore, & Pio hujus nominis Papâ I. apparuerunt quidam Valentini hæreſiarchæ Diſcipuli, ſcilicet Marcus, nequitiæ magicæ peritiſſimus. Et Marcion natione Ponticus, ex civitate Sinope oriundus, qui docebant cum præcedentibus hæreticis, carnis reſurrectionem eſſe purum figmentum ab Apoſtolis nobis relictum in Symbolo ab ipſis condito. *Marcus* *Marcion.*

His viris hæreticis ſtatim, nempè anno CLIX. adhæſerunt alij ejuſdem nequitiæ viri, dicti Caïnani, ſivè Caïani, qui hoc nomine vocari voluerunt, aut vocati fuerunt; quia fratricidam Cain primogenitum Patris noſtri, ac beati Adæ, venerabantur, quique teſtibus Divo Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 38. & Philaſtrio, blaſphemabant legem, & Deum legis authorem, carniſque reſurrectionem negabant, approbantibus Archonticis, ſeu quibuſdam viris hæreticis ſic dictis à principibus, quibus mundi creationem tribuebant. Illi autem hæretici anno CLX. publicè prædicabant, nullam eſſe expectandam reſurrectionem mortuorum, exiſtimantes nedùm impoſſibilem, ſed etiam inutilem eſſe reunionem animæ cum corpore. *Caïnani* *Archontici*

Severus. Hos hæreticos ſecutus eſt Severus Tatiani Diſcipulus, qui anno Domini CLXXVIII. regnante Marco Antonino Philoſopho, & Eccleſiam Dei regente Sotero Papâ, docuit, nullam eſſe carnis reſurrectionem, eo quòd homo, qui pulvis eſt, in pulverem ultimatè revertetur per mortem. Ejuſdem erroris *Apelles* magiſter & Sectator fuit Apelles Marcionis diſcipulus qui vixit eodem anno, & eoſdem ſui Magiſtri errores amplexus eſt. Anno autem CLXXXII. tempore Valentis Imperatoris, & Damaſi Papæ, Proclianitæ, natione Galatæ, Seleuci & Hermiæ hæreticorum Diſci- *Proclianitæ.* puli. Et Florinus Blaſti ſocius in eamdem hæreſim lapſi ſunt, ut teſtantur Divus Auguſtinus, & *Florinus* Philaſtrius, qui eumdem errorem tribuunt Origeni Eccleſiæ Alexandrinæ Doctori; eum tamen ab hoc errore excuſat Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, aſſereus, Origenem non negaſſe cor- *Origenes.* porum reſurrectionem, ſed ſolum dixiſſe quòd Corpora hominum rotunda, & orbiculari ſpecie excitabuntur. At ab illa opinione plures recedunt, quia malunt ſubſcribere Divo Auguſtino. His omnibus hæreticis adduntur Manichæi de quibus fusè *Manichæi* locuti ſumus in 2. articulo hujus operis in quo ſtabilitur contrà Politheos, Deum eſſe unum in eſſentia. Et nullum eſſe Deum præter Deum noſtrum ſummé bonum.

Ejuſdem hæreſis (juxtà Divum Auguſtinum lib. de hæreſ. cap. 47.) rei ſunt Hierarchitæ, ſic dicti ab Hierarcha viro hæretico, qui Taciti Imperatoris, & Euthychiani Summi Pontificis temporibus *Hierarchitæ.* circa annum Domini CCLXXIX. negavit carnis Reſurrectionem eſſe futuram. Ejuſdem erroris defenſor fuit Euthychius Cænobij Conſtantinopolitani Abbas. anno CCCCXLIV. regnantibus Theodo- *Eutychius.* ſio II. & Leone I. Papa. Ille enim hæreticus eamdem hæreſim publicavit, & populum Conſtantinopolitanum in ſuum reprobum ſenſum allexit, ut refert D. Gregorios magnus.

Albanenſes Bajolenſes Concordenſes. His ſucceſſerunt Albanenſes, Bajolenſes, & Concordenſes, qui anno Domini DCCXCVI. ſub Conſtantino VI. Imperatore, & Leone III. Papâ, dixerunt reſurrectionem corporum non eſſe ſperandam. Eorum ratio erat, quia credebant ultimum judicium jam factum, nullumque aliud eſſe futurum. Eamdem Impietatem credidit quidam Doctor Pariſienſis nomine Almaricus, natione Gal- *Almaricus* lus, Patriâ Carnotenſis, tempore Barbaroſſæ filij Imperatoris & Innocentij III. Papæ.

Albigenſes Tandem pro eadem hæreſi tuendâ Albigenſes inſurrexerunt, & dixerunt doctrinam Saducæorum reſurrectionem carnis negantium, eſſe veram, ac tutam, & ab omnibus Chriſtianis propugnandam. Plures authores ut Sallelus, Gualterius, Brancatus, Scriptores celeberrimi tradunt Davidgeorgianos, duce David Georgio Antilutherano, & plures Calviniſtas cum Calvino, negaſſe futuram corporum reſurrectionem, hunceque articulum ejeciſſe de Symbolu Apoſtolorum.

§. I.

Probatur carnis Reſurrectio

HAnc Saducæorum, & aliorum ſuprà memoratorum hæreſim damnat fides univerſæ Eccleſiæ Chriſti à Spiritu Sancto edoctæ, ut patet in Symbolo Apoſtolorum, in quo referuntur ea, quæ à nobis ſub pœnâ damnationis credenda ſunt, inter *Symbolum Apoſtolorū* quæ eſt articulus, quem hîc propugnamus, *Credo carnis reſurrectionem, vitam æternam* Eamdem fidei regulam tradiderunt decem & octo ſupra trecentos, patres, in Concilio Nicæno primo celebra- *Nicænum* to anno CCCXXV. ſub Silveſtro Papa, pro tuendâ Filij divinitate contrà Arium, ut patet in Symbolo ejuſdem Concilij, iterato in Concilio Conſtantinopolitano I. celebrato anno CCCLXXXI ſub *Conſtantinopolitanū* Damaſo Summo Pontifice pro tuendâ divinitate Spiritûs Sancti contrà Macedonium, ut videri poteſt in Symbolo ibi edito. Et in Lateranenſi IV. celebrato anno MCCXV. ſub Innocentio III. pro damnan- *Lateranenſe.* dis Albigenſium, & Almarici, nec non Joachimi Abbatis hæreſibus, inter quas una eſt, quæ impugnat reſurrectionem mortuorum, ut jam monui.

Athanaſianum. His addo Symbolum Divi Athanaſij, ubi de Chriſto qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, dicitur, *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.*

Eamdem veritatem affirmat vetus Teſtamentum, legimus enim in lib. Job. cap. 19. verſ. 25. & 26. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de* *Reſurrectionis futura veritas oſtenditur.* *terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Sané hæc verba noſtram veritatem ita evidenter demonſtrant, ut nullus ſit in fide Chriſti, qui poſſit eam in dubium revocare; cùm expreſsè dicat Job, quòd de terra ſurrecturus eſt, ac proindè affirmet reſurrectionem eſſe futuram, ut omnes judicentur à Chriſto Domino, undè ſtatim, ſeu in fine ejuſdem capitis, addit: *Scitote eſſe judicium.*

Nihilominus adduco alia verba non minus clara, quæ habentur in cap. 37 Ezech. ubi legitur Deum *Ezech. 37.* dixiſſe: *Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis*, ibi enim loquitur oſſibus aridis, & ſtatim ſubdit, *Et dabo ſuper vos nervos, & Succreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis Spiritum, & vivetis, & ſcietis quia ego Dominus.* Et verſ. 12. & 14. inquit: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam vos in terram Iſraël. Et ſcietis quia ego Dominus, cum aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris popule meus:* Quibus liquidò conſtat, reſurrectionem mortuorum eſſe nobis promiſſam à Deo, cujus Filius eſt venturus in ſede majeſtatis ſuæ judicare vivos & mortuos, ut fusè probatum manet in proprio articulo contrà aliquos hæreticos, qui licet credant carnis reſurrectionem, negant tamen ultimum judicium.

In eodem veteri Teſtamento ſunt alij textus, qui articulum noſtrum probant contrà Saducæos, & alios hæreticos: nam Joël cap. 3. verſ. 2. Dominus ait: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas* *Joël 3.* *in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, & hereditate mea Iſrael, quos diſperſerunt in nationibus, & terram meam diviſerunt.* Hæc verba indicant locum judicij univerſalis, & affirmant reſurrectionem mortuorum, quoniam omnes gentes non poſſunt deduci in vallem Joſaphat; quin reſurgant, ut facilè colligi poteſt ex his, quæ ſunt in lib. 2. Machab. cap. 7. verſ. 14. ibi enim unus ex pueris ab Antiocho cruciatis, ait: *Potiùs eſt ab* *2. Mach. 7.* *hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Hæc quippè verba oſtendunt tàm bonos, quàm malos aliquandò reſurrecturos eſſe.

Idem habetur in cap. 12. verſ. 43. & ſequentibus ejuſdem ſecundi libri Machabæorum, ubi de fortiſſimo Juda dicitur. *Et facta collatione duodecim*

millia drachmas argenti ; miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium , benè & religiosè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret , ſuperfluum videretur , & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat quod hi , qui cum pietate dormitionem acceperant , optimam haberent repoſitam gratiam : Igitur ex veteri Teſtamento certum eſt quòd omnes homines reſurgent cum corporibus ſuis. Quando autem hæc erunt, nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum, niſi Pater ſolus, ut monet Divus Matthæus cap. 24. verſ. 36. cui ſufficit dicere nobis in verſ. 42. & ſequentibus : *Vigilate, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit : illud autem ſcitote , quoniam ſi ſciret pater familias quâ horâ fur venturus eſſet , vigilaret utique , & non fineret perfodi domum ſuam : ideò & vos eſtote parati : quia quâ neſcitis horâ filius hominis venturus eſt.*

Hæc carnis reſurrectio promittitur in Teſtamento novo. Nam Matth. 22. & Luc. cap. 20. verſ. 27. legimus ; *acceſſerunt autem quidam Saducæorum , qui negant eſſe reſurrectionem , & interrogaverunt eum dicentes : Magiſter , Moyſes ſcripſit nobis , ſi frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem , & hic ſine liberis fuerit , ut accipiat eam frater ejus uxorem , & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Septem ergò fratres erant , & primus accepit uxorem , & mortuus eſt ſine filijs. Et ſequens accepit illam , & ipſe mortuus eſt ſine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem , & non reliquerunt ſemen & mortui ſunt. Noviſſimè mortua eſt omnium & mulier. In reſurrectione ergo cujus eorum erit uxor ? ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorem.* His conſtat , reſurrectionem quam negabant Saducæi, eſſe certam , & ab omnibus ſperandam , ut ſuadet hæc interrogatio *In reſurrectione ergò cujus eorum ?* Idcircò unuſquiſque tenetur dicere cum Patribus Nicænæ Synodi : *Expecto reſurrectionem mortuorum*, Idque ſuadet reſponſio Chriſti , quæ habetur in verſibus ſequentibus ejuſdem Evangelij Divi Lucæ : *Filij hujus ſæculi nubunt , & traduntur ad nuptias, illi verò qui digni habebuntur illò ſæculo , & reſurrectione ex mortuis , neque nubent , neque ducent uxores ; neque enim ultrà mori poterunt , æquales enim Angelis ſunt , & Filij ſunt Dei , cum ſint Filij reſurrectionis.* Indè etiam conſtat , reſurrectionem mortuorum ità eſſe certam , ut unuſquiſque teneatur fateri eam , & dicere de unoquoque hominum id , quod Chriſto dixit Martha de fratre ſuo Lazaro mortuo Joan. 11. verſ. 24. *Sciò quia reſurget in noviſſimo die*. cùm unuſquiſque teneatur credere ea, quæ Martha credidit ,quoniam unus eſt Deus, una fides , & unum Baptiſma.

Matth. 22.

Aliud habemus teſtimonium apud Matth. cap. 12. ubi Chriſtus ait : *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta , & condemnabunt eam.* Hoc enim probat , Ninivitas eſſe reſurrecturos , ſubindeque omnes homines ; cùm non ſit major ratio de Ninivitis , quàm de aliis nationibus , quæ ſub Cœlo ſunt : omnes quidem nos manifeſtari oportet antè Tribunal Chriſti , ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit , ſivè bonum , ſivè malum.

De reſurrectione ninivitis promiſſa.

Eadem veritas ſuadetur in actibus Apoſtolorum, cap. 23. verſ. 6. ubi legitur quòd Paulus ſciens quia una pars eſſet Saducæorum , & altera Phariſæorum, ſic exclamavit in Concilio : *Viri fratres ego Phariſæus ſum , filius Phariſæorum , de ſpe & reſurrectione mortuorum ego Judicor*, Et cap. ſequenti verſ. 14. & 15. *Confiteor autem hoc tibi quod ſecundum hanc ſectam, quam dicunt hæreſim , ſic deſervio Patri , & Deo meo , credens omnibus quæ in lege & Prophetis Scripta ſunt : ſpem habens in Deum , quam & ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum & iniquorum.* Ibi Apoſtolus declarat omnes & ſingulos homines ſivè bonos, ſivè malos , teneri ad expectandam reſurrectionem.

Act. 23.

Idque iterùm declarat ad Rom. cap. 6. verſ. 4. & 5. dicens : *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem , ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris , ita & nos in novitate vitæ ambulemus , ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et ad Timoth. 2. cap. 2. verſ. 18. damnat Hymenæum & Philetum reſurrectionem negantes , dicens : *qui à veritate exciderunt , dicentes reſurrectionem eſſe jam factam , & ſubverterunt quorundam fidem* , id eſt eorum qui reſurrectionem expectabant , neceſſe eſt igitur credere reſurrectionem , & dicere cum eodem Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 51. *Omnes reſurgemus.* Et 1. ad Theſſal. cap. 14. verſ. 15. *Mortui qui in Chriſto ſunt , reſurgent primi.*

Rom. 6. *2. Tim. 2.* *1. Cor. 15.*

His ſuffragatur authoritas Sanctorum Patrum Auguſtinus in Enchirid , ait : *Reſurgent Sanctorum Corpora ſine ullo vitio , ſine ulla deformitate , ſine ulla corruptione , ſine difficultate : in quibus tanta facilitas quanta felicitas erit.* Reſurgent etiam iniqui , quia in ultimo judicio Chriſtus reddet unicuique ſecundum opera ejus , & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam , qui verò mala in ignem æternum , qui paratus eſt Diabolo , & Angelis ejus , quippè cùm venerit filius hominis in Majeſtate ſua ,congregabuntur ante eum omnes homines , & ſeparabit eos ab invicem , ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis , hoc eſt, electos à reprobis , nullo excepto : veniet , inquit Divus Joannes, hora in qua omnes,qui in monumentis ſunt ,audient vocem Filij Dei , & procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ;qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicij.

D. Auguſtinus.

Divus Hieronymus Epiſt. 2. eamdem veritatem proclamat dicens. *Carnis reſurrectionem etiam credimus , & confitemur , ut dicamus nos in eadem in qua nunc ſumus veritate membrorum eſſe reparandos , qualeſque ſemèl poſt reſurrectionem fuerimus effecti , in perpetuum permanſuros.* Et Divus Gregorius lib. 14. moralium habet : *ſunt nonnulli conſiderantes qui a Spiritu , a carne ſolvitur , quia caro in putredinem vertitur , quia putredo in pulverem redigitur , quia pulvis in elementis ſolvitur , & nequaquam ab humanis oculis videatur reſurrectionem fieri poſſe , deſperant , & dum arida oſſa reſpiciunt , hæc veſtiri carnibus ; rurſum quoad vitam virideſcere poſſe diffidunt : qui ſi reſurrectionis fidem ex obedientia non tenent , certè hanc tenere ex ratione debuerant : quid enim quotidiè niſi reſurrectionem noſtram in elementis ſuis mundus imitatur , nam per momenta temporum cernimus arbuſta viriditatem foliorum amittere , à fructuum plantatione poſt largitionem ceſſare , & eccè ſubitò , quaſi ex areſcenti ligno , velut quadam reſurrectione veniente videmus folia erumpere , fructus grandeſcere , & totam arborem redivivo decore veſtiri.* Ergo ex his , & aliis Sanctis patribus quorum verba proferre ſuperfluum judicamus , , tenemur credere reſurrectionem mortuorum eſſe futuram.

D. Hieronymus. *D. Gregorius.*

Hanc fidem Catholicam , quam niſi quiſque fideliter , firmitèrque crediderit , ſalvus eſſe non poterit, tenendam eſſe docet Daniel 12. verſ. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam & alij in opprobrium ut videant ſemper* Item Joël. 3. verſ. 12. *Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Joſaphat , quia ibi ſedebo ut judicem omnes gentes in circuitu :* Igitur omnes , nullo excepto , reſurgemus , & defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione rationem reddituros, ſuſci-

Daniel. 12.

Digitized by Google

tabit rex mundi, ut legitur in 2. libro cap. 7. Machab.

Nec valet dicere quòd impij non reſurgent in judicin, nec peccatores in Concilio juſtorum, ac per conſequens quòd non reſurgent omnes homines. *Impij reſurgent.* Non valet, inquam, quia David ibi vult dicere tantum quòd impij non reſurgent, ut judicent; vel quòd non reſurgent ut judicati in Concilio, id eſt, ut in collegio juſtorum quieſcant, ut advertit gloſſa ordinaria. Et ut facilè colligi poteſt ex his verbis, quæ immediatè ſequuntur *Quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter Impiorum peribit*: idcircò certum eſt quòd Impij, & peccatores, reverà reſurgent ſicut juſti, ſed non reſurgent ad gloriam, ad quam reſurgent juſti.

§. II.

Deſtruuntur Hæreticorum fundamenta.

HÆretici reſurrectionem negantes, objiciunt illud Job. cap. 14. verſ. 12. *Sic homo cum dormierit non reſurget, donec atteratur Cœlum non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo*: nulla eſt igitur, inquiunt, futura reſurrectio, cùm Cœlum numquam attereretur, & homo non conſurget de ſomno ſuu, ſeu de morte. *Prima hæreticorum ratio rejicitur.*

Reſpondeo negando conſequentiam, quia Cœli atterendi ſunt, ſi non quoad ſubſtantiam, & entitatem, ut colligitur ex illo Pſal. 31. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt*, ſaltem quoad exteriorem faciem, ut affirmat Divus Petrus 2. cap. 3. verſ. 10. & ſequentibus ubi ait: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo Cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in Sanctis converſationibus, & pietatibus; expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent*? *2. Petr. cap. 3.* Quibus conſtat quòd licet Cœlum nequeat atteri quoad ſubſtantiam, attereretur tamen quoad influentiam in hæc inferiora, quoniam in judicio non influet in rerum generationes & corruptiones, & ſic tunc erit reſurrectio noſtra juxtà prædictionem Jobi, qui ſic locutus eſt ut prædiceret tempus in quo fiet, ſcilicet dum Cœlum atteretur, id eſt, dum Cœlum Aëreum deſtruetur, aut quando Cœlum & terra tranſibunt, modo explicato, qui eſt etiam de mente Doctoris Angelici dicentis quòd Cœlum & terram tranſibunt, quoad modum duntaxat. Unde gloſſa ordinaria in illud, *Homo cum dormierit* &c. inquit *niſi finis hujus mundi advenerit humanum genus*, ſeu mortuos, *A ſomno non evigilabit*: Igitur Job non negat, ſed potius affirmat reſurrectionem.

Iterum objiciunt illud Eccleſ. cap. 3. verſ. 19. *Unus eſt interitus hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.* Sed jumenta non reſurgent poſt mortem; cùm non ſint judicanda: ergò nec homines.

Reſpondeo Salomonem aliquandò loqui pro Stultis, aliquando pro Sapientibus. Hic autem loquitur nomine Stulturum & impiorum qui beſtijs comparantur: idcircò non negat reſurrectionem hominum, nec vult ipſos in morte totaliter perire, & prorsùs corrumpi quantum ad materiam, & quantum ad formam, ſicut jumenta. *Reſponſio ad ſecundam hæreticorum rationem* Nam in ultimo capite ejuſdem libri verſ. 5. & ſequentibus ait: *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur Capparis, quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam, & revertatur pulvis in terram ſuam, undè erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Quibus probat Spiritum, ſeu animam hominis eſſe immortalem; cùm diſtinguat eam à corpore (quod terra eſt.) Et mortale nequeat redire ad Deum, qui eſt ſpiritualis & immortalis: ergo non vult jumenta, & homines habere eumdem interitum abſolutè, nec comparat ea ad homines adæquatè, ita ut velit hominem eſſe omninò corporeum, & prorsùs mortalem, ſicut jumentum. Et poſt mortem de ipſo nihil remanere, ſicut nihil remanet de jumento; ſed ſolum voluit comparare hominem ad jumenta quantum ad corruptionem, & paſſiones corporis, & hoc eſt verum, quoniam corpus hominis, & corpus jumenti, de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur; anima autem hominis redit ad Deum, qui dedit illam.

Undè gloſſa ordinaria ait: *Non hoc dicit quia animam hominis putaret perire cum corpore, vel unum locum cum hominibus, beſtiiſque præparari, ſed quia antè adventum Chriſti, omnes animæ hominum pariter deſcendent ad inferos, undè hominis, pecoriſque Spiritus ejuſdem utilitatis videbatur; & licet alter cum corpore periret, alter non, non multum intererat cum corpore perire, & ad inferos deſcendere.* Et Lyranus ibidem ait: *Objectio hæc procedit, ex errore eorum, qui negabant vitam aliam, cujuſmodi fuerunt Saducæi, qui negaverunt Spiritum, & Angelum, & reſurrectionem.* *Lyranus*

Objiciunt illud Eccleſ. verſ. 21. ejuſdem capitis: *Quis novit ſi Spiritus filiorum Adam aſcendat furſum, & ſi Spiritus jumentorum deſcendat deorſum*: Et indè inferunt quod Salomon vult, jumenta habere animam rationalem & ſpiritualem ſicut homo, vel quòd prorsùs dubitat de reſurrectione.

Reſpondeo conſequentiam eſſe falſam quoad utrumque membrum. Quantum ad primum patet ex ſuprà dictis in proprio articulo, quo aſſeritur contra Manichæos, bruta non habere animam rationalem. Quoad ſecundum patet ex gloſſa ordinaria dicente: *Quis novit, non dicit inter hominis & pecudis dignitatem nihil intereſſe, ſed per, quis, difficultatem rei demonſtrat, quis enim, non impoſſibile, ſed difficilè in Scripturis Sanctis ſæpiſſimè ſignificat*: *Salomon non dubitavit de reſurrectione mortuorum.* Igitur Salomon non dubitavit de reſurrectione, nec voluit, impoſſibile eſſe cognoſcere eam, ſed difficile, & poſt eadem gloſſa ait: *inter homines igitur & beſtias hæc differentia eſt; quod Spiritus Domini aſcendat in Cœlum, & Jumenti deſcendit in terram cum carne diſſolutus.* Lyranus verò dicit per per hæc verba *quis novit &c.* removeri primam objectionem, nimirùm hominum, & jumentorum; eſſe eumdem interitum abſolutè. Quia procedit ex carnalitate hominum vitam præſentem purè carnalem, & animalitatem tantummodo conſiderantium, in quo ſenſu certò homines, & jumenta æqualiter moriuntur: At ſi conſiderentur ſecundum vitam futuram, certum eſt, diverſum eſſe hominum, & jumentorum interitum, quia homo ibit in domum æternitatis ſuæ; jumentum verò revertetur in terram ſuam undè erat: idcircò Salomon non voluit, jumenta habere animam immortalem, nec dubitavit de hominum reſurrectione, ſed eam credidit; nam hæretici dicunt, Salomonem negaſſe reſurrectionem mortuorum, quia, inquiunt, voluit, animam eſſe mortalem ex verbis relatis: Sed hoc eſt falſum, ut patet ex dictis in proprio articulo de immortalitate animæ, & ex dictis ſuprà, quibus conſtat quòd dum dicit, unum interitum eſſe ho-

minum & jumentorum, locutus eſt in nomine impiorum, & peccatorum, ſeu enarravit ea, quæ impij dicunt; non verò in nomine Spiritûs Sancti; ideòque in locis citatis ab hæreticis, non militat contrà fidem noſtram de reſurrectione mortuorum.

Ultima Hæreticorum ratio.

Tandem dicunt quòd ſi reſurrectio eſſet expectanda, eſſet generalis, hoc eſt, omnes reſurgerent, quoniam ex Sacra Scriptura, omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei: Ideòque ſi Scriptura probaret reſurrectionem mortuorum eſſe futuram, probaret utique ipſam eſſe generalem; ſed omnes non reſurgent, ut ait Daniel cap. 12. verſ. 2. *Et multi, de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium ut videant ſemper.* Hæc verba reſtringunt reſurrectionem ad nonnullos, ut ſuadet hæc particula, *& multi de his.* Idem ait Chriſtus Joan. 6. verſ. 44. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* At omnes homines non venient ad Chriſtum: Igitur non reſurgent omnes homines, ſed aliqui tantum. Porrò hoc eſt falſum juxtà alios Sacræ Scripturæ textus: idcirco (inquiunt hæretici) falſum eſt etiam illud undè ſequitur, ſcilicet quòd omnium reſurrectio ſit futura.

Joan. 6.

D. Auguſtini reſponſio.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia particula *multi*, ſignificat idem, quod ſignificat particula, *omnes*, ut notat Divus Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 6. & 23. Hoc verum eſſe probat modus frequens in Scriptura Sacra, ut Rom. 5. *Unius delicto multi mortui ſunt*, ibi enim, *multi* idem ſignificat quod *omnes*. Quantum ad authoritatem D. Joan. dico quòd intelligenda eſt de reſurrectione Juſtorum, quibus dabitur gloria debita meritis, ut reſurgant in judicio, & ad gloriam; Sed non excludit reſurrectionem impiorum quibus dabitur pœna debita demeritis, quià omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & reſurgent, ac proindè tàm juſti, quàm impij apparebunt cum corporibus ſuis de propriis factis rationem reddituri; adducet enim Deus in judicium cuncta quæ fiunt pro omni errato, ſivè bonum, ſivè malum illud ſit, ut ait Eccleſiaſtes cap. ultimo, verſu ultimo. Et Chriſtus dicet electis, qui à dextris erunt, *Venite benedicti Patris mei*; Reprobis verò, qui à ſiniſtris erunt, *Diſcedite maledicti*: Itaque nulla eſt ratio excludendi aliquos à reſurrectione.

ARTICULUS LIII.

Propugnat adverſùs Chiliaſtas, omnes homines eſſe reſurrecturos in eodem parvo temporis momento.

Chiliaſtæ aut millenarij.

QUidam Hæretici dicti Chiliaſtæ, ſeu Millenarij (Chile enim, Græcè, idem ſonat ac Latinè mille) olim docuerunt, reſurrectionem hominum non eſſe univerſalem quantum ad tempus, ita ut omnes homines reſurgere debeant, in eadem horâ, aut die, aut anno ſimul, quoniam credebant omnes homines reſurrecturos eſſe in diverſis temporibus ab invicem longè diſſitis. Dicebant enim anno CXXX. in adventu Chriſti ad judicium reſurrecturos eſſe omnes electos, eoſque cum Chriſto in Jeruſalem per annos mille regnaturos, & voluptatibus omnibus operam daturos, deindè verò, id eſt, elapſis mille annis, reſurrecturos cæteros, id eſt, Improbos.

Cerinthus.

Primus hujus erroris author juxtà mentem Gualterij in cap. 8. fuit Cerinthus vir Hæreticus, natione Judæus (unus ſcilicet eorum, qui deſcendentes de Judæa in Jeruſalem, Circumciſionis neceſſitatem prædicabant) vir peſſimis motibus aſſuetus, qui vivebat tempore Neronis Imperatoris, & Divi Petri Apoſtoli, circà annum Domini LXIX. At Divus Hieronymus vult, Victorinum Pictabioenſem, eſſe primum hujus erroris patronum. Vel Papiam Hyerapolitanum, Joannis Senioris, ſeu Preſbyteri (& non Apoſtoli) auditorem, Sancti Polycarpi familiarem, & Coævum, quem confutavit Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, ut refert Baronius, initio anni CCLXIV. Quidquid tamen ſit de hac controverſia, verum eſt dicere, Cerinthum, Victorinum, & Papiam in hoc erraſſe.

§. I.

Probat veritatem Articuli.

HUnc errorem damnat Concilium Lateranenſe IV. Can. 1. & habetur in capite primo de Summa Trinitate, & Fide Catholica, ubi de Chriſto dicitur: *Venturus eſt in fine ſæculi judicaturus vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis, quàm electis, qui omnes cum ſuis propriis reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona, ſive mala, illi, cum Diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.*

Hæreſis proſcriptio.

Per hanc deciſionem declaratur, hæc omnia ſimùl, ſed ordinatè, eſſe facienda, id eſt electos, & reprobos, ſimul reſurrecturos eſſe, nedum in eadem hora, ſed in eodem parvo temporis momento. Sed dato, & non conceſſo, quòd intercedat aliquod temporis ſpatium inter electos, & reprobos, nequit tamen eſſe tale, quale fingunt Chiliaſtæ.

Hoc eſſe verum liquidò conſtat in Sacrâ Scriptura 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 51. & 52. ubi Paulus ait: *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur*; Loquitur autem de tempore judicij, vultque in momento temporis omnes homines tam reprobos, quàm electos, ſimul reſurrecturos eſſe ſimultate temporis, ſeu in breviſſimo, & minimo temporis ſpatio, ut monet hæc particula, *in momento, in ictu oculi*, juxtà gloſſ. interlin. verbo, *in momento.*

1. Corinth. 15.

Idem docet D. Auguſtinus, qui lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 6. ait: *Erit mortuorũ reſurrectio omnium hominum, ſed una, ſimul & ſemel, non prima juſtorum, & ſecunda peccatorum, ut fabula eſt ſomniatorum, ſed una omnium.* Sanè his verbis ille Sanctus Doctor evidentèr demonſtrat, in reſurrectione nullam poſſe admitti temporis ſucceſſionem. Ratio hujus rei eſt, quia Chriſtus ſemel pro omnibus hominibus ſimul mortuus eſt: Quapropter eos ſimul judicabit. Vel quia Eccleſia Chriſti, in qua ſunt electi, ſimul & reprobi, eſt myſticè una, ut declarat Concilium Nicœnum in Symbolo. Igitùr omnia hujus corporis membra debent ſimul reſurgere, ut ſimùl appareant coram judice, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus, & revelabit abſcondita cordium, ut mali videant bona, quæ fecerint juſti. Et ut electi videant mala, quæ fecerint reprobi, ut monent Sancti Patres univerſalis judicij finem aſſignantes. Quòd certò fieri non poſſet, niſi reprobi reſurgerent ſimùl cum electis, & electi ſimul cum reprobis.

D. Auguſtinus.

Undè Concilium Toletanum VI. cap. 1. ait: *Chriſtum venturum in fine expectamus ſæculorum cum re-*

Concilium Toletanum. *ſurrectione omnium, æquiſſimo ſuo judicio reddituros juſtis præmia, & impiis pœnas.* Indè credendum eſt, impios, & electos ſimul eſſe reſurrecturos. Et Chriſtum tunc, id eſt, in eodem momento, dicturum electis: *Venite benedicti Patris mei.* Reprobis autem, *diſcedite à me maledicti*, ut Sancit Evangelium Divi Matthæi cap 25. Quippè ex eodem Evangeliſta dum illi erunt à dextris, iſti erunt à ſiniſtris, & ideo omnes ſimul apparebunt ante tribunal Chriſti, ſeu reſurgent ſimul, ut ſimul judicentur.

Eadem veritas colligitur contrà Chiliaſtas ex eodem Evangelio 24. verſ. 36. ubi legitur quòd Chriſtus loquens de ultimo judicio, indicat quòd fiet in breviſſimo temporis ſpatio. Ibi enim ait: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum,* *Matth. 24.* *niſi ſolus Pater;* Ut indè videamus quod omnes homines reſurgent & judicabuntur in una & eadem die, aut hora ſoli Deo nota. Et cap. 25. verſ. 31. & ſequentibus, idem Evangeliſta ut ſuadeat tàm reprobos, quàm electos eſſe ſimul reſurrecturos, atque judicandos à Chriſto Domino in eodem temporis momento, inquit: *Cum venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper Sedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur antè eum omnes gentes; ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis. Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Sanè hoc fieri non poterit, niſi reprobi per hædos ſignificati, ſimùl cum electis, quos Chriſtus vocat oves, ſint reſurrecturi: Separatio enim unius ab alio, non fit niſi de præſentibus, & exiſtentibus apud eum, qui eos ſeparat: Igitùr non erit duplex reſurrectio, quarum una erit electorum, & altera reproborum, quarum una per multos annos præcedet aliam ut volunt hæretici, ſed una tantum; tunc quidem omnes homines congregabuntur antè judicem. Una erit dies judicij, aut una hora juxta oraculum Chriſti relatum, ideoque omnes reſurgent ſimul, ſeu in eodem momento, ſicut judicabuntur: Finis enim reſurrectionis eſt judicium, ut infertur ex variis Sacræ Scripturæ locis: Judiciũ autem fiet in momento: in momento pariter fiet reſurrectio, quoniam omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocém Filij Dei, inquit Divus Joannes unam reſurrectionem, per vocem illam, indicans.

Confirmatur. Symbolum Divi Athanaſij ſancit quod omnes homines ad adventum Chriſti reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. *D. Athanaſius.* Hæcque erunt in eodem momento, ut inſinuat hæc particula *tunc*, quæ denotat reprobos, & electos ſimul judicandos eſſe; cùm nullam denotet temporis ſucceſſionem, & affirmet, reprobos præſentibus electis, rationem reddituros & præmium accepturos eſſe.

His addenda eſt ratio convenientiæ. Nam ſicut per Adam omnes mortui ſunt, ità per Chriſtum omnes vivificabuntur, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 22. Sed omnes mortui ſunt ſimul in Adam, quoniam omnes ſimùl in eo peccaverunt: Igitur omnes ſimul vivificabuntur, ſeu reſurgent; nulla quidem poteſt aſſignari diverſitatis ratio ab illis, qui credunt Scripturis, quibus conſtat quòd Chriſtus venit diſſolvere opera Diaboli. Et quòd ipſe Chriſtus dicitur ſecundus Adam, qui venit pacificare omnia.

In qua autem Hora fiet reſurrectio illa, nemo ſcit, quoniam reverà eſt incerta. Sæpé enim dicitur, Chriſtum eſſe venturum media nocte, ut patet ex variis locis Sacræ Scripturæ. Probabile ta- *Hora reſurrectionis eſt incerta.* men eſt quòd reſurrectio mortuorum erit de die, & ea hora, qua Chriſtus reſurrexit, nempè diluculo. Vel in quâ fuit judicatus à Pilato, vel in qua ſpiravit in Cruce ut tenent communiter ſancti Patres. Quænam autem ex illis horis ſit certior, non conſtat in Sacra Scriptura, nec in Conciliis; cùm ab Eccleſia nihil de hoc definitum fuerit. Quantum autem ad nos eſt, exiſtimamus cum Rabano Mauro lib. 5. de Univerſo cap. 8. quòd Chriſtus eadem hora, qua reſurrexit, ad judicandum venerit, ut reſurgamus eadem hora; quâ ipſe reſurrexit. Hæc opinio non eſt improbabilis, nam ſi reſurgemus, quia Chriſtus reſurrexit; probabile eſt quòd reſurgemus illa horâ; quâ ipſe reſurrexit.

Non valet objicere illud Matth. cap. 25. *media nocte clamor factus eſt*, quod Divus Auguſtinus lib. de gratia novi, & veteris Teſtamenti, intelligit de tuba vocante cadavera ad reſurrectionem. Non *Matth. 25* valet inquam, quia hæc verba intelligenda ſunt metaphoricè, hoc eſt, quia judicium inopinantèr fiet, ut notat Divus Bonaventura. Dies enim Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet, inquit Apoſtolus 1. ad Theſſal. cap. 5. verſ. 2.

Quamvis in momento temporis, electi omnes, & reprobi ſint reſurrecturi, certum tamèn eſt, quòd electi, qui mortui ſunt, & quorum animæ vivunt in gloria, ſunt reſurrecturi priuſquam alij, qui *Ordo reſurgentium.* eo veniente reperientur vivi, non prioritate maximæ durationis, & temporis, ſeu eâ, quam admittunt Chiliaſtæ, aut Millenarij; ſed ſola prioritate ordinis, & præſuppoſitionis.

Hoc clare colligitur ex illo ad Theſſal. cap. 4. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus.* Hæc enim verba aliquam denotant prioritatem, ut conſtat ex naturali ſignificatione terminorum, quæ quidem prioritas, nequit eſſe alia, niſi ea, quæ eſt inter dexteram, & ſiniſtram. Undè Divus Ambroſius hæc verbà exponens ait: *Reſurgentibus ergò primis in Chriſto mortui ſunt, deinde nos* *Divus Ambroſius.* *qui vivimus rapiemur una cum illis obviam Chriſto in aëra.* Igitur ſi ex Apoſtolo, & interpretatione Divi Ambroſij, illi mortui, qui obviabunt Chriſto in aëra, in ipſa obviatione morientur, & poſteà reſurgent, ut præter Apoſtolum docet etiam Sanctus Auguſtinus, juxta ea, quæ dicta ſunt contra Origenem, Didiodotum Tarſenſem, & Didimum Alexandrinum, certum eſt quòd inter illos, qui tunc reperientur vivi, & illos electos qui præceſſerunt in morte judicium, aliquis erit ordo prioritatis, licet ferè momentaneus,

Idem tradit Ricardus, qui in 4. art. 5. quæſt 1. explicans locum Pauli, ait: *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, non enim mihi videtur in-* *Ricardus.* *telligendum de primitate dignitatis, ſed propter parvam moram, inter reſurrectionem illorum, & iſtorum, quandoque dicuntur tam illi, quàm iſti ſimul reſurrecturi. Quod autem parva ſit mora, patet ſecundum gloſſam ſuper illud 1. ad Corinth. cap. 15. omnes quidem reſurgemus.* Quibus conſtat inter judicandos, prioritatem aliquam eſſe futuram in reſurrectione, ſed parvam. Idque colligi poteſt ex eo quod Chriſtus alloquetur prius eos, qui à dextris erunt, quàm eos, qui erunt à ſiniſtris. Parva igitur mora erit inter utramque reſurrectionem, ſcilicèt eorum qui jam mortui ſunt, & eorum qui tunc reperientur vivi, & morientur, ut reſurgant, & poſt reſurrectionem judicentur.

§ II.

De reſponſione ad Rationem contrariam.

CHiliaſtarum ratio aſſertionem noſtram impugnans, deſumitur ex illo Apocalyp. cap. 20. verſ. 4. & ſequentibus, ubi fit mentio de duabus reſurrectionibus, ibi enim legitur: *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illi: & animas decollatorum propter teſtamonium Jeſu & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis; & vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus, & Sanctus qui habet partem in reſurrectione prima: In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis; & cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes.*

Fundamentum Chiliaſtarum.

Ex his inferunt duas reſurrectiones eſſe conſitendas, unam alia priorem mille annis; ideòque electi, & reprobi non reſurgent ſimul in eadem hora, nec in eadem die, nec in eodem menſe, nec in eodem anno; Imò nec in eodem ſæculo, ſed electi reſurgent in prima reſurrectione, quæ præcedet per mille annos ſecundam, in qua reſurgent reprobi.

Hæc ratio non valet, quoniam Chiliaſtæ authoritatem Divi Joannis malè interpretantur: Nam ut inquit D. Ambroſius illæ duæ reſurrectiones anagogicè intelligendæ ſunt, id eſt, tam pro gloria animæ, quàm pro gloria corporis electorum: Nam per animas interſectorum, & eorum, qui non adoraverunt beſtiam, intelliguntur illi, qui pro Chriſto interfecti, cum eo regnant in gloria, ad quam poſt mortem aſcenderunt; ille quidem aſcenſus eſt reſurrectio quodammodo; cùm anima Beata de corpore exeat, & in cœlum aſcendat: Hæc reſurrectio dicitur reſurrectio prima. Verùm cùm hæc beata anima in fine mundi debeat reuniri corpori, ut reſurgat homo, hæc reſurrectio dicitur ſecunda.

Vera authoritatis adductæ à Chyliaſtis explicatio.

Reprobi etiam, ſeu illi, qui adoraverunt beſtiam, quique in Infernum deſcendunt, corpore in terris relicto, moriuntur primò, & dum reſurgent cum corpore in ultimo judicio, morientur ſecundò: Ideòque duæ ſunt reſurrectiones, duæ vitæ, duæque mortes. Vivit enim anima in cœlo ſine corpore, & poſt reſurrectionem vivet in corpore. Idem dico de damnatis, qui in Sacra Scriptura mortui dicuntur, quique mortui ſunt in inferno ſine corpore, & erunt mortui poſt reſurrectionem cum corpore. Sed hæ duæ reſurrectiones non debent intelligi completæ, ita ut quidam homines, electi ſcilicet, reſurrecturi ſint in carne, aut cum corpore mille annis, antequam reſurgant reprobi; illi enim mille anni non denotant tempus inter duas reſurrectiones mortuorum ex utraque parte completas exiſtens, ſed ſolum tempus illud, quòd à Paſſione Chriſti uſque ad finem mundi extenditur, in quo Sancti cum Domino vitâ æternâ perfruuntur. Et quod per mille annos nobis repræſentatur; licet in ſeipſo majus ſit, & à ſolo Deo noſcatur, ut notat Lyranus eadem Apocalypſis verba exponens, verbo, *per mille annos*, ubi ait: *Et regnaverunt cum eo mille annis, hoc eſt, uſque ad reſurrectionem generalem.* Ex his patet quòd D. Joannes loquitur de gloria, quam habent Sancti in cœlo, & habebunt uſquè ad diem judicij: Non verò de gloria corporis, quam habebunt Sancti in die judicij, ut falſò putant Chiliaſtæ; Idcircò prima reſurrectio reſpicit gloriam animæ electæ, quæ exivit de corpore potitura gaudiis æternis, quibus de facto potitur cum Chriſto in gloria. Secunda verò reſpicit gloriam corporis quod reſurget in fine mundi, & habebit gloriam ſuam.

Lyranus.

Quantum ad expoſitionem aliorum verborum hujus authoritatis Divi Joannis in Apocalypſi, ad expoſitores ejuſdem libri, remittendus eſt Lector, ut verum ſenſum diſcat, nobis enim ſufficit referre eam expoſitionem, quæ concernit reſurrectionem mortuorum, eamque duplicare videtur contrà fidem Eccleſiæ Romanæ, quæ unicam reſurrectionem credit.

ARTICULUS LIV.

Docet contrà Eutychianos, Corpus humanum reſurrecturam eſſe viſibile, & palpabile.

EUthychius, aut Eutyches (ſecundum aliquos) celeberrimi Cœnobij Conſtantinopolitani Abbas, plures docuit errores ſub Theodoſio Juniore Imperatore, & Leone I. Summo Pontifice circà annum Domini C_CCXLIII inter quos errores, unus eſt adverſus corpora humana reſurrectura. Docebat enim quòd corpus noſtrum poſt reſurrectionis gloriam futuram, impalpabile & inviſibile erit, ſicut aër & ventus

Euthychius

Contrà hunc hæreticum (quem plures dicunt fuiſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum) docentem alium hominem mori, & alium reſurgere; mori corpus palpabile & viſibile, & reſurgere impalpabile, & inviſibile, miſſus fuit Conſtantinopolim juſſu Pelagij Papæ (tamquam Legatus Apoſtolicus) Beatus Gregorius poſteà Summus Pontifex, qui ipſum Euthychium plenè convicit coram Tiberio Conſtantino tunc Imperatore; quo facto, ſeu ipſo Euthychio convicto, ipſe Imperator librum de reſurrectione, quem ipſe Euthychius ediderat, comburi juſſit. Quare Euthychius paulo poſt, cùm in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manu ſua tenebat, multis præſentibus dicens; *Confiteor, quia omnes in hac carne reſurgemus.* Ita legitur in actibus ejuſdem Divi Gregorij Magni; Ideóque Euthychius propter hanc hæreſim non debet cenſeri hæreticus, quamvis opinio quam tenuit, quamque morti proximus deteſtatus eſt, ſit hæretica; cùm ut quis cenſeatur hæreticus, neceſſe ſit, ipſum pertinacem eſſe: Eſt tamen hæreticus propter alios errores, quos pertinaciter docuit, quoſque nos alibi impugnaturi ſumus. Ejuſdem hæreſis defenſores fuerunt Chiliaſtæ in præcedenti articulo impugnati.

§. I.

Reſolvit Articulum.

VEritas, quam hîc deffendimus contrà Euthychianos, firmatur authoritate Apoſtolorum, in quorum Symbolo iſte habetur Articulus: *Credo carnis reſurrectionem.* Idem dicitur in Concilio Lateranenſi IV de Fide, & Summa Trinitate cap. 1. in quo definitum fuit quòd reſurgent homines cum corporibus, quæ in vita habuerunt, ut videri poteſt in Articulo præcedenti, in quo referuntur ejuſdem Concilij verba.

Solemnis ex verbis condemnatio.

Concilium Lateranen-ſe.

His addo alia Concilia, in quorum Symbolis habetur, carnem eſſe reſurrecturam, ut declaravit D. Athan. in ſuo Symbolo, dicens quòd omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, quæ cùm ſint palpabilia, & viſibilia; palpabilia quoque & viſibilia erunt in reſurrectione; quoniam idem numero corpus quod fuit vivum, debet reſurgere: Reſurrectio enim eſt ejus qui cecidit; hinc eſt, quòd corpus reſurget viſibile, & palpabile, quia viſibile, & palpabile cecidit. Idque clariùs exprimitur in Concilio Toletano XI. celebrato anno DCLXXV. ſub Adeodato Papâ, ubi in capite de Confeſſione Fidei legitur: *Confitemur vera fide reſurrectionem omnium mortuorum, nec in aëra, vel alia qualibet carne, ut quidam delirant, reſurrecturos nos credimus, ſed in iſta qua vivimus, conſiſtimus, & movemur.*

Toletanum II.

Euthychius nequit fortiùs impugnari, quàm authoritate, quâ contrà eum uſus eſt Divus Gregorius, nimirum verbis Jobi cap. 19. verſ. 25. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Ubi gloſſa interlin. verbo, *carne mea*, addit, *non in aëreo, vel alio corpore, ſed in eadem carne.* Quod evidenter probat, corpus reſurrecturum eſſe idem, nedum ſecundum partes primarias, & eſſentiales corporis, ſed etiam quantùm ad ea, quæ ſequuntur quantitatem, ſeu palpabile, & viſibile, quoniam ſi non eſſet palpabile, & viſibile, non eſſet idem corpus, cùm non haberet eamdem differentiam eſſentialem, quam corpus humanum accipit à quantitate, nec haberet modum naturalem, qui debetur illi. Quòd eſt falſum.

Poſt reſurrectionem corpora erunt viſibilia.

Undè gloſſa ordinaria, verbo, *Quem viſurus ſum ego*, ait: *Caro noſtra poſt reſurrectionem, eadem erit, & diverſa, eadem per naturam, diverſa per gloriam.* Et verbo, *ego ipſe*, ait: *Non enim alius moritur, alius reſurgit, ſed idem ipſe.* Ex quo ſequiturquòd ſicut corpus dum vivit, & moritur, eſt palpabile; & viſibile, viſibile etiam & palpabile erit poſt reſurrectionem; nam Job aſſerit ſe in eadem carne reſurrecturum, quia ille ipſe reſurgere debet, qui obiit, hoc eſt, corpus quod obiit palpabile, palpabile reſurget, ut tradit Clemens Romanus lib. 7. Apoſt. cap. 6. ubi habetur: *Ipſe enim nos excitabit à mortuis Deus omnipotens, excitabit, inquam, nos cum omnibus cæteris, quicumque in primordio ſæculi mortui ſunt, tales, quales modo ſumus.*

Clemens Romanus.

Argumentum hujus rei eſt. Quia omnis forma debet eſſe in propria materia: In reſurrectione autem hominis erit eadem forma, ſeu anima, acproindè ipſa erit in ſua materia, ſeu in ſuo corpore organico, materiali, extenſo, quanto, palpabili, & viſibili: Erit enim reſurrectio ejuſdem corporis ad pœnam, vel ad præmium, ut ſicuti corpora in merito, vel demerito cooperata ſunt; ità ad præmium, vel ad pœnam evocentur, ut monent Sanctus Cyprianus in Serm. de reſurrectione Chriſti. Et Divus Dionyſius cap. 7. de Eccleſiaſtica Hierarchia parte prima.

Chriſtus Dominus Luc. 24. docet eamdem veritatem Apoſtolos dubitantes an ipſemet eſſet, an phantaſma dum eis apparuit. Ibi enim verſ. 35. & ſequentibus de Apoſtolis dicitur; *Conturbati vero, & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre, & dixit eis, quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Hæc enim demonſtrant corpora noſtra palpabilia reſurrectura eſſe, quoniam reſurrectio Chriſti, eſt cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis; acproindè corpora noſtra reſurgent in ſuo eſſe corporeo, & ſenſibili, eruntque ſubſtantialiter talia, qualia erant ante mortem, cùm idem homo reſurget, qui & moritur, ut ſuadent illa verba Divi Iſydori Hyſpalenſis Eccleſiæ Sydus & Decus, de offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 23. *Eodem ordine, eademque formâ quâ ipſe Dominus reſurrexit à mortuis, nos quoque reſurrecturos credamus in eodem corpore in quo ſumus, vel vivimus, non naturam, vel ſexum mutantes, ſed tantum fragilitatem, vel vitia deponentes.* Hæc verba oſtendunt quòd corpus reſurget ſecundum ſuam naturam, ſuaſque proprietates naturales: Igitur in reſurrectione quilibet homo habebit corpus palpabile, & viſibile, ſicut Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, habuit. Et reſurget idem in numero, & qualitatibus.

Corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuit viſibile.

D. Iſydorus.

Hæc veritas confirmatur ex Joan. 11. verſ. 23. ubi Chriſtus dixit Marthæ de Lazaro ejus Fratre tunc mortuo: *& quatriduano reſurget frater tuus.* Nam ſi corpus reſurgentis eſſet aëreum, impalpabile, & vento ſubtilius, ut arbitrati ſunt Millenarij; tunc Lazarus, qui reſurrexit, non fuiſſet frater Marthæ; quoniam tunc non habuiſſet corpus illud, per quod inter Lazarum & Martham juncta erat cognatio; quia impoſſibile eſt, Lazarum ſuſcitatum, eſſe fratrem Marthæ, ſi Lazarus ſuſcitatus, non fuiſſet Lazarus mortuus, ut aſſerere videtur Divus Gregorius Magnus in lib. 14. Moral. in cap. 30. Job. cap. 33. ubi ait: *Si poſt reſurrectionem, corpus palpabile non erit, profectò alius ſurgit quam moritur, quod dictu nefas eſt credere, quia ego morior, & alius reſurget:* Ex quo infertur quòd quidlibet homo reſurget idem numero, etiam ratione corporis.

Joán. 11.

D. Gregorius:

Idem docent communitèr alij Sancti Patres, & præcipuè Sanctus Thomas in 4 Sentent. & in Compendio Theologiæ cap. 13. ubi ait: *Reſumet anima corpus humanum ex carnibus, & oſſibus compoſitum, corpus organicum iiſdem organis quibus nunc conſiſtit.* Tandem anima in reſurrectione habebit corpus, quod naturaliter appetit, aut quod in morte dimiſerat; quod ſanè eſt viſibile & palpabile.

§. II.

Deſtruitur Hæreticorum Fundamentum.

FUndamentum Chiliaſtarum eſt, quia ex variis locis Scripturæ, corpus quod reſurget, dicitur ſpirituale, & præſertim ex illo 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 44. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Inde enim inferunt, corpus eſſe reſurrecturum ſine materia, & ſine forma corporeitatis, acproindè immateriale, inviſibile, & impalpabile; cùm ut aliquid ab oculo videri, & manibus palpari poſſit, debeat eſſe materiale.

Prima Chiliaſtarum ratio.

Hæc ratio non valet, nam ex verbis Apoſtoli, nec ex aliis ſimilibus Sacræ Scripturæ locis, in quibus corpus dicitur in reſurrectione ſpirituale, licet inferre, ipſum corpus humanum in reſurrectione convertendum eſſe in ſpiritum, ſeu ſpiritualem ſubſtantiam; ſed ſolum quod tunc non indigebit cibo, nec alimentis pro vita conſervanda, quoniam à ſolo ſpiritu, nempe anima vivificabitur, ut notat Divus Ambroſius eumdem textum Pauli ſic explicans: *Animale corpus, eſt dum cibis ſuſtentatur ut vivat; ſpirituale autem cum horum nihil indigebit, converſum in vitam.*

Reſponſio ad Hæreticos.

Idem docet Divus Auguſtinus lib. 6. Geneſ. ad litteram cap. 24. dicens *Renovabitur non in corpus animale, in quo fuit Adam, ſed in melius, id eſt in corpus ſpiritale, ubi eſcâ, quæ corrumpitur, non egebimus.*

Tunc enim Deus nova faciet omnia, ut inquit Divus Joannes in Apocalyp. de Juſtorum reſurrectione loquens cap. 21. verſ. 5. Idcircò, poſt reſurrectionem erit diverſus vivendi modus, qui alimentorum neceſſitudinem removebit à corporibus noſtris.

Hoc iterum confirmat idem Sanctus Auguſtinus lib. 12. cap. 7. ubi luculentiùs exponit modum, quo corpus erit ſpirituale in reſurrectione his verbis:

D. Auguſtinus.

Spirituale autem pluribus modis dicitur, nam & corpus quod futurum eſt in reſurrectione Sanctorum, ſpirituale appellat Apoſtolus, eo quod miris modis ad omnem facilitatem & incorruptionem ſpiritui ſubdatur, & ſine ulla indigentia corporalium alimentorum ſolo ſpiritu vivificatur, non quod incorpoream ſubſtantiam ſit habituram. Et in Enchirid. cap 91. addit: *Propter quod corpora ſpiritualia dicta ſunt, cum procul dubio corpora ſint futura, non ſpiritus, ſed ſicut nunc corpus animale dicitur, quòd tamen corpus non eſt anima, ita tunc ſpirituale corpus erit, corpus tamen non ſpiritus erit.* Dicendum eſt igitur contrà Chiliaſtas, aut Millenarios quòd poſt reſurrectionem, corpora noſtra non erunt ſpiritualia, ſed materialia, palpabilia, & viſibilia.

Vel reſpondetur objectioni alio modo, ſcilicèt quòd corpus dicetur ſpirituale, quia tunc ſpiritui totalitèr ſubdetur, & caro non pugnabit adverſus ſpiritum, nec ſpiritus adverſus carnem. Quapropter ratione uniformitatis horum duorum, caro denominationem deſumet à parte digniore, videlicèt à ſpiritu, & ſpiritualis dicetur, ut probat idem Sanctus Doctor loco citato, ubi inquit: *Sed ideò ait Apoſtolus ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale, quoniam tanta erit tunc concordia carnis, & ſpiritus, vivificante ſpiritu ſine ſubſtentaculi alicujus indigentia ſubdita carne, ut nihil nobis repugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem, ita nec intus nos ipſos patiamur inimicos.*

Altera reſponſio.

Et in lib. 2. de Civit. Dei, cap. 21, *Erit ergo ſpiritui ſubdita caro ſpiritalis, ſed tamen caro non ſpiritus, ſicut carni ſubdaus fuit ſpiritus ipſe carnalis, ſed tamen ſpiritus non caro.* Ergò ex Apoſtolo non ſequitur, corpus reſurrecturum eſſe ſpirituale, aut non carnale, ſed palpabile, & viſibile, ſeu idem quod erat ante mortem. Oportet enim nos manifeſtari antè Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſivè malum, ut ait Paulus 1. ad Corinth. viſibiles igitur erimus.

Afferunt inſuper rationem, nam (inquiunt) generatio & reſurrectio ſunt operationes eſſentialitèr diverſæ, ut eſt ex ſe manifeſtum, & diverſos habent effectus, qui de uno, & eodem verificari non

Alia hæreticorum objectio.

poſſunt; Idcircò aliud eſt corpus quod generatur, aliud quod reſurgit, cum generatio, & reſurrectio diverſos reſpiciant terminos Atqui corpus genitum eſt palpabile & viſibile: Ergò corpus ſuſcitatum eſt impalpabile, & inviſibile.

Reſpondeo antecedens eſſe verum in operationibus naturalibus, naturaliterque diverſis, quæ habét ſuos effectus finitos, & diverſos non ſubordinatos juxtà finitatem potentiæ agentis, ut notat Divus Bonaventura Doctor Seraphicus; Sed falſum ſi poten-

Reſponſio D. Bonaventuræ.

tia ſit infinita, & non ſpecificetur, nec exhauriatur per terminum, & in ſecunda actione tendat ad reſtituendum quod primò productum, fuerat deſtructum; Hæc quidem potentia, quæ deſtruxit corpus, poteſt illud idem numero producere, ut patet in Chriſto, qui poſt reſurrectionem ſuam fuit idem numero Chriſtus, & homo: Idcircò corpus palpabile & viſibile quod morte deſtructum fuit, poteſt, nitente divinâ virtute, refici idem numero, ſeu palpabile, & viſibile. Reſurrectio enim eſt ejus quod cecidit, & diſſolutum eſt; ità tradit Divus Chryſoſtomus Homil. 1. de reſurrect. ut ſuadeat, generationem, & reſurrectionem habere eumdem terminum, quamvis ex parte agentis ſint duæ actiones diverſæ, ſicut actiones generativa, & corruptiva, quæ quamvis diverſæ ſint, nihilominus eumdem terminum reſpiciunt. Ille qui genitus fuit; ipſe eſt qui corrumpitur; & ideo reſurrectio habebit eumdem terminum, quem habuit generatio. Et homo dicetur idem numero in via, & in reſurrectione.

D. Chryſoſtomus.

ARTICULUS LV.

Oſtendit contrà Origenem, fœminas reſurrecturas eſſe in proprio Sexu.

Divus Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 17. teſtatur plures hæreticos docuiſſe, omnes homines, ſeu mares, ſeu fœminas, in ſexu virili reſurrecturos, nullumque eſſe poſt reſurrectionem, futurum fœmineum ſexum. Sed horum Hæreticorum nomen tacet: Nihilominus Guido Carmelita, Alphonſus à Caſtro, Prateolus, & alij hunc errorem tribuunt primò Armenis, de quibus alibi locuti ſumus. Et volunt, ipſos Armenos eſſe hujus erroris Authores. Sed ab hac opinione lubens recedo, quoniam ſunt Divo Auguſtino poſteriores. Nam Armeni viguerunt circà annum Domini DCXL. ſub Conſtantino III. & Theodoro Romanorum Pontifice; Divus Auguſtinus autem, qui eumdem errorem refert, floruit in fine IV. ſæculi, & in principio V. Etenim felicitèr migravit in cœlum anno Chriſti CCCCXXX ætatis vero ſuæ LXXVI. Igitur primi hujus hæreſis authores non ſunt Armeni, ſed potius Origenes Eccleſiæ Alexandrinæ Doctor, & Clementis Contextoris Succeſſor, qui tempore præceſſit Sanctum Auguſtinum; nam Baronius Tom. III. inter errores Origenis numerat iſtum, videlicèt in reſurrectione non eſſe futuram ſexûs diſtinctionem; licet plures ſint Scriptores, qui eum excuſant.

Armeni nõ ſunt hujus hæreſis authores.

Origenes.

Fraſſenius inter errores Almarici reponit iſtum de unitate Sexûs in reſurrectione futura. Cornelius à Lapide in cap. 4 ad Epheſ eumdem errorem tribuit Scoto Doctori Subtili quæſt. 2. ſed falſò, quia textus ille, non eſt Scoti ut patet in omnibus exemplaribus textûs ipſius, ut advertunt omnes Scotiſtæ.

Almaricus.

§. I.

Probat quod in judicio, nulla erit Sexûs confuſio.

Circà hanc hæreſim nullum adinveni Concilium expreſſum & formale, ideòque ſufficit pro authoritate Eccleſiæ reſurrectionem uniuſcujuſque hominis in proprio ſexu futuram credentis, dicere cum Alphonſo à Caſtro, verbo, *Reſurrectio*, hæreſi V. in fine: *Inter Eccleſiaſtica Dogmata unum de hac re Septuageſimo loco habetur, quod tale eſt. In reſurrectione ex mortuis ſexûs forma non mutabitur, ſed vir mortuus reſurget in forma viri, & fœmina in forma fœminæ.* Idem decrevit Gelaſius Papa in Epiſtola contra Pelagianam hæreſim, ubi expreſſè ait: *Reſurgere debent omnes in proprio ſexu, id eſt, mares in maſculino, & fœmina in fœmineo.* Ita teſtatur Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea, in Epitom. Canonum, verbo *Reſurgere*. His addi poteſt illud Innocentij III. in Concilio generali quod habetur in cap. 1. de Summa Trinit. *Omnes cum ſuis proprìis reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant.* Ex quo infertur omnes fideles teneri credere, quòd unuſquiſque reſurget in proprio ſexu, cùm reſurget in proprio corpore.

Deciſio Eccleſiæ.

Matth. 22. *D. Chryſoſtomus.* *Euthymius*

Quemlibet hominem reſurgere in proprio ſexu; facilè colligitur ex illo Matth. 22. verſ. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo.* Ex hac enim reſponſione Chriſti ad Saducæos, Divus Auguſtinus loco citato concludit: *Erunt ergò quæ vel nubere hîc ſolent, vel ducere uxores, ſed ibi*, id eſt in reſurrectione, *hoc non facient.* Hoc probat, evidenterque demonſtrat, quòd in reſurrectione erunt mares & fœminæ ſine potentia nubendi. Eadem verba paritèr exponunt Divus Chryſoſtomus Homil. 71. in Matth. Et Clarius Euthymius qui cap. 53. ait: *neque viri matrimonium contrahent, neque mulieres nuptui tradentur.* Igitur Chriſtus per hanc reſponſionem ſignificare voluit, mulierem reſurrecturam eſſe in ultimo judicio in proprio ſexu: Nam ſi nulla eſſet poſt reſurrectionem, futura mulier, faciliùs Saducæorum errorem deſtruxiſſet, dicendo non eſſe futurum muliebrem ſexum poſt reſurrectionem, ſi de facto talis eſſe deberet; nam cum hic loquendi modus eſſet aptiſſimus ad docendum, & convincendum, Chriſtus ipſo uſus fuiſſet contra Saducæos negantes reſurrectionem, & querentes cujus viri eſſet illa mulier, quæ ſeptem fratribus nupſerat; at non dicit hoc, nimirùm in reſurrectione nullam eſſe futuram mulieré. Sed dixit ſolùm, *in reſurrectione non nubent, neque nubentur.* Idcircò non negavit Sexûs varietatem, imò innuit illam, cùm dicat, *non nubent*, quod convenit fœminis, *neque nubentur*, quod convenit viris, ſed negavit nuptias poſt reſurrectionem futuras, non ratione uniformitatis ſexus, ut volunt Hæretici, ſed ratione ſtatûs, qui non permittet nuptias, nec indigebit propagatione.

Fœmina reſurgens in proprio ſexu.

Eamdem veritatem docuit Chriſtus Matth. 12. verſ. 42. ubi ait: *Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam.* Indè enim conſtat quòd hæc Regina, quæ veré eſt fæmina, erit in judicio in proprio ſexu, ſeu fœminæo, ut clarius, & expreſſiùs declaratur Luc. 11. verſ. 31. his verbis: *Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos.* Per hæc quidem verba evidentiùs conſtat, Reginam Auſtri remanſuram eſſe in proprio ſexu: Etenim, *ſurget cum viris.* Ideòque ipſa non erit vir, quià hæc particula, *cum*, hìc, eſt disjunctiva ſexuum, *& condemnabit illos.* ſeu viros cum quibus ſurget in judicio, ex quo ſequitur, quòd tunc ipſa Regina non erit vir, ſed mulier, & remanebit mulier, quæ viros cum quibus ſurget in judicio, condemnabit, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.

Diſtinctio ſexuum non eſt de genere vitij.

His authoritatibus addenda eſt ratio naturalis, & philoſophica, quam contra eoſdem Hæreticos adducunt omnes articuli noſtri veritatem tuentes. Diſtinctio ſexuum non pertinet ad vitium, ut in ultimo judicio etiam in prædeſtinatis deſtrui debeat, ſed ad naturam humanam; cùm tàm fœmina, quàm vir ſint Dei creatora, & ex viri coſta accepta fuerit fœmina, ſicut ex Chriſti latere erat formanda Eccleſia: ut dictum eſt in tertio articulo hujus Libri contra Thomam de Vio, ſeu Cajetanum: Igitur cùm uterque ſexus fuerit inſtrumentum virtutis & virij. Et ſexus fœminæus non ſit ex ſe vitium, nec culpa, expedit ut uterque ſexus præmietur, vel puniatur, præcipuè cùm ſexus ſpectet ad integritatem organicam naturæ humanæ

D. Athanaſius.

Idem docet Divus Auguſtinus in lib. 22. de Civit. Dei, cap. 17. ubi ait: *Qui utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet.* Et Divus Athanaſius in Symb. *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.* Corpus autem proprium fœminæ in nomine hominis contentæ & expreſſæ, non eſt virile, ſed fœminæum; Idcircò in eodem corpore reddituræ eſt fœmina, rationem. Nam ut notat Divus Hieronymus Epiſt. 6. ad Pammac. cap. 10. Si Joannes, ſi Maria, &c. debent tunc reddere de factis propriis rationem, neceſſè eſt qoòd Joannes reſurgat; quòd Maria reſurgat cum corpore, nedùm in numero; ſed etiam in ſexu diverſo à corpore Joannis; cùm in vita, hæc duo corpora fuerint eadem diſtinctione diverſa, & ideò Joannes apparebit ut vir; & Maria ut fœmina.

D. Hyeronymus. *D. Iſydorus*

Unde Divus Iſydorus Hiſpalenſis de offic. Eccl. lib. 2. c. 25. ait: *Eam ſpem habemus reſurrectionis, ut eodem ordine, & ea forma, qua & ipſe Dominus à mortuis, & nos reſurrecturos credamus in eodem corpore, in quo ſumus, vel vivimus: non naturam, vel ſexum mutantes; ſed tantum fragilitatem, vel vitia deponentes.* Conditio autem mulieris, ſeu ſexus, non eſt vitium, ut jam dixi: Etenim Eva creata eſt in ſexu fœminæo, & in ipſo permanebat in Paradiſo voluptatis: Et abſque mutatione antè peccatum, de eodem erat transferenda in cœlum, ſi non peccaſſet. Tum quia peccatum eſt cauſa mortis, ut ait D Paulus, & ut probatum eſt ſuprà Articulo V. contrà Pelagianos: Mors autem eſt cauſa corruptionis humanæ carnis. Tum quia ſtatus innocentiæ non excludebat, ut dictum eſt ſupra Articulo IV. contra Almaricum, illam diverſitatem ſexuum, quæ certò per peccatum minimè introducta fuit, ſed propter generationem, ut docet illud Geneſ. 1. verſ. 29. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Ergò non eſt deponendus ſexus in die judicij. Et credendum eſt quòd in reſurrectione, & in gloria talis apparebit homo, qualis creatus eſt ſivé vir, ſivè fœmina, ſeu quòd quælibet pars, aut quodlibet individuum naturæ humanæ reſurget: quippè cùm Deus creaverit eos, ſeu maſculum & fœminam, ſic ſuſcitabit eos, ſcilicèt maſculum ut maſculum, & fœminam ut fœminam.

Geneſ. 1.

§. II.

Reſpondet Objectionibus Armenorum.

Ratio Armenorum.

Armenorum ratio deſumitur ex illo Apoſtoli ad Epheſ. 4. verſ. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis, plenitudinis Chriſti.* Inde enim arguunt, omnes, & ſingulos homines eſſe in virili ſexu reſurrecturos, quoniam Apoſtolus ait, omnes nos occurſuros eſſe in virum perfectum, ſeu in maſculum.

Explicatur textus ab Armeniis relatus.

Non nocet hæc authoritas, nam ut notat gloſſa interl. verbo *virum*, Apoſtolus non eſt intelligendus de ſexus differentia, ſed de perfectione virtutis; quæ magis in viro, ſeu in maſculino, quàm in fœminæo ſexu conſiſtit; quia vir eſt nobilior, & perfectior portio naturæ humanæ, quàm fœmina; quæ ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. verſ. 9. creata eſt propter virum; ideo dicit: *In virum perfectum*, ratione ætatis & perfectionis ſexûs maſculini tantum; quia omnes reſurgent in ea ætate, in qua Chriſtus Dominus mortuus eſt. Vel *in virum perfectum*, ut caput, & membra, id eſt, ut Chriſtus, & nos homines, omnes ſimus unus perfectus vir, cui nihil deſit.

Vel dico cum Lyrano noſtro, quòd ly *in virum*, refertur ad Chriſtum, undè inquit idem Doctor, Apoſtolus eſt ſic intelligendus in illo loco, ac ſi dixiſſet: *Donec occurramus omnes Chriſto venienti ad judicium, qui eſt vir omnino perfectus.* In ipſo enim habitat plenitudo Divinitatis corporaliter. Et continentur omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ut inquit Apoſtolus. Eamdem explicationem priùs dederat D. Ambroſius in cap. 20. Apocalyp. ubi

humanæ, ſed ſolùm comparativè ad virum, ſeu maſculum, qui non donis eſſentialibus, & intrinſecis, ſed ratione ſexus eſt perfectior fœminâ. Quia natura principalius intendit virum, quàm fœminam, & quælibet pars minus perfecta naturaliter appetit eſſe perfectiorem. Nec per hoc fœmina poteſt dici ſimpliciter imperfecta. ſed ſolùm minus perfecta, quàm vir. Quapropter Paulus loco citato verſ. 9. ait: *Non eſt creatus vir proptèr mulierem, ſed mulier proptèr virum*, quin tamen poſſit dici ſimpliciter imperfecta; cùm nihil ei deficiat ad perfectionem ſui ſtatus neceſſarium imò potiùs ſimpliciter perfecta eſt dicenda, quoniam melius eſt fœminæ eſſe fœminam, quàm oppoſitum. Verbi gratia Cælibatus eſt perfectior ſtatu conjugali ot ait Tridentinum, tamen ſtatus conjugalis non eſt imperfectus ex ſe.

Tandem objiciunt adverſus Articulum noſtrum hæc verba Divi Baſilij magni in Pſal. 114. *In reſurrectione nec mas, nec fœmina erit, ſed una quadam omnibus, ac uniformis vita ratio his quæ ſuo complacent Domino.* Indè enim nonnulli Armenis adhærentes, concludunt, in reſurrectione futuram eſſe unam omnibus rationem, acproindè omnes & ſingulos homines reſurrecturos eſſe in eodem ſtatu, eodemque ſexu, qui profectò erit virilis, quoniam fœmineo dignior eſt, & perfectiur, ut probat ad præcedentem objectionem reſponſio, ſaltem in ſenſu comparativo.

Ultima hæreticorum obj. Sio.

Reſpondeu Divum Baſilium ibi non loqui de ratione aut identitate ſexûs, ità ut velit in reſurrectiune omnes homines, aut naturæ humanæ individua eſſe ejuſdem ſexus; alioquin nullus eſſet in reſurrectione ſexus, ut ſuadet hæc particula, *Nec mas, nec fœmina erit*, quæ ſexum excludit utrumqoe; ſed ſolum de officijs maris & fœminæ, tunc enim erit unum exercitium in omnibus & ſingulis prædeſtinatis, quod erit videre Deum, amare Deum, & frui Deo, ut teſtantur omnes Sancti Patres, & præſertim Divus Auguſtinus in pluribus locis. Hocque confirmatur ex verbis Chriſti, qui tunc dicet electis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi*; Quod quidem regnum non eſt eſca, nec potus, ſed Deus, qui intellectu, & voluntate, per lumen gloriæ, & charitatem percipitur à beatis in gloria: Nulla igitur eſt ratio affirmans omnes homines reſurrecturos eſſe in ſexu virili.

Solutio objectionis hæreticæ.

Hanc ipſam veritatem infert Gelaſius Papa exponens hæc verba 1. Corinth. cap. 15. verſ. 35. *Sed dicet aliquis. Quomodo reſurgunt mortui? qualivè corpore venient? inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuique ſeminum proprium corpus.* Etenim ex his verbis ille Summ. Pontifex multa docet de ſexuum diverſitate reſurgenda, inter quæ eſt diverſitas propria, ſeu ea, quæ virum à fœmina diſtinguit, quoniam eloquenter ait: *Si verò proprium corpus reſuſcitatus quiſque ſuſcipiet, indubitantèr conſequens, ut unicuique ſexui corpus proprium reformetur, quia ſicut dictum eſt, & unicuique ſemini proprium corpus reſtituetur attributum, per quæ utique ſemina in utroque ſexu omne genus humanum deſignatum eſt, ſequitur ut omne genus humanum quod in utroque ſexu iſtis eſt ſeminibus deſignatum, proprium ſit corpus &c.*

Gelaſius Papa.

Quemlibet hominem in ſuo ſexu reſurrecturum eſſe conſtat ex Apoſtolo, qui aſſignatis diverſitatibus carnis hominum à carne pecorum, volucrum; piſcium, & corporum terreſtrium, à corporibus cæleſtibus, ait in verſu 42. *Sic & in reſurrectione mortuorum*, ut indè concludamus quòd in reſurrectione, corpora in proprio ſexu remanebunt. Et in verſ. ejuſdem cap. 50. *Hoc autem dico fratres quia caro & Sanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*, ut diſcamus, nullam eſſe neceſſitatem mutandi beatorum corpora de ſexu in ſexum. Quoniam præcipuum hujus rationis motivum, eſt poſſidere Deum, nullamque eſſe neceſſitatem mutandi corpora damnatorum, quia præcipuum iſtorum reſurrectionis motivum, aut finis, eſt detinere damnatos in ſuppliciis æternis, ſeu in pœna ſenſus. Et eos excludere à poſſeſſione ejuſdem regni, quod non reſpicit carnem & Sanguinem, ſed animam rationalem, quæ per intellectum & voluntatem poſſidet illud, & Deo ſimilis efficitur, ut teſtatur Sacra Scriptura variis in locis. Tandem non raro contingit quòd perſona unius ſexûs det alicui alterius ſexus occaſionem peccandi: neceſſe eſt igitur, ut unuſquiſque reſurgat, & judicetur in proprio ſexu.

Nulla eſt neceſſitas mutandi beatorum corpora.

ARTICULUS LVI.

Probat adverſus Origeniſtas corpora humana reſurrectura eſſe immortalia, & incorruptibilia.

JUxtà Theophilum Alexandrinum Epiſcopum lib. 2. Paſchalis ſui à Divo Hieronymo è Græco in latinum ſermonem verſo & alij authores antiqui fide digni; Origenes patriâ Alexandrinus, Sancti Leonidis martyris Filius, Clementis Alexandrini Diſcipulus fideliſſimos (ſaltem in his quæ de Deo, & moribus bene ſcripſit) docuit circà annum Dominî CCVII. Plures errores, quorum unus tenet, quòd corpora humana poſt reſurrectionem, erunt iterum mortalia, & corruptibilia, tam ab intrinſecò, quàm ab extrinſeco, ſicut erant antè reſorrectionem: voluit enim poſt illam reſurrectionem multis tranſactis ſæculis eadem corpora in nihilum eſſe redigenda. Ita de ipſo Origene poſt Theophilum, ſentiunt Alphonſus à caſtro, Prateolus, & alij recentiores, qui hæreſum, atque hæreticorum Catalogum ediderunt.

Origenes.

Contrà hunc Origenis errorem pronunciatum fuit in Concilio Toletano VI. non pronunciali, ut autumant nonnulli, ſed nationali, celebrato anno DCXXXVIII. ſub Honorio Papa I. cum LII. Epiſcopis. In hoc quidem Concilio cap 1. definitum fuit corpus fore incorruptibile poſt reſurrectionem, ſeu in æternum duraturum, ut in æternum perfruatur præmio, vel puniatur pœna, ut ex Evangelio colligitur. Idem habetur in lib. 4. conſtitut. Apoſt. cap. 6. ubi expreſsè declaratur quòd poſt reſurrectionem, homo ſemper vivet, nec aliàs umquàm morietur. Et Gelaſius Papa in Epiſtola contrà hæreſim Pelagianam, ut hanc ipſam corporis immortalitatem ſanciat, inquit: *Hominis reſurrectio erit cum corpore immortali jam reddito.* Ut legitur in Epitom. Canonum Eminentiſſimi Cardinalis noſtri Laurea verbo, *reſurgere.*

Concilium Toletanum

Lib. conſtitutionum Apoſtolicorum.

Gelaſius Papa.

§. Unicus.

Tuetur articuli veritatem authoritate Sacræ Scripturæ.

Corporis immortalitatem poſt reſurrectionem futuram apertè docet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 51. & ſequentibus, ubi ait: *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur; in momento in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur; oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Nam Apoſtolus in hoc capite proponit ſimilitudinem de grano ſeminis mortificati, quod tandem, cùm in terra mortuum fuerit Joan. 12. verſ. 24. vivificatur, vultque quòd mortui in reſurrectione ità vivificentur, ut ſint incorrupti, & immortales, ut ex morte à qua reſurgent, tranſeant ad vitam interminabilem, ſicut ex propriis Apoſtoli terminis conſtat.

Joan. 12.

Huic authoritati adjungenda eſt gloſſa interlin. communiter recepta, quæ mentem Apoſtoli manifeſtè demonſtrat: his verbis, *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem, ut jam ultrà non moriatur, aut diſſolvatur.* Hæc ſiquidem verba probant, mortem non eſſe timendam poſt reſurrectionem, quoniam per *hoc*, ſignificatur quòd corpus humanum in morte corruptum, in reſurrectione accipiet (Deo ſic ordinante) integram incorruptibilitatem, nec non veram, & realem immortalitatem, ac proindè Idem Apoſtolus vult quòd idem corpus reſurgat immortale. Quapropter ſtatim addit: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui Scriptus eſt, abſorpta eſt mors, in victoria.* Hoc tamen falſum eſſet ſi reſurgentibus mors iterùm dominaretur, quia mors non eſſet perfectè devicta, neque abſorpta in victoria: Igitur corpora reſurgent immortalia & incorruptibilia, ut notat Divus Ambroſius orat. de fide reſurrect. ubi ait: *Flos reſurrectionis immortalitas eſt.* Undè idem Apoſtolus ſuprà ſcilicèt verſ. 42. habet: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.*

Corpora poſt reſurrectionem erunt immortalia.

D. Auguſtinus.

Ex his evidenter colligitur, corpus, quod generatur in vera corruptione, eſſe reſurrecturum in incorruptione, & fore immortale: *reſurgent igitur,* inquit Divus Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. ult. *Sanctorum corpora ſine ullo vitio, ſine ulla deformitate, ſicut ſine ulla corruptione.* Idem advertit Tertullianus, cap. 36. de reſurrectione, ubi dictum Pauli, *oportet corruptibile hoc*, ſic explicat, *non nupturi, quia nec morituri, ſed tranſituri in ſtatum Angelicum per indumentum illud incorruptibilitatis per ſubſtantiæ reſuſcitatæ tamen demutationem.* Sanè hæc authoritas ſtat pro immortalitate & Incorruptibilitate corporum poſt reſurrectionem, quæ cùm datura ſit vitam, reſurgentibus mors ultrà non dominabitur: ſtatutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium, ex quo infertur quod poſt reſurrectionem, & judicium nullus morietur, ut patebit attentè conſideranti hæc verba Apoſtoli ad Hebr. 9. verſ. 27.

Eadem veritas evidentiùs colligitur ex alia authoritate Apoſtoli, quæ eſt in Epiſt. ad Rom. cap 6. verſ. 9. *Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Nam ſi Chriſtus poſt reſurrectionem, amplius non moritur, nec noſtra corpora erunt mortalia poſt reſurrectionem. Hinc eſt quòd 2. ad Tim. 1. verſ. 10. ait: *Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium.* Hujus paritatis argumentum eſt, quoniam illa reſurrectio Chriſti, exemplum fuit, aut ſignum quoddam futuræ in nobis reſurrectionis, ut inſinuat D. Iſydorus Hyſpalenſis de offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 23. dicens: *Eodem ordine, eademque formâ, qua ipſe Dominus ſurrexit a mortuis, nos quoque reſurrecturos credamus in eodem corpore, in quo ſumus, vel vivimus, non naturam, vel ſexum mutantes, ſed tantum fragilitatem, vel vitia deponentes.* Idem ſanciunt plures alij Sancti Patres validiſſimis rationibus probantes quòd reſurgemus immortales, ſicut Chriſtus immortalis ſurrexit. Et quòd mors ultrà non dominabitur nobis, ſicut non dominabitur Chriſto, qui moriendo mortem deſtruxit, juxtà illud Oſée cap. 13. verſ. 14. *Ero mors tua ò mors.* Et reſurgendo vitam noſtram reparavit. Hinc eſt quòd Divus Athanaſius in vita Sancti Antonij Abbatis ait: *Confide in Domino, quia neceſſario reſurrectionis tempore hoc corpuſculum reſurget incorruptum;* Ratio ejus eſt, quia Corpus Chriſti immortale fuit poſt reſurrectionem, quemadmodum enim reſurgemus, quia ipſe reſurrexit, ita & reſurgemus immortales, quia ipſe Chriſtus reſurrexit immortalis.

D. Athanaſius.

Sanctus Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7. ait: *Corpora Beatorum membra Chriſti effecta, divinam atque immortalem, beatamque recipient requiem.* Et Divus Auguſtinus lib. 10 de Civit. Dei cap. 29. inquit: *Qualia Sanctorum corpora in reſurrectione futura ſint, poteſt aliquanto ſcrupuloſius inter Chriſtianorum Scripturarum doctiſſimos diſputari, futura tamen ſempiterna minimè dubitamus, & talia futura, qualia ſua reſurrectione Chriſtus demonſtravit exemplo, ſed qualiacumque ſint erunt incorruptibilia prorſus, & immortalia &c.* Quibus ſolidiſſimè firmatur articuli noſtri veritas, id eſt, quod poſt reſurrectionem generalem corpora humana remanebunt immortalia, & incorruptibilia. Hoc enim eſt id, quod inſinuare intendunt in his, & in aliis locis Sancti Dionyſius, & Auguſtinus ex glorioſa reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, de qua Paulus 1. ad Corinth. 15. verſ. 20. ait *Nunc autem Chriſtus ſurrexit à mortuis primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Eſtque caput corporis Eccleſiæ, & primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens (ad Coloſſ. cap. 1. verſ. 18.) quem certò non teneret in omnibus (ſi corpora non eſſent incorruptibilia, & immortalia poſt reſurrectionem) utporè in corporibus, quæ reſurgent, quæque incorruptibilia non eſſent.

D. Dionyſius.

D. Auguſtinus.

His omnibus addenda eſt ratio deducta ex principiis fidei. Nam omnia corpora humana reſurgent, vel ad præmium æternum, vel ad pœnam æternam, ut facilè infertur ex his verbis, quæ Chriſtus in ultimo judicio dicet electis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, quod eſt æternum. Reprobis verò *diſcedite a me maledicti, in ignem æternum*, quibus deſignatur omnium hominum ſors, & præſcribitur eorumdem finis, qui cùm ſit æternus tam pro corpore, quàm pro anima, corpus erit incorruptibile.

Corpora noſtra reſurgent incorruptibilia.

Idem expreſsè docet Divus Cyrillus Patriarcha Jeroſolymitanus, Cath. 18. qui explicans illud Apoſtoli, *Oportet corruptibile hoc* inquit: *hoc enim corpus excitatur, & indutum incorruptione transformatur: reſurget igitur hoc corpus, ſed non manet tale, verùm eſt æternum. Si verò peccator eſt accipit corpus æternum ſuſceptivum pœnæ peccatorum, ut in perpetuo igne ardeat, & numquam diſſolvatur.* Ex quibus manifeſtè ſequitur, quòd corpora debent reſurgere verè, & realiter incorruptibilia, & immortalia; alias non poſſent durare in æternum, neque in æterno gaudio, aut ſupplicio permanere. Quoniam quod mortale, & corruptibile eſt, ultimum vitæ

D. Cyrillus Jeroſolymitanus.

ſuæ aſſequitur diem, cùm menſuretur tempore, ſitque deſiturum pariter omne malum corporale reſpectu Beatorum, ut promittit Divus Joannes in Apocalyp. cap. 21. ubi loquendo de juſtis poſt reſurrectionem, inquit: *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abjerunt. Et dixit qui ſedebat in Throno: ecce nova facio omnia*, ſaltem quoad acceſſoria, & modum. Id eſt poſt reſurrectionem, corpora eorum nullum patientur malum, nullumquè dolorem; ideoque erunt immortalia, quandoquidem corpus nequeat mori quin patiatur malum.

Apocalyp. 21.

Prædictio Iſaja.

Idem de morte non videnda privilegium, poſt omnium reſurrectionem mortuorum; corporibus concedendum; fuit prædictum ab Iſaia cap. 35. verſ. 10. vbi legitur hæc Propheria *Et redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus* Hoc quippè vaticinio, & ex aliis, qoæ omitto, etiam oſtenditur, quòd poſt reſurrectionem omnium mortuorum, & poſt eorumdem judicium, ſpeciali beneficio Dei, corpora electorum erunt doloris, & mortis incapacia. Ratio eſt, quoniam tunc non ſeneſcent, nec tabeſcent, nec putreſcent ampliùs, ut nutant Divus Cyprianus de Aſcenſione Chriſti, Divus Bonaventura Doctor Seraphicus, & alij ex variis Sacræ Scripturæ locis. Nulla obſiſtet infirmitas, nulla contradicet miſeriæ carnis adverſitas, nulla ulterius remanebit pugnandi neceſſitas. Veniet inquam, tempus illud quando nulla deſiderabitur cibi, ſomnique refectio, nulla ſentietur jejunij laſcitudo, nulla timenda erit, vel de carne inquietudo, vel de hoſte tentatio, ut refert Eucherius Lugdunenſis Homil. 1. de Epiphania. Homo exiſtens extraviam ſeu in termino, non meretur, nec demeretur, ut docent communiter Theologi, cum D. Thoma, & D. Bonaventura, non ex defectu gratiæ, ſed ratione ſtatus: ideoque vivet in æternum, ut in æternum præmio fruatur, ſi bonus fuerit. Vel ut in æternum pœnas ſuſtineat, ſi fuerit malus.

Eucherius Lugdunen.

Sunt aliæ quàmplurimæ Sanctorum Patrum authoritates, quæ probant contra Origenem, corpora poſt reſurrectionem fore incorruptibilia, & immortalia, ſed ea omitto. Tum brevitatis gratiâ. Tum quia Origenes nullam rationem affert contra articuli noſtri veritatem, nec errorem ſuum probat: quamvis aliundè fuerit vir ſublimis ingenij & magnæ eruditionis, ut referunt Euſebius lib. 6. cap. 13. Hiſtor. D. Hieronymus de viris illuſtribus, D. Ambroſius, & alij Scriptores, qui locuti ſunt de ſtatu, in quo poſt reſurrectionem erunt corpora contra eumdem Origenem.

ARTICULUS LVII.

Refellit fabulam eorumdem Origeniſtarum aſſerentium quod corpora humana poſt reſurrectionem habebunt figuram rotundam.

ORigenes de quo in præcedenti articulo, & in pluribus alijs locuti ſumus, & loquemur infra, dum ſe ſe de ipſo loquendi offeret occaſio, docuit tempore Severi Imperatoris, & Zephirini Summi Pontificis circà annum Domini CCVII. plures errores nedum circà Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas, ut ex dictis patet, ſed etiam circà reſurrectionem mortuorum, inter quos unus affirmat, quòd in reſurrectione, corpora hominum rotundâ, & orbiculari ſpecie excitabuntur. Neſcio certè qua ratione fretus tantam auſus eſt pronunciare inſaniam. Hic autem error, qui omnium maximus (ſaltem in judicio) dici poteſt, nullum, quòd ſciam, habuit defenſorem; quinimo ab omnibus rejicitur velut dementantis fœtus; cùm à ratione naturali prorsùs improbetur.

Hæc hæreſis damnata manet in Concilio Lateranenſi IV. cap. 1. in quo reſolutum fuit, homines reſurrecturos eſſe cum ſuis proprijs corporibus, quæ in vita habuerunt, quæ cùm non fuerint rotunda, non reſurgent in eadem ſtatura, ſeu urbiculari, ſed in ea, quam habebant in vita, modò fuerit debita, & decens, quippè cùm reſurrectio ſit opus Dei; qui ſolus ſupremum habet imperium ſuper omnia; ſequitur quòd Corpus in reſurrectione generali erit perfectum in ratione corporis.

§. Unicus.

Refert Rationes contrà Origeniſtas.

Epheſ. 4.

HOc verum eſſe probatur ex Epiſt. ad Eph. cap. 4. verſ. 13. *Donec occurramus in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Ubi gloſſa ordinaria, verbo *in virum*, addit, *ut unuſquiſque ſit vir perfectus.* Sed homo habens Corpus rotundum, & figuram orbicularem, non eſt vir perfectus ſecundum Corpus, imò penitus deformis, quoniam talis partium ſitus non eſt naturalis: igitur opinio Origenis, nedum eſt contrà mentem Apoſtoli, quia vir in corpore perfectus, eſt ſpecioſus forma, ut colligunt omnes ex illo Pſal. 44. verſ. 3. *Specioſus forma præ filiis hominum* quod dicitur de pulchritudine corporis Chriſti. Hæc quidem pulchritudo, non convenit cum qualitatibus, & conditionibus naturam ſubſtantialiter deformantibus, quæ ſunt contrà naturalem corporis inclinationem, quæ deformitatem abhorret.

D. Thom.

Inſuper in ultimo judicio nullus erit in corpore defectus ſubſtantialis, ut obſervat Divus Thomas in expoſitione Symboli, dicens: *Omnes homines boni, & mali reſurgent cum omni integritate, quæ ad hominis perfectionem pertinet, non enim erit ibi, cæcus, vel claudus, vel aliquis defectus*. Ratio eſt, quia reſurrectio eſt reſtitutio in ſtatum perfectum naturæ; undè cùm Corpus eſſe rotundum, & orbiculare, ſit maximus defectus corporis, illudque penitùs monſtruoſum reddat hæc deformitas, certum eſt quòd in reſurrectione, nullum Corpus humanum excitabitur rotundum, ſed cum debita & decenti ſtaturâ, quæ eſt recta, & ſeptem palmorum, ut tradit Eminentiſſimus Cardinalis noſter Lautea in 4. ſentent. alioquin Chriſtus, qui dicitur ſpecioſus forma præ Filiis hominum, eſtque exemplar reſurrectionis noſtræ, ut ait Divus Iſydorus Hiſpalenſis in Articulo præcedenti citatus, reſurrexiſſet in forma rotunda: ſed hoc eſt falſiſſimum, ut fatentur omnes, qui credunt Chriſtum reſurrexiſſe. Nullum enim habemus contrarium teſtimonium, nullamque traditionem: ergò omnes homines ſivè electi, ſivè reprobi, reſurgent cum tali corpore; quale habebant in vita.

Nullum corpus reſurget rotundum

D. Iſydorus

Clement Romanus

Deindè Deus omnipotens (ſublatis defectibus naturalibus) excitabit nos à mortuis tales, quales fuerimus ante mortem; cùm ſuſcitaverit eoſdem, qui audient vocem Filij Dei, ut ait Clemens Romanus lib. 5. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 6. Idcircò nullus reſurget in figura rotunda, & orbiculari, quoniam nullus homo in tali figura vivit. Reſurgent enim Sanctorum corpora, ſine ullo vitio, ſine ulla de-

Digitized by Google

formitate, ſine ulla corruptione, ut inquit Divus Anſelmus Cantuarienſis in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15. Et ut habetur ex Divo Auguſtino, qui in Enchirid. cap. 90. ait: *Indecorum aliquid ibi non erit, ſed quidquid futurum eſt, hoc decebit, quoniam nec futurum eſt, ſi non decebit.* Sed figura rotunda eſt dedecens & deformis corpori humano: Igitur nullus homo reſurget in tali figura.

Homines ſive electi, ſivé reprobi, in reſurrectione non erunt ejuſdem ſtaturæ, ut docent Doctor Seraphicus Divus Bonaventura in 4. diſt. 44. part. 1. Divus Thomas Doctor Angelicus ibidem quæſt. 1. artic. 2. & omnes Theologi cum magiſtro ſententiarum; ſed alij aliis grandiores, hoc ordine ſervato, ut qui Juvenes, vel Cani, cum parvâ vel deformi, reſurgent cum debita & decenti figura; quoniam hæc corporum mutatio erit in ſtatum perfectiorem, ut tenent communiter Sancti Patres.

D. Bonaventura.

Idem notat gloſſa in cap. 4. ad Epheſ. verbo, *in menſuram ætatis*, ubi habetur: *Non ad menſuram corporis, vel ſtatura, quia unuſquiſque recipiet ſuam menſuram quam habuit in juventute, etiam ſi ſenex obijt, vel fuerat habiturus, ſi antè eſt defunctus. Non eſt autem fas dicere quòd in reſurrectione accedat corpori magnitudo quam non habuit, nec majora corpora redigenda ſunt ad modum Dominici corporis; periret enim multum de eis, cum neque capillus periturus ſit: nihil enim detractum de corpore humano quolibet modo periturum eſt: ità enim modificabitur illa in unoquoque materies, ut aliquid ex eo non pereat, & quod alicui defuerit, ille ſuppleat qui de nihilo fecit quod voluit, & ſi quid in parte aliqua enormiter abundavit, per totum ſpargetur. Indecorum quippè nihil ibi erit, ſed quidquid futurum, eſt hoc decebit: reſurgent igitur corpora mortuorum ſine deformitate.* Subindeque nullum corpus humanum reſurget rotundum, nequé in ſpecie orbiculari, ut voluit Origenes, cùm ſic reſurgere, ſit maxima deformitas; nam ſi aliquis homo ſic naſcetur, certum eſt, quòd juxtà commune omnium hominum judicium, reputaretur defectuoſus, monſtruoſus, & omninò irregularis.

Gloſſa in cap. 4. ad Epheſ.

Pro parte Origenis nullam adinueni in Scriptoribus tam antiquis, quàm modernis ejuſdem authoris errores referentibus, rationem, nec video quomodo Origenes vir ſublimis ingenij, & magnæ eruditionis, tale potuit efficere figmentum, licet in plures errores lapſus videatur, ut diſcet ille, qui hoc opus attentè legere dignabitur: in eo enim referuntur. Et pluries in varijs Concilijs fuerit damnatus ipſe Origenes cum ſuis erroribus, & ſequacibus; quoniam inter tot, tantoſque ejus errores, nullum video rationi tam oppoſitum, & diſſonum, quàm ille, quem hîc impugnamus.

Undè plurimùm laudandum eſt de Origene dictum Caſſiadori: *Ubi benè, nemo melius, ubi malè nemo pejus.* Quoniam nihil doctius, quàm ejus Scripta contrà Marcionitas, & Celſum virum gentilem, & è gentilibus ille, qui ſubtiliùs in Chriſtianos, Chriſtique religionem ſcripſit. Et nihil inſanius erroribus ipſius, & præſertim eò, quo affirmat corpora hominum in reſurrectione eſſe rotundæ, & orbicularis figuræ ſuſcitanda, cùm nullum habeat fundamentum, etiam apparens, ut ex ſuprà dictis facilè conſtat.

ARTICULUS LVIII.

Confundit Albigenſes credentes mundum poſt reſurrectionem mortuorum permanſurum eſſe in eodem ſtatu, in quo nunc eſt.

Circà mundi durationem plures fuiſſe errores conſtat, nam Philoſophi cum Ariſtotele olim docuerunt mundum ab intrinſeco eſſe æternum, & indefectibilem à parte antè, & talem fore à parte poſt. Porrò hoc impugnatum manet in 1. lib. Articulo XXI. contrà Hermogenianos, & alios hæreticos exiſtimantes mundum eſſe ab æterno, & in æternum duraturum, aut Deo coæternum, ut dixerunt plures, qui in memorato articulo videri poſſunt. Quidam voluerunt mundum per ignem conflagrandum eſſe quoad omnes ſuas partes totaliter, & ità abſolutè, ut nihil de ſubſtantia, & entitate univerſi poſt judicium, remaneat. Quòd certè falſum eſt quia terra in æternum ſtat Eccl. cap. 1. verſ. 4. nullum enim eſt agens, nullaque potentia contra eam. Idem in cap. 3. verſ. 14. ait: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in æternum: non poſſumus eis quidquam addere.* Fuerunt alij qui dixerunt mundum eſſe aliquandò deſtruendum, non tamen reducendum ad nihilum, ſed formas ſubſtantiales rerum omnium eſſe deſtruendas, & in earum materiis novas formas à Deo producendas, ut refert Divus Hieronymus.

Tandem plures docuerunt alium errorem duobus prioribus propriè, & directè oppoſitum, ſcilicet mundum poſt judicium univerſale, & reſurrectionem omnium mortuorum, in nullo eſſe innovandum, credebant enim ipſum eſſe permanſurum in eodem ſtatu, accidentibus, ſitu, qualitatibus, modis, & forma in quibus nunc eſt. Ita hæretici quidam Anonymi apud Philaſtrium Brixienſem in libello de hæreſibus, Et apud Divum Auguſtinum in opuſculo de hæreſibus cap. LXVII. qui hanc hæreſim referunt, nullum tamen illius declarant authorem. Sed ſi teſtimonio Salleles Doctoris recentis Tom. 2. regulâ CCLX. credere fas ſit, hæc hæreſis attribuenda eſt Albigenſibus qui (novi Manichæi ſolitò nuncupantur qui) anno MCCXVI. prædicabant, mundum nullum habiturum finem, ac proindè ſemper permanſurũ eſſe in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, abſque ullâ mutatione etiam accidentali; quidquid tamen ſit de Albigenſibus, & alijs hæreticis nobis ignotis, certi ſumus teſtimonio Philaſtrij Brixienſis, & Divi Auguſtini, olim ſeu diu ante Philaſtrium, & D. Auguſtinum, hanc hæreſim pronunciatam fuiſſe, ideóque eſt impugnanda authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ut omnes hæretici diſcant quòd mundus poſt reſurrectionem, non remanebit in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, ſed quòd mutabitur in meliorem.

Albigenſes

§. I.

Statuitur veritas.

Hanc hæreſim plura Sacræ Scripturæ teſtimonia condemnant, nam in Pſal. 101. verſ. 26. legitur: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cæli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Quod ſanè non diceretur, ſi mundus poſt judicium permanere debe-

Pſal. 101.

ret in eodem ſtatu, in quo nunc eſt; cùm ſic ſtare, ſeu habere eomdem modum, eamdem formam, aut figuram, eaſdem in Cœlis, & aſtris influentias, ac motus, idem ſit ac dicere quòd Cœli non peribunt in die judicij, quia perennis horum omnium in Cœlis conſervatio omnem deſtructionem, & mutationem excludit.

Nec Divus Petrus in Epiſt. 2. cap. 3. verſ. 7. & ſe-
2. Petr. 3. quentibus diceret ea, quæ ſequuntur: *Cœli autem qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem judicij, & perditionis impiorum hominum. Unum verò hoc non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patientèr agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo Cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in Sanctis converſationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent, novos verò Cœlos, & novam terram, ſecundum promiſſa ipſius expectamus in quibus juſtitia habitat.* Hæc declarant evidenter hujus mundi partes eſſe aliquo modo deſituras poſt judicium univerſale, & reſurrectionem generalem mortuorum: quamvis ex iiſdem verbis, non colligatur an hæc deſitiò erit ſecundum ſubſtantiam omnium partium mundi, vel ſolùm ſecundum modum earumdem; quòd tamen infrà reſolvetur authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum contra hæreſim albigenſium, & aliorum, qui Philaſtrium, & D. Auguſtinum præceſſerunt.

Hujus mundi futura mutatio evidentiùs patet ex illo Matth. 24. & Marci, 13. in quibus legitur
Matth. 24. Marc. 13. Chriſtum dixiſſe; *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt, & ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Hæc quidem verba manifeſtè demonſtrant, quòd mundus in die ſtrictiſſimi judicij aliquam patietur mutationem, ſcilicet quòd deſtruetur, & conſummabitur, quoniam terram tranſire, idem eſt, ac terram deſinere. Et conſummationem rei videre, idem eſt ac videre aliquem in ea finem, vel ſecundum ejus partes principaliores, & eſſentiales, ſcilicet ſecundum illius entitatem, & ſubſtantiam, vel ſecundum modum. Acproindé hæretica eſt opinio Porphirij relata à Divo Auguſtino lib. 20. de Civit. Dei, & aliorum Phi-
Poſt judicium mundus non erit in eodem ſtatu in quo nũc eſt. loſophorum, atque Albigenſium dicentium, ſtultos eſſe Chriſtianos docentes mundum eſſe periturum ſecundum aliquid ita ut non remaneat in eodem ſtatu in quo nunc eſt, cùm Evangelium, & ferè omnes libri Sacri, tam veteris, quam novi teſtamenti doceant quòd ipſe mundus aliquandò deſtruetur; alioquin falſus, atque ſuppoſititius eſſet finis mundi, & ſæculorum.

Reverà hæc mundi deſtructio non erit ſubſtantialis ita ut fieri debeat ſecundum ſubſtantiam totalem, ſcilicèt ità ſecundum materiam & formam univerſi, ut nullum eſſe ſenſibile & materiale remanear. Sed ſolum ſecundum modum, qui deſinet, & mundus fiet perfectior, quia renovabitur aut mutabitur in ſtatum perfectiorem. Hæc quidem mutatio erit in melius, ut notat Divus Hieronymus in illud Petri 2. cap. 3. *Novos cœlos, & novam terram*
D. Hieronymus. *ſecundum promiſſa ipſius expectamus in quibus juſtitia habitat.* Ubi inquit, junctâ gloſſâ ordinariâ, *non ait alios, ſed veteres, & antiquos in melius commutandos.* Et poſt aliqua addit: *Conſtat pro certo qui conſumpti per ignem, mox abeunte igne, gratiorem reſument ſpeciem.* Quòd probat ſubſtaotiam mundi eſſe permanſuram, aliamque formam præſente pulchriorem, eſſe acquiſituram: quippè ex Apoſtolo non ſubſtantia, neque materia exterminatur, ſed figura tranſit mundi hujus. Prætereunte autem figurâ hâc, & renovato homine, erit Cœlum novum, & terra nova, quoad accidentalia, ut inquiunt D. Irenæus lib. 5. cap. 36. & plures alij Sancti Patres,
qui de ultimo judicio ſcripſerunt. Nec mirandum *D. Irenæus*
eſt, quia reſurrectio eſt opus Dei cujus perfecta ſunt opera. Et cujus operatio tunc, ſeu in die judicij non erit totaliter annihilatio.

Idem inferunt alij Sancti Patres, qoi ex illo 1. ad Corinth. cap. 7. *Præterit figura hujus mundi*, volunt, Apoſtolum locutum fuiſſe de deſtructione mundi quoad modum, non verò quantum ad ſub-
ſtantiam, & præſertim Divus Ambroſius dicens: *D. Ambroſius.*
Novis corporibus, novus mundus conveniat, igne purga-
bitur. Divus Hieronymus in cap. 63. Iſayæ: *Quod* *D. Hieron.*
intelligens, & Paulus Apoſtolus loquebatur præterit enim figura hujus mundi, conſideremus quid dixerit, figura præterit, non ſubſtantia. Et Divus Auguſtinus. lib. 20.
de Civit. Dei, cap. 14. *Peracto judicio tunc eſſe deſi-* *D. Auguſtinus.*
net hoc Cœlum, & hæc terra, quandò incipiet eſſe Cœlum novum, & terra nova. Mutatione namque rerum non omnimodo interitu tranſibit hic mundus, undè & Apoſtolus ait: præterit enim figura hujus mundi, volo vos eſſe ſine ſollicitudine, figura ergo præterit, non natura: Igitur ex Sacra Scriptura juxtà expoſitioaem Sanctorum Patrum, mundus poſt judicium non deſtruetur ſubſtantialiter; ita ut nullum terræ, & Cœli remaneat veſtigium, ſed ſolum accidentaliter, aut quoad modum; tranſibit enim in ſtatum perfectiorem, cùm mutatio erit circâ figuram, & tunc omnia erunt nova, & ideò in reſurrectione motatio non fiet in natura, aut io exiſtentia ſubſtaotiæ mundi, ſed ſolum in modo ipſius, qoi erit longè perfectior:

Tunc non ceſſabit Cœlom quoad ſubſtantiam,
quæ à modo diſtinguitur, quare idem Divus Hie- *D. Hieron.*
ronymus in cap. 24. Matth. verſ. 35. *Cœlum & terra tranſibunt*, inquit: *tranſibunt immutatione ſui, non abolitione, alioquin quomodo ſol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtella cadent, ſi Cœlum in quo iſta ſunt, terraque non fuerint.* Figura Igitur præteribit, ſubſtantia autem remanebit, ut probari poteſt ex omnibus partibus mundi; luminaria enim facta ſunt in firmamento Cœli, ot dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ot luceant in firmamento Cœli, & illumi-
nent terram, ut refert Moyſes cap. 1. Geneſ. verſ. *Geneſ. 5.*
14. ubi gloſſa ordinaria obſervat quòd dies, & anni, quos uſitatè novimus, motibus Syderum fiunt: ſed poſt judicium univerſale non erit nox juxta illud Zachariæ cap. 14. verſ. 7. *Et erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox: & in tempore veſperi erit lux*, ubi gloſſa interlin. ait: *Non viciſſitudo diei; neque noctis.* Et Lyranus noſter, *Dies propriè eſt latio ſuper terram, & non latio ſub*
terra: Ergò ſol remanebit, & perfectior fiet juxtà *Expoſitio Lyrani.*
illud Iſay. cap. 30. verſ. 26. *Et erit Lux Lunæ ſicut Lux Solis, & Lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut Lux ſeptem dierum &c.* remaoèbit pariter Cœlum in quo reſidet ipſe ſol. Quoniam teſte Scripturâ, Cœli verbo Domini firmati ſuot.

In generali reſurrectione, corpora erunt incorruptibilia, & immortalia, ut jam diximus cootrà Origenem, & ſic ceſſabit Latio, & corruptio in elementis, ceſſabitque motus cœli, qui

eſt cauſa generationis, & corruptionis; & ideò non erit dies, neque nox propriè, quæ cauſatur ex motu ſolis, acproindè poſt judicium ceſſabit motus cœlorum, qui ad ſtatum generationis, & corruptionis inſervit, ut docet Sanctus Thomas in 4. Sentent. diſtinct. 48. quæſt. a. artic a. ad a. Nec implicat quòd tunc ceſſet ipſe cœlorum motus, quia non eſt de perfectione corporum cœleſtium; quoniam quodlibet eſſe præſupponitur integrum, & perfectum ad operationem ſuam.

D. Thomas

D. Bonaventura.

Obitèr tamen obſervandum eſt quòd in nulla parte tunc erunt tenebræ perpetuæ, ut notat idem Doctor Angelicus, cui ſuffragatur Divus Bonaventura Doctor Seraphicus In 4. diſt. 48. part. 1. quæſt. a. num. 27. ubi ait: *Sol & Luna ſicut dicit Iſydorus, & habetur in litera, poſt judicium, non tendent ad occaſum, ſed ſtabunt in ordine ſuo in quo creati ſunt.* Subindèque erunt. Nec hoc implicat, quoniam ut ſuadet ratio, motus cœli non eſt perfectio ejus intrinſeca: Igitùr non eſt neceſſarium, ut quamdiù durat cœlum, moveatur: Ceſſante enim fine, neceſſè eſt quòd deficiat, & ceſſet actio media; licet agens ſeu cœlum non ceſſet eſſe in ſua ſubſtantia, & operari ſequatur eſſe, nam eſſe non ſequitur operationem: Idcircò non implicat quòd cœli remaneant poſt judicium; licet non ſint tunc operaturi.

§. II.

De Statu in quo erit Terra poſt ultimum judicium.

Terra non deſtruetur totaliter.

NEc deſtruetur terra totalitèr quoad ſubſtantiam, ut Sancit Eccleſ. cap. 1. verſ. 4. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* Hoc quippè fundamento utuntur Sancti Patres ad probandam ſtabilitatem ſubſtantiæ, & æternitatem exiſtentiæ terræ. Idem ſuadet gloſſa quæ in cap. 24. Matth ait: *Depoſita priori forma, permanente autem ſubſtantia, unde dicitur terra in æternum ſtabit.* Et in 13. Marci: *Cœlum & terra tranſibunt;* Inquit: *Si ergo cœlum & terra tranſeunt, ſecundum imaginem, manent in æternum ſecundum eſſentiam.* Quæ cum ab exiſtentia non diſtinguatur, ſequitur quod terra numquam deſtruetur ſubſtantialitèr. Ratio Divi Cyrilli Jeroſolymitani Cathec. 15. eſt, quia pertranſibit hic mundus, ut pulchrior reſtituatur. Hoc certè probat quòd terra poſt judicium non deſtruetur ſubſtantialiter, nec abſolutè, ſed ſolum quòd innovetur in ſtatum perfectiorem; cùm enim reſurrexerimus, & incorrupta ſumpſerimus corpora, inquit Divus Chryſoſtomus Homil. 10. ad populum Antioch. certum eſt quòd hæc omnis terræ mutatio, aut deſtructio conſiſtet in quadam carentia, hoc eſt, terra erit mutata, quia carebit qualitatibus diſponentibus ad generationem, & ad plenam conſervationem mixtorum corporum corruptibilium, & habebit alias perfectiores.

D. Chryſoſtomus.

D. Auguſtinus.

Illà conflagratione mundatâ (inquit Divus Auguſtinus lib. 2. de Civit. cap. 16.) elementorum corruptibilium qualitates, quæ verè corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitùs interibunt, atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione convenient: Itaque qualitates, quæ pro nunc in terra exiſtunt, & ad generationem atque vegetationem neceſſariæ ſunt; tunc peribunt, & meliores producentur. Terra autem remanebit ſecundum ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam, ut tradit idem Sanctus Doctor lib. de Eccleſ. dogmatibus cap. 7. dicens: *Elementa, id eſt, cœlum & terram, abolenda per ignem, ſed in melius commutanda, figuramque mundi, id eſt, imaginem non ſubſtantiam, tranſituram.*

D. Thomas

Hanc doctrinam ſequuntur omnes Scholaſtici cum magiſtro Sententiarum in 4. diſt. 47. ubi ait quòd terra non peribit ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum ſpeciem, aut formam, quæ certò immutabitur. Et præſertim Divus Thomas ibidem artic. 4. in a. reſponſione ad 2. ubi præ cæteris ſic habet de his quæ per ignem ſunt purganda. *Neque aliqua elementa ſecundum ſubſtantiam auferenda ſunt, vel ſecundum formas ſubſtantiales, aut ſecundum qualitates naturales ut quidam dicunt, ſed ſolum quantum ad mutationes, & varios motus.* Hæc autem terræ innovatio, aut mutatio conſiſtet præcipuè in ceſſatione à generationibus, & corruptionibus herbarum, plantarum, animalium imperfectorum, quæ ex putri materia fiebant, & in expurgatione ab omni impuritate, & mixtione rerum, aut qualitatum, quæ non ſpectant ad ejus naturam, nec-non ad pulchritudinem, & venuſtatem, ſed ad uſum hominis, qui poſt judicium non indigebit ipſis: Igitùr terra remanebit, & alium habebit modum, aut ſtatum iſto perfectiorem.

D. Epiphanius.

Hæc eſt Doctrina Divi Epiphanii hæreſ. 64. qui exponens illud Pauli ad Corinth. 7. *Præterit enim figura hujus mundi*, ait: *Hic mos eſt Scripturis ut hanc mundi tranſmutationem, in meliorem, & magis glorioſam reſtitutionem, interitum, & perditionem dicunt tanquam videlicèt prior figura pereat per univerſorum ad illuſtriorem ſtatum mutationem: Nam nulla contrarietas, aut abſurditas eſt in divinis Scripturis.* Præterit enim figura hujus mundi, *non mundus, dictum eſt, ſic ſane morem habent Scriptura, ut perditionem vocent mutationem, in meliorem, aut pulchriorem prioris formæ.*

Bernardinus Senenſis.

Ignis, aër, & aqua poſt judicium non deſtruentur totaliter quoad ſubſtantiam, ita enim aſſerunt Sancti Patres ſuprà citati, quibus addo noſtrum Sanctum Bernardinum Senenſem tom. 2. Serm. 11. de judicio finali, ubi expreſſe ait, quod aër erit clarior, nec habebit impreſſiones, quas modò patitur, quia non erunt nubes, neque venti, nec pluvia, nec ros, nec grandu, nec tonitrua, neque fulgura.

S. Hypolitus.

Ejuſdem ſententiæ fuerat priùs Sanctus Hypolitus, Clementis Alexandrini, & Origenis familiaris, Urbis Arabum Metropolis Epiſcopus, qui in oratione de conſummatione mundi, ait: *Poſt hæc cœlum non dabit rorem ſuum, nubes non præbebunt aquam, &c.* Quæ poſt judicium univerſè ceſſabunt, & ampliùs non producentur ab aëre, & ità non evenient hæc omnia, quæ modò videmus: Quamvis aër ſemper remanere debeat: Hujus veritatis ratio eſt, quià aër tunc depurabitur ab his vaporibus, & impreſſionibus extraneis, ipſiſque vaporibus denſis, & impuris purgatis, fiet magis diaphanus, & ceſſabit ab influxionibus impuris: Ideòque remanebit aër quoad ſubſtantiam, & conſummabitur quoad operationes, & accidentia.

Gerſonius

Idem docet Joannes Gerſonius in Summa de gaudiis Paradiſi, ubi difuſè de formali elementorum innovatione loquitur, & docet quòd ille ignis maximus elementa purgabit, cùm habeat virtutem impulſivam formæ extrinſecæ, & poſteà purgatio erit penalium qualitatum detractio, atque innovatio pulchrioris formæ: Igitùr elementa non deſtruentur ſubſtantialiter, ſed quoad modum, & influentiam dumtaxat.

§. III.

De Statu in quo erit Mare poſt ultimum judicium.

QUantum autem ad mare duæ ſunt Sententiæ: Quidam dicunt qoòd deſtruetur totaliter, & ità deſiccabitur, ut nolla erit aquæ maris guttula. Eorum ratio eſt, quià Divus Joannes in Apocalyp. cap. 21. ait: *Et vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.* Quod indicat totalem maris deſtructionem. Sunt alij qui negant. Et hoc videtur probabilius, & conformius menti Sanctorum Patrum, qui monent hæc verba Apocalypſis nun eſſe ità intelligenda, ut Divus Joannes velit, quòd mare non erit poſt judicium, ſeu quod ita deſiccabitur, ut nulla erit aquæ guttula, in loco in quo eſt mare, ut exiſtimant plures expoſitores. Sed ſolùm quòd non erit ſecundum priorem ſtatum, quia tunc mutus, agitationes, murmura, impetus, amaritudo, & cætera, quæ nunc habet ipſum mare, auferentur. Nam ſi textus allatus à Divo Joanne eſſet de deſtructione ſubſtantialitèr maris intelligendus, ut exiſtimant Doctores adverſantis ſententiæ, ſciliect Sanctus Hypolitus de *Conſummatione mundi.* Primaſius in cap. 20. Apocalyp. Beda in cap. 3. Epiſt. 2. Petri, & alij, qui citant Divum Auguſtinum, & alios, intelligeodus eſſet quoque de eadem deſtructione cæli, & terræ, ſicut de mari: nulla enim poteſt aſſignari ratio de iſto, quæ non ſit de aliis; cùm de cœlo & terra loquatur, ſicut de mari. Sed hoc non admittunt citati Doctores; ergò nec poſſunt idem admittere de mari.

Apocalyp. | Apocalyp. 21. | Hypolitus | Primaſius. | Beda.

Undè gloſſa pro majori hujus reſolutionis certitudine (inquit) in eumdem locum Apocalyp. cap. 21. *Immutatio aeris, & terra, dubitabilis non eſt; quin per ignem fiat; de aqua dubitatur, nam purgationem in ſe ipſa habere creditur.* Certò indè liquidò conſtat quòd tunc erit aliqua viſibilis differentia intér aquam maris, & cætera elementa, ſcilicet quòd in ultimo judicio, mare non ſolum non deſtruetur ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam quòd non mutabitur ſecundum ſuum modum, aut ſuam formam, ſed ſolum quoad ſuos motus, aut actus; licet certum ſit quòd alia elementa mutabuntur, ſaltem ſecundum ſtatum, aut modum, quem nunc habent, quemque in ipſis eſſe videmus. Ratio hujus differentiæ maris ab aliis tribus elementis, eſt ea, quam habemus in gloſſa, ſcilicet quia mare habet purgationem, quam alia elementa habitura ſunt per ignem in die judicij.

§. IV.

De reſponſione ad rationem contrariam.

HÆretici, qui docuerunt, mundum poſt reſurrectionem mortuorum eſſe permanſurum in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, hunc errorem deducunt ex illo Ecclеſ. cap. 3. verſ. 14. malè intellecto: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in perpetuum: non poſſumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.* Et pſal. 148. verſ. 4. & ſequentibus: *Laudate eum cœli cœlorum; & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit & facta ſunt: Ipſe mandavit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Ex his enim locis, & ex aliis ſimilibus, inferunt, quòd mundus poſt judicium erit talis, qualis nunc eſt, cùm Deus fecerit omnia, quæ in eo ſunt, & hæc ſint in æternum.

Ratio hæreticorum.

Hoc argumentum (quod nonnulli vocant irrefragabile) falſum eſſe, patet, quoniam Sacra Scriptura variis in locis promittit deſtructionem cœli, & terræ; licet ſiot opus Dei, & aſtringant nos ad expectandum finem mundi, & conſummationem ſæculorum. Nam David Pſal. 101. ait: *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt.* Iſai. cap. 51. verſ. 6. *Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.* Et cap. 65. v. 17. *Ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora.* Ergò neceſſariò juxtà Sacram Scripturam aliqua erit poſt judicium in mundo, realis, & vera mutatio, quæ neceſſariò expectanda eſt, & quæ erit cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; Alioquin Deus deciperet nos. Quòd eſt falſiſſimum.

Solutio argumenti hæreticorum. | Iſai. 51.

Hæc autem mutatio, quæ infallibiliter eveniet, non poteſt eſſe ſecundum ſubſtantiam cœli & terræ, ut probant authoritates, quas Hæretici adducunt contrà nos, cum affirment terram in æternum permanſuram eſſe: Ergò vel nulla erit abſolutè mutatio in ſubſtantia, & exiſtentia cœlorum quos Deus verbo ſuo firmavit, nec in ſubſtantia terræ, ita ut fuerint omninò tales, quales ſunt modò Vel tantum erit ſecundum modum, & ſtatum perfectiorem: Nequit enim in aliud membrum cadere hæc mundi futura mutatio. Primum non poteſt dici quoniam in Evangelio Chriſti expreſſè habetur quòd cœlum & terra tranſibunt: Igitùr admittendum eſt ſecundum, ſcilicet quòd mutatio illa cœli, & terræ erit ſecundum modum; ac proinde certum eſt contrà Albigenſes quòd poſt reſurrectionem mortuorum, mundus non remanebit in eodem ſtatu, aut modo in quo nunc eſt: præteribit enim figura hujus mundi, & nobiliorem obtinebit. Quoniam ex Sacræ Scripturæ teſtimoniô, Deus omnia faciet nova, ſaltem quoad modum; idcircò poſt ultimum judicium, mundus alium habebit modum, ſeu non erit in eodem ſtatu in quo nunc eſt.

ARTICULUS LIX.

Refutat Armenos damnantes omnes homines, qui præceſſerunt Paſſionem Chriſti.

ARmeni de quibus eſt ſermo in primo libro, credunt omnes homines antè Paſſionem Chriſti Domini fuiſſe damnatos, & in infernum detentos (quamvis plures circumciſi fuerint, & Legem ſcriptam ſervaverint) non quidem propter peccatum originale, quod à primis parentibus contraxerant. (Quia, ut jam diximus nullum peccatum originale admittunt) ſed ob perſonale primorum parentum peccatum; licèt ad poſteros juxta eorum ſententiam, non fuerit transfuſum. Dicunt enim eorumdem primorum parentum peccatum adeò fuiſſe exitiale, & noxium, ut toti poſteritati uſque ad Chriſti Paſſionem nocuerit, eamque in Infernum adduxerit, licèt peccatum illud ad illos poſteros formaliter non pervenerit. Et ità in ipſo Adamo dumtaxat extiterit, ut nullus ſit homo huc peccato immundus & infectus.

Armeni.

Errorem hunc ſic probant. Quia ſcilicet Deus ejiciendo Adamum de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt, ut videmus in lib. Geneſ. cap. 2. ejecit omnes homines, ſeu ipſius Adæ poſteritatem de Jeruſalem cœleſti, uſquè ad Paſſionem Chriſti, qui moriendo mortem deſtruxit, januas cœli aperuit, noſque Deo reconciliavit: Ita de Armenis referunt Guido Carmelita,

noſter Alphonſus à Caſtro, Prateolus, & alij Scriptores celeberrimi, qui hujus erroris nullum alium aſſignant defenſorem: Ideò in præſenti Articulo Armenos tantum ſumus impugnaturi.

§. I.

De rationibus contra Armenorum errorem.

Proſcriptio hæreſis.

ADverſùs hanc Armenorum hæreſim, nullum celebratum fuit Concilium; nullumque in jure Canonico inveni textum. Nec miror, quia hæc hæreſis adeò demens, & fatua eſt, ut ſola narratio plurimorum Sanctorum virurum, qui mortem Chriſti præceſſerunt, ſufficiat ad illam convincendam, nihilominus nonnulli adducendi ſunt ſacri Textus, ut aſſertionis noſtræ veritas eluceſcat authoritate Sacræ Scripturæ, & ut ipſi Armeni fateantur ſtatum Legis veteris non fuiſſe ſtatum damnationis, ſed in ipſo plures fuiſſe Sanctos intuitu meritorum Chriſti futuri.

Primum hujus veritatis argumentum deſumitur ex ſalute Adami, & Evæ. Diximus enim ſuprà articulo VI. contrà Tatianitas, & Encratitas, primos parentes non fuiſſe damnatione perpetuà in inferno detruſos, propter eorum primum inobedientiæ peccatum; Hocque probavimus nedum, ex variis Sanctorum Patrum teſtimoniis, & præſertim Divi Auguſtini, ſed etiam ex illo Sap. cap. 10. *Hac illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, &c.* Adam autem vixit, & mortuus eſt antè Paſſionem Chriſti, ut eſt manifeſtum: Igitur omnes qui hanc Sacratiſſimam Paſſionem præceſſerunt, non ſunt damnati.

Sap. 10.

Porrò ſi Armeni recuſent huic textui Sapientiæ fidem adbibere, ad Tatianitarum hæreſim, ſcilicet ad memoratum articulum remittendi ſunt. Hoc tamen nonobſtante, ut ipſi Armeni hic convincatur, & videant plures viros in veteri Teſtamento fuiſſe Juſtos, & Sanctos, ſicut in novo primis parentibus noſtris adjungendi ſunt plures alij, de quorum ſalute conſtat in Evangelio; Illi autem viri ſunt Abraham, Iſaac, & Jacob, qui diù antè Paſſionem Chriſti vixerunt, & mortui ſunt. Veneramur enim eos tamquam Patres noſtros, quibus omnia in figuris contingebant, nam Abraham obiit anno mundi bis milleſimo centeſimo octogeſimo tertio. Iſaac, anno mundi bis milleſimo ducenteſimo octogeſimo octavo. Jacob verò anno mundi bis milleſimo treceteſimo decimo quinto, ſed hos fuiſſe ſalvos, & modò regnare in cœlis cum Chriſto, & omnibus Sanctis manifeſté conſtat ex Sacrâ Scriptura, & præſertim ex illo Matth. cap. 8. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob, in regno calorum, filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi eru fletus, & ſtridor dentium.* Igitur illi tres Patriarchæ ſunt in cœlo licet diù antè Chriſti Paſſionem murtui fuerint. Alioquin ipſe Chriſtus Dominus non ditinxiſſet eos, qui cum prædictis Patriarchis recumbere debebant in regno cœlorum, à filiis qui ejiciendi erant in tenebras exteriores, ſeu ab impiis, & peccatoribus, quorum nonnulli nominantur in Sacris Paginis. Nec ipſi Patriarchæ, de inferno exiviſſent, ſi ſemel in eo permanſiſſent ob peccatum Adæ juxtà ea quæ in principio Articuli diximus pro Armenis, cùm in inferno nulla ſit redemptio, ut evidenter colligitur ex illa ſententia, quam Chriſtus in illo ultimo judicio pronuntiaturus eſt contrà eos, qui à ſiniſtris erunt: *Ite maledicti in ignem*

Matth. 8.

æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Hæc quidem particula *æternum*, denotat in inferno nullum eſſe exitum, & ignem nullum habere finem.

Idem confirmatur ex cap. 16. Luc. ubi legitur; quòd mendicus nomine Lazarus deportatus fuit ab Angelis in ſinum Abrahæ, dives verò qui induebatur purpurà & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè, ſepultus eſt in inferno undè vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus: Ergò Abraham, & Lazarus non erant in inferno cum divite, ſed in gloria; Alioquin Abraham non dixiſſet illi: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Cùm Lazarus fuiſſet in tormentis, ſicut Dives, vel Dives fuiſſet in gaudio, ſeu in ſinu Abrahæ, ſicut Lazarus. Etenim juxtà Armenorum mentem, ante Mortem, & Paſſionem Chriſti, unus erat animas detinendi locus, infernus ſcilicet qui eſt locus damnatorum, inter quos ipſi Armeni computant eos, qui ante Paſſionem Chriſti mortui ſunt.

Salus Lazari.

Nec Pater Abraham dixiſſet eidem Diviti: *Inter nos, & vos cahos magnum firmatum eſt: Ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque indè huc tranſmeare:* Quoniam in cœlo nulla eſt diſtinctio objectiva, nec extrinſeca, unius Sancti ab alio; cum omnes idem objectum intuitivè aſpiciant, & in inferno nullum ſit diſcrimen intenſivum, hoc eſt, nulla ſit diverſitas ignis, nec loci, nullumque cahos inter damnatos; cùm omnes eodem igne cremenrur, & ſint in eodem loco, qui eſt locus Dœmoniorum, quamvis unus plus quam alter patiatur.

Hæc ſuadent, omnes, qui Paſſionem Chriſti præceſſerunt, non fuiſſe damnatos propter peccarum primorum parentum, ut voluerunt Armeni, ſi pro damnatis intelligant eos, qui in inferno detinentur captivi, ut de facto intelligunt; Certum enim eſt quòd illi, qui juſti fuerunt, & in juſtitia mortui ſunt, ut Abel primus Juſtorum, ad quem reſpexit Deus; Noë qui invenit gratiam cum Domino; Moyſes qui vir mitiſſimus erat; David quem Deus invenit ſecundum cor ſuum, & alij Sancti Viri veteris Teſtamenti, non ſunt damnati. Quia non eſt injuſtus Deus, ut ſimul cum impio, Juſtum damnet: Judicat enim orbem terrarum in æquitate, & reddit unicuique ſecundum opera ſua.

Multi qui ad Paſſionē præceſſerunt ſunt in cœlo

Tandem hæc omnia confirmantur authoritate Apoſtoli ad Hcb. cap. 11. in quo prænominati viri veteri Teſtamenti plurimùm laudantur. Et de ipſis verſ. 33. dicitur: *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, &c.* Quæ Abrahæ, & aliorum fidem plurimùm extollunt. His omnibus Patriarchis in eodem capite Epiſtolæ ad Hebræos nominatis, adjungendi ſunt Libri judicum Authores, ſeu Judices, quos Serrarius quæſt. 10. & plures alij Scriptores celeberrimi exiſtimant æterna beatitudine donatos. Et meritò quoniam creditu pium eſt, ut iis Deus ſanctitatem, ac beatitudinem dederit, per quos voluerit totius populi ſui conſulere ſanctitati. Hinc eſt quòd Eccleſiaſticus in cap. 46. verſ. 13. inquit: *Et Judices ſinguli ſuo nomine, quorum non eſt corruptum cor: qui non averſi ſunt à Domino, ut ſi memoria eorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo. Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum Sanctorum virorum gloria.* Judices autem illi præceſſerunt Mortem Chriſti: Erraverunt igitur à fide Armeni.

§. II.

De reſponſione ad Rationes Armenorum.

ARmeni veritatem noſtram impugnant ex illo Apoſtoli ad Coloſſ. cap. 1. verſ. 20. & ſequentibus: *Et per eum*, id eſt per Chriſtum, *reconciliare omnia in ipſum pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris*, id eſt homines; *ſive quæ in cœlis ſunt*, ſeu ſpiritus cœleſtes, *& vos cum eſſetis aliquandò alienati, & inimici ſenſu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos Sanctos, & immaculatos; & irreprehenſibiles coram ipſo.* Ex his enim & ex ſimilibus textibus Sacræ Scripturæ, Armeni concludunt, eos, qui præceſſerunt Paſſionem Chriſti, non fuiſſe ſalvos, quoniam univerſa ſalus provenit à Sanguine Chriſti effuſo in Paſſione, quæ fuit poſterior omnibus illis, qui mortui ſunt tempore Legis naturæ, aut Moyſi, ut denotat hæc particula, *nunc autem reconciliati*; alioquin per ea, quæ in cœlis ſunt, non intelligerentur tantùm Angelî, præter quos in cœlis eſſent homines illi, qui Sancti fuiſſent antè Paſſionem. Quòd eſt contrà expoſitores; cùm Chriſtus ipſe ſit, qui per mortem ſuam, noſtram deſtruxit, Deo Patri ſatisfecit, & Januam Cœli aperuit.

Ratio Armenorum.

Reſpondeo hanc authoritatem non nocere articulo noſtro, quià complacuit Deo reconciliare omnia, quæ tempore Paſſionis Chriſti erant in Cœlo, ſeu in gloria, aut quæ ipsâ frui ſperabant, per merita Chriſti prævisa, & propter prætium exhibendum, ſeu per merita Chriſti futuri, quemadmodum illi complacuit reconciliare cætera propter prætium exhibitum. Nam ut docent Theologi noſtri, Chriſtus meruit gratiam Angelis, & primis Parentibus, quibus Deus eam dedit intuitu meritorum ipſius Chriſti futuri, ut fuſius videri poteſt in curſu noſtro Theologico: Falſum eſt igitur aſſerere, neminem potuiſſe ſalvari antè Mortem Chriſti cum Deus potuerit intuitu Chriſti venturi, eis dare gloriam, ſicut dedit eis gratiam. Hujus veritatis ratio eſt, quia Chriſtus fuit à Deo prævisus, aut Deus decrevit Incarnationem antè prævisionem peccati, ut docent communiter Scotiſtæ.

Reſpõſio ad rationem hæreticorum.

Altera Armenorum ratio eſt, quia illi, qui præceſſerunt paſſionem Chriſti, fuerunt rei, & injuſti peccató primorum parentum, ſicut ipſi primi parentes, qui injuſti fuerunt: quamvis non contraxerint illud, ſcilicèt quamvis (juxtà eorumdem Armenorum fidem) in Adamo ſolo remanſerit.

Altera ratio hæreticorum.

Reſpondeo hanc rationem minus nocere, nam nullus homo eſt reus, aut injuſtus ſine culpa, aut peccato ab ipſo commiſſo, aut contracto; cùm nulla ſit forma, quæ effectum ſuum tribuat ſubjecto, in quo non eſt phyſicè, nec moraliter. Nam ut aliquis juſte puniatur, neceſsè eſt quòd aliquo modò ſit reus, aut particeps peccati. Undè ſi illi, qui præceſſerunt Paſſionem Chriſti, non habuerint in ſe culpam Adæ, hoc eſt, in ipſo Adamo non peccaverint, ut volunt Armeni. Et in nullo Legem Dei actu tranſgreſſi fuerint, ſeu perſonaliter non peccaverint mortaliter, ut poſſibile eſt reſpectu aliquorum, præſertim, Abel, Iſaac, & aliorum. Aut ſi poſt Legis tranſgreſſionem veram pœnitentiam egerint, ut de facto eam egerunt primi parentes, David, & alij quorum labores & pœnitentiam narrat Sacra Scriptura & præſertim de Davide, qui veram, & ſinceram pœnitentiam egit, dicendum eſt quòd illi poſt mortem, non fuerunt damnati. Tum quia injuſtus eſſet Deus, ſi aliquem ſine culpa aliquâ damnaret, nam ſi aliquando pœnam temporalem infligat alicui propter peccatum alterius, ut v. g. filio ob peccatum patris, aut è converſo, numquam tamen aliquem propter peccatum alterius, cujus non eſt particeps, in æternum damnat. Tum quià pœnitentibus Deus peccata delet, & dat veniam, ut teſtatur ipſe Ezech. cap. 18. verſ. 27. dicens: *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, & fecerit judicium, & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim, & advertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vita vivet, & non morietur.*

Rejicitur ratio hæreticorum.

Ezech. 18.

Undè cùm plures ſint, qui antè Paſſionem Chriſti pœnitentiam egerunt, ut conſtat de primis Patriarchis, v g. de Davide, & de aliis: certò ſalvi facti ſunt plures antè ipſam Paſſionem, licèt independenter ab ipſius Chriſti meritis prævisis, ſalutem æternam non fuerint conſecuti. Firmiter enim credimus, Chriſtum eſſe cauſam meritoriam totius conferendæ hominibus gratiæ, quæ eſt ſemen gloriæ, & fontem juſtificationis omnium hominum, ut declarat Sacra Tridentina Synodus Seſſ. 6. de juſtificatione. Deindè Chriſtus tam mortuus eſt pro illis, qui mortem ejus præceſſerunt, quàm pro illis, qui poſt eam nati ſunt; Cùm mortuus fuerit pro omnibus, & ſingulis hominibus, ut in primo Libro dictum eſt.

Dicent, non implicat quòd Deus aliquem in æternum puniat propter peccatum alterius, videlicèt filium propter peccatum patris, nam dum voluit David punire propter adulterium cum Bethſabee commiſſum; filium ex illo adulterio natum, punivit morte, ut refert Sacra Scriptura lib. 2. Reg. cap. 12. verſ. 18. *Accidit autem die ſeptima ut moreretur infans, &c.* Ergò (inquiunt) non implicat propter rationem allegatam quòd Chriſtus noluerit mori pro illis, qui in Lege veteri mortui ſunt. Nec quòd puniat in æternum propter peccatum Adæ, omnes ejuſdem Adæ filios, qui Chriſti Paſſionem præceſſerunt, aut ante reconciliationem è vivis deceſſerunt.

Reſpondeo hoc implicare divinæ miſericordiæ & bonitati, quâ Chriſtus voluit de cœlis deſcendere pro omnibus redimendis. Implicat etiam quòd abſque culpa quis puniatur quantum ad pœnam æternam in inferno ſuſtinendam; licet non implicet quantum ad pœnam temporalem, & tranſitoriam, quâ ſæpè Deus punit aliquos homines propter peccata aliena, præſertim filios propter peccata patrum. Ratio diſcriminis eſt, quià dum Deus punit aliquem pœnâ temporali propter peccatum alterius, hoc facit propter majus bonum ejus. At ſi damnaret ad pœnam æternam, aliquem propter peccatum alterius, ex hoc, nullum ei majus bonum provenire poſſet: Et ideò Deus numquam talem damnationem infligit alicui, niſi propter propria demerita eam exigentia. Nam ex 23. Regula Juris in 6. ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. Ratio gloſſæ eſt; quia pœna eſt menſura culpæ, ubi autem non extat menſurandum, menſura locum non habet; hinc eſt quòd illa punitio, quæ temporalis eſt, non eſt propriè punitio, ſed potius beneficium, fit enim ſolitò ob emendationem, & ad vitandum peccatum, ut colligi poteſt ex illo Sap. 4. verſ. 11. *Raptus eſt nè malitia mutaret intellectum ejus, aut nè fictio deciperet animam illius.*

Solvitur hæreticorum inſtantia.

Sap. 4.

Hæc ſuadent quòd ſi filius (Deo ſic ordinan-

te) moriatur v. g. propter peccatum patris, cujus non eſt particeps in culpa peccati commiſſi, non eſt punitus, benè verò pater, ut declarat Ezech. cap. 18. verſ. 17. ubi de filio bono habente patrem peccatorem, ait: *Hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita vivet. Pater ejus quia calumniatus eſt, & vim fecit fratri, & malum operatus eſt in medio populi ſui, ecce mortuus eſt in iniquitate ſua.* Hæreticum eſt igitur dicere cum Armenis, illos, qui præceſſerunt Paſſionem Chriſti, damnatos eſſe propter peccatum Adæ (præſertim ſi non habuerint illud ut putant ipſi Armeni) cùm filius non moriatur iniquitate patris: Deus enim reddet unicuique ſecundum opera ejus. Et ſi oporteat nos omnes manifeſtari ante Tribunal Chriſti, hoc eſt, ut unuſquiſque referat propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Denique primi parentes noſtri ſunt Sancti, quia pœnitentiam egerunt: Ergo eorum filij qui antè Paſſionem Chriſti mortui ſunt, obtinuerunt peccati veniam, ſi pœnitentiam egerint.

Idem dico etiam ſi velint quòd habuerint illud ſicut credit univerſa Eccleſia Chriſti; idque uerum eſſe probo nedum rationibus jam ſuprà dictis, ſed quia ex Scriptura conſtat, Jeremiam, & Joannem Baptiſtam fuiſſe ſanctificatos in utero matris ante temporalem Chriſti Nativitatem, ex quo ſequitur, quod iſti non ſunt ob peccatum Adæ damnati, cum fuerit ipſis antè Mortem Chriſti remiſſum, per merita ejuſdem Chriſti præviſa,

LIBER TERTIUS FIDEI VINDICATÆ.

In quo Referuntur, & Refutantur Hæreſes, quæ inſurrexerunt adverſus Gratiam Dei, & adverſus gloriam ejus.

ARTICULUS I.

Refutat Pelagianiſmum.

QUamvis plures antiqui Scriptores, inter quos numeratur Vincentius Lyrinenſis, dixerint: Primum Hæreticorum, qui gratiæ Dei efficaciam, & neceſſitatem ſuſtulit, fuiſſe Pelagium: Nihilominùs D. Auguſtinus refert, apud Judæos eumdem fuiſſe *Pelagius nō eſt hujus hæreſis author.* errorem, quoniam de Lege gloriabantur, libero arbitrio Legem ſufficere arbitrantes. Eamdem ſententiam tuentur plures alij Divo Auguſtino antiquiores, aſſerentes longè ante Pelagium, iſtas de gratia, & libero arbitrio difficultates, incepiſſe. Et non paucos ſtatim nominandos, in ipſo ortu Legis Evangelicæ, docuiſſe hæreſim, quæ nunc dicitur Pelagiana. Nam S. Clemens, patriâ Romanus, Fauſtini filius, Apoſtolorum Coadjutor, & Diſcipulus, cujus meminit Paulus ad Philip. cap. 4. verſ. 3. tandemque ad Romanam Sedem erectus, lib. 3. recognitionum, aſſerit. Simonem Magum in diſputationibus habitis cum Divo Petro, divinæ voluntaris efficaciam, & gratiæ neceſſitatem prorſus ne- *Baſilides, Valentinus, & Marcion fuerunt gratiæ hoſtes.* gaſſe. Et Clemens Alexandrinus (ſic jure nuncupatus, qui & Athenis, ut creditur, ortus, & Alexandrinæ Eccleſiæ fuit Presbyter venerandus, qui floruit Anno CCIV.) lib. 5. Stromatum affirmat, Baſilidem, Valentinum, & Marcionem, docuiſſe, gloriam æternam ſolius liberi arbitrij fœtum, & fructum eſſe, ac proindé affirmat etiam eoſdem hæreticos gratiæ neceſſitatem rejeciſſe.

Baſilidi, & Valentino ſucceſſit Origenes prædicti Clementis Alexandrini Diſcipulus, qui dixit, *Origenes.* hominem per naturæ vires, aut ſolius liberi arbitrij virtute, poſſe credere ſicut oportet, benè operari, & ſalvari, ut referunt S. Auguſtinus, & S. Hieronymus, Epiſtola ad Ctheſiphontem, ubi tacito nomine, Pelagium ſic carpit: *Vis adhuc alium noſſe tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* In hoc tamen errore impugnando, non ſunt immorati Patres, qui illo ſæculo, ſcilicet tempore Origenis floruerunt, quoniam circà alium errorem, quò Deorum multitudinem introducere volebant hęretici, erant penitus occupati, & intenti. Hac de cauſa, omnes poſteà, ſcilicét in principio V. Eccleſiæ ſæculi, egrè audientes Pelagium in gratiam blaſphemantem, dixerunt, hanc hæreſim, quam modò impugnamus, eſſe Pelagianam, *Pelagius.* non ab errore, ſed ab Authore, ſeu Pelagio, igitur ex illorum hæreticorum cineribus proſilivit hæreſis Pelagiana, quæ tot, tantoſque ante ortum Pelagij, habuerat fautores.

Pelagius autem de quo jam locuti ſumus in V. Articulo II. Libri, fuit natione Britannus, patriâ Scotus, pietate ſimulata, Paulino, & Auguſtino Charus ac venerandus, ſed poſteà ab utroque notus fuit moribus vitiatus, voluptati, & ventri omninò deditus. Docuit circa annum Domini CCCCV. tempore Arcadij Imperatoris, & Innocentij primi Summi Pontificis, gratiam nullactenùs eſſe neceſſariam ad ſalutem conſequendam, exiſtimans hominem poſſe ex ſe ſolo, ſecluſo Dei auxilio eam conſequi.

Hujus perverſæ doctrinæ propugnatores, Pelagiique Sectarij, fuere Celeſtius hæreticus incertæ *Cæleſtius.* patriæ vir, profeſſione Monachus. Julianus Epiſcopus Capuæ, vir ingenio, & eruditione magnus, ſed Pelagianæ doctrinæ veneno ità plenus, ut con- *Julianus.* tra S. Auguſtinum, ac Catholicam fidem pro tribuenda libero arbitrio ſalute, varios libros ſcripſerit, & miſerabilis quidam Senex, Seneca nomine,

qui ex teſtimonio Gelaſij Papæ, hæreſim Pelagianam ſuſcitavit, anno CCCCXCIII.

Præcipua autem cauſa, quæ Pelagium in hunc fœdum errorem impulit, eſt, quia voluit impugnare Manichæos, qui naturam omnimodù vitiatam, & ad bonum quodlibet inutilem affirmabant. Vel quia Pelagius motus dictis quorumdam Sanctorum Patrum, qui cùm Manichæos impugnarent, plura in gratiam liberi arbitrij dixerunt, non diſtinguentes quid per liberum arbitrium, quid per gratiam poſſet homo (quia de hac re nulla erat tunc apud Catholicos controverſia) quòd non attendens ipſe Pelagius, ità Manichæis cœpit adverſari, ut ipſe in diverſum declinans errorem, ſeu contemptum gratiæ, oppoſitam in hæreſim inciderit; id eſt, ſoli naturæ ſalutis noſtræ opus dederit, idque in Palæſtina docuerit, & Celeſtius in Africa unà cum Anniano Diacono Eccleſiæ Celidenſis.

Motivum Pelagij.

§. I.

De Proſcriptione hujus Hæreſis.

DEus Eccleſiæ ſuæ providere volens, eamque à Pelagiana peſte liberare, duo Concilia à Summis Pontificibus convocanda inſpiravit, Carthaginenſe ſcilicet, & Dioſpolitanum, in quibus non perſonaliter, ſed per excerpta de Pelagij, Celeſtiiqoe libris capitula, accuſantibus Herote Arelatenſi, & Lazaro Aquenſi Epiſcopis in Gallia Narbonenſi ſecunda, damnati fuerunt hi duo Hæretici, poſtquam ipſis objecta fuerunt errorum capita, quæ tamen omnia Pelagius ſua eſſe negavit, & diſſimulata veritate, ſecundum judicium Sanctæ Eccleſiæ ea reprobare ſe dixit, addito anathemate in omnes contravenientes, & contradicentes Sanctæ Catholicę Eccleſiæ doctrinis, quibus omnibus auditis, Synodus Dioſpolitana eum abſolvit, & Catholicæ communionis eſſe decrevit, faventibus Joanne Jeroſolymitano Epiſcopo, Ruſlino Presbytero, ambo Origeniſtis, & aliis tredecim, qui cum illo convenerant ad Synodum, attendentibus ſolum ad id, quod Pelagij verba ſonabant, & ſic fefellit Synodum ille homo, & ut meliùs dicam cum S. Hieronymo, & aliis, ille Coluber Anglus. Non quod in doctrina erraverit Concilium, quia præfatas hæreſes damnavit, licet Pelagium abſolverit, (ut notat S. Auguſtinus lib. de geſtis Palæſtinis cap. 21.) ſed quòd Patres illius Concilij non adverterint, Pelagium ſubdoloſè tantùm ſuam doctrinam ejuraſſe, nè ipſe damnaretur, nec à Communione fidelium Canonicè excluderetur.

Fraus Pelagij.

Poſteà ipſe Pelagius Chriſtianæ gratiæ hoſtis, damnatus fuit Romæ, ut affirmat S. Proſper. Quia apud Sanctam Sedem, & apud omnes Chriſtianos, horrendum erat excludere Chriſti gratiam, quam omnes novi Teſtamenti paginæ inculcant. Deindè omnes Pelagiani damnati fuerunt in Concilio Carthaginenſi celebrato anno Domini CCCCXII. ſub Innocentio I. Et eodem anno in Milevitano, præſide Zumenſi Epiſcopo, Numidiæ Primate. Utriuſque Concilij geſta ad Innocentium fuerunt delata, & ab ipſo approbata; acproinde fuerunt damnati omnes Pelagianorum errores. Qua de cauſa S. Auguſtinus Serm. de verbis Apoſtoli ait: *Jam de hoc errore duo Concilia miſſa ſunt ad Seden Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt, cauſa eſt finita, utinam aliquando finiatur error.* Defuncto Innocentio, anno CCCCXVII. alia in Pelagianos, ſub Zozimo, in Africa celebrata ſunt Concilia, in quibus proſcripti fuere Pelagiani. Et tandem in Epheſina generali Synodo contra Neſtorium convocata anno CCCCXXXI. nedum Neſtorianæ hæreſis, ſed etiam Pelagianæ ono ore fuit conclamata damnatio. Et Meritò, quia excludit neceſſitatem gratiæ contra univerſam Scripturam Sacram, quæ apertè docet, hominem indigere divinæ gratiæ auxilio, ut rectè agat, greſſuſque ſuos dirigat in viam pacis, & ad æternam ſœlicitatem perveniat, ut ex mox dicēdis patebit. His tandē omnibus hæreticis jam anathemate percuſis ſucceſſit Melchior Hoſmanus, qui anno MDXXXII. ſcripſit, ſalutem eſſe in noſtris viribus ità collocatam, ut homo poſſit propriis viribus, ſecluſo quocumque auxilio Dei, eam conſequi.

Concilium Romanum.

Carthaginenſe.

Milevitanum.

Affricanum

Epheſinum.

§ II.

Stabilitur gratia neceſſitas.

PElagium non minus impiè, quam ſtolidè converſionem noſtram nullactenùs à gratia, ſed penitùs à libero arbitrio dependere exiſtimantem, confundit Propheta regius, Pſal. 84. dicens: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Sanè ſic minimè locutus fuiſſet David, ſi ſalus hominum in ſola uniuſcujuſque voluntate conſiſteret, aut ſi à ſolo libero arbitrio dependeret virtus, vel efficacia adimplendi Dei præcepta, quæ juxta Chriſti monitum ſervare tenetur qui vult ad vitam ingredi: Etenim ſi nos, ſecluſo quocumque auxilio ſupernaturali, poſſemus piè, ſanctè vivere, & à peccatis reſurgere per ſolam noſtri liberi arbitrij poteſtatem, ſeu ſpreto divinæ gratiæ auxiliò, non eſſet neceſſarium dicere Deo; *Converte nos Deus ſalutaris noſter*, quia à nobis penderet omne requiſitum. Quòd eſt falſum, nam ut ait Tridentinum Seſſ. 6. cap 5. *Cum in ſacris litteris dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtra admonemur, cum reſpondemus: Converte nos Deus ad te, & convertemur. Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Converſio peccatoris eſt opus Dei

Ad ſalutem, aut çonverſionem noſtram duo neceſſario requiruntur, ſcilicet gratia Dei, & liberum arbitrium; ſi enim ſolum liberum arbitrium ſufficeret, David non dixiſſet: *Converte nos, &c.* Nec Deus dixiſſet Paulo roganti ut auferretur ab eo carnis ſtimulus: *Sufficit tibi gratia mea*, ſed dixiſſet: *Tu ipſe ſufficis tibi*, aut *tibi ſufficit libertas tua.* Nec deberet unuſquiſque cum eodem Propheta dicere: *Perfice greſſus meos, dirige ſecundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injuſtitia*: Quia juxtà Pelagium unuſquiſque habet in ſe à ſua conditione naturali, plenam poteſtatem reſurgendi à peccato & conſequendi vitam æternam: etenim nemo petit ab alio id, quod habet in ſe. Erubeſcat igitur Pelagius dicens, unumquemque ſuo arbitrio regi, & præcepta de continentia ſervanda poſſe adimplere, cùm audiat (inquit D. Auguſtinus) Prophetam dicentem Pſal. 36. verſ. 23. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Nec non ſapientiam cap. 8. verſ. 21. *Et ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det*: Et ſciat ipſe Pelagius gratiam Dei eſſe omninò neceſſariam libero arbitrio ad fidem habendam, & ad Dei præcepta obſervanda, quæ humanæ naturæ vires ſuperant.

Pſal. 36.

Verùm ſi Pelagius nollit audire Prophetam regium proclamantem impij converſionem non eſſe opus ſolius liberi arbitrij, ſed dexteræ Excelſi mutationem, ex eo quod ex Can. *Si teſtes.* 4. quæſt. 2. unus teſtis numquam probat (quippe cum non ſequatur munditiam veræ fidei, ſed ſordes mendacij, poſſet ea ratione uti ad habendas excuſationes in peccatis) audiat Jeremiam in lamentationibus ſuis cap. 5. verſ. 21. dicentem: *Converte nos Domine ad*

Jerem. 5.

te,

te, & tu vertemur : hæc ſiquidem Prophetæ locutio plenè ſuadet, nullum hominem poſſe dici verè converſum independentèr à Deo gratiâ ſuâ adjuvanre; cùm ex hac aurhoritate ſequatur, quòd ut convertamur, neceſſe eſt, quòd Deus concurrat. Audiat etiam Iſaïam, qui cap. 31. verſ. 5. ait : quòd Deus eſt protegens, & liberans, & ſalvans. Audiat & Apoſtolum ad Philip. 2. cap. 13. verſ. 5. decerneotem quòd Deus, eſt qui in nobis operatur velle, & perficere : hoc eſt, quod ſine auxilio Dei, nemo poteſt velle bonum ſupernaturale, nec illud perficere.

Joan. 15.

Audiat tandem ipſe Pelagius Chriſtum dicenrem Joan. 15. verſ. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Namque ex illis rexribus Sacris, neceſſariò ſequitur, hominem nullum bonum operari poſſe liberô arbitriô, ſi deſit gratia Chriſti. Nec conſequi beatitudinem, imo neque adoptionis Spiritum (in quo clamamus Abba, Pater) ſine Ipſa gratia adjuvante, ut teſtatur ipſemet Chriſtus, Joan. 6. dicens : *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Certè ſi hæc omnia audiret ipſe Pelagius, non libero arbitrio nudo converſionem peccatorum, neque juſtificationem Impiorum tribueret, ſed libero arbitrio gratiâ Dei adjuto, & ad evincendas tentationes confortato ad evitandum peccatum, & ad ſectandam juſtitiam; cùm quilibet Juſtus, & homo Apoſtolicus teneatur ſic loqui cum Paulo 1. ad Corint. cap. 15. verſ. 10. *Gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus*

1. Cor. 15.

in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi : non ego autem, ſed gratia Dei mecum : Quia quilibet juſtus, eſt juſtus per grariam. Et qui pro ſalute conſequenda laborat, non ſibi ſoli, ſed gratiæ cui cooperatur, tenetur ſui finis tribuere conſecutionem, & in grarltudinis ſuæ obſequium, dicere cum Apoſtolo loco citato, verſ. 57. *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Nemo poteſt igitur virtute ſolius liberi arbitrij elicere opus bonum, vincere tentationes, & ſalutem conſequi, quoniam non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: hoc eſt, ut nobis toraliter tribui poſſit, ſed ſufficienria noſtra ex Deo eſt, ideo non nobis, ſed Deo danda eſt gloria, qoia (inquit D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum contra Judæos cap. 4.) *In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit.* Vires liberi arbirrij ſunt naturales, ſalus autem animæ, eſt opus ſupernaturale, ac proindè aliquô auxiliô ordinis ſupernaturalis, indigent, quoniam Domini eſt ſalus, ut inquir Pſalmiſta. Et Paulus 2. Cor. 4. ait *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.*

Pelagiani ex prædictis Scripturæ Sacræ textibus non inferunt, gratiam eſſe ita neceſſariam libero arbitrio, ut ſine ipſa nequeat bonum operari, ſervare Dei mandata, à peccato reſurgere, & ad gloriam pervenire, ſed ſolùm eſſe neceſſariam ad rollendam difficultarem, quam humana voluntas habet ad conſequendam vitam æternam ſolo liberô arbitriô. Irà refert. S. Auguſtinus, ſerm. 13. de verbis

D. Auguſtinus.

Apoſtoli, ubi de Pelagianis inquir. *Jam vero dicunt adjutricem eſſe gratiam Dei ad faciliùs facienda : iſta ſunt enim verba eorum : ad hoc dedit (inquiunt) Deus gratiam ſuam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Velò faciliùs : remò difficiliùs, tamen & remò itur : Jumentô faciliùs, ſed tamen pedibus pervenitur* : Ideo ex D. Auguſtini teſtimonio ſequitur, quòd Pelagiani voluot, Illam, particulam, *ſine me*, & alias ſimiles, quæ neceſſitatem divini auxilij exprimunt, non indicare impoſſibilitatem reſurgendi à peccato per vires ſolius liberi arbitrij, ſed difficultatem reſurgendi.

Hanc diſtinctionem probant ex his, *Non amplius, non ultrà, æternum, in æternum*, quæ ſæpè dicuntur in Sacra Scriptura, quin denotent ſemper abſolutam æternitatem, cum ſæpe ſignificent diurnam durationem, id eſt longum tempus, cujus finis ab homine jam exiſtenre videri non poteſt, ut patet ex cap. 26. verſ. 14. Ezech. Et 1. Paralip. cap. 15. verſ. 2. ità (inquiunt) hæc particula *ſine me*, & ſimiles non denotant impoſſibilitatem, ſed maximam difficultatem, quæ per gratiam facilè vinci poteſt, & ut eam facilè vincamus, petimus à Deo auxilium; aut dicimus : *Converte nos Deus ſalutaris noſter.*

Sed hæc Pelagianorum interpretatio nedùm frivola eſt, ſed etiam ſiniſtra. Nam ſi hoc eſſet, liberum arbitrium haberet in ſe ſufficientem virtutem ad conſequendam ſalutem, quamvis non poſſet eam conſequi ſine maxima difficultate; ſicut pedes habent ſufficientiam iter faciendi ſine jumento : ſed Apoſtolus declarat quòd liberum arbitrium eſt ex ſe inſufficiens, hoc eſt, non habet ſufficientiam ad conſeqnendam ſalutem, & teſtatur hanc ſufficientiam, id eſt, poſſe conſequi ſalutem, eſſe à Deo 2. ad Corint. cap. 3 verſ. 5. Et ad Philip. cap. 2. verſ. 13. aſſerit quòd Deus operator in nobis velle, & perficere pro bona voluntate; Deus, Ezech. cap. 36 verſ. 27. *faciam*, inquit, *ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*. hæc enim verba indicant quod ambulare in præceptis Dei, non eſt in virtute hominis : Igitur libero arbitrio nedum eſt difficile conſequi ſalutem ſine gratia, ſed etiam impoſſibile, qoia ex Apoſtolo ſine auxilio Dei eſt inſufficiens, id eſt, impotens, nec poteſt ex ſe habere velle, idcircò hæc particula, *ſine me* à Chriſto prolara, & aliæ ſimiles; quæ ſunt Prophetarum, vel Apoſtolorum, non ſolùm excludunt à libero arbitrio facilitatem ad conſequendam remiſſionem peccatorum, ſi deſit auxilium Dei, ut voluerunt Pelagius, Celeſtius, Julianus, & alij; ſed etiam excludunt capacitatem, virtutem, poſſibilitatem, & ſufficientiam. Et declarant, liberum arbitrium ex ſe eſſe impotens, ſeu potentiam incompletam, & inſufficientem habere ad benè operandum, ita ut in vanum laboret ſi ſine gratia adjutrice laboret, unde Propheta Pſal. 126. ait : *Niſi Dominus ædificaverit domum in vanum laborant qui ædificant eam* : omne enim datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcedens à Patre luminum.

Rejicitur Pelagianorum reſponſio.

Pſal. 126.

Ad Exemplum de particulis, *Non amplius, non ultra, æternum, in æternum*, dico quòd non valet, quia longum tempus poteſt exprimi per æternitatem, quæ eſt duratio major duratione temporis; licet enim uti, *Ephbaſi*, ſeu verbo vehementiori pro minus vehementi, ut patet in Sacra Scriptura, quæ ſæpè utitur hàc figurâ, & præcipuè in locis in objectione citatis. Porrò particulæ, *ſine me; niſi*, & ſimiles, cùm excluſivæ ſint, non poſſunt denotare difficultatem ad agendum dumtaxat, ſed apertè dicunt incapacitatem, & impotentiam, quæ non ſunt in eodem ordine cum facilitate, imo ſunt ſicut forma & privatio, alioquin eſſent abſolutè falſæ; nec valent per aliquam figuram excuſari. Nam dum Chriſtus ait : *Sine me nihil poteſtis facere; nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum*, oſtendit potentiam ſuam, & dominium, nec non impotentiam, & ſubjectionem noſtram, quam potentiam, quodve dominium non oſtenderet terminis excluſivis, ſi ſine gratia poſſemus ad gloriam pervenire, quamvis laborioſiſſimè; quia non poſſe pervenire faciliter. non debet exprimi per non poſſe pervenire ſimpliciter. Et poſſe pervenire difficiliter, non eſt abſolutè, non poſſe pervenire. Quia homo poſſet ſine auxilio Dei facere aliquid, quòd eſt manifeſtè contra teſtimonium Chriſti, *Sine me nihil poteſtis facere* nedum completè, ſed etiam nec initiativè, quia qui dicit, nihil, excludit omne.

Gratia eſt abſolutè neceſſaria.

Validum pro neceſſitate gratiæ argumentum.

Hæc reſponſio,ſimul,& articuli veritas ſuaderi poſſunt ratione. Nam quædam proportio debet eſſe inter potentiam, medium, & finem conſequendum; cùm nulla facultas poſſit ultrà proprias vires tendere, niſi per formam aliquam ſuperadditam vegetetur,& corroboretur.,ut ſuadet ratio naturalis,& ut probat experientia ;At gratia ſantificans,quâ juſtificamur, juxtà Tridentinum,& habemus jus ad æterná hæreditatem. Aut perfecta fides, quâ credimus, aut dilectio , quâ amamus Deum ſuper omnia , longè excedit vires liberi arbitrij; cùm hæc fides non veniat in mentem,niſi divinitùs reveletur,nec poſſit comparari , niſi cælitùs ſublimetur intellectus, ſitque in ordine ſupernaturali vires humanas excedente: neceſſarium eſt igitur abſolutè aliquod auxilium ſupernaturale, ſeu ordinis gloriæ, & fœlicitatis æternæ corroborans , & elevans liberum arbitrium, non ut faciliùs ad eam perveniat,ut putant Pelagiani,ſed ut ad eam poſſit pervenire ; cùm ipſa gloria ſit in ordine alterius generis,genus noſtrum,noſtraſque vires omninò excedente.

Concilium Arauſicanum,

Idem docet Concilium Arauſicanum a.Can.9.his verbis:*Divini eſt muneris cum rectè cogitamus,& pedes noſtros a falſitate, & injuſtitia abſtinemus : quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum,ut operemur, operatur*, quô ſuadetur, auxilium Dei non eſſe tantùm neceſſarium ut faciliùs operemur, ſed abſolutè ut operemur,non modum tantum, ſed ſubſtantiam operationis reſpicit gratia Dei,cùm ipſa ſit,quæ potentiam liberi arbitrij complet,ut poſſit velle,& operari : *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum , quem miſit ille* (inquit Chriſtus) Et Apoſtolus,ad Corint. cap. 12.ait:*Nemo poteſt dicere,Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto.*

Concilium Tridentin.

Unde Tridentinum ſeſſ. 6. de juſtificatione Can.3. ait : *Si quis dixerit , ſine præveniente Spiritus Sancti operatione , atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere,aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur ; anathema ſit.* Per hoc quippè verbum, *poſſe*, ſignificatur, in nobis nedum eſſe difficultatem, ſed etiam impoſſibilitatem ad vincendas tentationes, ad præcepta Dei ſervanda , ad fidem comparandam, ad ſalutem conſequendam , ſi deſit illud adjutorium, aut Spiritus S. gratia , ut teſtatus eſt Jeremias cap. 10. verſ. 23. his verbis: *Scio Domine quia non eſt hominis via ejus; nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Hoc enim non denotat ſolùm ambulandi facilitatem non eſſe hominis , ſed facultatem , aut potentiam illam, non eſſe ità completam in homine, ut ipſe ſolô liberô arbitrio poſſit ſervare mandata Dei ſine auxilio gratiæ; alioquin Propheta non dixiſſet : *Non viri eſt ut ambulet* Quia hæc verba non exprimunt modum, ſeu facilitatem , ſed ſubſtantiam, ſeu potentiam ambulandi & demonſtrant,hanc potentiam in actu exercito non eſſe viri ; aliundè ſequeretur quòd homo poſſet propriis viribus,ſecluſo gratiæ dono,fieri amicus Dei;cum obſervatio mandatorum Dei,faciat Dei amicum, juxtà illud Joan. 15.verſ. 14. *Vos amici mei eſtis,ſi feceritis quæ præcipio vobis*; Sed nullus poteſt eſſe amicus Dei , ſeu Deum ſuper omnia diligere ; quin ejus liberum arbitrium adjuvetur ad eliciendum illum amoris actum, ut declarat Sacra Trident. Synodus ſupra citata.

D. Auguſtinus.

Idem colligitur ex. D. Auguſtino,qui tract. 102.in Joan.ait. *Donum Dei eſt diligere Deum,quoniam ipſe , ut diligetur, dedit, quo non dilectus, dilexit, diſplicentes amati ſumus, ut eſſet in nobis unde placeremus* :ergo ut homo diligat Deum ſuper omnia,& vitam æternam conſequatur,neceſſario & abſolutè indiget gratiæ Dei auxilio, quoniam gratiâ (quæ eſt ſupernaturalis) ſalvati ſumus per fidem,& hoc non ex nobis.Dei enim Donum eſt,non ex operibus,nè quis glorietur,inquit Paulus ad Epheſ.cap.2.ſed ex gratia.

§. III.

Diſſolvit Argumenta Pelagiana.

HÆretici neceſſitatem gratiæ ſic impugnant. Si liberum hominis arbitrium indigeret abſolutè auxilio gratiæ ad ſalutem conſequendam , non peccaret homo,qui legem Dei non obſervat , quia non poſſet ex ſe eam legem ſervare ex defectu auxilij extranei , cujus diſpoſitionem non haberet in ſua poteſtate , nec poſſet ad aliquid obligari , quia impotenti nulla poteſt imponi lex, nemo enim ad impoſſibile tenetur.

Reſponſio ad primam Pelagij rationem.

Reſpondetur quòd hæc Pelagiana ratio non valet, quia Deus non obligat hominem ſecundum liberi arbitrij vires dumtaxat, nec ſecundum id, quod poteſt naturaliter facere , homo enim ſic conſideratus non ligatur lege Dei:quippé ut quis teneatur ad aliquam legem adimplendam, neceſſè eſt quòd habeat unde poſſit obedire, & ſervare mandatum. Sed obligat eum ſecundum vires auxiliô gratiæ confortatas: ſic autem conſideratus homo poteſt vitare peccatum, ſervare mandata Dei : hæc enim eſt liberi arbitrij poteſtas, ut Deo monenti conſentiat,& Deo operanti , cooperetur. Deus nunquàm negat homini tale auxilium, imo ſemper paratus eſt, ut nos ad hoc exciter , & adjuuet , ſtat ad oſtium , & pulſat , nec patitur nos tentari ſuprà id, quod poſſumus. Hujus auxilij omnibus conceſſi ratio eſt, quia omnes ligantur lege Dei , & nullus poteſt eam propriis viribus naturalibus adimplere, ut docent communiter Sancti Patres : igitur dum homo non vitat peccatum, & mandata Dei negligit, eſt Reus , non quia ſolus non facit ; cùm hoc eſſet illi impoſſibile , ſed quia Deum monentem non audit, Deo vocanti non reſpondet, & operanti Deo, non cooperatur , ut declarat ipſemet Deus , Proverb. cap. 1. verſ. 24. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne Conſilium meum.* Unde ſicut homo,qui in foveam caderet , ex qua ſurgere, & exire non poſſet , & illi alter ità manum præberet , illumque juvaret ut exire poſſet , merito Reus eſſet, ſi adjutorium reijceret. Ità Reus eſt homo, qui mandata Dei non ſervat, & ex fovea peccati non exit , qoia Deus illi porrigit manum , hoc eſt, præbet illi gratiæ ſuæ auxilium , ut à peccato reſurgat , & divina mandata ſervet : eſt enim illi cura de omnibus. *Proverb. 1.*

Huic argumentu aliud jungunt Pelagiani , dicunt enim , hominem propriis viribus ſolius liberi arbitrij poſſe de bono in malum corruere , acproinde poſſe eadem ratione de malo ad bonum reſurgere ; cùm contrariorum eadem ſit ratio. Et homo tam ſit liber ,& potens ad bonum , quàm ad malum , quæ appoſuit illi Deus æqualiter : dicens ei:ad quodcumque volueris,porrige manum tuam.

Concilium Arauſicanum reſolvit ſecundum Pelagianorum argumentum.

Minus valet hoc argumentum , quia purè humanum eſt peccare , benè autem agere eſt a Deo adjuvante , & cooperante , quia ex Apoſtolo dat velle & perficere. Et ex Concilio Arauſicano 11. Can. 22. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium , & peccatum , ſi quid autem homo habet veritatis , ab illo fonte eſt , quem debemus ſitire in hoc Eremo , ut ex quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via.* Nihil certò clariùs dici poteſt,ut conſtet,veritatem, & juſtitiam non eſſe ab homine ſolo,licet ab eo ſolo procedat mendacium,& peccatum.Liberum arbitrium ad malum ſufficit,ad bonum autem nihil eſt,niſi adjuvetur ab omnipotente bono inquit D.Auguſtinus,lib.de corrept. & gratia cap.11. Deindè peccare eſt deficere,& ideo ut homo peccet , non indiget auxilio Dei, qui eſt ſuprema poteſtas indefectibilis:bonum autem agere, eſt

efficere, & ſic homo indiget auxiliô gratiæ ad benè operandum; licet poſſit propriis viribus malè operari. Homo poteſt viribus naturalibus in foveam cadere; quin tamen poſſit ſemper de ea propriis viribus, ſecluſo alio auxilio, exire.

Hanc ipſam divini auxilij neceſſitatem inſinuat David Pſal. 26. verſ. 9. *Adjutor meus eſto, nè derelinquas me.* Nam cùm Deum petat adjutorem, inſufficientem ſe eſſe oſtendit, & declarat quòd divinæ gratiæ auxilio opus habet. Et Pſal. ſequenti verſ. 7. ait: *Dominus adjutor meus, & protector meus, in ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum.* Et Paulus ad Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem veſtram.*

Tandem aliud objiciunt argumentum deſumptum ex illo Zachariæ cap. 1. verſ. 3. & 4. *convertimini ad me, & convertar ad vos, convertimini de viis veſtris, & de cogitationibus veſtris peſſimis*; inde enim concludunt; ſolum liberum arbitrium eſſe cauſam converſionis, prædeſtinationis, & ſalutis. Quia converſio Dei ad hominem, per quam recipere poſſumus gratiæ beneficium, ſupponit converſionem hominis ad Deum, ut ex proprio textu conſtat; alioquin poſtularet à nobis, quòd non eſt in noſtra poteſtate, poſſumus igitur per liberum arbitrium recedere à malo antequam Deus convertatur ad nos, hoc eſt, antequam reſpiciat nos ut author gratiæ; eamque nobis elargiatur. Sanè Deus nequit converti ad peccatorem cui dat gratiam, quin ipſe peccator convertatur ad illum; cùm Deus operetur in eo cui dat eam: ergo (inquiunt) homo antequam recipiat beneficium gratiæ, id eſt, antequam Deus ad illum convertatur, ſeu antequam det illi gratiam, poteſt per ſolum liberum arbitrium recedere à malo, & converti ad Deum juxta varieinium Zachariæ.

Rejicitur ultima Pelagianorum ratio.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia homines, quibus Deus dicit: *convertimini ad me*, habent gratiam ſufficientem, & auxilium præveniens Nam ut Deus det hujuſmodi auxilium, non requiritur quòd convertatur ad nos, ſeu quòd in nobis habitet. Hæc ſiquidem converſio non fit per gratiam prævenientem, & auxiliantem, ſed fit ſolum per gratiam habitualem, & ſanctificantem, quâ ſumus conſortes divinæ naturæ. Ut Deus per auxilium gratiæ actualis, prævenientis, & adjuvantis operetur in nobis, ſine nobis, non eſt neceſſè quòd det nobis Spiritum adoptionis, quo juſti ſumus; quo manemus in Deo, & ipſe Deus manet in nobis, ſed ſufficit quòd velit nos ſalvos fieri, quod velle habet; etiam ſi inimici ejus ſimus, quoniam ordinatè, & ſincerè volens finem, vult medium ad eumdem finem, ex quo ſequitur quòd Deus, qui vult ſalutem peccatorum, dat illis auxilia ſufficientia, ut ad eum convertantur; Igitur collatio auxilij gratiæ non ſupponit converſionem hominis ad Deum, quam ſignificat gratia habitualis, ſed datur ut homo lapſus reſurgat, & convertatur ad Deum. Unde dum ait peccatoribus, *convertimini ad me*, loquitur peccatoribus auxiliô gratiæ adjutis.

D. Auguſtinus.

Idem docet D. Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. exponens illa verba proverb. *Hominis eſt præparare cor.* Et illa Apoſtoli 2. Corint. cap 3. *Non quod ſimus ſufficientes* &c. ubi ait: *Hominis eſt præparare cor; & à Domino reſponſio linguæ, quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui tangit cor, ſi enim ſine illo nihil poſſumus facere, profectò nec incipere, nec perficere; quia ut incipiamus, dictum eſt aliquid; miſericordia me præveniet, ut perficiamus, dictum eſt: miſericordia ejus ſubſequetur me.* Hoc enim demonſtrat, Deum, gratiâ ſuâ prævenire illos, quibus ait: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, eoſque adjuvare, ut convertantur, & ut gratia habituali juſtificentur, habeantque jus ad hæreditatem Filiorum Dei. Quia Domini eſt aſſumptio noſtra Pſal. 88. verſ. 19.

Neceſſitatem gratiæ impugnant Pelagiani ex abſurdis, quæ ſequerentur, quoniam inquiunt, ſuppoſita hac neceſſitate, homo non poteſt mereri: nam ſi Deus operatur omne bonum, quod eſt in nobis, ſequitur quòd non homo, ſed Deus, eſt, qui meretur, nulla eſt hominibus danda merces; cùm hæc detur propter laborem, & labor non ſit ab homine, ſed à Deo.

Inferunt inſuper hominem non habere liberum arbitrium, nam ideo homo eſt liber, quia poteſt agere, ſi velit, & non agere, ſi non velit. Sed ſi egeat gratiæ Dei auxiliô ut agat, non habet in ſe poteſtatem agendi: ergo non habet liberum arbitrium, neque potentiam merendi. Quod eſt falſum.

Pelagianorum inſtantiâ diſſolvitur.

Reſpondeo ad primum negando conſequentiam, quia licet Deus in nobis operetur bonum, nos tamen cooperamur, etenim ad opus bonum duo requiruntur, ſcilicet monitio Dei, & noſtra obedientia, Dei operatio, & noſtra cooperatio, cùm ex Apoſtolo ſimus coadjutores Dei, & Spiritus adjuvet infirmitatem noſtram. Unde idem Apoſtolus ait: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Non dicit per me gratia; nec ego per gratiam, ut demonſtret ad omne opus meritorium, Deum & nos operari; quin tamen Deus ità operetur ut illi danda ſit merces, quia adjuvat hominem ut mereatur, & obtineat coronam. Adjuvanti alium, ut perveniat per bona opera ad finem, ad quem tendit, non eſt dandum præmium operis, ſed danda eſt illi gloria actionis. Quare Propheta ait: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam:* Igitur homo mereri poteſt, & mercedem obtinere, quamvis Deus gratiâ ſuâ adjuvet illum, ut mereatur; cùm non adjuvanti, ſed adjuto danda ſit merces. Quoniam finis auxilij, & adjuvantis eſt ut homo mereatur.

Tandem licet nobis ſic retorquere inſtantiam contrà Pelagianos. Si opus bonum eſſet à ſolo libero arbitrio, ſequeretur quòd non Deo; ſed nobis danda eſſet gloria operis boni; ſed hoc eſt directè contrà Scripturam, ut jam monui: ergo opus bonum non poteſt provenire à ſolo libero arbitrio, independenter à gratia Dei, neque à gratia Dei ſine libero arbitrio; cùm teneamur corda noſtra præbere Deo, teſte Scriptura:

Ad ſecundum dico, gratiam illam non deſtruere liberum arbitrium, quia non cogit illud, ſed adjuvat, nec per liberum arbitrium tollitur exigentia gratiæ, quoniam ut potentia ſit libera ad agendum, vel non agendum, neceſſè eſt quòd habeat vel à ſe, vel ab alio, omnia requiſita ad agendum. Nec per aliquid ipſorum deſtruitur, imo perficitur in ratione potentiæ activæ, & principij operativi. Ideo cùm gratiæ auxilium requiratur ad agendum ſupernaturaliter, ſequitur quòd homo, ſtante illo auxilio gratiæ, remanet liber: tunc enim poteſt agere, vel non agere, ſeu amare Deum, & non amare; alioquin ſequeretur quòd non poſſet divinæ inſpirationi reſiſtere, quòd eſt falſum, ut probabimus in proprio loco.

ARTICULUS II.

Impugnat Semipelagianiſmum.

PLures viri graves, & de ſcientiis benèmeriti infrà nominandi, occaſione ſcriptorum. D. Auguſtini contrà hæreſim Pelagianam, malè intellectorum, aliud texuerunt errorem: voluerunt enim ex ſecundo de correptione & gratia S. Auguſtini lib. ad Adrumentinos Monachos directo, colligere, non à Deo; ſed ab homine, ſeu à libero arbitrio provenire benè, beatéq;

vivendi primordia, ſecluſo quocumque divinæ gratiæ auxilio. Gratiæ quidem ſemina, & diſpoſitiones in hominis arbitrio cum Pelagio collocabāt (inquit Cabaſſutius in notitia Cōciliorū) hoc eſt, in deſiderio ſalutis, ac fidei, aut in oratione: quibus rebus, hominem propriis & naturalibus relictū viribus, gratiā mereri, & ad ſe trahere dicebant, ut conſtat ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarij, quibus D. Auguſtinus admonetur de inſurgente iſta in Gallia, maximè in ſecunda Narbonenſi Provincia, hæreſi. Aſſerebant tamen contra Pelagium, gratiam Dei eſſe neceſſariam ad opus bonum eliciendum, & ad ſalutem conſequendam. Unde conveniebant cum Pelagianis, in hoc quod dicerent, initium rectum in Deum, fidei, & bonæ voluntatis, non eſſe donum Dei, ſed à nobis proficiſci. Ab eiſdem è contra differebant, quod cætera religioſæ vitæ bona, Deum per ſuam gratiam, jam ex fide petentibus, quærentibus, ac pulſantibus donare, tenerent. Et propter hoc, ſcilicet quia conveniebant in primo capite cum Pelagianis excludentibus omninò neceſſitatem gratiæ, & quia non conveniebant cum ipſis in alio capite, quó Pelagiani excludebant gratiam pro aſſeqoenda gloria, dicti fueruot Semipelagiani, quia cum Pelagianis conveniebant, & ab ijſdem differebant circa liberi hominis arbitrij neceſſitatem, & dependentiam à gratia Dei in operatione bonorum operum.

Adrumentinorum diviſio.

Hic Semipelagianorum error viguit in Africa, & in Gallia, ſed priùs in Africa, quàm in Gallia, imbecillitate Monachorum Adrumentinorum (ſic dicti à loco, ſeu à monaſterio ſito in provincia Bizacenæ in regno Tunetenſi) qui viſà, nec non malè intellectâ Epiſtolâ D. Auguſtini ad Sixtum, quæ eſt inter Auguſtinianas. C V. turbati fuerunt, & diviſi circa efficaciam gratiæ. Quidam enim credebant D. Auguſtinum tollere libertatem arbitrij humani, & correctionis neceſſitatem. Et gratiæ ſolùm concedere opus meritorium Alij verò volebant eumdem Sanctum Doctorem tollere efficaciam gratiæ, & omne opus bonum libero arbitriu totaliter, aut ad minus quoad primordia tribuere. Porrò D. Auguſtinus hujus diſſidii notitiam habens per duos ejuſdem Monaſterij Juvenes, Fælicē ſcilicet, & Creſconium, ſcripſit duos libros, quorum unus eſt *De gratia, & libero arbitrio*, alter verò *de correptione, & gratia*, ad Valentinum hujus Monaſterij Præpoſitum, quibus declarat Dei gratiam non tollere libertatem arbitrij, nec liberum arbitrium tollere efficaciam gratiæ, ſed miram eſſe inter gratiam Dei, & voluntatem hominis concordiam, ſicque per D. Auguſtinum inſtructi, explicatæ veritatati acquieverunt omnes Monachi, ac proinde nullus remanſit Pelagianus, nec Semipelagianus, cùm nullus fuerit contumax, & crediderint omnes, nedum bona ſupernaturalia eſſe à Deo, ſed etiam eorumdem bonorum primordia. Viguit etiam error Semipelagianorum protervià cujuſdam Vitalis presbyteri Carthaginenſis, cui D. Auguſtinus ſcripſit Epiſtolam quæ eſt CVII. in qua ſic legitur: *Te audio dicere, ut rectè credamus in Deum, & Evangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc in nobis eſſe a nobis, id eſt propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe.* Igitur Semipelagianorum hæreſis prius fuit in Africa, quàm in Gallia, & diutiùs duravit in Provinciis Africæ, quàm in Galliarum regione.

Vitalis Carthaginenſis.

Nedum Adrumentinos Monachos turbavit liber ſecundus de correptione, & gratia S. Auguſtini, ſed etiam nonnullos Maſſiliæ presbyteros, qui ex ipſo libro ſumpſerunt (abſque ullo fundamento) occaſionem tuendi initium ſalutis noſtræ à ſolis pendere naturæ viribus & vafritie Diaboli ſtatim huic errori adhærere voluerunt, nonobſtantibus variis, atque iteratis monitionibus, nec non doctiſſimis ſcriptis plurium Galliæ Epiſcoporum, quibus ipſis luculenter demonſtrabatur verus S. Auguſtini ſenſus, nec non elucebat neceſſitas gratiæ, tam quantùm ad primordia, & initia fidei, quàm quoad opera bona. Horum Maſſilienſium, ſeu Semipelagianorum in Gallia, primus, atque præcipuus fuit Joannes Caſſianus, non Romæ, Ut volunt nonnulli, ſed in provincia natus (ut refert communior opinio) primùm Chryſoſtomi Diaconus, deindè apud Maſſiliam preſbyter, qui floruit anno CCCCXL. & degebat Maſſiliæ tempore, quo occaſione libri S. Auguſtini de correptione, & gratia, exorta eſt apud Maſſilienſes illa magna turbatio, de qua S. Proſper ſcripſit ad D. Auguſtinum. Caſſiani errorem ſecutus eſt Fauſtus, Patriâ Anglus, profeſſione Monachus Lirinenſis, ejuſdem Monaſterij Abbas, & tandem Eccleſiæ Regienſis Epiſcopus, qui floruit anno. CCCCLXXX. Fauſtu adhæſit Gennadius Eccleſiæ Maſſilienſis Præsbyter, qui vixit tempore Gelaſij Romani Pontificis circa annum CCCCXC. Gennadio adhæſit Vincentius Lirinenſis Inſulæ Monachus, qui licet eruditus, & magnus vir fuerit, docuit tamen in ſuo Commentario, cap. 37. gratiam Dei univerſis hominibus eſſe communem, & illam gratiam, pulſantibus, & petentibus ſolis naturæ viribus conferri. Tandem Maſſilienſium errorem ſecutus eſt Sulpitius Severus, Bituricenſium Epiſcopus. Ita collegi ex variis Authoribus fide dignis; ſed moneo quòd licet de gratia malè locuti fuerint præcitati Authores, tamen providentia Dei qui vult omnes homines ad veritatis agnitionem venire, ab errore receſſerunt, & ſalvi facti ſunt, ſi non omnes, quòd conſtet, ſaltem Gennadius, Fauſtus, & Severus. Nam primus (teſte Baronio ad annum CCCCXC) reſipuit, & aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Maſſilienſem, in quo orthodoxus, & Catholicus è vivis abiit. Quantum ad Fauſtum dico quòd ex antiquo more cultu ſanctitatis bonoratur in Eccleſia Regienſi, Archiepiſcopatus Aquenſis ſuffraganea. Tertius verò, ſeu Sulpicius Severus Bituricenſis inter Sanctos nominatur, ut conſtat ex Matyrologio Romano, die XXIX. Janvarij. De aliis autem duobus, Caſſiano ſcilicet, & Vincentio, nullum potui habere authenticum teſtimonium: plures tamen credunt quòd ante mortem, errorem depoſuerunt.

Presbyteri maſſilienſes. *Joannes Caſſianus* *Fauſtus.* *Gennadius.* *Vincentius Lirinenſis* *Severus Sulpitius.*

§. I.

Affert Concilia contrà Semipelagianos Celebrata.

Arauſicanum ſecundum.

HÆc Semipelagianorum doctrina damnata fuit in variis Conciliis, & præſertim in Arauſicano ſecundo, celebrato anno DXXIX. in quo Patres ſic loquuntur, Can. 5. & 6. *Si quis ſicut & augmentum, ita & initium fidei non per gratiæ donum, ſed naturaliter in nobis eſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius probatur, beato Petro dicente: quia qui cæpit in nobis opus bonum, perficiet: ſi quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, conantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam conferri dicit, reſiſtit Apoſtolo dicenti, quid habes, quod non accepiſti, & gratia Dei ſum id quod ſum.* Et Can. 12. habetur: *Tales nos amat Deus quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.* Hic Can. deſumitur ex Epiſt. 105. D. Auguſtini Inſignis divinæ gratiæ propugnatoris. Idem definivit Eccleſia in orationibus dominicæ quartæ poſt octavas Paſchæ. Ubi dicitur: *Da populis tuis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis.* Et dominicæ quintæ: *Deus a quo bona cuncta procedunt, Largire ſupplicibus tuis ut cogitemus.* Idem habetur ex Conciliis contra Pelagianos in præcedenti articulo relatis.

Præter Concilium Arauſicanum ſecundum, cui præfuit Cæſarius Arelatenſis, regnante Fælice IV. Papa, quodque approbavit Bonifacius II. in ſua ad ipſum Cæſarium Epiſtola, eoſdem Semipelagianos damnat Sacra Scriptura, nam Deus per os Iſa. cap. 65. verſ. 1. ait: *Quæſierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæſierunt me, dixi: ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocabant nomen meum.* Idem docet Apoſtolus ad Rom. cap. 10. verſ. 20. dicens: *Iſaias autem audet, & dicit; inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* His enim verbis conſtat, effectum bonum, ſeu fidei initium eſſe à gratia Dei, & ab ipſa procedere, ſicut ab ipſa gratia auxiliante procedunt cætera bona ſupernaturalia; cùm ſuadeant, Deum operari in nobis ſine nobis, ſeu ſe manifeſtare non quærentibus eum, quòd non poteſt intelligi, niſi per gratiam excitantem, & adjuvantem, quam dat homini abſque ullo ipſius conatu, ut poſſit credere, ut teſtatur Chriſtus, Joan. 6. verſ. 29. *Hoc eſt opus Dei ut credatis.* Et D. Jacobus cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*: Igitur credere in Deum non eſt opus ſolius liberi arbitrij, ſed eſt donum Dei: nemo enim habet quidquam boni, niſi illud ei datum fuerit deſuper.

Iſay. 65.
Joan. 6.
Jacob. 1.

Idem probant omnes & ſinguli textus Sacræ Scripturæ in præcedenti articulo relati, cum evidenter demonſtrent contra Pelagianos, hominem non poſſe propriis viribus, aut ſolius liberi arbitrij virtute, & ſine auxilio ſupernaturali velle, aut perficere ullum opus bonum, quod ad ſalutem æternam conducat. Nam ſi homo non valeat per liberum arbitrium independenter ab auxilio gratiæ ullum bonum opus elicere, certum eſt quòd nequit eodem libero arbitrio benè incipere, nec in ſe habere fidei, & virtutum primordia. Apoſtolus hanc veritatem docet Philippenſes, eos ſic alloquens cap. 1. verſ. 28. & 29. *Et in nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo, quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam & pro illo patiamini*; ibi enim Paulus loquitur de fide Evangelij quoad omnes ſui partes, hoc eſt, quoad initium, progreſſum, ac finem. Et docet, fidem hanc eſſe donum Dei, ut jam ſupra monui, ex D. Joanne, & iterùm moneo ex Trident ſeſſ. 6. Can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, abſque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, & ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.*

Ad Philip. 1.

D. Auguſtinus.

S. Auguſtinus in lib. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 2. eamdem ſuadet veritatem: ibi enim hæc verba Apoſtoli referens, ait: *Utrumque oſtendit donum Dei, qui utrumque dixit eſſe donatum. Nec ait ut plenius, & perfectius credatis in eum, ſed ut in eum credatis, nec ſeipſum miſericordiam conſecutum dixit ut fidelior, ſed ut fidelis eſſet, quia ſciebat non ſe initium fidei ſuæ priorem dediſſe Deo, & retributum ſibi ab illo ejus augmentum, ſed ab eo ſe factum fidelem, à quo & Apoſtolus factus eſt.* Taceant igitur Semipelagiani, & dicant, liberum arbitrium, non habere in ſe ſalutis æternæ ſemina, nec poſſe in deſiderio fidei gratiam mereri, & eam ad ſe trahere, ſecluſo auxilio omnipotentis Dei, quia omne bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Et gratia non datur ex operibus, ſed gratis, ut monet Doctor gentium ad Rom. cap. 11. verſ. 6. ac proindè non debet in nobis ſupponere meritum, nec bonum, ſed neceſſariò dari, ut voluntas illud velit, ut tradit Divus Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 10. ſic alloquens: *gratia non ſolum ſuadetur omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur.*

Ratione tandem demonſtratur veritas articuli contra Semipelagianos. Nam actus fidei in Deum, & dilectionis ejuſdem ſuper omnia, ſunt ſupernaturales, ergo intellectus, & voluntas hominis indigent aliquo ſupernaturali ſe tenente ex parte principij amoris, & cognitionis, quô ipſum principium adjuvetur, ut dilectio ſit ſupernaturalis, & ut elevetur ad objectum illud omninò ſupernaturale, quod ex ſe attingere non poteſt, ex eo quod vires humanas excedat, niſi principium ipſum ab aliquo auxilio ejuſdem ordinis ſupernaturalis trahatur. Hoc autem auxilium homini extraneum, & ſupernaturale, quô intellectus eget ut elevetur ad fidem, quæ eſt ſalutis initium, & juſtificationis fundamentum, eſt gratia Dei juxta illud Chriſti Joan. 6. verſ. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et juxtà D. Auguſtinum lib. contra duas Epiſtolas Pelagij cap. 8. dicentem: *multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo (ut ſunt omnes gratiæ prævenientes) nulla autem bona facit homo, quæ Deus non præſtet, ut faciat homo.* Eadem verba referuntur in Can. 20. Concilij Arauſicani ſecundi. Undè cum credere, ſit bonum, homo accepit à Deo, ut faceret illud, ſeu ut crederet ea, quæ non poteſt propriis viribus videre: Nam quod ſupernaturale eſt, in natura minimè continetur. Quare Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 4. verſ. 7. ait: *Quid autem habes quod non accepiſti?* Ex quo ſequitur quod qui habet fidem, illam accepit à Deo, ut facilè colligitur ex illo Act. cap. 3. verſ. 16. *In fide nominis ejus, hunc quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen ejus: & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.*

Validum pro neceſſitate gratiæ argumentum.

Act. 3.

Semipelagiani inſtant, & dicunt quòd ſi initium fidei eſſet ità donum Dei, ut intellectus non poſſet propriis viribus incipere, ſeu initiativè credere, nec voluntas amare, Deus nullo modo exigeret ab homine fidem, nec amorem. Quod eſt apertè contra varios Sacræ Scripturæ textus, quinimo, & contra rationem, quæ vult neminem teneri ad impoſſibile: Igitur intellectus poteſt ex ſe, ſecluſâ gratiâ, credere in Deum, & voluntas poteſt illum amare, ſaltem quoad primordia, alioquin Deus exigeret à nobis aliquid, quod in noſtra poteſtate nullatenus eſt. Quod implicat.

Porrò non nocet hæc inſtantia: quidquid enim exigitur ab homine, in illius poteſtate eſt per gratiam Dei, vel per naturam ſolam, id eſt, non adjutam divino auxilio, alioquin Deus exigeret, & præciperet impoſſibile, quòd eſt falſum, ut dictum eſt in primo libro contra Janſeniſtas: igitur dum Deus ait hominibus: *Credite in me, qui crediderit ſalvus erit*, noſque hortatur ad fidem, dat nobis gratiam ut credamus, ſeu ut poſſimus credere, ſperare, & amare, ut colligi poteſt ex illo Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, nam venire ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quam in Chriſtum credere, ut indicant verba, quæ ſequuntur, *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & traditurus eſſet eum: propterea dixi vobis, quia nemo poteſt quis venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo.* His quidem verbis conſtat, Deum exigere fidem ab intellectu, non derelicto propriis viribus, ſed Dei gratiâ adjuto, idem tenet D. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8.

Reſolvitur Semipelagianorum inſtantia.

§. II.

Solvuntur Semipelagianorum objectiones.

COntra fidei articulum argumentantur Semipelagiani, & præcipuè Caſſianus ex illo Iſai. 3. *Ad vocem clamoris tui ſtatim ut audieris reſpondebit tibi*, Luc. 12. *Petite & accipietis, quærite,*

& invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Ergo, inquit, noſtrum eſt credere, cùm Deus à nobis id exigat, & credentibus offerat ſalutem, noſtrum utique ſit invenire dona ſupernaturalia, & præmia, reſpondere voci Dei vocantia, petere, quærere, & pulſare ad conſequendã gratiam apud Deum. Quod verum eſſe probat exemplo Zachæi, & Latronis, qui deſideriis ſuis, & votis gratiam Dei prævenerunt, & eam impetrarunt, cùm conſtet ex Luc 19. Chriſtum dixiſſe primo quærenti videre eum: *Zachea feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Et Latro dicens Chriſto: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo, inquit Caſſianus, homo poteſt naturaliter, abſque ullo auxilio ſupernaturali deſiderare, aut quærere gratiam Chriſti', eamque impetrare, acproinde bonum aliquod facere, aut ſaltem velle quòd pertineat ad ſalutem, cùm ſint, qui fecerunt illud.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia licet præmia ſint præparata petenti, quærenti, & pulſanti, non valet inferre quòd noſtrum ſit velle, quærere, petere, id eſt, quod à ſolo libero arbitrio pendeat credere ſicut oportet, Deum quærere, & ejus gloriam deſiderare. Quia Deus dat homini auxilium ut credat, velit, deſideret, petat & pulſet: non enim eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis. Deus eſt qui operatur in nobis, velle & perficere, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis (inquit Paulus) ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt. Nemo poteſt venire ad Jeſum (hoc eſt in Chriſtum credere) niſi fuerit ei datum à Patre luminum, à quo eſt bonum perfectum, à Patre qui nolentem prævenit, ut velit, & volentem ſequitur, nè fruſtra velit (inquit D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 3.) Ergo non habemus in nobis primordia fidei, nec poteſtatem plenam petendi, quærendi, & pulſandi apud Deum, ut aperiatur nobis, niſi Deus det, & miſericordia ejus præveniat nos, ut docet Divus Auguſtinus lib. de Prædeſt. cap. 11. poſt Apoſtolum d centem de ſeipſo: *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.* Non dixit, ut eram, ſed ut eſſem. Quod denotat principium.

Solutio Argumenti Semipelagiani

Ad exemplum Zachæi, & Latronis, dico cum S. Proſpero, quod fuerunt gratia Dei præventi, ille enim (inquit S. Proſper) qui illuxit in corde Publicani, Matthæi, & Pauli tunc Eccleſiam perſequentis, ipſe & in corde Zachæi, & in corde crucifixi Latronis cum Domino illuxit, ut Paradiſum optaret iſte, & ille quæreret videre Jeſum. Huic Divi Proſperi ſententiæ favet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 12. dicens: *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.*

Dicunt tandem Semipelagiani. Hominem poſſe naturali virtute cognoſcere quod æquum eſt, & Deo gratum, acproinde deſiderare, ac velle facere illud, idque probant ex illo Luc. 12. verſ. 57. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Phariſæis: *Quid autem, & à vobis ipſis non judicatis quod juſtum eſt.*? Quo ſuadetur, hominem naturali lumine, & judicio poſſe diſcernere, & cognoſcere quòd credere in Deum, & amare illum, eſt opus bonum, & juſtum, ut filius proprio lumine cognoſcit, bonum eſſe patrem diligere, huncque eſſe diligendum, & ideò certum eſt quòd homo poteſt propriis viribus deſiderare. & velle opera meritoria, & gratiæ, quæ bona ſunt juſta, & grata Deo, licet non poſſit naturali virtute ea acquirere.

Altera Semipelagianorũ ratio.

Reſpondeo, Argumentum eſſe verum de bono, & æquo, bonitate, & æquitate naturali, & morali, non verò de bonitate, & æquitate divina, & ſupernaturali quæ Chriſtianos inſtituit, & ad ſalutem conducit. *Non poteſt*, inquit D. Auguſtinus ad Bonifacium lib. 1. cap. 3. *boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle, hoc eſt, gratia Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ad probationem dico quod Chriſtus loquebatur de bono ut juſto naturali, & morali, quod homo poteſt cognoſcere virtute propria, & naturali, quia in natura noſtra inſita eſt ſcientia boni, & mali. Sufficientem Magiſtram habemus conſcientiam noſtram, & fieri non poteſt ut quis illo adjumento privetur, nam ſimul cum formatione hominis inſita eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum, inquit D. Chryſoſtomus Homil. 50. & 64. in Geneſ. Quòd debet intelligi in rebus naturalibus.

D. Auguſtinus.

Nec valet dicere, quod Deus 3. Reg. prohibuit nè David adimpleret votum, & deſiderium ædificandi Domum Domini Dei Iſraël, Deo gratum, cùm votum ædificandi Templum Domino, ſit bonum ducens ad ſalutem, quod tamen ipſe David propriis viribus emiſerat. Non valet, inquam, quia interdùm ſolet Deus ad aliqua facienda ſtimulare, quæ tamen non vult impleri ab eo, quem gratiâ ſuâ ſtimulat, & ſæpe non tribuit poſtulata, quæ poſtulare donavit. Licet enim Dominus Apoſtolis præceperit, ut docerent, & baptizarent omnes gentes, ſunt tamen vetiti à Spiritu S. loqui verbum Dei in Aſia: Act. 16. quin tamen inde liceat nobis inferre, Deum non dediſſe Apoſtolis voluntatem prædicandi in Aſia, & in Bithynia, ſicut in aliis partibus mundi, cùm Apoſtolorum ſonus in omnem terram exiturus eſſet, ſed ſolùm quod non tunc, ſed alio tempore divinâ providentiâ aſſignando, debebant Apoſtoli in Aſia prædicare verbum Dei: Ergo ex exemplo Davidis prohibiti nè Templum ædificaret, non poteſt colligi, Deum non inſpiraſſe huic Regi deſiderium illud ædificandi Templum Domino, ſed ſolum voluiſſe, Templum ſibi ædificari à Salomone ipſius Regis filio, ut conſtat ex cap 5. ejuſdem libri Reg. ubi legitur, Deum dixiſſe: *Filius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo.* Illud deſiderium eſt quoddam bonum ordinis ſupernaturalis, melius enim eſt habere illud, quàm non habere, tenditque ad Deum, ideoque nequit à ſolis naturæ viribus procedere, ſed à gratia, & a libero arbitrio.

Act. 6.

3. Reg. cap. 5

ARTICULUS III.

Quo adverſus nonnullos ſtatuitur, voluntatem humanam poſſe reſiſtere gratiæ ſufficienti.

Lutherus lib. de ſervo arbitrio, docet, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, nullatenùs poſſe diſſentire gratiæ interiori, quam contra Pelagianos, & Semipelagianos judicat neceſſariam homini ad rectè operandum. In hac impotentia reſiſtendi diſtinguit gratiam medicinalem à gratia ſanitatis, ſeu ab illa, quæ data fuit homini in ſtatu innocentiæ, & quâ Adam poterat benè, vel malè uti.

Lutherus.

Calvinus lib. 2. Inſtitut. cap. 3. aſſerit eumdem errorem, & eidem impiiſſimæ Lutheri doctrinæ ſubſcripſit: Ibi enim ait, voluntatem noſtram à Deo moveri, non qualiter, multis ſæculis traditum eſt, ut noſtræ poſteà ſit electionis, divinæ motioni aut obtemperare, aut refragari: Sed illam efficaciter efficiendo, & ad bonum opus totaliter eliciendo.

Calvinus.

Janſeniſtæ in hoc ſæculo Hæreticorum pedibus in-

cedentes, in eumdem errorem verſantur: Nam Janſenius tom. 3. lib. 3. cap. 1. docet, nullum jam dari hominibus lapſis adjutorium ſufficiens; quin ſit ſimul efficax, cui certò reſiſterè non poteſt humana voluntas; cum gratiæ efficacis proprium ſit habere effectum, ut ex proprio nomine conſtat. De Luthero, Calvino, Janſenio, nihil aliud hîc refero, quia de ipſis jam locuti ſumus in primo libro, articulis XXV. & XXVII.

§. I.

Authoritate, & Ratione ſtabilitur veritas Articuli.

Hic ſufficit afferre contra Hæreticos Concilium Trident. articulum noſtrum aſſerens, Seſſ. 6. can. 4. ubi rejiciuntur, & anathematizantur, ibi enim legitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; anathema ſit.*

Concilium Tridentinũ.

Nec valet dicere, Concilium ibi loqui de gratia externa, quæ conſiſtit in prædicatione Evangelij, viſione miraculorum, & ſimilibus ad noſtram ſalutem ordinatis, quibus ſæpiſſimè reſiſtit humana voluntas. Non valet inquam, quia Sancti Pàtres Tridentini de motione interiori loquebantur, quæ interiùs movet intellectum, & voluntatem, ut ex propriis terminis conſtat, & præſertim ex hac particula: *Deo excitanti, atque vocanti,* quæ ſignificat gratiam actualem excitaotem, & vocantem, interiorem, & inviſibilem.

Concilium Lateranenſe

Idem ſtatuit Concilium Senonenſe Decreto 15. ubi habetur: *Nec tale eſt Dei trahentis auxilium cui reſiſti non poſſit.* Igitur ex Trident. & Senonenſi Conciliis, certum eſt dari gratiam ſufficientem, quæ confert poſſe operari ſi velimus, quia per conſenſum liberi arbitrij, poſſe illud, eſt reducibile ad actum, cùm certum ſit quòd ſi adſit operatio voluntatis tali gratiâ adjutæ, ſequetur actus, & ſi abſit numquam ſequetur, quamvis adſit gratia, quam ipſi credunt ex ſe efficacem, niſi velint contra deciſionem Conellij Tridentini, quòd libertas tollatur, & voluntas humana mere paſſivè ſe habeat.

Argumentum hujus rei eſt, quia ex communi judicio, ut aliquid cenſeatur, ſitque verè ſufficiens alicui potentiæ ad conſequendum actum, quem ex propriis viribus habere nequit, debet excludere neceſſitatem cujuſcumque alterius auxilij, & conferre, illi quidquid neceſſarium ei eſt, ut fiat ſufficiens, & debitè completa potentia ad producendum illum actum. Hinc eſt quòd ut gratia ſit verè ſufficiens, (ut de facto talis eſt juxtà communem Theologorum ſententiam) debet excludere abſolutam neceſſitatem alterius auxilij ſupernaturalis ſcilicet efficacis ad actum eliciendum, hoc eſt, ut gratia ſit ſufficiens voluntati ad præcepta Dei obſervanda, neceſſè eſt quòd voluntas, cum ipſa gratia adjuvante, poſſit adimplere ea; quin exigat aliud auxilium ſupernaturale, quò abſolutè poſſit amare, bonum velle, & malum fugere; alioquin hæc gratia, quæ ab omnibus dicitur ſufficiens humanæ voluntati; eſſet inſufficiens ad productionem actus; cùm ipſa ſtante, & adjuvante, voluntas non poſſet adimplere præceptum Dei, & remaneret adhuc impotens, atque inſufficiens, ſicut erat ante hujus ſufficientis auxilij collationem. Quod eſt contra Tridentinum loco citato cap. 1. aſſerens quòd Deus adjuvat voluntatem humanam, ut poſſit velle bonum; ibi enim docet, & ſtatuit, hominem excitatum moveri à Deo ut faciat: Id eſt; ut potentia (quam habet ad bene operandum) ex ſe inſufficiens, reddatur ſufficiens per gratiam illi ſufficientem ad opus. Quia cenſet gratiam ſufficientem non ſolùm ordinari ad potentiam operandi, ſecluſo reſpectu ad actum, ut autumant nonnulli, ſed etiam ad operationem ipſam.

Ratio probans voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ ſufficienti.

Hoc verum eſſe patet ex forma activa conſtituente potentiam in acto primo, quæ eam ſic conſtituit; ut habeat actum ſecundum, quem reſpicit etiam ipſa forma conſtitutiva, ut conſtat in formis phyſicis, & naturalibus, quæ dantur ut potentiæ habeant ultimum complementum, & ultimam actualitatem ad agendum: Hæc gratia dicitur ſufficiens, quia voluntati tribuit vim ſufficientem in actu primo ad operandum, ſeu ad conſentiendum; ut notat Gonetus tom. 4. diſp. 3. num. 25. Ergo poſitâ ipſâ gratiâ, voluntas poteſt conſentire, ſeu velle bonum; poteſt etiam non conſentire, ſeu nolle bonum, cùm ſit libera, habeatque poteſtatem porrigendi manum ad vitam, vel ad mortem; & ad quodcumque voluerit, ut ex ſcriptura certum eſt.

Undè cùm ex dictis, gratia ſufficiens ſit forma ſupernaturalis activa conſtituens voluntatem noſtram in actu primo potentem in ordine ad bonum; neceſſe eſt quòd ipſa voluntas humana ſufficienti gratiâ adjuta, poſſit operari, & elicere actum dilectionis Dei, & amoris mandatorum ejuſdem; alioquin ſequeretur quòd ipſa gratia ſufficiens non daretur propter actum; quòd eſt falſum. Quia confertur potentiæ, non præciſè ut potentia ſit, ſed ut ſit potentla completa, & ſufficienter potens ad producendum actum, quem propriis viribus producere nequit: Nec poteſt alius aſſignari finis, ob quem dari poſſit hominibus hæc gratia ſufficiens. Vel ſequeretur quòd ipſa gratia non eſſet ſufficiens; cùm ipſa etiam ſtante, & adjuvante, voluntas humana remaneret impotens reſpectu actus ſupernaturalis, ſicut erat antea, & ſic eſſet ſuperflua, & inutilis. Quòd dicere nefas eſt, cùm ipſa gratia ſtante, homo poſſit tentationes ſuperare, aliqua mala vitare, ut facilè colligitur ex illo ad Corint. 2. cap. 12. in quo legitur quòd Christus reſpondens Paulo roganti Dominum, ut ab eo auferret ſtimulum carnis, dixit: *Sufficit tibi gratia mea.* Etenim hæc gratia Pauli non erat efficax, quæ cùm ſuum ſempèr habeat effectum, Paulus non rogaſſet pro removendo à ſe carnis ſtimulo, imo nec ſtimulum carnis habuiſſet, cum per illam gratiam efficacem viciſſet eum: Ergo illa gratia erat ſufficiens ad vincendum carnis ſtimulum. Et Ipſe Paulus poterat ei reſiſtere, & eam in vacuum recipere, alias idem Apoſtolus non fuiſſet liber, & fruſtra dixiſſet Corinthiis: *Hortamur vos nè in vacuum gratiam Dei recipiatis,* cùm potuiſſent Corinthij hanc ipſam gratiam in vacuum recipere, ſeu illi reſiſtere.

2. Corinth. 12.

Hanc ipſam veritatem docet Divus Auguſtinus lib. de Spiritu, & littera, ubi inquit: *Profecto ipſum velle credere; Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia præveniet nos; conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire ad ea, propriæ voluntatis eſt.* Ejuſdem ſententiæ ſunt plures alij Sancti Patres, quos omitto.

D. Auguſtinus.

Quòd autem voluntas humana poſſit huic gratiæ ſufficienti reſiſtere, patet ex illo Iſaiæ cap. 5. verſ. 4. *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ: & non feci? Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* His ſiquidem verbis, Deus Iſraelitis conqueritur quòd ejus mandatis non paruerint, licet adhibuiſſet

vineæ, id eſt, cordibus Iſraëlitarum, culturam, ſeu gratiam ſine qua (quidquid dicant Pelagiani) non poterat uvas, ſen bonos frnctus facere: Ergo Iſraëlitæ habebant quidquid neceſſarium erat ipſis, ut poſſent parere mandatis Dei, ad quorum obſervantiam, erat neceſſaria gratia, ſine qua uullum bonum ſupernatnrale effici poteſt: ſecùs enim bona opera non expectaſter Deus, quia fuiſſent inſufficientes, & impotentes: Hæc autem gratia, quæ erat neceſſaria, & quam habebant Iſraëlitæ ad faciendas uvas, qua s Deus expectabat, erat ex ſe efficax, vel ſufficiens. Non erat efficax, quia feciſſent uvas, quas Dens expectabat, & propter quas gratiam dederat eis, cum gratiæ efficacis proprium ſit habere effectum: Ergo erat gratia ſufficiens ad producendas uvas; ſed hujuſmodi gratiæ reluctati ſunt Iſraëlitæ; alioquin quærela illa ipſis facta à Deo, fuiſſet injuſta, & ipſi Iſraëlitæ inculpabiles, quia ſi culpabiles fuerint, hoc eſt, quia non fecerunt id, quod ab ipſis dependebat, ſeu non conſenſerunt gratiæ illis collatæ, ut legem Dei adimplerent.

Certò ex illis principiis ſequitur quòd datur gratia ſufficiens ab efficac i diſtincta, cui voluntas humana poteſt reſiſtere, vel conſentire. Reſiſtere, ut Iſraëlitæ. Conſentire ut Paulus, qui non fuit infidelis gratiæ, ut Iſraëlitæ, ſed fidelis, ut ipſemet fatetur, dicens: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Hoc eſt, effectum habuit, non ex ipſius gratiæ receptione præciſè, ſed ex cooperatione volunratis ad illam gratiam ſufficientem.

Adverte obiter (amantiſſime Lector) quod Deus loco citato non dicit per os Prophetæ; *Quid ultra potui facere*, ſed ſolum, *quid ultra debui.* Quia poſſet dare gratiam ità efficacem, ut voluntas humana non poſſet reſiſtere, ſed non tenetur dare illam, unde dicit, *debui*, ut oſtendat quod vult (voluntate ſalvandi omnes) dare gratiam ſufficientem, ut homo ſalvari poſſit, ſi velit, & non ſalvari ſi velit, ſeu non conſentiendo gratiæ, quæ eſt ſufficiens ad faciendum bonum, & declinandum à malo, hoc eſt, quæ ſufficit homini ad fugiendum à peccato, quòd ſi non fugiat tali auxilio adjutus, non Deo, ſed homini imputanda eſt culpa. Deus enim fecit quod debuit: Homo autem non fecit qnod debuit, nec quod potuit, & ideo dicet peccatori ipſe Deus: *Perditio tua ex te eſt, in me tantummodo auxilium tuum.*

Concilium Valentinum

His addo Concilium Valentinum III. Can. V. ubi declarat, non ideo malos perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed qnia boni eſſe noluerunt. Si noluerint & potuerint; ergo habebant gratiam ut potuerint eſſe boni. Hæc autem gratia certò non erat efficax, quia fuiſſent infallibiliter boni, idcircò erat ſufficiens, & ei non conſenſerunt mali, quia ei conſentire noluerunt, aut ei reſiſtere potuerunt, & voluerunt.

Eadem veritas patet ex illo Apocalyp. 3. ubi D. Joannes teſtatur quòd Deus ſtat ad oſtium, & pulſat, audivit enim Deum dicentem: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*; nonnè pulſat ut ſibi reſpondeatur, id eſt, ut homo ei aperiat cor ſuum, ſuumque præbeat conſenſum, ſi velit, ut ſuadet illud cant. 5. verſ. 2. *Aperi mihi ſoror mea*, ex quo ſequitur quòd homo, ſi velit, poteſt non aperire, ſeu gratiæ non conſentire, aut gratiæ vocanti reſiſtere. Aliàs fruſtrà pulſaret Deus, quoniam hoc ſuppoſito infallibiliter, ſciret illum, quem pulſat, non poſſe aperire. Et quem vocat reſpondere non poſſe. Siliter fruſtra diceret, *aperi mihi, ſoror mea.* Si autem reſpondere poſſit ille ad cujus oſtium, ſtat Deus, & pulſat, certò habet gratiam interiorem, quâ valet reſpondere, & aperire, habetque omne abſolutè

Apocalyp. 3

Voluntas poteſt reſiſtere gratiæ ſufficienti.

neceſſarium ut aperiat. Alioquin Deus non ſtaret ad oſtium, nec pulſaret; cùm homo ex ſe ipſo ſine illa gratia nequeat reſpondere, ut dictum eſt contrà Pelagianos. Sed homo poteſt aperire, & reſpondere; alioquin Dèus exigeret ab eo aliquid impoſſibile. Quòd eſt falſum. Poteſt etiam non aperire; cùm eum hortetur ad aperiendum, ideoque habet gratiam illam interiorem, cui aliqui reſpondent, & alij non reſpondent, ut ex dictis facilè colligitur, ac proinde datur gratia interna ſufficiens, quæ ex ſe non eſt efficax, & cui reſiſtere poteſt, & actu ſæpiſſimè reſiſtit voluntas humana, ſeu toties quoties gratiam in vacuum recipit.

2. Corinth. 6

Unde Apoſtolus 2. ad Corint cap. 6. ait: *Adjuvantes autem hortamur nè in vacuum gratiam Dei recipitis*, ubi D. Thomas lectione prima ſic habet: *Quaſi dicat nè receptio gratiæ ſit vobis inutilis, & vacua, quod tunc contingit quando ex perceptione gratiæ, quis non ſentit fructum.* Et ſtatim ſic concludit ille S. Doctor Angelicus: *Quicumque ergo gratia perceptâ non utitur ad vitandum peccatum, & conſequendam vitam æternam, hic gratiam Dei in vacuum recipit.* Eam autem in vacuum recipere, eſt ei reſiſtere, & uon conſentire.

D. Thomas.

Ex dictis infertur quòd gratia in homine intrinſecè recipitur. Hæcque ſufficiens eſt ad illius ſalutem, ad quam conſequendam erit efficax, ſi in vanum non recipiatur, id eſt, ſi ipſâ utatur voluntas, eamque per conſenſum liberi arbitrij reducat ad actum. Voluntatis enim eſt non recipere gratiam in vanum, hoc eſt, ei non reſiſtere, vel in vacuum recipere, hoc eſt, ei reſiſtere, ſi velit. Dum reſiſtit, ipſa gratia remanet ſufficiens. Dum conſentit, per illum conſenſum fit verè efficax, ſuumque aſſequitur finem. Quia voluntas, quæ conſentit, rectè operatur, diligit Deum, & mandata ejus cuſtodit, aperit pulſanti, reſpondet vocanti, & Diabolum provocantem ad malum, vincit, ut conſtat ex illo Apocalyp. cap. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit dabo illi ſedere mecum in Throno meo.* Nonne hæc conditio, *Si quis audierit, &c.* oſtendit humanam voluntatem habere libertatem non aperiendi januam, ſi velit? Non-nè dum aperit, Deus intrat, hoc eſt, gratiâ ſuâ ſanctificat? aut gratia fit efficax?

Apocalyp.

Adverſarij dicent: Ergo efficacitas gratiæ pendet à libero arbitrio, & gratia ſufficiens fit efficax per conſenſum voluntatis humanæ. Quòd eſt contra Apoſtolum ad Philip. cap. 2. verſ. 13. ubi ait: *Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Et Pſal. 84. *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* quibus conſtat, converſionem noſtram eſſe penitùs à Deo per gratiam efficacem. Unde idem Propheta Pſal. 76. ut videamus converſionem peccatoris nihil habere, quod ſit à conſenſu voluntatis humanæ, ait: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Adverſariorum inſtantia.

Reſpondeo cum diſtinctione. Gratiæ efficacitas pendet à voluntate in actu primo, id eſt, quoad virtutem illam, quam habet ad movendam voluntatem ad bonum operandum, & quâ poſitâ, voluntas habet ſufficienter undè poſſit operari bonum, nego. Hoc enim habet ex ſe illud auxilium ſufficiens, quòd eſt efficax ad complendam illam voluntatem humanam ad agendum, ipſô quidem auxiliô, voluntas ſtatuitur efficax, ſeu ſufficienter potens ad agendum. Pendet à voluntate in actu ſecundo, id eſt, effectus propter quem datur, & quô obtentô, dicitur efficax, pendet à libero arbitrio conſentiente, & cooperante gratiæ, concedo; nam ſi gratiæ interiori ſufficienti reſiſtere poſſit, & actu ſemper reſiſtat voluntas, eam in vacuum reci-

Explicatur efficacitas gratiæ.

Digitized by Google

piens. Et ſi dum reſiſtit, effectus non habeatur, certum eſt quòd ab ipſa voluntate, à qua pendet conſenſâte vocationi, aut gratiæ ſufficienti, pendet etiam conſecutio effectus, qui numquam produceretur ſi humana voluntas ſemper reſiſteret, & qui ſemper produceretur, ſi voluntas etiam ſemper conſentiret, cooperaretur gratiæ, quæ cùm non detur ſolum, ut & homo poſſit benè operari, ſed ut benè operetur de facto, ſi velit, neceſsè eſt quòd ab ipſius voluntatis conſenſu dependeat hæc bona operatio, quæ non debet tribui ſoli humanæ voluntati, nec gratiæ tantùm, ſed voluntati gratiâ adjutæ, tamquam uni principio adæquato. Quemadmodùm enim generatio corporalis pendet à Patre, & Matre tanquam ab uno principio adæquato, ità generatio ſpiritualis, ſeu ſalus humana, quæ eſt effectus gratiæ, pendet ab ipſa gratia, & à voluntate noſtra, idcircò gratia non eſt efficax ex ſe, ſeu ex ſe non convertit peccatorem independenter à voluntate humana.

Cauſa ob quam gratia interior ſufficiens habet; vel non habet effectum, certò eſt ipſa voluntas, quæ

D. Chryſoſtomus. aſſentitur, vel diſſentit, ut aſſerit D. Chryſoſtomus in cap. 9. Epiſt. ad Rom. ubi ait: *Unde ergo alij ſunt vaſa iræ, alij vaſa miſericordiæ? ex propria voluntate.* Idem aſſerit D. Auguſtinus lib. 12. de civitate Dei cap. 6. dicens: *Si duo æqualiter affecti animo; & corpo-*

D. Auguſtinus. *re, videant unius corporis pulchritudinem; & ſi eadem tentatione tententur, & unus cedat, alter idem qui fuerat; perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere*: Et tract. 36. in Joan. inquit: *Venit Chriſtus, ſed primo ſalvare, poſtea judicare, eos in pœnam judicando qui ſalvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo, ſalutem non reſpuerunt*: Ergo ex D. Auguſtino ultima ratio aſſenſus, vel diſſenſus, eſt voluntas creata. Unde cùm gratia ſufficiens ſit cooperans per operationem voluntatis, & efficax per conſenſum, aut conſecutionem effectus ob quem data fuit, & conſenſus ſit à voluntate, ſequitur quòd efficacia gratiæ pendet à voluntate humana in ſenſu ſupra explicato.

Idem docet D. Auguſtinus lib. de libero arbitrio cap. 17. ubi ait: *Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur, ità ſine illo operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* His ſiquidem verbis conſtat, noſtrum conſenſum requiri, ut Deus cooperetur, & ut effectus ſequatur, nam dum ait: *Convertimini ad me*, indicat eſſe neceſſarium quòd ad converſionem noſtram concurramus cum illo, ſeu quòd gratiæ præbeamus conſenſum.

Ad authoritatem D. Pauli ad Philip. dico quòd probat contrà Pelagianos, nos nihil poſſe ſine gratia Dei, quæ dum eſt excitans, dat nobis velle, id eſt, dat ut velle poſſimus. Et dum eſt adjuvans, dat perficere, hoc eſt, dat ut velimus, indè tamen non ſequitur inactio in voluntate humana, nec fit ut nequeamus conſentire, vel diſſentire illi auxilio, quod Deus nobis confert, quodque attingit affectum dum eſt cooperans, id eſt, dum voluntas operatur cum illo, quia cooperari, eſt cum alio operari: certum quidem eſt quòd ſi voluntas humana non operetur, gratia non erit cooperans, neque perficiens. Hinc eſt quòd Apoſt. ad Corint. cap. 4. ait, *Plus omnibus laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum*, Ut oſtendat effectus gratiæ eſſe ſimul & conjunctim à gratia Dei, & à cooperatione voluntatis noſtræ, quæ ſicut liberè dedit conſenſum gratiæ, ſic & negare potuit. Non quòd gratia propriè, & ex natura ſua indigeat conſenſu noſtro, quia Deus ſi vellet, poſſet dare gratiam, quæ libertatem noſtram tolleret, ſed impropriè ſecundum quid, ſeu ex divina inſtitutione, tamquam à conditione, quam Deus voluit præſcribere gratiæ ſuæ. Et alibi inquit: *Gratia Dei in me vacua non fuit*, id eſt, gratiæ conſenſi.

Hæc reſponſio ad verba Divi Pauli ſupra relata confirmari poteſt ſic. Deus voluit, homines remanere ſemper liberos, ut affirmat Sacra Scriptura dicens, quòd Deus creavit hominem, & reliquit eum in manu Conſilii ſui, ut gratiæ poſſit reſiſtere, vel obtemperare, porrigere manum igni; vel aquæ, ſi Cooperatiō humanæ voluntatis. velit, juxtà illud Eccleſ. cap. 15: *Appoſuit tibi aquam; & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, ante hominem vita & mors; bonum & malum; quod placuerit ei; dabitur illi.* Inde enim certò conſtat; voluntatem noſtram concurrere ad vitam æternam obtinendam, & ad vitandam mortem, ſemper tamen adjuvante divinâ gratiâ. Si vita æterna ſit corona, debet exigere victoriam; victoria autem ſupponit certamen, in quo Milites pugnant, & vincunt: non enim coronabitur niſi qui legitimè certaverit; igitur ut aliquis ſalvetur, ſeu aſſequatur effectum gratiæ, neceſsè eſt quòd in hac vita (quæ eſt militia ſuper terram) pugnet, hoc eſt, quòd verè cooperetur gratiæ adjuvanti, quæ datur illi ut vincat, aut mandata ſervet, Hinc eſt quòd in duobus verſibus antecedentibus. ait *adjecit mandata, & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* Matth. 23.

Chriſtus Dominus, Matth. 23. libertatem humanæ voluntatis circà gratiam ſufficientem prædicat: ibi enim de Judæis conqueritur dicens: *Jeruſalem, Jeruſalem quoties volui Congregare Filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Et Joan. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis; peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*: Igitur Judæi non conſenſerunt gratiæ, nec ipſi aſſentiri voluerunt, ut facilè colligitur ex illa particula, *& noluiſti*, quæ denotat formalem reſiſtentiam fuiſſe in illis.

Dicere autem quòd Judæi non habebant gratiam ſufficientem ad conſentiendum, eſt aſſerere, voluntatem Dei plenè ſimulatoriam eſſe. Quomodo enim potuiſſet Deus velle quòd Judæi noluiſſent congregari ſub alas divinæ miſericordiæ, ſi non habuiſſent auxilium, quo poſſent velle congregari? humana voluntas ex ſe non habet virtutem accedendi ad Deum per fidem, & amorem, & ad bona opera pietatis: nihil enim ex ſe valet, teſte D. Auguſtino ſupra relato, ut fatentur etiam Lutherani, Calviniſtæ, & Janſeniſtæ contra Pelagianos. Unde nè in tantam impietatem labatur anima noſtra, nimirum nè credat voluntatem Dei de judæis congregandis, eſſe ſimulatoriam, concludamus dari gratiam ſufficientem cui reſiſtere poteſt humana voluntas, & cui ſæpiſſimè reſiſtit, ut legitur ad Rom. cap. 10. Iſai. 65. verſ. 21. & Iſai. cap. 65: *Expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Hoc eſt, nolentem, & reſiſtentem gratiæ operanti, & applicanti intellectum ad pias cogitationes, & voluntatem ad ſanctas affectiones. Et act. 7. *Vos Spiritui S. ſemper reſiſtitis*, etenim Spiritui Sancto reſiſtere, eſt reſiſtere gratiæ, ſeu inſpirationi Spiritus Sancti.

Idque confirmatur authoritate Sanctorum Patrum D. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ait: *Noluit ergo Eſau, & non concurrit, ſed & ſi voluiſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle, & currere revocando præſtaret, ni vocatione contemptus, reprobus fieret.* Vocationem autem contemnere, eſt vocationem reiicere, & gratiæ auxilio reſiſtere. S. An- Authoritas SS. Patrum ſelmus in cap. 6. Matth. ait: *In Paulo videtur cogens Dei voluntas, ſed non eſt, quia licet ſit percuſſus, tamen voluntas erat libera, ut reſiſteret ſi vellet.* Hic S. Doctor ſupponit in Paulo libertatem reſiſtendi, vel aſſentiendi gratiæ converſionis. Et D. Hieronymus lib. 2.

adverſus Jovinianum, inquit : *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur ; alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.*

Ex illis authoritatibus ſequitur quòd gratia non neceſſitat, cùm de facto ſint, qui damnati ſunt, & ſint alij, qui coronam habuerunt, ideoque humana voluntas poteſt conſentire, aut diſſentire cuidam gratiæ, quæ certò non eſt efficax, ſed ſufficiens,
Pſal. 49. aliàs Deus non diceret, Pſal. 94. *Hodiè ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, cùm vox Dei, ſeu gratia, eſſet ità efficax juxtà adverſariorum fidē, ut voluntas non poſſet illi reſiſtere, nec obdurari: Ideò concludendum eſt, quòd datur gratia ſufficiens, perfecta quidem in ſe, & ex parte Dei, quia illi conſentire poteſt homo, ſi velit; redditur tamen incompleta ex parte creaturæ, ut dum gratiæ reſiſtit humana voluntas, & ideo in peccato manet, à quo tamen reſurgeret, ſi ipſa gratiâ uteretur, quia non eget abſolute alio auxilio, ut declaravit Chriſtus Paulo tentationibus agitato dicens : *Sufficit tibi gratia mea.* Hoc eſt, habes auxilium tibi neceſſarium, ut vincas, nec aliud exigebat Apoſtolus; ait enim ad Philip. cap. 4. verſ. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Hoc autem ſubſidium eſt gratia ſufficiens : ergo hæc confert nobis poſſe, & operari, integra remanente libertate noſtra, hoc eſt, ſi velimus cooperari Apoſtolus non dicit; omnia facio in eo, qui me confortat; ſed omnia poſſum, ut indè videamus quòd ſtante gratia Dei, actio erat adhuc in ſua poteſtate, hoc eſt, poterat agere, vel non agere, conſentire, vel non conſentire.

§. II.

Solvuntur Argumenta Hæreticorum.

LUtherus, Calvinus, & Janſenius, articulum noſtrum impugnant authoritate Sacræ Scripturæ, Joan. 6. verſ. 45. ubi legitur : *Omnis qui audivit a Patre, & didicit venit ad me.* ibi per audire, & diſcere, Hæretici interpretantur, gratiam recipere, & indè concludunt, quòd omnes, qui per gratiam vocantur à Patre, ſeu audiunt, reſpondent infallibiliter, & veniunt ad Chriſtum. Et ideo quòd nulla datur gratia, quæ ſuum effectum non habeat, ſeu cui reſiſtere poſſit humana voluntas.

Reſpondeo ibi Evangeliſtam loqui de vocatione, aut gratia omni ex parte completa, ſeu de ea, cui conſenſum dedit humana voluntas, nam hæc particula : *Omnis qui audivit a Patre*, denotat vocationem gratiæ. Et altera, *& didicit*, denotat conſen-
Prima ad rationem contrariam reſponſio. ſum voluntatis cooperantis, cùm diſcere ſit actus voluntatis indurationi liberè oppoſitus, ac ſi dixiſſet, omnis qui vocatus conſenſit, venit ad me, multi enim vocantur, & non veniunt, juxtà illud Matth. 20. *Multi vocati, pauci vero electi*, quia venire nolunt : Igitur hæc authoritas non militat contra nos.

Vel reſpondeo quòd Evangeliſta loquitur de gratia efficaci, aut de vocato per gratiam efficacem, quâ Deus non vocat omnes homines, ſed ſolum illos, quos vult infallibiliter venire ad ſe, & ad Filium; quin tamen eorum libertas deſtruatur. Sunt enim gratiæ ita potentes, quòd licet volūtas poſſit eis abſolutè diſſentire, nihilominus tanta ſuavitate cōſen-
Altera reſponſio. ſum abſtrahunt, ut voluntas nunquam reſiſtat. Non vero de vocato quomodocumque, ſeu de gratia ſufficienti, qua vocat omnes, & ſingulos homines, ut quilibet homo poſſit obſervare mandata ejus, & nè denegetur homini dum eſt in via (ſaltem quoad ſufficientiam) auxilium neceſſarium, ut ad terminum perveniat.

Eadem reſponſio adhibenda eſt ſimilibus Sacræ Scripturæ authoritatibus, quibus Hæretici probant, neminem poſſe reſiſtere gratiæ Dei, quia omnes debent intelligi de gratia efficaci, jam ſupra explicata, quam ipſemet Deus exprimit apud Ezech. cap. 36. dicens : *Dabo vobis cor novum, & auferam cor lapideum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*, quam *Ezech. 36.* nos non rejicimus. Non vero de illa gratia ſufficienti, quam ipſemet Deus ſic exprimit in Proverb. *Vocavi, & renuiſtis, deſpexiſtis omne conſilium meum; & increpationes meas neglexiſtis.* Et per Iſaïam : *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci*, quam volumus reddi efficacem, ſeu habentem effectum ſuum per cooperationem, quam dat illi voluntas noſtra conſentiens. Nam vocare eſt Dei, & renuere, aut reſpondere noſtrum eſt. Qui poteſt renuere, poteſt conſentire. Vocatus qui renuit, non venit ad Chriſtum : ergo vocatus, qui non renuit, ſeu qui conſentit, venit ad Chriſtum, & vocatio tunc eſt efficax, cùm tunc vocatus ſit coöperans. Et producatur effectus ob quem Deus dedit illam.

Ratio hæc omnia probans; eſt quia gratia eſt cooperans quatenus cum intellectu & voluntate applicatis, producit piam cogitationem, & ſanctam affectionem; alioquin Deus non diceret Ezech. cap. 18. *Facite vobis cor novum & ſpiritum novum*; cùm non eſſet in noſtra poteſtate reddere gratiam adjuvantem ita efficacem, ut cor noſtrum poſſet eſſe novum, & ſpiritus noſter novus, hoc eſt, ab omni culpa, & errore mundus. Certum enim eſt quòd dum dicit : *Facite vobis cor novum*, ſupponit aliquid eſſe à nobis ponendum, ut cor ſit novum, ſeu mundum à peccato : Illud autem quod à nobis ponendum eſt, nihil aliud eſſe poteſt, niſi conſenſus voluntatis noſtræ, hoc quidem poſito ſimul cum gratia, cor noſtrum erit novum, & vocatio, aut gratia erit efficax.

Veritas hujus reſponſionis probari poteſt ex illo Matth. 20. verſ. 16. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*, quô numerus vocatorum declaratur major, numerô electorum. Hoc ſuppoſito, quæro ab hæreticis, an omnes vocati, venerint ad Chriſtum, vel non? Si primum : ergo tot ſunt vocati, quot ſunt electi, quia qui venit ad Chriſtum, eſt Chriſti, eſtque electus, acproinde tot eſſent electi, quot vocati, quòd tamen falſum eſt, ut patet ex proprio textu. Si ſecundum : ergo omnis vocatus, ſeu qui gratiam vocationis habuit, aut audivit, non conſenſit, ſeu non venit, ſuntque multi qui reſiſtere voluerunt; cùm ex multis vocatis, pauci fuerint electi, ſeu venerint ad gloriam.

Quæro inſuper, an vocati illi, qui non fuerunt electi, & ad Chriſtum non venerunt, potuerint reſpondere vocationi, aut venire, vel non? Si primum, dicendum eſt quòd non venerunt, aut non fuerunt *Cur plures ſint vocati, quàm electi.* electi, quia noluerunt reſpondere gratiæ, nec cooperari, nec venire, nec eligi, nam qui poteſt facere aliquid, & non facit illud, certum eſt quòd ſi non faciat, hoc eſt, quia non vult facere, & ſi fecerit illud, fecit, quia voluit. Si ſecundum, ſequitur quòd non ſunt culpabiles; cùm nemo peccet omittendo id, quod facere non poteſt Quia ut omiſſio ſit culpabilis, debet eſſe voluntaria, & libera. Undè cùm vocatus, qui non venit, ſit culpabilis, certum eſt quòd noluit venire, dum venire poterat, aut voluit reſiſtere vocationi, & gratiæ, cujus auxilio poterat venire ad Chriſtum.

Certum eſt etiam quòd Evangeliſta Joannes debet intelligi de gratia ſufficiente, ſeu cooperante cum libero arbitrio, non autem de gratia præeſſē,

Tertiâ ad rationem contrariam reſponſio.

ſed ſecundum ſe ſumpta, ità ut ille, cui confertur, ſtatim coovertatur abſque ulla humanæ voluntatis operatione. Nam ille, qoi venit ad Chriſtum, eſt verè converſus, hæc tamen converſio, non divinæ voluntati dumtaxat, ſed partim humanæ, partim divinæ voluntati tribuenda eſt (licet ſit principaliter divinæ voluntatis, & miſericordiæ opus) alioquin Deus non diceret peccatoribus: *Convertimini ad me*; cùm hæc converſio conſtet vocatione, & conſenſu noſtro, Vocatio autem ſit à ſola Dei miſericordia, juxtà illud Pſal. 48. *Miſericordia ejus præveniet me.* Et conſenſus ſit à voluntate humana, quæ dum agit, aut cooperatur gratiæ ſofficienti ad converſionem; liberè agit, & liberè cooperatur; cùm ex communi Theologorum ſententia, voluntas aut non ſit; aut libera ſit. Quare Apoſtolus ait: *Gratia Dei ſum id quod ſum; gratia ejus in me vacua non fuit, plus omnibus illis laboravi; non ego; ſed gratia Dei mecum*, id eſt, ut interpretatur D. Auguſtinus, *non ego ſolus*, ſed *gratia Dei mecum*, ac per hoc, nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo, ideò dum ait idem Apoſtolus Rom. 9. *Noneſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei.* Certum eſt quod non loquitur de converſione conſiderata omni ex parte, ità ut velit quòd ſit omninò independens à noſtra voluntate, ſed loquitur de vocatione ſola (quæ eſt opus ſolius miſericordiæ) tanquam de principaliori noſtræ ſalutis cauſa, quoniam Dei miſericordia præveniet nos. Deus enim vocat nos; quin tamen excludat voluntaris humanæ conſenſum, qui ſi abſit, gratia remaner vacua, hoc eſt, vocatus non venit. Et ſi adſit, fit efficax, ſeu ſuum effectum habet, hoc eſt, vocatus venit, quia voluit venire, ità ut ſi noluiſſet, non veniſſet; quamvis vocatus fuiſſet.

Objiciunt illud 1. ad Corinth. cap. 4. *Quis te diſcernit, quid autem habes quod non accepiſti?* Quô Apoſtolus ſignificat, ſoli gratiæ tribuendam eſſe converſionem noſtram, & nihil in ipſa eſſe quod ſit à vo-

Corint. 4.

luntate humana, cùm homo converſus nihil habeat, qnod non acceperit à Deo, & perconſequens voluntas nequit reſiſtere gratiæ Dei, quæ convertit peccatorem, qooniam poſſet diſcerni per ſuum conſenſum liberum (ſi ad converſionem & ſalutem eſſet neceſſarins) & dicere diſcernor conſenſu meo.

Reſpondeo; hanc objectionem non probate omnem gratiam eſſe ità efficacem, ut voluntatis noſtræ conſenſnm excludat; quia Apoſtolns vnlt, hominem non poſſe diſcerni per principia ſolius naturæ, tamen non vult, hominem ità diſcerni per

Oſtenditur conſenſus noſtri neceſſitas.

gratiam prævenientem, & adjuvantem, ot non poſſit diſcerni conſenſu ſuo gratiâ adjuto: dicit enim 2. ad Timot. cap. 2. verſ. 21. *Si quis ergo mundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum; & utile Domino; ad omne opus bonum paratum*; tribuit enim per hæc verba aliquid humanæ voluntati converſæ, alioquin diceret: *Si quem ergo grat a mundaverit ab iſtis.* Et ſuadet, quòd homo poteſt dici ſe mundarè, & ſe facere vas in honorem; licet velit hominem non poſſe ſibi ſoli attribuere converſionem; cùm de ſe ipſo loquens non dicat: *Ego*, net *gratia*, ſed *gratia Dei mecum.* Ratio eſt, quia agens ſecundarium ità mobile à primo, ut non poſſit agere ſine ipſius influxu; quale eſt liberum hominis arbitrinm reſpectu converſionis & ſalutis, non poteſt ſibi attribuere actionem, nec ab alio ſe diſcernere virtute propria: quamvis ità liberè agat: ut poſſit non agere, non enim directo, quamvis libere agat, ſed dirigenti tribuitur ſolitò gloria facti, ſeu operis.

Tandem objiciunt quòd gratia ſufficiens eſt inutilis, cùm ſuum non habeat effectum, neque habuerit illum, nequè illum habitura ſit impoſterum,

Ultima Adverſariorum ratio.

quia non ſufficientis, ſed efficacis eſt producere effectum. Dicunt enim quòd ridiculum eſt aſſerere, hanc gratiam à lapſu primi parentis; alicui profuiſſe. Eorum ratio eſt, quia nulla datur gratia homini lapſo, quæ non rapiat eum inevitabiliter. Idque probant authoritate D. Auguſtini lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 8. ubi ait: *Hac gratia quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur; à nullo corde duro reſpuitur, ideoque quippè tribuitur, ut cordis duritia auferatur!* Ergo nulla eſt gratia; quæ poſſit reſpui, & quæ non ſit efficax; cùm auferat duritiam cordis inevitabiliter: nullus enim poteſt divinæ voluntati reſiſtere.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, utpotè gratiam ſufficientem à lapſu primi hominis nulli profuiſſe; multoties enim habuit effectum: licet aliquandò non habuerit: Sunt homines, qui ipſâ utuntur, & alij qui eam reſpuunt. Quod verum eſſe probavi ſuprà variis Sacræ Scripturæ locis, rationibus; & argumentis, quibus oſtenditur quòd non poſſet dici ſufficiens, ſed inſufficiens diceretur, ſi nulli profuiſſet, & nunquam ſuum habitura eſſet effectum.

Iterum reſpondeo, & ejuſdem gratiæ utilitatem probo ex mandatis Dei: hæc quippè obſervantur, & non obſervantur, cùm de facto ſint homines qui

Diſſolvitur ultima adverſantium ratio.

obſervant ea, & ſint alij; qui tranſgrediuntur ea, & nullus poſſit obſervare ea ſine gratia, quæ quidem gratia non debet eſſe ex ſe efficax, quia nullus eſſet, qui non ſervaret ea. Nam omnes tenentur ſervare mandata Dei; & habent auxilia neceſſaria, ut ea poſſint ſeruare. Illud autem auxilium eſt gratia ſufficiens, nam nullus violaret maodata Dei, ſi gratia hæc eſſet ex ſe efficax. Quòd tamen eſt falſum, cùm ſint plures, qui ea tranſgrediuntur: ergo gratia ſufficiens noo eſt; nec fuit ex ſe inutilis; cum ſufficiat ad vincendas tentationes, ſicut ſuffecit Paulo, ut ipſi Chriſtus declaravit, dicens: *Sufficit tibi gratia mea*, ſufficiat quoque ad obſervanda mandata Dei (alioquin Deus non daret eam homini pro ſervandis mandatis) & fiat efficax eorùmdem obſervatione.

Deindè eadem gratia ex ſe, & ex natura ſua abſque ullo addito intrinſeco, modò eſt efficax, ut dum attrahit conſenſum, & modò eſt ſufficiens, ut dum non attrahit illum: igitur gratia non poteſt dici inutilis, etiamſi non fiat efficax, aut ſi remaneat ſufficiens. Quia hoc non ex illa, ſed ex humana voluntate provenit. Gratia enim ſufficiens; & efficax non differunt intrinſecè; quaſi una habeat aliquem influxum realem; quem non habet altera, ſed differunt tantùm extrinſecè; penès ſcilicet conſenſum, qui eſt extrinſecus gratiæ; cùm proveniat à libero arbitrio gratiâ adjuto, & excitato, nt ſancit Sacra Tridentina Synodus. Et ſic malé concludunt Adverſarij dicenres, gratiam ſufficientem numquam ſuum habere effectum. Et quodlibet auxilium Dei eſſe ex ſe efficax, ità ut nihil requiratur ex parte voluntatis, ad peccatoris converſionem.

Ad authoritatem D. Auguſtini. Dico quòd debet intelligi de gratia completa, ſeu de ea, cui cooperatur humana voluntas, quæ duritiam cordis aufert; non ex ſe ſola, ſed ex ſe, & ex cooperatione voluntatis humanæ, ut affirmat Apoſtolus dicens: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*; agit enim ibi D. Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum, qui effectum prædeſtinationis conſequentur per gratiam, cui cooperati ſunt, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, & adepti ſunt repromiſſiones. Ut verò oſtendatur hæc voluntatis cooperatio, tam-

quam requiſita ad ſalutem , fides docet quòd qui bona egerunt , ibunt in vitam æternam , hoc eſt , erunt prædeſtinati , qui verò mala , in ignem æternum. Docet ioſuper quòd Chriſtus io ultimò judicio dicet maledictis : *Eſurivi , & non dediſtis mihi manducare.* Quòd denotat ad ſalutem requiri aliquid ex parte hominis.

Nec valet dicere cum Concilio Arauſicano 2. can. 4. quòd ut à peccato purgemus , Deus noo expectat voluntatem noſtram. Non valet inquam , quia Concilium non loquitur de voluntate ſequente , ſed de præparante : Hanc enim non expectat Deus , quia ipſe præparat animam , ſed expectat aliam utpoté ſequentem. Ideo Chriſtus dixit Paralytico (qui eſt figura peccatoris) *Vis ſanus fieri ,* Joan. 5. verſ. 6. *& dicit ei Jeſus , ſurge & ambula.*

ARTICULUS IV.

Probat contra plures , gratiam ſufficientem dari omnibus.

OMnes illi , qui credunt , Deum non habere voluntatem generalem ſalvandi omnes , & ſingulos homines. Et Chriſtum voluiſſe mori tantùm pro prædeſtinatis , credunt etiam , Deum non conferre gratiam ſufficientem omnibus & ſingulis hominibus , ſed ſolum electis , & prædeſtinatis , ideoque eoſdem Hæreticos , hîc referre ſuperfluum mihi videtur , quia de ipſis locuti ſumus in primo libro : ſatis ſit igitur ad memoratos articulos ejuſdem primi libri , Lectorem remittere , ut citius ad articuli noſtri probationes deveniamus.

§. I.

De Authoritate Conciliorum.

PRimo adducenda eſt authoritas Concilij Arelatenſis anathematizantis eos , qui dixerint , illum , qui periit , non accepiſſe à Deo ut ſalvus eſſe poſſet. Aut qui dixerint , vas contumeliæ non poſſe aſſurgere , ut ſit vas in honorem. Sic quippé loquendo , hoc Concilium , gratiam ſufficientem omnibus dari contendit , quia non loquitur de aliquo in particulari , nec de aliquibus determinaté , cùm utatur propoſitione indeterminata , ut conſtat ex propriis verbis Concilij : *Si quis dixerit illum qui periit , &c.* Nec loquitur de gratia , quæ facit ex ſe vas in honorem , ſed de ea , quâ mediante , vas contumeliæ poteſt aſſurgere , ut fiat vas in honorem , ſeu de auxilio ſufficiente dato omnibus , ut qui perit , non poſſit dicere quòd non habuit undé ſalvaretur. Aut ut vas contumeliæ habeat unde poſſit fieri vas in honorem. Quòd verum eſſe confirmatur ex illo Concilij Valentini III. celebrati in Gallia tempore Leonis IV. can. 2. in quo dicitur : *Non ideo mali pereunt quia boni eſſe non potuerunt , ſed quia noluerunt* , & ideo datur malis aliquod auxilium , quo poſſunt à malo recedere. Hoc autem auxilium non eſt efficax , quia infallibiliter recederent : ergo eſt tantum ſufficiens ad recedendum.

Authoritas Concilij Arelatenſis

Concilium Valentinū.

Idem priùs docuerat Divus Auguſtinus lib. de peccat. meritis cap. 17. ubi ait : *Cum voluntate humana gratia divina adjuvante , ſine peccato in hac vita eſſe poſſet homo. Si non ſit , poſſem faciliimé , & veraciſſimé reſpondere , quia homines nolunt.* Eadem veritas declaratur in Concilio Senonenſi celebrato tempore Clementis VII. decreto 15. ubi legimus : *Nec tale eſt trahentis Dei auxilio , cui reſiſti non poſſit , quoties enim Dominus voluit congregare filios Jeruſalem , ſicut gallina congregat pullos ſub alas , & noluit ? Fruſtra certé Stephanus Judæos duræ cervicis , & incircumciſi cordis argueret , qui ſemper Spiritui Sancto reſiſterent. Fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret , Spiritum né extinguerent , ſi divinis inſpirationibus inviolabilitér raperentur.*

D. Auguſtinus.

Concilium Senonenſe

Indè plura ſunt colligenda. Primò dari gratiam cui reſiſtere poteſt humana voluntas , ut patet in articulo præcedenti. Secundò , malis conferri gratiam , quâ boni eſſe poſſunt. Quòd ſi tales non ſint , hoc ipſis eſt imputandum, non Deo, qui ſincerè volēs omnes homines ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire , dat omnibus media ad illam ſufficientia. Tertiò colligitur , gratiam interdùm ſuo fruſtrari effectu , non ex defectu illius fœcunditatis , & virtutis ; cùm Deus det illam propter aliquid , ſcilicet ad eliciendum bonum , ſed ex defectu humanæ voluntatis reluctantis : Igitur ex Conciliis datur gratia ſufficiens , quæ nedum electis , & juſtis , ſed etiam malis , & reprobis confertur , ut Deus eorum perditionis author non cenſeatur.

§ II.

De Authoritate Sacræ Scripturæ , & Sanctorum Patrum.

COnciliis addo authoritatem Sacræ Scripturæ , Joan. 1. ubi de Chriſto Domino dicitur : *Erat lux vera , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quòd omnes Sancti Patres explicant de lumine gratiæ , voluntque hoc lumen dari omnibus , ſed ſufficit afferre Auguſtinum divinæ gratiæ defenſorem , qui lib. de Geneſi contra Manichæos cap. 3. ait : *Illud lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit , ſed pura corda eorum , qui Deo credunt , & ab amore viſibilium rerum , & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt , quod omnes homines poſſunt ſi velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Per hæc quidem verba, Auguſtinus nullum excludit , & oſtendit omnes homines illuminari per gratiam Chriſti , & adjuvari ad obſervanda Dei mandata, à quibus pendet noſtra ſalus , juxta illud Pauli dictum : *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis. Deus enim illis manifeſtavit* , & illud Chriſti Domini : *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata,* ad quid enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, niſi ut nullus in foveam cadat, & ut quilibet homo ambulet in viis Domini , quæ ad æternam fælicitatem ducunt ? hinc eſt quòd Apoſtolus declarat, gentiles (qui Deum non glorificaverunt, neque in viis Domini ambulaverunt , qui dereliquerunt Deum fontem aquæ vivæ , fecerunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, & Idolis ſervierunt) eſſe inexcuſabiles , eos tamen excuſaret, ſi non ſciret , omnes & ſingulos homines habere auxilium , quo poſſunt Deum glorificare , ejus mandata ſervare , & bonum operari ; cùm hæc omnia fieri nequeant ſine auxilio gratiæ. Et Deus io Scriptura Sacra declaret quòd quilibet peccator eſt damnationis ſuæ author. Quòd certò oon faceret, niſi quilibet haberet gratiam ſufficientem , ſeu eam per quam poſſet ſufficienter ſalutem ſuam operari, ſi vellet.

Joan. 1.

Gratia ſufficiens datur omnibus.

Idem docet D. Chryſoſtomus , homil. 7. in Joan. ibi enim ait : *Gratia in omnes diffuſa eſt , non Judæum , non Græcum, non Barbarum excipit , aut dedignatur, omnibus eadem eſt , omnibus ſe faciem exhibet , omnes pari honore advocat , qui autem ejus munere frui neglexerunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent, cum enim detur omnibus , omnibus pateat , à nemine prohibetur , perditi quidam, & nequam homines , propriâ duntaxat malitiâ* ingred

Digitized by Google

gredi recuſam. Hæc autem gratia, quæ ex D. Chryſoſtomo in omnes diffuſa eſt, ſeu quæ omnibus datur, non poteſt eſſe efficax; cùm hæc ſemper conjungatur effectui. Nec eſt ſanctificans cùm conſtituat Juſtos, & omnes homines non ſint juſti, ſed eſt ſufficiens quæ datur omnibus ut ad ſanctitatem pervenire valeant, ſi velint: ergo hæc gratia ſufficiens datur omnibus, ut omnes à Deo, ita habeant unde ſalvari poſſint, ut ſi quis pereat, non ex defectu auxilij neceſſarii, ſed ſua culpâ pereat.

Illud ſuaderi poteſt ex obligatione illa, qua tenemur vincere tentationes, & inſidias Diaboli, certum quidem eſt quòd ex nobis ſumus inſufficientes ad hujuſmodi tentationes vincendas, certum eſt etiam quòd ſolus Deus poteſt nos gratiâ reddere ſufficientes, ut dictum eſt contra Pelagianos. Unde cùm Deus nolit nos tentari ſupra id quod poſſumus ſuſtinere, & in ſe habeat auxilia, quibus mediantibus reſiſtere valemus inimicis, quos vincere tenemur, procul dubio nobis ea confert nè pereamus in prælio, & ut vincamus.

D. Bernardus.

Idem docet D. Bernardus qui ſerm. de quadrag: inquit: *In nobis eſt ſi vinci nolumus* &c. *poteſt inimicus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris dare, vel negare conſenſum, in tua facultate eſt ſi volueris inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum*: proculdubiò ille S. Doctor loquitur de auxilio, quô poſſumus vincere, quodve non eſt efficax ex ſe; cùm requirat noſtrum conſenſum, ſitque in noſtra facultate hujuſmodi auxilio adjuta, facere inimicum, ſervum, ſed eſt ſufficiens ad vincendum, vultque idem auxilium conferri omnibus, & ſingulis hominibus; cùm loquatur omnibus hominibus, & nullus ſit, qui non tentetur à concupiſcentia ſua, & qui non teneatur vincere carnem; alioquin iſtud præceptum, *non concupiſces*; non obligaret omnes, & ſingulos homines, ſed ſolum prædeſtinatos, quibus ſolùm ex adverſariis datur gratia, nec inter peccata mortalia computari poſſent ſimplex fornicatio, actus impudici, pollutiones voluntariæ, & alij ſimiles actus. Quòd eſt falſum.

Eadem veritas facilè colligitur ex potentia uniuſcujuſque ad peccandum, quia illi, qui carerent gratiâ ſufficiente; tandiù, quamdiù eſſent ſine illa gratia, non poſſent peccare. Non enim peccamus, actu, niſi quandò non facimus bonū, quod facere poſſumus, & tenemur facere, vel quando operamur malum, quod vitare valemus: at ſine gratia ſufficiente non poſſumus facere bonum, ut dictum eſt contrà Pelagianos, nec poſſumus ſine ea vitare malum, dum ſe offert occaſio, & urget tentatio gravis, ut tenent omnes contra Pelagianos; igitur cum habeamus potentiam peccandi, hancque pronam ad malum ob peccatum originale, certum eſt quòd habemus à Deo gratiam ſufficientem ad non peccandum; quoniam ipſo mandante, tenemur non peccare. Quod non eſt in noſtra poteſtate, niſi dum voluntas habet auxilium aliquod externum, quo poſito, poteſt non peccare, & quo nonobſtante, poteſt peccare, quia ut potentia ſit libera, ſicut ad peccandum requiritur, neceſsè eſt quòd habeat omnia requiſita ad non peccandum, inter quæ eſt auxilium Dei: nam ſicut ille eſt beatus, qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit, ità ille eſt Reus, qui potuit facere bonum, & non fecit, non tranſgredi, & eſt tranſgreſſus, quòd contingeret ei, qui careret gratiâ ſufficiente, quia non poſſet facere bonum, cùm ad faciendum illud, vires naturales non ſufficiant, & dum caderet, non libertate, ſed neceſſitate, & ex ſola conditione naturæ caderet, ac proinde non eſſet Reus, quia in naturalibus non meremur, nec demeremur. Nè autem dicamus aliquem eſſe Reum ex ſola conditione naturæ, dicendum eſt, quemlibet hominem habere ſufficiens auxilium ad non peccandum, ſeu habere gratiam, quæ ſufficit illi ad non peccandum.

Ut homo peccet; debet habere ea quæ ad non peccandum neceſſaria ſunt.

Obligatio obſervandi mandata poſtulat gratiam;

Ex obligatione obſervandi mandata Dei, quæ omnibus, & ſingulis hominibus incumbit, colligitur etiam, gratiam ſufficientem conferri omnibus, nam hujuſmodi mandata impoſſibilia ſunt viribus naturæ, ut fatentur omnes Theologi contrà Pelagianos gratiæ neceſſitatem excludentes. Tamen ex Tridentino poſſibilia ſunt, & debent obſervari à libero arbitrio, ſanè non nudo; ſed gratiâ Dei adjuto; Igitur dicendum eſt (nè Deus jubeat impoſſibilia, ut de facto non jubet) quòd dat omnibus, & ſingulis hominibus gratiam ſufficientem quâ adjuvante poſſunt hujuſmodi mandata ab omnibus obſervari, & ſine qua ſunt prorsùs impoſſibilia, ſicut ab hujuſmodi mandatorum obſervatione nullus excuſatur (quippe cùm Deus ſit Dominus omnium, quilibet homo divina lege ligatur) ità nulli debet denegari auxilium ſufficiens ad obſervandam illam: lex Dei eſt onus leve & Jugum ſuave; Ideoque quilibet homo poteſt hanc legem obſervare, non propriis viribus naturæ, ut voluit Pelagius; ſed mediante gratia, quæ adjuvet liberum arbitrium ut ſe ſubijcere poſſit legi divinæ, ſi velit: Igitur hæc gratia non poteſt juſtè denegari alicui, quia tenemur omnes parere mandatis; ſuppoſita quidem obligatione ſervandi mandata, gratia debetur omnibus; cùm nemo ad impoſſibilia teneatur, & præcepta Dei ſine gratia, ſint impoſſibilia. Illa autem gratia non eſt efficax, quia hæc non datur omnibus, alioquin omnes mandata Dei obſervarent: ergo eſt ſufficiens ad ipſorum mandatorum obſervationem.

Voluntas ſalvandi omnes, non poteſt eſſe ſine voluntate dandi gratiam omnibus.

Illis rationibus addi poteſt altera deducta ex voluntate generali, quâ Deus vult ſincerè ſalutem hominum, nam quiſquis ſincere vult finem, vult etiam media ad eum finem aſſequendum abſolutè neceſſaria: igitur ſi Deus vult ſincerè ſalutem omnium, & omnes ad agnitionem veritatis venire, ut probatum manet in primo libro, confert eis gratiam, quâ ſalutem poſſunt aſſequi, ſi velint, cùm certò ſciat hominem non poſſe ſine gratia pervenire ad veritatem, nec ad ſalutem, ut teſtatur ipſemet Chriſtus dicens: *Sine me nihil poteſtis facere: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, quo maniſeſtè probantur inſufficientia noſtra, & neceſſitas auxilij ſaltem ſufficientis, ut ipſo adjuvante, voluntas humana poſſit actus bonos elicere, & juxta monitum Apoſtoli ſalutem ſuam operari. Nam operari ſupponit poſſe: poſſe autem illud ſupponit auxilium Dei, quia nullus homo ex ſe eſt ſufficiens: ergo unicuique datur auxilium illud, aut eſt aliquis, qui non tenetur ſalutem ſuam operari. Quòd eſt falſum.

Unuſquiſque tenetur credere in Deum ſicut oportet, & nullus poteſt propriis viribus ità credere: Deus tamen vult quòd credamus, & non removet à nobis obligationem accedendi ad illum: Igitur nullo modo poterit Deus velle quòd veniamus ad Chriſtum, ſi relinquat nos impotentes ex privatione gratiæ ſuæ. Hinc eſt quòd cùm velit ſalutem noſtram, & mittet in ignem æternum illos, qui mala fecerunt, dat omnibus gratiam ſufficientem ut bona faciant & ſalventur; alioquin multi eſſent quorum ſalutem Deus nollet, quia denegare alicui media neceſſaria ad ſalutem, eſt velle ut pereat. Quòd de Deo dici non poteſt.

Tandem ex morte Chriſti ſimile infertur argumentum, nam eis conferuntur gratiæ ſufficientes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & ſuum prætioſum Sanguinem in Redemptionem Patri æterno obtulit, ut fatentur hæretici aſſerentes contrà univerſalem Eccleſiæ

Ex morte Chriſti colligitur, gratiam ſufficientem dari omnibus.

fidē, Chriſtū pro ſolis prædeſtinatis mori voluiſſe; ſed Chriſtus habuit ſinceram, ac formalem voluntatem moriendi pro omnibus, & de facto pro omnibus & ſingulis mortuus eſt, ut in primo libro probatum manet: ergo confert gratiam ſufficientem omnibus, & ſingulis hominibus, ut nullus pereat auxilij neceſſarij privatione, & ut Chriſtus valeat meritò dicere peccatoribus in ultimo judicio: *Ite maledicti in ignem æternum*, in quo cruciatur nemo, niſi ſuâ culpâ, quæ certò non eſſet damnatis propria, ſi non habuiſſent in vita auxilium ſaltem ſufficiens ad faciendum bonum, & ad vitandum malum, quoniam utrumque fuiſſet eis impoſſibile, ut patet ex dictis, quibus firmatur, naturam ex ſe ſola, eſſe impotentem ad bonum actum eliciendum.

§ III.

In quo adducuntur & ſolvuntur Rationes Contrariæ.

Act. 16.

HAnc ipſam gratiam impugnant Adverſarij dicentes non dari omnibus: idque probant authoritate S. Scripturæ, act. 16. ubi refertur quod Paulus, & Thimothæus vetati ſunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Aſia, & eum tentarent ire prædicaturi Evangelium in Bithynia, non permiſit eos Spiritus Jeſu, ire. Hujus rei ratio eſt (inquiunt) quia Deus denegabat nationibus illis auxilium fidei, & volebat ipſos privare gratia ſufficiente, & omnibus auxiliis. Quod verum eſſe probant ex cap. 14. ejuſdem libri; verſ. 15. *In præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Indè enim ſequitur quòd non ſubminiſtravit eis auxilia ſufficientia, quibus ambularent in viis Domini.

Reſpondetur, falſum eſſe, gratiam interiorem ſufficienter Deum manifeſtantem, & ad ejus cultum inducentem, fuiſſe denegatam populis Aſiæ, & Bithyniæ; cùm ex Evangelio conſtet, gratiam illuminare omnem hominem venientem in hunc mundū. Solùm prædicatio Evangelij quæ eſt gratia exterior, fuit illis denegata, nun abſolutè, ſed tantum pro aliquo tempore, quòd non eſt propriè eam denegare, ſed differre.

Deus non privavit populum Aſiæ auxilio ſufficiente.

Ad probationem nego conſequentiam; nam Deus nullum reliquit hominem ſine auxilio ſufficienti; licet dimiſerit aliquos ingredi vias ſuas, quoniam, hic, dimittere, idem ſignificat, ac permittere eos vivere ſecundum propriam voluntatem; non verò eos privare auxilio neceſſario, ſicut dicimus in Sacra Scriptura quòd Deus reliquit hominem in manu Conſilij ſui; quin dicamus quòd reliquerit eum ſine auxilio ſupernaturali, ſeu ſolis viribus naturalibus. Ità docet S. Proſper lib. 2. de vocatione gentium

S. Proſper

cap. 4. ubi ait: *Ne in præteritis quidem ſæculis, hæc eadem gratia, quæ poſt Domini Noſtri Jeſu Chriſti reſurrectionem ubique diffuſa eſt, & de qua Scriptum eſt: illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ: deſuit mundo, quamvis enim ſpeciali curâ, atque indulgentiâ, Dei populum Iſraëliticum eſſet electum, omneſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundum propriam permiſſæ ſint vivere voluntatem, non ità ſe tamen æterna creatoris bonitas ab aliis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe, atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret.*

Indè ille S. Doctor ſuadet, textum adductum inſinuare gratiam Dei non fuiſſe ità abūdantèr diffuſam gentibus, ac Judæis; non verò ipſos gentiles fuiſſe omni gratiâ deſtitutos. Deo enim eſt cura de omnibus, & ſingulis hominibus, nedùm in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, aliàs Apoſtolus ad Rom. cap. 1. non diceret, gentiles & Paganos fuiſſe inexcuſabiles, quia ut inexcuſabiles ſint, neceſſè eſt quòd per ipſos ſteterit ſi Deum non glorificaverint. Porrò ut per ipſos ſteterit, neceſſè eſt, ipſos habuiſſe auxilium ſufficiens ad habendam Dei cognitionem: ideoque habuerunt illud, aut ſunt excuſabiles contrà mentem Apoſtoli.

Aliam adducunt authoritatem, quæ eſt Matth. 12. ubi declaratur quòd qui dixerit verbum contrà Spiritum S. non remittetur ei, nequé in hoc ſæculo, nequé in futuro, id eſt, nullum auxilium ſufficiens ad reſcipiſcendum, dabitur homini, qui tale peccatum commiſerit *in Spiritum Sanctum*. Per conſequens plures ſunt homines, qui gratiâ ſufficiente privantur, nè pœnitentiam agant; cùm plures ſint, qui taliter peccant.

Per peccatum in Spiritum Sanctum intelligitur impœnitentia finalis.

Hæc interpretatio eſt falſa, quia per peccatum *in Spiritum Sanctum*, intelligitur impœnitentia finalis, ut docent Sancti Patres, quæ quidem impœnitentia non provenit ex defectu gratiæ ſufficientis, ſed ex mala voluntate hominis, qui quamdiù vivit, deſpicit Sanctas inſpirationes. Ideoque homo in hac mala voluntate conſtitutus, non debet cenſeri privatus auxiliô ad habendum dolorem requiſitô, ſed ſolùm non præbere cooperationem gratiæ ſufficienti, quâ poſſet pœnitere, ſi vellet, alias Deus non diceret peccatoribus *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.*

Nec oppoſitum poteſt colligi ex hoc textu, quo verbum in Spiritum S. judicatur irremiſſibile, quia blaſphemia in divinitatem non eſt abſolutè irremiſſibilis, ſed ſolùm difficillimè remittitur, tum propter ſuam enormitatem, tum propter peccantis pertinaciam, & indignitatem. Ratio hujus expoſitionis eſt, quia Deus, qui ſtat ad oſtium & pulſat, non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, nec vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, & ideò evidenter conſtat quòd nolendo mortem Impij, dat illi auxilium ſufficiens ad converſionem, ſeu vitam. Conſtat etiam contrà Armenos, nullum dari peccatum (excepta finali & voluntaria impœnitentia) quod non poſſit remitti in hac vita per viam pœnitentiæ, & contritionis.

Nec obſtat quòd peccatum illud dicatur irremiſſibile, quia Sacra Scriptura interdum utitur ſuperlatione, & loquitur per hyperbolem rei exagerandæ gratiâ, ſic per hyperbolem dicitur de fame, quam Pharaoni prædixerat Joſeph, nimirùm quòd premeret omnem terram, dum dicitur Geneſ. cap. 43. verſ. *Geneſ. 43.*
16. *Creſcebat autem fames in omni terra*, quamvis non omnem terram, ſed ſolum premeret Ægiptum: ità loquitur Matthæus, vultque peccatum difficillimè remittendum, vocari irremiſſibile ob maximam difficultatem, non verò ob receſſum gratiæ, aut miſericordiæ Dei, qui cùm non deſpiciat cor contritum, & humiliatum, & dixerit Apoſtolis: *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, certum eſt quòd nullus eſt peccator, qui non accipiat ab eo auxilium ſufficiens, ut à peccato reſurgat, ſi velit. *D. Auguſt.*

Idem habet D. Auguſtinus qui tract. 36. in Joan. ait: *Venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſteà judicare: eos judicando in pœnam, qui ſalvari noluerunt: eos perducendo in vitam æternam, qui credendo, ſalutem non reſpuerunt.* Ex quibus conſtat quòd ſicut illi tantùm in judicio coronabuntur, qui gratiam non reſpuerunt, ſic illi tantum condemnabuntur, qui ſalvari noluerunt, ſeu qui reſpuerunt gratiam, quâ poterant ſufficienter à peccato reſurgere.

Utuntur inſuper hæretici authoritate D. Auguſtini, & præcipuè illâ, quæ habetur Epiſt. 107. ad Vitalem, ubi ait: *Scimus gratiam Dei majoribus ad ſingulos actus dari: ſcimus non omnibus hominibus dari: ſcimus*

eis quibus datur, miſericordiâ Dei gratuita dari:ſcimus eis quibus non datur, juſto Dei judicio non dari: Et ſerm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 4. Idem S. Doctor inquit: *Communis eſt omnibus natura, non gratia*: Ergo ex D. Auguſtino multi ſunt, quibus non datur gratia ſufficiens, & præſertim peccatores illi, de quibus in Pſal. 147, ait: *Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam.*

Exponitur verameni D. Auguſt.

Reſpondeo, ibi D. Auguſtinum loqui de gratia, quæ conſtituit Filios Dei adoptivos, ſcilicet de gratia ſanctificante, quæ diſcernit Juſtos ab Impiis, & fideles ab infidelibus, quæ quidem gratia non eſt propriè de genere auxilij; cùm ſit forma permanens, & animæ inhæreat. Hæc reverà non eſt communis, nec datur omnibus, & dum datur, miſericordiâ Dei gratuitâ datur, quia nullum meritum ſupponit, & dum non datur, juſto Dei judicio, non datur, quoniam nequit compati cum peccato: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas Luci ad tenebras? inquit Apoſt. 2. Corint cap. 6. verſ. 14.

Hanc eſſe mentem Divi Auguſtini patet. Nam quæſtio inter S. Auguſtinum, & Vitalem non erat de gratia actuali, ſed de gratia ſanctificante, & expellente peccatum; ut videtur innuere ille Sanctus Doctor in verbis præcedentibus, ubi indicat eam gratiam, per quàm renaſcimur in Chriſto. *Scimus ſecundum Adam carnaliter natos contagione mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari a ſuppliciis mortis æternâ, niſi per gratiam renaſcamur in Chriſto*: Ergo non loquebatur de gratia actuali, nec de auxilio divino, ſed de gratia regenerationis, quæ eſt gratia habitualis, qua Deus habitat in juſtis, & ob cujus carentiam, peccatores longè ſunt ab ipſo.

Dicent, ibi D. Auguſtinum loqui de gratia, quæ neceſſaria eſt ad ſingulos actus bonos divina lege præceptos: ergo non loquitur de gratia juſtificante, quæ non eſt neceſſaria ad ſingulos actus, nec eſt de genere auxiliorum, ſed de actuali.

Reſponſio ad inſtantiam adverſariorum.

Nego ſuppoſitum, quia ut inquiunt Belarminus, & Fraſſenius, gratia juſtificans neceſſaria eſt ad juſtitiæ & meriti actus, qui propriè ſunt actus illi de quibus loquitur D. Auguſtinus. Nam idem S. Doctor ſuam ſententiam oſtendit, & veritatem horum verborum, *Scimus gratiam Dei*, expendit exemplô paruulorum, qui ſine baptiſmo decedunt; qui privantur gratia Sanctificante; ſeu regenerante, quæ eſt beneficium baptiſmi: ergo ibi loquitur de gratia juſtificante, vultque hanc non dari omnibus; non verò de gratia actuali, ſine qua nullus poteſt ſervare Dei mandata, & in quorum obſervatione nullus diſpenſatur.

D. Auguſtinus.

Dicent iterum quòd dum Deus privat pueros baptiſmô, ſicuti de facto aliquos privat, ut teſtatur idem S. Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ, dicens: *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus paruulo detur, Deo tamen volente, non datur*; privat eos auxilio ſufficiente ad habendam gratiam ſanctificantem, & perconſequens oſtendit etiam quod illud auxilium non datur omnibus.

Non valet hæc inſtantia, quia hæc particula, *Deo volente* non ſignificat primariam Dei volitionem terminatam ad privationem baptiſmi; cùm conſtet, ipſum baptiſmum fuiſſe inſtitutum a Chriſto pro omnibus. Et Apoſtolos pro ipſo conferendo ad omnes gentes fuiſſe miſſos: dictum quippe fuit illis: *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* Sed ſignificat volitionem terminatam ad libertatem cauſarum ſecundarum, quarum curſum non vult perturbare Deus. Undè diſtinguo in forma antecedens. Baptiſmus non confertur iſtis paruulis, *Deo volente*, cauſas ſecundas ſinere in proprio concurſu, concedo. *Deo volente* puerum non baptizari, nego. Tunc enim Deus non denegat puero baptiſmum, nec facit, ut Ipſe puer non baptizetur, ſed ſolùm conſervat cauſis ſecundis uſum libertatis, ex quo uſu ſequitur illa privatio baptiſmi, de qua agit D. Auguſtinus.

Dicent, ut quis cenſeatur ſufficienter providere ei cujus curam gerit, debet impedire, ſi poſſit, cauſas ipſi nocentes: ergo Deus non cenſetur providere iſtis parvulis; cùm non impediat cauſas ſecundas removentes baptiſmum.

Reiicitur adverſariorum reſponſio.

Hæc ratio eſt nulla in noſtro caſu, quia Deus non eſt proviſor particularis ad bonum ſpeciale unius dumtaxat ordinatus, cui competit hæc obligatio removendi cauſas ſecundas nocentes, ab eo cujus curam gerit; ſed eſt proviſor generalis, & ad bonum commune ſpectans, qui promiſit relinquere omnes cauſas ſecundas in exercitio libero, & unamquamque in propria virtute naturali, & inſtituit baptiſmum pro omnibus: ergo quamvis non impediat cauſas ſecundas iſtos pueros à baptiſmo removentes, non debet tamen cenſeri negligere curam paruulorum, quia ſi hoc faceret, non eſſet proviſor generalis; cùm cauſis ſecundis ſuum denegaret concurſum: ex quo ſequitur, Deum voluntate poſitiva nullum arcere puerum a gratia baptiſmi, ſed ſolùm permiſſiva, ſeu non impediendo concurſum, & activitatem cauſarum naturalium ob rationem aſſignatam, licet baptiſmum impediant.

Replicant adverſarii.

Poſſunt hæretici reſponſionem noſtram ſic impugnare, Deus vult poſitivè & ordinatè ea, quæ fiunt in mundo (ſi excipias peccatum circà quod dumtaxat eſt cauſa permiſſiva) ergo vult poſitivè, non verò permiſſive tantum illam baptiſmatis gratiæ privationem, quâ nonnulli parvuli afficiuntur; cùm non ſit peccatum. Quare D. Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ in inſcructabile Dei judicium refundit cur uni paruulo, potiùs quàm alteri, baptiſmus conferatur: ideoque Deo poſitivè volente interdùm baptiſmus denegatur parvulis.

Reſpondetur, Deum velle poſitivè omnia, quæ fiunt in mundo, eaque ordinare voluntate primaria, & antecedente, vel ſolùm ſecundaria, & conſequente, non verò ſemper primaria, & antecedente; alioquin hac ipsâ voluntate primariâ vellet damnationem parvulorum. Quod eſt falſum; cùm juxta Apoſtolum velit omnes homines ſalvos fieri; undè Deus vult baptiſmum negari parvulis voluntate conſequenti tantùm, quia nimirum vult cauſas ſecundas naturales agere ſuis motibus, & ex actione illa (quam Deus non vult prohibere) ſequitur denegatio baptiſmi.

Explicatur D. Auguſt. ab adverſariis citatus.

Ad authoritatem Divi Auguſtini dico quòd debet intelligi de iis in quorum favorem ſpeciali providentia Deus cauſas particulares, & ſecundas ità ordinat, ut non agant motu ſuo nè impediant collationem baptiſmi, non verò de ſingulis generatim; ità colligit noſter Fraſſenius ex lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 22. ejuſdem Sancti Auguſtini.

Dicunt tandem Divum Auguſtinum lib. de gratia, & correpr. cap. 12. declarare, Deum in pœnam peccati denegare auxilium aliquibus: ibi enim diſtinguens gratiam ſanitatis à gratia medicinali, inquit: *Nunc autem quibus deeſt tale auxilium, jam pœna peccati eſt*: Ergo ex Divo Auguſtino, gratia ſufficiens non datur omnibus, & ſingulis hominibus, ſed deeſt peccatoribus in pœnam peccati commiſſi, vel contracti.

Reſpondeo ibi D. Auguſtinum loqui de auxilio conceſſo ad perſeverandum, quod datum fuit primo parenti, & non datur omnibus, non verò de auxilio ſufficiente, quô homo poteſt declinare à malo, &

facere bonum : ut ſæpius docet idem S. Doctor, maximè lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 1. ubi ait : *Reſtat libero arbitrio in hacce mortali vita, non ut juſtitiam impleat cum voluerit, ſed ut ſimplici pietate, ſe convertat ad Deum, cujus donô illam poſſit implere* : Igitur. D. Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ, non docet, auxilium ſufficiens deeſſe homini lapſo in pœnam peccati. Nam datur homini ut faciat bonum & ut à peccato reſurgat, ideo homo nequit ipsâ gratiâ privari in pœnam peccati : id enim à quo Deus vult nos liberos eſſe, nequit privare nos remedio, quo liberari poſſumus, vult autem nos liberos eſſe à peccato ; cùm dicat unicuique noſtrum, *Declina a malo* : ergo in pœnam peccati non privat nos auxilio, quo ſolò poſſumus declinare à malo, à quo vult quòd declinemus.

Ultima objectio. Tandem inquiunt : illi, qui non habent fidem, non habent gratiam ſufficientem, nullumque donum ſupernaturale, quia prima gratia, eſt fides ſine qua impoſſibile eſt placere Deo juxtà mentem Apoſtoli, ſed plures homines ſunt, qui non habent fidem, ut probat infauſta infidelium conditio: ergu plures ſunt, qui omni gratiâ privantur.

Reſpondeo quòd reverà plures non habent fidem illam, quà homo fit fidelis, & membrum Eccleſiæ, extrà quam plures homines exiſtunt. ſed nullus eſt qui non habeat fidem illam, quà creditur in Deum aliquo modo, ſive quatenus cognitum per creaturas, ex cujus cognitione homo pervenit ad cognitionem Dei, ut affirmat Apoſtolus dicens, quod à creatura mundi inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Hæc autem fides eſt in omnibus hominibus habentibus uſum rationis ; cùm ſolus inſipiens dixerit in corde ſuo, *non eſt Deus*, quæ né vacua ſit, Deus gratia ſua adjuvat intellectum, ut nobiliori, & altiori modo ipſum cognoſcat. Et excitat voluntatem ad amorem ejuſdem objecti mediante ſupernaturali auxilio cogniti. Undé falſum eſt quòd illa cognitio de qua loquimur, & quam omnes & ſinguli homines habent naturaliter, ut affirmat Tertullianus dicens quòd animæ rationalis dos, Dei notitia eſt, ſit primum donum ſupernaturale ; cùm reverà naturalis ſit, & donô ſupernaturali nimirùm gratia ſufficiente adjuvetur. Chriſtus miſit Apoſtolos ſuos in univerſum mundum ut Evangelium prædicarent omni creaturæ, ſeu omnibus hominibus: Ideoque dat unicuique id ſine quo, nullus poteſt credere Evangelio ſicut oportet. Illud autem ſine quo nullus poteſt credere Evangelio, eſt gratia ſufficiens, ſeu auxilium divinum : ergo dat illud omnibus ; cùm voluntas Dei ſit, quòd omnes credant in eum, & habeant fidem Evangelij. *Reſponſio ad objectionem.*

Hanc ipſam gratiam dari omnibus, & ſingulis hominibus apertè colligitur ex diſt. 4. de conſecrat ; Can. *Nec quemquam* quo in defluxu mannæ de cœlo, habetur figura influxus gratiæ Chriſti. Ibi enim legitur : *Unde apparebat Chriſti indulgentiam & cœleſtem gratiam poſtmodum ſecuturam æqualiter omnibus dividi, ſine ſexu varietate, ſine annorum diſcrimine, ſine acceptione perſonæ, ſuper omnem populum Spiritalis gratiæ munus infundi.* Hæc authoritas quâ utitur jus Canonicum, & tribuitur D. Cypriano, ſignificat, gratiam ſufficientem dari omnibus, ex vi meritorum Chriſti, qui pro omnibus morte ſua eamdem gratiam meruit. *De conſec. diſt. 4.*

Huic authoritati addi poteſt alia ejuſdem ponderis, quæ eſt D. Ambroſij ſerm. 8. in Pſal. 118. ubi ſic loquitur : *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, ſi quis autem in Chriſtum non credit, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris ſolis excludat radios.* Hæc enim verba non poſſunt intelligi niſi de gratia ſufficienti interiori, quæ eſt generale beneficium, quod Chriſtus meruit omnibus, & ſingulis hominibus ; aliàs non eſſet generale beneficium illud, quo ſe fraudat ille, qui non credit in Chriſtum ; non quod ſe privet tali beneficio, ſeu gratiâ ſufficiente, ſed quod privet ſe fructu hujus beneficij generalis : Igitur ex Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, & Conciliis pro certò habemus, Deum conferre omnibus & ſingulis hominibus gratiam ſufficientem, quà unuſquiſque poteſt actus bonos elicere, & à malo declinare, ut ex ſupra dictis patet. *D. Ambroſ.*

ARTICULUS V.

Reijcit Jovinianum exiſtimantem, gratiam ſemel receptam eſſe inamiſſibilem.

JOvinianus (à quo Jovinianiſtæ hæretici ortum habent) rejecto monachatu, plures in Eccleſiam invexit errores, tempore Theodoſi II. Imperatoris, & Syricij Papæ, circa annum Domini : CCCXCV. inter quos unus aſſerit, eos, qui plena & integra fide per baptiſmum renati ſunt in Chriſto, ſuntque Filij Dei, non poſſe poſteà peccare, & ideo nec gratiam in baptiſmo ſemel receptam poſtmodum amitti poſſe, acproindè docebat hanc gratiam Sanctificantem eſſe inſeparabilem ab anima juſti, aut hominem ſemel juſtum, ſemper eſſe juſtum. *Jovinianus*

Eamdem hæreſim poſteà docuit Impiiſſimus Pelagius gratiæ Chriſti, totiuſque auxilij divini impugnator & hoſtis acerrimus, qui circà annum Domini CCCCV. tempore Arcadij Imperatoris, & Innocentij Papæ I dixit, hominem juſtum in hoc ſæculo nullum poſſe habere peccatum, ſeu per gratiam conſtitui penitùs impeccabilem. Volebat enim quòd qui ſemel juſtus eſt, jam amplius peccare non poſſit, quoniam putabat collationem gratiæ habitualis, & confirmationem in eadem, nullo modo diſtingui, aut gratiam ſanctificantem eſſe ſignum indelebile. Hanc perverſam Pelagij mentem ſecuti ſunt omnes Pelagiani in primo hujus articuli libro relati. *Pelagius*

Hæc impia opinio fuit ſopita authoritate Concilij Milevitani mox citandi, & ſepulta remanſit uſque ad annum MCCCXIV. quo tempore Begardi, & Beguinæ ſuſcitarunt eam. Tunc enim docuerunt, hominem poſſe in hac miſera vita tantam virtutis perfectionem conſequi, ut reddatur omninò impotens ad peccandum, hoc eſt, incapax ad perdendam gratiam ſemel receptam. *Begardi Beguinæ.*

§. I

De hæreſis proſcriptione.

HÆc hæreſis Joviniani fuit ſolemniter damnata in Concilio Milevitano (celebrato anno CCCCXVI. ultimo Innocentij Pontificatus anno) cap. 6. decretorum, ubi legitur : *Item placuit, quod ait Sanctus Joannes Apoſtolus : ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas ita eſt ; anathema ſit.* Hoc quidem Canone, Concilium intendit aſſerere contra hæreticos, gratiam Sanctificantem eſſe amiſſibilem per peccatum, & hominem juſtum habere potentiam peccandi, ac proinde habere potentiam amittendi gratiam, quâ conſtituitur Juſtus. *Decretum Concilij Milevitani contra hæreticos.*

Tridentin.

Tridentinum, quod ſeſſ. 6. Can. 23. de juſtificatione ait: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuiſſe juſtificatum: aut contra, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia: anathema ſit.* Expreſsè negat & damnat hæreſim Jovinianam, quam hìc impugnamus. Non deſunt Scriptores, qui ex hoc Canone Concilij Tridentini, meritò inferunt; Lutherum hæreſim Joviniani, & Pelagij ſecutum fuiſſe, & eam jam diu ſepultam; poſt mille annos, & eo amplius ab inferis ſuſcitaſſe, quoniam pro Lutheri, Calvini, & ſequacium novatorum hæreſibus damnandis hæc Sancta, & æcumenica Synodus celebrata fuit, & perconſequens Patres Concilij inter errores Lutheri invenerunt iſtum circà amiſſionem gratiæ; alioquin non condemnaſſent eum expreſsè.

Hujus hæreſis in Tridentino damnata defenſores cenſentur Lutherus & Calvinus.

Hoc conſtat inſuper ex Catalogo errorum illius; ibi enim habetur quod ſic loquebatur ipſe Lutherus: *Prorsùs non dubitemus nos eſſe ſolvos poſtquam baptizati ſumus, quia promiſſio ibi facta, non eſt mutabilis illis peccatis. Unde baptizatus volens etiam, non poteſt perdere ſalutem, quia nulla peccata poſſunt eum damnare, niſi incredulitas, cætera omnia per fidem abſorbentur in momento.* Ita refert noſter Alphonſus à Caſtro. Eamdem perverſam, atque Phanaticam mentem habent Calviniſtæ, duce Calvino lib. 3. inſtitut. cap. 2. ubi docet quòd quis ſemel juſtificationis gratiam adeptus eſt, non poteſt eam amittere per ſubſequens peccatum.

§. II.

Probat, gratiam eſſe amiſſibilem.

HÆc hæreſis facilè reijcitur hac authoritate Sacræ Scripturæ, Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nam per debita; omnes intelligunt peccata, & delicta, eaque eſſe in homine baptizato, vel ſaltem in eo eſſe poſſe nonobſtante gratia baptiſmô recepta; alioquin Chriſtus non docuiſſet nos hanc orandi methodum, nec eidem orationi addidiſſet, *Et ne nos inducas in tentationem*, quia hæc oratio eſſet ſuperflua, & inutilis, ſi homo, qui fuit baptizatus, non poſſet à Dæmone tentante ſubverti; nec amittere gratiam juſtificationis; ut impiè voluerunt; Jovinianus, Pelagius, & Lutherus; cùm poſita hac gratia inamiſſibili, homo baptizatus remaneret indefectibiliter juſtus, & Sanctus.

Oratio dominica probat gratiam eſſe amiſſibilem.

Præterea Paulus corpus ſuum non caſtigaſſet, nec illud in ſervitutem redegiſſet, nec timuiſſet, nè forte aliis prædicando, ipſe reprobus efficeretur, nec dixiſſet Corinthiis Epiſt. 2. cap. 11. verſ. 3. *Timeo autem ne ſicut Serpens Evam ſeduxit ſuà aſtutia, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto*; cùm ſecurus fuiſſet, gratiam Sanctificantem, quâ homo fit gratus Deo, eſſe inamiſſibilem per peccatum, & hominem juſtum eſſe impeccabilem, ſaltem peccato oppoſito, & directè contrario amicitiæ Dei. At hæc ſecuritas non potuit eſſe in Paulo, ſciebat enim quòd ſæpè Juſtus cadit, unde monebat eoſdem Corinthios ut diligenter ſtuderent ſanctitati, & virtuti pro gratia recepta conſervanda, dicebat enim eis, Epiſt. 1. cap. 10. verſ. 12. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat*, hoc eſt, attendat ſibi nè à juſtitia excidat. Et verſ. 14. *Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab Idolorum cultura*: Igitur mens Apoſtoli erat, hominem juſtum poſſe gratiam juſtificantem amittere per peccatum, aliàs trepidaſſet timore, ubi non erat timor, aut ignoraſſet ſtatum, & naturam gratiæ Sanctificantis. Quòd dici nequit de Paulo, qui eſt Doctor gentium, & raptus fuit uſque ad tertium Cœlum, in quo audivit arcana, quæ non licet homini loqui.

Undè non Joviniano, nec Pelagio, nec Luthero, ſed Paulo credendum eſt, & in timore, & tremore operanda eſt noſtra ſalus, non enim per unum dumtaxat peccatum, ſcilicet per infidelitatem, ut addit Lutherus, ſed per quodcumque peccatum mortale gratia juſtificans tollitur; ut tradit Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 15. declarans, legem à regno Dei excludere non ſolum infideles; ſed & fideles Fornicarios, Adulteros, molles; avaros, & alios qui lethalia committunt peccata, aut qui mandata Dei non ſervant.

Nullum eſt peccatum mortale quod non expellat gratiam.

Idem ſuadetur exemplô Apoſtolorum; legimus enim Joan. 13. Chriſtum antequam pateretur dixiſſe Apoſtolis ſuis, *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, hoc eſt, eſtis in gratia, excepto Juda, qui tunc erat immundus per peccatum, quò volebat, Chriſtum tradere Judæis. Legimus etiam quòd poſteà Apoſtoli; Magiſtro relicto, omnes fugerunt, & ſcandalum paſſi ſunt. Idem dici poteſt de aliis, qui de ſtatu Innocentiæ ceciderunt, & poſtea per pœnitentiam ſurrexerunt.

Alia iſto antiquiora habemus exempla, quæ probant ejuſdem gratiæ amiſſionem. Quæ ſunt primorum Angelorum, primorum parentum, Davidis, & aliorum, qui habuerunt gratiam, quam poſtea amiſerunt. Angeli fuerunt creati in gratia. Idem docent Theologi de primis parentibus cum. D Auguſtino. David etiam habuit gratiam ſanctificantem; nullus quidem dubitavit ipſum fuiſſe juſtum, & Sanctum, quia fuerat inventus ſecundum cor Dei, tamen mali Angeli ceciderunt de Cœlo; alioquin nullus eſſet malus Angelus, ſeu Dæmon. Quod Jovinianus, Pelagius, Lutherus, & alij non concedunt. Primi Parentes ejecti fuerunt de Paradiſo, & David publicè dicebat Pſal. 50. *Peccatum meum contra me eſt ſemper*; ideoque omnes & ſinguli prænominati de quorum peccatis conſtat in Sacris paginis, amiſerunt per peccatum, gratiam quam receperant.

Nec valet dicere cum Lutheranis quòd Angeli, primi parentes, & alij peccaverant, peccato infidelitatis. Non valet inquam. Ratio noſtra eſt quia juxta communem Theologorum ſententiam, Angeli peccaverunt amore inordinato circà propriam excellentiam, ſeu peccato ſuperbiæ. Adam, peccato complacentiæ circa uxorem ſuam. Et David, peccato adulterij, & homicidij, ac proindè nedum peccatô infidelitatis; ſed etiam quolibet aliô mortali, gratia deperditur; quapropter Chriſtus declarat quòd homo nequit habere vitam æternam, niſi ſervaverit mandata, quæ in decalogo ſunt decem, quæ ab omnibus neceſſariò obſervanda ſunt.

De peccato Angelorum primorum parentum, & aliorum.

Apoſtolus ad Epheſ. cap. 5. ait quòd omnis Fornicator, immundus, aut Avarus, & alij non habent hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Ratio, quam dat ad Rom. 1 verſ. 32. eſt: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Hæc verba clarè oſtendunt, quodlibet peccatum mortale privare nos beneficio adoptionis, expellendo gratiam Sanctificantem cui opponitur, idcircò hæc gratia ſanctificans, aut habitualis eſt omninò amiſſibilis; nedum per infidelitatem (quæ præter gratiam expellit fidem) ſed etiam per fornicationem, avaritiam, & ſimiles actus à Deo prohibitos. Anima enim, quæ peccaverit ipſa morietur, inquit Ezech. cap. 18. verſ. 20. quin dicat per hoc vel per aliud; hoc eſt, privabitur gratià, quæ eſt vita animæ. Et Joan. cap. 5. verſ. 17. *Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem*, ſeu ad gratiæ receſſum, qui eſt mors animæ, ideoque

Joan. 5.

non ſolùm per infidelitatem, ſed per alia peccata amittitur gratia. Nam, dum D. Joan. ait: *Omnis iniquitas peccatum eſt*, declarat quòd eſt pluſquam unum peccatum ad mortem, ſeu ad amiſſionem gratiæ, quæ eſt vita animæ.

§. III.

Rejiciuntur Rationes Hæreticorum.

JOvinianus, Pelagius, & alij Hæretici, qui volunt, Juſtum eſſe impeccabilem, fundantur in Scriptura Sacra. Matth. 7. verſ. 18. ubi opera Juſtorum dicuntur bona hac ſimilitudine: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Hoc eſt, homo juſtus non poteſt opera mala facere, id eſt, non poteſt peccare, ac proindè nec gratiam amittere. Idque confirmant authoritate Apoſtoli ad Rom. cap. 1. verſ. 17. ubi monet quòd Juſtus ex fide vivit, id eſt, tandiu vivit, quamdiu credit, & ſic ſuadent quòd Juſtus non perdit gratiam, niſi perdendo fidem, quâ (inquiunt) eſt Juſtus, & quâ vivit vita ſupernaturali.

Ratio Hæreticorum.

¶ Reſpondeo quòd non nocet hæc authoritas. Quia non debet intelligi in ſenſu diviſo, ita ut Juſtus ex ſua ratione formali fiat impotens ad peccandum, ſed ſolum in ſenſu compoſito, id eſt. Juſtus quamdiu juſtus eſt, ſeu remanente in eo juſtitia, aut juſtus reduplicativè ut juſtus, eſt arbor bona, quæ malos fructus non facit, ſeu quæ non peccat, nec facit opera mala, hoc eſt verum, ut notat D. Hieronymus contra Jovinianum. Ratio hujus expoſitionis eſt, quia ibi Chriſtus loquebatur à poſteriori id eſt., volebat oſtendere, virum juſtum cognuſci ex operibus, ut probant hæc verba, quæ ſequuntur: *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, Juſtos ſcilicet, & peccatores, & videbitis an ſint juſti, vel impij, ibi enim Chriſtus non intendebat aſſerere, juſtum non poſſe cadere, ſed ſolùm ex operibus poſſe cognoſci. Opera enim bona, & meritoria ſunt à viro juſto, mala verò ab impio. Tamen indè non ſequitur, virum juſtum eſſe in impotentia faciendi opera mala, ut facilè colligitur ex variis Sacræ Scripturæ locis, & præcipue ex illo Ezech. 18. verſ. 24. *Si autem averterit ſe Juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, &c.* quibus liquidò conſtat, juſtum poſſe avertere ſe à juſtitia, ſeu poſſe peccare. Et ex Apoſtolo cap. 1. verſ. 6. Galatas reprehendente quòd abduci ſe permiſerint à veritate, quàm ab ipſo acceperant: *Miror quod ſic tam citò transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium.*

Solutio ad rationem hæreticorum.

Ezech. 18.

Ad Galat. 1.

Idem habetur ex illa 2. Petri cap. 3. verſ. 17. *Vos igitur Fratres, præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate*, quibus verbis etiam patet, gratiam eſſe amiſſibilem, ſeu hominem juſtum poſſe in hac vita peccare, ut declarat Tridentinum contrà Lutherum, Calvinum, & alios Novatores, dicens ſeſſ. 6. cap. 11. quod Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Indè enim conſtat, noſtram juſtificationem poſſe amitti per peccatum, & juſtificatum poſſe deſerere Deum. Quòd non poteſt facere niſi amittendo gratiam ſanctificantem per quam Deus habitat in nobis, & per quam anima eſt juſta, ac ſancta.

2. Petri 3.

Ad confirmationem quæ eſt ex cap. 1. ad Rom. dico, Apoſtolum ibi loqui de fide viva & operante per charitatem: fides autem peccatoris, quia eſt ſine charitate, mortua eſt, ut teſtatur D. Jacobus in Epiſt. Cathol. cap. 2. ver. 26. *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*, & ideò cùm homo, qui poſt juſtificationem tranſgreditur mandata Dei, peccet, & deperdat gratiam ſanctificantem, non vivit vita Dei, ſeu gratiâ, nec eſt juſtus, quamvis ſit fidelis propter fidem, quam retinet. Nam homo non eſt formaliter juſtus per fidem; ſed per gratiam habitualem cum quolibet peccato mortali incompatibilem, ut docent communiter Sancti Patres.

Fides peccatoris ſine operibus mortua eſt.

Præterea dicunt Hæretici, & præſertim Jovinianus quòd omnis qui natus eſt ex Deo peccatũ non facit, quia ſemen Dei manet in eo, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt, ut inquit S. Joan. Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 9. indè enim concludunt, hominem verè baptizatum non poſſe amplius peccare cùm ex Deo natus ſit, & ſemen Dei in eo maneat.

Reſponſio ad aliam hæreticorum rationem.

Non valet hæc ratio, nec eſt ad propoſitum. Quia verba Divi Joannis intelligenda ſunt in ſenſu compoſito, quod ſcilicet non peccet ſecundum id quô natum eſt ex Deo, hoc eſt, ſecundum gratiam, quæ cùm non poſſit eſſe principium peccandi, Scriptura aſſerit quòd omnis qui natus eſt ex Deo per gratiam regenerationis, accipiendo illam gratiam, non recepit aliquid undè poſſet peccare. Sicut illi, qui ex Diabolo nati ſunt per peccatum, recipiunt aliquid per quod peccare poſſunt utpotè cupiditatem. Sed non dicit quòd omnis, qui natus eſt ex Deo, non ſit in potentia peccandi, nec quòd non peccet, ſi non obſervet mandata Dei: nam cap. 2. verſ. 5. ait: *Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt, & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.*

Vel dico quòd hæc verba; *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit*, intelligenda ſunt de nativitate conſummata, & perfecta, qualis erit in gloria, ut explicat Divus Auguſtinus lib. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 8. ſicut iſta Apoſtoli 1. ad Corint. cap. 13. *Charitas nunquam excidit*, quæ intelliguntur de charitate conſummata, & perfecta per claram Dei viſionem.

D. Auguſt.

D. Bernardus.

Dico iterum cum D. Bernardo lib. de libero arbitrio, hæc verba eſſe intelligenda de prædeſtinatis; ait enim: *Dictum eſt de prædeſtinatis ad vitam, non quod omninò non peccent, ſed peccatum ipſis non imputetur, quia vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate abſconditur*, quia textus eſt de ſtatu finali prædeſtinati, qui eſt in gratia conſummata, ſeu de animabus electis, de quibus Chriſtus Joan. 10. verſ. 28. ait: *Et non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

Dicent Hæretici. Ad non peccandum, & ad conſequendum illum ſtatum finalem gratiæ, ſufficit fides habita in baptiſmo juxtà illud Marci cap. ult. verſ. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Hoc eſt, vivet, & morietur in ſtatu gratiæ.

Diſſolvitur hæretica objectio.

Reſpondeo hoc eſſe verum de fide practica, & viva, quæ includit obſervantiam mandatorum Dei, ut jam monui, idque affirmo authoritate D. Joan. Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 4. *Qui dicit ſe noſſe eum*, id eſt, dicit ſe credere in Deum, *& mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Poſſibile eſt igitur quòd qui credit in Deum, ſeu juſtus non ſervet mandata; alioquin hæc Joannis admonitio eſſet inutilis.

Adducunt tandem argumentum è contrario. Dicunt enim quòd illi, qui ſemel peccaverunt, numquam recuperaverunt gratiam. Idque inferunt, ex illo 1. Joan. cap. 2. verſ. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam, ſi fuiſſent ex nobis*, hoc eſt ex Juſtis, *permanſiſſent utique nobiſcum, ſed ut manifeſti*

1. Joan. 2.

ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis :ergo (inquiunt) qui ſemel juſtificati ſunt , ſeu ſunt ex Filiis Dei ; non poſſunt amittere gratiam , quâ ſunt de numero Juſtorum , ſed in ea ſemper permanent , ſi ſemper conſervent fidem.

Reſpondeo negando ſuppoſitum , ſcilicet eos ; qui ſemel peccaverunt , non poſſe recuperare gratiam. Ad ejus probationem dico , authoritatem D. Joannis non eſſe intelligendam , de non juſto , ſeu peccatore ad juſtum præciſé , quia omnes illi , de quibus loquitur textus Scripturæ, Juſti erant , & vera Eccleſiæ membra. Hæc quippé comparatio erat de firmitate , & operibus Juſtorum , qui prodierunt , & Juſtorum qui permanſerunt. Dum iſti dicunt de illis , *non erant ex nobis* , non declarant , eos non fuiſſe juſtos , ſed ſolùm non fuiſſe juſtos conſtantes in bello , ut denotat hæc particula. *Nam ſi fuiſſent ex nobis , permanſiſſent utique nobiſcum* , quæ non indicant ſtatum , nec conditionem , ſed operationem & voluntatem permanendi in ſanctitate defuiſſe aliquibus eorum , qui prodierunt de Eccleſia: Hoc loquendi modo , ſcilicet , *eram* quò ſolitò denotatur ſubſtantia , ſæpé utitur Scriptura Sacra ad diſtinguendas operationes , & virtutes , ut patet ex illo Machab lib. 1. cap. 5. verſ. 62. *Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum , per quos ſalus facta eſt in Iſraël.* Id eſt , non erant fortes & conſtantes in bello ſicut Machabæi.

Explicatur textus D. Joannis.

Machab. 1.

Aliud habemos de hac re argumentum , nimirum quòd Angeli , qui peccaverunt , & quos Lucifer ſecum traxit , erant ex illis , qui ſteterunt ſecundum ſtatum & conditionem , quia erant ſubſtantiæ omninò ſpirituales in gratia conditæ , & ſi non ſint ex illis , qui ſteterunt , hoc provenit ex diverſitate operationis , videlicet , quia illi, qui ceciderunt , altiùs aſcendere voluerunt , alij verò adoraverunt Deum ; & ſteterunt. Mali Angeli erant ex juſtis , habuerunt enim gratiam ſanctificantem , qualem habent boni Angeli. Sed mali , non fuerunt tales , quales fuerunt boni , Id eſt , conſtantes in amore & dilectione Dei: Igitur ex illa authoritate non ſequitur , gratiam eſſe inamiſſibilem.

Plures Hæretici in octavo Articulo primi Libri (quibus hîc addendus eſt Melchior Hulſamanus , ſectâ Antylutheranus) olim voluerunt contrà Jovinianam hæreſim gratiam quâ intrinſecè ſanctificamur , eſſe amiſſibilem per peccatum , ſed impiè negarunt ; hanc ipſam gratiam ſemel per Baptiſmum receptam ; & per peccatum amiſſam , poſſe per veram pœnitentiam recuperari. Quòd quamvis Hæreticum ſit ; hîcque impugnandum , tamen in hac pugna non immoror , quia Hæretici penitùs confunduntur. Et gratiam amiſſam recuperabilem eſſe demonſtratur in Articulo octavo primi Libri , qui docet , Deum eſſe miſericordem , & peccatorem poſſe per veram pœnitentiam , peccati ſui veniam obtinere , & gratiâ juſtificari.

Gratia per peccatum amiſſa recuperatur per pænitentiam.

ARTICULUS VI.

Impugnat eumdem Jovinianum volentem , gratiam ſanctificantem eſſe æqualem in omnibus juſtis.

IDem Jovinianus de quo locuti ſumus in præcedenti Articulo , & qui plures adinvenit errores. Docuit , gratiam ſanctificantem eſſe ita æqualem in omnibus juſtis , ut impoſſibile ſit, unum juſtum in hac vita , eſſe juſtiorem alio , unum ſanctum alio ſanctiorem , ſicut ex ipſo eſt impoſſibile quòd unus beatus in gloria. Sit beatior alio , ſic referunt S. Auguſtinus Epiſt. 29. & D. Hieronymus lib. 2. adverſus eumdem Hæreſiarcham, qui credebat cum Stoicis , omnes virtutes eſſe pares , & omnia vitia , & peccata eſſe æqualia. Hacque inſulſa ratione fretus , augmentum gratiæ , ejuſdemque gradus penitùs excludebat : volebat enim gratiam ſanctificantem non poſſe intendi , quoniam ubi eſt , ibi tota eſt , ſicut anima ; cùm ſit forma ſpiritualis , ſicut anima.

Jovinianus.

Porrò Jovinianus nullum habuit ſectatorem in hoc errore , ideoque ſepultus remanſit ab Anno CCCXCV. uſque ad Annum MDXVII: hoc eſt ; uſque ad Martinum Lutherum ; virum ſceleratiſſimum ; quamvis ab Aſſeclis ſuis puriſſimum Evangelij Doctorem vocitetur. Hic ſummus Hæreſiarcha peſſimum Joviniani errorem jam pridem ſepultum , denuò ab inferis ſuſcitavit in quadam concione , quam habuit de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis , in qua auſus eſt proferre hanc impietatem : *Omnes Chriſtiani æquè magni ſunt , ſicut Mater Dei , & æquè Sancti ſicut ipſa* ; cui nedum omnes poſtmodum cum ipſo Luthero erratores, utpote Lutherani , ſubſcripſerunt ; ſed etiam Calvinus ; qui anno MDXL. Eccleſiæ bellum indixit , & non ſolùm ferè omnes Lutheri errores admiſit , ſed etiam novos ſuperaddidit , inter quos reperitur iſte circa juſtificationem impiorum , & ſanctitatem animatum. Indè ſequitur quòd hujus Joviniani hæreſis defenſores modò exiſtantes , & contrà veram fidem pugnantes , ſunt Lutherani , Calviniſtæ , Anabaptiſtæ , & alij , qui ex Luthero, & Calvino ortum habuerunt (quamvis aliud nomen præſeferant) & dicunt per opera quantumvis bona & ſancta , juſtificationem noſtram non augeri.

Lutherus.

Calvinus.

Anabaptiſtæ.

§. I.

Probat Sanctitatem non eſſe æqualem in omnibus Juſtis.

PRæfatos Hæreticos , & præſertim Lutherum , & Calvinum damnat Sacra Tridentina Synodus , ſeſſ. 6. cap. 10. & Can. 24. ubi legitur : *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari , atque etiam augeri coram Deo per bona opera , ſed opera ipſa fructus ſolummodò , & ſigna eſſe juſtificationis adepta , non autem ipſius augendæ cauſa : anathema ſit.* Indè quidem conſtat , gratiam juſtificantem non eſſe æqualem in omnibus Juſtis. Et hanc propter inæqualitatem bonorum operum , majorem eſſe in uno Juſto, quàm in alio.

Decretum Concil. Tridentini.

Illam Tridentinam deciſionem confirmat Sacra Scriptura. Luc. 1. ubi gratia beatæ Mariæ extollitur his verbis : *Benedicta tu inter mulieres.* Ratione maternitatis ſuæ. Et Matth. cap. 11. gratia Joannis Baptiſtæ deſcribitur major gratiâ aliorum hominum , hoc oraculô : *Inter natos mulierum no ſurrexit major ; Joanne Baptiſta:* Quod non poteſt intelligi niſi de majoritate in gratia , & ſanctitate : igitur gratia poteſt augeri , ut expreſſè declaratur Apocalypſ. cap. 22. verſ. 11. *Qui juſtus eſt , juſtificetur adhuc.* Hoc verò juſtitiæ , & ſanctitatis incrementum petit Sancta Eccleſia : dum ſic orat : *Da nobis Fidei, Spei , & Charitatis augmentum.* Ibi enim charitas pro gratia ſumitur. Eamdem orationem habuit Paulus ad Deum pro Philippenſibus cap. 1. verſ. 9. dicens : *Et hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet , & in omni ſenſu* ; certò ſic non oraſſet Paulus , nec oraret Eccleſia , ſi gratia juſtificationis eſſet ità æqualis in omnibus , ut non poſſet augeri à Deo intuitu bonorum operum , nec per dignam ſuſ-

Apocalyp.

Ad Philip. 9

ceptionem Sacramentorum Vivorum.

Gratia ſanctificans augetur per bona opera.

Deinde Sacra Scriptura tam in veteri, quàm in novo Teſtamento hortatur nos ad progreſſum juſtitiæ, & ſanctitatis: nam Pſal. 88. verſ. 13. ait: *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*, hoc eſt, Deus dabit gratiam (quæ eſt melius io hac vita bonum) illis qui bona opera eliciunt in innocentia, quæ eſt ſanctitas animæ; ut docent communitèr Theologi.

Eccleſiaſticus 8. verſ. 22. ait: *Non impediaris orare ſemper, & nè vereavis uſque ad mortem juſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum*: id eſt, nè deſiſtas quandiu vivis, orare, ſi non in actu, ſaltem in cauſa; quæ eſt charitatis deſiderium ex quo naſcitur oratio. Nec perficere in ſanctitate per novos gradus virtutis, quia quô ſanctior eris, ampliorem, & abundantiorem gloriam accipies, ut monet Apoſt. 2. ad Corinth. cap. 9. verſ. 10. dicens: *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Nonnè hæc verba Eccleſiaſtici, & D. Pauli inſinuant, juſtitiam noſtram poſſe augeri in hac vita? Et Juſtos ire de virtute in virtutem, id eſt, creſcere in virtute donec ad gloriam perveniant, ſeu videant Deum Deorum in Sion: igitur qui rectè utitur gratiâ Dei, & in ipſa bonum operatur, aut ſeminat in ſpiritu, & in benedictionibus, de benedictionibus & metet juxta quantitatem ſeminis, id eſt, juxta dignitatem operis, quoniam qui parcè ſeminat, parcè & metet inquit Apoſtolus, ut ſignificet, opera in benedictionibus, ſeu in gratia facta, eſſe meritoria nedum vitæ æternæ, ut dicemus in alio loco contrà Hæreticos, ſed etiam augmenti gratiæ, ad quod Petrus hortatur Judæos de novo converſos ad Chriſtum per prædicationem, & per ſcripta Pauli 2. cap. 3. verſ. 18. dicens: *Creſcite vero in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.* Quòd certò non dixiſſet, ſi gratia ſanctificans non poſſet augeri, nec eſſe in uno juſto major quàm in alio.

2. Corint. 9

Eamdem veritatem probat plenitudo gratiæ, quam Scriptura Sacra aſſerit eſſe in Chriſto: *Vidimus eum plenum gratia, & veritatis.* In Deipara; Luc. 1. *Ave Maria gratia plena.* In Protomartyre Stephano. *Stephanus plenus gratia.* Hoc enim de Sanctis aliis non dicitur, & ideo cùm omnes Sancti non ſint pleni gratiâ, ſicut Chriſtus, Maria, & Stephanus, juxtà Scripturæ teſtimonium, certum eſt quòd omnes Juſti non habent gratiam intenſivè æqualem, nec ſunt æqualiter Juſti: quidquid dixerint Lutherus, Calvinus, & alij poſt Jovinianum; ſed quòd unus eſt ſanctior alio: Stella enim à ſtella differt in claritate, ut docet Divus Auguſtinus Epiſt. ad Dardanum quæſt. 1. ubi inquit: *In Sanctis, ſunt alii aliis ſanctiores, aliis fœliciores, abundantius habentes habitatorem Deum*, Et D. Gregorius in lib. Moral. ait: *Sancti Viri, quo altius eſſe deprehendunt; quia dum proximi luci ſiunt, quidquid eos in ſe ipſis latebat, inveniunt.* Ibi ille S. Doctor monet, beatitudinem habere diverſos gradus, & unum Sanctum eſſe altiorem alio per majorem gratiam, necnon unum Juſtum majores in gratia progreſſus facere; quin tamen ille, qui majores progreſſus fecit, ad ultimum gratiæ, aut ſanctitatis gradum ita perveniat, ut non poſſit ad majores aſcendere. Nam ſemita Juſtorum quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem, id eſt, uſque ad mortem, ait Spiritus Sanctus in Proverb. cap. 4. verſ. 18.

Luc. 1.

D. Auguſtinus.

D. Gregor.

His ſuffragatur ratio. Nam gratia ſanctificans eſt qualitas quædam ſupernaturalis collata à Deo: charitas enim diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, perconſequens intendi eſt illi proprium; cùm ex Philoſopho qualitas ſuſcipiat majus, aut minus, ut patet in qualitatibus Phyſicis, & naturalibus, quæ in uno ſubjecto magis intenſæ ſunt; quàm in alio. Quôd etiam de qualitatibus ſupernaturalibus dici poteſt. Hinc eſt quòd Paulus ad Coloſſ. cap. 1. verſ. 6. ait: *Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit; ſicut in vobis, ex ea die, qua audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.*

Coloſſ. verſ. 1.

§. II.

Affert, & refutat Argumenta Joviniana:

JOviniani fundamentum eſt, quià omnia peccata ſunt æqualia, ſubindeque gratia debet etiam eſſe æqualis in omnibus. Sed hoc fundamentum eſt falſum; illudque evertit Chriſtus Joan. 19. verſ. 11. ſic reſpondens Pilato: *Non haberes poteſtatem adverſum me, niſi tibi datum eſſet deſuper, propterea qui me tradidit tibi; majus peccatum habet*: Igitur peccatum Judæ, eſt majus peccato Pilati, ut probat evidenter teſtimonium Chriſti. Unde eſt inferendum, gratiam juſtificantem eſſe etiam inæqualem, ſeu majorem in uno; quàm in alio: Nam ſi fundamentum Joviniani, nempè peccata hominum eſſe æqualia, falſum ſit, falſum quoque eſt id, quod ex illo infert ipſe Jovinianus, nimirum omnes Juſtos habere æqualem gratiam.

Peccata hominum non ſunt æqualia.

Nec valet dicere; omnes privationes eſſe æquales, ac proindè omnia peccata eſſe æqualia, quoniam in privatione gratiæ conſiſtunt. Non valet inquam, quia privatio in qua nonnulli Theologi reponunt eſſentiam peccati, non eſt in facto eſſe, nec ultimatè completa, ut mors, v. g. quæ eſt privatio vitæ, ad quam non eſt regreſſus, ſed eſt in fieri, ut ægritudo, quæ eſt privatio ſanitatis in corpore. Duplex enim eſt privationum genus, ſcilicet in facto eſſe, ut ſunt illæ, quæ de forma oppoſita nihil relinquunt, ut mors, & tenebræ, quæ nedùm ſupponunt privationem formæ contrariæ, ſcilicet vitam, & lucem, ſed etiam tollunt à ſubjecto capacitatem recuperandi eam. Et in fieri, ut ſunt illæ, quæ non tollunt omninò formam oppoſitam, ut ægritudo, quæ non deſtruit principia ad ſanitatem recuperandam. Peccatum autem eſt in ſecundo genere, quia relinquit in homine principium reſurgendi, utpotè liberum arbitrium gratiæ auxilio adjutum: ergo ſuſcipit majus, aut minus ſicut ægritudo; ideo peccata ſunt inæqualia, & gratiæ ſunt impares, ſeu unus Juſtus eſt Juſtior alio, ſicut unus ſanus eſt ſanior alio. Et unus peccator eſt major alio, ſicut unus ægrotus eſt magis ægrotus quàm alter. Peccatum eſt de genere infirmitatis moralis, & gratia de genere fortitudinis, & ſanitatis, ut legimus in variis Sacræ Scripturæ locis, & perconſequens peccati malitia augetur per actus malos, & gratia per bonos creſcit. Unde D. Hieronymus in Pſal. 83. ait: *Quicumque Sanctus quotidiè in priora extenditur, & præteritorum obliviſcitur.* Et Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 15. ait: *Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino*: quia videlicet opera bona ſunt meritoria apud Deum, ut infrà dicemus contrà eoſdem hæreticos, ideoque in animabus Juſtis gratia eſt inæqualis. Quia merita in ipſis ſunt diverſa.

Duplex eſt privationis genus.

D. Hieron.

Hæretici aliam contra aſſertionem noſtram adducunt rationem deductam ex natura gratiæ. Hæc

enim (inquiunt) datur gratis ex mera liberalitate Dei, qui ubi vult ſpirat: igitur nullum eſt in nobis principium, quo poſſit augeri; ut indè cognoſcamus eſſe ità inæqualem in juſtis; ut unus ſit juſtior alio ob majorem; vel minorem gratiam. Idem docent Sancti Patres, & præſertim S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 121. ubi aſſerit, charitatem poſſe in hac mortali vita pervenire ad quemdam gradum, ultra quem nullus eſt aſſequendus; ex quo ſequitur quòd homo juſtus non acquirit novos gradus gratiæ per iteratos actus bonos.

Reſpondetur quòd duplex eſt collatio gratiæ; una enim eſt ſimplex quæ fit abſque ullo reſpectu ad opus meritorium, quæ dicitur prima gratia, & merè gratis data, ut homo fiat juſtus, & ſanctus formaliter, ex Apoſtolo ad Rom. cap. 3. verſ. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*; alia verò eſt gratis ſecundum quid, videlicet ratione principij, aut ratione ſui; quia gratia ex ſe eſt donum Dei, ut monet Apoſtolus ad Epheſ. 2. Non autem ratione motivi ob quod confertur: in tali quidem ſenſu gratia habet rationem debiti ob promiſſionem, quâ Deus bonitate, & fidelitate ſe ſe noſtrum debitorem conſtituit, ut monet D. Auguſtinus in Pſal. 109. dicens: *Deus fecit ſe nobis debitorem, non aliquid a nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo.* Hinc eſt quòd hæc gratia, quæ datur propter meritoria opera juſti, dicitur augmentum gratiæ, aut ſecunda gratia. Quoniam auget gratiam illam, quâ homo conſtitutus eſt juſtus; aut quæ præcedit; ut merita fiant: ergo gratia; quæ juſto datur intuitu meritorum, ſeu operum; quæ elicit, includit aliquo modo rationem præmij; quam non includit illa gratia, quâ conſtitutus eſt juſtus, ut declarat Concilium Arauſicanum 2. can. 18. his verbis: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant ſub gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Quibus conſtat dari gratiam, quæ non debetur; ſeu quæ eſt principium meriti. Et gratiam quæ ob meritum illud, aut bonum opus confertur quâque prima gratia augetur; ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, inquit Apoſtolus ad Rom. cap. 4.

Reſponſio ad alliam rationem hæreticorum.

Concilium Arauſicanum.

Ad Authoritatem D. Auguſtini dico; quòd intelligenda eſt de operibus in gratia & charitate factis, & à gratia ſanctificante elicitis, quæ ſolitò dicuntur opera juſtorum, intrà quæ eſt terminus, ultra quem, in hac vita, nulla poteſt major exhiberi charitatis probatio, juxta illud Joan. 19. *Majorem charitatem nemo habet ut animam ſuam ponat, &c.* Non verò de charitate ipſa entitativè, & ſecundum ſe ſumpta; ſeu quatenus eſt indiſtinctus habitus ab habitu gratiæ, ſic enim conſiderata creſcit juxtà uniuſcujuſque juſti diſpoſitionem, & merita, ut ex dictis patet. Et ut facilè colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6 cap. 5. Nec-non ex illo verſu hymni de Paſſione: *Auge piis juſtitiam, Reiſque dona veniam*, hoc eſt, auge ſanctitatem juſtorum, & dele delicta peccatorum, quia per juſtitiam intelligitur gratia ſanctificans quâ homo conſtituitur formaliter juſtus, ut probabit ſequens articulus contra Lutheranos.

Joan. 15.

ARTICULUS VII.

Oſtendit Recentioribus Hæreticis, Hominem juſtificari per gratiam.

CIrcà juſtificationem impiorum, aut peccatorum ſanctificationem plures fuerunt hæretici. Lutherus de quo jam multa diximus; & dicemus infrà, docuit, homines juſtificari ſola fide; & opera non eſſe neceſſaria ad vitæ æternæ aſſecutionem. Quòd ſi fiant; nullo pacto hominem inde juſtificari voluit; quia fidei duntaxat tribuit noſtram juſtificationem. Porrò quoniam iſti citò fuerunt diviſi inter ſe, ut non raro contingit hæreticis; aliquas ipſorum opiniones hìc referam. *Lutherus.*

Quidam dicebant juſtificationem noſtram conſiſtere in fide, quia ſcriptum eſt: *Credidit Abraham Deo; & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Alij volebant, Sanguinem Chriſti eſſe formalem juſtificationem ex illo Apoſtoli: *Juſtificati ſumus per ſanguinem ejus.* Alij tribuebant eam, Chriſti reſurrectioni, ex illo: *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Alij tenebant, juſtificationem noſtram conſiſtere in vulneribus Chriſti; quia legitur in Sacra Scriptura: *Ejus livore ſanati ſumus.* Omitto ſimiles authoritates, quia omnes eumdem ſcopum habent; & ſumunt cauſam meritoriam pro cauſa formali, ut videbimus infrà.

Philippus Melancthon Author Semilutheranorum, anno MDXXX. tempore Caroli V. Imperatoris, & Clementis VII. Papæ docuit, propter Chriſti meritum fide apprehenſum, homines reputari juſtos, non verò propter ipſam fidei virtutem. Et in hoc impugnavit nedum Lutherum, qui in ſola fide juſtificationem collocabat; ſed etiam Catholicos, quia contra eoſdem admittebat juſtitiam imputativam. Eodem anno apparuit Martinus Bucerus, Patria Argentinenſis, Judæi cujuſdam filius, & Monachus Apoſtata, docens, homines juſtificari verè, & formaliter per Chriſtum, ſecluſa quacumque forma in nobis exiſtente. Quòd idem eſt ac per juſtitiam Chriſti nobis imputatam. *Melancthon* *Bucerus.*

Anno Domini MDXXXVI. de familia Lutheri duo emerſerunt ſceleratiſſimi viri, ſcilicet Joannes Spangerbergus qui in quodam libro à ſe edito, cui titulus eſt; *Margarita Theologica*, dixit, hominem eſſe juſtum per fidem, quâ credit ſe juſtum. Et Andreas Oſiander, vocatus ab Hoſio lib. de Hæreſibus; Antichriſtus. Judæus, niger Diabolus, Draco, homo neſarius, conſceleratus, hoſtis Chriſti; &c. quæ meritò illi conveniebant. Hic hæreticus non admittebat juſtitiam imputativam cum Lutheranis, nec inhærentem cum Catholicis, ſed Inhabitantem, quam credebat nihil aliud eſſe, quàm juſtitiam ipſius Dei; qui dum habitat in nobis, nos reddit juſtos per juſtitiam, quæ ei eſſentialis eſt. Putabat enim hominem eſſe formaliter juſtum eâ juſtitiâ; quâ ipſe Deus eſt juſtus, & ſanctus, ſicut v. g. Filius in Divinis eſt ſanctus ſanctitate, quâ Pater eſt ſanctus. *Joannes Spangerbergus.* *Andreas Oſiander.*

Tandem Lutheranis adhæſit Calvinus, qui in Antidoto Concilij Tridentini ad ſeſſ. 6. cap. 8. inquit: *Falſum eſſe contendo ullam juſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe; vel habitu qui in nobis reſidet.* His ſiquidem verbis excludit juſtitiam inhærentem, & declarat homines juſtificari per juſtitiam Chriſti illis imputatam; ut aſſerit lib. 3. inſtitut. cap. 11. ſeſſ. 2. ubi ait: *Juſtificare nihil aliud eſt, quam eum qui* *Calviniſt.*

reus eſt, tanquam approbata innocentia, à reatu abſolvere; cùm igitur nos Chriſti interceſſione juſtificet Deus, non propria innocentiæ approbatione, ſed juſtitia imputatione nos abſolvit. Ipſi Calvino ſubſcribunt nedum omnes Calviniſtæ, qui ſunt in Gallia, ſed etiam illi, qui ſunt in Germania, in Anglia, in Bohemia, &c. Hinc eſt quòd hunc errorem Calvini ſequuntur Puritani, Picarditæ, Gueuſij, & Hugoniſtæ, qui quamvis omnes ſint Calviniſtæ, tamen non conveniunt in omnibus aliis Calvini erroribus, ſicut conveniunt in hoc, quem impugnamus.

§. I.

Probat Homines juſtificari per gratiam infuſam.

Concilium Tridentinū.

CONcilium Tridentr. ſeſſ. 6. can. 11. damnat prænominatos hæreticos: ibi enim ait; *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum, per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat. Aut etiam gratiam qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei; anathema ſit.* Hic canon Concilij refutat expreſſe, & determinatè Lutherum, & Calvinum. Juſtificatorij autem, ſcilicet Melancthonius, Buccrus, Spangerbergus, & Oſiander condemnantur in cap. 7. ejuſdem ſeſſionis, ut legenti patebit. Videat igitur Lector hanc ſeſſionem cujus verba omitto. Tum brevitatis gratia, tum quia facilè videri poſſunt in prædicto Concilio, ut citiùs afferam authoritatem Sacræ Scripturæ, quæ apertè docet juſtificationem impij conſiſtere formaliter in juſtitia intrinſeca, & inhærente, nimirum in gratia habituali, quæ infunditur homini, ipſum juſtificat, ſanctificat, & interiùs ſpiritualiter renovat.

Sed prius obitèr obſervandum eſt, veritatem hujus articuli probari poſſe authoritatibus, quibus probatus manet præcedens Articulus. Nam ſi unus juſtus, ſit juſtior alio, & unus Sanctus alio ſanctior, facile colligitur, juſtitiam quâ juſtificamur, eſſe intrinſecam, & inhærentem, hancque intenſivè majorē in uno, quam in alio. Quoniam unus nequit alium in juſtitia excedere, niſi in ſe habeat juſtitiam ipſius animæ inhærentem. Deindè eſſet eadem numero juſtitia in omnibus, ſi homo juſtificaretur juſtitiâ Chriſti illi imputatâ, ſed ex ſuppoſitione facta, juſtitia non eſt eadem numero in omnibus juſtis; ergo non juſtificantur juſtitia imputativâ, ſed per gratiam habitualem intrinſecè inhærentem. Hinc eſt quòd præſens Articulus ex præcedenti ſatis probatur, ut monui.

Homo eſt juſtus eò, quò eſt filius Dei.

Tamen eadem veritas ſuadenda eſt authoritate S. Scripturæ. Nam juſti ſumus eo, quô ſumus Filij Dei; cùm ex communi Doctorum ſententia, juſti ſint Filij Dei adoptivi, & è converſo; atqui ſumus Filij Dei per gratiam, & charitatem in nobis exiſtentem, & inhærentem animæ, juxtà illud Joan. 1. Epiſt. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominetur, & ſimus:* Igitur homo non juſtificatur juſtitiâ Chriſti illi imputatâ, ſed gratiâ habituali, ſeu charitate illi data deſuper, quæ cum ſit qualitas realis, & phyſica, debet neceſſariò inhærere ſubjecto in quo recipitur, nimirum animæ, eamque ſanctam conſtituere; alioquin per juſtificationem non crearetur in nobis cor mundum. Quòd eſt contra Scripturam Pſal. 50. Nec juſtus crearetur in Chriſto Jeſu. Quòd contradicit Apoſtolo ad Epheſ. 2. quoniam quod eſt alicui extrinſecum, non mutat illud propriè, nec facit ut intrinſecè tranſeat de uno ſtatu ad alium novum, ut de facto impius tranſit per juſtificationis formam, quâ de impio, & peccatore fit juſtus, & ſanctus.

Undè in Scriptura hæc peccatoris converſio dicitur mutatio, quæ non eſt opus hominis, ſed dexteræ excelſi, quâ quidem mutatione peccator de filio iræ, fit filius Dei, & dilectionis. Nos ſcimus inquit D. Joan. Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 14. quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam (ſeu de peccato quod eſt mors animæ) ad gratiam, quæ eſt vita ſpiritualis; hoc eſt, ſcimus quòd facti ſumus juſti, quoniam diligimus Fratres; & ſic evidenter aſſignat cauſam formalem, quâ juſti ſumus, eſſe charitatem. Declarat enim nos non eſſe in morte, ſed in vita, quia diligimus, & eos, qui non diligunt, manere in morte. Idcircò cum actus dilectionis ſupernaturalis, ſit actus intrinſecus à principio intrinſeco, & permanente proveniens, neceſſē eſt quòd ſit habitus charitatis nobis à Deo infuſus, in anima receptus, & permanens, ut ipſō elevetur voluntas ad amandum ſupernaturaliter, ſicut intellectus per lumen gloriæ ei adveniens, ad Deum videndum elevatur. *1. Joan. 3.*

gratia habitualis conſtituit nos filios Dei:

Illa charitas diffuſa, quæ conſtituit nos filios Dei adoptivos, ex eodem D. Joanne ſuprà citato, juſtos nos facit. Quippè charitati aut gratiæ juſtificanti Scriptura tribuit juſtitiam, & ſanctitatem noſtram, veluti cauſæ formali cap. 4. verſ. 16. ubi idem Apoſtolus ait: *Nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis.* Obſerva quòd non ait: *Erga nos*, ſed, *in nobis*, ut videamus, Deum dare nobis charitatem, ut ipſâ filij Dei nominemur, & ſcimus, hancque charitatem, aut gratiam (quæ diffuſa eſt cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus èſt nobis) eſſe permanentem, intrinſecam, & inhærentem, quia ſi ſolùm eſſet imputativa, ut volunt hæretici, fateor quòd per ipſam poſſemus nominarì Filii Dei, ſicut paries denominatur viſus per viſionem, quæ eſt in oculo videntis eum, ſed non poſſemus eſſe, nec conſtitui Filij Dei, hæc quidem denominatio eſt extrinſeca ſicut iſta paries eſt viſus, non autem intrinſeca, quia hæc eſt in genere conſtitutivorum, quæ nihil efficiunt niſi unianeur ſubjecto, & in ipſo intrinſecè exiſtant: igitur neceſſē eſt quòd homo ſit formaliter juſtus per formam intrinſecam, & inhærentem; quomodo enim poſſumus manere in Deo, & Deus in nobis, niſi in nobis ſit aliquod eſſe ſupernaturale à divina bonitate nobis conceſſum, ut ipsô ſimus participes divinæ naturæ?

Idem probatur ex illo Joan. 4. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Hæc verba, quæ de juſto ſolum dici poſſunt, ſignificant aliquid creatum, & exiſtens realiter in homine juſtificato, quod Deus tribuit ei, ut in ipſo maneat, & ipſe in Deo. Hoc autem quod tribuit illi Deus, eſt charitas, ſeu amor Dei, qui nequit à voluntate humana provenire, niſi gratia adjuvetur, ideoque juſtus in quo manet Deus, habet charitatem in ſe: ſcriptum eſt enim: Deus charitas eſt, qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo & ipſa charitate ſeu gratiâ in eo permanente, eſt formaliter juſtus.

Idem probat Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 4. ubi inquit: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Hoc enim ſuadet, Deum manere in *1. Corint. 3* juſto, & juſtum eſſe præparatum ac ornatum aliqua pulchritudine ſupernaturali, ſeu charitate, aut gratiâ, quæ infunditur, ut anima elevetur ad aliquod eſſe ſupernaturale, & divinum, ut fiat par- *2. Petri 1* ticeps divinæ naturæ juxtà monitum D. Petri Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 4. Et de juſtis verificari poſſit illud Prophetæ: *Ego dixi, Dij eſtis vos, & filij Excelſi omnes.* Hæc autem pulchritudo debet eſſe intrinſe-

cæ, & exiſtens in anima, ut ipſa aoima ſit Deo grata, & in ſe habeat aliquod eſſe ſupernaturale in nos à Chriſto derivatum; juxtà illud Joan. 3. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus gratiam pro gratia.*

Joan. 3. At impoſſiblle eſt quòd aliquid reddat nos gratos Deo, divinæ naturæ conſortes. Et qoòd ſit aliquid in nos à Chriſto derivatum, & maneat in nobis; quin exiſtat in nobis, ſeu ſit accidens ſupernaturale in nobis exiſtens; & quin inhæreat intrinſeceé ſubjecto, ſcilicet aniotæ; alioquin homo juſtus non diſtingueretur verè, & realiter ab homine peccatore, ſed ſolum per denominationem extrinſecam. Quod eſt falſum: igitur juſtificatio impij non eſt ipſa formalis juſtitia Chriſti per externam dumtaxat imputatione m nobis attributam, ut voluerunt hæretici, ſed juſtitia inttinſeca, & inhærens, ut credit univerſa Eccleſia Romana, ut homo fiat intrinſeceé filius Dei; etenim nive condidiores, lacte nitidiores, Ebore antiquo rubicundiores; & Spahyro pulchriores ſunt Nazaræi ejus.

Hanc ipſam veritatem ſuadet ratio Theologica: Nam ea ratione dicimus juſtificari per Chriſtum; quâ in Chriſto renaſcimur, & renovamur. Renaſci autem fit per ſuſceptionem alicujus entis, ſicut

Per gratiâ renaſcimur naſci fit per ſuſceptionem entis, aut ſubſtantiæ: igitur dum homo juſtificatur, aut renovatur à Deo, recipit ab ipſo aliquod ens, quo eſt juſtus & filius Dei. Nam ſi generatio neceſſariò exigat terminum ſubſtantialem, ſeu aliquam ſubſtantiam à generante productam. Regeneratio etiam exigit terminum nun ſubſtantialem; cùm ſit rei jam completæ, & exiſtentis, ſed accidentalem, ſeu aliquod accidens à juſtificatore aut ſanctificatore productum, hinc eſt quòd Apoſt. ad Epheſ. 4 ait: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ; & induite hominem; qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.*

Epheſ. 4. Induere enim Chriſtum juxtà mentem Apoſtoli, nihil aliud eſt, niſi habere cum Chriſto ſimilitudinem, ſeu juſtitiam, & ſanctitatem, ſicut ipſe Chriſtus ut homo habet, non quoad gradus ſanctitatis; ſed quoad formam ipſius. Hæc autem ſimilitudo non poteſt eſſe, niſi in aliqua forma Interna, aot virtute verè, & realiter exiſtente in nobis, ut ait D. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Rom. cap. 13. *Induere Chriſtum, eſt omnem ſimul in univerſum virtutem habere.* Si-

D. Chryſoſtomus. cut enim nullus dicitur induere veſtem alterius, niſi veſtis illius corpori applicetur modo illi accommodato, & convenienti. Ità, ut quis induatur juſtitiâ Chriſti (quæ in S. Script. dicitur veſtis nuptialis) neceſſè eſt quòd hæc juſtitia Chriſti applicetur illi, & in illo ſit modo convenienti, hoc eſt, per inhæſionem, id eſt, inhærendo animæ.

Authoritatibus Scripturæ addi poſſunt plura Sanctorum Patrum oracula, ſed ſolum addenda eſt authoritas D. Auguſtini, quem ſibi patrocinantem, hæretici falsò credunt, ſi non omnes, ſaltem ali-

D. Auguſtinus. qui. Ille enim Sanctus Doctor exponens illud Apoſt. ad Rom. 3. *Juſtitia Dei manifeſta eſt*; inquit, *non dicit, juſtitia hominis, vel juſtitia propria voluntatis, ſed juſtitia Dei, non qua Deus juſtus eſt, ſed qua induit hominem, cùm juſtificat impium.* Ibi enim S. Auguſtinus diſcernit juſtitiam, quâ Deus juſtus eſt, à juſtitia, quâ nos juſti ſumus, eamque diſtinguit ſicut rem increatam à re creata.

Hujus diſtinctionis meminit Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 7. ubi legitur: *Demùm unica*

Tridentinũ *formalis cauſa eſt juſtitia Dei: non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donatis renovamur ſpiritu mentis noſtra, & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus, &c.* Igitur ex D. Auguſtino juſtificamur per juſtitiam in nobis exiſtentem, quâ Deus facit nos dilectores ſuos, & filios; cùm non velit nos eſſe juſtos eâ juſtitiâ, quâ ipſe juſtus eſt, quæ cùm ſit increata, ſubſtantialis, æterna; & inamiſſibilis, nequit hominibus convenire, ſed aliâ, quam creat, & nobis confert.

Hanc veritatem affirmat D. Petrus Epiſt. 1. dicens in cap. 5. *Regeneravit nos in ſpem vivam*, quæ verba demonſtrant etiam id, quô juſtificamur, non eſſe quid extrinſecum nobis imputatum, quia terminus regenerationis debet eſſe aliquid reale, & *1. Petr. 5.*
productum, ſicut terminus generationis, ſed eſſe quid intrinſecum, & inhærens, quô homo conſtituitur formalitèr filius Dei, & dicitur ex Deo natus, ut inquit Joan. 1. cap. 1. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ejus manet in eo*, hoc eſt gratia quæ dicitur ſemen Dei, & quæ ex eodem Evangeliſta manet in eo, qui natus eſt ex Deo, ſeu in homine juſto. Hinc eſt quòd anima juſti dicitur ſedes Dei. Et quòd Paulus ad Rom. cap. 8. ait: *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Ab-* *Rom. 8.*
ba (Pater) ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei, ut ſuadeat juſtificationem fieri per aliquid reale, ſpirituale, & intrinſecum animæ inhærens.

§. II.

Solvuntur Rationes Hæreticorum.

HÆretici objiciunt varios Sacræ Scripturæ textus; primò afferunt illud ad Epheſ. cap. 1. verſ. 4. & ſequentibus: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, &c.* Inde enim concludunt, nos in Chriſto tantùm Deo gratos eſſe per juſtitiam ejus nobis imputatam, quia (inquiunt) elegit nos in ipſo, ut ipſo, id eſt, ipſius juſtitiâ, & ſanctitate eſſemus ſancti, non verò aliquâ formâ creatâ in nobis exiſtente, noſque intrinſecùs mutante.

Reſpondeo, Apoſtolum per hæc, & ſimilia verba ſolùm oſtendere, omnem juſtitiam, & gratiam nobis conferri à Deo propter merita Chriſti. Aut

Refutatio Prima ratio nis hæreticorum. cauſam juſtificationis noſtræ meritoriam, eſſe Chriſtum, cujus morte Deus contulit nedùm remiſſionem peccatorum, ſed etiam omnia dona ſupernaturalia, omnem gratiam, ſeu juſtitiam ſanctificantem, quæ animam renovat, exornat, & ſpeciali pulchritudine formoſiſſimâ reddit. Quare idem Apoſtolus verſ. 7. ait: *In quo*, id eſt in Chriſto, *habemus redemptionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ejus.* Ibi enim Apoſtolus inſinuat quòd in verſ. 4 ubi ait: *Elegit nos, &c.* loquitur de cauſa meritoria ſalutis, ac juſtificationis noſtræ, quæ eſt Chriſtus, qui per ſuam ſanctiſſimam Paſſionem in ligno Crucis nobis promeruit juſtificationem; non verò de cauſa formali, quæ conſiſtit in aliqua forma ſupernaturali creata à Deo, & hominibus collatâ propter Chriſti merita, quaque verè & realiter juſti dicimur, & ſumus: cùm in aliis locis idem Apoſtolus ſatis clarè demonſtret, hominem juſtificari per charitatem diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

Secundò objiciunt illud Apoſtoli 1. ad Corint. cap. 1. *Factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, &* *1. Corint. 1*
ſanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt: qui gloriatur, in Domino glorietur. Ergo (inquiunt) juſtificatio noſtra non eſt aliquid creatum à Deo nobis infuſum, ſed ipſemet Chriſtus, qui ex Apoſtolo eſt ſanctificatio noſtra.

Reſpondeo quòd dum Apoſtolus ait: *Chriſtus factus*

eſt nobis juſtificatio, non loquitur formaliter, ità ut velit, Chriſtum eſſe formalem juſtificationem noſtram alioquin Deus eſſet noſtra formalis patienria, noſtra ſpes formalis, quia Propheta Pſal. 70. verſ. 5. ait: *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine ſpes mea*, ſed loquitur cauſaliter & meritoriè, ità ut velit, Chriſtum eſſe juſtificatorem noſtrum, hoc eſt, cauſam meritoriam juſtificationis noſtræ, ſeu gratiæ habitualis, quam Chriſtus pro nobis mereri voluit. Nec hoc implicat, ſæpè enim in Scriptura Sacra, cauſa ſolet appellari, & exprimi nomine effectûs, ut probat illud Pſal. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*, quia Dominus eſt cauſa ſalutis, & illuminationis. Sol etiam dicitur, lux, quia ſol eſt cauſa lucis, ità pariter dum Chriſtus dicitur, juſtitia noſtra, dicitur cauſa juſtitiæ noſtræ; alioquin homo eſſet ſapiens per ſapientiam formalem, qua Chriſtus eſt ſapiens, aut per eamdem Chriſti ſapientiam illi imputatam, quòd tamen non concedunt hæretici; licet Apoſtolus dicat: *Factus eſt nobis ſapientia*, ſicut dixit: *Factus eſt nobis juſtitia, & ſanctificatio*: Ergo non debent aſſerere, nos eſſe juſtos juſtitiâ, quâ Chriſtus juſtus eſt, ſed juſtitiâ creatâ nobis iotrinſecâ, & inhærente.

Chriſtus non eſt formaliter juſtitia noſtra

Nec obſtat illud 2. Corint. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, quia licet gratia maneat in juſto, & ipsâ juſtificetur, non debet tamen juſtus gloriari in alio, niſi in Chriſto, qui ei gratiam meruit, & gratis eum juſtificavit, nam Apoſtolus ait: *juſtificati gratia ipſius*, ut diſtinguat nos non juſtificari ipsô formaliter, aut in aliquo cum ipſo realiter identificato, ſed aliquô ab ipſo nobis acquiſitô, aut obtentô à Deo, ſcilicet gratiâ, quæ eſt ipſius Chriſti titulo acquiſitionis.

Inſtantia hæreticorũ nullitas.

Hanc ſolutionem impugnant hæretici, argumento deſumpto ex illo 2. ad Corint. cap. 5. verſ. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*. Inde enim concludunt quòd efficimur Juſti eodem modo, quo Chriſtus factus eſt peccator, ſed Chriſtus factus eſt peccator tantùm per imputationem peccatorum noſtrorum, ut colligitur ex illo Iſaiæ cap. 53. verſ. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*, abſque ulla intrinſeca mutatione in Chriſto: ergo efficimur juſti per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti.

Reſpondeo paritatem eſſe falſam, & contrà mentem Apoſtoli, qui noluit juſtitiam eſſe in nobis, ſicut peccata noſtra ſunt in Chriſto, ſcilicet per imputationem. Quia Chriſtus potuit eſſe hoſtia pro peccatis noſtris, & pro delictis noſtris debitor conſtitui, quin haberet intrinſecè peccatum; cùm unus poſſit eſſe fidejuſſor alterius, & creditori ſatisfacere, quamvis per ſe non ſit illi debitor, ideo ait: *Eum, qui non noverat peccatum*, ſeu qui debitom non contraxerat; ſed homo non poteſt dici, nec eſſe verè, & formaliter juſtus; quin in ſe juſtitiam habeat, ſicut non poteſt eſſe Sanctus, ſi in ſe non habeat ſanctitatem, nec doctus quin in ſe habeat ſcientiam, quia nulla forma intrinſecè, ac formaliter denominat ſubjectum, niſi in eo exiſtat verè, & realiter, licet quis poſſit eſſe debitor pro alio; quin debitum formaliter, & vere contraxerit.

Oſtenditur nullitas paritatis.

Unde Apoſtolus his verbis intendit inſinuare quòd Chriſtus tulit peccata noſtra, ut eſſet fidejuſſor noſter, & cauſa meritoria remiſſionis peccatorum, atque juſtificationis noſtræ, ſeu infuſionis gratiæ, non verò quòd juſtitia Chriſti nobis imputetur, ſicut peccata noſtra imputantur Chriſto. Tum quia ex Apoſtolo, peccatum repugnat eſſentialiter, & intrinſece ſanctitati animæ Chriſti; at gratia ſanctificans non repugnat creari, neque infundi, aut exiſtere in anima, quia eſt ens immateriale. Tum quia debita unius poſſunt imputari alteri, ut ſolvat; Juſtitia autem unius non poteſt ita imputari alio, ut ſit formaliter, & intrinſece juſtus, ut facilè colligitur ex dictis: ideôque non nocet authoritas Apoſtoli. Quia ſi ſimus Juſti, hoc non poteſt fieri, niſi per juſtitiam nobis iotrinſecam, & inhærentem, etiam divinitus, cùm Deus non valeat præſtare effectus cauſarum formalium, ut docent communiter Theologi.

Alios objiciunt textus, quibus probare nituntur, homines non juſtificari per gratiam intrinſecam, & inhærentem, ſed per opera ut quando dicitur de Maria Magdalena Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*. Ad Rom. cap. 2. verſ. 13. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur*. Joan cap. 3. *qui facit juſtitiam, Juſtus eſt*. Jacobus 2. *ex operibus juſtificatur homo*. Ex his enim, & ex aliis textibus inferunt, juſtificationem, non gratiæ habituali, ſed operibus noſtris eſſe tribuendam veluti cauſæ formali.

Altera objectio.

Hæc, & ſimilia Scripturæ oracula non militant contrà articulum noſtrum, quoniam intelligenda ſunt de juſtificatione cauſaliter, & diſpoſitivè ſumpta. Certum enim eſt quòd homo per bona opera, per obſervantiam legis, per diſplicentiam de peccatis commiſſis, per amorem, & per alios actus, quos mediante auxilio gratiæ elicit, movet Deum, ut ei gratiam infundat (quæ eſt juſtificans) omninò ab actibus illis diſtinctam, ut juſtificetur intrinſece, & formaliter: Igitur cùm aſſertio noſtra ſit de cauſa formali Juſtificationis. Et authoritates relatæ ſint de cauſa, & de diſpoſitionibus ejuſdem, nulla eſt hæc objectio.

Ejuſdem objectionis ſolutio.

Eadem reſponſio adbibenda eſt textibus Scripturæ quibus hæretici probare contendunt, juſtificationem noſtram eſſe fidem. Horum textuum unus eſt Apoſt. ad Rom. cap. 4. verſ. 5. *Credenti autem in eum qui juſtificat Impium, reputatur fides ejus ad Juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei*. Hoc quidem textu, non gratiæ, ſed fidei tribuunt juſtificationem. Sed non valet hæc interpretatio, nec indè poteſt concludi, fidem eſſe formam noſtræ juſtificationis, ſed ſolùm diſpoſitionem ad illam, quia homo, mediante fide actuali, poteſt ſe ad juſtitiam præparare, ſeu diſponere; cùm Scriptura dicat *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, accedentem ad Deum oportet credere quia eſt: Et requirentibus ſe remunerator eſt*.

Addunt Sanctos Patres qui juſtificationem noſtram explicant exemplo Jacob ſe ſe occultantis veſtitu fratris ſui Eſaü, ut Patris benedictionem acciperet. Volunt enim hoc exemplô nobis ſuadere, Juſtitiam Chriſti nobis imputari, ſicut veſtitus Eſaü Imputatus fuit Jacob. Reſpondeo Sanctos Patres in illa comparatione non loqui de juſtitia formali, quâ Juſti, & Sancti ſumus, ſed de juſtitia ſatisfactoria. Duplex enim poteſt in nobis diſtingui juſtitia, una, quâ formaliter, & iotrinſecè juſtificamur & conſtituimur juſti. Et alia, quâ ſatisfacimus Deo pro peccatis, & pœnis debitis. Hæc quidem ſatisfactio eſt actus juſtitiæ ſatisfactoriæ, & dicitur vera juſtitia. Dum verò S. Patres dicunt, juſtitiam noſtram eſſe juſtitiam Chriſti nobis imputatam, ſicut veſtitus Eſaü erat imputatus Jacob cap. 27. Geneſ. Intelligendi ſunt de juſtitia ſatisfactoria, ſeu de Chriſto quatenus pro nobis ſatisfecit Deo Patri de rigore juſtitiæ, quæ quidem juſtitia non eſt formaliter, & intrinſecè in nobis, ſed ſolum jure ſatisfactionis nobis applicata fuit, non enim pro ſe, ſed pro nobis ſatisfecit Chriſtus, ut eſſemus Juſti, Sancti per gratiam intrinſecam, & inhærentem, quam pro nobis meruit ſatisfaciendo Patri æterno.

Duplex eſt Juſtitia.

§. III.

§. III.

De alio errore Rejiciendo.

Peccata verè, & realiter remittuntur, & expelluntur per gratiam, contra eoſdem hæreticos.

HÆretici prænominati aſſerentes juſtificationem noſtram conſiſtere in juſtitia Chriſti nobis imputata, alium errorem defendunt, quem ex iſto deducunt, nimirùm peccata noſtra non verè remitti, nec deleri propriè, ſed ſolum tegi & operiri propter juſtitiam Chriſti nobis imputatam, ita quod peccata dicantur eſſe tecta, ſeu quaſi à Deo non viſa; cùm non puniat ipſa: quamvis verè ſint in peccatoribus, etiamſi non appareant, quia operta ſunt juſtitiâ Chriſti. Nec miror quia hæretici excuſſo authoritatis jugo, & ſpretâ infallibili Scripturarum interprete Eccleſiâ Romanâ, eum ſolummodo quem ſibi fingunt animi ſuperbientes ſenſum, & intellectum amplectuntur: errorem enim, quem hîc impugnamus, fundant in illo 1. Petri cap. 4. (malè intellecto) *Charitas operit multitudinem peccatorum*, ex quo colligunt, peccata eorum, qui Juſti dicuntur, non deleri, nec tolli, nec remitti, ſed ſolum tegi, & operiri.

Adducunt inſuper illud Pſal. 31. Et Rom. 4. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quo peccata, quæ Juſti commiſerunt, non dicuntur remiſſa, ſed expreſsè, & formaliter non imputata: ideo (inquiunt) D. Joannes Epiſt. 1. cap. 1. ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quia ſi peccata eſſent propriè remiſſa, plures eſſent ſine peccato. Alios ſimiles textus afferunt hæretici, quibus probare nituntur, juſtos habere peccata, quæ operta, & tecta ſunt, ſeu non imputata, & ideo concludunt, peccata non deleri, nec remitti propriè, & verè in juſtificatione.

Explicatur authoritas D. Petri

Reſpondeo hanc hæreticorum interpretationem eſſe falſiſſimam. Nam ſenſus D. Petri non eſt, charitatem operire multitudinem peccatorum, ita ut ipſa charitas ſtet in homine juſto ſimul cum peccatis in eadem anima, ſed ſolùm charitatem, quâ diligimus Deum & proximum, operire peccata illius proximi, hoc eſt, efficere ut univerſa ejus peccata condonemus, & præcipuè ea, quæ ergà nos commiſerit, ut infertur ex verbis præcedentibus: *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.* Et ex ſequentibus: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione* Quæ quidem verba non concernunt charitatem infuſam, quam Theologi noſtri non diſtingunt à gratia habituali, quâ juſtificamur, ſed concernunt charitatem exercendam ergà proximum, quæ ex Apoſtolo benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Quod certò eſt verè peccatorum multitudinem operire, ut adimpleatur hoc Chriſti mandatum. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem. ſicut dilexi vos.*

Ad illud Prophetæ dico, quòd non imputare, idem ſignificet ac delere, & curare nè remaneant, ut teſtatur D. Auguſtinus in præfatione ad Pſal. 31. ubi ait: *Cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt, ſi texit peccata Deus, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere.* Et ſtatim ſubdit: *Ne ſic intelligatis quod dixi peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant;* ideircò ille cujus peccata ſunt tecta, & operta, nullum peccatum habet in ſe. Hoc verùm eſſe colligitur ex verbis præcedentibus, ille enim qui dicit. *Beati quorum tecta ſunt peccata,* dicit etiam: *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates,* ut oſtendat, peccata non imputari, aut tegi, idem eſſe ac remitti, aut tolli, aliàs ſibi contradiceret. Quod dici nequit: nam licet ſint diverſa nomina in rigore grammatico, tamen in Sacra Scriptura, unum & idem ſignificant, & de ipſis indifferenter utuntur Scriptores Sacri, tum quia Judex, qui non imputat peccatum alicui, aut tegit, vel operit illud; ſanè quantum in ipſo eſt, vult quòd ille non ſit Reus, & conſtituit illum Innocentem, eumque à morte eximit, ac proindè Deus, qui poteſt delere peccata, non imputando, ea delet, & remittit, ut peccator per juſtificationem fiat innocens. Tum quia peccatum poteſt ſumi diverſis modis, ſcilicet ut eſt Dei offenſa, ut eſt macula animæ, & ut eſt reatus ad pœnam æternam; ut autem quis ſit verè beatus, reatus pœnæ non debet illi imputari, macula animæ debet tegi, & offenſa Dei debet deleri, & remitti, quæ ſolitò fiunt per remiſſionē peccati quoniam quamdiù remanet peccatum in anima, ipſa anima remanet maculata, obligata ad pœnam æternam, & Deus eſt offenſus. Unde peccatum non imputari, tegi, operiri, idem ſignificant ac deleri, remitti, tolli, Deus illis delicta non imputat, à quibus verè ea tollit, certò ſi ea non deleret, verè ea imputaret; cùm judicium ejus ſit ſecundum veritatem: propheta enim Deum ſic alloquitur: *juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Multipliciter ſumitur peccatum

Ad illud D. Joannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus &c.* dico quod debet intelligi de peccatis venialibus, quæ gratiam Sanctificantem minimè expellunt, ut docent communiter Theologi; non verò de peccatis mortalibus de quibus hîc agitur: certum enim eſt quòd plures ſunt in quibus non eſt peccatum mortale actuale, ut colligitur Pſal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, quales ſunt viri juſti in quibus non eſt peccatum mortale, licet habeant peccata venialia, & ſepties cadant in die. Nec valet objicere quòd peccata mortalia poſſunt ſubliſtere cum gratia ſanctificante ſicut venialia, & per conſequens quod in juſtificatione non delentur, per gratiam ſicut venialia non delentur. Non valet, inquam paritas, eo quod peccatum veniale ſit macula valdè exigua & levis (ut dicemus in proprio loco contrà alios hæreticos) mortale autem maxima; cùm ſtipendium ejus ſit mors, ut inquit Apoſtolus ad Rom. cap. 6. Idem his verbis: *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*, aſſerit Ezech. 18. Hinc eſt quòd in Sacra Scriptura ſolum peccatum mortale ſæpiſſimè dicitur macula, & vocatur abſolutè peccatum: ergo in juſtificatione Impiorum peccata verè delentur, & remittuntur.

D. Joannes non loquitur de peccato mortali in textu ab hæreticis adducto

Ezech. 18.

Fides Catholica damnat hanc hæreſim, quam hîc impugnamus. Docet enim peccata hominum, qui veniam conſequuntur verè, & propriè remitti, ut definitum fuit in Concilio Trident ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali circà finem ubi legitur: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit.*

Tridentinum.

Eamdem veritatem comprobant plura Scripturæ Sacræ oracula quibus manifeſtè pronunciatur, Deum peccata delere, & auferre, ſic Iſaïas cap 45. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me.* Zachar. cap. 3. *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* Mich. cap. 7. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem.* Et Propheta Regius Pſal. 50. *Dele iniquitatem meam, amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

Iſai 45. *Zach. 3.* *Mich. 7.* *Pſal. 50.*

Novum Teſtamentum hanc ipſam veritatem docet, nam Joannes Baptiſta Meſſiam indigitans, ait *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joannes

Evangeliſta Epiſt. 1. cap. 1. ait: *Sanguis Jeſu Chriſti Filij ejus emundat nos ab omni peccato.* Et infra addit: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Chriſtus dixit Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Hæc autem divina oracula eſſent falſa, ſi remiſſio peccatorum in juſtificatione eſſet ſola eorumdem non imputatio, quia exprimunt veram peccatorum remotionem, abolitionem & abſolutionem. Chriſtus enim lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, qui autem lavatur, mundatur, & ſuper nivem dealbatur. Certum eſt, quòd nõ manet immũdus, ſicut ille qui turpis, niger, & ſordibus infectus eſt, ut ex naturali terminorum ſignificatione conſtat: ergo concludendum eſt contra hæreticos, peccata noſtra veré remitti in juſtificatione; cùm hæretici nequeant authoritates à nobis adductas in alium torquere ſenſum, nec poſſint eas aliter explicare, nec in juſto peccatum invenire, quæretur inquit Propheta Pſal. 9. peccatum illius, & non invenietur.

ARTICULUS VIII.

Confundit Melanthonitas aſſerentes, hominem teneri Credere ſe eſſe in gratia.

Licet ex Sacræ Scripturæ oraculis, nec non ex variis Conciliorum decretis, & deciſionibus certum ſit, Juſtum nullam poſſe habere in hac vita certitudinem de ſua juſtificatione, ut ſemper docuerunt omnes Theologi juxtà communem Sanctorum Patrum mentem, tamen plures hæretici impiè voluerunt, hominem juſtum nedum ſcire ſe eſſe in gratia ſanctificante, & dilectione Dei, ſeu in ſanctitate, aut in Deo, ſed volunt etiam teneri credere ſe eſſe Juſtum, & Deo gratum, ſicut tenetur credere, baptiſmum conferre fidem.

Lutherus

Primus hujus peſtiferæ hæreſis inventor, eſt Martinus Lutherus de quo ſæpè locuti ſumus in hoc libro, qui ut Chriſtianos ab omnium bonorum operum exercitio avocaret, docuit, hominem juſtificari formaliter per fidem, quæ cùm à ſolo peccato infidelitatis expelli poſſit, & homo certò ſciat quod non eſt infidelis quamdiù credit in Deum, exiſtimavit, hominem cognoſcere ſe eſſe Juſtum, ſicut fidelem donec deſinat credere. Joannes Spangerbergus eſt hujus hæreſis defenſor.

Joannes Spangerbergus.

Bucerus

Martinus Bucerus de quo locuti ſumus in præcedenti articulo, in commentariis ſuper Epiſtolam ad Romanos cap. 2. eumdem amplexus eſt errorem, quia, inquit, juſtificatio hominis nullo modo pendet ex operibus ſui ipſius, ſed ſolùm ex operibus Chriſti Domini, qui operatus eſt ſalutem omnium credentium; ac proinde fidelis debet certò credere ſe eſſe in gratia, gratum Deo & per Chriſtum juſtificatum, quamtumlibet impurè, & Scelerate vivat.

Melancthonus.

Philippus Melancthon Lutheri, & Buceri ſententiæ adhæſit in locis ſuæ Margaritæ Theologicæ Tit. de pœnitentia eumdem tuendo errorem (ſed alio medio uſus eſt, licet æqualiter falſo, & impio) ait enim hominem juſtificari eo præciſè, quia credit ſe eſſe juſtificatum, & ideo, inquit. homo certè ſcit ſe eſſe juſtificatum, quia certò ſcit quòd credit. Idem docet Calvinus in lib. de inſtitut. Chriſtiana. Poſt illos omnes lapſus eſt in hunc errorem Claudius Guilliaudus Beljiocenſis, qui in commentariis ſuper ultimum caput Epiſt. 2. ad Timot. ait: *Quantum autem pertinet ad certitudinem de noſtra ſalute, paucis abſolvamus, certus es quòd quæcumque promiſit tibi Deus, potens eſt hoc facere: ergo ſi credis in eum, certus & non dubius es, te ab eo amari, cùm promiſerit, credentes in eum ſalvos fieri, & Filios Dei nuncupari.* inde enim conſtat, hunc doctorem fuiſſe hæreticum Lutheranum.

Calvinus.

Claudius Guilliaudus

§. I.

Proponuntur Rationes contrà Hæreticos.

Hæc hæreſis expreſſè damnata fuit in Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 9. ibi enim illa Sancta Synodus damnando inanem fiduciam hæreticorum ſimul etiam damnat omnem infallibilem juſtificationis certitudinem (ſi revelationem excipias) his verbis quæ habentur in medio capitis: *Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos qui verè juſtificati ſunt, abſque ulla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe juſtificatos, neminemque à peccatis abſolvi, ac juſtificari, niſi eum, qui certò credat ſe abſolutum, & juſtificatum eſſe: atque hac ſola fide abſolutionem, & juſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, deque mortis, & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet: nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet, ſic quilibet dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum*: Igitur ex Tridentino nullam poſſumus in hac mortali vita habere infallibilem certitudinem de juſtificatione noſtra, quamvis fidem habeamus de divinis myſteriis, & de rebus nobis revelatis.

Tridentin.

Alia hujus veritatis deciſio habetur contra eoſdem hæreticos in Can. 15. ejuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit hominem renatum, & juſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum; anathema ſit.* Nam licet hæc verba expreſſè ſignificent prædeſtinationem, velintque nullum teneri ex fide credere ſe prædeſtinatum, ex ipſis tamen infertur quòd Juſtificatio, quæ eſt via & medium ad prædeſtinationem juxtà illud Apoſtoli ad Rom. 8. verſ. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit*, decernitur nobis innota, & incerta ſicut prædeſtinatio, ità ut nullus teneatur credere ſe eſſe juſtificatum, ſicut nullus tenetur credere ſe eſſe prædeſtinatum.

altera ejuſdem Concilij deciſio.

Hæc Sanctæ Synodi Tridentinæ deciſio conformis eſt menti Sancti Viri recti ac timentis Deum, ſcilicet Jobi, qui cap. 9. verſ. 11. manifeſtum pro incertitudine juſtificationis præbet teſtimonium, ibi enim ait: *Si venerit ad me*, id eſt Deus, *non videbo eum, ſi abierit non intelligam.* Hæc autem verba de motu locali minimè intelligi poſſunt, quippe cum Deus ſit ubique, & in nullo loco contineatur, Job non poteſt loqui de adventu, nec de receſſu locali ſubſtantiæ, aut operationis divinæ, quâ res exiſtunt, & conſervantur: in ipſo quidem vivimus, movemur & ſumus; ergo loquitur de adventu Dei in animam Juſti per gratiæ ſuæ infuſionem de quo loquitur Chriſtus Joan. 14. verſ. 23. dicens: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et fatetur ſe neſcire an Deus illi ſuam gratiam infuderit, aut an illam ſemel donatam, poſteà propter peccatum ab eo commiſſum, ſubtraxeris, hoc eſt, an ſit Juſtus ad quem venit Deus, vel peccator à quo receſſit, unde verſ. 20. & 21. ait: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit*

Job. 9

me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit, etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ. Quomodo igitur poterunt Lutherus, Bucerus, Calvinus & alij ſcire ſe eſſe in gratia, cùm Job, vir rectus, ac timens Deum id ignoraverit?

Alia eſt anthoritas idem probans, quæ eſt Jeſu Filij Sirach, qui cap. 5. verſ. 5. & ſequentibus, ait:

Eccleſ. 5.

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu: neque adijcias peccatum ſuper peccatum, & né dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur: miſericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. His quidem verbis evidenter conſtat, nullum poſſe eſſe certum de remiſſione peccatorum ſuorum, nec de infuſione gratiæ ſanctificantis, quamvis eam à Deo poſtulaverit, ut teſtatur

Job.

Job loco citato verſ. 16. dicens: *Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.* Et

Philip. 2.

Apoſt. ad Philip. cap 2. verſ. 12. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* Unde cùm metus expellat certitudinem, & textus aſſerat quòd timendum eſt né peccatum, quod putamus remiſſum, remiſſum non ſit: nullus tenetur in hac vita credere ſe eſſe in gratia, ſeu credere ſe Juſtum.

Idem judicium prius habuerat Propheta Regius, qui Pſal. 12. verſ. 11. ait, *delicta quis intelligit?* Qua interrogatione innuit, nullum eſſe, qui omnia delicta ſua intelligere poſſit, id eſt, qui ſciat ſe eſſe in gratia, quæ cùm neqneat eſſe cum aliquo peccato, ut quis cognoſcat ſe eſſe in gratia, neceſse eſt quòd cognoſcat ſe eſſe ſine peccato. Dixi: *omnia*, quia homo poteſt aliqua peccata cognoſcere, ut teſtatur idem Propheta Pſal. 50. dicens: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*, ſed non omnia, quià multa ſunt, quæ ſæpè nos ignoramus quæ tamen commiſimus, aut omiſimus. Alia ſunt etiam, quæ poſtquam commiſſa ſunt, manent, nobis ignorantibus: Igitur abſque ulla difficultate, oraculum illud Proverb. 20. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato* eſt verum,

Jonas 3.

& quilibet homo illud de ſe ipſo proferre poteſt; quin mentiatur. Nonne Scriptum eſt Jonæ cap. 3 verſ. 9. *Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus* idcirco cùm nemo agnoſcat delictorum ſuorum gravitatem, & nullus certò ſciat an ſit converſus, neceſſariò ſequitur quòd nullus poteſt eſſe certus de ſua juſtificatione. Et quod nullus eſt qui poſſit ſe dicere juſtum.

Dicent hæretici. Prophetam locutum fuiſſe de peccatis venialibus tantum. Reſpondeo Prophetam ibi loqui de delictis, quæ faciunt hominem immundum, & ſordidum, ut interpretantur D. Anſelmus & D. Bernardus. Quæ quidem peccata, non venialia, ſed mortalia ſunt. Deindè idem Propheta per delicta intelligit peccata gravia, ſicut per opprobria, ut dum

Pſal. 118.

in Pſal. 118. verſ. 39. ait: *Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum.* Quòd exponens D. Ambroſius apertè manifeſtat, hominem ignorare an ſit odio, vel amore dignus, an ei fuerit remiſſum peccatum, vel non: ait enim. *Volebat auferri opprobrium quod ſuſpicatus eſt, vel quia cogitaverat in corde, & non fecerat, & pœnitentiâ licet abolitum, ſuſpectus tamen erat, né fortè adhuc maneret ejus opprobrium, & ideo dum precatur*

D. Ambroſ.

ut illud auferat, quis ſolus novit. Quod neſcire poteſt, etiam ipſe qui fecit, id eſt homo, qui peccatum commiſit, qui abſque ulla revelatione nequit certò ſcire opera, quæ facit Deus ut author gratiæ.

Huic expoſitioni ſuffragatur ratio Theologica. Juſtificatio Impij duas includit mutationes, putà remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ ut docent communiter omnes Scholaſtici in academia Scoti, utramque autem mutationem eſſe a Deo nullus hæreticorum negat; cùm omnes fateantur, Deum dicere: *Ego ſum qui deleo iniquitates veſtras.* Et Prophetam teſtari quòd gratiam, & gloriam dabit Dominus. Undè cum illa peccatorum remiſſio, aut delictorum condonatio ſit actus interior divinæ voluntatis ex miſericordia Dei condonantis peccata, ut monet Apoſtolus ad Rom. cap. 9, verſ. 16. dicens:

Nullus poteſt certò credere ſe eſſe in gratia.

Igitur non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis, eſt; & collatio gratiæ habitualis ſit donum ſupernaturale nullum in homine ſupponens meritum; cùm ipſa gratia ſit principium meriti, quò homo juſtificatur gratis, ut docet idem Apoſtolus, ſequitur quòd hujuſmodi mutationes non poſſint ab intellectu creato videri, nec certò ità ſciri, ut homo valeat abſque ulla ſpeciali, & divinâ revelatione eſſe certus quòd Deus remiſit illi peccata, & ei ſuam largitus eſt gratiam ſanctificantem, quia quæ Dei ſunt, nemo novit, niſi Spiritus Dei, ut declarat Apoſt. 1. ad Corint. cap. 2. verſ. 11. Unde Scriptura Sacra referens nonnullos ſciviſſe ſe eſſe in gratia, & peccatorum remiſſionem obtinuiſſe, ſtatim declarat, hoc ipſis fuiſſe revelatum ſpeciali privilegio Nam Magdalena certa fuit de peccatorum ſuorum remiſſione, quia Chriſtus dixit de illa *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. 7. Paralyticus quoque certus fuit de ſimili beneficio, quia Chriſtus dixit illi: Joan. 5. verſ. 14. *Ecce ſanus factus es jam noli peccare, né deteriùs tibi aliquid contingat.* Idem refert Divus Bonaventura Doctor Seraphicus, de Seraphico Patre noſtro Divo Franciſco.

Ex his facilè infertur contra hæreticos, Juſtum non poſſe ex eo præciſe, quia credit in Deum, eſſe certum de ſua gratia abſque ulla revelatione divina, quia ſi hæc peccatorum remiſſio, certa eſſet ex fide omni credenti, ut volunt hæretici, ità ut ad peccatorum veniam ſufficeret credere ſe abſolutum, ut ſomniavit Lutherus, ſuperfluæ fuiſſent hujuſmodi revelationes particulares, quia ſine illis Magdalena, Paralyticus, & alij quorum fit mentio in Sacra Scriptura, & in hiſtoriis ab Eccleſia receptis, & approbatis, ex fide habuiſſent certitudinem de remiſſione peccatorum, & de gratia habituali ipſis conceſſa: habebant enim fidem vivam in Deum. At falſum eſt dicere quòd hujuſmodi revelationes ſint ſuperfluæ; cùm nulla Dei operatio inutilis, & ſuperflua ſit: Igitur Chriſtus revelavit Magdalenæ ſuorum peccatorum remiſſionem, ut de dilectionis ſuæ fructu, hoc eſt, de venia peccatorum ſuorum certa eſſet, & ut ei divini amoris oſtenderetur virtus, & ideò hujuſmodi certitudinem non habebat ex fide hæc Mulier, ſed habuit illam per ſpecialem Spiritus Sancti revelationem dumtaxat, quia ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro quòd ſumus Filij Dei, inquit Apoſtolus ad Rom. 8.

Certitudo fidei, non eſt certitudo gratia.

Hæc quippe certitudo remiſſionis peccatorum, & infuſionis gratiæ non poteſt haberi ex ſola fide, neque ex operibus in fide elicitis, nec ex teſtimonio propriæ conſcientiæ, ſed ex ſola revelatione, quæ ſi excludatur, ſine dubio eſt incerta peccatorum remiſſio, licet adſint opera bona, ut confirmat Propheta Daniel cap. 4. verſ. 24. ubi ad Regem Nabuchodonoſor ſic loquitur:

Daniel. 4.

Peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitam ignoſcet delictis tuis. Quòd exponens D. Hieronymus ait: *cum Daniel preſcius futurorum de ſententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audactèr veniam pollicentur peccantibus*, ut inde oſtenderet, veram remiſſionem peccatorum non poſſe cognoſci infallibiliter ex noſtris operibus, ita ut ex Eleemoſyna, & ſimilibus cha-

D. Hieronymus.

ritatis, & miſericordiæ actibus, poſſit quis judicare, & certò credere peccata eſſe illi remiſſa, ut volunt hæretici, & præcipué Lutherani, quia hæc particula, *forſitam*, denotat dubitationem quæ non provenit ex Deo, qui Juſtus eſt, & miſericors: ſed ex imperfectione operum noſtrorum, de quibus non poſſumus ità certum proferre judicium, ut valeamus aſſerere, Deum nobis eorum intuitu remiſiſſe peccata, quamvis nobis liceret credere hujuſmodi opera eſſe bona. Non enim qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat, nec ſufficit quòd opus offerenti placcat, ſed etiam acceptanti, ſeu illi, cui offertur debet eſſe gratum: ergo non hominis, ſed Dei eſt judicare, an peccata ſint remittenda propter opera bona à peccatore elicita, non hominis, inquam, ſed Dei eſt ſcire an bomo ſit Juſtus, an ſit odio, vel amore dignus.

1. Corint. 4. Hanc ipſam veritatem ſuadet Apoſtolus 1 ad Corint. cap. 4, verſ. 4. ubi inquit: *Non me ipſum judico: nihil mihi conſcius ſum*, id eſt, non habeo conſcientiam peccati, ut exponit D. Thomas, *Sed non in hoc juſtificatus ſum*, id eſt, non ſufficit ad hoc, ut me Juſtum dicam, quia poſſunt in me latere aliqua peccata, quæ ignoro, ſecundum illud Pſal. 18. *Delicta quis intelliget? qui autem judicat me, Dominus eſt, nolite ante tempus judicare*, id eſt, ſolus Deus ſcit an gratia juſtificans ſit in nobis, & an peccata, quæ commiſimus, ſint verè remiſſa.

D. Ambroſius. Hieronymus. Anſelmus. Eamdem expoſitionem textui Apoſtoli tradiderunt Sanctus Ambroſius, S. Hieronymus. D. Anſelmus, & alij: errat igitur Lutherus dum dicit: *Crede te abſolutum, & abſolutus eris*, errat Philippus Melancthon, dum ait: *Si firmiter credis, peccata tibi eſſe remiſſa per miſericordiam Dei, & per Sanguinem Chriſti, juſtificatus es.* Errant inquam hæretici, nedum propter rationes ſupra dictas, ſed etiam quia non convenit divinæ providentiæ, nec hominibus expedit, ut homo certò credat ſe eſſe juſtificatum. Illa quippe certitudo eſſet illi occaſio ſuperbiæ, deſpectus cæterorum, & laxioris vitæ, ut notant D. Gregorius, D. Hieronymus & alij Sancti Patres, quibus addo Theologos, qui ſemper docuerunt, hominem juſtum non poſſe abſque ſpeciali revelatione, certò ſcire ſe eſſe in gratia.

Hæretici reſpondent, expedire homini habere juſtitiæ ſuæ certitudinem, nè deſperet de ſua ſalute. Volunt enim dubitationem inducere in deſperationem. Sed allucinantur, quia nè deſperet, ſufficit quòd certò ſciat eos, qui dolent de peccatis commiſſis, & qui habent propoſitum vitandi peccatum, & ſervant mandata Dei, eſſe gratos Deo, ut facilè diſcere poteſt ex illo Joan. 1. cap. 3. verſ. 22. *Quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Ex hoc quidem principio, quod ſanè certiſſimum eſt, quilibet homo poteſt inferre quòd erit Juſtus, & vitam æternam ſperare, ſi doleat de peccatis, quæ contra Deum commiſit, ſi fugiat peccatum, & occaſionem peccandi, & ſi ſervet mandata Dei; cùm ſit certus, Chriſtum dixiſſe: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata, declina a malo, & fac bonum*, ideoque incertitudo hæc non ducit in deſperationem abſolutè omnes homines, quippecum promiſſa ſit vita æterna omnibus illis, qui faciunt ea, quæ Deo placent, & ipſe Deus diligat eos, qui eum diligunt;

1. Joan. 3. (margin, beside "re poteſt ex illo Joan. 1. cap. 3.")

Proverb. 8. ait enim Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, & quilibet homo habeat auxilia neceſſaria ad diligendum Deum, nec non ad obſervanda mandata, ut jam diximus contra Pelagianos, Semipelagianos, & alios hæreticos, nullus eſt, qui non poſſit verè ſperare, ſi juſtè & piè vivat, quia indè habebit certitudinem conjecturalem de ſua juſtificatione, quæ quidem certitudo deſperationem prorsùs expellit, animi perturbationem, & anxietatem excludit: quamvis non excludat omnem formidinem. Quòd non eſt malum: beatus enim vir, qui ſemper eſt pavidus.

Inſuper ille, qui probabiliter arbitratur ſe exactè conſcientiam ſuam examinaſſe, omnia peccata ſua amarè confeſſum fuiſſe, & cum debitis ac requiſitis diſpoſitionibus abſolutionem Sacramentalem recepiſſe, ſi non ſit ità certus de ſua juſtificatione, ut dubitare non poſſit: nihilominus habet unde dicere poſſit cum Apoſtolo: *Nihil mihi conſcius ſum*, habet & fiduciam quæ deſperationem impedit, ut conſtat ex illo 2. ad Corint. cap. 1. verſ. 12. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* *Certitudo conjecturalis excludit deſperationem.* Nam ut quis in Domino gaudeat, ſufficit quòd habeat bonam fiduciam ad Deum, quæ quidem fiducia non tatô provenit ex tranquillitate conſcientiæ, ut ſuadetur ex illo Joan. loco citato verſ. 21. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Unde D. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 10. ait: *Fratres magis Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Hoc eſt, ut bonis operibus poſſitis promereri vitam æternam apud Deum, & ex parte veſtra aliquam certitudinem probabilem habere, ſeu fiduciam, quæ eſt quædam ſpecies ſpei.

§. II.

Proponuntur Rationes Hæreticorum, & Refutantur.

Contra fidem Catholicam hæretici objiciũt illud Apoſt. 1. ad Corint. cap. 2. verſ. 12. *Nos autem, non Spiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.* Quô conſtat, Apoſtolos per ſolam Spiritus Sancti infuſionem, non verò per aliquam ſpecialem revelationem, cognoviſſe Dei dona illis collata, inter quæ eſt gratia Sanctificans: ergo (inquiunt) fideles, qui in baptiſmo receperunt hujuſmodi dona, ſi credant, certò ſciunt quòd habent gratiam ſanctificantem, ſeu charitatem, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

Reſpondetur, Apoſtolum non loqui de donis particularibus nobis inhærentibus, inter quæ eſt gratia juſtificans, ſed tantùm de myſteriis nobis revelatis, qualia ſunt redemptio, doctrina fidei, & Sacramenta quibus juſtificamur, quæque cognoſcimus per fidem, ut facilè colligitur ex verbis immediatè ſequentibus. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, Spiritualibus Spiritualia comparantes.* *Explicatur authoritas relata in objectione.* Evidens quidem eſt quòd Paulus, & cæteri Apoſtoli non prædicabant propriam alicujus hominis juſtificationem, nec de ea loquebantur, ſed prædicabant beneficia, & dona, quæ Deus miſericordiâ ſuâ contulit omnibus hominibus, qualia ſunt Sanctæ inſpirationes, piæ cogitationes, remiſſio peccatorum, & alia, quæ numeravimus: etenim de hujuſmodi donis, ac beneficiis nobis à Spiritu S. conceſſis certitudinem habemus ex fide, non verò de donis particularibus, hoc eſt, nullus eſt certus an hæc dona habeat.

Alium textum proponunt ex eodem Apoſtolo ad Rom. 4. verſ. 16. *Rom. 4.* *Ideo ex fide ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium credentium.* Indè enim etiam inferunt, hominem juſtum certum eſſe de ſua gratia, quia (inquiunt & præcipuè Melancthon) ibi Apoſtolus declarat, gratiam fuiſſe firmiter promiſſam ſemini Abrahæ, ſeu Juſtis, aut cre-

dentibus in Deum , acproinde quemlibet Juſtum eſſe de ſua gratia certum,certitudine fidei , ficut quilibet Chriſtianus certus eſt quòd Filius Dei eſt homo,ex illo Joan. 1. *Verbum caro factum eſt.*

Reſpondeo , Apoſtolum ibi non loqui de promiſſione remiſſionis omnium peccatorum per gratiam ſemini Abrahæ communicandam , ut automant hæretici. Hæc quidem gratia exigit in ſubjecto adulto diſpoſitiones a libero arbitrio aliquo modo diſponentes: & à mediis , de quibus hic non agit Apoſtolus , ſed loqui de promiſſione Incarnationis Filij Dei , qui ex ſemine Abrahæ carnem erat aſſumpturus (ut facilè colligitur ex verſibus ſequentibus) ex hac promiſſione ſequitur,alia ipſi Abrahæ facta,quæ eſt de filio, quem Sara ei paritura erat. Undè ad Galat. 3. verſ. 16. ait : *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones , & ſemini ejus , non dicit : & ſeminibus quaſi in multis , ſed quaſi in uno , & ſemini tuo,qui eſt Chriſtus.*

Joan. 3. Utuntur adhuc authoritate D. Joan. Epiſt. 1.cap. 3.verſ. 14. *Nos ſcimus quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit manet in morte.* Hæc autem tranſlatio fit per juſtificationem; quia peccatum eſt mors, & gratia eſt vita animæ:ergo (inquiunt) ſcimus juſtificationem noſtram , ſeu nos eſſe juſtificatos, cum certi ſimus de tranſlatione illa,quæ eſt de peccato ad gratiam.

Reſpondeo D. Joannem loqui de fidelibus in communi, ſeu de Eccleſia Chriſti , & declarat quòd certi *Certi ſumus in Eccleſia eſſe homines juſtos.* ſumus certitudine fidei,in ipſa Eccleſia,eſſe homines, qui tranſlati ſunt de morte ad vitam, hoc eſt,de peccato ad gratiam,quia diligunt fratres. His ſiquidem verbis non admonet nos , quemlibet Juſtum eſſe certum de ſua gratia. Sed ſolùm quòd Deus remittit peccata, & dat ſuam gratiam illis , qui diligunt eum, & proximum ſicut oportet:Scriptum eſt enim,. Deus charitas eſt,qui manet in charitate,in Deo manet, & Deus in eo, Scriptum eſt inſuper. Qui non diligit manet in morte.Quis autem ſit ille qui diligit , hoc ignoratur,ſaltem de dilectione ſicut oportet.

Vel reſpondeo cum noſtro Alphonſo à Caſtro adverſus hæreſes , quòd D. Joannes ibi loquitur de morte Phyſica ; & corporali & de vita æterna , ad quam Juſti transferuntur dum ex hoc mundo exeunt. Vel dico cum eodem Doctore , verbum , *ſcimus* *Altera ad objectionem reſponſio.* ibi ſumendum eſſe pro verbo *credimus* , ut ſæpè ſumitur in Sacra Scriptura. Nam dum Mulier Samaritana Joan, 4. verſ. 25. dixit Chriſto , *Scio quia Meſſias venit* , Idem eſt ac ſi dixiſſet , *Credo* &c. igitur non aſſerit , Juſtum eſſe certum de ſua gratia , ſed ſolum hominem qui diligit , & mandata Dei ſervat poſſe credere probabiliter , & conjecturaliter ſe eſſe in gratia. Nec implicat hæc certitudo , ut Jam monui , quia propter pios motus , ac affectus in Deum, propter dolorem de peccatis contra Deum commiſſis , homo poteſt habere aliquam certitudinem, quæ propriè dicitur fiducia in Deum.

Eumdem errorem probare nituntur hæretici ex illo Apocal. cap. 2. verſ. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum , & dabo illi calculum candidum , & in calculo nomen novum Scriptum , quod nemo ſcit , niſi qui accipit.* *Apocal. cap. 2.* Dicunt enim , quòd per manna , intelligitur gratia , & per nomen,novum, nomen veri Chriſtiani , ac proindè quòd Juſtus , ſeu in gratia exiſtens, ſcit ſe habere gratiam;cùm Scriptura teſtetur , quod nemo ſcit, niſi qui accipit , ex quo ſequitur quòd ille , qui accipit, ſcit certè quòd eſt in gratia.

Reſpondeo , nullum interpretem tradere , per manna ſignificari gratiam , nec per nomen novum, exprimi nomen veri Chriſtiani ; nam D. Ambroſius. Beda , & alij volunt . per *manna* intelligi præmium cæleſtis patriæ in futura vita recipiendum, ſcilicet gloriam , aut viſionem Dei , & ipſius fruitionem. Et per nomen *novum* , nomen Chriſti ; hæc *Manna ſignificat præmium.* enim ſunt ea , quæ Apoſtolus dicit quod nemo ſcit , niſi ille , qui accipit ; id eſt , niſi beatus ; cùm ſolus beatus , qui accepit præmium , fruatur Deo , & uideat Chriſtum ejus : Igitur authoritas Apocalypſis non pugnat contrà articulum noſtrum ; cùm non probet , Juſtum eſſe certum in hac vita certitudine fidei de ſua gratia ; licet non deſint Doctores aſſerentes ex illo Apocalypſis texto, Juſtum poſſe conjecturaliter cognoſcere juſtitiam ſuam , dummodo vincat ſalutis ſuæ inimicos, mandata Dei cuſtodiat , & faciat cætera , quæ prò vita æterna conſequenda , præcipiuntur à Deo.

ARTICULUS IX.

Affirmat contra Flagellantes , opera Juſtorum non eſſe injurioſa Sanguini Chriſti.

PLures hæretici ut animabus detrimentum procurarent , Juſtorum piè viventium operibus bonis , nec meriti , nec mercedis , nec præmij valorem attribuebant , virtutum omnium incuriæ , & ſcelerum licentiæ aditum referentes. Huic impiiſſimæ doctrinæ author & primus inventor non fuit *Lutherus non eſt hujus hæreſis inventor.* Lutherus, ut exiſtimat noſter Alphonſus de Caſtro adverſus hæreſes , verbo , *opera.* Hæreſi 4. ſed teſte Henrico Holdenſi fuit Simon Magus ferè omnium *Simon Magus.* hæreſum parens. Simonem Magum poſteà ſecuti ſunt Ætius natiune Syrus , qui vixit ſub Conſtantio Imperatore , & Liberio Summo Pontifice , circà annum Domini CCCLXIII. Et Eunomius genere capadox , corpore quidem & anima leproſus , ſed *Ætius.* artis dialecticæ Callentiſſimus, diſcipulus Arij fuit, & in omnibus inimicus veræ fidei , viguitque ſub eodem Imperatore,eodemque Summo Pontifice ſub *Eunomius* quibus viguit Ætius , ità refert Henricus Holdenſis Doctor Sorbonicus.

Prædeſtinatianos ejuſdem erroris reos affert Sigebertus, docebant enim tempore Honorij Imperatoris , & Innocentij primi Summi Pontificis , circà *Prædeſtinatiani.* annum Domini CCCCXIV. neque opera bona aliquid æternæ ſaluti prodeſſe , nec impiiſſima ſcelera aliquid obeſſe,ideoque credebant , hominem quamtumvis Juſtum nihil poſſe mereri apud Deum per bona opera. His ſucceſſere Begardi & Beguinæ, qui *Begardi Beguinæ.* anno MCCCXIV. tempore Ludovici Bavarij Cæſaris Germani, & Joannis XXII. Papæ,docebant, hominem in perfectionis ſtatu conſtitutum nulla bona opera poſſe , nec quidem debere facere.

Flagellantes ſub eodem Imperatore , eodemque Pontifice,ſeu anno Domini MCCCXXIII non *Flagellantes.* verò MCCCLII. ut volunt aliqui , dicebant per Galliam & Germaniam bonorum operum merita ad gloriam, eſſe contemnenda , veluti injurioſa paſſioni , Sanguini , & meritis Chriſti , qui ità nobis meruit gratiam , & vitam æternam , ut nullus homo mereri poſſit : quamvis primi , qui Flagellantes dicti fuerunt in Italia MCCLXXIII. tempore Rodolphi Imperatoris & Gregorij X. Papæ; hanc hæreſim contra meritum non agnoverint. Hic quidem error additus fuit ab illis , qui anno memorato, hæreſim Flagellantium ſuſcitarunt in Gallia, & Germania.

Hanc Flagellantium hæreſim ſecuti ſunt Huſſitæ *Huſſitæ.* qui anno Domini MCCCLXXVII docebant cum Joanne Hus genere Bohemo , nihil eſſe curandum de bonis operibus , eo quod ad ſalutem æternam ſint indifferentia. Hoc eſt, quia ad ſalutem æ-

ternam non prodeſſe, nec obeſſe poſſunt. Eorum ratio erar, quia damnatio, & ſalus, prædeſtinatio, & reprobatio à ſola voluntate Dei ita pendent, ut Deus abſque ulla meritorum, vel demeritorum conſideratione quibuſdam det gloriam ſeu vitam æternam, aliis verò pœnas æternas.

Lutherani.

Hos Apoſtatas longè ſuperant recentiores, ſeu Lutherani, qui ſub falſa Evangelicæ libertatis ſpecie, ablata obligatione ſervandi Dei mandata, ob eorumdem fictam impoſſibilitatem, omne bonorum operum meritum abolere voluerunt. Prædicabant enim in Germania, bona opera non ſolum eſſe ad ſalutem inutilia, ſed etiam pernicioſa, ut priùs dixerant Flagellantes in eadem regione. Eorum ratio erat nè derogarent meritis Chriſti quibus ſolis ſalvi facti ſumus. Antiquiores autem ſcilicet Simon Magus, Ætius, Eunomius qui merita excludebant, dicebant ea non obeſſe, nec prodeſſe ad ſalutem. Iſti verò volunt bona opera eſſe pernicioſa, & prohibita: Ideoque Lutherani, qui merita excludebant, & dicebant ea obeſſe, pejores, & nequiores ſunt in hac parte Apoſtatis antiquioribus. Sed quia à vera via deviaverat Lutherus, ſtatim diviſi fuerunt ejus Diſcipuli.

Illyricani. *Joannes Spangerbergus.*

Illirycani ſic dicti à Mathia Illyrico, dixerunt quòd opera bona ſunt inutilia ad ſalutem, ſed negarunt ea eſſe pernicioſa Idem docuit Joannes Spangerbergus anno MCXXXVI, in Margarita Theologiæ ubi ait: *Nequaquam ſciendum eſt quod propter dignitatem, & munditiam bonorum operum detur vita æterna, ſed eſt beneficium gratuitum, & datur per miſericordiam propter Chriſtum, & ratio eſt. Quia noſtra obedientia ſemper adhuc eſt immunda, nec placet propter ſe ipſam, ſed placet propter Chriſtum.*

Antinomi.

Antinomi ex grege Lutheranorum, ſed ſic dicti quia legem impugnabant (teſte Staphilo) affirmabant legem Dei prorſus inutilem. Et nullatenùs, ſcilicet nec ante, nec poſt juſtificationem, neceſſariam fidelibus affirmabant. Inſuper credebant homines Evangelicos non obligari ad bona opera lege divina, quia credebant, fidé ſufficere ad ſalutem conſequendam, ſecluſis quibuſcumque operibus noſtris.

Melancthon

Philippus Melancthon, de quo jam locuti ſumus, reverà non excludebat meritum bonorum operum cum Luthero, & aliis hæreticis, ſed volebat, præmium non eſſe æternum, ſed ſolum corporale, & temporale, acproinde prædicabat, Juſtum per bona opera non poſſe mereri augmentum gratiæ, nec vitam æternam, bene verò ſanitatem honores, divitias & alia bona quibus fruimur in hac vita mortali.

Bugaurius

Bugaurius dictus de Monte falcone (quem Sancius Tarraconenſis Archiepiſcopus; publicé, & ſolemniter condemnavit in quadam Synodo, quam Tarraconæ habuit) docebat in regione Cataloniæ, ſi non per ſe, ut volunt aliqui, ſaltem per ſectatores, & Diſcipulos ſuos, nullum opus eſſe bonum, niſi ex puro & ſincero amore fiat, quacumque ex cauſa fiat, etiam ſpe, & intuitu mercedis æternæ. Tempus hujus hæretici non refertur ab authoribus, creditur tamen communiter poſterior Luthero.

Jacobus propoſitus

His omnibus ſucceſſit (quamvis Lutheranus) quidam Jacobus Præpoſitus, Monachus Eremitarum S. Auguſtini, natione Flander, qui docebat omne opus liberi arbitrij, quamtumvis apud homines bonum, eſſe verè peccatum, & omnia opera Sanctorum egere miſericordiâ ignoſcente, & remittente. Sed comprehenſus, & ad palinodiam decantandam condemnatus, in majori Eccleſia Bruxellenſi coram omni populo, præſente Imperatore, ibi tunc cum Curia reſidente, ſolemnem dogmatum ſuorum revocationem fecit anno Domini. MDXXIII. At cùm invidia Diaboli, & ſuperbia eorum, qui odiunt Deum, aſcendat ſemper, eâ Jacobi Præpoſiti revocatione, minimè extinctà fuit ipſius hæreſis, remanſit enim in quibuſdam hæreticis, quos Hoſius vocat Cacangelicos, aut operarios ſubdolos, qui credebant omnem Juſtorum ſanctitatem, eſſe merè peccatum, & rem damnatam, nullumque opus humanum eſſe Deo gratum. Fateor ſanè me neſcire qua ratione, aut ut melius dicam, quo delyrio ad tantam impietatem moti fuerint.

Cacangelici.

Calvinus.

Deníque Joannes Calvinus lib. 3. inſtitut. & in quodam libello quem edidit contra cap. 16. & Can. 32. Concilij Tridentini, Sanctorum merita impugnat, ſed alio modo. Uult enim dari bona opera in homine juſto, ſed exiſtimat hæc opera ex ſola Dei liberalitate mercedem & præmium, ſeu vitam æternam nobis comparare, ſecluſa quacumque bonitate creata aut dignitate, hoc eſt, ſecluſis gratia & intentione operantis &c. His hæreticis adjungendus eſt Michael de Molinos, Presbyter Hiſpanus, qui docuit quod velle operari active, eſt Deum offendere, ut patet in 2. propoſitione earum, quas damnavit Innocentius Papa XI. die XXVIII. Auguſti anni MDCLXXXVII.

Michael de Molinos.

§. I.

Affert condemnationem Hæreticorum.

Concilium Arauſicanū

HÆc hæreſis damnata fuit in Conc. Arauſic. 2. celebrato anno: DXXIX. ſub Fælice Papa IV præſide Cæſario Arelatenſi. Hæc enim Synodus Can. 8. Sic loquitur: *Debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant*, quibus verbis nedùm conſtat, contrà Pelagianos, & Semipelagianos, gratiam eſſe neceſſariam ad bona opera elicienda; ſed etiam conſtat, dari opus meritorium contrà hæreticos, & licet non ſpecificetur natura mercedis, ſcilicet an ſit divina, vel temporalis, tamen facilè infertur, hanc eſſe divinam; cùm indicet auxilium gratiæ eſſe neceſſarium ad bona opera elicienda, hocque auxilium ſit ſupernaturale, quod ſolùm ad mercedem ſupernaturalem poteſt adjuvare voluntatem noſtram.

Lateranenſe

Idem definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Ut refertur in capite, *firmiter*; ubi legitur, per rectam fidem, & bonam operationem placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire. Eadem declaratio habetur ex Cæleſtino Papa, Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, cap. 2. ubi ait: *Tanta erga homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, atque pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus.*

Conſtitutio Pontificia.

Tridentinum.

Tandem eadem hæreſis damnata fuit in Conc. Trident. ſeſſ. 6. de juſtificatione Can. 32. ubi ſic legitur: *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint bona etiam ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt ſiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema ſit.*

§. II.

De rationibus contra Hæreticos.

VEritas ejuſdem articuli, nimirum bona opera Juſtorum eſſe meritoria apud Deum vitæ æternæ, ſuadetur variis Sacræ Scripturæ oraculis, nam Eccle. cap. 16. verſ. 15. habetur mentio meriti ſic expreſſi: *Omnis miſericordia faciet locum unicuique, ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ſuæ.* Nonnè ibi nomen meriti videtur ſatis expreſſum, & declaratur opera bona eſſe meritoria apud Deum. Quare ergo Simon Magus, Aetius, Eunomius, Prædeſtinatiani, Fla.

Eccleſ. 16.

gellantes, Lutherus, & alii Hæretici prænominati abhorrent meriti nomen, qood Eccleſiaſticus noo eſt veritus proferre ? Procul dubio, ut ad pravitatis libidinem, & impietatis cupiditatem provocent fideles, quos Eccleſia inducit ad morum integritatem, & vitæ ſanctimoniam, ad quam perducunt nos opera bona. Sciebant enim Scripturam Sacram, 2. Petri cap. 1. verſ. 10. nos ſic hortari ad bona opera: *Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Et aſſerere Deum, bonis juſtorum operibus dare mercedem. Nam Propheta Pſal. 17. verſ. 21. ait: *Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Ac proinde aſſerit idem Propheta, eadem juſtorum opera eſſe meritoria; cùm merces, & meritum ſint ità correlata, ut unum ſit ſemper cum alio. Undè Spiritus Sanctus Sap. 5. ait: *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum*, ex quibus colligitur; in juſtis eſſe meritum, ſecundum quod unuſquiſque recipiet præmium, juxtà illud 1. ad Corint. cap. 3. verſ. 8. *Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt, unuſquiſque autem propriam mercedem recipiet ſecundum laborem ſuum:* idem 2. ad Timoth. cap. 4. verſ. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex*, Judicis enim eſt dare unicuique quod ſuum eſt, & judicare ſecundum allegata & approbata, hoc eſt, punire, vel præmiare ſecuudum qualitatem uperis.

2. Petri 1

Pſal. 17

Sap. 5.

Præterea ſi nullum eſſet in homine juſto meritum, ut volunt bæretici, non diſtribueretur merces juxtà laboris menſuram, ſed juxtà donantis voluntatem. Nec merces, diceretur merces juſti aut laborantis, ſed Dei donantis. Quòd èſt falſum, ut declarat Chriſtus Dominus Matth. cap. 5. verſ. 12. dicens: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Et ut ſuadeat, hanc mercedem eſſe juſtorum, ſtatim ſubdit: *Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et verſ. 19. *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*: Igitur opera Juſtorum ſunt meritoria vitæ æternæ apud Deum, qoidquid dicant Hæretici. Hæc quidem merces non eſt temporalis, nec corporalis, ſed æterna quidquid cenſerit Philippus Melancthon, ut evidenter probat illud Geneſ. 15. in quo legitur; Deum dixiſſe Abrahamo: *Noli timere Abraham; ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Et Eccl. cap. 18. verſ. 22. *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Quibus conſtat, Deum promiſiſſe bonis operibus præmium in æternum duraturum, quod non eſt aliud, niſi ipſe Deus, qui eſt ultimus finis noſter, & vita æterna, juxtà illud Joan. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcam te Deum ſolum, verum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et Apocalyp. cap. 22. verſ. 12. inquit: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.*

Opera bona juſtorum ſunt meritoria.

Geneſ. 15

Apocalyp.

Eadem veritas probatur ex aliis Sacræ Scripturæ textibus, in quibus Deus dicitur retribuere homini ſecundum opera ſua, ut habetur Pſal. 61. *Et tibi Domine miſericordia: quia tu reddes unicuique juxtà opera ſua*: igitut ſi hæc opera, bona ſint, reddet bonum, non temporale, & corporale, ut voluit Melancthon (tale ſiquidem præmium non poteſt eſſe corona incorruptibilis, & inamiſſibilis, neque haberi in cœlis) ſed reddet præmium divinum, & æternum, ut facilè colligitur ex illo Sap. 3. verſ. 5. *In paucis vexati, in multis benè diſponentur quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Si digni: ergo meritum habentes. Si dignos ſe invenerit eos: ergo dignos præmio æterno, & divino ſeu fruitione ipſius Dei. Undè Paulus ad Theſſalon. ſcribens de tribulationibus, quas juſti patiebantur in primitiva Eccleſia, ait 2. cap. 1 verſ. 4. & 5. *Ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei; pro patientia veſtra, & fide; & in omnibus perſecutionibus veſtris; & tribulationibus, quas ſuſtinetis. In exemplum juſti judicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.*

Præmium bonis operibus dandū, non eſt temporale.

Hæc ſuadent opera, quæ facimus propter Deum, & pœnas, quas pro nomine ejus patimur, eſſe meritoria, & nobis obtinere præmium, non in terris, cum pro regno terreſtri, & bonis temporalibus pati minimè jubeat ſed in regnu Dei, ſeu in cœlo; in quo omne bonum eſt divinum, & æternum: hinc eſt quòd Chriſtus computat inter Beatos, illos, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Deindè opera bona dicuntur cauſare, & efficere beatitudinem in eo, qui operatur illa, ut de Chriſto declarat Paulus ad Heb. cap. 5 verſ. 9. dicens: *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, cauſam enim ſalutis æternæ eum dixit, quia meruit omnibus vere obedientibus beatitudinem. Idem docet D. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. 15. dicens: *Quid faciet animam beatam, niſi meritum ſuum, & præmium Domini ſui; ſed & meritum ejus eſt gratia illius, cujus præmium erit beatitudo ejus*

Hebr. 5.

D. Auguſt

Iſtis authoritatibus addi poteſt illa Chriſti parabola, quæ habetur Matth. 20. in qua legitur Patrem familias miſiſſe operarios in vineam ſuam, & cum ipſis feciſſe conventionem de denario diurno, finito autem labore, dixiſſe procuratori ſuo: *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos.* Hæc enim parabola deſignat, opera bona eſſe præmianda, & præmium eſſe laborantis, ut convincit illud ejuſdem parabolæ verſ. 14. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Unde cùm Chriſti Domini parabolæ ad noſtram doctrinam ſcriptæ ſint, & ſpem noſtram augeant, ex iſta Matth. cap. 20. inferendum eſt, quòd Deus præmiabit opera juſtorum, qui laborant in vinea Domini, & opera charitatis exercent ergà proximum ut teſtatur ipſe Chriſtus Marc. 9. verſ. 40. dicens: *Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo; quia Chriſti eſtis: amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Ibi enim operi bono reſpondet merces promiſſa, quæ ſanè dabitur illis, qui in bono permanſerint juxtà illud Matth. 10. verſ. 22. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Argumentū ex parabola deſumptum

Idem ex alio Sacræ Scripturæ textu colligitur, ut potè ex illo Apocal. 11. verſ. 18. *Et iratæ ſunt gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem ſervis tuis Prophetis; & Sanctis, & timentibus nomen tuum puſillis, & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.* Quo etiam conſtat, Deum poſt mortem hominis eſſe puniturum malum, & primiaturum bonum ipſius hominis, ac proinde hominem poſſe mereri vitam æternam, ſicut poteſt mereri ſupplicia æterna: Reddet enim unicuique ſecundum opera ſua, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.

Apocal. 11.

Divinam banc Eccleſiæ Catholicæ doctrinam confirmat inſuper idem S. Joannes in eodem lib. Apocalyp. cap. 3. verſ. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecū in albis, quia digni ſunt.* Nam non inquinare veſtimenta ſua, & non peccare, idem ſignificant in Sacra Scriptura; non peccare autem, idem ac obſervare Dei mandata, & opera bona elicere, cùm ad obſervantiam eorumdem mandatorum teneamur: unde ſi illi, qui in Sardis non inquinaverunt veſti-

Apocal. 3.

menta ſua, ſeu non peccaverunt, & bona egerunt, ſint digni cum Deo ambulare in albis, id eſt, habere Stolam immortalitatis, aut habere locum in regno cœlorum, ut aſſerunt Interpretes: certè hoc ipſum regnum habere merentur, quia eſſe dignum aliquo bono, nihil aliud eſt, quàm illud mereri, ut liquidò conſtat ea illo Luc. 10. verſ. 7. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, quò merces, ſeu præmium, reſpondet dignitati, acproindè eſſe dignum ambulare cum Chriſto in albis, idem eſt, ac mereri apud Deum, ſeu cum ipſo in æternum permanere. Hanc interpretationem firmat univerſum jus canonicum, & præcipuè Conc. Trident. quo Electores tenentur ad prælaturas eligere digniores, hoc eſt, eos qui habent majora merita: idcircò eſſe dignum laude, idem eſt ac eam mereri; hinc eſt quòd Apoſtolus ad Coloſſ. 1. verſ. 12. ait: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*, ſeu qui voluit opera bona mereri beatitudinem: Ideo qui non peccant, & bona opera faciunt, merentur apud Deum vitam æternam, ſeu coronam gloriæ quæ cùm repromiſſa ſit his, qui diligunt eum, teſte D. Jacobo cap. 1. verſ. 12. neceſſè eſt quòd diligere Deum ſit meritorium vitæ æternæ. Et quòd vita æterna ſit præmium, merces, & corona; cùm meritum & præmium correlativè ſe habeant.

Luc. 7.

D. Jacob. 1

Tandem eamdem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam tuetur ratio contra hæreticos. Nam dum homo juſtus elicit bona opera, & agit ſecundum ordinationem Dei ordinantis eum in ultimum finem, operatur liberè; cùm habeat liberum arbitrium. Nec gratia (quâ indiget ad rectè operandum, ut jam probatum manet contra Pelagianos) tollat illud, actio autem libera ſi mala ſit, ſanè vituperio digna eſt. Et ſi bona, laude, & gloria, quia juxta communem Theologorum ſententiam, opera quæ liberè & deliberatè fiunt, ſunt bona, vel mala moraliter, licet nonnulli admittant actus indifferentes in individuo. Unde cum juſtitię ſit reddere unicuique quod ſuum eſt. Et Deus ſit juſtus judex, reddit operibus bonis quod ſuum eſt, ſeu laudem, gloriam, & coronam illis debitam, quam Apoſt. 2. ad Timot. cap. 4. vocat coronam juſtitiæ, ut oſtendat quod Deus dat illam ob meritum de condigno. Et ad Rom. cap. 4. ait: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Si enim merces detur ut debitum, & vita æterna ſit merces, datur merenti propter merita, laborem, & obſervantiam mandatorum Dei, quæ adultos conducit ad vitam æternam, ut declarat Chriſtus Matth. cap. 19. verſ. 17. tamquam ad præmium, & retributionem, nam ſervanti præcepta Domini promittitur retributio Pſal. 18. verſ. 12. *Etenim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa*, ideoque homo per illa bona opera, meretur illam retributionem, quæ nihil aliud eſt, quàm vita æterna: ſcriptum eſt enim, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*.

Opus boni eſt præmio dignum.

Deinde beatitudo eſt illud bonum, quo majus habere non poſſumus, nedum ſecundum ſubſtantiam & valorem, ſed etiam ſecundum modum. Hoc eſt, quod valeamus nobiliori modo habere; cùm omne aliud bonum omni ea parte dignitate excellat, ideoque juſti Adulti, ſeu illi, qui per peccatum amiſerunt gratiam in Baptiſmo receptam, & per pœnitentiam juſtificati fuerunt, habebunt gloriam per meritum, quia ut monet D. Thomas 3. part. quæſt. 19. art. 3. nobilius habetur id, quod habetur per meritum, quàm id, quod habetur ſine merito, quia ille, qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per ſe ipſum. Unde cùm glorioſius ſit homini cœleſtem hæreditatem ex propriis operibus in gratia factis, quàm ex ſola Dei gratia & liberalitate, ſeu ſecluſo quocumque merito, conſequi, concludendum eſt quòd juſti habebunt illam propter merita. Nec debent de hoc mirari hæretici, quia mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis.

D. Thomas

§. III.

Rejicit Hæreticorum Argumenta.

HÆretici reſpondent, gloriam, aut nobilitatem juſtorum non ipſis, ſed Chriſto eſſe tribuendam. Nam ſi regnum Dei daretur nobis propter merita propria, ſanè hoc nobis glorioſius eſſet, ſed eſſet injurioſum Chriſto, quia indè liceret inferre, merita Chriſti eſſe inſufficientia ad noſtram ſalutem, cum nullus poſſet eam conſequi ſine propriis meritis, id eſt, ſolis meritis Chriſti, ſed dicere quòd meritum Chriſti eſt inſufficiens, eſt loqui adversùs Deum iniquitatem, & blaſphemare: igitur dicendum eſt quòd juſti non propriis meritis, ſed ſolis meritis Chriſti ſalvantur, ſecluſis operibus humanis.

Reſpondetur, merita juſtorum non minuere ſufficientiam meritorum Chriſti, nec eſſe illi injurioſa, imo eam magis extollunt, & amplificant; cùm maxima gloria ſit, Chriſtum non ſolum potuiſſe pro nobis mereri, ſed etiam ſuis meritis nobis vim ad merendum obtinuiſſe. Chriſtus nedum meruit, ſed eſt etiam author meriti, à quo juſtus habet vim merendi. Nam ſicut virtus, quam creaturæ habent ad agendum; non minuit omnipotentiam à qua eam receperunt, neque hæc virtus agendi eſt divina, quamvis a Deo indita ſit, & ab ipſo dependeat, ità vis juſtorum ad elicienda opera meritoria, aut eorum cum gratia cooperatio non minuit excellentiam meritorum Chriſti, ſed potiùs eam extollit quia juſti habent illam ex Chriſto, & à Chriſti meritis dependenter. Nam licet vocatio ad gratiam ſit ita gratuita, ut nullum opus bonum ſupponat in homine, nullumque meritum; tamen collatio gloriæ non eſt ita gratuita; habet quidem retributionis nomen, Pſal. 17. verſ. 20. & 21. ubi Propheta dixit: *Salvum me fecit quia voluit me, retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*. Hic Propheta docet, aliquid eſſe tribuendum juſto, hocque ſecundum juſtitiam, & puritatem manuum ſuarum, ſeu bonorum operum quæ fecit.

Solutio primæ rationis hæreticorū.

Pſal. 17.

Dicent, quòd licet opera noſtra ſint meritoria ex vi meritorum Chriſti, tamen non poſſumus ex hoc inferre, ea eſſe meritoria præmij infiniti, aut vitæ æternæ, non ſolùm propter inæqualitatem, quæ eſt inter opera hominum, & illud donum Dei, ſeu vitam æternam; ſed etiam quia Chriſtus nobis eam meruit; alioquin Deus deberet nobis illam duplici titulo, aut mors Chriſti non fuiſſet ſufficiens. Quòd eſt falſum.

Nulla, & falſa eſt hæc illatio, quia opera bona ſunt meritoria vitæ æternæ per ſolam divinam clementiam, quâ Deus voluit obtemperantibus ſibi, promittere vitam æternam ratione mortis Chriſti, quæ eſt cauſa meritoria hujus promiſſionis, totiuſque meriti. Nec indè ſequitur, Deum debere beatitudinem duplici titulo, quia opera noſtra bona habent meritum & valorem à meritis Chriſti, nec ſequitur meritum Chriſti eſſe inſufficiens; etiamſi neceſſe ſit, nos habere opera meritoria pro obtinenda gloria. Ratio eſt, quia ſi requiruntur opera noſtra, hoc eſt, quia Chriſtus noluit omnem ſui meriti ſufficientiam adultis applicare, ſine aliquo

Beatitudo non debetur juſtis dupli ci titulo.

bono illorum opere, quamvis hoc facere potuiſſet, ſi voluiſſet, ſicut fecit infantibus poſt Baptiſmum decedentibus: ait enim nobis, *Venite ad me*, quòd aliquam operationem denotat ex parte hominum.

Hanc ipſam reſponſionem impugnant hæretici authoritate Sacræ Scripturæ Iſai. cap. 64. verſ. 6. *Et facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruata univerſa juſtitia noſtra: & cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.* Hæc ſiquidem verba ſuadent, opera noſtra divinam indignationem provocare, acproindé potius eſſe peccata, & digna ſupplicio, quàm vitæ æternæ meritoria.

explicatur textus Iſaiæ

Reſpondeo cum D. Hieronymo, Prophetam non loqui de univerſo genere humano, ità ut velit quòd quælibet actio humana ſit peccaminoſa, & immunda, ſed loqui de Judæorum Sacrificiis, & oblationibus, quæ ſæpè in Scripturis dicuntur, juſtitia. Quæ quidem oblationes, adveniente Chriſto reputatæ ſunt immundæ, ut colligitur ex verbis præcedentibus quæ ſunt de adventu Meſſiæ. *Utinam* (inquit idem Propheta in 1. verſu) *dirumperes cælos, & deſcenderes: à facie tua montes defluerent.*

Addunt Hæretici quòd vita æterna datur tantum tamquam hæreditas, quæ debetur juſtis ratione filiationis adoptivæ, ſeu gratiæ, quâ in ſcriptura dicuntur Dij, & ideo nullum eſt ad illam in homine juſto meritum.

vita æterna habet rationem hæreditatis & mercedis.

Reſpondeo non implicare quòd vita æterna habeat rationem hæreditatis propter formam adoptionis, ſeu gratiam ſanctificantem, quâ nominamur, & ſumus filij Dei. Et rationem mercedis, & præmij propter labores meritorios; cùm Scriptura, SS. Patres, & Concilia tribuant vitæ æternæ nomen præmij, mercedis, & coronæ, ſicut nomen hæreditatis, non enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Et filius obſervando mandata patris poſſit hæreditatem ejus mereri, & præcipué ſi hæc ſit voluntas Patris: ergo Deus poteſt dare vitam æternam tanquam præmium bené operantibus, & de facto dat illam ut mercedem adultis, ſicut illis, qui mala fecerunt, dat pœnas inferni tanquam ſupplicium, teſte D. Athanaſio dicente in Symbolo: *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum.* In utroque caſu exercet actum juſtitiæ, quia reddit unicuique ſecundum opera ſua. Undé Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 2. ait: *Bonum factum Deum habet debitorem, ſicut & malum, quia Judex omnis remunerator eſt cauſæ.* Ex quo ſequitur quòd bonũ opus meretur apud Deum, eſtque gloria dignũ (ſuppoſita promiſſione divina; alias non poſſet facere eum debitorem, quia ſolius debitoris eſt dare quod debetur) ſicut opus malum meretur pœnam æternam. Quare D. Auguſtinus Epiſt. 105. ait: *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium, vita æterna.*

D. Athanaſius.

Tertul.

D. Auguſt.

Dicent hæretici, quòd homo quantumvis juſtus eſt inutilis Deo, juxtà illud Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite quia ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*, ex quo conſtat, nos ideo ſervos inutiles dici, quia ex mandatorum Dei executione, nullo præmio ſumus digni, nullumque opus bonum præſtamus Deo. Hinc eſt quòd Sancti Patres communiter dicunt, Deum non noſtra, ſed ſua coronare merita, dum dat gloriam juſtis.

bona opera non ſunt inutilia.

Reſpondeo Evangeliſtam non excludere utilitatem operum noſtrorum quoad nos; itàut velit demonſtrare, actiones noſtras eſſe omninò nobis ſuperfluas, & inutiles ſeu infructuoſas, nam ex Apoſtolo ad Timoth. cap. 4. verſ. 8. *Pietas ad omnia utilis eſt promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Deinde bona opera non eſſe hominibus inutilia patet ex Evangelio Matth. 25. ubi refertur, Chriſtum eſſe vocaturum Electos ad poſſidendum regnum paratum à conſtitutione mundi propter opera miſericordiæ: his verbis: *Venite benedicti Patris mei poſſidete regnum: eſurivi & dediſtis mihi manducare, ſitivi & dediſtis mihi bibere*: ergo Evangeliſta non excludit utilitatem operum noſtrorum quoad nos. Nec vult quòd inanis ſit labor noſter: ſed ſolùm quoad Deum, quoniam Deus bonorum noſtrorum non eget. In hoc relucet bonitas Dei; qui licet non indigeat operibus noſtris, ſimus illi ſervi inutiles, & ex juſtitia teneamur ejus præcepta ſervare, tamen acceptat opera noſtra. & promittit vitam æternam, ut notat S. Auguſtinus in Pſal. 109. dicens: *Deus fecit ſe debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo.* Et D. Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. *Promiſſum quidem ex miſericordia, ſed tamen ex juſtitia perſolvendum*: ergo licet ſimus ſervi inutiles, hoc eſt, licet Deus non indigeat operibus noſtris, & teneamur mandata ejus obſervare; tamen cum promiſerit ſe daturum vitam æternam dignè Sacramenta ſuſcipientibus, & obſervantibus divina mandata, nemini dubium eſſe debet quòd homo illa obſervans, Deum ſibi debitorem habeat, non ratione operum præciſè, ſed ratione promiſſionis divinæ, ut tenent communiter SS. Patres.

Matth. 25.

D. Auguſt.

D. Bern.

altera ſolutio ex D. Chryſoſtom.

Vel reſpondeo cum D. Chryſoſtomo, Evangeliſtam nimirum S. Lucam his verbis, *cum* [illegible] loqui, & nos admunere, nè ſuperbia operum noſtrorum corrumpat virtutem, nam non dicit abſoluté nos ſervos inutiles eſſe; ſed ait quòd debemus dicere, *Servi inutiles ſumus*, id eſt, non debemos extollere, nec elevare nos propter bona opera, nec credere quòd ita ſint nobis propria, ut gloria non ſit danda Deo, cum Deus det nobis gratiam, quâ ſunt condigna vitæ æternæ, & dignetur ipſe Deus ea acceptare, & ex miſericordia ſua coronare: non enim nobis, ſed nomini Domini danda eſt gloria.

ultima hæreticorum objectio.

Tandem objiciunt ex authoritate Sanctorum Patrum, qui excludunt humana merita. Et dicunt opera noſtra bona, non eſſe merita noſtra, ſed dona Dei. Et vitam æternam non eſſe præmium intuitu laboris dandum, ſed gratiam, ut inquit Apoſt ad Rom. cap. 6. ver. 23. *Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.* Et ad Titum cap. 3. verſ. 5. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit*: Ergo (inquiunt) ſi opera noſtra ſint dona Dei, & ſimus Sancti ex miſericordia, ſequitur neceſſariù opera noſtra non eſſe meritoria apud Deum, ſed pro nihilo eſſe reputanda in ordine ad ſalutem æternam. Sequitur inſuper hujuſmodi opera humana nullo modo concurrere ad noſtram ſalutem: *Non ex operibus* (inquit Apoſtolus) *ſed ex miſericordia ſalvos nos facit.* Et gloriam non eſſe præmium, ſed gratiam, quæ non ex juſtitia, ſed gratis datur, nullo præſuppoſito in homine merito.

S. Patres nõ excludunt opera bona.

Reſpondeo, Sanctos Patres excludere dumtaxat humana merita ſolis naturæ viribus elicita, hoc eſt, quæ non procedunt à gratia ſanctificante: opera enim noſtra quantumvis honeſta, ſi fiant extrà ſtatum gratiæ, non ſunt meritoria apud Deum vitæ æternæ. Quoniam præcipua conditio ad opus meritorium requiſita, eſt gratia; quæ cùm ſit donum Dei ex miſericordia nobis conceſſum: Sancti Patres, hanc ipſam primam meriti originem. utpotè gratiam conſiderantes, dicunt merita noſtra eſſe dona Dei. Et Apoſtolus dicit, gloriam eſſe gratiam, quia ſi opera juſtorum ſint merita, hoc non ex

proprio labore, nec ex ſola bona voluntate, ſed ex gratia Dei habuerunt. Quare D. Chryſoſtomus inquit: *Tanta enim eſt erga omnes bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

Idem ſanciunt alij Sancti Patres, præſertim D. Auguſtinus, D. Gregorius, & D. Bernardus dicentes, Deum voluiſſe dona ſua, eſſe merita noſtra, non quod opera noſtra bona, à ſola gratia procedant; cùm ſint à libero arbitrio gratia Dei adjuto, teſte Apoſtolo dicente; *Gratia Dei mecum*, ſed quia à gratia habituali obtinent rationem meriti apud Deum, ut inquit Sanctus Proſper in reſponſione ad cap. 6. Gallorum. *Juſtificatus homo accepit donum. Quo medio acquirat, & meritum.* Idem ſtatuit Concilium Arauſicanum II. can. XVIII. *Debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Et hæc eſt ratio ob quam merita no-
S. Proſper. ſtra dicuntur à Sanctis Patribus, dona Dei.

Inſtabunt hæretici, & dicent, hominem poſſe indè in bonis operibus ſuis confidere, & ex illis ſperare vitam æternam. Quia quilibet homo poteſt ſperare præmium ex merito ſuo, hoc nulli tamen hominum licet reſpectu vitæ æternæ, juxtà illud Pſal. 43 *Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me.* Et Proverb. cap. 8. *Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt.* Nullum itaque opus humanum eſt meritorium vitæ æternæ.

Reſpondeo admittendo inſtantiam, modò homo non ponat totam ſuam ſpem in ſuis operibus, ſed principaliter in merito Chriſti, & miſericordia Dei. Propheta quidem dicebat: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Textus autem relati
Licitum eſt habere fiduciam in operibus bonis. non nocent. Quia loquuntur de confidentia in ſolis naturæ viribus fundata, de qua nos minimè loquimur; cùm ſermo noſter ſit de confidentia fundata in operibus in gratia elicitis, interveniente divina providentia aut promiſſione. Nonné Apoſtoli, relictis retibus, dixerunt Chriſto: *Ecce nos relinquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis, fecimus quod juſſiſti, da quod promiſiſti.* Poſſumus igitur in bonis operibus fiduciam habere, & ſperare in Domino, qui divinorum mandatorum obſervantiam acceptat, & ea obſervantibus vitam æternam promittit.

ARTICULUS X.

Quô declaratur Adverſus Huſſitas, Gratiam ſanctificantem non eſſe neceſſariam ad eliciendum aliquod bonum morale.

PRæſens Articulus ſub alio Titulo impugnari ſolet ab Hæreticis. Dicunt enim omnia In-
Lutherus. fidelium opera eſſe peccata, quia carent gratiâ baptiſmali, & fide. Sed quia diverſa via ad hanc impugnationem inſurgunt, hîc dividendi ſunt ut
Calvinus. uniuſcujuſque mens appareat, & impugnetur. Lutherus aſſerit quòd arbitrium hominis gratiâ Dei deſtitutum, quanto magis nititur, tanto gravius
Melancthon peccat, ſubindeque docet, omnia peccatorum opera, eſſe peccata mortalia. Nedùm de peccatoribus, & infidelibus ità judicavit impiiſſimus ille Hære-
Petrus Mar ſiarcha, ſed etiam de Juſtis, aut de exiſtentibus in gratia ſanctificante. Dixit enim opera hominis juſti, quamvis coinquinata ſint, & peccata cenſeantur, ipſi tamen non nocere, nec ad damnationem imputari, ſi firmiter credat, ea ſibi à Deo relaxari, & ad pœnam non deputari.

Lutherum in hoc errore ſecuti ſunt Joannes Calvinus, Philippus Melancthon, Petrus Martyr, & alij hæretici. Sed quia hi duo Hæreſiarchæ Lutherus ſcilicet & Calvinus, non ſunt hæreſis authores, non debent hic expreſſe impugnari.

Joannes Hus genere Bohemus, à quo nomen acceperunt Huſſitæ, docuit anno MCCCLXIX. ſub *Huſſita.*
Uvenceſlao Imperatore, & Gregorio XI. Papa, gratiam ſanctificantem adeò neceſſariam eſſe ad bonum aliquod exercendum, ut ea abſente, omnia hominis opera ſint peccata mortalia. Aut ut clarius loquar, docuit quòd quodcumque opus peccatoris eſt peccatum mortale. Dividebat enim omnia humana opera immediatè in virtuoſa, & vitioſa, virtuoſa ſi ſint ab homine juſto. Vitioſa verù ſi ſint à peccatore, ut conſtat ex decreto anathematis contra illum in Concilio Conſtantienſi edito.

His ſubſcripſit Michaël Baïus Doctor Lovanienſis, qui poſtea damnatus fuit à Pio V. & Gregorio XIII. propter plures propoſitiones, quarum
XXV. eſt hæc: *Omnia infidelium opera ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Hæreticum eſt *Michael Baius.*
igitur omnia peccatoris & infidelium opera, credere vitioſa, & peccaminoſa, ſic enim decrevit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 7. *Si quis dixerit omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei* *Decretum.*
mereri, aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema ſit.

§. I

Statuitur veritas Articuli.

VEritas Articuli confirmatur variis Sacræ Scripturæ exemplis. Nam Exod. cap. 1. plurimum laudantur Obſtetrices Ægyptiorum in quòd pepercerint maſculis Hebræorùm contrà edictum Pharaonis. Daniel ſuadebat Regi Nabuchodonoſori, ut peccata ſua Eleemuſynis redimeret: ſed Scriptura Sacra neminem laudat de peccato, nec decla- *Exod. 1.*
rat per opera prava, & peccaminoſa, peccata poſſe redimi; cùm oculi Domini (cujus eſt delere peccata) ſint ità mundi, ut ad iniquitatem reſpicere non poſſint: ergo illi, qui in peccato exiſtunt, & carent fide ut v. g. Nabuchodonoſor Rex, poſſunt elicere opera moraliter bona, & honeſta. Et poſſunt agere quin peccent mortaliter, ſubindeque falſum eſt, imò & hæreticum, dicere, omnia peccatorum, & infidelium opera, eſſe peccata.

Hoc etiam ſpecialiter convincitur ex illo Apocalyp. 2. verſ. 21. *Dedit illi*, ſcilicet mulieri Jezabel, *tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatiône ſua: ecce mittam eam in lectum, & qui mœ-* *Apocal. 2.*
chantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint. Nam ſi homo gratia ſanctificante deſtitutus, non poſſet aliud facere, quàm peccatum, Deus non dediſſet huic peccatrici tempus ut pœnitentiam ageret, quia juxtà hæreticorum mentem, Deus dediſſet tempus ad malum perpatrandum. Quòd repugnat Deo: igitur peccator poteſt elicere opus moraliter bonum; cùm pœnitere ſit bonum, & pœnitentia ſit virtus omnibus peccatoribus deſideranda, ut conſtat ex variis textibus Scripturæ, & ex communi omnium Sanctorum Patrum oraculo.

Præterea frequentiſſimæ ſunt in Sacris Scripturis tam in veteri, quàm in novo Teſtamento monitiones, quibus peccatores hortatur Deus ad pœnitentiam præteritorum, & ad vitam meliorem.

unuſquiſque enim audit Deum omnibus peccatoribus dicentem Ezech. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*; audit etiam Salvatorem dicentem Matth. 3. *Agite pœnitentiam, appropinquabit Regnum Cœlorum*. Undè cùm hujuſmodi monitiones non ſint illuſoriæ, nec fruſtraneæ, & peccatores poſſint, Deo inſpirante, & adjuvante, audire vocem Domini, & parare vias ejus, dicendum eſt quòd peccatores poſſunt elicere opera, quæ ſi non ſint meritoria de condigno apud Deum, nec acceptentur à Deo, quia non probat dona iniquorum, ſunt tamen moraliter bona, & honeſta; cùm Deus à peccatoribus deſideret, & nullo modo deſideret peccatum, imò puniat illud; & velit unumquemque à peccato fugere ſicut à facie colubri. Idcircò concludendum eſt contrà hæreticos, opera peccatorum, & infidelium non eſſe peccata, neque mala, eo præciſè, quia à viro peccatore, aut infideli ſunt. Falſa quidem eſt diviſio humanarum operum in virtuoſa & vitioſa, ità ut quodlibet opus ſit apud Deum, æterno ſupplicio, vel præmio dignum, ut contra Huſſitas definitum fuit in Concilio Conſtantienſi, teſte Eminentiſſimo Cardinali noſtro Laurea in Epitom. verb. *Opera*. Nam dum peccator, aut infidelis facit opus quod ſi à viro juſto fieret, eſſet præmio dignum, reverà non meretur tale præmium, ſed tamen nec ſupplicium mereretur.

Deus hortatur peccatores ad pœnitentiam.

Concilium Conſtantienſe.

Eamdem veritatem ſuadet ratio. Nam peccator, & infidelis poteſt defendere innocentem per teſtimonium verum, cùm poſſit ad judicium vocari, veritatem aperire, dare panem eſurienti, amicum ſalutare, patrem honorare, afflictos conſolari, proximum ſuum eripere è præcipitio, debita ſolvere creditoribus, viſitare infirmos, Regibus obedientiam præſtare, ſervare edicta Principis, & tandem reddere unicuique quod ſuum eſt, quæ quidem opera ſunt bona moraliter; & conformia dictamini rationis. Nam inquit D. Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia Chriſti cap. 26. *Hominibus illis quorum mentio eſt ab Apoſtolo*, id eſt illis, qui fidem non habent, *aliqua quidem bona opera quæ ad ſocietatis humanæ pertinent æquitatem, ineſſe poſſe, ſed quia non charitate Dei fiunt, prodeſſe non poſſe*; idcirco id omne quod fit à peccatore, vel ab homine infideli, non eſt peccatum: quamvis non ſit meritorium. Eleemoſyna v. g. facta a viro juſto dignificatur, ſed non mutatur intrinſecè, ità ut ſit eleemoſyna, quia eſt à juſto.

D. Fulgent.

Deindè actus oppoſiti, videlicet nocere innocenti, eſurienti denegare panem, parentes aſpernari, bonum alienum retinere, &c. ſunt moraliter mali. Certum quidem eſt quòd ille, qui non dat eleemoſynam pauperi indigenti, potiùs peccat, quàm ille, qui dat eam. Certum eſt inſuper quòd ambo ſcilicet ille, qui dat eleemoſynam, & ille, qui non dat eam, non peccant; quia id, quod opponitur malo, bonum eſt, ex quo ſequitur quòd ſi denegare eleemoſinam pauperi ſit malum, dare illam debet eſſe bonum: ideoque omnia peccatorum, & infidelium opera non poſſunt ſana mente dici peccata, niſi reddantur mala ex aliqua circunſtantia, ut de facto mala eſſent, ſi fierent propter vanam gloriam, aut ex hypocriſi, ut de facto non fieri, ſupponimus; cùm peccator & infidelis poſſint hæc omnia facere abſque ulla vana gloria, nullaque hypocriſi, ſed ſincerè & purè juxtà regulam rationis, quæ hæc omnibus facienda eſſe dictat. Imo præcipiuntur hominibus etiam injuſtis, & peccatoribus, quæ tamen non præciperentur, niſi poſſent exequi abſque peccato, & niſi eſſent ex omni parte honeſta.

peccator poteſt elicere opera non diſplicentia Deo.

Quare D. Auguſtinus de ſpiritu, & littera cap. 2. ait: *Sicut non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad ſalutem æternam, nihil proſunt aliqua bona opera ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur*; ideoque ſunt aliqua, quæ ad ſalutem non proſunt, nec nocent, quæ certe non ſunt peccata, quia nocerent. Nec ſunt meritoria apud Deum, quia prodeſſent, & ideo ſunt moraliter bona, & honeſta. Idque ſuadetur ex illo Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonnè & Publicani hoc faciunt? ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis, nonnè & Ethnici faciunt?* Hæc quidem verba ſupponunt bonum aliquod morale fieri poſſe ab Ethnicis, & infidelibus, quia ſupponunt quòd quemadmodum fidelis non peccat diligendò eos qui diligunt illum, nec peccat in hoc infidelis.

D. Auguſt.

Matth. 5.

§ II.

Reſpondet ad Argumenta Hæreticorum.

ADverſarij Articulum noſtrum impugnant ex Sacra Scriptura Pſal. 13. *Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt*, indè enim concludunt, opera peccatorum eſſe peccata, quoniam inutile, & peccatum pro uno, & eodem uſurpant. Sed hoc eſt manifeſte falſum. Quia ibi Propheta ſumit inutile pro non meritorio gloriæ, & ideò non vult, actiones peccatorum eſſe malas; ſed ſolùm infructuoſas, aut ſteriles quoad fructus ſupernaturales; & meritorios vitæ æternæ, ut patet ex ſupra dictis, quibus conſtat, plura infidelium opera eſſe honeſta, & moraliter bona, ſcilicet rationi, & honeſtati conformia.

Solvitur prima hæreticorum ratio.

Huic authoritati addunt aliam, quæ eſt Matth. 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*. Hoc eſt, peccator nequit bona elicere, quia arbor mala, peccatorem deſignat. Sed minus valet hæc authoritas contra nos, quia non debet intelligi in genere moris; cùm de facto peccator non mereatur apud Deum, ut evidenter oſtendunt verba D. Auguſtini ſupra relata, quibus ille S. Doctor admittit in homine peſſimo actiones, quæ certò non proſunt ad ſalutem, quæ tamen ſunt moraliter bonæ: plura enim faciunt peccatores & infideles; quin peccent contrà honeſtatem, aut rationem. Quia illi, qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honeſtatem morum pertinent, naturali quadam lege ſervant inquit S. Fulgentius.

rejicitur altera ratio.

Idque facilè colligitur ex illo ad Rom. cap. 2. verſ. 14. & ſequentibus, *cum enim gentes, quæ legem*, poſitivam ſcilicet Moſaycam, aut Evangelicam *non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis ipſorum conſcientia, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* His quidem verbis Apoſtolus ſuadet, infideles facere plura eorum operum, quæ lex ſcripta, aut Evangelica præcipit. Reverà non quatenus ſunt a lege poſitiva, ſed ſolù quatenus præcipiuntur à lege naturali omnibus hominibus communi, ut affirmat D. Hieronymus in cap. 29. Ezech. dicens: *Perſpicuum eſt condemnari nos comparatione gentilium, ſi illi lege faciunt naturali, quæ etiam nos ſcripta negligimus, de quo pleniſſimè ad Romanos Paulus Apoſtolus diſputat*: atqui ea, quæ lex præcipit non ſunt peccata, ut jam ſupra monui; alioquin lex non eſſet juſta, nec rationalis: ergo omnia infidelium, & peccatorum opera non ſunt peccata: interdum enim peccatores quædam bona eliciunt opera, quæ ſecundum juſtitiæ regulam

Rom. 2.

D. Hierony.

vituperari non poſſunt, imò quæ meritò laudantur ab omnibus fidelibus, ut ex dictis liquidò patet.

Rationem noſtram impugnant hæretici ex illo Chriſti Domini Joan. cap. 15. verſ. 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Et alibi: *Sine me nihil poteſtis facere.* Inde enim concludunt, hominem non poſſe actum bonum elicere, niſi ſit cum Deo per gratiam, & fidem, & Deus in illo.

explicatur authoritas qua impugnatur veritas articuli.

Non valet hæc interpretatio, quia ibi Evangeliſta loquitur de opere bono, & apud Deum meritorio, quod ad ſalutem pertinet; non verò de bono, quod pertinet ad honeſtatem, aut bonitatem moralem dumtaxat. Mores enim à gratia ſanctificante minimè dependent; quippè cum hæc ſit in ordine ſupernaturali, ad eumdem ordinem dumtaxat dirigit. Humana ratio laudat actiones humanas dum ſibi eas conformes invenit. Hæc autem conformitas nullatenùs eſt à gratia ſanctificante. Peccator, aut infidelis poteſt perfectè diſcurrere de rebus naturalibus, & vivere ſecundum regulas juſtitiæ humanæ. Poteſt etiam aliquid velle & perficere, quod ſit bonum morale, & naturale, juvante Deo authore, & moderatore naturæ.

Inſurgunt hæretici ex illo Joan. 8. verſ. 36. *Si ergo vos filius liberavit, verè liberi eritis.* Ex illo quidem textu inferunt, liberum arbitrium ad opus bonum prorſùs neceſſarium, non eſſe in homine deſtituto fide & gratiâ, quoniam ipſum non creditur à Chriſto liberatum. Idem oſtendunt ex Concilio Arauſicano II. can. XIII. ubi legitur: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi*: Igitur infideles carent libero arbitrio, quia carent baptiſmo, ac proinde ſunt impotentes ad bona opera elicienda; cùm non valeant elici niſi à libero arbitrio in quo ſiſtit regula morum.

Reſpondetur, ſuppoſitum eſſe falſum, nempè hominem fide & gratiâ deſtitutum non habere liberum arbitrium, ut in proprio loco demonſtravimus. Reverà liberum arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ nullum poteſt opus bonum ordinis ſupernaturalis elicere, quia totius ſupernaturalitatis fons in nobis, eſt gratia, non verò ordinis naturalis, moralis, & ad ſocietatis humanæ boneſtatem pertinentis. In iſto quidem ordine, liberum arbitrium (quod in hominibus penitus non fuit extinctum per peccatum Adæ, ut declarat Tridentinum) poteſt producere opera, quæ licet non ſint meritoria, erunt tamen bona moraliter, & non peccaminoſa. Bonitas moralis ut jam dixi, non provenit ex gratia ſanctificante, nec ex fide, ſed ex objecto quod dum conforme eſt rationi, opus eſt bonum quia rationi conſonum. Et dum eſt deforme, opus eſt moraliter malum, quia rationi diſſonum. Nec virtus liberi arbitrij ad ſectandum bonum naturale, neceſſario exigit eſſe in gratia, ipſi enim ſufficit auxilium primæ cauſæ, ut velit, aut nolit quod eſt naturale. Poteſt igitur ſine gratia, & ſine fide manum porrigere ad bonum naturale; quin peccet, ſic naturaliter operando, ſcilicet juxtà regulas rectæ rationis, ut monet Apoſtolus ſupra ad Rom. 2. verſ. 14.

homo gratia & fide deſtitutus non caret libero arbitrio, ut volunt hæretici.

Alios textus adducunt hæretici, ut ſuadeant, infideles peccare in omnibus operibus ſuis. Primus eſt Proverb. cap. 5. *Victima impiorum Deo abominabilis.* Hoc eſt (inquiunt) preces, jejunia, oblationes, ſimileſque actus, qui boni videntur, & apud gentiles, atque Judæos Sacrificij nomen præſeferunt, ſunt peccata; cùm omne odibile Deo, ſit malum coram ipſo. Idque probant ex illo Iſai. cap. 1. verſ. 13. *Ne offeratis ultrà ſacrificium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & Feſtivitates alias non feram; iniqui ſunt cœtus veſtri*: Igitur Deus, qui nequit ad malum reſpicere, incenſum infidelium, hoc eſt, adorationem, ac Sacrificia infidelium, & peccatorum rejicit, quia mala ſunt; Ideoque dicendum eſt quòd omnia opera impiorum ſunt peccata apud Deum; cùm idem Deus eorumdem Sacrificia impiorum, victimas, & oblationes rejiciat tamquam res malas in profundum maris projiciendas.

Proverb. 5.

Iſai. 1.

Reſpondetur, prædictos textus non eſſe intelligendos de omnibus impiorum operibus indiſcriminatim, ſed ſolum de illis, quæ Deo offerebant, ut ab ipſo obtinerent beneficia ſupernaturalia, quæ cùm dari non debeant, niſi ab illis, qui per gratiam ſanctificantem Deo grati ſunt, non poſſunt apud Deum eſſe meritoria alicujus beneficij ſupernaturalis, ideoque rejiciuntur, & à bonitate, aliena dicuntur, non à bonitate morali, nec ab honeſtate, ſed à merito dumtaxat. Hujus reſponſionis veritas ſuadetur ratione. Nam ſunt opera, quæ ut licita ſint, exigunt gratiam ſanctificantem in operante, qualia ſunt ſacrificia, ſacramentorum adminiſtratio, &c. Et ſunt alia, quæ non exigunt eam, ut ſint licita, & honeſta, qualia ſont opera miſericordiæ, jejunia, eleemoſynæ, &c. Priora ſi ab infidelibus offerantur Deo, rejiciuntur quoniam ſancta ſanctis. Poſteriora verò non rejiciuntur; licet non acceptentur. Nec mala ſunt coram Deo, ut declarat D. Auguſtinus lib. de patientia, cap. 26. dicens: *Si quis non habet charitatem, & in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, &c. nullo modo culpanda iſta ſunt, imo verò & hæc laudanda patientia eſt.* Ex his conſtat, omnes actus, qui à peccatoribus fiunt, non eſſe moraliter malos, nec culpabiles. Priora ſunt peccaminoſa, quia fiunt contra legem, quæ gratiam præmittit; poſteriora autem non ſunt peccaminoſa, cùm non ſint contra legem, ſed ſunt bona bonitate morali, quamvis non ſint bona bonitate ſupernaturali, & meritoria, ſeu ex his, quibus Deus promiſit vitam æternam.

explicatio aliquorum textuū quibus utuntur hæretici.

D. Auguſt.

Inſtant hæretici ex illo Apoſtoli ad Titum cap. 1. verſ. 15. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum & mens, & conſcientia.* Quô conſtat, infidelibus omnia eſſe coinquinata, & mala.

ſolvitur inſtantia.

Reſpondetur, Apoſtolum non loqui de omnibus & ſingulis operibus infidelium, ſed ſolum de illis, quæ diriguntur ad Deum, & fiunt ſecundum legem abrogatam; quæ cùm modò non vigeat à promulgatione Evangelij (quod eſt bonum, & lex illa, de qua Paulus ad Rom. cap. 7. verſ. 12 ait: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*) ſequitur quòd ea, quæ fiunt ſecundum illam legem abrogatam, & non ſecundum Evangelium, ſunt coinquinata, quia ſunt inquinatæ eorum, & mens, & conſcientia ob voluntariam Evangelij ignorantiam, & culpabilem ejuſdem legis Evangelicæ deſpectionem. Alia verò opera, quæ impij faciunt juxta rationem rectam, remota quacumque oppoſitione ad legem Dei, non ſunt mala, nec peccata, ut colligi poteſt ex definitione peccati.

Tandem, inquiunt, infideles nullam poſſunt habere rectam intentionem ex defectu fidei, quæ eſt mentis oculus intentionem dirigens, ut demonſtrat illud Matth. 6. verſ. 23. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Id eſt, opus tuum vitioſum erit. Idem teſtatur D. Auguſtinus in Pſal. 31. ubi ait: *Nemo enim com-*

puect opera ſua bona ante fidem, ubi enim fides non erat, bonum opus non erat; bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit! Igitur infideles nullum poſſunt elicere actum, qui ſit bonus, & rectus,

D. Auguſt. Idem confirmant authoritate ejuſdem D. Auguſtini lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 8. dicentis: *Quidquid ab homine fit, fit aut charitate, aut cupiditate*, ſed quidquid ab homine Infideli, Impio, vel peccatore fit, non poteſt fieri charitate, hæc quidem qualitas non eſt in infidelibus, nec in Impiis, nec in peccatoribus; ergo fit cupiditate, & ideo eſt vitioſum, atque malum, & peccatum, quoniam radix omnium malorum eſt cupiditas, teſte Apoſtolo, ad Corinth. cap. 6. verſ. 10.

Facilé impugnatne hæc ratio, & ejus falſitas oſtenditur, nam fides non dirigit intentionem in finem naturalem, & moralem, ſed ſolùm in finem ultimum, & ſupernaturalem, à quo actus humanus fit bonus ſupernaturali bonitate dumtaxat. *Fides non dirigit intentionem in finem naturalem* Sicut enim fides dirigit hominis intentionem reſpectu finis ultimi ſupernaturalis, ſic etiam rationis lumen dirigit intentionem reſpectu alicujus boni honeſti connaturalis homini; à quo facilé ità ſpecificatur actus humanus: ut ſit moraliter bonus, & honeſtus, ſi finis ſit bonus, & honeſtus: lumen enim rationis eſt oculus hominis in rebus naturalibus, & moralibus; ſicut fides in rebus ſupernaturalibus & divinis: Igitur actus humanus Impij, aut peccatoris poteſt eſſe moraliter bonùs; cùm bonum valeat habere finem, ut dum peccator dat panem pauperi, ut ejus miſeriæ ſubveniat, aut dum non furatur, aut non occidit motus hac naturali lege: *Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris*, quæ per ſolam rationem agnoſcitur. Unde D. Auguſtinus in Pſal. 31. loquebatur de intentionis directione reſpectu finis ſupernaturalis, non verò reſpectu finis naturalis, & puré humani, qui per oculum mentis videtur.

Explicatur verus. D. Auguſtini. Ad confirmationem dico D. Auguſtinum in lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 8. intelligendum eſſe de charitate naturali, & humana, quâ facimus aliquid propter virtutis honeſtatem, non verò de charitate infuſa per quam omnia facimus propter Deum, itaque cùm infidelis, & peccator habeant charitatem illam, ſeu naturalem, & cupiditatem, quidquid faciunt, fit charitate illa, aut cupiditate. Dum fit per iſtam, reverà eſt vitioſum, ſed dum fit per illam, eſt bonum moraliter; licet non ſit meritorium, ut ſi fieret per charitatem infuſam, qua ſimus Filij Dei, & opera noſtra bona ab ipſo acceptantur.

Dices. Quidquid fit, eſt malum, ſi non fiat propter Deum, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*, ſed infideles & peccatores non agunt in prædictis operibus propter gloriam Dei, ad quam per gratiam, & fidem tantùm dirigi poſſumus; ideoque quidquid faciunt Infideles, malum eſt, & peccatum.

Nego ſuppoſitum abſoluté, & ſimpliciter ſumptum, nec oppoſitum determinat Apoſtolus, quia per hæc verba, *Sive ergo manducatis &c.* non exprimit mandatum, ſed Conſilium. *Non tenemur ex præcepte facere propter Deum, omnia quæ facimus.* Bonum quidem eſt agere ſemper propter gloriam Dei expreſſé, formaliter, & proximé, ſed ad hoc non tenemur ſub mortali. Ut opus noſtrũ non ſit malum, nec peccatum, ſufficit quòd remoté, & ſimpliciter tendat ad Deum, hoc autem fit quando opus eſt honeſtum, & conforme regulis rectæ rationi & judiciô practico, quamvis ſit ab impio, Deus enim, author naturæ glorificatur aliquo modo cùm vivimus conformiter legi naturæ, & rationis: quemadmodùm cœli, qui firmati ſunt, ſtantque perfecti, prout creari fuerunt, Deum glorificant enarrando gloriam ejus.

Apoſtolus ad Rom. cap. 1. verſ. 20. & 21. diſſolvit omnia argumenta hæreticorum, & firmat veritatem articuli, ibi enim declarat, nullum hominem eſſe excuſabilem, ſi Deum non glorificet, quia ſolâ naturâ duce, aut radiante rationis lumine, quilibet homo poteſt cognoſcere Deum ut Authorem univerſi, eumque glorificare, ut in proprio loco dictum eſt contra Atheos. Hoc ſuppoſito. Quæro an Infidelis, Deum glorificans authorem naturæ, peccet, aut eliciat opus bonum? Primum non poteſt dici, aliàs Apoſtolus non aſſereret inexcuſabiles eſſe eos, qui non glorificaverunt Deum cùm eſſent culpabiles. Ergo eliciunt opus bonum morale, & honeſtum. Tum quia præcipitur à natura, quæ naturaliter improbat omnem actum rationi diſſonum. Tum quia conſcientiæ dictamen eſt obſervandum. *Infidelis qui authorem naturæ glorificat non peccat.* Conſcientia enim eſt rerum ſingularium, hîc & nunc agendarum, hoc eſt, prima regula actuum humanorum, hinc eſt quòd dum quis operatur contra illam, peccat, etiamſi erronea ſit, ut docent communiter Canoniſtæ. At infidelis, qui authorem naturæ glorificat, operatur juxta conſcientiam illam liberé, & voluntarié. Ideoque non peccat mortaliter. Et poteſt operari quin peccet, quoniam habet conſcientiam ſecundum quam poteſt operari, ut docent communiter Theologi, cum Sanctis Patribus, & præcipué D. Chryſoſtomo, homil. in Geneſ. cap. 54. dicente; *Habemus ſufficientem Magiſtrum, conſcientiam noſtram, & fieri non poteſt ut quis illo adjumento privetur, nam ſimul cum formatione hominis inſita eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum:* *D. Chryſoſtomus.* Ergo dum quis ſive fidelis, ſive infidelis agit juxtà illam ſcientiam, non peccat. Habet etiam poteſtatem faciendi id, quod naturaliter indicat eſſe faciendum, licet fidem non habeat, cùm gentiles, natura duce, multa præcepta moralia cognoverint, & obſervarint abſque ulla in hac obſervatione culpa nova, quamvis eſſent in peccato.

Objicere poſſent hæretici duo Concilia, Milevitanum ſcilicet, & Arauſicanum, quæ declarant, ſcire quid faciendum eſt, aut ſcientiam faciendorum, & non faciendorum, eſſe donum Dei, & gratiæ, quod non habent infideles. Porrò hæc objectio non valet quia hæc duo Concilia loquuntur de actionibus ordinis ſupernaturalis, quæ intellectus, & voluntatis vires ſuperant, non verò de actionibus, & cognitionibus ordinis naturalis, de quibus eſt diſputatio contrà hæreticos: hæc quidem cognitio eſt donum authoris naturæ, & beneficium luminis rationis; cùm ex Tertulliano animæ rationalis dos, ſit notitia Dei.

ARTICULUS XI.

Docet contra Bugaurium de Monte Falcone, opus bonum in gratia factum ſpe mercedis æternæ, non eſſe malum.

QUamvis ex ſupra dictis evidenter conſtet, plures hæreticos docuiſſe contrà univerſam Eccleſiæ fidem, hominem quantumvis Juſtum, non poſſe mereri vitam æternam. Et ſufficienter jam probatum fuerit contra illos, opera juſtorum eſſe meritoria de condigno vitæ æternæ apud Deum, nihilominùs hîc eſt attenté examinandum: an ut opus in gratia factum, ſeu ab homine juſto elicitum, ſit meritorium, debeat fieri abſque ullo intuitu, & ſpe retributionis, ità ut ſi fiat ſpe mercedis æternæ, ſit opus malum & demeritorium.

Bugaurius, dictus de Monte Falcone docuit, nullum opus eſſe bonum, niſi fiat ex puro, & ſincero amore Dei, quacumque ex cauſa fiat, etiam ſpe mercedis æternæ, ſeu animo videndi Deum intuitive in gloria. Hic hæreticus improbabat eos, qui opera miſericordiæ, & charitatis exercebant præciſé pro vita æterna conſequenda. Volebat enim, nulli quantumvis juſto licere citrà peccatum in bonis actibus ſuis reſpicere Deum tanquam remuneratorem. Laudabat dumtaxàt opera bona, quæ fiunt propter Deum ſummè bonum, & amandum. Sed quia in hoc plurimùm à

fide aberravit,ſtatim damnatus fuit per Sancium Archiepiſcopum Tarraconenſem, qui pro hac bæreſi damnanda, nonnullos Cathaloniæ convocavit Epiſcopos. Tempus hujus condemnationis non refertur ab Authoribus, quos præ manibus babeo,ut jam monui in articulo IX.

§. I.

De probationibus Hujus Articuli.

BUgaurij de monte Falcone error damnatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Can. 31. ubi habetur. *Si quis dixerit, juſtificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis benè operatur anathema ſit.* Idem habetur etiam teſtimonio Pſalmiſtæ,qui Pſal. 118. Deum ſic alloquitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas,propter retributionem.* Ibi enim declarat ſe operatum fuiſſe intuitu mercedis, aut coronæ, quam repromiſſit Deus omnibus, qui diligunt eum,ut denotar hæc particula, *propter retributionem* quæ eſt motivum Nec in hoc peccavir, imo meruit, ut colligitur ex variis Sacræ Scripturæ locis, & præſertim ex verſ. 94.ejuſdem Pſalmi ubi retributionem petit, dicens: *Tuus ſum ego, ſalvum me fac; quoniam juſtificationes tuas exquiſivi.* Certo ſalutem æternam non petiiſſet à Deo,niſi eam metuiſſet inclinando cor ſuum ad juſtificationes Dei; licet propter juſtificationem inclinaſſet illud.

Matth. 4. Eadem veritas ſuadetur ex illo Matth. 4 *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum Cælorum*, quo etiam conſtat,opus factum ſpe vitæ æternæ,aut propter retributionem,non eſſe malum;alioquin Chriſtus non allicerer nos per ſpem præmij ad obſervantiam mandatorum, nec nos excitaret ad pœnitentiam ex approximatione gloriæ: ibi enim regnum cœlorum proponitur ut merces pœnitentiæ. Quare Apoſtolus 1. ad Corinth. 9 verſ. 24. hortatur Corinthios ad benè agendum,ut bravium æternum conſequantur, *Sic currite ut comprehendatis*: Hoc eſt, laborate ut poſſideatis, ut exponunt Sancti Patres, & mercedem accipiatis infallibiliter, quia dignus eſt operarius mercede ſua. Ideoque benè operatur, qui intuitu mercedis, præſertim æternæ, operatur; cùm operetur propter bonum.

Matth. 11. Chriſtus vocat ad ſe laborantes, oneratos ſe eſſe reficiaturum promittens, Matth. cap. 11. verſ. 28.
Hebr. 11. Et Paulus ad Heb.cap.11.26.plurimùm laudat Moyſem per fidem omnes res mundi contemnentem, & majores divitias exiſtimantem theſauro Ægiptiorum, impropetium Chriſti. Hujus autem Encomij rationem aſſignans ait: *Aſpiciebat in remunerationem*, hoc eſt,deſpexit bona temporalia, & maluit pro Deo mala pati intuitu vitæ æternæ, & ſpe regni cæleſtis, quam divitias Ægiptiorum habere. Igitur operari intuitu mercedis promiſſæ, ſeu vitæ æternæ, eſt bonum, imo & meritorium, ſi opus intuitu vitæ æternæ factum, producatur ab homine juſto, quia gratia eſt principium, & fons meriti. Si fiat à peccatore, reverà non eſt meritorium ex defectu gratiæ habitualis, quæ requiritur ad meritum, ſed non eſt malum, nam ſicut omne opus moraliter bonum, non eſt meritorium, ut patet de operibus bonis peccatorum,quia non ſunt peccata; quamvis non ſint meritoria,ut patet in articulo præcedenti; ità omne opus non meritorium, non eſt malum. Peccator qui dat Eleemoſynam, elicit opus quòd non eſt malum, nec meritorium de condigno apud Deum, nec peccat ſi eleemoſynam det propter juſtificationem ſuam.

Hæc veritas aſſeri poteſt ratione. Nam vita æterna eſt finis operum,quæ juſti ex fide efficiunt,teſte Apoſtolo ad Rom.cap.6.verſ.22. dicente: *Nunc vero liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem,finem verò vitam æternam;*ſed homo, qui in agendo reſpicit finem, & ut conſequatur illum,operatur, non peccat ſi finis ſit licitus,bonus, & deſiderabilis, quia dum oculus eſt rectus, totum corpus eſt lucidum: Igitur Juſti,qui intuitu beatitudinis obtinendæ operantur, non peccant, cùm vita æterna ob quam operantur, ſit ſummum bonum. Et beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. *Non peccat qui intuitu gloriæ æternæ operatur*

Unde Chriſtus loquens de bonis futuris,ait Matth. 6.verſ. 33.*Quærite ergo primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et D. Auguſtinus exponens quintum verſum. *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua*, Pſal. 120. ait: *Nihil facere niſi propter vitam æternam, ideo fac, & ſecurus facies, hoc enim mandavit Deus.* *D. Auguſt.* Regnum autem illud,quod ex Evangelio primum quærendum eſt,& pro quo dicimus in oratione dominica: *adveniat regnum tuum* per bona opera dumtaxat, & obſervantiam mandatorum habere poſſumus. Scriptum eſt enim:ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata Minimè igitur peccat,qui propter illud regnum humilibus promiſſum, juſtè,piò, ac Sanctè vivit in hoc ſæculo, &, obſervat omnia mandata Dei pro aſſequenda vita æterna, ei promiſſa;cùm certum ſit,quod qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam,qui verò mala,in ignem æternum.

Denique ille,qui ſe à peccatis abſtinet propter metum gehennæ, non peccat; alioquin attritio nedum infructuoſa eſſet extrà ſacramentum,ſed etiam mala, tam intra,quàm extra ſacramentum.Quod eſt falſum ut conſtat ex declaratione Concilij Tridentini: ergo poteſt quis citrà peccatum ad bona opera ſe excitare, eaque elicere intuitu mercedis æternæ, nam contrariorum eadem eſt ratio. Unde ſi dolens de peccatis commiſſis propter pœnas inferni, non peccet de novo, licet remiſſionem peccatorum non valeat obtinere per illum actum attritionis elicitum extrà ſacramentum,nec peccat ille,qui ut ſit Filius Patris qui in Cœlis eſt,benefacit his, qui oderunt eum, & orat pro perſequentibus, & calumniantibus eum. Scriptum eſt enim,*Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis Filij Patris veſtri, qui in Cœlis eſt* Matth.5.verſ.44. & 45. *Matth. 5.*

§. II.

Reſponſio ad Rationem Contrariam.

RAtio Bugaurij deſumitur ex illo Matth.19.verſ. 29. *Et omnis qui reliquerit domum,vel fratres,aut ſorores, aut Patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* *Argumentum adverſarii.* Ex illo autem textu,infert ipſe Bugaurius, opera quæ non fiunt ex ſincero amore Dei, hoc eſt ſecluſa quacumque ſpe remunerationis,eſſe nullius momenti,& velut inutilia, & perconſequens illicitum eſſe operari intuitu mercedis futuræ,quia (inquit) relinquere omnia, aut exercere bona opera, ſervare mandata Dei, propter nomen Dei (ut eſt neceſſarium ad conſequendum præmium) idem eſt ac relinquere ea propter amorem Dei, aut pro Deo ſummè amabili ſecluſo quocumque præmio.His adjungit authoritatem,quam Paulus profert,ut quidquid facimus,in nomine Domini, & in gloriam Dei faciamus, ideoque opus intuitu boni proprij ſeu remunerationis,eſt malum,quamvis fiat ab homine juſto. Quia hoc non eſt operari propter Deum,ſed propter ſe.

Reſpondeo cum D. Bonaventura doctore noſtro Seraphico in Luc 18. Hanc particulam, *propter me*, vel, *propter nomen meum*, idem ſignificare ac propter regnum Dei,id eſt propter retributionem regni,quia nomen Dei,nihil aliud ſignificat,niſi ipſum Deum,ut objectum beatificū,quod eſt ipſemet Deus, qui olim dixit Abrahamo,*ero merces tua*,& ideo qui reliquit fratres,aut ſorores,aut agros,ſpe perfruendi Deo ſummo *D. Bonaventura reſponſio.*

non peccat, ſicut non peccat ille, qui currit ut comprehendat, aut qui propter vitam æternam habendam, facit eleemoſynam; ſeu præciſè quia Chriſtus in ultimo judicio dicet electis *Venito benedicti, eſurivi, & dediſtis mihi manducare.*

Ad authoritatem Apoſtoli, quæ eſt 1. Corinth. cap. 3. dico cum eodem Doctore Seraphico, D. Paulum non loqui ex præcepto, ità ut omuia, quæ facimns, teneamur ſub mortali facere ea actu, & formaliter propter gloriam Dei, ſed ſolum loqui de Conſilio, quia facere ex amore Dei ea, quæ facimus, & abſque ſpe retributionis, eſt perfectius, quàm facere ea propter aliud motivum, ſeu propter aliquod bonum conſequendum. Sed ſi adverſarij velint Apoſtolum locutum fuiſſe de præcepto, reſpondeo cum eodem S. Doctore bujuſmodi præceptum eſſe negativum, quô tenemur nihil contra gloriam Dei facere, & ideo authoritates adductæ non reprobant opera, quæ fiunt intuitu mercedis, ut probatum manet ſupra, nec ſunt mala, ſed licita, ut etiam colligi poteſt ex Luc. 16. illo Luc. 16. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula,* quibus verbis conſtat, Diviti licere Eleemoſynam dare pauperibus intuitu fruitionis æternæ gloriæ, ſeu dare, ut detur ei, & accipiat mercedem promiſſam, Juxta illud Matth. 10. *Qui recipit Juſtum in nomine Juſti, mercedem Juſti recipiet.* Indè enim ſequitur hominem poſſe pauperem recipere, ut recipiatur à Deo, & petere, ut accipiat.

Aliam anthoritatem contra aſſertionem Catholicam addit Bugaurius de Montefalcone, quam deſumit ex cap. 10. Joan. ubi Mercenarij reprehenduntur. Et operari propter mercedem declaratur ſervile, & ſordidum, ſubindeque illicitum, & malum eſt operari intuitu retributionis, & ſpe mercedis etiam æternæ.

Reſpondetur, operantem ſpe retributionis, & præſertim æternæ non eſſe mercenarium, ille enim de *Solvitur altera Bugaurii ratio* quo loquitur Evangeliſta, erat mercenarius, quia paſcebat oves ſola ſpe mercedis, hoc eſt, ità paſcebat eas, ut non paviſſet, niſi lac comediſſet, & fugiebat dum videbat lupum venientem ad oves. Porrò ille de quo nos loquimor non operatur ſola ſpe mercedis, ità ut non operaretur, ſeu non ſubveniret miſeriæ proximi, ſi nulla eſſet merces, habet enim in ſe charitatem Dei, & amat illum ut ſummum bonum conſequendum, quoniam eſt impoſſibile quòd dirigatur ad Deum ſine gratia, & quòd velit illum; quin amet, licet amor ille non ſit purus, ſeu ſit aliquo modo in gratiam amantis, qui poteſt licitè amare, ut reciprocè ametur, motus hoc Dei oraculo *Ego diligentes me diligo.*

Reſpondeo iterum laborantem, eſſe mercenarium, & laborem eſſe ſordidum, & ſervilem, ſi ſolummodo attendat ad mercedem viliorem opere, ut ſunt illi, qui propter bonum temporale ità Deo inſerviunt, ut non inſervirent, ſi bonum illud temporale non ſperarent, ut notat noſter Boyvinus in curſu Theologico, tract. de merito. Idcirco operari ſpe vitæ æternæ, quæ eſt major & dignior quocumque opere humano, non eſt illicitum, nec malum alioquin Chriſtus non dixiſſet Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Nec Apocalyp. ult. *qui Juſtus eſt, juſtificetur adhuc,* Joan. 13. quoniam Chriſtus in primo loco declarat, divina præcepta poſſe ubſervari ab hominibus, ut fiant, & ſint amici Dei, id eſt, ut à Deo amentur. Deus enim diligit eos, qui diligunt illum; cùm dicat *Ego diligentes me, diligo.* Et in ſecundo apertè declarat, ſanctum poſſe operari intuitu majoris Sanctitatis, & juſtitiæ, ſeu ut ſit juſtior, nam ſi juſtus poſſit operari, ut Sanctificetur magis, poteſt licitè intuitu hujus augmenti Sanctitatis operari, quoniam id quod præcipitur, poteſt abſque ulla culpa inſpici, & eſſe terminus actuum proſecutionis illius, cui præcipitur. Chriſtus ait, petite, & accipietis, poſſumus igitur petere vitam æternam, animo eam aſſequendi; cùm Chriſtus ſic loquatur ut petamus, & velit quod petamus, ut accipiamus id quod petimus.

ARTICULUS XII.

Expugnat Bucerum, omnem fiduciam in operibus in gratia elicitis, Improbantem.

UT propoſitionis noſtræ veritas eluceſcat, & faciliùs evincantur hæretici, duo prius notanda ſunt. 1. nos per fiduciam intelligere ſpem, non quamcumque, quia ſpes ſemper timorem habet conjunctum, ut notat Doctor Angelicus, ſed eam ſolam, quæ vires & robur habet ex firma opinione abſque timore, quæ quidem ſpes (inquit idem S. Doctor) dicitur propriè fiducia. II. fiduciam de qua hîc agitur non eſſe primò principaliter, nec totaliter reponendam in operibus noſtris, ità ut nullatenus reponenda ſit in meritis Chriſti, ſed primo & principaliter, in meritis Chriſti deindè id eſt minus principaliter, & ſecũdariò in bonis operibus noſtris, quippecum merita Chriſti ſint fons, & origo totius meriti, & virtutis, in Chriſto collocanda eſt ſpes ſalutis. Unde difficultas aut controverſia inter nos, & hæreticos eſt, an homo confidens in morte & meritis Chriſti, poſſit etiam gratiæ & gloriæ aſſequendæ fiduciam collocare in operibus bonis, ſcilicet in patientia, continentia, eleemoſyna &c.

Lutherus docens opera noſtra eſſe peccata, ac pro- *Lutherus.* indè per illa, nullum mereri vitam æternam, imo potius pœnas & ſupplicia, ſi Deus miſericordiâ ſuâ nobis ea tegere dignatus non fuiſſet, exiſtimat nullam fiduciam eſſe collocandam in operibus noſtris ad gratiæ & gloriæ conſecutionem, nullamque ſpem haberi poſſe circà ultimum finem ſupernaturalem, ſed omnem noſtram fiduciam dicit eſſe collocandam in meritis Chriſti cujus morte redempti & ſalvati ſumus, & ſalvi erimus, ſecluſis quibuſcumque operibus noſtris. Nec miror Lutherum docuiſſe talem errorem, quia ex aqua putrida, & fonte corrupto, impoſſibile eſt quòd deducatur aqua ſaliens in vitam æternam, nam volendo omnia opera noſtra eſſe peccata, neceſsè eſt quòd ab operibus noſtris quamcumque removeat fiduciam.

Melancthon. Lutherum in hac parte ſequuntur Philippus me- *Bucerus* lancthon, Martinus Bucerus, & alij Lutherani; cùm omnes velint, unumquemque teneri credere, opera ſua potiùs eſſe pernicioſa, quàm utilia ad ſalutem. Et aſſerunt, Deum conferre gloriam ſuam, ſecluſis uniuſcujuſque operibus, & deſtinare ad pœnas inferni ante præviſa demerita.

§. I.

De condemnatione Hæreticorum.

SAcra Tridentina Synodus hanc opinionem damnat tamquam hæreticam ſeſſ. 6. cap. 16. ubi ait: *Hac igitur ratione hominibus juſtificatis, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervarint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius; & nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam remunerationem habet.* *Concilium Tridentinum* *Atque ideò bene operantibus, uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia Filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa; & tam*

quam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Inde enim patet, Patres hujus Concilij declarare, hominem juſtificatum poſſe confidenter ſperare remunerationem, aut præmium ex bonis operibus ſuis, non quòd opera illa ex natura ſua mereantur vitam æternam, quoniam certi ſumus condignas non eſſe paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ſed ex meritis Chriſti, & propter miſericordiam Dei promittentis ſe daturum hominibus mercedem propter bona opera. Nonnè qui certò ſcit laborem ſuum non eſſe inanem in Domino, plurimùm confidit in illo, & ſperat firmiter id, quod pro labore, ab ipſo Domino illi promiſſum fuit?

§ II.

De Rationibus contra Hæreticos.

2. Corint. 3. Fiduciam gratiæ in operibus bonis collocare, eſſe licitum conſtat ex Apoſtolo 2. ad Corint. cap. 3. verſ. 12. dicente: *habentes igitur talem ſpem*, ſcilicet ſpem videndi gloriam Dei, *multa fiducia utimur*, id eſt, confidenter operamur ea, quæ pertinent ad uſum miniſterii, ex quibus creſcit in nobis ſpes conſequendi gloriam. His quidem verbis, Apoſtolus oſtendit, fiduciam ſuam, ſeu ſpem ſuam firmam fieri ex miniſterio Evangelij. Idem probatur aliis Scripturæ Sa-
Matth. 9. cræ locis; legimus enim Matth. cap. 9. Chriſtum reſpondiſſe Mulieri, quæ fluxum Sanguinis patiebatur, & ſperabat ſanari ab ipſo, modò poſſet veſtimentum ejus tangere: *Confide filia, fides tua te ſalvam fecit, & ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* Ex illis quidem verbis facilè infertur, Chriſtum laudaſſe fiduciam hujus mulieris, quia fidem tenebat, & à Chriſto ſanari ſperabat: dicendo intra ſe: *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.*

D. Joannes Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 21. eamdem veritatem docet, ibi enim ait: *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Quoniam hæc verba evidenter demonſtrant, nos obſervando mandata Dei, & faciendo voluntatem ejus, poſſe nedum ſperare vitam æternam, obſervantibus mandata Dei ſolemniter promiſſam, juxtà illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* ſed etiam poſſe habere fiduciam, ſeu ſpem firmam ex illa promiſſione ſincera obtinendi à Deo quidquid orantes petierimus; cùm Deus ſinceré dixerit: *Petite & accipietis*, quod adimplebitur, & ſperare poſſumus,
Joan. 14. modo petitio noſtra præſcriptas in Evangelio habeat conditiones, ut teſtatur Chriſtus Joan. 14. verſ. 13. dicens: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Quare in tertio Cœlo eruditus Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 4. verſ.
2. Timot. 4. 7. & 8. ſumma cum fiducia in operibus ſuis, ait: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die Juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus. Feſtina ad me venire citò.* Paulus enim non ità, ſeu cum tanta fiducia fuiſſet locutus, nec Timotheum ad bona opera elicienda provocaſſet, niſi licitum fuiſſet illi habere fiduciam, aut ſpem firmam obtinendi gloriæ coronam propter præclara opera, quæ in gloriam Dei fecerat, & ideo dicit, repoſitam ſibi eſſe coronam juſtitiæ, non miſericordiæ. Et Dominum qui illam dabit, futurum eſſe judicem juſtum, quia certaverat, curſum conſummaverat, & fidem ſervaverat: licet ergo facienti quod in ſe eſt ad vitanda mala, & facienda bona, habere fiduciam, ſeu ſpem firmam ſalutis.

Nec poſſunt hæretici prænominati denegare omnibus illis, qui Dei mandata obſervant, & legem ejus cuſtodiunt uſque ad mortem, quamdam Lætitiam, quæ ex ſola fiducia conſequendæ gloriæ poteſt provenire, ut refertur de S. Petro de Alcantara, qui mortem illi annuncianti reſpondit, & pronunciavit hæc verba: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus*, propter fiduciam, quam ha- *Bonum eſt confidere in operibus bonis.*
bebat, & quam nos in bonis operibus collocare poſſumus, propter miſericordiam Dei, & propter promiſſionem ſuam de mercede pro bonis operibus reddenda. Nec in hoc honorem Dei offendimus, ut contendunt Lutherani, imò augemus illum, quia primò & principaliter ex bonitate, & miſericordia Dei firmatur ſpes noſtra, quia cognoſcimus per bonitatem illam nobis evenire id, quò poſſimus opera bona elicere, & quò per eadem opera valeamus aliquid apud Deum mereri, & fiduciam habere in illis bonis operibus, ut ſuadet exemplum Beati Hi- S. Hilarion
larionis Abbatis, qui exiſtens in articulo mortis, dicebat: *Egredere anima mea quid dubitas? quid times? Septuaginta propè annis ſerviſti Chriſto, & mortem times?* Ille S. Abbas patientiæ exemplar ſic loquebatur animæ ſuæ corpus relinquere naturali inclinatione repugnanti, quia fiduciam gloriæ collocaverat in operibus ſuis, in ſenſu ſuprà explicato, ut conſtat ex hac particola: *Septuaginta prope annis ſerviſti Chriſto*, quæ denotat opera bona propter quæ ſperabat ad gloriam pervenire, hæc enim verba, *Et mortem times*, exprimunt veram fiduciam.

Si illicita eſſet hæc fiducia, certò Eſther, Deum in Spiritu humilitatis obſecrans, non dixiſſet cap. Ether 14.
14. verſ. 12. *Memento Domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ, & da mihi fiduciam Domine Rex Deorum, & univerſæ poteſtatis.* Etenim hæc mulier poſtulabat à Deo ut firmare dignaretur ſpem vincendi, quam habebat in tempore tribulationis: quare ergo homo Juſtus non poterit habere ſpem vincendi inimicos ſuos adjuvante divinâ gratiâ, & in hac ſperare, ſeu in hac ſpe fundare fiduciam conſequendæ gloriæ, ſi mandata Dei obſervaverit, & Deum dilexerit? cùm Deus eam promiſerit omnibus illis, qui diligunt illum, ſicut oportet. Unde D. Thomas in illud ad Heb. cap. 10. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram*, inquit: *oſtendit quid eis reſtat faciendum, ſcilicet confidentiam acceptam ex bonis operibus conſervare.* Docuit igitur ille S. Doctor juxta mentem Apoſtoli, hominem juſtum poſſe collocare fiduciam ſalutis in bonis operibus, ſeu in Jejuniis, orationibus, & in obſervantia mandatorum Dei.

Idem ſuadet D. Chryſoſtomus in Pſal. 117. ubi interpretans hæc verba: *Aperite mihi portas juſtitiæ*, ait: D. Chryſoſtomus.
iis, qui caſtigantur, portæ aperiuntur, his qui peccata deponunt. Qui diſciplinam ſuſcipit poteſt dicere confidenter, aperite mihi portas juſtitiæ. Hinc eſt quòd D. Chryſoſtomus permittit pœnitentibus verè contritis, & illis, qui bona egerunt, habere fiduciam gloriæ aſſequendæ. Quoniam qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, ex quo ſequitur quòd qui bona egerunt, poſſunt ſperare vitam æternam promiſſam facientibus bona, ſicut eam ſperavit Paulus, ut facilè colligitur ex illo 2. ad Timot. 4. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex.*

Solemnis promiſſio ſufficit ad firmandam ſpem eorum, qui declinaverunt à malo, & fecerunt bona. Nam ſi honeſtum, & licitum ſit habere fiduciam in promiſſionibus unius Principis; quamvis ipſi Principi poſſit ſubeſſe falſum, potiori ratione poſſumus habere fiduciam in promiſſionibus Dei, qui dixit homini *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, idcircò qui Dei mandata ſervat, poteſt licitè ſperare vitam æternam. Paulus ad Corinth. 2. cap. 3. verſ. 4. eamdem 2. Corint. 3.
veritatem docet, & declarat ſe hujuſmodi fiduciam habere, ibi enim ait: *fiduciam talem habemus per*

2.Corint.3. *Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* : ihi enim per inſufficientiam, quam ſe habere dicit, non præcipit, nec vult quòd nos ab omni fiducia abſtineamos, ut autumant Lutherani, & alij hæretici, ſed ſolum ab illa, qoà quis ſic fidit ſibi, aut ſuls operibus, ut nihil prorsùs confidat in Deo, nos etiam talem fiduciam condemnamus tamquam hæreticam, & impiam; cùm ex ſuprà dictis conſtet, fiduciam ſalutis noſtræ eſſe primo, & principaliter collocandam in meritis Chriſti, cujus livore ſanati ſumus: ergo ex Apoſtolo debemus in bonis operibus habere fiduciam ſalutis propter bonitatem, & miſericordiam Dei, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, & ità fecerimus ea, quæ juſſit ipſe Deus, ut poſſimos dicere cum Apoſtolis (qui omnia reliquerunt ut Chriſtum ſequerentur) *fecimus quod juſſiſti quid ergo erit nobis*, vel, *quid igitur nobis dabis præmii*, ut notat D. *D Hieronymus.* Hieronymus lib. 3. in Matth. quæ quiedm verba ex ſumma confidentia procedunt, & denotant firmam ſpem, aut fiduciam fuiſſe in Apoſtolis ob contemptum bonorum temporalium, & ob ipſorum adhæſionem poſt Chriſtum, qui cum dixerit: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Certum eſt quòd illi, qui ſequuntur Chriſtum, & tollunt crucem, poſſunt habere fiduciam gloriæ aſſequendæ. *Fiducia enim magna erit coram ſummo Deo Eleemoſina, omnibus facientibus eam*, inqnit Tobias cap. 4. verſ. 12. quæ quidem fiducia poteſt eſſe etiam in aliis operibus bonis ſicut in Eleemoſyna.

§. III.

De Rationibus Hæreticorum

RAtio hæreticorum fundatur in his verbis Pſal. 48. v. 7. *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur, frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem ſuam*, ibi enim (inquiunt) Propheta Regius reprehendit illos, qui in *Pſal. 48.* ſuis operibus confidunt, & declarat quod gloriantes in propriis viribus Deo diſplicent, non enim qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat, inquit Apoſtolus, ad Corinth. 2. cap. 10. verſ. 18. ut inde agnoſcamus ex operibus noſtris, nullam gloriam, nullamque ſpem poſſe provenire quantum ad conſecutionem gloriæ æternæ, quia gratiam & gloriam dabit Dominus, unde idem Propheta ait: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, ut ſuadeat fiduciam in ſolo Deo ità eſſe habendá, ut nullo modo liceat eam habere in actibus noſtris

Reſponſio ad primam rationem contrariam Reſpondetur, Prophetam, & Apoſtolum loqui de his, quæ in ſolis operibus propriis, ſeu prorsùs ſecluſo quocumque alio merito ſuperiore, collocant fiduciam ſalutis in operibus, quæ fecerunt; nos autem illam collocamus primò, & principaliter in Chriſto Jeſo, deindè minus principaliter, & ſecundariò in operibus noſtris, non abſolutè, ſed propter bonitatem & miſericordiam Dei, qui dedit nobis victoriam per Chriſtum.

Objiciunt etiam verba Salomonis cap. 12. Proverb. verſ. 2. *qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino; qui autem confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit*, quibus improbatur confidentia in propriis meritis fundata.

Proverb. Porrò huic rationi, aut argumento reſpondendum eſt, non nocere hæc verba proverbiorum, quia intelligenda ſunt ſicut ea, quæ ſunt Prophetæ, & Apoſtoli; cum Salomon loquatur de illis, qui in propriis dumtaxat confidebant meritis, & virtute eorumdem vitam æternam ſibi promittebant, nullo ad merita Chriſti futuri habito reſpectu. Quòd a mente noſtra alienum eſt.

Tandem objiciunt Phariſæum illum orantem in templo, & dicentem Chriſto, Luc. 18. verſ. 11. *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, Raptores, injuſti, Adulteri, velut etiam hic publicanus*, qui tamen *Luc. 18.* quamvis confidens in operibus ſuis, non fuit juſtificatus, ſicut Publicanus, qui à longè ſtans nullam fiduciam habens, non audebat oculos ad Cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: *Propitius eſto mihi maximo peccatori*: ex illa quidem parabola, hæretici concludunt, Deum prohibere fiduciam juſtificationis & ſalutis, & velle ſpem noſtram eſſe penitùs collocandam in meritis Chriſti, qui cùm non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ex miſericordia ſalvos nos faciat, non in noſtris bonis operibus, ſed in operibus ipſius omninò confidere oportet.

Reſpondeo, hanc parabolam non militare contra nos, quia Phariſæus non fuit reprehenſus propter fiduciam in operibus propriis, ſed propter contemptum Publicani, & propter ſuperbiam. *Solutio alterius rationis contrariæ.* Nam Deus qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam (teſte Scriptura) Phariſæum rejecit, Publicanum verò exaudivit. Hujus reſponſionis veritas evidenter patet ex verbis immediatè ſequentibus, quæ habentur verſ. 14. *Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*, quæ probant Publicanum deſcendiſſe Juſtificatum in domum ſuam propter humilitatem, & Phariſæum fuiſſe repulſum, aut non juſtificatum, propter ſuam ſuperbiam, aut hypocriſim, hinc eſt quòd ſolitò per Phariſæum intelligimus hypocritam, hypocritæ autem excluduntur a regno cœlorum, ut monet Job cap. 13. verſ. 16. dicens. *Non enim veniet in conſpectu ejus*, id eſt Salvatoris, *omnis hypocrita.* Denique dicere poſſum Phariſæum confidere in propriis operibus, ſecluſis meritis Chriſti, & auxiliis gratiæ. Quod ſanè eſt reijciendum, tamquam alienum à fide, quæ Chriſti merita, & Dei auxilia admittit.

ARTICULUS XIII.

Oſtendit Ætianis fidem ſine operibus non Salvare.

FIdem Evangelij ità extollunt nonnulli hæretici infrà nominandi, ut velint, ſalutem noſtram ab ipſa ſola ità dependere, ut ad conſequendam vitam æternam, nullum bonum opus elicere neceſſe ſit, nec obſtare quod fides illa ſit mortua, ut homo vivat in gloria, juſquè ſibi conſervet ad hæreditatem æternam Procul dubio voluntariè ignorabant, aut malitiosè negabant, fidem ſine operibus mortuam eſſe.

Plures exiſtimant Lutherum fuiſſe hujus hæreſis inventorem, ſed allucinantur. Nam Eunomius (à quo *Eunomius* Eunomiani hæretici nomen acceperunt) genere Capadox, Diſcipulus Arij, tempore Conſtantij Imperatoris, & Liberij Romani Pontificis, circa annum Domini CCCLVIII. docuit, omnes qui fidem, quam ille docebat, tenerent, ſalvos fore, quamtumlibet gravia peccata committerent, & in illis perſeverarent. His quidem conſtat, ipſum hæreticum, ſalutem noſtram in ſola fide reponere, ſecluſis operibus noſtris bonis, & meritoriis, aut in gratia elicitis.

Poſtea, ſcilicet anno CCCLXIII. regnante eodem Imperatore, & Eccleſiam Dei regente eodem Liberio Papa: Aetius vir natione Syrus, ſecta etiam Arianus eumdem errorem docuit: dicebat enim, nullum peccatum quamtumlibet grave imputari in fide manentibus, ſolamque fidem abſque ullo alio opere ſufficere ad vitam æternã conſequendam, quia ſicut impoſſibile eſt placere Deo ſine fide, ità Impoſſibile eſt cum fide diſplicere illi. Ità referunt S. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 54. Nicephorus, Philaſtrius, Guido Carmelita, & alij.

Eumdem errorem jam diù ſepultum, Spiritu diabolico motus Lutherus ſuſcitavit ab inferis, dicens, ſolam

fidem juſtificare nulla alia virtute, nulloque alio opere occurrente: unde ait, opera non eſſe neceſſaria ad conſecutionem vitæ æternæ, quod ſi fiant, ea nullo pacto juſtificare, ſed protſus inutilia eſſe: Igitur Lutherus non fuit hujus hæreſis author, nec inventor, ſed ſolùm novus defenſor. Luthero adhæſerūt omnes illi, qui Lutherani dicuntur; & potiſſimùm qoidam viri hæretici Uvitembergenſes, Antinomi nuncupati, quaſi legem impugnantes, vel legi divinæ contrarij. Ii enim dicebant, ſi es Adulter, Scortator, Uſurarius, Avarus, aut aliis pollutus peccatis, ſi tantùm credis, ſalvus eris,

Lutherus.

Antinomi.

§. I.

Statuitur neceſſitas bonorum operum.

Decreto Concilij Trid.

CONtra hanc hæreſim eſt ſolemnis deeiſio in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. per totam, & præſertim in can. 9. ubi legitur: *Si quis dixerit impium ſola fide juſtificari, ità ut intelligat nihil aliud requiri, quo ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſua voluntatis motu praparari, atque diſponi: anathema ſit.* Et can. 12. *Si quis dixerit, fidem juſtificantem, nihil aliud eſſe, quam fiduciam divina miſericordia, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, quâ juſtificamur: anathema ſit.* Sunt alij eanones in eodem Concilio, qui ad juſtificationem impiorum aliquid aliud exigunt præter fidem, nimirum dilectionem, & operationem, ſed eos omitto. Quia facilè videri poſſunt.

Authores, qui adverſus hanc hæreſim ſeripſerunt, ſunt D. Auguſtinus lib. de fide & operibus. D. Ambroſius ſerm. 20. in Pſal. 118. & alij Ambroſio & Auguſtino longé recentiores, qui contra Lutherum ex profeſſo ſeripſerunt, quales ſunt Thomas de Vio Cardinalis Cajetanos. Jacobus Hochſtratus, Jodocus Clichtovæus in illo opere, quod fecit pro aſſertione veritatum definitarum in Concilio Senonenſi; Ambroſius Catharinus, & his omnibus prolixiùs Albertus Pighius in ſuis controverſiis, noſter Alphonſus à Caſtro, & alij.

Prima articuli noſtri probatio contra hæreticos deſomitur ex illo Matth. 7. verſ. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Hoc quidem textu conſtat, ſolam fidem non juſtificare hominem, neque ei portam Paradiſi apetire, quis eſt autem qoi dieit Chriſto, Domine, Domine, niſi qui fidem habet, quâ credit eum eſſe verum Dominum, & Filium Dei; tamen omnis qui ſic eredit, non intrat in regnum cœlorum. Requiritur inſuper quòd faciat volútatem Dei: igitur ad obtinendam vitam æternam, aliquid aliud præter fidem requiritur, quòd nihil aliud eſt niſi opus bonum, aut fructus noſtri, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *Omnis arbor qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, quibus ſuademt, opera mala ducere io infernum, bona verò in paradiſum, ſi fiant in fide, teſte D. Athanaſio in Symbolo dicente: *Qui bona egerunt ibunt in vitam aternam, qui verò mala in ignem aternum*: etenim Chriſtus per bonam arborem, intelligit juſtum. Et per malam, peccatorem, ut tradunt Saeri interpretes. Itaque non ſufficit dicere, *Domine, Domine*, hoc eſt, eredere, ſed neceſſe eſt inſuper bona operari, juſtè & pie vivere, & obſervare omnia præcepta Dei, ut teſtatus eſt Chriſtus apud eumdem S. Matthæum, dicens euidam Adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ot fuſiùs dicemus infrà.

Matth. 7.

D. Athanaſ.

Idem ſuadetur ex Pſal. 14. in qoo legitur hæc, ad Prophetam dicentem: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Reſponſio: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos: ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat, qui jurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit, qui facit hac non movebitur in aternum.* Ibi enim Propheta expreſſè præmittit opera ad conſecutionem vitæ æternæ, eùm poſt numerata vitia, aut peccata vitanda, dicat, *qui facit hac*, nam per hanc particulam, præter fidem oſtendit bonorum operum virtutem, & neceſſitatem.

Pſal. 14.

Undè D. Auguſtinus lib. de Agone cap. 18. cognitioni jungit actionem, hoc eſt, fidei jungit opera, quia ibi ait: *Fides eſt prima qua ſubjugat animam Deo: deindè pracepta dat vivendi, quibus cuſtoditis. Spes noſtra firmatur, & incipit lucere quod tantummodo credebatur, cum enim cognitio, & actio hominem beatum faciant, ſicut in cognitione cavendus eſt error, ſic in actione cavenda eſt nequitia.* His qoidem verbis ille S. Doctor non fidei tantùm; ſed fidei, & operi tribuit beatitudinis aſſecutionem, cùm velit non cognitionem ſolam, neque actionem ſolam, ſed cognitionem, & actionem facere hominem beatum. Et merito, quia habere fidem, & non operari in fide, non ſufficit ut impius juſtificetur, quia beatus eſt ille, qui inventus eſt ſine macula, & qui non habuit, nec ſperavit in pecunia & theſauris, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, inquit Jeſus filius Sirach. Hæc quidem verba Eccleſiaſtici nedùm probant liberi arbitrij, ſed etiam operis neceſſitatem ut quis ſit beatus. Nec poteſt in rei veritate dicere ſe habere fidem ille, qui non operatur, nec facit voluntatem Dei, ut teſtatur Joan. 1. cap. 2. verſ. 4. dicens: *Qui dicit ſe noſſe Deum*, id eſt, dicit ſe eredere in Deum, *& mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.*

D. Auguſt.

bona opera ſunt adultis neceſſaria ad ſalutem.

Eadem neceſſitas bonorum operum pro ſalute conſeqoenda probatur ex Apoſtolo 1. Corinth. cap. 13. verſ. 2. *Et ſi habuero Prophetiam, & noverim myſteria ejus, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, quibus verbis ſatis oſteoditur, fidem ſolam non ſufficere, ad conſequendam vitam æternam, ſed præter illam neceſſariam etiam eſſe eharitatem, cujus probatio eſt exhibitio operis, teſte D. Gregorio. Quare homo, qui habet fidem Evangelij, & eredit, Deum eſſe unum in eſſentia, & Trinum in perſonis, Filium eſſe incarnatum, & alia myſteria, quæ nos docuerunt Apoſtoli, & docet nunc Eccleſia Catholica, non poteſt ultimum finem, otpoté vitam æternam aſſequi, niſi juſtè, & piè vivat, & obſervet mandata Dei, non enim auditores legis (id eſt illi qui credunt) juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis (id eſt, illi qui legem obſervant) juſtificabuutur. Unde Chriſtus mittens Apoſtolos in univerſum mundum, nedum dixit illis: *Docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Sed etiam, *Docentes eos ſervare omnia quacumque mandavi vobis.* Hæc quidem obſervatio mandatorum Dei neceſſaria eſt adultis baptizatis, ut poſſint placere Deo, hoc eſt, amari à Deo, aut juſtificari formaliter, & ad beatitudinem pervenire: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt & inquirentibus ſe remunerator ſit, ut ait Apoſtolus ad Hebr. 11. verſ. 6. conſtat igitur opera bona eſſe neceſſaria accedentibus ad Deum.

1. Corint. 13

Apoſtolus ad Corinth. 1. cap. 1. verſ. 13. neceſſitaté bonorum operum aperté demonſtrat; ibi enim

1. Cor. 16.

ait : *Vigilate , ſtate in fide , viriliter agite, & confortamini , omnia veſtra in charitate fiant* , hoc eſt , operamini in charitate , ideoque vult opera bona eſſe neceſſaria ; cùm oſtendat fidei addenda eſſe charitatis opera, quæ certò non adderet ſi ſola fides eſſet ſufficiens ad ſalutem ; cum mens ipſius Apoſtoli non fuerit Coriuthios docere ſuperflua , nec ipſis imponere jugum non neceſſarium : quod tamen eis impoſuiſſet , ſi ſola fides ſufficeret ; cùm obligatio operandi ſit quædam ſpecies oneris , quod injunxit illis Paulus : igitur mentiri ſunt Hæretici credentes permanentibus in fide nullum peccatum imputari , nullamque ipſis injuugi obligationem eliciendi bona opera , nam ut inquit D. Jacobus cap.

Jacob. 2.

2. verſ. 25. *Qui perſpexerit in legem perfectam libertatis*, hoc eſt , in legem Evangelicam , *& permanſerit in ea* , id eſt crediderit , *non auditor obliviofus factus , ſed factor operis , hic beatus in facto ſuo erit.*

Hoc patet in Abrahamo , qui ex operibus juſtificatus fuit , ſeu quia obtulit Iſaac filium ſuum ſuper altare. Hujus rei rationem aſſignat idem D. Jacobus cap. 2. verſ. 22. dicens : *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius. Et ex operibus fides conſummata eſt.* Fides nequit ſalvare niſi ſit perfecta, & conſummata , fides autem conſummatur ex operibus , ut conſtat ex proprio textu : ergo hæretici, qui tollunt opera bona , & per fidem inanem , ac mortuam , juſtos ſe exiſtimant , culpabiliter errant. Quia Dæmones credunt , & tamen non ſunt juſti. Unde dicant ſe potiùs impios , quia ex operibus juſtificatur homo , & non ex fide tantùm, ut monet idem Apoſtolus in Epiſt. Catholica cap. 2. verſ. 24. & concludant cum eodem Apoſtolo ,quòd ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt , ità fides ſine operibus mortua eſt.

Judicium univerſale probat etiam , ſolam fidem non ſufficere pro conſecutione vitæ æternæ , quoniam tunc Chriſtus oſtendet , cauſam præmij , ſeu collationis gloriæ , eſſe bona opera , dicet enim Electis , Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei , percipite regnum , eſurivi , & dediſtis mihi manducare.* Et Paulus ad Corinth. cap. 5. verſ. 10. ait : *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti , ut referat unuſquiſque prout geſſit , ſive bonum , ſive malum.* Hæc certò demonſtrant 1. præmia diſtribuenda eſſe ſingulis juxtà eorum operum qualitatem , non verò juxtà fidē tantùm, quoniam certum eſt quòd judicandorum opera , ſunt hujus judicij materia. Secundò , opera bona concurrere ſimul cum fide ad conſecutionem gloriæ : nam ſi ad regnum Dei vocandi ſint illi , qui bona egerunt , illi autem qui mala egerunt , aut otioſi fuerunt , ſint rejiciendi , quomodo volunt hæretici bona opera excludere , & aſſerere fidem ſolam ſufficientem eſſe pro ſalute conſequenda , cùm certum ſit quòd Chriſtus non dicet , *venite , credidiſtis* , ſed dicet , *dediſtis* ? Quod indicat neceſſitatem bonorum operum. Dicant hæretici quidquid voluerint , nos enim certò ſcimus quòd fides ſine operibus nihil prodeſt , ſicut opus bonum ſine fide , quia fides ſine operibus mortua eſt , ſicut opera ſine fide mortua ſunt , ut facilé colligitur ex illo Jacobi cap 2. verſ. 14. & ſequentibus ; *Quid proderit , fratres mei , ſi fidem quis dicat ſe habere , opera autem non habeat ? Nunquid poterit fides ſalvare eum ? Si autem frater , aut ſoror , nudi ſint , & indigent victu quotidiano , dicat autem aliquis ex vobis illis : ite in pace , calefacimini , & ſaturamini, non dederitis autem eis , quæ neceſſaria ſunt corpori , quid proderit ? Sic & fides , ſi non habeat opera , mortua eſt in ſemetipſa. Sed dicet quis , tu fidem habes , & ego opera habeo, oſtende mihi fidem tuam ſine operibus , & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam* : non-nè per hæc verba D. Jacobus declarat , neceſſariam eſſe connexionem inter fidem , & bona opera , quibus ſecluſis , fides remanet mortua , & opera vana fiunt ? Undè D. Bernardus ſuper cant. ſermo 35. ait : *Mors fidei eſt ſeparatio charitatis , crede in Chriſtum , fac opera Chriſti , ut vivat fides tua.* Et D. Joannes Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 14. *Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus , qui non diligit manet in morte.*

ultimum judicium probat neceſſitatem bonorū operum.

Jacob. 2.

D. Bernard.

Miror ergo hæreticorum inſaniam ; cùm luce meridiana propemodum clarius ſit in Sacra Scriptura ; fidem ſolam non ſufficere ad vitam æternam conſequendam , cùm conſtet tum ex variis Sacræ Scripturæ oraculis , tum ex Sanctorum Patrum teſtimoniis , beatitudinem eſſe coronam , quam non obtinebit niſi ille , qui in hac vita legitimè certaverit ; quæ vita eſt militia ſuper terram, teſte Jobo. Et certum ſit , hanc vitam æternam eſſe præmium , quod non dabitur illis , qui non laboraverint. Undé ut meam , aliorumque admirationem deponam , unum duntaxat dicam, nimirum Lutheranos, & alios hæreticos neceſſitatem bené operandi & obſervandi mandata Dei excludentes , nullam fidem habere , quia qui credit Deo , attendit mandatis , ut inquit Author libri Eccleſiaſtici , cap. 32. verſ. ultimo.

Eamdem veritatem , & neceſſitatem bonorum operum confirmat Chriſtus , reſpondens Adoleſcenti petenti ab eo,quid faciendum eſſet,ut vitam æternam poſſideret , dicens illi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi , ſerva mandata* ; ex qua reſponſione evidenter conſtat , obſervantiam mandatorum exigi tamquam neceſſariam ad vitæ æternæ conſecutionem , nam ſi non fuiſſet abſoluté neceſſarium obſervare mandata Dei , aut ſuffeciſſet credere , certū eſt quòd Chriſtus dixiſſet huic Adoleſcenti , *ſi vis ad vitam ingredi , crede* , ſed quia non ſufficit credere , ſupponendo in ipſo fidem , dixit ei , *ſerva mandata.* Hæc quippe obſervatio ſimul cum fide , ſalvat hominem, eumque ad vitam æternam perducit, ut inferunt Sacri Interpretes,ex illo Pſal. 23. verſ. 3. 4. 5. *Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus , innocens manibus & mundo corde , qui non accepit in vanū animā ſuā, nec juravit in dolo proximo ſuo , hic accipiet benedictionem à Domino , & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo , quia hæc eſt generatio quærentium Dominum , quærentium faciem Dei Jacob.*

Matth. 19

Pſal. 23.

Idem ſuadetur Joan. 15. verſ. 2. his verbis : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum , tollet eum Pater meus , & omnem qui fert fructum , purgabit eum , ut fructum plus afferat* : nam tollere eum eſt mittere eum in ignem ut ardeat. Hujus pœnæ ratio , erit quia fructum non fecerit , ideo bona opera , quæ per fructus bonos exprimuntur , ſunt abſoluté neceſſaria pro aſſequenda beatitudine, quæ Adultis dabitur ut præmium neceſſario ſupponens laborem , ſeu opus meritorium. Unde D. Petrus in epiſt. 2. cap. 1. ſic alloquebatur Judæos de novo converſos ad fidem : *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis, & electionem.* His quippe verbis docebat Judæos, neceſſitatem bonorum operum.

2. Petr. 1.

Idem docet Paulus Corinth. 1. cap. 15. verſ. ult. *Abundantes in opere Domini ſemper , ſcientes quod labor veſter non ſit inanis in Domino.* Et alibi , *non eſt injuſtus Deus , ut obliviſcatur operis veſtri , & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius* : Igitur æterna fœlicitas miſericorditer promiſſa filiis Dei per Jeſum Chriſtum , reddenda eſt tanquam merces ex promiſſione Dei, bonis operibus , & meritis juſtorum, ſubindeque hæc bona opera ſunt neceſſaria homini , ut eam obtineat, Nam Apoſtolus ad Tim. cap,

4. dicit. Glorlam illam deberi illi tamquam coronam in reliquo repoſitam, non ſolùm illi, ſed & iis qui diligunt adventum Chriſti, quia bonum certamen certaverat, curſum conſummaverat, fidem ſervaverat, id eſt, fecerat omne id quod illi divina fides præceperat, quapropter ſic Thimotheum alloquebatur: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.*

§. II.

Refutantur Objectiones Hæreticæ.

HÆretici, & præſertim Lutherani contra Articulum noſtrum objiciunt plures Sacræ Scripturæ textus, ex quibus inferre conantur, ſolam fidem juſtificare. Primus textus eſt Pauli ad Rom. cap. 5. verſ. 1. ubi legitur: *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Dominum, per Dominum Jeſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Ad Epheſ. cap. 2. verſ. 8. inquit: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Et ad Heb. cap. 11. verſ. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, inde (inquiunt) conſtat evidenter, Apoſtolum, fidei dumtaxat noſtram juſtificationem ità tribuere, ut nullus poſſit citrà hæreſim aſſerere, bona opera eſſe neceſſaria ad conſecutionem vitæ æternæ.

explicantur textus ab hæreticis relati. Reſpondeo negando conſequentiam, ſcilicet, Apoſtolum in prædictis locis, à juſtificatione noſtra excludere neceſſitatem bonorum operum: quamvis de ſola fide mentionem faciat: nam qui dicit effectum procedere ab una cauſa, eamque nominat, non excludit aliam, quæ particeps fuit illius productionis, niſi addat aliquam particulam ità reſtrictivam ad unam, ut aliam excludat; alioquin dum quis dicit v. g. Petrum eſſe genitum à Joanne, excluderet matrem; quòd eſt falſum: igitur non valent hæretici credere, juſtificationem noſtram aut ſalutem æternam non dependere à bonis operibus: licet Apoſtolus in locis relatis expreſſè dicat, homines ſalvari per fidem. Ratio autem ob quam de ſola fide loquitur; quin cætera excludat, eſt, quia ſolitò exprimitur cauſa principalior quæ in negotio ſalutis noſtræ, eſt fides. Et ſi taceat opera, hoc eſt nè quis glorietur in ſe, ſed ut in Domino glorietur quilibet juſtus, cùm ab ipſo receperit fidem, quâ opera bona vivunt, ſintque mediante gratiâ, aut charitate, meritoria vitæ æternæ.

Deinde ſi ea quorum Apoſtolus non meminit in illis locis, non concurrerent ad noſtram ſalutem, præciſè quia non nominantur, ſequeretur quòd baptiſmus non eſſet ad eam neceſſarius; cùm ibi Apoſtolus nullam mentionem faciat de baptiſmo. At hoc non audent aſſerere hæretici, & præſertim Lutherani, qui baptiſmi neceſſitatem admittunt: ergo nec poſſunt ex ſilentio Apoſtoli, à juſtificatione excludere bona opera.

Dicent forſan, neceſſitatem baptiſmi eſſe alibi expreſſam; videlicet ex illo Joan. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* *Joan. 3.* Sed hoc non convincit, nec infirmat paritatem. Quia nos etiam illis reſpondebimus, quòd licet in locis citatis nulla ſit mentio bonorum operum, non debent tamen excludi à juſtificatione noſtra, quoniam alibi eorumdem bonorum operum neceſſitas exprimitur, ut patet in locis in probationibus noſtris citatis. Et præſertim in iſto ad Galat. 5. verſ. 6. *In Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Quo conſtat, fidem non prodeſſe, niſi operetur per charitatem.

Denique ſi hæretici velint, bona opera non eſſe neceſſaria ad noſtram ſalutem, quia Apoſtolus in locis citatis, de fide loquitur, omiſſis operibus bonis, debent etiam velle fidem non eſſe neceſſariam, quia alibi idem Apoſtolus loquitur de bonis operibus, omiſſa fide. Sed non audent aſſerere, fidem non eſſe neceſſariam: ergo nec debent excludere bona opera, ſed credere cum Eccleſia Catholica ſalutem noſtram eſſe à fide viva, ſeu formata, & operante per charitatem. *ad Philip. 1* Ille enim eſt fidelis, qui facit quod Chriſtus præcipit & operatur juſtitiam. Quare idem Apoſtolus ad Philip. cap. 1. verſ. 29. ait: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam & pro illo patiamini*, ut ſuadeat, ſolam fidem non ſufficere, quia pro Chriſto pati, eſt opus perfectiſſimum, & ad ſalutem neceſſarium, ſicut neceſſarium eſt in Chriſtum credere; hinc eſt quòd ait, *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.*

Reſponſionem noſtram impugnant ex eodem Apoſtolo ad Rom. cap. 3. verſ. 28. dicente: *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, *Rom. 3.* per quæ verba Apoſtolus ſanè excludit omnia opera, & ſolam fidem admittit. Idem docet in epiſt. ad Galat. cap. 2. verſ. 16. ubi ait: *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu* *ad Galat. 2.* *Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, propter quòd ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Ibi enim terminis formalibus dicitur, hominem non juſtificari ex operibus, ſed ſolâ fide, ut patebit attentè conſideranti verba Apoſtoli.

Reſpondeo, Apoſtolum loqui de operibus legis veteris, hoc eſt, de cæremoniis, aliiſque ritibus Judæorum, in quibus poſt mortem Chriſti nulla remanſit virtus, ut patet de Circuncisione, quæ non *explicatur mens Apoſt.* valet, & de aliis operibus legis Moſaycæ, de quibus jam locuti ſumus in articulis præcedentibus, non vero de operibus novæ legis, hoc eſt, de præceptis Evangelij, ad quorum obſervantiam Chriſtus nos obligavit ſub pœna æternæ damnationis. Et quæ non poſſumus adimplere ſola fide, ſecluſis quibuſcumque operibus: ergo authoritates adductæ non militant contra nos, qui loquimur de operibus in lege nova nobis præceptis. Et fatemur, cœremonias, & ritus legis veteris nullatenùs ad noſtram ſalutem concurrere, imo jam aſſeruimus contrà Cerinthianos, Ebionitas, & alios, has cæremonias eſſe mortiferas.

Reſponſionem noſtram eſſe conformem menti Doctori Gentium patet. Nam in illis duabus epiſtolis oſtendit, legem Moſaycam (quæ ſolis Judæis data fuerat) Jam ceſſaſſe, legemque Chriſti, ſeu novam eſſe omnibus communem, & manifeſtam. Un- *Rom. 3.* de in cap. 3. ejuſdem Apoſt. ad Rom. verſ. 29. ſubditur: *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Imo Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat ex fide Circumciſionem, & præputium per fidem, legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.* Inde enim patet, Apoſtolum dicentem: *Arbitramur hominem juſtificari per fidem, &c.* Loqui de operibus legis Moſaycæ. Et in epiſt. ad Galat. teſtatur ſe ob hanc cauſam reprehendiſſe Petrum, qui per ſimulationem, gentes Judaizare cogebat: ergo ex circunſtantiis earumdem epiſtolarum manifeſtum eſt, Apoſtolum in locis contra nos citatis, loqui de operibus veteris legis, ſeu de Sacrificiis ejuſdem, quæ nedùm inutilia, ſed etiam pernicioſa credimus ad ſalutem, non autem de operibus in lege Chriſti no-

bis præceptis. Nec poſſunt hoc negare Lutherani, quia ut monet Beatus Hilarius, circunſtantiæ Scripturarum ſolent verum Scripturæ ſenſum aperire, & ex uno teſtu ſæpè apparet ſenſus alterius. *D. Hilarius*

Reſpondeo iterum ad argumentum, verba D. Pauli intelligenda eſſe de operibus ante fidem ſuſceptam factis, ut obſervat Beda. Quæ quidem opera nullius ſunt meriti apud Deum, nec concurrunt ad juſtificationem noſtram, ex defectu fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; cùm juxtà communem Sanctorum Patrum mentem, ſint opera mortua; nam ſi ſint aliquandò neceſſaria ad juſtificationem, ut pœnitentia in peccatoribus, numquam tamen illis imputabitur juſtificatio ſeu prima gratia, quæ cùm gratis detur, nullum opus meritorium neceſſariò præſupponit: ergo non nocent authoritates Apoſtoli, nec per ipſas, Lutherani poſſunt noſtram aſſertionem impugnare, quæ eſt de operibus factis poſt ſuſceptionem fidei, ſuntqué ea, per quæ fides operatur, & ſine quibus fides mortua eſt, juxtà monitum D. Jacobi cap. 2. verſ. 26. acproindè vana eſt ac inutilis in ordine ad conſecutionem gloriæ hæc fides mortua, ſeu non operans per charitatem. *Beda.*

Tandem objiciunt illud Apoſtoli ad Rom. 4. verſ. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, ex quo concludunt, Abrahamum fuiſſe juſtificatum per ſolam fidem, ſecluſis operibus, tam præceptis, quàm non præceptis.

Reſpondeo falſam eſſe hanc interpretationem. Ibi enim Paulus non intelligit ſolam fidem juſtificaſſe Abrahamum, ſed ſolum vult inter opera juſtitiæ Abrahæ, comprehendere fidem, quia vult, fidem qua Abraham credidit Deo, fuiſſe opus juſtitiæ, hocque merito voluit Apoſtolus. Quia Abraham credebat Deo fide perfecta, & conſummata, ſic enim credere Deo, eſt habere fidem vivam, ſeu operari in fide, & mandata Dei adimplere, quia, ut inquit Scriptura, Eccl. cap. 32. verſ. 28. *Qui credit Deo, attendit mandatis*, qui autem credit, & non servat ea, vana eſt fides ejus. Fruſtrà nobis in eo apprehendimus (inquit D. Hieronymus epiſt. 9.) cujus mandata non facimus. Qui in Chriſtum credunt, Chriſti ſectantur exempla, ideoque Abraham non fuit juſtificatus præciſè, quia credidit, ſeu ſecluſis quibuſcumque operibus, ſed etiam quia fecit voluntatem Dei, & operatus eſt juſtitiam: amici enim Chriſti ſunt illi, qui faciunt quæ præcipit eis. *reſponſio ad ultimam objectionem.* *D. Hieron.*

Hanc eſſe veram mentem Apoſtoli facilè oſtenditur ex alio Sacræ Scripturæ loco. Nam David Pſal. 105. verſ. 30. 31. laudans facinus Phinees Sacerdotis occidentis Judæum fornicantem cum muliere Madianitide ait: *Et ſtetit Phinees & placavit, & ceſſavit quaſſatio, & reputatum eſt ei in juſtitiam, in generationem, & generationem uſque in ſempiternum.* Nullus tamen affirmat, Phineem fuiſſe juſtificatum per illam occiſionem, licet ſcriptura dicat, ei fuiſſe reputatam ad juſtitiam: ergo nec poſſunt hæretici affirmare, fidem juſtificaſſe Abrahamum; licet Scriptura dicat: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*; cùm eorumdem par ſit ratio. Paulus dum dicit fidem Abrahæ eſſe illi reputatam ad juſtitiam, non vult quòd Abraham per ſolam fidem præciſè fuerit juſtificatus, ſed quod ſic credendo fecerit opus juſtum, & Dei mandata ſervaverit, quia qui credit, ſalvabitur, ſi fidem operibus teneat, ut inquit D. Gregorius Homil. de Aſcenſ. nam inquit D. Auguſtinus, dicis, credo, fac quod dicis, & fides eſt. *Pſal. 105.*

Dicent, quod Apoſtolus ſtatim ſubdit: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratia Dei.* Per hæc verba Apoſtolus duas juſtificationes diſtinguere videtur, & ſignificat unam fieri per fidem ſine operibus, hoc eſt, credentem fieri juſtum, etiamſi non operetur, nec obſervet mandata Dei. Et alteram fieri per fidem & operationem ſimul. Ità diſcurrit Philippus Melancthon, quem ſequuntur plures hæretici recentiores, qui de hac materia ſcripſerunt eumdem Apoſtoli textum adducentes. *argumentũ Melancth.*

Reſpondeo hanc rationem non valere. Quia Paulus loquebatur de operibus poſt fidem & gratiam ſuſceptam factis. Itaque duos in illo loco diſtinguit homines jam juſtificatos: ſunt enim qui poſt fidem & gratiam ſuſceptam, bona opera eliciunt, & iſtis dicit mercedem deberi non ſecundum gratiam, hoc eſt, non gratis, & ex pura liberalitate, ſed ſecundum debitum, quia vita æterna debetur operibus bonis, & meritoriis, ut jam diximus in proprio loco contra Lutheranos. Sunt alii, qui poſt fidem, & gratiam ſuſceptam, nullum bonum opus operati ſunt, non voluntariè; alioquin peccaſſent, cùm voluntaria omiſſio dilectionis Dei, & mandatorum ejus ſit peccaminoſa, ſed propter aliquod accidens, ut contingit illis, qui ſtatim poſt baptiſmum, aut perfectam confeſſionem decedunt, quibus ſola fides reputatur ad juſtitiam. Et vita æterna confertur non ſecundum debitum ut aliis, ſed ſecundum gratiam, & meram liberalitatem Dei Patris, qui hereditatem ſuam dat Filiis, quos ſuâ gratiâ adoptavit. *ſolvitur argumentum Melancth.*

Unde ſicut ſecundis non datur gloria ut merces, & ſecundum debitum, ſed ut hæreditas, quia nullum bonum opus operati ſunt poſt ſuſceptam gratiam, non ex defectu voluntatis ut jam monui, ſed ex defectu temporis: ità nec aliis datur ut hæreditas, & ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum; quia poſt ſuſceptam fidem, tenentur per fidem vincere regna, & operari juſtitiam, ſeu juſtè, piè, ac ſanctè vivere in hoc ſæculo; alioquin non poſſent adipiſci repromiſſiones: ergo Apoſtolus in loco citato non docet Abrahamum fuiſſe juſtificatum per ſolam fidem, neque hanc fidem fuiſſe ei ita reputatam ad juſtitiam, ut ipſa ſolâ eſſet ſanctus, ſicut reputata eſt illis, qui ſtatim poſt ſuſceptionem gratiæ decedunt. Sed docet, fidem vivam, & practicam Abrahæ, eſſe illi reputatam ad juſtitiam, ſcilicet, quia ſic credendo, fecit opus juſtum & meritorium apud Deum vitæ æternæ. Quòd verum eſſe patet ex illo Geneſ. cap. 15. ubi legitur, Deum dixiſſe ad Abraham: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Merces enim ſolitò correſpondet labori, & ideo juſtitia Abrahæ non ſolùm fidei, ſed etiam operibus reputari debet. Et ex illo D. Auguſtini Epiſt. 105. *Idem eſt merces operanti, quod ſtipendium militanti.* *Geneſ. 15.*

ARTICULUS XIV.

Repellit Calviniſtas aſſerentes, fidem amitti per quodlibet peccatum.

Hæretici, qui in præcedenti articulo dicunt, hominem juſtificari, & vitam æternam conſequi per ſolam fidem, ſecluſis operibus, ita ut ſit vere juſtus, & ſanctus (etiam ſi ſit Adulter, Homicida, Fur, Perjurus, Mendax) modò credat in Deum, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unigenitum, tenea-

tur indè aſſerere, fidem eſſe incompatibilem cum quolibet peccato, quia indè ſequitur quòd fides expellit omne peccatum; eùm etiam ſequatur quòd nemo poſſit eſſe juſtus, ſi unum peccatum habeat. Undè Lutherus, Philippus Melancthon, Joannes Spangerbergus, & alii, qui impugnant neceſſitatem bonorum operum, impugnant etiam fidem poſſe in peccatore remanere. Seu credunt fidem amitti per quodlibet peccatum. Hujus erroris fundamentum eſt. Quia aſſerunt, charitatem ità oriti ex fide, eique ità conjungi, ut nollus ſit fidelis; quin habeat eharitatem, ſubindeque nullum eſſe peccatum mortale, quod non expellat fidem, ut legimus apud Lutheranos, & Calvinum ejuſdem hæreſis Aſſertores.

Calviniſta.

§. I.

Probat Peccatorem poſſe habere Fidem.

HÆc hæreſis damnata fuit in Conc. Trident. ſeſſ. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum qui fidẽ ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.* Ex hoc enim canone conſtat, fidem non opponi omni peccato, nec per quodlibet amitti, ſicut amittitur gratia habitualis, aut ſanctificans. Idem declaratur in canone præcedenti, ſeu 27. in quo legitur: *Si quis dixerit nullum eſſe mortale peccatum niſi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi, & enormi præterquam infidelitatis peccato, ſemel acceptam gratiam amitti: anathema ſit.* Nam ſi ſint alia peccata præter incredulitatem, aut infidelitatem, ut in hoc canone definit Concilium contra Lutheranos, certum eſt quòd fides poteſt eſſe cum quolibet peccato, ſi incredolitatem excipias, quia ſola incredulitas, aut infidelitas ſecundum omnes ſuas ſpecies opponitur fidei divinæ & infuſæ.

Tridentinũ.

Undè ut hæretici claré videant, peccatorem poſſe habere fidem, hancque non repelli per quodlibet peccatum, ità ut ille homo, qui unum peccatum commiſit, non remanear infidelis, aut hæreticus, propono ipſis verba Domini noſtri Jeſu Chriſti Luc. 12. verſ. 47. *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui: & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem eſus, vapulabit multis.* Ibi enim Chriſtus ſupponit in ſervo illo, fidem, ut probat illod verbum, *cognovit*, quô Expoſitores intelligunt fidem, quà credimus, Deum inſtituiſſe præcepta. Et nonobſtante hac fide, declarar, eumdem ſervum peccaſſe ex eo quòd non fecerit voluntatem Domini. Et punietur; cùm non facere voluntatem Domini, ſit peccare, ut pater ex definitione peccati ab Auguſtino tradita. Et pœna non detur niſi propter culpam, ut pro certo habemus in regulis juris. Id confirmatur ex illo Matth. 7. verſ. 22. *Multi dicent in illa die, Domine, Domine nonnè in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis quia nunquam novi vos: diſcedite a me, qui operamini iniquitatem.* Illi, quibus Chriſtus loquitur, ſunt peccatores, quia operantur iniquitatem, habent tamen fidem, cùm confiteantur Chriſtum Dominum, dicendo, *Domine, Domine, in nomine tuo, &c.* Ergo ex Sacra Scriptura, fides, quâ credimus in Deum, non expellitur per quodlibet peccatum, per quod excluditur charitas, acproindé hæretica eſt opinio Lutheranorum.

Luc. 12.

Matth. 7.

Idem, nimirum fidem, poſſe eſſe cum peccato, docet D. Jacobus cap. 4. verſ ult. ubi ait: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*, per hæc quippe ſuader, hominem poſſe cognoſcere bonum faciendum. Et nolle facere illud. Hoc eſt, habere fidem mandatorum Dei, & velle eorumdem tranſgreſſionem, acproindè fidem eſſe in ipſo ſimul cum peccato; cùm ille, de quo agit Apoſtolus, credat Deum, bonum præcipere. Et nolit facere illod.

Jacob. 4.

Dicent forſan hæretici, Chriſtum, & Apoſtolum loqui de ſcientibus bonum per cognitionem naturalem, per quam aliquod bonum cognoſci poteſt ab aliquo, quin ab ipſo fiat, non verò de ſcientibus per fidem veram, divinam, & infuſam, quâ credimus in Deum, ipſiuſque novimus præcepta.

Sed non valet hæc impugnatio, quia hujuſmodi authoritates intelligendæ ſunt de fidelibus reduplicativé, hoc eſt, de his ad quæ fideles obligantur virtute baptiſmi, & fidei ſeu Evangelij, ut notat Venerabilis Beda prædicta verba D. Jacobi ſic interpretans: *Per totum hujus epiſtolæ textum, beatus Jacobus oſtendit, quòd hi, quibus ſcripſit, ſcientiam boni faciendi habebant, ſimul & fidem rectam didiſcerant, ità ut & aliis Magiſtros fieri poſſe præſumerent, nec tamen operum perfectionem, neque mentis humilitatem, neque continentiam adhuc ſermonis erant adepti: unde illos modo inter alia increpationis, & exhortationis verba non minimum terret in eo, quod ſcientem bona facere, & non facientem quæ novit, majus dicitur habere peccatum, quam illum, qui ignoranter delinquit. Tamen ſi nec ille prorſus, à reatu liber eſſe poteſt, qui neſciens erravit, cum ipſa boni ignorantia non parum ſit malum, hinc etenim Dominus ait: Servus qui cognovit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis.*

Beda.

Hæc verba evidenter demonſtrant, D. Jacobum non ſolùm loqui de eo, qui per rationem naturalem abſque fide cognoſcit bona, quæ agenda ſunt; ſed etiam de illo, qui bonum cognoſcit per veram fidem; nam Chriſtus loquitur de bonis divinis & ſupernaturalibus; nobis divinitus revelatis, quæ per ſolam fidem infuſam cognoſcuntur. Multi credunt, plura eſſe facienda, quæ tamen non faciunt. Nam Chriſtus Matth. 23. verſ. 3. inquit de Scribis & Phariſæis ſuper Cathedram Moyſi ſedentibus; *Omnia quæcumque dixerint vobis ſervate, ſecundum verò opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Hoc eſt, credunt, & non obediunt, ſeu non portant jugum quod imponunt aliis: itaque credebant, & peccabant, non in fide, ſed in charitate, quia qui diligit Deum, mandata ejus ſervat: & plures ſunt qui credunt Evangelio, & non obſervant illud.

Matth. 23.

Idem ſuadetur ex illo Joan. 1. *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius.* Quô declaratur, hominem non eſſe filium adoptivum, ſeu juſtum per fidem, ſed per aliquid aliud; cùm tantum illis, qui jam habent fidem, dederit poteſtatem filios Dei fieri, ut conſtet ex verbis præcedentibus: *quotquot autem receperunt eum, dedit, &c.* ex quo ſequitur, hanc poteſtatem fuiſſe datam fidelibus; cùm recipere Chriſtum, & credere in Chriſtum, ſit unum & idem: Igitur id, per quod homo eſt filius Dei, nimirum gratia, aut charitas, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, poteſt tolli per Adulterium, v. g. Homicidium, Perjurium, aut per aliquod aliud dictum, aut factum, vel concupitum contra legem Dei; quin tollatur id, per quod creduot in nomine Chriſti, utporè fides: nam Chriſtus non dixit, illos, qui eredunt in nomine Chriſti, eſſe ſtatim filios Dei, ſeu Sanctos, & hæredes regni cœ-

gratia tolli tur aut recedit ab anima, quin tollatur fides.

leſtis, ſed dixit ſolùm, eos habere poteſtatem ut poſſint filios Dei fieri. Et inde docuit, fidem eſſe initium adoptionis in filium, id eſt, nullum poſſe eſſe filium Dei adoptivum; quin priùs credat, non autem habere perfectam adoptionem per fidem, & ideo certum eſt, fidem, & adoptionem diſtingui, acproindè fidem non tolli per peccatum, per quod tollitur adoptio, ſeu gratia aut charitas, quæ eſt ſpiritus qui teſtimonium reddit, quòd ſumus filij Dei.

Hoc faterentur hæretici, ſi vellent ratione naturali uti, hæc enim docet quodlibet prius poſſe eſſe ſine alio poſteriore, ut patet in quolibet compoſito phyſico, & naturali, & in omni ædificio materiali cujus fundamenta poſſunt remanere; quin cætera remaneant. Sed fides eſt prior ſpe, gratiâ, & charitate (quamvis horum major ſit charitas, teſte Apoſtolo) cùm fides ſit fundamentum illarum virtutum, & ſubjectetur in intellectu, gratia autem aut charitas in voluntate: ergo intellectus poteſt retinere fidem, ſeu credere in Deum (quia ut credat non eſt neceſſè quòd amet) & poteſt veré amittere ſpem, & gratiam per peccatum deſperationis, quod opponitur ſpei, & gratiæ, & non opponitur fidei, ſicut incredulitas, quamvis voluntas nequeat retinere actus independenter ab influxu intellectus, quia nihil eſt volitum; quin præcognitum, & aliquid poteſt eſſe cognitum; quin ſit volitum. Plura quidem videmus, quæ tamen nolumus, & nihil volumus quod non videamus. Eadem ratione poſſumus credere & non amare, audire legem, & nolle eam obſervare. Quòd idem eſt ac credere, & peccare, habere fidem ſimul cum peccato, ſi incredulitatis, aut infidelitatis peccatum excipias.

fides eſt fundamentum ſalutis.

Eadem veritas firmatur ex illo Joan. cap. 12. verſ. 42. & 43. ubi idem Evangeliſta ait: *Verumtamen & ex principibus multi Crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur ut è Synagoga non ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei*, ex his quidem facilè colligitur, illos de quibus textus loquitur, fidem habuiſſe cùm rectè crederent in Chriſtum, non verò charitatem, ſeu gratiam ſanctificantem. Tum quia timore Phariſæorum perterriti dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei (in quem credebant) Quòd eſt peccatum contra præceptum de Deo ſuper omnia diligendo, expellens charitatem. Tum quia illi principes non audebant ore confiteri Jeſum Chriſtum, quem per fidem cognoſcebant. Quòd eſt etiam peccatum, ut fatentur omnes Sancti Patres, & Theologi, ideoque cùm Evangeliſta nobis indicet, homines habentes fidem, ac credentes in Jeſum Chriſtum, eſſe ſine charitate, ſeu peccatores, ut patet ex his duobus teſtimoniis Chriſti: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non eſt me dignus. Qui negavit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo* (Nam hi duo textus declarant peccatores, eos, qui amant plus gloriam hominum, quàm Dei in quem credunt, & qui non confitentur Chriſtum in quem credunt) hæretici non poſſunt aſſerere, fidem amitti per quodlibet peccatum, ſicut charitas amittitur aut hominem eſſe infidelem per quodlibet peccatum.

Joan. 12.

Undè venerabilis Beda in Commentariis ſuper Joannem eadem verba interpretans ait: *Loquente Domino Jeſu Chriſto apud Judæos, & tanta miraculorum ſigna faciente, quidam crediderunt prædeſtinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves ſuas, quidam verò non crediderunt, nec poterant credere, eo quod occulto, nec tamen injuſto judicio Dei fuerunt excæcati, alij verò palam credentes, & cum ramis palmarum occurrentes, alij verò occultè credentes, ſed propter Phariſæos non confitentes, quos Evangeliſta notavit dum dixit; dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Gloria Dei eſt publicè confiteri Chriſtum, ſicut Martyres Sancti fecerunt, de quibus alio loco Dominus ipſe ait, qui me confeſſus fuerit hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Sunt igitur homines qui peccant non confitendo Deum ore, qui tamen retinent fidem in corde.

Beda.

Hanc ipſam neceſſitatem confitendi Deum, prius docuerat D. Auguſtinus lib. de fide & ſymb. cap. 1. dicens: *Salvi eſſe non poſſumus, niſi ad proximorum ſalutem nitentes, fidem opere profiteamur quam etiam corde geſtamus, fides a nobis exigit officium & cordis, & linguæ.* Nonne ex his verbis Evangeliſtæ ſic expoſitis, ſignificatur, hominem habentem fidem in corde, qualem habuit Petrus, poſſe peccare contrà præceptum de fide exteriùs profitenda, ut de facto peccavit ipſe Petrus, acproinde præter incredulitatem, aut infidelitatem dari alia peccata mortalia, per quæ minimé tollitur fides, quæque fidelis poteſt committere; quin fiat infidelis, aut hæreticus: quamvis fiat peccator, ut definivit Gregorius Papa XI. teſte Nicolao Elmerico in ſuo directorio inquiſitionis.

D. Auguſt.

Hanc deciſionem Apoſtolicam confirmat Paulus ad Titum cap. 3. verſ. 10. dicens: *Hæreticum hominem, poſt primam & ſecundam correptionem devita.* Quòd tamen dicitur de quolibet peccatore, imo leginus. peccatores eſſe admonendos, & corripiendos. Et ſi non audierint correptorem, teſtes ſunt adhibendi, unus aut duo, & ſi non audierint eos, denunciandi ſunt Eccleſiæ: ergo Apoſtolus agnoſcit alia peccata præter infidelitatem. Et vult quòd homo non perdat fidem, nec fiat hæreticus per quodlibet peccatum, ſed ſolùm per infidelitatem, & negationem veritatis revelatæ, hoc eſt, non credendo, non verò negligendo mandata Dei, quæ negligi poſſunt ab his, qui credunt in Deum, qui tunc habent fidem, & non habent charitatem, qui tunc non amant eum, quem per fidem cognoſcunt.

Ad Titum cap. 3.

Non parum juvat afferre authoritatem Apoſtoli 1. ad Corint. cap. verſ. 2. ubi ait: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, ibi enim clarè ſupponit fidem poſſe eſſe ſine charitate, hoc eſt, in peccatore, in quo non eſt charitas; cùm dicat ſi habuero fidem, & charitatem non habuero.

1. Corint. cap. 13.

Hæretici reſpondent, Apoſtolum locutum fuiſſe per exagerationem, & ex impoſſibili quodam ſuppoſito argumentatum eſſe.

Sed non valet hæc reſponſio, quia omnes expoſitores aſſerunt, Divum Paulum dixiſſe id quod fieri poteſt, & quotidiè evenit: Nam D. Anſelmus in comment. ſuper Paulum inquit: *Salvator dixerat fidem quæ fuerit ſicut granum Sinapis, montes poſſe transferre, & nunc Apoſtolus dicit, omnem fidem eſſe quæ montes transferrat, unde intelligitur perfectam eſſe fidem, quæ grano Sinapis comparatur, & hoc non propter exiguitatem, ſed propter integritatem dictum eſt, ſed fides ſine charitate nihil valere ad ſalutem, quia Dæmones habent hujuſmodi fidem.* Igitur ibi Apoſtolus loquitur de re nedum poſſibili, ſed etiam actuali, ſcilicet quia videbat Corinthios in invocatione Dei totaliter reponere perfectionem Chriſtianam. Et ut viderent aliquid aliud eſſe neceſſarium, ſcilicet dilectionem Dei & proximi, dixit: *Si habuero omnem fidem, &c.* & ſic docuit, fidem perfectam, hoc eſt, integram poſſe eſſe in homine peccatore, cùm ibi Apoſtolus loquatur de illa fide cujus virtute, homo, qui haberet illam, poſſet tranferre montes ut de D. Gregorio Thaumaturgo legitur, & loquatur de fi-

D. Anſelm.

Digitized by Google

de comparativé ad charitatem ſupernaturalem.

Tamen obiter obſervandum eſt quòd in peccatore hæc fides eſt informis, & mortua; charitas enim eſt veluti forma perficiens fidem. Quare apud Sanctos Patres dicitur forma fidei. Hoc præcipué infertur ex D. Bernardo ſerm. 24. In cant. ubi ait:

D. Bernard.

Mors fidei eſt ſeparatio charitatis, credis in Chriſtum? fac opera Chriſti, ut vivat fides tua, fidem tuam dilectio animet, probet actio, non incurvet terrenum opus, quem fides cæleſtium exigit. Quibus aperté demonſtratur, charitatem eſſe formam fidei, ſicut anima eſt forma corporis, fidem ſine charitate mortuam eſſe, ſicut corpus ſine anima mortuum eſt, id eſt, fidem vivere per charitatem, ſicut corpus vivit per animam, juxtà illud D. Jacobi: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Nam ibi Apoſtolus per opera intelligit charitatem, quæ eſt principium operationum ſupernaturalium.

Nec valet dicere cum hæreticis, fidem mortuam, non eſſe veram fidem Theologicam. Non valet inquam. Nam ſicut corpus remanet verum corpus, ſuamque formam corporeitatis retinet, animâ recedente, ità fides ſine charitate vera fides eſt: quávis ſit mortua, id eſt, nullius ſit utilitatis. Nam fides non pendet à charitate entitativé, ſeu ut ſit, ſed

D. Auguſt

tantum meritoriè, id eſt, ut proſit, ut monet D. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 17. ubi ait: fidem ſine charitate eſſe poſſe, prodeſſe non poſſe, niſi de congruo; hinc eſt, quòd Theologi ſcholaſtici exiſtimant, peccatorem poſſe ſperare & pœnitere imperfectè per attritionem ſupernaturalem, & Deum ut Authorem ſupernaturalem orare, adorare, ei obſequi, & inſervire quantum ad aliqua præcepta, quæ occurrunt obſervanda: igitur homo exiſtens in ſtatu peccati (ſi infidelitatem, aut incredulitatem excipias) conſervat fidem, cùm non valeat ſperare, nec pœnitere ſine fide infuſa, & ſupernaturali.

§. II.

In quo reſolvitur, Fidem ſolam non juſtificare Hominem.

HÆretici hunc errorem de fide per quodlibet peccatum removenda, tuentur per aliam hæreſim, nimirum ex eo quòd ſola fides juſtificet; nam (inquiunt) ſi ſola fides juſtificet: ergo omnis fidelis eſt juſtus, quia credit, & quamdiu crediderit, erit juſtus, & per conſequens cùm quodlibet peccatum expellat juſtitiam, & ſanctitatem, ut docent communiter omnes Theologi, quodlibet peccatum debet expellere etiam fidem, quà juſtificamur, aut ſumus Juſti, & Sancti atque filij Dei adoptivi, & conſortes divinæ naturæ. Porro iſtud Hæreticorum argumentum non indiget expreſſa reſponſione. Quia ut ex dictis patet, homo non juſtificatur per ſolam fidem, ità ut homo ſit juſtus, ſi credat, licet non diligat, ut enim juſtus ſit, debet habere fidem, quæ per charitatem operatur, ſeu vivam per charitatem, quæ ut jam dixi, eſt forma fidei, ſine qua ipſa fides nihil prodeſt, ut teſtatur D. Jacobus cap. 2. verſ. 14. dicens: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, &c.* Hæc autem charitas tollitur per quodlibet peccatum; quin tollatur fides ſimpliciter; ergo fides remanet in homine peccatore. Et non per quodlibet, ſed per Infidelitatis, aut incredulitatis peccatum dumtaxat, tollitur.

Fides non juſtificat formaliter.

Jacob. 2.

§. III.

Reſpondet Hæreticis.

CAlviniſtæ credunt Indiviſibilem eſſe connexionem inter fidem, & charitatem, volunt enim iſtam ex illa procedere, ſicut lux procedit à ſole. Et indè concludunt, fidem expelli per id, quô expellitur charitas. Sed charitas expellitur per quodlibet peccatum: ergo etiam fides. Idque confirmant authoritate Sanctorum Patrum, qui dicunt quòd quando abeſt charitas, fides non eſt vera: ſed in peccatoribus non remanet charitas: ergo nec fides. Et indè inferunt cum Luthero, nullum dari peccatum præter incredulitatem, ſaltem proprium, & mortale, quia (inquiunt) ſi peccatum tollat fidem, neceſſe eſt quod nullum ſit peccatum mortale, niſi infidelitas, quà tantum fides amittitur, & ipſius amiſſione homo conſtituitur peccator, & à numero juſtorum excluditur.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, nimirum idemtitatem fidei cum charitate, nam fides eſt prior ſpe, & charitate, quia actus fidei communiter requiritur ad actus aliarum virtutum; cùm fidei ſit oſtendere finem ſupernaturalem, ad quem tendunt aliæ virtutes, ſitque ipſa fides fundamentum totius ædificij ſpiritualis, de quo loquitur Apoſtolus 1. Corint. cap. 3. dicens: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Et poſt ipſum Apoſtolum, Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 8. Unde cùm fundamentum exiſtere poſſit; quin exiſtam ea, quæ illi addita fuere: quamvis hæc nequeant ſine illo fundamento exiſtere; ità fides infuſa, & vera poteſt exiſtere in anima ſine charitate cujus eſt fundamentum, licet ipſa charitas nequeat exiſtere deficiente fide, eo quod deſtructo fundamento, deſtruantur cætera, quæ in eo ſubſiſtunt, aut quorum eſt fundamentum totaliter: Igitur fides, & charitas ſunt duæ virtutes inter quas non reperitur idemtitas realis. Et dum charitas recedit per peccatum aliquod (ſi infidelitatem excipias) fides remanet vera, & realis; licet mortua ob receſſum charitatis, quæ eſt forma fidei.

evellitur hæreticorū fundamētū.

Ad confirmationem reſpondeo primo negando ſuppoſitum, utpoté nullum eſſe peccatum, niſi incredulitatem. Nam Paulus ad Corinth. cap. 6. verſ. 9. & 10. declarat oppoſitum, dicens: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.* Ergo adulterium, fornicatio, avaritia, &c. ſunt peccata mortalia; cum excludant à regno Dei, quô per peccatum mortale dumtaxat privamur, & tamen non includunt incredulitatem.

1. Corint. 6

Reſpondeo ſecundo. Sanctos Patres (præſertim, Cyprianum in libro de ſimplicitate Prælatorum) dicentes, fidem eſſe veram, & Theologicam tantùm dum adeſt charitas, non negare abſoluté, fidem poſſe eſſe ſine charitate ſimpliciter, & entitativè, ſed ſolū in ordine ad bonum ſupernaturale, ſeu ad juſtificationem. Quia Sancti Patres dum de fide ità loquuntur, intelligendi ſunt de fide ità completa, operativa, & formata ſeu viva, quæ non eſt talis in homine, niſi quando adeſt charitas, juxtà illud D. Auguſtini, *cum dilectione fides Chriſtiani, ſine dilectione fides Dæmonis.* Nos autem dum dicimus, fidem poſſe remanere in homine ſine charitate, loquimur de fide mortua, imbecilli, languida, & invalida ad ſalutem, quæ tamen conſtituit hominem fidelem,

D. Cyprian.

D. Auguſt.

& Chriſtianum

& Chriſtianum, & poſteà reviviſcit per veram pœnitentiam, quam peccator agere valet mediante ſpeciali Dei auxilio, quod peccator ſperare poteſt; cùm Deus dicat peccatoribus: *Convertimini ad me, pœnitentiam agite &c.* Hinc eſt quòd fides non tollitur per quodlibet peccatum, ſicut tollitur charitas, ſeu quòd fides poteſt remanere in peccatore, in quo non remanet charitas.

Iterum ſuaderi poteſt hæc veritas Catholica ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. dicente, *Nihil eorum quæ juſtificationem antecedunt, ſive ſit fides, ſive opera, meretur juſtificationem.*
Tridentinum. Ibi enim Concilium declarat, fidem non dependere à charitate in eſſendo; cùm velit, hanc fidem antecedere juſtificationem ſive charitatem, aut gratiam habitualem, quæ eſt forma juſtificationis noſtræ, & prius poſſit eſſe ſine poſteriori. Ex eodem Tridentino, ſupponitur, hanc fidem eſſe in peccatore, nam Patres hujus Concilij loco citato dicunt, ipſum peccatorem non poſſe per fidem mereri gratiam habitualem, quâ formaliter juſtificamur: ergo ſupponunt quòd ille peccator, ſeu homo non juſtificatus, habet fidem ſine gratia, aut charitate, aliàs Irriſoria eſſet propoſitio Concilij, quia ſi nullus peccator poſſet habere fidem, ſuperfluum eſſet dicere, peccatorem non poſſe per fidem mereri juſtificationem. Quoniam in ſenſu hæreticorum qui diceret peccatorem, diceret etiam hominem non habentem fidem; ideoque cùm irriſoria non ſit propoſitio Concilij Tridentini, dicendum eſt, fidem quæ antecedit juſtificationem in gratia & charitate conſiſtentem, poſſe eſſe in homine ſine gratia ſanctificante, huncque hominem poſſe eſſe peccatorem & non infidelem.

ARTICULUS XV.

Increpat Fælicianum lumen fidei, Rationis lumini ſubijcientem.

Noſter Alphonſus à Caſtro lib. 7. adverſùs hæreſes, verbo, *Fides*, aſſerit, nullum hæreticum præter Petrum Abailardum incluſiſſe fidem intrà limites humani intellectus. Solus (inquit) Abailardus putat non credenda, quæ intellectus noſter non poteſt comprehendere. Non in revelatione, non in Deo atteſtante, ſed in ſola ratione naturali reponebat credibilitatem rerum fidei, & articulis fidei aſſenſum præbebat ex vi propriæ ſuæ, & privatæ ratiocinationis, ſed ſalvâ reverentiâ tanti viri eruditiſſimi, atque verſatiſſimi adverſus hæreſes:
Manichæi Manichæi fuerunt hujus erroris inventores. Nam teſte D. Auguſtino libro de utilitate credendi, docebant, ſuperſtitioſum eſſe fidem ante rationem imperare, volentes nihil eſſe credendum niſi quod ratio ſuaſerit.

Alter Scriptor, ſcilicet Prateolus eodem Alphonſo poſterior in Elenchon hæreticorum advertit quòd
Fælicianus Fælicianus quidam, ſectâ Arianus, D. Auguſtino Coævus. Sub Theodoſio hujus nominis primo Imperatore, & Syricio Romano Pontifice, circà annum Domini CCCXCV dicebat, rationibus potiùs quàm Scripturæ teſtimoniis in fidei diſciplina agendum eſſe. Eumdem errorem innovavit poſteà ſcilicet anno MCXLIII. ſub Conrado III. & Cæleſti-
Abailardus no II. Petrus Abailardus (de quo ſatis locuti ſumus in primo libro) qui, teſte D. Bernardo Epiſt. 190. ſentiebat ea dumtaxat credenda eſſe, quæ noſtra mens duce ratione poteſt comprehendere.

Contra hanc hæreſim nullum inveni Concilium in quo expreſsè definitum ſit, in diſciplina fidei non rationibus humanæ ſapientiæ, ſed teſtimoniis Sacræ Scripturæ agendum eſſe; licet ſit hæreticum aſſerere, intellectum noſtrum teneri credere ea tantùm, quæ ratione propria comprehendit, quia hoc eſt directè oppoſitum univerſæ Eccleſiæ, & S. Patribus; præſertim D. Gregorio homil. 26. affirmanti fidem non habere meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Oppoſitum eſt etiam Scripturæ Sacræ; ut ex dicendis manifeſtum erit.

§. I.

In quo probatur humanam rationem eſſe ſubijciendam fidei.

Doctor gentium 1. Corinth. cap. 2. Manichæorum, Fæliciani, & Abailardi errorem reiicit, & declarat, humanam rationem non eſſe ſufficiens fundamentum, quô niti poſſit fides noſtra: ibi enim 1. Corin. 2.
ait: *Et ego cum veniſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientia, annuncians vobis teſtimonium Chriſti* quo ſuadet ipſe Paulus, ea, quæ credenda ſunt, non eſſe attingenda per humanam ſapientiam, neque edocenda, vel manifeſtanda per humani diſcursùs ſublimitatem; alioquin ſcripſiſſet ad Corinthios in ſublimitate ſermonis ſcilicet perfectè diſcurrendo; erat enim Zelo, & doctrina plenus, ſed attingenda eſſe in verbo Dei Scripto, quod eſt Sacra Scriptura, ſtatim enim ſubdit: *Et ſermo meus, & Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.*

Hæc demonſtrant, ea, quæ Paulus annunciabat in prædicatione ſua, ſeu myſteria fidei, aut Chriſtum; quem prædicabat Crucifixum, non poſſe attingi per ſapientiam, ſeu ſcientiam hominum, benè verò per fidem, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium; & per virtutem Dei quam nemo principum hujus ſæculi cognovit propriis viribus. Hujus veritatis rationem aſſignat verſ. 11. ubi ait: *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt, ita hæc quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Domini*: Nonné humana ratio in vanum laboraret, ſi ea, quæ Dei ſunt, ſeu quæ nobis revelata ſunt, vellet cognoſcere, & comprehendere propriis luminibus; cùm ex Apoſtolo nemo noverit ea, niſi Spiritus Dei; qui cùm habitet lumen inacceſſibile, ad eum non per rationem, ſed per fidem accedendum eſt.

Unde Idem Apoſtolus in Epiſt. ad Heb. cap. 11. ait: accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt, quia impoſſibile eſt ad Deum gratiæ Authorem accedere, eique placere, niſi per fidem. Et 2. ad Corinth. cap. 2. Corint. 10.
10. docet quòd oportet captivare intellectum, & redigere illum in obſequium Chriſti; nulla autem eſſet captivitas intellectus, ſi non teneret credere niſi ea, quæ evidenter apparent, & ſolum per naturalem rationem innoteſcunt, quia captivare intellectum in obſequium Chriſti, idem eſt, ac non diſcurrere ſolo lumine naturali circa ea, quæ ſunt Chriſti; & credere ea quæ non videt, nec poteſt comprehendere per rationem naturalem.

Hinc eſt quod D. Auguſtinus ait: *Fides eſt virtus, quâ creduntur quæ non videntur.* Et Chriſtus dixit *D. Auguſtinus.*
Thomæ Joan. 20. verſ. 29. *Quia vidiſti me credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hoc eſt, Beati qui non cognoverunt per rationem naturalem; neque per demonſtrationem ſenſibilem, & tamen ſubjecerunt intellectum obſequio fidei divinæ Et Matth. 16. verſ. 17. dixit Petro: *Beatus es Simon Bariona; quia caro & Sanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in Cælis eſt*, ubi nomine carnis, &

Matth. 16. Sanguinis ſignificatur naturalis intellectûs operatio, & virtus, ac ſi dixiſſet Petro, qui eum Dei Filinm conteſtatus fuerat, Beatus es, quia non rationem humanam, ſed revelationem Patris mei ſecutus es, dum dixiſti mihi, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: Igitur in diſciplina fidei non rationibus, ſed Scripturæ teſtimoniis agendum eſt. Nec debemus credere tantùm id quod ratio ſuadet, ſed quòd Scriptura aſſerit, nobiſque per Eccleſiam Chriſti revelavit: quamvis humana ratio nequeat attingere illud. *D. Damaſcenus.* Nam fides, ut inquit Divus Damaſcenus, eſt non inquiſitivns conſenſus, aut ut volunt alij, eſt certitudo animi quædam de abſentibus ſuprà opinionem, & infrà ſcientiam. Hinc eſt quòd fides non eſt ex viſu, ſeu ex re cognita, ſed ex auditu, qui eſt per verbum Dei.

Altera hujus veritatis ratio non minus efficax *Hebr. 11.* deſumitur ex eodem Apoſtolo ad Heb. 11. à quo fides ſic deſinitur: *ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium.* Nam dicere argumentum non apparentium, eſt dicere quòd fides eſt earum rerum, quæ non videntur, aut quas nos ratione naturali inveſtigare non poſſumus, quia ſi humana ratio poſſet ea inveſtigare, nulla eſſet in nobis fides infuſa; cùm omnia apparerent rationi humanæ ſicut res naturales, quæ quamtumvis occultæ diſcernuntur à Philoſophis, ideoque ut aliquid credamus, ſuperfluum eſt ſperare quòd humana ratio demonſtret illud.

Fides eſt de rebus non apparentibus. Nec valet dicere, Apoſtolum ibi non præbuiſſe fidei definitionem, ſed laudem quamdam, ut obſervat Eraſmus. Non valet inquam, quia verba Apoſtoli ſive ad fidei definitionem, ſive ad laudem ſpectent, certum ſemper eſt, D. Paulum per hæc ipſa verba, vera de fide pronunciaſſe, ac pruindè fidem eſſe argumentum non apparentium; alioquin Paulus natnram fidei penitùs ignoraſſet aut indebitas laudes fidei adhibuiſſet. Quòd eſt manifeſtè falſum, quoniam ea, quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam,& ad manifeſtandam nobis veritatem,ſcripta ſunt.

Minus valet dicere, Apoſtolum non loqui de ea fide, quâ credimus ea, quæ credenda ſunt, ſed de fide quâ alicui confidimus, hoc eſt, de fiducia. Non valet, nam idem Apoſtolus ſtatim ſubjungit multa, quæ ad fiduciam referri non poſſunt, nam verſ. 3. ait: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus, viſibilia fierent.* Et verſ 6. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit &c.* Quæ non fiduciæ, ſed veræ fidei convenire poſſunt, ut teſtantur *D. Auguſt.* D. Auguſtinus lib. 9. *D. Bernard.* homil. 32. D. Bernardus adverſus Petrum Abailardum. *Theophilactus.* Et Theophilactus in comment. ſuper Paulum: Igitur verba Apoſtoli ad Heb. 11. verſ. 1. non fiduciam, ſed veram fidem definiunt, & ab ipſa humanæ rationis conatus elongant, ut diſcamus, ſolam rationem humanam non poſſe probare, nec ſuadere id, quod credendum eſt, Deo revelante. Nec ſufficit nobis ad ſalutem conſequendam credere ea, quæ ratio ſuadet, ut voluit Abailardus contra communem Eccleſiæ ſenſum, quò non Dialecticis, ſed Piſcatoribus, hoc eſt, non rationi, ſed Eccleſiæ Chriſti, aut Apoſtolis tenemur credere, noſtrumque intellectum in obſequium fidei captivare, & in ſervirutem redigere, non enim cognoſcimus ut credamus, ſed credimus ut agnoſcamus, ut inqnit Divus Auguſtinus tract. 4. in Joan. ponderans illud Iſai 7. verſ. 9. *Si non credideritis, non permanebitis.* Sola fides elevat intellectum noſtrum ad cognitionem rerum ſupernaturalium.

Idem Apoſtolus, hanc ipſam veritatem affirmat in Epiſt. ad Rom. cap. 4. verſ. 18. ubi de Abrahamo ſic loquitur, *Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret Pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei.* *Rom. 4.* Per *contra ſpem* ſignificatur *contra rationem*, id eſt Abraham credidit contra id quod ratio ſuggerebat, aut ei ſperandum proponebat, quia ex natura, nulla erat ei ſpes, ſeu ratio, aut apparentia ut generare poſſet, eo quod ipſe erat ætate confectus, centenarius enim erat, Sara autem ejus uxor, ex qua fuerat illi Semen promiſſum, erat etiam ſenex, & ſterilis, ideoque juxtà rationem non erat ſpes, nec probabile erat ratione naturali, ut Sara & ſenex, & ſterilis ex homine ſene foret conceptura, his tamen non obſtantibus, Abraham independenter à ratione credidit Deo dicenti illi, *Geneſ. 17.* Geneſ. cap. 17. verſ. 16. *benedicam ei* id eſt Saræ, *& ex illa dabo tibi Filium* &c. & ſperavit habere Filios contra propriæ rationis dictamen: ergo in his, quæ credenda ſunt, inutilis eſt ratio, quia hæc ſunt ſuprà rationem, alioquin immeritò Apoſtolus laudaſſet Abrahamum, qui contra ſpem credidit, hoc eſt, contra rationem credidit poſſibilia eſſe ea, quæ illi promiſerat Deus, quamvis juxta humanæ rationis dictamen, illi ità impoſſibilia viderentur, ut intra limites humanæ rationis ſtetiſſet,& numquam credidiſſet,aut ſperaſſet habere Filium.

Immeritò etiam Zacharias fuiſſet punitus, qui partum uxoris ſuæ, quam ſenem, & ſterilem ſciebat, credere noluit, legimus enim Luc. 1. verſ. 18. *Et dixit Zacharias ad Angelum: undè hoc ſciam: ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis* quinimo potiùs præmiandus, & laudandus fuiſſet ab omnibus, quoniam in ſenſu hæreticorum, credendum eſt tantùm id, quod ratio ſuadet; cùm pro Zacharia extaret ratio quæ dictabat illi, ſenem uxorem non poſſe parere. Sed fuit veré, & merito punitus quia noluit credere, ut teſtatur idem Evangeliſta verſ. 20. ubi refertur, Angelum dixiſſe Zachariæ: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo*: Ergo in his, quæ credenda ſunt, ratio naturalis minimè audienda eſt, ſed Sacra Scriptura, quia hæc eſt quæ teſtimonium perhibet de Chriſto. Quare Augu- *D. Auguſt.* ſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana: ait, *Hæc ſcientia nihil præcipit niſi charitatem, nihil culpat niſi cupiditatem, quidquid ergo ad hoc pertinet, proprium ejus eſt, quidquid autem ad hoc non pertinet, fictum eſſe cognoſcas.* His quidem verbis indicat, Scripturam Sacram eſſe veram regulam nobis datam à Deo, ut ad cognitionem rerum ſupernaturalium deveniamus. Quæcumque enim Scripta ſunt, ad noſtram doctrinam Scripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus, quæ quidem ſpes firmatur fide, quæ ut ait D. Bernardus *D. Bern.* ſerm. 76. in Cant. *Attingit inacceſſa, falſi neſcia, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, tranſcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac uſum naturæ, ipſam denique æternitatem ſuo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumcludit.* Tandem naturali lumini fidem eſſe anteponendam patet ex illo Matth. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus, Ipſum audite* hac quidem voce de Cœlo allata, tenemur audire Chriſtum, & ipſius Evangelio rationem noſtram ſubjicere.

§. II.

Proponit, & diſſolvit Hæreticorum Argumenta.

ABailardus objicit illud Eccleſiaſtici 19. *Qui citò credit, levis eſt corde.* Credere autem citò (inquit) eſt adhibere fidem rei propoſitæ ante manifeſtam illius evidentiam, & veritatem compertam per rationem. Unde ſi ſtultum ſit citò credere, hoc eſt, adhibere fidem ante rationem, certum eſt quòd nullus tenetur credere ea, quæ in Scriptura revelaotur, ſi ea per rationem non comprehendit.

Reſponſio ad Abailardum. Reſpondeo, ſenſum litteralem illius oraculi eſſe intelligendum de fide humana, ſeu de mutua inter homines ipſos credulitate, noo verò de fide in Deum, io cujus obſequium captivandus eſt intellectus juxtà D. Pauli monitum, nam in illo loco ab hæreticis citato, Spiritus S. docet, fidem humanam non eſſe adhibendam, niſi cum prudente deliberatiooe, quippecum nitatur teſtimonio hominis, qui errori, & mendacio obnoxius eſt, nullus debet facilè præbere aures alienam vitam vacillantibus, ac carpentibus, unde cap. 6. verſ. 6. & 7. ait: *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille, ſi poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & ne facile credas ei*, quibus liquidò conſtat, authorem hujus libri Eccleſiaſtici intelligendum eſſe de fide humana, quæ non debet citò adhiberi, quia omnis homo eſt mendax: fidei autem non poteſt ſubeſſe falſum.

Alios Scripturæ textus adducunt hæretici fidem humanæ rationi ſubjicientes, quibus ſignificari videtur prius eſſe examinandum quid credi debeat, ſic Luc. 1. de Virgine dicitur quòd illa non leviter Angelo myſterium Incarnationis nunciati crediderit, ſed cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Ad Theſſal. 1. cap. 5. dicitur: *Omnia probate, quod bonum*
Theſſal. 5. *eſt, tenete*: 1. Joan. cap. 4. *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint*, etenim ex illis
1. Joan. 4. omnibus, & ex aliis ſimilibus textibus, hæretici concludunt, examen intellectus eſſe ità præmittendum, ut nulli liceat credere, nec fidem adhibere articulis nobis revelatis, quin prius eos approbaverit ratio naturalis, quà & arte hominum genus vivit, ut notat Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſic. Ec ſemper deprædatur ad optima lib. 1. Etich.

Reſpondeo negando eorumdem textuum interpretationem. Ad primum dico, Beatam Virginem prudenter quidem examinaſſe, an qui loquebatur eſſet verus, aut ementitus nuntius, quia multi *Reſponſio ad alios hæreticos.* Pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum, nec diu in iſta dubitatione hæſit, ſed quemadmodùm, nec citiùs, ità nec tardiùs credidit quàm oportuit, & ideo ejus fides commendatur ab Elizabetha ei dicente: *Beata quæ credidiſti*, non tamen credidit propter ullam rationem humanam, quia ei oſtendebat falſa, & incredibilia eſſe ea, quæ annuntiabat illi nuntius, cum ex illa ſit impoſſibilis conceptio, ubi nulla eſt viri cognitio, ideoque numquam dixiſſet: *Ecce Ancilla Domini*, ſi credidiſſet propter rationem, Idcircò credidit propter hoc divinum teſtimonium ſibi ab Angelo propoſitum: *Quia non erit Impoſſibile apud Deum omne verbum*, hoc enim audito, Maria ſtatim reſpondit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ec Dei Imperio ſe ſubjecit dicens *Ecce Ancilla Domini.*

Ad alios textus concedo quòd probandum eſt an Spiritus, qui loquuntur, aut ea, quæ nobis referuntur ſint à falſo, vel à vero relatore, alioquin teneremur credere omni Spiritui, quòd eſt falſum, ſed ſi ſint ab Eccleſia directa à Spiritu Sancto, neceſſarium eſt abſque ullo intellectus examine, nulloque diſcurſu comitaute, intellectum captivare, & redigere in obſequium fidei, & fidem illi adhibere. Quia ea, quæ Eccleſia nobis revelat in libris Canonicis, ſunt vera, & credibilia, undè Apoſto- *1. Theſſal. 2.*
lus ad Theſſal. cap. 2. verſ. 13. ait: *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut & vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis*, quibus ipſe Paulus ſatis demonſtrat, intellectum noſtrum teneri credere ea, quæ non comprehendit, ſi ab Eccleſia revelentur ei, unde divinum teſtimonium quô firmatur & in quo reſolvitur fides noſtra, *Joan. 5.*
eſt prorſus ineffabile. Quare Joan. cap. 5. Chriſtus ait; *Scrutamini Scripturas, illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Eccleſiæ autem eſt nobis aperire ſcripturas, non verò humanæ rationis, idcircò hæc non eſt audienda, ſed Eccleſia revelans, nam quid eſt fides, niſi credere quod non vides, ut notat D. Auguſtinus: igitur ea, quæ per rationem cognoſcuntur, ſeu videntur mediante naturali lumine, non ſunt verè materia fidei, ac proindè ratio non eſt neceſſaria ad aſſenſum fidei, ſed fides eſt præmittenda rationi: *noli* inquit idem Sanctus Doctor, *intelligere ut credas, ſed crede ut intelligas intellectus merces fidei eſt.* Et in libro contra Epiſtolâ Fundamenti cap. *D. Auguſt.*
5. ait: *Evangelio non crederem niſi me Eccleſia Catholica commoveret authoritas, quâ ſublatâ, nec etiam Evangelio credere poteſt.* Idem dicere debet quilibet Chriſtianus, quoniam Eccleſiæ eſt nobis aperire ſcripturas Sacras, quidquid dixerint Lutherus, & Calvinus.

Tandem dicunt, ſi articulis nobis propoſitis adhibenda eſſet fides abſque euidenti ratione, ſequeretur quòd plura poſſent citrà culpam credi contra manifeſtam rationem naturalem; ſed hoc eſt abſurdum; alioquin infideles, aut alij qui credunt nonnulla abſurdiſſima, quæ rationi repugnant, eſſent excuſabiles. Quòd eſt falſum, quia quod eſt contra rationem, eſt malum, & inexcuſabile.

Reſpondeo negando ſequelam. Dum enim negamus, rationem naturalem eſſe adhibendam in rebus fidei, aut aſſerimus, intellectum eſſe captivandum in obſequium fidei, non excludimus omninò rationis uſum in eliciendo actu fidei: etenim ad hujuſmodi actus productionem eſt neceſſaria aliqua objecti noritia, antequam ipſi fides adhibeatur, non quidem quatenus in ſe eſt objectum revelatum, aut fidei, quia ſic conſideratum exuperat omnem ſenſum, ſed quatenus proponitur, & offertur ad credendum, quoniam probare poſſumus an Spiritus ex Deo ſint; cùm non teneamur credere omni Spiritui. Porrò dum ſcimus objectum proponi ab Eccleſia (quæ ex Apoſtolo eſt columna & firmamentum veritatis) tenemur credere, noſtrumque intellectum captivare in obſequium fidei: etenim Spiritus S. promiſſus ac datus fuit Eccleſiæ, ut ei manifeſtaret omnem veritatem. In perſona Apoſtolorum Chriſtus nota fecit paſtoribus Eccleſiæ ea, quæ ei nota fecerat Pater: itaquè in his quæ ſunt Dei, non rationi, ſed revelationi nos ſubijcere opottet: non enim carnis, & Sanguinis eſt nobis revelare ea, quæ credenda ſunt, ſed eſt Patris Cæleſtis, qui miſit Filium ſuum in terras, ut nos redimeret, & doceret omnem veritatem,

Ad ultimum hæreticorum rationem reſponſio.

ARTICULUS XVI.

Eiicit Simoniacos volentes, dona gratiæ, & fidei poſſe pecuniâ comparari.

PRima bæreſis quæ poſt mortem Chriſti inſurrexit adverſus Eccleſiam Dei, fuir ea, quæ olim ſeu tempore Apoſtolorum aſſeruit, Spiritualia Dei dona, ſcilicet fidem, ſpem, gratiam, buna Eccleſiaſtica, prælaturas Eccleſiæ, & ſimilia ordinis Eccleſiaſtici, & juriſdictionis Spiritualis, poſſe licitè, & citrà peccatum comparari pecuniâ, aliiſque bonis temporalibus.

Simon Magus. Hujus hæreſis author fuit Simon Magus (à quo Simooiaci nomen aceepere) vir Samaritanus, & cognomeoto ſiinol, & profeſſione Magus, de quo in actibus Apoſtolorum cap. 8. verſ. 18. & ſequentibus dicitur: *Cum vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicem: date & mibi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum. S. Petrus autem dixit ad eum; pecunia tua ſecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.* Ille impiiſſimus, ac ſceleratiſſimus vir Simon Magus (Baptizatus à Philippo Diacono, ut ait D. Auguſtinus, vel ab Apoſtolis ut habet Philaſtrius) ſuis præſtigiis, ſceleribus, & dogmatibus impiis, ſatis ubique gentium celebris, multatum, imo ferè omnium hæreſum Parens, vixit ſub Nerone Imperatore, & S. Petro in terris primo Chriſti Vicario, circà annum Domini LV. quapropter merito dicitur primus hæreſiarcharum, de quo S. Ignatius martyr ad Trallenſes ſcribens, ait: *Fugite malas ſoboles Diaboli, Simonem dico generis illius primogenitum.*

Græci. In eumdem errorem lapſi ſunt Græci, qui ut teſtantur Guido Carmelita, & noſter Alphonſus à Caſtro, modò exiſtimant eſſe licitum bona ſpiritualia, & prælationes Eccleſiaſticas vendere, & pecuniâ, aut alia re appretiabili emere, ſicut res meré temporales. *Armeni* Nam de facto apud ipſos, Patriarcharus, & omnes dignitates Eccleſiaſticæ pecuniâ comparantur, & ſpiritualia pro temporalibus dantur, pacto ſæpè prius inito. Græcos ſequuntur Armeni, qui etiam vendunt, & emunt res ſpirituales, bona Eccleſiaſtica, & juriſdictiones ſpirituales.

§. I.

De Simoniacorum Anathemate.

Deciſio Concilij illiberitani HÆc hæreſis quam damnavit Princeps Apoſtolorum, fuit poſteà damuata in Concilio Illiberitano celebrato per XIX. Epiſcopos, ſub Marcello Papa primo, anoo circiter: CCCV. in quo legirur: *Emendare placuit, ut hi qui baptizantur (ut fieri ſolebat) nummos in concham non mittant, nè Sacerdos quod gratis accepit, pratio diſtrabere videatur.* In Toletano XI. etiam *Toletanum XI.* provinciali celebrato per XXXV. Epiſcopos ſub Adeodato Papa, circà aunum Domini DCLXXV. in quo Patres cap. 8. decretorum ſic loquuntur: *Quidquid inviſibilis gratia collatione tribuitur, numquam quæſtu, vel quibuſlibet pramiis venundare penitus debet, dicente Domino, quod gratis accepiſti, gratis date, & ideo quicumque deinceps in Eccleſiaſtico ordine conſtitutus, aut pro baptizandis, conſignandiſque fidelibus chriſmatis, vel promotionis gradum, pratia qualibet, vel pramià, niſi oblata voluntarie pro hujuſmodi ambitione, ſuſceperit: equidem ſi ſciente loci Epiſcopo tale quidquam à ſubditis perpetratur, idem Epiſcopus duebus menſibus excommunicationi ſubjaceat, pro eo quod ſcienter mala contexit, & correctionem neceſſariam non adhibuit: ſin autem ſuorum quiſpiam eodem neſciente de ſupra dictis quodcumque capitulis, eſſe accipiendum crediderit, ſi Preſbyter eſt, trium menſium plectatur excommunicatione, ſi Diaconus, quatuor, ſi Subdiaconus verò, vel Clericus bis cupiditatibus ſerviens, & competenti pœna, & debita excommunicatione plectendus eſt.*

Bracarenſe Idem priùs ſcilicet anno DLXX. reſolutum fuerat in Coneilio Bracarenſi, II. etiam provinciali, celebrato ſub Joanne III. Tandem & in Trident. ſeſſ. 21 de reformat cap. 1. habetur, *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritia ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorūcumque ordinum, etiam Clericalis tonſura, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis pratextu, accipiant.* *Tridentinum.*

Contra hunc errorem ſcripſerunt ferè omnes Theologi tam Scholaſtici, quàm Morales, & Sancti Patres, quorum verba referre ſuperfluum mihi videtur; cùm ſi Simoniacos excipias; id eſt Græcos & Armenos, Sacræ Seripturæ, & Sanctorum oracula audire nolentes; cæteri Chriſtiani credant, Simoniam eſſe abominabilem Deo, & hominibus. Undè ut Simonia inter hæreſes computetur ſufficit afferre verba D. Gregorij in regiſtro, ubi ille Sanctiſſimus Papa, & Eccleſiæ Doctor ait: *Altare, vel decimas, vel Spiritum Sanctum emere; vel vendere; Simoniacam hæreſim nullus fidelium, eſſe ignorat*: Igitur nobis licet, Simoniam inter hæreſes reponere. At ut priùs articuli noſtri veritas agnoſcatur, & rationibus, ac authoritatibus Scripturæ faciliùs confundantur Simoniaci, antequam ad probationes deveniamus, advertendum eſt, Simoniam, nihil aliud eſſe niſi ſtudioſam volunratem vendendi, vel emendi aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum, ut docent communiter Theologi. *D. Gregorij*

§. II.

Probat quòd hæreticum eſt approbare Simoniam.

EMere, vel vendere rem ſpiritualem eſſe prohibitum in Sacra Scriptura nullus poteſt ire infitias. *Matth. 10.* Legimus enim Matth. 10. verſ. 7. & 8. Chriſtum diſcipulos ſuos ad prædicandum mittentem prohibuiſſe venditionem bonorom ſpiritualium, ibi namque habetur: *Euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquavit regnum Cœlorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones eijcite, gratis accepiſtis, gratis date.* Nonnè ex illa prohibitione recipiendi aliquid ex hujuſmodi labore animarum ſalutem concernente, & ad rem ſpiritualem ordinato, Chriſtus Dominus prohibet, & damnat Simoniam, ſeu emptionem rerum ſpiritualium: ergo hæreticum eſt dicere quòd dona gratiæ, & bona ſpiritualia, aut rei ſpirituali annexa, poſſunt comparari pecuniâ.

Hæreticum eſt etiam dicere quòd ex hac emptione, vel venditione, non peccat peccato irreligioſitatis ille, qui res ſpirituales uendit, aut emit, ut notat D. Thomas. Quia irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis, quæ quidem irreligioſitas, aut venditio rerum Spirltualium, maximam meretur apud Deum pœnam, ut probat punitio Giezi famuli Prophetæ Elizei, quem Deus percuſſit læprâ perpetuâ, quoniam pecuniam receperat pro beneficio ſanitatis quod Eliſeus contulerat Naaman læproſo, ut conſtat ex illo 4. Reg. cap. 5. verſ. 25. & ſequentibus ubi legitur; *Unde venis Giezi? qui reſpondit: non ivit ſervus tuus quoquam, at ille ait: nonne cor meum in praſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? nunc igitur accepiſti argentum, &c.* *Punitio Giezi probat enormitatem Simonia.*

accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas. Sed & Lepra Naaman adhærebit tibi, & Semini tuo uſque in ſempiternum, & egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. Hæc quidem verba Eliſei circà punitionem Giezi evidenter probant, beneficiorum ſpiritualium, rerumque Eccleſiaſticarum largirionem debere eſſe gratuiram, & venditionem earumdem eſſe abominabilem; cùm majores pœnas majoribus delictis ſolitò imponat juſtitia, ità nt gravitas delicti ex gravitate pœnæ cognoſci poſſit. Probant pariter nullum poſſe citrà hæreſim credere, ſimoniam non eſſe graviſſimum peccatum.

His omnibus ſuffragatur ratio. Nam id non poreſt eſſe debita venditionis materia, cujus venditor non eſt Dominus, nulli quidem licet vendere id, quod eſt altrrius, niſi ad hoc delegatns fuerit à Domino rei; cùm pet venditionem ad Emprorem transferatur dominium rei emptæ, aut venditæ. Nullus autem eſt Dominus rerum ſpiritualium, & ſupernaturalium; cùm hujuſmodi bona deſurſum ſint, deſcendentia à Patre luminum. Nec poteſt aliquis eſſe Dominus rerum Eccleſiaſticarum, licet quis poſſit eſſe eorumdem rerum diſpenſator juxtà

1. Corint. 4. illud Pauli 1. Corinth. cap. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Chriſtus enim eſt qui fundavir Eccleſiam, & ſpeciali providentià cuſtodit eam: ergo nullus eſt homo, qui poſſit citrà peccatum vendere, aut pecunià comparare, aut emere res ſpirituales. Nullus eſt etiam, qui poſſit hoc negare citrà hæreſim; cùm Scriptura Simoniam prohibeat ſub pœna damnarionis æternæ, ut conſtat ex illo D. Petri in ipſa ſui radice Simoniæ pravitatem condemnantis per hæc

Act. 8. verba, act. cap. 8. verſ. 20. *Pecunia tua tibi ſit in perditionem: quoniam exiſtimaſti donum Dei poſſe pecunia poſſideri.* Hæc quippe condemnario cadit in eos, qui beneficia Eccleſiaſtica, & dignitates aut prælaturas ſpirituales pecunia comparare cupiunt, aut eas vendere volunt.

Præterea venditio repugnat rerum Spiritualium origini; quæ cùm ex gratuita voluntate Dei proveniat, & valorem rerum temporalium plurimùm exuperet, juxta illud Proverb. cap. 3. verſ. 15. de

Proverb. 3. ſapientia dictum: *Pratioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari.* Sequitur quòd res ſpirituales nequeunt eſſe (citrà peccatum) materia vendirionis, & emptionis: nam ut venditio ſit licita, neceſsè eſt ſervare juſtitiam commutativam inter datum & acceptum, ſed plures ſunt ratiunes, quibus ſuadetur, nullam poſſe admitti æqualiratem inter bona temporalia & ſupernaturalia, ut probar idem ſapiens cap. 8. verſ. 10. & 11. dicens. *Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite, melior eſt enim ſapientia cunctis pratioſiſſimis & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Illicita eſt ergo emptio rei ſpiritualis, quæ gratis dari debet digniori, ut tradit Concilium Tridentinum.

Deindè qui vendir, aut credit, ſpiritualia Dei dona poſſe prætiò comparari, credit etiam pecuniam eſſe æqué bonam, & æqué prætioſam ſicnt ſpiritualia Dei dona; cùm in omni emptione, & venditione rerum ex præcepto juſtiriæ ſervanda ſit in prætio rerum æqualitas; ſed credere, pecuniam eſſe æqué bonam, & æqué prætioſam ſicur dona grariæ, beneficia Eccleſiaſtica, & ſimilia ejuſdem ordinis ſupernaturalis, aut Sacri, eſt hæreticum, ut evidenter patet ex dictis, & ideo hæreticus eſt ille, qui aſſerit pertinaciter dona ſpiritualia, bona Eccleſiaſtica, juriſdictionem ſpiritualem, curam animarum, & res ſacras poſſe pecunià comparari.

Nulla eſt proportio inter res Spirituales, & temporales.

Simoniam eſſe hæreſim evidentèr conſtat ex jure Caoonico. Nam 1. quæſt. 1. Can. *cum omnis*, qui eſt vigeſimus ejuſdrm quæſtionis, Simoniacus probatur infidelis, etiamſi fidem, quam negligit, tenere videatur, ut notat S. Gregorius lib. 9. Epiſt. 52. ad Theodoricum Regem. Et Canone ſequenti, Simoniacorum hæreſis probatur cæteris damnabilior, ibi euim legitur: *Tolerabilior eſt enim Macedonij & eorum qui circa ipſa ſunt Spiritus Sancti impugnatorum impia hæreſis. Illi enim creaturam, & ſervum Dei Patris, & Filij Spiritum Sanctum delirando fatentur: iſti verò eumdem Spiritum efficiunt ſervum ſuum: omnis enim Dominus quod habet, ſi vult, vendit ſive ſervum ſive aliquid aliud eorum quæ poſſidet. Similiter & qui emit, Dominus ejus volens eſſe quod emerit, per pratium pecuniæ illud acquirit; ità & hi qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui Sancto, æqualiter peccantes his, qui blaſphemaverunt, dicentes Chriſtum in Belzebub eiicere Dæmonia; atque ut veriùs dicamus, Judæ comparantur proditori, qui Judæis occiſoribus Chriſtum vendidit: cum ergo Spiritus S. conſubſtantialis ſit Chriſto, ejuſdem omnino, & ipſi portionis erunt, & proculdubio in eis non eſt gratia Spiritus S. id eſt Sacerdotii Sanctitas. Nam quod non acceperunt non habent, ait enim Petrus Simoni, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, quia exiſtimaſti donum Dei pecunià poſſideri.*

Authoritas juris Canonici.

Ex hac autem authoritate Juris, quæ eſt contrà Simoniacos, evidens eſt, Simoniam, ſeu velle quod licitum ſir pecunià comparare res ſpirituales nedum eſſe peccatum graviſſimum, ſed etiam hæreſim, nedum cæteris priorem, cùm Simon Magus cæteros hæreticos tempore præceſſerit, ſed etiam graviorem, & intolerabiliorem cæteris hæreſibus, quæ inſurrexerunt adverſus Deum, & adverſus Chriſtum ejus. Quare non miror ſi pœnis graviſſimis Simoniacos ſubijciat Sancta Mater Eccleſia, ſed miror inter Eccleſiaſticos eſſe Simoniacos, ſeu beneficia Eccleſiaſtica, dignitares, juriſdictionem Spiritualem, & Prælaturas ementes, aut vendentes. Unde D. Gregorius Epiſt. 110. Syagro & aliis Epiſcopis ait: *Cùm liqueat hanc hæreſim ante omnes radice peſtifera ſurrepſiſſe, atque in ipſa origine ſua Apoſtolica eſſe deteſtatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, quid ad hoc ut fiat hæreticus, promovetur.*

D. Gregor.

Circà articulum noſtrum, nullam invenio objectionem apud Græcos, nec apud Armenos, idcircò cenſeo quòd non ratione, ſed invidià motus hanc hæreſim adinvenit Simon Magus Pſeudo-Apoſtolus. Itaque non eſt difficultas an Simonia ſit hæreſis ſecundum ſe, de hoc quidem nullus eſt ambigendi locus quidquid cum Græcis, & Armenis dicant non nulli beneficiorum, & prælaturarum venditores, ſed ſolum eſt difficultas inter Caſuiſtas, aut Theologos morales, an in hoc, vel in alio caſu committatur Simonia. Porrò hoc non ad ſubſtantiam, ſed ad circunſtantiam Simoniæ pertinet, eſtque de re in particulari, ideo non ad nos, qui hæreſes ſolùm impugnare decrevimus, ſed ad prædictos Theologos morales pertinet de hac re diſputatio, quare ad illos remitto lectorem, ut videat in quo caſu committatur Simonia ut in electionibus ad dignitates Eccleſiaſticas, & in diſtribuendis bonis Spiritualibus, ab ipſa fugiat tamquam à facie Colubri.

ARTICULUS XVII.

Reſpondet Maſſalianis in ſola Oratione continua ſalutem reponentibus.

PLures adverſùs Orationem inſurrexerunt hæreſes, ut videbimus in hoc & in ſequentibus articulis. *Adelphius.* Adelphius, Dadoes, Saba, & Hermias, viri profeſſione, & arte diabolica hæretici, natione Galatæ dicebant, *Dadoës.* tempore Valentiniani Imperatoris, & Liberij Papæ, circà annum Domini *Saba.* CCCLXXVIII orationem ſolam ſufficere cuicũque homini ad conſequendam vitam æternam, ſecluſâ quacumque aliâ virtute, *Hermias.* etiam remotis Sacramentis, & ſpretis Dei, & Eccleſiæ mandatis. In ſola oratione ſalutem hominum ità collocabant, ut vellent, illum, qui orat, non poſſe damnari, etiamſi ſit Judæus, Infidelis, Hæreticus, Fornicator, Blaſphemus, Avarus, &c. ac ſi ſola oratio haberet virtutem delendi omnia peccata. Ità refert Flavianus Antiſtes Antiochenus.

Ex hac hæreſi ſtatim ſcilicet anno CCCLXXX. tempore Valentis, & Damaſi, exordium ſumpſit alia, quæ, Auguſtino Teſte, docebat, orationem ſolam ſufficere ad ſalutem, non qualemcumque, ità ut ſufficeret orare ſemel in vita, volebat enim hanc orationem ad ſalutem neceſſariam, debere eſſe per- *Maſſaliani.* petuam & continuam. Hujus erroris fautores vocabantur Maſſaliani, aut Meſſaliani, Enthuſiaſtæ, hoc eſt, ſpiritu aliquo afflati, ſeu Phanatici, quos alii vocabant Euchitas, id eſt, orantes, quia tantum orationi incumbebant: Ità erant orationi- *Euchitæ.* bus intenti, & à bonis operibus, & Sacramentis alieni, vt omnia bona opera, Dei mandata velut *Phanatici.* Indifferentia negligerent; & ipſum Baptiſmum inutilem reputarent. Ità erant à Dæmone illuſi, ut ejus operationem expectarent, quam Spiritus S. præſentiam eſſe credebant, ut notat Theodoretus lib. 4. Hiſt. cap. 10.

Hæc hæreſis Phanaticorum ſtatim proſcripta fuit ab Epiſcopis Orientalibus, ſcilicet ab omnibus Epiſcopis Pamphyliæ, & Lycaoniæ, & potiſſimùm à Leone Melchinenſi, qui ut hos à ſuis ovibus arceret lupos, eorum ſpeluncas incendit. Inſuper & ab Amphylochio Iconienſi, qui eos à ſuo grege pariter procul abegit, & in Concilio Epheſino Maſſalianorum hæreſim retulit, & condemnationem obtinuit. Tandem & à Flaviano Antiocheno, qui Adelphium Phanaticorum ducem, & ſenem inveteratum validiſſimis rationibus convicit, & ad fidem Eccleſiæ Catholicæ reduxit, ut referunt plures Hiſtorici.

§. I.

Docet ſolam Orationem non ſufficere ad ſalutem.

HÆreticos, qui primam circa orationem docuerunt hæreſim, hoc eſt, qui voluerunt, baptiſmum, & bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem conſequendam, ſed ad hanc ſufficere oratio- *hanc hæreſim Euchitarum refutat ſacra ſcriptura.* nem, penitùs confundit neceſſitas baptiſmi, & bonorum operum. Legimus enim Joan. 3. verſ. 5. Chriſtum Dominum dixiſſe: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt intrare in regnum Dei.* Ex quo ſequitur, baptiſmum eſſe abſolutè neceſſarium (ut fuſiùs videbimus in proprio loco contrà Pelagianos) hoc eſt, tam neceſſitate medij, quàm præcepti ad conſequendam vitam æternam, etiam ſi interveniat oratio, quę licet bona, & utilis ſit ad ſalutem, tamen ipſa ſola non ſufficit, ad conſequendam illam, ideo Judæus nequit ità orationi confidere, ut indè ſperet ſalvari ſine baptiſmo, aut peccator ſine pœnitentia, ſine obſervatione mandatorum Dei, ut declarat Salvator, dicens Matth. 19. Adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Aliàs dixiſſet illi; *ora ſemper Deum.*

De bonis autem operibus conſtat, ipſa eſſe neceſſaria Adultis juxtà illud D. Petri 1. cap. 2. verſ. 10. *Satagite ut per veſtra bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* *1. Petr. 2.* Hæretici ſunt igitur Adelphius, Dadoës, Saba, Hermias, & alii, qui Meſſalianis, Pſallianis, Euchitis, Enthuſiaſtis, aut Phanaticis dederunt occaſionem errandi, hoc eſt, credendi, hominem non poſſe (citrà peccatum) alteri virtuti quàm orationi continuæ ſe applicare, cùm ſit certum, ſalutem noſtram, à baptiſmo, à pœnitentia, & à pluribus aliis dependere. Unde hìc contra Meſſalianos concludendum eſt, fideles non teneri ſemper orationi vacare, ità ut ab ipſa numquam ceſſare liceat eis; quin mortaliter peccent.

Licet contrà hanc Meſſalianorum, ſeu Pſallianorum hæreſim, nullum habeamus Concilium anathemarizans eos qui dicunt, ſolam orationem ſufficere ad ſalutem, tamē Epheſinum in quo, nonnullis ſollicitantibus Epiſcopis, damnati fuerunt Phanatici, qui tunc in Pamphylia verſabantur, ut jam monui. Damnat eos, & declarat quòd propoſitio eſt hæretica, & contra Eccleſiæ fidem (ſicut eſt hæreticum dicere, hominem peccare, toties, quoties non orat, ut videbimus ex rationibus adducendis) propter connexionem quæ eſt inter Phanaticos, & Meſſalianos.

Aſſerere, Deum præcepiſſe impoſſibilia, aut in mediis impoſſibilibus conſtituiſſe ſalutis noſtræ conſecutionem, eſt hæreticum, ut probatum manet in primo libro contrà Lutheranos, & alios hæreticos juxtà deciſionem Concilij Tridentini ſeſſ. 6 cap. 11. *impoſſibile eſt continuo orare, itaut quælibet alia actio ſit illicita.* in quo Patres declarant quòd Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet: at ſi fidelis teneretur ità orare, ut non liceret ei ab oratione ceſſare ſine peccato, hoc præceptum non poſſet, obſervari, quia eſt omninò impoſſibile homini viatori ſemper & abſque ulla etiam parva interruptione orare, nedum vocaliter, ſed etiam mentaliter, ut naturæ probat infirmitas, quæ cum perpetua animi attentione, & oris locutione compati non poteſt.

Deinde eſt neceſſé alia exercere opera ſive ſervilia, ſive naturalia, ſive pia cum oratione prorſus impoſſibilia, & incompatibilia. Neceſſarium eſt dormire, quo tempore nullus poteſt orare. Quia tunc nullus eſt mentis uſus, nullaque attentio, quæ maximè in oratione exigitur, quis enim poteſt dicere ſicut Chriſtus: *Ego dormio, & cor meum vigilat?* Quare ut jugum Chriſti ſit ſuave, & onus ejus leve, diſcurrendum eſt de orationis præcepto, ſicut de præcepto adorationis, quod non obligat ſemper, & inceſſanter, ita ut teneamur habere continuæ adorationis actum, ſed in aliquo tempore determinato, ut videri poteſt apud Theologos morales.

Neceſſé eſt inſuper comedere, ac bibere, & pro illis, ſcilicet cibo & potu acquirendis, laborem aliquem moderatum adhibere, cùm, Deo ſic ordinante, in ſudore vultus noſtri teneamur veſci pane. Oportet etiam rerum domeſticarum curam habere, ut monet Apoſtolus 1. Timoth. cap. 5. ubi *1. Timot. 5.* de Viduis, ſic ait: *Si qua Vidua filios, aut nepotes habeat, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam*

vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum eſt coram Deo. Nedùm de viduis, ſed etiam de omnibus loquitur Apoſtolus quoad eamdem curam, quam nemo poteſt omittere ſaltem voluntariè; quin ſit negligens: ſtatim enim ſubdit: *Si quis autem ſuorum maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

Nedùm de Laïcis loquitur, ſed etiam de Eccleſiaſticis, quos etiam hortatur ad eamdem, quàm ſi non habeant, ineptos declarat eos pro regimine Eccleſiæ Dei, ut facilè colligi poteſt ex cap. 3. ejuſdem epiſt. ad Timoth verſ. 5. ubi ait: *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ diligentiam habebit?* Sed dum homo hæc omnia exercet, neceſſitate ſic exigente, non orat, & tamen non peccat, ut eſt evidens: igitur ut nullum habeamus præceptum impoſſibile, neceſſè eſt, nullum eſſe præceptum à Deo datum, quò ità teneamur orare, ut nunquã ab oratione valeamus, citrà peccatum, ceſſare. Imò oppoſitum (ſeu orandum eſſe in aliquo tempore tantùm) colligitur ex illo Matth. cap. 6. verſ. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito.* Luc. cap. 11. verſ. 2. *cùm oratis, dicite, &c.* quæ indicant aliquod orationis tempus determinatum, & excludunt inceſſabilem continuationem, ut hæc particula, *cum jejunatis*, Matth. cap. 6. verſ. 16. indicat tempus jejunij. Et hæc, *cum venerit filius hominis*, indicat judicium univerſale eſſe futurum. Aut hæc Davidis, *ſatiabor cùm apparuerit gloria tua*, denotat beatitudinem futuram, eſſe ſatiativam.

Matth. 6.

Ex ſacra Scriptura omnia, quæ ab hominibus fieri poſſunt, aut debent, tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt ſub cœlo, ut refert Eccleſ. cap. 3. eſt tempus flendi, tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus ſaltandi, tempus tacendi, & tempus loquendi: ergo eadem ratione dicere poſſumus, quòd eſt tempus orandi, & tempus non orandi, hoc eſt, tempus quò non tenemur orare, quod eſt tempus ridendi, aut ſaltandi, aut amplexandi, &c quæ licitè fieri poſſut, & quæ cum oratione reperiri nequeunt, ac proindè nullum eſt præceptum ità obligans ad orationem, ut non liceat aliquandò ab ipſa ceſſare, & præſertim ab oratione vocali de qua Meſſaliani loquuntur, ut obſervat noſter Alphonſus à Caſtro; cùm ſint alia mandata in lege, quæ non poſſunt obſervari in oratione vocali, ut patet in præcepto de correctione fraterna, quam nullus poteſt facere proximo delinquenti, orando Deum, cùm ſit neceſſè accedere ad eum, eique delictum verbis demonſtrare, referre. Et ſic de cœteris præceptis, quæ Deus in lege naturali, vel ſcripta nobis ſignificavit, ut de honorandis parentibus, de diſciplina patris audienda, quæ ut filius ea adimpleat, dum pater id exigit, neceſſe eſt quòd filios attendat verbis, & mandatis a patre emanatis, eaque obſervet, ac proindè quòd ceſſet ab oratione ſive vocali, ſive mentali, à qua certè aliquando ceſſare poteſt, cùm præceptum de oratione non ſit negativum.

Eſt tempus orandi & non orandi

§. II.

Solvuntur Argumenta contraria.

MEſſaliani articulum noſtrum impugnant ex illo Luc. 18. verſ. 1. ubi exiſtit mandatum de oratione continua: ibi enim Salvator inquit: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*: Ergo (inquiunt Meſſaliani) nunquam licet ceſſare ab oratione, & ab ipſa ſola dependet ſalus noſtra.

Luc. 18.

Sed non valet hæc illatio, quia Chriſtus hîc non præcipit continuam orationem in ſe, ſed in affectu, ſeu pro neceſſitate poſtulandi à Deo ea, quæ nobis continuè neceſſaria ſunt, quæ cùm ipſis ſemper & continuè indigeamus, & per orationem obtineantur; juxtà illud monitum Chriſti, *petite, & accipietis*, debemus in hoc ſenſu continuè orare, id eſt, debemus ſemper habere certitudinem noſtræ dependentiæ ad Deum. Oratio namque eſt actus religionis in dependentia, aut indigentia noſtra fundatus, quo nos ſubjicimus Deo tanquam ſupremo Domino cœli & terræ.

Dico ſecundò cum D. Thomâ, orationem dupliciter ſumi poſſe, ſcilicet ſecundum ſe ipſam, & ſecundum cauſam. Cauſa autem orationis eſt deſiderium charitatis ex quo procedere debet oratio ipſa, ſeu actu orare. Quod quidem deſiderium in nobis debet eſſe continuum, vel actu, vel virtute. Unde Evangeliſta dicens: *oportet ſemper orare*, loquitur de hoc deſiderio, quod neceſſè eſt habere. Reapſè, non continuè & actu, ſed virtute, quia virtus hujus deſiderij manet in omnibus, quæ facimus ex charitate, ex qua facienda ſunt omnia, quæ facimus; cùm teneamur facere in gloriam Dei, omnia quæ facimus, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth. dicens: *Sive manducatis, ſive bibitis, aut aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hinc eſt quod D. Auguſt. ad Probam ait: *In ipſa fide, ſpe, & charitate, continuato deſiderio ſemper oramus.*

Spiritus Meſſalianorum error in charitate D. Thomæ.

Vel dico cum D Auguſtino lib. de hæreſ. ad Quodvultdeum cap. 57. illa verba Evangeliſtæ eſſe ità intelligenda, ut nulla dies abſque aliqua oratione intermittatur, ità quod ex D. Auguſtino, idem ſit ſemper orare, & qualibet die orare, aut quando oportet orare. v. g. ille, qui recitat officium divinum ritè, ac debitè, dicitur recitare ſemper officium; tamen non recitat continuè, ſeu per totam diem, & noctem officium divinum. Ita ſimiliter ille, qui orat dum eſt tempus orandi, dicitur ſemper orare. Nec rarò ſic intelligitur in Scriptura Sacra hæc particula, *ſemper*, nam hoc facilè colligi poteſt ex illo 2. Reg. cap. 9. verſ. 7. in quo legitur David dixiſſe Miphiboſeth filio Jonathæ Claudo, *comedes panem in menſa mea ſemper*: ex quo non poteſt colligi comeſtio continua & perpetua in menſa David, ità ut ipſe Miphiboſeth die, noctuque, & abſque ulla interruptione phyſica ibi comederet, ſed ſolùm ea, quæ fit in certis horis diei. Ita pariter ille, qui orat in certis horis diei, hoc eſt, orat quolibet die, ut præſcriptum eſt, poteſt dicere quòd ſemper orat, quia ſtatutas horas non intermittit, & orat juxta obligationem ſuam. Sicut ille, qui ordinario, & in ſingulis diebus refectionem ſumit in menſa alterius, dicit quòd in menſa ejus ſemper comedit.

Iterum rejicitur idem error autoritate D. Auguſt.

Eamdem interpretationem addit venerabilis Beda in expoſitione ſuper Evangelium Lucæ, ubi expreſſe notat, nullum poſſe ita orare ſemper, & ſine ullà intermiſſione, & ſine defectu precibus inſiſtere, niſi hoc intelligatur de horis canonicis, juxta ritum Eccleſiæ, quæ cùm ſint in certis horis diei, quis ſic orat, cenſetur ſemper orare. Quia orat dum orare tenetur, ſicut qui manducat in aliqua domo dum manducare neceſſe eſt, dicitur manducare ibi continuè, & ſemper.

Beda.

Dico tandem, Evangeliſtam in illis verbis: *Oportet ſemper orare*, uſum fuiſſe aliqua hyperbole ad rem exagerandam, nec rarò illa figura reperitur in ſacris Litteris, ut vident hi, qui ſacram Scripturam legunt attentè, ut evidenter patet duobus exemplis ex Sacra Scriptura deductis, in quibus hæc figura habetur. Primum eſt, ex actibus Apoſtolorum cap. 2. ubi ſic deſcribitur multitudo Gentium quæ in adventu Spiritus S. erat Jeroſolymis: *Erant au-*

Act. 2. tem in Jeruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. Quòd non poteſt intelligi ſine hyperbole; alioquin neceſſarium eſſet fateri tunc fuiſſe Jeroſolymis, Gallos, Hiſpanos, Anglos, Æthiopes, Siculos, Ballearicos, aliaſque nationes innumeras remotiſſimas, quas Ninive, quæ civitas erat magna, itinere dierum t. ium, capere non potuiſſet. Similiter Chriſtus volens nobis ſuadere eleemoſynam dandam eſſe abſque omni jactantia, & ſecretò, ait: Matth. cap. 6. verſ. 3. *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* At cum eadem in utraque manu ſit anima, fieri non
Matth. 6. poteſt, ut ſiniſtra neſciat quod dextera facit: ergo eſt ibi quædam hyperbole, ſive quidam exceſſus ad rem magis commendandam; cùm in ſenſu verborum impoſſibile ſit quòd una manus ignoret quod facit altera. Ità etiam Chriſtus ut nobis frequentiam orationis commendaret, dixit: *Oportet ſemper orare*, hyperbole quadam uſus eſt *ſemper*, pro *frequenter*, accipiens. Eadem hyperbole uſus eſt Paulus di-
1. Theſſ. 5. cens, *ſine intermiſſione orate*; alioquin nullum eſſet noctis tempus ſumendi alimentum, a t dormiendi (ut notat Beda) ſi authoritas Evangeliſtæ eſſet ſtrictè intelligenda, & prolata fuiſſet abſolutè, & non per hyperbolem.

His addo aliud exemplum, ut app.reat Evangeliſtas ſæpè loqui per hyperbolem; nam Joan. ultimo, verſu ult. dicitur: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſet eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Quod non intelligitur rigoroſè, ſed per hyperbolem.

Eadem expoſitio, aut reſponſio addenda eſt, (ut jam monui) Apoſtolo ad Theſſal. 1. cap. 5. verſ. 17. dicenti, *ſine intermiſſione orate*; cùm loquatur in ſenſu Evangeliſtæ, & de oratione, ſicut de gaudio, nam verſu præ edenti ait; *Semper gaudete.* Quod quidem gaudium noo ità nobis præcipitur, ut te-
Eccleſ. 3. neamur nunquam à gaudio ceſſare, hoc eſt, ſemper & continuò gaudere; alioquin illud Eccleſ. cap. 3. verſ. 4 *tempus flendi, & tempus ridendi*, eſſet penitus falſum; cùm nunquam liceret flere: igitur Apoſtolus debet intelligi ſicut Lucas, ideòque oratio non ita præ.ipitur fidelibus, ut ab ipſa ceſſare, ſit peccatum mortale. Nam ut ſervetur præceptum de oratione, aut de neceſſitate rogandi, ſufficit orare tempore aſſignato, & habere ſemper orandi deſiderium, non in actu, ſed in virtute.

Unde D. Auguſtinus ad Probam ait: *Abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fer-*
D. Auguſt. *vens perſeveret intentio*, & ideo oratio, ſive vocalis, ſive mentalis, non debet eſſe continua in ſenſu hæreticorum. Nec fideles tenentur ſemper ità orare, ut nequeant citrà peccatum, aliquando ceſſare ab oratione. Sed ſolum tenentur orare qualibet die, & dum adeſt neceſſitas, aut dum cupiunt aliquid à Deo obtinere, & hoc eſt, ſemper orare, ſeu dum oportet orare.

Apoſtoli non orabant continuè abſque ulla phyſica interruptione. Legimus enim ipſos Apoſtolos plura feciſſe, quæ ad virtutem orationis minimè pertinent, ut patet de euntibus in Caſtellum Emmaus, qui ſermonem ad invicem conferebant, & erant triſtes. Et de aliis ſimilibus, quæ in ſacris Paginis videri poſſunt. Neque Chriſtus ſic oravit. Legimus enim Luc. 9. quòd aſſumptis Petro, Jacobo, & Joanne aſcendit in montem, ut oraret, ex quo ſequitur quòd dum aſſumpſit illos Apoſtolos, non orabat: perperam igitur hæretici (quos hic impugnamus) volunt, nos orare debere continuè, ita ut nullus poſſit citrà peccatum ceſſare ab oratione, licet Evangeliſta dicat, *oportet ſemper orare, & nunquam deficere*

Tandem hæretici inſurgunt contra nos ex illo Pſal. 33. verſ. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*

Reſpondeo hanc authoritatem non impugnare aſſertionem noſtram. Quia non probat, Prophetam benedixiſſe Deum continuè, actu, inceſſanter, abſque ulla phyſica interruptione, ſed ſolum ſæpè, & multoties in die; alioquin non diceret Pſal. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, quia hæc reſponſio ad ultimam hæreticorum rationem.
verba denotant horam, & indicant quòd Propheta immediatè ante mediam noctem non orabat; cùm ad orandum, aut ut oraret ſurgebat media nocte. Nec diceret verſ. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*, qoia oratio continua & inceſſabilis, intervalla non admittit, quæ tamen *ſepties* exprimit: nam oratio continua in ſenſu Meſſalianorum non fit ſepties in die, ſed ſemel, & perpetuò, eſtque una in tota vita hominis, ſicut conſervatio ejuſdem vitæ, quæ eſt continuata productio, at hoc eſt contrà mentem Prophetæ, non una vice, ſed ſeptics orantis in die, aut ſepties in die laudem dicentis: ergo orare ſemper in ſenſu Scripturæ, non explodit intervalla, ſed idem ſignificat ac orare dum oportet.

Quare D. Auguſtinus loco citato ait: *Ideo per certa intervalla horarum, & temporum, etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum, nos ipſos acrius excitemus.* Quò conſtat Divum Auguſtinum improbare D. Auguſt.
orationem continuam Phanaticorum, ſeu neceſſitatem ſemper orandi, quam fidelibus omnibus imponere voluerunt Maſſaliani; ac Enthuſiaſtæ. Et velle nos orare quolibet die juxtà ordinem nobis ab Eccleſia præſcriptum, qui quidem ordo à Caſuiſtis ſolitò aſſignatur, ut apud ipſos videri poteſt, & ideo ad illos Theologos morales remitto lectorem, cùm nobis ſufficiat oſtendere hæreticis Deum non obligare nos ad ſemper, & abſque ulla interruptione oraodom, ut ipſi volunt.

ARTICULUS XVIII.

Refutat Cœleſtianos nullam Orationi tribuentes virtutem.

MAſſalianos, & alios hæreticos in præcedenti Articulo relatos, ex diametro pugnant alij hæretici, qui exiſtimando orationem eſſe prorſus inutilem, nulliuſque virtutis, aut meriti apud Deum, evidenter negant errorem Phanaticorum, qui ſalutem in ſola continuæ & inceſſabilis orationis virtute collocabant. Hujus hæreſis authores ſunt Pelagius, & Cœleſtius de quibus in principio hujus libri locuti ſumus, qui, teſte D. Auguſtino lib. de Cæleſtius.
hæreſibus, improbant orationes, quæ fiunt in Eccleſia & præſertim in majori hebdomada pro perfidis Judæis, pro infidelibus, ut Deus dignetur tollere velamen de cordibus eorum, pro peccatoribus ut convertantur, & pro juſtis ut perſeverent in ſan- Pelagius.
ctitate, aut pro aliquo beneficio conſequendo, quia (inquiunt) orationes inutiles ſunt. Ratio Pelagij eſt, quia ad ſalutem conſequendam, aut pro aliquo malo vitando in ordine ſupernaturali, ſufficit liberi arbitrij poteſtas; ſed quia hujus hæretici fundamentum jam evertimus in articulo, quo probatur gratiæ neceſſitas, non eſt hîc impugnandum.

Petrus Abailardus, Joannes Uvicleffus, Joannes Hus, Martinus Lutherus, & Trinitarij de quibus

Digitized by Google

Abailardus. *Vvicleffus.* *Huiſſitæ.* *Trinitarij* *Mich. de Molinos.*

etiam locuti ſumus ſuprà in articulis præcedentibus, eamdem tuentur hæreſim, non ſub eodem Pelagij fundamento; cùm non tribuant libero arbitrio tantam poteſtatem, quamtam tribuit illi Pelagius ad faciendum bonum, & ad evitandum malum, ſed ſub diverſo, ſcilicet, quia omnia, quæ eveniunt, neceſſitate ità abſoluta eveniunt, & fiunt nobis ſive mala, ſive bona ſint, ut non poſſint non evenire. Et ex hoc putrido puteo hanc hæreſim exhauriunt, hoc eſt, aſſerunt, inutilem eſſe orationem, quoniam (aiunt) fruſtrà quis Deum orat pro ea re, quæ ſi futura eſt, etiamſi non oret, eveniet. Et ſi futura non ſit, etiam ſi oret, nunquam eveniet. Hanc impietatem amplexus eſt Michael Molinos Hiſpanus Quietiſtarum reſtaurator, ab Innocentio XI. condemnatus anno MDLXXXVII.

§. I.

De Condemnatione hujus Hæreſis.

Synodus Milevitana.

CONcilium Milevitanum, celebratum à LX. Epiſcopis ſub Innocentio Papa I. damnat hanc hæreſim cap. 8. decretorum contrà Pelagium ubi explicans orationis virtutem, ait; *Item placuit, ut quicumque verba ipſa dominicæ orationis, ubi dicimus dimitte nobis debita noſtra, ita volunt a Sanctis dici ut humiliter, & non veraciter hoc dicatur, anathema ſit, quis enim ferat orantem, & non hominibus ſed ipſi Domino mentientem: Quis labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit quæ ſibi dimittantur, debita non habere.* Indè enim conſtat, Concilium declarare, orationem dominicam prodeſſe, ut debita dimittantur.

Concilium Toletanum quartum.

Concilium Toletanum IV. ſub Honorio Papa I. celebratum cum Epiſcopis LXX. circa annum Domini DXXXIII. cap. 9. decretorum ait: *Delet ergo hæc quotidiana oratio;* ſeu dominica, *minima quotidiana peccata, delet illa à quibus vita fidelium etiam ſcelerate geſta, pœnitendo in melius diſcedit mutata 1 ergo ſicut Chriſtus præcepit, ſic Apoſtolus monuit. Et quemadmodum Doctores Eccleſiæ inſtituerunt quia quotidiè, vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidiè & hanc orationem effundere in conſpectu Dei debemus: quiſquis ergo Sacerdotum, vel ſubjacentium Clericorum hanc orationem dominicam quotidiè, aut in publico, aut in privato officio præterierit, propter ſuperbiam iudicatus ordinis ſui honore privetur.*

Ejuſdem orationis neceſſitatem, utilitatem, & beneficia ex ea provenientia affirmant plures juris canonici textus, ſancti Patres, & experientia quotidiana, quâ ſcimus quòd dum beneficia à Deo petimus, ea recipimus, modò debité ea petamus.

§. II.

De Rationibus quibus firmatur veritas hujus Articuli.

Luc. 18. *Matth. 6.*

ORationis neceſſitatem aut orandi præceptum nobis aperté inſinuat Chriſtus, nedum dicens; *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, quô tenemur inimicos diligere, ſed etiam Luc. 18. ubi habetur: *Oportet ſemper orare & nunquam deficere.* Per hæc quidem verba extenditur, & exaltatur præceptum illud; cùm Chriſtus eô velit omnes homines obligare ad orationem ſecundum tempus in præcedenti articulo aſſignatum. Nec præcipere ſufficit tanto Paſtori, qui animam ſuam dedit pro ovibus ſuis, nos etenim docuit inſuper modum, aut methodum orandi, nè oratio noſtra ſit ſicut oratio hypocritarum, Matth. cap. 6. verſ. 9. dicens ſuis Diſcipulis: *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, &c.* Quæ habentur in oratione dominica, in qua Chriſtus nobis præbet formam orandi, & offenſas aliis condonandi. Quòd certo non feciſſet ipſe Chriſtus, ſi orare eſſet omninò ſuperfluum, & inutile, ut voluerunt Pelagiani, & alij hæretici; cùm quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſint inquit Apoſtolus. Nec ſuffecit Chriſto nos docere verbô methodum orandi, ſed etiam opere. Quià ipſemet cœpit facere, & docere: Nam ſæpé oravit cum Diſcipulis, ut manifeſtum eſt in ſacra Scriptura Apoſtolorum teſtimoniô. Legimus enim Luc. 6. quòd aſſumptis Petro, Jacobo, & Joanne fratre ejus, aſcendit in montem, ut oraret. Et Matth. 26. quòd cùm mors ejus inſtaret, acerbitatem illius reformidans procedit in faciem ſuam orans, & dicens: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* *Chriſtus oravit.*

Idem exemplum habemus ex aliis Scripturæ locis, quibus conſtat, Chriſtum oraſſe cum Diſcipulis ſuis, & ideo certum eſt, orationem neceſſariam, & utilem eſſe fidelibus, ut per eam obtineant à Deo dona ſupernaturalia, quæ ſolis liberi arbitrij viribus minimé haberi poſſunt, ut contrà Pelagianos dictum eſt in primo hujus libri articulo: quippecùm in manu Dei ſint, ab ipſo ſolo dari poſſunt.

Oſtenditur neceſſitas orationis. *Luc. 11.*

His ſuffragatur ratio, nam licet per baptiſmum remittantur peccata, quæ in homine baptizando reperiuntur, remanet tamen fomes peccati illum impugnans interius. Mundus, & Dæmones qui impugnant exteriùs. Et né homo vincatur indiget ſpeciali auxilio, cujus collatio in ſola Dei poteſtate eſt, ac proindé homo auxilium illud debet petere à Deo, à quo ſolùm poteſt illud obtinere, quia omne bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, qui ſupplicantium præces exaudit, juxtà illud Luc. 11. verſ. 10. *Omnis qui petit accepit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Ideò cùm neceſſe ſit hos inimicos vincere, neceſſé eſt utique Deum orare, ut auxilium ab ipſo obtinere valeamus, & ipſô auxilio mediante ad cœleſtem patriam pervenire, victoriam reportando.

D. Gregor.

Quare Evangeliſta Lucas volens omnibus fidelibus oſtendere, orationem eſſe neceſſariam poſt baptiſmum, ait cap. 3. verſ. 21. *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum*, ut indé agnoſcamus, orationem eſſe neceſſariam baptizatis; cùm ex ſe ipſis non habeant poteſtatem comprimendi vitia, nec mereantur obtinere virtutem vincendi concupiſcentiam, mundum, & Dæmones, quam tamen per orationem obtinere poſſunt, ut monet D. Gregorius lib. Dialog. dicens: *Homines poſtulando merentur accipere quod Deus a te ſæcula eis diſpoſuit donare.*

Matth. 21.

Idem ſuadet illud Pſal. 26. *Unam petii à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: Ibi enim Propheta nedùm ſperat obtinere quod petit, ſed etiam declarat ſe indigere eo, quod petit: ergo neceſſé, & utile fuit ei orare. Hoc porrò fortius ſuadet Chriſtus Matth. 21. verſ. 22. dicens: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Unde cùm neceſſe, & bonum ſit habere ea quæ nobis ſunt neceſſaria, quæque à ſolo Deo recipere poſſumus, bonum eſt atque utile orare Deum, qui dat omnibus, & non improperat.

Jacob. 5.

Hæc veritas patet ex Scriptura Sacra. Legimus enim in epiſtola Canonica D. Jacobi plures orationis virtutes cap. 5. verſ. 13. & ſequentibus: *Triſtatur aliquis veſtrum? oret: æquo animo eſt? pſallat, infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ & orent ſu-*

Digitized by Google

per eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei: confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, multum enim valet deprecatio juſti aſſidua; Elias erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, menſes ſex, & rurſum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum. Nonne ex his conſtat, orationem eſſe utilem ad depellendam animæ triſtitiam, ad recuperandam corporis ſanitatem, quam mundus dare non poteſt, ſed ſolus Deus, qui eſt ſupremus mortis, & vitæ Dominus, qui mortificat, & vivificat, ducit ad inferos, & reducit, pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat. Unde David Pſal. 119. verſ. 1. ait: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.* Nonné conſtat etiam ex illa authoritate D. Jacobi, oratio-
Pſal. 119. nem eſſe utilem ad obtinendam pluviam de cœlo, ut terra det fructum ſuum. Quomodo ergo Pelagiani, & alij hæretici audent aſſerere, orationem eſſe inutilem, cùm tot videamus ex illa, aut virtute illius provenire effectus, & beneficia.

Hinc eſt quòd D. Auguſtinus lib. 2. de verbis Domini, orationis utilitatem demonſtrans ait: *Si timor Dei eſt, quô beati ſunt pauperes ſpiritu. Petamus ut ſanctificetur nomen Dei in hominibus in timore caſto. Si pietas eſt, quâ beati ſunt mites. Petamus ut veniat regnum*
D. Auguſt. *ejus, ut miteſcamus, nec ei reſiſtamus. Si ſcientia eſt, quâ beati ſunt, qui lugent. Oremus, ut fiat voluntas ejus, & ſic non lugebimus. Si fortitudo eſt, quâ beati ſunt, qui eſuriunt. Oremus, ut panis noſter quotidianus nobis detur. Si conſilium eſt, quô beati ſunt miſericordes, debita dimittamus, ut nobis noſtra dimittantur. Si intellectus eſt, quô beati ſunt mundo corde. Oremus, né habeamus duplex cor, temporalia ſectando de quibus tentationes ſunt nobis. Si ſapientia eſt, quâ beati ſunt pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Oremus ut liberemur à malo, ipſa enim liberatio nos faciet filios Dei.* Per hæc quidem verba ille S. Doctor inſinuat, nos poſſe orationis virtute omnes octo beatitudines habere in hac vita, modò oratio noſtra habeat conditiones neceſſarias, ſcilicet humilitatem, charitatem, & alias.

Filij Iſraël vehementer Holofernem metuentes, hortatu Eliachim Sacerdotis, in jejuniis, & oratione, & humilitate, & auxilium a Deo implorando firmi & ſecuri fuerunt brachiô excelſô. Viſitavit enim eos Deus. Hujus fortitudinis ac viſitationis cauſa fuit, quia ex toto corde omnes orabant Deum, ut notatur in lib. Judith. cap. 4. verſ. 12. & 13. Ubi legitur quòd Eliachim Sacerdos Domini magnus circuivit omnem Iſraël, allocutus eſt eos di-
Judith 4. cens: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſerit in jejuniis, & orationibus in conſpectu Domini. Memores eſtote Moyſi ſervi Domini, qui Amalech confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus Sanctis orando dejecit, ſic erunt univerſi hoſtes Iſraël, ſi perſeveraveritis in hoc opere quod cæpiſtis, ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum permanebant in conſpectu Domini.* Per hæc quidem verba multa referuntur beneficia virtute orationis à Deo conceſſa Moyſi, & populo Iſraëlitico; quæ cùm nota ſint Pelagianis, Lutheranis, aliiſque hæreticis, orationis virtutem abolere conantibus, non ſunt hîc individualiter deducenda nè Lectoris patientiæ noceamus. Sufficiat nobis dicere eis quòd Chriſtus (qui exemplum dedit nobis) oravit, & exauditus eſt pro ſua reverentia.

Unde miror, prædictos hæreticos cum tanta pertinacia aſſerere, orationem eſſe prorſus inutilem, nulliuſque virtutis, hinc eſt quòd de ipſis dico cum Alphonſo de Caſtro, eos eſſe illos Gigantes de quibus Eccleſiaſticus cap. 16. verſ. 8. ait: *Non exoraverunt pro ſ. is peccatis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt, ſuæ virtuti confidentes.* Noluerunt orare Deum, ideoque damnationem merito conſecuti ſunt, quoniam in Sinagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet ira, inquit idem Ec- Eccleſ. 4.
cleſiaſticus. Sunt aliæ quamplurimæ authoritates tam in Sacra Scriptura, quàm in Sanctis Patribus, quæ utilitatem orationis evidenter demonſtrant, ſed eas omitto nedum brevitatis gratia cui ſtudemus, ſed etiam quia veritas, quam hîc contra hæreticos propugnamus, ipſis hæreticis nota eſt, & luce meridiana propemodùm clarior.

§. III.

Exponit Hæreticorum mentem.

FUndementa hæreticorum hîc referre & impugnare ſuperfluum eſt. Nam Pelagius voluit, orationem eſſe inutilem, & ſuperfluam, nulliuſque virtutis, quia putabat liberum arbitrium eſſe ſuffi- *argumentū*
ciens pro ſalute conſequenda, ſecluſa quacumque *Pelagij eſt*
gratia, ſecluſa oratione, remotoque quocumque *nullum.*
auxilio Dei, voluitque hominem per uſum liberi arbitrii eſſe potentem ad vincendas tentationes; licet audiat Salvatorem dicentem Matth. 26. verſ. 41.
Vigilate & orate ut non intretis in tentationem, ſpiritus Matth. 26.
quidem promptus, caro autem infirma: quibus verbis Chriſtus perhibet orationem ad repellendas tentationes. Sed hujus Pelagiani fundamenti, falſitas apparet in primo hujus libri articulo, quô probatur neceſſitas gratiæ auxiliantis, ideoque non eſt hîc iterum manifeſtanda ejuſdem fundamenti falſitas.

Petri Abailardi, Martini Lutheri, & aliorum hæreticorum fundamentum eſt. Quia omnia eveniunt neceſſariò ut jam monui in principio articuli. Sed illud fundamentum deſtruitur contrà eoſdem hæreticos in primo libro, in quo probatur, Deum eſſe omnipotentem. Et in alio in quo probatur, Deum præſcire omnia futura: ideoque ſuperfluum eſt hîc eadem referre argumenta, ut evellatur fun-
damentum Lutheri utilitatem orationis temerarie *nullum eſt*
negantis. Sufficit Abailardo aut Luthero dicere, *etiā argu-*
quòd olim Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis: *Oportet* *mentum A-*
ſemper orare, & non deficere. Aut id quod Princeps *bailardi, &*
Apoſtolorum dixit Simoni Mago, Act. cap 8. verſ. *aliorum hæ-*
reticorum.
22. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forté remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

ARTICULUS XIX.

Docet contra Inſabatatos, orare pro aliquo particulari, eſſe bonum.

ADverſùs orationem inſurrexerunt nedum illi, qui dicunt ipſam ſolam habere virtutem perducendi hominem ad vitam æternam, etiamſi ipſe homo ſit Judæus, infidelis, aut peccator. Necnon illi, qui dixerunt; orationem eſſe prorſùs inutilem, ſed etiam alij ſub Gallieno Imperatore, & Stephano primo Papa, circa annum Domini CCLVI. qui dixerunt eſſe ſuperfluum, aut illicitum orare pro ſe aut pro aliquo alio in particulari, & determinatè, credentes, orationem debere eſſe communem, & pro omnibus. Illi autem hæretici dice-

Cathari. bantur Cathari, ſectâ Novatiani, à Novato Eccleſiæ Romanæ Presbytero originem ducentes, qui ſie voluere vocari propter munditiam, quam ſuperbiſſimè, & arrogantiſſimè jactabant, propter quam munditiam falsò ſuppoſitam, omittebant hæc verba, *dimitte nobis debita noſtr..*, dum recitabant orationem dominicam, arbitrantes ſe nulla indigere peccatorum venia, & mundos eſſe ab omni peccato, contra illud Joan. 1. cap. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; credebant tamen, bonum eſſe orare pro aliis, qui ſe immundos reputabant.

Huic hæreſi, poſteà ſcilicet anno MCLX. ſucceſſit altera ſub Friderico primo Imperatore, & Alexandro III. Summo Pontifice, directè oppoſita, ex eo quod in oratione dominica admittebat hanc particulam: *dimitte nobis debita noſtra*, quam Cathari excludebant. *Inſabatati.* Hujus hæreſis authores ſunt quidam Viri hæretici dicti Inſabatati eo quod in ſuperiori parte ſotularis (quem Sabatum appellant) quoddam deferebant ſignum: hi enim nullam orationem præter dominicam admittebant. Eorum ratio erat, quia in ea oratione, quam Chriſtus docuit nos, depræcamur pro omnibus, & tamquam illicitum, & infructuoſum prohibetur orare pro uno ſolo. Sed hæc ratio non valet, quia licet hæc oratio ſit communis, indè tamen Chriſtus non excludit, nec improbat particulares, ſed ſolum demonſtrat ea, quæ unuſquiſque debet petere à Deo.

Eumdem errorem circà orationem docuerunt eodem tempore Vualdenſes à Vualdone cive Lugduuenſi, qui cùm dives admodum eſſet, opibus relictis, pauperibus errogatis, Evangelicam *Vualdenſes* paupertatem ſe ſervaturum in animum induxit, ſub hoc tamen prætextu, interim non modicos ſeminabat errores, inter quos unus eſt contrà orationem. Nullam enim admittebar orandi formam, excepta oratione dominica, propter rationem jam allatam ab Inſabatatis, ut aſſerit & refert Prateolus lib. 4. hæreſ. 13.

His ſucceſſit Joannes Vvicleffus natione Anglus, professione Presbyter in Linconienſi Diœceſi Paro- *Vvicleffus.* chus, de quo jam locuti ſumus: ille enim hæreticus damnatus in Concilio Conſtantienſi, propter XLV. propoſitiones, omnes hæreticas, impias, & erroneas, quarum XIX. eſt hæc: *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quàm generales cæteris paribus*. quà conſtat Vvicleffum eſſe articuli noſtri impugnatorem, & hunc anathematis gladio percuſſum in ſacra & generali Synodo Conſtantienſi. Hanc hæreſim in nullo alio Concilio invenio damnatam, niſi in Conſtantienſi celebrato anno MCCCCXIV in quo damnata fuit prædicta propoſitio, ſicut cæteræ.

Concilium Conſtantienſe damnat prædictos hæreticos.

§. I.

De efficacia Orationis determinatæ pro uno ſolo.

ARticuli noſtri veritas, ſeu licitum eſſe, ac bonum orare pro uno in particulari conſtat ex epiſt. ad Rom. cap. 15. verſ. 30. ubi Apoſtolus ait: *Obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro* *Rom. 15.* *me ad Deum*; Ibi enim Paulus hortabatur Romanos, ut ſpecialiter orarent pro eo in particulari. Et ſtatim rationem aſſignat in verſ. 31. & 32. dicens: *Ut liberer ab infidelibus, qui ſunt in Judæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem, Sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum.* Nullus igitur poteſt citrà hæreſim negare, orationem pro uno particulari eſſe bonam, & licitam; cùm Apoſtolus Romanos hortatus fuerit ad orandum pro illo in particulari. Inſuper ſi hoc malum eſſet, D. Petrus reprehendiſſet Simonem Magum orationem Apoſtolorum optantem, & ipſis Apoſtolis dicentem, act. 8. verſ. 24. *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum quæ* *Act. 8.* *dixiſtis.* Quòd tamen non fecit ipſe Petrus: ergo ſequitur quòd non eſt malum orare pro uno ſolo, imo eſt bonum, & laudabile

Deindè ſi non eſſet bonum, nec licitum ſic orare Chriſtus Dominus non oraſſet pro ſolo Petro; quòd tamen feciſſe conſtat ex illo Luc. 22 verſ. 32. *ego rogavi pro te.* Nec licitum eſſet orare pro ſe ipſo, cùm utrique par ſit ratio, ſcimus tamen Chriſtum non oraſſe in horto, ſicut in cruce: nam in illo oravit pro ſe ipſo dicens: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* In cruce verò oravit pro omnibus, dicens: *Pater ignoſce illis.* In illo tamen ſcilicet in horto, non peccavit, ut dictum eſt in primo libro contrà Calviniſtas, & alios hæreticos. Scimus inſuper Petrum dixiſſe Simoni Mago Act. 8. verſ. 22 *Roga Deum ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Eccleſ. cap. 21. verſ. 1. hortari peccatorem ut oret pro ſe, *Ecclеſ. 2.* ibi enim ait: *Fili peccaſti? non adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ideoque oratio, quæ fit pro uno ſolo, ſeu pro una perſona particulari, aut pro ſe, eſt bona & licita, quamvis ea, *D. Chryſoſt.* quæ fit pro pluribus aliis credatur magis grata Deo, ut facile infertur ex D. Chryſoſtomo ſuper Matth. dicente: *Pro ſe orare neceſſitas cogit, pro aliis autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum eſt oratio, non quam neceſſitas tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.*

Altera ratio hujus veritatis deſumitur ex Act. Apoſt. cap. 12. ubi refertur hiſtoria incarcerationis Petri pro quo fiebat ſine intermiſſione oratio ab Eccleſia ad Deum pro eo, quæ quidem oratio pro- *Act. 12.* fuit ipſi Petro, & non profuit omnibus aliis, qui cum eo erant in carcere: nam ipſe Petrus verſ. 11. ait: *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.* Hujus beneficij cauſa, fuit oratio, quæ pro eo fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum. Nonnè hæc oratio Eccleſiæ erat pro uno ſolo, & ſuum habuit effectum? Ergo oratio ſpecialis eſt licita, & plus prodeſt illi pro quo fit, quàm pro aliis.

Id confirmari poteſt alio exemplo, nimirum Davidis, & boni Latronis in cruce converſi. Ille pro ſe ſolo orabar dum corde contritus Deo dicebat Pſal. 50. *Miſerere mei Deus.* Iſte verò dum dixit *Pſal. 50.* Chriſto in cruce pendenti Luc. 23 verſ. 42. *Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum*, uterque obtinuit quod poſtulabat. Nam David peccati ſui veniam conſecutus eſt. Et Latro Paradiſum: audivit enim Chriſtum dicentem illi: *Hodiè mecum eris in Paradiſo*, imò obtinuit pluſquam petebat, ut notat D. Ambroſius lib. 15. ſuper Lucam, dicens: *D. Ambroſ.* *Uberior eſt Dei gratia, quam precatio, ſemper enim plus tribuit Deus, quam rogatur, nam Latro rogabat, ut ſui memor eſſet Dominus, cùm veniſſet in regnum ſuum, Dominus autem ait: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*

Olim Deus mandavit orationem particularem, & determinatam ad paucos; legimus enim in lib. Job. cap. 42. Deum præcepiſſe Eliphaz Themanitæ ut rogaret Job, quatenus ille rogaret eum pro ipſo, & pro aliis duobus amicis ſuis, qui Deum offenderant, eo quòd acriter reprehenderant Job ibi enim verſ. 8. 9. & 10. habetur: *Poſtquam autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos,*

quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem Job. 42. *arietes, & ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orabit pro vobis. Faciem ejus ſuſcipiam ut non vobis imputetur ſtultitia: Neque enim locuti eſtis ad me recta, ſicut ſervus meus Job. abierunt ergo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Job. Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis ſuis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerat Job, duplicia.* His conſtat, Jobum oraſſe Deum non pro omnibus, ſed pro tribus dumtaxat, Deo ſic mandante.

Aliud Teſtimonium habemos à Propheta Baruch cap. 1. verſ. 11. ubi ſic legitur: *Et orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Baltaſſar filii ejus, ut ſint dies eorum, ſicut dies cœli ſuper terram,* Baruch 1. ex quibus verbis infertur, orationem determinatam ad unum, aut ad aliquos eſſe bonam, licitam, & fructuoſam. Interpretes inferunt etiam ex eodem textu, ſubditos teneri orare pro Rege, cui ſubjiciuntur in temporalibus, & cui debent obedire: ſcriptum eſt enim, obedite præpoſitis veſtris etiam Diſcolis.

Undè Apoſt. 1. ad Timot. cap. 2. diſtinguit dua orationes quarum una eſt pro omnibus hominibus, & alia pro Regibus & Magiſtratibus in par- 1. ad Tim. 2 ticulari, ait enim verſ. 1. & 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.* Hinc eſt quòd poteſt quis licitè orare pro ſe ipſo, & dicere, *Salva me Domine*, quin oret pro aliis, ut fecit David, orare pro aliquibus ſcilicet pro Regibus, aut Magiſtratibus, aut pro uno, ſcilicet pro Rege, quin oret pro aliis Regibus, aut pro uno infirmo; quin oret pro aliquo homine ſano.

Hæc aſſertio Catholica probatur ex illo Matth. cap. 6. ubi Chriſtus docens quomodo faciendæ ſint eleemoſyna, & oratio, ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui vides in abſcondito, red-* Matth. 6. *det tibi.* Ibi enim conſtat, hominem poſſe orare pro ſe ipſo ſecundum ſuam indigentiam, quia hæc particula, *reddet tibi*, quæ correſpondet depræcanti, non denotat multitudinem, ſed perſonam particularem; cùm ſignificet rem petitam non eſſe pro omnibus, ſed pro uno ſolo, ſeu pro rogante tantùm. Deus namque ſolet rem petitam concedere illi pro quo fit oratio, ut patet ſuprà exemplo D. Petri. Undè Chriſtus ait: *reddet tibi*, id eſt, *quod petes*. Quòd cum poſſit dumtaxat uni convenire, ſive ſit ille, qui orat, ſive ille pro quo orat, ſequitur quòd oratio poteſt licitè fieri pro uno, quin fiat pro pluribus. Et poteſt illi magis prodeſſe, quàm aliis, ut ſuadet Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 4. verſ. 2. & 3. dicens; *Orationi inſtate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes ſimul, & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum) ut manifeſtem illud, ita ut oportet me* Coloſſ. 4. *loqui*, ibi enim Apoſtolus loquebatur de ſe ipſo, ut probant ultima verba, & titulus hujus capitis, qui ſic inſcribitur, *pro ſe cupit ipſos precari.* Et ideo bonum eſt orare pro aliqua perſona in particulari, nec poteſt hoc negari citra hæreſim.

Tandèm non parum juvat hic afferre præceptum Chriſti de dilectione inimicorum, nam qui habet unum inimicum dumtaxàt, tenetur orare pro illo, & ſic orat pro uno ſolo, Deo ſic jubente: ergo d m oramus non tenemur neceſſariò pro validitate orationis orare pro omnibus, nec peccamus dũ pro aliquo oramus, ut voluerunt hæretici ſupra nominati.

§. II.

In quo rejicitur Ratio contraria.

Contra hujus articuli veritatem nullam aliam invenio apud hæreticos rationem; quæ probet orationem debere eſſe pro omnibus, ut proſit, præter illam, quam appoſui in principio articuli pro Inſabatatis exiſtimantibus quod nulli licet habere aliam orationem præter dominicam, quæ eſt pro omnibus, & data à Deo; quin nobis liceat alio modo orare.

Sed hæc ratio eſt falſa, nam dico cum D. Thoma 2.2. quæſt 3. artic. 14. ad 3. quòd Chriſtus non inſtituit hanc orationem ut ipſâ ſolâ uti debeamus in orando, ſed ut orantis intentio tendat ad impetranda ea, quæ in illa oratione continentur; quæ cùm ſint omnibus neceſſaria, ab omnibus, & pro omnibus peti debent. Portò hoc non impedit quominus aliquis poſſit pro ſe petere aliquid, quò indiget. Aut orare pro uno peccatore, ut ei venia concedatur, & dicere illi, *miſereatur tui omnipotens Deus, &c.* *cauſa inſtituendi orationem dominicam.*

ARTICULUS XX.

Statuit contra Aërianos, bonum eſſe pro Defunctis orare. Et Purgatorium admittit.

Illi hæretici, qui Purgatorium negant, præſentem articulum impugnant, quia veritas, quam hic defendimus, ab exiſtentia cujuſdam loci medii inter cœlum, & infernum, utpotè purgatorij omninò dependet; cùm oratio nequeat fieri pro Sanctis in gloria cum Chriſto regnantibus. Nec pro damnatis, qui in flammis æternis cruciantur. Unde hîc ſufficit probare exiſtentiã purgatorij. Et impugnare hæreticos, qui adverſùs ipſum inſurrexerunt; nã ſi animæ defunctorũ detineantur in aliquo loco tertio; bonum eſt orare pro illis. Et ſi bonum ſit orare pro defunctis, datur purgatorium.

Dico igitur quod primus inventor hujus hæreſis fuit quidam vir nomine Aërius, Euſtachij Sabaſtæ *Aërius.* in Armenia Præſulis, Condiſcipulus, & æqualis qui teſte D. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 53. cùm eſſet Presbyter, ægrè ferens ſe non poſſe Epiſcopi dignitatem, quam modis omnibus peroptabat, aſſequi, in Arianorum hæreſim ea de cauſa lapſus eſt circà annum Domini CCCXL. tempore Conſtantini Magni Imperatoris, & Julij I. Papæ, propria quoque dogmata Arianæ hæreſi addidit: docuit enim inutile eſſe Sacrificium offerre pro defunctis. Anno autem DCCIV. ſub Conſtantino III. Imperatore, & Leone Papa III. inſurrexerunt quidam viri ſceleratiſſimi, ſectâ Manichæi dicti Albanenſes (longè Arianis nequiores) qui dixerunt, infernum, & purgatorium nihil eſſe.

His adhæſerunt alii ſectâ etiam Manichæi, nimirum Albigenſes, qui arbitrabantur, animam ſic *Albanenſes* cum corpore perire, ut nuſquam poſteà revertatur, & ideo negabant non ſolùm purgatorium, ſed etiam infernũ, & paradiſum. Ipſis Albigenſibus adhæſerunt Perro-Bruſſiani, Diſcipuli Petri de Brüis viri hæretici, natione Galli, ex Provincia Occitaniæ orti, qui per viginti circiter annos in partibus Occitaniæ,

& Delphinatûs

Henriciani. & Delphinatûs malé vivens, loquens, & ſcribens, varios diſſeminabat errores, unà cum Henrico Tholoſano contra fidem Eccleſiæ, nam dicebat, pro defunctis orare, nihil prodeſſe.

Vualdenſes. *Pſeudo-Apoſtoli.* *Huſſitæ.* Anno MCLX. Vualdenſes, ſeu pauperes de Logduno, docebant nullum eſſe Purgatorium ſeu locum, in quo animæ ab hac luce migrantes, purgentur a ſordibus, quas in corpore contraxerunt, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur. Pſeudo Apoſtuli (Quorum Dux fuit quidam Gerardus Sagarellus parria Parmenſis) docebant (tempore Cæſaris Germani, & Cœleſtini V. circa annum Domini MCCXCV. teſte D. Bernardo ſerm. 65. & 66. in cantica) nullum eſſe medium inter cœlum, & infernum pro defunctis deſtinatum; ad hanc impiiſſimam hæreſim tuendam mori fuerunt occaſione Græcorum, & Armenorum, qui nullum admittunt Purgatorium, ut ipſorum probat Schiſma. Huic hæreſi adhæſerunt Huſſitæ ſic dicti à Joan. Hus natione Buhemo, qui anno MCCCVII ſub Vuenceſlao Bohemorum Rege, & Gregorio XI. docuit, & credidit Purgatorii igoem nullibi inveniri, ſubindeque Purgatorium, ſeu locum illum, in quo Catholici volunt, animas purgari, eſſe merum figmeonm.

Calvinus. *Senſus Lutheri.* Tandem his omnibus adhæſit Impiiſſimus Calvinus, qui prædictorum hæreticorum hæreſim ſuſcitavit. Quoad Lutherum reverà non negat abſolutè purgatorium, ut teſtantur omnes ſcriptores, ſed negat illud probari poſſe ex ſacra Scriptura. Miratur noſter Alphonſus à Caſtro, quia (inquit) Lutherus docet nihil eſſe credendum, quod non poſſit manifeſtè colligi ex Sacra Scriptura, ex quo neceſſariò ſequitur, quòd ipſe Lutherus exiſtimans, nullum textum Sacræ Scripturæ demonſtrare exiſtentiam Purgatorij, deberet etiam negare cum prædictis hæreticis ejus exiſtentiam. Quòd tamen non fecit. Ego autem non miror, quia Deus voluit indé nobis oſtendere fallitatem errorum, & malitiam Lutheri, & ſectatorum ipſius, ut de illis dicere poſſimus illud Apuſtoli 1. ad Timoth. cap. 1. verſ. 7. *Volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Quòd merito dici poteſt de omnibus illis, qui circà fidem naufragaverunt, & à conſcientia bona, & fide non ficta aberrantes converſi ſunt in vaniloquiũ & ad fabulas, ut à veritate Iſraelitarum auditum avertant.

§. I.

Amboritas Conciliorum, & Sacræ Scripturæ, impugnat Hæreticos.

Nicænum primum. *Concilia Carthaginenſia.* *Concilium Valentinũ.* *Aurelian.* PLura Concilia anathematizant Hæreticos, quos hic Impugnamus; Nicœnum primum celebratum anno CCCXXV. ſub Silveſtro Papa, & Conſtantino Magno Imperatore, decernit can. 65. ut mortuo Epiſcopo ſignificetur omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis Diœceſis, ut pro eo fiat oratio. Quod idem eſt, ac declarare exiſtentiam purgatorij, & docere booum eſſe pro defunctis orare; cùm animæ in gloria, vel in inferno exiſtentes, nullò egeant juvamine, nec poſſint adjuvari, ideoque ex hoc Concilio datur tertius locus, in quo ſunt animæ pro quibus eſt orandum; alioquin ſuperflua eſſet hæc conſtitutio Nicœna. Concilia Carthaginenſia, ſcilicet tertium can. 29. & quartum can. 79. ſtatuunt tempus; quo orationes pro defunctis ſunt faciendæ. Concilium Valentinum can. 4. præcipit, recedentem à ſæculo Epiſcopum poſt oblatum in ejus commendationem Sacrificium Deo, ſepeliri. Concilium Aurelianenſe ſecundum, can. 5. decernit oblationes pro defunctis.

Toles. XI. *Cabillonenſ.* *Salegunſtadienſe.* Idem habetur in Concilio Toletano undecimo, can. 12. In Cabillonenſi tertio, can. 39 citato, diſt. 1. de conſecrat. can. 79. ubi habetur: *Viſum præterea nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolemniis pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominum deprecetur.* Hoc eſt, ut inquit gloſſa, *ut pro eis oret mater Eccleſia, quibus deſunt preces parentum:* Concilium Saleguſtadienſe celebratum anno MXXII. ſub Benedicto Papa VIII. can. 10. ſtatuit ut Miſſa, pro ſalute vivorum, vel defunctorum, celebretur, & audiatur.

Florent. *Tridentin.* Tandem veritas purgatorij definita fuit expreſſe, & determinatè in duobus Conciliis generalibus poſterioribus, ſcilicet in Florentino, ipſis Græcis in eodem Concilio exiſtentibus, & non reclamantibus, in quo quidem Concilio Patres ſic loquuntur: *Item definimus ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint antequam dignis pœnitentia fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis purgari.* Et in Trident. ſeſſ. 25. in decreto de Purgatorio, ubi ſic legitur: *Cum Catholica Eccleſia Spiritu Sancto edocta, ex Sacris Literis, & antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis, & noviſſimè in hac œcumenica Synodo docuerit eſſe Purgatorium, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimum verò acceptabili altaris ſacrificio juvari: præcipit Sancta Synodus Epiſcopis ut ſanam de Purgatorio doctrinam, à Sanctis Patribus, & ſacris Conciliis traditam à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant:* igitur ex his, & ex aliis Conciliis, evidens eſt Eccleſiam ſemper crediidiſſe exiſtentiam purgatorij, & pro animabus in eo detentas, oraſſe.

Apocalyp. *Ratio demonſtrans Purgatorij exiſtentiam.* Hæreticos orationes pro defunctis prorſus inutiles exiſtimantes, aut Purgatorij exiſtentiam negantes penitùs confundit humana ratio juxtà principia fidei diſcurrens, certum enim eſt ex ſacra Scriptura quòd nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, ut conſtat ex illa Apocalyp. 21. verſ. 27. ubi D. Joannes de gloria æterna ait: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, quia per viam Sanctorum non tranſibit pollutus, ut aſſerit Iſa. cap. 35. Illi qui ſtant ante Thronum Dei ſunt ſine macula, ſuntque quaſi ſol refulgens in illo templo Dei, etenim civitas illa eſt ea, quam Chriſtus ſanctificavit mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi, ut refert Apoſtolus ad Epheſ. 5. Scimus aliundè quód ſunt plurimæ animæ, quæ dum moriuntur plurimas habent peccatorum venialium ſordes, quas numquàm dum hic viverent, mundaverunt, quæ licet in mortis articulo gratiâ pœnitentiæ, aut motu perfectiſſimæ contritionis, miſericordiſſimi Patris favorem invenerint, ut ab ipſo gratiam peccatorum remiſſivam obtinuerint, tamen opus habent purificatione, & mundatione aliqua, ut expurgentur à peccatorum reliquiis, & habituum vitioſorum fæcibus, ac radicibus, quas ab intimi animi penetralibus non potuerunt in tam exiguo temporis ſpatio pœnitentiæ funditùs eradicare, quales ſunt illæ animæ V.G. quæ recuperatâ Dei benevolentiâ per contritionem, ſtatim ex improviſo corpore recedont antequam ſubierint pœnâ temporalem, in quam æternam mutata fuit per Sacramentũ, tales autẽ animæ non deſcendunt in infernum, quia nullus moriens in oſculo pacis, & in charitate

Dei (quæ cum macula veniali compatitur) perpetuo damnantur propter peccata venialia, aut peccatorum reliquias; cùm non expellant gratiam ſanctificantem, quâ anima fit ſancta, & ſedes Dei. Et Deus det gloriam ſuam omnibus illis, qui in Domino moriuntur.

Nec poſſunt tales animæ aſcendere ad gloriam, ad quam nihil coinquinatum intrat, quia à ſordibus peccatorum venialium nondùm ſunt purgatæ, & mundatæ: ergo nè animæ juſtæ puniantur pœnâ æternâ, ſicut animæ impiæ in inferno; aut nè perfruantur gloriâ ſicut animæ perfectiſſimé purgatæ, neceſſè eſt admittere tertium locum, in quo detineantur animæ electæ quouſque ſint tanquam aurum in fornace mundatæ, ut ſic purificatæ poſſint intrare in illam civitatem ſanctam Jeruſalem, in quam juxtà monitum D. Joannis, nihil coinquinatum intrat. Unde Beati in cœlo exiſtentes dicere poſſunt nobis ambulantibus in via, *tranſivimus per ignem & aquam*, & dicere Deo, *& deduxiſti nos in refrigerium.* Hac authoritate plures probant exiſtentiam purgatorij: quamvis plures ſint, qui intelligunt eam de tribulationibus & ærumnis Sanctorũ in hoc mundo.

Ut autem prædicti hæretici confundantur authoritate divinâ, nonnulli afferendi ſunt textus ex quibus facilé colligitur contrà Lutherum, purgatorium. Pri-
2. Machab. 12. mus eſt in lib. 2. Machab. cap. 12. verſ. 43. ubi de Juda Machab. dicitur quòd curavit pro occiſorum peccatis offerri ſacrificium: *Et facta collatione: duodecim millia drachmas argenti, miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſe de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam, ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Quibus evidenter conſtat, bonum eſſe pro defunctis orare, & poſt mortem aliqua peccata eſſe remiſſibilia mortuis, quorum animæ non poſſunt eſſe in cœlo (in quo nulla eſt macula quamtumvis modica) nec in inferno in quo nulla eſt redemptio, ſeu remiſſio peccatorum: ergo debet eſſe in alio loco.

Reſpondent hæretici, hunc librum non eſſe canonicum. Eorum ratio eſt, quia negant, Judam Machabæum miſiſſe eleemoſynas ad offerenda ſacrificia pro illis mortuis, quia dum eorum corpora tra-
Hæreticorũ inſtantia. debantur ſepulturæ, habebant ſecum denarios Idolorum, ut conſtat ex textu, & ideo illi milites mortui erant in peccato apoſtaſiæ. Idcirco erant incapaces ſuffragiorum. Quapropter non debuit Judas pro illis orare, ex quo ſequitur, hunc librum Machabæorum eſſe apocryphum. Vel licitum eſſe ſacrificium offerre & orare pro Damnatis. Quòd eſt falciſſimum; cùm ex Sacra Scriptura in inferno nulla ſit redemptio.

Huic Argumento reſpondet Lyranus negando ſuppoſitum, ſcilicet librum Machabæorum eſſe apocryphum, ut dicemus in proprio loco de libris Eccleſiæ. Ad probationem negat Lyranus conſequentiam: ait enim quòd Judas, & ſocij ejus debebant probabiliter judicare quòd illi milites ſinceram, & firmam habuerant de peccatis contritionem in morte, & ſic orationes, & ſacrificia valebant eis eo quod fuerint mortui in ſtatu ſalutis, ut probant hæc verba: *Quia conſiderabat quod*
refutatur Hæreticorũ inſtantia. *hi qui cum pietate do mitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* Non valet igitur argumentum aut reſponſio hæreticorum, nec probat hunc librum eſſe apocryphum, nec improbat purgatorium, imo probat illud evidenter.

Deindè in ultimis verbis textus adducti conſtat, Judam Machabæum velle ſalubrem, atque ſanctam eſſe cogitationem pro defunctis orare. Et defunctos poſſe ſolvi à peccatis, non à mortalibus, quia in Inferno nulla eſt peccatorum remiſſio: ergo à venialibus. Non in cœlo, in quo nihil coinquinatum intrat, nec in inferno, in quo nulla eſt redemptio, nec in terra, ſeu in via; cum loquatur de defunctis, ſed in alio loco, ſeu in purgatorio, in quo ab omni ſorde mundantur, & purgantur à peccatis venialibus, quæ in hac vita non fuerunt remiſſa.

Illam rationem purgatorium probantem confirmant D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. D. Bernar- *D. Greger.*
dus ſerm. 66. ſuper Cantica adverſus quoſdam hæreticos, qui ſe dicebant Apoſtolicos. Innocentius *D. Bernar.*
IV. conſtitut. 14. & alij ex illo Matth. cap. 12. verſ. 32. *Quicumque dixerit verbum adverſus filium hominis* *Innoc. IV.*
remittetur ei, qui autem dixerit in Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: Ergo certum eſt (inquiunt præcitati Patres) aliquas eſſe in anima, culpas, quæ in alio ſæculo remittuntur, & à quibus homo poſt mortem poteſt purgari, alioquin Chriſtus fruſtrà addidiſſet hanc particulam, *neque in futuro*, ſi poſt mortem nulla abſolutè eſſet remiſſio peccatorum, quia ſi nulla culpa in alio ſæculo remittitur, ut tenent hæretici, ſatis erat dicere, *non remittetur eis in hoc ſæculo*, vel abſque reſtrictione, *non remittetur ei*; cùm de impoſſibili nullus habendus ſit ſermo, nullaque facienda ſit promiſſio. Sed locus ille, in quo ex prædictis verbis Chriſti ſuadetur, peccatum in Spiritum S. eſſe irremiſſibile in omni ſtatu, in quo peccata remittuntur, hoc eſt tàm poſt mortem, quàm in vita, tam vivis, quàm defunctis, eſt purgatorium, ſeu locus diſtinctus à Cœlo, & inferno, in quo poſt mortem remittuntur quædam peccata, quæ non ſunt contrà Spiritum S. ideoque defuncti ſolvi poſſunt ab aliquibus peccatis, hoc eſt, à venialibus quæ gratiam ſanctificantem non expellunt, nec conſtituunt hominem filium perditionis, acproinde debemus orare pro mortuis, ut à peccatis illis ſolvantur.

Unde Eccleſiaſticus cap. 7. verſ. 37. adhibitis monitionibus, & exhortationibus ad opera miſericor- *Eccleſ. 7.*
diæ ergà pauperes: ait, *mortuo non prohibeas gratiam.* Hoc eſt, non ſufficiat tibi manum porrigere pauperi, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua, ſed etiam mortuo extende manum tuam, id eſt, ora, præces pro eo effunde, ut ſublevetur à miſeria, quam patitur, quæ quidem miſeria nequit eſſe ea, quam Damnati patiuntur in inferno; cùm ſit æterna? ergo ex Evangelio Matthæi, & ex libro Eccleſiaſtici, mortui poſſunt deſcendere in tertium locum, ſeu in purgatorium; cùm poſſint obtinere remiſſionem aliquorum peccatorum, & gratiam purgativam, quæ nequeunt conferri Damnatis, quia non ſunt in loco, qui mediet inter cœlum & infernum, ſed ſunt in ipſo inferno, nec poſſunt conferri Beatis, quia in cœlo omni bono perfruuntur.

Aliud habemus teſtimonium in novo teſtamento, probans exiſtentiam purgatorii, eſtque Apoſtoli ad Corinth. 1. cap. 3. verſ. 12. & ſequentibus, ubi ait:
Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, *1. Corinth. 3.*
argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Indé enim ſatis colligitur ignis purgatorius, ſeu ignis temporalis pro nonnullis hominum delictis poſt mortem purgandis, poſt quorum purgationem, aut actionem purgativam, homo ſalvatur; nam Apoſtolus poſt innumerata detriméta, quæ

paſſurus eſt ille, qui ſuperædificat ſupra fundamentum non omninò perfectum, ſubdit, *ipſe autem ſalvus erit, ſi tamen quaſi per ignem.* Hoc eſt, habebit vitam æternam poſtquam opus ejus probatum fuerit per ignem. Quòd non poteſt intelligi de igne inferni, qui eſt æternus, nec de peccato mortali nondum in hac vita dimiſſo, quoniam punitur pœnâ æternâ; cùm Chriſtus dicet in ultimo judicio peccatis mortalibus oneratis: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, ideoque debet intelligi de peccato veniali purgato per ignem purgatorij, per quē purgantur peccata venialia, & peccatorum reliquiæ decedentinm in oſculo pacis, & in charitate Dei, ut notat Divus Auguſtinus in lib. de vera & falſa pœnit. cap. 18. relatus in can. *quid in aliud*, diſt. *D. Auguſt.* 25. ubi ait: *Quid in aliud ſæculum diſtulit fructum converſionis, prius purgabitur igne purgationis. Hic autem ignis, & ſi æternus non ſit, miro tamen modo gravis eſt, excellit enim omnem pœnam, quam unquam aliquis paſſus eſt in hac vita, vel pati poteſt.*

Eamdem verbis Apoſtoli Interpretationem adhibent D. Hieronymus in fine decimi octavi libri Commentariorum ſuper Iſaiam D. Gregorius lib. *D. Hieron.* 4. Dialog. cap. 39. in Paulum, & alij Sancti Patres, qui hac ipſa authoritate probant, & affirmant exi- *D. Gregor.* ſtentiam purgatorij, nec-non bonum eſſe orare pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur.

His omnibus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum oraculis, nec-non univerſali Eccleſiæ conſuetudini ab ipſis Apoſtolis derivatæ, & uſque ad hæc tempora ſervatæ, per quam ſemper inter Miſſarum ſolemnia, ſacerdos pro defunctis orat Deum, ut à peccatis ſolvantur, & de loco in quo detinentur ad cœlum convolent, ſuffragatur authoritas D. Matth. cap. 5. verſ. 25. & 26 ubi legitur: *Eſto con-* *Matth. 5* *ſentiens adverſario tuo cìò dum et in via cum eo, nè fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies, donec reddas noviſſimum quadrantem*, ibi enim fit ſermo de adverſario hominis, cui debemus conſentire. Ille autem adverſarius, quem homo habet dum eſt in via, eſt ſermo divinus, ſeu doctrina, quæ dicit exequenda eſſe Dei mandata: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, &c.* ut monet gloſſa, teſte Eminentiſſimo Cardinali Laurea, in Commentariis in quarto ſententiarum, diſput. 26. de medio ſtatu animatum, ſeu de purgatorio, num. 53 poſt D. Ambroſium in cap. 12. Lucæ, ubi ait quòd homo per peccata, ſibi conſtituit Deum adverſarium: Judex autem eſt Chriſtus, quia Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio. Fit inſuper in in hoc textu mentio de quodam carcere, in quem mittitur poteſt mortem ille, qui doctrinæ Chriſti non conſenſit in vita, ut probat hæc particula, *dum es in via nè fortè tradat te adverſarius judici*, quæ denotant adverſarium non tradere, ant non mittere in illum carcerem, niſi poſt viam, ſeu poſt mortem. Carcer autem ille nequit eſſe infernus Damnatorū, qnia nullus de eo poteſt exire, nec poteſt quadrantem reddere, cùm pœna ſit æterna. Et iſte de quo loquitur Evangeliſta, ſit egreſſurus: exiet enim ille, quē mittet judex, ſeu Chriſtus, ſtatim ac reddiderit noviſſimum quadrantem, ut probat hæc particula: *Amen dico tibi non axies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Ergo præter infernum, qui eſt carcer in quem mittuntur damnati irrevocabiliter, datur alius locus, aut carcer, cujus pœna non eſt æterna, ſicut pœna ignis inferni, ſed temporalis, quâ purgantur Electi, ut perfectè purgati, & juſtitiâ Dei uſque ad ultimum quadrantem ſatisfactâ, aſcendant in cœlum, in quo nihil coinquinatum intrat; acproinde datur purgatorium, ſeu locus medius de qno animæ exennt, ſolutis debitis. Ita ſen- *S. Eucherius.* tiunt Doctores, ac SS. Patres locum iſtum Evangeliſtæ Matthæi explicantes, præſertim S Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis Homil 3. de Epiphania, D. *D. Bernat* Bernardus de obitu S. Humberti. Et alij.

Tandém Apoſtoli in actibus ſuis cap 2. verſ. 24. purgatorij veritatem ſtabiliunt, ibi enim de Chriſto ſic loquuntur: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus* *Act. 2.* *inferni, juxtà quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Hoc enim ſignificat dari dolores poſt mortem ſuſtinendos, & pœnas in alia vita ſolvendas. Quia non poteſt intelligi de laboribus, & doloribus Chriſti ante paſſionem. Tum quia finierant in cruce, Joan. *Joan. 19.* 19. verſ. 30. *Cum ergo accipiſſet Jeſus acetum, dixit: conſummatum eſt, & inclinato capite emiſit ſpiritum.* Tum quia Apoſtoli loquuntur de reſurrectione, quam mors præcedit, & de doloribus inferni, quos in hac vita nullus patitur. Nec poteſt intelligi de doloribus Damnatorum, qui cùm ſint æterni, Chriſtus non eſt paſſus eos. Nec poteſt intelligi de doloribus SS. Patrum in lymbo, quia ibi non patiebantur; debet igitur intelligi de doloribus alterius loci, ſcilicet purgatorij cui Sancti Patres, & Scriptura tribuunt nomen inferni, ità quod Chriſtus nedum liberaverit Patres in lymbo, ſed etiam aliquas animas, quæ patiebantur dolores in purgatorio: Ideo dicunt Apoſtoli, *ſolutis doloribus inferni*, id eſt, ſolutis, ſeu finitis pœnis purgatorij; cùm non ſint aliæ quæ poſt mortem ſolvi poſſint. Et ſic patet, ipſum purgatorium negari non poſſe citrà hæreſim.

Hanc ipſam expoſitionem præbent D. Auguſtinus lib. 11. de Geneſ. ad Litteram, D. Cyprianus in *D. Auguſt.* ſermone de Cœna Domini; D. Gregorius Nazianzenus, & alij exponentes illud Apoſtoli 1. ad Co- *Nazianz.* rinth. cap. 15 verſ. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt? ut quid &* *Cyprianus* *baptizantur pro illis.* Quod etiam intelligunt de mortuis pro quibus tunc vivi varia pietatis opera exercebant. Volunt enim ibi Apoſtolum loqui de Baptiſmo lachrymarum, & pœnitentiæ, qui pro mortuis ſuſcipitur, orando, jejunando, eleemoſynaſque largiendo pro illis, quaſi diceret, quid prodeſt flere, orare, jejunare, & eleemoſynas largiri pro mortuis, ſi mortui non reſurgant, ex quo patet (inqniunt doctiſſimus Ephrem, qui vivebat anno CCCLV, in ſuo teſtamento; & Petrus Cluniacenſis lib. contra Petro-Bruſianos) conſuetudinem fuiſſe tempore Apoſtolorum hujuſmodi Baptiſmum ſuſcipere, hoc eſt, orare, jejunare, & eleemoſynas largiri pro mortuis; non quidem pro Damnatis pro quibus talia facere, fuiſſet inutile, nec pro Beatis, quibus fuiſſet ſuperfluum: ergo pro mortuis, quos credebant eſſe in tertio loco, qui non eſt cœlum, nec infernus, ſed purgatorium, de quo, ſolutis pœnis, exeunt animæ. Et ideo fides docet dari purgatorium, in quo ſunt animæ, quæ deceſſerunt cum aliquo peccato veniali, aut non ſatisfactâ perfectè pœnitentiâ, ut ibi perfectè pur- *Tobias 4.* gentur, & ut dignè poſſint aſcendere ad ſanctam Civitatem Jeruſalem, in quam nihil coinquinatum intrat. Imò Apoſtolis antiquior eſt hæc conſuetudo, ut probat illud Tobiæ 4. verſ. 18. ubi legitur, *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam Juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*: quod evidenter demonſtrat conſuetudinem illius temporis, quâ inſtruebatur convivium, ad quod vocabantur pauperes, ut poſt acceptam eleemoſynam, orarent pro anima defuncti.

§. II.

Solvuntur Argumenta Contraria.

HÆretici, & præſertim Calviniſtæ, objiciunt contrà veritatem noſtri articuli illud Eccleſiaſtes cap. 11. verſ. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ubi, *lignum*, ſignificat hominem, *ad Auſtrum*, ſignificat Spiritus S. charitatem, *ad Aquilonem*, frigus infidelitatis: ergo (inquiunt) nullus alius eſt locus præter Auſtrum, & Aquilonem, hoc eſt, præter gloriam, & gehennam; & ideo cùm homo neqoeat mori; quin moriatur in charitate, vel in peccato, neceſſé eſt quòd ſit damnatus, aut Beatus ſtatim poſt mortem, acproindè ſuperfluum eſt admittere Purgatorium, & orare pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur; cum viatoribus dumtaxat concedatur venia peccatorum.

ratio Calviniſtarum.

Sed non nocet hæc authoritas Eccleſiaſtes, nec excludit Purgatorium; aliàs excluderet etiam lymbum, in quo Patres veteris Teſtamenti fuerunt incluſi, & in quo modò ſont infantes, qui ſine Baptiſmo decedunt. Ratio noſtra eſt, quia animæ quæ ſunt in purgatorio ceciderunt ad Auſttum (hoc eſt in gratia, & charitate) & ibi ſcilicet in purgatorio, non manebunt in æternum: quamvis nondum ſint in termino, ſeu in cœlo propter aliquas ſordes purgandas antequam perveniaot ad vitam æternam, quaſque non purgarunt io hac vita At quia non expellunt gratiam & anima poteſt ab ipſis mūdari, anima in eo loco manebit donec porgetur. Quapropter D. Auguſtinus in Pſal. 37. ait: *In hac vita purges me, & talem me reddes ut emendatorio igne opus non ſit:* Ergo debet dari Status medius inter Sratum Beatorum & Damnatorū, qui ſit purgatorinm, quod evitare cupiebat S Auguſtinus, & in quo per ignem delicta venialia purganda ſunt; cùm animæ non poſſint cum his ſordibus intrare in cœlum, nec debeant deſcendere in infernum, quia ſtant ſimul in anima cum gratia, & charitate, quæ eſt ſemen vitæ æternæ.

Eccleſiaſt. non impugnat purgatorium.

D. Auguſt.

Inſtabunt, Chriſtus dixit Latroni, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, ideoque non deſcendit in Purgatorium, acproindé non datur.: ad illud enim neceſſariò deſcendiſſet, ſi eſſet, quia Latro habebat ſordes illas. Nec alij juſti deſcendunt in Purgatorium, ſed aſcendunt in cœlum ſtatim poſt mortem, ut probat illud Apocalyp. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo jam dixit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.*

Reſpondeo argumentum non militare contrà nos; quia non probat, nullum eſſe Purgatorium, nec oſtendit, prædictum locum tertium, eſſe inutilem & ſuperfluum, ſed ſolum omnes oon aditoros illuc, & præcipuè Latronem in cruce converſum; qui ratione admirandæ fidei quâ Divinitatem Chriſti confeſſus eſt, dicendo, *memento mei Domine;* potuit perfectè purgari, de facto mundari ab omni ſorde, mereri audire hanc promiſſionem, *hodié mecum eris in Paradiſo*, & computari inter Juſtos, qui perfecté moriuntur in Domiuo, & qui nihil purgandum, præſeferunt, de quibus loquitur Joan. in Apocalyp. quamvis plures migraverint in cœlum, vel deſcenderint in infernum in pertranſito purgatorio, inde ergo non ſequitur dari tantùm cœlum, & infernum.

ſolutio inſtantiæ.

Dicent D. Joannes per Beatos intelligit eos, qoi moriuntur in gratia: ergo ſi animæ, quæ ceciderunt ad Auſtrum, fuiſſent in gratia, quare ſunt in Purgatorio, & non requieſcunt à laboribus ſuis in gloria, cùm ſint de illis, de quibus D. Joannes ait: *Beati mortui, &c.*

Reſpondeo; animas exiſtentes in Purgatorio eſſe in gratia, & tamen non requieſcunt a laboribus ſuis, quia habent aliquod peccatum veniale, quod non expellit gratiam ſanctificantem; licet differat ingreſſum ad gloriam, quod quidem peccatum non habebant illi mortui, de quibus loquitur D. Joannes. Nam ſi opera, quæ ſequuntur mortuos, non ità ſit ſaocta, & perfecta ut ſanctitas loci Beatorum exigit, neceſſe eſt ut in alio loco purgentur, ut indè poſſint convolare ad cœlum, in quo nihil coinquinatum iotrat juxta Apocalypſim.

animæ exiſtentes in purgatorio ſunt in gratia.

Aliud adducunt teſtimonium, quod eſt 1. Joan. cap. 1. verſ. 7. *Si autem in lucem ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti Filij emundat nos ab omni peccato*, ex quibus inferunt, exiſtentem in luce, ſeu in gratia, eſſe mundum ab omni peccato per Sanguinem Chriſti, & ideo excludunt & improbaot præces pro defunctis, ſeu negant Purgatorium tanquam inutile, & ſuperfluum pro peccatis purgandis.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſanguia Chriſti emundat nos tamquam principale purgatorium, hoc eſt, ſanctitas animæ provenit à ſanguine Chriſti, qui eſt cauſa noſtræ ſalutis meritoria ut ſaucit Tridentinum. Nec per hoc ipſe ſanguis excludit omne aliud purgatorium, quô purgantur poſt mortem quædam delicta, quæ gratiam ſanctificantem non expellunt, quæque purgata & expiata non fuerunt in vita, ut affirmat D. Hieronymus ex illo Micheæ cap. 7. verſ. 8. & 9. *Ne læteris inimica mea ſuper me; quia cecidi; conſurgam, cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt.* Nec hoc implicat, qoia ſicut fides; ſpes, charitas, & bona opera contribuunt ad remiſſionem culpæ, in quantum nobis Chriſti ſanguinem applicant, ità etiam purgatorium nobis applicat ſanguinem Chriſti quātum ad remiſſionem culpæ debitæ peccatis venialibus, quæ in hac vita non fuit ſolnta: ideoque ex præcitata authoritate non valet dicere; nullum dari Purgatorium, nulliuſque momenti eſſe orationem pro defunctis.

reſponſio ad aliam hæreticorum rationem.

Eccleſ. 9.

Objiciunt illud Eccleſ. cap. 9. verſ. 10. *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas;* ergo non datur ſtatus medius ſeu purgatorium, in quo ſanguis Chriſti poſſit applicari, & bona viventium opera prodeſſe defunctis; cùm ex Sacra Scriptura, poſt mortem nulla ſit operatio ad ſalutem conſequendam. Legitur enim ſuprà verſ. 5: *Viventes ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum:*

Reſpondeo; hanc authoritatem non nocere; quia indicat poſt mortem non eſſe tempus merendi, ſeu hominem poſt mortem, ſive ſit in cœlo, ſive in inferno, ſive in Purgatorio, non poſſe elicere opera meritoria, ex defectu ſtatûs viæ ad meritum requiſiti, nam Eccleſiaſtes ibi voluit impugnare ſententiam eorum, qui docerent, poſt mortem animas mereri poſſe, non verò poſt mortem non eſſe tempus ſatisfaciendi, aut ut ait Scotus, ſatis patiendi, cum Purgatorium ſit inſtitutum, ut anima patiatur pro remittenda pœna, quæ in via non fuerit ſoluta, etiam ſi in eo animæ non mereantur: quamvis patiantur. Sunt enim qui ſub terra ad pronunciationem nominis Jeſu, flectunt genua, ut dicit Apoſtolus ad Epheſ. cap. 2. illi autem non ſunt Damnati, quia non laudabunt Deum illi, qui deſcendunt in infernum. Nec ſunt Patres, qui erant in Lymbo, quia tempore, quô Paulus loquebatur, jam

explicatur authoritas Eccleſiaſtes

Epheſ. 2

cœlum conſcenderant ; ergo ſunt illi, qui exiſtunt in purgatorio pro aliquo tempore.

Dicent forſan quòd illa ſatisfactio, quam nos admittimus in purgatorio, eſſet meritoria, aut non eſſet poſt mortem. Hoc poſteriùs non poteſt dici, quia inutile eſſet purgatorium ; certum enim eſt quòd gloria datur propter meritum : ergo illa opera ſatisfactoria, meritoria ſunt, cùm ſtatim poſt ſatisfactionem illam, aut propter purgationem, detur gloria.

Porrò hæc inſtantia non valet. Ratio eſt, quia Deus ſtatuit tempus viæ pro meritis, & voluit poſt mortem nullum mereri poſſe, ut declarat D. Joannes cap. 9. verſ. 4. *Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt : venit nox quando nemo poteſt operari.* Nullum quidem eſt meritum apud Deum, ſine divina ordinatione, & acceptatione : ideoque voluit, animam poſſe per bona opera mereri in via, nõ verò poteſt mortem. Hinc eſt quòd Paulus ad Galat. cap. 6. verſ. 10. ait : *Dum tempus habemus operemur bonum, maximé ad domeſticos fidei.* Quòd oſtendit tempus faciendi bonum, ſeu opus meritorium eſſe tempus viæ ſeu vitæ mortalis. Hoc eſt id, quod inferunt Theologi ex illo Eccleſ. cap. 9. verſ. 10. *Quodcumque poteſt facere manus tuas inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas.*

Joan. 9.

ad Galat. 6.

Tandem inſurgunt hæretici contrà exiſtentiam purgatorij ex authoritate Matth. 7. verſ. 13. & 14. ubi Evangeliſta duas indicat vias ſtatim poſt mortem ſuſcipiendas, quarum una eſt anguſta, quæ ducit ad gloriam, & altera eſt ſpatioſa quæ ducit ad perditionem, ut conſtat ex his verbis : *quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniant eam.* Nullus eſt igitur alius locus poſt mortem ſuſcipiendus præter cœlum, & infernum, ſeu præter vitam æternam, & perditionem æternam, ut ſuadet idem Evangeliſta cap. 25. dicens : *Ibunt juſti in vitam æternam, injuſti verò in ignem æternum.*

ultima hæreticorum ratio.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia admittendo purgatorium, non admittimus tertiam portam per quam ſimus tranſituri poſt mortem, neque terminum aliquem ultimatum, aut finem prorſus inordinatum, quia purgatorium eſt quidam ſtatus, aut locus in via, quæ ducit ad vitam ; cùm animæ ibi exiſtentes ſint Juſtæ, Sanctæ ; & Electæ : in ipſo enim exiſtunt dumtaxat ut perfecté purgentur ab omni ſorde, né aliquid inquinatum intret in Jeruſalem cœleſtem. Et ideo porta, quæ ducit ad purgatorium, ducit ad cœlum.

refutatur hæreticorũ ratio.

Ad aliam D. Matthæi authoritatem dico, Chriſtum loqui de loco perpetuæ & æternæ manſionis, qui erit gloria, ſeu vita æterna. Vel gehenna, ſive ignis æternus, nõ verò de loco tranſitorio, ſeu purgatorio, in quo animæ detinentur pro aliquo tempore, qui quidem locus non eſt proprié terminus, ſed via ad terminum, utpoté ad vitam æternam, quæ infallibiliter dabitur omnibus, qui abſque peccato mortali moriuntur, cùm in Domino moriantur.

Dicent, quòd vita æterna datur ſtatim poſt mortem, animabus juſtis, juxtà illud Apoſt. ad Philip. dicentis : *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto* : quo ipſe Apoſtolus demonſtrat, beatitudinem ſtatim dari poſt mortem ; cùm nullum admittat tempus inter diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ſeu in cœlo. Idem prius docuerat Propheta Pſal. 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Nam Apoſt. cupiebat diſſolvi ut citò videret Chriſtum. Et David per ſomnum intelligit mortem, ſed anima, quæ eſt in gratia & in fide, eſt Juſta, Sancta, & Electa : Ergo abſque ulla interruptione ſtatim poſt mortem videt Deum, qui eſt hæreditas Sanctorum, & ideo nullus datur locus medius detinens animas electorum, quoniam hæc hæreditas debetur illis ſtatim poſt mortem.

Pſal. 126.

Reſpondeo, argumentum non impugnare purgatorium, quia Paulus, & David non excludunt tertium locum mediantem inter cœlum & infernum, & ad cœlum ordinatum, nec volunt animam electam ſtatim poſt ſeparationem à corpore, eſſe beatam. Nam per adverbium *ſtatim*, aut *ecce*, non excludunt quodcumque tempus, ſed ſolum æternitatem. Hoc eſt, non indicant, hæreditatem eſſe abſque ulla mora omnibus conferendam poſt mortem, ſed infallibiliter eſſe conferendam in tempore juxtà neceſſitatem animæ, quæ ſi habeat aliquid purgandum, debet purgari, ut poſſideat hæreditatem Dei. Et ſi non habeat, debet ſtatim poſſidere eã. Tempus pugartorij pro minimo, & breviſſimo reputatur, reſpectu temporis inferni. Hinc eſt quòd ſunt animæ, quæ in pertranſito purgatorio, ducuntur ad vitam æternam, ut de pluribus Sanctis refertur in hiſtoria Eccleſiaſtica, quoniam ità completam, atque perfectam pœnitentiam egerunt in hac vita, ut nulla in eis remanſerit macula ; quantumvis venialis, nullaque fieri debeat pro illis oratio in Eccleſia. Et ſunt aliæ, quæ antequam convolent in cœlum, per aliquod tempus detinentur in purgatorio, quo tempore tranſacto, ſtatim datur illis hæreditas Domini, & ſunt cum Chriſto.

valida explicatio textus ab hæreticis adducti.

ARTICULUS XXI.

Rejicit Thaboritas nolentes, Locum Sacrum eſſe Stabulo aptiorem ad orandum.

TOt adverſus orationem inſurrexerunt hæretici, quot ſunt in ipſa conceptus ſub quibus conſiderari poteſt, inſpexerunt enim eam omni ex parte, ut eam omni ex parte impugnarent, ſcientes orationem eſſe contrà hoſtes tam viſibiles, quàm inviſibiles efficax juvamentum, ut monet D. Hieronymus citatus in can. *Si quis vult*, diſt. 36. Quidam dixerunt orationem ſolam, ſecluſis Sacramentis, & virtutibus ſufficere ad ſanctificationem animarum. Alii orationem eſſe prorſus inutilem, & ſuperfluam. Alii voluerunt eam eſſe utilem viatoribus dumtaxat, ut animas in purgatorio exiſtentes Eccleſiæ privarent ſuffragiis, ut ſuprà dictum eſt. Tandem fuerunt alij, qui docuerunt, nullum eſſe ſpecialem orationis locum. Volebant enim orationem ubique ità habere æqualem virtutem, ut nullus ſit locus, in quo ſit majoris utilitatis, quàm in alio, acproinde improbabant Eccleſias, ſeu templa quatenus ad orandum ſunt deſtinata.

Primus hujus hæreſis inventor fuit Euſtathius, primum Monachus, deindè Sebaſtienſis Armeniæ regionis (quæ Sebaſta Ponti appellatur) fuit Epiſcopus, ille enim vir hæreticus tempore Conſtantini Magni Imperatoris, & Silveſtri Summi Pontificis, circa annum Dom. CCCXX. docebat, templa nullius eſſe utilitatis, nequé aliquo pacto prodeſſe in Eccleſia Deum orare, quapropter, ea evertenda & conſpurcanda eſſe docebat, inſtar Nabuchodonoſor Regis Babylonis, qui Dæmonis figuram geſſit cum Jeroſolymam invaſit,

Euſtathius.

omnla illius vaſa prætioſa dirupit. Huic hæretico ſtatim utpotè anno CCCL. adhæſit Julianus Apoſtata, Conſtantij Imperatoris nepos, & frater Galli, qui ſacras Chriſtianorum ædes dirupit, quia purabat eas eſſe inuriles ad orandum, & potius ad idololatriam, quàm ad verum cultum provocantes.

Julianus Apoſtata.

Eumdem errorem poſteà, ſcilicet aono Domini CCCCVII. regnante Arcadio Imperatore, & Ecclesiam Dei regente Innocentio I. Papa, ſecutus eſt Fauſtus natione Afer, ſectâ Manichæus, vir alioquin doctus, contra quem D. Auguſtinus multas habuit diſputationes, & trigiota tres libros ſcripſit, ut ipſemet teſtatur, tract. 2. cap. 7. dicens: *Contrà Fauſtum Manichæum blaſphemantem contra legem, & & Prophetas, & eorum Deum, & incarnationem Chriſti: Scripturas autem novi teſtamenti quibus convincitur, falſatas eſſe dicentem, ſcripſi grande opus verbis ejus propoſitis, reddens reſponſiones meas, triginta & tres diſputationes, quas etiam libros, cur non dixerim, nam & ſi ſunt in eis aliqui per breves, tamen libri ſunt.* Ille quidem hæreticus: quamvis à Divo Auguſtino plené convictos, Hæreſibus Manichæorum iſtam tamen circà ſacras ædes, addere voluir.

Fauſtus Manichæus.

Hunc autem errorem, quamvis jam diu ſepultum curá Prælatorum tunc viventium, & decreris Conciliorum. Poſt multa ſæcula, ſeu anoo Domini MCLX. ſcilicet tempore Friderici primi Imperatoris, & Alexandri Papæ III. ſuſcitarunt Vvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, duce quodam cive Lugdunenſi. dicto Vvaldo, de quo ſupra locuti ſumus. Illi autem Vvaldenſes ut illuſtriores hæretici mundo apparerent, hæreticorum prædeceſſorum errorem mulrò fuſiùs extenderunt, quia illi ſola templa, quæ in Sanctorum nomine ſunt conſecrata, irridebant, iſti verò omni templo detraxerunt, diceudo, templum Dei ita ipſum mundum eſſe, ut impium ſit ædificare aliquam domum, quæ debeat dici, domus Dei, quoniam (inquiunt) hoc eſt coarctare majeſtatem ejus, & in Eccleſiis, Monaſteriis, Oratoriis dumtaxat velle immenſam, ac divinam majeſtatem invenire, ut teſtatur Æneas Silvius lib de origine Bohæmorum.

Vvaldenſes

Poſt Vvaldenſes ſcilicet anno MCCXCVI. regnantibus Adolpho Cæſare Germano, & Booifacio VIII. inſutrexerunt alii hæretici, dicti Pſeudo-Apoſtoli, qui adhuc Vvaldenſibus nequiores, majori cum injuria de templo Dei locuti ſuot. Dicebanr enim, Eccleſiam quamvis conſecratam oon plus valere ad orandum, quàm ſtabulum porcorum, nec pudebat eos comparatione tam inboneſta uti. Eamdem hæreſim tutati ſunt (magis vi, & armis, quàm Scriptura Sacra, aut ratione, & teſtimoniis) quidam Bohæmi hæretici Thaboritæ nuncupati à loco quodam, quem mœnibus cingentes, nomen Thabor illi indiderunt: ij hæretici emerſerunt ſub Sigiſmundo Cæſare Germano, & Joanne XXII. circà annum Domini MCCCCXI. duce & principe quodam viro hæretico nomine Ziſcha, genere nobili, natione Huſſita, qui Eccleſias invaſerat, everterat templa, Sacrara ſpoliaverat, Monaſteria deſtruxerat, Monachos fugaverat, & poſt tot, tantaque facinora, auſus eſt aliquos Diſcipulos ſecum ſumere (ad inſtar Chriſti tres Apoſtolos aſſumentis, velut teſtes ipſius transfiguratione in Monte Thabor) ut cum illis ibi oraret, & voluit hunc locum vocari Thabor, & ibi manentes, Thaboritas.

Pſeudo-Apoſtoli.

Thaboritæ.

§. I.

In quo Authoritate, & Ratione probatur veritas Articuli.

CONcilium Grangrenſe celebratum ſub Silveſtro Papa, anno CCCCXXV. damnavit hanc hæreſim cap. 5. decretorum, ubi legitur: *Si quis docet Domum Dei contemptibilem eſſe debere, & congregationes, quæ in ea fiunt: anathema ſit.* Contra Euſtathium expreſſé conditus fuit hic canon, qoô templa, ſeu Eccleſiæ reſervantur pro orationibus, & Sacrificiis Deo offerendis. Thaboritæ autem damnati fuerunt in Coocilio Conſtantienſi celebrato anno MCCCCXIV. ſub Joanne XXIII. Papa, pro tollendo eodem, non extincto, ſed de facto trium Pontificum Schiſmate, damnandiſque tunc Graſſantibus Vvicleffitarum & Huſſitarum hæreſibus, quarum defenſores erant Thaboritæ.

Concilium Grangrenſe.

Conſtantienſe.

Idem prius decretum fuerat ſcilicet anno Dom. DCCCXXIX. In Concilio Pariſienſi VI. celebrato ſub Gregorio IV. in illo quidem Concilio (quod Provinciale fuit) Patres dixerunt, orationes faciendas eſſe in Eccleſia frequenter ad majorem utilitatem apud Deum, ut teſtatur Eminentiſſ. Cardinalis noſter Laurea in Epitom. canonum, verbo, *oratio*, ubi cirat etiam pro eadem veritate firmanda, Concilium Laodicœnum, celebratum ſub Silveſtro Papa, per triginta duos Epiſcopos anno CCCXVIII. Tandem ejuſdem veritatis deciſio haberi poteſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 7. in quo declaratur, Eccleſias diruptas non eſſe in prophanos uſus convertendas.

Pariſienſe.

Laodiſcenſe.

Hæc hæreſis Euſtathii, Fauſti Manichæi, Vvaldenſium, Thaboritarum, & aliorum facilé rejicitur ex illo 2. Paralip. cap. 6. verſ. 19. & 20. ubi legitur: *Ad hoc tantum facta eſt, ut reſpicias orationem ſervi tui, & obſecrationem ejus, Domine Deus meus, & exaudias preces, quas fundis famulus tuus coram te, ut aperias oculos tuos ſuper domum iſtam, &c.* Idem habetur ex illo Iſa. cap. 57. verſ. 7. ubl legitur, Dominum, omnes cujuſvis gentis, aut conditionis hortantem ad ſervanda ſua mandata, dixiſſe: *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta eorum, & victima eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Ex quibus conſtat, Deum non deſtinaſſe quemcumque locum, nec univerſum mundum pro oratione facienda, irà ut in omni loco orare teneamur (licet oratio poſſit fieri in omnibus locis, ut declaravit Nicolaus primus ad Conſultationem Bulgarorum cap. 75.) ſed ſolum templum ſanctum ſuum, quod vocavit domum orationis. Sané quia domus hæc, eſt ad orandum proprior. Et in ipſa, oratio eſt nobis utilior, & Deo dignior. Nec poteſt ab ipſis hæreticis alter hujus deſtinationis aſſignari finis, cùm virtus Dei ſit in ea ſpeclali modo, ut ſuadet illud 2. Machab. cap. 3. verſ. 3. 8. & 39 *Si quem habes hoſtem, aut regni tui inſidiatorem mitte illuc, & flagellatum eum recipies, ſi tamen evaſerit, eo quod in loco ſit verè Dei quædam virtus; nam ipſe qui habet in cœlis habitationem, viſitator, & adjutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, & perdit.* Hæc enim verba dicta fuerunt de templo Dei. Et declarant, Deum, qui habet habitationem ſpecialem in cœlis, ſpecialem curam habere de templo ſuo in terris ædificato, ac proindé ſuadent, orationem, majorem apud Deum habere virtutem in Eccleſia conſecrata quam in aliquo alio loco. Nedũ ex divina ordinatione, quæ hujuſmodi locũ inſtituit tanquã locũ orationis, eique oomen domus Dei,

2. Paralip.

Iſay. 57.

2. Machab

Digitized by Google

dedit, ſed etiam ex reverentia, quæ illi debetur propter ſanctitatem, quam habet, & ob quam Deus ſuas hominibus largitur benedictiones, & exaudit præces populi.

Undè ut hæc Eccleſiarum, aut Templorum ſanctitas oſtenderetur, Chriſtus ejecit vendentes & ementes in Templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas, evertit. Cauſa hujus rei fuit, quia templum Dei non fuit deſtinatum pro negotiatione, ſed pro oratione; alias ejeciſſet ementes, & vendentes de omni loco, ſi oratio non magis prodeſſet in templo, quàm in aliis locis, & ſi quilibet locus hujuſmodi eſſet locus orationis, hinc eſt quòd ipſe Chriſtus dixit, Matth. 21. verſ. 13. ementibus, & vendentibus: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*: Igitur Eccleſia magis valet ad orandum, quàm

Matth. 21. alius locus, quidquid dicant Pſeudo-Apoſtoli, & prænominati hæretici, alioquin Chriſtus non vocaſſet eam domum orationis, hæc quidem denominatio eſt ab effectu. Nec ab ea ejeciſſet vendentes & ementes, quia ſi liceat emere, & vendere in foro; liceret utique in templo Dei, ſi non eſſet majori veneratione dignum, quàm forum. Et ſi tam gratum eſſet Deo orare in foro, quàm in templo, & in Eccleſia.

Eumdem errorem quem impugnamus, rejicit quoque divinum præceptum de ædificando templo Jeroſolymitano, in quo Deus volebat adorari, licet ubique ſit adorandus ab hominibus in ſpiritu & veritate. Legimus enim in 1. lib. Paralip. 28. quod cum David prius cogitaſſet ædificare templum, re-

1. Paral. 28 jectus fuit à Domino velut indignus ad hoc munus obeundem, eo quòd vir bellator fuerat, & ſanguinem fuderat: quapropter Deus hoc munus ædificandi templum transtulit in Salomonem; ut patet ex his verbis, quæ habentur in verſ. ejuſdem capitis: *Deus autem dixit mihi: non ædificabis domum nomini meo, eo quod ſis vir bellator, & ſanguinem fuderis.* Et in verſ. 6. *dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea, ipſum enim mihi elegi in filium, & ego ero illi in Patrem*: Indé enim ſequitur, quòd melius eſt orare Deum in Eccleſia, quàm in alio loco, tum quia domum Dei decet ſanctitudo in longitudinem dierum, quæ quidem ſanctitudo non erat in David tanta, quantam exigebat Domus orationis; & quantam in ipſa ſuſcipit depræcatio. Tum quia ſi Dei templum nullius eſſet utilitatis, certò Deus non præcepiſſet illius ædificationem. Nec in ipſo conſtruendo Salomon tam laboraſſet, nec tantam auri, & argenti materiam in eo expendiſſet. Nec Deus illud tot, tantiſque decoraſſet privilegiis; cùm hæc omnia fieri non poſſint niſi propter aliquam utilitatem pro populo & pro gloria Dei, quæ quidem utilitas pro populo ex nullo alio poteſt provenire, niſi ex oratione, & laudibus gloriæ Dei: & ideo melius eſt orare in Eccleſia, quàm in alio loco ad alios uſus, quàm ad orationem, deſtinato.

Undé D. Auguſt. in regula ait: *In oratorio nemo aliquid faciat, niſi ad quod factum eſt, undé & nomen acce-*

D. Auguſt. *pit*: ex quo ſequitur, quòd uſus prophani, qui alibi ſunt liciti, in Eccleſia ſunt illiciti, & prohibiti, ut orationi reſervetur locus ſacer, ſeu templum, aut Eccleſia, ut indè oratio fiat dignior, & utilior, ſuumque ſortiatur effectum, ut indicat Jeſus filius

Eccleſiaſt. Sirach cap. ult. verſ. 18. & 19. dicens: *Cum adhuc junior eſſem priuſquam oberrarem, quæſivi ſapientiam palam in oratione mea. Ante templum poſtulabam pro illa, & uſque in noviſſimis inquiram eam. Et efflorvit tanquam præcox uva.*

§. II.

Proponitur, & Reſolvitur Ratio contra Articulum.

CIrca articuli noſtri veritatem, nullum argumentum proponunt hæretici. Dicunt tantùm, templum Dei eſſe ipſum mundum, & credunt, Catholicos, Deum ſpecialiter colentes in templo, coarctare divinam Majeſtatem in uno loco particulari.

Sed non valet hæc ratio. Tum quia ſi mundus; ſeu quilibet locus eſſet templum Dei ad orationem — *Oſtenditur nullitas fundamenti hæreticorum.*
deſtinatum, Chriſtus non dixiſſet Matth. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum.* Tum quia nos non negamus, Deum eſſe in toto mundo, nec coarctamus Majeſtatem ejus in templo (cùm firmiter credamus, Deum eſſe immenſum, & ubique præſentem contra Antropomorphitas) ſed dicimus, Deum eſſe ſpeciali modo in templo; pro divino exhibendo cultu, conſecrato. Et ibi ejus majeſtatem digniori modo honorari, ſcriptum eſt enim Geneſ. 28. verſ. 16. *Cum Evigilaſſet Jacob de ſomno ait: vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam; quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Hæc autem verba applicantur Eccleſiæ, ſeu templo; licet dicta fuerint de lapide illo, quem Jacob erexerat in titulum. Et ideo Deus eſt ibi ſpeciali modo, & ejus majeſtas digniùs adoratur; quàm alibi; licet ſit ubique, cùm quilibet locus non dicatur Sanctus, etiamſi Deus ei ſit præſens, ſicut templum dicitur locus ſanctus eo quod ſit deſtinatus pro exercendis officiis ſanctis, & ſacris obeundis. In eo enim orat Sacerdos pro delictis, & peccatis populi, offert Deo Sacrificia. In eo qui petit accepit, & qui quærit, invenit.

ARTICULUS XXII.

Impugnat Almaricum propugnantem, gloriam æternam eſſe omninò inviſibilem.

QUamvis Propheta regius publicé dixerit; Deum alloquendo: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* D. Joannes: *Videbimus eum ſicuti eſt.* Et inde — *Abailardus*
conſtet, Deum eſſe aliquo modo viſibilem, ſcilicet ſupernaturaliter à Beatis, nihilominus Armeni, & Petrus Abailardus, de quibus locuti ſumus, crediderunt, intellectum creatum nullo modo poſſe videre Immediaté, & intuitivè eſſentiam, aut — *Armeni.*
ſubſtantiam Dei. Voluerunt enim, Beatos videre tantùm claritatem quamdam illius eſſentiæ. Et per ipſam viſionem, Beatos conſtitui.

Ejuſdem hæreſis defenſor fuit circà annum Domini MCXL. Arnaldus Brixienſis, natione Italus, unus ex ſequacibus; & cohæreticis ipſius Abailardi, & cum eo damnatus in Concilio Lateranenſi. Hic hæreticus ſuo confiſus ingenio — *Arnaldus Brixienſis.*
omnium Sanctorum Doctorum, Sanctorumque Eccleſiæ Patrum oracula contemnebat, & ut notat noſter Alphonſus à Caſtro lib. 3. adverſus hæreſes, velut alter Iſmaël levavit manus ſuas contra omnes, & omnes Catholici manus ſuas extulerunt contra eum in Concilio Rhemenſi, in quo etiam fuit anathemate percuſſus.

Almaricus. Eamdem hæreſim ampliavit Almaticus, natione Gallus, patriâ Carnotenſis, Doctor Pariſienſis, ſub Philippo Barbaroſſæ Filio, & Innocentio III. Pontifice, Romano, circà annum Domini MCCIV. & dixit Beatos non uidere Deum in ſe intuitivè, imò nec poſſe eum ſic intueri, nitente etiam divina virtute; ſed ſolùm in creaturis, ſicut videmus lumen in aëre. Hanc hæreſim ſimul cum viginti aliis eſſe Almarici, & ipſum Almaricum fuiſſe proſcriptum, & damnatū ab eodē Innocentio III in Conc. Generali Lateranenſi quarto. Conſtat ex capite, *Damnamus*, de Summa Trinit. & fide Catholica in fine ubi legitur: *Reprobamus etiam, & condemnamus perverſiſſimum dogma Impij Almarici, cujus mentem ſic Pater mendacij exſiccavit, ut ejus Doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quam inſana.*

Nonobſtante condemnatione Almarici ln prædicto Concilio, ejus tamen Doctrina (quamvis hæretica) fuit evulgata per plures ejuſdem hæretici Diſcipulos, & Pariſiis diſquiſita, ac examinata ab Epiſcopis, & Theologis tunc ibi exiſtentibus, qui eam damnarunt,& damnatam publicarunt, Senatus Conſultus confirmavit ſententiam, & ſtatim ipſe Almaricus,atque ſequaces, aot ſectatores ejus cotam univerſo populo fuerunt exuſti, & eorum cineres per Sterquilinium diſperſi anno Domini MCCVIII. Ità refert Pratcolus, qui addit ex variis hiſtoricis,quòd cum ad ſupplicium duceretur, tanta aborta fuit aëris intemperies, & inclementia, ut omnes crederent, aërem fuiſſe concitatum ab eis, qui homines tot, tantóſque adverſus Eccleſiam Catholicam docuetant errores. At quòd deplorabiliùs videtur, eſt eorum mors peſſima, nullum quippè pœnitentiæ ſignum, nullum motum reſipiſcentiæ, nullumque reſponſum ad interrogata date voluerunt. Et Diabolo ſuadente, in hæreſi, quam in fide Catholica mori maluerunt. Ità idem Doctor.

Almarici Interitus

§. I.

De Condemnatione Hæreſis.

HÆc hæreſis, quæ Beatis denegat intuitivam viſionem Dei, eamque judicat impoſſibilem, etiamſi Deus videri vellet, meritò damnata fuit in Concilio Viennenſi, Clementina, *ad noſtram*, de hæreticis. In Florentino in litteris unionis ubi declaratur: *Animas plenè purgatas intueri Deum, clarè, trinum, & unum ſicuti eſt.* In Tridentino ſeſſ. 25. in decreto de Invocatione, & veneratione Sanctorum, reliquiis & Sacris imaginibus, ubi legitur: *Illos verò qui negant Sanctos æterna fœlicitate in Cœlo fruentes, invocandos eſſe, aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent invocationem eſſe Idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei: adverſarique honori unius Mediatoris Dei, & Domini, Jeſu Chriſti, vel ſtultum eſſe in Cœlo regnantibus voce,vel mente ſupplicare, impiè ſentire* &c. quæ declarant in Cœlo eſſe animas,quæ vident Deum.

Decretum Concilij Viennenſis

Florentinum.

Tridentinum.

§. II.

Aſſerit Deum eſſe viſibilem in Cœlo.

BEatos videre Deum intuitive, conſtat ex variis Sacræ Scripturæ teſtimoniis. Primò ex illo Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: hæc autem gloria eſt viſio Dei. Matth. cap. 5. *Beati mundo corde quoniā ipſi Deum videbunt*, quod non poteſt intelligi de claritate eſſentiæ divinæ, ut putant Armeni, & alij hæretici. Nec de ipſo Deo prout eſt in creaturis, ſed de Deo in ſe, cùm dicat, *Ipſi Deum videbunt*: ibi enim, Deus, declaratur res videnda, & objectum terminativum viſionis beatorum. Idque plenè ſuadetur ex cap. 18. ubi habetur: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* Facies enim denotat aſpectum intuitivum ſubſtantiæ, naturæ, & perſonæ præſentis; cùm per faciem ſolitò res cognoſcatur, & aſpiciatur. Undè David Pſal. 118. ait: *Deprecatus ſum faciem tuam*, hoc eſt, oravi, ut te viderem, ideoque Deus viſibilis eſt ab intellectu creato, lumine ſupernaturali confortato.

Matth. 5.

His conſonat illud ad Corint. 1. cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Quæ verba exponentes S. Irenæus lib. 5. cap. 7. S. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. dicunt, *per ſpeculum in ænigmate.* Intelligendam eſſe viatorum cognitionem, quam Paulus habebat, & quam nos habemus de Deo per ſpecies creatas, quæ eſt mediata, & ænigmatica. Etenim à Magnitudine ſpecierum, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum ità videri (inquit ſapiens) ut Deus nequeat invincibiliter ignorari. Per hanc particulam *Tunc autem facie ad faciem* intelligendam eſſe cognitionem, quam habebimus de Deo in patria, quæ erit facialis, id eſt, facie ad faciem, ſeu intuitiva, & immediata. Et per, *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*, ſignificatur, Deum nunc cognoſci inadæquatè, obſcutè,nimitùm pet fidem, aut revelationem, & ex parte, putà ex effectibus quorum cognitio nos ad notitiam Dei ducit: tunc autem, nimirum in patria, Intuitivè, & ſicuti eſt, & ſicut ipſe Deus cognoſcit creaturas, aut una creatura cognoſcit aliam, ſuppoſitis ſupponendis.

1.Corint.13

Quare obiter advertendum eſt quòd Apoſtolus, & expoſitores ipſius non intendunt docere, æqualitatem eſſe inter cognitionem, quam Deus habet de creaturis,& illam quam beati habent de Deo; licet Apoſtolus dicat: *Tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*, quoniam ly *ſicut* deſignat tantum æqualem claritatem, & evidentiam, aut præſentiam objecti reſpectu utriuſque cognitionis, non verò activitatem, intentionem, & capacitatem cognitionis: patet Igitur ex Scripturæ locis ſupra citatis, & ex iſto Apocalyp. 22. *Videbunt faciem ejus*, homines aliquando, ſeu poſt mortem prætioſam, habituros facialem viſionem Dei, juxtà illud Joan. cap. 3. *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*, id eſt, Immediatè in ſe ipſo, ut explicat Evariſtus Papa Epiſtola ad Epiſcopos Africæ.

Apocalyp.

Authoritas Sanctorum Patrum eamdem veritatem firmat, D. Chryſoſtomus Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum. Et homil. 3. in Epiſtolam ad Philippenſes. Et 69. ad populum Antiochenum ait: *Beatos, Regem ipſum* ſcilicet Deum, *contueri, non per introitum, non per ænigma, non per ſpeculum, ſed facie ad faciem, non per fidem, ſed per ſpeciem* D. Gregorius loco citato cap. 18. ait: *Sciendum eſt quod fuerunt nonnulli, qui Deum dixerunt etiam in illa beatitudinis regione in claritate quidem ſua conſpici, ſed in natura minimè videri, quos nimirum nimia inquiſitionis ſalſitas fefellit, neque illi ſimplici, & incommutabili eſſentia aliud eſt claritas, & aliud natura, ſed ipſa ejus natura, ſua claritas, & ipſa claritas natura eſt, ipſe enim pollicetur dicens qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo me ipſum illi*, quibus verbis apertè de errore Armenos convincit D. Gregorius. Sunt alij Patres qui eamdem veritatem prædicant, ſed eos omitto.

D. Chryſoſtomus.

D. Gregorius.

§. III.

Evelluntur Hujus Hæreſis Fundamenta.

HUjus hæreſis fundamentum deſumitur ex illo Exod.cap.32. *Non videbit me homo & vivet*, quibus verbis Deus teſtatur ſe eſſe inviſibilem abſolutè omnibus hominibus. Idem dicitur Joan.cap. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe narrabit nobis*, ubi Irenæus, Athanaſius, & Evariſtus Papa legunt, *niſi unigenitus*, ut ſuadeant in ſenſu Scripturæ, neminem videre Deum, niſi verbum Dei, quod idem eſt ac dicere, divinum intellectum dumtaxàt poſſe divinam eſſentiam videre. Idque firmatur ex illo Joan. cap. 6. verſ. 46. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit patrem*, indè enim patet, viſionem Dei, ſoli ipſius Filio eſſe propriam, quia ipſe ſolus eſt genitus à Deo; hancque ipſam viſionem beatificam repugnare omni creaturæ, quoniam Deus habitat lucem inacceſſibilem, aut quia Deus eſt inviſibilis. Ex citatis Sacræ Scripturæ locis, & aliis citandis, hæretici inferunt, Beatos non videre eſſentiam Dei intuitivè, ſed quamdam claritatem, per quam Beati conſtituuntur.

Reſponſio ad primam hæreticorum rationem.

Reſpondeo, concedendo, Deum eſſe inviſibilem in aliquo ſenſu; non autem abſolutè, ità ut non poſſit videri ab intellectu à carne ſeparato, & lumine gloriæ elevato, ut voluerunt Armeni (teſte Armacano lib. 4. de quæſt. Armenorum) & alij hæretici ſupra relati, quia textus Sacræ Scripturæ adducti, & ab hæreticis malè intellecti, nihil aliud deſignant, & affirmant niſi Deum eſſe inviſibilem oculis corporeis, ut explicat D. Auguſtinus Epiſt. CXI. & CXII. Vel demonſtrant contrà Begardos, & Beguinas, Deum abſolutè eſſe inviſibilem intellectui creato, etiam à carne ſeparato ſolis naturæ viribus inſpicienti, ut exponit D. Ambroſius in cap. 1. Luc. Vel Deum eſſe inviſibilem omni creaturæ viventi in carne mortali, ut interpretatur D. Gregorius lib. 18. moral. cap. 36.

Quantum verò ad illud Joannis, *Deum nemo vidit unquam* dico quòd intelligendum eſt de viſione comprehenſiva (quam Eunomiani, & Anomæi habere falsò gloriantur) & de cognitione naturali, ut teſtatur ipſemet, D. Gregorius loco citato cap ult. quæ quidem cognitio comprehenſiva, & naturalis, eſt ità propria Filio Dei ut nequeat convenire creaturis; non vero de cognitione apprehenſiva, & merè intuitiva procedente ex intellectu lumine gloriæ elevato, & confortato, ut infrà dicemus ex Sacra Scriptura.

Aliud fundamentum deſumitur ex ineffabilitate, nam (inquiunt hæretici) nulla creatura, nitente etiam divina virtute, poteſt aliquo nomine deſignare naturam Dei; alioquin non diceretur abſolutè ineffabilis; ergo nec poteſt attingi, ab aliqua potentia creata etiam divinitùs, eſt enim inviſibilis, ſicut ineffabilis.

Deſtruitur aliud fundamentum

Hæc ratio minimè nocet. Tum quia Deus non eſt abſolutè ineffabilis, ſeu innominabilis; nam juxtà plures Theologos, quos ſequitur noſter Fraſſenius, Deus poteſt deſignari aliquo nomine diſtinctam ipſius notitiam ſignificante. Tum quia maxima differentia eſt inter ſignificare Deum aliquo nomine, & videre eum intuitivè, & apprehenſivè. Nam ut quis imponat Deo nomen ipſius naturam ſignificans, neceſſè eſt ei comprehendere ipſam naturam, & cognoſcere eam ſecundum totam ſuam cognoſcibilitatem. Quòd nulla creatura habere poteſt. Ut autem quis Deum intuitivè videat & apprehendat, hoc non eſt neceſsè, ut ex ſe patet: ergo dato quòd nulla creatura poſſit etiam ſupernaturaliter, nominare Deum, nomine ipſius naturam ſignificante, non ſequitur quòd intellectus nequeat ipſum videre, ſi ad hanc viſionem divinitùs elevetur.

§. IV.

Refutat Antropomorphitas.

ANtropomorphitæ (& alij hæretici de quibus locuti ſumus in 1. lib. art. 3.) Armenis, Petro Abailardo, Arnaldo Brixienſi, & Almarico aſſerentibus, Beatos non videre Deum intuitivè, contradicunt, non pro aſſerenda veritate, ſed pro impietati impietate addenda, quia dicunt, Deum poſſe videri, & de facto videri à Beatis oculo corporeo. Quòd fides Catholica negat: Antropomorphitarum fundamentum eſt, quia credunt quòd Deus eſt corporeus, & ex iſto errore incidunt in alium; ſeu in illum, quò volunt; oculum corporeum poſsè videre Deum, qui ſi corporeus eſſet contineretur intra latitudinem objecti potentiæ viſivæ.

Refutatur error Antropomorphitarum.

Reſpondetur, hoc ſcilicet oculum corporeum poſſe videre Deum, eſſe impoſſibile etiam divinitùs, teſte Cyrillo Jeroſolymitano Catecheſi IX. dicente: *Carnis quidem oculis contemplari Deum, eſt impoſſibile: quod enim corporis eſt expers, in carnis oculos cadere nequit* ſed Deus eſt expers membrorum, & corporis, ut contrà ipſos probatum manet loco citato: ergo impoſſibile eſt quòd cadat in oculos carnis, ſeu quod videatur ab oculis corporis. Ratio hujus argumenti eſt, quia quælibet potentia habet ſuum objectum adæquatum, & ſpecificativum ultrà, aut extrà quod non poteſt ſe extendere; aliàs ferri poſſet extrà propriam Spheram, & ſpeciem, ſicque potentia viſiva poſſet audire, & auditiva videre, quòd eſt falſum; Deus autem eſt extrà Spheram, & latitudinem objecti adæquati, & ſpecificativi oculi corporei; cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, & immaterialis, ut contrà Antropomorphitas dictum eſt, & ideo non poteſt videri à potentia viſiva corporali, cujus objectum eſt materiale, & corporeum, unde D. Hieronymus cap. 24. in Iſa, ait: *Deus nequaquam ſermonibus explicatur, nec oculo contemplabilis eſt, ſed ab his videtur de quibus ſcriptum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Et Rabbi Moſes tract. de fundamentis legis ait: *Valde ſtupeo quomodo quiſpiam Chriſtianus cuilibet pulchro, cuilibet ſublimi corpori, corpori tamen contemplabilem Deum fore, ſentiat.*

D. Hieronymus.

Inſurgunt hæretici ex variis Sacræ Scripturæ locis 1. ex illo Job. cap. 42. v. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te* 2. 19. v. 25. *ſcio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo ſalvatorem meum.*

Altera hæreticorum ratio ſolvitur.

Reſpondeo ad primum quod. S. Job intelligendus eſt, ac ſi diceret, prius multa audieram de tua providentia, & de tua juſtitia, nunc autem in afflictionibus meis indicia providentiæ & juſtitiæ tuæ in me ſentio. Naturale quidem eſt in afflictionibus ad Deum recurrere, tanquam ad Patrem, & eum cognoſcere tanquam Judicem.

Vel dico quòd. S. Job loquebatur de oculo mentis, de quo D. Paulus ad Epheſ. cap. 1. verſ. 17. ait *Det vobis Spiritum ſapientiæ, in agnitione ejus illuminatos oculos cordis veſtri*, Sanè eadem reſponſio ſufficeret ad alios ſimiles textus Scripturæ Tamen reſpondeo ad ſecundum, & dico, ipſum Jobum vidiſſe Deum miniſterialiter, id eſt, Angelum, qui in corpore aſſumpto ergà ipſum vices Dei providentis gerebat, ut indicat Oſeas Propheta cap. 2. de Jacobo, de quo ait: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt, flevit & rogavit eum.*

Eph. 1.

Addunt inſuper hæretici hanc rationem. Ignis

inferni : quamvis ſit corporeus, elevatur ad torquendos Dœmones, qui ſunt puri Spiritus. Ità pariter oculi corporei : quamvis ſint materiales, poſſunt tamen elevari, & videre Deum intuitivé, cùm non appareat major ratio, nec major difficultas de uno, quàm de alio.

Non valet paritas de igne inferni

Sed non valet bæc paritas. Quia tortura Dœmonum non eſt actio vitalis, ſicut viſio beatifica, ideoque provenire poteſt à creatura purè materiali, & corporea, tamquam ab inſtrumento divinæ juſtitiæ; quin viſio beatifica poſſit provenire à potentia corporali, quia hæc non poteſt operari ad conſequendum ens ſpitituale, quod eſt in ordine directè oppoſito potentiæ materiali.

Ultima objectio.

Tandem inſurgunt ex D. Auguſtino, de Civit. Dei lib. 22. cap. 29. *Vis itaque prepollentior oculorum erit illorum (ſcilicet glorificatorum) non ut acutiùs videant quàm quidam perhibentur videre ſerpentes, vel aquila. Quamtalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia, nihil aliud poſſunt videre quàm corpora, ſed ut videant & incorporalia.* His enim verbis (inquiunt) D. Auguſtinus apertè docet, oculum glorificatum poſſe uidere Deum; cùm poſſit videre incorporalia. Citant alios Patres, ſed eos omitto, quia eodem modo intelligendi ſunt.

Reſpondet D. Thomas S. Auguſtinum aſſerere tantùm oculos glorificatos videre Deum per accidens, ſcilicet in aliquo effectu, ſicut oculi noſtri videre dicuntur vitam alicujus, quandò vident motus ſenſibiles, & corporeos ab illo procedentes, ſic referunt communiter Thomiſtæ ex Doctore Angelico verbis D. Auguſtini ità reſpondente ex his ejuſdem Auguſtini, quæ ſequuntur ad verba relata; *Valde credibile eſt, ſic nos viſuros mundana tunc corpora, Cœli novi, & terra nova, ut Deum ubique præſentem, & univerſa etiam corporalia gubernantem, clariſſima perſpicuitate videamus, non ſicut nunc inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur &c. ſed ſicut homines inter quos viventes, & motus vitales exercentes vivimus, mox ut aſpicimus, non credimus vivere, ſed videmus.*

Rejicitur objectio

Unde idem Sanctus Epiſtola, 6. ait *profecto lux illa Deus ipſe eſt, quoniam Deus lux eſt & tenebra in eo non ſunt ulla, ſed lux mentium purgatarum, non iſtorum corporis oculorum : erit ergo tunc mens idonea, quæ lucem illam tunc videat, quod nunc nondùm eſt. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc poteſt, nec tunc poterit* : Igitur ex D. Auguſtino oculus corporeus nequit videre Deum.

ARTICULUS XXIII.

Decernit contra Mahometanos, Beatitudinem in ſolo Deo Conſiſtere.

INnumeri fuerunt, apud antiquos Philoſophos, errores circà Beatitudinem & Fœlicitatem noſtram, aut gloriam æternam, Epicurus cenſet ſummum bonum eſſe in voluptate animi dumtaxat. Hanc reſtrictionem appono cum Lactantio lib. 3. divin. inſtitut. cap. 3. Laërtio, & aliis antiquis Scriptoribus, qui docuerunt, Epicurum voluiſſe, Beatitudinem, aut ſummum bonum ità præcisè conſiſtere in voluptate animi, ut nullo modo in deliciis, & voluptatibus corporis eſſe poſſit, contrà id, quod de eodem Epicuro ſcripſerunt plures alij, qui voluptarios vocant Epicurios : Epicurus enim (inquit Laërtius) erat vir vitæ continentiſſimæ, tantæque probitatis, ut reliquorum Philoſophorum lucem obſcuraverit, ſicut ſol cæleſtium ſiderum claritatem, ſua obſcurat luce. Idem ſentit Cicero lib. 2. de fin. referens Epicurum dixiſſe, hominem jucundam non poſſe ducere vitam ſine virtute. Tandem Epicurus, teſte D. Thoma, requirebat virtutem ad ſtatum fælicem, ideoque non potuit in deliciis carnis collocare Beatitudinem; cùm voluptas corporis ſit purè animalis, ſed ſolum in deliciis animi, qui eſt ſedes humanarum virtutum, quæ reddunt hominem in hac vita fælicem.

Epicurus non poſuit fœlicitatem in deliciis carnis.

Nec valet dicere quòd Cicero, Epicurum reprehendit eo quod voluptatibus nos voluerit reddere fælices. Non valet, inquam, hæc inſtantia, hæc quippè reprehenſio fuit eo quòd ipſe Epicurus non ſatis diſtinxerit de voluptate, ſicque pluribus errandi ſuppeditaverit occaſionem.

Minus valet dicere majorem antiquorum Philoſophorum partem accuſare Epicurum de voluptate carnis. Ratio noſtra eſt, quia hanc opinionem Epicuro tribuendi occaſio fuit Ariſtippus, qui cùm eſſet Diſcipulus Epicuri, & Beatitudinem propria mente conſtitueret in voluptate corporis, plures crediderunt, in hoc, Ariſtippum ſequi mentem Magiſtri, ſeu cum Epicuro, Beatitudinem in vuluptate conſtituiſſe abſque ulla explicatione, de qua voluptate intelligenda eſſet propoſitio, quamvis ex ipſius Epicuri Scriptis facile ſit inferre, beatitudinem conſiſtere in deliciis animi, quia eſt pars hominis nobilior, & in ipſa potius quam in alia debet reponi ſumma hominis fælicitas. Alias omitto opiniones tum Philoſophorum antiquorum, tum Judæorum Beatitudinem collocantium in bonis temporalibus, quoniam mens noſtra in hoc opere eſt referre hæreſes, quæ poſt nativitatem Chriſti inſurrexerunt inter Chriſtianos, non autem antiquorum Philoſophorum errores, & deliria.

Bernardus de Luxemburgo, inter eos, qui crediderunt, Beatitudinem, ultimamque fælicitatem conſiſtere in voluptatibus carnis, & deliciis terrenis, numerat Papiam Epiſcopum Hyeropolis in Phrigia Aſiæ minoris, virum doctiſſimum, & Sanctum cujus mentio fit in martyrologio Romano die 22. Februarij. Hujus hiſtorici fundamentum eſt, quia D. Hieronymus lib. de Script. Eccleſ. refert ipſum Papiam eſſe Authorem opinionis millenariorum, & Chiliaſtarum aſſerentium, poſt reſurrectionem, Chriſtum, per mille annos regnaturum in terris ſanctoſque cum Chriſto corporaliter victuros in deliciis & voluptatibus corporis, epulando, generando eo modo, quo nunc in præſenti vita fieri conſtat. Et indè concludit ipſe Bernardus de Luxemburgo, Papiam (Joannis non Evangeliſtæ ut credit noſter Alphonſus a Caſtro, ſed Senioris, ſeu preſbyteri auditorem, & coœvum Sancti Polycarpi) exiſtimaſſe Beatitudinem conſiſtere in deliciis, & voluptatibus carnis. At falſa eſt hæc concluſio, nam D. Hieronymus loco citato non refert, Papiam cenſiſſe, electos poſt reſurrectionem per mille annos regnaturos in terris, Sanctoſque cum Chriſto corporaliter victuros in deliciis, & voluptatibus corporis, ut fuſius patebit in proprio loco contrà Millenarios, ſed ſolùm Beatos non videre Deum ante diem reſurrectionis, & ultimum judicium, ut moneo in proprio loco: igitur Papias non erravit in hoc articulo, ut autumat Bernardus de Luxemburgo; alioquin teneretur aſſerere D. Irenæum, Apollinarium Tertullianum, Victorinum Pictavienſem, & Lactantium etiam erraſſe in hac parte, quia de his omnibus loquitur D. Hieronymus ſicut de Papia. Affirmat quidem prædictos Authores, Papiam in hac parte ſecutos fuiſſe; ſed id non aſſerit idem Bernardus de Luxemburgo cùm non D. Irenæo, nec Tertulliano, ſed Papiæ & Cerintho dumtaxat hunc errorem impinguat : ergo mens Papiæ non fuit, Bea-

Papias non eſt hujus hæreſis autor nec aſſenſit.

titudinem noſtram conſiſtere in deliciis carnis, & uolnptatibus corporis, ſed ſolum aſſerere, Beatos ſeu animas Sanctas & perfectè purgatas non videre Deum ſtatim poſt mortem, neque ante reſurrectionem.

Cerinthus (cujns natio ignoratur) vir moribus peſſimis imbutus, Simonis magi Diſcipulus, docuit tempore Neronis Imperatoris, & D. Petri primi Chriſti Vicarij anno circiter LXIX. hominum fœli- *Cerinthus* citatem eſſe prorsùs ſenſibilem, atque carnalem, & concupiſcentiis, & libidinibus ità ſubjectam, ut non poſſit in aliquo alio actu reperiri.

Plures credunt, Cerinthum eſſe Judæum unumque, ac præcipuum ex his, qui deſcendentes de Judæa, docebant Antiochiæ circumciſionem eſſe ſervandam. act. cap. 15. verſ. 1. fuit Apoſtolorum contemporaneus: conſtat enim ex traditione S. Polycarpi Epiſcopi Smyrnenſis, apud S. Irenæum lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. quòd cùm S. Joannes Apoſtolus veniſſet aliquando in Balneum, & illic reperiiſſet Cerinthum unà cum conſortio ſuo ſedentem, & acerrimè diſputantem, ac negantem Chriſtum eſſe Deum, ſtatim receſſit, & dixit amicis ſuis, qui ei aſſidebant: *Fugiamus hinc nè Balneus in quo Cerinthus* *Infauſtus Cerinti Interitus* *veritatis inimicus moratur, ſubitò corruens nos opprimat.* Quo dicto, & egreſſo Joanne cum ſuis, illicò Cerinthum cum ſociis oppreſſit collapſa domus. Ex hoc horrendo ultionis exemplo nedum inferendum eſt, Cerinthum fuiſſe Apoſtolorum coætanæum, cum acciderit vivente adhuc Joanne Evangeliſta, ſed etiam Deum noſtrum non pati inultos eos, qui nomen ſanctum ejus blaſphemant & fidelibus viam perditionis aperiunt.

Cum Cerintho, ſupernam fœlicitatem in deliciis *Mahometus* corporis & voluptatibus carnis poſuit Mahometus, uir natione Arabs, conditione Mercator viliſſimus, Princeps Latronum, totius falſitatis, mendacij, & hæreſis Armamentarium, totius iniquitatis complementum, Satanæ prænuntius, & Antichriſti præcurſor, hic Maledictiſſimus Mahometus librum Alcorani ſui (qui eſt ferè omnium hæreſum colluvies) ſuſcepit, temporibus Heraclij & Honorij I hujus nominis Papæ, circa annum Domini DCXXX. miniſterio Judæorum, pluriumque hæreſiarcharum & & præcipue cujuſdam Sergij Pſeudomonachi, Ariani & Neſtoriani, cum quo ex judaiſmo, Arianiſmo, Neſtorianiſmo, & alijs, ſuam ſectam conflavit: Mahumetica quidem impietas continet quidquid profanum in Ethnicis, quidquid ſuperſtitioſum in Judæis, quidquid impium in hæreſicis reperitur.

Nedùm Sergij doctrinâ uſus eſt Mahometus omnis litteraturæ prorsùs inſcius, ſed etiam nefandâ ipſius induſtriâ. Legimus enim quòd Mahometus cum comitiali morbo itidem correptus terræ allideretur, dicebat, ſuadente Sergio, id ſibi à mirifico Archangeli Gabrielis aſpectu accidere, & ſuos lapſus eſſe tot extaſes, in quibus Deo communicabat, & revelabantur ei credenda; Sergius verò Mahume- *Sergius.* tem inſignem, & præcipuum Dei Prophetam prædicabat, illiuſque Impoſturas tamquam propheticas à Deo illuſtrationes, & revelationes conſcribebat, & publicabat populo Orientis; qui facilè credebat ei Diabolum inſpiraſſe. Hiſque artibus hæc peſtis mahumetica totum longè, lateque corripuit Orientem; in quo ex decem generibus Chriſtianorum hinc inde habitantium, unum dumtaxàt, quod eſt Latinorum, fidem ſervat integram, & ipſe Mahometes partim verbis ſeductoriis, partim vi, & armis rudes populos ad ſui obſequium compellens, ſe conſtituit Principem, & legiſlatorem univerſæ Arabiæ, Ægipti, Palæſtinæ, Phæniciæ, Syriæ &c.

§. I.

De eſſentia ultima Fœlicitatis hominum.

HÆc hæreſis à nobis impugnanda adversùs Mahometanos, & alios hæreticos ſuprà memoratos, Beatitudinem noſtram, aut ſummum bonum in voluptatibus corporis conſtituens, damnata manet in variis Conciliis, in quibus declaratur, animam non poſſe eſſe Beatam in hac vita; cùm deliciæ vitæ habeantur in carne mortali, ſintque finita, & tranſitoria. Et ipſa anima ſpiritualis, & immortalis; naturaliter tendat ad ultimum finem ſuum, qui eſt Deus.

Eamdem hæreſim damnat Apoſtolos, Corint. cap. 6. ubi à ſummo bono, aut regno Dei, ſeu à fœlicitate elongat omnes eos, qui delicia carnis amant, ibi enim verſ. 9. ait: *An neſcitis quia iniqui regnum* *1. Corint. 6.* *Dei non poſſidebunt? nolite errare, neque fornicarij, neque Idolis ſervientes, neque Adulteri, neque Molles, neque Maſculorum concubitores, neque fures, neque Avari, neque Ebrioſi, neque Maledici, neque Rapaces regnum Dei poſſidebunt*, Igitur noſtra fœlicitas, non eſt in deliciis carnis, neque in voluptatibus animi & corporis, cùm ex Apoſtolo hæc omnia, & alia ſimilia; quæ lege divinâ prohibentur, Impediant acceſſum ad regnum Dei, & ejus conſecutioni adverſentur, necnon fœlicitati noſtræ, quæ in ſola illius regni adeptione conſiſtit, ſed eſt in Deo, cujus regnum (ad quod ſuos prædeſtinat electos, & ad quos vult omnes voluntate generali & antecedente deducere) non eſt eſca, nec potus, ut monet idem Apoſtolus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu S. Errant igitur hæretici fœlices ſe credentes deliciis & voluptatibus carnis, quæ uſu pereunt.

Undè D. Auguſtinus, ut noſtram fœlicitatem, aut ſummum bonum in Deo conſiſtere oſtendat, ait lib. de moribus Eccleſiæ cap. 8. *Bonorum ſumma Deus no-* *D. Auguſtinus.* *bis eſt, nec ultrà quærendum alterum. Alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt.* Et lib. Confeſſ. cap. 5. *Infelix homo qui ſcit illa, te autem neſcit; Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa* (ſcilicet bona creata) *neſciat, qui vero te, & illa novit, non propter illa Beatior, ſed propter te ſolum Beatus.* Sic loquitur D. Auguſtinus, quia ſolus Deus poteſt ſatiare hominis appetitum, & ejus deſiderium adimplere, ut docet S. Bernardus ſerm. *D. Bernard.* de dedicatione animæ, ubi ait: *Avida mens hominis creatis rebus occupari poteſt, ſatiari non poteſt, & Deo capacem, quidquid Deo minus eſt, non implebit*, acproinde Deus ſolus eſt ultimus finis noſter, quia ipſe ſolus poteſt noſtrum ſatiare appetitum, teſte Pro- *Joan. 14.* pheta dicente: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, teſte etiam Apoſtolo Philippo dicente: *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis* Joan. 14. verſ. 8.

De ratione Beatitudinis eſt habere perpetuitatem, & eſſe omne bonum, ut novit Philoſophus dicens lib. 10. Ethic. cap. 6. *Fœlicitas nullius rei indigna eſt, ſed ex ſe ipſa ſufficit.* Hoc autem in deliciis carnis, & voluptatibus hujus vitæ, certò non reperient Cerinthiani, nec Mahometani. Viderint enim omnes, ſi velint, cum Sanctis Eccleſiæ Patribus, & præſertim cum D. Bernardo cap. 3. meditationum, quòd bo- *D. Bernard.* mo degens in hac vita, nihil aliud eſt, quàm Sperma fœtidum, Saccus ſtercorum, Cibus vermium, imbecillitatis exemplum, temporis Spolium, Fortunæ uſus, Imago inconſtantiæ, & invidiæ, ac calamitatis Trutina, ideoque experientiâ inſtructi hæretici, perfectè noſcent, & ſcient, carnis delicias minimè nos reddere fœlices; ſed miſeros nos efficere: *voluptas enim* inquit D. Hieronymus in Epiſt. ad Damaſum Papam, *Semper tamen ſui habet, & tranſactu*

non ſatiat, & ſic onuſquiſque ipſorum tenetur dicere,ut Propheta Pſal. 72. verſ. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam*; cùm vita noſtra repleatur multis miſeriis, ſitque militia ſuper terram, ut advertit Job. cap. 14. diccns:*homo natus de Muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*, undè Chriſtus, Matth cap. 11. verſ. 28. fœlicitatem demonſtrans lis, qui quærunt requiem,

Matth.11.

& ſolatium :ait : *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, non indicat ipſis delicia, nec voluptates carnis, ut pacem & gaudium habeant; ſed eos ad ſeipſum vocat, tamquam ad omne bonum, & ad fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam, quæ eſt pax noſtra, in qua requieſcunt animæ ſanctæ, quippè juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Hinc eſt quòd verſu ſequenti ait: *Et invenietis requiem animabus veſtris* his quidem verbis Chriſtus monet nos, omnem laborem acquirendæ beatitudinis cauſa aſſumptum, vanum eſſe ſi beatitudo extrà Deum quæratur. In rebus terrenis, & caducis nulla poteſt eſſe vera fœlicitas; cùm uſu pereant, faſtidium pariant, & appetitum non poſſint ſatiare, teſte D. Auguſtino Deum ſic alloquente: *Non eſt mihi benè ſine tè, & omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.*

D.Greger.

Item D. Gregorius ait: *Corporales deliciæ cum non habeantur, grave in ſe deſiderium accendunt, cum vero habita eduntur, comedentem protinus in faſtidium vertunt. At contrà Spirituales deliciæ cum non habentur, in faſtidio ſunt, cum habentur in deſiderio. In illis appetitus ſaturitatem, Saturitas faſtidium generat, in iſtis autem ſaturitatem appetitus ſaturitas appetitum parit: augent enim ſpirituales deliciæ deſiderium in mente dum ſatiant.* Nec eſt de hoc ambigendi locus. Quoniam conſiſtunt in viſione, & amore objecti infinitè amabilis.

Tandem noſtra beatitudo debet eſſe ea, quâ Angeli ſunt Beati, quia beatitudo eſt ultimus finis tam hominum,quàm Angelorũ. Ratio hujus rei eſt,quia ultimus finis & primum principium ſunt unum &

Angelorum & hominum una eſt beatitudo.

idem juxta illud tritum Philoſophorum axioma. *Ordo finium reſpondet ordini agentium*, ſed homines, & & Angeli ſunt ab eodem primo principio, utpoté Deo, qui eſt Creator cæli & terræ, viſibilium & inviſibilium omnium: Igitur homo, & Angelus habent eumdem ultimum finem, & eamdem beatitudinem. Unde cùm certi ſimus, beatitudinem Angelorum non conſiſtere in deliciis carnis. (Huic rationi contradicere nequit Cerinthus, cùm teneat, Angelos eſſe incorporeos) Beatitudo animæ noſtræ nequit conſiſtere in terrenis & carnalibus deliciis, ſed in Deo, in quo conſiſtit Beatitudo Angelorum, teſte Raphaële qui Tobiæ cap. 12. verſ. 19. ait: *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt utor.* Hic autem cibus, qui ab hominibus videri non poteſt, non eſt carnalis, qui cùm materialis ſit, & quantus, eſt etiam viſibilis ab oculo corporeo: ſed eſt Deus ipſe, quem videntes & amantes guſtant juxtà illud Pſal. 33. verſ. 9. *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus, Beatus vir, qui ſperat in eo.*

Inſuper, in reſurrectione, homines erunt ſicut Angeli Dei, ut declarat illud Matth. 22. verſ. 30.

Matth.22.

Non nubent, neque nubentur. Idem docent omnes Sancti Patres communiter: ergo homines in reſurrectione non habebunt delicia carnis; alioquin non eſſent ſicut Angeli, aut Angeli haberent illa, quòd eſt aperté contra ſcripturam, acproinde non admittendum: bellè quidem primum, utpotè hominis Beatitudinẽ non fore in deliciis carnis poſt reſurrectionẽ.Noſtrá beatitudo nequit conſiſtere in eo,quod eſt minoris valoris,aut perfectionis,quàm homo,qui Beari & ſatiari poteſt ſolo ſummo bono. Homo autem plus valet, quàm delicia carnis; cùm propter Deum factus fuerit.

§. II.

In quo Proponitur, & Diſſolvitur Cerinthi Argumentum.

HÆreticorum Cerinthianorum fundamentalis atque palmaris ratio deſumitur ex Sacra Scriptura Luc. cap. 22. verſ. 29.& 30. *Et ego diſpono vobis*

Ratio hæreticorum.

ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Hæc enim verba juxta propriam & naturalem ſignificationem, veré denotant in regno Dei, Electos habere delicias corporis, quæ ex cibo & potu ſolitò proveniunt, ut denotat hæc particula, *ut edatis, & bibatis.*

Idque confirmat illud Iſai. 65. verſ. 13. & ſequentibus, *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis, ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis*, quibus verbis Deus diſcernens Electos à reprobis, illis pro fœlicitate promittit cibum & potum, iſtis verò pro miſeriâ, famem, & ſitim: ergo (inquiunt Cerinthiani) in reſurrectione beatitudo noſtra non erit in Deo ſummè bono, & ſummè amabili, ſed erit in deliciis,& voluptatibus corporis; cùm guſtare, bibere, & manducare, ſint actus corporis, quos nequit homo reperire in Deo, nec habere videndo ipſum intuitivo, nec amando eum: etenim viſio, & amor non ſunt actus corporis, ſed intellectus, & voluntatis.

Reſpondeo, prædicta Sacræ Scripturæ verba non eſſe intelligenda juxtà ſenſum litteralem, littera enim occidit, Spiritus autem vivificat, neque de cibo, qui oculis carnis videtur, & dentibus atteritur, ut voluit Cerinthus; qui cùm eſſet carnis voluptatibus deditus, non cognovit cibum Spiritualem

Solutio ad hæreticorũ rationem

animæ, de quo ſunt intelligendi textus Scripturæ, ut probat exemplum adductum de Raphaele, qui uſus eſt cibo inviſibili, id eſt Spirituali, quô anima qui ſpiritualis eſt, ſatiatur, quique incvitabiliter poteſt haberi ex præſentia divinitatis juxta illud Pſal. 16. verſ. 15. ubi Propheta loquens de Spirituali cibo: ait, *Ego autem in juſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua*, quæ ſi ſatiet, nequit per manducationem carnalem, & corporalem ſatiare; ſed per ſpiritualem, ideoque datur beatitudo, & hæc conſiſtit in poſſeſſione Dei, & de ipſo intelligendæ ſunt authoritates adductæ quibus Cerinthiani intendunt fœlicitatem noſtram in voluptatibus carnalibus reponere.

Hæc explicatio eſt vera. Nam Chriſtus Luc.cap.22. expreſsè declarat, Beatos in menſa ſua comeſturos, & eumdem cibum à Patre ſuo diſpoſitum habituros; ſed cibus Chriſti in regno Dei, non eſt carnalis, nec ipſe Chriſtus ſatiatur per cibum, & potum materiales: & corporales: quamvis ſedeat cum corpore ad dexteram patris; ſed per viſionem eſſentiæ divinæ, & omnium, quæ in Deo ſunt: ergo Beati ſatiabuntur eodem cibo inviſibili, & Spirituali, qui eſt ipſe Deus.

Ad prophetam Iſaiam dico quòd dum Beatitudinem exprimit per cibum, & potum. Et miſeriam damnatorum per famem & ſitim, loquitur metaphoricè, hoc eſt, propter quamdam ſimilitudinem; quin tamen Beati corporaliter manducent,& bibant, & quin Damnati patiantur famem corporalem;alias liceret dicere ex variis ejuſdem Prophetæ, aliorumque Sacrorum Scriptorum textibus, Deum habere membra,ſcilicet pedes,manus,&c. Quòd eſt falſum, nam Scriptura Sacra humano ſeſe accõmodans in-

telligendi

telligendi modo, res Spirituales, & divinas ſolet interdum per corporeas & humanas hominibus explicare, ut jam monui in articulo contra Antropomorphitas & in alio, qoi eſt de immenſitate Dei contrà Vadianos: idcircò non in rebus ſenſibillbus, & materialibus reponenda eſt ſumma fæliciras, ſed in amote, & fruitione Dei clarè, & intuitivè viſi.

ARTICULUS XXIV.

Declarat Begardis, & Beguinis, nullum hominem poſſe propriis viribus aſſequi gloriam, ſeu Beatitudinem.

Begardi
Beguina

NOnnullæ utriuſqoe Sexos hæreticæ perſonæ, Begardi, Beguinl, & Beguinæ numcupatæ, emerſerunt tempore Ludovici Bavari Cæſaris Germani, & Benedicti XI. Papæ, citcà annum Domini MCCCIII. pluresqne docuerunt errores, quorum nnus negar hunc fidei articulum, ſcilicer, intellectum creatum non poſſe propriis viribus viſionem beatificam elicere, nec perfrui Deo: volebant enim prædicti hæretici, hominem poſſe naturaliter videre Deum ſine lumine glotiæ. Er in hac vita finalem beatitudinem ità poſſe haberi, ac in Parria. Ratio ob quam Begardi dicuntur, non ſatis conſtat. Diverſa quippè habuerunt nomina. Aliquando vocantur fratricelli, aliquandò Bizochi (ignoto ſemper eorumdem Aurhore) ut colligitur ex extravaganti Joannis XXII. tit. de religios. domibus cap. unic. ubi legimus: *Nonnulli profana multitudinis viri ſunt qui vulgaritèr fratricelli, ſeu fratres de paupere vita, Bizochi, ſivè Begardi, vel aliis nuncupantur in partibus Italia, necnon in inſula Siciliensi, qui contra Canones habitum nova religionis ſumpſerunt, Congregationes, & conventiculos fecerint, & ſuperiores ſibi ipſis elegerint, quos miniſtros, ſeu Cuſtodes, vel Guardianos, aut aliis nominibus appellant*, & tria ſolemnla vota emittebant, & vitam monaſticam obſervabant, & ducebant.

Obitèr tamen obſervandum eſt, juxta plurium Scriptorum placita, quòd Begardi de quibus hîc agitur, non erant Religioſi ordinis Sancti Franciſci, ut ipſi dicebant, & adhuc dicunt nonnulli Antimonachi. Hujus veritaris inconcuſſum affert teſtimonium Joannes Papa XXII. loco citato. Beguinæ verò erant quædam Mulieres, quæ collegiare, & liberè ſumpto religionis habitu, monaſtice vivebant, ſine tamen alicujus voti exptеſſi emiſſiooe.

§. I.

De condemnatione hujus Hæreſis.

BEgardorum errores amplexa eſt Domina quædam nomine Margarera Porreta ex Hennonia oriunda fœmina ob alios errores Pariſiis damnata, comburi juſſa anno MCCX. Eoſdem Begardorum errores aſſeruit anno MCCCXIV. quidam Bononatus natione Catalanus, natus in oppido dicto *Villa*
Bononatus Catalanus
Francha de Panades, qui zelò Ferrarij de Apulia Epiſcopi Barchinonenſis, & fratris Guillelmi de Coſta inquiſitoris, curiæ ſeculari, traditus fuit, & ab ipſa ad flammas damnarus.

Begardus, Beguinos, & Beguinas damnavit Concilium œcumenicum Viennenſe ſub Clemente V. celebratum in Delphinaru anno MCCCXI. cujus decretnm ponitur in lib. Clementinarum, rirulo de hæreticis cap. *ad noſtram.* Annatus in methodico
Declaratio Concilij Viennenſi.
ad Theologiam poſitivam apparatu lib. 7. monet, Begardorum errores, prius damnatos fuiſſe in Concilio Vieonenſi in Auſtria celebrato ſub Clemente IV. anno MCCLXVII. præſide Guidone Legato, ſed non inveni haoc condemnationem in illo Concilio, quod pro reformaoda Eccleſia convocatum fuit. Advertit pariter idem Doctor, Beguinas fuiſſe duplicis generis. Aliæ enim erant (præter illas de quibus ſupra locuti ſumos (inquit) quæ aſtrictæ voto, ſanctè & religioſè vivebant juxta conſtitutiones ſibi à Sancta Bega, Sanctæ Gertrudis Sorore, traditas, vel ut alij opinantur, à pio quodam Sanctoque preſbytero Lamberto, Bega dicto, undè & ipſæ Beguinæ nuncupatæ, & ex iis eſſe dicuntur illæ, quæ pie, ſancteque vivunt adhuc in Belgio.

Hinc advertendum eſt Concilium Viennenſe, aut Clementinam relatam non Anathematizare has poſteriores Beguinas, ſed priores, ſeu illas, quæ liberè, & ſine voto vivebant. Quamvis Begardorum Dux ignoretur, exiſtimo tamen Begardos ex Anomæis ſeu viris ſine regula, de quibus eſt ſermo in articulo de incomprehenſibilitate Dei, exortos eſſe. Anomæi oamque volebant, iutellectum noſtrum poſſe naturaliter comprehendere Deum, & eſſe Beatum, aeproinde in hac vita videre eum ſicut in Patria: ideoque probabile eſt, hanc poſteriorem hæreſim ex alia provenire. Ita ſentiunt plures Scriptores.

§. II.

In quo ſtatuitur neceſſitas luminis gloria ad videndum Deum.

NEdum Concilium Viennenſe (quod eſt decima quinta Synodus generalis Eccleſiæ) affirmat contra Begardos, Beguinos, & Beguinas, Deum noo poſſe videri ſine auxilio ſupernaturali, ſeu lumine glotiæ. Et hominem non poſſe in hac via aſſequi beatitudinem, ſed etiam Sacra Scriptura Rom. cap. *Rom. 6.*
6. verſ. 23. *Gratia Dei vita æterna*, nam ſi vita æterna ſeu beatitudo obtinetur per gratiam, non obtinetur ſolà naturà agente, acpruinde nemo eſt naturaliter beatus, ſed ſpeciali gratiæ beneficio, Deo fruitur, qui ipſo fruitur, ut probat illud Joan. 14. verſ. 8. *Joan. 14.*
dicit ei id eſt Chriſto, Philippus, *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Et Propheta Pſal. 16. verſ. 15. ait: *Ego autem in juſtitia apparebo in conſpectu tuo, & ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Hoc ſanè, id eſt beatitudinem nun peterent David, & Philippus, nec auxilium Dei, nec deſiderarent illud tamqnam aliquid abſolutè neceſſarium, ſi naturaliter obtineri poſſet, & ſi uita æterna eſſet opus naturæ, aot ſolius intellectus à carne ſeparati: poſtulant autem, quia Deus in quo conſiſtit beatitudo noſtra, habitat lucem inacceſſibilem, quam nullus hominū vidit, nec videre poteſt, ut monet Apoſt. 1. ad Timot. cap. 6. verſ. 16. quòd intelligi debet de homine ſecundum vires ſuas conſideratо.

Inſuper beatitudo eſt merces fidei, bonorum operum (à gratia abſolutè dependentium) charitatis & virtutum, quæ à natura ſola minimè procedunt; cùm ſint dona per ſe infuſa, & in ordine altiori, & ſupernaturali juxtà Trid. ſeſſ. 6. cap 7. Idem habetur in Can. *Marcion*, Can. *Video* 1. quæſt. 1. Idcirco non poſſunt viribus naturæ acquiri, nec beatitudo haberi, ſed ſolùm per actus fidei, & charitatis, juxta illud Joan. 14. verſ. 21. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur a patre*
Beatitudo non poteſt haberi naturaliter.
meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum, quibus verbis conſtat, Deum manifeſtare ſe illis, qui credunt, mandata cuſtodiunt, & diligunt, non autem illis. qui naturaliter agunt. Nulla creatura poteſt manifeſtare Deum, nec vitam æternam dare promiſſio enim ſupernaturaliter danda, actibus

naturalibus haberi nequit, neque in hac vita obtineri poreſt æterna beatitudo, ſeu poſſeſſio Dei, quam nemo habet, niſi qui eam perfectè amat, ut monet. D. Joan. 1. cap. 4. verſ. 16. *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* Deum aotem nollus poteſt perfecte cognoſcere, & amare in hac vita viribus propriis: Igitur homo non poteſt in via beatitudinem aſſequi ſicut in patria, nec videre Deum naturaliter, ot aſſerit Scriptura Sacra variis in locis, *Exod. 33.* & potiſſimùm in libro Exod. cap. 33. verſ. 20. *Non videbis me homo & vivet.* Nam ſi Deus in hac vita non poſſit perfectè videri, certum eſt quòd non poterit perfecte amari, ſeu amore fruitionis; quô amatur à beatis in patria. Illi vident eum facie ad faciem, nos autem videmus eum per ſpeculum, & in Ænigmate: in lumine quidem ipſius videbimus lumen: ſumus in via ad terminom perventuri, & currimus, ut comprehendamus.

Statua viæ, & ſtatus patriæ innumeras inter ſe habent contrarietates, ſicut fides, & clara viſio. Vita quidem homiois eſt militia ſuper terram, homo brevi vivit tempore, repletur multis miſeriis & laboribua. Vitam hominis dolores exterminant, ſenectos incurvat, infirmitas frangit, & mors omnino tollit. Status verò beatitodiuis eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ibi enim non eſt labor, neque dolor, nec mors, nec pugna, ideo ſtatus viæ, & ſtatus patriæ non poſſunt eſſe ſimul, ità ut homo poſſit eſſe viator & comprehen- *Beatitudo eſt ſtatus perfectus.* ſor, id eſt, beatos in hac vita ſicut in patria; unus enim ſtatus ſcilicet viatorum aotecedit alium, ſicut pugna triumphum, aut coronam, quæ non datur niſi illi, qui legitime certaverit. ita pariter vita, aut ſtatus viæ antecedit ſtatum patriæ, & iſto adveniente, recedit alter.

Undè Chriſtus Dominus ad Patrem aſcenſurus dixit Apoſtolis in terra degentibos Joan. cap. 14. verſ. 2. *Vado parare vobis locum*, ut ipſis oſtenderet locum fœlicitatis & beatitudinis non eſſe in hoc mundo: ſed in Cœlo & in domo Patris æterni. Apoſt. ad Corint. 1. cap. 3. verſ. 8. ait: *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem.* Quo ſuadetur, beatitudinem, quæ eſt merces, non dari niſi poſt laborem, aut poſt vitam mortalem. Hac de cauſa idem Apoſtolus dicebat ad Philipp. cap. 1. verſ. 23. *cupio Diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et ad Timot. 4 verſ. 7. ait: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitia*, hoc eſt, poſt vitam ero in Patria, & poſt victoriam dabitur corona.

D. Bernardus ſerm. 33. in Cant. inquit: *Feſtine-* *D. Bernardus.* *mus ad locum tutiorem, ad paſtum ſuaviorem, ad uberiorem, & fertiliorem agrum, feſtinemus, ut habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio &c.* quibus conſtat, beatitudinem non eſſe in hac vita, & ad ipſam nullum pervenire poſſe viribus propriis, & naturalibus, ſecluſo auxilio ſpeciali divinæ gratiæ juxta illud Iſa. cap. 64. verſ. 4. *A ſeculo non audierunt,* *Iſay. 64.* *neque auribus perceperunt. Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Quòd ex Sanctis Patribus explicatur de viſione beata, & objecto ipſius, quod à nullo oculo corporeo, aut ſpiritnali naturaliter videri poteſt. Deus (teſte Jobo) eſt excelſior Cœlis, hoc eſt, ſoperat omnes naturæ vires, nullus poteſt ad eum pervenire, ſecluſo gratiæ beneficio, quod eſt ſemen vitæ æternæ, dependens à ſolo Deo, cujus dumtaxat eſt gratiam, & gloriam dare.

Nullus poteſt ex ſua natura eſſe beatus, niſi ex natura ſua videat Deum; cùm beatitudo io viſione Dei conſiſtat. Nulla autem eſt creatura, quæ ex natura ſua Deum videre valeat, quia divina viſio Soli Filio Dei propria eſt, teſte D. Joan. 1. verſ. 18. *Joan. 1.* *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis*, ubi Irenæus, Athanaſius, *Irenæus* & Evariſtus Papa legunt, *niſi unigenitus*, quòd firmatur ex illo Joan. cap. 6. verſ. 46. *Non quia patrem* *Athanaſius* *vidit quiſquam niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem;* Igitur cum Dei viſio Filio ipſius ſit propria & na- *Evariſtus Papa.* turalis, nulli creaturæ poteſt eſſe naturalis aut propria, quia proprietas ſequitur naturam cujus eſt, ſubindeque nulla creatura poteſt eſſe naturaliter Beata, quia nulla creatura habet naturam divinam.

Deindè ut aliqua potentia attingat naturaliter objectum, neceſſe eſt quòd inter objectum illud, & potentiam ſit proportio: creatura autem nullam proportionem habet in ratione potentiæ cum Deo in ratione objecti: finiti enim ad infinitum nulla eſt proportio: ergo impoſſibile eſt quòd iotellectus creatus ſit natoraliter Beatus & quod videat Deum ex ſe, & ſecluſô lumine gloriæ, quod eſt ordinis ſupernaturalis, & ad eumdem elevat potentiam intellectivam, ut colligitur ex variis Sacræ Scripturæ locis, & maximè ex Pſal. 35. verſ. 10. *Quoniam* *Pſal. 35.* *apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen,* nam licet primarius, & litteralis ſenſus Prophetæ ſit, *in Filio videbimus Patrem*, ut patet ex illo Concilij Nicæni, *lumen de lumine*, tamen hunc propheticum textum Sancti Patres ſolitò interprætantur de lomine gloriæ, quo intellectus creatus elevatur ad videndum Deum, quippecùm ex ſe, & ex natura ſua ſit inſufficiens, & improportionatus ad viſionem Beatam, ſicut ad fidem, cujus initium non eſt io facultatibus naturalibus, indiget aliqua virtute ſuperaddita, quæ à Theologis vocatur lumen gloriæ, quod eſt habitos ſupernaturalis, ſicut habitus charitatis, fidei, & ſpei.

§. III.

Solvuntur Argumenta Hæreticorum.

Begardi, Beguini, & Beguinæ affirmant, hominem poſſe eſſe beatum in hac vita, quia credunt Moyſem vidiſſe Deum, ut ipſemet Deus illi promiſerat, dicens Exod. 33, verſ. 19. *Ego oſtendam* *Exod. 33.* *tibi omne bonum* id eſt, Deum, qui ſolus ſummè bonus eſt, ac omne bonum, & volunt hoc beneficium fuiſſe Moyſi naturaliter conceſſum, ut patet ex illo Num. cap. 12. verſ. 6. & ſequentibus: *Si quis fuerit* *Num. 12.* *inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum, at non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea eſt fideliſſimus; ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per Ænigmata. & figuras Dominum videt.* idem ſentiunt de Apoſtolo qui 2. Corint. cap. 12. affirmat ſe fuiſſe raptum uſque ad tertium cœlum, ſcilicet oſque ad ſedem Beatorum (quæ tertium Cœlum appellatur reſpectu cœli ſiderei, & ætherei) ibi aodiviſſe arcana, quæ non licet homini loqui, indè enim concludunt, hominem poſſe in hac vita eſſe Beatum, ſicut in patria; cùm de eſſe ad poſſe valeat conſequentia.

His duobus ſcilicet Moyſi, & Paulo addunt tertium, putà D. Stephanum, qui propriis oculis vidit Cœlos apertos & Jeſum ſtantem à dextris virtutis Dei, ut act. cap. 7. verſ. 55. ipſe teſtatur, & verum eſt teſtimonium ejus.

Hoc argumentum malè concludit, quia falſum ſopponit; nam Moyſes, Paulus, & Stephanus non viderunt intuitivé eſſentiam Dei, nec fuerunt in hac vita perfecte Beati. De Moyſe patet, quia Deus dixit illi: *Faciem meam videre non poteris.* Unde verba relata non ſignificant, Moyſem vidiſſe Deum intui-

Reſponſio ad argumentum contrarium

tivè, ſicut Beati vident eum in patria, ſed ſolùm quod Deus apparuit aliis Prophetis, & locutus eſt eis per ſomnia & imagines in phantaſia impreſſas, Moyſi verò per ſigna quædam corporea, & per vocem ſenſibilem, ut quando ipſum vocavit de Rubo. Quòd eſt loqui os ad os, & facie ad faciem. Ad ſecundam dico, Apoſtolum in ſuo raptu uſque ad tertium Cœlum, non vidiſſe intuitivè eſſentiam divinam (nam audire arcana verba non eſt intuitivè Deum conſpicere) ſed ſolùm habuiſſe myſteriorum Dei notitiam certam per revelationem, ideo inquit, *Ne magnitudo revelationum extollat me*, alioquin non dixiſſet ad Timot. 6. verſ. 16. hominem non vidiſſe Deum, nec videre poſſe. Nec D. Joannes diceret quòd homo conſtitutus in terra, nunquam vidit Deum.

Ad tertium dico quòd Stephanus non refert ſe vidiſſe Chriſtum à dextris Dei ſimpliciter, ità ut viderit eſſentiam Dei & humanitatem Chriſti, ſed à dextris virtutis Dei, id eſt, à dextris alicujus ſplendoris, & lucis eximiæ, quæ erat Symbolum divinitatis, à cujus dextris ſtabat Chriſtus; ità reſpondent ferè omnes Theologi. Nec licet ex dictis inferre, Theologos, qui aſſerunt, Moyſem & D. Paulum vidiſſe Deum, adhærere ſententiæ, & hæreſi Begardorum. Quia non excludunt medium ſupernaturale; volunt enim, Moyſem & Apoſtolum habuiſſe lumen gloriæ per modum paſſionis tranſeuntis; Begardi autem volunt, eoſdem, ſcilicet Moyſem, Paulum, & Stephanum Deum intuentes, fuiſſe Beatos, & Deum vidiſſe viribus propriis & naturalibus, quòd eſt hæreticum, ſicut hæreticum eſt dicere cum Pelagianis peccatorem poſſe viribus propriis, & naturalibus fieri Juſtum, & elicere opera ſupernaturalia ſecluſo quocumque auxilio gratiæ.

Lumen gloriæ eſt neceſſarium ad videndum Deum

Addunt aliam rationem, dicunt enim quòd ut creatura intellectualis ſit naturaliter Beata, ſufficit quòd poſſit naturaliter cum auxilio generali videre Deum; cùm in viſione illa conſiſtat Beatitudo animæ rationalis, voluntque intellectum à carne ſeparatum, & à ſenſibus independentem poſſe propriis viribus videre Deum. Eorum ratio eſt, quia Deus ut eſt in ſe, & quatenus eſt rerum omnium finis, continetur intrà objectum intellectûs creati, quod eſt ens verum; alioquin eſſet abſolutè inaſſequibilis, & inviſibilis ab intellectu creato, nitente etiam divina virtute, nulla quidem potentia cognoſcitiva poteſt elevari ad cognoſcendum id, quod non continetur intrà limites objecti adæquati ipſius. Undè ſi Deus ſit intrà objectum adæquatum intellectus creati, certum eſt quòd poteſt ab ipſo naturaliter agente, & remotis impedimentis, videri, quia quælibet potentia cognoſcitiva naturaliter ferri poteſt in omne id, quod continetur intrà objectum ipſius adæquatum, ut docent communiter Philoſophi. V. G. oculus poteſt videre omnes colores, & auditus recipere omnes ſonos: igitur intellectus à carne, & ſenſibus ſeparatus; cùm ſit potentia ſpiritualis cognoſcitiva, poteſt naturaliter attingere quodcumque objectum viſibile, & ſpirituale, ſicut potentia materialis objectum materiale, ac proinde Deum ſe manifeſtantem videre poteſt abſque alio ſpeciali auxilio.

Altera Begardorum ratio.

His Begardorum rationibus reſpondeo, Deum non poſſe naturaliter videri ab intellectu creato à ſenſibus ſeparato; licet Deus ſit ens intelligibile, & intrà objectum adæquatum intellectus creati, quia non eſt intrà objectum illud tamquam proportionatum ſed tamquam excedens, & ut intelligibile ſuperexcellens, cùm ſit ens ſupernaturale, ac excedens naturæ vires, & facultates intellectus creati; qui cùm naturalis ſit, nequit, ſola propria virtute concurrente, attingere ens ſupernaturale: quamvis iſtud ſit intrà objectum intellectûs, id eſt, ens verum, quod eſt univocum ad ens naturale, & ad ſupernaturale, ſicut ens eſt univocum ad Deum, & ad creaturas, ut docet Scotus, ideoque intellectus creatus ſibi relictus, aut viribus propriis agens, nequit videre Deum intuitivè, qui cùm ſit in ordine ſupernaturali, intellectus creatus, qui eſt potentia naturalis, nequit videre eum, niſi elevatus lumine gloriæ, quô agit modo ſupernaturali, quia ipſum lumen gloriæ eſt ſupernaturale, & influit in viſionem beatificam; ut concauſa efficiens, & concurrens effectivè cùm intellectu ad formandam illam viſionem; ut docent Scotiſtæ communiter in Tract. de viſione beatifica contrà Thomiſtas affirmantes, lumen deſiderari tantùm ut diſponat intellectum ad recipiendam viſionem beatificam:

Solvitur ſecunda ratio

Noſtram reſponſionem impugnare poſſunt hæretici ſuprà nominati ex eo quod intellectus creatus etiam lumine gloriæ confortatus, eſſet improportionatus cum Deo videndo; cùm nonobſtante illo lumine gloriæ, etiam per modum principij communicato, intellectus ſit finitus, & Deus infinitus, intellectus ſit naturalis, & Deus ſupernaturalis: ergò Deus poteſt naturaliter videri ab intellectu creato à carne ſeparato, vel nullo modo poteſt videri intuitivè, ſeu eſt abſolutè inviſibilis, at hoc poſterius eſt falſum; ergo admittendum eſt prius, ſcilicet animam à carne ſeparatam videre Deum propria virtute.

Inſtantia hæreticorum

Reſpondetur inter Deum viſibilem, & intellectum creatum videntem, non eſſe diſtantiam ſimpliciter infinitam, ſicut eſt inter entitatem Dei, & entitatem intellectus, ſed ſolum eſſe diſtantiam ſecundum diverſum ordinem, naturalem ſcilicet, & ſupernaturalem, hæc autem diſtantia, & improportio ſuperatur per lumen gloriæ; quod cùm ſit ordinis ſupernaturalis, & ita concurrat cum intellectu ad producendam viſionem Dei, ut intellectus, & ipſum lumen gloriæ, ſint una & eadem cauſa viſionis, ſequitur quòd ipſe intellectus agit ſupernaturaliter, quamvis reſtet finitus in ſua ſubſtantia. Quia potentia finita poteſt elicere actum ſupernaturalem, modò habeat concurſum ſupernaturalem, ſicut ſubſtantia finita recipit formas ſupernaturales, ut patet de anima, quæ eſt ſubjectum fidei, ſpei & charitatis, quæ ſupernaturales ſunt. Intellectus creatus conjunctus cum lumine gloriæ, eſt naturalis in eſſendo, ſed poteſt dici ſupernaturalis in agendo, ſicut dicitur apud Theologos de voluntate humana quæ licet ex ſe naturalis ſit, tamen agit ſupernaturaliter, dum mediante gratia elicit actum contritionis; & dilectionis Dei ſuper omnia.

Rejicitur inſtantia.

Nec valet dicere lumen gloriæ non eſſe vitale, ac proindè non poſſe concurrere cum intellectu ad producendam viſionem beatificam; quæ eſt vitalis.

Non valet inquam, quia licet non ſit vitale ut *quod*, ſicut intellectus, eſt tamen vitale, ut *quo*, ſeu eſt, vis quædam ordinata ad elevandum intellectum ad vitam altiorem, & perfectiorem; nam intellectus eſt ex ſe vivens vitâ naturali, & per lumen gloriæ elevatur, ut vivat vitâ ſupernaturali. Prætereà ſi hæc inſtantia valeret, ſequeretur quòd voluntas creata non poſſet elicere actum contritionis, quæ ſupernaturalis eſt, ſicut viſio. Quod nemo hactenus dixit: ſcriptum eſt enim quòd Deus vult converſionem noſtram, vultque quòd diligamus eum ex toto corde.

ARTICULUS XXV.

Quò in gloria diverſi aſſignantur gradus, contra Jovinianiſtas.

Jovinianiſta.

ADverſus hunc fidei articulum antiqui Scriptores unum dumtaxat reperiunt hæreticum, nomine Jovinianum, natione Italum, patriâ Romanum, conditione Monachum, qui quamdiù fuit Monachus religioſè vixit, & ſanam habuit doctrinam, ſed quia Diabolo ſuadente, Monachatum reijcere voluit, & ad mundum, quem relinquerat, revertere, rejectu monachatu, docuit tempore Theodoſij II. Imperatoris, & Syricij Papæ circa annum Domini CCCXCV. Beatos eſſe pares in gloria, & damnatos pares in tormentis, præmia eſſe æqualia in Cœlo, & demerita eſſe æqualia in inferno, quia exiſtimabat cum Stoicis, tam bona opera, quàm mala in omnibus hominibus eſſe æqualia.

Huic Hæreſiarchæ à quo Jouinianiſtæ ortum habent, adhæſerunt Lutherani, & alij neceſſitatem bonorum operum excludentes à vitæ æternæ aſſecutione, & homines juſtificantes per ſolam juſtitiæ Chriſti imputationem; quæ cùm reſpectu omnium hominum ſit æqualis, neceſſariò dicendum eſt, Lutheranos aliquo modo adhærere Joviniano; quin tamen Lutherani poſſint Jovinianiſtæ nuncupari: quamvis credant, Beatos eſſe æquales in gloria, quia Joviniani principium rejiciunt & diverſo fundamento eamdem tuentur hæreſim.

Fundamentum Joviniani eſt, quia hominum merita ſunt æqualia apud Deum, ideoque præmium ipſorum eſt etiam æquale. Peccata hominũ ſunt etiam æqualia (inquit) & per conſequens ſupplicium ipſorum eſt æquale in inferno, ut refert D. Hieronymus lib. 2. contrà ipſum Jovinianum, dicens: *Aſſerebat Jovinianus duos eſſe tantùm ordines ovium & hircorum, alterum juſtorum, alterum peccatorum, alios ſtare à dextris, alios à ſiniſtris*, ideoque nullum admittebat ordinem majoritatis inter juſtos, neque inter peccatores. Lutherani verò hoc Joviniani principium impugnant & volunt, hanc æqualitatem gloriæ provenire ex imputatione Juſtitiæ Chriſti, quæ cum æqualis ſit in omnibus electis, in omnibus eſt æqualis gloria.

§. I.

In quo Veritas probatur Authoritate, & Ratione.

Condemnatio hujus hæreſis in Concilio Teleptenſi.

JOviniana hæreſis damnata fuit in Concilio Teleptenſi (quod à nunnullis dicitur Telenſe) in Bizacena Provincia Africæ celebratum ſub Zozimo Papa circà annum Chriſti CCCCXVIII. cui interfuiſſe D. Ambroſium putant plures hiſtorici Eccleſiaſtici ex quadam Epiſtola, quam volunt eſſe patrum Concilij ad Syricium, quæque invenitur inter Epiſtolas Ambroſianas. Sed errant quia hoc Concilium non fuit celebratum ſub Syricio, ſed ſub Zozimo, ut refert Baronius ad annum CCCCXVIII. Nec patrum hujus Concilij eſt Epiſtola, ſed Ambroſij & Coepiſcoporum, ut obſervant plures Scriptores celeberrimi.

Concilium Florentinũ

Damnata fuit eadem hæreſis etiam in Concilio Florentino in litteris unionis, ubi legitur, Beatos intueri clarè ipſum Dominum trinum, & unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium, alio perfectiùs, ac proinde viſionem Beatificam, aut gloriam eſſe Inæqualem in Beatis.

Tridentinũ.

Tandem hæc hæreſis, quam impugnamus, damnata fuit in Tridentino ſeſſ. 6. Can. 32. ubi habetur: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius Juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per gratiam Dei, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non vero mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem atque etiam augmentum gloriæ; anathema ſit*, quibus conſtat, juſtificatum per bona opera mereri vitam æternam & ipſius augmentum, ac proinde eum cujus meritum eſt majus, plùs mereri apud Deum, & intentiùs videre eſſentiam divinam, quàm alter minora habens merita; cùm in ipſa clara Dei viſione conſiſtat præmium.

1. Ad Corint. 3.

Sacra Scriptura etiam diverſam gloriæ menſuram promittit juxtà diverſitatem meritorum. Nam Apoſt. ad Corint. cap. 3. verſ. 8. ait: *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Et 2. ad Timot. cap. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus judex*: Ergo qui plùs laboravit in hac vita, majorem mercedem accipiet in alia; cùm operarius ſit dignus mercede ſua, major labor dignior ſit minore, & Juſtitia, quæ præmiat, ſit diſtributiva. Unde idem Apoſtolus cap. 15. hortatur nos ut abundantiùs operemur bonum proponendo præmium, ibi enim ait: *Itaquè fratres mei dilectiſſimi ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Quorſum enim præmium ut ſtimulum adderet, ſi pro digniori opere non daretur majus præmium.

Hebr. 11.

Idem ſuadet ratio, nam viſio beatifica, ſeu gloria æterna datur Adultis, ut corona, præmium, aut merces. Si detur ut corona, ergo correſpondet victoriis. Si ut præmium, correſpondet merito. Si ut merces, correſpondet labori. Unde cùm viri Sancti diverſas victorias adepti fuerint, diverſos gradus gratiæ habeant, diverſoſque labores, certum eſt quòd in cœlo habent etiam diverſos gradus beatitudinis, aut viſionis Dei. Quare Apoſtolus ad Heb. 11. verſ. 6. ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit*: 2. ad Corint. cap. 5. verſ. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Etenim hæc verba ſuadent, opera meritoria eſſe menſuram gloriæ, & laborem eſſe menſuram præmij juxta illud Matth. 7. verſ. 2. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Apoſtolus loco citato cap. 9. *qui parce ſeminat, parce & metet.* Indè enim licet inferre quòd ſicut Meſſores non ſunt æquales, ſed unuſquiſque eſt talis Meſſor, qualis fuit ſeminator, ità omnes beati non ſunt æquales; ſed unuſquiſque talis eſt, qualis fuit fidelis ſervus & prudens, hoc eſt, habet talem beatitudinem, qualem meruit habere; cùm teſte Scriptura, Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua. Et unuſquiſque reddet rationem villicationis ſuæ.

Matth. 7.

Vana Joviniani interpretatio.

Chriſtus Dominus loquens de regno Cœlorum, Apoſtolis, Joan. cap. 14. ait, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, id eſt, In Cœlo varij ſunt fruitionis, ſeu gloriæ gradus. Jovinianus exponit hæc verba de Eccleſia militante, quæ eſt domus Dei, & in ipſa ſunt diverſi gradus & ordines. Sed plurimum aberrat à veritate, quia intelligenda ſunt de Eccleſia triumphante, & de diverſitate præmij beatorum; Nam ſtatim ſubdit ipſe Chriſtus: *Vado parare vobis locum, & ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis*: Igitur loquebatur

de Paradiſo : Nam ex his verbis : *Vado parare vobis locum*, nihil aliud poteſt intelligi, niſi locus ille, ad quem aſcendebat, aut ad quem erat aſcenſurus ipſe Chriſtus. Idem conſtat ex aliis verbis ejuſdem capitis D. Joannis.

Paulus ad Corint. 15. verſ. 41. demonſtrat eamdem gradnum gloriæ diverſitatem, aut inæqualitatem, ibi, enim ait : *Alia claritas ſolis ; alia claritas Lunæ ; & alia claritas Stellarum, Stella enim ab Stella differt in claritate*, quia per hæc verba monet, viſionem unius Sancti eſſe intenſivè di-

Validum ex Apoſtolo argumentum.

verſam à viſione alterius ; & unum beatum eſſe alio Beatiore, ut vertit S. Fulgentius lib. 3. ad Transimundum, ubi ait : *Una per fidem veram renatis vita cæleſtis regni promittitur, quamvis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulô Beatô dicente : alia claritas Solis.*

Idem ſuadet Tertullianus in Scorpiaco cap. 6. ubi inquit : *Si non pro varietate meritorum, quomodò Stella ab Stella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum.* Ex hoc ſequitur, lumen unius Beati eſſe intenſivè majus à lumine alterius Beati, ſicut

D. Gregor.

Sanctitas unius Juſti eſt major Sanctitate alterius, ut ait D. Gregorius lib. 4. moral ; cap. 31. *Sicut in Electis in hac vita eſt diſcretio operum ; ita quoque in alia vita proculdubio diſcretio erit dignitatum, ut quô hîc alius ; alium ſuperas, illic alius alium in retributione meritorum excedat, ut dignitas eadem non ſit, una tamen vita beatitudinis*, id eſt, unus Deus, qui beat omnes juxtà uniuſcujuſque merita. Et ſicut Sol communicat lumen ſuum inæqualiter Lunæ, & Stellis; ità pariter Deus inæqualiter communicat Beatis lumen gloriæ, quoniam quilibet ipſorum videt, & fruitur in quantum Deus vult quod videat & fruatur, & Deus qui nô eſt acceptor perſonarum, vult quòd videat in quantum meretur videre, & frui : etenim merita ſunt menſura gloriæ.

Deus ; qui punit citrà condignum ; & præmiat ultrà condignum, ut docent communiter Theo-

Apocalyp. 8

logi, punit damnatos inæqualiter, ut probat illud Apocalypſis cap. 18. verſ. 7. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Proculdubio hæc diverſitas eſt in pœnis inferni ratione demeritorum ; quæ diverſa ſunt in damnatis, idque poſtulat juſtitia, quæ cum reddat unicuique quod ſuum eſt, neceſſariò magis punit illum, qui magis peccavit : ergo è contrariò majus præmium, aut majorem glorificationem tribuit il-

Merita ſunt menſura gloriæ.

li, qui ſe magis humiliavit, & pro Chriſto majora paſſus eſt tormenta, ut ſuadet illud Matth. 2. verſ. 4. *ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis.* Et quia labor vineæ eſt inæqualis, inæqualis eſt diſtributio, & unus operarius eſt major alio, unde Chriſtus ; Matth. cap. 5. verſ. 19. ait : *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis ; & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno Cælorum, qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum* : Igitur in regno cælorum, Beati non ſunt æquales, quia ubi eſt magnus & minimus, magnus & major, oportet menſuram, id eſt, viſionem beatificam, eſſe diverſam non ſpecificè, ità ut habeat aliud objectum ; nec extenſivè, ità unus Beatus videat aliquid in Deo, quod non videat alter, ſed intenſivè, ità ut unus majores gradus viſionis habeat, & intenſiùs videat. Nec hoc implicat. Quia viſio beatifica eſt de genere qualitatis, quæ poteſt intendi, & eſſe in uno intentior, quàm in alio.

Jerem. 31.

Idem habetur ex illo Jeremiæ cap. 31. verſ. 34. *Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus.* Quòd probat, omnes Sanctos non eſſe æquales in regno Chriſti, de quo loquitur Propheta, quia ubi eſt maximus, & minimus, ibi eſt major & minor gradus gloriæ, quoniam hæc Beatorum majoritas, aut minoritas non poteſt deſumi, niſi ex majoritate, & minoritate illius, quô ſunt Beati, ſcilicet ex majoritate, & minoritate gloriæ, aut viſionis beatificæ, quæ eſt intenſior in uno, quàm in alio.

§. I.

De Reſponſionibus ad Joviniani Argumenta.

JOvinianus erroris ſui fundamentum deſumit ex illa parabola famoſiſſima operariorum, diverſis temporibus ad vineæ culturam vocatorum, Matth. cap. 20. qui licet inæqualiter laboraverint ; tamen omnes eumdem denarium receperunt in laboris mercedem. Ut autem appareant æqualitas præmij, & diverſitas laboris, advertendum eſt quòd unus majus præmium exigens propter majorem laborem, increpatur, ut conſtat ex propriis verbis ejuſdem capitis verſ. 11. & 12. *Et accipientes murmurabant adverſus patrem-familias, dicentes. Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares nobis illos feciſti ; qui portavimus pondus Diei, & æſtus* : Ergo quamvis inæqualia ſint hominum merita, diverſuſque in terra labor ; nihilominùs una, eademque erit in Cœlo compenſatio, ac proinde omnes Beati ſunt æquales in gradu gloriæ, & præmij.

Reſpondeo, per Denarium diurnum in cujus receptione noviſſimi, primis. Et qui parum, his, qui multùm laboraverant, comparati dicuntur, intelligi beatitudinem objectivam. ſeu rem, quâ ho- *Explicatio parabolæ.*
mines beantur, quæ eſt Deus ſicuti eſt in ſe, quem omnes beati vident, & quô fruuntur omnes ; non verò beatitudinem formalem, aut viſionem, quæ eſt actus vitalis procedens ab intellectu lumine gloriæ confortato, quod quidem lumen datur juxtà menſuram meritorum, ſicut gratia ſanctificans datur juxta menſuram contritionis, & diſpoſitionis animæ, quamvis gratia ſanctificans ſit una eadem ſpecificè in omnibus Juſtis. Unde cùm merita beatorum ſint ità diverſa, ut unum excedat aliud (quoniam opus ex ferventiſſimâ charitate factum magis placet Deo, quàm aliud non tanto amore patratum) diverſumque ſit in illis gloriæ lumen, diverſa quoque debet eſſe ipſorum viſio beatifica ; licet objectum viſum, & beans, ſit unum & idem omnibus. Ità reſpondent Divus Bonaventura, Divus Thomas, & alij Sancti Patres, quos ſequuntur Theologi.

Dicunt Joviniániſtæ, ſi parabola per Denarium intelligat beatitudinem objectivam, quomodo noviſſimi dicuntur primi, & primi noviſſimi. Et quomodo Pater familias potuit dicere murmuranti : *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Quia noviſſimus non poteſt fieri primus, niſi per ſuam operationem pro Domino, quæ non eſt ipſe Dominus, nec poteſt per eam acquirere quod ſuum eſt, niſi videat Deum, viſione ab intellectu elicita, & in ipſo exiſtente : Igitur parabola intelligenda eſt de beatitudine formali.

Reſpondeo ; inæqualitatem illam oriri ex eo quòd primi non plus meruerunt per decem horas, quàm per unam horam noviſſimi labor non eſt pon- *Diſſolvitur hæreticorũ reſponſio.*
derandus, ſed laborantis voluntas conſideranda eſt, quia Deus non quantum, ſed ex quanto, non cenſum penſat, ſed affectum, ut notat D. Gregorius Nazianzenus, oratione 50 ubi ait : *Et ſi ad laboris modum*

plus contulerint qui priores ingreſſi ſunt, non tamen quantum ad voluntatis modum propter quem etiam fortaſſe poſtremis amplior merces debebatur. Igitur per denarium intelligitur merces, ſeu res, quæ datur, aut beatis communicatur, quæ eſt beatitudo objectiva, ut inſinuat D. Auguſtinus Serm. 59. cap. 4. dicens: *Denarius ille, eſt vita æterna; & in vita æterna æquales erunt, quamvis enim meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minus. Quòd tamen ad vitam æternam pertinet; erit æquale omnibus: non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter ſempiternum eſt.* Indè enim conſtat, quòd omnes beati ſunt æquales in objecto. Et diverſi in lumine, ac ſplendore, aut viſionis actu, qui ab intellectu lumine gloriæ confortato producitur. *D. Auguſt.*

Dicunt iterum. Unuſquiſque Beatórum debet perfectè ſatiari, quia beatitudo eſt perfecta & ſumma quies in objecto ſummè bono: ergo beatitudo debet eſſe æqualis in omnibus; alioquin ille, qui haberet minorem, non eſſet perfectè ſatiatus, ac proindè non eſſet perfectè beatus; cùm beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, & in ipſo ſtatu ſint ſimul omnes beati.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia viſio ſatiat unumquemque juxtà illius proximam diſpoſitionem, & capacitatem, ſicque uniſquiſque eſt perfectè ſatiatus, eſtque in ſua ſorte contentus, quia adimpleta ſunt ipſius diſpoſitio, & capacitas. Nam ſicut omnia gravia in centro omninò quieſcunt, quamvis unum ſit gravius alio, quoniam unumquodque quieſcit perfectè, juxtà naturalem gravitatem ſuam. Ità quilibet beatus viſione, & fruitione Dei eſt perfectè ſatiatus; licet unus ſit beatior alio. *D. Gregor.*

Undè D. Gregorius lib. 35. moral. cap. 14. exponens illud Joan. cap. 14. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*, ait: *Apud Patrem quippè manſiones multæ ſunt, quia in illa beatitudinis vita non diſpari, unuſquiſque juxtà diſpar meritum, locum diſparem percipit, ſed ejuſdem diſparitatis damna non ſentit, quia tantum ſibi, quantum perceperit, ſufficit.* Licet beati æqualiter Deum videant, in ipſis tamen nulla eſt invidia, ut ait D. Auguſtinus tract. 67. in Joan. *Ità Deus erit omnia in omnibus, & quoniam Deus charitas eſt, per charitatem fiat, ut quod habent ſinguli, commune ſit omnibus, ſic enim quiſque etiam ipſe habet cum amat in altero, quod ipſe non habet, non erit invidia imparis charitatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.* *D. Auguſt.*

Quantum ad fundamentum Lutheranorum, moneo ipſum ſolutum eſſe in articulis contrà eoſdem Lutheranos. Idcircò lectorem remitto ad eoſdem articulos, & præſertim ad illum, in quo reſolvitur hominem non juſtificari per juſtitiam Chriſti illi imputatam.

ARTICULUS XXVI.

Affirmat contrà Origeniſtas, Gloriam eſſe inamiſſibilem.

PErpetuitatem beatitudinis negavit Origenes, Alexandrinæ Eccleſiæ Doctor, & Clementis contextoris ſucceſſor, hæreſum præcedentium impugnator, & inventor novarum. Plures enim ipſe Origenes, vir doctrina illuſtris, docuit hæreſes tempore Severi Imperatoris, & Zephirini Romani Pontificis, circà annum Domini CCVII. Ejus errores recenſentur à D. Epiphanio in Epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum, à D. Hieronymo epiſt. 39. ad Avitum de erroribus Origenis, à D. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 43. & à Theophilo Alexandrino. Inter quos errores numeratur iſte circà beatitudinis æternitatem. Credebat enim animas omnes ad corpora reverſuras de cœlo, aut de inferno, & in mundo converſaturas, ideoque aſſerebat, nec beatitudinem, nec miſeriam eſſe in æternum manſuram, ſed omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam Dæmonum tormenta finem habitura. Ponebat enim quaſdã alternationes beatitudinsi, & miſeriæ, ità ut tranſactis aliquot annorum circulis, animas beatas iterum in corpora mortalia revertebant, & indè rurſùs ad beatitudinem evocabantur, & à beatitudine rurſum ad miſeriam declinabant, ex quo inferendum eſt, Origenem quemdam beatitudinis, & miſeriæ circulum admiſiſſe. *Origenes.*

Non deſunt tamen Doctores (inter quos eſt Picus Mirandulanus) qui Origenem juſtificare intendunt, dicentes, illos errores fuiſſe damnatos in Concilio Generali quinto (quod eſt Conſtantinopolitanum ſecundum) tamen ipſum Origenem non fuiſſe perſonaliter damnatum, ex quo ſequitur (inquiunt) errores illos, Origenis non fuiſſe, ſed aliquorum inimicorum, qui erroribus repleverunt ipſius Origenis opera. Idque probant ex quibuſdam litteris, quas ad omnes Eccleſias pro ſui defenſione ſcripſit ipſe Origenes (lato anathemate contrà ipſum velut contrà hæreticum à Demetrio Epiſcopo Alexandrino) volens ipſis litteris erroneorum dogmatum crimen refundere in quemdam hæreticum ſibi æmulum, qui ſanæ doctrinæ ſuæ errores addiderat ut hæreticus reputaretur. *plures juſtificant Origenem.*

Major tamen pars Doctorum probabilius judicat oppoſitum, & vult, Origenem verè fuiſſe hæreticum. Eorum ratio eſt. Quia anno CCCXCIX. Theophilus Alexandrinus una cum ſui Patriarchatus Epiſcopis, Origenem, ipſius libros, & fautores illius anathemate percuſſit. Et poſteà Anaſthaſius Papa de judicio Theoph. Alexandrini certior factus, cenſuram confirmavit & publicâ ſententiâ Origenem, & Origeniſtas damnavit. Ità refert noſter Boyvinus ex D. Hieronymo epiſt. 11. ad Theophilum, & ex Nicephoro cap. 28. Idem referunt alij ex Vincentio Lirinenſi parte 1. Commonitorij, cap. 3. *Origenes eſt verè hujus defenſor*

§. I.

In quo Statuitur Perpetuitas Status Beatificí.

ORigenis errorem confundit, & damnat Sacra Synodus Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate, ubi ait: *Venturus in fine ſæculi judicaturus vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua tam Reprobis, quàm Electis, qui omnes cum ſuis propriis corporibus reſurgent, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala, illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.* Idem habetur ex Symbolo Athanaſiano, ab univerſali Eccleſia recepto: *Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.* In ſexta Synodo act. 11. in epiſtola Sophronij. Et à Sanctis Patribus, præſertim D. Auguſtino lib. 12. de Civ. Dei cap 20. ubi ſtultitiam vocat, opinionem illorum, qui credunt, beatitudinem aliquandò deſituram. Et meritò, quoniam tempori noſtro ſuccedet æternitas. *condẽnatio hujus hæreſis.*

Sacra Scriptura præſentem fidei noſtræ articulum evidenter demonſtrat variis in locis, legimus enim Matth. 25. quòd Chriſtus, qui eſt veritas, in ulti-

mo judicio dicet de his, qui à dextris erunt : *Juſti autem ibunt in vitam æternam.* *Matth. 25.* Quæ quidem vita eſt beatitudo ; ergo eſt æterna , acproinde ipſa beatitudo eſt abſolute & ſimpliciter inamiſſibilis; alioquin non eſſet æterna , ſed temporalis , & momentanea. Quod eſt falſum. Idem docet ipſa fides de pœnis damnatorum, nedùm in hoc verſu 46. cap. 25. Matth. in quo Evangeliſta ſic refert , *& ibunt hi* , id eſt maledicti , *in ſupplicium æternum* , ſed etiam in verſ. 41. ubi habetur : *Tunc dicet* , id eſt Chriſtus , *his qui à ſiniſtris erunt , diſcedite à me maledicti , in ignem æternum.* His quidem verbis affirmat æternitatem pœnarum inferni , & perpetuitatem flammarum in quibus cruciantur damnati , & in æternum cruciabuntur : Conſtat enim ex Sacra Scriptura quòd in inferno nulla eſt redemptio , ex quo ſequitur quòd in cœlo , qui eſt locus inferno oppoſitus , nulla eſt interruptio , ut monet Sap. cap. 5. verſ. 16. & 17. dicens : *Juſti autem in perpetuum vivent , & apud Dominum eſt merces eorum , & cogitatio illorum apud Altiſſimum ; ideo accipient regnum decoris , & diadema ſpeciei de manu Domini , quoniam dextera ſua teget eos , & brachio ſancto ſuo defendet illos.* *Sap. 5* Nam in perpetuum vivere , & apud Dominum mercedem habere , dextera Dei regi , & brachio ſancto ſuo defendi , denotat Beatum non poſſe interrumpi , nec ceſſare à viſione , & fruitione divinitatis in quibus conſiſtit beatitudo noſtra , quam nemo poteſt ab ipſis Beatis auferre , ut ait Chriſtus Joan. 17 *Joan. 16* verſ. 22. *Gaudium nemo tollet à vobis.*

Deindè ſi à beatitudine ad miſeriam deſcenderent Beati , & à miſeria iterum ad beatitudinem aſcenderent , ut ſomniavit Origenes , certum eſt primò quòd Beati non eſſent liberi à morte æterna , *beatitudo eſt æterna.* nec à pœnis ; cùm miſeria inferni ſit ſumma pœna ; & damnatio ſit mors æterna , ultimumque ſupplicium ; ſed hoc eſt falſum , nam Sap. cap. 3. verſ. 1. habetur. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt , & non tanget illos tormentum mortis.* Et Apocal. 21. verſ. 4. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum , & mors ultrà non erit , neque luctus , neque clamor , neque dolor erit ultrà , quia prima abierunt* : Igitur Beati erunt in *Apocal. 21* æternum beati. Et in æternum manebunt in gloria , quia D. Joannes loquitur de his , qui ſunt in civitate nova Jeruſalem , quæ eſt cœlum empireum , in quo cum Chriſto regnant Beati , & regnabunt in æternum.

Certum eſt ſecundò quòd gaudium Beatorum non eſſet plenum ; cùm certitudo , aut metus amittendi bonum , in ipſius poſſeſſione minuat gaudium. At *D. Bern.* qui hoc eſt falſum , ut conſtat ex D. Joan. loco citato , ideoque beatitudo eſt æterna , & Beati videbunt Deum in æternum. Unde D. Bernardus loquens de excellentia divinæ viſionis , meritò , ait : *Illa viſio ſtat quia forma ſtat , quæ tunc videtur , eſt enim , nec ullam capit , ex eo quod eſt , fuit , vel erit mutationem.* Quoniam viſio beatifica eſt indiſſolubilis unio objecti cum potentia , ſcilicet eſſentiæ divinæ cum intellectu , & voluntate Beati.

Scripturæ Sacræ addi poteſt ratio : nam beatitudo debet excludere omne malum ; cùm ſit ſtatus perfectus omnium bonorum , & ſumma fœlicitas *Exod. 33* ut colligitur ex ſuprà dictis , in Apocalyp. Et ex illo Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum* ; ſed ſi non eſſet perpetua (ut voluit Origenes) multa mala pateretur beatus , utpotè metum , & timorem amittendi quod amat , & deſcendendi in infernum , in quo ſempiternus horror inhabitat. Igitur beatitudo eſt ſtatus æternæ durationis , & immortalitatis , aut eſt regnum cujus non eſt finis.

Dicent forſan Origeniſtæ , animã , quæ jam beatitudinem adepta eſt , ignorare ſuam beatitudinem eſſe amiſſibilem. Et ideo beatos nullum timorem habere , nullumque metum. Reſpondeo hoc implicare , quia notitia æternitatis regni cœleſtis ſpectat *Vani Origenis reſponſio.* ad fœlicitatem ; ideoque beati , qui ſummé fœlices ſunt , habent illam æternitatis cognitionem , quia ex illa ſola naſci poteſt ſecuritas , quam neceſſariò includit ſtatus omnium bonorum , ſeu beatitudo.

Inſuper beati in patria vident ea , quæ crediderunt , cùm fidei ſuccedat clara Dei viſio , & ſic videant in civitate Domini virtutum , ſicut audierunt , teſte Propheta Pſal. 47. verſ. 9. ergo beati ſciunt ſtatum beatitudinis eſſe æternum , & Deum noſtrum fun- *Pſal. 47.* daſſe hanc civitatem Jeruſalem in æternum permanſuram , ut teſtatur idem Propheta loco citato , ubi ait : *Sicut audivimus ſic vidimus in civitate Domini virtutum , in civitate Dei noſtri , Deus fundavit eam in æternum.* Non pro ſe ipſo , quia Deus eſt eſſentialiter æternus , & æternùm beatus ; cùm cognoſcet ſe in æternum ; ſed pro ſuis Electis : ergo beati in æternum videbunt Deum , & fulgebunt in perpetuas æternitates.

Eidem inſtantiæ Origeniſtarum reſpondeo iterum. Si Origenes credat Beatos neſcire beatitudi- *Altera ad Origenis inſtantiam reſponſio.* nem eſſe amiſſibilem , tenetur fateri ſe eſſe peritiorem beatis , quoniam ipſe in hoc ſæculo novit beatitudinem non eſſe æternam , & beati ignorant in cœlo futuram miſeriam , ſeu neſciunt beatitudinem habere finem , ut ipſe Origenes tenet ; ſed hoc eſt abſurdum : ergo beati ſunt in æternum beati , & ſe tales eſſe noſcunt in eſſentia divina , in qua tamquam in ſpeculo vident omnia , præſertim ea , quæ ad fœlicitatem ſpectant.

Altera ratio eſt. Quia beatitudo conſiſtit in actu viſionis , aut fruitionis Dei , qui non poteſt deficere per voluntatem beati (licet ipſamet fruitio non ſit actus eſſentialiter neceſſarius , ſed liber ab intrinſeco , ut volunt Scotiſtæ noſtri) quia nemo poteſt velle ſe non eſſe beatum , nec beatus poteſt velle privari ſua beatitudine , quæ conſiſtit in poſſeſſione perfecta boni infiniti. Præterea objectum beatificum eſt infinitè amabile , & ideo voluntas non poteſt non amare illud. Nec poteſt hæc fruitio deficere per voluntatem Dei , quia Deus numquam aufert ſupernaturale bonum alicui ſemel collatum , niſi in pœnam peccati , quod committi nequit à Beatis.

Scriptura Sacra declarat quod regnum Dei non habebit finem. Nam Luc. 1. cap. Gabriel Angelus , Mariam alloquens de Verbo incarnando , inquit : *Regnabit in domo Jacob in æternum , & regni ejus non erit finis.* *Luc. 1.* Domus autem Jacob , illa eſt , quæ alibi vocatur domus Iſraël , ſcilicet gloria cœleſtis , quâ potitur Iſraël. Undé cùm ex Gabrielis oraculo , Chriſtus ſit regnaturus in æternum in domo Jacob , neceſſé eſt quòd domus Jacob , de qua loquitur Angelus , ſit æterna ; ſed hæc domus Jacob eſt gloria cœleſtis : ideo gloria Sanctorum non poteſt deficere ; cùm ipſi Electi regnaturi ſint cum Chriſto , qui regnabit in æternum in Splendoribus Sanctorum.

Deindé Beati ſunt regnum Chriſti , juxtà illud Apocal. cap. 5. verſ. 9. & 10. ubi legitur : *Et can-* *Apocal. 5.* *tabant* , id eſt Beati , *canticum novum , dicentes , dignus es Domine accipere librum , & aperire ſignacula ejus , quoniam occiſus es , & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo , ex omni Tribu , & lingua & populo & natione , feciſti nos Deo noſtro regnum* : Ideoque ſi regnum Chriſti ſit æternum , neceſſé eſt quòd beatitudo , quâ homines ſunt Beati , ſit perpetua , & in æternum duratura. Inſuper dum Chriſtus dixit Pilato , *Regnum meum non eſt de hoc mundo* , Joan. 18. verſ. 36. loquebatur de Beatis , & Juſtis , qui non ſunt de hoc mundo , ali-

Digitized by Google

bi enim loquens de Juſtis. Joan. 15. verſ. 19. ait: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* His verbis etiam conſtat, beatos eſſe regnum Chriſti; undé cùm regnum Chriſti ſit ſine fine, ſequitur quod beati numquam deficient, & erunt in æternum beati, ut credidit David Pſal. 72. verſ. 26. dicens: *Pars mea Deus in æternum.*

Joan. 15.

Idem docet D. Petrus epiſt. 1. cap. 1. verſ. 4. ubi vocat beatitudinem, hæreditatem immarceſſibilem conſervatam in cœlis; ubi beati vivent in æternum, & ſtabunt in conſpectu Dei perenniter laudantes Deum, ut iterùm monet David Pſal. 83. dicens: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

1. Petr. 5.

Tandem ſi viſio beatifica aliquandò deficeret, hoc provenirent procul dubio ex aliquo ex his, quæ ad ipſam concurrunt; ad viſionem autem concurrunt intellectus, lumen gloriæ, & objectum præſens. Intellectus & lumen gloriæ non poſſunt deficere, quia ſunt entia ſpiritualia; acproinde incorruptibilia. Deus qui eſt objectum illud, quod intellectus intuetur, eſt ſemper præſens: igitur nullus beatus ceſſabit à viſione beatifica.

Viſio beatifica eſt inde fectibilis.

Dicent Origeniſtæ; Deum eſſe objectum liberum reſpectu Beatorum; cùm ſe illis liberé repreſentet, & ideo poteſt ſe non manifeſtare, quamvis non ſit in poteſtate beati, ceſſare ob ſummam delectationem ex viſione beatifica provenientem.

Reſpondeo præmiſſo antecedente, negando conſequens de via ordinaria, nam ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus ſua gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit; niſi ab eis prius deſeratur.* Eadem ratione ſemel juſtificatos, & glorificatos viſione beatificâ; non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur, ſed beati non poſſunt deſerere Deum, hoc eſt, à Deo ut objecto beatifico recedere, nedum ratione manutenentiæ Dei, ſed etiam ratione infinitæ amabilitatis, aut bonitatis objecti: Ergo neque ab eo deſeri, id eſt, nec Deus occultabit ſe illis, quia Deus licet ſe liberè manifeſtet beatis, tamen manifeſtabit ſe in æternum ſicut promiſit Electis.

§. II.

Solutio ad Argumenta contraria.

FUndamentum Origenis lib. 1. Periarch. cap. 6. eſt, quia beatitudo poteſt amitti per peccatum, & peccatum poteſt committi à beatis, exiſtimat enim homil. 13. in Luc. bonos Angelos poſſe peccare, imò de facto, Angelos, qui ad cuſtodiam noſtram mittuntur, aliquas culpas committere in miniſteriis ſuis; idque probat ex illo Job. 4. verſ. 18. ubi ait: *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis réperit pravitatem*: Igitur beati nedum poſſunt peccare: ſed etiam habent peccata, & ſic quilibet ipſorum eſt mutabilis, ut eſt manifeſtum ex illo ejuſdem lib. Job cap. 15. verſ. 15. *Ecce inter Sanctos ejus nemó immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus.* Nam hic textus per Sanctos, & per cœlos, intelligit animas, quæ ſunt extrà viam, quia Job intendit exprimere, malitiam hominum, & argumentatur a perfectiori ad minus perfectum, cùm ſtatim addat: *Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?* Ex his & aliis ſimilibus Sacræ Scripturæ locis, Origeniſtæ inferunt, beatitudinem non eſſe perpetuam, ſed poſſe amitti per peccatum, quod à beatis committi poteſt in patria, in qua peccant Angeli, cùm animæ beatæ non ſint perfectiores, nec ſanctiores Angelis.

Præcipua Origenis ratio.

Reſpondetur negando ſuppoſitum, ſcilicet beatos poſſe peccare, ut facilé colligitur ex illo Apocal. 21. verſ. 27. *Non intrabit in eam*, id eſt, in civitatem ſanctam Jeruſalem, *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.* Nam ſi peccator non poſſit intrare in regnum cœlorum, certum eſt, quod nullum poteſt in ipſo committi peccatum. Argumentum hujus rei eſt. Quia ut quis peccet, neceſſé eſt quòd non amet Deum. Et ut beatus peccet neceſſe eſt quòd ceſſet ab amore Dei: ſed beatus, ut jam dixi, non poteſt ceſſare ab amore Dei, nec à viſione beata propter infinitam bonitatem Dei: ergo neque poteſt peccare.

Reſponſio ad rationem Origenis.

Ad authoritates dico quoad primum membrum; quòd prima intelligenda eſt de hominibus viatoribus; qui debent Deo ſervire, ut ipſis præcipitur in variis Sacræ Scripturæ locis. Secundum membrum, quod eſt de Angelis, debet intelligi de his, qui ceciderunt de cœlo, non verò de Angelis beatis, qui in gratia & dilectione Dei permanſerunt. Secunda authoritas quoad primum membrum debet intelligi de viris juſtis in gratia exiſtentibus, inter quos nemo eſt immutabilis, cùm nullus eorum ſit in gratia confirmatus, nullus ſit in termino, & ſepties in die cadat juſtus.

Nec valet ratio in contrarium addocta, ſcilicet, Job loqui de Sanctis exiſtentibus extrà viam, & conſequenter de Beatis; eo quod ſermo ejus ſit comparativus ad hominem. Non valet inquam quia ibi Job non loquitur de Sanctis, & de homine præciſé, ſcilicet quatenus eſt viator, ſed de homine peccatore, ſeu de homine, qui quaſi aquam bibit iniquitatem, acproindé non intendit aſſerere, beatos non eſſe immutabiles, ſed ſolùm juſtos, quorum plures ſæpé peccant. Ad aliud membrum dico ex authoritate ſupra citata; quòd debet intelligi de cœlis materialibus, qui non ſunt mundi in conſpectu Dei, aut comparativé ad Deum, non verò de beatis, qui ſæpé dicuntur ſtellæ, aut cœli.

Dicent Divum Hieronymum exponendo hæc verba Michææ cap. 6. verſ. 1. *Audite quæ Dominus loquitur: ſurge, contende judicio adverſum montes.* Per montes intelligere Angelos: ergo ex Scriptura Sacra, Angeli ſunt judicandi. & ideo in cœlo, Angeli, & Beati poſſunt peccare.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia Angeli vocandi ſunt ad judicium, non ut damnentur, aut denuncientur ut peccatores, ſed ut ſint præſentes, & aſſiſtant tamquam teſtes contrà damnatos. Vel dico, Prophetam per montes ibi non intelligere Angelos, nec Beatos, ſed Prælatos, ſeu illos quibus commiſſa eſt animarum cura, adverſus quos futurum eſt judicium, ut reddant rationem eorum, quibus præſunt, & quorum ſunt Paſtores, aut Angeli cuſtodes. Nam Epiſcopi in Sacra Scriptura, vocantur Angeli propter analogiam officii, quoniam ſicut Angeli deputantur ad tuendas animas, ſic Epiſcopi, & paſtores animarum deputantur ad regendas, & paſcendas Oves Chriſti.

Angeli non ſunt judicandi.

ARTICULUS XXVII.

Confundit Millenarios.

PEr Millenarios hîc impugnandos, non intelligimus eos de quibus locuti ſumus in primo libro, in quo adverſus Cerinthianos refellitur Millenarium, & terrenum Chriſti regnum poſt generalem reſurrectionem in terris poſſidendum ab Electis. Sed intelligimus eos, qui docuerunt, Sanctorum animas poſt ſuam è corporibus ſolutionem, non eſſe viſuras Deum facie ad faciem, niſi poſt judicium univerſale.

explicatur ſtatus articuli.

Non deſunt Doctores, qui utroſque in unum confundunt, ſeu qui putant, eos, quos impugnavimus in primo libro. Et illos, quos hic impugnaturi ſumus, eſſe ejuſdem & unius Sectæ, quæ eſt Chiliaſtarum. Porrò ſatis diverſos eſſe conſtat, ut facilè colligi poteſt ex dictis loco citato & ex dicendis infra. Nam priores volebant, poſt univerſalem reſurrectionem, Chriſtum Dominum cum Sanctis per mille annos regnaturum in ſancta Civitate Jeruſalem terreſtri in qua pro nobis mortuus eſt. Poſteriores verò in hoc articulo impugnandi, negant regnum illud terrenum futurum, & dicunt, nullam animam quantumvis purgatam, ſive per pœnitentiam, ſive per ignem purgatorij introire in regnum Dei, antequam apparuerit in ultimo judicio ſimul cum corpore. Maxima eſt igitur inter utroſque hæreticos differentia.

§. I.

Enumerat Millenarios.

HUjus opinionis author fuit (teſte D. Hieronymo lib. de viris illuſtribus) S. Papias Hieropolytanus in Aſia minori Epiſcopus, Joannis non Evangeliſtæ (ut credit noſter Alphonſus à Caſtro, verbo *Beatitudo*, hæreſi 2.) ſed Senioris, ſeu Preſbyteri auditor, & S. Polycarpi familiaris, ut refert Martyrologium Romanum, die 22. Februarij. Hæc opinio poſteà plures habuit defenſores (præter Græcos & Armenos) inter quos D. Hieronymus loco laudato numerat Irenæum, Apollinarium, Tertullianum, Victorinum Pictavienſem, & Lactantium. Guido Carmelita, & alij numerant Theophilatum Bulgariæ Epiſcopum, quia exponens illud D. Pauli ad Heb. cap. 11. verſ. 39. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem*, ait: *Cur puſillo animo eſtis, ſi certando exagitati nondum ſitis pro ſuſceptis laboribus mercedem adepti? Quandoquidem quos diximus ſanctos, & ſi teſtimonium per fidem ſunt nacti, Deo plus placuiſſe, nihil tamen adhuc cœleſtium promiſſorum ſunt conſecuti, tametſi fuiſſe conſtat nonnullos, ut Davidem Regem his terra bona affectos, aut tamen præſentia hæc ipſi inquirimus, ſed quæ in cælo ſunt, certiores & veras promiſſiones.* Idem tenet in aliis locis, in quibus evidenter demonſtrat, animas ante corporum reſurrectionem, non eſſe beatas.

de hujus hæreſis defenſoribus.

Hic tamen obiter obſervandum eſt quòd D. Irenæus Beati Polycarpi Diſcipulus. S. Photini Epiſcopi Lugdugnenſis Presbyter & ejuſdem in Epiſcopatu ſucceſſor Et alij à D. Hieronymo ſupra relati, non fuere verè Millenarij Chiliaſtæ; licet cùm ipſi docuerint, animas ſanctas, & purgatas non videre Deum ante generalem corporum reſurrectionem. Ratio hujus differentiæ eſt, quia Chiliaſtæ nedum putant, nullam animam videre Deum ante judicium ſed addunt quòd cùm venerit Chriſtus de cœlo, mille anni erunt iterum nobis ad carnaliter vivendum, generandum, & ad manducandum cum Chriſto in terra. Quòd dictum, aut additum fuiſſe à præcitatis Authoribus, non conſtat.

utilis obſervatio.

Addunt inſuper Chiliaſtæ quòd pœna non datur peccatoribus ante ultimum judicium; quòd prænominati Doctores non dixerunt, & ideo non debent propriè dici Chiliaſtæ. Nec poſſunt inter hæreticos in hac materia computari, quia tempore D. Irenæi, & aliorum, res hæc, ſcilicet de reſurrectione corporum expectanda ab Electis poſt mortem, ut viderent Deum in patria, nondum fuerat agitata ab Eccleſia, & determinata. Quapropter cuique liberum erat prout volebat, ſentire. Tamen veritas conſtans eſt, plures maluiſſe credere, animas ſanctas, & prorſus purgatas, ſtatim poſt mortem recipi in gloriam, & videre Deum intuitivè, quàm ipſas animas purgatas ab omni peccato, & à corpore ſeparatas, expectare reſurrectionem corporum pro vita æterna conſequenda.

error Chiliaſtarum.

Non deſunt Scriptores aſſerentes D. Bernardum etiam fuiſſe defenſorem opinionis Irenæi, Lactantij, & aliorum in ſerm. de omnibus Sanctis, ubi ait: *In illam beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis, id eſt, nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne*, idem declarat in ſermone proxime ſequenti etiam de omnibus Sanctis, ubi de Sancto Malachia loquens ſic ait: *In hunc ergo locum Salvator deſcendens contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eductoſque vinctos de domo carceris, ſedentes quidem, hoc eſt, quieſcentes, ſed in tenebris, & umbra mortis, jam tunc quidem ſub altare Dei collocavit, abſcondens eos in tabernaculo ſuo in die malorum, & protegens eos in abſcondito tabernaculi ſui donec veniat tempus in quo procedant, completo jam numero fratrum, & percipiant regnum, quod eſt paratum ab origine mundi.*

exponitur vera mens D. Bernard.

Sunt aliæ ejuſdem D. Bernardi authoritates, quæ evidenter probant, ipſum D. Bernardum, docuiſſe opinionem Papiæ, & aliorum, nimirum Sanctos non percipere regnum, quod eis paratum eſt, donec compleatur numerus fratrum, id eſt, ante diem judicij univerſalis. Tamen plures recentiores aliter ſentiunt de D. Bernardo, aſſerentes, ipſum non loqui de beatitudine ſolius animæ, quæ in viſione intuitiva Dei conſiſtit, ſed loqui de totali ſeu completa, & adæquata hominis beatitudine, quæ comprehendit ſimul animæ & corporis glorificationem, quæ certò non habebitur niſi poſt reſurrectionem generalem. Eorùm ratio eſt, quia idem Sanctus Doctor in aliis locis & præcipuè ſerm. 2. de Sancto Malachia Epiſcopo expreſſè docet, Juſtorum animas è corpore ſeparatas videre Deum, ibi enim ait: *Non immerito hodiè Malachias in conſortium Angelorum recipitur, quando pari cum Angelis gloria, & fœlicitate lætatur.* Quantum ad nos ſtat poſteriorum Doctorum ſententiam tenemus, ideoque credimus D. Bernardum, natione Burgundum, patriâ Fontanum, nobili ſtirpe natum, profeſſione Monachum, virum ingenio præditum, ſublimi eruditione mirabilem, virum verè Apoſtolicum, potentem ſermone & opere, non fuiſſe Millenarium, ſi talis quidem fuiſſet, aliter ſcripſiſſet de Malachia Epiſcopo, quem in Angelorum conſortium receptum, & fœlicitate donatum, prædicat.

Adrianus Papa VI. refert Joannem XXII. hujus nominis Pontificem, ſecutum fuiſſe opinionem Tertuliani & aliorum. De eo enim in ſuo quarto ſententiarũ, in calce cujuſdam quæſtionis de Sacramento Confirmationis, ſic loquitur: *Noviſſime fertur de*

Joan. XXII non fuit Millenarius

Joanne vigeſimo ſecundo quod publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animæ purgatæ ante finale judicium, non habent ſtolam, quæ eſt clara & facialis viſio Dei. Et Univerſitatem Pariſienſem ad hoc induxiſſe dicitur, quod nemo in ea poterat gradum in Theologia adipiſci, niſi primitus hunc errorem juraſſet ſe defenſurum, & perpetuò ei adhæſurum. At Doctores quorum partem tueor, reſpondent, Adtianum Papam VI. non loqui aſſertivè, ſed ex vulgari, quæ hæreticorum dolo diſſeminabatur opinione, ut conſtat ex propriis verbis relatis: ait enim, *Noviſſimè fertur de Joanne XXII.*

Addunt alium teſtem, utpotè Gerſonem aſſerentem hanc Joannis XXII. opinionem fuiſſe improbatam à ſacra facultate Pariſienſi. Quod probat, hunc Summum Pontificem fuiſſe Millenarium. Sed reſpondent alij, præfatam concionem in qua refertur hoc Gerſonis teſtimonium, non eſſe genuinum, ſed ſpurium illius fætum. Tum quia ſtylus hujus concionis de Paſchate coram Rege Chriſtianiſſimo habitæ Gerſonio adſcriptæ tam demiſſus & barbarus eſt, ut à nullo ſapiente ei tribui poſſit. Tum quia exiſtit decretum Facultatis Pariſienſis Joannem XXII. juſtificans, quod certò non ignorabat Gerſonius: ergo Joannes XXII. non fuit aſſertor, nec defenſor Millenariorum. Quòd verum eſſe ſic probo authoritate Benedicti XI. Joannis ſucceſſoris, qui ut ſui prædeceſſoris labefactatam famam repurgaret, & reſtitueret, hoc publicum diploma edidit.

Bulla Benedicti XI.

Benedictus &c. ad perpetuam rei memoriam, ſicut habet humana natura corruptio, quòd dictum unius facile ſequitur multitudo, quodque minores dicta majorum, in deteriorem partem frequenter interpretari nituntur, ſic habet rectæ rationis ordo, cui teſtimonio Sanctorum Patrum aſſiſtit, quod facilitati, & interpretationi hujuſmodi ſemper veritas prævalet rei geſtæ; ſanè cum jam dudum per nonnullos revocatur in dubium, an animæ à corporibus ſeparatæ, & à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ ante reſumptionem corporum, videant divinam eſſentiam, illa videlicet viſione, quam vocat Apoſtolus facialem, & ſuper hoc tam in ſermonibus, quàm in alijs collationibus, & collocutionibus per fœlicis recordationis Joannem XXII. Papam prædeceſſorem noſtrum, & plures alios in ejus præſentia, multa dicta, recitata, ſcripta, & prædicata fuiſſent. Volens idem prædeceſſor verbis & linguis malignantium obviare anno MCCCXXXIV. indictione ſecunda, die tertia menſis Januarij, S. R. E. Cardinalibus de quorum numero tunc eramus, multiſque Prælatis in ſacra Theologia Magiſtris, aliiſque perſonis, & Tabellionibus publicis in Conſiſtorio Apoſtolico coram eo perſonaliter conſtitutis, dixit, aſſeruit, & proteſtatus extitit ſub hac forma.

Nè quis ſiniſtrè interpretari poſſit nos ſenſiſſe aliquid, aut ſentire quod Scripturæ Sacræ obviet, aut fidei Orthodoxæ, dicimus & proteſtamur expreſſe &c: quod quidquid in quæſtione, ſeu materia viſionis animarum; videlicet an animæ à peccatis, & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam eſſentiam, illa viſione quam Apoſtolus vocat facialem, ſeu quacumque alia de iſta materia in ſermonibus, & collationibus noſtris diximus, allegavimus ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, ſeu credere quod eſſet quovis modo Scripturæ Sacræ obvium, vel contrarium fidei Orthodoxæ, ſed illud ſolum tenere, & credere, quod & Scripturæ Sacræ poteſt, & poterat, & Catholicæ fidei convenire, & ſi forſan in prædictis ſermonibus, vel collationibus aliquid diximus quæ vel Scripturæ Sacræ, ſeu fidei Orthodoxæ quovis modo eſſent, vel viderentur obvia, ipſa præter intentionem à nobis fuiſſe prolata dicimus & aſſerimus, eaque revocamus expreſſè, non intendentes illis adhærere, nec in ea præſenti defendere, nec etiam in futuro.

Hæc authoritas Benedicti Papæ XI. & proteſtatio Joannis XXII. debent præferri authoritati, quæ eſt Adtiani VI. cùm hæc ultima, ſeu Adriana non ſit aſſertiva ſicut altera. Et inde debet concludi, Joannem XXII. non fuiſſe Millenarium, huncque fuiſſe falsò accuſatum à malevolis Bavarici ſchiſmatis ſequacibus, fidem Summi Pontificis, & doctrinam undique calumniis laniare volentibus.

De hac juſtificatione Joannis XXII. exiſtit teſtimonium, aut deliberario ſacræ facultatis Pariſienſis facta die 2. Januarii, anno Domini MCCCXXXIII. cujus tenore de verbo ad verbum ex Archivis ejuſdem facultatis deſcripſiſſe teſtatur Fraſſenius noſter, Doctor Sorbonicus. Tom 1. diſput. 3. artic. 7. ſeſſ. 1. quæſt. 5. ubi eamdem declarationem refert.

§. II.

In quo probatur authoritate Eccleſiaſtica Articuli Veritas.

Florentinæ.

MIllenariorum errorem damnat Synodus Florentina ſeſſ. ult. in decreto unionis ubi legimus. *Definimus, animas illorum, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrunt, eas etiam animas, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exules corporibus ſunt purgatæ, in cœlum ſine mora recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum.* Idem colligitur ex Trident. ſeſſ. 25. de invocatione Sanctorum, ubi habetur: *Illos verò qui negant, Sanctos æterna fœlicitate in cœlo fruentes, invocandos eſſe &c. omnino damnandos eſſe prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Idem Concilium eamdem veritatem contra Millenariorum errorem decreverat ſeſſ. 5. de peccato originali: *Si quis Jeſu Chriſti &c.*

Tridentinum

Decreta Innocentii III. & Benedicti XI.

His duobus Conciliis addo authoritatem duorum Summorum Pontificum, ſcilicet Innocentii III. & Benedicti XI. ſuprà relati. Innocentius III. interrogatus an omiſſio baptiſmi noceat credenti probabilitèr ſe eſſe baptizatum, reſpondet, & veritatem hujus aſſertionis demonſtrat in ſua reſponſione, quæ habetur in can. *Apoſtolicam* de Presbytero non baptizato, ubi legimus: *Unde inquiſitioni tuæ totalitèr reſpondemus, Presbyterum quem ſine unda baptiſmatis diem extremum clauſiſſe ſignificaſti, quia in Sanctæ Matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctantèr.*

Benedictus XI. hujus nominis Pontifex, aliam multò uberiorem, & expreſſiorem de hac re dedit definitionem in Bulla quæ incipit: *Benedictus Deus in donis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis.* Data Avenione IV. Kalendas Februarii, Pontificatus anno II. Sunt aliæ authoritates Summorum Pontificum, quæ expreſſe repellunt Millenariorum errorem, ſed eas omitto.

§. III.

De probationibus ex Sacra Scriptura Deſumptis.

ANimas ſanctas & perfectè purgatas non expectare ultimum judicium conſtat ex illo ſolemni teſtimonio Chriſti (in cruce pendentis pro totius mundi ſalute) dicentis Latroni, Luc. cap. 13. *Hodiè mecum eris in Paradiſo*, qui quidem Paradiſus eſt locus Beatorum, ſeu locus in quo Deus dat Electis ſuis mercedem promiſſam, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſemet Deus, qui dixit Abrahamo: *Ego ero merces tua.* Hoc quidem nomine Paradiſi, non poteſt deſignari Paradiſus terreſtris, tum quia per illam promiſſionem, Chriſtus Dominus conſortium ſuum repromittit Latroni, ſed Chriſtus poſt reſurrectionem non fuit in Paradiſo terreſtri, aſcendit enim in Cœ- Luc. 13.

lum: ergò nec Latroni fuit promiſſus idem Paradiſus terreſtris.

Nec poteſt intelligi ſinos Abrahæ, in quo animæ à corpore ſolutæ nullam fœlicitatem recipere poſſunt: ergo tantùm ſignificatur cœlum Empireum, nedum bono Latroni, ſtatim poſt mortem ſine mora dandum, ſed etiam omnibus illis, qui eo digni ſunt, & ad quod pervenire meruerunt, ut ſuadet illud Levitici
Levit. 19. cap. 19. *Non morabitur opus mercenarii apud te uſque mane*, quæ quidem merces promiſſa electis, nihil aliud eſt, niſi intuitiva Dei viſio, quæ juxtà mandatum Dei confertur, finito operationis tempore, ſcilicet poſt mortem, ſi anima nullam habeat maculam purgandam. Unde D. Jacobus cap. 1. ait: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Homo autem non probatur, ſeu non tentatur, nec militat
Jacob. 1. adverſus carnem poſt mortem, ut eſt evidens; cùm expleta vita, non ſit illi amplius locus merendi, vel demerendi, & ſtatim ſequatur judicium particulare, juxta illud ad Heb. cap 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium:* Igitur corona, quæ eſt
Hebr. 9. vita æterna, ſeu viſio beatifica confertur probaris, ſeu electis perfectè purgaris, expleto tempore probationis; quin neceſſe ſit expectare judicium univerſale.

Tandem Chriſtus promittendo Latroni Paradiſum, promiſit quod ipſe Latro petebat, quod nihil aliud eſt, niſi videre Deum poſt mortem: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, hoc eſt, fac ut tecum ſim in regno tuo: & ideo Chriſtus dicens: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, non promiſit Paradiſum terreſtrem, nec ſinum Abrahæ, ſed cœlum Empireum, non poſt reſurrectionem generalem corporum; ſed hodiè, id eſt, ſtatim poſt mortem.

Nec valet dicere, vocem *hodiè* debere conjungi cum *dico*, ità ut faciat hunc ſenſum: *Amen dico tibi hodiè, mecum eris in Paradiſo.* Non valet inquam, quia Latro videbat Chriſtum loqui actualiter, & ipſe Chriſtus ſciebat, Latronem velle ſtatim poſt mortem intrare in regnum Dei & ibi cum ipſo regnare; nam dicens Chriſto, *dum veneris in regnum tuum*, denotavit Diem, qua Chriſtus eſſet in illo regno & voluit ibi ſimul cum eo eſſe ſtatim poſt mortem.

Eadem veritas confirmatur hac ratione. Anima peccatoris ſuſtinet ſupplicium ſtatim poſt mortem, ut probat illud Job cap. 21. verſ. 13. *Ducunt in bonis*
Reprobi ſtatim poſt mortem deſcendunt in infernum. *dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, dicit *in puncto*, ad excludendam omnem moram poſt mortem, ut declarat illud, quòd de divite Epulone apud Lucam dicitur cap. 16. *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*; cùm ſtatim poſt mortem ſequatur ſepultura, idcireò anima ſancta, & ab omni macula prorsùs purgata, ſtatim poſt mortem habebit præmium, aut hæreditatem filiorum Dei, quæ in ſola viſione beatifica conſiſtit. Ratio hujus illationis, aut paritatis eſt. Quia Deus pronior eſt ad miſericordiam, quàm ad juſtitiam. Et ad præmium, quàm ad pœnam. Unde D. Jacobus cap. 2. verſ. 13. in-
Jacob. 2. quit: *Miſericordia Deo ſuperexaltat judicium.* Et David: *Miſericordia Domini plena eſt terra.*

Hanc ipſam veritatem de Beatitudine non differenda uſque ad reſurrectionem corporum affirmat Paulos ad Philippenſes ſic ſcribens: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Hoc enim dicit. Quia ſperabat ſtatim poſt mortem frui Deo viſione Beatifica. Certum quidem eſt quòd non cupiebat mori terminativè, ita ut mors eſſet finis ultimatus ipſius, cùm alibi dixerit: *Cupimus ſemper ſupervestiri, & nunquam ſpoliari*, ſed cupiebat eam tanquam medium immediatum, & neceſſarium ad illicò aſſequendam vitam æternam; alioqoin inane, & inutile fuiſſet deſiderium Pauli, ſi ipſo mortuo, anima nondum poſſet pervenire ad cœlum Empireum, in quo eſt Chriſtus. Inutile fuiſſet etiam Stephano morienti videre cœlos apertos, & Chriſtum ſtantem à dextris virtutis Dei, ſi ſtatim poſt mortem non potuiſſet frui Deo, ſed hoc eſt falſum: Stephanus verò ſperabat videre & frui Deo, ideo dicebat: *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.*

Divus Ambroſius in Commentarijs eadem verba Apoſtoli expoens confirmat hanc rationem, ibi enim inquit: *habet deſiderium excedere, & cum Chriſto* *D. Ambroſ.* *eſſe, multo melius exiſtimans, ut jam præſens ſit apud Deum, ut ex optatis & promiſſis fruatur.* Huic expoſitioni favet illud proverb. cap 3. verſ. 28. *Ne dicas amico tuo vade & revertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.* Nam hæc verba ſive ſint de conſilio, ſive de præcepto, clarè demonſtrant quòd Deus impro- *Proverb. 3.* bat differre donum conferendum amico, dum ſtatim poteſt dari & recipi, ſed Deus, qui exurgit in præcepto quod mandat, poteſt dare amicis ſuis, ſeu animabus omninò purgaris, & ſanctis, coronam vitæ, ut conſtat ex illo Eccleſ. cap. 11. verſ. 38. *Quo-* *Eccleſ. 11.* *niam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas*: Et animæ perfectè purgatæ, poſſunt eam recipere: ergo non differt eam uſque in diem Judicij univerſalis, ſed dat illam ſtatim poſt mortem, & perfectiſſimam purgationem, ut ſuadet idem Eccleſiaſticus dicens verſ. 24. *Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat*, alioquin Deus affligeret electos, quia ex Scriptura, ſpes quæ differtur affligit animam. Eſſent enim in continua afflictione, ſi per mille annos, aut uſque ad reſurrectionem corporum expectarent futuram Beatitudinem ſuſpenſam, neque eſſent in pace illa, quæ ex Apoſtolo exuperat omnem ſenſum; cùm non eſſent unitæ Deo unione indiſſolubili, ſeu viſione Beatifica, quòd eſt contrà *Sap. 3.* illud Sap. 3. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace*, ſeu in gloria in qua dumtaxat poſſunt perfectè requieſcere Juſti, & extrà quam nulla eſt requies vera, reſte D. Auguſtino di- *D. Auguſt.* cente lib. 1. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti nos Domine ad te, ideo inquietum eſt cor noſtrum donec quieſcat in te.*

Non parum juvat illud Pſal. 126. *cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Nam David per ſomnum intelligit mortem, & per hæreditatem, *Pſal. 126.* vitam æternam: ergo animæ purgatæ non expectant ultimum Judicium. Unde in officio Martyrum Eccleſia canit: *In cœleſtibus regnis, Sanctorum habitatio eſt, & in æternum requies eorum.* Quam requiem non haberent, ſi nunc non eſſent in pace, ſeu in cœlo perfruentes gloria æterna, quam eadem Sancta Mater Eccleſia optat animabus exiſtentibus in Purgatorio, dum dicit, *requieſcant in pace*, id eſt, in gloria, non poſt Judicium univerſale, ſed modò. Nam ſi animæ in Purgatorio exiſtentes, non poſſent videre Deum, niſi poſt generale Judicium, certò ibi uſque ad tempus illud, vel alibi manerent, ac proindè Eccleſia non oraret, ut pacem illam haberent, ideo cùm oret modò ut requieſcant in pace, ſeu ut aſcendant in cœlum, certum eſt quòd credit, animas Sanctas videre Deum; dum iſti mille anni decurrunt, aut ſtatim poſt perfectam purgationem.

Chriſtus deſcendit ad inferos poſt mortem ſuam, ut ſancit Symbolum Apoſtolorum, nec poteſt alia hujus deſcenſûs aſſignari cauſa, niſi animarum Sanctorum Patrum, & aliorum, qui erant in Symbolo, liberatio à pœna damni, quam ibi ſuſtinebant ob culpam primi parentis, ut infert communis Sanctorum Patrum ſententia, ex eo quod dicitur de Chriſto, Zachariæ cap. 9. *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu.* Act. cap. 2. verſ. 24. *quem Deus* *Zacar. 9.* *ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni.* Et verſ. 27. *quoniam*

non derelinques animam meam in inferno. Pœna autem, *Act. 2.* quam patiebantur animæ Sanctorum in Lymbo, erat (ut jam monui) pœna damni, quæ conſiſtit in carentia viſionis Dei: ergo poſt liberationem illam, animæ Sanctorum Patrum viderunt Deum intuitivè. Quia nullus liberari poteſt à carentia, aut privatione alicujus boni, aut formæ, niſi per receptionem ejuſdem, ut patet de cœco, qui nequit à cœcitate liberari, niſi per viſum; alioquin ſequeretur, quòd Chriſtus liberaſſet animas illas à pœna ſenſus dumtaxát; quòd eſt falſum, quia in Lymbo non eſt hæc pœna, cùm infligatur ad actuale peccatum, & voluntarium, quod non erat in animabus Sanctorum Patrum; vel ſequeretur quòd à nulla pœna eas liberaſſet; quòd eſt etiam falſum: ergo liberavit eas à carentia viſionis Dei per communicatam eis ipſam viſionem b.atam.

Unde Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. ait, *aſcendens*, *Epheſ. 4.* id eſt, Chriſtus, *in altum, captivam duxit captivitatem*; Quòd idem eſt, ac dicere quòd Chriſtus ſecum duxit in cœlum, Juſtos, qui propter primi parentis peccatum, detinebantur captivi in Lymbo, quia in nullum alium locum duxit eos, quàm in illum, ad quem ipſe aſcendit; cum ipſo aſcendente, eos ſecum duxerit. Aſcendit autem in cœlum Empireum; cùm ſedeat ad dexteram Patris, Ideoque in cœlum duxit illam captivitatem, quâ Sancti Patres in Lymbo detinebantur, ut fruerentur vitâ æternâ. Itâ colligitur ex D. Hieronymo in Comment. ſuper Pſalmos, ubi inquit exponendo 19. verſ. Pſal. 67. *Cœlorum excelſa conſcendens eos, qui in captivitate diaboli tenebantur, ab-* *D. Hieron.* *ſolvit, àc poſt ſe tanquam captivos eductos æterna vita reſtituit.*

Animas Sanctorum, beata viſione donari probant Sancti Patres, & præſertim S. Gregorius Niſſenus Orat. Funeb in Pulcheriam, Theodoſi Impe- *D. Gregor.* ratoris Filiolam, ubi ait: *Si a te puella migravit, attamen ad Dominum recurrit; tibi oculum clauſit; verùm ſempiterno lumini aperuit; à tua menſa diſceſſit, ſed ad Angelicam adjuncta eſt; hinc eſt avulſa planta; verùm in Paradiſo conſita eſt, à regno in regnum tranſlata eſt &c.* Idem docent plures alij Sancti Patres, quos omitto brevitatis gratia.

§. IV.

Solvuntur rationes Millenariorum.

Millenariorum ratio deſumitur ex Epiſt. ad Heb. cap. 11. in qua numeratis ab Apoſtolo pluribus viris Sanctis, qui perfectam fidem habuerunt, quique per ipſam fidem vicerunt regna, ſubdit verſ. 13. *Juxtà fidem defuncti ſunt omnes iſti, non* *Præcipua Millenariorum ratio.* *acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram*, inde ipſi Millenarij colligunt, nullam animam eſſe beatam ſtatim poſt mortem; licet ſit ſancta, & purgata ab omni macula; cùm Sancti Patriarchæ defuncti ſint juxtà fidem; & tamen non acceperint repromiſſiones, ſeu mercedem promiſſam, quæ eſt viſio beatifica, imò eam à longè aſpiciant, ſintque peregreni & hoſpites, id eſt, ſint extrà cœlum uſque ad reſurrectionem corporum, & ultimum judicium: tunc enim & non anteà. juſtus Judex reddet unicuique ſecundum opera ſua. Dicet Electis, *Venite benedicti Patris mei &c.* Reprobis verò *diſcedite à me maledicti &c.*

Huic argumento cui multum confidunt Millenarij *Explicatur authoritas Apoſtoli.* reſpondeo, Apoſtolum loqui de repromiſſionibus Patriarcharum corpora concernentibus, nimirùm de dotibus glorioſis, & de reſurrectione corporum promiſſis à Deo Sanctis ſuis, quæ adhuc differuntur uſque ad reſurrectionem generalem. Ait enim idem Apoſtolus, verſ. ultimo ejuſdem capitis: *Deo pro nobis melius aliquid providente ut non ſine nobis conſummarentur*, hoc eſt, ut non ſine nobis reciperent conſummatam beatitudinem, aut integram, & completam fælicitatem, quæ animæ, & corporis glorioſa dona comprehendit. Hujus expoſitionis ratio eſt, quia ex eodem Apoſtolo, verſ. 33. Patriarchæ acceperunt repromiſſiones, quia ait: *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, quæ non ſunt illæ, quæ ſolitò dantur in vita; cùm prius dixerit, verſ. 3. *juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti.* Quo ſuadetur, Apoſtolum loqui de repromiſſionibus, quæ dantur poſt mortem. Nec ſunt illæ, quæ dandæ ſunt corporibus. Quia hæc erunt in ultimo judicio, & in generali reſurrectione, tunc reddet publicè, & ſolemnitèr unicuique ſecundum opera ſua, nedùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus: ergo repromiſſiones, de quibus loquitur Apoſtolus cum ait: *adepti ſunt repromiſſiones*, ſcilicet illi, qui per fidem vicerunt regna, & operati ſunt juſtitiam, ſunt illæ repromiſſiones, quæ debent dari animæ, quarum præcipua eſt viſio beatifica; quam animæ ſanctæ, & prorſus purgatæ obtinent; & ipſâ adeptâ, expectant completam, & conſummatam, quæ animæ & corporis beatitudinem comprehendit, quoniam in illo ſtrictiſſimo judicio actus corporis judicabuntur, & corpora Electorum erunt glorioſa.

Inſtant, & objiciunt illud ad Timoth. 2. cap. 4. verſ. 7. & 8. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona* *Ad Tim. 2. 4.* *juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus Judex, non ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus.* His (inquiunt) Apoſtolus ſuadet, animam non poſſe habere beatitudinem, niſi in die Judicij, quia per *coronam juſtitiæ* intelligit viſionem beatam, & per *illam diem*, intelligit ultimum diem Judicij, ſeu adventum Chriſti Domini: Id eſt dum venerit judicare vivos, & mortuos, dabit mihi coronam juſtitiæ.

Sed non nocet hæc inſtantia. Quia Apoſtolus per ly *in illa die*, intelligit diem mortis, ut conſtat ex verſ. 6. ubi ait: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis* *Solvitur Millenariorum inſtantia.* *meæ inſtat*, ita Lyranus noſter. Eadem explicatio adhibenda eſt verbis Matth. 20. quibus ſcimus omnibus operarijs redditam fuiſſe mercedem cum ſerò factum eſſet, quia *ſero & meridie* non denotant finem mundi, ut volunt Millenarij. Nec Judicium generale, ſed finem vitæ cujuſlibet (ut notat gloſſa interlin.) & Judicium particulare. de quo Apoſtolus ad Heb. loquitur dicens: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Judicium* Hujus autem Judicij cauſa eſt dare premium bonis, malis verò pœnam.

Replicant Millenarij, Chriſtus non aſcendit ad Cœlos ſtatim poſt mortem, ſed tantum poſt reſurrectionem ſuam: ergo homines, quos Deus præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filij ſui, non aſcendent in Cœlum, niſi poſt reſurrectionem.

Reſpondeo negando conſequens, quia conformitas electorum cum Chriſto, non eſt generalis, ità ut quilibet electus teneatur facere quod fecit Chriſ- *Proponitur & ſolvitur altera inſtantia.* tus, aliàs teneretur mori pro omnibus in Cruce, ad inferos deſcendere &c: ſed eſt in modo acquirendi Beatitudinem, nam Chriſtus acquiſivit illam per Paſſionem ſuam, & oportuit ipſum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, ideò homo debet etiam illam taliter acquirere. Hinc eſt, quòd ait: *Qui vult venire poſt me abnegat ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*, ſed non debet reſurgere antequam regnet cum Chriſto in gloria.

Addunt illud Matth. 25. verſ. 34. *tunc*, id eſt in die

in die judicij, ut fatentur omnes expoſitores, *Dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*: Ergo in die judicij, & non anteà, regnum Dei (aut viſio beatifica) dabitur Juſtis: nam ſi illud adepti fuiſſent poſt perfectam purgationem, Chriſtus non diceret tunc ipſis, Electis ſcilicèt, *venite poſſidete*, aut *percipite regnum*, quoniam *venite*, non poteſt dici, niſi his, qui foris ſunt, *& poſſidete*, aut *percipite* niſi his, qui non habent, ſed expectant, ut eſt evidens.

Matth. 25.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia Chriſtus dicet, *venite, poſſidete*, non ut indè colligamus, animas ſanctas tunc recipere præmium meritorum quod non habebant, ſed ſolùm illud recipere cum publico honore ac pompa ſolemni. Hæc reſponſio nequit à Millenarijs rejici, quia tenent quòd reproborum animæ, ſtatim poſt mortem æternis cruciatibus addicuntur, & tamen apparebunt in ultimo judicio. Et Chriſtus dicet eis; *Diſcedite a me maledicti, in ignem æternum*, Quòd nequit ab ipſis Millenarijs intelligi de damnatione præciſè; cùm credant, damnatos, ſeu peccatores ſtatim poſt mortem deſcendere in infernum, ſed ſolùm de publica, & ſolemni manifeſtatione malorum operum peccatorum.

Inſurgunt iterùm, & objiciunt illud 1. Joan. cap. 3. verſ. 2. *Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, ſed (inquiunt) ante diem judicij non apparebit quid erimus, quia tunc, hoc eſt, in die judicij, Deus revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: ergo ante illum diem non videbimus Deum ſicuti eſt; cùm ex D. Joanne non erimus ei ſimiles, niſi cùm apparuerit, quod erimus, & hoc non apparuerit, nec erimus ei ſimiles, niſi per viſionem beatificam.

Joan. 1. ce. 3.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam licet D. Joannes dicat quòd videbimus Deum ſicuti eſt, dum apparuerit quod erimus; tamèn non valet indè concludere, quòd non videbimus eum antequam appareat in ultimo judicio quid erimus, quia hæc particula, *cùm apparuerit &c.* Non eſt excluſiva, nec negativa, ita ut nullus videat eum ſicuti eſt, niſi cum apparuerit quid erimus per judicium univerſale, ut optimè obſervat noſter Alphonſus à Caſtro. Deindè Divus Joannes loquitur de apparitione publica, & reſpectu uniuſcujuſque hominum, ità ut velit quòd tunc apparebit omnibus, quid ſumus, & quid erimus.

Vel reſpondeo D. Joannem loqui de filijs adoptivis viatoribus, qui habent jus ad vitam æternam, aut hæreditatem per gratiam habitualem, quâ ſunt filij Dei, ut notat hæc particula, *nunc filij Dei ſumus*, non autem de comprehenſoribus, qui vitam beatam poſſident, aut adepti ſunt repromiſſiones, quia per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, & ſunt ſimiles Deo, cum videant eum ſicuti eſt. Nam ſi D. Joannes vellet, animas juſtorum, aut filiorum Dei; cùm primum à peccatis perfectè purgatæ ſunt, non eſſe beatas, ſibi contradiceret, quia Apocal. 6. verſ. 11. ait: *Data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*. cùm juxtà communem Sanctorum Patrum expoſitionem, per ſtolam albam intelligatur beatitudo: igitur D. Joannes intendit aſſerere, quòd homines in gratia exiſtentes, ſunt filij Dei licet Deus ſe non manifeſtaverit illis. Et quòd dum eis apparuerit, apparuerit quoque eorum ſtatus finalis, hoc eſt, apparebunt ut poſſeſſores hæreditatis Domini, quæ habetur per viſionem beatificam. Undè cùm filij adoptivi non poſſint frui hæreditate, niſi poſt mortem. Et Deus non appareat eis, niſi poſt mortem, ſequitur, D. Joannem velle, homines juſtos eſſe filios Dei, & poſt mortem fore poſſeſſores hæreditatis Patris Æterni. Nunc apparet quòd ſunt filij Dei, quia dedit illis gratiam, quæ ex Apoſtolo eſt Spiritus, qui teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Et tunc apparebit quòd erunt poſſeſſores, quia videbunt Deum ſicuti eſt, id eſt, Deus dabit eis viſionem beatificam, quam nulla neceſſitas, vel authoritas differt uſque ad ultimum judicium, ut facilè colligi poteſt ex dictis ſupra.

Vera expoſitio textus à Millenariis adducti

His ſuffragatur Apoſtolus 2. Corinth cap. 5. verſ. 1. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in Cœlis.* His verbis Apoſtolus, duas nobis aſſignat habitationes, quarum una eſt in mundo, quâ diſſolutâ per mortem, ſtatim habemus alteram, quæ eſt æterna & in cœlis, ſeu in viſione beatifica conſiſtens. Quamdiù in hac via ſumus ſivè in mundo, mereri, & demereri poſſumus, at poſt mortem ſumus in termino, & nullus nobis reſtat merendi, aut demerendi locus: ergo pœna datur tunc Reprobis. Et gaudium Domini electis perfectè purgatis; cùm peracto labore, ſolitò detur retributio.

2. Corin. 5.

Dicent forſan Millenarij; Apoſtolum loqui de habitatione illa, in qua ipſe audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui Quæ non eſt habitatio Beatorum conſiſtens in viſione Dei.

Sed non valet hæc ratio. Quia Apoſtolus loquitur de habitatione æterna, non in terra, ſed in cœlis, in qua Beati tantum poſſunt habitare, Inſupèr vocat eam civitatem permanentem, hæ autem habitationes, quas Millenarij aſſignant, non ſunt æternæ; cùm credant, animas poſt diem judicij viſuras Deum, aut ibi non amplius manſuras poſt mille annos: igitur diſſolutâ habitatione, quam hîc habemus, ſtatim datur altera, quæ eſt æterna, hoc eſt, conſummato curſu & ſervata fide, datur hæreditas, aut habitatio in cœlis animabus perfectè purgatis.

Tandem objiciunt illud Apocalyp. 6. verſ. 11. *Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ; & dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut illi*, ex quo ſequitur quòd donec compleatur numerus electorum, nullus videbit Deum, ſed numerus ille electorum erit completus in reſurrectione generali; creditur enim quòd Helias & Henoch vivent tempore Antichriſti: ergo nullus eſt in Cœlo beatus, nec erit, niſi poſt ultimum judicium.

Apocalip. 6.

Reſpondeo, locum iſtum eſſe intelligendum de unione ad corpus, quam animæ beatæ deſiderant. Hoc quidem deſiderium complebitur in die judicij, & generalis reſurrectionis, in quâ totus homo beatificabitur, non verò de deſiderio animæ ad vitam æternam, ſeu viſionis Dei; cùm animæ illæ de quibus textus loquitur, ſint Beatæ, ut conſtat ex verbis præcedentibus in eodem verſu: *Data ſunt illis ſtolæ albæ*, quæ deſignant beatitudinem, ut facilè colligitur ex capite ſequenti verſ. 9. ubi Idem S. Joannes ait: *Poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis; ſtantes ante thronum in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Patet igitur animas Beatas habentes ſtolas albas

Reſponſio ad ultimā Millenariorum rationem.

perfrui gaudijs ſempiternis in Cœlo. Hinc eſt, quòd authoritates Sacræ Scripturæ, quæ gloriam noſtram remittunt poſt reſurrectionem mortuorum, non de gloria animæ ſanctæ, ſed de gloria corporis debent intelligi. Certò hæc gloria non dabitur donec compleatur numerus eorum, qui interficiendi ſunt; cùm oporteat nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti.

Idem dicendum eſt de ritu Eccleſiæ, quæ ſæpè ad idem judicium generale remittit gloriam animæ, ut legimus in Hymno Apoſtolorum, *Ut cum Judex advenerit, Chriſtus in fine ſaculi, nos ſempiterni gaudy faciat eſſe compotes.* Quia ibi Eccleſia loquitur de gaudijs univerſis, & omninò completis, inter quæ ſunt gaudia corporis glorioſi. Non verò de gaudijs, & gloria eſſentiali animæ. Ratio hujus expoſitionis eſt. Quia in Hymno ad matutinum ait de Apoſtolis, *vitam beatam poſſident.* Et in Hymno unius Confeſſoris Pontificis ad Laudes, ait: *Qui ritè mundi gaudia hujus caduca reſpuens, cum Angelis cæleſtibus lætus potitur pramys.*

ARTICULUS XXVIII.

Aſſerit contra Vigilantium, Beatos eſſe invocandos.

PRæter Hæreticos, qui purgatorium negant, & communionem Sanctorum improbant, ſunt alij quàmplurimi, qui impugnant ex profeſſo honorem, & invocationem Sanctorum. Primus hujus hæreſis defenſor non eſt Euſtathius Armenus Pſeudomunachus. qui Conſtantij temporibus vixit, & cujus *Euſtathius.* meminit S. Epiphanius hæreſ. XL. Sed Euſtathius Sebaſtienſis Epiſcopus, ut putavere Socrates & Sozomenus, qui temporibus Conſtantini magni Imperatoris, & S. Silveſtri Papæ, circà annum Domini CCCXX. dicebat inter alia impia dogmata, Sanctos non eſſe ab hominibus honorandos, neque invocandos. Ità ſanè loquebatur ille vir impijſſimus, ut homines hìc viventes, Sanctorum qui in Cœlis ſunt defraudaret auxiliis. Fuit ſtatim damnatus ille Hæreticus in Concilio Grangrenſi Provinciali anno CCCXXV. & hæreſis ſopita manſit uſque ad an- *Vigilantius* num CCCCIV. quo tempore quidam hæreticus nomine Vigilantius Presbyter Eccleſiæ Barchinonenſis ſuſcitavit eam, regnantibus Arcadio Imperatore, & Anaſtaſio Papa. Docuit enim (teſte D. Hieronymo ad Riparium, & Deſiderium Presbyteros, ſcribente) Sanctos non eſſe invocandos, nec honorandos. Juxta D. Thomam veritatem fidei impugnabat, pudicitiam odio habebat, contra jejunia declamabat, & Mulierculas peccatis oneratas inducebat, ut earumdem mulierum miniſterio faciliùs poſſet diſſeminare errores, quos poſtea ſunt amplexi Ma- *Mahometes* *petrobruſſiā* *Hẽriciani.* hometes anno DCXXX. Petrus de Brüis, & Henricus Apoſtata, qui anno Chriſti MCXXXV. Sanctorum cultum abrogarunt, & Sanctos noluerunt eſſe invocandos, juxtà impiam doctrinam traditam à Vigilantio. Hujus Hæretici meminit Gennadius in Catalogo. Ibique ipſum Gallum vocat, ſed à Cardinali Baronio reprehenditur.

Vualdiani. Huic Hæretico ſucceſſit alter utpotè Vualdo quidam civis Lugdunenſis, qui anno MCLX tempore Friderici primi Imperatoris, & Alexandri III. nedum dicebat, imagines eſſe tollendas de Eccleſia. Sed etiam Sanctorum feſta auferre conabatur. Ejus ratio erat, quia Sancti non ſunt ab hominibus honorandi, nec invocandi.

Publicani. Eumdem errorem poſt centum, & quatuordecim annos, tutati ſunt quidam Hæretici dicti Publicani in Gallia exorti ſub Philippo III. Francorum Rege, & Gregorio X. Papa, Imperatore Rodolpho Cæſare Germano, circa annum Domini MCCLXXIV. *Vuicleſiſta.* Joannes Vuiclef qui cum ſemper pro Vualdenſium ſecta pugnaverit, noluit in hac parte ab illis deficere, imo mordicus ſuſtinebat & propugnabat inutilia eſſe Sanctorum ſuffragia.

His omnibus Hæreticis ſucceſſerunt Bohemi anno MCCCLXX Joannes Hus: MCCCLXXVII. *Bohemi.* *Huſſita.* *Lutherani.* *Oecolampadius.* Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, & Oecolampadius, qui Sanctorum communionem negantes, docent, Sanctos in cœlo regnantes honore & gloria eſſe indignos, voluntque homines in via ambulantes non poſſe ab ipſis Sanctis adjuvari, ut teſtatur Lindanus in ſuo dubitanti Dialogo ſecundo, ubi ait, *Porphirus, Eunomius, Euſtathius, Vigilantius, alijque Sanctorum miracula aiebant eſſe dæmonum praſtigias, neque eorum reliquias venerandas, neque Sanctos ad auxilium invocandos. Horum inſana dogmata, nunc ab Orco revocant Lutherus, Zuinglius, Calvinus, alijque, prope omnes Evangelici.*

§ I.

In quo ſtatuitur Sanctorum invocatio authoritate Eccleſiaſtica.

HÆc Hæreſis damnata fuit in Concilio Chalcedonenſis actione undecima, ubi de S. Flaviano *Chalcedon.* Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, Dioſcori violentia interempto, ſic dicitur: *Flaviano æterna memoria, ecce veritas, Flavianus poſt mortem vivit, Mar-* *Conſtantinopolitanum.* *tyr pro nobis oret.* In Conſtantinopolitano III. In Conſtantienſi in quo Joannes Vuiclef damnatus fuit In Grangrenſi, & in alijs, quæ omitto ut adducam Concilium Trident. ſeſſ. 25. in Decreto de invocatione, veneratione, reliquijs Sanctorum, & ſa- *Conſtantien* cris imaginibus, ubi legitur: *Mandat ſancta Synodus ſi. omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus, curamque ſuſtinentibus, ut juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſia uſum, à primævis Chriſtianæ temporibus receptum, ſanctorumque Patrum conſenſionem, & ſanctorum Concilio* *Tridentinū.* *rum decreta, in primis de interceſſione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo uſu imaginum, Fideles diligentèr inſtruant, docentes eos Sanctos unà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre. Bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque, confugere, illos verò qui negant Sanctos, &c.* Quibus verbis, in perſona impijſſimi Lutheri damnantur etiam præcitati Hæretici, qui in primis Eccleſiæ ſæculis negarunt invocationem Sanctorum, & dixerunt illicitum eſſe fidelibus orare domeſticos Dei.

His Conciliis adjungi poteſt articulus de communione Sanctorum, qui habetur in Symbolo Apoſtolico, quique reſtringi non poteſt ad Sanctos, qui ſunt in Eccleſia militante, ut putant nonnulli Hæretici prædictum Symbolum recitantes; cùm debeat intelligi, & extendi ad omnia membra corporis Chriſti, acproindè ad Eccleſiam triumphantem, cujus caput eſt Chriſtus, ut clarè colligitur *Symbolum* *Apoſtolorū.* ex illo ad Epheſ. 4. verſ. 15. & 16. ubi Apoſtolus de ipſo ſic loquitur. *Qui eſt caput ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate:* Et ex illo ad Coloſſ. 1. verſ. 18. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Ibi enim Chriſtus ca-

Digitized by Google

put otriuſque Eccleſiæ, militantis ſcilicèt & triumphantis declaratur, earumdemque mutua ſubminiſtratio, aut communicatio inter ſe exactè deſcribitur; cùm exprimatur unio aut conjunctio capitis, ſeu Chriſti cum membris ſuis, & membrorum, ſeu fidelium inter ſe Nam ſi ſimus membra Chriſti, ut vult Apoſtolus ad Corint. cap. 6. verſ. 15. Sancti debent etiam eſſe membra Chriſti, & nos conmembra Beatorum ratione unius, & ejuſdem capitis: ergo ex coneilijs, & ex articulo communionis Sanctorum, Sancti ſunt laudandi, orandi & invocandi à nobis viatoribus, qui divinæ miſericordiæ imploramus auxilium.

§. II.

In quo veritas probatur authoritate Sacræ ſcripturæ.

SAcra Scriptura eâdem veritatem confirmat: ſcriptum eſt enim Eccl. cap. 44. verſ. 3. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Et verſ. 7. addit: *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.* Nam ſi hæc verba ſint de præcepto, vel de conſilio, ità ut teneamur, vel nobis liceat laudare

Eccleſ. 46. eos. Licebit etiam, eos honorare, quia laus, quædam honoris ſpecies eſt; & ſi liceat honorare, licebit etiam eos orare & invocare, ut orent pro nobis apud Deum, qui præces Sanctorum exaudit ut patet de Moiſi Exod. 32. verſ. 13. & 14. qui pro populo ſuo enixe oravit Deum per merita patrum, ſeu Abraham, Iſaac & Jacob, ut placabilis eſſet ſuper nequitia populi, & exauditus fuit, ut conſtat ex verſ. ſequenti. *Placatuſque eſt Dominus ne faceret*

Exod. 32. *malum, quod locutus eſt adverſus populum ſuum.*

Ad hæc accedit exemplum Patriarchæ Jacob, qui benedicens filium ſuum Joſeph ait Geneſ. 48. verſ. 15. & 16. *Benedixitque Jacob filijs Joſeph, & ait: Deus, in cujus aſpectu ambulaverunt Patres mei Abraham, & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem; Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, &*

Geneſ. 48. *Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram.* Hæc quidem verba probant invocationem Sanctorum, & præſertim ultima, quibus ipſe Patriarcha Jacob præcepit invocari ſuper filios Joſeph non ſolùm nomen ſuum, ſed etiam nomina patrum jam defunctorum, qui vivunt coram Deo; quamvis mortui ſint corpore & mundo, & ideo Sancti in Cœlo regnantes, ſunt invocandi.

Baruch. Quare Propheta Baruch cap. 3. verſ. 4. ait: *Domine omnipotens, Deus Iſraël, audi nunc orationem mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum, qui peccaverunt ante te, & non audierunt vocem Domini ſui, & agglutinata ſunt nobis mala.* Indè enim conſtat, mortuos Iſraël in Cœlo regnantes orare Deum, eorumque orationem ſemper exaudiri: bonum eſt igitur Sanctos invocare, ut orent pro nobis, qui peccavimus coram Deo, & ſæpè non audivimus vocem Domini Dei noſtri, qui vocat nos ad pœnitentiam, quæ nobis prorſùs neceſſaria eſt pro ſalute conſequenda.

Eamdem neceſſitatem invocandi Sanctos probat oratio Azariæ, qui in fornace ignis accenſa poſitus, ſic orabat: Dan. cap. 4. verſ. 34. & 35. *Nè quæſumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & nè diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac*

Dan. 4. *ſervum tuum, & Iſrael Sanctum tuum.* Indè etiam ſequitur, merita Sanctorum jam defunctorum, multùm nobis prodeſſe, ſi invocemus eos; cùm Azarias exauditus fuerit, ſeu liberatus cum ſocijs ſuis de fornace ardenti propter merita Abrahæ dilecti Dei, Iſaac, & Iſraelitarum, nulla quidem eſt oratio ob quam potiùs exauditus fuerit ipſe Azarias propter merita Abrahæ, quàm nos ob merita Petri & Paulj V. G. dùm debite invocamus eos, ut pro nobis orare dignentur.

Præterea Judas Machabæus ſuos contrà Nicanorem Dei potentiam contemnentem, roborat. Tum exhortatione. Tum nocturnæ apparitionis manifeſtatione de viſo Jeremia pro populo Iſraël orante lib. 2. cap. 15. verſ. 14. ubi legitur: *Reſpondentem verò Oniam dixiſſe: hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël: hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei.* Nam ſi Jeremias vir Propheta, & Sanctus, adhuc in Lymbo existens, Deum pro ſuis orabat, quantò libentius faciunt Beati, qui perfruuntur Deo, & continuò ſtant ante thronum ejus, in hoc nulla poteſt eſſe contradictio, niſi ab animo Hæretico, & fidei Chriſtianæ inimico, quia orare pro nobis peccatoribus, eſt opus charitatis, quod quidem opus à Sanctis in patria regnaotibus elici poteſt, cùm charitas, teſte Apoſtolo nunquam excidat, imò perficiatur in patria. Et ad Deum, atque ad proximum ſe extendat ſicut in via: ideoque Sancti ſunt a viatoribus honorandi, orandi, & invocandi. Hinc eſt quòd ſacra Epheſina Synodus contra Neſtorium celebrata pro firmanda maternitate Deiparæ, addidit ſalutationi Angelicæ hæc, quæ ſequuntur: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ.* Et Eccleſia, quæ eſt Mater noſtra, & ſponſa Spiritus Sancti; præcepit Litanias Sanctorum in quibus omnes invocantur, ut pro nobis apud Deum intercedant, & orent. *2. Machab. cap. 15.*

In novo Teſtamento probatur etiam veritas de Invocatione Sanctorum: legimus enim Luc. 7. Centurionem, qui puerum habebat infirmum, ſeniores Judæorum miſiſſe ad Chriſtum, ut ipſe Chriſtus veniret, & ſanaret eum. Hujus delegationis ſeniorum cauſa eſt. Quia Centurio ſe indignum putabat impetrare hoc à Chriſto, ut conſtat ex verſ. 7. *Luc. 7.* ejuſdem capitis; *Cum veniſſent ad Jeſum rogabant eum ſolliciuè dicentes ei, dignus eſt ut hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificavit nobis,* fueruntque exauditi, ut conſtat nedùm ex hoc Evangelio Lucæ verſ. 10. ſed etiam & Matth. cap. 8. verſ. 13. quorſum Hæretici volunt nos de meritis noſtris diffidentes, non poſſe ad amicos Dei, ſeu ad Sanctos recurrere; ut ipſi pro nobis Deum exorent, & propter ipſorum merita petitionem noſtram effectum obtineamus? Nulla ſanè poteſt aſſignari, nullaque poteſt inter nos & Centurionem, inter ſeniores illos, & Sanctos eſſe diverſitatis ratio; cùm amor Sanctorum in Cœlo regnantium, major ſit amore ſeniorum Judæorum ergà Chriſtum, ratione claræ, & intuitivæ viſionis Dei, quæ ſummam dilectionem parit.

Dicent forſan Hæretici cum Vigilantio, licere nobis recurrere ad viros juſtos tantùm dum hìc vivunt, non autem ad viros Sanctos mortuos in Cœlo existentes, quippè credunt quòd Deus non exaudit comprehenſores, quia ſunt in termino, ſed ſolùm viatores, quos ad ſe vocat, & quibus dixit: *petite & accipietis.* *Refellitur Hæreticorum inſtantia.*

Sed hæc ratio (cui plurimùm fidunt Hæretici) non valet contra invocationem Sanctorum, qui ſtant ante thronum Dei, & continuò eum adorant. Nec poteſt ſolvere argumentum noſtrum. Quia nullius eſt momenti, ut notat D. Hieronymus cap. 3. contra Vigilantium, ubi inquit: *Tu dicis in libello tuo, quòd dum vivimus, mutuò pro nobis orare poſſumus poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda*

D. Hyron *oratio, præſertim cum Martyres ultionem ſui ſanguinis obſecrantes impetrare nequiverint: ſi Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quandò pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Ergo non valet reſponſio Vigilantij, Eunomij, & aliorum Hæreticorum antiquorum, à quibus eam acceperunt recentiores Hæretici, utpotè Lutherani, & Calviniſtæ. Nec obſtat dicere quòd beati ſunt in termino. Quia hoc ſolùm probaret, Beatos non poſſe orare pro ſe ipſis, non verò pro nobis, qui indigemus his, quæ ipſi habuerunt. Et qui adhuc ſumus in via, & in periculo.

Imò audeo aſſerere, viros ſanctos ardentiùs orare pro nobis in cœlo, quàm in terra, nedum quia ibi charitas eſt extenſior, & perfectior, & ipſâ diligunt ea, quæ diligit Deus, ac proinde ſalutem animarum adhuc in terris exiſtentium, ſed etiam quia de hoc habemus in Evangelio Parabolam. Nam dives in tormentis poſitus (de quo loquitur Lucas cap. 16.) oravit pro fratribus ſuis in hac vita exiſtentibus, dicebat enim: *Rogo ergo te Pater ut mittas eum*, id eſt Lazarum, *in domum Patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, nè & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*, multò ergo magis credendum eſt, animas in cœlo regnantes orare Deum pro ſalute fratrum adhuc viventium in terra, ne deſcendant in infernum, ſed potius ut vadant in cœlum, in quo ipſi ſunt. Quia ardentiorem ergà proximos habent charitatem, & gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; idcircò debemus Sanctos invocare, ut nobis à Deo obtineant remiſſionem peccatorum. Nonnè ſi dives ille, qui dum viveret, nullam de ſalutis fratrum curam habuit, pro ſalute eorumdem, mortuus & ſepultus in inferno interceſſerit, abſque ullo fundamento Hæretici credunt, Sanctos, qui dum viverent pro hominibus orabant, pro ſalute noſtra nullatenus orare quando ſunt in cœlo, & ſtant in conſpectu Agni, qui pro ſalute noſtra occiſus eſt? nullum poſſunt certò aſſignare fundamentum, niſi fictitium, cùm Sancti ſint perfectiores, ſint Deo grati, & præces noſtras audiant pro nobis. Dicant itaque, Eccleſiam Romanam meritò inſtituiſſe venerationem, & invocationem Sanctorum in cœlis regnantium, ut ipſorum interceſſione omnipotens Deus deſideratam nobis ſuæ propitiationis abundantiam largiatur.

Dives in inferno ſepultus fratrum ſuorum ſalutem deſiderat.

§. III.

Evelluntur Fundamenta contraria.

VAria objiciunt Hæretici argumenta ex Sacra Scriptura malè intellecta, aſſerunt enim in veteri teſtamento nullam deſcribi invocationem, niſi invocationem ſolius Dei, quia (inquiunt) Prophetæ, ac ſancti veteris teſtamenti dum orabant, ut neceſſaria obtinerent à Deo, non ad Sanctos directè, ſed ad Deum Patrem ſolum præces dirigebant, ut patet ex Pſal. 131. *Propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui*. Dan. 3. *nè auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſraël ſanctum tuum.* Et ſic de alijs locis veteris teſtamenti, in quibus non invocantur Sancti Patriarchæ & Prophetæ, quorum merita proponebantur Deo; ſed ſolus Deus invocatur, & oratur, ut fidelibus ſuis ſubveniat, quamvis ei proponantur merita aliquorum Sanctorum: ergo non licet fidelibus ſub lege nova viventibus, invocare Sanctos, ſed Deum dumtaxàt.

Pſal. 131.

Dan. 3.

Reſpondeo negando ſuppoſitum; ſcilicet in veteri teſtamento nullum invocaſſe Sanctos, ut manifeſtè patet ex illo Job cap. 5. verſ. 1. *Voca ergo ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Item ex cap. 33. verſ. 23. *ſi fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus ut annunciet hominis æquitatem, miſerebitur ejus, & dicet, libera eum.* *Job. 5.*

Iterum reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia Sancti veteris teſtamenti non fruebantur clarâ Dei præſentiâ, nec erant adhuc in ſtatu Beatitudinis, & ideò Deus ut veritatem de apertione cœli per Meſſiam futurum Judæos doceret, noluit quod Judæi eos invocarent, ſed potiùs Deum ſolum, ut ob eorum merita in neceſſitatibus ſubveniret; at poſt Chriſti Aſcenſionem in cœlum, & Sanctorum veteris teſtamenti introductionem, vult ut ad eos recurramus, eoſque invocemus, ut pro nobis orent, & nobis ab ipſo obtineant bonum quod petimus, aut evitemus malum, quod meritò timemus, ut patet exemplo Simonis magi de quo Act. cap. 8. verſ. 24. dicitur, *reſpondens autem Simon dixit, precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.* Hæc quidem reſponſio (quam non improbavit D. Petrus,) quæ demonſtrat, Fideles tempore Apoſtolorum invocaſſe viros juſtos exiſtentes in terra, demonſtrat etiam bonum eſſe invocare Beatos exiſtentes in cœlo.

Reſponſio ad rationem hæreticorum.

Inſtant ex illo Joan. 1. cap. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi.* Idque confirmant ex illo ad Rom. 8. *Qui eſt ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* Et 1. ad Timoth. cap. 2. *Unus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus nobis*, ex his ſiquidem, & ſimilibus locis Sacræ Scripturæ inferunt, poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, nullum Sanctum poſſe invocari à nobis, nè minuatur obſequium Chriſti, qui ſolus in cœlo pro nobis viatoribus poteſt orare, mediare, & Deum iratum præcibus placare, quia ipſe eſt, qui acquiſivit nos ſanguine ſuo.

Joan. 1.

Rom. 8.

Reſpondeo negando conſequens, nam dum recurrimus ad Sanctos, non recurrimus ad eos tamquam ad authores gratiarum, & beneficiorum aut ad principales mediatores, ut facimus dum ad Chriſtum recurrimus; ſed tamquam ad interceſſores & amicos Chriſti, ejuſque charos, ut ab eodem, beneficia quæ petimus, nobis obtineant: hinc eſt quòd Sancta Mater Eccleſia non orat Sanctos eo modo, quo orat Deum, aut ChriſtumDominum; nam dum oramus Sanctum, non dicimus, *Miſerere nobis*, ſed, *ora pro nobis.* Ratio hujus differentiæ eſt, quia dum oramus Deum, petimus miſericordiam. Et dum oramus Sanctos, petimus ab illis interceſſionem. Non invocamus eos, ut nobis veniam concedant, ſed ut apud Deum quem vident, & amant, orent pro venia nobis obtinenda, & pro nobis intercedant. Ideò in Litanijs noſtris dicimus, *omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.*

Invocamus Sanctos, ut interceſſores

Hinc eſt etiam quod orationes omnes, quas ad ipſum Deum dirigit Eccleſia, ſemper eas dirigit per Chriſtum Dominum noſtrum; non verò per Sanctum cujus feſtum colimus, & quem invocamus, quia Sancti ſunt Mediatores ſecundum quid apud ipſummet Chriſtum; Chriſtus autem eſt verus, & unus Mediator hominum; Chriſtus orat, & mediat ut Redemptor; Beati verò ut Redempti, & exaltati meritis quidem ſuis, ſed fundatis in meritis Chriſti.

Nec implicat quòd alij præter Chriſtum dicantur mediatores, ſeu interceſſores applicantes ſuas præces, & merita pro viatoribus eos orantibus: & invocantibus tamquam Miniſtros Chriſti, & interceſſores apud ipſum. Hoc quippe modo Moiſes fuit mediator, ut conſtat ex illo Deuteron. cap. 5. verſ. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* Elias fuit etiam interpellator ad Deum pro populo, teſte Apoſtolo ad Rom. cap. 11. verſ. 2. dicente: *An neſcitis in Elia quid dicit ſcriptura, quemadmodum interpellat Deum adverſus Iſrael?* Cur ergo non licebit nobis credere, Sanctos in Cœlo regnantes, eſſe Interceſſores & Interpellatores pro nobis ad Deum, ſicut Moiſes, & Elias tales fuerunt pro populo Iſraëlitico?

Deuter. 5.

D. Cyprio.

Ob hanc rationem D. Cyprianus in Epiſt. 57. ait: *Memores noſtri invicem ſimus, & ſi quis iſtinc noſtrum Prior dignationis divinæ celeritate præceſſerit, perſeveret apud eum noſtra dilectio, pro Fratribus, & Sororibus noſtris, apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio*, ut diſcamus, Sanctos orare in Cœlo; cum velit quòd hic oremus ad invicem. Et quòd hæc oratio perſeveret apud Deum, id eſt, in Cœlo ut ejuſdem Sancti Doctoris verba attentè conſideranti patebit.

Dicunt illicitum eſſe invocare Sanctos, quia fruſtranea eſſet hæc invocatio: nam vel Sancti ſciunt, Deum exauditurum eos, vel non. Si primum, fruſtrà orant, quia Deus exaudiet nos; quin Sanctos invocemus. Si ſecundum, non poſſunt orare pro nobis, quia ſe opponerent divinæ voluntati; ſcirent enim, Deum nolle exaudire nos, & per conſequens nolle orari: ergo Sancti non ſunt invocandi neceſſariò, nec prudenter orandi, ut pro nobis interpellant; quippècum ſolius Dei ſit nobis dare id quô indigemus, ad ipſum ſolum recurrendum eſt oratione.

Solvitur Hæreticorum inſtantia.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia non eſt neceſſe, Beatos ſcire an Deus exaudiet, vel non exaudiet eos; ſufficit quod ſciant, Deum velle orari, ut probat inſtitutio orationis Dominicæ, in qua Chriſtus docuit nos orandi formam. Deindè idem Chriſtus, Matth. 11. ait: *Quidquid orantes petitis, accipietis & fiet vobis.* Et D. Jacob. cap. 5. verſ. 16. *Orate pro invicem ut ſalvemini, multum enim valet deprecatio juſti aſſidua:* Ergo non nocet argumentum, cùm Deus orationem inſtituerit tanquam medium neceſſarium ad obtinendam ab ipſo veniam peccatorum, & voluerit à nobis orari; licet non revelaverit an exaudiet hanc, vel aliam orationem. Nemo enim cognovit ſenſum Domini, Spiritus Domini ubi vult ſpirat, teſte ſcriptura. Hinc eſt quòd Beati regnantes in Cœlo, poſſunt pro nobis orare; etiam ſi neſciant an Deus ſit exauditurus eos, vel non.

Hæc reſponſio ad præcipuam Hæreticorum rationem confirmari poteſt variis exemplis Sacræ Scripturæ, ſed ſufficiat iſtud. Chriſtus voluit orari à Martha, & à Magdalena ſororibus Lazari, ut ipſum Lazarum à mortuis ſuſcitaret. Permiſit etiam mulierem Chananæam clamare poſt Diſcipulos, & voluit ab ipſis Diſcipulis rogari, Matth. 15. verſ. 23. ut nobis oſtenderet, bonum eſſe invocare amicos Dei, ſeu Sanctos, & præſertim illos, qui in Cœlis regnant cum Chriſto, quoſque Pater cœleſtis glorificat.

Afferunt inſuper uſum primitivæ Eccleſiæ, tunc enim (inquiunt) Fideles aſſidui erant ad orationem in Deum ſolum, igitur tunc nulla erat Sanctorum invocatio.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, nam Eccleſia Romana ſempèr invocavit Sanctos, ut patet in Lyturgia Romana, quæ juxta traditionem fuit à Sancto Petro compoſita, ex Jeroſolymitana quæ eſt Divi Jacobi, & ex Mediolanenſi; quæ à Sancto Barnabâ creditur compoſita, deindè à S. Ambroſio reſtaurata, in qua habetur illa oratio. S. Stephani Protomartyris: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias Martyrum in Beati Levitæ Stephani ſanguine dedicaſti; tribue quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, &c.* Quâ nunc utitur Eccleſia, & quâ ſuadetur, antiquiſſimum eſſe uſum invocandi Sanctos.

Eccleſia ſemper invocavit Sanctos.

Præterea Paulus rogat fratres ſuos, ut pro illo ad Deum exorent, ut conſtat in Epiſt. ad Rom. 15: & ad Theſſal. cap. 5. nam ſi ille Apoſtolus orabat Diſcipulos ſuos, ut pro eo orarent, quanto magis rogabat eos, qui regnant in Cœlis: Ideoque in primitiva Eccleſia, hoc eſt, tempore Apoſtolorum, Fideles invocabant Sanctos, & nos debemus invocare eos. Idem docent antiquiores Patres, & præſertim D. Irenæus qui (floruit in ſecundo ſæculo) in lib. 5. cap. 19. ait: *Eva ſeducta eſt ut fugeret Deum, Maria ſuaſa eſt, ut obediret Deo, ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata*: Igitur invocatio Sanctorum erat in uſu in primitiva Eccleſia. Sunt alia quamplurima antiquorum Patrum teſtimonia, quæ omitto.

D. Irenæus

Tandem objiciunt ex ratione. Beati non vident nos, nec audiunt gemitus noſtros, ut colligitur ex illo Iſa. 63. verſ. 16. *Tu enim Pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*: ergo ſuperfluum eſt invocare, aut deprecari eos.

Ultima Hæreticorum ratio.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, nimirùm Beatus non videre nos, nec audire gemitus noſtros; quia Beati vident in verbo, ſeu in eſſentia divina omnia, & audiunt orationes, quas homines ad eos dirigunt, eaſque cognoſcunt in ipſa eſſentia tanquam in ſpeculo, ut docent communiter Sancti Patres, & Theologi: nam omnia continentur in eſſentia divina tanquam in cauſa, Beati autem vident intuitivè hanc eſſentiam, acproinde (Deo ſic volente) in ipſa vident omnia, quæ Deus ipſis revelat, inter quæ oportet eſſe ea, quæ Beatus deſiderat videre; alioquin Beatitudo non eſſet ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; cùm Beatus deſideraret videre plura, quæ tamen non videret, ſcilicèt noſtram indigentiam, & ea quæ nobis neceſſaria ſunt ad ſalutem, quam nobis optant: Etenim ſi gaudium magnum ſit in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, certum eſt quòd Beati deſiderant ſalutem hominum.

Ad authoritatem dico quòd Abraham tempore Iſaiæ non erat Beatus, nec videbat Eſſentiam Divinam; erat enim in Lymbo, & ſic non implicat Judæos ab Abraham ignorari; nos autem loquimur de Beatis clarè Deum intuentibus.

Ex invocatione Sanctorum non ſequitur Idololatria.

Nec valet dicere ex illa Sanctorum invocatione, Fideles poſſe exponi periculo Idololatriæ, id eſt, periculo ponendi finalitèr ſpem in Sanctis, & non in Deo, eoſque ut Deos colere. Non valet inquam quia Eccleſia, quæ præcipit Sanctorum invocationem, docet, Sacrificium non eſſe offerendum Sanctis, ſed Deo, ut declarat Trident. ſeſſ. 22. cap. 3: ubi ſic legitur: *Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere ſolet; offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo, de illorum victorijs gratias agens, eorum Patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

Ex his certò ſequitur, Sanctos tantùm eſſe invocandos ut Interceſſores apud Deum. Quòd nullo modo Idololatriam ſapit: ergo Fideles ex invocatione Sanctorum non habent in Eccleſia Romana

unde poſſint ſpem finalem ponere in Sanctis tanquam in authoribus gratiarum; cùm juxta ejuſdem Sanctæ Eccleſiæ Fidem, teneantur ponere eam in illis tanquam in Intereeſſoribus dumtaxàt, quare Petrus Damianus (qui floruit in undecimo ſæculo) ait in feſto omnium Sanctorum : *Iſti ſunt Sancti advocati, quos apud Judicem habemus, ille pro quo iſti intercesſerunt, ſententiam non timet capitalem, confugiamus ergo ad probata ſuffragia &c.* Quibus patet, nos ſpem noſtram non reponere ultimatè in Sanctis, ſed in Deo apud quem Sancti pro nobis intercedont, tamquam apud Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis.

Cardinalis Damianus.

ARTICULUS XXIX.

Probat adverſus Eunomianos, corpora Sanctorum eſſe veneranda.

HÆretici in præcedenti articulo relati, qui negant invocationem Sanctorum, denegant pariter Sanctorum reliquijs cultum. Sicut enim ſacrarum Imaginum, ſic & reliquiarum ſacrarum fuerunt acerrimi Impugnatores, ſed de illis hìc nullus eſt habendus ſermo; cùm pugna expreſſè ſit contra eos, qui ex profeſſo, & prima intentione, ut ab alijs Hæreticis diſtinguantur, Eccleſiam Romanam impugnanr in cultu ſacrarum reliqniarum, autumantes, corpus humanum eſſe omni cultu indignum: quamvis anima à qua ſeparatum ſuit, ſit ſancta & glorioſa.

Eunomiani

Horum Hæreticorum primus fuit Eunomius genere Capadox, Atij Diſcipulus, in omnibus veræ fidei inimicus, qui circà annum Domini CCCLVIII tempore Conſtantij Imperatoris, & Liberij Summi Pontificis, docuit (teſte D. Hieronymo in quodam libello, quem ſcripſit adverſus Vigilantium) reliquiis martyrum nullum poſſe exhiberi cultum, nullumque honorem. Hæc Hæreſis Eunomij fuit publicata à Diſcipulis, quos ipſe Eunomius elegerat, quoſque Eunomianos vocant Sancti Patres. Anno autem CCCCII. regnante Arcadio Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Anaſtaſio Papa, inſurrexit Vigilantius, de quo locuti ſumus in præcedenti articulo, qui non ſolùm aſſerebat, ut jam obſervavimus, Sanctos in Cœlo regnantes non eſſe venerandos, nec invocandos, ſed etiam illorum reliquias eſſe omni venetatione indignas; unde calumnijs afficiebat eos, qui Martyrum oſſa, & ſepulchra venerabantut, appellans cinerarios, & idololatras, Catholicos, qui mortuorum hominum oſſa venerarentur, non cogitans de corporibus Martyrum effluxiſſe ſanguinem pro tuenda Chriſti divinitate, & pro firmanda ipſius fide in multiplicatiouem fidelium; cum teſte Tertulliano ſanguis Martyrum ſit ſemen Chriſtianorum.

Vigilantius

Nonnulli putant, hanc hæreſim eſſe Eunomio, & Vigilantio antiquiorem, eo quod io libello à D. Hieronymo ſcripto contra Vigilantium, refertur Tertullianum ſcripſiſſe inſigne volumen (quod vocat Scorpiacum) adverſus hanc hæreſim, quæ olim contra Eccleſiam erupit, & indè inferunt plures, hanc hæreſim fuiſſe ante Eunomium, & Vigilantium, quia Tertullianus, de quo in prædicto libello ſcripſit D. Hieronymus, eſt Eunomiô, & Vigilantiô antiquior. Ab hac ſententia tamen recedo, quia Tertullianus in libro illo, quem vocat Scorpiacum, eo quod ſit remedium contra venenum Hæreticorum Scorpionibus ſimilium, non pugnat pro cultu reliquiarum, ſed ſolum impugnat errorem Baſilidis Gnoſtici Hæreſiarchæ, avertentis à martyrio Fideles, & dicentis inter Impia alia dogmata, malum non eſſe negare Chriſtum tempore perſecutionis, imò dementiam maximam eſſe pro Chriſto martyrium pati. Unde Tertullianus non ſcripſit contra denegantes reliquijs cultum, ac proindè non licet inferre ex prædicto libro Scorpiaco Tertulliani, Eunomium, & Vigilantium non fuiſſe primos hujus hæreſis Patronos, quamvis ſint Tertulliano poſteriores.

Hæc hæreſis non fuit tempore Tertul.

Hujus hæreſis defenſor etiam fuit Joannes Vuiclef natione Anglus, cui adhæſit alter ejuſdem nationis, ſcilicet Guillelmus le Blanc, qui publicè contra reliquias prædicabat in Anglia.

Vuiclefus.

§. I.

Statuitur Reliquiarum cultus.

PLures ſunt in corpore Juris Canonici textus, hæreſim Eunomianorum damnantes, & ſacrarum imaginum cultum approbantes, ut patet in Titulo de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Sed eos hic afferre mihi ſuperfluum videtur. Quoniam noti ſunt omnibus in materiis Eccleſiaſticis verſatis: moneo tantùm Concilia, quæ decernunt, Sanctos eſſe invocandos, imagines Sanctorum eſſe honorandas, decernere etiam eorumdem Sanctorum reliquias eſſe à fidelibus Venerandas, & in Eccleſiis exponendas. Et præſertim Tridentinum ſeſſ. 25. in decreto de invocatione Sanctorum: ſufficit igitur referre Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III celebrato, cujus verba ſunt in volumine decretalium Epiſtolarum titulo jam citato cap. 2. ubi legitur: *Cum ex eo quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ Religioni detractum ſit ſæpius, ne in poſterum detrahatur, præſenti decreto ſtatuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publicè venerari præſumat, niſi priùs authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ: Prælati vero non permittant, eos, qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt, variis figmentis aut falſis documentis decipi, ſicut in plerîſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit.* Hæc verba certò prohibent reliquiarum expoſitionem intuitu lucri, & ſine diſpenſatioue, aut licentia Summi Pontificis. Sed hoc nonobſtante, nullus poteſt negare quod eadem verba Concilij Lateranenſis non decernant, reliquias jam exploratas, & approbatas authoritate Apoſtolica, eſſe honorandas, ut attentè eadem verba conſideranti patebit.

Tridentinũ *Lateranenſe*

Plura ſunt Sacræ Scripturæ teſtimonia, quibus Deus voluit Sanctorum virorum vitâ functorum corpora in honore & veneratione haberi. Legimus enim in Lib. Eccle. cap. 49. verſ. 12. *Duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loca ſuo, nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis*: Inde enim ſequitur, oſſa Prophetarum poſt mortem in memoria & honore apud homines vivere ob fidem, miracula, & vitæ Sanctitatem, quia *pullulare* eſt verbum activum; quod nequit applicari niſi his, quæ aliquo modo vivunt, ſcilicet in ſeipſis, vel in memoria poſteritatis. Oſſa autem Prophetarum, quæ pullulant de loco in quo ſunt, non vivunt in ſeipſis; alioquin Prophetæ adhuc viverent in carne mortali, quòd eſt

Eccleſ. 49.

falſum ; ſed vivunt in hominibus, à quibus honorantur, ut facilè poteſt colligi ex illo ejuſdem lib. cap. 46. verſ. 14. *Ut ſit memoria illorum in benedictione, & oſſa eorum*, id eſt Joſuë, Caleb., & Samuelis, *pullulent de loco ſuo.* Et ex illo cap. 50. verſ. 11. *quaſi Oliva pullulans, & Cypreſſus ſe extollens.* Reapſè duobus modis poteſt quis vita functus pullulare de ſepulchro ſuo, honore ſcilicèt, & infamià. Hic poſterior modus non poteſt eſſe in Prophetis, ut eſt manifeſtum ; ergo Prior, nimirum pollulare honore, ac proindè honoranda ſunt oſſa Sanctorum, quorum mors prætioſa fuit in conſpectu Domini.

Legimus inſuper, in lib. 4. Regum cap. 13. verſ. 20. *Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram ipſo anno, quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Nam ſi Deus ad contactum ſepulti corporis Eliſei, cadaver in ejus ſepulchrum injectum, ſuſcitaverit, ne videlicet oſſa prophana cum ſacris commiſcerentur, certum eſt quòd Deus vult Sanctorum virorum vità functorum corpora in veneratione haberi, & honore pariter, quia ut inquit idem Eccleſiaſticus cap. 44. verſ. 14. *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem.*

4. Reg. 13.

Tandèm in eodem libro legimus cap. 23. verſ. 17. quòd Joſias volens omnem ſuperſtitionem, & Idololatriam abolere, vidit ſepulchra, quæ erant in monte, miſitque & tulit oſſa de ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altare, quo peracto vidit alium titulum ſepulchri, & dixit ; *Quis eſt Titulus ille, quem video ? Responderuntque ei cives urbis illius, ſepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Juda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel.* Joſias autem, ut ſignificaret, oſſa hominis Dei eſſe veneranda dixit : *Dimitte eum, nemo commoveat oſſa ejus, & intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus Prophetæ, qui venerat de Samaria.*

Videant Hæretici ſi poſſint citrà peccatum & hæreſim, contemnere oſſa Sanctorum ? Nullam ſanè poſſunt aſſignare rationem, niſi impietatem, & contemptum ſanctitatis ; cùm videant in veteri teſtamento, oſſa Prophetarum, & Sanctorum virorum fuiſſe poſt mortem honorata propter virtutes & perfectiones, quas habuerunt animæ, quibus unita erant. Undè, Cyrillus Jeroſolymitanus Cathec. 18. de reſurrectione inquit : *Vivus enim reſurrectionem effecit per animam ſuam, ſed ut non ſolum animæ juſtorum honorentur, verum etiam credatur vim quamdam ineſſe juſtorum corporibus, qui in Eliſei ſepulchrum abjectus erat mortuus, ibi mortuum Prophetæ corpus attigit, vivificatus eſt.*

Cyrillus Jeroſolymitanus.

Præterea corpus Jacob Patriarchæ ab Ægypto in terram Chanaam contra faciem Mambre tranſlatum eſt, Geneſ. cap. 50. & ibi fuit ſepultum magna eum veneratione filiorum ſuorum, & ſeniorum Ægypti. Neque hoc fortuitò factum eſt, quia ipſe Jacob antequam moreretur, ſic ordinaverat, Geneſ. 49. verſ. 29. & 30. dicens illis, ſcilicet filijs, *Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephron. Hethæi contra Mambre in terra Chanaam.* Cauſa autem hujus ſepulturæ fuit veneratio aut honor corpori, & oſſibus hujus Patriarchæ exhibendus, undè filij ejus ſepelierunt eum, & ejus ſepulchrum fuit glorioſum propter gloriam, venerationem, & honorem.

Geneſ. 50.

Similiter Joſeph. Geneſ. 50. morti proximus dixit fratribus ſuis : *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram quam juravit Abraham, Iſaac & Jacob, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.*Ità ſanè locutus eſt ante mortem Joſeph, (Deo ſic diſponente) ut oſſa ipſius à poſteris honorarentur, idcircò veneratio Sanctorum corporum non eſt inventio Papiſtarum, ut dicunt Vuicleffitæ, & Lutherani. Nec Idololatræ poſſunt reputari Catholici, qui reliquias Sanctorum venerantur ; cùm imitentur filios Iſraël, ſcilicet Joſeph, & fratres illius ; Moyſem, & alios, qui etiam honorem detulerunt oſſibus Jacob Patriarchæ, & Joſeph. Nam hæc veneratio à primis Fidelibus religioſè obſervata eſt, ut conſtat ex teſtimonio. D. Auguſtini lib. 22. de civitate Dei cap. 8. ubi dicitur : *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente projecto reliquias Martyris glorioſi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus.* Sed Stephanus Martyrio coronatus fuit tempore Apoſtolorum, quippè electus, & ordinatus fuit Diaconus ab Apoſtolis, ut habetur Act 6. verſ. 5. & lapidatus ante converſionem Pauli, ut conſtat ex eodem lib. cap. 7. verſ. 57. igitur tunc Fideles, Sanctorum reliquias venerabantur.

Antiquiſſimus eſt quidam cultus.

D. Ambroſius in Epiſt. 53. referens qualitèr repererit corpora Sanctorum Gervaſij & Protaſij, ait : *Condamus ergo reliquias Sacroſanctas, & dignis ædibus invehamus, totamque diem fida devotione celebremus.* Hujus admonitionis cauſa fuit beneficium quod populus acceperat dolendo eorumdem Sanctorum corpora, ut ſuadent hæc verba ejuſdem Sancti Doctoris præcedentia. *Cognoviſtis, imo audiſtis, ipſi multos à Dæmonibus purgatos, plurimos etiam ubi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus abſolutos &c.* Ex quo ſequitur, cultum reliquiarum non eſſe novum in Eccleſia Dei, ſed antiquum ; cùm Sanctus Ambroſius, & Sanctus Auguſtinus floruerint quarto currente ſæculo.

D. Ambroſ.

Affero aliud exemplum quod eſt Apoſtolorum. Legimus in lib. Act. quod ſudaria & ſemicinctia Pauli, quæ extrà corpus ipſius erant, ſanabant ægrotos quibus imponebantur, ut patet ex cap. 19. verſ. 11. & 12. ubi dicitur : *Virtuteſque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli : Ità ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Unde ſi tantam virtutem habuerint veſtimenta Apoſtolorum, ut veneratione hominum fuerint digna, quanto magis illam habere debent Sanctorum corpora, quæ vim trahunt ex animabus, quibus diù domicilium præbuerunt, & diù unita fuere. Anima & corpus efficiunt unum per ſe ; ideoque gratia, aut ſanctitas animæ potiùs in corpus, quàm in veſtimenta refunditur. Et beneficium virtutis eſt potiùs in corpore, quàm in veſtimentis ; At virtus eſt ab hominibus honoranda, (ut monet Seneca Epiſt. 88. ubi ait : *virtus extollit hominem, & ſuper aſtra mortales collocat*) quin timenda ſit Idololatria, quam timebat Vigilantius.

Act. 19.

Hanc ipſam veritatem docet Hieronymus Epiſt. 58. dicens : *Dolet Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in Sterquilinium, ut ſolus Vigilantius Ebrius, & dormiens adoretur : ergo ſacrilegi ſumus quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur ? ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothæi tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, illorum ſe ſentire præſentiam confitentur : ſacrilegus & nunc dicendus eſt*

Seneca.

D. Hieronymus.

Digitized by Google

Arcadius Auguſtus, qui oſſa Beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? omnes Epiſcopi non ſolum Sacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in Serico & vaſe aureo portaverunt? ſtulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt Sanctis reliquiis, & tanta lætitia quaſi præſentem viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Paleſtina uſque Chalcedonem jungerẽtur populorum ex anima, & in Chriſti laudem una voce reſonarent. Quippe ſi viri illi à D. Hieronymo memorati, veri adoratores fuerint, minimèque Idololatræ, nos utique Idololatriæ ſumus expertes dum Sanctorum reliquias veneramur, prædictoſque viros Sanctiſſimos imitamur.

Dicent hæretici quòd Sanctorum reliquiæ, quas veneramur pro veris, poſſunt eſſe ſuppoſititiæ, & falſæ, acproindè corpora virorum vitâ functorum, non debent exponi fidelium venerationi; cùm inde poſſit oriri Idololatriæ occaſio, quæ contingeret, ſi horum corporum animæ eſſent in inferno, nemo ſcit (inquiunt) an ſit odio, vel amore dignus. Nullus poteſt dicere purum eſt cor meum, mundus ſum à peccato: ergo nullum corpus poteſt licite adorari, aut in veneratione haberi apud populum Dei.

Solvitur hæreticorũ inſtantia. Reſpondeo negando ſuppoſitum, nam Eccleſia præcipit, reliquias non eſſe exponendas venerationi fidelium, niſi prius Epiſcoporum judiciô, ut legitimæ approbentur, quæ quidem approbatio minime datur, niſi præceſſerint miracula, quibus defuncti Sanctitas ſit apertè cognita, ut probat antiquiſſimus uſus Eccleſiæ, & ſuadent innumera beneficia, quæ quotidiè recipiunt fideles expoſitas venerantes reliquias: idcircò minimè timendum eſt prædictum inconveniens.

Deindè dico quòd ſi his nonobſtantibus contingeret aliquas reliquias eſſe ſuppoſititias; inde tamen non eſſet damnanda circà eas veneratio noſtra, neque Idololatræ eſſemus abſolutè dicendi. Quia in hoc caſu ſuperſtitio non eſſet formalis, ut ad Idololatriam requiritur; ſed eſſet tantùm materialis; cùm haberemus intentionem venerandi reliquias alicujus Sancti; & ad hoc noſtram dirigeremus venerationem, quæ certò juſta & recta eſſet ex innocentia, & rectitudine intentionis, quæ totum opus lucidum reddit. Nam hæretici, quos hîc impugnamus, fatentur, plures animas eſſe in Cœlo regnantes cum Chriſto, quorum corpora ſunt in terris: ideo nequeunt negare, corpora, quæ ipſis domicilium præbuerunt in terris, eſſe Sancta; cum fuerint templum Spiritus S. ut monet Apoſtolus 1 ad Corint. cap. 3. verſ. 6. poſſumus igitur abſque ulla ſuperſtitione formali venerari, & colere corpora, quæ nobis exponit Eccleſia. Et quæ in ultimo judicio apparebunt glorioſis dotibus coronata, ut docent communiter Theologi in tractatu de Beatitudine.

§. II.

Diſſolvit Argumenta adverſantia.

Aſſertionem noſtram impugnant hæretici variis Sacræ Scripturæ textibus. Primò ex Deuteron. cap. ult. verſ. 6. ubi legitur, Moyſem vitâ functum, ſepultum fuiſſe in terra Moab. Ipſius ſepulchrum neminem cognoviſſe uſque in præſentem Diem, ex quo hæretici concludunt (& præſertim *Ratio Calviniſtarum* Calvinus in admonitione de reliquiis) oſſa Sanctorum non eſſe colenda, quia (inquiunt) ob hanc cauſam occultatum fuit corpus Moyſi, aut Sepulchrum, ſcilicet nè coleretur à Judæis, & ideo corporum Sanctorum veneratio fuit à Deo prohibita in lege veteri, ideoque prohiberi debet Chriſtianis cum ipſis ſicut Judæis hæc corporum veneratio poſſit eſſe occaſio Idololatriæ.

Idem confirmat Calvinus ex illo Judæ Apoſtoli verſ. 9. ejuſdem Epiſtolæ: *Cum Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus Judicium inferre blaſphemia, ſed dixit, imperet tibi Dominus.* Hujus enim altercationis ratio fuit. Quia Diabolus, qui circuit quærens quem devoret, volebat, ſepulchrum & corpus Moyſi revelari ut ſub prætextu pietatis, Judæis foret occaſio Idololatriæ; Michaël vero volebat, corpus Moyſi ſemper occultari nè Judæi illud venerantes, Idololatræ fierent.

Reſpondeo ex illo textu Deuteronomij, neminem poſſe inferre reliquias Sanctorum non eſſe colendas. Poteſt enim eſſe ratio de uno, quæ non ſit de alio corpore viri Sancti, ſeu occultandi unum corpus, & aliud exponendi, quamvis omnia Sanctorum corpora ſint veneratione digna. Nam jure optimo Deus noluit Moyſi corpus revelari Judæis. Quia Moyſem tanquam numen adoraſſent ipſi Judæi, ſi eum vidiſſent, quia erant ad Idololatriam parati, & proni, maximè cùm eum vivum ducem habuiſſent, legiſlatorem, & ſalvatorem, ac tot tantaque ſtupenda miracula illum edentem conſpexiſſent, ſed ex hoc non ſequitur corpus Moyſi non fuiſſe veneratione dignum; ſed ſolùm non fuiſſe neceſſarium illud oculis Judæorum exponere. *Reſponſio ad rationẽ Calviniſtarum.* Plura enim licent, quæ tamen non expediunt inquit Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 6. verſ. 12. Hinc fit quòd Michaël Archangelus meritò diſputavit cum Diabolo, qui volebat, corpus Moyſi revelari, ut populus Judaicus à cultu veri Dei recederet, & Moyſem tanquam verum Deum adoraret. Hæc autem ratio occultandi Judæis Moyſi corpus non reperitur inter fideles & Chriſtianos, quos Sancta Mater Eccleſia docuit cultum Sacris reliquiis impendendum, omnes enim ſciunt quòd Sancti non ſunt colendi eo cultu, quo colimus Deum, cùm credant ſolum Deum verum eſſe adorandum adoratione Latriæ. Omnes fideles ſciunt, Sanctos eſſe adorandos ut fideles Dei ſervos propter eximiam virtutem, & propter patrocinium quod ipſorum interceſſione quotidiè obtinent, ut variis exemplis conſtat in hiſtoria Eccleſiaſtica, cultu reſpectivo, eo ſcilicet, quo eorum imagines colimus, ut tradit S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 12. dicens: *Joannes Damaſcenus.* *Omnia, quæ Deo dedicata, atque conſecrata ſunt, ita adoramus, ut cultum & venerationem ad eum*, id eſt, in Deum *referamus.*

Inſuper objiciunt illud Lucæ cap. 11. verſ. 47. & 48. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem veſtri occiderunt illos, profectò teſtificamini quod conſentitis operibus Patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra.* Per hæc enim verba (inquiunt) Chriſtus improbat, & culpabiles judicat Judæos ædificantes ſepulchra Prophetarum, eodem modo, quo improbat, & condemnat eorumdem Judæorum Patres, qui eoſdem Prophetas occiderunt, ideò cultus corporum Prophetarum eſt malus, & prohibitus, ſicut mala & prohibita fuit eorumdem Prophetarum occiſio.

Reſpondeo, ibi Chriſtum non improbare monumenta, aut ſepulchra Prophetarum, neque eorumdem cultum prohibere; cùm ut ex jam dictis conſtat, ſemper in honore fuerint apud Judæos ſepulchra Prophetarum, eorumdemque oſſa; ſed ſolùm improbare hypocriſim Phariſæorum, & malam voluntatem, quâ prætendebant illo operis cultu ſepulchrum proponere adorandum: ædificabant enim

Chriſtus non Improbat monumenta prophetarum.

monumenta Prophetarum, ut ſub hac ſpecie pietatis ficta ergà Prophetas, occultarent malevolum animum ergà Prophetarum principem, ſeu Chriſtum. Quòd verum eſſe patet ex illo Matth. 23. verſ. 29. & ſequentibus: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum. Et dicitis, ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum, in Sanguine Prophetarum. Itaquè teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia Filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt.*

Matth. 23.

Indè conſtat, Chriſtum ex textu relato, Luc. 11. non reprehendere Phariſæos, eo quod ædificabant & ornabant monumenta Prophetarum; ſed quia habebant ergà ipſum animum, quem habuerunt Patres eorumdem Phariſæorum dum Prophetas occiderunt: Nam de iſta erga monumenta reprehenſione, eſt diſcurrendum, ſicut de illa, quæ habetur in cap. 11. Lucæ, verſ. 42. facta etiam a Chriſto Phariſæis *Væ vobis Phariſæi qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei, hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* Quæ non eſt de decimatione fructuum terræ, quæ cum eſſet præcepta in lege, non debuit aboleri per Chriſtum, qui non venit ſolvere legem, ſed adimplere: Sed eſt de mala intentione Phariſæorum, qui ſub prætextu, & velo operum leviorum, ſcilicet ſolutionis decimarum, occultabant impietatem, ac graviora legis præcepta amittebant, & nullam charitatem habebant. Induebantur veſtimentis ovium: intrinſecus autem erant lupi rapaces.

Ad coloſſ. 2.

Denique objiciunt illud ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Volunt enim hæretici, Apoſtolum intelligere per religionem Angelorum, cultum voluntarium ſeu non præceptum à Deo. Volunt inſuper, eumdem Apoſtolum prohibere illum cultum voluntarium; ſed cultus reliquiarum eſt voluntarius; cum nullibi conſtet ipſum fuiſſe præceptum à Deo: ergo juxta Apoſtolum eſt prohibitus, & ſuperſtitioſus.

Reſpondeo per hæc verba, Apoſtolum non ſignificare, cultum, quem Sanctorum corporibus perhibet Eccleſia, eſſe præcavendum, aut abolendum; ſed ſolùm reprehendere Judæos, qui Angelos colebant tanquam Deos, eoſque ſuprà Chriſtum extollebant: hoc enim, & non aliud ſignificare voluit per Religionem Angelorum; nos autem Angelos, vel Sanctos, vel Sanctorum reliquias non honoramus, nec colimus cultu, quo colimus Deum, & Chriſtum ejus, ut ſæpè oſtenſum fuit, ideoque Apoſtolus ſic alloquens Coloſſenſes, *nemo vos ſeducat &*. Non prohibet cultum reliquiarum Sanctorum, ut credunt hæretici.

Apoſtolus non prohibet cultum reliquiarum.

Quantum ad expoſitionem de Religione Angelorum, qua hæretici volunt, ipſam Religionem idem ſignificare ac cultum voluntarium. Dico quòd debet intelligi de cultu ficto & meré voluntario, nulla authoritate approbato, qualis erat cultus gentilium, & Judæorum, qui adorabant ſimulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Quòd minimè dici poteſt de cultu à Catholicis exhibito reliquiis Sanctorum. Pro eo enim ſtant Sacræ Scripturæ authoritas, traditio, plura Concilia, imò & ratio, quæ ut affirmant Sancti Patres, docet, templum Spiritus S. (quale fuit corpus Juſti vitâ functi juxtà monitum Apoſtoli) eſſe honorandum, & dignum aliqua ſpeciali veneratione: Igitur Chriſtianorum cultus ergà reliquias non eſt fictus, nec merè voluntarius, uti erat ille cultus Angelorum apud Judæos; cùm ſit de præcepto, & nobis beneficium Spirituale impetret, ut docet D. Baſilius

D. Baſilius

in Pſal. 15. exponens hæc verba: *Prætioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, ubi ait: *modo verò quiſquis oſſa martyris attigit, nonnullam Sanctificationis communionem percipit ex ea gratia, quæ corporis illius inſidet.* Hæc quidem ſanctificationis communio ad quamdam ergà Sanctorum corpora venerationem obligat.

ARTICULUS XXXI.

Quo adverſus Quintiniſtas probatur Sanctitas Apoſtolorum.

Sanctitatem Apoſtolorum, eorumque ſalutem impugnavit Quintiniſtarum, aut Libertinorum Patronus, ſeu Quintinus vir hæreticus, natione Picardus, arte Sartor, qui anno Domini MDXXV. tempore Clementis VII. Papæ, plures docebat errores, aut publicabat hæreſes, teſte Lyndano, hæque ità impiæ erant, ut publicantes eas, Libertinos vocari mererentur, non ab Authore, ſed à colluvie hæreſum, ut obſervat Calvinus, de iiſdem Quintiniſtis dicens, horum ſententiam eſſe collectam ex Cerdoniſtarum Manichæorum, Marcioniſtarum, & Gnoſticorum deliriis, atque abominandis voluptatibus. Movebant enim populos in Brabantia, & in Holandia, ut crederent, Chriſtum non eſſe Deum, nec hominem à Deo miſſum, ſed eſſe Satanam. Vitium etiam qualecumque ſit, eſſe virtutem, quia volebant abſoluté, nihil eſſe peccatum, niſi id quod homo vult eſſe peccatum. Dicebant ſimulare & diſſimulare eſſe fundamentum Evangelij, Scripturas ridebant, & pro fabulis eas habebant.

Quintinus

Dicebant inſuper Apoſtolos non fuiſſe Sanctos, ſed viros omninò perverſos, & Impios, Improbos, & malos, unumquemque eorum notabant Scomate, Paulum vocabant vas fractum, Petrum, Chriſti abnegatorem, Joannem, juvenem ſtolidum, Matthæum fæneratorem, & ſic de cæteris.

Hæc hæreſis non eget Concilio ut damnetur; quia ex ſeipſa videtur contraria fidei, imo & rationi, quippè Sanctitas Apoſtolorum, ità firmata eſt, & ſtabilita fuit deſcenſu Spiritus S. & proprio ipſorum Apoſtolorum Sanguine, ut nullus audeat eam impugnare niſi Libertini, ſeu homines ſine fide & Religione in terra degentes. Unde Quintiniſtæ, meritò dicti fuere Libertini, ſeu viri, qui nulli regulæ, nulli præcepto, aut legi libertatem ſubjiciebant.

§. I.

Oſtendit Apoſtolorum Virtutes.

Ad Apoſtolorum Sanctitatem manifeſtandam ſufficerent encomia, quibus eos laudat Sancta Mater Eccleſia, cujus ipſi Apoſtoli ſunt fundamenta, & Principes Glorioſiſſimi, ſed cum hæretici hîc impugnandi non audiant ſponſam Chriſti, ſintque nobis tanquam Ethnici & Publicani, afferendus eſt eorumdem Apoſtolorum labor pro gloria Chriſti, hominumque ſalute; cùm unuſquiſque accipiet mercedem ſuam juxtà proprium laborem. Et ipſi Apoſtoli multa bona opera fecerint propter Chriſtum: ibant enim gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Et per manus Apoſtolorum fiebant prodigia multa in plebe. Loquebantur variis linguis magnalia Dei.

Opera Apoſtolorum Probāt ipſorum ſanctitatem.

Denique in omnem terram exivit ſonus eorum, duce Spiritu S. qui per eoſdem Apoſtolos (aliunde ſcientiarum rudes, & omnibus opibus & divitiis de-

ſtitutos) proſtravit Idola, Dœmones vicit, Philoſophos emendavit, Oratores eloquentiâ ſuperavit, Chriſti Eccleſiam ampliavit, fidem firmavit, Evangelium enunciavit, & nationes & orbem univerſum, Chriſti imperio ſubjecit, tantum enim opus, non fuit hominum iniquorum, ſed Juſtorum, adjuvante ſpeciali gratia, & cooperante Spiritu. S. cujus ſedes non eſt anima Impij, nec peccatoris, ſed anima Juſti, quæ ex fide vivit, & Deo adhæret.

Idem docet D. Chryſoſtomus dicens: *Conſpicies hic Apoſtolos ſeu volucres terram, mariaque percurrentes, ac timidos illos quodam rudeſque ſubito in alios homines eſſe verſos, faſtu divitiarum, gloriâ, irâ, concupiſcentia, breviter rebus omnibus ſuperiores eſſe factos, utique non aliâ*

D. Iſidorus *via, quàm Spiritûs eos agentis, & impellentis.* Idem docet D. Iſidorus in ſermone D. Petri, & Pauli, ubi ait: *Scimus quod viri iſti nec ſibi vixere nec ſibi ſunt mortui, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, magis autem nobis omnibus propter illum, pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, & etiam mors ipſa, & in converſione eminentiam, in prædicatione ſapientiam, in paſſione ſua patientiam nobis Apoſtoli contulerunt*, quibus ſuadetur, ipſos Apoſtolos multa tormenta paſſos fuiſſe pro Chriſto, multaque operatos fuiſſe pro utilitate Eccleſiæ. Hujuſmodi autem labores ducunt ad præmium, aut mercedem Abrahæ, hoc eſt, ad Deum, qui eidem Patriarchæ dixit: *Ego ero merces tua*, & ideo nullus poteſt ſana mente credere, Apoſtolos non eſſe Sanctos, ac beatos: nam ipſe Quintinus non negabat, martyrium eſſe infallibilem viam Cœli, nec martyres eſſe in Cœlo: Igitur cùm unuſquiſque credat, Apoſtolos eſſe martyres, nullus poteſt ſequi Quintinum Apoſtolos damnantem, niſi inſanus, & inſipiens qui cùm dixerit in corde ſuo, *Non eſt Deus*, poteſt etiam dicere quòd Apoſtoli non ſunt Sancti, cùm ratio naturalis demonſtret contra Atheos, Deum exiſtere, Apoſtolos autem eſſe Sanctos, ſit de fide.

Eadem veritas, ſeu Sanctitas Apoſtolorum colligitur ex illo Matth. cap. 19. verſ. 28. quo Chriſtus pro

Matth. 19. ſpeciali privilegio illis promittit authoritatem judicandi alios homines in die Judicij: *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione; cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Hoc ſanè affirmat, Apoſtolos eſſe Beatos; quippè illi, qui ſecuti ſunt Dominum, laverunt ſtolas ſuas in Sanguine Agni, & per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones, & judicabunt nationes.

Luc. 22. Item ex illo Luc. 22. verſ. 29. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Nam qui in illa die judicabit alios, erit Sanctus, & gloriâ æterna coronandus, ut monet Apoſtolus, ad Corint. cap. 6. verſ. 3. *An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo Judicabunt*: Igitur Apoſtoli, qui cum Chriſto ſedebunt ſuper ſedem majeſtatis alios homines judicaturi, nullam iniquitatem habent, ſuntque Sancti in conſpectu Dei, & hominum; alioquin non poſſent alios argue-

Apoſtoli judicabunt nationes. re, quia ut vulgò dicitur *Qui paratus eſt in alium dicere, omni vitio carere debet*; arguent tamen impios juxtà illud Judæ verſ. 14. Epiſt. Cathol. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contrà omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt peccatores impij*, ac proinde tunc ipſi Apoſtoli erant immunes ab omni peccato, quia ſententiâ condemnatoriâ Reprobi tantùm judicabuntur, ut ex ipſius tenore conſtat: *ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Hæc quippè opponuntur iſtis *venite benedicti Patris mei.*

Nec valet dicere illud ad Rom. 14. verſ. 10. *Omnes enim Stabimus ante tribunal Chriſti*, ex quo ſequitur quòd Apoſtoli judicabuntur ſicut cæteri homines. Non valet inquam, quia indè non licet inferre *Rejicitur hæreticorū inſtantia.* quòd Apoſtoli judicabuntur ſententiâ condemnatoriâ, quia Paulus ibi loquitur de omnibus generaliter, ſeu ſimul de judicio retributionis, & condemnationis, ut demonſtrat in verſ. 12. dicens: *Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet.* Unde Paulus ad Rom. non docet quòd Apoſtoli judicabuntur ſententiâ condemnatoriâ, quâ judicabuntur reprobi, ſed potiùs ſententiâ retributionis, proferenda his verbis: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt a conſtitutione mundi*, quia judicabunt alios, & ſedebunt ſuper ſedes duodecim, cum venerit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ. Hæc quidem diſtinctio maximam augurat ſanctitatem in Apoſtolis, qui cùm relinquerint omnia, ut Chriſtum ſequerentur, cum ipſo Chriſto regnant in gloria.

Nec parùm iuvat hic afferre eam abnegationem rerum omnium, imo & propriæ voluntatis: dixerunt enim Chriſto Domino, Matth. 19. verſ. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Quia Chriſtus huic petitiuni reſpondens, ait: *omnis qui reliquerit domum, aut fratres aut ſorores, aut Patrem, aut uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hæc autem promiſſio eſt infallibilis, nec poteſt negari ab homine baptizato; cùm Chriſtus ſit veritas: Igitur Apoſtoli (qui ſecuti ſunt Dominum, ut teſtatur ipſemet Chriſtus, dicens illis Matth. 19. *Vos qui ſecuti eſtis me*, & omnia pro Chriſto reliquerunt) centuplum acceperunt, & habent vitam æternam, fruuntur gloria in Cœlis, & regnant cum Chriſto, quem ſecuti ſunt, &; pro quo fuderunt Sanguinem, ut credit & docet univerſa Eccleſia Catholica; quæ cùm ſit infallibilis, tenemur credere, Apoſtolos Chriſti à quibus ſuſcepimus fidem, eſſe verè Sanctos & beatos. Sunt aliæ quam plurimæ rationes quibus probari poſſet æterna Apoſtolorum fælicitas, ſed ea omitto tum brevitatis gratia cui ſtudeo; tum ratione evidentiæ præſentis articuli in quo nulla poteſt eſſe controverſia, niſi ab inſontibus, & Libertinis formetur.

§. II.

De ſolutione ad rationem contrariam ſuprà adductam.

QUamtum ad rationem aut Scomata quibus Quintiniſtæ in Principio articuli afficiunt Apoſtolos. Fateor quod peccaverunt aliqui Apoſtoli ante Apoſtolatum, & deſcenſum Spiritus Sancti, ut Paulus. Aliqui in Apoſtolatu, ut Petrus, & alij aliundè. Certum eſt quòd relicto Chriſto, omnes fugerunt. At inde non licet inferre, nec concludere, Apoſtolos eſſe Improbos & Malos, ſed ſolum aliquos ipſorum fuiſſe aliquando tales: modò autem omnes ſunt beati. Petrus eſt Clavicularius *Apoſtoli pro Chriſto mortui ſunt* regni Cæleſtis. Paulus fuit vas Electionis, & Prædicator veritatis in univerſo mundo. Joannes fuit cuſtos Mariæ Matris Jeſu, ipſo Jeſu ſic ordinante: his verbis: *Filius ecce Mater tua.*

Deindè omnes Apoſtoli ſunt Martyres, & ideo nullus eſt, qui non ſit in Cœlo; aliuquin non eſſent cives Sanctorum, & Domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Prophetarum, ſed hoſpites, & advenæ; nec laudandi eſſent illi, qui vitam Apoſtolicam ducunt: Impudens eſt Igitur Quintinus aſſerens, Paulum eſſe modò vas fractum, Petrum Chriſti abnegatorem, Joannem juvenem ſtolidum, & Matthæum fæneratorem, quinimo ipſe Quin-

tinus reus eſt omnium delictorum quibus afficit Apoſtolos. Nos enim ſcimus quòd Chriſtus dixit Paulo. *Vas electionis es mihi*, quòd Petrus amarè flevit, quód Joannes recubuit ſupra pectus Domini, & quòd Matthæus, relicto telonio, ſecutus eſt dominum. Omnes tandem conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram, & congregati ſunt cum Deo Abraham. Denique Chriſtus poſt Paſſionem ſuam Apoſtolis præbuit ſeipſum vivum in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, & conveſcens præcepit eis ab Joroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris. Quòd ſanè non feciſſet Apoſtolis ipſe Chriſtus, ſi tunc Apoſtoli, mali fuiſſent.

ARTICULUS XXXI.

Expugnat Iconoclaſtas.

SAcrarum imaginum cultum, quem Eccleſia Catholica habet, plures hæretici impugnarunt, quorum primus non eſt Marcion, nec Manes ut obſervant plures hiſtorici contra nonnullos Recentiores, ſed eſt Fauſtus Manichæus contra quem D. Auguſtinus multas habuit diſputationes, & varios Scripſit tractatus. Hic enim vir ſectâ Manichæus, natione Afer, Tempore Arcadij Imperatoris, & Innocentij Papæ primi circa annum Dñi CCCCVII. dicebat, ſenſibilia templa, altaria, incenſa, imagines, luminaria, veſtes & Sacrificia, eſſe abolenda. Huic viro Impiiſſimo, ejuſque hæreſi adhæſerunt poſteà, ſcilicet anno DCCXIX. ſub Leone III. Imperatore & Gregorio II. quidam viri hæretici Jconoclaſtæ, ſeu Iconomachi, ſic dicti ab hæreſi, hoc eſt, quia Sacrarum imaginum fractores, & hoſtes erant, teſte Staphilo aſſerente quòd ſic dicebantur, quia Chriſti, & Sanctorum imagines è templis ejiciebant.

Fauſtus manichæus eſt primus ſacrarum imaginum hoſtis.

Judæi imagines odio habent, aſſeruntque Eccleſias Chriſtianorum Idololatriæ domos eſſe. Quia in ipſis exiſtunt variæ Chriſti, & Sanctorum imagines à Chriſtianis adorandæ. Mahometani, qui ſunt Judæorum exempla ſecuti, imagines prohibent omnes, ut patet in Alcorano; tamen propriè Jconomachôrũ ſectam non conſtituerunt, nec inter Iconoclaſtas comprehenduntur. Nam Jconomachorum primus, ſeu cui primo datum fuit illud nomen, Iconomachus, eſt Leo III. (vulgo Iſauricus nuncupatus) Imperator, obſcuro genere natus vile mercimonium exercens, & caſu quodam ad Imperium promotus, qui maligno Judæorum nonnullorum impulſu, iniquorum quorumdam convocato Epiſcoporum Concilio, Impium de abolendis imaginibus tulit edictum, anno DCCCLIV. Unde Iconomachus, id eſt, imaginum demolitor, everſor, impugnator, & hoſtis, jure Vocatus fuit à Concilio Nicæno ſecundo celebrato anno DCCLXXXVII. contrà Iconomachos.

Iconomachorum primus eſt Leo III. Imperator.

Leonem Iſauricum ſecutus eſt Conſtantinus Copronymus (id eſt, Stercoreus) ſic dictus quia dum baptizabatur, Sacrum Lavacrum, ventris Sordibus conſpurcaverat, qua occaſione Germanus Patriarcha, qui illum baptizabat, vaticinatus eſt futurum aliquando, ut ille ſua impietate Eccleſiam Dei fœdaret. Demùm hujus Patriarchæ prædictionem comprobavit eventus, is enim Patris impij nimirum Leonis Iſaurici impius ſucceſſor, & Filius, Paternam non ſolùm æmulatus eſt impietatem, ſed etiam longè ſupergreſſus: coegit quippe alteram pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam, in qua juſſu ſuo decretum fuit, non ſolum Sacras imagines eſſe à templis ejiciendas, & abolendas; ſed etiam Dei genitricem contemnendam, viros religioſos; ac Sanctiſſimos in deſertis montibus, & cavernis latentes, eſſe crudeliſſimè puniendos ob cultum, quem reddebant ſacris imaginibus & reliquiis Sanctorum in Cœlis regnantium. Hujus decreti executores præcipui in Provinciis imperij, fuerunt Manes Prorex Galatiæ, Michaël Meliſſæ, & Lacanadragon Themis Tracelenſium, qui omni ſævitia in Catholicos omnes, & Sacras imagines debacati ſunt.

Conſtantinus Copronymus.

Executores decreti Imperialis contra imagines.

Hanc hæreſim, quamvis dudum ab Eccleſia proſcriptam & in variis Conciliis infra citandis damnatam, auſi ſunt tamen renovare hæretici poſteriores non pauci, Iconoclaſtis longè recentiores, ſcilicet Pauperes de Lugduno, qui Uvaldenſes nuncupantur: dixerunt enim ſub Friderico Imperatore & Alexandro III. Papa, imagines Chriſti, & Sanctorum, eſſe abolendas velut Idololatriæ objecta. Huic adverſus pias imagines perfidiæ adhæſerunt Uvicleffitæ, Huſſitæ, Carloſtadius, Lutherani, & Calviniſtæ, de quibus erit ſermo in articulis decidendis.

Uvaldenſes. Uvicleffita. Lutherani. Calviniſtæ.

§. I.

De Canonica Iconoclaſtarum Condemnatione.

HÆc Jconomachorum hæreſis damnata fuit in Concilio Nicæno ſecundo ſub Irene Imperatrice, & Conſtantino Imperatore ejus Filio, celebrato anno DCCLXXXVII. a trecentis & quinquaginta Orientalibus Epiſcopis, quibus præfuere ut ſedis Apoſtolicæ legati: Petrus Archipresbyter Eccleſiæ Romanæ. Et Petrus Abbas Sancti Sabbæ.

Nicænum 2.

In Concilio Francofordienſi celebrato anno DCCXCIV. à trecentis Epiſcopis ſub Adriano Papa primo hujus nominis, in quo Summi Pontificis authoritate præfuerunt Theophilatus, & Stephanus Epiſcopi. Tandem & in Tridentino ſeſſ. 25. in decreto de invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & Sacris imaginibus, ubi legitur: *Mandat Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus; curamque ſuſtinentibus juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum a primævis Chriſtianæ Religionis acceptum &c.*

Francofordienſe

Tridentinum

Conciliis iſtis adjungo authoritatem D. Gregorij Papæ, qui ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem (zelo quidem ductum, ſed minus prudentem, Sacras imagines ab Eccleſiis ſibi commiſſis removentem, ne videlicet, qui ex gentilibus Maſſiliæ tunc exiſtentibus fuerant recepti, eas ut Idola, & ementitas divinitates adorarent) Scribens, ejus intentionem laudavit, ſed zelum intempeſtivum reprimens, mandavit ut quantocius ſublatas imagines reſtitui curaret, populumque doceret quem eis cultum deberet impendere, ut conſtat in lib. 9. Epiſtolarum ejuſdem Papæ, Epiſt. 9. ubi habetur: *Equidem quia eas adorari voluiſſes omninò laudavimus, fregiſſe verò reprehendimus.*

Deciſio D. Gregorij Papæ.

Ne tamen fractor, aut Evertor imaginum credatur prædictus Epiſcopus Maſſilienſis, advertendus eſt finis ob quem prædictas imagines removerat. Fuit enim eodem motus animo, quò motus fuit Ezechias, qui ut mox dicemus, contrivit ſerpentem æneum, quem ut Deum adorabat populus Advertendum eſt inſuper quod Pontificio mandato obremperavit ſtatim Epiſcopus ille, ut notant Hiſtorici, & imagines reſtituit.

Serenus Maſſilienſis non fuit Iconoclaſta.

§. II.

De Authoritate Sacra Scripturæ.

SActas imagines eſſe colendas, & in Eccleſiis reponendas ducet Sacra Sctiptura. Legimus enim iu lib. Exod. cap. 25. verſ. 17. & 18. Deum dixiſſe Moyſi. *Facies & propitiatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum, ac ſemiſſem latitudo. Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altere. Utrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca.* Illud enim mandatum de imaginibus Cherubioorum ponendis in propitiatorio (quod erat operimentum atcæ teſtimonij) datum fuit, ut populus in ipſis imaginibus veneraretur eas ſubſtantias omninò ſpirituales, ſcilicet Cherubinos, qui ſtant aote rhronum Dei. Nec poreſt alia aſſignari ratio juxtà Sacrorum interpretum menrem, ſuppoſito igitur hoc de exponendis in Templo figuris mandatò Dei. Quidni in Eccleſijs Chriſtianorum erunt imagines Chriſti & Sanctorum? Chriſtus tantam excellentiam, & dignitatem habet, quantam habebant Cherubini, quorum figuræ, Deo ſic diſponente, & jubente, erant in Templo Judæorum, imo majorem Sanctitatem, & excelleutiam habet Chriſtus, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, ut inquit Apoſtolus. Ideo laudabile eſt mandatum de exponendis imaginibus in Eccleſiis fidelium.

Exod. 25.

Deinde cum populus Iſraël ob murmurationes quas habuerat adverſus Deum, & Moyſem, morſus Serpeutium pateretur, ipſe Moyſes pro populo orat ad Dominum, ut legimus cap. 21. Num. verſ. 6. & 7. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes ad quorum Plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſem, & dixerunt: peccavimus quia locuti ſumus contrà Dominum, & te, ora ut tollat à nobis ſerpentes, oravitque Moyſes pro populo.* Deus autem cujus miſericordiæ non eſt numerus, dixit Moyſi verſ. 8. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Fecit Moyſes Serpentem, & illum pro ſigno poſuit. Et de facto ſanabantur percuſſi qui aſpiciebant eum, ut conſtat ex eodem capite. Noone populus Iſraëliticus Serpentem illum æneum pro ſigno poſitum, venerabatur propter curationem quam obtinuerat? quare ergo nos non poſſumus in Eccleſijs noſtris imagines Chriſti, & Sanctorum multas præſeferentes utilitates, venerari, & colere? Nam ſi licuit Serpentem exaltare coram populo (quamvis ad Idololatriam prono) ut ex illius aſpectu Filij Iſraël liberarentur à Serpentium morſibus, cur non licebit nobis Chriſtum in Cruce exaltatum depingere, ut ex illius imaginis aſpectu recordemur beneficiorum, quæ nobis moriens in cruce exhibuit: imo magis licebit nobis. Quia corpus plus valet quàm umbra, & realitas quam figura; nos enim ſumus in realitate: Iſraël autem erat in figura.

Num. 21.

Dicent forſan Iconoclaſtæ, poſteà Regem Ezechiam confregiſſe Serpentem æneum, ut conſtat ex lib. IV. Reg. cap. 18. verſ. 4. ubi legitur de ipſo Ezechia pietate eximio: *Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque Serpentem æneum, quem fecerat Moyſes. Si quidem uſque ad illud tempus Filij Iſraël adolebant ei incenſum; vocavitque nomen ejus Nobeſtam.* Nulli igitur licet picturas & repreſentationes retinere in Templo Dei; alioquin peccaſſet Ezechias Rex conterendo Serpentem æneum. Quòd tamen non conceditur, nec poteſt concedi, ut colligitur ex verbis ejuſdem capitis.

4. Reg. 18.

Reſpondeo, Ezechiam hoc non feciſſe, quia malum erat talem imaginem, ſeu Serpentem æneum retinere, ut videretur à Filijs Iſraël, quibus pro ſigno poſitus fuerat: contrivit enim eum Ezechias quia videbat populum illi divinos honores impendere, tanquam aliquid numinis in hac imagine eſſet, ut notat D. Auguſtinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 8. dicens: *Quem Serpentem propter facti memoriam reſervatum, cum poſtea populus errans tanquam Idolum colere cepiſſet, Ezechias Rex Religioſa pietate Deo ſerviens, cum magna pietatis laude contrivit.* Conſiderabat enim ſapiens ille Rex, populum eſſe ad Idololatriam pronum experientia doceute, & quia credebat ſe non poſſe eum aliter ab Idololatria revocare, niſi confringendo Serpentem, meritò illum confregit.

Solvitur Iconoclaſtarum inſtantia.

Porrò populus Chriſtianus non eſt pronus ad Idololatriam, ſcit enim quòd honor, qui defertur imagini, refertur ad prototypum, ut teſtantur D. Baſilius, & D. Gregorius ad Secundinum Religioſum Incluſum, ad quem mittens imaginem Salvatoris, quam ipſe poſtulaverat, ait: *Scio quidem quod imaginem Salvatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filij Dei in ejus amore recaleſcas, cujus te videre imaginem deſideras: & nos quidem non quaſi ante divinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed in Throno ſedentem recordamur*: Ergo Eccleſia non debet Sacras imagines confringere: quamvis Serpentem æneum confregerit Ezechias, imo debet ipſas proponere fidelibus ut venerentur Sanctos, quos repreſentant, ſeu ad quorum recordationem ducunt. Ratio reſponſionis noſtræ eſt; quia populus Serpenti æneo adolebat incenſum. Quòd ſuadet, populum adoraſſe Serpentem ut Deum, quòd ſapit Idololatriam: Præterea Ezechias vocavit Serpeotem *Nobeſtam* (nomen quod juxta interpretatiooem Angelomi Monachi iu ſtromatibus ſuis, idem ſonat ac *æs*) ut inde populus videret, Serpentem non eſſe Deum, ſed eſſe purum æs. Quòd certò non dixiſſet, ſi populus non adoraſſet eum, ut Deum, aut ſi in Idololatriam nou incidiſſet.

D. Baſilius

D. Gregorius.

Aliud habemus in Sacra Scriptura teſtimonium, quô probari poteſt, res etiam inanimes divino cultui dicatas & Sacras, eſſe aliqua veneratione dignas. Legimus enim Exod. 3. Deum dixiſſe Moyſi: *Solve Calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra Sancta eſt.* Et Pſal. 93. verſ. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt.* Hæc autem verba, quæ venerationem inſpirant pro rebus materialibus, intelliguntur de arca Domini, quæ dicitur Scabellum pedum Dei noſtri, ut conſtat ex illo 1. lib. Paralip. cap. 28. verſ. 2. à Davide dicto Salomoni, & oniverſis principibus convocatis: *Cogitavi ut ædificarem domum in qua requieſceret arca Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*: Ergo arca in qua Hebræi credebant, Deum ſedere velut in Throno ſuper alas Cherubim, qui erant ſuper arcam, ut jam dixi ſupra, & conſtat ex illo Pſal. 79. uerſ. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim*, erat ſumma veneratione tractanda, & Cherubini erant veneraodi. Ideo plures ex Bethſamitis percuſſi ſunt, ut conſtat ex lib. 1. Reg. cap. 6. quia ſine debita reverentia curioſius voluerunt aſpicere arcam Dei, quam Levitæ depoſuerant. Et Oza occiſus fuit ut habetur lib. 2. Reg cap. 6 verſ. 7. *iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate qui temerè tetigit illam juxta arcam Domini.* Nam ſi in arca fuerint figuræ Cherubim arte factæ, hæque fuerint honorandæ à populo Dei in veteri lege ob res inviſibiles

Exod. 3.

1. Paralip. 28.

Pſal. 79.

4. Reg. 6.

biles, quas repreſentabant colendas juxta mentem Patrum Concilij Tridentini, quanto magis in Eccleſiis noſtris ponendæ ſunt Chriſti, & Sanctorum imagines, hæque colendæ? lex Chriſti eſt ſanctior, & perfectior lege Moyſi. Poſſumus igitur in Eccleſiis noſtris Chriſti, & Sanctorum imagines exponere cùm ad ſanctitatem, & perfectionem noſtram conducant.

Non parum juvat ratio pro Sacrarum imaginum cultu ſtabiliendo. Nam imago Chriſti, aut alicujus Sancti in Cœlo regnantis, eſt capax alicujus honoris, & cultus. Hujus rei ratio eſt, quia imagines Regum ſunt honorandæ, ut monet D. Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 10. ubi ait: *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit.* Hujus Sancti Doctoris argumentum fuit, quia honor & injuria imaginis redundant in honorem & Injuriam Prototypi, ut docet D. Baſilius lib. de Spiritu S. ubi ait: *Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges, neque enim poteſtas ſcinditur, neque gloria dividitur*: Ergo à fortiori imagines Chriſti, & Sanctorum ſunt capaces honoris, cultus, & venerationis, hinc eſt quòd nos, qui exponimus eas, ut à nobis illi, quos repreſentant, recipiant honorem debitum, id eſt, nos qui imaginum honorem referimus in Chriſtum, & Sanctos ejus ad quorum recordationem nos inducunt ipſæ imagines, non peccamus nec gloriam Chriſti dividimus, ſed Chriſtum, & Sanctos tantùm colimus cultu unicuique debito. Quòd ſanè eſt actus virtutis juſtitiæ diſtributivæ.

D. Ambroſius.

D. Baſilius

Deinde imagines Chriſti & Sanctorum, eorumdem virtutes referunt; & ad eorumdem exempla ſectanda nos provocant. Nam in ipſis imaginibus diſcimus, Sanctos multa tormenta pro Chriſto fuiſſe paſſos, & bona opera feciſſe, ut digni efficerentur promiſſionibus Chriſti. Bonum eſt igitur Sanctorum imagines habere in Eccleſiis, ut per ipſas honoratas valeamus imitari, & venerari Sanctos, quos repreſentant. Unde D. Gregorius Epiſt. 111. ad Serenum Maſſilienſem ſupra nominatum, mandat imagines poni in Eccleſiis, hac ratione motus, ut (inquit) *Hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.*

Cauſa apponendi imaginis in Eccleſijs à D. Bonaventura aſſignata.

D. Bonaventura in 3. diſt. 9. art. 1. quæſt. 2. aſſignat cauſam apponendi in Eccleſiis imagines. Primò, inquit, introductæ fuerunt propter ſimplicium ruditatem, hoc eſt, ut ſimplices qui legere non poſſunt, in hujuſmodi ſculpturis poſſint apertiùs Sacramenta noſtræ fidei legere propter affectus tarditatem, videlicet ut homines qui non excitantur ad devotionem in his, quæ pro nobis Chriſtus geſſit, dum illa aure percipiunt, ſaltem excitentur, dum eadem ſculpturis, picturis, & imaginibus tanquam præſentia oculis corporeis cernunt. Plus enim excitatur affectus noſter per ea, quæ videt, quàm per ea, quæ audit, quapropter Scipio Africanus dicebat, nullo ſe magis animari ad virtutem, quam exemplo majorum, quorum imagines in foro depictas videbat. Bonum eſt igitur habere Sanctorum imagines; cùm inſpirent Sanctitatem, & ad perfectionem ducant, & ideo ponendæ ſunt in Eccleſijs, ut fideles moveantur ad honorem Sanctorum eliciendum, eorumdemque veſtigia ſequenda, aut ut faciant ſecundum exemplar quod eis in monte, ſeu in Eccleſia monſtratur.

Concilium Trullanum

Concilium in Trullo celebratum prohibet Can. 100. fieri picturas, quæ ad turpes libidines alliciunt, & facientes jubet excommunicari: Igitur idem Concilium (implicitè ſaltem) jubet fieri picturas, quæ ad virtutem & bona opera excitant, quales ſunt imagines Apoſtolorum, Martyrum, & aliorum Sanctorum, quoniam quemadmodum picturæ profanæ provocant ad malum, ita Sanctæ provocant ad bonum.

Idem probatur uſu, & cultu imaginum ab ipſo naſcentis Eccleſię primordio à fidelibus uſque in hodiernum diem ſtatutis. Nam Euſebius lib. 1. cap. 13. Evagrius lib. 4. hiſt. cap. 26. Nicephorus lib. 2. cap. 7. D. Damaſcenus oratione prima de imaginibus. Stephanus Papa in Concilio Romano, & alij Scriptores celeberrimi referunt, duas ipſum Chriſtum ſui divini vultus imagines expreſſiſſe, quarum una eſt in ſudario ſuper faciem impoſito, quæ ad Abagarum Regem Edeſſenæ civitatis miſſa fuit, altera eſt illa, quæ tempore paſſionis in linteo expreſſa fuit & Veronicæ piæ mulieri tradita, quæque in Eccleſia Sancti Petri Romæ aſſervatur. In Bibliotheca vaticana extat hiſtoria manuſcripta in qua refertur qualiter tempore Tiberij hæc divini Chriſti vultus effigies fuerit deportata.

His addo cum Calliſto in lib. 6. cap. 15. tempore Conſtantini Imperatoris apud Chriſtianos fuiſſe Apoſtolorum imaginum frequentem uſum, ut teſtatur D. Ambroſius Epiſt. 53. ubi de Sanctis Gervaſio & Protaſio ſibi per viſum oblatis loquens, ait: *Cum quadam mihi tertia apparuerunt perſona, quæ ſimilis eſſe Beato Paulo Apoſtolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat* &c. viderat igitur S. Ambroſius, D. Pauli effigiem coloribus expreſſam, & ideo tunc, videlicet in medio quarti ſæculi, erat in Eccleſia uſus Sanctarum imaginum.

D. Ambroſ.

Idem docet D. Hieronymus in cap. 4. Jonæ, ubi ait: *Et revera in ipſis concubitis vaſculorum (quas vulgô ſaucomarias vocant) ſolent Apoſtolorum imagines adumbrari.* Nec mirandum eſt, nam ſi Salomon poſuit in templo boum, Leonum, & Cherubinorum figuras, ut legimus in lib. 3. Reg. cap. 7. verſ. 29. quin in hac rerum pictura, aut ſculptura reprehenſus fuerit, quinimo mirifice laudatus, cur non licebit nobis duodecim Apoſtolos, quorum illi duodecim boves figuram gerebant, pingere, & eorumdem imagines in templis noſtris ponere?

D. Hieron.

Iconoclaſtarū reſponſio.

Reſpondent Iconoclaſtæ quòd non ſunt in Eccleſijs ponendæ hujuſmodi imagines nè Chriſtianis ſit Idololatriæ occaſio, ſeu ne reddant creaturis honorem debitum Deo. Sed non valet hæc reſponſio, quia Eccleſia ſtudioſe cavet nè hoc malum accidat, præcepitque curam animarum habentibus, ut ſedulo incumbant, quatenus populos inſtruant circa cultum Sacris imaginibus impendendum prout diximus ſupra.

§. III.

Reſpondet Iconomachorum argumentis.

ICONOMACHI, ſeu imaginum Fractores, plures Sacræ Scripturæ textus objiciunt, hiſque prohibent cultum Sacrarum imaginum: Nam, inquiunt, Exod. 20. verſ. 4. legitur: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus, Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Idem habetur in Deuteron. cap. 5. & in Levit. cap. 26. Igitur Sacra Scriptura prohibet cultum figurarum, & imaginum, ut ſoli Deo reddatur cultus, honor, & gloria; aut nè populos in Idololatriam cadat; nec poteſt in hac prohibitione diſpenſare poteſtas humana.

Solvitur objectio ex ſcripturæ locis deducta.

Non nocet hæc anthoritas. Quia ibi Deus non prohibet abſolute cultum & venerationem imaginum, aut Sanctorum repreſentationem. Nec prohibet abſolute hujuſmodi imaginum conſtructionem, ſed ſolùm prohibet Idololatriam, & vult, Imagines Sanctorum fieri, non ut adorentur, ſed ut agnoſcantur interceſſores, ut ſuadent verba quæ præcedunt: *Non habebis Deos alienos coram te*, quibus non prohibentur imagines Sanctorum, nec picturæ, quibua viſis ad honorandos Sanctos provocamur, ſed prohibentur ſolum falſi Dij, quos tunc pingebat populus, & adorabat ut veros Deos: etenim quæ ſunt in textu ab Iconomachis relato. *Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus*, probant, populum velle adorare ut Deum, ſculptile, ut attentè conſideranti patebit, quia hæc particula: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, juncta alia, *non adorabis* demonſtrat, populum feciſſe ſculptile ad adorandum illud ut Deum, & excludit alium Deum, ſed non excludit id, quod excitat ad cultum, & adorationem veri Dei, ut de facto faciunt Crux, figuræ & imagines Chriſtianorum. Viſa quidem Cruce, ſtatim cor, & mentem dirigimus in Chriſtum Crucifixum.

Unde nè populus tunc ad Idololatriam pronus, falſos Deos adoraret, Deus prohibuit illis ſculptile, & omnem ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in Cœlo. At nos dum Sacras Imagines colimus, non illas tamquam Deos veneramur, quoniam noſtram adorationem, non ad illas, ſed ad earum exemplaria referimus, ut declarat Tridentinum loco citato, ubi legitur. *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repreſentant, ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.* Et ideo fideles in Eccleſiis imagines habentes, non poſſunt ità adoratores imaginum dici, ut adorent ſimulacra gentium, opera manuum hominum, ſed adoratores veri Dei, excitante, aut movente imagine depicta, quæ ut Scholaſticè loquar, non eſt medium *quod* adorant, ſed medium *quo* adorant Deum, & venerantur Sanctos in Cœlo regnantes.

Tridentinum.

Ad Philip. 2.

Hoc probat Apoſtolus ad Philipp. 2. vult enim ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, non propter illam ſillabam *Jeſu* abſolutè, & ſecundum ſe ſumptam, ſecluſo quocumque reſpectu ad Filium Dei, quem exprimit, ſed propter Filium Dei incarnatum ad cujus notitiam nos ducit hoc nomen *Jeſus* quem debemus adorare. Ità pariter diſcurrendum eſt de Imagine Chriſti depicta.

Adducunt etiam illud Joan. 4. verſ. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*, indeque imagines rejiciunt, eaſque omni cultu privant. Deus enim quærit eos, qui in Spiritu, & veritate adorant eum, ut habetur in verſu præcedenti, ubi legitur: *Venit hora & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, nam Pater tales quærit, qui adorent eum*, ex hoc (inquiunt hæretici) ſequitur quòd Chriſtiani non indigent imaginibus. Quia imagines colere, non eſt adorare in Spiritu, ſed corpore, nec in veritate, ſed in figura, & æquivocè.

Joan. 4.

Reſpondeo, veram adorationem eſſe in Spiritu, quia (teſte D. Auguſtino) fide, ſpe & charitate tendimus in Deum. Sed propter hoc, imagines è templis minimè rejiciendæ ſunt, quia non impediunt hujuſmodi adorationem: quinimo ad eam excitant. Nam intellectus noſter aliquandò cogitat quæ ſunt mundi, eſtque Dei oblitus, & affectus tepidus eſt, nec prout decet Deum amat, & ideò oportet aliquibus rebus exterioribus intellectum excitare; ut per earum aſpectum; & conſiderationem ad Dei memoriam excitetur, & reducatur ipſe humanus intellectus, & inflammetur voluntatis affectus. Quòd certo fit per aſpectum imaginum & picturarum Chriſti Domini, & Sanctorum ejus: nihil enim eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.

Explicatur authoritas D. Joan. 4.

Hoc beneficium patet ex dictis ſupra in probationibus, & ex Gregorio Niſſæno, quem referunt Patres Concilij Nicæni Secundi, dicentes quòd Gregorius ipſe, magni Baſilij Frater, Niſſæ in Capadocia Epiſcopus (unde Niſſænus vulgo dictus) viſa imagine Abrahæ Filium ſuum Sacrificantis, Lacrymatus eſt. Nos autem Chriſtiani Sacro Baptiſmate inſigniti, & Euchariſtico paſti, viſa imagine Chriſti in Cruce pendentis moveri debemus ad lacrymas fundendas pro peccatis noſtris pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ut notat Theodorus Epiſcopus Catanæ, dicens de eodem Gregorio: *Quanto magis depicta, incarnata diſpenſatio Domini noſtri qui propter nos, homo factus eſt, videntes ad perfectum, & lacrymarum effuſionem hortabitur.* Quia eumdem effectum præſtat Sanctorum imago; nam eâ viſâ, affectus noſter excitatur ad virtutes exercendas, & pœnitentias agendas (quibus Sancti pervenerunt ad gloriam ad quam tendimus) ut ſimul cum ipſis vivamus in gloria. Quomodo enim ſcire poſſumus quanta tormenta paſſi ſunt Sancti, ut pervenirent ad palmam Martyrij, niſi nobis repreſententur per imagines depictas, vel deſcribantur attramento. Hic ultimus modus eſt minus facilis, & minus communis: ergo alter qui fit per picturam, eſt neceſſarius, & habendus in omnibus Eccleſiis, ut diſcamus Chriſti, & & Sanctorum veſtigia.

Theodorus Epiſcopus

Adducunt tandem plura Concilia in quibus proſcriptus fuit cultus imaginum, pluresque Sanctos Patres, qui cultum imaginum prohibent. Sed non nocent Concilia, nec Patres Nam Concilia, quæ citant utpotè Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſaurico, Epheſinum III. ſub Copronymo. Et Francofordienſe ſub Carulo Magno, nullius ſunt authoritatis. Nam Conſtantinopolitanum eſt Illegitimum. Tum quia nullus Patriarcha illi interfuit. Tum quia omnes Catholici adverſus hæreticos illius Concilij (ſola authoritate Leonis Iconomachi Imperatoris congregati) clamaverunt. Idem dico de Epheſino III ut notant hiſtorici.

Concilia quæ referunt Iconoclaſta ſunt nulla.

Quantum ad Francofordienſe in quo adverſarij dicunt Synodum Nicænam II. fuiſſe improbatam, moneo cum Analiſtis hoc eſſe falſum. In ipſo enim Concilio Francufordienſi non Nicæna II. Synodus (quæ definierat, imagines eſſe colendas) damnata fuit, ſed Conſtantinopolitana ſub Leone Iſaurico celebrata, quæ imagines prohibebat, ut fuſiùs deſcriptum manet in hiſtoria Conciliorum.

Ad Sanctos Patres, qui imagines aliquandò, & in aliquibus occaſionibus prohibuerunt. Reſpondeo quod loquebantur de imaginibus & Statuis, quas gentes Regibus adhuc vivis affigebant, vel in publico loco collocabant, qualis fuit illa Statua Regis Nabuchodonoſor: Dan. 3. verſ. 1. *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine*

Digitized by Google

Reſponſio ad objectionem ex ſanctis patribus deductam.

cubitorum ſex, *& ſtatuit eam in Campodura provinciæ Babylonis*: quæ incunctanter conterendæ ſunt, Domino jubente Deuteron. cap. 12. *Diſſipate aras eorum, & confrigite ſtatuas, lucos igne comburite, & Idola comminute, diſperdite nomina de locis illis: non facietis ita Domino veſtro.*

Vel dico quòd Sancti Patres loquebantur de imaginibus, aut Statuis quorumdam mortuorum quorum memoriam non celebrat Eccleſia, nec inter Sanctos numerat, ut patet in ſcriptis aliquorum Sanctorum Patrum, & præſertim Auguſtini, & Hieronymi, qui plura ſcripſerunt contra adoratores & cultores ſepulchrorum non martyrum, ſed quorumvis mortuorum ſuper quorum ſepulchra dicunt eos luxurioſé manducare, & bibere, & ſuas voracitates religioni tribuere, contra mandatum Dei in Deuteronomio 12 jam memorato.

ARTICULUS XXXII.

Quo adverſus Manichæos defenditur ſalus Joannis Baptiſtæ.

BErnardus de Luxemburgo in ſuo hæreticorum Catalogo, in quo referuntur omnes hæretici, & omnes hæreſes, affirmat, Manichæos dixiſſe, Joannem Baptiſtam, præcurſorem Domini, & Filium Zachariæ, & Eliſabeth, fuiſſe damnatum, eo quod non crediderit in Chriſtum, à cujus fide & baptiſmo pendet noſtra ſalus: Scriptum eſt enim qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Manichæi hanc hæreſim, ſeu Joannem baptiſtam non credidiſſe probant, & Joannem Baptiſtam peccaſſe aſſerunt, quia cùm eſſet in vinculis, miſit duos Diſcipulos ad Chriſtum, ut interrogarent illum. *Tu es qui venturus es an alium expectamus?* teſte Matthæo cap. 11. verſ. 3. volunt enim, ipſum Joannem baptiſtam per hanc interrogationem dubitaſſe de divinitate Chriſti.

Manichæi

Non deſunt Scriptores, & præſertim Alphonſus à Caſtro adverſus hæreſes lib. 8. verbo, *Joannes*. Prateolus, & alij hæreſes impugnantes, qui credere non audent, Manichæos ita inſaniſſe. Eorum ratio eſt. Quia D. Auguſtinus in lib. de hæreſibus *ad Quodvultdeum* cap. 46. Divus Irenæus, Divus Epiphanius, Philaſtrius Brixienſis, & alij Sacri Scriptores, Manichæorum hæreſes recenſentes, hanc inter alias non ponunt, & inde conficiunt prædictos Manichæos longé ab hac hæreſi fuiſſe. Ego autem fidem adhibeo Bernardo de Luxemburgo; cùm multa alia majoris Dementiæ Manichæos dixiſſe conſtet, licet D. Auguſtinus, & alij hanc hæreſim ipſis Manichæis minimè tribuant, quoniam ex negativis, & ex omiſſis nihil bene conficitur. Plures veritates nobis fuere manifeſtatæ ab uno Evangeliſta, quæ ab alio omiſſæ fuerunt, & plures hæreſes referuntur ab uno Scriptore, quæ tamen ab aliis omittuntur. Nec poteſt hoc negare Alphonſus à Caſtro, quia ipſe ſæpé tribuit alicui hæreſes teſtimonio unius authoris, quas tamen eidem non tribuunt alij Scriptores. Ut autem lector ſciat quis & qualis fuerit Manichæorum patronus, & quo tempore fuerit, eum ad ſecundum huius operis articulum remitto brevitatis gratia, cui Studeo.

§. I.

In quo probatur Sanctitas Joannis Baptiſtæ.

DIco, Sanctitatem & gloriam, aut fœlicitatem Joannis Baptiſtæ proclamatam atque firmatam fuiſſe à Chriſto Domino dicente Matth. 11. verſ. 11. *Amen dico vobis non ſurrexit inter natos mulierum, major Joanne Baptiſta.* Hæc autem verba nedùm de natis, ſeu de Filiis mulierum tunc in terra exiſtentibus, ſed de omnibus abſolutè, & pro omni ſtatu, id eſt, tàm pro præteritis & futuris, quàm pro præſentibus intelligenda ſunt, ac proinde declarant, Joannem Baptiſtam eſſe majorem omnibus mulierum Filiis in gratia, Sanctitate, aut in gloria exiſtentibus; alioquin ſurrexiſſet aliquis major Joanne Baptiſta inter natos mulierum, imò plures, nimirum illi, qui ſunt in gloria, in qua non eſſet ipſe Joannes, qui, ipſo Joanne majores eſſent. Unde D. Auguſtinus ſerm. de S. Joanne Baptiſta inquit: *Naſcitur major homine, par Angelis, tuba Cœli, præco Chriſti, arcanum Patris, Filij nuntius, ſignifer ſuperni regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, & ut propriè dicam, legis & gratiæ fibula.*

Validum de Joannis Baptiſtæ ſanctitate argumentũ.

D. Auguſt.

Hujus diſtinctionis & excellentiæ rationem aſſignat Chriſtus apud eumdem Matthæum, ubi eum laudat de fortitudine & mentis conſtantia. Ibi enim ait; Joannem non eſſe arundinem vento agitatam, quæ ad omnem ventorum flatum movetur, ut ſuadeat, ipſum Joannem Baptiſtam ſemper manſiſſe in gratia, quam receperat. Inſuper idem Evangeliſta commendat illum a temperantia, & illum ut virum auſterum, & pœnitentem depingit, dicens quòd ipſe Joannes eſt vir non mollibus veſtitus, vir non manducans, neque bibens. Declarat etiam illum longè eſſe ab adulatione; cùm aſſerat illum non eſſe in domibus regum, qui autem in domibus regum ſunt hujuſmodi morbo laborant, teſte Seneca Epiſt. 60. ad Lucillum, ubi docens, aures claudendas eſſe Adulatoribus inquit: *Alexander cum in obſidione cujuſdam urbis circuiſſet muros Ictu ſagitta percuſſus cum repreſſo Sanguine ſicci vulneris dolor creſceret, & crus obſtupuiſſet: coactus abſiſtere, omnes, inquit, jurant me eſſe Filium Jovis, ſed vulnus hoc me hominem eſſe clamat: idem nos faciamus, dicamus, vos quidem me eſſe prudentem dicitis: ego autem video quod multa inutilia concupiſcam, nocitura optem.* Quibus demonſtrat, multos eſſe apud Principes, adulatores, quorum vitij reus minime fuit Joannes Baptiſta, teſte Marco Evangeliſta cap. 16. verſ. 18. *dicebat enim Joannes Herodi non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Quòd certo non dixiſſet ſi fuiſſet adulator, aut alterius peccati reus. Hinc eſt quòd D. Auguſtinus exponens hæc verba Herodiadis: *Da mihi in Diſco &c.* inquit, *cur in diſco? cur pretioſe geſtas quem viliter occidis, niſi quia pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.*

Seneca

Mar. 16.

Chriſtus alias laudes enarrat de Joanne Baptiſta, quæ cùm veriſſimæ ſint, omnem removent locum ambigendi de ſalute & gloria ipſius Nam loco citato dicit, illum eſſe prophetam & pluſquam Prophetam. Dicit, illum eſſe Angelum, quòd non debet intelligi ſubſtantialiter, ita ut fuerit eſſentialiter Angelus, cum fuerit homo miſſus à Deo, ſed propter vitam Angelicam, quam ducebat, & puritatem quâ pollebat. Quare D. Chryſologus ſerm. 127. inquit: *Joannes virtutum ſchola, vitæ magiſterium, forma Sanctitatis, norma juſtitiæ, virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, fidei diſciplina, major homine, par Angelis, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, præco Judicis, præcurſor Chriſti, metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis.* Nonne tot, tantaque Encomia viro prædeſtinato & Sancto dumtaxat conveniunt, & probant, Joannem Baptiſtam eſſe columnam cœli, gloriam generis humani, & miraculum mundi ut tradit Guarricus Abbas.

D. Chryſol.

Anabaptiſtæ licet non impugnent ſanctitatem Præcurſoris Meſſiæ ſicut Manichæi, tamen hanc rationem reiiciunt, nam reſpondent teſtimonia Chri-

ſti, non de Joanne Baptiſta, ſed de Elia, eſſe intelligenda.

Rejicitur, falſa anabaptiſtarum reſponſio.

Purum atque inane commentum eſt hæc reſponſio. Quia Lucas cap. 1. verſ. 17. loquens de eo, de quo loquitur Chriſtus Matth. 11. verſ. 10. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, ait: *ipſe præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ*, non perſonâ, ſed zelo & officio: at ille de quo loquitur Lucas, eſt Joannes Baptiſta, ut conſtat ex eodem Evangeliô, & præſertim ex verſ. 13. *Ne timeas Zacharias quoniam exaudita eſt oratio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi Filium, & vocabis nomen ejus, Joannem, & erit tibi gaudium, & exultatio, multi in nativitate ejus gaudebunt, erit enim magnus coram Domino*: ergo etiam ille, de quo loquitur Matthæus, eſt Joannes Baptiſta, ideo Joannes Baptiſta eſt ille de quo intelligenda ſunt teſtimonia Chriſti, ſubindeque ipſe Joannes eſt veré Beatus, & Sanctus.

Cyrillus in Concilio Epheſino 1. Epiſt. ad Monachos Ægipti, & Gregorius primus lib. 9. ex regeſt. Epiſt. 39 teſte eminentiſſ. Cardin. noſtro Laurea in Epitom. Can. declarant quòd Joannes Baptiſta exivit Sanctus ex utero matris ſuæ: ergo eſt beatus, ex hoc quippe privilegio infallibiliter ſequitur, aut colligitur prædeſtinatio ad gloriam. Unde idem D. Chryſologus ſic loquitur: *Beatus qui ante Dei Spiritu meruit intonare quàm hominis vagiret in fletu, qui ante divina poſſidere meruit, quàm ſortiretur humana. Beatus qui ante meruit ſcire Cœlum, quàm terram, beatus qui antequam ſaperet quærere, meritum conquiſivit, beatus qui non pervenis ad gratiam per laborem, ſed ad labores ipſius gratia dignatione deſcendit .... Fœlix nuntius, qui ante geſtivit nuntiare quàm vivere, impatiens dux qui antequam perveniret ad corpus, pervenit ad regem, ante rapuit arma quàm membra, ante aciem petiit, quàm lucem, & ut vinceret mundum, vicit ante naturam.* Inde enim facilè infertur, Joannem Baptiſtam eſſe beatum, cum tot, tantaque beneficia gratiæ infallibiliter ducant ad gloriam; ſunt enim fontes aquæ Salientis in vitam æternam, ut docet Sacra Scriptura, & conferuntur Electis, inter quos neceſſariò reponendus eſt Joannes Baptiſta juxtà illud quòd Gabriel Angelus dixit Zachariæ. Luc. 1. verſ. 15. *Erit enim magnus coram Domino, vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero matris ſuæ.*

D. Chryſologus.

Luc. 1.

§. II.

In quo Datur ad Manichæos Reſponſio.

MAnichæi dicunt ea, quæ Chriſtus dixit de Joanne, dicta fuiſſe antequam ipſe Joannes Diſcipulos ſuos mitteret ad Chriſtum, ut eum interrogarent, hoc eſt, antequam dubitaret de adventu, & divinitate Meſſiæ, & ideo (inquiunt) non probant, ipſum Joannem Baptiſtam eſſe beatum, ſed ſolum fuiſſe Sanctum Sanctitate, aut gratia eminenti, quam perdidit amittendo fidem de divinitate Chriſti.

Rejicitur falſa manichæorum interpretatio.

Falſa eſt hæc reſponſio, & manifeſtè contra Sactam Scripturam. Legimus enim quòd Chriſtus auditis Diſcipulis à Joanne Baptiſta miſſis, dixit illis, Matth. cap. 11. verſ. 4. *Euntes renuntiate Joanni quæ vidiſtis, & audiſtis.* Et verſ. 7. ejuſdem Evangelij, *illis autem abeuntibus*, id eſt, diſcipulis Joannis *cæpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne, quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam*, & cætera, quæ ſupra retulimus de Joanne Baptiſta juxtà Evangelium Matthæi verba Chriſti referentis: ergo hæc, omnia dicta fuerunt à Chriſto Salvatore noſtro poſt miſos Diſcipulos miſſos, & poſt factam interrogationem per quam Manichæi intendunt, & aſſerunt Joannem Baptiſtam peccaſſe.

Reſponſio ad manichæorum rationem.

Ad rationem Manichæorum in principio articuli relatam, reſpondeo quod per interrogationem: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Joannes Baptiſta non peccavit, quia non fuit ex incredulitate. Non enim ſuo nomine, & propter ſe interrogat Joannes, ſed propter ſuos Diſcipulos, quos in fide Chriſti videbat nutantes, ut interpretatur D. Chryſoſtomus ſuper Matth. Unde Chriſtus optimè agnoſcens cogitationes ipſorum, nullum Diſcipulis dedit reſponſum, ſed multis coram illis factis miraculis, ad Joannem redire mandat, ut quæ audierant, & viderant, illi renuntiarent. Hujus rei ratio eſt (inquit Theophilatus) ut inde Diſcipulos ſuos (quos parum fideles noverat) apertius de fide Chriſti inſtrueret, virtute miraculorum, & inſtructos confirmaret: Igitur Joannes non interrogat quaſi ignorans Chriſtum, nam quo pacto ignoraret Chriſtum eſſe verum Deum, verumque æterni Patris Filium; cùm certum ſit quòd exultavit in utero matris ſuæ, Chriſtum Salvatorem ſuum ac Dominum in virginis utero, & agnovit, & ſalutavit. Imò & annuntiavit, & poſt Chriſtum natum dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Nullo ſanè pacto Manichæi poſſunt aſſerere, Joannem Baptiſtam dubitaſſe de divinitate Meſſiæ; cùm ſit certum quòd perfectè noverat Chriſtum.

Joannes Baptiſta non dubitavit de divinitate Chriſti.

Certum eſt inſuper quòd miſit Diſcipulos ſuos ad Chriſtum, & per ipſos eum interrogavit, quia Diſcipuli invidebant Chriſto, ut viſis miraculis, id eſt, ut poſtquam viderint, cæcos videre, claudos ambulare, leproſos mundari, ſurdos audire, & mortuos reſurgere, crederent, Chriſtum eſſe majorem Joanne, quem aſpiciebant ut Meſſiam mittendum propter miracula, quæ ab ipſo facta fuiſſe viderant. Nec poterat ipſe Joannes aptiore uti medio ad ſuadendum Diſcipulis ſuis, Meſſiam eſſe eo majorem.

Manichæi addunt aliam rationem, & dicunt, Joannem Baptiſtam peccaſſe, dum à Militibus ſic interrogatus, Luc 3. verſ. 14. *Quid faciemus & nos.* Reſpondit illis: *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Hæc reſponſio (inquiunt) eſt mala, quia approbat bellum, quod eſt illicitum.

Joannes Baptiſta non peccavit approbando bellum.

Concedo Joannem Baptiſtam hac reſponſione approbaſſe bellum. Tamen dico quòd non peccavit, quia ut dictum manet in lib. 2. contra ipſos Manichæos, nulla eſt lex, quæ juſtum bellum prohibeat, aut artem militarem damnet: ergo Joannes Baptiſta non peccavit in hac reſponſione, nec debuit dicere Militibus, arma abiicite, militiam deſerite, ut putant Manichæi, qui ex uno errore ortum alteri præbent, ſeu volunt Joannem Baptiſtam in hac reſponſione peccaſſe, quia contra Sacram Scripturam damnant bellum Juſtum.

ARTICULUS XXXIII.

Vindicat adverſus Elcheſaitas, ſanctitatem Martyrum.

Baſilides.

PRæter Cerinthianos, Beatos Martyres afficientes blaſphemiis, ſunt alij hæretici, qui Sanctitatem Martyrij negarunt. Nam Baſilides ut homines à martyrio averteret, témpore Adriani Imperatoris, & & Alexandri I. circa annum CCXXIV. aſſeruit non parvam fore dementiam tempore perſecutionis mori pro fide Chriſti profitenda, credebat enim ille hæreticus, vitam eſſe ità, rebus omnibus

præferendam, ut ab unoquoque citrà crimen poſſit Chriſtus negari, & omnia fidei myſteria in quacumque occaſione deſpici inculpabiliter, pro conſervatione vitæ propriæ.

Poſtea, ſcilicet anno: CCXXXIX regnante Julio Maximo Imperatore & Fabiano Eccleſiam Dei regente, eamdem hæreſim amplexi ſunt Elcæſæi, ſeu Elchæſaitæ ſic dicti à quodam PſeudoPropheta, nomine Elchæſaæ, ex cujus genere duas Mulieres tanquam Deas ab eis, Epiphanius perhibet adoratas. Dixerunt enim, teſte Euſebio lib. 6 hiſt. Eccleſ. cap. 28. negare Chriſtum non eſſe peccatum, ac proinde martyrium nedū eſſe ſuperfluum, ſed etiam pernitiuſum, & de genere homicidij, quia putabant velle mori pro Chriſto (etiamſi ſit occaſio confitendi fidem Chriſtianam) idem eſſe ac velle ſe occidere inordinatè & indebitè. Reverà horum hæreticorum ſeu Elchæſaitarum mens erat ſuadere, Chriſtum non fuiſſe Crucifixum à Judæis, ſed Simonem Cyrenæum, ut in primo libro dictum eſt contra Baſilidianos, nihilominus volebant etiam ſuadere, hominem non poſſe citrà peccatum morti ſe exponere etiam pro tuenda divinitate Chriſti; & ideo aſſerebant, nullum hominem poſſe aſſequi vitam æternam moriendo etiam ex motivo dilectionis Dei, & charitatis, quia (ut dicebant) hæc dilectio non diſpenſat in præcepto, *Non occides*, eorum ratio erat, quia, qui in corde ſuo fixus eſt, ſe in fide permanſurum, poteſt tempore perſecutionis pro neceſſitate, Chriſtum linguâ negare, at hæc ratio eſt impia, ut videbimus infra. Contra hanc hæreſim nullum vidi Concilium; contra ipſam tamen plures ſunt in jure Canonico authòritates.

Elchæſaitæ.

§ I.

De Sanctitate Martyrij.

IN libro quinto Conſtitut. Apoſtolic. cap. 1. ille qui pro Deo occiditur, dicitur Martyr, ut refert Eminentiſſimus Cardiualis Laurea in Epitom. Canonum, verbo, *Martyr*. Sanè hæc conſtitutio facta non fuiſſet, ſi nemo poſſet citrà peccatum ſuſtinere martyrium, aut ſi Martyrium eſſet ex ſe malum. Nam martyrium eſt actus virtutis quadruplicis, ſcilicet fortitudinis ut elicientis principaliter, patientiæ verò ut elicientis conſequenter, charitatis ut imperantis, & fidei ut finis inquit D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 124. art. 1. & 2. ideoque nequit eſſe actus ex ſe malus, ſed potius actus maximæ perfectionis, non quidem ſecundum ſe, ſed ut imperatur à charitate, quia Martyr ſic conſideratus diligit Deum ſuper omnia, imo martyrium naſcitur ea illa dilectione Dei ſuper omnia.

Origo martyrij.

Inſuper martyrium obtinet vim baptiſmi, ut probat ejuſdem Sacramenti diviſio in baptiſmum fluminis, flaminis, & Sanguinis ab omnibus Theologis approbata, & ideo quodlibet baptiſma, Adultum penitùs purgat ab omni culpa tam mortali, quàm veniali, niſi hæc paſſio pro Chriſto ſuſcepta voluntatem peccato actualiter inhærentem invenerit, nullus quippè pervenit ad vitam æternam, niſi ab omni culpa, & reatu pœnæ abſolutus fuerit, ut facilè infertur ex illo Apocalyp. cap. 21. verſ. 27. ubi aſſeritur quòd coinquinatum non intrabit in regnum Cœlorum. Hæc autem univerſalis abſolutio fit in ſuſceptione martyrij, ſicut in ſuſceptione baptiſmi, ut patet nedùm ex diviſione ejuſdem ſupra relata, ſed etiam ex definitione martyrij.

Idem docet D. Auguſtinus loquens de comparatione horum baptiſmatum, dicens: *Baptizatus confitetur fidem ſuam coram Sacerdote, martyr coram perſecutore, ille poſt profeſſionem aſpergitur aquâ, hic, Sanguine, ille per impoſitionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti.* Inde enim ſequitur quòd ſubire martyrium, & mori pro Chriſto, & fide Catholica, eſt valdé meritorium, & maximam obtinet gratiam ex privilegio ſpeciali, aut publica proteſtatione à Chriſto facta, Matth. 16. verſ. 25. *Qui autem perdiderit animam ſuam*, id eſt vitàm ſuam, *propter me, inveniet eam.* Et cap. 10. verſ. 37. *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus*, ille autem, qui pro Chriſto, ejuſque divinitate profitenda moritur, ipſum Chriſtum diligit ſuper omnia & perdit vitam propter eum; ideoque eſt Chriſto dignus, & meretur regnare cum ipſo in gloria.

Effectus martyrii.

Matth. 16.

Hujus veritatis ratio eſt, primò quia martyrium configurat hominem Paſſioni Chriſti, ſicut baptiſmus aquæ, hocque nobilius, nam configuratio baptiſmi eſt tantùm Sacramentalis, & in genere ſigni martyrij verò configuratio eſt realis à perfectiſſima charitate procedens. Secundò, remittit peccatum originale cum aliis, ſi quæ ſint, cùm conferat gratiam ex opere operatu, ut docent D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, & fere omnes Theologi, quia hæc mors eſt effectus dilectionis Dei ſuper omnia quæ incompatibilis eſt cum peccato. Unde de martyribus dicitur, Apocalyp. cap. 7. *laverunt ſtolas ſuas in Sanguine Agni*, & ideo pueri licet liberum arbitrium non habeant, ſi pro Chriſto occidantur in Sanguine baptizantur, & ſalvantur. Tertio tandem, martyrium remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quàm temporalem, ut monet Divus Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 17. dicens: *injuria eſt pro martyre orare, cujus debemus orationibus commendari.* Deus enim poſuit in capite ejus coronam de lapide pretioſo, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum.

Apocalyp. 7.

D. Auguſtinus.

Nonne tot, tantique effectus gratiæ & benedictionis tantum à cauſa bona & Deo grata provenire poſſunt? idcirco martyrium quo mediante plures utporé Stephanus, Laurentius, & alij memorata beneficia ſuſceperunt, debet eſſe bonum, & Deo gratum, & martyres debent ſtatim poſt mortem frui gloriâ æternâ. Quòd ut clariùs appareat, moneo cum D. Thoma, martyrium eſſe maximæ charitatis ſignum, quia tanto magis oſtenditur aliquis aliquam rem amare, quantum pro ea re amata contemnit. Ille autem qui pro Chriſto moritur, contemnit vitam propriam, quam amat (nemo enim odit animam ſuam) ſed magis amat Chriſtum quàm ſe, & mavult Catholicam fidem defendere, quàm vivere: igitur meretur aſcendere in Cœlum. Nam qui contempſerunt vitam mundi, pervenerunt ad regna cæleſtia; qui ſic moritur maximam charitatem oſtendit ſe habere pro Deo & pro fide Catholica, quia ſi majorem charitatem nemo habeat, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ut declarat D. Joannes cap. 15. certum eſt quòd ille, qui animam ſuam ponit pro Chriſto, maximam charitatem habet, & ab ipſo Chriſto maximé diligitur. Hinc eſt quòd nullus poteſt citrà hæreſim contumeliis afficere martyrem, nec negare, martyrium eſſe efficaciorem viam perveniendi ad coronam immortalitatis, & ad vitam æternam, idcirco Eccleſia in ſolemnitatibus martyrum ità Canit: *Gaudent in Cælis animæ Sanctorum qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, & quia pro ejus amore Sanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto exultant ſine fine.* Meruerunt habere illam coronam perpetuam. Quia tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia.

Excellentia martyrij.

Martyrium eſt teſtimonium Deo datum per paſſionem, aut mortem pro ipſo toleratam. Nam. D. Auguſtinus Serm. 2. in Pſal: 34. declarat quòd non pœna, ſed cauſa Martyres facit. Pœna eſt communis Latroni, & Martyri, Hæretico, & Catholico, qui omnes mortem pati poſſunt; ſed diſpar eſt cauſa, quia Martyr moritur, ut teſtis, hoc eſt, pro tuenda divinitate, aut fide Catholica. Quòd non dicitur de omnibus, qui mortem patiuntur V. G. de Reis, quos juſtitia damnat ad ſupplicia propter crimina, qui licet ſuſtineant pœnam, ſeu ſupplicia Martyrum, Martyres tamèn non ſunt, quia non habent Martyrum cauſam, ſcilicèt animum, aut motivum.

Non pœna ſed cauſa Martyres facit.

Undè ſi bonum ſit, atque meritorium veritatem religionis teſtificari contra eos, qui Fideles impellunt ad negandam eam, ut infertur ex illo Matth. 10. verſ. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt:* Neceſſariò ſequitur, quòd non teſtificari eam, dum id debitum exigit, aut eam negare dum eſt confitenda propter gloriam Dei, eſt malum & demeritorium juxtà illud ejuſdem Matth. verſ. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt.* Idem docet Apoſtolus 2. ad Timot. cap. 2. verſ. 12. *Si ſuſtinebimus & conregnabimus, ſi negaverimus, & ille negabit nos.* Hæreticum eſt igitur contumelijs afficere eos, qui teſtificantur fidem Chriſti, ſeu Martyres, qui omnia bona temporalia liberè aſpernunt, ut ad futura, & ad inviſibilia perveniant. Qui malunt mori, quàm auferre à Deo adorationem, quæ debetur illi. Et pro gloria Dei militare, quàm pro propria gloria & vita. Nam ſi Chriſtus animam ſuam poſuit pro noſtra ſalute, nos etiam debemus animam noſtram ponere pro gloria ejus, & pro authore totius vitæ. Vitam noſtram dimittere, dum ex fuga noſtra, Deus poteſt ab impijs contemni, ſeu dum adeſt neceſſitas confitendi nomen Domini, & fidem Jeſu Chriſti, ut facilè colligitur ex dilectionis & adorationis præcepto, quó tenemur Deum ſuper omnia diligere.

Matth. 10.

2. Timot. 2.

Tandem actus Martyrij eſt per ſe omninò Hæroicus, verſatur enim circa bonum maximè arduum, nempè circa veritatem eſſentialem, quæ eſt Deus. Et circà propriam vitam ipſius Martyris; cùm ad perfectam rationem Martyrij requiratur quòd aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum. Exigit inſuper hæc ipſa ratio Martyrij perfectiſſimam dilectionem in illis, qui ſua ſpontè acerbam mortem præferunt negationi Chriſti, aut malunt mori, quàm negare Chriſtum; cùm abſque perfecta charitate nemo poſſit ſe offerre Martyrio. Dare enim animam ſuam liberè, ac ſpontè pro alio, eſt amare illum pluſquam ſe, quoniam non quod poſtponimus, ſed quod amplectimur magis amamus. Hoc autem facit Martyr pro Deo. Quia pro ipſius gloria vult mori, & in ſanguine ſuo teſtis fidei Chriſtianæ fieri, ergo poſt mortem debetur illi præmium, aut palma, vel corona, ſeu vita æterna, juxtà Matthæum ſuprà relatum.

Finis Martyrij.

Idem ex illo ad Rom. 8. verſ. 28. *Scimus autem quoniam diligentibus eum, omnia cooperantur in bonum,* hoc eſt, ad ſalutem; unde cùm Martyr Deum diligat ſuper omnia, Martyrium cooperari debet illi in bonum & poteſt dicere Deo, dum eſt in ſupplicijs, & poteſtate Tyranni. Propter te mortificor tota die, exiſtimatus ſum ſicut ovis occiſionis, ſed in omnibus his ſupero propter eum, qui dilexit me. Certus ſum enim quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro. Hujus teſtimonij ratio eſt, quia vult mori, ut Hæreticos confundat, & veros divinitatis generet adoratores. Sanguis quidem Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum ut aſſerit Tertullianus. Quomodo igitur talis, tantuſque amor poteſt eſſe abſque præmio apud Deum? Nulla poteſt contrà hoc, id eſt, contrà tale præmium futurum, aſſignari ratio, niſi frivola, & inanis: Deus enim ait: *Ego diligentes me diligo*: Ergo diligit Martyres, quia diligunt eum. Eandem dilectionem Dei ergà homines, qui diligunt eum, affirmat ipſemet Chriſtus Joan. 14. verſ. 21. dicens: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.*

Rom. 8.

Tertullian.

Joannes. 14.

§. II.

De Reſponſione ad Rationem Hæreticorum.

HÆretici unam rationem afferunt contra ſanctitatem Martyrij; licet varijs contumeliis Martyres afficiant. Conſiderant Martyrum pœnam, videntque eam pernitioſam naturæ; quæ propriam conſervationem appetit, ſed non conſiderant Martyrum cauſam, quæ eſt gloria Dei, & teſtimonium fidei Catholicæ ſine qua non poteſt haberi ſalus. Volunt, Martyrium eſſe de genere homicidij voluntarij.

Martyrium non eſt de genere homicidij.

Dico hanc rationem eſſe falſam, quia confiteri nomen Dei, aut in neceſſitate tueri fidem Chriſti, etiam cum periculo, aut amiſſione propriæ vitæ, non eſt contra præceptum *non occides*; licet enim civibus pro defenſione reipublicæ mori. Et militibus pro defenſione Regis etiam in periculo vitæ militare, à fortiori licebit nobis exponere vitam abſque violatione hujus præcepti, *non occides*, dum urget neceſſitas tuendi exiſtentiam & veritatem authoris vitæ; quippecùm ab ipſo, & in ipſo vivamus, moveamur, & ſimus, pro ipſo vitam noſtram dare debemus, dum urget præceptum de fide tuenda.

ARTICULUS XXXIV.

Demonſtrat Circumcellionibus, eum qui pro peccatis ſuis ſe interimit, non eſſe Martyrem.

ANno Domini: CCCXLIX. tempore Conſtantij Imperatoris, & Julij Papæ emerſerunt quidam viri Hæretici natione Africani dicti Circuitores, aut Circumcelliones, ut notat D. Auguſtinus lib. de Hæres. cap. 69. qui terram circuibant, ut ille, qui eos inveniret, occideret eos. Et ut deſiderium moriendi ſuum aſſequeretur finem, quos in via inveniebant, cogebant ut interficerent eos, dicentes ſe deſiderare pati Martyrium, & occidi, credebant enim ad Martyrium nihil aliud requiri præter occiſionem. Et volebant illum eſſe Martyrem, qui fuerit ab alio occiſus quacumque ex cauſa. Et dum non inveniebatur qui vellet occidere eos, per mortes varias, maximè præcipitiorum, aquarum, & ignium ſe ipſos necare conſueverant, & in hunc furorem alios ſeducebant ut ſe ipſos occiderent ſi vellent pervenire ad palmam Martyrij. Circumcelliones juxtà D. Hieronymum, Campates dicuntur, idcoque hîc non ſunt diſtinguendi à Campatibus, ut volunt plures Scriptores, cum ex illo S. Doctore ſolo nomine ſunt diverſi Circumcelliones & Cãpates.

Circumcelliones.

Campates.

His omnibus ſucceſſit Petilianus, ſectâ Donatiſta, D. Auguſtini conviciator acerrimus, & veritatis Catholicæ vehementiſſimus hoſtis & oppugnator, qui tempore Honorij, & Theodoſij Imperatorum, & Innocentij I. hujus nominis Papæ, docuit, eos, qui ſe pro peccatis interimunt debere Martyres nuncupari, eo quod in ſe puniant delicta, quæ commiſerunt, & moriantur pro eo, pro quo mortuus eſt Chriſtus, ſcilicet pro peccato. At hæc ratio non valet. Quia peccatum commiſſum non exigit mortem corporis, ſed pœnitentiam. Deus enim ait: nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat.

§. I.

De Eſſentiali ratione Martyrij.

HÆreticos penitus confundit definitio Martyrij, quâ conſtat, Deum eſſe motivum, aut objectum Martyris. Nam ſi ex objecto actus ſpecificetur, certum eſt quòd mori pro ſe, aut pro alio motivo diſtincto à Deo, non poteſt habere vim, nec naturam Martyrij. Et ille, qui petit ab alio occidi, vel ſe ipſum occidit, quia peccavit, non moritur pro Deo, nec pro gloria ejus interficitur, ideoque potiùs homicida eſt, quàm Martyr.

Definitio martyrij ab omnae circumvelliones

Deinde Deus in lib. Exod. cap. 20. inter præcepta decalogi reponit illud. *Non occides*, quo quidem præcepto prohibetur quælibet hominis occiſio, ſi excipias illam, quæ fit ex præcepto judicis in vindictam malefactorum, juxtà illud ejuſdem libri cap. 22. verſ. 18. *maleficos nè patiaris vivere*. Unde ſi non liceat occidere alium, multominùs licebit ſe ipſum occidere, aut velle occidi ab alio præciſo motivo charitatis, aut ſubiata neceſſitate confitendi fidem Chriſti. Unuſquiſque poteſt citrà peccatum occidere Aggreſſorem vitæ, ſi non ſit alius modus conſervandi propriam vitam, quàm mors injuſti aggreſſoris, qoia unuſquiſque tenetur propriam vitam præferre vitæ alterius qui vult eum injuſtè occidere. Ex quo ſequitur quòd præceptum, *non occides*, prohibet quamlibet occiſionem volontariam, & abſque ulla neceſſitate procuratam, ſubindeque prohibet eam quam approbant, & extoliunt Hæretici, quos hîc impugnamus, quoniam eſt occiſio hominis verè injuſta

Hujus rei ratio eſt. Quia qui ab alio interimi cupit, aut qui ſeipſum interimit, agit contrà naturalem omnium hominum inclinationem, non ſolùm contra inclinationem malam, quæ eſt in natura depravata, ut gratis objicere poſſunt aliqui in malignitate gloriantes; ſed etiam contra inclinationem naturæ perfectæ. Scriptum eſt enim: honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, & ideo vita longa, aut deſiderium vivendi, non poteſt eſſe contra perfectionem naturæ. Quare, Apoſtolus 2. ad Corint. cap. 5. verſ. 4. ait: *Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri: ut abſorbeatur quod mortale eſt à vita*, & ideo cum talis inclinatio ſit ſemper recta, debet eſſe ità ſub præcepto, ut qui contra illam agit, nulla exiſtente cauſa legitima, malè agat, & peccet mortalitèr qui ſe interimit. Hinc eſt quod D. Auguſtinus tract. 51. in Joan. inqoit. *Vide ne tibi ſubrepat, ut te ipſum velis occidere, ſic intelligendo quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perverſi homines, & in ſe ipſis crudeliores, ac ſceleratim et homicida, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit, imo etiam diabolo præcipitium ſibi ſuggerenti reſpondit, redi retrò ſatanas, ſcriptum eſt enim, non tentabis Dominum Deum tuum*: Ergo ille, qui ſeipſum interimeret, non eſſet Martyr, ſed homicida, ac ſi prorſùs voluntariè occidiſſet alium; hæc qoidem occiſio eſſet prorſùs voluntaria, & oppoſita præcepto *non occides*; ſicut occiſio alterius.

2. Corint. 5

D. Auguſt.

Dicet forſan quis, Eccleſiam Romanam ſumma cum ſolemnitate celebrare Martyrium quorumdam qui ſeipſos occiderunt, fugientes rabiem Tyrannorum, ut patet in hiſt. Eccleſ. de quibuſdam mulieribus apud Alexandriam: ergo D. Auguſtinus condemnare non poteſt eos, qoi ſe occidunt, & ex illa occaſione Martyres eſſe volunt, nec eos condemnat, nam in lib. de civit. Dei cap. 26. refert, quod quædam ſanctæ Fœminæ tempore perſecutionis, ut Inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum, atque necaturum ſe flumen projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, & earum Martyria, in Catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur, & earum reliquiæ in laude, & cultu habentur.

Non nocet hæc authoritas Divi Auguſtini, nec favet Hæreticis, ut ipſi putant, quia alibi inquit quòd nulli licet ſibi manus injicere quacumque de cauſa, niſi forte divina inſpiratione fiat, ad exemplum fortitudinis oſtendendum, ut mors contemnatur pro Dei gloria, ut triumphet fidei veritas contrà Hæreticos, qui eam abolere conantur. Illæ autem mulieres, quæ ſeipſas occiderunt apud Alexandriam Tyrannorum rabiem fugientes, divino inſtinctu, mortem ſibi intuliſſe creduntur, nè cum Tyrannis peccarent, ut inſinuat idem D. Auguſtinus loco citato. Et propter hoc, earumdem fœminarum Martyria Eccleſia celebrat, & reverá Martyres ſunt, cùm ex charitate & amore Dei ſuper omnia proceſſerit hæc occiſio. Nec implicat hæc celebratio, aut ſolemnis feſtivitas. Poſſibile eſt enim quod Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus divina perſuaſerit authoritas, ut iſtarum ſanctarum Mulierum memoriam ſic honoraret, earumque reliquias in coltu haberet.

Explicatio menti D. Aug.

Non enim hominis, ſed Dei eſt Martyrij voluntas, ut facilè infertur ex eo quod fortitudo & charitas, quæ ad Martyrium alliciunt, ſint à Deo, à quo eſt omne bonum perfectum. Nec debet Chriſtianus occidi à ſeipſo ſpontè, ut colligitur ex eodem D. Auguſtino loco ſupra laudato in Joan. ubi habetur: *Petre autem dixit*, id eſt, Chriſtus, *ſignificans quâ morte clarificaturus erat Deum, cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas quo volebas, cum autem ſenueris, alter te cinget, & feret quo tu non vis, ubi ſatis expreſſit non à ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti, & pro ipſo vult ſubire tormentum.* Martyr coronatur in cœlo, quia legitimè certavit in terris contra hoſtes Chriſti, cujus miles erat.

D. Auguſt.

Si nolint hac authoritate convinci Hæretici credentes, Martyrem eſſe illum, qui pro peccato ſuo ſe interimit. Huic authoritati D. Auguſtini addo exemplum Judæ proditoris, qui dolens de peccato quod commiſerat, ſe ſuſpendit, ut refert Matth. cap. 27. verſ. 5 ubi de Juda habetur: *Et projectis argenteis in Templo; & abiens, loqueo ſe ſuſpendit.* Hanc autem occiſionem fuiſſe factam propter peccatum commiſſum conſtat ex verſu præcedenti, in quo legitur, Judam dixiſſe: *Peccavi tradens Sanguinem juſtum*, Sed ipſe Judas nonobſtante hac morte, fuit damnatus, ut habetur in verſ. 3. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit quod damnatus eſſet.* Et ut prædixerat David in Pſal. 108. ubi ait de Juda, *Cum judicatus exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus*

Judas non fuit Mart.

accipiat alter. Hæc enim ſunt intelligenda de Juda proditore, ut teſtatur D. Petrus, act. 1. in Sermone quem ad Condiſcipulos habuit poſt Chriſti aſcenſum in cœlum, ut eligerent alium in Apoſtolatum Judæ, dicens verſ. 16. *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus, per os David de Juda, qui fuit Dux eorum qui comprehenderunt Jeſum*: Ergo ſeipſum occidere cauſâ puniendi peccatum proprium, & voluntariè commiſſum, non eſt eſſe Martyrem, ſed homicidam.

Act. 1,

Idem habetur In Can. *ſi non licet*, 23. quæſt. 5. ubi legimus. *Si non licet privata poteſtate alicui hominem occidere innocentem; cujus occidendi licentiam lex nulla concedit: profectò etiam qui ſe ipſum occidit, homicida eſt & tanto ſit nocentior cum ſe occiderit, quanto innocentior in hac cauſa fuit, quâ ſe occidendum putavit. Nam ſi Judæ factum meritò deteſtamur, eumque veritas judicat, (cum laqueo ſe ſuſpendit) ſcelerata illius traditionis potius auxiſſe quàm expiaſſe commiſſum: quoniam de Dei miſericordia deſperando exitiabiliter pœnitens nullum ſibi ſalubris pœnitentiæ locum reliquit; quanto magis á ſua nece ſe abſtinere debet, qui tali ſupplicio quod in ſe puniat, non habet: Judas enim cum ſe occidit, ſceleratiſſimum hominem occidit, & tamen non ſolum Chriſti, verum etiam ſuæ mortis reus finivit hanc vitam, quia licet propter ſcelus, alio tamen ſcelere ſuo occiſus eſt.* Et ſtatim additur exemplum de falſo teſtimonio, quod nullus poteſt dicere de ſeipſo; quin peccet mortalitèr tenore hujus præcepti: *non dices falſum teſtimonium.* Igitur nullus poteſt ſine peccato, tenore ejuſdem præcepti ſe occidere; cùm qui ſe occidit, hominem occidat, ſicut ille qui occidit alium proprio motu, nulla interveniente cauſa ab homicidio excuſante.

Authoritas Juris Canon

His omnibus addo judicium Pauli Apoſtoli. Legimus enim Act. 16. quòd cuſtos carceris, in quo erant Paulus, & Silas incluſi, videns apertas carceris januas, & univerſorum vincula ſoluta, expergefactus, evaginato gladio volebat ſe occidere, exiſtimans fugiſſe vinctos, clamavit autem Paulus voce magna, dicens cuſtodi, *nihil tibi mali feceris: univerſi enim hic ſumus.* Nam ſi occidens ſeipſum eſſet cenſendus Martyr, & gloriâ coronandus, ut Circumcelliones ſomniarunt, certum eſt quòd D. Paulus non impediſſet cuſtodem carceris nè ſe occideret, quia cuſtos ille ſe occidendo, conſecutus fuiſſet palmam Martyrij, & ſic perveniſſet ad vitam æternam, quam ipſe Paulus illi deſiderabat, quamque illi de facto precibus, verbo, & exemplo procuravit: ut conſtat ex verſibus ſequentibus. 29. 30. 31. ubi de illo carceris cuſtode habetur. *Petitoque lumine introgreſſus eſt & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes, & producens eos foras, ait: Domini, quid me oporteat facere, at illi dixerunt. Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſalvus eris tu, & domus tua, & locuti ſunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in Domo ejus &c.* Igitur qui occidit ſe propter peccatum commiſſum, non eſt Martyr. Et cuſtos de quo hîc agitur, credebat ſe peccaſſe, ſcilicèt relinquendo portas carceris apertas. Paolus tamen prohibuit nè ſe occideret, ſeu ne peccaret. Nulli enim licet propria manu perire, ut advertit D. Hieronymus in Jonam Prophetam ad caput primum, nequè enim veneramur nomine Martyrum eos, qui ſe collum ligaverunt, (inquit D. Auguſtinus) contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 49.

Act. 16.

D. Hieronymus.

§. II.

Solvitur Circumcellionum Ratio.

Dicent Hæretici quòd licet peccatoribus abſtinere ſe à delicijs, carnem mortificare, corpus caſtigare, & illud in ſervitutem redigere, pœnitentiam agere. Sed hæc omnia tendunt ad mortem corporis, tamen licita ſunt ratione finis propter quem fiunt, quamvis non rarò mortem procurent: igitur licitum quoque erit ſe occidere pro peccato jam commiſſo, ut Deus veniam concedat peccatoribus abſolutè neceſſariam, ut valeant accedere ad regnum Dei, in quo nihil coinquinatum intrabit. Quippè ſi liceat caſtigare corpus nè peccet, licebit etiam occidere illud eodem motivo.

Solvitur Hæreticorū inſtantia.

Reſpondeo, hæc omnia, quæ ſunt in antecedente, licita eſſe, imò & laudanda, modò tendant ad bonum ſpirituale animæ; non autem ad mortem, quæ omnibus prohibetur hoc præcepto Decalogi, *non occides*. Exiſtimo enim cum Navarro in Manuali cap. 15, num 11. Leſſio, & alijs Theologis moralibus, eos peccare mortalitèr, qui ex intentione interficiendi ſe, jejunijs, vigilijs, abſtinentijs vitam notabiliter abreviant. Hujuſmodi pœnitentiæ licitæ ſunt dumtaxàt quatenus tendunt ad profectum ſpirituale animæ. Apoſtolus enim, ad Corint. cap. 9. dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Hæc autem ſervitus non erat ad mortem, ſed ad fugam peccati: idcircò hujuſmodi pœnitentiæ exercitia ſunt licita, dummodo non avertant pœnitentes, vitam ijs notabilitèr minui, quia vitam voluntariè, & notabilitèr minuere, eſt mortem ſibi voluntariè procurare; quòd eſt illicitum. Nullus enim eſt ità Dominus vitæ ſuæ, ut poſſit ſe occidere directè; quin injuriam faciat Deo, qui eſt mortis & vitæ Dominus.

Idque poteſt probari ex Concilio Bracarenſi 1. citato in can. *placuit*, cauſæ 23. quæſt. 5. ubi legitur; *Placuit ut hi qui ſibi ipſis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorſùs pro illis in oblatione fiat commemoratio.* Per hæc verba conſtat, Concilium, eos damnare qui ſe ipſos voluntariè, & ſpontè occidunt; cùm pro illis orare prohibeat.

Concilium Bracarenſe.

ARTICULUS XXXV.

Declarat contra Cainanos, Judam proditorem eſſe damnatum.

HÆreſis, quam in præſenti articulo impugnamus, non eſt minus impia quàm illa, quæ aſſerit, Joannem Baptiſtam fuiſſe damnatum, ut jam ſupra probatum manet. Nam ſi inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta, non ſurrexit etiam iniquior Judâ Iſcariote. Cum melius eſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille. Tamèn multi ſunt qui volunt, ipſum Judam eſſe beatum, & eum adorant, teſte D. Auguſtino lib. de Hæreſ. cap. 38. poſt Tertullianum in libello de Hæreſibus. Horum impiorum primus, eſt Cerinthus, vir Hæreticus & peſſimis moribus aſſuetus, natione Judæus, qui docuit anno Domini LXIX. ſub Nerone Imperatore, & S. Petro Chriſti Vicario, Judam proditorem eſſe Beatum, & adorandum, Martyres verò eſſe blaſphemijs afficiendos; volebat enim ille impiiſſimus Hæreſiarcha, Judam eſſe beatum, quia fuit cauſa

Cerinthus.

mortis Chriſti, cujus ſanguine ſalvati, & liberati ſumus; martyres verò eſſe damnatos. Juxtà D. Epiphanium Hæreſ. 28. Hic Cerinthus concitavit fideles contra Sanctum Petrum quia Cornelium baptizaverat. Concitavit etiam Judæos, ut Paulum quaſi Judaiſmi hoſtem caperent act. 21.

Cerinthianis adhæſerunt anno CL. ſub Antonino Pio Imperatore, & Pio Papa primo, Caianitæ ſive Caiani, vel Caijni, teſtibus D. Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 38. Et Tertulliano in libello ſuo de hæreſibus, qui vocat Chaldeos eos, quos D. Auguſtinus, & Philaſtrius vocant Caianos, non ab Authore, ſed ab hæreſi, ſic enim dicti fuerunt à Divo Auguſtino, quia Caim primogenitum Adæ filium, miſerumque Abelis fratricidam, venerabantur. Credebant enim, Caïnum ex virtute diaboli (Abelem verò ex virtute Dei natum) majoremque virtutem habuiſſe, quàm Abel, & ita prævaluiſſe ut ſuum fratrem Abel interficeret, & ob hanc cauſam, ſeu fortitudinem, adorabant eum. At non ſolùm in hoc errabant quòd Cainum colerent, ſed etiam quòd Judam proditorem adorarent, arbitrantes in eo aliquid eſſe divinum quô ejus deteſtandum ſcelus, ingens beneficium reputabant, & aſſerebant, ipſum divina revelatione præſciviſſe quantum generi humano profutura eſſet Chriſti Domini paſſio: ideoque citrà omnem culpam Jeſum Judæis tradidiſſe ad crucifigendum. Imò nec ſolùm Cainum & Judam proditorem adorabant, ſed etiam Sodomitas, Core, Dathan, & Abiron, & ſimiles alios vitæ ſceleratæ viros in ſcriptura memoratos. Obitér obſervandum eſt quòd Caiani dicuntur Judaitæ, aut Iſcariotæ, ut notat D. Epiphanius. Hæreſ. 38.

§. I.

Probat Judam eſſe damnatum.

HÆc Caianitarum hæreſis evidenter rejicitur, & refutatur à Chriſto Domino, qui Diſcipulorum ſuorum pedes lavare volens, dixit, Joan. 13. verſ. 10 *qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus; & vos mundi eſtis, ſed non omnes*. At ille, qui non erat mundus, eſt Judas Iſcariotes: *ſciebat enim* (inquit Evangeliſta) verſ. 11. *Quiſnam eſſet ille qui*
Reprobatio Judæ proditoris. *traderet eum; propterea dixit: non eſtis mundi omnes*. Hoc eſt unus veſtrum eſt in peccato mortali. Quomodo ergo volunt Hæretici, hunc proditorem fuiſſe Sanctum, & gloriâ æternâ coronatum, hac ratione præciſè quia Chriſtum tradiderat; cùm Chriſtus illam traditionem videns, dixerit, ipſum Judam non eſſe mundum, ſed Reum, imo & diabolum, ut patet ex illo Joan. 6. verſ. 68. & ſequentibus. *Dixit ergo Jeſus ad duodecim*, id eſt, ad Diſcipulos, quos Apoſtolos nominaverat, *Nunquid & vos vultis abire? reſpondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æter-*
Joan. 6. *næ habes, & nos credimus, cognovimus quia tu es Chriſtus Filius Dei*. Hæc verba demonſtrant fidem Apoſtolorum & miniſterium erga Chriſtum, ſed non omnium, quippè Chriſtus ſtatim ſubdit: *Nonne ego duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt?* Quod non poteſt intelligi, niſi de Juda proditore, ut conſtat ex verſu ſequenti: *Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem, hic enim erat, eum traditurus, cum eſſet unus ex duodecim*; Igitur Judas Iſcariotes eſt ille, qui in Evangelio vocatus fuit Diabolus, quia traditurus erat Chriſtum, ac proindè graviter peccavit tradendo eum Judæis ad crucifigendum, ut ipſemet confeſſus eſt, Matth. cap.
Matth. 27. 27. verſ. 4. dicens. *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.*

Deinde ipſe Judas in peccato ſuo mortuus eſt. Nam dum Chriſtus vocat Judam, Diabolum, hoc non debet intelligi quoad ſubſtantiam; cùm eſſet homo ſceleratiſſimus, ipſo Chriſto teſte, Matth. 26. verſ. 24. ſic de Juda dicente. *Væ homini illi per quem filius hominis traditur, bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*, ſed quoad malitiam, quæ in ipſo Juda invincibilis erat, ſicut in Diabolo, qui in objecto prævaricationis ſuæ immobilitér permanſit, & adhæſit; cùm noluerit pœnitentiam agere in amaritudine animæ ſuæ.

Judam Iſcariotem peccaſſe tradendo Chriſtum Judæis, probat declaratio, aut teſtimonium Apoſtolorum, Act. 1. verſ. 16. ubi legitur Petrum in medio fratrum exiſtentem, dixiſſe. *Viri fratres oportet impleri* *Act. 1.*
ſcripturam quam prædixit Spiritus Sanctus de Juda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum, qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij ejus. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crêpuit medius, & diffuſa ſunt viſcera ejus. Nam ſi bona ei fuiſſet traditio, aut venditio Chriſti, aut ſi Judas vendendo Chriſtum, opus divinum feciſſet, ut volunt Hæretici, certum eſt quòd merces Judæ data pro Chriſti traditione, non eſſet merces iniquitatis; cùm id, quod fit propter bonum, bonum ſit. Et quòd fit propter malum, malum ſit. At triginta argentei ſunt merces iniquitatis, hoc eſt, donati ſunt propter iniquitatem Judæ, quæ quidem iniquitas eſt traditio pro qua illi donati fuerunt triginta argentei, ergo illa traditio fuit iniqua, æternoque ſupplicio digna: væ enim homini illi per quem filius hominis traditur, inquit Chriſtus, & ideo Judas tradendo eum, peccavit graviter, quidquid dicant Hæretici ſupra memorati, Et in inferno cum Diabolo cruciatur, nam conſtat quod poſt buccellam panis, intravit in eum Satanas, & non conſtat quòd ab ipſo receſſerit.

§. II.

In quo rejiciuntur Rationes contrariæ.

AD rationem Hæreticorum exiſtimantium Judam fuiſſe divinum, & ſcelus illius beneficium, eo quòd per mortem Chriſti ſalvati, & liberati ſumus. Reſpondeo non excuſari Judam à peccato graviſſimo: licet bonum in nobis adſit à morte Chriſti, cu- *Peccatum*
jus livore ſanati ſumus, & ipſe Chriſtus voluerit pro *Judæ probatur.*
hominibus mori. Nam ut Judas qui tradidit Chriſtum, eſſet laudandus, & opus illius beneficium excuſans ipſum à peccato, neceſſè eſt, ipſum Judam voluiſſe tradere Chriſtum, ut per ipſius mortem ſalvaretur genus humanum, ſicut Chriſtus voluit pati, & mori pro omnibus hominibus. Sed hoc non fuit intentio Judæ proditoris, quia non tradidit Chriſtum eo animo, quo Chriſtus mori cupiebat, ſed aliam habebat mentem intentioni Chriſti oppoſitam. Tradidit Chriſtum alio motivo, ut potè avaritiâ; ut probat illud Matth. 26. verſ. 14. & 15. *Tunc abijt unus de duodecim qui dicebatur Judas Iſcariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? at illi conſtituerunt ei triginta argenteos*: ideoque nullum bonum, nullumque beneficium potuit advenire Judæ proditori ex traditione, aut venditione Chriſti. Judas non tradidit Chriſtum, ut ſalvaret genus humanum, ſed ut ipſe Chriſtus moreretur. Non tradidit ut Chriſto mortem cupienti ſatisfaceret ſed ut avaritiæ ſuæ & Judæorum invidiæ conſuleret.

Unde D. Auguſtinus Serm. 127. de tempore inquit: *Juda oſculo filium Hominis tradis? fungebaris diſciplina virtutis, & Diſcipulus factus es conſilij iniquitatis? Officio ſanguinem fundis? Pro pignore amoris, vulnus infligis? Pacis argumento mortem immittis? Servus Domi-* *D. Auguſt.*
num tradis, Diſcipulus Magiſtrum prodis, dicis quemcumque oſculatus fuero ipſe eſt tenete eum, o ſignum ſacrilegum Placitum fugiendum, ubi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur Sacramentum. Quibus ſuadetur, oſculum Judæ eſſe crimen ſceleratiſſimum,

& omni punitione dignum, acproindè ipſum Judam propter hanc traditionem, inter ſceleratos, & damnatos eſſe computandum. Nec poterat graviùs peccare quàm Chriſtom tradendo Judæis, qoi ipſum Chriſtum qoærebant ut crucifigerenr eum. Eccleſia enim vocat Judæos, perfidos. Quia Chriſtum crucifixerunt. Eadem ignominiâ notandus eſt etiam Judas Iſcariotes, qui eum illis tradidit ut crucifigerent: à fine enim deſumitur bonitas, aut malitia operis. Unde ſi Judæi crucifigendo Chriſtum peccaverint, peccavit quoque Judas eis tradendo eum ad crucifigendum.

Dicent: Judam pœnitentiam egiſſe, ex illo Matth. 27. verſ. 3. *Tunc videns Judas quod damnatus eſſet pœnitentia ductus retulit trigima argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus: dicens, peccavi tradens Sanguinem Juſtum*, & ideo dato qoòd peccaverit, Chriſtum tradendo, non debet dici damnatus; cùm pœnitentia deleat peccatum, Deus pœnitentibus indulgeat, & Chriſtus pro Juda Iſcariote veniam petierit ſicut pro perfidis Judæis, dum dixit: *Pater ignoſce illis.*

Falſa Juda pœnitentia. Reſpondeo negando ſuppoſitum, utpotè, Judam egiſſe veram, & ſinceram pœnitentiam, quæ delet peccata, & ducit ad vitam æternam, ut legimus: in Can. 36. Diſt. 3. de pœnitentia, ubi habetur: *Judas pœnituit, ſed malè, laqueo namque ſe ſuſpendit: pœnituit etiam Eſau, magis iſte: neque pœnituit: lacryma quippè illæ non erant pœnitentiæ, ſed animi violenti, & indignationis æternæ.*

Hanc ad Hæreticos reſponſionem ſuadet altera Juris Canonici authoritas, quæ habetur in Can. 38. ejuſdem diſtinctionis: obi legitur de eodem proditore *Nihil Juda profuit egiſſe pœnitentiam per quam ſcelus corrigere non potuit: ſi quando frater ſic peccat in fratrem, ut emendare valeat, quod peccavit, poteſt ei divinitùs dimitti: ſin autem permaneant opera, fruſtra voce aſſumitur pœnitentia. Hoc eſt quod in Pſalmo de eodem infœliciſſimo Juda dicitur. Et oratio ejus fiat in peccatum, ut non ſolum emendare nequiverit proditionis nefas, ſed proprij homicidij ſcelus addiderit.* Et Can. 39. *Sceleratior omnibus o Juda & infelicior omnibus extitiſti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Expectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi ſuſpendium diſtuliſſes.*

Nec veniam recepit, licet Chriſtus pro Juda, ſicut pro perfidis Judæis oraverit. Quia non omnes, ſed ſolum verè contriti, & pœnitentes, veniam, & remiſſionem peccatorum, ſunt conſecuti. Nam peccati venia non datur niſi correcto, ut affirmat quinta regula Juris in ſextum. In Juda autem nulla apparuit emendatio, nullaque vera, & ſincera pœnitentia ſine qua omoes peccatores peribunt.

ARTICULUS XXXVI.

Quo adverſus Hierarchitas defenditur ſalus Infantium, ſtatim poſt Baptiſmum decedentium.

Hierarchitæ HIerarchitæ ſic dicti ab Hierarcha viro Hæretico, qui floruit circà annum Domini CCLXXIX. ſub Tacito Imperatore, & Eutychiano Papa, dicebant, pueros ſtatim poſt Baptiſmum decedentes non poſſe ad regnum cœlorum pervenire, eo quod in eis nulla ſint certaminis merita, nullaque fuerit ab eis contra vitia reportata victoria. Ille quidem coronabitur, qui legitimè certaverit. Hæc Hæreſis alium habuit Patronum atque defenſorem accerrimum anno MCXXIV. Imperante Henrico V. & Eccleſiam Dei regente Calliſto ſecundo, tunc enim habuit *Petrobruſſiani.* Petrum de Brüis, natione Gallum, ex Provincia Narbonenſi prima oriundum, qui aſſerendo parvulis uſu rationis carentibus non prodeſſe Baptiſma, aſſeruit etiam, ipſos pueros privari vitâ æterna, ſi ſtatim poſt Baptiſmum ſcilicet antequam credant, & rationem habeant, moriantur, ut neceſſario ſequitur ex prima propoſitione, quæ eſt hæretica. Hic Hæreticus ità obſtinatus fuit, & pertinax, ut tandem apud oppidum Sancti Ægidij propè Arelatas ob ſua crimina vivus exuſtus fuerit, ut refert Petrus Abbas Cluniacenſis in quodam libello, quem *Henriciani* contra Petrobruſianos ſcripſit.

Eidem errori poſteà, ſcilicet anno MCCXXVIII ſub Lothario ſecundo Imperatore, & Honorio ſecundo Papa, ſubſcripſit quidam vir Hæreticus nomine Henricus, natione Gallus, patriâ Tholoſanus, profeſſione Monachus, qui relicto religionis habitu ad ſpurcitias carnis, & ſæculi, tanquam Canis ad ſuum vomitum reverſus, docuit hæreſes Petri de Brüis, & præſertim eam, quam hic impugnamus. *Anabapt.* Quàm poſteà ſcilicet anno MDXXV. ab inferis revocaverunt Anabaptiſtæ, qui duce quodam Bernardino Oxim, omnes Petrobruſſianorum, & Henricianorum hæreſes ad unam uſque amplexati ſunt, & alias inſuper addiderunt, novæ Sectæ Authores fieri cupientes.

§. I.

In quo Authoritate Conciliorum proſcribitur hæc Hæreſis.

Lateranenſe. HÆc Hæreſis damnata fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. ubi legitur: *Sacramentum Baptiſmi quod ad invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus Sancti conſecratur in aqua, tam parvulis, quàm Adultis in forma Eccleſiæ a quocunque ritu collatum, proficit ad ſalutem.* Hæc verba etiam habentur in capite, *firmiter*, de Summa Trinitate & Fide Catholica. Et probant puerum ſtatim poſt Baptiſmum ſuſceptum morientem, pervenire ad vitam æternam.

Viennenſe. Idem decrevit Concilium Viennenſe ſub Clemente V. celebratum, quod inter alia fidei decreta, de Baptiſmo dedit unum, cujus verba ſunt hæc: *Baptiſma unicum, baptiſates omnes in Chriſto regenerans eſt, ſicut unus Deus, ac fides unica ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, credimus eſſe tam Adultis, quàm parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem.* Hoc quippè decreto conſtat evidenter, actuales actus fidei non eſſe neceſſarios parvulo ſtatim poſt Baptiſmum morienti, ut effectum Baptiſmi, nimirum remiſſionem peccati Originalis, obtineat, ut expreſſè declarat Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 7. Can. 13. *Tridentinum* ubi legitur: Sanctos hujus Concilij Patres ſic locutos fuiſſe: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter Fideles non eſſe computandos, ac propterea, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptiſandos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes, in ſola fide Eccleſiæ baptizari: Anathema ſit.*

Eadem deciſio eſt in cap. *Majores* de Baptiſmo in quo Innocentius III. declarat Arelatenſi Archiepiſcopo, Baptiſmum delere parvulis peccatum Originale, acproindè illis reſtituere jus ad gloriam *Innocentius III.* propter gratiam, quam confert tam parvulis, quàm Adultis. Quia non eſt aliud ſub Cœlo ſignum, aut inſtrumentum datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, & in quo valeamus liberari à peccato Originali; cùm ſola ipſius Baptiſmatis virtute renaſcamur & ſimus Filij Dei.

§ II.

In quo probatur Veritas Articuli.

PArvulos ſtatim poſt Baptiſmum decedentes, conſequi vitam æternam, manifeſtè cognoſcitur, ex valore, & efficacia Baptiſmi, qui ut jam diximus delet peccatum Originale, ratione cujus pueri, qui

ſine Baptiſmo decedunt, privantur gloriâ æterna: ideo enim puer, qui ante Baptiſmum decedit, punitur pœna damni, quia eſt reus delicto primi parentis, & ejus culpâ ſordidus. Ille autem, qui ſtatim

Tridentinū

poſt Baptiſmum moritur, non eſt reus, nec ſordidus culpa primi parentis; cùm Baptiſmus remittat parvulis illud peccatum Originale, ut ſancit Tridentina Synodus ſeſſ. 5. in Decreto de peccato Originali, dicens: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini Noſtri gratiam; quæ in Baptiſmate confertur, reatum Originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: Anathema ſit:* Igitur ille parvulus, qui obijt ſtatim poſt ſuſceptum Baptiſmum, conſequitur vitam æternam; cùm non habeat impedimentum, aut delictum, quo alij non baptizati puniuntur pœnâ damni, ſeu privantur viſione Dei.

Baptiſmus vocatur regeneratio, renuvatio, juſtificatio, ſanctificatio, juxtà illud Pauli ad Titum cap. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus Sancti.* Et 1. ad Corint. cap. 6. *Sed abluti*

Ad Titum 3

eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis. Hæc renovatio, nedum eſt Adultorum; ſed etiam parvulorum, qui ſicut Adulti ſunt capaces baptiſmi atque

1. Corint. 6.

ſalutis æternæ, ut monet Chriſtus, Matth. 19. verſ. 13. & 14. *Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus ei imponeret, & oraret, Diſcipuli autem increpabant eos: Jeſus verò ait illis: ſinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum.* Hæc autem capacitas poſſidendi regnum cœlorum, non poteſt eſſe in parvulis, niſi

Matth. 19.

Joan. 3.

per Baptiſmum, qui dat jus ad gloriam, juxta illud Joan. 3. ubi Chriſtus ait: *Niſi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare in regnum cœlorum.* Et conſtituit puerum filium Dei adoptivum, hæredem Dei, cohæredem Chriſti, ut aſſerit D.

D. Chryſoſ.

Chryſoſtomus ad Neophitos, dicens: *Benedictus qui fecit mirabilia ſolus, qui fecit univerſa, & convertit univerſa, ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi, & cives Eccleſiæ ſunt qui fuerunt in peregrinationis errore. Et juſtitia in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim tantùm ſunt liberi, ſed Sancti, non tantùm Sancti, ſed & Juſti, non ſolùm Juſti, ſed & filij, non ſolùm filij, ſed hæredes, non ſolùm hæredes, ſed & Fratres Chriſti, non tantùm Fratres Chriſti, ſed & cohæredes, ſed & membra, non tantùm membra, ſed & Templum, non tantùm Templa; ſed & organa Spiritus; vides quot ſint baptiſmatis largitates; & nonnulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione. Nos autem honores computavimus decem.* Unde ſi baptiſmus tot, tantaque beneficia conferat baptiſato, manifeſtum eſt, puerum ſtatim poſt baptiſmum morientem, conſtitui hæredem Dei, & regni cœleſtis poſſeſſorem. Quare Apoſtolus ad Galat. cap. 3. verſ. 27. ait: *Quicumque enim in Chriſto baptiſati eſtis; Chriſtum induiſtis.* Ibi enim Paulus nullam ætatem, nullumque rationis uſum requirit ex parte baptiſandi pro validitate baptiſmi. Hæc quidem particula *quicumque* nullum excludit.

Hæretici dicunt, Baptiſmum reverà conſtituere hominem hæredem Dei, eique conferre jus ad vitam æternam; modò ſit Adultus, quia volunt ad hoc beneficium, fidem eſſe neceſſariam, juxta illud Marci 16. *qui crediderit; & baptiſatus fuerit, ſalvus erit*: at parvulus licet ſit baptiſatus, non credit, cum careat uſu rationis, & liberi arbitrij; igitur nequit habere beneficia Baptiſmi, nec ſalvari, quia ex eodem Evangeliſta, qui non crediderit condemnabitur, etiamſi (inquiunt) fuerit baptiſatus.

Reſpondeo. Argumentum non valere, quia parvuli, qui uſum rationis non habent, nec libero

Rejicitur Hæreticorū inſtantia

utuntur arbitrio, veniunt ad Chriſtum fide aliena, hoc eſt, fide parentum, aut ſaltem fide Sanctæ Matris Eccleſiæ. Itaquè parvulis aliena fides ſufficit ad Baptiſmi fructum ſuſcipiendum, hæc quippè fides aliena facit ipſis, ſaltem in ordine ad effectus hujus Sacramenti, id, quod Adultis facit fides propria; ideo ex Can. *Filius Dei* de conſecrat, Diſt. 4. parvuli baptiſati inter credentes reputantur per Sacramenti virtutem, & offerentium reſponſionem: dignum quippè eſt; & ad Dei ſpectat benignitatem, ut illis quibus fidem ætas denegavit propriam, gratia concedat alienam, quæ proſit, ait. D. Bernardus in Epiſt. 77. ad Hugonem. Hinc eſt quod Chriſtus di- *D. Bernard.*
verſo modo loquitur de parvulis: nam dum loquitur Adultis inquit, Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis.* Et dum loquitur de parvulis, inquit: Matth. 9. *Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere*, ac ſi diceret: volo, parvulos venire ad me; ſed quia id ſua ſponte, & proprijs pedibus facere non poſſunt, præcipio vobis parvulorum parentibus, ut ſinatis eos venire, & nullo modo prohibeatis; immò potiùs adjuvetis. Pueri autem non poſſunt ad Deum accedere, nec in Eccleſia Dei recipi, niſi per Baptiſmi gratiam, quæ poteſt conferri animæ pueri ſicut animæ Adulti.

Eadem veritas probatur hac paritate. Eadem eſt differentia in modo veniendi ſpiritualitèr, quæ fuit olim in modo veniendi, & accedendi corporalitèr ad ipſum Chriſtum. Adulti, præſertim ſani, cùm ad Chriſtum accedere corporalitèr volebant, proprij. pedibus accedebant, & ad illum ibant. Parvuli verò non proprijs pedibus, ſed alienis. Iſti tamen ſanabantur, ſicut illi. Ita pariter diſcurrendum eſt de illis, qui accedunt ad Chriſtum ſpiritualiter. Adulti, qui ad ipſum accedere volunt; ſi ſint baptiſati, debent accedere per pœnitentiam propriam, & voluntariam. Et ſi non ſint baptiſati, debent accedere ad Baptiſmum per fidem propriam, quia accedentem ad Deum, oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator eſt. At ſi ſint parvuli ſufficit quod accedant per fidem alienam, & ideo ut puer ſit perfectè baptiſatus, hoc eſt, ut obtineat gratiam ſanctificantem, & ut, ſi poſt Baptiſmum moriatur, in Cœlum aſcendat, non eſt neceſſe quod actu credat, id eſt, quòd proprijs pedibus accedat. ſicut Adultus, ſed ſufficit quòd ad Baptiſmum deferatur per parentes, & eorum fide credat, ut fuſiùs videbimus in ſolutione argumentorum Hæreticorum; infra adhibenda. Nonnè fides Cananeæ ſuffecit filiæ, & Centurionis puero paralytico. Quare ergo non poterit ſufficere parvulo fides parentum pro ſuſcipienda gratia Baptiſmi? Nullam ſanè video rationem, quia ſanitas corporis, & expulſio Dæmonis, fidem præmittunt, & ideo ſi puer ſtatim poſt Baptiſmum moriatur, æternam vitam aſſequitur.

Mirà paritas de pueris ad Adultos.

Circumciſio erat figura Baptiſmi, ut inferunt Sancti Patres, & Theologi, ex illo Pauli ad Coloſ. cap. 2. verſ. 11. & 12. *In quo & circumciſi eſtis Circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in Circumciſione Chriſti: conſepulti ei in Baptiſmo, in* *Ad Coloſ. 2.*
quo & reſurrexiſti per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis. Sed Circumciſio non ſolum proderat Adultis ad ſalutem animæ, ſed etiam parvulis, ut colligitur ex illo Geneſ. 17. verſ. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne Maſculinum in generationibus veſtris: tam Vernaculus, quàm Empititius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra, eritque pactum meum in carne veſtra in foedus æternum.* Hanc *Geneſ. 17.*
autem Circumciſionem fuiſſe ad ſalutem neceſſariam conſtat ex verſu immediatè ſequenti, ubi legitur: *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*, ex quo ſequitur quòd puer, qui ante Circumciſionem decedebat, ſine ſpe gloriæ æternæ peribat.

Et quòd ille, qui poſt Circumciſionem decedebat, ſalvus erat; ergo eumdem effectum habet, idemque beneficium parvulis præſtat Baptiſmus, cujus figura erat Circumciſio, ac proindè dicendum eſt contrà Petrobruſſianos, Henricianos, & Anabaptiſtas, parvulos poſt Baptiſmum decedentes, eſſe Beatos, alioquin ſequeretur quòd Deus privaret hæreditate filios Jus ad illam habentes; cùm Baptiſmus det hujuſmodi jus, quod in primo parente perdidit omne genus humanum, per peccatum Originale, quod per Baptiſmum tollitur.

Sequeretur inſuper ex ſuppoſitione Hæreticorum, quòd Eccleſia non contuliſſet ab initio Baptiſmum parvulis, quem tamen contuliſſe conſtat ex varijs Sanctorum Patrum Scripturis, & præſertim ex D. Dionyſio Areopagita cap. ultimo Eccleſiaſt. Hierarchiæ; ex D. Cypriano in Epiſtola. 8. lib. 3. ex D. Auguſtino Epiſt. 23. quæ eſt de Baptiſmo parvulorum. Et ex alijs, qui teſtantur, Baptiſmum à principio Eccleſiæ collatum fuiſſe parvulis ſicut Adultis: ergo Eccleſia ſemper credidit, pueros poſt Baptiſmum decedentes, eſſe Beatos.

Eccleſia ſemper contulit Baptiſmum parvulis.

§. III.

De Solutione ad Argumenta Hæreticorum.

OBjiciunt Hæretici, illud Marci cap. 16. verſ. 16. jam ſuprà relatum: *Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*: At parvuli non credunt, quia non habent uſum rationis: igitur ſi tunc moriantur: quamvis Baptiſmum ſuſceperint, condemnantur ob defectum fidei ad Baptiſmi validitatem prorſùs neceſſariæ. Hoc eſt potiſſimum argumentum, quo Hæretici ſacrum dogma oppugnant, ut ſuprà dictum eſt.

Reſpondeo, hoc argumentum non nocere, ut patet ſupra ad inſtantiam hæreticorum. Tamen dico illa verba Christi, *qui crediderit &c.* non ſpectare ad parvulos ſed ad ſolos Adultos, ut facilè colligitur ex verbis præcedentibus: *euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Indè enim ſatis conſtat, hæc verba, *qui crediderit &c.* Intelligenda eſſe de illis prò quibus præcipiebat Chriſtus Apoſtolis, & Diſcipulis prædicare Evangelium, ſed Chriſtus non præcepit prædicare Evangelium parvulis, ut eſt manifeſtum; alioquin eſſet omninò ſuperflua hæc prædicatio ob impotentiam, & Incapacitatem parvulorum, ſed ſolis Adultis, qui ſoli intelligere poterant Apoſtolos prædicantes Chriſtum crucifixum, & loquentes magnalia Dei; ergo de Adultis intelligenda ſunt hæc verba, *qui crediderit &c.* Adultus debet prius doceri de fide Catholica juxtà communem Catholicorum judicium, & ore eam confiteri, quàm baptiſari, & ideo Eccleſia Catholica ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ad hunc uſque diem talem perpetuo tenore ſervavit conſuetudinem reſpectu Adultorum: pueri verò non docentur antequam baptiſentur, nec interrogantur perſonalitèr, ità ut per ſe ipſos reſpondere valeant de fide Catholica, ſufficit quòd reſpondeant, & credant per parentes, ut ſuprà dictum eſt.

Reſponſio ad primam rationem Hæreticorum.

Deindè Baptiſmus aquæ non habet minorem virtutem in ordine ad collationem gratiæ, & remiſſionem peccati Originalis, quàm Baptiſmus Sanguinis. Hic autem Baptiſmus ſanctificavit Innocentes juſſu Impij & crudelis Herodis interfectos, ſicut ſanctificat Adultos, qui pro Chriſto interficiuntur: quidni Baptiſmus aquæ, aut fluminis ſanctificabit parvulos, ſicut Adultos? Divus Auguſtinus lib. 13 de civit. Dei cap. 7. hanc paritatem firmat: dicens *Nam quicumque non percepto regenerationis lavacro moriuntur pro Chriſti confeſſione: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte Baptiſmatis. Qui enim dixit, niſi qui renatus fuerit: alia ſententia iſtos facit exemptos, ubi non minus generalitèr ait; qui me confeſſus fuerit coram hominibus.* Inde enim D. Auguſtinus vult, hominem non baptiſatum, ſalvari, ſi pro Chriſto moriatur, ſicut puer ſalvatur, ſi poſt Baptiſmum ſuſceptum decedat; quamvis non moriatur pro Chriſto, nec ſit Martyr: igitur pueri, qui ſtatim poſt Baptiſmum decedunt, ſunt hæredes regni Cœleſtis, & Filij adoptivi Patris Æterni. Hinc eſt quòd Eccleſia in ſepultura parvulorum ait, ſinite parvulos venire ad me: talium eſt enim regnum Cœlorum.

Baptiſmus ſanguinis ſanctificavit pueros innocentes.

D. Auguſt.

Dicunt Inſuper Hæretici, nullum poſſe eſſe Beatum, niſi placeat Deo. Nam ſi gratia ſanctificans ità faciat hominem Deo gratum, ut juſtus placeat illi, potiori ratione, talem facit illum Beatitudo, hoc eſt. Beatus debet illi placere, ſed ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ut teſtatur Apoſtolus ad Heb. cap. 11. ergo (inquiunt Hæretici) parvulus qui decedit ſtatim poſt Baptiſmum, non poteſt eſſe gratus Deo, nec Beatus; cùm non habeat fidem actualem ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

Diſſolvitur inſtantia Hæreticorũ deſumpta ex fide.

Reſpondeo ad mentem Apoſtoli ſufficere ut quis placeat Deo, quòd habeat fidem habitualem, ſi non poſſit ejuſdem fidei actus elicere. Ibi enim Paulus magnificè commendabat fidem Patrum Henoch, & aliorum. Et de habitu fidei loquitur, non autem de actu tantùm; alioquin illi, qui ob ſenectutem nimiam, aut amentiam non poſſunt actus fidei producere, non placerent Deo: quamvis eſſent in gratia ſanctificante, quòd tamen eſt falſum, quia eſt gratia, quæ conſtituit Filium Dei adoptivum, illumque Deo gratum reddit: atqui parvulus in Baptiſmo ſuſcepit fidem ſimul cum gratia, & ſpe, ſeu virtutes fidei, ſpei, & charitatis, ut declarat Concilium Viennenſe: igitur parvulus ille eſt Deo gratus. Nec in ipſo gratia ſanctificans eſt ſine fide; licet non poſſit per eam fidem operari quouſque ad uſum rationis perveniens, per auditum verbi Dei in operationem exeat, ſeu credat, quia fides eſt ex auditu ſicut ſcriptum eſt. Nam inquit noſter Alphonſus à Caſtro, ſicut parvulus etiam ſi omnia membra corporis integra habeat, & in omnibus illis habeat vitam, & animam vivificantem, vix tamen ullum eſt membrum, quod ſuo rectè fungatur officio, quia nequè pedibus ambulat, nequè linguâ loquitur, nequè manibus operatur. Ita etiam in parvulo baptiſato, licet ſint vera fides placens Deo, & charitas vivificans; tamen per aliquam earum non poteſt in operationem exire, niſi prius habeat vires, niſi erudiatur, & humano aliquo exteriore juvetur preceptore: ex quo ſequitur, quòd parvulus Baptiſatus eſt verè Sanctus, & placens Deo; licet non credat actu. Sicut puer quoad eſſentialia, & Intrinſeca eſt verè homo; licet non diſcurrat, nec loquatur.

Denique objiciunt illud D. Pauli ad Timot. 2. caput 2. verſ. 5. *Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit*, parvulus autem, qui ſtatim poſt Baptiſmum mortuus eſt, non certavit; cùm liberi arbitrij uſum non habuerit: igitur non dabitur illi corona, ut potè Beatitudo. Vincenti enim dabitur manna abſconditum & laboranti præmium, ac proindè non ſalvabitur puer ille: quamvis ſit baptiſatus.

Reſpondeo, Beatitudinem duos habere conceptus, præmij ſcilicet aut coronæ, & hæreditatis, ut conſtat ex variis Sacræ Scripturæ textibus, in quibus vita æterna nobis proponitur ut corona, vel ut hæreditas. In primo conceptu reſpicit laborem, & pugnam, idcirco Paulus intuitu laborum ſuorum dicebat; ſ.

Duos conceptus habet beatitudinem.

bat ;ſ.

bat: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* In ſecundo reſpicit adoptionem filiorum Dei, ut dicunt communiter Theologi poſt Sanctos Patres. Unde ſi puer poſt Baptiſmum decedens non obtineat Beatitudinem, velut præmium & coronam ex defectu proprii laboris, propriique meriti; obtinet tamen illam tanquam hæreditatem Dei Patris, cujus eſt filius adoptivus per gratiam habitualem in Baptiſmo ſuſceptam, & propter merita Chriſti, qui acquiſivit illam ſanguine ſuo: vana eſt igitur hæc Hierarchitarum ratio; cùm omnem Beatitudinis conceptum non ejiciat ſtatus parvuli ſtatim poſt Baptiſmum decedentis, quia ſi non habeat merita propria, nec certaverit in agone pro obtinendo præmio; eſt tamen Filius Dei, & hæres regni cœleſtis; mundus eſt ab omni macula, & dignus hæreditate, & convivio Patris; cùm habeat veſtem nuptialem pro paterna hæreditate conſequenda: nam ſi ex Apoſtolo ad Rom. cap. 8. verſ. 1. Nihil damnationis ſit ijs, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant, parvulus qui ſtatim poſt Baptiſmum decedit, debet eſſe Sanctus, ſicut ille, qui non ambulat ſecundum carnem, nihilquè damnationis eſſe illi, quia nullum peccatum habet, eſtque Filius Dei per gratiam regenerationis in Baptiſmo ſuſceptam, quâ fit nova creatura. *Rom. 8.*

ARTICULUS XXXVII.

Refellit Doſithæanos Angelorum exiſtentiam negantes.

Saducæi. QUidam viri Hæretici, dicti Saducæi à Sadoc natione Judæo, vel ut placet alijs à voce *Zadik* juſtum ſignificante, vigente adhuc lege veteri, negarunt eſſe Spiritum, ac ſubſtantiam materiæ expertem. Et in hoc diſcrepabant à Phariſæis, ut teſtatur Sanctus Lucas, Act. cap. 23. verſ. 8. ubi ait: *Saducæi enim dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Phariſæi autem utraque confitentur.* Mirum certò inter Judæos, hoc eſt, in electo illo genere, denique populo chariſſimo, tot Prophetarum oraculis instructo; repertos fuiſſe aliquos (qui tanto minus, quàm externi ac gentiles, divinis ac cœleſtibus in rebus ſaperent) negantes ante Thronum Dei ſtare Angelos æterna perfruentes gloriâ.

Hujus erroris primus & Patronus, qui in nova lege ſuſcitavit hæreſim Saducæorum, ortam ante nativitatem Chriſti à Sacerdote *Sadoc*, creditur quidam vir Hæreticus nomine Doſithæus genere Judæus, qui ſub Nerone Imperatore, & S. Petro primo Chriſti in terris Vicario, circà annum Domini LII. docebat (teſte Philaſtrio Brixienſi) nullum eſſe à Deo Spiritum, nullum Angelum, nullam poſt mortem ſupereſſe vitam, nullam ſperandam à lege, & Prophetis mortuorum reſurrectionem, nullumque timendum futurum Judicium. Qui tanta impij Doſithæi figmenta ſunt ſecuti, Doſithæani dicti fuere, non ab errore, ſed ab Authore. Unde Saducæi, & Doſithæani eoſdem docuerunt errores, & ſolitò per Doſithæanos, Saducæi intelliguntur, & è contra, quantum ad hæreſes de quarum qualibet erit ſermo. *Doſithæus.*

Georgius David. Anno Domini MDXXIX. ſub Carolo Imperatore Germano, & Clemente VII. Pontifice maximo, eamdem hæreſim docuit, & Angelos exiſtere negavit quidam vir Hæreticus nomine Georgius David, Patria Batavus, qui ſe tertium Davidem, verumque Meſſiam prædicabat, anno tertio poſt mortem reſurrecturum, & regnum Iſraël reſtituturum, ſed anni circitèr ducenti ab ejus obitu tranſierunt; tamen non ſurrexit, nequè reſurget, niſi in noviſſimo die cum aliis impiis & hæreticis æternis ignibus cruciandus. Et quamvis hæc omnia ex ſe ridicula ſint, nihilominùs talem ſe eſſe perſuaſit aliquibus Mulierculis, quæ ſe ſe beatiſſimas putabant, ſi relictis maritis, ex promiſſo ipſius quod nugabatur ſemine, conciperent.

Eodem anno inſurrexerunt in Brabantia, & in Hollandia quidam viri Hæretici, qui, teſtante Lindano, in illis partibus dicebantur Libertini à libertate quam prædicabant Evangelicam. Et in Gallia appellabantur Quintiniſtæ à quodam Quintino, arte Sartore, natione Picardo., qui illic hæreſes Libertinorum ſparſit cum quodam Coppino inſulano. Dicebat enim ille Quintinus, unum tantùm eſſe Spiritum immortalem, qui eſt Deus, qui vivit & operatur omnia in omnibus; Angelos verò nihil eſſe fingebat. *Libertini, vel Quintiniſtæ.*

§. I.

Exiſtentia Angelorum probatur Authoritate.

IN varijs Concilijs definita fuit Angelorum exiſtentia. Epheſinum primum declarat, Angeli nomen eſſe nomen officij. Bracarenſe primum cap. 5. ſancit, Angelos non habere ſubſtantiam divinam, ſed creatam à Deo, hanc eſſe incorruptibilem, & immortalem: ergò hæc duo Concilia declarant, Angelos exiſtere, ac proindè nullus poteſt citrà hæreſim aſſerere cum Saducæis nullos eſſe Angelos. His Concilijs ſucceſſit aliud ſcilicet Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum, cap. *firmiter*, ubi inter cætera dicitur quod, *Deus ſit creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui condidit utramque naturam, ſpiritualem & corpoream, angelicam ſcilicet, & humanam*: Nec valet dicere, Concilium Lateranenſe non ſtatuere, nec definire exiſtentiam Angelorum, ut volunt nonnulli Saducæorum partem tuentes. Ratio noſtra eſt, quia cætera, quæ in eodem capite proponit, revera ſunt de fide, ut eſt manifeſtum, quidni ergo etiam de fide eſt Angelorum exiſtentia, multorumque entium ſpiritualitas? Deindè dato & non conceſſo quòd Concilium loquatur per modum doctrinæ, & doceat tantùm dari Angelos; quin velit eorum exiſtentiam definire, ſemper verùm eſt dicere quòd juxtà mentem Concilij, Deus creavit Angelos, ſeu naturam ſpiritualem, ſicut creavit homines, & naturam corpoream. *Epheſinum I.* *Bracarenſe.* *Lateranenſe.*

Angelorum exiſtentiam evidenter demonſtrat Sacra Scriptura in variis locis tam veteris, quàm novi teſtamenti. Ità certò manifeſtè ut nullus niſi Hæreticus audeat ipſis contradicere. Primò namque Geneſ. cap. 19. verſ. 1. legitur: *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, & ſedente Lot in foribus civitatis, qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram.* cap. 22. verſ. 11. *Et ecce Angelus de cœlo clamavit, Abraham, Abraham*, cap. 28. verſ. 12. *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Judith cap. 13. verſ. 20. *Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus.* Igitur ex veteri Teſtamento certi ſumus de exiſtentia Angelorum; cùm Sacra Scriptura inducat illos cum Deo, & hominibus loquentes de rebus divinis, & ſupernaturalibus, ut videre eſt nedum in illis locis citatis; ſed etiam in cap. 18. Geneſ. Judic. 2. Iſaiæ 6. & fere in libris Danielis, Tobiæ, & Apocal. & in aliis in quibus fit mentio de Angelis. Parum refert quòd Angelus ſit nomen officij, quia ſemper ſequitur dari ſubſtan- *Geneſ. 19.* *Judit. 13*

tiam in cœlo exiſtentem, quæ hujuſmodi officium exercet, quæ quidem ſubſtaotia materialis eſſe nequir.

Eamdem veritatem docet novum Teſtamentum, nam Matth. cap. 18. verſ. 10. legitur, Chriſtum dixiſſe: *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis, dico enim vobis quia Angeli eorum ſemper vident in cœlis faciem patris mei qui in cœlis eſt.* Et cap. 26. verſ. 53. dixit Petrot *An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum*

Novum teſtamentum affirmat exiſtentiam Angelorum.

Idem conſtat ex 1. cap. Lucæ in quo legitur, Angelum Gabrielem dixiſſe Zachariæ: *Ne timeas Zacharia.* Et eumdem Angelum fuiſſe miſſum ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Joſeph, eique dixiſſe, *Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Inſuper Sacra Scriptura varias refert proprietates, & actiones, quæ non niſi in creaturam ſpiritualem, cadere poſſunt, quæ quidem creatura noo eſt anima rationalis, quam ſpiritualem & immortalem eredimus. Nam Tob. cap. 12. verſ. 19. Angelus ait: *videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* At certum eſt, quòd ereatura materialis, & ſenſibilis nequit uti cibo iovifibill, ac proindè debet dari creatura ſpiritualis, quæ hujuſmodi utatur cibo, hæcque eſt Angelus. Deindé ſunt In cœlo, qui vident Deum, ſeu faciem Patris Chriſti, ut ipſemet teſtatur, Matth. loco citato. Et qui benedicunt, & laudant Deum, teſte Propheta, Pſal. 148. verſ. 2. *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*, ex quo ſequitur quòd in cœlis exiſtunt creaturæ, quæ inceſſanter benedicunt, & laudant Deum. Quòd de ſubſtantia materiali & corporea dici nequit, nec verificari, nec de homine, qui habitat in terra, & cujus vita militia eſt.

Tob. 2.

Pſal. 148.

Tandèm ſunt creaturæ oculis noſtris inviſibiles quæ cuſtodiont homines, ut conſtat ex Scriptura Sacra, Pſal. 90. Et Matth. 4. *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Hæc autem officia, nimirùm cuſtodire, dirigere, illuminare, inſtruere, & defendere homines modo inviſibili, hominibus minimè competunt: ſed Angelis ut conſtat ex illo Exod. cap. 23. verſ. 20. & 21. *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi, obſerva eum, & audi vocem ejus nè contemnendum putes. Quia non dimittet cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo.* Profectò ille, qoi à Deo miſſus erat, ut cuſtodiret hominem in via, non erat homo, ſed Angelos, ut notat D. Iſidurus lib. de ſummo bono, ubi elegantèr ait: *boni Angeli ad miniſterium humanæ ſalutis deputati ſunt, ut cunctis adminiſtrent bonis, & regant omnia juſſu Dei.* Ibidem: *ſingulæ gentes propoſitos Angelos habere probantur, & omnes homines, Angelos habere creduntur.* Idem prius docuerat Origenes ſuper lib. Num. homil. 71. dicens: *Adeſt unicuique noſtrum etiam minimis qui ſunt in Eccleſia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis, quotidie videns faciem patris qui in cœlis eſt.* His enim evidenter probatur juxta Sanctos Patres, Deum non miſiſſe hominem ad homines cuſtodiendos, ſed Angelos à Deo, & ab hominibus diſtinctos, & ſic probatur dari Angelos.

Exod. 23.

D. Iſidorus

Origenes.

Eamdem exiſtentiam Angelorum probant varij effectus, quos videmus in Arreptitiis, Energumenis, Incantatoribus, qui ſæpé ſecreta revelant, linguis loquuntur ignotis, quas nunquam didicerant, in aëra feruntur, tempeſtates movent, aliaque ſimilia eliciunt opera, quæ non poſſunt refundi niſi ad ſubſtantias ſpirituales, à Deo, & ab hominibus diſtinctas, nimirum ad illos Aogelos de quibus. D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. verſ. 4. ſic loquitur: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Nam non poſſunt refundi ad Deum, quia plura eorumdem operum ſunt nefaria, atque turpiſſima, Deoque indigniſſima, fiuntque io perniciem hominum, & odium atque injuriam ipſius Dei, ideoque in Deum minimè refundi poſſunt, neque io hominem, quippè cum plura illorum operum longè humanas vires ſuperent, putà ad præſentiam ſaxorum ſtatuæ reſponſa, de rebus petitis proferre; in ſpeculis, in aqua res abſentes repreſentare, revelare ocultiſſima, momentò tempeſtates excitare, domo egredi januis clauſis, & alia hujus generis exequi, quæ nullatenus refuodi poſſunt in homines, & ideo refundi debent in dæmunes, & per conſequens dantur Angeli; cùm ipſi dæmones ſint Angeli mali, ut conſtat ex Scriptura, & præſertim ex illo D. Petri jam relato. Et ex illo Iſa. cap. 14. verſ. 15. dicto de Lucifero: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

Quidam ſunt effectus qui probant exiſtentiam Angelorum

Iſai. 14.

Nec valet dicere hujuſmodi opera refundi poſſe in animas ſeparatas à corpore. Tum quia anima à corpore ſeparata non videtur habere plus virtutis naturalis ad movendum, aut immutandum aliquod corpus dum à corpore ſolvitur, quàm cum illud informat, aut animat; cùm naturalis virtus agendi, agentis naturalis conditionem ſequatur; ſed anima non poteſt hæc omnia facere dum eſt in corpore: ergo nec dum eſt ſeparata. Tum quia ſpiritus illi, qui Chriſto in regione Geraſenorum dæmoniacum curanti dixerunt: Marc. cap. 5. verſ. 12. *mitte nos in porcos, ut in eos introeamus*, non erant animæ à corpore ſolutæ, ut conſtat ex eodem Evangelio Marci, ſed dæmones; qui cùm Angeli mali ſint, neceſſè eſt admittere Angelos contra Saducæos, DavidGeorgianos, & Libertinos, quos ad exiſtentiam Angelorum confitendam cogit Apoſtolus ad Corint. cap. 4. verſ 9. dicens: *Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

Marc. 5.

§. II.

Quô deſtruuntur fundamenta Hæreticorum.

HÆretici replicant quod ſi ex Sacra Scriptura darentur Angeli, eſſent creaturæ homine ſuperiores, & præſtantiores, ut facilè infertur ex textibus ejuſdem Scripturæ ſuprà relatis, qui ſi de Angelis intelligerentur, eos ſuprà homines plorimùm extollerent: ſed nulla eſt ſubſtantia ſpiritualis minor Deo, quæ ſit perfectior, & ſuperior homine, ut aſſerit D. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 52. dicens: *Nihil eſt melius rationali anima niſi Deus.* Idem colligitur ex illo Geneſ. cap. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* quippè ſi homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus ſit, nulla poteſt eſſe creatura homine dignior, & perfectior; cùm ratione hujus imaginis, homo ſit ſuper ereaturas, Deo propinquior, & conformior in perfectione, & dignitate; ideoque fictitia, & imaginaria eſt (inquiunt) exiſtentia, aut creatio Angelorum.

Reſpondeo, Angelos eſſe ſubſtantias ſpirituales digniores, & præſtantiores homine, ut teſtantur Propheta regius Pſal. 8. affirmans, hominem paulò minùs ab Angelis minorarum eſſe, D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. verſ. 11. *Ubi Angeli fortitudine, & virtute cum ſint majores, non portant adverſum ſe execrabile judicium.* Et Job. cap. 4. verſ. 14. ubi de Satana inquit: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei*, Ideoqoe Angelus eſt

D. Auguſt

perfectior homine, nedùm poteſtate, ſed etiam naturali perfectione. Ad authoritatem D. Auguſtini dico quòd non debet intelligi abſolutè, nec comparativè ad omnes creaturas, quæ à Deo proceſſerunt; ſed ſolùm reſpectivè ad eas, quæ in terris exiſtunt: *Joh. 4.* Nam idem Sanctus Doctor tract. 110. ex peccato irremiſſibili Angelorum, naturæ eorumdem excellentiam ſupra homines colligit: dicens: *Quod tanto damnabilior judicata ſit culpa, quanto erat natura ſublimior.* Et lib. 11. de Civit. cap. 15. ait. *Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcellit*: igitur ex D. Auguſtino, Angelus eſt perfectior homine. Ad authoritatem Scripturæ dico quòd ratio imaginis non conſiſtit in gradu omnium perfectionum, ita ut homo ſit perfectus ſicut Deus; alioquin non eſſet ad imaginem Dei, ſed eſſet imago Dei ut verbum æternum. Quòd eſt falſum, ſed conſiſtit in eo quod anima noſtra tribus facultatibus, *intellectu*, nempè *voluntate, & memoriâ*, illuſtrata divinarum perſonarum Trinitatem adumbret: igitur Angelus, qui habet intelligere & velle, poteſt eſſe perfectior homine ad imaginem Dei creato.

Dicent quòd homo debet eſſe perfectior quocumque ente creato. Quia Deus propter ipſum hominem *1. Corint. 3.* omnia fecit, juxta illud Pauli ad Corinth. 1. cap. 3. verſ. 21. & ſequentibus: *Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive futura, ſive præſentia: omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti.* Ex quo neceſſariò ſequitur quòd homo eſt perfectior alijs creaturis, ſicut Chriſtus eſt perfectior cæteris hominibus. Deindè in genere creaturarum, non Angelus, ſed homo habet rationem finis, acproinde eſt dignior quacumque creaturâ, quoniam in omni rerum genere, quod habet rationem finis, eſt longè præſtantius eo, quod ſimilem rationem non obtinet. Ratio hujus rei eſt, quia juxtà Philoſophos, id propter quod aliquid fit, eſt dignius eo, quod fit: igitur impoſſibile eſt quòd ſint Angeli, ſi homo ſit creatura perfectior.

Reſpondeo reverà Deum feciſſe omnia, quæ in terris ſunt, propter hominem. Et omnia illi ſubjeciſſe, ut teſtatur illud Geneſ. cap. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ut præſit* *Angelus eſt perfectior homine.* *piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & beſtijs terræ, omnique reptili quod movetur in ea.* Nihilominùs nego, hominem eſſe finem Angeli ipſo Angelô nobiliorem. Dupliciter enim poteſt aliquid habere rationem finis reſpectu alterius, ut notat D. Bonaventura in 2. diſt. 1. quæſt. 2. ſcilicet ad ſupplendam indigentiam. Et ad ſuſcipiendam ejus influentiam. Quando aliquid fit propter aliud, hoc poſteriori modo, videlicet ad ſuſcipiendam ejus influentiam, ſanè id propter quod aliquid fit, eſt nobilius, & perfectius. At quando fit priori modo, ſeu ad ſupplendam indigentiam, certò id propter quod fit, non eſt nobilius: Angelus autem factus eſt propter hominem, ad ſupplendam indigentiam hominis, qui indiget Angelo, ut probat Angelorum cuſtodia; etenim Angeli, nullo niſi Deo indigent. Scriptum eſt quòd ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Quòd habitant in Cœlis. *D. Bonav.* Quòd ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, & completæ, à creaturis in terra degentibus plurimum diſtantes, & à corruptione penitùs alienæ: ideo propter hominem omnia facta ſunt, non autem propter Angelum in cujus rei ſignum, Angelus conditus eſt in principio, homo verò die ſexta.

Bernardus Videant igitur Saducæi, & alij Hæretici, creationem hominum non improbare exiſtentiam Angelorum, imo potiùs eam firmare, ut colligi poteſt ex illo D. Bernardi in ſerm. de Angelis, ubi inquit. *Benignus es Domine, qui non es contentus noſtra fragilitate miſerum, ſed ipſis hominum cuſtodibus, angelicam cuſtodiam ſupponis.* Inde enim ille S. Doctor ludere videtur, Deum creaſſe Angelos, ut ipſorum miniſterio noſtram firmaret infirmitatem, & adjuvaret indigentiam. Quòd non ad minorem, nec ad minus perfectum pertinet, ſed ad majorem, & perfectiorem creaturam, quia adjuvare, ſublevare, dirigere &c. quæ Angeli exercent ergà homines, ſunt actus virtutis, poteſtatis, & perfectionis. Idque poteſt confirmari exemplo Verbi Divini quod propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & caro factum eſt; quin tamen Chriſtus ſit in perfectionibus homine minor, imo, hoc nonobſtante, eſt cæteris hominibus perfectior, quia Dei filius factus eſt Homo, ut redimeret, liberaret, & adjuvaret nos, non verò, ut à nobis influentiam ſuſciperet: venit enim ſalvum facere quod perierat.

Dicent, ſi Deus creaſſet Angelos, hoſque hominibus perfectiores, eſſent ſpirituales, & incorporei; cùm anima hominis ſit ſpiritualis, & dignitate excedat omne materiale, & corporeum; ſed illæ creaturæ (de quibus loquuntur Sacræ Scripturæ textus relati) quas eſſe Angelos diximus, ſunt creaturæ *Geneſ. 6.* corporeæ, & materiales; cùm eadem Sacra Scriptura generationem corpoream illis tribuat, ut conſtat ex illo Geneſ. cap: 6. verſ. 2. *Videntes Filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores ex omnibus quas elegerant*, ubi per filios Dei, ſeptuaginta Interpretes intelligunt Angelos Dei, tribuuntque illis figuram hominis: nam Abraham tres Angelos convivio excepit, Jacob per totam noctem cum Angelo, eſt luctatus, vidit etiam Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Angelus Raphaël fuit Comes Tobiæ in via, cum ipſo manducabat, ut dictum eſt ſuprà: ergo non dantur creaturæ ſpirituales hominibus perfectiores, acproindè nec Angeli, quoniam ſuppoſito quod exiſterent, eſſent ſpirituales, & incorporei. Quoniam nulla ſubſtantia poteſt eſſe perfectior homine, niſi ſit ſpiritualis.

Huic argumento, quo Hæretici contendunt exiſtentiam Angelorum improbare. Reſpondeo, Angelos eſſe ſubſtantias omnino incorporeas & purè ſpirituales, ut probant Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Luc 10. verſ. 20. *Verumtamen in hoc nolite gaudere* *Angeli ſunt incorporei.* *quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur.* Et cap. 11. *aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe.* Et Apoſtolus ad Heb. cap. 1. *omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus in miniſterium miſſi.*

Ad probationem, quæ eſt ex Scriptura. Dico cum doctiſſimo noſtro Fraſſenio in textu Hebraico, & in 70. ſicut & in vulgata, legi, *filios* non, *Angelos Dei*, ut conſtat in exemplaribus correctioribus, ſicut obſervat S. Auguſtinus lib. 15. de civit. Dei *D. Auguſt.* Cap. 23. nomine autem *filiorum Dei*, intelliguntur filii Seth, & illi qui divino cultui præ cæteris hominibus maximè dediti, filij Dei dicebantur, à pietate paterna, aut propria, qui cum filiabus hominum, hoc eſt, mulieribus oriundis à Caino & ejus poſteris hominibus, maximæ terrenæ ac corporeæ voluptati deditis commixti, Gigantes genuerunt. Ita idem Doctor qui in tract. de Angelis alias refert ejuſdem textus expoſitiones, ſed eas omitto; cùm ex communi notitia omnibus certum ſit, textum relatum non eſſe intelligendum de Angelis, ſed de hominibus, ut ſuadent verba, quæ ſequuntur: *dixitque Deus non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt &c.* quæ non de Angelis, ſed ſolùm de homine intelligi poſſunt.

Ad aliam authoritatem de figura humana, quam Scriptura tribuit Angelis, dico, Angelos hæc omnia feciſſe non in corpore proprio, ſed in corpore aſſumpto & formato ex aëre, vel ex alia materia te-

nni & ſubtili. Quod ab Angelis fieri & aſſumi non repugnat, ut ſe viſibiles præbeant, & cum hominibus converſentur; quin tamen verè & propriè opera vitæ corporeæ exerceant, ſed tantùm ſecundum apparentiam. Hoc verum eſſe probat Sacra Scriptura. Quantum ad primum, quod eſt de generatione,
Luc. 20
habetur ex illo Lucæ cap. 20. verſ. 34. 35. & 36. ubi Chriſtus ait: *Filij hujus ſæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores,*
Job. 12.
neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cum ſint filij reſurrectionis. His quidem verbis Chriſtus affirmat, Angelos eſſe incapaces generationis. Secundum verò quod eſt de corpore aſſumpto, patet ex illo Tobiæ cap. 12. verſ. 19. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere &c.* quæ probant, Angelum Raphaëlem aſſumpſiſſe corpus, ut juniorem Tobiam duceret.

Tandem objiciunt Deſitheani. Si darentur Angeli, hique ſpirituales, nullus Angelus eſſet in inferno, quia ibi exiſtentes patiuntur pœnas, quas ſpiritus pati non poteſt, cùm pœnæ inferni ſint ab igne materiali, & corporeo, in quo nulla eſſe poteſt adverſus ſpiritum actio, teſte Philoſopho aſſerente quòd agens materiale nequit agere in ſpirituale. Nulla eſt igitur ſubſtantia ſpiritualis præter Deum, & animam hominis. Dicunt deindè Concilium Nicænum ſecundum actione 5. approbaſſe ſententiam Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis aſſerentis, Deum non eſſe pingendum, benè verò Angelos, quia Deus eſt Spiritus, Angeli verò ſi ſint, ſunt corporei. Ratio enim fundamentalis hujus Epiſcopi erat. Quia nullus eſt ſpiritus, niſi Deus, & anima hominis: Igitur textus Scripturæ, quos retulimus non probant exiſtentiam Angelorum, quoniam ſi hoc eſſet, Patres Concilij Nicæni ejeciſſent ſententiam Epiſcopi Theſſalonicenſis.

Reſpondeo. Argumentum nihil probare, nam Angeli mali non torquentur Phyſicè igne inferni, quia corporeus eſt, ſed moralitèr, ex viva ſcilicet apprehenſione, quam Deus producit in illis ad ignis præſentiam, quâ apprehendunt ipſum ignem, tanquam ſibi maximè noxium, & diſconvenientem, ut cum Doctore docuimus in Theologia Scholaſtica. Vel dico cum D. Thoma quòd corpora virtute divina, cujus ſunt inſtrumenta, poſſunt agere in ſpiritum, & ideo quòd ignis inferni ſic excruciat diabolos, & fumus Tobiæ omne genus dæmonum extricabat: igitur non implicat quòd mali Angeli ſint in inferno, ibique patiantur pœnas æternas; licet ſint omninò immateriales, ſicut animæ damnatorum eas patiuntur, ut fatentur Hæretici.

Reſponſio ad ultimã hæreticorũ rationem.

Ad illud Concilij Nicæni dico, quòd Joannes Epiſcopus Theſſalonicen. aſſerebat, Angelos eſſe depingendos, non ut oſtenderet, Angelos eſſe corporeos, aut nullum alium eſſe ſpiritum præter Deum, & animam hominis, ſed ut impoſterum conſtaret, Angelos apparuiſſe in forma corporea, aut in corpore aſſumpto, pluribus, ut potè Abrahamo, Moyſi, Tobiæ, Virgini Matri: Mulieribus euntibus ad Domini ſepulchrum, & alijs viris de quibus ſolemnis fit mentio in Sacra Scriptura. Nam Tharaſius, qui ſententiam Joannis Theſſalonicenſis propoſuit, inquit de eodem Epiſcopo: *Oſtendit Pater etiam Angelos oportere depingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt*, quibus auditis ſtatim ſubjecit Synodus, *etiam Domine*, ut referunt communiter Scriptores.

ARTICULUS XXXVIII.

Propugnat adverſus Apuleïanos, nullum Angelum eſſe Mediatorem inter Deum, & homines.

IN hoc articulo impugnanda eſt hæreſis directè præcedenti oppoſita, quæ Angelorum exiſtentiam impugnat. Hæc verò quam ſumus hîc impugnaturi, nedum eos propugnat contra Saducæos, Doſitheanos, & alios Hæreticos, ſed etiam aſſerit contra univerſam Eccleſiæ fidem, & verum Sacræ Scripturæ ſenſum, Angelos eſſe mediatores inter Deum & homines. Nec ab illa mediatione excludit malos Angelos, ſeu dæmones, ſed admittit eos ſive bonos, ſive malos, eoſque hominibus adorandos proponit. Reverà hæc hæreſis paucos habuit defenſores, omnes enim credunt contrà Stancarianos, Chriſtum ſolum eſſe mediatorem, & noſtrum liberatorem, ut in primo libro dictum eſt; tamen non eſt cæteris minor, videtur enim mihi præ cæteris deteſtabilior (cùm velit implacabilem noſtræ ſalutis inimicum, cujus velle eſt, hominum damnatio, juxta illud D. Petri cap. 5. verſ. 8. *Vigilate quia adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem devoret*,) eſſe liberatorem, & mediatorem noſtrum ſimul cum Chriſto ad noſtram redemptionem concurrentem.

Hujus impijſſimæ hæreſis author, eſt quidam vir natione Afer, patria Madaurus, nomine Apuleïus, *Apuleïani.*
de Secta Platonica Philoſophus, qui teſte D. Auguſtino lib. 9. de civitate Dei, docebat ſecundo currente ſæculo, dæmones eſſe medios inter Deum & homines. Hujus Hæretici Sectatores dicuntur Apuleïani, non ab hæreſi, ſed ab authore, qui inſinuabat, non ſolum Beatos Angelos, ſed ipſos etiam Dæmones colendos eſſe eadem ratione quâ colitur Chriſtus, ſcilicet beneficio redemptionis. *Angelici.*

Eidem hæreſi adhæſerunt tempore Severi Imperatoris, & Victoris primi Papæ circa annum Domini CC. quidam viri, dicti Angelici, qui adorabant Angelos, & Coloſſenſibus recentèr ad fidem converſis, novam, ac ſuperſtitioſam religionem Angelorum ſuadere conabantur, dicendo colendos ac venerandos eſſe Angelos, ut mediatores inter Deum & homines.

Contra hanc hæreſim nullum adinveni Concilium pro ipſa refutanda celebratum, ſed conſtat ex varijs Concilijs definitum fuiſſe, Chriſtum Dominum eſſe unicum mediatorem inter Deum, & homines: Inde enim ſequitur hujus hæreſis Apuleïanorum condemnatio. Unde ad proprium articulum de Chriſto mediatore remittendus eſſet Lector, nihilominùs eum retinebo; ut videat quàm abſurda ſit, & impia, imo à ratione, & communi ſenſu devia hæc Apuleïanorum hæreſis, aut blaſphemia.

§. I.

Probatur Veritas Articuli.

DIvus Paulus I. ad Timoth. cap. 2. verſ. 5. excludit abſolutè Angelos à mediatione, vultque nos nullum habere mediatorem, niſi Chriſtum Jeſum: *Solus Chriſtus eſt mediator Dei & homin.*
ibi enim ait: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.* 2. ad Corint. cap. 5. verſ. 18. *omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtũ & dedit nobis miniſterium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans illi delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis*

Verbum autem illud non eſt Angelus, ſed Chriſtus: igitur non Angelus, ſed ipſe Chriſtus eſt mediator inter Deum & homines, non ſolum miniſterio, ſed etiam ſtatu, ut moner idem Apoſtolus ad Heb. cap. 2. verſ. 10. ubi ait: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Hebr. 2. *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis;* ibi enim Apoſtolus loquitur de Filio Dei incarnato per cujus paſſionem ità decuit authorem ſaluris noſtræ conſummare, ut nullatenus fieri potuerit ab Angelis, qui non poſſunt nos vocare fratres, ſicut Chriſtus poteſt nos tales dicere, quia eſt homo, licet ſit Deus.

Imo ex ipſo Apoſtolo, Angelis repugnat mediatoris officium, nam verſ. 14. & 15. declarat, mediatorem noſtrum participem eſſe carnis noſtræ & ſanguinis; ibi enim ait: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum. Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſervituti:* Hæc autem de Angelis verificari non poſſunt; cùm ſint ſubſtantiæ prorſùs incorporeæ, & ſpirituales. Et mediationis Scopus ſit liberare nos à poteſtate diaboli; qui cùm ſit malus Angelus, Spiritus nocendi cupidiſſimus, & à juſtitia penitùs alienus juxtà D. Auguſtinum, nequit eſſe mediator noſter, nec liberator per ſanguinis effuſionem.

Idem confirmat Ipſe Apoſtolus verſ. 17. dicens de illo, qui mediator eſt: *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Angelus autem non ſimilatur nobis per omnia, cùm non habeat corpus ſicut nos habemus, idcoque nequit fieri miſericors, nec fidelis Pootifex ad Deum, nec repropitiare delicta noſtra, ut veri mediatoris officium exigit, & invenit in Chriſto, qui quamvis ſit Filius Dei unigenitus, eſt tamen primogenitus in multis fratribus.

Mediatio aur reconciliatio noſtra non poteſt fieri, niſi quatuor modis. Primò quando quis à duobus altercantibus eligitur tanquam Judex, & Arbiter cauſæ, cùm neceſſe ſit, verum Mediatorem, habere jus pronunciandi, & perfectam delicti notitiam, *De modis ad mediatorem requiſitis.* nulli ſiquidem licet mittere falcem in meſſem alienam. Secundò quando mittitur ut Legatus utriuſque altercantium offició functurus. Tertiò quando præcibus & meritis altercantes reconciliat juxtà uniuſcujuſque altercantium jura, aur exigentiam. Quartò tandèm quando mediat inter debitorem, & creditorem, & creditori pro debitore debitum ſolvit. Sed hujuſmodi conditiones, Angelis minimè conveniunt, nam Deus non dedir Angelis judicium; cùm dederit illud filio, teſte D. Joan. cap. 5. verſ. 22. nec miſit illos ut redimerent nos, ut declarat Matth. cap. 1. verſ. 21. Ipſe enim, id eſt, Chriſtus, ſalvum faciet populum ſuum á peccatis eorum, quibus verbis Angelus Domini, qui apparuit in ſomnis Juſeph, ſuadet, Chriſtum miſſum fuiſſe ad ſalvandas animas, & ad diſſolvenda opera Diaboli. Tandèm Angelus ſive bonus, ſive malus, non ſatisfecit pro nobis, nec effudit ſanguinem illum, in quo reconciliati ſumus, ſed Chriſtus, inquit Apoſt. ad Coloſſ. c. 1. v. 18 ſic loquens: *Ipſe eſt caput corporis* ad Coloſſ. *Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenen. Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare, omnia in ipſum, pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt:* Ergo Angeli non ſunt Mediatores inter Deum, & homines, ſed Chriſtus ſolus qui redemit nos in ſanguine ſuo, & lavit nos à peccatis noſtris, ut exigebat, Deo ſic ordinante, mediatio de qua loquimur.

Undè D. Irenæus lib. 3. cap. 10. declarat, Chriſtum ita fuiſſe Mediatorem noſtrum, ut nulli Angelo, nec omnibus ſimul convenire poſſit mediatoris officium; ibi enim ait, pro exprimenda Chriſti mediatoris erga nos neceſſitate: *Oportebat mediatorem* D. Irenæus *Dei, & hominum per ſuam cum utroque propinquitatem ambos in amicitiam, & concordiam adducere, ac Deo quidem repræſentare hominem, hominibus verò Dei communicare notitiam.* Porrò Angeli non adduxerunt Deum & homines in amicitiam, & concordiam; alioquin Job cap. 9. verſ. 33. non dixiſſet diù ante adventum Job. 9. Chriſti: *Non eſt qui utrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus.* Quia tunc erant Angeli tam boni, quàm mali, idcoque non mediant inter Deum & homines, (niſi Hæretici velint quòd medient ratione ſtatus, hoc eſt, quia non ſunt in ordine ſubſtantiæ Divinæ, nec independentes, ut Deus, nec in ordine ſubſtantiæ corporeæ; cùm non uniantur materiæ ſicut anima hominis,) quoniam mediatio de qua loquimur conſiſtit in reconciliatione hominis cum Deo, à cujus majeſtate receſſeramus per peccatum, & ad quam acceſſimus per ſanguinem mediatoris, qui ſolvit peccata noſtra, quibus ſeparamur à Deo. Mediator enim eſt qui partes diſſitas, aut ſeparatas unit, & reconciliat. Undè Apoſtolus ad Heb. cap. 4. poſt manifeſtatam Judæis mortem Chriſti, ſic concludit. Hebr. 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno.* Ejus ratio eſt, quia non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, quibus profectò Angeli compati non poſſunt, & præſertim mali, qui totius generis humani, ruinam appetunt, ut ſuadet lapſus Adæ, qui accidit, diabolo ſuadente.

§. 11.

Rejiciuntur Argumenta contraria.

APuleïani hæreſim deducunt ex variis Sacræ Scripturæ locis malè intellectis & præcipuè ex illo Judicum cap. 2. verſ. 1. ubi legitur: *Aſcendit què Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, &* Hæreticorū ratio. *ait, eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi Patribus veſtris: & pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum. Ità dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus ſed aras eorum ſubverteretis, & noluiſtis audire vocem meam.* Et ex illo Pſal 91. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hujus beneficij rationem aſſignat idem Propheta dicens: *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, nè forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Conantur enim ex illis locis oſtendere, Angelos eſſe ſalutis noſtræ authores, nec non mediatores inter Deum & homines, quoniam (inquiunt) ad eos ſpectat impedimenta ſpiritualis profectûs tollere, ad quos ſpectat homines liberare. Unde ſi Angeli cuſtodiant nos in via ſalutis, ipſi ſunt qui nos in eadem via poſuerunt, ſanè per reconciliationem, & mediationem.

Huic argumento facilè eſt reſponſionem adhibere quia authoritates relatæ, & aliæ ſimiles, quæ contrà veritatem referri poſſunt, non probant, Angelum eſſe ſalutis, aut redemptionis noſtræ Authorem; ſed probant tantum quòd Deus Angelis commiſit cuſtodiam hominum, quos Chriſtus redemit ſanguine ſuo, per quam cuſtodiam nobis plura adveniunt ad ſalutem ordinata beneficia, quæ per textus adductos exprimuntur: nam primus, qui eſt Ju-

Solutio ad rationem Hæreticorũ

dicum, denotat, Angelum pro delictis increpaſſe populum, ut emendaretur, ut probant ea, quæ ſtatim ſequuntur. *Cumque loqueretur Angelus Domini hac verba ad omnes filios Iſrael, elevaverunt ipſi vocem ſuam, & fleverunt, & vocatum eſt nomen loci illius, locus flentium, ſive lacrymarum, immolaveruntque ibi hoſtias Domino.* Secundus verò demonſtrat, Deum deputaſſe Angelos, ut impedimenta, & obſtacula removeant ad virtutem, ut ſecuriùs ad cœleſtem patriam perveniamus. Unde D. Auguſtinus in Soliloq. cap. 27. de Angelis ità loquitur: *Magnâ curâ, & vigilanti ſtudio, adſunt nobis ſolliciti, diſcurrentes inter nos, & tu Domine gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem.* Et D. Baſilius in Pſal 33. inquit: *Sicut muri civitatis circumdati omni ex parte arcem propulſantes hoſtiles incurſus, ſic & Angelus te præmunit à fronte, & à tergo cuſtodit, & nihil utrimque in cuſtodiendo relinquit:* Igitur Propheta regius Pſalmo citato, non docet, Angelos eſſe mediatores noſtros, ſed ſolùm deſcribit Angelicam cuſtodiam, & tutelam, quæ inutilis eſſet, niſi Chriſtus nos redemiſſet, & mediator fuiſſet inter Deum & homines Nec inde fit mediatori noſtro injuria, nec deducitur, Angelos, qui nos cuſtodiunt, eſſe noſtros redemptores, quia Deus, qui nihil ultrà debuit facere vineæ ſuæ. quàm quod fecit, ſuâ providentiâ nobis contulit omne medium, ut nobis aperiretur via ſalutis, quapropter voluit Angelis committere cuſtodiam hominum, quos Chriſtus redemit ſanguine ſuo.

D. Auguſt.

D. Baſilius

Dicent; textus relatos probare, Angelos eſſe mediatores noſtros. Et quia mediatores, eſſe cuſtodes: nam (inquiunt) Angeli ſunt perfectiores hominibus, ut conſtat ex Sacra Scriptura, acproinde ſunt pluſquam cuſtodes, & adminiſtratores hominum, ſcilicet Mediatores; alioquin homo eſſet major Angelo. Scriptum eſt enim, major eſt qui recumbit, quàm qui miniſtrat: igitur ſi Angeli miniſtrent hominibus, & non ſint mediatores eorum apud Deum, ſequitur quod homines ſunt ipſis Angelis majores. Sed non valet hæc ratio, licet Angeli ſint perfectiores hominibus, quia Angelus cuſtodiendo hominem miniſtrat ei præſidendo, docendo ac regendo illum ut Pedagogus parvulum, non autem ut ſerviendo, & obediendo ut famulus Domino. Undè cum authoritas Lucæ non ſit de miniſterio præſidentiæ, ſed de miniſterio ſubjectionis (alioquin Chriſtus eſſet minor hominibus, quia teſte Matth. cap. 20. verſ. 28. ait. *Non veni miniſtrari ſed miniſtrare*) ſequitur quòd homines quibus miniſtrant Angeli, non ſunt perfectiores ipſis Angelis, nec ipſi Angeli ſunt mediatores hominum.

Miniſteriũ Angelorum non probat ipſos eſſe mediatores.

Inſtabunt: Angeli non ſunt cuſtodes hominum: ergo ex textibus relatis, quibus conſtat, homines plura ab Angelis recepiſſe beneficia, ſequitur quòd non ſunt cuſtodes hominum, ſed mediatores, nam ſolus Deus eſt cuſtos hominum, ut declarat Job. cap 7. verſ. 20. *Quid faciam tibi, ô cuſtos hominum?* Idem habetur Pſal 120. verſ. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Quæ verba non de Angelis, ſed Deo dicta ſunt, & excludunt Angelos à cuſtodia hominum tamquam ſuperfluos.

Job. 7.

Reſpondeo quòd Job & David non negant, Angelos eſſe cuſtodes hominum, licet dicant, Deum eſſe cuſtodem eorumdem, quia divinæ cuſtodiæ perfectio, non excludit utilitatem Angelicæ, ut monet noſter doctor Seraphicus D. Bonaventura. Nec implicat hæc duorum cuſtodum ſocietas, quia non repugnat quòd agentia ſubordinata, aut quorum unum dependet ab alio, ſint ſimul, ut patet in cauſis ſecundis cum quibus Deus ſimul agit & operatur: ideo que textus relati non probant, Angelos eſſe mediatores noſtros apud Deum.

D. Bonav.

Dicent iterùm, cuſtodia ordinatur ad bonum cuſtoditi, hoc eſt, nè homo cadat in captivitatem dæmonis; ſed hoc facere, ad mediatorem ſpectat, & ad liberatorem, quoniam illius eſt liberare à dæmone, cujus eſt redimere à captivitate: ergo Angeli ſi nos cuſtodiant, ſunt liberatores, & mediatores noſtri.

Reſpondeo cum eodem S. Doctore maximam eſſe differentiam inter cuſtodire, aut præſervare. Et ſolvere, ſeu debitam ſatisfactiooem exhibere. Cuſtodire dicit tantùm aliquem beneficentiæ actum externum, qui poteſt conferri ab Angelo, qui non poteſt ſolvere peccatorum debita, quæ Chriſtus ſolvit in cruce. Solvere autem dicit exhibitionem prætij condigni pro noſtris debitis, quæ exigebant prætium infinitum, quod exhibere minimè poſſunt Angeli; licet poſſint ad cuſtodiam noſtram deputari à Deo, qui de facto deputavit eos, ut in primo libro dictum eſt contra Bezaniras. Solius agentis infiniti ſcilicet Chriſti eſt condignam pro peccatis noſtris exhibere ſatisfactionem, quoniam peccata noſtra ſunt infinita, & Deus eſt infinitè offenſus.

ARTICULUS XXXIX.

Probat adverſus Priſcillianiſtas, nullum Angelum eſſe ex natura ſua excluſum à gloria.

HÆc veritas impugnata fuit ſaltèm implicitè à Manichæis, de quibus locuti ſumus in ſecundo articulo primi libri, quia anno circitèr CCLXXIII. ſub Aureliano Imperatore, & Fœlice I. Romanorum Pontifice, dicebant quòd creaturæ omnes ex ſe malæ ſunt. Quia duos admittebant Deos, unum bonum, & alterum malum, ut ab illo, bonum, ab iſto verò, malum procederet: hinc eſt quòd cùm ſubſtantiæ tam ſpirituales, quàm materiales ſint creaturæ, à Deo malo creatæ ſunt. Huic ſententiæ ſubſcripſit etiam Priſcillianus, vir natione Hiſpanus, & Eccleſiæ Abulenſis in Hiſpania Epiſcopus, qui ſub Valentino Imperatore, & Syricio Papa, circa annum Domini: CCCLXXXVIII. aſſerebat, omnem creaturam, malam eſſe ex ſe, & ex ſua generatione, & ideo aſſerebat, Angelos eſſe malos ex natura ſua, quoniam ſunt creaturæ.

Manichæi.

Priſcillian.

Juxta plurium Scriptorum mentem, ante prænominatos divinæ fidei hoſtes, alij viri Hæretici, ſcilicet Floriani, tempore Commodi Imperatoris, & Soteris Pontificis Maximi, circà annum Domini CLXXXII. eâdem hæreſim docuerant, teſte Baronio tom. 4. anno CCCXV. & CCCXIX. Sed quia Florinus non invenitur in catalogo eorum, qui noſtrum articulum directè impugnarunt, ab hac opinione recedo, & aſſigno alios, ſcilicet Trinitarios, qui expreſſè dixerunt quòd Angelus malus in inſtanti ſuæ creationis, fuit malus, nec habuit unde poſſet ſtare. Spectant autem hi viri Hæretici ad tertiam Evangelicorum claſſem, ſuntque Secta Antilutherani, ideoque inſurrexerunt poſt Lutherum, hoc eſt, poſt annum MDXVII. Hæc hæreſis adeo clara eſt. ut non eſſet opus adverſus eam pugnare niſi contra homines effrontes, & duræ cervicis ageremus, ut inquit noſter Alphonſus à Caſtro.

Florinus non fuit hujus hæreſis defenſor.

Trinitarij.

§. I.

In quo probatur Veritas Articuli.

UT Hæreticos convincamus, advertendum eſt quòd præter Concilia, quæ ſanciunt, Deum eſſe creatorem totius mundi, & eſſe opificem perfectum, ex quo nihil proceſſit niſi bonum, Concilium Bracarenſe primum celebratum ſub Joanne Papa III. & Theodomiro Suevorum Rege in Hiſpaniis regnante, anno Domini DLXIII. à Lucretio Metropolita, & Comprovincialibus Epiſcopis cap. 7. ſuorum Decretorum ſic definivit: *Si quis dicit, diabolum non fuiſſe priùs Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam ejus, ſed dicit ex tenebris eum emerſiſſe, non aliquem ſui habere authorem, ſed ipſum eſſe principium abſque ſubſtantia mala, ſicut Manichæi, & Priſcillianus dixerunt: anathema ſit.* Et cap. 8. iterùm: *Si quis credit quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, & fulgura & tonitrua, & tempeſtates, & ſiccitates ipſe diabolus authoritate ſua faciat, ſicut Priſcillianus dixit: anathema ſit.* Ità teſtatur præcitatus author loco citato.

Deciſio concilii Bracarenſis. I.

Lateranenſ.

Idem definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. de Summa Trinitate cap. *firmitèr*, ubi legitur: *diabolus, & alij dæmones, à Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Homo verò diaboli ſuggeſtione peccavit.* In Concilio Carthaginenſi IV. celebrato ſub Anaſtaſio Papa primo per Epiſcopos CCXIV. circà annum Domini: CCCCXVI. cap. 1. Inter alia fidei documenta, & dogmata petenda ab eo, qui Epiſcopus creatur, unum eſt, ut credat quod diabolus non per conditionem naturalem ſed per arbitrium factus eſt malus.

Carthaginenſe.

Tandem in can. *principium*, qui eſt 45. diſtinct. 2. de pœnitentia legitur ſic de Angelo. *Iſta arbor in Paradiſo Dei tot quaſi condenſas frondes habuit, quot ſub ſe poſitas supernorum Spirituum legiones attendit, qui idcirco peccans, ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus:* Igitur ex illa & aliis authoritatibus Juris Pontificij, omnes Angeli ſive Beati, ſive damnati, ſeu dæmones, fuerunt creati boni, & nullus eſt in inferno, qui ſit ex ſe, & ex ſua natura malus, ſive diabolus, ut voluere nonnulli Hæretici nolentes proclamare cum Propheta, quod opera Dei ſunt perfecta.

Nihilominùs hæc ipſa veritas Catholica, nimirum nullum Angelum eſſe malum ex natura ſua, probanda eſt authoritate Sacræ Scripturæ. Nam Moyſes poſt deſcriptam rerum omnium creationem in cap. 1. Geneſeos, ſtatim addit quòd Deus a ſe condita opera, ut perfecta, & bona probavit, inquit enim: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona*, ſed inter hæc, quæ fecerat, Angeli inveniebantur: cùm ſint creaturæ à Deo conditæ, ut dictum eſt in primo libro contra Simonem Magum, Cerinthum, Menandrum, Saturninum, Baſilidem, & alios Hæreticos, qui dixerunt Angelos creaſſe mundum, idcircò Angelus eſt bonus ex natura ſua; cùm quælibet creatura Dei bona ſit, teſte Apoſtolo ad Timoth. cap. 4. verſ. 4. dicente: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Nam ſi omnis creatura bona ſit, & Angelus ſit creatura, neceſſe eſt quòd Angelus ſit ex natura bonus, ſicut cæteræ creaturæ bonæ ſunt, & perfectæ in ratione operis, aut creaturæ.

Geneſ. 1.

Timoth. 4.

His addo verba Judæ Apoſtoli in Epiſt. Cathol. verſ. 6. *Angelos vero qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Hæc quidem verba evidenter demonſtrant quòd dæmones non fuerunt mali naturâ, ſed tales propria voluntate facti ſunt, ſeu quia noluerunt ſervare ſuum principatum, quem tamen ſi voluiſſent ſervare poterant: habebant enim undé ſtare poſſent in directo, ſi voluiſſent, & undè in omnibus poſſent placere Deo, ejuſque mandata perfectè adimplere ſicut Angeli boni, qui ſtant ante Thronum Dei, laudantes, & benedicentes Dominum.

Epiſt. Catholi.

Origenes.

Undè Origenes Homil. in Ezech. apertè declarat dæmonem non eſſe dæmonem à Deo conditore, ſed à ſe, dicens. *Serpens*, id eſt, diabolus, *non fuit ſemper Serpens, primo quidem à Deo bonus creatus, ſed propria voluntatis pravitate dæmon effectus* D. Auguſtinus lib. 19. de civit. Dei cap. 13. *Nec ipſius diaboli natura, in quantum natura eſt, mala eſt, ſed perverſitas eam malam fecit.* D. Chryſoſtomus lib. de patientia Job, inquit. *Diabolus non naturæ nomen, ſed præſumptionis eſt.* Iſtorum Sanctorum Patrum oracula, confirmat illud Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, non enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti:* Igitur diabolus, aut malus Angelus, non fuit creatus malus, ſed bonus; alioquin Deus ipſum creans, non eum dilexiſſet, eumque odiens conſtituiſſet. Quòd eſt manifeſtè contra Sacram Scripturam, quæ omnem imperfectionem, & deformitatem excludit ab operibus Dei, cujus potentia perfectiſſima eſt.

D. Auguſt.

D. Chryſoſtomus.

Hæc veritas probari etiam poteſt ratione. Nam ſi omnes Angeli creati fuiſſent mali, Propheta Iſaias in perſona regis Aſſyriorum, peccatum principis dæmonum allegoricè deſcribens, non diceret, *quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* Sciebat enim ipſe Propheta quòd nihil inquinatum intrat in regnum cœlorum; licet dæmon non ceciderit de cœlo Empireo, ſed ſidereo, quod Empireo proximum eſt, ut refert D. Hieronymus lib. 6. in cap. 14. Iſai: *in cœlum aſcendam.* Sciebat inſuper quòd pravitas coinquinat animam, ideoque idem Propheta agnoſcebat, Angelum in ſua cognitione fuiſſe bonum, & malum ſuperbiâ ſuâ dumtaxat ſcilicet quia voluit ſolium ſuum conſcendere ſuper aſtra Dei. Nec fuiſſet in tanta admiratione, nec illi dixiſſet, *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.* Nec Propheta Ezech. cap. 28. verſ. 15. & 16. ſub perſona Regis Tyri de diabolo ſic locutus fuiſſet: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te, in multitudine negotiationis tuæ, repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & ejecit te de monte Dei, & perdidit te, ô Cherub. protegens de medio lapidum ignitorum.* Et verſ. 18. addit, *in multitudine iniquitatum tuarum, & in iniquitate negotiationis tuæ, polluiſti ſanctificationem tuam*, cùm per hæc verba, Propheta Iſaias, & Ezechiel ſtatum naturalem Angelorum deſcribant, & verè exprimant, Angelum eſſe perfectum ex conditione ſua. Et malum iniquitate ſua, ſeu peccato, quod non eſt, niſi liberum, & voluntarium ſit, & nemo poſſit citrà hæreſim illud tribuere Deo veluti cauſæ efficienti, ut in proprio loco dictum manet.

Lucifer liberè cecidit de cœlo.

Ezech. 18.

Inſuper ſi dæmones creati fuiſſent mali, ſequeretur quòd non eſſent digni ſupplicio propter tale malum, ſeu pravitatem. Quoniam in his, quæ a natura ſunt, nec præmio, nec ſupplicio quis dignus eſt cenſendus; puniuntur tamen in inferno, ut probat illud Matth. 25. verſ. 41. *tunc dicet*, id eſt, Chriſtus, *His qui à ſiniſtris erunt, diſcedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus:* Ergo mali Angeli, ſeu dæmones, non ſunt mali à natura, ſed à mala voluntate, quâ inquit D. Auguſtinus de verbis Apoſtolorum Petri & Pauli: *miſer quiſque efficitur, ſed miſerior, cùm deſiderium malæ voluntatis impletur.*

Matth. 25.

D. Auguſt.

Denique ſi dæmones eſſent mali ex conditione naturali, ſequeretur quòd Deus, qui creavit illos, eſſet verè principalis author malitiæ dæmonum, quia qui dat formam, dat naturaliter conſequentia ad

formam, & perconſequens, Deus conditor Angelorum dediſſet illam malitiam formalem, quæ naturam angelicam ſequeretur; ſed hoc eſt falſum, quia Deus non poteſt velle malum, nec illud amare. Mundi enim ſunt oculi ejus, ut ad malum reſpicere non poſſit, & ideo non creavit Angelos malos, ſed bonos, condidiique eos perfectos, & liberos, ſicut creavit hominem, quem Deus fecit rectum, & reliquit in manu conſilij ſui, alioquin homo ex creatione ſua eſſet nobilior Angelo quòd eſt falſum.

Alia additur probatio, ut evidentius conſtet, omnes Angelos eſſe ex natura ſua bonos, quæ ſic efformatur. Omnes Angeli tam boni, quàm mali, tam beati, quàm damnari, fuerunt in ſtatu gratiæ ſanctificantis, nam ſi aliqui Angelorum, gratiam ſanctificantem aliquando non habuiſſent, maximé Lucifer cum ſuis perduellibus aſſeclis, ot eſt evidens, ſed Lucifer habuit illam, ut conſtat ex illo Iſaiæ cap. 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes?*

Angeli fuerunt creati in gratia.

Nec valet dicere quòd Propheta locutus eſt de Rege Nabuchodonoſor. Quia licet hoc verum ſit in ſenſu litterali, ut facilè colligi poteſt ex præfatiuncula hujus capitis; tamen in ſenſu myſtico de Lucifero, Angelorum perdoellium principe locutus eſt Iſaias, ut poſt Origenem lib. Periarchon cap 2. & Tertullianum lib. 5. adverſus Marcionem cap. 17. teſtantur Athanaſius lib. de Paſſione Domini. D. Auguſtinus lib de doctrina Chriſtiana cap. 33. D. Hieronymus in cap 14. Iſaiæ, & D. Ambroſius in Pſal. 118. igitur Lucifer habuit gratiam in creatione ſua, ut expreſſè affirmat D. Auguſtinus lib. 12. de civitate Dei cap. 9. ubi loquens de Deo Angelorum creatore, ait: *creans ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam*, quo aſſerit ille S. Doctor. Deum creaſſe Angelos in gratia, hoc eſt, Sanctos & Juſtos, quippè cum creaverit hominem rectum, ſibique gratum. Sic etiam creavit Angelum. Non enim major eſt ratio de homine, quàm de Angelo.

D. Auguſt.

D. Baſilius in Pſal. 32. exponens illud, *Verbo Domini cœli firmati ſunt*, eâdem veritatem liquidò demonſtrat, & Angelorum ſanctitatem declarat, dicens: *Angelos ab initio verbum opifex omnium condidit, Sanctos vero Spiritus Sanctus reddidit, non enim parui ab initio creati, deinde paulatim exercitati atque perfecti, ſic Spiritus ſuſceptione digni ſunt habiti, ſed in prima ſubſtantia ſua conſtitutione ſtatim ſimul inditam habuere ſubſtantiam*. Indé enim ſequitur quòd juxtà communem Sanctorum Patrum mentem, Angeli non ſunt naturâ mali, quia malum morale, & gratia non poſſunt eſſe ſimul in uno, & eodem ſubjecto; cùm inter ſe manifeſtam dicant oppoſitionem. Et collatio gratiæ ſit actus amoris Dei, qui circà malum minimè refertur, quia oculi Domini ità puri ſunt, & mundi, ut malum reſpicere, ſeu approbare non valeant.

D. Baſilius

§. II.

Solvuntur Hæreticorum Argumenta.

MAnichæorum, & Priſcillianiſtarum ratio ob quam ab ipſis propugnatur, Angelos eſſe natura malos; eſt quia admittunt duo principia prima, unum bonum, & aliud malum. Et dicunt omnes creaturas eſſe malas, & immundas, quia à malo illo principio procedunt. Et cùm Angeli ſint creaturæ, volunt ipſos Angelos eſſe naturalitèr malos.

Falſum eſt Hæreticorum fundamentum.

Sed hæc ratio Politheorum non convincit, nec poteſt ſuadere, Angelos eſſe naturaliter, & à cauſa malos· quippè falſum ſupponit, nimirùm duos eſſe Deos, ſcilicet unum bonum, à quo omne bonum procedit; & unum malum à quo omne malum provenit, ut in 2. articulo hujus operis ſufficienter probatum manet contra Marcioniſtas, Manichæos, Gnoſticos, & alios Politheos, & ideo Angeli non poſſunt eſſe ex natura ſua mali ratione principij productivi, aut ut clariùs loquar, ratione Creatoris, qui cùm bonus ſit, ab eo tanquam ab authore univerſali, & cauſa prima, à qua dependet quælibet cauſa ſecunda, nullum ens creatum poteſt eſſe malum præciſè quia ex eo procedit. Quidquid dixerint Manichæi, & Priſcillianiſtæ; ſed malâ & perverſâ voluntate, ut ait D. Auguſtinus loco citato. De corde enim ſeu de voluntate creata exeunt mala moralia, aut culpæ, ut ait Chriſtus.

Aliorum autem Hæreticorum Angelos ex natura ſua malus eſſe exiſtimantium ratio deſumitur ex Sacra Scriptura, ſed malè intellecta. Nam (inquiunt) Chriſtus alloquens Judæos, ait Joan. 8. verſ. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus.* Iode enim concludunt, Angelum eſſe malum ex natura ſua: cùm eſſe homicidam ab initio, ſit eſſe malum à creatione Nam eſſe homicidam ab initio, idem ſignificat, ac ſemper fuiſſe homicidam.

Joan. 8.

Idem etiam inferunt ex Epiſt. 1 cap. 3. verſ. 8. ejuſdem Evangeliſtæ, qui de diabolo, ſeu malo Angelo diſcurrens, ait: *qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat*, nam ſi diabolus, qui eſt Angelus, ab initio peccat, ſic agit, quia creatus fuit malus, quippè ab initio peccare, eſt peccare à natura, & omninò independenter à libero arbitrio, cùm ſit peccare in prima actione, quæ eſt merè naturalis, & authori naturæ tribuitur, quoniam cenſetur impulſus à natura impreſſus.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia illud *ab initio*, non ſumitur Phyſicè, nec Mathematicè, ità ut Angeli ſint intrinſece mali. & peccaverint à natura; vel ità ut prima actio Angeli, aut prima volitio debuerit neceſſariò eſſe mala, & peccaminoſa; ſed ſumitur moralitèr; hoc eſt, Angelus paulò poſt ſuam formationem fuit homicidij reus, quia non ſolum Cainum ad Abelis fratricidium impulit, ſed etiam ejus invidia, mors introivit in orbem terrarum propter peccatum primi parentis ejus tentatione commiſſum. Et ſic verum eſt dicere quòd illi qui peccant ſunt ex patre diabolo, qui eſt primus peccati author, aut primus peccatorum, eum peccato ſuperbiæ peccaverit ab initio. Nec per hoc ſequitur quòd ſit peccator, ſeu malus à natura, ſed ſolùm à libertate, quia antequam peccaret, aut ut peccator conciperetur, erat in gratia, & in veritate ac rectitudine; ideoque bonus, ut patet ex illa particula ejuſdem capitis D. Joannis, *& in veritate non ſtetit*: Fuit ergo aliquandò in veritate, ſeu in gratia ſanctificante, & moraliter bonus; cùm ſtare in veritate, ſit in juſtitia, & bonitate ſtare. Unde cùm dæmon priùs ſteterit in veritate, quàm in mendacio, certum eſt quòd non fuit creatus malus, nec eſt naturaliter, ſeu à natura peccatur, ſed à ſua mala voluntate.

Reſponſio ad primam rationem.

Forſan reſpondebunt Hæreticorum Sectatores, quòd verbum *ſtare* ibi idem ſignificat, ac eſſe, ut patet ex illo Apocalypſ. 7. verſ. 9. ubi D. Joannes de illa turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ait: *Stantes ante Thronum in conſpectu Agni*, ibi enim *ſtare* ſumitur pro eſſe, & ideo (inquiunt) dum Chriſtus ait quod Angelus non ſtetit in veritate, declarat quòd dæmon non fuit in veritate, in qua boni Angeli fuerunt.

Angeli ſuerunt in veritate. Sed non valet hæc reſponſio. Quia dum Chriſtus dicit quòd Diabolus non ſtetit in veritate, declarat, & ſignificat quòd Dœmon non perſeveravit in veritate, ut facilè infertur ex illis locis, quibus probatur Sanctitas in qua creati fuerunt Angeli. Hoc ſuadetur etiam ratione, nam ſtare non ſignificat eſſe naturale, & ſubſtantiale, ſed modum, vel exiſtere in alio, aut propè aliud. Et in hoc ſenſu Evangeliſta dicit quod juxta Crucem Jeſu Stabat Mater ejus. Et Joannes, quòd Angeli Stabant ante Thronum Agni: Igitur dum Chriſtus dicit quòd Angelus malus non ſtetit in veritate, dicit quòd non perſeveravit in veritate, in qua creatus fuerat, quia non exiſtere in aliqua ſituatione, idem eſt, ac non perſeverare in ea. In Scriptura dicitur quod homo numquam in eodem ſtatu permanet, id eſt, quod ſæpè mutatur, non quoad eſſe naturale quod eſt ſemper idem, ſed solùm quoad voluntatem, aut eſſe morale.

Tandem objiciunt illud Job cap. 4. verſ. 18. ubi aſſerit quòd Deus in Angelis ſuis reperit pravitatem, hoc eſt, juxta textum Hebræum, quòd non poſuit laudem in Angelis ſuis: laudem verò non ponere in opere, eſt opus malum invenire, cum laus ſolum de bono opere haberi poſſit: igitur Angeli creati fuerunt mali, ſuntque mali à natura. Et peccatum non ipſorum voluntati, ſed naturæ conditioni tribuendum eſt.

Reſpondeo, reverà Deum inveniſſe pravitatem in Angelis ſuis, & hæc pravitas non fuit in omnibus, *Reſponſio ad ultimam hæreticorum rationem.* nec fuit in illis neceſſariò, hoc eſt, à natura, ſed liberè & voluntariè, ut notat D. Auguſtinus: idcircò malè inferunt hæretici, Angelos fuiſſe creatos malos. Sed ſolum inferre poſſunt ex authoritate Jobi, Angelos fuiſſe creatos liberos, & in ſtatu viæ, unde juxta communem Sanctorum Patrum, & Theologorum Sententiam, omnes Angeli poterant mereri beatitudinem, eamque de facto boni meruerunt; mali verò non beatitudinem, ſed pœnam æternam habuerunt. Nam Deus, qui in ultimo judicio reddet unicuique ſecundum opera ſua, dicet reprobis. Ite in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.

Ad Textum Hebræum aſſerentem, Deum non poſuiſſe laudem in Angelis ſuis. Dico quòd intelligendus eſt de laude conſummata, & perfecta, qualem habent Angeli perfecti, & beati, quos idem Job cap. 38. verſ. 7. vocat Aſtra matutina Deum laudantia. Ratio hujus expoſitionis eſt. Quia textus Hebræus diſtinguit Angelos bonos à malis, & aſſerit, Deum non dediſſe malis coronam, ſeu gloriam, aut beatitudinem, quæ eſt laus perfecta & conſummata, quia Job *Job.* ibi non loquebatur generaliter de omnibus Angelis, ſed ſolùm de Lucifero, & ſuis Aſſeclis, quos dejecit de Cœlo; alioquin juxta Jobum nullus Angelus eſſet bonus, & beatus. Quod eſt falſum, ut conſtat ex illo cap. 33. verſ. 23. ubi ipſe Job ait: *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem, miſerebitur ejus, & dicet, libera eum, ut non deſcendat in corruptionem.* Hæc enim verba à malo Angelo, ſeu à Dæmone dici non poſſunt, quia eſt Adverſarius hominis, ut monet D. Petrus cap. 5. verſ. 8. qui non orat pro delinquentibus hominibus, imo damnatos omnes eſſe vellet, nec pro Dei Eccleſia, cujus ruinam deſiderat, ut monet Joannes Papa in Can. *viſis* 16. quæſt. 2. ubi ille Summus Pontifex loquens de *Joannes Papa.* Diabolo inquit: *Habet mille nocendi modos, nec ignoramus aſtutias ejus, conatur namque à principio ruinæ ſuæ unitatem Eccleſiæ reſcindere, Sanctorum operum dulcedinem invidiæ felle inficere, & omnibus modis genus humanum evertere, & perturbare.* Idem habetur in variis Sacræ Scripturæ textibus, in quibus Dæmon dicitur tentator malorum.

ARTICULUS XL.

Admittit contra Antidæmoniacos, Angelum malum, ſeu Dæmonem.

HÆretici in præcedenti articulo impugnati credunt, omnes Angelos eſſe malos, ac proinde nullos alios eſſe Angelos præter Dæmones. In hoc autem articulo, ſunt alij hæretici dicti Antidæmoniaci, qui teſte Staphylo, negant eſſe Diabolum, & malos Spiritus, & ideo dicunt nullum Angelum fuiſſe *Antidæmoniaci.* malum, nullas eſſe incantationes, aut maleficia per Dæmones concitatas. Hæc hæreſis præcedenti immediatè oppoſita, emerſit currente decimo quinto ſæculo, & publicata fuit præcipuè per Georgium Davidem, arte vitrarium Gandavenſem, de quo jam ſumus locuti in articulis præcedentibus. Et per alium virum non minus hæreticum, quàm Georgius David, *Georgius David.* qui nuncupatur Andreas Oſiander unus ex confeſſioniſtis, ſectâ Lutheranus, qui Lutheranorum, & con- *Andreas Oſianders* feſſioniſtarum hæreſibus novas hæreſes addere voluit, ſcilicet, docere, charitatem & Juſtitiam quibus homo juſtus, & ſapiens eſt, eſſe etiam Dei eſſentiam, Chriſtum juſtificare homines ſolùm juxta naturam divinam, Angelos etiam juſtificari ipsâ divinâ eſſentiâ, & ideo ſuadebat, nullum eſſe Dæmonem quia (inquit) Deus ſanctificavit omnes Angelos eſſentiâ ſuâ inamiſſibili, & ab ipſis Angelis prorsùs inſeparabili, imo volebat impius ille, Angelos eſſe eſſentialiter, & à natura ſua Deos. Ejus ratio erat, quia ſicut Verbum Dei nequit eſſe; quin ſit Deus propter eſſentiam divinam, quam habet, ità impoſſibile eſt quòd unus Angelus ſit: quin ſit Deus, quia divinam eſſentiam habet.

§. I.

In quo probatur Dæmonum exiſtentia.

LIcet nullum Concilium ſit, in quo expreſsè definita maneat malorum Angelorum, aut Dœmonum exiſtentia; tamen univerſa Eccleſia ſemper credidit, & credet, in inferno exiſtere Dœmones in æternum cruciaturos, Concilium Bracarenſe citatum *Concilium Bracarenſe* in articulo præcedenti cap. 8. ſic ait: *Si quis credit quòd aliquas immundas creaturas Diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempeſtates, & ſiccitates, ipſe Diabolus authoritate ſua facit, ſicut Priſcillianus dicit: anathema ſit:* Igitur Patres hujus Concilij credebant, Diabolum eſſe, & exiſtere.

Tandem Tridentinum ſeſſ. 5. in decreto de pecca- *Tridentinum.* to originali, confitetur; primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & Innocentiam, in qua fuerat conſtitutus, amiſiſſe, & incurriſſe per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram, & Dei indignationem, atque ideo mortem, quam antea illi fuerat comminatus Deus, & cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, Diaboli. Ita Patres Tridentini. Qui nedum in hoc loco, de Dœmone mentionem faciunt, ſed etiam in ſeſſ. 14. de Sacramento extremæunctionis, cap. 2. ubi declaratur, virtute hujus Sacramenti, hominem infirmum faciliùs reſiſtere tentationibus Diaboli, & ideo hæc duo Concilia approbant exiſtentiam Diaboli, & declarant, Dœmones exiſtere in inferno propter peccatum, quod commiſerunt.

Chriſtus Dominus, Dœmonum exiſtentiam probat Luc. cap. 10. verſ. 18. *Videbam Satanam ſicut ful-*

gio de Cœlo cadentem, ſed Diabolus ille, qui de Cœlo cecidit, non manet in Cœlo cum bonis Angelis, qui ſervaverunt ſuum principatum, & non dereliquerunt ſuum Domicilium. *Luc. 10.* Nec in terris viſibiliter ſubſiſtit; cùm ſit merè Spiritualis & oculo corporeo inviſibilis. Nec eſt in deliciis, in quibus erat antequā peccaret; cùm Reus & condemnatus fuerit ad pœnas inferni, aut ad ignem æternum, qui ex Scriptura dicitur paratus Diabolo & Angelis ejus: ergo Diabolus ità exiſtit, ut non poſſit citrà hæreſim negari ejus exiſtentia.

Idem ſuadetur ex cap. 4. Matth, ubi legitur, Chriſtum ductum fuiſſe in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et ipſum Diabolum (à Chriſto victum & repulſum) aſſumpſiſſe eum in Sanctam civitatem & ſtatuiſſe eum ſuper Pinnaculum templi, ut mitteret ſe deorſum. Porrò quia Chriſtus Dominus ex ſua natura eſt impeccabilis, eum virtute ſua vicit nè viceretur à Tentatore, Chriſtianus. Iterùm aſſumpſit eum in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, dicens ei: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*: nihil certò clariùs adduci poteſt ad probandam Dœmonum exiſtentiam, quam negare auſi ſunt hæretici prænominati, contrà univerſam Eccleſiæ fidem.

Sed nè omiſſione probationum credant ſe eſſe invincibiles, & ut videant quanta mala hominibus inferuntur à Diabolo, adduco teſtimonium Apoſtolorum, qui cap. 10. Act. verſ. 30, inquiunt: *Jeſum* *Act. 10.* *Nazaræum quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a Diabolo, quoniam Deus erat cum illo, & nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum.* Iſtud teſtimonium Apoſtolorum nullus negare poteſt, & ideo quilibet tenetur confiteri malorum Angelorum, ſeu Dœmonum exiſtentiam. Nec poteſt quis negligere Diaboli incurſus, ut monet Apoſtolus *Epheſ. 4.* ad Epheſ. 4. verſ. 27. *Nolite locum dare Diabolo.* Et cap. 6. verſ. 11. *induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* Et ſtatim rationem aſſignat, ſeu pugnam demonſtrat dicens; *Quoniam non* *1. Petr. 5.* *eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & Sanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum*, hoc eſt, adverſus Diabolum, undè D. Petrus in Ep. 1. cap. 5. verſ. 8. ait: *Sobrij eſtote & vigilate quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, ut inde ſciamus, Diabolum, exiſtere, huncque eſſe adverſarium noſtrum, qui vincitur, & ejicitur in oratione, & jejunio. Quare Chri- *Matth. 26.* ſtus Dominus, nos utrumque docere volens, dixit Diſcipulis ſuis Matth. 26. verſ. 4. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem, Spiritus*, id eſt Diabolus, *quidem promptus eſt, caro autem infirma &c.* Nec licet credere Dœmonem eſſe invincibilem hominibus oratione & gratia Dei adjutis, quia multum valet deprecatio juſti aſſidua. His virtutibus pro vincendo Diabolo addendum eſt jejunium, quod vitia comprimit, & mentem elevat, virtutem largitur, & præmia.

§ II.

Reſpondet Adverſariis.

Falſum eſt quod ſcriptura pro malo Angelo intelligat hominem peccatorem.

HÆretici, qui volunt, nullam eſſe in Sacra Scriptura authoritatem affirmantem exiſtentiam Dæmonum, reſpondent, Diabolum in locis citatis non ſumi pro malo Angelo, ſed pro homine peſſimo, Traditore nequiſſimo, ut conſtat ex illo Joan. 6. verſ. 71. ubi Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis, *Unus ex vobis Diabolus eſt*, nullus tamen aſſeruit, Judam Iſcariotem (qui eſt ille de quo loquebatur Jeſus) eſſe Angelum malum de Cœlo ejectum, ſeu Diabolum. Idem probat illud Chriſti ad Petrum Matth. 16. verſ. 23. *Vade poſt me Satanas, ſcandalum es mihi*, tamen Petrus non erat Diabolus ſubſtantialiter, nec Angelus malus in eo ſenſu, in quo Eccleſia vult dari Dœmones; alioquin Chriſtus elegiſſet Dœmones, eoſque Apoſtolos nominaſſet Quod eſt à fide Catholica alienum: ergo licet in Sacra Scriptura fiat mentio de Diabolo, non licet inde inferre, dari Dœmones, ſeu Angelos malos ab hominibus peſſimis diſtinctos; cùm tales homines dicantur dœmones, aut filij Diaboli.

Reſpondeo textus relatos ab hæreticis non loqui de malis Angelis, ſed de Petro, qui in hoc loco dicitur Satanas, de Juda Iſcariote, qui vocatur Diabolus (nomine) à Chriſto Jeſu, non ſimpliciter & abſolutè, ſed in certis quibuſdam caſibus, licet in ſe ipſo Diabolus non ſit, ſed propter delicta, quæ fecerant, Diabolo tentante, certum eſt enim quod Petrus increpans Chriſtum & dicens: *Abſit a te Domine, non erit tibi hoc.* tentatus fuit à Diabolo, qui nolebat Redemptionem hominum ex morte Chriſti ſecuturam, ut multos ſui ſupplicij in inferno haberet comites.

Certum eſt etiam quòd Judas Iſcariotes tradidit Chriſtum Judæis, inſtigante Diabolo, qui eſt omnium peccatorum pater, & fons iniquitatum, ut facile infertur ex D. Auguſtino in ſermonibus communibus ſerm. 4. ubi de noſtro adverſario, ſeu Diabolo, ſic loquitur: *Quid pravius. Quid malignius. Quodve noſtro adverſario nequius, qui poſuit in Cœlo bellum, in Paradiſo fraudem, odium inter primos fratres, & in omni noſtro opere Zizaniam ſeminavit. Nam in comeſtione poſuit* *D. Auguſt.* *Gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in converſatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in prælatu ſive dominatione ſuperbiam: in corde poſuit cogitationes malas, in ore poſuit locutiones falſas, in membris operationes iniquas, in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad ſomnia turpia, lætos movet ad diſſolutionem, triſtes ad deſperationem, ſed ut brevius loquar, omnia mala mundi, ſua ſunt pravitate commiſſa.* Idcirco Scriptura potuit eos, qui talia agunt, vocare Diabolos ratione conſenſus ad Dœmonem; quin ſint ſubſtantialiter dœmones, ſeu quia ſunt Dœmonis imitatores, ejuſque opera efficiunt.

Sunt alij textus in Sacris paginis, qui non de homine malo & iniquo, ſed de malo Angelo, ſeu Dæmone ità intelligendi ſunt, ut nullatenus intelligi poſſint de homine, de quo intelliguntur illi, quos hæretici adducunt de Simone Petro, de Juda Iſcariote. Nam ille, qui aſſumpſit Jeſum in montem excelſum valdè, non eſt homo, ſed Angelus malus ſeu Dœmon, qui tentavit Chriſtum in deſerto, & *Iſay. 14.* illi dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Solus quidem Diabolus eſt hujus ſceleris capax. Ille de quo loquitur Iſaias cap. 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, veruntamen ad inferos detraheris uſque ad profundum laci*, non eſt homo, ſed Angelus malus, qui ob peccatum quod commiſit in Cœlo, detruſus & præcipitatus fuit in infernum. Et ibi in æternum permanebit.

Idem confirmatur ex illo D. Petri Epiſtola 2. cap *2. Petr. 2.* 2. verſ. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Hæc verba non poſſunt intelligi de hominibus malis, quia in eodem capite idem Apoſtolus diſtinctè loquitur de malis Angelis, & de malis hominibus, & illis ac iſtis aſſignat pœnam, quia poſtquam aſſeruit, Deum non peperciſſe Angelis peccantibus in verſ. 4. *Nec originali mundo*, in verſ. 5. *Nec civitatibus Sodomorum, & Gomorrhæorum*, ait in verſ. 9. 10. & 11. ejuſdem capitis: *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant,*

Digitized by Google

dominationémque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, blaſphemantes. Ibi certò loquitur de hominibus: ergo ex Epiſtola D. Petri neceſſariò colligendum eſt, dari veré dœmones, ſeu maloa Angelos, quibus Deus non pepercit, dari quoque malos homines à malis Angelis, ſeu Dæmonibus, diſtinctos; quibus Deus non parcet niſi pœnitentiam agant, ut Scriptum eſt.

Tandem dicunt, textus relatos intelligendos eſſe de paſtoribus curam animarum habentibus, qui in Sacra Scriptura dicuntur Angeli propter dignitatem miniſterij. Apocalyp. 2. verſ. 1. *Angelo Epheſi ſcribe*, id eſt Epiſcopo Epheſi, & dum mali ſunt dicuntur Dœmones, qui puniuntur in inferno, ut monet D. Petrus 2. cap. 2. verſ. 9. ubi. Inquit *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem Judicij reſervare cruciandos.*

Non valet hæc ratio, nam ſi Epiſcopi, Apoſtoli, & alij viri Sancti dicantur Angeli in Sacra Scriptura, licet ſint homines, certum tamen eſt quòd omnes, qui in Sacra Scriptura dicuntur Angeli, non ſunt homines, ut conſtat nedum ex textibus adductis pro aſ- *Matth. 6.* ſertione noſtra, ſed etiam ex illo Matth. cap. 8. v. 31: *Dœmones autem rogabant eum*, id eſt Jeſum, *dicentes ſi ejicis hinc mitte nos in porcorum gregem.* Illi autem, qui ſic loquebantur Chriſto, non erant homines mali, ut eſt evidens: ſed erant Angeli mali, ſeu Dœmonos, ſicut illi de quibus act. 5. verſ. 16. habetur *Currebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jeruſalem, afferentes agros, & vexatos a Spiritibus immundis.*

ARTICULUS XLI.

Refutat Armenos aſſerentes, pœnas malorum Angelorum, ſeu Dæmonum eſſe temporales.

OMnes hæretici, qui nullum Infernum admittunt, & illi, qui volunt pœnas damnatorum non eſſe perpetuas, & æternas, præſentem quoque impugnant articulum. Nam ſi nullus ſit infernus (ut impiè voluit Almaricus, natione Gallus, Patria Carnotenſis, cui adhæſit Hermanus Riſſuich) certum eſt quod Angelus malus non patitur pœnas inferni, aut ab ipſis aliquando liberabitur. Unde de illis, qui æternitatem ſupplicij damnatorum impug- *Origenes.* nant, loquendum eſt.

Primus qui hanc hæreſim docuit, eſt Origenes, patriâ Alexandrinus, S. Leonidis martyris Filius, Clementis Alexandrini Diſcipulus, ſublimis ingenij, & vir magnæ eruditionis, qui ſub Severo Imperatore, & Zephirino Papa, circà annum Domini CCVII. plures ſcripſit errores, quorum Octavus juxtà Catalogum errorum ejuſdem Doctoris, à S. Epiphanio, Theophylo Alexandrino, D. Auguſtino, & aliis conditum, eſt adverſus tormenta Dœmonum, atque Impiorum hominum ſupplicia, quæ credit temporanea tantùm.

Anno I. CXL tempore Conſtantini tertij, Filij Heraclij Imperatoris, & Pontificatu Theodori Papæ, *Armeni.* Armeni, qui Aſiam incolunt ea in parte, quæ eſt inter Taurum, & Caucaſum montes conſtituta, crediderunt etiam cum Origeniſtis, inferni pœnam non eſſe perpetuam.

§ I.

In quo deſcribitur Status pœnarum Dæmonum.

SCriptores adverſus hæreſes, præſentem hæreſim impugnant authoritate ſolius Scripturæ, & Sanctorum Patrum, nullam enim afferunt conſtitutionem Apoſtolicam, nullumque decretum Conciliorum, quo conſtet, Eccleſiam determinaſſe pœnas inferni non eſſe temporaneas; ſed perpetuas: Ratio hujus omiſſionis eſt. Quia Sacra Scriptura ſatis manifeſté docet, in inferno nullam eſſe redemptionem, nullumque ex illo infauſtiſſimo ſtatu exitum itaque ſufficit aſſerre authoritatem Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, ex quo in- *Decretum Concilij Laterani;* ferri poteſt aſſertio noſtra, nam ibi habetur de Juſtis, & Reprobis: *Omnes cum ſuis propriis reſurgent corporibus; quæ geſtant ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala, illi cum Diabolo pœnam perpetuam; Iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.* Et authoritatem Symboli D. Athanaſij in quo legitur, *Qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum* ex quo ſequitur, Eccle- *Symbolum D. Athanaſij.* ſiam Catholicam (quæ prædictum Symbolum recepit, & canit) credere, pœnas inferni eſſe perpetuas, & in æternum duraturas, nedùm reſpectu damnatorum, ſed etiam reſpectu dœmonum.

Iſaias loquens de finali tribulatione malorum hominum, declarat ipſam tribulationem eſſe æternam, nam cap. 66. verſ. 24. inquit: *Egredientur; & videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* *Iſai. 66:* Vermis autem & ignis erunt in æternum in damnatis, cùm vermis non morietur, & ignis non extinguetur. Idem docet Judith cap. 6. verſ. 20. & 21. *Judith: 6;* *Væ genti inſurgenti ſuper genus meum, Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicij viſitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carne eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum*: Igitur ex illis, & aliis locis veteris teſtamenti, pœnæ inferni ſunt æternæ; & per conſequens malus Angelus nunquam liberabitur à pœnis, quas patitur à die prævaricationis ſuæ, idem dicendum eſt de omnibus damnatis, quoniam in inferno omnes damnati ſunt uniformes in ordine ad finem, aut durationem.

Eamdem veritatem docet novum Teſtamentum. Chriſtus Dominus in noviſſimo die unicuique ſecundum opera ſua redditurus, dicet his, qui à dextris ejus erunt, ſeu Electis & prædeſtinatis, *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, Matth. 25. verſ. 34. his verò qui à *Matth. 25.* Siniſtris erunt, ſeu Reprobis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, verſ. 41. ergo ad illum ignem æternum deſtinati, in æternum cruciabuntur. Et Marc. cap. 9. verſ. 42. Idem Salvator ait: *Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam; bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem; ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, quibus evidenter conſtat, pœnas inferni, quas patiuntur Reprobi eſſe ſempiternas; de quibus Iſaias cap. 33. verſ. 14. ait unicuique noſtrum, ut eas evitemus: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et Job. cap. 10. verſ. 22. dicens quòd in terra miſeriæ & tenebrarum, ſeu in inferno nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, declarat, pœnas inferni eſſe ſine fine.

His addo illud Judæ in Epiſt. Cathol. verſ. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha; & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* *Epiſt. Judæ:* Et Apocalyp. cap. 14. verſ. 9. & ſequentibus: *Apocalyp.* *Si quis adoraverit beſtiam, aut imaginem ejus; & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum; & ante conſpectum Agni. Et fumus tormentorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam; aut imaginem ejus, & ſi*

quis acceperit characterem nominis ejus. Quibus conſtat, tertium Angelum revelaſſe. D. Joanni quòd illi, qui adoraverunt beſtiam, ſeu peccatores (qui ſunt illi, qui bibent de vino iræ Dei) non habebunt requiem ſed patientur tormentum, cujus durationis non erit finis.

D. Fulgentius.

Idem aſſerunt Sancti Patres, & præcipuè D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 43: dicens: *Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites ex ore Dei juſti æternique Judicis, ſempiterna atque immutabili, prolata ſententia, iniquos omnes ituros in combuſtionem æternam; Juſtos autem in vitam æternam, iniquos ſemper arſuros cum Diabolo; juſtos autem ſine fine regnaturos cum Chriſto.* Eadem eſt mens aliorum Sanctorum Patrum de perpetuitate & æternitate pœnarum inferni damnatorum, ſic S. Auguſtinus in ſermone ad Eremitas; *In inferno* (inquit) *nulla eſt redemptio, quoniam qui illic damnatus, & demerſus fuerit, ulteriùs non exibit. In inferno nulla eſt redemptio, quoniam nec Pater ibi poteſt adjuvare Filium, nec Filius Patrem, ibi non invenitur amicus, vel propinquus, qui valeat & argentum, & divitias dare* &c.

D. Auguſt.

D. Gregor.

D. Gregorius lib. 4. Dialog. loquens de inferno inquit: *ut animæ illic poſita benè eſſe perdidit, & non perdidit eſſe, ex qua re ſemper cogitur, & ut mortem ſine morte, & defectum ſine defectu, & finem ſine fine patiatur, quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.* Idem lib. 9. Moral. *Horrendo modo ſit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit, mors perimit & non extinguit, dolor cruciat, ſed nullatenùs paverem fugat, flammam comburit, ſed nequaquam tenebras excutit.*

Non parùm juvat diſcurſus naturalis ad ſuadendam hanc veritatem Catholicam, nam ratio naturalis, aut æquitas ſuadet quòd unuſquiſque meretur privari bono contrà quod malitiosè, & voluntarie agit irrevocabiliter, ex hoc enim ſe tali bono reddit indignum, ut notant D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbit. ubi ait: *Illa eſt pœna peccati juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque illud quo benè uti noluit, cum ſine ulla difficultate poſſet ſi vellet, id eſt, ut quis ſciens non facit, amittat ſcire quod rectum eſt, & cum rectum facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe cum velit.* Et Angelicus Doctor D. Thomas lib. 3. contra gentes idem docet, Quare juxta legem civilem, qui contra rempublicam ſic peccat, reipublicæ ſocietate omninò privatur, vel per mortem, vel per exilium perpetuum. Eadem ratione dicendum eſt quòd malus Angelus, aut homo damnatus, qui contrà Deum malitiosè peccavit, debet privari viſione Dei, & ſocietate beatorum, qui in æternum fruuntur Deo: ut inſinuat Paulus 2. ad Corinth. cap. 6. verſ. 15. Dicens: *quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?*

D. Auguſt.

2. Corinth. 6.

Deinde ille, qui ſic peccat, avertitur ab ultimo fine, qui eſt Deus, habetque animam malevolam in quam non intrabit ſapientia, ideoque juſtum eſt quod tali fine in æternum privetur, & quod in æternum maneat in ſuppliciis, in quibus ultimum finem ſuum conſtituit per peccatum, ut inferri poteſt ex illo Eccleſiaſtes cap. 11. verſ. 3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit:* Malus enim Angelus cecidit de Cœlo in infernum, ut docet Scriptura: ergo in inferno debet eſſe, & ibi irrevocabiliter, & in æternum permanere, quia Deus potuit ſtatuere, & de facto ſtatuit, ut ſtatus hominis poſt præſentem vitam, ſit immutabilis.

§. II.

De Rationibus Hæreticorum.

ORigeniſtæ, & alij hæretici objiciunt adverſus æternitatem pœnarum inferni illos Sacræ Scripturæ textus, quibus declaratur quòd Deus continet in ira ſua miſericordias ſuas, & quòd in ultimo judicio non obliviſcetur miſereri, inde enim concludunt ipſi Origeniſtæ, quòd Deus aliquando miſerebitur damnatorum, & quòd aliquando pœnæ inferni finientur, quia miſericordia ſuperexaltat judicium.

Sed non valet hæc ratio, quia licet Deus in ira ſua miſericordias ſuas contineat, & miſereatur, indè tamen non probatur, pœnas inferni habere finem, ſed ſolùm, Deum punire citra condignum, & non inferre damnatis tantam pœnam, quantam merentur. Nam ſicut præmiat ultrà condignum ut notat D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 112. ità etiam punit citià condignum. Quia miſericors eſt, & in ira ſua continet miſericordias ſuas. Idque colligi poteſt ex illo Lament. Jeremiæ cap. 3. verſ. 22. *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes ejus.* Nec poſſunt hæretici velle quòd Deus non puniat abſolutè, ut miſericors eſt; quin velint quod ſit ſine miſericordia, nam inquit D. Chryſoſtomus ſuper Matth. *Juſtitia ſine miſericordia non eſt juſtitia, ſeu crudelitas, ſic miſericordia ſine juſtitia, non eſt miſericordia, ſed fatuitas*, ſed Deus eſt miſericors & juſtus, ideoque punit cum miſericordia; licet puniat damnatos pœna æterna.

Solvitur prima ratio

D. Chryſoſtomus.

Vel reſpondeo cum D. Auguſtino, quòd textus pro Origeniſtis relati debent intelligi de vaſis miſericordiæ, id eſt, de ſalvandis, qui non pro meritis ſuis, ſed Deo miſerante liberantur de pœnis inferni; ideoque nihil probant contra articulum noſtrum, quo non excluditur in judicio miſericordia quamvis admittat pœnam æternam. Hæc quidem pœna habet gradus diverſos, unus damnatus poteſt plus quàm alter pati. Hocque tribuitur miſericordiæ Dei, quæ punit citra condignum.

Dicent, Deus eſt juſtus, ut credit omnis, qui Deum admittit; cùm juſtitia ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ Deo eſſentialiter convenit, ergo non punit peccata Angeli, & hominum pœnâ æternâ quia non videtur juſtum, ut pro peccato quamtumlibet magno, paruo ſcilicet perpatrato tempore, pœnâ quiſque puniatur æternâ; cùm gravitas pœnæ, peccatorum gravitati reſpondere debeat: peccatum autem temporaneum ſit, & momentaneum cui correſpondere non poteſt pœna æterna niſi injuſtè; cùm inter temporale, & æternum nulla poſſit inveniri proportio.

Reſpondeo Deum eſſe juſtum, Scriptum eſt enim, *juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*, ſed dico quòd punit peccatum Angeli, hominiſque damnati pœnâ æternâ. Quia juſtus eſt, nonnè Angelus malus, Et homines, qui in peccato mori voluerunt, merentur puniri ſupplicio æterno, quia noluerunt frui Deo, ſeu ſummo bono in æternum. Nonnè ceciderunt in infernum: ergo juſtum eſt quòd ibi remaneant in æternum; cùm in inferno nulla ſit redemptio, ſitque ſtatus immutabilis. Nec obſtat quòd peccatum ſit temporaneum, imo & momentaneum in ſe. Ratio enim, qua æternitas pœnæ proportionata eſt peccato non retractato, eſt quia perſona ſic peccans, & ejus peccatum perpetuò durant; licet ſtatim ceſſet peccati delectatio, ut docent D. Thomas in 4. ſent. diſt. 46. art. 4. Et Scotus pluribus in locis: idcircò juſtum eſt quòd pœna duret tandiu, quandiu durat culpa.

Peccata Angelorum puniuntur pœna æterna.

D. Aug.

D. Auguſtinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. eamdem veritatem aſſerit; ibi enim inquit: *Sic autem quidam eorum contra quos defendimus civitatem Dei, injuſtum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo ſcilicet tempore perpatratis pœna quiſque damnetur æterna, quaſi ullus id unquam juſtitia legis attendat, ut tanta mora temporis quiſque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admiſit: octo genera pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tullius; damnum, vincula, verbera; talionem; ignominiam, exilium, mortem, ſervitutem, quid horum eſt quod in breve tempus cujuſque pro peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpatratum, niſi forte talio? id enim agit ut hoc patiatur quiſque quod fecit, illud eſt legis: oculum pro oculo, dentem pro dente, fieri enim poteſt, ut tam brevi tempore quiſquam amittat oculum ſeveritate vindictæ, quem tulit ipſe alteri improbitate peccati* &c. quibus ille S. Doctor demonſtrat, Deum eſſe juſtum dum punit delictum finale, quamvis peccatorem, aut delinquentem puniat pœnâ æternâ, dat & reddit unicuique ſecundum opera ſua, peccatis autem non rettactatis dator pœna inamiſſibilis, quæ eſt æterna, ſeu irrevocabilis, aut interminabilis, quia talis eſt irremiſſibilis.

D. Auguſt.

Levit. 20.

Hæc reſponſio confirmatur ratione, nam proportio pœnæ cum delicto, non debet attendi à delectatione, & duratione delicti; alioquin injuſtum eſſet ad mortem condemnare uxorem adulteram, ad quam tamen à lege veteri condemnabatur, juxtà illud Levitici cap. 20. verſ. 10 & ſequent: *Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur, & mœchus & adultera. Qui dormierit cum noverca ſua, & revelaverit ignominiam Patris ſui, morte moriantur ambo, Sanguis eorum ſit ſuper eos* &c. Sed debet attendi ab objecto & fine, à quo quis avertitur peccando. At ille finis a quo averſus eſt Angelus malus, aut damnatus dum mortaliter peccavit, eſt æternus, quippe eſt Deus, quoniam peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam, in qua juxta D. Chryſoſtomum, homo per peccatum mortale, ultimum finem ſuum conſtituit. Deinde non homo, ſed Deus, eſt, qui ſtatuit, ut qui ab ultimo fine ſe avertit, hoc eſt à vita æterna, illâ in æternum careat, & pari puniatur pœnâ, ſeu privetur intuitiva Dei viſione cujus privatio eſt pœna damni, quæ eſt æterna. Nec injuſta eſt hæc divina conſtitutio, quia homo & Angelus malus potuerunt, divina adjuvante gratia, non ſe avertere ab ultimo fine: ergo pœnam æternam in inferno meritò patiuntur, & patientur in æternum.

Menſura pœnæ provenit ex objecto offenſo.

Scotus

Nec valet dicere quòd hoc ſuppoſito, Deus eſſet injuſtus ex eo quod potuerit eos liberare, & non liberaverit. Non valet inquam, quia ut ait Scotus in 4. ſent; diſt. 46. quæſt. 4. §. de tertio, juſtum eſt, ut qui malitiam voluntariam habet, & in eam liberè perſeverat, à malitia per alium non liberetur. Et qui potuit malitiam relinquere habens tempus præciſum, & taxatum, quod eſt tempus vitæ & viæ, ſi in eo non ſe corrigit, id eſt, ſi dum vivit non ſe abſtinet à malo, juſtum eſt ut in ea deſeratur; quin ipſi fiat injuria, juxtà 27 regulam juris, *Scienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus*: Igitur, cum damnati, dum erant in via, potuerint non peccare, & de facto peccaverint, ità juſtè pœnâ comminatâ puniuntur, & in inferno in æternum delinquuntur, ut dicere poſſint cum fratribus Joſeph, Geneſ. cap. 42. verſ. 21. *Meritò hæc patimur quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.* Qui liberè vult deſerere Deum, ab ipſo deſeri meretur: hinc eſt quod Deus ſuâ gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur, ut optimè obſervat Sacra Tridentina Synodus.

Geneſ. 42.

ARTICULUS XLII.

Oſtendit Origeniſtis, Mariam Virginem fuiſſe ſemper ſine peccato.

ANno CCVII. ſub Severo Imperatore, & Zephirino Papa, Origenes docuit, Mariam peccaſſe peccato ſcandali. Nam homil. 17 in Luc, inquit: *Quid putamus quod ſcandalizantis Apoſtolis, Mater Domini a ſcandalo fuerit immunis? ſi ſcandalum Domini in paſſione non eſt paſſa, non eſt mortuus Jeſus pro peccatis ejus; ſi omnes peccaverunt & egent gloriâ, juſtificati gratiâ ejus; & redempti, utique, & Maria illo tempore paſſa eſt.*

Origenes

Origeniſtis adhæſit Raimundus Lulius vir Philoſophus, ac Theologus, profeſſione Laicus, qui vixit circà annum Domini MCCLX, ſub interregno Romanorum Imperatorum, Eccleſiam Dei regente Alexandro IV. Papa, & multa edidit opuſcula hæreſeos crimine undequaque referta (ut obſervat Bernardus Luxemburgus) & inter cætera libellum de Dæmonum invocatione, & alia vulgari ſermone Cathalonico Scripta: ipſe enim in regno Cathaloniæ educatus fuit; licet ex Majorica civitate oriundus Communiter creditur Raimundum Lulium opuſcula ſua à Diabolo habuiſſe (licet aſſerat in quodam monte à Chriſto ſibi apparente ſub ſpecie Crucifixi, illa didiciſſe) hujus opinionis ratio eſt: Quia ſcripſit, teſte doctiſſimo Ludovico Abelli Doctore Sorbonico, Beatam Virginem Mariam peccaſſe peccato inobedientiæ, & rebellionis. Ratio eſt inquit; quia ſtando juxta Crucem Jeſu morientis Lacrymoſa, noluit libenti animo, & ſine dolore ſuſcipere mortem Chriſti, quam Deus, ab æterno decreverat; & quam ipſe Chriſtus ſponte patiebatur: propoſito enim ſibi gaudio; ſuſtinuit Crucem confuſione contempta, & oblatus eſt quia ipſe voluit.

Raimundus Lulius

Nulli tamen licet credere, Raimundum Lulium eſſe hæreticum, & inter hæreticos reponendum; licet errores innumeros ſcripſerit, quia ante mortem Scripta ſua ſubjecit pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & viſâ Doctorum fidelium cenſura, ſe retractavit, piè vixit, pœnitentiam egit, & objit in oſculo pacis: martyriô enim vitam finivit, ut referunt plures authores, qui de ipſo ſcripſerunt, juxtà communem fidem Balearum inſularum, contra nonnullos, qui eum confundunt cum alio Raymundo Lulio, qui fuit Neophytus ex Hebræo ad fidem converſus, & poſtea hæreticus.

Lutherus & Calvinus de quibus alibi eſt ſermo; Impiè dixerunt, & ſic dicere voluerunt, Virginem Mariam multoties peccaſſe in vita, ambitione ſcilicet incredulitate, & negligentia, ut videbimus in objectione hæreticorum, ut affirmant plures Doctores, qui contra hos duos hæreticos ſcripſerunt. Sed Concilium Tridentinum utrumque reprehendit, & anathematis gladio ferit ſeſſ. 6. Can. 23 ubi expreſsè declarat, nullum hominem poſſe in tota vita omnia peccata venialia vitare, niſi habeat ſpeciale privilegium, quod Maria habuit; ibi enim legitur, *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat nunquam vere fuiſſe juſtificatum, aut contra poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

Lutherus

Calvinus

§. I.

De Puritate Mariæ Virginis.

PRimò beata Virgo non habuit peccatum originale, ut pluribus rationibus evidenter probat noſter Joannes Duns Scotus, Doctor ſubtilis, & Immaculatæ conceptionis beatæ Virginis Mariæ propugnator. Ejuſdem conceptionis puritas conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ feſtum conceptionis Deiparæ Virginis celebrat, & cenſet illam conceptionem eſſe Sanctam, & immaculatam, quia Eccleſia non celebrat feſtum alicujus, niſi propter eximiam illius Sanctitatem, & dignitatem. Idem probant Sancti Patres, quorum verba non referam brevitatis gratiâ, cui ſtudeo.

Nec habuit peccatum actuale, quia non habuit originale, quod eſt fons, & origo omnis mali, ex eo quod ob ipſum commiſſum, Deus ſubſtraxerit juſtitiam originalem, & auxilia, quibus mediantibus non committerentur peccata. Quapropter Spiritus Sanctus Cant. 4. de beata Virgine ſic loquitur *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Et alibi: *ſicut lilium inter Spinas, ſic amica mea inter filias,* quibus certò conſtat, quòd beata Virgo nullum peccatum contraxit, nullumque commiſit, nec mortale, nec veniale, decuit enim beatam Virginem ea puritate nitere, quâ ſub Deo nulla major poteſt intelligi; cùm nulla ſit creatura dignior, aut perfectior Mariâ, de qua natus eſt Jeſus verus Deus, veruſque æterni Patris Filius. Non enim fuiſſet electa in Matrem Chriſti; ſi in maſſa perditionis fuiſſet ſicut cæteri Filij Adæ, vel aliquando peccaſſet. Tum quia ſicut honor parentum redundat in prolem juxtà illud Proverb. cap. 17. verſ. 6. *Corona ſenum Filij filiorum, & gloria Filiorum Patres eorum*: Ità per oppoſitum ignominia Matris ad Filium redundat. Idcirco non decebat Chriſti Matrem eſſe immundam. Tum etiam quia Chriſtus, qui eſt ſapientia increata, ſingulari modo habitavit in utero Matris, ſeu Virginis Mariæ, & ideo ipſa Virgo nullum peccatum habuit, quia ſapientia æterna non habitat in corpore immundo, & vitiato peccatis, ut facilè colligitur ex illo Sap. cap. 1. verſ. 4. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis,* quoniam per ſapientiam intelligitur Filius Dei, qui eſt ſapientia increata.

Proverb. 17

Sap. 5.

Beatiſſima Virgo non ſolum Stellæ, ſed Lunæ ac Solis nomine celebratur; ipſa namque Eccleſia ſolet ei attribuere illud Cant. 6 verſ. 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Quibus ſignificatur omnem omninò innocentiæ ſplendorem, ac puritatis, & virtutis lumen fuiſſe in beata Virgine, ac proinde in ipſa nullum fuiſſe peccatum, quod tenebroſum eſt, & cum innocentia, & puritate integra exiſtere nequit, ut inſinuat Apoſt. 2. ad Corint, cap. 6. verſ. 15. & ſequentibus dicens: *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum Idolis?* &c. Unde Iſaias hanc Deiparæ puritatem ſic vaticinatus eſt cap. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Et D. Hieronymus hæc verba exponens, inquit: *Nos autem virgam de radice Jeſſe, Sanctam Virginem Mariam intelligamus, quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem*, Ex quo ſequitur, peccatum, nunquam fuiſſe in Virgine Maria, quia non ſolùm fructicem, ſed nodoſitatem cohærentem habuiſſet, ſi aliquo modo peccaſſet. Quapropter D. Anſelmus ait de Beata Virgine. *Hæc eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Quia fundavit eam altiſſimus, ſuper maria fundavit eam, & ſuper flumina præparavit eam.

Cant. 6.

Iſay. 11.

D. Anſel.

Deinde eamdem innocentiam aut ſanctitatem omni ex parte intactam à peccato demonſtrat plenitudo gratiæ, quam ipſam Virginem habuiſſe teſtatur orator à Deo deſtinatus ad illam, eamque ſic perorans: *Ave gratia plena*, etenim qua ratione diceretur gratia plena, ſi aliquod peccatum in ea fuiſſet aliquando. Dicendum eſt igitur quòd fuit ſine peccato, & ſine macula, ut eſſet ad hanc gratiæ plenitudinem recipiendam, plenè diſpoſita, ut omnes Filios Adæ in morum integritate & ſanctitate excederet, & ut eſſet Virgo ſingularis & Mater puriſſima. Unde Ricardus à Sancto Laurentio lib. 1. de laudibus Virginis cap. 4. ait: *Omnis alia creatura aliquid habet vacuitatis, quia majorem gratiam recipere potuit, ipſa autem ſic uſque quaque gratia plena fuit. Quia majorem gratiam habere non potuit, niſi ipſa divinitati uniretur, hoc eſt, niſi ipſa Deus eſſet, hoc eſt, plenitudo, de qua hic ſpecialiter dicit Angelus; Ave gratia plena.* Tanta igitur gratiæ ubertas, & ſublimitas evidenter probant, beatam Virginem ſemper cujuſcumque peccati expertem fuiſſe ſpeciali gratiæ privilegio, ſicut Chriſtus expers fuit ex natura. Quare Eccleſia in officio Conceptionis Mariæ noſtro ordini conceſſo, canit illud Davidis, 1. Paralip. cap. 22. verſ. 5. *Filius meus parvulus eſt & delicatus, domus autem quam ædificari volo, talis eſſe debet.* Filius verò eſt Chriſtus, domus autem, eſt Maria Mater ejus, quam Deus voluit eſſe ſimilem Filio, non naturâ, ſed gratiâ, ut dignum habitaculum divini verbi efficeretur, & ideo Deus voluit, Virginem Mariam ab omni peccato præſervare, ut eſſet omninò Sancta corpore, & Spiritu juxtà dictum Apoſtoli. Et ut eſſet puriſſimo totum quidquid in ea fuit, poſſedit Spiritus Sanctus, & virtus altiſſimi eam obumbravit inquit Ildelphonſus Archiepiſcopus Toletanus.

Richardus

1. Paralip. 22.

Eamdem veritatem tuentur Sancti Patres, inprimis D. Auguſtinus lib. de natura & gratia contra Pelagianos habet. *Excepta Virgine Maria de qua propter honorem Domini nullam prorſus habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus collatum gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum, hac ergo Virgine excepta, ſi omnes Sanctos & Sanctas cum hic viverent Congregare poſſemus, & interrogare utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros, putamus, niſi quod ait Joannes: ſi dixerimus quia peccatum non habemus* &c. D. Ambroſius in ſerm. de nativitate beatæ Virginis ait: *Beata Virgo priuſquam conciperetur, vel naſceretur, erat præmonſtrata, vel deſignata miraculis, nata verò de progenie divinitùs ordinata, privilegio virtutum inſignis emicuit, Salvatorem condidit a quo glorificata in Cœlis nunquam terrigenis patrocinari deſiſtit.*

D. Auguſt.

D. Ambroſius.

D. Bernardus ad Canonicos Lugdunenſes ait: *Magna fuit Jeremiæ Sanctificatio quâ potuit vitare faciliùs culpam mortalium: major ſanctificatio Joannis Baptiſtæ quæ potuit vitare frequentiam venialium, maxima Virginis Mariæ, quâ potuit vitare, imo vitavit omne peccatum.*

D. Bernardus.

His verbis & ex aliis ſimilibus, quæ omitto, conſtat; Beatam Virginem nedùm non peccaſſe, ſed etiam ipſam peccare non potuiſſe ex privilegio ſpeciali à Deo ipſi conceſſum: nam ſi ſit ſanctior Jeremiâ, & Joanne Baptiſta, ſanè abſque ulla culpa fuit, & ſemper Virgo, quia Jeremias, & Joannes Baptiſta ab eo ſolùm, qui nullum peccatum habet, nec habuit, ſuperari poſſunt in Sanctitate & juſtitia coram Deo.

Digitized by Google

§ II.

Solvuntur Rationes Hæreticorum.

Proponitur hæreticorum ratio.

HÆretici, qui volunt, Virginem Mariam aliquando peccaſſe, dicunt quòd peccavit peccato ſuperbiæ, dum Luc. 1. dixit: *Fecit mihi magna qui potens eſt: beatam me dicent omnes generationes* &c. quæ ſunt in eodem Evangelio. Et peccato infidelitatis dum dixit Angelu Incarnationem annuncianti: *quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* quia (inquiunt) ſic reſpondit quaſi incredula; undè Lutherus in Evangelio de annunciatione inquit: *ipſa profectò in ſe ſenſit incredulitatis ſenſum.* Et Calvinus præfata Lucæ verba exponens, Zachariæ comparat Mariam, vultque, ipſam non minus fuiſſe dubiam de omnipotentia Dei, quàm Zacharias, ideo, inquit, peccavit aliquo modo, ſicut Zacharias.

Reſpondeo, Mariam non dixiſſe, *Fecit mihi magna qui potens eſt &c. Beatam me dicent omnes generationes*, ut gloriam ſuam oſtenderet; cùm ibi humilem ſe fateatur, & qualitatem ancillæ ſibi aſſumat, quippè horum mirabilium cauſam aſſignando ait: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Sed ut gloriam Dei manifeſtaret, & miſericordiam ejus extulleret, quòd non eſt peccare peccato ſuperbiæ, ſed Deum laudare, & gratias ei reddere pro tanto beneficio omnibus noto. Ad ſecundum dico cum D. Auguſtino homil. 44. cap 5. quòd Beata Virgo reſpondens, *quomodo fiet iſtud*, non dubitavit de promiſſione Angeli, ſed expreſſit virginitatis votum, quod emiſerat, & ideo non peccavit peccato infidelitatis, nec fuit dubia de myſterio Incarnationis verbi. Hæc enim reſponſio eſt potiùs admiratio, quàm dubitatio. Vel dico cum D. Bernardo homil. 4. ſuper *miſſus eſt*, quòd Beata Virgo ſic reſpondens, non dubitat de facto, ſed modum requirit & ordinem, neque enim quærit an fiet iſtud, ſed quomodo?

Maria non dubitavit de promiſſione Angeli.

Ad Calvinum reſpondeo quòd non valet comparatio Zachariæ cum Maria: nam Zacharias ob incredulitatem fuit reprebenſus, & ob illam punitus, ut probat illud Luc. 1. verſ. 20. in quo legitur, Angelum dixiſſe ipſi Zachariæ dubitanti, aut incredulo: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem, quo hæc fiant pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo.* Maria verò non fuit reprehenſa, nec punita: ergo non peccavit, peccato infidelitatis, aut incredulitatis ſicut Zacharias cui Angelus dixit. *Et ecce eris tacens & non poteris loqui pro eo quod non credidiſti verbis meis.*

Luc. 1.

Dicent inſuper Beatam Virginem peccaſſe peccato impatientiæ; idque probant ex illo Luc. cap. 2. verſ. 48. in quo legitur, Mariam dixiſſe ad Chriſtum poſt triduum inventum in Templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos: *Fili quid feciſti nobis ſic? ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Hæc enim verba (inquiunt hæretici) ex impatientia procedunt & ex ira, quæ eſt vitium manſuetudini oppoſitum, quoniam non ſunt patientis, ſed iraſcentis; cùm ſolitò proferantur ab illo, qui dolenter quæſivit, & non invenit, dum habet, aut videt hominem, quem quærebat.

Beata Virgo non fuit impatiens.

Sed non valet hæc hæreticorum interpretatio, quia non ſunt verba reprehendentis, aut corripientis, ſed dolentis præ amoris magnitudine, qui quidem amor multum patiebatur ex abſentia amantiſſimi filij. Unde Beata Virgo non objurgavit Chriſtum, his verbis: *Fili quid feciſti nobis ſic?* ſed potiùs ab ipſo abſentiæ cauſam petiit, quòd non eſt peccatum impatientiæ, nec iræ. Sed potiùs ſignum eximij doloris, qui tantus eſt in amittendo, quantus eſt in poſſidendo amor.

Dicent, ſi hæc verba ex amore procederent, non neglexiſſet Filium, nec eum amiſiſſet per tridnum ſed eum citius, & diligentius quæſiviſſet eum, quia neſciont materna viſcera patientiam, ut inquit D. Ambroſius lib. 2 ad Gratianum.

Maria non peccavit peccatò negligentiæ.

Reſpondetur conſequentiam eſſe falſam, nam Beata Virgo, & Sanctiſſimus ejus Sponſus Joſeph ſciebant, Jeſum eſſe verum Deum, ideoque poterant illum arbitrio ſuo relinquere abſque ulla negligentia, quæ ut vera ſit, & ut quis negligens dicatur, neceſsè eſt quòd deſerat auxilia ad finem conſequendum neceſſaria. Deindè B Virgo, & ejus ſponſus quærebant Chriſtum dolentes, ut teſtatur Evangeliſta: ergo non fuerunt negligentes, quia dolor denotat quod fecerunt omne id, quod potuerunt ut Jeſum invenirent: acproinde hæretici falsò ipſis attribuunt peccatum negligentiæ. Tandem objiciunt hæretici, & volunt Mariam peccaſſe, peccato ambitionis, & vanæ gloriæ, dum in nuptiis miraculum requiſivit à Filio, dicendo, Joan. 2. verſ. 3. *Deficiente vino dicit Mater Jeſu ad eum: vinum non habent*, ut probat reſponſio Chriſti ad Matrem verſ. 4. *Quid mihi & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea*, quæ ſunt verba reprehenſionis.

Maria non peccavit peccato ambitionis.

Reſpondeo cum D. Auguſtino, tract. 8. in Joan. hæc verba non fuiſſe ambitionis indicium, ſed eximiæ fidei Beatæ Mariæ Virginis circà divinitatem, & omnipotentiam Filij ſui, & ſignum ardentiſſimæ charitatis, quâ ipſa Virgo flagrabat erga pauperes, quos nolebat pudore ſuffundi propter vini defectum, non verò circa poteſtatem matris in Filium, ſed eſſe curam & ſollicitudinem circa ea, quæ Filij ſunt, ut denotant hæe verba: *Vinum non habent.*

D. Auguſt.

Ad Reſponſionem Chriſti dico quòd per ipſam Chriſtus non reprobavit petitionem Matris, ſed ſapientiæ poteſtatis plenitudinem, pro libito ſe ſe communicantem, oſtendit, ut ex D. Auguſtino refert noſter Fraſenius. tom. 3. tract. 1. diſp. 3. articulo 3. quæſt. 2. ubi ponit verba deſumpta ex lib. 4. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10 ejuſdem S. Auguſtini, quæ ſunt hæc: *Non repellens de qua ſumpſit carnem, ſed ſuam tunc maximè inſinuans divinitatem, aquam in vinum converſurus, quæ divinitas illam etiam fœminam fecerat, non ex illa facta erat:* Idqoe confirmant hæc verba Mariæ, quæ ſunt in verſu 5. ejuſdem capitis *dixit Mater eius miniſtris: quodcumque dixerit vobis, facite* quæ inſinuant Mariam indè voluiſſe oſtendere, Chriſtum eſſe omnipotentem, & Dominum Cœli, & Terræ.

Rejicitur Raimundi Lulij ratio.

Ad rationem Raimundi Lulij in principio articuli relatam, dico quòd Beata Virgo ſtando juxta crucem Jeſu lacrymoſa, non peccavit peccato inobedientiæ, ut voluit ipſe Raimundus: non enim lacrymabat, Quia nolebat mortem Filij ut juſſam à Patre, ſed quia amabat eum: idcircò lacrymæ illæ non erant cordis inobedientis, ſed amantis, eo modo, quo ſuper Lazarum mortuum lacrymatus eſt Jeſus, de quo Judæi dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum*; quin tamen ſit aliquis hæreticus, qui dixerit, tunc Chriſtum peccaſſe peccato inobedientiæ. Eodem modo lacrymata eſt Maria in morte Chriſti.

ARTICULUS XLIII.

Docet contra Bonoſianos, Mariam ſervaſſe perpetuam Virginitatem.

CErinthus de quo jam ſuprà multotiès locuti ſumus, docuit tempore Neronis Imperatoris, & D. Petri Apoſtolorum principis circà annum Domini LXIX, Chriſtum non fuiſſe Deum, ſed ſolùm naturam habuiſſe humanam per viam carnalis

copulæ ; ex qua Impietate ſequirur , Marrem Chriſti , ſeu Mariam non fuiſſe Virginem ante partum , nec in partu , nec poſt partum. Eumdem errorem poſteà ſcilicet anno LXXX, Imperante Tito , & Anacleto Summo Pontifice Eccleſiam Dei regente, ſecuti ſunt Ebionitæ à quodam Ebione facundo viro exorti : aſſerebant enim, Chriſtum eſſe purum hominem ex viro & muliere natum per viam ſeminis.

Ebionitæ.

Carpocratiani.

His ſucceſſit Carpocrates , qui anno CXXIX. tempore Adriani Imperaroris , & Sixti Summi Pontificis , docuit , Chriſtum non ex Maria Virgine, ſed ex ſemine Joſeph purum hominem natum , virum quidem bonum , & ſanctum fuiſſe, acriter affirmabat , ut teſtantur Philaſtrius , & Tertullianus. Anno verò CCCLVIII. tempore Conſtantij Imperatoris, & Liberij Papæ , Bonoſius Epiſcopus , ſecta Arianus credebat , Chriſtum eſſe purum hominem de muliere natum per omnia aliis matribus ſimili,hoc eſt, opere viri.Helvidius Auxentij Hæreſiarchæ, Epiſcopi Mediolanenſis diſcipulus , & Divo Hieronymo coævus , eamdem hæreſim patrocinatus eſt, regnante Theodoſio I. Imperatore , & Siricio Chriſti gregem paſcente , circa annum Domini CCCXCV. aſſerendo , Mariam Virginem , Chriſtum peperiſſe Virginem , & poſt cum marito congreſſum protuliſſe alios Filios , ſcilicet eos , qui apud Matth. dicuntur fratres Domini.

Bonoſius.

Helvidius

Jovinianus

Eodem anno ſurrexit alter hæreticus ejuſdem Impietatis amator, nomine Jovinianus , patrià Romanus; profeſſione monachus, qui rejecto monachatu, Impie prædicavit,beatam Dei genitricem fuiſſe à viro ſuo Joſeph cognitam carnaliter , poſt Chriſtum natum , ut teſtatur D. Auguſtinus lib. de hæreſ. licet D. Hieronymus , qui contra Jovinianum duos compoſuit libros , non aſcribat illi hanc hæreſim.

Non mirum mihi videtur ſi tot Hæreſiarchæ adverſus Mariæ gloriam militare non ceſſent:ipſa enim eſt , quæ non ſolum caput, ſed etiam corpus ſerpentis contrivit.Idcirco ille vaferrimus Serpens omnes, quas poteſt, movet artes, ut ei peccatum aut macula tribuatur , ſed quæretur peccatum illius & non invenietur , cunctas hæreſes ipſa ſola interemit in univerſo mundo , & ideo in vanum laborabunt hæretici , Mariæ Virginitatem impugnaturi , quia non dormit,nec dormitat , qui cuſtodit eam , Virgo ſemper fuit , ſemperque nominabitur talis apud fideles apud quos Beata Maria, & Beata Virgo duo Sinonyma ſemper fuerunt , ſunt , & erunt in ſæcula ſæculorum, ut inquit S. Epiphanius hæreſ. 76.

§. Unicus

Probatur perpetua Mariæ Puritas.

MAriam Deiparam fuiſſe Virginem puriſſimam ante partum , in partu, & poſt partum,contrà hæreticos definiunt plura Concilia,non ſolùm ea,quę contra Cerinthianos, Ebionitas, Carpocratianos fuerunt celebrata , ſed etiam alia, qualia ſunt Conſtantinopolitanum V. Conſult. 8. Can.6. ubi Beata Maria ſemper Virgo dicitur , quali etiam nomine appellatur à Taraſio Patriarcha, quæ eſt in ſexta Synodo actione 3. In confeſſione fidei, quam ipſe profert. Et Concilium Lateranenſe ſub Martino V. conſult. 5. Can. 3. ait : *Si quis ſecundum Sanctos Patres non confitetur propriè,& ſecundum veritatem , Dei genitricem Sanctam,ſemperque Virginem,& Mariam Immaculatam , utpote ipſum Deum verbum ſpecialiter,& veraciter,qui à Deo Patre ante omnia ſæcula natus eſt,in ultimis ſæculorum, abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu Sancto , & incorruptibiliter*

Conſtantinopolitanum V.

Lateranenſe.

ill

eam genuiſſe indiſſolubili permanente , & poſt partum ejuſdem virginitate : condemnatus ſit.

Scriptura Sacra articuli noſtri veritatem prænominatos Deiparæ hoſtes liquidò edocer juxtà Sanctorum Patrum expoſitionem. Nam D. Ambroſius lib. de inſtitut. Virginis cap. 7. exponens hæc verba Ezechielis cap. 44. verſ.2. *Porta hæc clauſa erit , non aperietur ,& vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam* per hanc portam intelligir Mariam , quæ eſt myſtica porta Cœli , ibi enim inquit ille S. Doctor & Epiſcopus Mediolanenſis : *Quæ eſt porta, niſi Maria? ideo clauſa, quia Virgo : porta igitur Maria per quam Chriſtus intravit in hunc mundum quando virginali fuſus eſt partu, & genitalia Virginis clauſtra non ſolvit , manſit intemeratum ſeptum pudoris, & inviolata integritatis duravere ſignacula cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus ſuſtinere non poſſet.*

D. Ambroſius.

Eamdem explicationem præbeat D. Hieronymus, eadem verba ſic exponens , *Pulchrè quidem portam clauſam per quam ſolus Dominus Deus Iſrael ingreditur,& Dux cui porta clauſa eſt , Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante partum , & poſt partum Virgo permanſit.* Dicant Igitur hæretici memorati, Ezechielem prophetam prædixiſſe in veteri lege,Mariam eſſe Virginem ante partum, in partu, & poſt partum. Et ſi renuant adbibere fidem unius Prophetæ teſtimonio , aliud habemus vaticinium in Sacra Scriptura , quod eſt Iſaiæ cap. 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium ,& vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod utique oraculum de Maria prædictum fuit, ut teſtatur Sanctus Matthæus cap. 1. verſ. 22. & 23. ubi refertur quòd Angelus poſtquam ſuaſit Joſepho nè dimitteret Mariam prægnantem,affirmando id , quod in ea natum erat,de Spiritu S. eſſe , inquit : *Hoc autem totum factum eſt , ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem, ecce Virgo in utero habebit,& pariet Filium & vocabitur nomen eius Emmanuel , quod eſt interpretatum,nobiſcum Deus.* Iſaiam autem loqui de eadē Virgine, de qua loquitur Angelus,conſtat præcipuè hâc particulâ , *Ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam*,qui eſt Iſaias,ut notatur in margine hujus capitis Matthæi , etiam in margine ſeptimi capitis Iſaiæ , & primi capitis Lucæ. Sed certi ſumus quod Angelus loquitur de Maria Matre Chriſti , ut probant verba quæ ſunt in verſ. 16. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ , de qua natus eſt Jeſus qui vocatur Chriſtus.* Et in verſ. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater eius Maria Joſeph*: Igitur Iſaias etiam loquitur de Maria Matre Chriſti ; acproinde ipſa Mater juxta teſtimonium Iſaiæ, eſt Virgo ante partum, in partu , & poſt partum , quia dicit quòd Virgo concipier , & Virgo pariet. Quòd certò non dixiſſet, ſi Filius ex ea natus, eſſet purus homo , aut ſi ex illo partu,puritas Mariæ fuiſſet violata.

D. Hieronymus.

Matth. 1.

Mariæ Virginitas colligitur etiam ex verbis Angeli myſterium Incarnationis ei annunciantis, Luc. 1. verſ. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te , & virtus altiſſimi obumbrabit tibi : ideoque , & quod naſcetur ex te Sanctum , vocabitur Filius Dei.* Nam Spiritus Sanctus eſt Virgo , & puriſſimus. Id quod Maria concepit , eſt Sanctum ; cùm ſit Filius Dei ergo impoſſibile eſt quòd Maria non ſit Virgo ante partum ; cùm in Sanctos , & omninò puros ſolùm venire poſſit Spiritus Sanctus. Et ex ſola perſona Sancta , pura atque Virgine , Sanctum naſci valeat. Deinde idem Angelus reſpondens Mariæ dicenti : *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco ?* Eique ſignificans quòd nullum patietur Virginitatis detrimentum ; dixit illi ; eadem verba *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te , & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*. Hæc enim verba , viri contactum

Luc. 1.

excludunt, & in hac Conceptione Virginitatem Mariæ integram ſervant, acproindè Maria erat Virgo ante partum, fuit Virgo in partu, & remanſit Virgo poſt partum; cùm præter Chriſtum non habuerit alium filium, ut in primo libro diximus.

Dicent Hæretici quòd Maria juxtà vaticinium Iſaïæ ſuprà memoratum, fuit Virgo ante partum, non verò in partu: ait enim, *ecce Virgo concipiet, & pariet*, non verò: *ecce Virgo concipiet, ecce Virgo pariet*. Quod tamen dixiſſet, quia concipere & parere ſunt actus longè diverſi, quippe Maria potuit concipere infracto ejuſdem virginitatis ſigillo, quod infallibiliter partu violatur.

Solutio ad hæreticorũ inſtantiam. Porrò non valet hæc inſtantia Hæreticorum. Tum quia Iſaias dat impio Achas in ſignum liberationis, Virginem parituram filium, cujus nomen eſt Emmanuel, ut habetur ex indicio ejuſdem capitis Iſaïæ. Tum quia Spiritu Sancto cooperante, hoc totum factum fuit, quippè ipſius virtute Maria concepit ſine ſemine viri, & ſine dolore & impuritate peperit, unde D. Aug in ſerm. 21. ait: *Virgo genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit, utrobique miraculum, & ſine corruptione gravida, & in partu, Virgo puerpera.* *D. Auguſt.*

Miror Hæreticos virginitatem Mariæ ſervantes dum concipit, eamque illi negare dum peperit, nam inquit Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, tract. 9. *Qui ſine corruptela Matris conceptus creditur, cur non etiam ſine corruptela editus præſumatur, incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit, integritatem naſcenda violare non potuit qui venerat integrare naturam.* Idem docet Leo magnus ſerm. 8. de nativitate, dicens: *Simul per Spiritum Sanctum fœcundata virginitas, ſine corruptionis veſtigio edidit, & ſui generis ſobolem, & ſuæ ſtirpis authorem.* *Gaudentius Brixienſis.* *Leo magnus*

Nec valet dicere nomine Virginis, Iſaïam intelligere adoleſcentem, ſeu puellam: quamvis in concipiendo corrupta fuerit. Non valet inquam, quia Propheta ibi dat ſignum inſolitum, ſeu quod nunquam fuit: quòd autem puella, ſeu adoleſcens corrupta concipiat, non eſt inſolitum, nec novum, cùm ſit naturale: igitur ſi locutus fuiſſet de puella corrupta, & non de Virgine, ut dicunt Hæretici, Propheta non dixiſſet: *Propter hoc Dominus dabit vobis ſignum, ecce Virgo concipiet &c.* Deinde illud nomen *Virgo* ſignificat puellam incorruptam, ut facilè colligi poteſt ex Epiſtola 1. ad Corinthios.

Valida pro Mariæ puritate ratio. Tandem probatur aſſertio noſtra. Verbum noſtrum, nedum in corde abſque corruptione concipitur, ſed etiam ex corde abſque corruptione procedit: ſed Beata Virgo concepit Verbum Divinum, & peperit illud, ut docet D. Joan. cap. 1. dicens; *Verbum caro factum eſt*: ergo potuit illud concipere, & parere abſque ulla corruptione, ſubindeque Maria potuit eſſe Virgo ante partum, & in partu; quinimo de facto talis fuit. Ratio hujus rei eſt. Tum quia Maria concepit de Spiritu Sancto & obumbravit illam altiſſimus. Tum quia effectus incarnationis, eſt noſtra ſanctificatio, quâ mundamur ab omni corruptione peccati, & renaſcimur in filios Dei, non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo; teſte Evangeliſta.

D. Auguſt. Deinde non fuit conveniens, nec poſſibile (ſuppoſito decreto incarnationis) ut Verbum carnem aſſumens in utero Mariæ, virginitatem ejus naſcendo violaret, ut notat D. Auguſtinus dicens: *Fas non erat ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta*: Chriſtus enim eſt author gratiæ, totiuſque puritatis fons; ideoque ex ipſius egreſſu nequit haberi impuritas in matre.

§. II.

Evelluntur Argumenta contraria.

HÆretici, Virginitatem Mariæ tam ante partum, quàm in partu impugnant ex illo Exod. cap. 23. verſ. 26. *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua*; quo conſtat quòd in veteri lege (ſub qua degebat Maria) in opprobrium erat non concipere, nec parere. Inde enim Hæretici volunt, virginitatem non fuiſſe neceſſariam Mariæ: quia tunc non erat laudabilis, imò in opprobrium apud conjugatos; & ideo in opprobrium fuiſſet Mariæ, ſi in partu, Virgo fuiſſet, aut ſignum virginitatis ejus in partu permanſiſſet, ideircò Deus non conſervavit illud virginitatis ſignum, quia nulla fuit neceſſitas illud conſervandi, imò potiùs neceſſarium fuit ipſius Matris Chriſti virginitatis ſignum violari, ut appareret ſignum partûs, & maternitatis.

Reſpondetur, ſterilitatem ex impotentia naturali provenientem, fuiſſe in opprobrium in veteri lege, eam verò, quæ ex virginitate & continentia proveniebat, minimè. Nam in veteri lege Elias, Eliſeus, Jeremias, Daniel, & alij fuerunt virginitatis cuſtodiâ inſignes, ideoque Maria potuit eſſe Virgo ſine opprobrio, licet eſſet in veteri lege, imò talis eſſe debuit, nedum juxtà votum, quod de virginitate ſervanda emiſerat, ſed etiam juxtà dignitatem carnis Chriſti, quæ de carne Virgine exire debebat ſicut de carne Virgine fuerat formatus. Nec eſt neceſſè ipſam non eſſe Virginem, ut appareat Mater, quia conceperat de Spiritu Sancto, & Filius quem genuit, eſt Deus. *Reſponſio ad primam hæreticorum rationem.*

Addunt Hæretici aliam authoritatem, quæ eſt Luc cap. 2. verſ. 22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus*, id eſt Mariæ, *ſecundum legem Moiſi tulerunt illum*, id eſt Jeſum, *in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino.* Indè enim Hæretici inferunt, Mariam indiguiſſe purificatione ſicut cæteræ mulieres poſt partum, acproindè fœtum emiſiſſe per reſerationem uteri cum alluvione ſanguinis & fractura ſigilli virginitatis; alioquin non acceſſiſſet ad Templum ſicut cæteræ mulieres, ex defectu neceſſitatis purgationis.

Reſpondeo, Beatam Virginem non indiguiſſe purificatione; licet tulerit filium ſuum in Templum ſicut cæteræ Matres, ut ſervaret legem Moiſi, nam ſicut Chriſtus non indiguit circumciſione, quoad effectum, ſeu remiſſionem peccati Originalis, & infuſionem gratiæ; licet fuerit circumciſus. Ità nec Beata Virgo indiguit purificatione quoad effectum, ſeu quoad purgationem delicti, aut maculæ. Tulit filium ſuum in Jeruſalem, quia legem Moiſi ſervare voluit. Unde S. Idelphonſus lib. contra Mariæ virginitatis Impugnatores, inquit: *Et hæc eſt completio dierum ſecundum conſuetudinem legis, & non ſecundum neceſſitatem purificationis, quia Beata & immemerata Virgo, & incorrupta permanſit nullis coinquinata ſordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus*: Igitur purgatio Mariæ diverſa fuit à purgatione aliarum Mulierum, aliudque habuit motivum. *Maria non egebat purificatione.* *D. Idelphonſus.*

Dicent. Chriſtus aperuit vulvam, & ideo ſi Beata Maria fuiſſet Virgo quantum à viro, non eſt Virgo quantum à partu, ut docuit Tertullianus lib. de carne Chriſti, cap. 23. Et lib. de Monogamia cap. 11. Sed hoc eſt falſum, quia Chriſtus non ſoluit Matris clauſura naſcendo, nec lapidem ſepulchri reſurgendo. Quoad Tertullianum dico, cum Vincentio Lirinenſi, Paciano Epiſcopo Barchinonenſi, Optato Milevitano, & alijs graviſſimis, quòd eſt in hac parte deſerendus ſicut in pluribus alijs. in quibus erravit, ut patet in varijs hujus operis locis, in quibus errores

Tertulliani impugnantur. Nec valet dicere quod D. Cyprianus (teſte D. Hieronymo de viris illuſtribus) Tertullianum venerabatur ut Magiſtrum. Quia ille Sanctus Doctor venerabatur libros aliquos Tertulliani, ſeu eos, quos pro Eccleſia conſcripſerat, ſed non omnes.

ARTICULUS XLIV.

Monet Colliridianos, Mariam Virginem non eſſe adorandam adoratione quâ adoratur Deus.

Colliridiani.

QUidam Hæretici dicti Colliridiani ex Thracia Scythia ſuperiore ſuborti, tempore Theodoſij primi Imperatoris, & Siricij Papæ, anno circitèr CCCXCV, cum fidelibus Deiparam adorantes majori quàm par erat indebito cultu, & ultrà Eccleſiæ mandatum, eam glorificabant, & veluti Deum adorabant, eique quotidiè Sacrificia offerebant, ipſis quoque fœminis permittebant eidem Virgini offerre colliridem panis & Sacrificia, ſtatuto quodam ac ſolemni anni die, in quo panem proponebant, & offerebant in honorem Mariæ. Huic enim ſexui, ſcilicet fœmineo, ſecta illa Sacerdotij munia deferebat, imò ſolæ ferè mulieres hanc ſectam conſtabant, omnes autem aſſiſtentes eo pane participabant, eidem Virgini Mariæ, ut Deo ſacrificia libantes. Quòd ſanè Idololatriam quamdam ſpirabat, inquit Prateolus, lib. 3. litterâ C. ex D. Epiphanio. Contra hanc hæreſim nullum potui adinvenire Concilium, nullamque conſtitutionem Apoſtolicam; damnatur tamèn, ſaltèm indirectè, ab illis, in quibus declaratur, Deum eſſe adorandum, & colendum ſuper omnia, adoratione nulli creaturæ debita.

§. I.

De cultu exhibendo Virgini Mariæ.

JUxtà communem Theologorum, & Sanctorum Patrum mentem, Beatiſſima Virgo eſt colenda, cultu Hyperduliæ, qui eſt ille, quo colitur creatura rationalis propter eminentem ejus dignitatem & ſanctitatem, divina quidem inferiorem, ſed cæterarum creaturarum ſanctitate ſublimiorem. Deus verò adorandus eſt cultu Latriæ, ob increatam illius excellentiam, & ſanctitatem; at ſanctitas Mariæ non eſt tanta, quanta eſt ſanctitas Dei. Nec eſt infinita, & increata ſicut ſanctitas divina, ideoque Beata Virgo non eſt adoranda adoratione, quâ Deus adoratur, ſed veneranda, & interpellanda præ cæteris Sanctis, quia eos gratijs & ſanctitate præcellit. Nullus tamen poteſt citrà hæreſim eam adorare, ſicut adorat Deum; cùm ſanctitas Mariæ longè, imo infinitè minor ſit ſanctitate Dei.

De cultu Mariæ exhibendo.

Unde D. Epiphanius Colliridianos confutans, hæreſ. 79. inquit, *Sanctum erat Mariæ corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit, eadem & Virgo extitit, minimè tamen nobis adoranda propoſita, ſed eum adorans ipſum, qui è ſua carne genitus, è cælo ac paterno ſinu deſcenderat, quare ſanctum quoque nos Evangelium præmunire voluit, in quo ita Christus loquitur. Quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea. Ubi idcircò mulierem appellavit, nè quis Beatam Virginem excellentioris alicujus eſſe naturæ crederet.* Et infra: *Quamquam enim ſelectum quoddam vas atque eximium ſit, nihilominus mulier eſt, ejuſdemque cum cæteris naturæ; licet animo atque ſenſu ampliſſimis honoribus affecta ſit, perindè ac reliquorum Sanctorum corpora, aut ſi quid ad gloriam ac ſplendorem illuſtrius attulere.* Addit inferius, Illam Joachimi, & Annæ præcibus conceſſam. *Ita tamen ut non aliam, quam cæteri mortales naſcendi conditionem habuerit, ſed ut illi à virili ſtatu, ac matris utero prodierit.* Deniquè hanc ſtatuit religioſi cultus regulam. *Honoretur ſanè Maria, Pater verò, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur, Mariam adorare nemo velit.* Et infra, *Maria in honore ſit, Dominus adoretur.* His verbis ille Sanctus Doctor, reverà vult quòd Virgo adoretur, ſed non ea adoratione, quâ Deus adoratur.

D. Epiphanius.

Ratio hujus rei eſt. Quia adoratio debetur Sanctis ob ſanctitatem, quam habent, ità ut, quo major & excellentior eſt ſanctitas alicujus, eo excellentior aut major adoratio debeatur illi. Nam motivi eſt regulare cultum, ſeu ſanctitatis eſt regulare adorationem: ſed ſanctitas Deiparæ non eſt tanta, quanta eſt Sanctitas Dei, ut eſt manifeſtum; licet ſit excellentior, aut major ſanctitate Sanctorum, & Angelorum; cùm ſuper Choros ipſorum fuerit exaltata, ut docet D. Anſelmus de conceptu virginali cap. 3. & 12. dicens eidem Virgini. *Nihil tibi Domina eſt æquale, nihil comparabile, omne enim quod eſt, aut ſuprà te eſt, aut infrà eſt, quod ſuprà te eſt, ſolus Deus eſt; quod infrà te eſt, omne quod Deus non eſt*: Igitur ea adoratio, quæ illi debetur propter ejus ſanctitatem, nequit eſſe ea, quæ Deo debetur; hinc eſt quòd D. Epiphanius ſuprà citatus inquit quòd Beata Virgo eſt honoranda: Dominus verò adorandus. Et meritò quia Beata Virgo non eſt Deus, nec eſt illi hypoſtaticè unita, & ſic non debet cum Deo eadem laude celebrari, nec ipſi tribui ea, quæ ſoli Deo, vel homini Deo conveniunt; cum ipſo Deo, vel homine Deo minor ſit.

D. Anſelm.

Anaſtaſius Bibliotecharius.

In Collectaneis Anâſtaſij Bibliotecharij parte 73. habetur: *Quiſquis beatam ſuper omnem creaturam, & naturam humanam abſque eo, qui genitus eſt ex ea, venerabilem, ſemperque Virginem, Matrem ſcilicet Domini noſtri non honorat, atque adorat; anathema ſit.* Quibus verbis Beata Virgo extollitur ſuper omnem creaturam, & naturam humanam, excepta humanitate, quam ipſa genuit, & per conſequens non tribuitur illi adoratio, quæ tribuenda eſt Deo, vel Deo incarnato; ſed alia, quæ dicitur adoratio hyperduliæ.

§. II.

In quo proponuntur & diſſolvuntur Argumenta Hæretica.

DIcunt Hæretici, Mariam eſſe Matrem Dei, ac proindè eſſe illi tribuendam adorationem, quâ adoramus Deum, ipſique offerenda eſſe Sacrificia, quæ offerimus Deo, nè illi fiat injuria; cùm Filius non ſit natura dignior Matre, imò teneatur eam ipſe honorare.

Sed non nocet hæc ratio, quoniam licet ſit Mater Dei; ut contra Neſtorium Conſtantinopolitanum definitum fuit; tamen non eſt Deus, nec illi facit injuriam, qui non adorat eam, adoratione latriæ, ſeu ea adoratione, qua omnes gentes adorant Deum: nam licet Filius viâ ordinariâ genitus, non ſit naturâ dignior parentibus; tamèn Deus incarnatus eſt naturâ dignior Mariâ, quia non fuit via ordinaria, nec per viam ſeminis virilis genitus. Undè inquit D. Bernardus. *Valde honoranda eſt Mater Domini, benè admones, ſed honor Reginæ judicium diligit, Virgo regia falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatem; honora ſanè integritatem carnis, vitæ ſanctitatem. mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare divinam, extolle neſcientem in concipiendo concupiſcentiam, vel in pariendo dolorem .... magnifica gratiæ inventricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſeculorum, exalta denique exaltatam ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna; hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eamdem docuit decan-*

Refellitur hæreticorū inſtantia.

D. Bernard.

tare; Ergo nullam injuriam Deiparæ facit, qui non adorat eam ut Deum, nec illi Sacrificia offert, ut offert Deo, nec errat qui eam adorat pluſquam omnes Sanctos; cùm ſit Mater Dei, & Regina Sanctorum omnium.

Alij Hæretici nimirùm Lutherani, & Calviniſtæ in Beatæ Virginis cultores infenſiſſimo odio exarſerunt. Nam Lutherus in poſtilla Nativitatis, & Annunciatio-
De falſa Lutheri & Calviniratione nis Beatæ Mariæ Virginis, inquit, *Papiſtas Mariam Deam feciſſe, & plus recurrere ad illam, quàm ad Chriſtum, & plura ab ea expectare, & petere.* Calvinus in Harmonia in cap. 2. Joan. Idem habet. Ità loquuntur ut ſuis ſuadeant, Catholicos honorare, & adorare Mariam ea adoratione, quâ adorant Deum. Volunt inſuper ſuadere Lutherus, & Calvinus, Mariam nullatenus eſſe invocandam, & adorandam; licet credant, ipſam eſſe Matrem Dei, quia volunt maternitatem illam non eſſe motivum adorationis, nec invocationis. Idque probant aliqui Lutherani & Calviniſtæ ex illo Lucæ 8. verſ. 20. & 21. *Et annunciatum eſt illi*, id eſt, Chriſto, *Mater tua, & Fratres tui ſtant foris volentes te videre*, Chriſtus autem reſpondens dixit ad eos: *Mater mea & Fratres mei, hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt*, quibus Chriſtus oſtendit (inquiunt) nullius momenti eſſe apud ipſum, titulum maternitatis, nulliuſque valoris eſſe merita Sanctorum apud Deum; cùm nulla ſit in Sanctis dignitas ipſa maternitate dignior & major

Hoc confirmant ex eodem Evangeliſta cap. 11. verſ. 27. & 28. ubi legitur quòd Chriſtus reſpondens mulieri illi dicenti: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*, dixit: *quinimo Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Mater mea non eſt Beata, quia me concepit, genuit, & lactavit, ſed quia audit verbum Dei, & illud cuſtodit: ergo (inquiunt Hæretici) nullus honor dandus eſt Mariæ propter maternitatem; cùm Chriſtus voluerit eam poſtponere obſervationi mandatorum, quæ nullum reddit adorandum; alias adorandi eſſent plures homines, qui mandata Dei ſervant.

Reſpondeo, Lutheranos, & Calviniſtas à veritate plurimum aberrare, nos enim non adoramus Mariam ea adoratione, quâ adoramus Deum, neque eam conſpicimus ut Deum, ut ex dictis conſtat. Adoramus Deum adoratione Latriæ, Mariam verò adoratione Hyperduliæ, quæ eſt minor; cùm ipſius motivum ſit Sanctitas creata, alterius verò ſeu Latriæ motivum, ſit Sanctitas increata, & infinita, quâ ſolus Deus San-
Rejiciuntur Lutherus & Calvinus. ctus eſt, quamque Chriſtus ſignificavit, Matth. 4. verſ. 10. dicens Satanæ: *Vade, ſcriptum eſt enim: Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Hinc eſt quòd Hæretici nolentes, Mariam adorare adoratione Hyperduliæ, injuriam ipſi faciunt; cùm ſit Mater Dei, quam Beatam dicunt omnes generationes, cuique fecit magna qui potens eſt, hac ratione, ſcilicet ut ab omnibus eſſet colenda & honoranda præ cæteris hominibus Juſtis & Sanctis; cùm omnium Sanctitatem tranſcendat, ut refert D. Anſelmus de laudibus Mariæ, dicens: *Pura enim Sanctitas, & Sanctiſſima puritas piiſ-*
D. Anſelm. *ſimi pectoris ejus tranſcendens incomparabili ſublimitate, hoc promeruit ut reparatrix perditoribus benigniſſimè fieret.*

Nec poſſunt Hæretici improbare adorationes Duliæ & Hyperduliæ, quæ ſolùm per magis, & minus diſtinguntur, ſeu quia objectum Duliæ eſt Sanctitas creata communis. Hyperduliæ verò eſt Sanctitas excellentior, ut eſt Sanctitas Mariæ; quoniam ſi nulla eſſet adoratio niſi Latriæ, Abraham non adoraſſet Angelos, quos tamèn adoraſſe legitur Geneſ. 18. verſ. 2. non adoratione Latriæ; alioquin adoraſſet Angelos ea adoratione; quâ adorabat Deum, quod eſt falſum, ſed aliâ minori adoravit eos, ſcilicet ut creaturas perfectiores, & ut miniſtros, qui ſtant ante Thronum Dei.

Ad authoritates adductas, dico cum communi Sanctorum Patrum expoſitione, ibi Chriſtum non voluiſſe negare Virgini excellentiam debitam ob titulum maternitatis; ſed ſolùm voluiſſe docere ſpirituales occupationes, quæ ad gloriam Dei & proximi utilitatem tendunt non eſſe intermittendas propter affectum parentum & conſanguineorum, , ut in rebus, quæ Dei *Matth. 18.*
ſunt, diſcamus, parentes non eſſe audiendos, ſi ut audiantur, neceſſe ſit omittere ea, quæ Dei ſunt. Undè Chriſtus ipſe Matth. 10. verſ. 37. inquit: *qui amat Patrem & Matrem pluſquam me, non eſt me dig-* *Luc. 21*
nus. Et Luc. cap. 2. verſ. 49. dixit Matri ſuæ: *quid eſt quod me quærebatis, neſciebatis quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.*

Quantum ad ſecundam authoritatem dico quòd Chriſtus voluit docere Mulierem clamantem, & dicentem: *Beatus venter qui te portavit*, Mariæ maternitatem non eſſe ſolam viam, aut medium conſequendi vitam æternam, ſed eſſe alium modum conſequendi eam omnibus communem, nimirùm obſervantiam mandatorum Dei, & ideo dixit Chriſtus: *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Quod idem ſignificat ac ſi dixiſſet illi: *audi mandata Dei, & obſerva ea, & eris Beata*: ergo ex omnibus illis probationibus ſuprà relatis, facilè inferendum eſt contra Collitidianos, & alios Hæreticos ſuprà nominatos, Mariam Virginem non eſſe adorandam adoratione, quâ adoratur Deus, ſed aliâ, quæ eſt Hyperduliæ, quoniam ipſa Virgo ſanctitate, & excellentia excedit omnes Sanctos; niter enim ſanctitate quâ major ſub Deo nequit intelligi, inquit D. Anſelmus.

ARTICULUS XLV.

Improbat Lolardos rejicientes benedictiones tamquam res inutiles.

PAuperes de Lugduno, qui & Vualdenſes nuncupantur, docuerunt circà annum Domini MCLX tempore Friderici hujus nominis I. & Alexandri III. Papæ, cunctas benedictiones, quas Eccleſia Romana inſtituit pronunciandas ſuper panem, vinum, aquam, *Vualdenſes*
oleum, ſal, ceram, incenſum, arbores olivarum, & palmarum, veſtes Eccleſiaſticas, Cimeteria, & alia hujuſmodi, nullius eſſe momenti, inutiles & ridiculas nec à Deo inſpirante, ſed à Diabolo ſuadente, ortum habuiſſe, cùm Deus benedixerit omnia in Chriſto. Fateor ipſos Vualdenſes plures protuliſſe in Deum, & in Eccleſiam ejus blaſphemias, ſed fateor etiam nullam hâc eſſe majorem; cùm author benedictionum ſit Deus & Eccleſia non benedicat, niſi quia Deus juſſit.

Anno verò MCCLXXIII. regnantibus Rodulpho Imperatore & Gregorio X. Papa, inſurrexerunt in Italia quidam viri Hæretici dicti Flagellantes, eo quod ſe ipſos virgis & nodoſis flagellis concidebant, qui li- *Flagellantes*
cet non negarent abſolutè benedictiones, ut Vualdenſes, negabant tamèn aquam elementarem eſſe benedicendam. Volebant enim, aquam nullam virtutem, nullamque in ſe efficaciam recipere per benedictionem Sacerdotis, quia credebant, benedictiones nullam virtutem rebus benedicendis tribuere.

Poſt iſtos in eodem errore ſucceſſerunt quidam viri Hæretici, ab Anglis dicti, Lolardi ex Secta Vuicleffi- *Lolardi.*
tarum originem ducentes, quamvis in hoc Magiſtro ſeu Vuicleffo non adhærerent, iſte enim utpote Vuicleffus, quamvis impiiſſimus, non improbat benedictiones, illi verò tempore Caroli IV. Imperatoris, & Innocentij VI. Papæ circa annum Domini MCCCLX

Digitized by Google

tuebantur errorem Flagellantium, & cum ipſis aſſerebant, aquam benedictam non majoris eſſe virtutis aut efficaciæ, quàm ea, quæ communis eſt. Eorum ratio erat, quia benedictionibus, & exorciſmis res meliores fieri non poſſunt, quàm Deus eas per naturam condiderit. Et indè aſſerebant, omnes benedictiones quæ fiunt ſuper panem, & vinum &c. potiùs eſſe opus Necromantiæ, quàm pietatis Chriſtianæ Et potiùs eſſe ab arte diabolica, quàm à fide. Neſcio qua fronte hoc dixerunt; cùm ſæpè viderint Dæmonem propter benedictionem arripuiſſe fugam, & plures admirabiles effectus eveniſſe (qui à poteſtate aut arte diabolica minimè poſſunt evenire) ut conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica.

Joannes Vueſtphalus

Lolardis ſucceſſit quidam vir natione Germanus, profeſſione Doctor Theologns, Sectâ Lutheranus, nomine Joannes Vueſtphalus, qui tempore Caroli V. Imperatoris, & Clementis VII. Papæ circà annum Domini MDXXXIII. dicebat; aquam ſacram, & benedictam, non pluris eſſe virtutis & efficaciæ, quàm aliam, quamvis communem. Hujus Hæretici opera, ſen Libri, Moguntiæ exuſti ſunt ex Inquiſitorum Hæreticæ pravitatis ſententiâ, ob varias intolerabiles hæreſes in eis repertas.

§ I.

De Inſtitutione, & Utilitate Benedictionum.

Concilium Ravennatenſe.

CONcilium Ravennatenſe celebratum anno MCCCXI. ſub Clemente Papa V. declarat in cap. 9. quòd aqua benedicenda eſt cum ſale, & exorciſmis à Sacerdote induto albâ, & ſtolâ. Idem decrevit anno MDXLIX. Concilium Moguntinum IV. ſub Paulo Papa IV. celebratum, quod ſtatuit aquam benedicendam eſſe omni die Dominica, ut eâ aſpergantur populus, & altare à Sacerdote dicente Antiphonam, *Aſperges me*, Benedictiones panis, vini, agri, fructus &c. quas facit Eccleſia, quaſque priùs decreverat Concilium Regienſe celebratum ſub Xiſto Papa III. circà annum Domini CCCXXXIX. teſte eminentiſſimo Cardinali Laurea in Epitom. Canonum, verbo, *benedicere*, & verbo, *aqua*, ubi plures affert Conciliorum, & Summorum Pontificum decreta, quibus firmantur benedictiones Eccleſiæ: ſed eas omitto brevitatis gratia.

Moguntinū.

Regienſe.

Conſtitutio Alexandri primi.

Aquæ benedictio eſt de jure Eccleſiaſtico. Alexander Papa primus, qui Eccleſiam Dei regebat anno CXIX. eamque rexit uſque ad annum CXXX. uſum aquæ benedictæ inſtituit, ut habetur in Can. *aquam* de conſecrat; diſt. 3. ibi enim legimus: *aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur. Quòd & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus: nam ſi cinis vitula aſperſus ſanguine populum ſanctificabat, atque mundabat, multò magis aqua ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat, & ſi ſale aſperſo per Eliſeum Prophetam ſterilitas aqua ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacratus ſal ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat & purgat, & catera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit & a Phantaſmatum verſutiis homines defendit.* Antiquiſſimus eſt igitur, atque Apoſtolicus aquæ benedictæ uſus, acproindè nequit abſque temeritate & hæreſi impugnari velut inutilis, & ridiculus, nec poteſt abſque impietate dici inventus à diabolo.

Ut autem videant Vualdenſes, Lolardi, & alij Hæretici, benedictiones Eccleſiæ non eſſe Dæmonum invocationes, ſed opus Chriſtianæ pietatis, moneo duplicem eſſe benedictionem. Una quidem eſt ab homine puro, ſeu Laïco, qui cibum, & potum ſignat. Alia eſt benedictio quæ fit ab homine ut Miniſtro Chriſti. Hoc præmiſſo advertendum eſt quòd hîc non loquimur de prima: quamvis non improbemus eam, imò potiùs laudemus; cùm plurimùm laudandus ſit uſus benedicendi menſam. Sed de altera, quæ fieri poteſt ab aliquo Sacerdote, & maximam habet virtutem ex merito Chriſti applicato. Certum enim eſt quòd benedictio, quam facit Eccleſia ſuper panem & vinum, & res ſimiles, quas benedicere ſolet ipſa Eccleſia, aliquem valorem accipit ex meritis Chriſti Domini, in cujus nomine res benedicitur. Hic autem valor aliquam rei benedictæ confert virtutem, ut probant Sacramentalia inter quæ numerantur panis benedictus, & aqua benedicta, quæ delent peccata venialia: nequit igitur eſſe mala, ſed laudabilis, & fructuoſa, ut probant varia exempla & beneficia, quæ ex hujuſmodi benedictione proceſſiſſe legimus in variis hiſtoriis fide dignis, quas hîc deducere mihi ſuperfluum videtur, nè traliar ad prolixitatem, quam vitare promiſi, niſi neceſſitas convincendi Hæreticos aliter exigat.

Duplex eſt benedictio.

Matth. 14.

Virtus benedictionum Eccleſiaſticarum ſuaderi poteſt ex illo Matth. cap. 14. verſ. ult. *Et rogabant eum ut vel ſimbriam veſtimenti ejus tangerent, & quicumque tetigerunt, ſalvi facti ſunt.* Et ex cap. 9. verſ. 20. & 21. *& ecce Mulier, qua ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus; dicebat enim intrà ſe, ſi tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Nam inquit noſter Alphonſus à Caſtro, verbo *aqua*, Hæreſ. 2. ſi tactis fimbriæ veſtimentis Salvatoris, ſalvatos infirmos eſſe non dubitamus, quantò magis virtute Sacrorum ejus verborum divinitùs ſacrari debent elementa, ut ab ipſis ſanitatem corporis & animæ humana percipiat fragilitas. Ità loquitur idem Doctor, & declarat ſe ita loqui poſt Alexandrum Papam. Et meritò ni fallor, quia Sacerdos benedicens aquam utitur authoritate Chriſti; cùm ſit ipſius miniſter, & pro ipſo Chriſto legatione fungatur, acproindè aliquam virtutem divinam huic elemento aquæ pro ſalute animæ, & ſanitate corporis tribuit benedictio, quæ cum ſit Dei, ſaltem miniſterialitèr, virtutem aliquam confert aquæ ad producendos mirabiles effectus. Hinc eſt quòd Eccleſia eoſdem effectus, aut beneficia poſtulat à Deo in benedictione, dicens: *ut creatura tua Myſterijs tuis ſerviens ad abigendos dæmones, morboſque pellendos, divina gratia ſumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hac unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa*, qui quidem effectus non evenirent, ſi benedictiones eſſent opus diaboli, aut potiùs Necromantiæ ſignum, quàm veræ chriſtianæ pietatis, ut voluerunt Hæretici ſuprà nominati.

D. Epiphanius.

Quòd aqua benedicta hujuſmodi præſtet effectus, conſtat ex varijs teſtimonijs fide dignis. Nam D. Epiphanius, qui floruit in quarto ſæculo, refert lib. 1. tom. 2. contra hæreſes cap. 3. de quodam Judæo nomine Joſepho, divitijs, & fervore famoſo, qui jam à pluribus annis Judaiſmum abjuraverat, ut Chriſti fidem profiteretur, quique cùm ſuſcepiſſet ſuper vetus Templum Idolis conſecratum, Eccleſiam conſtruere conſenſu & authoritate Conſtantini Imperatoris, Judæi hoc ægrè ferentes conati ſunt incantationibus impedire illum, nè Eccleſiam jam inceptam perficeret, nam ipſe Joſeph nolens Judæorum perſuaſionibus deſiſtere, Judæi poteſtate dæmonum uſi ſunt, ut impedirent ignem nè coqueret calcem, quæ de facto ita impediebatur dæmonum incantationibus, ut nullo modo accendi potuerit ad coquendam calcem. Judæus autèm Joſeph ad fidem converſus, agnoſcens hoc fieri dæmonum artificio, Deum obnixè depræcabatur, Clibanos, quos fecerat ad coquendam calcem aquâ benedictâ aſpergit, dicens. *In nomine Jeſu Nazareni fiat virtus in hac aqua*

Speciale miraculum.

ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini. Et protinùs tanta velocitate accenduntur, ut ad tale miraculum nedum operarij, ſed & cuncti aſſiſtentes, & aſtantes obſtupuerint laudantes Deum, & extollentes virtutem aquæ benedictæ.

D. Chryſoſtomus.

Quod aqua benedicta morbos expellat, & ſanitatem corporis afferat, plura ſunt etiam in hiſtorijs teſtimonia. Nam D. Chryſoſtomus, teſte Metaphraſte in vita ejuſdem, per aſperſionem aquæ benedictæ ſanavit puerum præ infirmitatis gravitate morti proximum. Ex D. Bernardo, S. Malachias ſimile edidit miraculum, ut refertur in vita ejuſdem S. Malachiæ Epiſcopi. Et Theodorus Abbas eadem aſperſione ſanavit filium Mauritij Imperatoris, qui incurabili lepra laborabat: ergo aqua benedicta habet aliquam virtutem, quam anteà non habebat, acproindè benedictiones, quas facit Eccleſia, ſunt Sanctæ.

Bernardus.

Nec valet dicere aquam benedictam non ſemper ſimiles habere effectus, nec ſemper coercere Dæmones, nec inſecta animantia impedire, nec expellere aëria tempeſtates. Non valet, inquam, quia hoc non provenit ex defectu virtutis aquæ benedictæ; ſed ex ſubjecti indiſpoſitione, ſeu illius in cujus gratiam benedictio fit. Hîc diſcurrere licet ſicut de præcibus, quæ quamvis Sanctæ, & utiles, imo, & neceſſariæ ſint, ſæpè tamen non proſunt illi pro quo fiunt, quia tanto beneficio eſt indignus.

§. II.

De Solutione ad Argumenta oppoſita.

Dicunt Hæretici nos in hujuſmodi aſperſionis uſu imitari gentiles, qui Ingredientes Templa Idolorum ſe ſe aſpergebant aquâ antequam ſua inciperent Sacrificia, ut refert S. Juſtinus Martyr Apolog. 22. ubi de gentilibus ait: *Qui adeunt Templa ſeipſos aſpergunt, ut deindè offerant Libamina*; Sed malum eſt imitari Gentiles; Can. *non licet*. 26. quæſt. 7. ergo etiam malum eſt benedicere aquam, & ità ſe, domum, & res ſimiles aſpergere.

Reſpondeo non eſſe malum in aliquo actu imitari Gentiles, hoc eſt, facere aliquem actum, quem fecerunt Gentiles, ſi non ſit ex ſe malus, aut prohibitus: quamvis eos in omnibus imitari malum ſit. Nam dum facimus aliquem actum, quem fecerunt gentiles, eorumdem Gentilium intentionem non habemus, nec facimus illum eodem animo. Si aliquos retinemus ritus Paganorum ſecundum ſubſtantiam, & apparentiam externam, finem tamẽ. & intentionem mutamus. Nec hoc eſt prohibitum; alioquin non liceret Chriſtianis, Templa ædificare, Altaria erigere, Sacrificia offerre, & ſimilia, quæ Gentiles faciebant, quæque nos facimus, ſed diverſo modo, fine quoque diverſo: illi autem hæc omnia faciebant, ut cultui Dæmonum inſervirent, nos verò ea ad cultum veri Dei applicamus. Unde D. Auguſtinus inquit: *Qui Chriſtianas litteras ſciunt non hoc culpant in ſacrilegijs ritibus Paganorum. Quod conſtruant Templa, & Sacrificia faciant, ſed quòd hæc Idolis & Dæmonijs exhibeant*: ergo licitè, utiliterque poſſumus adeuntes Templa, nos ipſos aſpergere aquâ benedictâ, & dicere: *aſperges me Domine &c.* Juxta uſum, qui nobis ab Alexandro Pontifice creditur præſcriptus, vel ab Apoſtolis præſertim à D. Matthæo, ut exiſtimant nonnulli, qui dicunt D. Clementem lib. 5. Apoſtolic. conſtitut. cap. 33. de aqua benedicta mentionem facere. Et credunt ipſum Clementem hunc aquæ benedictæ uſum vidiſſe apud apoſtolos.

Rejicitur adverſariorũ argumentũ.

D. Auguſt.

Lolardi objiciunt contra articulum noſtrum ratione, dicunt enim quod aqua non poteſt effici melior per humanam actionem, ſeu per benedictionem Sacerdotis, eſtque neceſſè quòd maneat in natura & virtute, in quâ Deus creavit eam: ergo nequit effici melior, nec ad ſalutem efficacior per benedictionem, aut orationem ſuper eam factam, cùm per hanc benedictionem nullam mutationem, nullamque virtutem recipiat.

Reſpondeo, aquam non fieri meliorem in ratione aquæ per benedictionem, nec quoad ſubſtantialia, ità ut mutetur per benedictionem & tranſeat in ſubſtantiam meliorem: influxus enim benedictionis in aquam, aut rem aliam, non eſt Phyſicus. Sed dico quòd ex benedictione & oratione acquiritur illi aliqua virtus moralis, quæ non eſt à benedicente aut orante, ità ut aqua hanc virtutem accipiat à Sacerdote. Sed à Deo ad repellendas Dæmonum tentationes, morboſque curandos, qua quidem virtute aqua efficitur melior inſtrumentaliter, & in ordine eorum, quæ ad ſalutem animæ, & ſanitatem corporis ſpectant licet non efficiatur melior ſecundum ſubſtantiam ac naturam, ut patet de rebus conſecratis, ut V. G. de vaſibus Altaris, quæ quamvis per conſecrationem non mutentur, tamen deſtinantur ad uſum, ad quem antea non erant deſtinata. Quòd eſt habere aliquam virtutem, quam ante conſecrationem non habebant.

Reſponſio ad rationem Lolardi

Vel reſpondeo cum noſtro Alphonſo à Caſtro loco citato, abſolutè aquam fieri meliorem per benedictiones; idque probat exemplo. Nam (Inquit) Deus creat quotidiè novas animas, quæ & ſi bonæ ſint per naturam, non tamen eas bonas creat in gratia; alioquin nullum eſſet in aliqua earum peccatum Originale, dùm primò creata corpori adhæret; tamen poſtmodum per bonorum operum exercitium proficiunt in moribus, in quibus à Deo creatæ non fuerunt. Quod ſi nullo pacto meliores effici poſſent quàm Deus eas per naturam condiderit, fruſtrà docentur, fruſtrà illis bonitas perſuadetur, fruſtrà illis prædicatur. Accedit ad hæc quod culpandæ non eſſent, ſi meliores non fierent, quia hoc eis impoſſibile eſſet, & ità totus illorum defectus in Deum rejiciendus eſſet, qui illas meliores non creaverit. Quæ omnia abſurdiſſima ſunt, ac impietate plena, ità idem Doctor. Ex cujus reſponſione infero contra Lolardos, alioſque Hæreticos benedictiones impugnantẽs, aquam effici meliorem per benedictionem: ſanctificatur enim omnis creatura per verbum Dei, ut monet Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 4. verſ. 5. Nec poſſunt hæretici hanc virtutem ab aqua benedicta removere, quia inquit idem Apoſtolus, verſ. 4. omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. In benedictione aquæ proferuntur verba præſcripta ab Eccleſia divinitùs inſpirata, quæ hanc creaturam, nimirum aquam ſanctificant.

Altera ad eamdem rationem reſponſio.

ARTICULUS XLVI.

Approbat contra Vualdenſes, inſtitutionem Exorciſmi.

Hæretici, qui in præcedenti articulo negant benedictiones, negant etiam Exorciſmum; ſed præter ſupra nominatos, ſunt alij ſcilicet Vualdenſes qui negant expreſſè Exorciſmum. Nec miror, nulla enim re utitur Eccleſia, quam Vualdenſes, Vuicleffitæ, Lolardi, & alij, ſi poſſent, non deſtruerent, ut hanc piam Matrem desererent omnes Catholici. Nam dicendo, benedictiones aquarum, candelarum, palmarum, rerumque ſimilium eſſe irridendas, & Exor-

Vualdenſes Vuicleffitæ.

ciſmos eſſe tollendos & rejiciendos ab Eccleſia, intendunt ſuadere fidelibus, Eccleſiam noſtram, nullam in inimicos noſtros habere poteſtatem, ut inde *Concilium Moguntin.* concludant, Eccleſiam Romanam non eſſe veram Eccleſiam Chriſti.

Hanc Vualdenſium, & aliorum hæreſim damnant plurima Concilia. Moguntinum IV. cap. 39. decla- *Tridentinum.* rat quòd diaboli exorciſmô fugantur, & alij inimici à nobis fugiunt. Deindè Concilia declarant, & præſertim Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 2. nullum eſſe exorciſtam ſine ordinarione, acproindè exorciſmum eſſe laudandum & in Eccleſia Chriſti conſervandum, ut exorciſentur omnia, quæ ad cultum divioum ſanctificanda ſunt, ut in illis diabolus nullam partem habeat. Ratio D. Thomæ eſt, quia propter peccatum hominis, diabolos accepit poteſtatem in ipſum hominem, & in omnia, quæ in uſum hominis veniunt, ut ipſi noceant: at quia nulla eſt conventio Chriſti ad Belial, neceſſe eſt prius benedicere, & exorciſare id, quod ad cultum divinum ſanctificandum eſt, ut liberatum à poteſtate diaboli, Deo conſecretur, & *Theophilatus.* mundetur. Quapropter Theophilatus exponens illud Apoſtoli Pauli ad Timoth cap. 4. *Bona eſt omnis creatura*, ait: ut immundum mundetur: *Habes quam poſſ s adhibere medelam, cruce ſigna, laudem Deo, & gratias redde, ſic immunditia omnis, & fœditas dilabetur.*

§. I.

In quo probatur Exorciſmi Sanctitas.

UT conſtet Exorciſmum eſſe neceſſarium in Eccleſia Dei, ſciendum eſt quòd Exorciſmus eſt nomen Græcum ſignificans idem, quod ſignificat adjuratio. Et quod propriè loquendo, Exorciſmus eſt illa invocatio nominis Dei, quæ juxta formam Ritualis Romani fit ſuper Ænergumenos, ſeu eos, qui habent ſpiritum immundum, eum adjurando per virtutem divinam, ut ab eis egrediatur, ut olim fecit Chriſtus Dominus, juxtà illud Marc. cap. 5. verſ. 8. *exi ſpiritus immunde ab homine*; ſed hæc invocatio nominis Dei, & Jeſu Chriſti, aut adjuratio ut Dæmon egrediatur, aut ejiciatur de corpore in quo introivit, non poteſt negari, nec improbari; ut res *Marc. 5.* profana & mala, neque ut res ſuperflua, aut inutilis; cùm certum ſit, dæmones interdùm humana ſubire, & torquere corpora. Nam Evangeliſtæ teſtantur quòd Chriſtus Jeſus ejecit dæmonia. Et Luc. II. *Luc. 1.* legitur quòd poſtquam Chriſtus ejecit dæmonium mutum, & locutus eſt mutus, Scribæ & Phariſæi invidia ducti, dixerunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Ex illo textu plura ſequuntur, primò quòd dæmon interdùm intrat in corpus humanum. Secundò quòd Phariſæi ſupponebant dari Dæmoniacos, quinimò ſciebant ipſum, qui curatus fuerat, fuiſſe dæmoniacum. Tertiò quòd Chriſtus non reprehendit ipſos, ſed ſolum oſtendit non in tali virtute, ſeu in principe dæmoniorum ſe ejicere dæmonia, ſed in digito Dei, ſe hæc omnia operari, & ejicere dæmonia: ergo neceſſe eſt admittere Exorciſmum, tamquam rem Sanctam hominibus valdè utilem, quâ Exorciſta habet, virtutem adjurandi, aut invocandi nomen Dei, ut dæmones ab Ænergumenis egrediantur; alioquin Chriſtus homines reliquiſſet abſque ulla poteſtate adverſus dæmones, & tenebras exteriores, nec nota feciſſet Apoſtolis omnia quæ didicerat à patre ſuo. Quòd eſt falſum; cùm conſtet Chriſtum dixiſſe Apoſtolis: *Quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis* *Joan. 15.* Joan. 15. verſ. 15. Et ſoli Petro: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quòd ut notat Sanctus Epiphanius ocdum ad Hæreticos, quibus infernus utitur ut noceat Eccleſiæ, dirigendum eſt, ſed etiam ad ipſos dæmones, qui licet ſemper tentent nocere fidelibus, numquam tamen eos vincunt, ſi invocetur nomen Domini, quia juxtà Apoſtolum ad Philip. cap. 2. in nomine Jeſu omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, qui dedit illi poteſtatem ſuper omnem creaturam.

Præterea ipſe Chriſtus non unum, ſed plures dæmones plerumque ejecit ab humanis corporibus, ut *Luc. 8.* probat illa inſignis ejectio legionis Dæmoniorum, quæ unum hominem poſſederat, de qua loquitur Lucas cap. 8. verſ. 33. *Exierunt ergo Dæmonia ab homine qui ſanatus fuit*, ut affirmat idem Evangeliſta verſ. 35. *Et invenerunt hominem ſedentem à quo dæmonia exierant, veſtitum ac ſana mente ad pedes ejus, & timuerunt, nuntiaverunt autem illis, & qui viderant quomodo ſanus factus eſſet a legione.* Quòd ſane Scriptura Sacra non aſſereret, id eſt, non affirmaret, dæmones fuiſſe ab humanis corporibus ejectos, pulſoſque, niſi revera intus, ſeu intra corpus humanum extitiſſent. Hæc autem poteſtas ejiciendi dæmonia, data fuit Apoſtolis, & in perſona Apoſtolorum, Eccleſiæ Miniſtris, ut probant varij Sacræ Scripturæ textus. Legimus enim *Luc. 10.* Luc. 10 quòd Diſcipuli redeuntes de prædicatione, quam illis præceperat Chriſtus, dixerunt illi: *Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*, Chriſtus verò eis reſpondit verſ. 18. 19. & 20. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem, ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſe pentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur, gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis* Quibus conſtat poteſtatem ejiciendi dæmonia, Apoſtolis fuiſſe conceſſam à Chriſto, quippecum ſint illi, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, & quibus Chriſtus dixit: *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, tenendum eſt, ipſos habuiſſe poteſtatem exorciſandi, & ejiciendi dæmonia.

Hoc confirmat factum Apoſtolorum. Legimus enim Act. cap. 19. quòd cum Apoſtoli ejeciſſent dæmonia, tentaverunt quidam de circumeuntibus Ju- dæis exorciſtis invocare ſuper eos, qui habebant ſpi- *Act. 19.* ritus malos, nomen Domini Jeſu, dicentes: *adjuro vos per Jeſum quem Paulus prædicat*, ſed ipſis reſpondens Spiritus nequam, ait eis: *Jeſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* ex quo ſequitur Apoſtolos nedùm habuiſſe poteſtatem ejiciendi dæmonia, quam Judæi non habebant, ſed etiam de facto ejeciſſe eos. Sed authoritas Apoſtolorum tranſmiſſa fuit ad Miniſtros Eccleſiæ Chriſti, ſicut poteſtas conſecrandi, ordinandi, à peccatis abſolvendi &c. Ergo in Eccleſia admittendus eſt Exorciſmus, ſeu poteſtas ejiciendi dæmonia à corporibus hominum.

Undè Tertullianus ad Scapulam cap. 2. inquit: *Dæmones non tantùm reſpuimus, verùm & revincimus, & quotidiè traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut pluri- Tertullian.* *mis notum eſt.* Et D. Cyprianus, Epiſt. ad Dæmetrianum Africæ Proconſulem, ità de dæmonibus à ſe, & alijs Exorciſtis depulſis loquitur: *O! ſi audire eos velles, & videre quando a nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes, & gementes voce humana, & divina poteſtate, flagella, & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur &c.* Habent igitur Sacerdotes novi Teſtamenti poteſtatem Exorciſandi, aut ejiciendi dæmones de corpore humano, invocando nomen Dei, & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti pro quo legatione funguntur, & cujus oves paſcunt,

regunt, & cuſtodiunt. Nedùm verbo, doctrinâ, & exemplo; ſed etiam poteſtate, quam Paſtores habent contra lupos, inter quos numeratur diabolus, contrà cujus inſidias proviſum fuit à Chriſto Domino per poteſtatem ejiciendi dæmonia, quam reliquit Eccleſiæ ſuæ. Exercitium autem hujus poteſtatis per Exorciſmum adimpletur.

§ II.

In quo ſolvitur Uvaldenſium Ratio.

PRæcitati Hæterici articulum noſtrum impugnant ex Exorciſmi inutilitate: dicunt enim, dæmonem non poſſe intrare in corpus humanum, nonobſtante infallibili, veriſſimoque Evangelij teſtimonio. Quia duo ſpiritus nequeunt eumdem locum definitivum occupare, acproindè dæmonem (qui eſt ſpiritus) non poſſe occupare corpus humanum, totum occupatum ab anima, quæ eſt etiam ſpiritus.

Ratio Hæreticorum.

Sed non nocet veritati hæc Hæreticorum ratio, quia licet duo ſpiritus nequeant corpus humanum occupare ſecundum eumdem exiſtendi modum, poſſunt tamen occupare illud ſecundum diverſum, ut patet: Ideoque dæmon poteſt eſſe in corpore humano, in quo eſt anima; cùm habeant diverſos exiſtendi modos anima & dæmon in homine exiſtentes, nam anima non eſt in illo ut res locata eſt in loco, ſed velut forma ipſum corpus informans, & vivificans, hoc eſt, ut vegetet, vivat, & ſentiat. Dæmon verò eſt in ipſo corpore, ut motor aſſiſtens, illudque movens localiter, atque vexans; ideoque anima rationalis, & dæmon poſſunt eſſe ſimul in eodem corpore propter diverſos exiſtendi modos. Anima, & corpus faciunt unum per ſe. Dæmon vero, & corpus nullam unitatem faciunt.

Diverſos exiſtendi modos habent anima, & dæmon.

Hoc confirmari poteſt experientia Ænergumenorum, videmus enim ſæpè puellas ruſticas, & ignaras linguam maternam vix habentes, loqui Latinâ, Græcâ, & Hebraïcâ linguâ, pangere carmina, devinare, & ſecreta aliqua detegere; ſed hoc non poſſunt præſtare niſi aliqua ſuperiori, & incorporea ſubſtantia in ipſis exiſtente moveantur, quæ quidem ſubſtantia incorporea nulla alia eſſe poteſt, quàm malus Angelus; qui cùm non ſit compars animæ, nec ſit pars hominis, ſeu humani compoſiti, nequit eſſe in corpore eodem modo, quo in ipſo eſt anima: ergo nedùm dæmon & anima poſſunt eſſe in eodem corpore ſecundum modum jam explicatum, ſed etiam neceſſe eſt quod in Eccleſia Chriſti ſit poteſtas ejiciendi illum de corpore humano.

ARTICULUS XLVII.

Quo contra quemdam Hæreticum nomine Hilarium, approbatur cantus.

ANno Domini CCCC. ſub Theodoſij, & Arcadij Imperio, & Pontificatu Siricij Papæ, quidam vir Hæreticus, nomine Hilarius, de quo loquitur D. Auguſtinus lib. 11. retractationum cap. 11. blaſphemabat Cantores, & improbabat cantum in Eccleſia, reputabat enim ridiculum, & contra mentem Evangelij eſſe, in lege nova loqui Deo alta voce, & cum clamore. Plures inferunt hunc virum Hæreticum fuiſſe Sectâ Arianom, quia Ariani cantibus ſacris detrahebant, nè in illis audirent Chriſti laudes, quas ipſi vehementèr cupiebant deprimere, ex eo quod credebant Verbum non eſſe Deum verum de Deo vero, nec lumen de lumine, ſed puram creaturam. Sed non valet hæc illatio, ſcilicet Hilarium fuiſſe Arianum, quippe Ariani non prohibebant, in Eccleſia cantare laudes Dei, ſed quia laudabatur Chriſtus, quem credebant puram creaturam, & ideo blaſphemabant eos, qui gloriam Filij decantabant, ſicut gloriam Patris: Hilarius verò improbabat abſolutè cantum ob rationem jam allatam, & ideo non valet inferre, prædictum Hilarium fuiſſe Arianum, nec Ariani fuiſſe authores erroris hîc impugnandi.

Hilarius.

Hilarius non fuit Arianus.

Hunc errorem ſuſcitarunt Uvaldenſes anno MCLX. tunc enim dixerunt fruſtrà tempus teri in cantibus Eccleſiaſticis; cùm Deus intueatur cor, poſſitque nos exaudire, ſi velit; quin loquamur, & nobis neceſſaria concedere; quin ea petamus ore, & voce, ſed ſolùm corde & deſiderio, quod Deus intuetur.

Uvaldenſes.

Illos poſtmodum ſecutus eſt Vuicleffus, natione Anglus, de quo jam ſæpe locuti ſumus, qui adeò cantibus Eccleſiaſticis detraxit, ut cantantes in Eccleſia vocaverit Sacerdotes Baal, quibus voce magna clamantibus, & cum clamore orantibus Elias Propheta dixit, 3 Reg. cap. 8. verſ. 27. *Clamate voce majore, Deus enim eſt, & forſitàn loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit ut excitetur*, ex quo textu Joannes Vuicleffus vult, Sacerdotes, qui in Eccleſia canunt, & divinum Officium alta voce recitant, eſſe Sacerdotes Baal, quia clamant ac ſi Deus dormiens eos non exaudiret, & eorum vocibus eſſet excitandus.

Vuicleffiſta.

§ I.

De Authoritatibus, & Rationibus cantum approbantibus.

COncilium Agathenſe celebratum anno Domini DVI ſub Simmaco Papa per triginta quinque Epiſcopos Provinciæ Narbonenſis tam primæ, quàm ſecundæ, declarat, cantum eſſe in Eccleſia licitum, & conveniens. Ait enim cap. 30. ſuorum Decretorum: *Et quia convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualitèr cuſtodiri, ſtudendum eſt, ut ubique (ſicut fit) ut poſt Antiphonas, collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dici, & Hymnos Matutinos vel Veſpertinos decantari diebus omnibus, & in concluſione Matutinarum vel Veſpertinarum Miſſarum poſt Hymnos, capitella de Pſalmis dici, & plebem collecta oratione ad Veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimitti.* Quibus verbis præcipitur ut Hymni omnibus diebus decantentur. Et damnatur error eorum, qui improbant cantum Eccleſiaſticom, muſicam, & omnia inſtrumenta muſicæ, quæ in majoribus ſolemnitatibus inſerviunt Cantoribus. Sunt varij in Jure Canonico textus, qui cantum Eccleſiaſticum approbant, ſed eos omitto, ut apponam alia concilia.

Concilium Agathenſe.

Illud Decretum Agathenſe poſteà confirmatum fuit in Concilio Tolerano IV. anno DXCIX. ſub Gregorio I. etiam Provinciali, in quo plura ſtatuta fuere capita ritui Eccleſiæ convenientia. In cap. 12. legitur. *De Hymnis canendis, & Salvatoris, & Apoſtolorum habemus exemplum, nam & ipſe Dominus Hymnum dixiſſe perhibetur, Matthæo Evangeliſta teſtante. Et Hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Et Paulus Apoſtolus ad Epheſios ſcribens ait: implemini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus &c.*

Toletanum IV.

Concilium Senonenſe celebratum ſub Clemente VII. anno MDXXVIII. in Decreto morum cap. 17. ait, quòd cantus muſicus, modeſtus, & devotus poteſt fieri in Eccleſia. Nullus eſt igitur qui poſſit citra hæreſim improbare cantum. Sunt alia quamplurima Concilia tam nationalia, quàm provincialia, quæ

bus laudatur, ſuadetur & extollitur cantus Eccleſiaſticus: quamvis non præcipiatur. Sed ea omitto. Tum brevitatis gratia cui ſtudemus. Tum quia hæreſis, quàm hic impugnamus, parvi eſt momenti, ut ex dicendis patebit.

Orare alta voce, & cantare in Eccleſia Pſalmos, Antiphonas, Hymnos, & orationes, movet audientes ad bonum ſupernaturale optandum, & excitat cor ad amandum Deum, ut aſſerit D. Iſydorus. Nam cantantibus organis Cæcilia Domino decantabat, dicens: *Fiat cor meum immaculatum ut non confundar*, ut in ipſius officio refertur. Excitat etiam audientes ad compunctionem cordis, & ad effundendas lacrymas, ut teſtatur D. Auguſtinus lib. 9. confeſſionum cap. 6. & 7. ubi ait: *Quantum flevi in Hymnis, & Canticis tuis,*
D. Auguſt. *ſuave ſonantis Eccleſia tua vocibus commotus acritèr, voces illa influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacryma, & benè mihi erat cum eis, non longè caperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare magno ſtudio Fratrum Concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius cum Juſtina Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſua cauſa quâ fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo. Ibi Mater mea, ancilla tua, ſollicitudinis, & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat; nos adhuc frigidi à calore ſpiritus tui excitabamur, tamén civitate attonita, atque turbata; tunc Hymni & Pſalmi ut canerentur ſecundum morem Orientalium partium, nè populus mœroris tadio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus gregibus tuis, & per catera orbis imitantibus.*

Cantus inſuper incitat audientes ad laudem Dei, ut teſtatur David Pſal. 33. *Benedicam Dominum in om-*
Dan. 33. *ni tempore ſemper laus ejus in ore meo, in Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & latentur, magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum:* Igitur cantus debet eſſe licitus in Eccleſia, atque laudandus; cùm bonum ſit, Deoque gratum, peccatores ad compunctionem, lacrymarum effuſionem movere; & omnes ad laudem Dei excitare. Undè Pſalmiſta, Pſal. 32. inquit: *Cantate ei canticum novum*
Pſal. 32. *bene pſallite in vociferatione.* Et tres pueri quaſi uno ore laudabant, glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: Dan. 3. verſ. 52. *Benedictus es Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſacula.*

Hæc ipſa veritas ſuadetur ex novo Teſtamento. Scimus enim quòd Chriſto nato facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentium, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis*, Luc. 2. verſ. 13.

Nec valet dicere quòd multitudò illa, voce ſubmiſſa laudabat Deum. Quia valdè difficile eſt, multitudinem laudare Deum ſine clamore, & præſertim dum ad hoc excitatur ſanctiſſimo, fauſtiſſimoque adventu Regis & Redemptoris diù deſiderati, quó de facto excitata ſuit tunc multitudo illa, de qua loquitur Lucas. Incredibile eſt etiam, Angelum Dei tantum annuntiaſſe myſterium omni populo voce ſubmiſſa. Quare Chriſto intrante Jeroſolymam, omnes turbæ Diſcipulorum ità cæperunt præ gaudij multitudine laudare Deum voce magna, & dicere: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ut quidam Phariſæorum de turba dixerint ad illum: *Magiſter increpa Diſcipulos tuos*: ergo clamabant, & cantabant laudem Dei, hocque gratum erat Chriſto, ut probat hæc reſponſio à Chriſto data Phariſæis, *dico vobis quod ſi tacuerint, lapides clamabunt.*

Si Hæretici velint per hanc reſponſionem, Chriſtum non approbaſſe cantum, ſed ſolum oſtendiſſe in hac occaſione neceſſitatem loquendi, aut clamandi, confundendi ſunt exemplo, aut facto ipſiuſmet Chriſti, qui cum ſuis Diſcipulis cantare dignatus eſt: Inſtante enim morte ſua, poſt Cœnam ultimam, aut pridie quam pateretur, Hymno dicto cum ſuis Diſcipulis, exijt in montem Oliveti, ut teſtantur Evangeliſtæ. Hymnum autem dicere, eſt cantare, quia Hymnus eſt nomen Græcum, quod idem ſignificat ac Latinè Canticum, ſive laudem, quæ palam, altaque voce Deo tribuitur. Undè D. Auguſtinus in Pſal. 72. inquit: *Hymni, laudes Dei ſunt cum Cantico,* D. Auguſt.
Hymni cantus concinentes laudem Dei. Si ſit laus, & non eſt Dei, non eſt Hymnus: oportet ergo ut ſit Hymnus, ut habeat hac tria, & laudem & Dei, & Canticum.

Idem docet D. Iſidorus lib. 3. Ethimologiarum cap. D. Iſidorus
34. ubi ait: *Hymnus eſt Canticum laudantium Deum propriè. Aut Hymni ſunt concinentes laudem Dei. Quod ſi ſit laus, & non eſt Dei, non eſt Hymnus, ſi ſit & Dei & laus, & non canetur, non eſt Hymnus.* Quo evidentèr Epheſ. 5.
patet, Hymnum dicere, & cantare, eſſe unum & idem. Unde Apoſtolus ad Epheſ. cap. 5. verſ. 19. ait: *Loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Et ideo cùm conſtet, Chriſtum dixiſſe Hymnum, conſtat etiam quod cantavit: ergo nullus poteſt citrà hæreſim improbare cantum. Fideles poſſunt in Eccleſijs cantare, cum Apoſtolus dicat ipſis ad Epheſ. cap. 5. *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut Filij chariſſimi*: Atqui Chriſtus cujus Filij ſumos, cantavit: igitur cantus eſt licitus Chriſtianis in officijs recitandis in Eccleſia, præſentibus fidelibus.

Cantus antiquiſſimus eſt in Eccleſia Dei, nam Act.
16. verſ. 25. legitur: *Media nocte Paulus & Silas orantes, laudabant Deum, & audiebant eos qui erant in cuſtodia, ſubito vero terra motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris.* Igitur Apoſtoli cantabant, Act. 16.
quia alta voce laudare Deum (ut de facto fecerunt Paulus, & Silas, alioquin non audiſſent eos qui erant in cuſtodia) eſt cantare, ac proinde cantus non eſt novus in Eccleſia, ut ſomniant Hæretici, quos hîc impugnamus, ſed antiquiſſimus, & ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, ſcilicet ab Apoſtolis introductus & conſervatus uſque in hodiernum diem, cùm audiamus in omnibus Cathedralibus, Collegiatis, & Conventibus, Sacerdotes in choro cantantes, ut præſcribit Tridentinum ſeſſ. 24 cap 12. circà finem.

Idque confirmatur authoritate Philonis Judæi Coævi Apoſtolorum. Nam Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, natione Palæſtinus, qui obijt anno CCCXL. Euſebius Cæſarienſis.
inquit lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. *Illum*, id eſt, Philonem Judæum: *Hoc etiam de Chriſtianis narraſſe quod unus ex omnibus conſurgens in medio, Pſalmum honeſtis modulis concinebat, & pracinenti ei unum verſiculum omnis multitudo reſpondebat*: Socrates Conſtantinopolit. lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 9. ait: *Ignatius Antiochia Syria tertius ab Apoſtolo Petro Epiſcopus, unà cùm Apoſtolis aliquando converſatus, viſionem Angelorum reſponſorios Hym-* Socrates Conſtantinopolitanus.
nos Sanctam Triadem laudantium vidit, & modum viſionis Antiochena Eccleſia tradidit, unde & ad omnes Eccleſias iſta traditio promanavit, & hac eſt ratio Hymnorum reſponſoriorum. Et ſi altiùs aſcendere liceat dicam quod duo Seraphim, teſte Iſaia clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Ad quorum ſimilitudinem duo fiunt in Eccleſia Chori, qui alternatim cantant, & velut duo Seraphim, alter ad alterum clamant, benedicunt, & laudant Deum, & Sanctos invocant. Cantum non eſſe novum affirmat Iſidorus qui in lib. 1. de officijs cap. 6 ait: *In Hymnis & Pſal-* D. Iſidorus
mis canendis non ſolum Prophetarum, ſed etiam ipſius Domini & Apoſtolorum habemus exemplum.

Nec

Nec valet dicere, Apoſtolum ad Corinth. cap. 14. impugnare hanc doctrinam dicentem *: Orabo Spiritu, orabo & mente*, hoc eſt, ſine clamore, & cantu. Non valet, inquam, quia Apoſtolus hic ſuadet attentionem, & intentionem eſſe neceſſarias orantibus; certum enim eſt quòd recitans, aut cantans officium ſine attentione, non adimplet præceptum de horis Canonicis recitandis.

§. II.
De Reſponſionibus ad Hæreticos.

Ratio fundamentalis Hæreticorum eſt; quia Chriſtus Dominus, Matth. 6. prohibet orare cum clamore, & cantu, vultque omnes orare ſecretò. Ibi enim verſ. 6 & 7. ait: *tu autem cum oraveris intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt te in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multùm loqui ſicut Ethnici, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur*: ergo, inquiunt, nulli licet cantare, ſeu cum clamore, & alta voce orare, ut evidentèr demonſtrat hæc particula, *in abſcondito*. Quæ nedum docet hominem debere orare privatim, ſed etiam in ſilentio.

Reſpondeo, conſequentiam eſſe falſam, ibi enim Chriſtus non prohibuit orationem publicam, nec eam, quæ fit in cantu, & vociferatione, nec contradicit Prophetæ dicenti: *Cantate Domino canticum novum, Laudate in tympano & cithara, & organo*, ſed ſolùm prohibuit malam intentionem eorum, qui orant in publico eo animo, ut ab alijs videantur, & laudentur ab hominibus, ut probant hæc verba, quæ præcedunt, *Et cum oratis, non eritis ſicut Hypocritæ, qui amant in Sinagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus; amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*. His enim conſtat, Chriſtum per hæc verba non improbare opus, ſeu orationem publicam, & factam in cantu quantumvis ſolemni, ſed ſolùm hypocriſim, & malam intentionem cum qua orabant quidam Hypocritæ.

Solvitur prima Hæreticorum ratio

Idem demonſtrant hæc verba quæ immediatè ſequuntur: *nolite ergo aſſimilari eis*, id eſt, Hypocritis, *ſcit enim pater veſter quid opus ſit vobis antequam petatis eum*, quibus etiam ſuadetur, Chriſtum non prohibere orationem publicam, ſolemnem abſolutè & ſimplicitèr, ſed ſolùm nolle, nos orare ſicut Hypocritæ orabant, hoc eſt, ut videamur ab hominibus, ſed vult nos orare, ut videamur à Deo, qui cùm magis animum aſpiciat, quàm opus. Et intentionem quàm verba, & intentio poſſit eſſe bona, licet oratio ſit publica, & clamoroſa, non damnat cantum Eccleſiaſticum, ſed perverſam cantorum & orantium intentionem. Unde in eodem capite Matthæi verſ. 9 nobis præſcribit orandi formam, dicens: *ſic ergo vos orabitis, Pater noſter qui es in cælis &c.* Ibi enim nullum modum præſcribit, hoc eſt, an oratio debeat eſſe ſecreta, vel publica, an ſubmiſſa, vel alta voce fieri debeat, ſufficit quòd fiat bona intentione, & animo placendi Deo, nedum quia ad Deum ſolum, eſt dirigenda oratio noſtra, ſed etiã quia lucerna corporis noſtri, eſt oculus, ſeu intentio. Et ſi oculus noſter fuerit ſimplex, totum corpus noſtrum lucidum erit: Igitur Hæretici non valent ex illo textu D. Matthæi: *Tu autem cum oraveris, &c.* improbare orationem publicam, aut cantum, ſed ſolùm malam intentionem, quæ cum poſſit haberi in oratione ſecreta ſicut in publica, & clamoroſa, nos etiam poſſemus improbare orationem ſecretam, imo debemus improbare eam, ſi fiat cum mala intentione: ab ipſa enim pendet omne bonum, quoniam ſi fuerit recta, opus erit gratum Deo.

Confirmatio ejuſdem ſolutionis.

Ad illud de multiloquio quod improbat Chriſtus dicens: *orantes autem nolite multùm loqui*, dico quòd Chriſtus non improbat prolixitatem verborum in oratione ſimplicitèr, & abſolutè, ita ut non deceat Chriſtianos canere, ut oratio ſit brevis; ſed ſolùm ſecundum quid, hoc eſt, in ſenſu Ethnicorum, qui prolixè orabant, exiſtimantes quod in multiloquio dumtaxàt exaudiri poterant. Nam ſi Chriſtus prolixam verborum orationem improbaſſet, ut volunt Hæretici, certò ipſe prolixè, nec prolixiùs oraſſet in horto: cœpit enim facere ea, quæ docebat, & ideò ſi prohibuiſſet prolixiùs orare, prolixè non oraſſet: at prolixè oravit, & ideo non prohibet orationem noſtram quamvis ob cantum prolixam. Nos enim dum prolixè oramus, non credimus, Deum per multiloquium noſtrum magis flectendum, ſed ſolùm per majorem animi fervorem. Ideo bonum eſt nobis orare prolixè, imò orare continuò & ſine intermiſſione juxtà monitum Apoſtoli, modò oratio noſtra fiat in fide, fervore & charitate, quæ eſt vinculum perfectionis. Multum quippè valet deprecatio Juſti aſſidua inquit D. Jacobus in Epiſt. Cathol. cap. 5. verſ. 16. ubi etiam probat hujuſmodi orationis effectus dicens verſ. 17. *Elias erat homo ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, menſes ſex. Et rurſum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.*

Tandem objiciunt Hæretici, & probant, cantum eſſe illicitum ex illo 3. Reg. cap. 18. verſ. 27. ut jam monui ſupra, ubi legitur, Prophetam Eliam reprehendiſſe Prophetas Baal dicentem: *Clamate voce majore; Deus enim eſt, & forſitan loquitur; aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* Sane Elias Propheta non reprehendiſſet eos, nec illuſiſſet illis, ſi bonum eſſet orare Deum alta voce, ſeu cantando, quia hæc reprehenſio fuiſſet injuſta, & deriſio fuiſſet peccaminoſa, ſi Sacerdotibus Baal licuiſſet cantare, & clamare ad Dominum, ut exaudiret eos, ſicut volumus modò licere Chriſtianis.

Epiſt. Catol. 5.

Reſpondeo, Prophetam Eliam non reprehendiſſe Prophetas Baal, nec illuſiſſe illis quia clamabant aut cantabant, ſed quia putabant, Deum magis audire voces altiores, quàm ſubmiſſas, & orationem publicam, quàm privatam, & ideo ſic credentes orabant, clamando ut faciliùs voces eorum audiret Deus. Quòd cum ſit nedùm abſurdiſſimum, ſed etiam impiiſſimum, Propheta Elias eorum errorem deridens ait: *Clamate voce majore*, non animo reprehendendi clamorem, ſed errorem, quo credebant, Deum egere altis vocibus, ut audire valeat. Nos autem qui credimus, Deum non longè abeſſe ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus, credimus quòd audit gemitus cordis noſtri, & ideo non clamamus, nec canimus, ut audiat, nec ut faciliùs nos audiat. Nec ſumus ſimiles Prophetis Baal, ſed canimus in Eccleſia, & magna voce clamamus, ut corda audientium excitemus ad amorem Dei, & corda noſtra ad compunctionem atque dolorem peccatorum, & ideo Hylariani, & Uvaldenſes non debent nos reprehendere, nec dicere nos Prophetis Baal ſimiles, quia dum cantamus in Eccleſia, Apoſtolos imitamur, nec in hoc malè agimus, quamvis non ſit neceſſe clamare, ut Deus exaudiat nos: nam Chriſtus circà horam nonam clamavit voce magna dicens: *Eli, Eli, lammaſabactani*, hoc eſt, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me?* Clamavit etiam dum Lazarum ſuſcitare voluit, & alta voce dixit: *Lazare veni foras.* Sciebat tamen quod Deus Pater non egebat voce magna ut audiri poſſet, ut fatetur ipſemet Chriſtus Joannes 11. verſ. 41. *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me: ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat, dixi,*

Reſpõdetur ad ultimam Hæreticorũ rationem.

Joannes 11.

ut credant, quia tu me miſiſti; per hæc quidem verba conſtat, Chriſtum fateri quod poterat audiri etiam ſi locutus fuiſſet voce ſubmiſſa, acproindè conſtat etiam (quidqoid dicant Hæretici) quòd licet Sacerdotibus & Clericis tam Regularibus, quàm Secularibus orare alta voce, & cantare in Eccleſia divina officia, Miſſas, Litanias, & alias præces, ut populus, qui eos audit oret Deum, & ad ipſius amorem excitetur.

ARTICULUS XLVIII.

Laudat contrà Mahometanos, inſtitutionem Feſtorum.

NEdùm invocationem, atque Communionem Sanctorum negarunt plures Hæretici, ſed etiam celebritatem, aut inſtitutionem Feſtorum in laudem, gloriam, & honorem Sanctorum, quorum Feſtum in terris colimus, ut pro nobis intercedant ad Dominum cum quo regnant in Cœlis. Horum Hæreticorum primus, fuit Mahometes Pſeudopropheta; natione Arabs, profeſſione mercator viliſſimus, prænuntius Satanæ, & Præcurſor Antichriſti, de quo locuti ſumus in primo libro, qui circà annum Domini DCXXX. vivente Heraclio Imperatore, & *Mahometus* Eccleſiam Dei regente Honorio I. plures in perniciem animarum horrendos in Aſia diſſeminavit errores, inter quos unus, Feſta omnia abrogat, & diem Dominicam in diem Veneris commutat.

Huic errori poſteà ſcilicet anno MCLX. ſub Fri- *Uvaldenſes* derico I. Imperatore, & Alexandro III. Papa obnixè adhæſerunt Pauperes de Lugduno, aut Uvaldenſes ab authore Uvaldu mercatore Lugdunenſi, qui omnium Sanctorum Feſta ab Eccleſia auferre conabatur. Eorum ratio erat alter error (pejor priore, videlicet ille cui pertinaci animo in ultimo ſæculo adhæſerunt in Gallia quidam viri Hæretici) ſcilicet ille, quo Calviniſtæ aſſerunt, Sanctos non eſſe ab hominibus invocandos, nec honorandos. Hac ratione ipſa (quamvis impiiſſima, & auditu indigna) omnes Hæretici, qui Sanctos colere noluerunt, negant, licitum aut bonum eſſe, vel ſalutare Sanctorum Feſta inſtituere. Undè cum in proprio articulo de invocatione Sanctorum videri poſſint, hîc eos omitto, ut citius adducam eos, qui negarunt Eccleſiam Chriſti habere poteſtatem inſtituendi dies Feſtos. Quo- *Calvinus.* rum præcipuus in ultimis ſæculis, ut jam monui, fuit Joannes Calvinus, qui in anno MDLXVII. tempore Caroli V. Imperatoris, & Pauli III. Pontificis Romanorum, plures impietates docuit, & prædicavit, ut omibus manifeſtum eſt, & præſertim Gallis, quorum plures pro ruenda Chriſti fide multa tormenta paſſi ſunt, & pervenerunt ad palmam Martyrij Calviniſtarum rabie.

Calvino viro Hæretico circà debitum honorem *Lucas Stemberge.* Sanctis reddendum, errandi dedit occaſionem Lucas Stemberger, ſectâ Lutheranus, qui anno Domini MDLXI. ſub Ferdinando Imperatore, & Pio IV. Summo Pontifice contra inſtitutionem Feſtorum publicè prædicabat, temerariè aſſerendo, Dies Feſtos fuiſſe à nonnullis Summis Pontificibus, renuentibus fidelibus inſtitutos contra conſtitutiones Apoſtolicas, & mentem Chriſti Domini, qui nullibi commendavit dies Feſtos, excepto die Dominica.

§. I.

Laudat Feſtorum cel

ARticuli veritas patet ex lib. 5. conſtitut. Apoſtolicarum cap. 12. ubi præcipitur, dies Feſtos eſſe celebrandos in Eccleſia, ex hoc quidem præcepto conſtat, Eccleſiam Chriſti habere poteſtatem, dies Feſtos inſtituendi in honorem Sanctorum, & ſalutem animarum. Conſtat etiam hanc poteſtatem fuiſſe à Chriſto his verbis: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis*, Petro dictis, conceſſam, quidquid dixerint Hæretici, ſed etiam conſtat, ipſam Eccleſiam de facto eos inſtituiſſe tempore Apoſtolorum. Quapropter Concilium Aurelianenſe primum, celebratum ſub Simmacho Papa à triginta tribus Epiſcopis, circà annum DXII. declarat, aliquos dies Feſtos eſſe celebrandos, nam cap. 29. ait: *Rogationes, id eſt, Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ità ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominica Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur; poſt quod triduum Servi, & Ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat, quo triduo omnes abſtineant. Et quadrageſimalibus cibis abſtineant.* His quidem conſtat, nonnullos dies Feſtos fuiſſe inſtitutos ab Eccleſia diù ante ortum Hæreticorum, qui eos impugnant.

Hæc Feſtorum inſtitutio eſt antiquior hoc Concilio, ut colligitur ex can. *pronunciandum*, de conſecrat. diſt. 3. ubi legitur: *Pronunciandum eſt Laicis, ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt; omnem Dominicam à Veſpera uſque ad Veſperam, nè Judaiſmo capiantur. Feriandi verò per annum iſti ſunt: dies natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, Sancti Silveſtri &c.* *Diſt. 3 de conſecrat.* Nullus tamen huic Sanctæ inſtitutioni contradixit; licet tunc plures eſſent Hæretici, qui Fidei noſtræ Myſteria impugnabant: ſunt igitur Calviniſtæ nequiores Hæreticis antiquioribus, qui celebritates Feſtorum approbabant, eoſque meritò celebrabant. Nam ſicut in veteri Lege Deus nedum Sabbatum, ſed etiam alia Feſta celebrari præcepit, ſic etiam in nova, præter diem Dominicam ex traditione Apoſtolica obſervandam, plures alij dies Feſti in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum inſtituti ſunt ab Eccleſia juxtà poteſtatem ſibi à Deo traditam, ut fideles memoriam Sanctorum religioſa ſolemnitate celebrando, excitentur ad eorum imitationem, & ut meritis Sanctorum conſocientur, atque orationibus adjuventur; non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam à nobis, ut notat Apoſtolos, ſed ſufficientia noſtra eſt ex Deo, qui nobis plura confert beneficia per merita Sanctorum, ut ſuprà in articulo de eorum invocatione dictum eſt.

Undè inquit D. Bernardus in vigilia Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli: *In feſtivitate Sanctorum tria ſunt accurate conſideranda, ſcilicet auxilium Sancti, exemplum ejus, & confuſio noſtra.* Auxilium, quia, *Potens in terra, potentior in cælis*, exemplum quia, *Quamdiu in terris viſus eſt, non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed viam Regiam tenuit dum veniret ad illum, qui dicit: ego ſum via, veritas, & vita.* *D. Bernard.* Confuſio noſtra, quia: *oderimus ea, quæ illi amarunt.* Cum autem bonum ſit auxilium Sanctorum habere, exemplum eorum imitari, & confuſionem noſtram operire, dies Feſtos inſtituere neceſſè fuit, ut populus Chriſtianus in aliquibus diebus ſpeciali cultu invocet Sanctos, qui in cælis regnant, ut eorum veſtigia ſequa-

tur, & ut videant mortales (quorum vita eſt militia ſuper terram) divinâ juvante gratiâ, poſſe ad æternam fœlicitatem pervenire; cùm ex eodem luto, ex quo Deus formavit illos Sanctos, formaverit nos, nullaque ſit apud Deum acceptio perſonarum, ut affirmat Apoſtolus ad Rom. cap. 3. verſ. ult. Et omnes habeamus auxilia neceſſaria ad ſalutem conſequendam, quæ illi habuerunt, & cum quibus ad regna cœleſtia pervenerunt.

Inſtitutionem feſtorum injuſtè impugnant Hæretici. Nam Mardochœus, & Eſther, feſtum ab univerſa Sinagoga receptum, inſtituerunt, ut habetur cap. 8. verſ. 17. *Apud omnes populos, urbes, atque provincias, quocumque regis juſſa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque convivia, & feſtus dies: in tantum ut plures* *Eſther. 8.* *alterius gentis, & ſectæ, eorum religioni & ceremonijs jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaſerat.* Macbabæi ſimiliter 1. cap. 4. feſtum Encæniarum inſtituerant, ibi enim verſ. 59. legitur; *Et ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, a quinta & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitiâ & gaudio*: Ergo ſi Sinagoga, quæ erat figura Eccleſiæ Chriſtianæ, habuit poteſtatem inſtituendi dies feſtos, nullus poteſt citra hæreſim, & injuſtitiam denegare eam Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt Sinagogâ longè perfectior, cujus Miniſtri habent poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Unde Summus Pontifex, & Concilium generale poſſunt dies feſtos inſtituere in tota Eccleſia, & Epiſcopi verè in ſuis Diœceſibus.

Nec valet dicere; ritum celebrandi dies feſtos, eſſe novum. Eſt enim in Eccleſia antiquiſſimus uſus inſtituendi dies feſtos in venerationem, & honorem Sanctorum. Nam juxta Euſeb. lib. 4. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 14. Eccleſia Smirnæ, ineunte ſecundo ſæculo, celebrabat feſtum Sancti Polycarpi. Et aliæ Eccleſiæ alios Sanctos celebrabant, ut conſtat ex varijs hiſtorijs Eccleſiaſticis. Nec eſt uſus purè humanus, ſeu ſola humana mente inventus, ut volunt Hæretici, quippè Joan. 7. verſ. 10. legitur; *ut autem aſcenderent fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Et cap. 12. verſ. 20. *erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto*: igitur Chriſtus non improbat dies fe- *Joannes 7.* ſtos Judæorum, & Sinagogæ, nec prohibuit eos. Imo eos potiùs ſuâ præſentiâ approbavit; alioquin non aſcendiſſet ad diem feſtum, nec manifeſtè, nec in occulto, ac proindè non ab hominibus ſolùm procedit authoritas inſtituendi dies feſtos, ut facilè & clarè colligitur ex varijs textibus veteris teſtamenti, quos hîc referre mihi ſuperfluum videtur.

§ II.

De Hæreticorum Rationibus.

Hæretici referunt authoritatem Apoſtoli. INſtitutionem feſtorum improbant Hæretici ex illo ad Galat. cap. 4. verſ. 9. & 10. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imò cogniti ſitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis? dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.* Inde enim concludunt, Apoſtolum prohibere Galatis, dierum celebrationem, & ſanctificationem. Et velle nullum poſſe converti ad Sanctos, ſed ſolùm ad Deum, qui eſt Rex immortalis, & inviſibilis, cui ſoli debetur honor.

Explicatur Apoſtolus ad Galatas. 7. Reſpondeo cum D. Auguſtino Tom. 2. Epiſt. 119. ad Januarium cap. 7. Apoſtolum ibi prohibere Galatis Aſtrologiam judiciariam, & obſervationem dierum Gentilium, ſeu dierum fauſtorum, vel infauſtorum, quos ipſi Gentiles accuratè obſervabant; non autem dies feſtos Chriſtianorum, quos Eccleſia inſtituit, ut Sanctorum veſtigia imitemur, Deumque in certis diebus laudemus in Sanctis ſuis. Nam ſi Apoſtolus per hunc textum abſolutè prohibuiſſet Galatis celebrationem feſtorum, prohibuiſſet etiam diem Dominicam, quam ipſi Hæretici obſervant. Quoniam ex proprijs verbis Apoſtoli nulla excluditur dies; cùm *Altera reſponſio.* reprehenderet Galatas ex obſervatione dierum, menſium, temporum & annorum, ſed non reprehendit eos de obſervatione Dominicæ, ut fatentur Hæretici; ergo nec de obſervatione aliorum feſtorum celebrandorum. Ità reſpondent plures recentiores Controverſiſtæ contra Calviniſtas, qui hac ipſa authoritate utuntur contra Eccleſiam Romanam.

Reſpondeo iterum quòd ibi Paulus non loquitur de celebratione feſtorum, ſed de Sacramentis, & cæremoniis legis Moyſi, quæ ab eodem Apoſtolo vocantur infirma & egena elementa, quia figurabant Sacramenta, quæ Chriſtus inſtituit, quæque fidelibus confert Eccleſia Catholica, ut juſtificentur. Hæretici probant, Eccleſiam non poſſe inſtituere dies feſtos. Quia, (inquiunt) Sancti non ſunt honorandi, nec invocandi. Sed quia hæc ratio eſt Hæretica, & impia, ut alibi probatum manet, ad proprium locum de invocatione Sanctorum remitto Lectorem, ut hujus objectionis ſolutionem videat. Et ut ex neceſſitate invocandi Sanctos, videat neceſſitatem celebrandi eorum memoriam.

Tandem, inquiunt Hæretici. Deus expreſſè declarat, unum diem tantùm in hebdomada eſſe ſanctificandum; nam in lib. Exod. cap. 20. verſ. 9. & 10. inquit: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt; non facies omne opus in eo tu & filius tuus, & filia tua &c.* ergo nulla poteſtas poteſt alium diem inſtituere, in quo nulli liceat operari; cùm nulla ſit poteſtas major divinâ.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ibi Deus tevera expreſſè declarat & præcipit, Sabbatum eſſe Sanctificandum, ſed non excludit alios dies Feſtos, nec ità præcipit, Sabbatum eſſe ſanctificandum, ut nulla alia dies poſſit inſtitui, nec ità ut Sabbatum non poſſit mutari in alium diem; cùm de facto in Eccleſia Romana (Hæreticis non contradicentibus) non celebretur Sabbatum, ſed dies Dominica in memoriam reſurrectionis Domini, non authoritate divinâ, ità ut hæc tranſlatiò facta fuerit, Deo ſic mandante, & determinante in Scriptura, ſed ſolum authoritate Apoſtolica. Undè cum Apoſtoli alios Feſtos inſtituerint in Eccleſijs, quarum curam habebant; *Solvitur ultima Hæreticorum ratio.* eorum Succeſſores, nimirum Epiſcopi poſſunt etiam dies Feſtos inſtituere. Et nos tenemur eos obſervare & ſanctificare, ut ad eorumdem Sanctorum exempla ſequenda, moveamur. Et cum ipſis in Cœlis, & vivere, & regnare valeamus. Præterea Judæi præter Sabbatum aliquos dies celebrabant, nonobſtante illo mandato, quòd demonſtrat, hoc mandatum non fuiſſe ità ultimatè determinatum ad Sabbatum ut non liceret alium diem addere.

ARTICULUS XLIX.

Quo adverſus Pauperes de Lugduno, admittitur Theſaurus Indulgentiarum.

MUlti ſunt Hæretici, qui contempſerunt Indulgentias, quas Eccleſia ſolitò confert peccatoribus, illis videlicet condonando pœnam, quam in Pu-

gatorio pati tenerentur remiſſâ culpâ. Primi qui Indulgẽtias rejecerunt, fuerunt Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduoo, qui anno MCLX. ſub Friderico primo Imperatore, & Alexandro III. Summo Pontifice dixerunt, Papam nullam prorſus habere poteſtatem relaxandi pœnas peccato debitas, ſeu concedendi Indulgentias, acproindè eas, quas hucuſque conceſſerunt Summi Pontifices, & Epiſcopi, eſſe nullius momenti.

Vualdenſes.

Hunc errorem etiam docuit anno MCCCXXV. tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis VI. Papæ, Joannes Vuicleffus, qui nunquam ab Uvaldo Pauperum de Lugduno Patrono defecit, & dixit quòd eſt fatuum credere, Indulgentias Papæ, & Epiſcoporum prodeſſe animabus ſive ante, ſive poſt ſeparationem à corpore. Iſtos Hæreticos imitati ſunt Huſſitæ, de quibus ſæpè locuti ſumus, quorum Author, & Patronus eſt Joannes Hus, qui cum Vuicleffo laboravit linguâ & calamo contra Eccleſiam Chriſti, quæ eſt Eccleſia Romana extrà quam nulla eſt ſalus.

Vuicleffus.

Ioannes Hus

Poſteà ſcilicet anno MDXVII. inſurrexit impijſſimus Martinus Lutherus, qui ſuam hæreſim inchoavit ab impugnatione Indolgentiarum, ut conſtat ex hiſtoria Lutherana. Priores Hæretici, ſcilicet Uvaldenſes, Vuicleffitæ, & Huſſitæ, ut ſuum errorem confirmarent, alium magis execrandum docebant, dicebant enim, nullum eſſe Purgatorium, & inde concludebant nullas eſſe Indulgentias; iſte verò, ſeu Lutherus ex alio non minus viriato fonte ſuum deducebat errorem, nam admittebat Purgatorium contrà Uvaldenſes, Uvicleffitas, & Huſſitas, Sed negabat dari pro peccatis ſatisfactionẽ, quia credebat contrà fidem Catholicam, quòd homo abſolutus à culpa, eſt ab omni pœna abſolutus. Ex hoc autem errore colligebat aliam hæreſim, ſcilicet Indulgentias nullius eſſe momenti, & dicebat, eas eſſe pias fraudes fidelium.

Lutherus.

Calvinus.

His omnibus ſucceſſerunt Joannes Calvinus, Philippus Melancton, Kemnitius, Bucerus, & alij Hæretici, qui ut Indulgentias infirmarent, theſaurum meritorum Chriſti (Quem in Eccleſia credimus exiſtere) irridebant miſerationum Domini immemores, poſueruot ſe tempus miſerationis Domini, & in ſuum arbitrium diem conſtitoerunt ei, ut Indulgentias rejicerent, nos autem Indulgentiam ejus fuſis lacrymis poſtulamus, quia patiens eſt Dominus, & miſericors.

Melancton.
Kemnitius.
Bucerus.

§ I.

Probat Indulgentias.

PLura Concilia declarant, eſſe in Eccleſia Theſaurum ſpiritualem meritorum Chriſti & Sanctorum, ex quo Papa, qui eſt caput Eccleſiæ, & Epiſcopi, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, fidelibus concedunt Indulgentias, ut per eas relaxentur pœnæ peccatorum, tam in hac vita, quàm in Purgatorio luendæ, acproindè damnant hæreſim, quam hîc impugnamus, & Anathemate percutiunt eos, qui negant, Indulgentias poſſe conferri ab Eccleſia Sponſâ Chriſti, quamvis ſciant quòd Sponſus ejus in dilectione ſua, & in Indulgentia ſua redemit eos.

Primum Concilium qood affero, omiſſis alijs antiquioribus, eſt Lateranenſe IV. celebratum ſub Innocentio III. anno MCCXV. pro recuperanda terra Sancta, damnandiſque Albigenſium, & Almarici, necnon Joachimi Abbatis hæreſibus, per MCCLXXXV. Patres, qui ad hoc Concilium venerant ex univerſi Chriſtiani mundi partibus vocati, videlicet ipſe Summus Pontifex ut Præſes. Duo Patriarchæ, ſcilicet Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus: LXX. Archiepiſcopi. CCCC. Epiſcopi. XII. Abbates. DCCC. Priores, Decani vel præpoſiti conventuales cum utriuſque Imperij Orientalis, ſcilicet, & Occideotalis, Regumque Jeroſolymorum, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, Siciliæ, Cypri, aliorumque principum, magnatum & civitatum Legatis, qui quidem Patres, cap. 62. ſic locuti ſunt: *Prælati de cætero non permittant illos; qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falſis decipi documentis; ſicut & in plerìſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit; prohibetque né Eleemoſynarum quæſtores admittantur, niſi Apoſtolicas; vel Diœceſani Epiſcopi litteras veras exhibeant. Ad hæc quia per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur: decernit ut cum dedicatur baſilica non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur; ac deinde in anniverſario tempore dedicationis LX. dies de injunctis pœnitentijs indulta remiſſio non excedat; ad quem etiam dierum numerum Indulgentias; quæ pro quibuslibet cauſis conceduntur jubet reſtringi; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hanc in talibus moderationem obſervare conſuevit.* Hic Canon, qui ſancit, Eccleſiam habere poteſtatem concedendi Indolgentias; cùm affirmet, Epiſcopos poſſe eas pro aliquo tempore, ſeu determinatas concedere, habetur partìm in cap. ult. de reliquijs & veneratione Sanctorum. Et partìm in capite, *cum ex eo* de pœnit. & remiſſ.

Lateranenſe. IV.

His addenda eſt declaratio Innocentij XI. qui anno MDCLXXXVII. condemnavit, & Anathemate percuſſit Michaëlem Molinos Presbyterum Hiſpanum dicentem: *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna proprijs peccatis debita; quia melius eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere; quàm divinam miſericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit; & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.* Hæc eſt XVI. propoſitio Michaëlis de Molinos.

Decretum Innocentij XI. contrà Molinos.

Idem poſteà ſcilicet anno MCCCCXIV. docuit Concilium Cooſtantienſe damnans quadragiuta quinque propoſitiones, ſeu errores Joannis Vuicleffi, Inter quos quadrageſimus ſecondus, erat contra Indulgentias, ut monui ſupra. Poſt hæc autem duo Concilia, & alia antiquiora, quæ omitto, convocatum fuit Tridentinum quod Lutherum Anathemate percutit in ſeſſ. 25. in Decreto de Indulgentijs, ubi ità loquitur: *cum poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem; & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet; & præcipit, eoſque Anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant: in his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, né nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur.* In hoc quidem canone nedum firmatur contrà Hæreticos, Eccleſiam accepiſſe à Chriſto poteſtatem concedendi Indulgenrias, ſed etiam, ipſam Eccleſiam ea poteſtate uſam fuiſſe ab antiquis temporibus, ſicut modo utitur.

Coſtantienſe.

Tridentinũ.

Quod verum eſſe confirmari poteſt ex diſt. 50. can. *abſit à Romana Eccleſia*, circa finem, in quo fit ſolemnis mentio de Iodulgentijs. Hic autem Cauon conditus fuit à Sancto Cypriano, qui floruit in principio tertij ſæculi, obijt enim anno CCLVIII. & fuit receptus à Cornelio Papa creato, anno CCLIV. teſte gloſſa. Errant igitur Hæretici exiſtimantes indulgentias eſſe novas in Ec-

Digitized by Google

cleſia cupiditate Miniſtrorum inventas, certò non legunt Scripturas, nec Concilia, nec Patr... Si non legerint, legant, & viderint, uſum Indulgentiarum ſemper fuiſſe in Eccleſia Christi, in qua ſemper viguit pietas, & miſericordia, ſeu uſus remiſſionum, ſatisfactionum, ſeu pœnarum temporalium, quæ debentur peccatis remiſſâ culpâ. Et inde concludent, Hæreticum eſſe, & à mente Christi alienum, negare indulgentias, & auferre ab Eccleſia poteſtatem concedendi eas vivis & defunctis, quorum animæ exiſtunt in Purgatorio.

Antiquiſſimus eſt indulgentiarum uſus.

§. II.

In quo Probatur Articuli Veritas.

PRima articuli probatio eſt quia ſatisfactio Christi Domini, ejuſque merita, ſunt infiniti valoris, ut docent communitèr Sancti Patres & Theologi. Una enim ipſius ſanguinis gutta erat pluſquam ſufficiens pro redemptione totius generis humani, propter unionem ad Verbum, ut docet Clemens VI. in conſtitut. quæ incipit: *Unigenitus*, hæc autem ſuperabundantia valoris, non poteſt eſſe ſupervacua, inanis, nec ſuperflua, aut inutilis: idcircò manet in Eccleſia militante pro ſolatio & utilitate fidelium, & condit indulgentiarum theſaurum, quem Eccleſiæ ſuæ acquiſivit Christus volens ſuis theſaurizare Filijs pius Pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo; qui uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti.

Hic indulgentiæ theſauros non in ſudario repoſitus, non in agro abſconditus, ſed per Beatum Petrum cœli Clavigerum, ejuſque Succeſſores ejuſdem Christi in terris Vicarios, eſt fidelibus ſalubritèr diſpenſandus. Et proprijs ac rationalibus cauſis, nunc pro tali, nunc pro partiali pœnæ remiſſione temporalis pro peccatis debitæ, tam generalitèr, quàm ſpecialitèr prout cum Deo expediri cognoſcerent, verè pœnitentibus, & confeſſis miſericorditèr applicandus. Ad hujus quidem theſauri cumulum, Beatæ Dei genitricis, & omnium Electorum à primo Justo uſque ad ultimum, merita ad minuculum præſtant. De hujus theſauri conſummatione, aut diminutione non eſt aliquatenùs formidandum igitur ex hac ratione, aut authoritate Summi Pontificis Clementis VI. neceſſariò ſequitur contra Uvaldenſes, Lutheranos, Calviniſtas, alioſque Hæreticos, in Eccleſia eſſe theſaurum meritorum Christi, & Sanctorum, quæ cùm ſuperabundantia fuerint pro noſtra omniumque ſalute, nè inutilia ſint; nec inania, dicendum eſt quòd Summus Pontifex, qui eſt caput Eccleſiæ, & Pater fidelium, cui commiſſa eſt omnium animarum cura cum poteſtate ligandi atque ſolvendi, poteſt ea applicare peccatoribus, qui divinæ juſtitiæ nondum ad plenum ſatisfecerunt, non ut deleatur culpa, quam per peccatum contraxerunt, ſed ut relaxetur pœna, quæ in ipſis peccatoribus remanet; remiſſâ culpâ per veram contritionem.

Ex meritis Christi proveniunt Indulgentiæ.

Hujus Indulgentiarum theſauri claves datas fuiſſe D. Petro, conſtat ex illo Matth. 16. verſ. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Hæc enim verba non ſolum includunt & conferunt poteſtatem abſolvendi à peccatis, & à præceptis, vel obligationibus ad quas aſtringi poſſumus per Legiſlatores Eccleſiaſticos, ſed etiam poteſtatem removendi omnia impedimenta, aut abſolvendi ab omnibus impedimentis, quæ ſi non tollantur, ligatus non poteſt intrare in regnum cœlorum. Quapropter Christus non dixit Petro, loco citato: *Quemcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutus & in cœlis*, ſed *quodcumque ſolveris*, Ut inde agnoſceremus Papam nedum ligare poſſe homines, eoſque ſolvere, ſed etiam ab illis removere impedimenta, quæ eos detinent, ut ipſo impedimento, ſublato, ad finem perveniant, acproindè Papa poteſt vinculum pœnæ temporalis ex culpis actualibus relictæ ſolvere & peccatoribus indulgere: hæc autem ſolutio, aut relaxatio hujus pœnæ debet neceſſario fieri per indulgentiam, quæ apud omnes Doctores, nihil aliud eſt, quàm relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimiſſis conceſſa homini exiſtenti in gratia, à Prælato per applicationem Indulgentiarum, ſeu theſauri Eccleſiaſtici, qui cùm pertineat ad claves regni cœlorum, ille, qui hujuſmodi claves habet, poteſt indulgentiam applicare fidelibus ſive in hac vita ſint, ſive in Purgatorio. Nam ſi quodcumque ſolverit ſuper terram, debeat juxta promiſſionem Christi, verè eſſe ſolutum, & in cœlis, neceſſè eſt quòd Summus Pontifex, qui habet D. Petri authoritatem, relaxet per indulgentias, ſeu per merita Christi applicata, pœnas debitas peccatis poſt remiſſionem culpæ in Sacramento Confeſſionis. Neceſſe eſt inſuper quòd hujuſmodi pœnæ ſint ſolutæ & in cœlis: hæc quidem verba *quodcumque ſolveris* omne debitum pœnæ comprehendunt, ut ex proprijs terminis patet. Satisfactio autem exhibenda à peccatore cui Sacramento fuit remiſſa culpa, vel ab anima exiſtente in Purgatorio ut ſatiſpatiatur, eſt de genere debiti: igitur Papa poteſt per indulgentiam, ſeu applicationem meritorum Christi tale debitum ſolvere, & omnes animas omni macula carentes liberare à tali pœna, alioquin quidquid ſolverit ſuper terram, non erit ſolutum, & in cœlis. Quod non poteſt dici.

Poteſtas concedendi Indulgentias eſt à Christo

§. III.

Argumenta contraria ſolvuntur.

HÆretici inſurgunt, & ut rationem noſtram infirment, dicunt quòd Papa non habet Juriſdictionem, nec poteſtatem in merita Christi, nec in animas defunctorum: nam (inquiunt) Christus eſt ſuper omnes homines; cùm ſit ipſorum caput, Dominus & Rex, unicus bonorum ſuorum Dominus, ac diſpenſator. Nec habet juriſdictionem in animas Purgatorij. quia non ſunt ſuper terram, ut Papa poſſit virtute eorum verborum: *Quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* eas à pœnis liberare: igitur imaginaria eſt Indulgentiarum conceſſio tàm reſpectu vivorum, quàm defunctorum.

Fateor, Summum Pontificem non habere juriſdictionem in Christum, ſcio quod Diſcipulus non eſt ſuprà Magiſtrum, nec ſervos ſuprà Dominum. Sed ſcio quòd Papa habet poteſtatem in theſaurum Eccleſiæ, ſeu meritorum Christi, & Sanctorum, cujus eſt diſpenſator, non à ſe, ſed ab ipſo Christo dicente, Matth. 16. verſ. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum &c.* Ideoque quamvis non habeat poteſtatem in Christum, habet tamen eam in theſaurum meritorum ejus & Eccleſiæ, cujus eſt caput viſibile. Hæres non habet juriſdictionem in Teſtatorem; benè verò in bona ipſius. Idem dico de Donatario, & ideo licet Papa non habeat poteſtatem in Christum; poteſt tamen habere, & de facto virtute horum verborum: *Quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* habet illam in theſaurum ejus, ſeu in ipſius merita, quæ ipſe Christus reliquit Eccleſiæ ſuæ, ità ut Papa poſſit ea diſpenſare, & applicare per modum abſolutionis concedendo Indulgentiam, ut relaxentur pœnæ debitæ pro peccatis remiſſis. Nam ſi Christus per merita ſua pro debitis noſtris ſatisfecerit Deo Patri peccatis noſtris offenſo, & voluerit quòd Petrus haberet meritorum ſuorum claves, ſeu poteſtatem applicandi eadem merita, nullus dubitare poteſt, quòd Succeſſor Petri poſſit eadem merita applicare

Rejicitur prima Hæreticorum ratio.

fidelibus, ut pro ipſorum debitis temporalibus, ſeu pœnis peccati (remiſſâ culpâ) debitis ſatisfaciat.

Ad illud de animabus Purgatorij dico quòd Papa non habet juriſdictionem per modum judicij, itâ ut poſſit eas judicare; cenſuris ligare &c. Sed habet eam per modum abſolutionis, & ſuffragij. Quia poteſt relaxare pœnas, quas patiuntur, non abſolutè tollendo eas, ut Judex; ſed per commutationem, ſcilicet applicando ſatisfactiones Chriſti pro ſatisfactionibus adimplendis à defunctis in Purgatorio (ſic exigente juſtitia divina) aut dando, vel offerendo Deo Patri pœnas, quas pro nobis paſſus eſt Chriſtus, quæ quidem pœnæ ſuperabundantes fuerunt, ut credunt omnes Chriſtiani, & ideo Papa, qui eſt eorum meritorum diſpenſator, poteſt hoc modo fidelibus relaxare pœnas debitas peccatis remiſſis ſive in hac vita ſint, ſive in Purgatorio.

Papa habet poteſtatem concedendi Indulgẽtias

Ad authoritatem D. Matthæi dico juxtà communiorem ſententiam quod ly *ſuper terram* non ſe tenet ex parte ligati, itâ ut ille, qui eſt ſolvendus, debeat eſſe ſupee terram, ſed ex parte ligantis. Nec eſt ex parte ſolvendi, ſed ex parte ſolventis, id eſt, quidquid tu Petre & ſucceſſores tui exiſtentes in terra ligaveritis, aut ſolveritis, erit ligatum & in cœlis, ergo Papa poteſt nobis imponere onera, hæcque portare debemus ſub pœna peccati, & ſic poteſt relaxare pœnas, quæ debentur peccatis noſtris jam remiſſis quoad culpam, acproinde poteſt concedere Indulgentias tam vivis, quam defunctis in Purgatorio exiſtentibus, quoniam tam iſti, quam illi habent pœnas expiandas.

Inſtabunt: vivi poſſunt, remiſſâ culpâ, agere & adimplere pœnitentiam, aut ſatisfactionem pro peccatis remiſſis injunctam, ideoque ſuperflua eſt poteſtas concedendi Indulgentias vivis, qui cum ſint in via, poſſunt & debent bene operari, judicari &c. Superfluumque eſt eas concedere defunctis, quia Indulgentiæ ſolent concedi cum aliquo opere complendo, ut probat Eccleſiæ Romanæ praxis: ſed exiſtentes in Purgatorio non poſſunt adimplere opus præſcriptum pro obtinendo Indulgentiarum effectu; ergo nulla poteſt pro ipſis concedi Indulgentia ob defectum hujus conditionis eſſentialis.

Ad primum inſtantiæ membrum, dico quòd Indulgentiæ non ſunt effectus juſtitiæ, ſed miſericordiæ, & bonitatis divinæ, quæ voluit dimittere pœnam per Chriſti merita illi, qui poteſt per pœnitentiam & opera laborioſa ſolvere pœnam debitam peccaris jam confeſſis, & remiſſis. Ad ſecundum dico quòd Indulgentiæ ſolent concedi pro aliquo opere adimplendo per ſe, vel per alium, itâ ut ille, qui nequit per ſe illud adimplere, valeat per alium adimplere illud, & ſic nos qui in via ſumus, & vivimus in carne mortali, poſſumus adimplere opus præſcriptum, ut anima Patris, aut Matris, vel alterius liberetur à pœnis Purgatorij. Nam ex unione charitatis oritur quod opus factum á vivo perinde ſe habeat dum applicatur pro mortuo; ac ſi fieret ab iſto: idque colligi poteſt ex illo Machab. 2. cap. 12 verſ. 45. & 46. *Et quia conſiderabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam, Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Quia ſi poſſumus pro ipſis orare, ut à peccatis Venialibus ſolvantur, poſſumus etiam pro ipſis adimplere opus, quô liberentur à pœnis hujuſmodi peccatis remiſſis debitis; cùm nulla videatur major ratio de uno, quàm de alio.

Indulgentiæ proſunt vivis & defunctis.

Machab. 2.

Deindè ut hæc veritas magis eluceſcat, dico quòd pœnæ debitæ peccatis (quoad culpam remiſſis) eorum qui non ſunt in termino, ſeu in cœlo, neque in inferno, poſſunt per poteſtatem theſauri meritorum Chriſti, & Sanctorum diſpenſativam, quæ reſidet in Papa velut in capite totius Eccleſiæ, & in ſupremo ovium Chriſti paſtore, relaxari, quia ille, qui commiſit talia peccata, non eſt omninò extrà viam, poſſunt enim dari compenſationes pro illis & ſolvi (ut ait Doctor Seraphicus D. Bonaventura) ex theſauro Eccleſiæ, ex quo Papa ipſe poteſt accipere valorem, aut prætium quod ſolvat pro compenſatione; cùm habeat claves regni cœlorum, & quodcumque ſolverit ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, & prætium ſi illud ſit acceptabile, & Deo gratum: Igitur ſi ſolvat, hoc eſt, offerat Deo Patri ſatisfactiones Chriſti pro pœnis debitis peccato jam remiſſo, Deus acceptat abſolutionem, ſeu merita Chriſti applicata, & ideo anima quæ peccavit, & abſolutionem à culpa obtinuit, ſive ſit adhue in via, ſive in Purgatorio, libera remanet à pœna per Indulgentias illi conceſſas à Summo Pontifice. Quippe cum Chriſtus conceſſerit Petro curam omnium animarum quouſque ingrediantur regnum cœlorum, animæ autem Purgatorij non ſint ingreſſæ, ſed ingredientur in regnum cœlorum, ſequitur quòd Papa, qui eſt Succeſſor D. Petri, poteſt eis aperire cœlum; cùm ſolùm per pœnas ſolvendas detineantur in Purgatorio, hæque pœnæ ab Eccleſia remitti poſſint per modum ſuffragij. Hoc eſt, Papa clavibus ſuæ poteſtatis utendo, poteſt relaxare pœnas, ob quas animæ detinentur in Purgatorio uſque ad ultimum quadrantem, quibus inſolutis ſtantibus, animæ in Purgatorio detentæ non poſſunt ingredi cœlum. Nam poſſe ſolvere juxta poteſtatem, quam obtinuit à Chriſto his verbis: *Quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* Nihil aliud eſt, quàm poſſe relaxare pœnas peccatis quoad culpas remiſſis debitas. Quòd eſt vere ſolvere per conceſſionem Indulgentiarum.

D. Bonav.

Unde Nicolaus V. in quodam Brevi dato Viterbij pro hoſpitali Sancti Spiritus de urbe, ait: *Si fortè aliquis prædictam quantitatem dicto hoſpitali contulerit pro animabus patris & matris, & aliorum defunctorum, qui in ſinceritate fidei, & unitate Sancta Romana Eccleſia, contritione ac confeſſione integra ab hac vita migraverint; nos omnibus hujuſmodi in Chriſto decedentibus de miſericordia Dei confidentes, de qua magis ac magis confidimus in cœlis, quâ nos ipſius authoritate relaxamus in terris: omnem pœnam, quam poſt lucem hujus ſæculi pro purgandis peccatis pati mererentur, authoritate prædicta miſericorditer in Domino relaxamus pariter, & indulgemus.* Ità refert noſter Cardinalis Laurea in lib. 4. ſentent. diſp. 26. artic. 17. § 2. num. 790. & teſtatur ſe fidelitèr prædictum Decretum tranſcripſiſſe ex originali reſervato in Archivis ejuſdem hoſpitalis.

Conſtitutio Nicolai V.

ARTICULUS L.

Repellit Quartadecimanos.

Maxima fuit olim, ſeu anno CLIV. ſub Antonio Pio Imperatore, & Aniceto Papa, controverſia inter Aſiaticos Epiſcopos circa Paſcha celebrandum. Quidam volebant hoc Paſcha celebrandum eſſe die decima quarta primi menſis, eo quòd Deus præceperat, ut decima quarta occurrente Luna quocumque occurreret hebdomadæ die, in veteri Lege, tali die celebraretur à Judæis, juxtà illud Levit. cap. 23. verſ. 25. *Menſe primo quartadecima die menſis ad Veſperam, Phaſe Domini eſt.* Et illud Ezech. cap. 45. verſ. 21. dicentis: *In prima menſe, quarta die menſis erit vobiſcum Paſcha ſolemnitas.* Alij verò è contra die Dominica poſt decimam quartam Lunam (ut Romanæ Eccleſiæ mos erat) celebrandum eſſe contendebant authoritate traditionis Apoſtolicæ. Primi dice-

Status controverſiæ.

bant, uſum, decimâ quartâ Lunâ, Paſcha celebrandi à Joanne Apoſtolo (qui ſeptem Aſiæ Eccleſias fundaverat) manaſſe tenebant; alij verò qui pro die Dominica ſtabant, tenebant, hunc ritum fluxiſſe à Petro & Paulo Apoſtolis. Primi dicti fuerunt Paſcharitæ, & Teſſareſedecatiræ, vel Quartadecimani, non ab authore, ſed ab errore, hoc eſt, a decima quartâ primi menſis Lunâ.

Horum Quattadecimanorum Authores plures exiſtimant fuiſſe Polycratem Epheſinum Epiſcopum, & eidem conſentientes Epiſcopos; Sed alij probabiliùs exiſtimant quòd præcipui hujus hæreſis fautores, & defenſores (à quibus aucta fuit hæc controverſia ſub Commodo Imperatore, & Eleuterio Papa circa annum Domini CLXXXII.) fuerunt Blaſtus & Florinus ambo Hæretici, & Semijudæi, qui cum Polycrate factione conjungebantur. Qui nedùm dixerunt malum eſſe à Deo, & Deum facere malum; ſed etiam aſſerebant, (teſte Tertulliano lib. de Hæreſibus) quarta decima Luna Dominicum Paſcha inviolabilitèr & neceſſario celebrandum eſſe quocunque die veniſſet. His ſucceſſerunt poſteà ſcilicet anno CCCXCV. regnantibus Theodoſio majore, & Siricio Papa, Antropomorphitæ, qui ut monet D. Auguſtinus, nedùm docebant Deum eſſe corporeum, ſed etiam Paſcha non eſſe celebrandum die Dominica, niſi ipſa dies Dominica adveniret die decima qoarta Lunæ primi menſis.

Hujus Hæreſis primi ſunt Blaſtus & Florinus.

Antropomorphitæ.

§. I.

De Deciſione Controverſiæ.

PAſcha celebrandum eſſe neceſſariò die Dominica reſolutum fuit contra Quartadecimanos, durante controverſia, à Pio hujus nominis Papa I. ut conſtat ex can. *noſſe* de conſecrat. diſt. 3. ubi legitur: *Noſſe vos volumus quod Paſcha Domini die Dominico annuis temporibus ſit celebrandum: iſtis enim temporibus, Hermes Doctor fidei, & ſcripturarum effulſit inter nos, & licet nos idem Paſcha prædicto die celebremus, quia tamen quidam inde dubitant, ad corroborandas animas eorum, eidem Herme Angelus Domini apparuit in habitu paſtoris, & præcepit ei, ut Paſcha Domini die Dominico ab omnibus celebraretur; undè & vos apoſtolica authoritate inſtruimus omnes eadem ſervare debere, quia & nos eadem ſervamus, nec debetis à capite quoquo modo diſſidere.* Sed quia nonobſtante hoc decreto, non ceſſavit controverſia, & Paſchatitæ majori calore contendebant, Paſcha eſſe celebrandum decima quartâ menſis Lunâ quocumque occurreret hebdomadæ die, multa ſub Victore Papa celebrata fuere Concilia, ut refert Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. Romanum ſcilicet, Palæſtinum, Ponticum, Corinthiacum, Lugdunenſe, Arelatenſe, Aurelianenſe, aliaque Gallicana invicem omnia cum Romana obſervatione convenientia.

Conſtitutio Pij Papæ.

Ipſe Victor hujus nominis Papa primus aliud Decretum edidit, anno CXCVI. ut omnes crederent die Dominica celebrandum eſſe Paſcha, juxtà conſuetudinem, & præceptum Eccleſiæ Romanæ, ut legitur in can. *celebritatem*, ejuſdem diſtinctionis, ubi habetur: *Celebritatem Sancti Paſcha die Dominico agi debere, & prædeceſſores noſtri jam ſtatuerunt, & nos illud vobis eodem die ſolemniter celebrari mandamus, quia non decet ut membra à capite diſcrepent.* His tamen nonobſtantibus, plures Epiſcopi, & populi Orientales Romanæ conſuetudini, aut ritui ab Apoſtolis inſtituto, & ejus in hac parte decretis obedire noluerunt. Undè idem Pontifex tantam obſtinationem videns eos excommunicare tentavit, & de facto excommunicaſſet (inquiunt plures Scriptores) niſi S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis pro hac cenſura ſuſpendenda prædictum Summum Pontificem obnixè rogaſſet. Alij tamen affirmant quòd excommunicavit eos nonobſtantibus præcibus D. Irenæi, qui Romanum ritum cum univerſa Gallia ſervabat.

De varijs Concilijs nationalibus.

Tandem hæc controverſia, quæ inceperat tempore Aniceti Papæ, ſcilicet anno CLIV. fuit finita in Concilio Nicæno primo celebrato anno CCCXXV. ſub S. Silveſtro Papa, & Conſtantino magno Imperatore, pro filij tuenda divinitate contra Arium, prædeterminando feſti Paſchatis die contra Quartadecimanos, & pro extinguendo Meletij Schiſmate, contra Meletium. Reverà hæc deciſio de Paſchate celebrando die Dominica in memoriam reſurrectionis non invenitur inter alia, quæ extant Nicæni Concilia Decreta, ſed habetur in ſecundo libro hiſtoriæ tripartitæ Theodoreti cap. 12. in ejuſdem Concilij Epiſtolâ ad Eccleſiam Alexandrinam, & Fratres per Ægyptum, & Lybiam, & Pentapolim conſtitutos directa, his verbis: *Evangelizamus autem vobis, & de conſonantia ſanctiſſimi Paſcha, quia veſtris orationibus eſt correctum etiam hoc opus, ita ut omnes orientales fratres, qui cum Judæis primitus celebrabant, conſone cum Romanis, & vobiſcum, & cum omnibus ab initio Paſcha cuſtodientibus, ex hoc tempore debeant cuſtodiri.*

Concilium Nicænum.

Non deſunt, qui Quartadecimanos, ſeu Polycratem Epiſcopum Epheſinum, Blaſtum, & Florinum in hac parte excuſant ab hæreſi, quia dum inceperunt contentionem, nondum definita erat dies Paſchatis, ſed exiſtimo hanc rationem eſſe nullam, quia Eccleſia Romana tunc Paſcha die Dominica celebrabat juxtà monitum Apoſtolorum, quorum traditio eſt à nobis obſervanda. Legimus enim in quodam Canone, qui eſt Octavus inter Apoſtolicos: *Si quis Epiſcopus aut Diaconus ſanctum diem Paſcha ante Vernale æquinoctium cum Judæis obſervaverit; deponatur*, quò prohibetur Paſcha celebrari die decima quarta Lunæ primi menſis; cùm Vernale æquinoctium ſemper præcedat talis dies, ac proindè nullus potuit citrà hæreſim, illud decima quarta celebrare, nedum propter Canonem Apoſtolorum; ſed etiam propter traditionem eorumdem, à quibus tunc Eccleſia didiſcerat, Paſcha celebrandum eſſe die Dominica, nè Chriſtiani convenirent cum Judæis, qui Paſcha celebrabant Luna decima quarta, ut teſtatur S. Ignatius vir Apoſtolicus, Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus (qui tertius ab Apoſtolo Petro rexit Eccleſiam Antiochenam) ſic ſcribens ad Philippenſes: *Si quis cum Judæis Paſcha celebrat, aut ſimbola eorum recipit, particeps eſt eorum, qui Chriſtum occiderunt, & Apoſtolos ejus.* Hæc quidem verba probant veritatem, & certitudinem octavi Canonis Apoſtolorum, quia virtute hujus Canonis ad Dominicam poſt vernale æquinoctium tranſlata fuerat Paſcharis celebritas. Probant inſuper tunc temporis fideles teneri celebrare Paſcha die Dominica.

Canon. 8 Apoſtolorū.

S. Ignatius

Non parum juvat his addere teſtimonium Proterij Epiſcopi Alexandrini, qui teſte Beda de ratione temporum cap. 42. teſtatur, Petrum Apoſtolum Romanus ità docuiſſe in veneratione Dominicæ reſurrectionis. Et Marcum hanc eamdem Petri diſciplinam, Alexandriæ promulgaſſe. Sunt alia quamplurima Concilia, & præcipuè Romanum tertium ſub Silveſtro Papa, Antiochenum can. 1. & alia, quæ declarant quòd Paſcha celebrari debet poſt Lunam decimam quartam: igitur nullus poteſt citrà hæreſim eadem die, ſeu decima quarta Luna menſis Niſam, Paſcha celebrare.

Eadem veritas evidentèr oſtenditur ex Sacra Scriptura, quæ in variis locis declarat, cæremonias, & judicia veteris Legis nullam vim habuiſſe poſt promulgationem Legis Evangelicæ; ut in proprio articulo videri poteſt. Tempus verò, quo Paſcha ſit ce-

lebrandum ad cæremonias pertinet ; cùm non ſit de ſubſtantia præcepti de Paſchate ſumendo , aut edendo , ſed de circunſtantia ejuſdem. Sed in veteri Lege celebrabatur Paſcha decima quarta die , juxtà illud Levit. cap. 23. verſ. 5. *Menſe primo quarta decima die menſis ad veſperam; Phaſe Domini eſt* : Oporter ergo ut tale præceptum de celebratione Paſchatis facienda , decimâ quartâ Lunâ , ſit poſt mortem Chriſti abſque ullo vigore inane , nullam imponens obligationem, ſicut alia præcepta cæremonialia Legis antiquæ, nullum imponunt ; cùm non ſimus ſub Lege , ſed ſub gratia , ut monet Apoſtolus ad Rom. 6. verſ. 14.

Præceptum de Paſchate celebrando die decima quarta fuit abrogatum.

Quare idem Apoſtolus reprehendens Galatas eo quod cæremonias , & ritus Judæorum obſervabant inter alia , dicit cap. 4. verſ. 10. *Dies obſervatis , & menſes , & tempora , & annos* , quibus verbis apertè docebat eos , dierum obſervationem , quæ in Lege Moyſi præcipiebantur , jam eſſe malam. Undè in verſu ſequenti ait : *timeo vos ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Timoris Apoſtoli fundamentum erat, quia Galatæ celebrabant dies , quos celebrabant Judæi , ſeu quia celebrabant Paſcha , Lunâ decimâ quartâ : ergo non poterant Chriſtiani Galatæ illud tali die tuta conſcientiâ , celebrare ; alioquin Apoſtolus non timuiſſet in ipſis laborare ſine cauſa. Ratio principalis hujus mutationis Apoſtolicæ, hoc eſt, ratio ob quam Apoſtoli ſtatuerunt , Paſcha celebrandum eſſe die Dominica poſt decimam quartam Lunam primi menſis , petitur ex eo quod gens Judaica omnibus debet eſſe execrationi. Et Catholica cum tali gente in cæremonijs nihil debet habere commone , ut clarè demonſtrat Apoſtolus reprehendens Cepham ob cauſam , quam aſſignat in Epiſt. ad Galatas cap. 2.

Cum hæc veritas pendeat à ceſſatione Legis antiquæ , qua Judæi Luna decima quarta primi menſis , Paſcha celebrare tenebantur, hìc probandum eſt , obitèrque oſtendendum , nulli licere Legem veterem obſervare quoad cæremonias , & judicia , acproindè nulli Chriſtiano licet celebrare Paſcha ante Vernale æquinoctium. Primum hujus ceſſationis Legis Moſaicæ teſtimonium authenticum , eſt Pauli ad Gal: cap. 3. verſ. 23. & ſequentibus dicentis : *Prius autem quam veniret fides , ſub lege cuſtodiebamur concluſi , in eam fidem , quæ revelanda erat. Itaque lex Pedagogus noſter fuit in Chriſto , ut ex fide juſtificemur , at ubi venit fides , jam non ſumus ſub Pedagogo , omnes enim Filii Dei eſtis per fidem , quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Quibus Apoſtolus oſtendit , & affirmat , nos fuiſſe liberatos à veteri Lege per Chriſtum , acproindè à celebritate Paſchatis, non quoad rem (cum illud celebrare teneamur , ut inſinuat Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 5. verſ. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azimi, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; Quibus reprehendit Corinthios quòd in inceſtu publicè viventem tulerarent, quem abſens tradit Satanæ , monens ut expurgato vitiorum fermento , puri Paſcha celebrent) Sed quoad circunſtantiam temporis, hoc eſt , decima quarta Lunâ primi menſis.

Ad Galat 3

1. Corinth. 5.

In eadem Epiſtola cap. 4. verſ. 29. & ſequentibus ubi agitur de duobus Teſtamentis ſob figura duorum filiorum Abrahæ , ſcilicet Iſaac & Iſmaël , habetur : *Sed quomodo tunc is , qui ſecundum carnem natus fuerat, proſequebatur eum qui ſecundum Spiritum, ità & nunc Sed quid dicit ſcriptura ? Ejice Ancillam, & Filium ejus , non enim hæres erit Filius Ancillæ cum Filio liberæ : itaque Fratres, non ſumus Ancillæ Filij , ſed liberæ , qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Nonnè Paulus teſtatur , Legem veterem eſſe ejiciendam , quæ tanquam Ancilla fuit Legis Evangelicæ ? Et per conſequens celebritatem Paſchatis transferendam eſſe ad diem Dominicam poſt decimam quartam Lunam , ut recedamus à Judæis : tranſlato enim Sacerdotio , neceſſè eſt ut & Legis tranſlatio fiat.

§ I I.

De Reſponſione ad Quartadecimanos.

Dicent forſan Hæretici quod Chriſtus non venit ſolvere , ſed adimplere Legem veterem , & per cōſequens quòd hæc adhuc ſubſiſtit integra quoad omnia præcepta , ut concluditur ex illo Baruch 4. *Hic liber mandatorum Dei , & Lex , quæ eſt in æternum , omnes qui tenent eam pervenient ad vitam , qui autem dereliquerunt eam , in mortem.*

Rejicitur hæreticorum inſtantia.

Reſpondeo hæc omnia non eſſe intelligenda de præceptis cæremonialibus, inter quæ eſt illud de Paſchate ſumendo die decima quarta. Nec de judicialibus ut notant Expoſitores , ſed ſolum de præceptis moralibus veteris Legis ; quæ de facto ſubſiſtunt in nova , in qua præcepta Decalogi obligant , & obſervantur ſicut in Lege Moyſi.

Ratio Quartadecimanorum deſumebatur ex traditione : dicebant enim, ritum ſuum ortum habuiſſe à Joanne Apoſtolo , qui ſeptem Aſiæ Eccleſias fundaverat , ut ex ſcripto Polycratis Epiſcopi Epheſini , Palæſtinæ Synodi juſſu Victoris Summi Pontificis celebratæ præſidis , perſpicuum fuit apud Euſebium , & ideo hac traditione freti , tuebantur , Paſcha eſſe celebrandum Luna decima quarta, ut præceperat lex vetus , & ideo plures obſtinati Aſiani Epiſcopi conſtitutionibus Apoſtolicis obedire & obtemperare noluerunt , duravitque hæc obſtinatio donec per authoritatem Nicænæ Synodi ; & potentiam Conſtantini magni Imperatoris penitùs extincta fuerit controverſia , non jure , ſed vi, & authoritate politica. Et ideo cum jus ſit obſervandum , tenemur celebrare Paſcha die decima quarta Lunæ primi menſis.

Reſpondeo hanc traditionem de Paſchate celebrando decima quarta Luna primi menſis, quam Adverſarij referunt ad Joannem Apoſtolum,non nocere quia non erat generalitèr tradita pro omnibus Eccleſijs , ut V. G. aliæ Judæorum cæremoniæ , aut forma aliquorum Sacramentorum : etenim hæc traditio Joannis de Paſchate edendo die decima quarta, quam Quartadecimani ſupponebant , erat ſolum pro quibuſdam Eccleſijs ; hæcque diſpenſatoria ad breve dumtaxat tempus , ſicut in Judæa obſervatio Legalium , ut ſic ad fidem Chriſti pellicerentur ſuavitèr Judæi, & ſenſim perfectioribus inſtitutis, ſeu præceptis novæ Legis aſſueſcerent : ideoque non erat ſufficiens ratio celebrandi in perpetuum , & ubique Paſcha die decima quarta. Nec poterant Epiſcopi Aſiani virtute hujus traditionis in hoc convenire cum Judæis ; ſed tenebantur Paſcha celebrare die Dominica poſt Vernale æquinoctium , prout ſtatutum prius fuerat per Apoſtolicas traditiones & conſtitutiones, & firmatum, nedum per traditionem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli pro univerſali Eccleſia uſque ad finem Sæculorum duratura ; ſed etiam per uſum, aut praxim Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ tunc temporis , ut ex dictis ſupra manifeſtè patet, Paſcha celebrabat die Dominica poſt decimam quartam diem Lunæ primi menſis,in qua Chriſtus reſurrexit à mortuis.

Solvitur fundamentalis ratio Quartadecimanorum.

ARTICULUS LI.

Probat adverſus Lutheranos , omnes homines in Lege gratiæ , non eſſe Sacerdotes.

Lutherani plures errores docuerunt , ut conſtat ex dictis , inter quos unus eſt erga Sacerdotium , aut Presbyteratum , quem Deus conſtituit Eccleſiæ ſuæ. Docuit enim ipſe Lutherus anno MDXVII. regnante Maximiliano Imperatore , & Leone X.

Summum Pontificatum agente, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, & omnes æqualem poteſtatem habere in Eccleſia Chriſti, tam quoad ipſius corpus

Lutherus

naturale, quàm myſticum, nulla ſtatûs, aut ſexûs diſcretione facta. Fatetur tamen nulli Chriſtiano licere illâ poteſtate validè uti, niſi per conſenſum, & juſſum Communitatis, quia (inquit ipſe Lutherus) quod eſt omnium commune, nullus ſingulariter poteſt uſurpare, niſi vocetur. Unde juxtà Lutheri ſententiam poteſtas Sacerdotalis confertur per baptiſmum, & per communitatem confertur baptizato miniſterij Sacerdotalis exercitium: itaquè communitas poteſt ad munia Sacerdotalia obeunda, deſtinare virum, vel mulierem indifferentèr; cùm ad Sacerdotium exercendum plenè ſufficiat communitatis approbatio conceſſa baptizato, qui non per aliquod ordinis Sacramentum (inquit) ſed per ſolum baptiſmum efficitur Sacerdos. Hujus hæreſis defenſor nullus invenitur alius præter Lutherum; ideoque in hoc articulo ille ſolus eſt impugnandus.

§. I.

Probatur veritas articuli ex jure Canonico.

Lutherum tanquam hæreticum damnat Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 10. ubi expreſſe declarat, Chriſtianos non eſſe Sacerdotes præ-

Tridentinū

cisè, quia Chriſtiani ſunt; ibi enim ait: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem: anathema ſit.* Hic Canon declarat, non à baptiſmo, quo ſumus Chriſtiani, ſed ab alio Sacramento, quod eſt Sacramentum ordinis, provenire poteſtas Sacerdotalis.

Idem priùs decreverat Concilium Laodicæum ce-

Laodicænum

lebratum anno CCCXVIII. ſub Silveſtro Papa per triginta duos Epiſcopos, qui in cap. 13. decretorum ſic loquuntur *Non eſt populis concedendum electionem facere eorum; qui altaris miniſterio ſunt applicandi.* His verbis liquido conſtat; communitatem nullam habere poteſtatem deſtinandi ad exercitium Sacerdotale, acproinde nullum Chriſtianum eſſe Sacerdotem, niſi fuerit ab aliquo Epiſcopo ordinatus. Nam ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum non ſufficit baptiſmus, ſed etiam requiritur ordinatio, ut definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Inno-

Sacerdotiū non provenit effectivè à baptiſmo

centio III. in quo de Sacramento Euchariſtiæ, ſic loquitur: *Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos; qui ritè fuit ordinatus ſecundum Claves Eccleſiæ; quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus.* hujus concilij decreto tenemur credere Sacerdotium non provenire à baptiſmo, ita ùt quilibet baptizatus ſit Sacerdos, ut voluit impiiſſimus Lutherus; ſed ex ordinatione, quæ ab Epiſcopo dumtaxat poteſt haberi, ut conſtat innumeris Juris Canonici teſtibus,ità ut nullus ſit Sacerdos, niſi fuerit ab Epiſcopo ordinatos, prout in jure Romano cautum eſt.

Tenemur inſuper credere; nullum poſſe divina Sacramenta miniſtrare, interveniente etiam licentia communitatis, niſi fuerit ordinatus presbyter: ſolis enim Presbyteris ſic congruit, ùt Euchariſtiam ſumant, & dent cæteris, ut declarat Conciliom Rhemenſe relatum in Can. *pervenit*, de conſecrat. diſt. 2. ubi legitur: *Pervenit ad notitiam noſtram quòd quidam*

De conſecrat. diſſ. 2.

Presbyteri in tantum parvipendant divina myſteria; ut Laico, vel fœmina Sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur nè ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur, quod quam ſit horribile, quamque deteſtabile omnium Religioſorum animadvertit prudentia Igitur interdicit per omnia Synodus nè talis temeraria præſumptio ulteriùs fiat, ſed omnimodis Presbyter per ſemetipſum infirmum communicet, quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit. Hoc Conciliom quod per hæc verba liquido demonſtrat, nullum Laicum poſſe propria manu infirmo Euchariſtiam deferre, demonſtrat etiam, nullum laicum poſſe eam conficere.

§. II.

Probatur veritas Articuli ex Scriptura.

Sacerdotium non eſſe à baptiſmo, ſed ab ordinatione facta ab Epiſcopo, manifeſtum eſt in Sacra Scriptura; nam Apoſtoli & Diſcipuli Domini erant ante ultimam Cœnam Chriſtiani, quia jam baptiſmum ſuſceperant; alioquin non dediſſet illis Chriſtus carnem ſuam ad manducandum, nec Sanguinem ad bibendum; tunc tamen, hoc eſt, ante ultimam Cœnam, non erant Sacerdotes; cùm tales effecti fuerint à Chriſto Domino in ultima cœna quando Salvator noſter cum ipſis cœnans, dixit il-

Chriſtus conſecravit Apoſtolos.

lis: *Hoc facite in meam commemorationem*: Igitur erant Chriſtiani, & non erant Sacerdotes. Nec omnes Chriſtiani tunc facti ſunt Sacerdotes, quia non omnibus Chriſtianis dixit *hoc facite in meam commemorationem*, ſed ſolis Apoſtolis, quibus dedit Idem Chriſtus poteſtatem ſuper corpus myſticum, ſeu fideles; dùm poſt Reſurrectionem, dixit eis: *Quorum remiſeritis peccata; remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Ex his notandum eſt. Primò quod tunc non dedit Apoſtolis Spiritum Sanctum ad miraculorum operationem. Quia dedit illud Sancti Spiritûs donum, quando illos ad prædicandum miſit: tunc enim, teſte Luca cap. 9. dedit eis poteſtatem ſuper omnia Dœmonia, nec dedit illis Spiritum Sanctum ad Sanctificationem propriam, & Eccleſiæ illuminationem, quia hoc modo datus fuit illis in die Pentecoſtes: dedit igitur illis Spiritum Sanctum poſt Reſurrectionem, quia tunc dedit illis poteſtatem remittendi omnia peccata, quæ quidem poteſtas non omnibus Chriſtianis, ſed ſolis Diſcipulis, ſeu Sacerdotibus data fuit, ut probat praxis Eccleſiæ, quæ nulli hanc poteſtatem tradit per hæc verba; *Accipite Spiritum Sanctum*, niſi viro jam conſecrato, ùt probat exemplum Chriſti dicentis Leproſo,

Matth. 8.

Matth. 8. verſ. 4. *Vade, oſtende te Sacerdoti*: ergo omnes Chriſtiani non ſunt ratione baptiſmi verè Sacerdotes, nec habent poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, nec poſſunt à peccatis abſolvere, ſed ſolum illi, qui presbyteratus ordinem ſuſceperunt; cùm hæc verba, *accipite*, non dicantur puero in baptiſmo, nec in receptione alterius Sacramenti, præter presbyteratum.

Secundo obſervandum eſt quòd dum Chriſtus dixit diſcipulis ſuis: *Accipite Spiritum Sanctum*, nulla aderat Mulier, imo nec alij viri quàm Diſcipuli, ex quo ſequitur quòd poteſtas illa remittendi peccata non omnibus hominibos, ſed ſolis Apoſtolis, & illis ad quos poſteà fuit conceſſa per ſacram manuum

Poteſtas conſecrandi confertur in Sacramento ordinis.

impoſitionem. Nam ordo eſt Sacramentum quô confertur poteſtas conficiendi Corpus Chriſti, eſtque ſignum ſenſibile divinitùs inſtitutum: Ideoque poteſtas conſecrandi, aut character Sacerdotalis, non confertur per baptiſmum, quo homo lavatur à peccato originali, & fit membrum Chriſti; ſed per ordinem, qui eſt Sacramentum à baptiſmo diſtinctum, quod non confertur, nec conferri poteſt à quolibet viatore, etiam in caſu neceſſitatis, ut baptiſma cujus miniſter eſt omnis homo cujuſcumque conditio-

nis, aut ſtatus ſit, ſed à ſolis Epiſcopis, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. Itaque hæretica eſt ſententia Lutheri exiſtimantis omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, & ità æqualem habere poteſtarem eircà corpus naturale, & myſticum Chriſti, nulla Statûs aut ſexûs diſcretione facta, ut communitas poſſit deſtinare Mulierem pro omnibus Sacerdotis officiis exercendis, ſicut virum. Solis quidem per Sacram manuum impoſitionem ordinatis convenit hæc poteſtas, & confertur character Sacerdotalis, quo ordinatus à non ordinato diſtinguitur; acproindè non quilibet baptizatus, eſt Sacerdos, ſed quilibet ordinatus.

Epheſ. 4. Deindè inter clericos ordinatos eſt graduum, & dignitatum Eccleſiaſticarum diverſitas, teſte Apoſtolo ad Epheſios cap. 4. *Et ipſe*, id eſt Chriſtus, *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Hujuſmodi autem gradus non competunt omnibus baptizatis, & ideo nec Sacerdotium, quod eſt character ſpecialiter diſtinctivus, qui non poteſt convenire, aut eſſe in omnibus.

Nullus ex Lutheranis affirmare poteſt, Sacerdotium Evangelicum eſſe minus Sacerdotio veteris legis; cùm ſit certum apud Lutheranos, imo & apud omnes hæreticos, Eccleſiam Chriſti eſſe perfectiorem Synagogâ. Reverà eximium ac ſingulare privilegium habuit in lege Moyſi Synagoga, ſcilicet quòd Moyſem hominem Deificum, legiſlatorem, Doctorem, & Ducem habuerit. At longè illuſtrior eſt Eccleſiæ Dei prærogativa. Hæc enim habuit Unigenitum Dei Filium, qui in utero Virginis carnem humanam aſſumpſit, ut omnia quæcumque audivit à Patre, illi nota faceret, fieretque Doctor, legifer, & Sacerdos magnus ejuſdem Eccleſiæ; ſed Sacerdotium legis veteris non fuit adeò vile, ut omnibus, qui in Synagoga erant, abſque ulla differentia, conceſſum fuerit, ut conſtat in Sacra Scriptura de Sanctificatione Aaronis, & aliorum in Sacerdotio Domini. Legimus enim in lib. Exod. cap. 28.

Exod. 28. Deum dixiſſe Moyſi: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum Filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut Sacerdotio fungatur mihi*. Paralip. 15. verſ. 14. *Sanctificati ſunt Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Iſraël.* His verbis, inſtitutio Sacerdotum indicatur particularis, cùm ex ipſis conſtet, Aaronem, & Filios ejus ſegregatos fuiſſe à tota plebe; Deo ſic mandante, ut Sacerdotio fungerentur: ergo in Eccleſia Chriſti Sacerdotium non debet eſſe commune omnibus, qui in ea ſunt, nec poteſtas conſecrandi, & Sacramenta adminiſtrandi debet indifferenter convenire omnibus fidelibus ſeu baptizatis; ſed ſolum illis, qui per Epiſcopos ordinantur, quibus in perſona Apoſtolorum Chriſtus dixit Luc. 5. verſ. 4. *Laxate retia veſtra in capturam.* Non enim communitatis, nec omnis baptizati eſt laxare retia, ſed illorum tantùm, quos Chriſtus fecit piſcatores hominum.

1. Timot. 4. Unde Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 4. ait: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyteri*, ut oſtendat, gratiam ordinationis, aut manuum impoſitionis non eſſe communem omnibus fidelibus, nec haberi per ſuſceptionem baptiſmi, ſed ſolùm illis, qui ordinati fuerunt, convenire, & per ſolum Sacramentum ordinis obtineri. Nam, inquit D. Dionyſius, lib. 3. part. 3. Hierach. Eccleſ.

D. Dioniſius. *Manus impoſitio ſimul quidem divinum præſidium Sacramento annexum declarat, quo tamquam Sancti pueri, Patris charitate foventur; ità ut eis quidem ſtatum, vimque ordinis Eccleſiaſtici largiatur.* Hæc autem manuum impoſitio non fit in Sacramento baptiſmi, ſed in Sacra ordinatione.

Idem aſſerunt alij Sancti Patres tam Latini, quàm Græci, qui ordinem Sacrum ab aliis Sacramentis penitùs diſtingunt, acproinde docent, quemlibet Chriſtianum non eſſe Sacerdotem, etiamſi per communitatem ad Sacerdotium exercendum deſtinatus fuerit, ſed illum dumtaxat, quem ordinavit Epiſcopus, ut facilè colligi poteſt ex illo ad Titum cap. 3. verſ. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Ex quo ſequitur quòd omnes Chriſtiani non ſunt Sacerdotes; alioquin Apoſtolus non reliquiſſet Titum Cretæ ad conſtituendos presbyteros per civitates; cùm in Tito non conſiſteret plebs Cretæ, & in ipſis Civitatibus plures eſſent Chriſtiani, qui per baptiſmum fuiſſent conſtituti Sacerdotes, ſed ſolùm illi, qui ſunt ordinati ab Epiſcopis eodem modo, quo Titus fuerat ordinatus à Paulo, ut probant hæc ultima verba: *Sicut & ego diſpoſui tibi*, nec quiſquam ſibi ſumeret honorem Sacerdotij, ſed qui uocatur à Deo tanquam Aaron, qui cùm non fuerit vocatus à plebe, ſed à Deo, ſolius Dei eſt in lege nova conſtituere Sacerdotes per Epiſcopos, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei. Ad Titum, 3.

§. III.

Impugnat Rationes Lutheri

Lutherani articulum noſtrum impugnant hoc argumento deſumpto ex illo 1. Petri 2. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium*, indè enim concludunt, & affirmant, omnes illos, quibus D. Petrus loquebatur, eſſe Sacerdotes; cùm nomen illud ſolis presbyteris convenire poſſit, illi autem, quos alloquebatur, erant Laici de novo ad fidem converſi, ut conſtat: ergo (inquiunt) omnis homo baptizatus eſt Sacerdos, cui pro miniſterij executione, nihil aliud deficit niſi conſenſus populi, aut Magiſtratuum licentia; alioquin Judæi de novo converſi quibus ſcribebat D. Petrus, non fuiſſent regale Sacerdotium: quamvis fuiſſent genus electum per gratiam adoptionis; cùm non habuiſſent poteſtatem Sacerdotalem. 1. Petr. 2.

Reſpondeo ſi argumentum eſſet verum, ſequeretur quòd omnes Judæi de novo converſi, quos alloquebatur D. Petrus, eſſent etiam Reges, Sacerdotes, & electi, ſive prædeſtinati: Inquit enim, *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium*; Sed Lutherus non fatetur, omnes & ſingulos Chriſtianos eſſe Reges, aut Electos, aut Prædeſtinatos. Nec hoc infert ex verbis D. Petri: ergo nec poteſt inferre, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes verè, & quantum ad poteſtatem conficiendi, & adminiſtrandi Sacramenta; ſed ſolùm ipſos Chriſtianos dici regale Sacerdotium ob aliquam rationem infra aſſignandam pro objectionis ſolutione. Reſponſio ad argumentum Lutheri.

Rurſum ſequeretur quòd omnes Judæi etiam in veteri lege fuiſſent Sacerdotes, cùm in Exod. cap. 19. verſ. 5. & 6. conſtet, Deum dixiſſe eis: *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi regnum Sacerdotale, & gens Sancta. Hæc ſunt verba, quæ loqueris ad Filios Iſrael*: Sed falſum eſt omnes Judæos fuiſſe Sacerdotes: pariter etiam falſum eſt omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, quamvis D. Petrus vocaverit eos regale Sacerdotium cùm Judæi tales non fuerint in lege veteri; licet Deus vocaverit eos regale Sacerdotium. Exod. 9.

Unde ut verus ſenſus appareat Lutheranis, & ipſorum objectionis rectè reſpondeatur, moneo ip-

ſos, juxtà teſtimonium venerabilis Bedæ, D. Petrum vocare omnes Chriſtianos, Sacerdotes, non quòd tales, verè & propriè ſint, aut habeant ex vi baptiſmi poteſtatem, & virtutem dandi Sacra, ſed quia per baptiſmum, & fidem uniuntur Chriſto, qui eſt Rex, & Sacerdos ille, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt Juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, in cujus Sanguine Deus omnia pacificavit ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt, & dedit nobis jus ad æternam hæreditatem.

Idem docet Didymus Alexandrinus dicens, Chriſtianos eſſe genus electum, regale Sacerdotium, quia eorum Pater, videlicet Chriſtus eſt Rex, & Sacerdos, undè D. Petrus in fine addit: *Eratis enim ſicut oves errantes, nunc autem converſi eſtis ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Ità enim loquitur ut indè videamus, Chriſtianos eſſe gentem Sanctam, quia uniti ſunt Chriſto, qui eſt Paſtor & Epiſcopus omnium Chriſtianorum, nam ſi omnes non ſint Doctores, non ſint Prophetæ, ſi omnes non interpretentur, ut declarat Apoſtolus, certum eſt etiam quòd omnes non ſunt Sacerdotes juxta mentem Apoſtoli. Nec hoc poteſt ſana mente negare Lutherus, quia ex ipſo, in poteſtate concionandi principaliter conſiſtit Sacerdotium, ut mox oſtendemus.

Didimus Alexandrinus.

Aliud argumentum proponunt in lib. de miſſa abroganda, ubi ipſe Lutherus ait: quòd ad Sacerdotes novæ legis potiſſimùm ſpectat miniſterium prædicandi verbum Dei, juxtà illud Malachiæ cap. 2, verſ. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Ex hoc textu Lutherus vult quòd omnis, qui poteſt prædicare verbum Dei, & docere Evangelium, ſit Sacerdos. Hoc autem docendi miniſterium (inquit) ſpectat ad omnes Chriſtianos. Nam Apoſtolus de omnibus promiſcuè loquens, ſcilicet de viris, ac mulieribus, 2. ad Corinth. cap. 3: verſ. 4. & ſequentibus, ait: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti non litera, ſed Spiritu.* Idem aſſerit D. Petrus loco citato ubi inquit: *Ut virtutes annuncietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum:* Itaquè omnes Chriſtiani efficiuntur Sacerdotes per baptiſmum, per quem efficiuntur concionatores verbi Dei, & Annunciatores virtutum ejus, cùm per baptiſmum efficiantur membra Chriſti, & Filij Eccleſiæ.

Malach. 2

2. Corint. 3.

Reſpondeo: Lutherum in hoc argumento ex Scriptura Sacra malè intellecta deſumpto, ſupponere falſum, nempè potiſſimum, & eſſentiale Sacerdotis officium, eſſe docere verbum Dei, & prædicare Evangelium, ità ut in hoc preciſè conſiſtat character Sacerdotalis. Quapropter obiter dico hìc obſervandum eſſe, omnes Sacerdotes non habere poteſtatem prædicandi verbum Dei præciſè, quia Sacerdotes ſunt, ut ex ſupra jam dictis ſuaderi poteſt, ſed ſolùm illos, qui curam animarum habent, & ſunt Paſtores ovium Chriſti, hique ſunt illi, de quibus loquitur Malachias, ut conſtat ex verbis præcedentibus in verſ. 1. & 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc ò Sacerdotes, ſi nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, & detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum* &c.

Secundum Lutheri argumentum ſupponit falſum.

Primarium & principale Sacerdotis officium, non eſt docere, ſed offerre & orare pro delictis, & peccatis populi, ut infertur ex illo ad Hebræos cap. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt à Deo, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis;* quibus verbis Apoſtolus intendit demonſtrare, finem primarium Sacerdotis eſſe offerre ſacrificia pro hominibus, ut à peccatis ſolvantur, hacque ratione ſola probat idem Apoſtolus, Chriſtum eſſe Sacerdotem, quia obtulit; non quia docuit: Igitur Lutherus malè infert ex prædicatione Sacerdotium; cùm eſſentia Sacerdotis non conſiſtat in prædicatione verbi Dei, nec è converſo, ſed in poteſtate conficiendi, & diſtribuendi Corpus Chriſti ex vi verborum Sacramentalium.

Hoc verum eſſe patet etiam ex praxi Apoſtolorum. Nam ordinati fuerunt Sacerdotes à Chriſto in cœna, ſeu quando dedit illis poteſtatem conficiendi Corpus, & Sanguinem ſuum ex pane, & vino. Et tandem conſummavit Sacerdotium, & conſtituit eos paſtores, quando dedit illis poteſtatem remittendi peccata, aut dixit eis. *Ite in univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ, quorum remiſeritis peccata* &c. Sed ante tempus illud, hoc eſt, ante Cœnam, & antequam illis diceret: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quidam Apoſtoli miſſi fuerant ad prædicandum, ut certum eſt ex teſtimonio Matthæi cap. 10. verſ. 6. & 7. ubi conſtat, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis, aut duodecim Apoſtolis, quos elegerat: *ite ad oves, quæ perierunt domus Iſraël: euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquavit regnum Dei.*

Matth. 10

Idem conſtat etiam ex Act. Apoſtolorum cap. 8. in quo legitur quòd Philippus prædicabat Samariæ, qui tamen non erat Sacerdos, nec Epiſcopus, ut patet ex eadem hiſtoria actuum Apoſtolorum, quia non fuiſſet, opus mittere ad Samaritanos Petrum, & Joannem, ſi Philippus poſſet omnia Sacerdotis officia exercere, nam tunc pauci erant Sacerdotes, teſte eodem Evangeliſta, cap. 9. verſ. 37. dicente *Meſſis quidam multa, operarij autem pauci*: Ergo Lutherani ex prædicatione, falsò inferunt, Sacerdotium. Et ex præcitatis locis falsò credunt, quemlibet Chriſtianum poſſe prædicare verbum Dei (cùm nemo poſſit prædicare, niſi mittatur) & quemcumque verbum Dei prædicantem, eſſe Sacerdotem, quoniam poteſtas prædicandi Evangelium eſt diverſa à poteſtate conficiendi Sacram Euchariſtiam.

Ad illud Apoſtoli. *Idoneos nos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti*, dico quòd non debet intelligi de omnibus, & ſingulis Chriſtianis; ſed ſolùm de Apoſtolis. Ipſi enim ſunt illi, quos Chriſtus fecit miniſtros Novi Teſtamenti; alij verò, qui Apoſtolis ſucceſſerunt in miniſterio, facti fuerunt Miniſtri ab hominibus, id eſt, ab Apoſtolis, vel ab Epiſcopis, qui verè Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Nam ibi Paulus commendabat Apoſtolatum.

Miniſtri de quibus loquitur paulus ſunt Apoſtoli.

Huic reſponſioni ſuffragatur authoritas D. Anſelmi eadem Pauli verba ſic interpretantis. *Incipit ſe nunc alio modo, quam ſuperius commendare ut & pſeudo-Apoſtolos deformet, innuens eſſe miniſtros veteris teſtamenti, dum oſtendit ſe miniſtrum eſſe novi*, Ex quo liquido conſtat, ibi Apoſtolum loqui non de omnibus Chriſtianis, ſed de ſe ipſo, & aliis Apoſtolis. Undè in principio hujus capitis ait: *Incipimus iterum noſmet ipſos commendare, aut nunquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis Epiſtolis ad vos, aut ex vobis Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus.* Hæc quidem priora verba nequeunt applicari Chriſtianis omnibus, ſeu Corinthiis, ſed tantùm Apoſtolis, poſteriora verò, ſeu *Epiſtola noſtra* debent intelligi de Corinthiis.

D. Anſelm.

Deinde Miniſtri Novi Teſtamenti, de quibus loquitur Paulus, ſunt illi, de quibus loquitur Matthæus cap. 10. ſed illi de quibus loquitur Matthæus, ſunt duodecim Diſcipuli, nam verſ. 2. legimus. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon qui dicitur Petrus* &c. quibus Chriſtus dedit poteſtatem ſuper Spiritus immundos, ut eos ejicerent, & curarent omnem languorem, & omnem infirmita-

tem, ſuntque illi, quos miſit ſicut oves in medio Luporum: Igitur Paulus de ijſdem Miniſtris, ſeu de Apoſtolis Corinth. cap. 3. verſ. 6. loquitur, & vult nullum hominem eſſe miniſtrum Chriſti, aut Sacerdotem ex vi ſolius baptiſmi.

ARTICULUS LII.

Defendit contra Carloſtadium, Sacerdotes teneri ad ſervandam continentiam.

Jovinianus non eſt hujus hæreſis author.

NOn deſunt Scriptores aſſerentes, Juvinianum Jovinianiſtarum authorem (contra quem D. Hieronymus ſcripſit duos libros) docuiſſe Sacerdotes in lege gratiæ non teneri ad ſervandam continentiam, nec debere eſſe Cælibes. Ab ipſis tamen recedo, quia ſi Jovinianus dixerit, Virginitatem non eſſe apud Deum majoris, & excellentioris meriti, quàm conjugium, ſed pares eſſe dixerit nuptias Virginitati, nunquam tamen improbavit eos, qui volebant in cælibatu vivere, nec reprehendit Sacerdotes, qui uxores habere nolebant; licet non reprehendiſſet eos Sacerdotes, qui uxores ducebant, nec Moniales, quæ poſt emiſſum caſtitatis votum, nupſerunt. Nam ipſemet Jovinianus, teſte D. Auguſtino lib. 1. de hæreſ. ad Quoduitdeum cap. 82. noluit uxorem ducere, non quòd majus ſe apud Deum meritum habiturum inde ſperaret; ſed nè nuptiarum pateretur moleſtias: igitur primus, qui docuit Sacerdotes non debere eſſe cælibes, & cælibatum eſſe ſtatum damnationis ratione impoſſibilitatis ad caſtitatem ſervandam, non fuit Jovinianus, de quo eſt ſermo in articulo de inæqualitate, & diverſis gradibus gloriæ, ſed fuit Simon Magus, ut tradit D. Irenæus lib. 1. cap. 20. Hunc hæreticum ſecutus eſt Martinus Lutherus, qui Romanam Eccleſiam contemnit eo quod cogat Sacerdotes ad ſervandam continentiam, eoſque removeat à conſortio mulierum, ſeu à copula carnali. Quòd nedum verbo docuit, ſed etiam opere confirmavit. Nam Monialem quamdam dictam Catharinam de Bora ſeduxit, & matrimonio ſibi copulavit, & ex ea Filios aliquos genuit, ut refert noſter Alphonſus à Caſtro, qui Concilio Tridentino interfuit ut Theologus à Rege Hiſpaniæ miſſus, & teſtis & Conjudex condemnationis Lutheri hujus hæreſis Authoris.

Carloſtadius.

Luthero adhæſit Andreas Carloſtadius natus Franconiæ, Eccleſiæ Uvitembergenſis Archidiaconus factus eo tempore, quo ſe in hanc Eccleſiam Lutherus intruſit, errores ſuos ſeminaturus, fuit primus Lutheri diſcipulus, & primus Sacerdos, qui uxorem duxit publicè, tunc enim nondùm uxorem ſuam duxerat Lutherus, nè Saxoniæ Dux ipſius protector in illum iraſceretur, ſed ipſo Duce mortuo, ad nuptias ſtatim convolavit. Ut autem ipſe Andreas Carloſtadius alios Sacerdotes ſuo exemplo commovere poſſet, eodem die, quo ſe matrimonio copulavit; publicè miſſam celebrari voluit, novo ritu compoſitam, in cujus introitu hæc verba decantata fuere: *Dixit Dominus Deus non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Hujus miſſæ oratio fuit hæc: *Deus qui poſt tam longam & impiam Sacerdotum tuorum Cæcitatem, Beatum Andream Carloſtadium eà gratià donare dignatus es ut primus nulla habita papiſtici juris ratione uxorem ducere auſus eſt: da quæſumus ut omnes Sacerdotes, recepta ſana mente, ejus veſtigia ſequentes, ejectis Concubinis, aut eiſdem ductis, ad legitimi conſortium thori convertantur, per Dominum noſtrum &c.*

Uvolfangus

Infauſtiſſimum hujus hæretici exemplum ſecutus eſt Uvolfangus Argentinenſis, cujus uxorem, illo mortuo, accepit Martinus Bucerus, de quo etiam ſicut de Luthero locuti ſumus alibi. Et ab illo tempore apud Lutheranos, Sacerdotes habent uxores. *Bucerus*

Calvinus in hoc errore ſicut in pluribus aliis convenit cum Lutheranis. Docuit enim, omnes generali præcepto ad nuptias teneri, & ſic improbando cælibatum, & virginitatis votum, vult, Miniſtros Eccleſiæ non poſſe tutâ conſcientiâ, ſe ab uxoribus abſtinere. *Calvinus*

§. I.

De hujus hæreſis proſcriptione

Concilium Apoſtolorū

HAnc Lutheranam hæreſim damnat vigeſimus quintus Canon Apoſtolorum, ubi legimus: *Ex his qui cælibes in Clerum pervenerunt, jubemus ut lectores tantùm, & cantores (ſi velint) nuptias contrahant.* Hæc quidem verba demonſtrant, ab ipſis Eccleſiæ primordiis non licuiſſe Diaconis, aut Presbyteris poſt ſuſceptos ordines Sacros, matrimonium contrahere; cùm lectoribus, & Cantoribus dumtaxat nuptias permittant.

Concilium Neocæſarienſe.

Idem decrevit Concilium Neocæſarienſe celebratum ſub Silveſtro Papa anno CCCXVI. per XVII. Epiſcopos, qui in primo decreto dixerunt: *Presbyter ſi uxorem duxerit, illum ab ordine deponi debere ſtatuimus, quòd ſi fuerit fornicatus, vel adulterium commiſerit, extrà Eccleſiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.* Hoc quidem Canone conſtat, in primordiis Eccleſiæ, Sacerdotibus prohibitum fuiſſe matrimonium contrahere, hancque prohibitionem nunc obſervari in univerſa Eccleſia tam Latina, quàm Græca; cùm tam in illa, quàm in iſta, nulli Sacerdoti liceat matrimonium contrahere.

Conſtitutio Innocentij III.

Reverà Græci conjugati ſæpè promoventur ad Sacerdotium, ſed nulli Sacerdoti permittitur matrimonium, ut teſtantur Innocentius Papa III. de Clericis conjugatis cap. *cum olim.* Et Gratianus diſt. 28. cap. 13. in fine, hac quidem Latinorum, & Græcorum praxi oſtenditur, matrimonium ſemper Sacerdotibus fuiſſe prohibitum, quamvis in Eccleſia primitiva obſervatum fuerit, ut qui uxorem duxerat, promoveri poſſet ad presbyteratum. Sanè tunc matrimonium non erat impedimentum ad Sacerdotium (alioquin Chriſtus non vocaſſet uxoratos ad Apoſtolatum) ſed Sacerdotium erat impedimentum ad matrimonium, ſi non lege aliquâ ſpeciali, ſaltem conſuetudine laudabiliter introducta. Nullibi enim legi Sacerdotem licitè uxorem duxiſſe, nec eſſe neceſſarium quod promovendus ad Sacerdotium, ſit uxoratus, nam D. Joannes Evangeliſta fuit virgo, tamen conſtat, eum fuiſſe Sacerdotem, & Epiſcopum: ergo non erat neceſſarium ut uxorem duxiſſet, qui conſecrandus erat Sacerdos, quamvis uxorato licuiſſet Sacrum Presbyteratum ſuſcipere. Hæc praxis invaluit uſque ad Concilium Nicænum, hoc eſt, uſque ad annum CCCXXV. in quo Concilio decretum fuit né aliquis Uxorem habens conſecraretur Sacerdos. Reverà hic Canon non invenitur, multa enim decreta illius Concilij per incuriam, aut fortè Arianorum malitiam, deperdita ſunt, ut monet D. Iſidorus, tamen refertur à pluribus viris Sanctis, qui in quarto ſæculo florebant, & præſertim à Syricio Papa in quadam Epiſtola, quam ſcripſit ad Cumerium Epiſcopum Tarraconenſem; tamen non obſtante hac Arianorum malitiâ, tertius hujus Concilij Canon prohibet ſubintroductas mulieres omnes, exceptis tamen his de quibus nulla poteſt oriri ſuſpicio, quales ſunt, Mater, Soror, Amita, Avia, Matertera, inde enim, ſcilicet ex hac conſtitutione, indirectè prohibetur Sacerdotibus matrimonium, quia hæc prohibitio non poteſt fieri, niſi in præſidium continentiæ ſervandæ.

Hinc

Hinc eſt quòd olim D. Baſilius hujus Canonis Concilij Nicæni authoritate fretus, non permiſit Sacerdotem ſeptuagenarium ſecum habitantem habere mulierem, dicens: ejice illam ex ædibus tuis, & trade in monaſterium, ſit illa cum Virginibus, tu inter viros miniſtra, lege Canonem à Sanctis Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdicit ne quis mulierem ſubintroductam habeat.

Tandem Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 9. eamdem veritatem declarat contrà Lutherum, ibi enim ait: *Si quis dixerit, Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, nonobſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit: cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus, tentari.* Hic Canon nedum vult, Sacerdotes ad obſervandam caſtitatem obligare, ſed etiam oſtendit remedia, ut poſſint eſſe cælibes, & continentiæ obſervatores: quamvis interdicat illis matrimonij Sacramentum.

Tridentinū

§. II.

Probatur Aſſertio Catholica.

OB varias rationes certò Eccleſia vult, Sacerdotes eſſe cælibes. Nam matrimonium impedit Eccleſiaſtica munera, nimirum Sacrificare, docere, exhortari, & miniſtrare Sacramenta, & applicat uxoratos totaliter ad negotia temporalia, & ſæcularia. Quoad primum, patet, quia ſumma puritas requiritur in illo, qui puriſſimam immolat hoſtiam, quæ quidem puritas nequit eſſe in conjugio, in quo habetur quædam turpitudo; cùm actus conjugalis inter virum, & uxorem præ verecundia non admittatur niſi ſecreto.

Summa puritas requiritur in Sacerdotibus

Quòd idem actus conjugalis impediat orationem Sacerdotali miniſterio prorsùs neceſſariam, conſtat etiam, quia oratio mentem exigit elevatam, matrimonium verò ad infima deprimit animam, facit enim eam carnalem, ait D. Auguſtinus lib. 14. de civit. cap. 17. quare Apoſtolus, 1. ad Corint. cap. 7. admonet matrimonij vinculo ligatos, ut non fraudent ſe invicem officio conjugij, niſi forte ad tempus, ut vacent orationi, quibus verbis ſatis manifeſtè innuit, conjugium prohibere orationem, quæ cùm ad Sacerdotes pertineat, quia quotidie, pro ſe, & pro populo Deum orare debent, ſequitur quòd debent ipſi Sacerdotes prorsùs ab actu conjugij ſe abſtinere, eſſe cælibes, ut conſcientiæ integritate, & animi ac corporis puritate fulgentes, acceptabile munus Deo offerant, utque piè & caſtè vivant in hoc ſæculo. Unde D. Ambroſius exponens verba Apoſtoli, dicit: *Si plebis hominibus orationis cauſa ad tempus ſe abſtinere præcipit Paulus, ut vacent orationi, quanto magis Levitis, & Sacerdotibus, quos die, noctèque pro plebe ſibi commiſſa oportet orare? mundiores ergo debent eſſe cæteris, quia actores Dei ſunt.*

D. Ambroſius.

Matrimonium etiam impedit prædicationis efficaciam, tam ex parte audientium, qui difficile crederent uxorato carnis libidines prohibenti, quàm ex parte uxorati prædicantis. Quomodo enim Sacerdos, ſi eſſet uxoratus, poſſet exhortari viduas, Virgines, viros, ac mulieres, Filios, & Filias ad ſervandam continentiam, cùm perpetuò liberis procreandis daret operam & qui prò liberis ſuſtentandis ſe ità totum occuparet, ut non cogitaret quæ ſunt Dei, ut inſinuare videtur Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 7. verſ. 33. dicens: *Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi.* Tandem matrimonium impedit adminiſtrationem Sacramentorum; certum quidem eſt quòd ſi Sacerdotes non differrent per continentiam à Laicis, ferè omnes fideles aſpernerent Sacramenta, eorumdemque miniſtros, in quibus eſſe debet perfectiſſima puritas.

1. Corint. 7.

Meritò igitur Eccleſia, quæ habet Pontificem Sanctum, impollutum, & à peccatoribus ſegregatum, decrevit, ut nullus ad Sacros ordines ſuſcipiatur, niſi prius continentiam voverit, ut præcipitur in Can. *nullum* diſt. 28. ubi legitur: *Nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit.* Et nonnullis interjectis. *Quia nullus ad miniſterium altaris accedere debet, niſi cujus caſtitas ante ſuſceptum miniſterium, fuerit approbata.* Nec levis dici poteſt ab hæreticis hæc conſtitutio Eccleſiaſtica; cùm continentia dignè miniſterium exercendi occaſionem præbeat, & in cura ac ſollicitudine rerum ſpiritualium detineat, ut liquidò patet ex ſupradictis. Et Deus eam plurimùm extollat per os Iſaïæ Prophetæ cap. 48. ubi de Eunuchis, qui continentiam figurant, & nubere nolunt, dicit: *Adducam eos in montem Sanctum meum; & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocauſta eorum, & victima eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Quibus certò liquet, neceſſarium eſſe quòd Eccleſiæ Sacerdotes ſint mundi, & cælibes, ut ipſorum holocauſta magis placeant Deo, & ut Sponſa Spiritus Sancti habeat miniſtros tales, quales ſunt cogitationes ejus, ſcilicet Miniſtros Virgines. Eccleſia Chriſti eſt Virgo cùm nunquam defecerit, nec adverſus eam prævaluerint portæ inferi: Indecens eſt igitur ipſam habere miniſtros pollutos, & incontinentes, & uxoratos.

Iſay. 48.

Deindè Eccleſia Chriſti, quæ eſt perfectior, & Sanctior Synagogâ, puriores debet habere miniſtros. Quòd ſi hoc nolunt hæretici, velint ad minus, Sacerdotes noſtros eſſe in puritate mentis & corporis Sacerdotum Synagogæ; at iſti erant mundi, ſeu caſti. Nam in veteri lege nullus carnes agni comedere poterat, niſi renes accinctos haberet, ut oſtenderet ſe eſſe mundum. Per illam ſiquidem renum cincturam deſignabatur libidinis refrænatio, ut declarat Chriſtus Dominus in Evangelio, quod ut caſtitatem commendet, inquit, *Sint lumbi veſtri præcincti:* Lumbos enim præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus, inquit D. Gregorius homil. 13. in Evangelia.

Eccleſia Chriſti eſt perfectior Synagogâ

Rursùm legimus in primo libro Regum quod cum veniſſet David ad Achimelech Sacerdotem, non prius panes Sanctificatos, etiam fame urgente, recepit, quàm ſe ſuoſque à mulieribus, non ſolum ab alienis, aut concubinis, ſed etiam à propriis uxoribus mundos teſtaretur: ergo in Eccleſia Chriſti, in qua non figura, ſed verè & realiter Chriſtus immolatur, & ſumitur, Sacerdotes, qui quotidie offerunt illum Deo Patri, ſumunt, & dant cæteris, debent eſſe cælibes, & ab omni contactu Mulierum ſe abſtinere, ut Sancta Sanctè adminiſtrent.

§. III.

De Reſponſionibus ad Hæreticos.

HÆreticorum ratio, eſt exemplum aliquorum Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum Epiſcoporum, qui uxores habuerunt. Nam (inquiunt & præſertim Calvinus in opere de inſtitutione Chriſtian. cap. 3.) ſi liberum fuit Apoſtolis, & aliis Epiſcopis ducere uxores, & ipſis uti carnalitèr, certiſſimum eſt quòd modò Sacerdotes poſſunt eadem libertate uti, ſeu habere uxores. Durum eſt enim, imo injuſtum, prohibere id quod Chriſtus permiſit.

Reſpondeo negando conſequentiam: nam licet verum ſit Apoſtolos, & Epiſcopos, aliquos habuiſſe uxores, falſiſſimum tamen eſt, Epiſcopos aliquando duxiſſe uxores, ut ſupponit Calvinus. Nunquam inter Catholicos fuit permiſſum Sacerdoti uxorem ducere, ſicut fecerunt Lutherus, Carloſtadius, Oecolampadius, Bucerus, Calvinus, & alij, licet aliqui uxores habentes ordinari fuerint Sacerdotes: nam quandò Chriſtus aſſumpſit Apoſtolos, aliqui eorum habebant uxores. Et olim plures conjugati ordinari fuere. Nec hoc implicat ex divina Inſtitutione, cùm conjugium non obſit Sacerdotio, niſi

Solvitur prima hæreticorum ratio.

ex Eccleſiaſtica inſtitutione, ſed nullus Apoſtolus, & nullus Epiſcopus uxore carens, duxit uxorem, aut matrimonium inivit, nullus Sacerdos in Eccleſia Romana contraxit matrimonium: itaque hæretici memorati, qui poſt ſuſceptum Presbyteratum, matrimonium contraxerunt, nullum poſſunt afferre exemplum, ut juſtificent non eſſe inauditum in Eccleſia id, quod fecerunt, ſeu matrimonium contrahere poſt ſuſceptionem ordinis Sacri. Plures Lutherum præceſſerunt, ipſo non minus hæretici, & impudici, nihilominus doctiores, qui nunquam tamen dixerunt, Sacerdotes poſſe uxores ducere: Igitur non ut veritatem manifeſtaret ipſe Lutherus, hunc errorem docuit; ſed ut ſuam malitiam probaret, & libidinis ſuæ fomentum præberet contrà continentiam à Sacerdotibus ſervandam.

Objiciunt illud Pauli 1. ad Timoth. cap. 3. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Et ad Titum cap. 1. *Diaconi ſint unius uxoris viri*, ex his colligunt quòd non ſolum Epiſcopi, aut Sacerdotes poſſunt habere uxores, ſed aſſerunt quòd ex Apoſtolo tenentur habere unam uxorem, nè forte alienas capiant, dum nullam propriam habent. Nam (inquiunt) verbum, *oportet* denotat neceſſitatem habendi uxorem aſtringere omnes homines tam Eccleſiaſticos, quam laicos ad nuptias contrahendas.

Sed errant Lutherani. Nam non nocet hæc Pauli authoritas, quoniam Apoſtolus in illis verbis non exigit matrimonium in eo, qui ordinandus eſt Sacerdos, aut Epiſcopus, ita ut oporteat quòd habeat uxorem, ut ordinetur, aut quod eam ſuſcipiat poſt ordinationem, ut in Sacerdotio, vel Epiſcopatu vivere valeat. Sed ſolùm per hæc verba *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum* declarat, Bigamum non poſſe ordinari, nec fieri Sacerdotem. Quia fuit pluſquam unius uxoris vir: Ità tradunt communiter expoſitores. Ratio Apoſtoli declarantis, Bigamos eſſe à Clericis arcendos, eſt quia Bigamia eſt ſignum incontinentiæ. In Bigamia non eſt perfecta ſignificatio conjugij Chriſti cum Eccleſia, nam Chriſtus eſt unus, unius Eccleſiæ ſponſus, qualis non exiſtit Bigamus cùm duarum uxorum fuerit ſucceſſivè ſponſus.

Solutio ad ſecundam hæreticorum rationem.

Hanc expoſitionem eſſe juxtà mentem Apoſtoli, affirmant Sancti Patres, & præſertim D. Hieronymus, lib. contra Jovinianum, ubi obſervat quòd Paulus non dicit: eligatur Epiſcopus, qui unam duxerit uxorem & Filios faciat, ſed qui unam habuerit, & Filios in omni diſciplina ſubditos; alioquin ſi nullus poſſet ordinari Epiſcopus, niſi habeat uxorem, aut poſſit manere Epiſcopus, niſi ducat uxorem, aut ſit vir naturalis unius uxoris, ut prætendunt hæretici, ſequeretur quòd Joannes Evangeliſta, non fuiſſet Epiſcopus, quia ſemper ſine uxore fuit, & Virgo permanſit; imò nec ipſe Paulus fuiſſet Epiſcopus, quia nunquam uxorem habuit, ut facile colligi poteſt ex Epiſt. 1. ad Corint. cap. 7. ubi Innuptis commendans cælibatum, ait, verſ. 7. & 8. *Volo enim vos eſſe ſicut me ipſum, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic. Dico autem non Nuptis & viduis bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut ego.* Hoc eſt, ſi maneant in cælibatu, ſicut & ego maneo: Igitur juxtà mentem Apoſtoli, ut quis fiat Sacerdos, non eſt neceſſe quòd habeat unam uxorē; licet dicat, ſit unius uxoris vir; cùm conſtet quòd in loco citato non exigit matrimonium pro ordine Sacro ſuſcipiendo, ſed ſolum affirmat quod ſi quis conjugatus velit fieri Epiſcopus, oportet quòd ſit unius uxoris vir, hoc eſt, quòd ſolùm unam noverit, quæ legitima fuerit, ut obſervat Oecumenus ſuper primum caput Epiſtolæ ad Titum.

D. Hieronymus.

1. Corint. 7.

Eamdem veritatem docet D. Chryſoſtomus homil. 1 ſuper Epiſt. ad Timoth. ubi ait: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, non hoc veluti ſanciens dicit, quaſi non liceret abſque uxore Epiſcopum fieri, ſed ejus rei modum conſtituens*, id eſt, conſtituit modum illis, qui fuerunt uxorati, ſi velint ordinari. Hic autem modus eſt excludere ab Epiſcopatu eos, qui plures aut duas habuerunt uxores, ſeu Bigamos, ſi velint ordinari, quia (inquit) oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, id eſt, ſi fuerit uxoratus, oportet quod fuerit vir unius uxoris tantum, & hic eſt modus, quem D. Chryſoſt. vult, Paulum conſtituiſſe pro viduis ad ordines Sacros promovendos; quin intendat oſtendere ordinandum debere eſſe uxoratum.

Dicent Apoſtolum ad Corint. 1. c. 7. velle quòd propter fornicationem liceat unicuique habere uxorem, & perconſequens quòd Sacerdos à carne ſua ad venerem impulſus, poſſit ducere uxorem; cùm Apoſtolus loquatur generaliter, hoc eſt, tam de laicis, quàm de Presbyteris, ut denotat hæc particula, *unuſquiſque* quæ ſignificat omnes in particulari: ergo licet Sacerdoti contrahere matrimoniū propter fornicationem cùm caro Sacerdotis ſit infirma ſicut caro laici.

Non nocet hæc inſtantia. Tum quia ibi Paulus non alloquitur omnes indiſcriminatim; ſed gentibus converſis, qui dubitabant an poſſent in Chriſtianiſmo ſuas uxores retinere, quod dubium diſſoluit idem Apoſtolus dicens illis, *propter fornicationem* &c. Tum quia ibi Paulus non præcipit nuptias, nam in eodem cap dat. conſilium de non nubendo. *De virginibus* (inquit) *Præceptum Domini non habeo Conſilium autem do. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem, qui matrimonio jungit virginem ſuam benefacit, & qui non jungit melius facit. Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat tantum in Domino, beatior autem ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium.* Non nè per hæc verba Apoſtolus declarat manifeſtè, nullum hominem teneri ad matrimonium contrahendum: hinc eſt quòd dum ait: *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat.* Oſtendit tantum obligationem, quam conjuges habent ad debitum ſibi invicem reddendum, ne unus conjux ſumat occaſionem Adulterij. Quare ſtatim addit, *Et unaquæque ſuum virum habeat. Uxori, vir debitum reddat. ſimiliter autem & uxor, viro. Mulier ſui. corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet. ſed mulier.* Aberrant igitur Lutherani dum ex hac Apoſtoli authoritate, *propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat*, inferunt quòd licet Sacerdotibus ducere uxorē, ſi non habeant; cùm ille, qui permanet ſecundum conſilium quod dat virginibus, ſit beatior, ut aſſerit verſ. ult. dicens: *Beatior autem ſi ſic permanſerit.* id eſt virgo, *ſecundum meum conſilium.* Et ut fidem obtineat ait: *puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Sunt alij quam plurimi in ipſius Apoſtoli Epiſtolis textus, qui hanc explicationem confirmant.

Reſponſio ad hæreticorum inſtantiam.

Inſtant iterum hæretici ex illo 1. ad Corint. c. 7. v. 9 ubi ait: *Melius eſt nubere, quàm uri*, ibi loquitur Apoſtolus illis, qui in cælibatu vivere non poſſunt, ſed Sacerdotes uruntur à concupiſcentia, ſicut Laici: nubant igitur, hoc enim fieri poteſt citrà peccatum; cùm ſit juxtà Conſilium Apoſtoli, qui ad peccatum neminem provocavit. Etenim ipſius Conſilia, & admonitiones tendunt ad ſanctificationem noſtram.

Reſpondeo, hanc authoritatem Apoſtoli non permittere Sacerdotibus matrimonium, quia loquitur tantum de illis, qui nullo voto ad continentiam ſervandam aſtringuntur, & habent corporis ſui liberam poteſtatem, ut notant Sancti Patres, & præcipuè D. Ambroſius ſerm. 4. cap. 5. Hujuſmodi autem perſonæ, ſi non ſe continent, nubant, melius eſt enim ſalvari in humili gradu, quàm in ſublimitate Cleri deteriùs vivere: ait D. Bernardus. Et melius eſt illis nubere quam uri, ſeu quàm à carnis tentatione ſuperari; licet Deus non permittat nos tentari ſuprà id quod

Rej'citur hæreticorū inſtantia.

poſſumus; alioquin ſequeretur quòd ipſe Apoſtolus matrimonium contrahere debuiſſet in Apoſtolatu, quia ſtimulum carnis patiebatur ut fatetur 2. ad Corint, cap. 2. verſ. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis mea, Angelus Satana qui me colaphizet.* Tamen non contraxit illud, ut diximus io ſecundo libro. Nec in loco citaro loquitur de illis qui à carne tentantur, ſed de illis, qui vincuntur, quia non omnis qui tentatur à carne uritur, ſed ſolùm ille, qui à carne ſuperatur. Uri enim & vinci à concupiſcentia carnis unum,& idē ſignificant in ſenſu Apoſtoli;alias ſi tentari & uri idem ſignificarent, unuſquiſque ureretur; quia unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua ut ſcriptum eſt,&hic matrimunium eſſet perfectius cælibatu (quòd eſt falſum juxtà Concilium Tridentinum) Ratio harum propoſitioonm eſt, quia melius eſt nubere, quàm uri: igitur ſi uri eſſet tentari, ut volunt hæretici, unuſquiſque ureretur, quia unuſquiſque tentatur, & melius eſſer nubere, quàm non nubere. Quòd eſt contra mentem Apoſtoli, qui variis in locis ſtatum cælibatus præfert ſtatui coojugali. Unde quia poſſumus à carne non ſuperati, mediante gratia Dei, ut eidem Paulo declaravit Dominus, dicens illi:*Sufficit tibi gratia mea*, ſequitur quòd Sacerdotes, & illi, qui aliquo voto tenentur ſervare continentiam, non neceſſitantur ad matrimonium contrahendum, quia habent unde poſſint concupiſcentiæ reſiſtere, ſi velint.

2. Corint. 2.

Dicent hæretici quòd hoc nonobſtante, ſcilicet dignitate cælibatus, hæc continentia eſt coacta, & non libera; cùm gratia illa non tollat libertatem, nec extinguat ſtimulum carnis, quamvis infirmet illum nè vincat:ergo (inquiunt) malè facit Eccleſia, dum cogit Sacerdotes ad ſervandam caſtitatem, quam ſervare non poſſunt, niſi coactè, & contrà propenſionem naturæ, ac proinde inutiliter quia Deo non placent opera coacta, quæ cenſentur involuntaria, & includunt quamdam neceſſitatem, in qua nullum eſt meritum.

Reſpondeo Eccleſiam neminem cogere ad ſervandam caſtitatem; licet velit & præcipiat, Sacerdotes non poſſe ducere uxores;nam ille,qui vult conſecrari Sacerdos,ſe ipſum obligat ad ſervandam caſtitatem. Hinc eſt quòd cùm Eccleſia neminem cogat ad Sacros ordines ſuſcipiendos, neminem cogit ad caſtitatem ſervandam. Qui non vult ſervare caſtitatem, non vult eſſe Sacerdos; igitur obſervatio illa caſtitatis non eſt Sacerdotibus coacta, ſed libera,& voluntaria & illis optimè coovenìens, ac proinde hoc votum caſtitatis placebit Deo, ſi Sacerdos velit illud fideliter obſervate, ut de facto poteſt mediante divina gratia, in qua omnia poteſt teſte D.Paulo, qui non obſtante carnis ſtimulo, ſervavit fidem.

Solvitur hæreticorum reſponſio.

Arguunt tandem hæretici, & ut præcedens argumentum confirment aiunt: difficillimum eſſe,imo & impoſſibile caſtitatem perpetuò ſervare, præcipuè aliquibus, qui vehementer à carne impelluntur, & ardentiſſimos patiuntur carnis ardores;quin poſſint illos extinguere. Unde Chriſtus Matth. 19. docens, matrimonium eſſe indiſſolubile ex ſua inſtitutione,& uxorem extrà cauſam fornicationis non poſſe dimitti, inter varios Eunuchos laudat eos, qui ſe caſtraverunt propter regnum Cœlorum,& ait illis varſ. 11. *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Et Paulò poſt ſubdit: *qui poteſt capere, capiat*: ergo (inquiunt) cùm nemo ad impoſſibile teneatur, etiamſi promiſerit illud, nullus poteſt cogi ad ſervandam caſtitatem,non ſolum ab alio,ſed etiam nec à ſe ipſo: quamvis ſit urdinandus Sacerdos:itaquè cum Sacerdotium non ſit ex ſe incompatibile cum matrimonio, illicitum eſt cogere Sacerdotes ad continentiam perpetuò ſervandam.

Matth. 9.

Reſpondeo,concedendo difficillimum eſſe ſervare caſtitatem perpetuam,imò ſi velint,& impoſſibile ſecundum vires naturales: nemo enim poteſt eſſe continens, niſi Deus det, ſed hæc difficultas non eſt ità abſoluta, ut nullo modo hæc caſtitas poſſit obſervari, ſed ſolùm reſpectivè, hoc eſt, difficillima eſt ſolis viribus naturalibus relicta, non autem reſpectu illius, qui à Dei gratiâ adjuvatur, teſte Apoſtolo dicente: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Itaquè Sacerdos poteſt facilè ſervare caſtitatem,ſi velit,& faciat quòd in ſe eſt, quia Deus non denegabit ei hanc gratiam neceſſariam: dat enim illam omni petenti, quia ut inqnit idem Apoſtolus, non patitur nos tentari ſupra id,quod poſſumus, ſed facit cum tentatione proventum.

Explicatur altera hæreticorum ratio.

Nec licet dicere quòd Deus denegat hujuſmodi gratiæ actualis donum. Quoniam eſt auxiliator noſter,& promiſit dare auxilium, ut teſtatur Chriſtus,Matth. 21.verſ.22. dicens *Omnia quæcumque petieritis oratione, credentes, accipietis*: Igitur Eccleſia Romaoa licitè potuit votum continentiæ exigere ab illis, qui ordinari volunt,& Sacrum exercere miniſterium.

Matth. 2.

§. IV.

In quo rejiciuntur Rationes Calviniana.

CAlvinus reſpondet, hanc divinæ gratiæ aſſiſtentiam non eſſe ſufficiens remedium pro ſervanda caſtitate,& ideo dicit eſſe neceſſarium conjugium ad hunc finem divinitùs inſtitutum. Nam in loco citato ubi Monachos propter votum caſtitatis reprehendens, ait: *Virginitatem perpetuam Deo promittunt, quaſi cum Deo ante pepigerint, ut ſe à conjugij neceſſitate liberarent, non eſt quod cauſentur ſe non niſi Dei gratia fretos votum hoc nuncupare. Nam cum ipſe non omnibus dari pronunciet, fiduciam ſpecialis doni capere, noſtrum non eſt qui habent, eo utantur, ſi quando ſe à carne ſua inquietari ſentiunt, confugiant ad ejus opem, cujus ſola virtute poſſunt reſiſtere ſi non proficiunt, nec remedium quod ipſis offertur, contemnant, certà enim Dei voce citantur ad conjugium quibus continendi facultas denegatur.* His verbis ille impudicitiæ amator conatur ſuadere, nullum poſſe eſſe caſtum. Tum quia vult gratiam Dei non eſſe remedium ſufficiens ad ſervandam caſtitatem promiſſam. Tum quia vult, hanc gratiam etiamſi eſſet remedium ſufficiens, non dari omnibus, & ſingulis huminibus.

Calvini argumentum.

Porrò omiſſis variis rationibus, quibus reprehendi poſſet temeritas aut impudentia Calvini irridentis eos, qui caſtitatem vovent. Dico, gratiam Dei eſſe ſufficiens remedium ad ſervandam continentiam illis qui amant eam; cùm nullus poſſit citrà impietatem negare teſtimonium Chriſti dicentis Apoſtolo ſtimulô carnis colaphizato: *ſufficit tibi gratia mea*: Igitur ſufficit Sacerdotibus, & aliis caſtitatis voto ligatis, ad ſervandam continentiam, ſicut ſufficit ad exercendas alias virtutes, & ad evitanda uitia; alioquin homo non haberet unde poſſet ſalvari. Quòd eſt falſum etiam apud Calviniſtas.

Tandem certum eſt quod omnes conjugati non ſe abſtinent ab adulterio, neque omnes abſtinent ſe à furto,& ſic de cæteris vitiis, à quibus tamen ſe abſtinere debent, lege naturali (imò & divina) ſic præcipiente. Tamen Calv. aſſerit, Dei auxilium eſſe ſufficiens ad exercendas virtutes, ſeu virginitatem conjugalem, ſobrietatem &c. quidni poterit idem Dei auxilium ſufficere ad ſervandam continentiam? ſi dicat Calvinus quòd conjugatus abſtinet ſe ab adulterio, quia habet uxorem propriam, Sacerdos verò nullam habet, ideoqne ipſum Sacerdotem non habere ſufficieus remedium; licet habeat auxilium Dei. Concedo, conjugatum habere uxorem, hancque eſſe remedium concupiſcentiæ, ſed tamen

Reſponſio ad argumentum Calvinianum.

ipſe negare non poteſt, quòd non ſint plures conjugati, qui ad uxorem alterius accedunt; quin tamen dicat, auxilium Dei non eſſe ipſis ſufficiens ad ſervandam caſtitatem conjugalem: Itaquè malè ſentit de auxilio Dei, dum dicit, ipſum eſſe inſufficiens Sacerdotibus ad ſervandam continentiam, eo quod uxores proprias non habeant, & ideò malè infert ex incontinentia quorumdam Sacerdorum, omnibus inſufficiens eſſe auxilium illud à Deo darum pro continentia ſervanda. Nam licet credat, eſſe Sacerdotes, qui ad uxores accedunt, tamen non debet dicere quòd continentia non poſſit ab ipſis obſervari, etiam mediante auxilio Dei; cùm non dicat, continentiam conjugalem non poſſe obſervari, mediante eodem auxilio; licet videat, conjugatos accedere ad uxores aliorum. Nec poteſt negare hoc delictum provenire ex mala conjugati voluntate, ex qua exeunt cogitationes malæ.

Lutheranos & Calviniſtas neceſſe eſt convincere ex ipſorum teſtimonio, nam peto ab ipſis, & quæro, quid facerent conjugati ſi illorum uxores eſſent ità infirmæ, ut illis nequaquam copulari poſſent, ſanè aliam non ducerent propter fornicationem, quia Lutherani & Calviniſtæ credunt, lege divina prohibitum eſſe habere ſimul duas uxores. Nec accederent ad uxorem alterius, quia improbant Adulterium, nec ad Virginem accederent, quia improbant fornicationem, dicuntque illam illicitam, toties, quoties eſt extrà matrimonium, nec accederent ad propriam, quia ſupponimus eam vere impeditam, quid ergo facerent in tali caſu Sacerdotes Lutherani & Calviniſtæ pro ſervanda continentia, ſi eis licitum eſſet habere uxorem, niſi præces ad Deum effundere pro obtinendo Dei auxilio ad repellendam carnis concupiſcentiam: ergo tale auxilium eſt ſufficiens; alloquin Deus ſineret nos pati ſuprà id quod poſſumus. Quòd eſt contra Apoſtolum, & contrà promiſſionem nobis à Deo factam per os Prophetæ Pſal. 90. ubi inquit: *Quoniam in me ſperavit liberabo*

Pſal. 90. *eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Orent igitur Sacerdotes, & alij voto caſtitatis ligati, ſi velint continentiam ſervare, aut caſtitatem quam promiſerunt. Deus enim qui per propheram dixit: *Vovete & reddite Domino Deo*, petit ut ſibi reddatur quod ei promiſſum eſt. Et quidquid dixerint Lutherus & Calvinus, clament ad Deum, & exaudiet eos, hoc eſt, dabit illis auxilium ad vincendas carnis tentationes, ut continentiam ſervent, Deus enim recipit confugientes ad ſe, ut ſancit Chriſtus Dominus, Joan.

Joan. 6. 6. verſ. 37. dicens: *Qui venit ad me non ejiciam foras*, imo eos, qui laborant, vocat ad ſe, Matth. 11. verſ.

Matth. 11. 28. dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Nonne tentatio carnis eſt onus grave. Nonne qui hoc onus portant, magno labore fatigantur, confugiant ergo ad Deum, & reficiet eos, & liberabit eos à malo, ſcilicet à tranſgreſſione voti continentiæ, ſicut plures de quibus fit mentio in hiſtoria Eccleſiaſtica, qui maluerunt mori, quàm fædari.

ARTICULUS LIII.

Quò adverſus Davidgeorgianos approbantur Miracula.

EX D. Hieronymo ſuper Matthæum, Judas Iſcariotes omnium hæreticorum Evangelicæ legis,

Judas Iſcariotes. & a fide Chriſtiana recedentium primus, ea infidelitate, qua Dominum tradidit, putabat, ſigna & prodigia, quæ viderat facta a Chriſto, magicis artibus fuiſſe perparrata, ejus mens erat oſtendere, Chriſtum Dominum nullum majeſtate divina feciſſe miraculum, ideoque inter hæreticos à quibus eſt impugnatus præſens articulus, ipſe Judas reponi poteſt velut primus.

Anno CCCLVIII tempore Conſtantij Imperatoris, & Liberij Papæ inſurrexit contrà univerſa Chriſti, & Sanctorum miracula quidam vir hæreticus genere Capadox nomine Eunomius, corpore quidem, & anima Leproſus, ſed artis dialecticæ Calentiſſimus, & in omnibus inimicus veræ fidei, qui docuit, miracula, quæ ſolitò dicuntur eſſe Sanctorum, eſſe Dœmonum præſtigias, ac proindè Eccleſiam non poſſe approbare miracula, nec ea fidelium oculis exponere, ut colent, invocent, & venerentur illum Sanctum, quem dicit talis miraculi authorem. Hanc Eunominianorum hæreſim, authoritate ſua imperiali ſuſtinere voluit, anno CCCLXXVIII. vivente Damaſo Papa, Valens Valentiniani Imperatoris frater, ſectà Arianus, qui invocationem Sanctorum, cultumque imaginum, & reliquiarum volens abolere, dicebat, nullum factum fuiſſe verum miraculum ab hominibus: quamtumvis Sanctis, & Juſtis. *Eunomius* *Valens*

Eunomio ſucceſſit Vigilantius, quem Dormitantium vocat D. Hieronymus in duobus libris, quos contrà illum ſcripſit. Hic vir hæreticus fuit Presbyter Eccleſiæ Barchinonenſis, vixit Arcadij Imperatoris, & Anaſthaſij Papæ temporibus circa annum Domini CCCCII. & dixit Sanctorum miracula, quæ Eccleſia veneratur, non eſſe opera Dei in Sanctis ſuis, ſed Dœmonum. Et ex hac hæreſi aliam deducebat, ſcilicet, Sanctos non eſſe invocandos, ut in proprio loco dictum eſt. At hæc hæreſis ſtatim ſopita fuit zelo, diligentià, & doctrinà Epiſcoporum Cataloniæ, & ſopita remanſit uſque ad annum MCLX. Hoc quidem tempore Pauperes de Lugduno, aut Uvaldenſes de quibus ſæpe locuti ſumus, dixerunt, nulla vera miracula fieri in Eccleſia, & ità nullum eorum, quæ ab ipſa referuntur, & dicuntur miracula, eſſe miraculum verum. *Vigilant.* *Uvaldenſes*

Eamdem hæreſim poſteà docuerunt Davidici, ſeu Davidgeorgiani, qui ſolitò Antilutherani dicuntur, & vocantur, eodemque nomine ab alijs Novatoribus diſtinguuntur. Et Mennonitæ, ſecta Anabaptiſtæ, ſic dicti à Mennona, qui cùm nullô miraculô declarare poſſent, ſe & ſuos diſcipulos à Deo miſſos eſſe tanquam Apoſtolos, & Evangeliſtas, ut ſe ſe jactitabant, in prædicationibus ſuis publicis dixerunt, nullum hominem, miracula perpatrare poſſe, nè populus miracula, & prodigia expectans, & nullum in ipſis videns, eos repreſentaret pſeudo-Apoſtolos, & Seductores, aut ut melius dicam, tales quales erant. *Davidgeorgiani.* *Mennonita*

§. I.

Statuit veritatem Articuli.

COnrrà hæreſim, quam impugnamus, habemus Concilium Trident. ſeſſ. 25. in decreto de invocatione Sanctorum circà finem, ubi legitur: *Statuit Sancta Synodus nulla admittenda eſſe nova miracula, nec novas reliquias ſuſcipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Conſilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit.* Hac quidem authoritate, patres hujus Concilij nedum ſtatuunt miracula ab Eccleſia approbata, eſſe credenda tanquam vera, ſed etiam declarant, in Eccleſia Chriſti eſſe vera miracula, ſicut in eadem ſunt veræ reliquiæ Sanctorum. *Concilium Tridentinū*

Concilium Conſtantinopolitanum III. celebratum ſub Agathone Papa anno DCLXXXI contra Monothelitas actione decima quinta circa finem decla- *Conſtantinopolitanum. III.*

Digitized by Google

rat, miracula operari non poſſe per hæreticos, ac proinde ſancit, viros pios & Religioſos poſſe (Deo ſic permittente) facere miracula, quæ poſtquam Eccleſia approbaverit ea, credenda ſunt. Nam ſi Sancti non poſſent miracula facere, fruſtra Concilium illud dixiſſet, viros hæreticos non poſſe operari miracula, cùm, ſuppoſita hac hæreticorum hypotheſi, nulla creatura poſſit ea facere, unde cùm Patres Conſtantinopolitanæ Synodi denegent hæreticis virtutem operandi miracula, ſignum eſt quòd volunt, Deum eam conceſſiſſe aliquibus, ſcilicet Sanctis ſuis dumtaxat, ut videri poteſt in hiſtoria Eccleſiaſtica

Conſtitutio Apoſtolica

Tandem Urbanus VIII. conſtitut. XXXVII. quæ incipit: *Sanctiſſimus* præcepit miracula, gratias &c. quæ præſumuntur accepta à Deo per intereeſſionem alicujus in opinione ſanctitatis defuncti, non poſſe imprimi, nec publicari ſine licentia ſedis Apoſtolicæ, niſi fuerit Canonizatus, aut beatificatus: ergo Eccleſia vult quòd credamus, aliqua eſſe miracula, hæcque vera, ſi ab ipſa fuerint approbata.

His omnibus ſuffragari poteſt perennitas miraculorum in Chriſtiana Religione. Nullus enim in album Sanctorom aſcribitur ab Eccleſia, de cujus virtutibus, pœnitentiis, prodigiis, & miraculis non habeatur pleniſſima fides, intervenientibus cunctis certiſſimæ authoritatis præſidiis, quibus ejus Sanctitas poſt mortem demonſtratur. Undè inquit D.

D. Gregorius.

Gregorius lib. 4 Dialog. cap. 6. *Vita animæ viventis in corpore ſicut deprehenditur ex motu membrorum, ſic vita animæ poſt Corpus in Sanctis penſanda eſt ex virtute miraculorum.* Licet nulli liceat colere eum, per quem facta ſunt miracula; quin priùs authoritate Eccleſiæ

Alexander III.

approbata fuerint, ut declarat Alexander III. in Can. *audivimus* de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Hinc eſt quòd ſicut credimus, animas Sanctorum perfectè purgatas, eſſe in Cœlo, credere etiam debemus vera miracula eſſe in Eccleſia; cùm ipſa Eccleſia, cujus eſt Sanctos Canonizare, plura etiam innumera approbaverit miracula Sanctorum, quorum feſtum colimus, & quorum vita plena eſt miraculis, & prodigiis, quæ Deus in ipſis operatus eſt.

Unum ex argumentis credibilitatis fidei Chriſtianæ, eſt varietas innumerabilis miraculorum, & Sanctorum miranda prodigia, quibus Deus fidem Chriſtianam conteſtatus eſt ſignis & portentis, variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem, ut monet Apoſtolus ad Heb. 2.

De nonnullis miraculis Chriſti.

veluti totidem omnipotentiæ ſuæ pignoribus. Hinc eſt quòd Evangeliſtæ, nè in enarrandis Chriſti ſignis, eſſent prolixiores ob innumerabilem miraculorum varietatem, compendiosè tradiderunt, quod omni ex parte ad Chriſtum afferebantur Infirmi, & curabantur, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes; quin tamen liceat hæreticis dubitare de miraculis, quæ Chriſtus fecit, v. g. de reſurrectione Lazari mortui quatriduani, de Eclipſi Solis tempore ſuæ paſſionis, & tribus horis deficientis, toto aſpectante orbe. Nec de aliis, quæ in Evangelio narrantur, & vera ab omnibus fidelibus creduntur. Nam ſi Evangeliſtæ falſa narraſſent miracula, ſe Judæis ridendos præbuiſſent; cùm ea ſcriberent, quæ facilè verificari poterant. Quoniam Evangeliſtæ ſtatim poſt mortem Chriſti ſcripſerunt, adhuc Judæis ſuperſtitibus, ut patet ex hiſtoria Eccleſiaſtica notante tempus, quo Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes ſcripſerunt. Illi autem Judæi, qui tunc erant, Evangeliſtas falſi teſtimonij convicissent, ſi aliqua falſa poſuiſſent. Undè ſi Deus mirabilis ſit in Sanctis ſuis, & Chriſtus dederit illis virtutem operandi prodigia, & miracula, tenemur etiam firmiter credere, Sanctorom miracula, modò fuerint ab Eccleſia cognita, & approbata. Neſcio qua fronte, atque audacià hæretici poſſunt negare miracula Sanctorum, eſſe vera; cum ipſorum interceſſione Deus innumera operatus fuerit prodigia, quæ tam manifeſta ſunt, ut nullus poſſit ſana mente aſſerere, hæc non eſſe opera Sanctorum, nec Dei, ſed eſſe opera Diaboli. Nonnè ſciunt nullum Dœmonis effectum, eſſe ad converſionem noſtram, miracula verò viam ad ſalutem parare: non deſunt enim qui viſis miraculis pœnitentiam egerunt, de peccatis doluerunt, & ad Deum ſunt reverſi percutientes pectora ſua, ut ex variis hiſtoriis Sacris probatur. Unde Divus

D. Iſydorus

Iſydorus lib. de ſummo bono ait: *Miracula in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus, quia ſignum fidelibus non eſt neceſſarium, quia jam crediderunt, ſed infidelibus, ut convertantur.*

Ex veteri teſtamento prorsùs excluditur dubitatio miraculorum: in eo enim legimus multa miracula, quæ Deus operatus eſt in Ægypto; cùm indè eduxit filios Iſraël. Nec poſſunt dicere hæretici illa opera fuiſſe mirabilia, non autem miracula. Ratio eſt quia hujuſmodi operibus competit definitio miraculi, quæ eſt res inſolita ſupra naturæ potentiam operata, & quæ non fit ex communi conſuetudine. Hinc eſt quòd creatio animæ rationalis non eſt cenſenda miraculum, quia quamvis illius creatio excedat potentiam naturæ, non eſt tamen res inſolita; cùm Deus quotidie creet novas animas: ea ſiquidem quæ fecit in Ægypto, nedum ſunt ſuprà naturæ potentiam, ſed etiam res inſolitæ, ut poteſt videri in Sacris Bibliis: Igitur non ſunt ſolùm mirabilia, ſed vera & realia miracula, de quibus nemo poteſt dubitare, niſi ille, qui univerſam Scripturam, aut ad minus teſtamentum vetus rejicit.

At ut hæretici clariùs videant hæreſim, in quam lapſi ſunt, & ſubterfugij nullitatem agnoſcant, convenit eos convincere authoritate Sacræ Scripturæ, ipſaque illis demonſtrare opera, quæ Deus

D. Ambroſius.

fecit in Ægypto, eſſe miracula. Quare D. Ambroſius relatus in Can. *Revera*, de conſecrat. diſt. 2. ait quod miraculum eſt opus arduum, & inſolitum ſuprà ſpem, & facultatem conſiſtens, ſicut fuit maris rubri tranſitus, aut Jordanis fluvij diviſio, vel alia plura, quæ proponuntur in eodem Canone. In lib.

Num. 26.

Num. cap. 26. verſ. 10. legimus: *Et aperiens terra os ſuum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros, & factum eſt grande miraculum.* Quibus nedùm demonſtratur, Deum feciſſe miraculum, ut pereunte Core, Filij ejus non

Exod. 12.

perirent, ſed miraculum grande. Et in lib. Exod. cap. 11. ſuadetur eadem veritas; cùm diceret Moyſes populo Iſraël ex mandato Domini, quo pacto nocte ſequenti eſſet moriturum omne primogenitum Ægypti, tam ex hominibus, quàm ex Jumentis, ut patet ex his verbis, quæ ſunt in verſ. 5. *Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui ſedet in ſolio ejus, uſque ad primogenitum Ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita Jumentorum.* Poſt quæ ſtatim addit hæc, quæ ſunt in verſ. 7. *Apud autem omnes Filios Iſraël non mutiet canis ab homine uſque ad pecus, ut ſciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios, & Iſraël.* Poſt hæc autem verba nullus poteſt dubitare, opera, quæ fecit Deus in Ægypto, eſſe miracula, & non mirabilia tantùm, niſi velit per mirabilia Dei intelligere miracula, ut plures intelligunt in certis caſibus; ac proinde hæretici fateri debent, miracula, quæ proponit Eccleſia, eſſe vera.

D. Auguſt.

D. Auguſtinus eamdem veritatem de exiſtentia miraculorum ſuadere volens lib. 2. de civit. Dei cap. 28. ait: *Quia populi ad Eccleſiam confluunt caſta celebritate, & honeſtate utriuſque ſexus diſcretione, ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant. Nihil enim eis turpe*

aut flagitioſum ſpectandum, imitandumque proponuntur, ubi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dicta laudantur, aut beneficia poſtulantur, his quidem verbis evidentèr oſtendit dari miracula, ſicut dantur præcepta.

Eamdem veritatem non minus probat contra prænominatos Hæreticos novum Teſtamentum. In ipſo enim invenient cœcos viſui reſtitutos, mortuos ſuſcitatos Leproſos mundatos, claudos ambulantes, Paralyticos ſanatos è quibus unus fuerat per triginta,
Joan. 5. & octo annos infirmus, ut legitur Joan. 5. verſ. 5. *Erat autem quidam ibi homo*, id eſt, propè piſcinam, *triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cum vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet quia jam multum tempus haberet, dixit ei, vis ſanus fieri? reſpondit ei languidus, Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua mittat me in piſcinam &c. Dixit ei Jeſus, tolle grabatum tuum, & ambula.* Nonnè hæc curatio eſt miraculoſa? nonnè ſuperat naturæ virtutem, eſtque inſolita? ergo nullus eſt, qui poſſit citrà hæreſim aſſerere, nulla miracula facta fuiſſe in Eccleſia Chriſti, nec affirmare ea opera, quæ Catholici dicunt miracula, eſſe mirabilia tantùm; quippé aut nullum eſt miraculum in mundo ſive à Chriſto Domino, ſive à Sanctis, ſive à Deo, aut hæc opera quæ retulimus, ſunt vera & realia miracula. Primum non poteſt dici cum plura fiant quæ ſunt ſuprà vires naturæ, & ſunt res inſolitæ: igitur contrà proprium dictamen, & contrà propriam conſcientiam agunt Davidgeorgiani, Uvaldenſes, & alij ipſis antiquiores, dum proclamant, nulla eſſe miracula in Eccleſia. Aut dicunt miracula, quæ in Eccleſia Romana fideles credunt, & venerantur, eſſe falſa & ſuppoſita, acproindè omni laude, & veneratione prorſùs indigna.

Dicent forſan hæreſis Judæ Iſcariotis, & Eunomij, & aliorum fautores, quòd non negant miracula aliqua eſſe vera. Sed quòd negant ea miracula, quæ dicuntur facta à Sanctis ab Eccleſia canonizatis, V. G. à Beatis Gregorio Taumaturgo, Antonio Paduano,
Vana Hæreticorum expoſitio. Hyacinto, Joanne á Capiſtrano, & alijs, eſſe miracula vera, quia ſolùm ſunt res mirabiles à viris Sanctis factæ, quæ quamvis mirabiles, & extraordinariæ ſint, includuntur tamen in ſerie rerum naturalium.

Reſpondetur quòd ſi ſint aliqui Hæreticorum partem tuentes, qui ſic diſcurrant, non ſunt minus Hæ-
Act. 3. retici, quàm Eunomius, Vigilantius, Uvaldenſes, & alij, qui negant abſolutè poteſtatem faciendi miracula tam in Deo, quàm in Sanctis. Ratio noſtra eſt, quia dicere, nullum miraculum factum fuiſſe à Sanctis, eſt contra univerſam Eccleſiæ fidem, & contra Sacram Scripturam, Nam Act. 3. legitur quòd ad vocem D. Petri conſolidatæ ſunt Bazes cujuſdam Claudi petentis eleemoſynam ante portam Templi, quæ dicitur ſpecioſa, qui cum vidiſſet Petrum & Joannem introire in Templum, rogabat ut eleemoſynam acciperet: intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: *reſpice in nos*, at ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. *Petrus autem dixit ei: argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula, & apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt bazes ejus, & planta, & exiliens ſtetit, & ambulavit &c.* Hoc eſſe maximum, & verum miraculum à Divo Petro factum, non poteſt negari ab Hæreticis; cùm omnis populus viderit hanc curationem inſolitam, & vires naturæ excedentem. Et hi qui cognoſcebant claudum illum, impleti ſunt ſtupore & extaſi in eo quod contigerat illi. De eodem Apoſtolo Petro, Act. 9. verſ. 34. legitur quod invenit Lyddæ hominem quemdam nomine Æneam ab annis octo jacentem in grabato, qui erat Paralyticus, & ait illi: *Ænea, ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus, ſurge, & ſterne tibi. Et continuò ſurrexit*

Plurima alia referuntur in Scripturis Sanctis miracula ab Apoſtolis & Diſcipulis Domini facta. Idem refertur in hiſtoria Eccleſiaſtica de pluribus Sanctis: ergo Hæreticorum fautores nequeunt negare, Deum contuliſſe hominibus virtutem faciendi miracula, cùm Apoſtoli plurima miracula fecerint pro converſione fidelium. Et poſt Apoſtolos adhuc fuerit neceſſitas convertendi Infideles per eorumdem Apoſtolorum ſucceſſores, vel Miniſtros Jeſu Chriſti.

§. II.

Solvuntur Hæreticorum Rationes.

HÆretici, & præcipuè Uvaldenſes objiciebant illud Pſal. 71. verſ. 18. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus.* Et Pſal. 76. verſ. 15. *tu es Deus, qui facis mirabilia, notam feciſti in populis veritatem tuam.* Inde enim concludunt, miracula vera nunquam facta fuiſſe. Nam (inquiebant) ſi mirabilia, quæ ſunt minoris virtutis, quàm miracula, à ſolo Deo *Uvaldenſium ratio.*
fieri poſſint, certum eſt quòd nunquam factum fuit verum miraculum, & ideo horum Hæreticorum fautores, ſeu illi, qui nunc impietate moti, miracula Sanctorum irrident, & dolent, dum audiunt Catholicos dicentes S. Antonium Paduanum, V. G. aut S. Catharinam, vel alium Sanctum, aut aliam Sanctam feciſſe aliquod miraculum, meritò rident, dum legunt in Martyrologio talem Sanctum eſſe miraculis clarum, quia (inquiunt) illa opera extraordinaria, aut vires naturæ excedentia à Deo ſolo fieri, acproindè ullo pacto hominibus tribui debere, ſicut nullo modo tribuitur illis creatio mundi.

Reſpondeo ad Hæreticos, verba Prophetæ non militare contra nos, dato etiam & non conceſſo, quòd per mirabilia, non intelligantur miracula. Quia licet *explicantur*
dicat quòd Deus facit mirabilia magna ſolus, non de- *verba pſalmiſtæ.*
bent inferre quòd non fecerit miracula, ſicut fecit mirabilia. Et dum dicit quòd ſolus fecit mirabilia, idem eſt ac dicere, quòd fecit ea à ſe, & propria virtute, nam mirabilia & miracula, quæ facit homo, facit ea à Deo. Undè dico, ſolum Deum eſſe cauſam Phyſicè efficientem miraculorum, Sanctos verò, qui dicuntur miraculorum Patratores, eſſe cauſas morales, & meritorias, nempè cauſas quarum intuitu, & precibus, vel meritis, Deus operatur miracula, & ideò Deus ſolus facit mirabilia efficientèr Phyſicè: at hoc non obſtat quominus verum ſit dicere quòd talis Sanctus fecit tale miraculum; cùm Deus propter merita & interceſſionem hujus Sancti, fecerit illud. Talis enim loquendi modus non eſt alienus à Sacris Litteris, in quibus ſæpè legitur quòd ille propter quem Deus aliquid facit, dicitur cauſa facti.

Chriſtus Joan. 14. verſ. 12. confirmat hanc ipſam veritatem, ibi enim inquit, *amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet,* *Joan. 14.*
& majora horum faciet. Ubi Chriſtus non dicit: *Majora horum faciam*, ſed dicit, *ipſe faciet*, ut inde cognoſcamus quod ea, quæ Chriſtus facit propter merita alicujus, poſſunt huic Sancto tribui non totalitèr, & primariò, ſed ſecundarió, & dependentèr à Deo, ut ſuadet illud Marc. cap. ult. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquen-* *Marc. ult.*
tur novis, ſerpentes tollent &c. Non dicit propter eorum fidem, & orationes ego Dæmonia ejiciam, ſed dicit ipſi ejicient, ipſi ſerpentes tollent, ipſi linguis loquentur novis, quamvis Deus ſit cauſa efficiens Phyſicè ejiciens Dæmonia. Sed vult quòd hæc miracula tribuantur illis, qui crediderint: quamvis nequeant habere virtutem creandi, quæ cum infinita ſit, repugnat creaturis,

Taceant ergo Uvaldenſes & alij Hæretici, qui nolunt, Sanctos operari miracula, voluntque Eccleſiam non poſſe dicere talem Sanctum feciſſe hoc miraculum; cùm Chriſtus dicat de quolibet credente in eum, quod faciet illa, quæ ipſe faciet. Et quòd majora horum faciet; licet credens non ſit ille, qui propria, & naturali virtute Dæmonia ejiciet, ſed Chriſtus ſit, qui ejiciet. Apoſtoli loquebantur variis linguis magnalia Dei, inquit Scriptura, tamen Spiritus Sanctus erat qui loquebatur in illis. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Poteſt igitur Eccleſia dicere quòd talis Sanctus fecit plura miracula, quamvis Deus ob merita ejuſdem Sancti fecerit ea, ſeu cæcos illuminaverit, mortuos ſuſcitaverit, Leproſos mundaverit, ægrotos curaverit: ſimileſque actus miraculoſos fecerit per miniſterium hominis juſti ex fide viventis, cujus anima eſt ſædes Dei.

ARTICULUS. LIV.

Docet contra Huſſitas, peccatum quod tollit gratiam, non tollere Juriſdictionem Spiritualem.

HÆreticis hunc articulum impugnantibus non ſufficit dicere cum aliis jam impugnatis, Sacerdotium non eſſe characterem ſpecialem, & proprium, ſed commune omnibus fidelibus propter baptiſmum, quem receperunt. Epiſcopos non eſſe Superiores, nec digniores Sacerdotibus, nec ſufficit ipſis dicere, quemlibet Sacerdotem poſſe in abſentia Epiſcopi exercere munus Epiſcopale, ut contra fidem Eccleſiæ dixerunt plures Hæretici, quos ſecutus eſt Richardus Armacanus; inſurrexerunt enim alij, qui hæreſi inſuper voluerunt hæreſim addere, nimirum aſſerere quòd Sacerdos dum peccat, ſtatim amittit poteſtatem conſecrandi, & abſolvendi à peccatis.

Uvaldenſes Vuicleffus. Huſſita.

Hujus hæreſis patroni ſunt Uvaldenſes, Joannes Vuicleffus natione Anglus, & Joannes Hus de quibus ſæpè locuti ſumus. Hi duo poſteriores hanc hæreſim, pluſquam Uvaldenſes, extendunt: volunt, enim peccatum mortale expellere poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem dumtaxat, & indè concludunt non eſſe parendum Prælato, aut Sacerdoti peccato mortali reo, quia credunt, hunc Sacerdotem peccatorem non poſſe dignitate Eccleſiaſticâ potiri, (non includunt tamen poteſtatem Sæcularem, ut teſtantur plures Scriptores, quos præ manibus habeo; licet plures dixerint, Uvaldenſes idem ſentire de poteſtate Sæculari, ac de Eccleſiaſtica.) Illi verò ſcilicet Joannes Vuicleffus, & Joannes Hus dicunt, eum, qui culpæ mortalis eſt reus, durante hac culpa, non eſſe Regem, nec Principem, nec Ducem, nec Comitem, nec Papam, nec Epiſcopum, nec Sacerdotem. De ipſis enim (loquiunt) dum in peccato mortali exiſtunt, diſcurrendum eſt ſicut de homine picto, qui dicitur homo; licet nihil verè humanum habeat, ſic etiam Prælati Eccleſiaſtici, & Sacerdotes, dum ſunt in peccato mortali, nihil verè Eccleſiaſticum habent; licet vocentur hoc nomine.

§ I.

Probat Authoritate, & Ratione Articulum.

HÆc hæreſis damnata fuit In Concilio Conſtantienſi celebrato anno MCCCCXIV. ſub Joanne XXIII. Romano Pontifice pro tollenda trium Pontificum Schiſmate, damnandiſque tunc graſſantibus Vuicleffitarum, & Huſſitarum hæreſibus, quarum IV. erat hæc. *Si Epiſcopus aut Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.* Et V. erat: *nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Hi autem duo articuli, ſimol cum aliis, unâ ſuper omnes damnati fuere ſententiâ, tamquam fidei Eccleſiæ contraria, in prædicto Concilio ſeſſ. 8.

Concilium Conſtantienſe.

Tridentinũ

Eamdem condemnationem poſteà protulit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can. 12. ubi legitur: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.*

At licet bis duobus Conciliis Oecumenicis liquidò conſtet, eſſe Hæreticum aſſerere poteſtatem Sacerdotalem eſſe amiſſibilem per peccatum, tamen his addi poteſt authoritas Juris Pontificij 1. quæſt. 1. Can. *multi Sæcularium*. Can. *ſignificaſti*. Et can. *Chriſtus*. In hoc ultimo legitur. *Chriſtus quid fecit vobis qui traditorem ſuum tanta patientia pertulit, ut ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam ſicut cæteris Apoſtolis traderet? quid vobis fecit Chriſtus, qui eumdem traditorem ſuum, quem diabolum nominavit, qui ante traditionem Domini, nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere cum cæteris Diſcipulis ad prædicandum regnum cœlorum miſit, ut demonſtraret dona Dei ad eos pervenire, qui cum fide accipiunt, etiam ſi talis ſit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit?* Ex qua authoritate liquidò etiam conſtat, Miniſtrum Eccleſiæ eſſe verè Miniſtrum, veramque Sacerdotalem habere poteſtatem: quamvis ſit in peccato mortali; cùm Judas tradendo Sanguinem Juſti non dimiſerit Presbyteratum, & nullus Sacerdos poſſit Judæ peccatô gravius perpatrare delictum, nec poſſit eſſe nequior ipſo Juda Iſcariote, qui fuit proditor, primus Apoſtata, & primus Chriſtianiſmi Hæreticus.

Jus Pontificium.

Chriſtus loquens de obedientia ſuperioribus præſtanda, articuli noſtri veritatem confirmat, ait enim, Matth. 23. verſ. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis, facite, ſecundum vera opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Indè enim Chriſtus diſcernit mores, aut vitam Miniſtrorum à doctrina ipſorum. Et ideo evidenter demonſtrat, quòd Papa, Epiſcopi, & Sacerdotes poſſunt cum plenitudine poteſtatis ſedere ſuper cathedram Petri Doctoris, & Legiſlatoris officio functuri, licet non faciant id, quod dicunt, ſeu non obſervent Legem Dei, quam exponunt alijs obſervandam. Nam per cathedram, legis doctrinam oſtendit Chriſtus, ut monet D. Hieronymus in comment. ſuper Matthæum; at dum Sacerdotes non faciunt id, quod dicunt juxtà Legem Dei, peccant mortalitèr, cum non faciant ea, quæ dicunt, & ad eamdem Legem obſervandam teneantur ſicut Laici, ideoque dum peccant, juriſdictionem non amittunt; cùm teneamur eos audire, & ſecundum verba eorum facere, & teneamur eis obedire, ut nobis præcipitur. Tum ex illo Matthæi: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Tum ex Deuteron. cap. 17. verſ. 12. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire*

Matth. 23.

Peccatum non opponitur juriſdictioni.

Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. Licet enim hæc verba non ſint formalitèr, & expreſſè de Sacerdote delinquéte, ut præcedentia, poſſunt tamen ei applicari ſicut applicantur juſto, quia non habemus undè de ſolo juſto intelligi poſſint.

Hæretici volunt hunc veteris Legis textum, eſſe intelligendum dumtaxàt de Presbyteris Juſtis, Sanctis, & pijs. Sed à veritate plurimùm aberrant, quia non conſtat ex veteri Teſtamento, Sacerdotes in Lege antiqua amiſiſſe poteſtatem per peccatum, ut poſſint dicere, hunc textum de ſolis Presbyteris juſtis eſſe intelligendum. Sed dato, & non conceſſo, quòd de ſolis juſtis ſit hic textus, ſemper tenet aſſertio noſtra. Quia D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 8. hanc obedientiam extendit ad Diſcolos ſuperiores dicens: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam Diſcolis.* At Prælati Eccleſiæ ſunt Domini, & Præpoſiti noſtri, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri, tenemur igitur eis obedire, etiamſi ſint Diſcoli, hoc eſt, etiam ſi exiſtant in peccato; cùm nonobſtante peccato commiſſo, Papa ſit Papa, Epiſcopus ſit Epiſcopus, Sacerdos ſit Sacerdos. Nam Judas, Apoſtolus erat, & peccator tunc erat; alioquin Chriſtus non dixiſſet, Joan. 6. verſ. 7. *Nonné ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt, dicebat autem. Judam Simonis Iſcariotem, hic enim erat traditurus eum, cum eſſet ex duodecim*, hoc eſt, Apoſtolus ſicut Petrus, Andreas & alij.

1. Petrus. 2.

Hæc omnia confirmat ratio Theologica. Sacerdotes habent poteſtatem tamdiu, quamdiu poſſunt Sacramenta validè conficere, & adminiſtrare: ea autem adminiſtrat Sacerdos atque conficit validè: quamvis ſit in peccato quia non agit authoritate propria ſed ſibi conceſſa a Deo, qui eam imprimit indelebilitèr in anima, nec eam aufert propter peccatum, ut inſinuare videtur D. Chryſoſtomus, homil. 8,. in Joan. his verbis: *Nihil nobis deperire, etiam ſi Sacramenta ab indignis ſuſcipiamus, quia Deus eſt, qui per illos baptizat, Sacerdos ſolum præ'et manum, & linguam.*

Joan. 6.

D. Chryſoſ.

D. Auguſt. Idem pariter inſinuat D. Auguſtinus Tract. 5. in Joan. dicens. *Quos baptizavit Judas, Chriſtus baptizavit, ſi quos ergo baptizavit ebrioſus, homicida, adulter, ſi Chriſti erat baptiſmus, Chriſtus baptizavit.* Nam ſi ea, quæ Sacerdotes efficiunt dum in peccato mortàli exiſtunt, ſint valida, & proſint dignè ſumentibus; quamvis obſint indignè tractantibus, ut affirmat idem D. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 70. ſequitur neceſſario quòd poteſtas Sacerdotalis exiſtit in illis ſimul cum peccato; cùm validitas Sacramentorum à poteſtate Sacerdotum dependeat. Nullus eſt quippè defectus major, quàm defectus poteſtatis: igitur ſi Sacerdotes poſt peccatum commiſſum verè conſecrent, validè abſolvant, eamdem habent poteſtatem poſt peccatum, quàm anteà habebant. Rurſùm poteſtas Sacerdotalis, non fuit à Chriſto conceſſa tantum in ipſorum Sacerdotum utilitatem, ſed etiam in utilitatem fidelium, omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, teſte D. Paulo ad Heb. cap. 5. Itaquè non debet hæc poteſtas auferri per delicta, aut peccatum Miniſtri, ſeu Sacerdotis, qui non alijs, ſed ſibi debet nocere per peccatum proprium.

Jerem. 27. Quantum ad poteſtatem Laicalem, quam Hæretici nolunt eſſe in principibus Sæcularibus, qui ſunt in peccato mortali patet ex Sacra Scriptura. Jerem. cap. 27. verſ. 7. & ſequentibus ubi legitur, Deum ſic locutum fuiſſe in gratiam Regis Babylonis Nabuchodonoſor: *Et ſervient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filij ejus, donec veniat tempus terræ ejus & ipſius & ſervient ei gentes multæ, & Reges magni. Gens autem, & regnum, quod non ſervierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum ſuum, ſub jugo Regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus, donec conſummam eos in manu ejus.* Nabuchodonoſor erat malus & peccator, & tamen dicitur Rex, cui gentes tenebantur obedire & ſervire.

Non poſſunt dicere Hæretici quòd Nabuchodonoſor dicitur Rex æquivocè. Quia nemo poteſt Regi æquivoco ſervire, nec ipſi dati poſſunt terræ & regna, ut patet de homine picto, qui nihil recipere poteſt. Deus autem Regi Nabuchodonoſor dedit omnes iſtas terras. Inſuper & beſtias agri ut ſerviant illi; ergo non erat Rex pictus, aut nominetenus, licet fuerit in peccato, ut voluerunt Huſſitæ & Vuicleffus, ſed verus Rex, qui verè regnabat. Nec debent de hoc conqueri Joannes Vuiclef, & Joannes Hus. Quia Deus, qui fecit regnare hominem hypocritam propter peccata populi, ut teſtatur Job *Job 34.*
cap. 34. verſ. 30. potuit facere regnare Nabuchodonoſor, quamvis eſſet peccator graviſſimus.

§ II.

In quo proponitur, & reſolvitur Hæreticorum Ratio.

HÆreticorum ratio eſt. Quia ex Apoſt. ad Rom. omnis poteſtas eſt à Deo. Deus autem (inquiunt) non præſtat dona ſua hominibus malis, & peccatoribus, & ſceleratis: ergo homo peccati reus ſive ſit Epiſcopus, ſive ſit Sacerdos, ſive Rex nullam habet poteſtatem ſuper alios, ac proindè volunt, nullum teneri obedire Prælato Eccleſiaſtico, aut Principi Sæculari in peccato exiſtenti.

At non nocet hæc ratio, nulla enim eſt, prorſuſqoe inanis, quamvis fateamur, omnem poteſtatem eſſe à Deo, qui cùm ſit Dominus omnium hominum, nullus poteſt in illos habere poteſtatem, *Proponitur & ſolvitur Hæreticorũ ratio.*
niſi eam ab ipſo acceperit. Quia hæc inſtantia ſupponit falſum, ſcilicet Deum non concedere dona ſua peccatoribus. De oppoſito conſtat ex argumentis, & exemplis Scripturæ ſupra allatis pro articuli noſtri veritate firmanda. Nam licet fatear, omnem poteſtatem eſſe à Deo, ut monet Paulus, tamen nego, hanc poteſtatem non poſſe dari niſi Juſtis, ſeu hominibus in gratia exiſtentibus. Nam qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Juſtis & peccatoribus etiam dat regna ob cauſas, quas ignoramus. Caiphas cum eſſet Pontifex anni illius, erat etiam peccator, ſententiam mortis dixit adverſus Jeſum Chriſtum. Erat autem Caïphas, qui hoc conſilium dederat Judæis, expedit unum hominem mori pro populo, Joan. 13. verſ. 14. Itaquè habebat peccatum ſimul & poteſtatem; alioquin Chriſto mortuo, non remanſiſſet Pontifex. Quod non legitur in Scriptura, nec habetur ex traditione.

Idem patet in Pilato, qui Judæis tradidit Jeſum ut crucifigeretur. Hic quippè Præſes habebat poteſtatem, hancque à Deo, ut dixit Chriſtus eidem Pilato, Joan. 19. verſ. 11. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* At Pilatus poſt hanc ſententiam remanſit Præſes: obe- *Joan. 19.*
diebant enim illi gentes ſicut anteà, ut probat illud Matth. 27. verſ. 62. & ſequentibus. *Altera autem die, quæ eſt poſt paraſceve, convenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes Domine recordati ſumus, quia Seductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam; jube ergo cuſtodiri Sepulchrum uſque ad tertium*

diem: igitur poteſtas Sæcularis, vel ſpiritualis non amittitur per peccatum.

Sunt aliæ quamplurimæ authoritates, tam in Sacra Scriptura, quàm in Sanctis Patribus, per quas Hæretici conantur ſuadere, Sacerdotes non poſſe, aut non debere ſacrum exercere Myſterium, nec alijs præcipere, dum ſunt in peccato. At hujuſmodi authoritates non probant ipſos ità amiſiſſe poteſtatem per peccatum, ut invalidi ſint actus, quos eliciunt, ſed ſolùm oon poſſe licitè Sacramenta adminiſtrare, quia Sancta ſanctè ſunt tractanda: ideò Sacerdos, qui in peccato exiſtens celebrat, gravitèr peccat, ſed validè conſecrat, modò omnia eſſentialia adhibeat, quoniam probitas, aut Sanctitas Miniſtri nou requiritur neceſſariò pro Sacramenti validitate, ut docent communiter Theologi.

ARTICULUS LV.

Oſtendit contra Bibliſtas, Theologiam Scholaſticam non eſſe nocivam Fidei Chriſtianæ.

JUlianus Apoſtata, Conſtantij Imperatoris nepos, ac frater Galli, (quem adoptavit ipſe Conſtantius Imperator) vir eruditione magnus, ingenio ſublimis, litterarum ardentiſſimus, teſte Nicephoro libro 10. hiſtor. cap. 3. ut Imperium teneret, Religionem abjuravit circà annum Domini CCCLX. Verùm quia prævidebat, Theologos Scholaſticos, & vltos litteratos facilè poſſe diſputationibus ſuis reſiſtere, & religionem Chriſti (à qua Diabolo ſuadente receſſerat) Theologicis rationibus amplificare, ſtudia generalia prohibuit, & Theologos ità blaſphemavit, & injurijs, ac contumelijs affecit en animo, ut inimicos Religiunis (quam recenter amplexus erat) eos haberent omnes ſuæ Sectæ viri.

Julianus Apoſtata.

Anno MCCCLII. Joannes Vuicleffus, Lutherus, Calvinus, Melancthon, & cæteri conjurati hujus militiæ viri (quibus addendi ſunt Bibliſtæ ad ſecundam confeſſioniſtarum Sectam pertinentes) Theologiæ Scholaſticæ bellum indicere crudele. Vocabant enim Scholas noſtras, Caïnitica caſtra, Armentarium Satanæ, Lupanaria, ſemen Idololatriæ, Accademias Antichriſti, ſignum practicum impietatis, negotium perambulans in tenebris, quod obſcuravit Evangelium, extinxit fidem. Kemnitius ità Theologos odio habebat, ut quotquot Scholaſticæ Theologiæ libros invenire poterat, eos publico tradebat rogo.

Vuicleffus. Lutherus. Calvinus. Bibliſta.

Kemnitius.

His Hæreticis addendus eſt alter, ſcilicet Michaël Molinos Presbyter Hiſpanus, cujus LXIV. propoſitio damnata ab Innocentio ondecimo anno MDCLXXXVII. eſt hæc. *Theologus minorem diſpoſitionem habet, quàm homo rudis ad contemplationis ſtatum; primò, quia non habet fidem adeò puram. Secundo, quia non eſt adeò humilis. Tertiò, quia non adeò curat ſalutem noſtram. Quartò, quia caput habet repletum Phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & non poteſt ingredi in illum verum lumen.* Ille enim Hæreticus damnat Theologiam Scholaſticam, eamque improbat ſicut Lutherani & Calviniſtæ. Sed falſò, quia Theologia de ſe docet veras virtutes ad contemplationem requiſitas, ut probat D. Auguſtini & aliorum Theologorum Sanctitas. Theologia ſubordinatur lumini ſupetnaturali perfecto patriæ, cujus participatio eſt omnis noſtra contemplatio, igitur nequit opponi divinæ contemplationi, neque virtuti.

Michael Molinos.

§. I.

In quo oſtenditur Theologiæ Scholaſticæ neceſſitas.

UTilitatem Theologiæ Scholaſticæ declarant contra Hæreticos plura Concilia. Lateranenſe IV. magnificè laudat, & apptobat Scholaſticam dicendi methodum Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum. Et damnat Abbatem Joachimum, qui eam non rationibus, ſed calumnijs impugnabat. Patres Concilij Viennenſis ità laudant Scholaſticos Theologos, ut in quæſt. de baptiſmi parvulorum effectu decreverint majorem partem eſſe ſequendam. Concilium Trident. ſeſſ. 25. de reformatione ſtatuit lectiones Sacræ Scripturæ in Eccleſijs Metropolitanis, Cathedralibus, & in Conventibus Regularium. Statuit pariter lectiones Theologiæ, ut patet in declaratione ejuſdem Concilij: num. 16. Rurſum Theologiam Scholaſticam commendant plures Summi Pontifices, & præſertim Innocentius IV. qui noſtro Alexandru Alenſi, viro pietate eximio & eruditiſſimo præcepit, ut Summam Theologiæ conſcriberet. Urbanus IV. Innocentius VI. & Joannes XXII. laudaverunt & approbaverunt Theologiam Scholaſticam Sancti Thomæ Doctoris Angelici. Et Sixtus V. qui in laudem Theologiæ Divi Bonaventuræ dixit quidquid dici poteſt: ergò Theologia Scholaſtica non eſt nociva Eccleſiæ Chriſti, imò utilis; alioquio Sancti Patres non eam laudaſſent in Concilijs. imò condemnaſſent eam, ſicut condemnant Hæreticos, eorumdemque libros.

Declaratio Concilij Lateranenſe IV.

Tridentini.

Theologia Scholaſtica præbet modum impugnandi Hæreticos, & de facto eos convincit, ut patet in varijs Concilijs, in quibus Theologi eos de errore & hæreſi convicerunt. Porrò quia ipſis Hæreticis propter hoc, ſemper Theologia viſa fuit tam ingrata, poſſumus ſumere inveteratum illud odium, ut maximum ſuæ utilitatis apud fideles argumentum. Nam ſicut ex Joſepho lib. 6. antiquit. Judaicarum, Philiſtæi poſt expugnationem Hebræorum in civitate Gabaa, illis prohibuerunt ſeverè, nè apud ſe impoſterùm haberent Fabros ferrarios, & præceperunt ut unuſquiſque deſcenderet ad Philiſthim ad accuendum vomerem ſuum, vel ligonem, aut ſecurim, ſicque armis tandèm privarentur Iſraëlitæ, nec amplius pugnare poſſent, ut conſtat ex lib. 1. Reg. cap. 13. per totum, & præſertim à verſu 19. uſque ad ultimum, ubi habetur. *Porro Faber Ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſraël: caverant enim Philiſtim nè forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, ut accueret unuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum; retuſa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium uſque ad ſtimulum corrigendum cumque veniſſet dies prælij non eſt inventus enſis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Jonatha, excepto Saul, & Jonatha filio ejus*, ità Hæretici volentes nobis auferre præſidium fortiſſimum, cui nunquam reſiſtere potuerunt, ut omnia iovoluantur tenebris, ut percutiant paſtores, & diſpergentur oves, ſicque facilius ſuos errores introducant, & venenum infundant, Theologiam Scholaſticam atrocibus afficiunt injurijs; non quòd in ſe, aut ex ſe mala, vel inutilis ſit veritati, ſed quia ipſis Hæreticis nociva eſt, ut conſtat ex ſuprà dictis: ergò Hæretici Theologiam Scholaſticam calumniantes, & prohibentes, non ſunt audiendi; cùm conſtet, ipſos media Theologia Scholaſtica convinci poſſe, & ovile Chriſti cuſtodiri, ac defendi. Arma enim militiæ noſtræ non carnalibus, ſed verbis, rationibus

1. Reg. 13.

Digitized by Google

& argumentis, præſertim ijs, quæ ex Sacris litteris depromi poſſunt.

Utilitas Theologiæ Scholaſticæ. Undè cum argumentatio in materiis circà fidem, pendeat à Theologia Scholaſtica, cujus objectum eſt Deus, utilis eſt Eccleſiæ Chriſti, & neceſſaria Doctoribus & Patribus Eccleſiæ, ut faciant vindictam in nationibus, & increpationes in populis; vindictam, inquam, quia Hæretici Eccleſiæ inimici per Theologiam Scholaſticam confunduntur, & per argumenta ipſorum rationes, falſæ demonſtrantur, & Doctores Catholici increpant hoſtes Eccleſiæ Chriſti ut apparet in libris, quos contrà Hæreticos ſcripſerunt Sancti Patres.

Ut evidentiùs conſtet, Theologiam Scholaſticam eſſe utilem Eccleſiæ, moneo, fidem (quæ eſt veluti ſcutum Eccleſiæ, ut fatentur communiter omnes Chriſtiani) debere primò naſci in mente Chriſtianorum, cùm ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, ſit quoque impoſſibile quod ſine fide homo ſit membrum Eccleſiæ Chriſti; alioquin Eccleſia contineret Infideles, Quòd eſt falſum, ut dicemus contrà Donatiſtas, Circumcelliones Rogatianos, & alios Hæreticos. Secundò hæc fides debet nutriri, cùm ſubſtantia uniuſcujuſque ab alimento ipſi convenienti dependeat. Tertiò debet defendi ab inſidiis inimicorum, nè argumentis obruatur. Tandem debet roborari, his enim ſublatis, fides nequit haberi in homine, ſed hæc omnia fidei neceſſaria præſtat Theologia Scholaſtica, ut monet D. Auguſtinus 14. de

D. Auguſt. Trinit. cap. 1. ubi de ea loquens, ait: *Huic ſcientiæ illud tribuitur, quô gignitur fides, nutritur, defenditur, & roboratur.* Equidem hæc Theologia oſtendit, fidei articulos non eſſe contra rationem, eoſque ſuadet credibiles, ex qua credibilitate, & ex objecto propoſito, aut revelato, generatur fides, quæ eſt ex auditu, & nutritur eo quod inclinat intellectum, ut illis articulis præbeat aſſenſum firmiorem, ad quem aſſenſum præſtandum, multum juvat Theologia Scholaſtica, quæ cùm nihil aliud ſit, quàm dialectica ſuprà materias Fidei, & Religionis applicata, firmat intellectum, eumque captivat in obſequium fidei, ſicque nutritur ipſa fides, & defenditur dum Theologia Scholaſtica diſſolvit argumenta contraria, ſeu infringit Hæreticorum tela. Hactenus enim nemo convicit Hæreticos, niſi fuerit Theologus, quippè Theologorum eſt diſputare contrà Hæreticos; hinc eſt, quòd ſemper ad Concilia convenerunt Theologi, ut manifeſtè probat hiſtoria Conciliorum.

Ipſa fides tandem roboratur dum Theologi Scholaſtici ad probandas fidei veritates, Sacræ Scripturæ addunt indubitatas traditiones Eccleſiæ, Decreta Summorum Pontificum; & definitiones Conciliorum, & ex ipſis omnibus fundamenta, ſeu principia deſumunt pariter, & concluſiones educunt ad devincendas hæreſes, pellendos errores, & ad fugandas nuvitates illas, de quibus Paulus I. ad Timoth. cap. 6. verſ. 20. ait: *ô Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi*

1. Timot. 6. *nominis ſcientiæ*: Ergo Theologia Scholaſtica non eſt inutilis, nec ſuperflua Eccleſiæ Chriſti, ſed utilis & neceſſaria; alioquin illius ubique toto in orbe terrarum non vigeret uſus, nec illam excolerent omnes orbis Academiæ.

Eadem veritas confirmari poteſt hac ratione. Theologia Scholaſtica ſuas concluſiones educit ex principijs Fidei, & reſpicit Deum velut objectum formale, primarium, & ſpecificativum, ut tenent communitèr Doctores. Et jungit naturale lumen rationis cum ſupernaturali lumine Fidei, undè ſolitò dicitur, ſermo de Deo: ſed hoc nequit eſſe nocivum Eccleſiæ; cum à Deo, & à fide nullum valeat provenire malum. imo eſt utile, cum lumen ſupernaturale perficiat lumen naturale rationis, ſicut gratia perficit naturam; igitur bonum atque utile eſt habere Theologiam Scholaſticam; cùm excitet, & diſponat animum ad contemplationem articulorum Fidei, eum confirmet, & ei robur conferat ad debellandos, & vincendos Fidei hoſtes, & ad repellendos errores ei contrarios. *Theologia neceſſaria.* Videmus enim eos, qui Theologiâ Scholaſticâ pollent, eſſe aptiores ad explicanda Fidei noſtræ myſteria, ſcilicet difficultates, quæ verſantur circà Trinitatem, Incarnationem, aliaque multa, quæ rationibus naturalibus demonſtrari nequeunt, ſaltem poſitivè, ſeu nequeunt hujuſmodi rationibus evidentèr probari, quæ tamen Theologia demonſtrat negativè, id eſt, oſtendit quòd omnia argumenta, quæ contra ipſa fidei myſteria fieri poſſunt ab Infidelibus, & Hæreticis, nihil probant contra Eccleſiæ Dogmata, & ideo Theologia Scholaſtica, non poteſt eſſe Eccleſiæ pernicioſa, imò eſt prorſùs utilis; alioquin Deus, qui non dormit, nec dormitat, ut cuſtodiat Eccleſiam, non infudiſſet eam Sacris Virginibus, ſcilicet Sanctæ Catharinæ Virgini & Martyri, Sanctæ Thereſiæ Virgini, Sanctæ Claræ, Sanctæ Catharinæ Senenſi, & alijs, quæ Theologis difficillimas Theologiæ quæſtiones proponentibus, ſumma cum claritate reſponderunt.

§. II.

Proponit, & ſolvit Rationes Hæreticorum.

Theologiæ Scholaſticæ hoſtes objiciunt illud Eccleſ. cap. 3. *Altiora te nè quæſieris.* Proverb. 25. verſ. 27. *Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloria.* 1. ad Corinth. cap. 10. *Captivum redigentes intellectum in obſequium Fidei.* ad Coloſſ. 2. *Videte nè quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam*, quæ communitèr exponuntur de Theologia Scholaſtica, *Varij Sacræ Scripturæ textus.* & Theologis, qui de Deo diſcurrere præſumunt, ſicut Phyſici de corpore naturali, voluntque ſenſum Domini cognoſcere: ergo hæc Theologia eſt inutilis & pernicioſa Eccleſiæ, quæ jubet rationem Fidei eſſe ſubjiciendam. Idque confirmant authoritate Patrum aſſerentium, Philoſophiam eſſe Matrem & Nutricem omnium prorſùs hæreſæum. Nam Tertullianus adverſus Hermogenem cap. 9. ait: *Hæreticorum Patriarchæ, Philoſophi.* D. Ambroſius ſuper Pſal. 118. ait: *Nihil nobis cum Philoſophia, nè fidem noſtram per elementa mundi hujus traducat à vero, nè quis aſſertionem noſtram per Philoſophiam deprædetur.* Et alibi ait: *non dialecticis, ſed piſcatoribus*, id eſt Apoſtolis *credendum eſt.*

Reſpondeo Sacræ Scripturæ textus non eſſe intelligendos de Theologis Scholaſticis verè Catholicis, qui firmitèr credunt, & rationes ad credendum adducunt in aliorum utilitatem, tales ſiquidem *Explicantur textus contra Theologos adducti.* laudantur Eccleſiaſt. cap. 24. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Sapientiam antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conſervabit.* Sed intelligendi ſunt de curioſis, qui dubio & ancipiti animo rationes quærunt in Fide, ità ut nolint captivare intellectum in obſequium ipſius, ut nobis præcipit Apoſtolus; volunt enim naturalibus & evidentibus rationibus convinci ſicut Philoſophi, nolunt ijs, quæ proponuntur credenda, conſenſum præbere, plus rationi quàm revelatione deferentes, & nolentes loqui in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparando, ſed in doctis humanæ ſapientiæ verbis, quæ cùm carnalia ſint, nequeunt percipere ea, quæ ſunt Dei.

Ad authoritatem Patrum reſpondeo quòd non eſt

intelligenda de Dialectica, aut Theologia ſecundum ſe, ſic enim ducit ad veram, æternamque ſapientiam; & ad agnitionem ſupremæ veritatis, ut inquit Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. Sed intelligenda eſt de uſu Dialecticæ, & Theologiæ quorumdam, qui malè utuntur Theologiâ. Nam ille, qui adhibet Dialecticam ad ſimplicem fidem tollendam erroribus, certo nocet Eccleſiæ Chriſti. At illi, qui utuntur Dialecticâ ut Hæreticorum Sophiſmata detegant, illorum aſtutias deſtruant; demonſtrentque veritates fidei non eſſe contra rationem; licet ſint ſuprà, certo tales non ſunt vituperandi, nec ſunt ij, de quibus loquuntur Patres citati. Nam licet omnes Hæretici ex antiquis Philoſophis falſas Doctrinas depromendo, fabricaverint hæreſes ſuas, dato etiam quod ipſâ Philoſophiâ, & Theologiâ Scholaſticâ abutantur ad errores ſuos diſſeminandos, ut fecerunt Arius, Neſtorius, Lutherus, Calvinus, & alij, tamen ex hoc non ſequitur, Theologiam Scholaſticam eſſe pernicioſam Eccleſiæ Dei, ſed potiùs utilem, & neceſſariam; cùm debeant, & poſſint Catholici veras eorumdem Philoſophorum ſententias in obſequium Chriſti convertere, & Philoſophia atque Theologiâ Scholaſtica benè uti contra Hæreticos, qui Philoſophiâ, ac Theologia malè utuntur; Unde non Philoſophia, ſed Philoſophus iniquus, non Theologia, ſed Theologus impius, eſt contra Eccleſiam, contra quam militat armis, quibus eam defendere tenetur. Certum eſt enim quod omnis Scriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

Clemens Alexandrinus

Dicent: argumenta Scholaſticorum minuunt meritum fidei, teſte D. Gregorio Homil. 25. in Evang. dicente, *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*: igitur Theologia Scholaſtica, quæ de Deo, & de rebus fidei diſcurrit, & ſillogizat, eſt nociva fidei Chriſtianæ.

Reſponſio ad Hæreticorũ inſtantiam.

Reſpondeo, argumentum eſſe verum, ſi veritas fidei credatur tantum propter vim diſcurſus Theologici, & ratiocinationis naturalis, ſi autem creditur propter veritatem Dei atteſtantis, & revelantis, eſt falſum. Sed veritas fidei non demonſtratur evidentèr per diſcurſum Theologicum, nec propter hunc diſcurſum creditur. Hujus rei argumentum eſt, quia ratiocinatio naturalis, aut Theologia ſolùm probat talem veritatem revelatam à Spiritu Sancto Eccleſiæ, non eſſe contra rationem, nec improbabilem, ſed contineri in Scriptura Sacra, vel in traditione, vel in Concilijs, & ſic argumentum Scholaſticum fidem non extinguit, nec minuit, ut perperam dicunt Hæretici ſuprà memorati, quinimò eam accendit, quia inclinat ad credendum aliquid eo inſtanti, quo ſcitur eſſe ab Eccleſia determinatum, ſicque falſum eſt quòd dicurſus Theologicus deſtruat fidem, ſed potiùs eam auget, ut jam poſui ſuprà cum Divo Auguſtino.

Altera ratio contra Theologiam Scholaſticã.

Iterum objiciunt Hæretici. Plures ſunt quæſtiones in Theologia Scholaſtica, quæ inutiles & ſuperfluæ judicantur ab hominibus, quid enim inutilius eſt, quàm quærere, an ſi per impoſſibile Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur ab illo. An ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus veniſſet, & plures aliæ ſimiles difficultates, quæ in Theologia Scholaſtica reſolvuntur, & quæ ſunt prorſus inutiles Eccleſiæ Chriſti. Et ideo ſi Theologia Scholaſtica, Eccleſiæ non noceat, nec ſit ei pernicioſa, ſaltem eſt ei inutilis.

His addunt quòd Theologia Scholaſtica amat novitates, quas Eccleſia vitat: ergo Theologia Scholaſtica eſt abſolutè vitanda, & rejicienda ab omnibus Chriſtianis, qui non debent ſcire, ſed credere ea, quæ illis revelare voluit Deus per Spiritum Sanctum.

Reſpondeo, negando, ſuppoſitum, ſcilicet Theologiam Scholaſticam plures inutiles continere difficultates, illa enim quam primò proponunt Hæretici in objectione, utiliſſima eſt ad expugnandum errorem eorum Hæreticorum, qui in Deo unam tantùm admittunt perſonam, cùm perſonarum Trinitas neceſſariò diſtinctionem realem exigat; & unicuique perſonæ ſuum ſpeciale conſtitutivum in ratione perſonæ concedat, & ſic de cæteris difficultatibus, quæ ſolito apud Scholaſticos agitantur in tractatibus de Angelis, de Sacramentis & ſimilibus, quæ ſi non ſint ad ſalutem utiles, tamen utiles ſunt ad acuendum ingenium & ad ampliorem rerum notitiam comparandam, ut Miniſtri Eccleſiæ poſſint ignaros edocere, & difficultatibus occurrentibus reſpondere.

Rejicitur ſecundum ratio.

Ad additum dico, novitatem poſſe dupliciter conſiderari, ſcilicet circà fidei Dogmata, aut articulos & circà methodum tradendi, aut explicandi hujuſmodi articulos. Hoc autem ſuppoſito lubens fateor primam videlicet novitatem Dogmatum eſſe vitandam, non verò eam novitatem methodi, quâ traduntur & explicantur Dogmata. Scholaſtica autem non tradit nova Dogmata, nec docet novas regulas fidei; ſed ſolum novam methodum, quæ eſt clarior, facilior, & fortior, ſcrutando fortiùs, & attingendo accuratius ea, quæ nobis tradiderunt veteres. Docet modum pugnandi hoſtes Eccleſiæ, & docendi populum Dei.

Dicent. Scholaſtici ſunt omninò diviſi, multæ ſunt inter ipſos rixæ, & contentiones, ut demonſtrat experientia; ergo nequeunt manifeſtare veritatem revelatam, ſed potius nobis aperiunt plures novitates contrarias Eccleſiæ.

Theologi non ſunt diviſi in his quæ ſpectant ad fidem.

Reſpondeo, Scholaſticos non eſſe diviſos in his, quæ ad fidem ſpectant, & tamquam Dogmata ab Eccleſia recipiuntur. Nullus Theologus negat in Deo eſſe tres numero perſonas. In Eccleſia ſeptem eſſe Sacramenta, & ſic de cæteris. Sed ſunt diviſi totum in alijs, quæ licet non ſint de fide, nihilominus non parum afferunt Eccleſiæ commodum; quia dum quiſque ſuam ſententiam tuetur, magis eluceſcit veritas. Non enim diſputant an Pater Æternus generet Filium, ſed diſputant tantùm an illum generet per actum intelligendi, vel per actum dicendi. Non diſputant an Filius Dei venerit, ſed an veniſſet, ſi Adam non peccaſſet. Et in hoc ſunt diviſi. At inde non negatur generatio Verbi Divini; imò magis firmatur, & probatur, & confunduntur Sabelliani. Atque Ariani. Nec negatur Incarnatio Verbi Divini, imò magis probatur, & confunduntur Judæi.

ARTICULUS LVI.

Tenet contra Arianos, & alios, Traditiones non eſſe contrarias Fidei Chriſtianæ.

Ferè omnes Hæretici, traditiones tam Divinas, quàm Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas rejiciunt, veluti futiles & inanes, Sanctamque Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam aſpernunt, quia eas recipit, jubetque fidem eſſe eis adhibendam, juxtà Decretum Concilij Oecumenici VIII. quod eſt Conſtantinopolitanum IV. celebratum ſub Adriano II. anno DCCCLXIX. Saducæi ſolam ſcriptam Moyſi Legem volebant audire, Ariani non invenientes in Scrip-

Saducæi.

Ariani.

turis Sacris hoc Verbum, conſubſtantiale, negabant, *Macedoniani.* Filium eſſe conſubſtantialem Patri. Macedoniani., *Eunomiani* & Eunomiani, Spicitum Sanctum cum Patre & Fi- *Neſtoriani.* lio eſſe honorificandum, nolebant. Et verſum illum, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, improbabant, eo quod in Scriptura Sacra non inveniatur, licet ex traditione Apoſtolica habeamus illum. Alij utpotè Neſtoriani, Beatam Virginem eſſe Deiparam negabant, quia (inqniunt) hæc maternitas *Pelagiani.* non exprimitur in Sacris Scripturis, & ſic de cæteria Hæreticis, qui omnes communiter, & præcipuè Pelagiani dicebant Aſſeclis ſuis: *Credamus quod legimus. Et quod non legimus, nefas credamus aſtruere*, & inde rejiciebant traditiones divinas, & Apoſtolicas, ut pro certò videbimus in infra dicendis.

Hia omnibus ſucceſſit Joannes Vuicleffus, qui dicere ſolebat, *Quidquid Papa & Cardinales ex Scrip-* *Joannes. Vuicleffus.* *tura Sacra deducunt, credendum. Quidquid ultra præſumpſerint, contemnendum ut Hæreticum*, ex quo ſequitur quòd hic Hæreticus antiquis malitioſè adhærens, nolebat traditionibus fidem adhibere. Nec miror, quia Eccleſia in Concilija congregata ad debellandos Hæreticos, non alia via citius extinxit hæreſes, quam traditione, quia (inquit Tertullianus lib. de Præſcript.) Hæretici non ex Scripturis, ſed ex traditionibus ſunt refellendi. Idem poſt Tertullianum notarunt Cabaſſutius, & Petrus Annatus in methodico apparatu. Nam Eccleſia in Synodo Romana ſic confodit novatianam hæreſim. In Antiochena devicit Paulum Samozatenum. In Nicæna prima debellavit Arium. In Epheſina Neſtorium. In Conſtantinopolitana prima, Macedonium In Chalcedonenſi Eutychianos. In Milevitano Pelagium. In Bracarenſi Priſcillianiſtas. Et in Nicæna ſecunda Iconomachos expugnavit, & Sacrum Imaginum cultum ex Apoſtolica traditione veniſſe declaravit: igitur non miror videre Hæreticos traditiones noſtras reſpuentes, & blaſphemantes; cùm ipſis mediantibus, eos citiùs debellaverint Sancti Patres in Concilijs.

His omnibus ſucceſſit impijſſimus Martinus Lutherus, in divinas traditiones, ſic intonans, & impiè dicens adverſus Angliæ Regem: *Ego adverſus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum pono non antiquum conſenſum, non multitudinem hominum, ſed unius Majeſtatis Æternæ verbum, hic ſto, hic ſedeo, hic maneo, hic triumpho, hic inſulto Papiſtis, Thomiſtis, Henriciſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet Sanctorum, aut conſuetudini fallaci,* *Lutherus.* *Dei Verbum, eſt ſuper omnia, Divina Majeſtas mecum facit, ut nihil curem; ſi mille Auguſtini, mille Tertulliani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent, Deus errare, & fallere non poteſt, Auguſtinus, & Cyprianus, ſicut omnes Electi errare potuerunt, & erraverunt, Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet.* Et in Commentarijs in Epiſtola ad Galatas cum pari impietate, ait. *Neque alia Doctrina in Eccleſia tradi, aut audiri debet, quam purum Dei Verbum, hoc eſt, Scriptura Sacra; Doctores vel Auditores alij cum ſua Doctrina; anathema ſunt.*

Huic impietati ſubſcripſit etiam Calvinus, undè in hoc articulo non unus, vel duo, vel tres, ſed ferè omnes Hæretici impugnantur, quia omnes A- *Calvinus.* poſtolicarum traditionum ſunt hoſtes. Manus enim omnium Hæreticorum contra eam, & traditio contra omnes Hæreticos; cùm omnes Scripturæ tantùm credant. Et traditio plura credenda proponat, quæ in Scriptura minimè continentur, ut notat Tertullianus Lib de Coron. milit. in quo poſtquam varias Baptiſmi cæremonias, & ſigni Crucis uſum frequentiſſimum, & anniverſarium, aliaque huiuſmodi recenſuit, ait: *Harum & ſimilium diſciplinarum, ſi Legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix conſuetudo firmatrix, & fides obſervatrix.*

§ I.

De Authoritate Canonica qua ſtat pro Traditione.

QUamvis ex dictis conſtet, plura Concilia ad debellandos Hæreticos Apoſtolica traditione uſa fuiſſe, ac proindè ipſam traditionem in ipſis Concilijs fuiſſe receptam; tamen duo ſunt referenda quibus fidelis obligatur ad traditiones recipiendas. Unum eſt Concilium Nicænum ſecundum, actione ſeptima dicens: *Si quis traditionem ſive ſcripto, ſive* *Declaratio Concilij Nicæni.* *conſuetudine valentem non curaverit, anathema ſit.*

Aliud eſt Tridentinum, in cujus ſeſſ. 4. de Can. Script legitur. *Sacroſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea, eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis legatis, hoc* *Tridentinũ.* *ſibi perpetuò ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelij in Eccleſia conſervetur: Quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, proprio ore primum promulgavit; deinde per ſuos Apoſtolos tanquam fontem omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit: perſpiciensque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm novi teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, & reverentiâ ſuſcipit, ac veneratur &c.*

§. II.

De Rationibus quæ ſtant pro Traditione.

OMnes, & ſinguli Hæretici traditionea Divinas & Apoſtolicas reciperent & fidem illis adhiberent ſicut Scripturis Sacris. Et obſervarent ea, quæ in traditionibus Apoſtolicis continentur, ſicut ea, quæ Sacra Scriptura præcipit, ſi vellent advertere, Scripturam Sacram quatenus eſt Verbum Dei, non habere vim ab atramento, nec à characteribus, ſed à Spiritu Sancto dictante, ſive ſcribantur ea, quæ dictat ipſe Spiritus Sanctus, ſive non; cùm plura facta, aut dicta, aut pronunciata fuerint à Chriſto, & à Spiritu Sancto dictata, quæ tamen licet ſint veriſſima, non ſunt ſcripta, ut ſuadetur ex illo Joan. *Joannis ult.* cap. ult. verſ. ult. dicens: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

Idem monitum dat Paulus ad Theſſalon. 2. cap. *2. Theſſal. 2.* 2. verſ. 14. his verbis: *Itaque Fratres ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*, quæ exponens D. Chryſoſtomus, in- *D. Chryſoſt.* quit: *Patet quod non omnia per Epiſtolam tradiderunt Apoſtoli, ſed multa ſine litteris, eadem fide digna ſunt, tam iſta, quam illa, quare Eccleſiæ traditionem fide dignam exiſtimamus, traditio eſt, nihil amplius quæras.* Nam ſi Sacra Scriptura non habeat vim, quia eſt ſcripta, ſed quia eſt dictata Scriptoribus à Spiritu Sancto, eique fidem adhibeamus, quia ea, quæ continet, fuerunt revelata à Deo, debemus etiam credere divinis, & Apoſtolicis traditionibus, eiſque veluti Scripturæ Sacræ confidere. Nulla quidem ponenda eſt differentia inter Verbum Dei ab Apoſtolis

tolis dictum, & Verbum Dei ab ipſis ſcriptum. Et debemus etiam credere ea, quæ dicta fuerunt ab Apoſtolis, Deo inſpirante, quia traditio Apoſtolica non minus eſt vox docentis, nec eſt minus efficax ad ſuadendam fidem, & mores inſtruendos, quàm ſcriptura, imò longè efficacior, ut monet S. Papias, Joannis Senioris Auditor & Sancti Polycarpi familiaris lib. 4. ſui operis, dicens: *Conſiderabam quòd Andreas, quòd Petrus dixiſſent, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, vel alius quilibet Diſcipulorum Domini, quid etiam Ariſtion, & Senior Joannes, Diſcipuli Domini loquebantur. Non enim tantam mihi libri ad legendum proſunt, quantum viva vox, & uſque hodiè in ſuis Authoribus perſonans.* Ideoque traditio eſt neceſſariò admittenda.

S. Papias.

D. Hieronymus.

D. Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum ait: *Habet neſcio quid latentis Energiæ vivæ vocis actus: in aures Diſcipuli de Authoris ore transfuſa, fortiùs ſonat: dic ergo an præbeas fidem Evangeliſtis, eo quod ab hominibus ſcripta fuere, an quia à Deo ipſis hominibus inſpirata, qui & corda, & manus eorum ad ſcribendum movebat? Non dubito te hac ratione ad eorum fidem adduci, quod credis eos, id ſcribendo divino afflatos ſpiritu, quid ergo prohibet Divinum Spiritum aſtare Eccleſiæ loquenti, perinde ac Evangeliſtæ ſcribenti? cum ipſe dicat Apoſtolis: non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Numquid deſtituit Deus jam Eccleſiam ſuam Spiritu ſuo, ut per os ejus loqui dignetur, ut antea? abſit, nam ipſe dixit ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi, ſi ergo credis Scripturæ Divinæ per manus Evangeliſtarum, & Apoſtolorum ſcriptæ, cur non credis voci Divinæ per os Eccleſiæ prolatæ &c.*

Sunt aliæ quamplurimæ Sanctorum Patrum authoritates, quibus ſuadetur, traditiooem habere tantam virtutem, aut authoritatem, quaotam habet Scriptura; nam qui zelo & charitate alteri loqueretur, tam in ſcriptis, quàm verbis verax eſſet, & in utroque modo æqualem exigeret fidem ab illo cui loqueretur. Apoſtoli autem alia ſcripſerunt, alia dixerunt inſpirante ſemper Spiritu Sancto. Ideoque tam dictis, quàm ſcriptis Apoſtolorum ad nos tranſmiſſis, ſive immediate, ſive mediate, ſeu per Succeſſores, de uno ad alium, teoemur credere.

Nec valet dicere quòd verba citiùs, & faciliùs permutantur, minuuntur, augentur, quàm Scripturæ, ac proindè traditioni, quæ ex verbis conſiſtit, non eſſe tantam adhibendam fidem, quantam debemus Scripturis. Ratio ob quam hæc inſtantia non valet, eſt, quia hîc nou loquimur de omni traditione abſolutè; ſed ſolùm de illis, quas Eccleſia approbavit, quæque ab Apoſtolis ad nos venerunt, ſeu de illis, de quibus Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 11. ipſos Corinthios ipſas acceptantes laudat, dicens: *Laudo vos quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Etenim hujuſmodi traditionibus par cum Divinis Scripturis adhibenda eſt fides, quia ſunt verbum Dei traditum, ſicut Sacra Scriptura, eſt verbum Dei ſcriptum, ut docent inſignes Græci Doctores ac Patres D. Baſilius ad Amphiloc. de Spiritu Sancto cap. 23 Epiphanius, hæreſ. 61. Chryſoſtomus homil. 4. in Epiſt. 2. ad Theſſal. & alij.

1. Corinth. 11.

D. Baſilius

D. Chryſoſtomus.

Non obſtat dicere, plures eſſe traditiones, quibus tamen nulla eſt adhibenda fides. Non obſtat inquam; nam licet de facto nullam adhibeamus fidem pluribus Scripturis, quæ ab Eccleſia inveotæ fueruot Apocryphæ; tamen non licet eam denegare Scripturis, quæ ab ipſa Eccleſia inventæ fuerunt Canonicæ: ergo noo licet rejicere omnes traditiones, quamvis nonnullæ ſint rejiciendæ, quia apocryphæ ſunt, cùm omnes non ſint falſæ, ut patet ex dictis ſuprà.

Prætereà ſi Scripturæ dumtaxat eſſet adhibenda fides, ſequeretur quòd in primordijs Eccleſiæ naſcentis, & poſt receptum Spiritum Sanctum, Fideles nullam habuiſſent fidem, nec credidiſſent ea, quæ nos credimus. Certum enim eſt quòd à deſcenſu Spiritus Sancti, uſque ad primam Evangelij conſcriptionem; aliquod temporis ſpatium interjectum eſt; cùm communior ſententia affirmet, Matthæum eſſe primum omnium Scriptorum Evangelij, ſeu Evangeliſtarum, huncque ſuum ſcripſiſſe Evangelium circà annum octavum, vel ſextum, ut volunt aliqui. Sed falſum eſt tunc Fideles non credidiſſe ea, quæ modò credit Eccleſia Romana: quoniam credebant Divina Myſteria ex vi ſoliùs traditionis ob quam etiam nos crederemus, ſi nulla eſſet Scriptura, ut affirmat D. Irenæus lib. 3. cap. 4. dicens: *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas nobis reliquiſſent, nonnè oportebat ordinem ſequi traditionis, quem tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias, cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſto credunt ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligentèr cuſtodientes.*

D. Irenæus.

Deindè illi Fideles, credebant, ut conſtat ex varijs textibus ſacris, at non credebant Scripturis novi Teſtamenti. Quia tunc temporis, ſeu ab Aſcenſione uſque ad Evangelium D. Matthæi, nondum erat ſcriptum Teſtameotum illud, ſed Apoſtolis loquentibus, & prædicantibus ea, quæ credenda & agenda erant juxtà intentionem Chriſti, à quo omnia tam credeoda, quàm agenda didiſcerant. Et ſi Evangeliſtæ non ſcripſiſſent ea, crederemus nunc Eccleſiæ: quamvis omni Scripturæ præſidiô careret, quoniam in ea eſſet illa traditio, ideoque admittenda eſt, eique fides ſicut Scripturæ eſt adhibenda; cùm ſi Scripturæ non fuiſſent, ſicut tunc non erant, nihil aliud haberetur præter traditionem. Nullam enim video rationem ob quam ſit credendum Evangeliſtæ ſcribenti, & non ſit credendum Eccleſiæ loquenti, aut tradenti ea, quæ dixerunt ei Evangeliſtæ: qui ſunt ejus membra, cum ipſa Eccleſia Evangeliſtas excellat, ſicut integrum corpus excellit membra. Undè ſi Hæretici uni credant, cur non credent cunctis. Si membro tribuunt fidem, cur nihil tribuunt corpori Eccleſiæ? Nullam ſanè video rationem niſi Hæreticorum voluntatem, quæ abſque ullo fundamento traditiones rejicere voluit. Omnes enim ſciunt, Chriſtum non ſcripſiſſe omnia, quæ dixit, & fecit; ſed ſolùm verbo docuiſſe. Sciunt inſuper quòd Evangeliſtæ non ſcripſerunt omnia, quæ dixit, & fecit Jeſus, ut conſtat ex illo Joan. cap. ult. verſ. ult. Evangelij, cujus verba ſupra retulimus, ergo tenemur credere, & ſervare ea, cùm per traditionem ab Apoſtolis ad nos tranſmiſſa fuerint.

D. Auguſt.

Quòd Chriſtus plura dixerit, quæ non ſunt ſcripta in Evangelio; quæ tamen credimus eſſe vera, & verè à Chriſto dicta fuere Apoſtolis, qui poſteà dixerunt ea Fidelibus, patet: nam Paulus Act. 20. verſ. 35. teſtatur Chriſtum dixiſſe, *Beatius eſt magis dare quam accipere*, ibi enim ait: *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, & meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Et D. Lucas, Act. 1. verſ. 3. refert de Chriſto Domino quòd poſt ſuam Paſſionem, ſeipſum vivum præbuit in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei; ſed hæc quæ Paulus & Lucas teſtantur in hoc loco, non ſunt ſcripta in Evan-

Act. 20.

gelio; tamèn hoc nonobſtante credimus, ea eſſe vera, ac ſi fuiſſent ſcripta ab ipſo Chriſto, vel eſſent in Evangelio; alioquin Paulus & Lucas fuiſſent mentiti. Quòd eſt falſum: inferendum eſt igitur, Apoſtolos alijs verbo narraſſe tam facta, quàm dicta; ſeu actus & verba Chriſti Domini. Paulum & Lucam ea didiſciſſe ab illis, qui cum Chriſto converſati fuerant ante & poſt reſurrectionem, atque ità ex ore in os, & ex pectore in pectus transfuſa ad nos uſque perveniſſe ſine alio quovis Scripturæ teſtimonio, ſed ſola traditione, quæ cùm non ſit minus vera, quàm Scriptura. Et ea quæ ad nos ab Apoſtolis fuerunt tranſmiſſa, ſint vera ſicut ea, quæ ſcripta ſunt, eadem fide ſunt tenenda.

Idem docet Apoſtolus qui ſic hortatur Timotheum ad alios ſincerè docendum, & patiendum pro Chriſto, in Epiſt. 2. cap. 2. *Tu ergo Fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Indè enim clarè oſtenditur, Paulum aliqua verbo ſolo tradidiſſe, quæ numquam ſcripto mandaverat, quæque ſunt obſervanda: quamvis ad nos pervenerint per traditionem Apoſtolicam. Ut declarat his verbis ad Theſſ. 2. cap. 2. verſ. 14. *Fratres ſtate & tenete traditiones, quas didiciſti ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*, quibus conſtat quaſdam veritates divinas fuiſſe ſcriptas, & alias verbo pronuntiatas eſſe; quin ſint minus veræ.

2. Timot. 2

2. Theſſ. 2

His ſuffragantur communitèr Sancti Patres, & præſertim D. Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 1. ubi de Apoſtolis inquit: *Primi illi noſtri Sacerdotalis muneris duces.... Summa illa, & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis, nobis tradiderunt.* Et ibidem eodem capite Hierarchiam definiendo inquit: *eſt itaque Hierarchia omnis ut ſe habet veneranda ac SacroSancta traditio, omnis Sacrarum rerum illi quidem ſubjectarum ratio.* Itaquè ſi ſit neceſſe credere ea, quæ Apoſtoli ſcripſerunt, neceſſè eſt etiam tenere ea, quæ dixerunt; licet non ſint ſcripta in Evangelio, cùm ſint Divina & ad nos uſque fidelitèr pervenerint per traditionem.

D. Dionyſius.

Inſuper fides noſtra fundatur in Dei verbo, ut declarat Apoſtolus ad Rom. cap. 10. verſ. 17. dicens. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti.* Verbum autem illud juxta Communem Sanctorum Patrum, & Theologorum ſententiam, eſt duplex, ſcriptum ſcilicet, & non ſcriptum, ſeu viva voce traditum. Primum accepimus ab Scriptoribus Canonicis, quibus Spiritus Sanctus dictavit ea, quæ ſcripſerunt. Secundum verò accepimus ab Apoſtolis loquentibus (in quibus Spiritus Sanctus loquebatur, ut ipſis promiſerat Chriſtus, Matth. 10. verſ. 19.) illudque ut verum annunciaverunt nobis Patres noſtri, qui eos loquentes varijs linguis magnalia Dei, audierant.

Rom. 10.

Hoc verum eſſe patet ex eo quòd plura ſint Fidei Dogmata à nobis credenda, quæque ab initio naſcentis Eccleſiæ credunt Fideles: quamvis de illis nulla ſit in Scripturis mentio expreſſa. Nullibi enim invenitur, quòd Beata Virgo Deipara fuerit ſemper, etiam poſt partum, Virgo. Quòd quatuor Evangelia ſint potiùs Sanctorum Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, ſintque Scriptura verè Divina Potiùs quàm quatuor alia nomine Sanctorum Petri, Andreæ, Bartholomæi, & Thomæ ventilata, & ab Eccleſia rejecta ut verè Apocripha. Nullibi enim etiam legitur quòd è quatuor Machabæorum Libris, duo ſint verè Canonici, & Divini, alij duo è contra Apocriphi. Quod Epiſtolæ ad Romanos, ad Epheſios & liæ, quæ ſunt in Biblijs noſtris, ſint verè Paulinæ, & Canonicæ; aliæ verò ejuſdem ad Senecam, quæ à nonnullis referuntur, ſint Apocriphæ. Quòd ejuſdem Pauli Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, & ad Philippenſes ſint verè Pauli, & inter Canonicas habendæ, alia verò ad Laodicenſes ſit falſa; licet Pauli Titulum præferat, & Paulus ipſe in ſua ad Coloſſenſes cap. ult. verſ. 16. ejuſdem Laodicenſis Epiſtolæ mentionem faciat.

Tandèm nullibi legimus quòd panis conſecrandus debeat eſſe triticeus, quòd parvuli ſint baptizandi ante rationis uſum, & alia plura hujuſmodi, quæ non habemus ex ſcripto Dei verbo, ſeu ex Scriptura Divina; cùm de ijs nihil ſaltèm expreſſè dicat, quæ tamen ſunt neceſſariò credenda atque obſervanda, ut fatentur plures Hæretici traditiones reſpuentes: igitur ex traditione Divina, ſeu ex tradito Dei verbo, altera Fidei noſtræ regula, habemus hanc certam & infallibilem Doctrinam eorum quæ credenda ſunt.

Clemens Alexandrinus in feſto de Paſchate apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 11. fatetur ſe à Fratribus impulſum, ut Fidei à Presbyteris Apoſtolorum Succeſſoribus vivâ voce tradita, ſcriberet, & poſteris traderet obſervanda. Ille Sanctus Clemens floruit ſecundo cadente & tertio ineunte ſæculo, quòd ſuadet, traditionem fuiſſe ſemper commendatam in Eccleſia Chriſti, & ab omnibus Fidelibus receptam tanquam regulam Fidei, quam venerari, cuique Fidem adhibere debemus, ut alteri, ſeu Scripturæ Sacræ; alioquin non teneremur credere, Mariam Deiparam fuiſſe ſemper Virginem, nec alia jam memorata. Quòd eſt falſum.

Clemens Alexandrinus.

Traditio tenenda erat in Lege naturæ. Legimus enim, Deum multa revelaſſe Abrahamo, ut ea poſteris ſuis traderet, juxtà illud Geneſ. 18. verſ. 17. *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & benedicenda ſint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus ſit Filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe*: Atqui Abraham non tradidit ea in ſcriptis Filijs ſuis, nec illi deinceps alijs ea ſcripta ante Moyſem tradiderunt poſteris, ut eſt manifeſtum: ergo viva voce, hoc eſt traditione, quæ in veteri Teſtamento ſervabatur, ut legitur Deuteron. cap. 32. verſ. 7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, Majores tuos & dicent tibi.* Pſal 43. *Deus auribus noſtris audivimus, Patres noſtri annunciaverunt nobis quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.* Jerem. cap. 6. verſ. 16. *Sta ſuper vias & interroga de ſemitis tuis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* Ergo etiam in novo Teſtamento, ſeu in Eccleſia Chriſti tenenda eſt traditio, eique Fides eſt adhibenda; cùm plura dixerit, & fecerit Chriſtus, quæ non fuerunt ſcripta, ſed ſolùm nobis tradita ab Apoſtolis, qui fuerunt Teſtes oculares, & auriculares eorum, quæ Chriſtus fecit & dixit pro noſtra Doctrina, & ſalute. Et quæ Eccleſia nobis revelavit: nam qui audit, & ſequitur Scripturam, audit & ſequitur Eccleſiam; qui autem non audit Eccleſiam, neeque Scripturam audit, & eſt Infidelis, ut teſtatur S. Matthæus 18. verſ. 17. dicens. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Undè nos, qui Eccleſiam ſequimur, etiam dum nos docet ſecundum traditionem, quam accepit ab Apoſtolis, audimus, & ſequimur Scripturam, hoc eſt, tam certi ſumus in traditione recepta ab Eccleſia, quàm in Scriptura.

Geneſ. 18.

Matth. 18.

§. III.

In quo proponuntur, & refutantur Argumenta contrà Traditionem.

Joannes 20 HÆretici traditionem impugnant authoritate Sacræ Scripturæ Joan. cap. 20. verſ. 30. & 31 ubi legitur. *Multa ſigna fecit Jeſus, quæ non ſunt Scripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, quod Jeſus eſt Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Indè enim concludunt, ſolam Scripturam Sacram, aut ea, quæ ſcripta ſunt, eſſe regulam fidei. Ea verò, quæ non ſunt ſcripta licet habeantur in traditione, non eſſe regulam fidei, ideoque eſſe rejicienda. Nam (inquiunt) ſi ea, quæ ſcripta ſunt, ſcripta ſint ut credamus, ſequitur quòd ad ſalutem conſequendam ſufficit ſolis ſcripturis adhibere fidem, quia ea, quæ ſcripta non ſunt; licet tradantur, non traduntur, ut credamus, neque ut vitam habeamus: ergo traditio eſt prorsùs nulla ad ſalutem.

Sed errant Hæretici, ſic ex illa authoritate concludentes, quia ibi D. Joannes non loquebatur de omnibus Dogmatibus fidei, quæ à nobis credenda ſunt pro ſalute conſequenda, & ut vitam æternam habeamus, ſed de miraculis ſcriptis, aut dictis ad probandam Chriſti divinitatem. Undè dicebat: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quòd eſt Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi.* Quòd inſinuat ibi ſermonem fuiſſe de uno fidei dogmate tantùm, hoc eſt, de Chriſti Divinitate, ut hac authoritate poſteà confunderentur Ariani; non verò de omnibus, quæ neceſſariò credenda ſunt in lege nova, quorum plura non habentur per ſcripturam, ſicut habetur unitas ſubſtantiæ & naturæ in tribus Divinis perſonis, ut dictum eſt ſupra in rationibus, quæ ſtant pro traditionis neceſſitate.

Oſtenditur falſitas interpretationis Hæreticorum.

Dico iterum quòd loquebatur tantùm de reſurrectione Chriſti, ut ſuadent verba, quæ immediatè præcedunt, *Quia vidiſti me Thoma credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt*, quibus Chriſtus Diſcipulum incredulum, ſcilicet Thomam de ſua reſurrectione convicit; ideoque hæc verba Joannis non ità aſtringunt nos ad Scripturam, ut ipſa ſola ſit regula fidei noſtræ; cùm non ſint verba excluſiva, nam dum ait: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis*, non dicit quòd debeamus credere tantùm ea; quæ ſcripta ſunt; alioquin ſequeretur quòd nullus teneretur credere, Patrem in divinis eſſe ingenitum, quia hoc Dogma non eſt apertè ſcriptum. Sequeretur inſuper quòd ea, quæ fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta, & magna ſunt, ut idem Evangeliſta teſtatur cap. ult. verſ. ult. eſſent falſa, vel ad minus inutilia; quòd non eſt dicendum: ergo debemus credere traditioni, ſeu dictis Apoſtolorum Chriſti, & recipere ea, quæ ab ipſorum ſucceſſoribus audierunt Patres noſtri. Unde D. Irenæus adverſus Luciferianos ait; *In his de rebus, in quibus nihil certo ſtatuit ſcriptura, mos populi Dei per inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt.*

D. Irenæus.

Iterum objiciunt illud Apoſtoli ad Galat. cap. 1. verſ. 8. *licet nos aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis, præter quam quod vobis Evangelizavimus: anathema ſit:* igitur ex Apoſtoli doctrina, Evangelio dumtaxàt credendum eſt, nec poſſumus tutâ conſcientiâ traditionem accipere tanquam regulam fidei noſtræ; cùm non ſit Evangelium, nec in Evangelio contineatur.

Ad Galat. 1

Reſpondeo, Apoſtolum non redocere nos ità ad Evangelium, ut non valeamus credere traditioni, quia dum dicit: *Præter id quod vobis Evangelizavimus* comprehendit generatìm ea, quæ Apoſtoli ſcripſerunt & dixerunt ad noſtram inſtructionem, & ſanctificationem. Nam dum narrabant ea, quæ ſolùm viderant, vel audierant, Evangelizabant, ſicut dum narrabant ea, quæ legerant, hinc eſt, quòd Paulus 2. ad Theſſal. cap. 2. verſ. 15. ait: *State: & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*, Et ideo Apoſtolus vult; rejicere ea quæ non ſunt ſcripta in libris Canonicis, & quæ tradunt homines authoritate propriâ, non verò ea. quæ tradiderunt Apoſtoli Eccleſiæ Chriſti, & ipſa Eccleſia tradidit nobis; alias non diceret, *tenete traditiones.* Certum eſt, omnes Apoſtolos Evangelizaſſe nobis per verba, & per ſcripturam, & obligaſſe nos ad obſervantiam eorum, quæ dixerunt, ſicut ad obſervantiam eorum, quæ ſcripſerunt: ex quo ſequitur, anathema potiùs illi, qui traditiones omnes rejiciendas eſſe docet, quia hoc eſt Evangelizare aliquid præter id quod Evangelizavit Paulus, qui expreſſè aſſerit traditiones eſſe tenendas, ut jam monui, ergò Hæretici qui dicunt eſſe rejiciendas: ſunt anathemate percutiendi.

2. Theſſal. 2

Vel reſpondeo quòd Apoſtolus, ibi vetat Evangelizare, id quòd repugnat, eſtque contrarium Evangelio jam tradito, & in Eccleſia recepto, quoniam mens ejus erat admonere fideles nè audirent hoſtes Evangelij Chriſti, à quibus tunc impugnabatur Scriptura per contrariam Doctrinam. Deindè illa particula, *præter*, ibi idem ſignificat, ac contra, ut notat D. Ambroſius; ideoque traditio non eſt rejicienda, cùm non ſit contra Evangelium, nec contrà ea quæ ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt.

Dicent: hanc reſponſionem non valere, quoniam per Evangelizare, ſolùm intelligi poteſt prædicare, & annuntiare id quòd ſcriptum eſt, ut facile colligi poteſt ex D. Chryſoſtomo in cap. 22. Matth. ubi ait: *Quidquid quæritur ad ſalutem, totum jam impletum eſt in ſcripturis*, Nihil ergo expectandum eſt ex traditione; cùm ſola Scriptura nobis ſufficiat ad fidem tuendam, & ad ſalutem conſequendam.

D. Chryſoſt.

Nego inſtantiam. Quia ibi Apoſtolus per Evangelizare intelligit prædicare, aut docere nos ea, quæ neceſſariò credenda ſunt, ut ſalvi ſimus. Hæc autem inſtructio. Nedum per ſcripta, ſed etiam per verba, fit; nedum ſcripta, ſed etiam narrata reſpicit, tenemur enim credere tantum illa, quæ Apoſtoli ſcripſerunt, & dixerunt. Ad authoritatem D. Chryſoſtomi dico quòd non excludit traditionis neceſſitatem ad multa alia credenda, de quibus in Sacris Scripturis nulla eſt expreſſio. Quia non loquebatur de Dogmatibus fidei, ità ut nulli liceat credere, niſi ea, quæ ſcripta ſunt in Sacris Libris. Sed tantùm loquebatur de varijs ad vitia remedijs, dicebatque nullum eſſe vitium hominis pro quo ſanando non ferat aliquod Scriptura remedium, traditionem autem approbat. Nam 2. ad Theſſ. Homil. 4. ait. *State & tenete; hinc eſt perſpicuum quòd non omnia per Epiſtolam tradiderunt, ſed multa etiam ſine ſcripto, & ea quoque ſunt fide digna, quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam; eſt traditio, nihil quæras amplius*, ut jam dictum eſt ſuprà. Quòd ſanè probat traditionem Apoſtolicam eſſe veram, & fidem eſſe illi adhibendam, ſicut adhibemus eam Scripturæ.

Reſponſio D. Chryſoſtomi

Tandem ex eadem Scriptura objiciunt, & traditiones impugnant ex illo Deuteron. cap. 4. verſ. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego vobis præcipio.* Quòd intelligitur tantùm de verbo ſcripto: ergo (inquiunt) Sacra Scriptura rejicit omnem traditionem, quia verbo Dei additur; vultque, nos nullam habere regulam fidei præter ipſam Scri-

Deuteron. 4

pturam, acproindè vult, nos non poſſe habere traditionem tanquam regulam fidei; cùm traditio quamvis Apoſtolica, non ſit ſcriptura: alioquin nulla eſſet hæc diſputatio, qua agitatur an traditio ſit recipienda, cùm eſſet ſeriptura.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, nimirùm verbum illud ad quod nihil addendum eſt, eſſe verbum ſcriptum dumtaxàt, quia eſt etiam verbum traditum, quod nequit Dei verbo addi; cùm ſit verbum Dei, non ſcriptum, ſed traditum. Nam (ut jam dixi) Apoſtoli non ſcripſerunt omnia verba, quæ audierunt à Chriſto, nec omnia, quæ viderunt, conſtat enim quòd plura voce viva tradiderunt, quæ quia ſunt vera, & à Chriſto, ſicut ea, quæ ſcripſerunt, ſunt verè verbum Dei traditum, quo debemus uti, ut notat D. Epiphanius, hæreſ. 61. dicens: *Oportet autem & traditione uti, non enim omnia à divina Scriptura poſſunt accipi, quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione Sancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apoſtolus, ſicut tradidi vobis.* Et hæreſ. 69. ait: *Reſpondete nobis Arij Diſcipuli, ingenitum dicimus omnes ſimul Patrem, & increatum, & admirabilis eſt dictio ſcilicet, ubi itaque eſt dictio, hac ſcripta oſtendite, neque enim lex, neque Propheta, neque Apoſtoli, ex ſola quidem traditione habemus illam, quæ cum ſit veriſſima, traditio eſt recipienda.*

Scriptura non rejcit traditionem Apoſtolicam

D. Epiphan.

Dico ſecundò quòd per illa verba Deuteronomij, *non addetis ad verbum* prohibetur ſolum addi verbo Dei aliquid, per quod mutetur, corrumpatur, alteretur, vel impugnetur verbum Dei. Mens enim hujus textus, eſt ſervare eſſentialia Scripturæ Sacræ & verbi Dei; ſed per traditionem Divinam, aut Apoſtolicam, verbum Dei ſcriptum non corrumpitur, non mutatur, non impugnatur ullo modo, ſed potiùs explicatur, & defenditur; cùm traditio ſit pariter verbum Dei. Et verbum Dei verbô Dei non corrumpatur, nec alteretur, nec impugnetur. Nam ea, quæ tradiderunt nobis Apoſtoli, ſunt à Chriſto, & à Deo tanquam Authore primario, ſicut ea, quæ ſcripſerunt & tenemur ea obſervare; legimus enim, Act. 15. verſ. 40. & 41. *Paulus vero electo Sila profectus eſt, traditus gratia Dei à Fratribus, perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Illa autem præcepta Apoſtolorum, & Seniorum, non venerant ad Paulum per Scripturam, ſed per traditionem, ſcilicet quia ea audierant a D. Petro, & ab alijs Diſcipulis Domini.

Act. 16.

Nec valet objicere hujuſmodi præcepta non eſſe propriè Apoſtolorum, ità ut ab ipſis inſtituta fuerint, ſed Dei, quia ſcilicet Spiritus Sanctus dictavit ea Scriptoribus, ſicut dictavit Legem Moyſi. Non valet, inquam, ut probat illud Act. 16. verſ. 4. ubi de Paulo & Timotheo dicitur; *cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant Decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Jeroſolymis.* Quibus conſtat, Apoſtolos plura decreviſſe, quæ nobis tradita fuerunt, & quæ didiſcerant à Chriſto loquente, vel faciente: ergo cum hujuſmodi præcepta ſint vera & inſtituta, Spiritu Sancto inſpirante, ſequitur quòd traditio, & Scriptura nequeunt inter ſe pugnare, nec traditiones Apoſtolicæ poſſunt Scripturis contradicere, ſicut ipſis contradicebant, eaſque impugnabant quædam vanæ & ſuperſtitioſæ hominum traditiones, quales erant apud Judæos, & Gentiles, illæ ſcilicet de qoibus dicitur, Matth. 15. verſ. 6. *irritum feciſti mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Et verſ. 9. *Sine cauſa autem colunt me, docentes Doctrinas, & mandata hominum.* Et ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 8. *Videte nè quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum*, quoniam hujuſmodi traditiones fictæ, & fucatæ erant, ideoque penitùs rejiciendæ, tanquam alterantes Scripturam. Divinæ verò, & Apoſtolicæ, ſunt veræ, & ſupplent, aut exprimunt ea, quæ non fuerunt ſcripta; igitur ſunt neceſſariò recipiendæ, & obſervandæ.

Act. 16.

Matth. 15.

Coloſſ. 2.

Idem conſtat ex can. *Catholica*, diſt. 11. Qui ex ſcriptis Divi Auguſtini deſumitur. In hoc quidem Canone legimus quòd Eccleſia regitur traditione & authoritate generali, vel ſpeciali, ut ibi aſſerit idem Auguſtinus dicens *Catholica Eccleſia per orbem terrarum diffuſa, tribus modis probatur exiſtere, quidquid enim in ea tenetur, aut authoritas eſt Scripturarum, aut traditio univerſalis, aut certè propria, & particularis inſtitutio, ſed authoritate tota conſtringitur univerſali traditione majorum, nihilominus tota: privatis verò conſtitutionibus, & proprijs informationibus, unaquæque per locorum varietatem, prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit, & regitur.*

D. Auguſt.

Dicent Hæretici quòd idem S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 9. docet oppoſitum, & rejicit traditionem: ibi enim ait: *In his quæ apertè poſita ſunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi*: igitur ex D. Auguſtino, Scripturæ dumtaxàt confidendum eſt. Et traditio (quamvis Apoſtolica) eſt rejicienda, cum in Scriptura ſint omnia, quæ fidem concernunt, idcircò nulli licet traditionem recipere ſicut Scripturam, id eſt, ut regulam fidei.

Reſpondeo, D. Auguſtinum loqui de his quorum fides eſt omnibus ſimpliciter & abſolutè neceſſaria, qualia ſunt ea, quæ in Symbolo Apoſtolorum, & Decalogo continentur. Habemus enim in Scriptura, Deum eſſe unum in eſſentia, & Trinum in perſonis, Verbum eſſe Incarnatum, Deum eſſe adorandum, & alia, quæ habentur in Decalogo, in Symbolis Apoſtolorum, & D. Athanaſij: *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem.* At D. Auguſtinus non loquitur abſolutè de omnibus, quæ ad fidem pertinent, ità ut velit, ea quæ non ſunt in Sacra Scriptura, non poſſe eſſe de fide, quamvis ſint ex traditione divina, vel Apoſtolica. multa enim ſunt de fide credenda, de qoibus tamen in Scripturis nihil apertè poſitum eſt nec expreſſum. V. G. Ut jam dixi ſuprà quòd Pater ſit ingenitus, & improductus. Quòd Beata Maria fuit ſemper Virgo poſt partum. Quòd baptizati ab Hæreticis, non ſunt rebaptizandi &c. Nam D. Auguſtinus in Epiſtola ad Januarium, quæ eſt 118. ait: *Illa quæ non Scripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſervatur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel a plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata, atque ſtatuta retineri. Unde hac; quin ita facienda ſint, diſputare inſolentiſſima inſania eſt.*

Explicatur mens D. Auguſtini.

D. Athanaſius.

D. Auguſt.

Idem in Epiſtola ad Caſulanum Presbyterum, inquit. *In his rebus, de quibus nihil certè ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt, & ſicut prævaricatores divinarum Legum, ità contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt*: Igitur Divus Auguſtinus non rejicit traditiones Apoſtolicas, imò eas recipit, & vult quòd ab omnibus recipiantur; cùm declaret Contemptores traditionum, eſſe puniendos eâdem pœnâ, quâ puniuntur Contemptores legum divinarum. Nam pœna non infligitur niſi propter culpam, ut patet ex regulis Juris. Et culpa non incurritur niſi omittendo quod præcipitur, aut faciendo quod prohibetur. Hinc fit quòd ex eodem Divo Auguſtino, qui ſpernit traditionem Apoſtolicam, peccat, ſicut ille, qui ſpernit legem ſcriptam, & libros Sacros.

Tertullian. Inſtabunt inſuper & dicent. Tertullianum lib. contra Hermogenem rejeciſſe traditiones, ibi enim ait: *Adoro Scripturæ plenitudinem, ſcriptum eſſe doceat Hermogenis officina, ſi non ſcriptum, timeat væ illud adjicientibus, vel detrahentibus deſtinatum.* In eadem ſententia fuit D. Hieronymus in cap. 23. Matth. ubi iuquit: *Quod de ſcripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ approbatur.* *D. Hieronimus.*

Reſpondeo quòd ſi Tertullianos loqueretur in ſenſu Hæreticorum ſcilicet, ſi vellet traditiones rejicere, non eſſet aodiendus; cùm plures ſeminaverit errores, inter qoos, hic eſſet, ſed non ità loquitur, certum enim eſt Tertullianum ibi agere contra Hermogeoem dicentem omnia creata fuiſſe ex præjacente materia, non autem ex oihilo. Et in hoc Hermogenes vir Hereticus ſtatuebat dogma aliquod expreſſè, & directè contra Sacram Scripturam, qoæ manifeſtè docet, nullam materiam eſſe, coæternam Deo, ideo dicebat ipſe Tertullianus ſe adorare plenitudinem Scripturæ quantum ad ſingulare Dogma, materiam Deo coæternam non eſſe ſtatuens, aut Deum ſolum eſſe æteruom, declarans. Unde ut Dogma oppoſitum ab Hermogene ſomniatum, utpotè materiam Deo coæternam eſſe, deſtrueret, contra ipſum Hermogenem, allegabat Scripturam, expreſſè & clarè aſſerentem, Deum in principio creaſſe cœlum & terram, ſed non rejiciebat traditionem eorum, quæ accepimus ab Apoſtolis, & de quibus nulla fit mentio in Scripturis, ut probant ejuſdem Tertulliani verba ſupra relata in principio articuli, quibus conſtat, hunc Doctorem pro noſtra ſteriſſe ſententia. *Explicatur mens Tertulliani contrà nos relati.*

Quantum ad D. Hieronymum dico quòd non loquitur indefinitè & univerſalitèr de omni eo; quòd non habet authoritatem ex Scripturis, & tamen crédimus illud, ſicut id qnod ſcripnm eſt. V. G. qualia ſunt ea, quæ viva voce tradiderunt Apoſtoli Diſcipulis ſuis, & ipſi Diſcipuli Apoſtolorum Miniſtris noſtris de uuo ad alium; ſed loquitur de privata & ſingulari ſententia qnorumdam, qui conabantur probare ex libris Apocryphis plura, quæ licet non ſint eredenda, ea tamen credenda affirmabant. Quia ea, non ex Canonico, aut anthentico, ſed ex Apocrypho libro Scripturæ probabant. Quare D. Hieronymus voluit, borum Hæreticorum rejicere Dogmata, eaque eadem facilitate, quâ probantur, contemnere, & contemnenda eſſe: nam ipſe Sanctus Doctor, traditiones veras, & Apoſtolicas admittit, ut patet ex ejuſdem Epiſtola ad Marcellam de errorſbus Montani, ubi ait: *Nos unam quadrageſimam ex Apoſtolica traditione tempore nobis congruo jejunamus.* Et in Dialogo adverſus Luciferianos cap. 4. ait: *Etiam ſi Scriptura authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus, inſtar præcepti, obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſijs obſervantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverant, velut lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem, die Dominico, & per omnem Pentecoſten, nec de geniculis adorare, & jejunium ſolvere, multa alia, quæ ſcripta non ſunt, rationabilis ſibi obſervatio vindicavit.* *Explicatur mens D. Hieronymi contrà nos relati.*

Eamdem veritatem affirmat. D. Baſilius magnus cap. 27. ubi ait: *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur quædam habemus è Doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio; id eſt, in occulto tradita recipimus, quorum utraque parem vim habet ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint Jura Eccleſiaſtica.* Sunt alij quàmplurimi Sancti Patres, qui docuerunt traditiones Apoſtolicas eſſe tenendas. *D. Baſilius*

ARTICULUS LVII.

Aſſerit contra Uvadianos, Jus exigendi Decimas, meritò competere Sacerdotibus.

TEmpore Heuriei I. Imperatoris; & Joannis XII. Papæ, circa anoum Domini CXLIV. in Provincia Paduana quidam viri de fide Catholica; & de Chriſti Eccleſia malè ſentenl, antiquam Uvadianorum hæreſim ab inferis ſuſcitare voluere, ſeo prædicare; Deum non eſſe omnino incorporeum, nec merè ſpiritualem, ſed humanà habere membra, ſcilicet brachia, manus, aores, oculos &c. & ideo dicti fuerunt novi Antropomorphitæ. Hi autem viri Hæretici; quorum Author nou refertur) à publicis Eccleſiæ conventibus fugiebant. Eorum ratio erat, quia Miniſtri Eccleſiæ Romanæ, utpotè Epiſcopi, & Sacerdotes decimas fructuum exigebant; & bona terreſtria, & temporalia poſſidebant contra intentionem Chriſti, qui cùm terræ fructuum decimas non habuerit, pauper, & egenus fuerit, nullus Sacerdos poteſt eſſe dives, nec Sacrum exercere Miniſterium, niſi ſit pauper. Sed ſtatim deſtructa fuit hæc hæreſis, curâ, diligentiâ, & zelô Bracharij Veroneoſis digni Epiſcopi, viri doctiſſimi; & ſanctitate præclariſſimi, necnon cæterorum comprovincialiom Epiſcoporum. *Uvadiani.*

Poſteà ſcilicet anno MCXVII. ſub Henrico V. & Paſchali II. Papa revixit eadem hæreſis: tunc enim inſurrexit quidam vir Hæreticus nomine Marſilius, natione Paduanos, qui docebat, Apoſtolos nullum bonum temporale habuiſſe, nullumque à fidelibus exegiſſe, ſed omnino pauperes fuiſſe. Et inde concludebat, viros Eccleſiaſticos, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, non poſſe tutâ conſcientiâ exigere decimas, habere divitias, agros, & poſſeſſiones temporales: volebat enim per paupertatem Clericos à Laïcis diſtinguere. *Marſilius.*

Anno autem MCLX. regnante Friderico, & Alexandro III. Eccleſiam Dei regente, Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, de quibus ſæpè locuti ſumus, inter plures hæreſes, quas tuebantur, una eſt, Sacerdotes pauperes eſſe debere, & ſolâ Eleemoſynâ contentos. *Uvaldenſes.*

His ſucceſſit Gerardus Sagarellus de Parma (qui damnatus eſt, & combuſtus fuit ſub Adolpho Cæſare Germano, & Bonifacio VIII. hujus nominis Papa, circa annum Domini MCCXCVI.) cujus cineres fuerunt ſemen quorumdam Hæreticorum (qui Pſeudo-Apoſtoli dicti fuerunt, eo quod jactabant ſe vivere more Apoſtolorum, quamvis viri ad omne vitium proni, & ſcelerati eſſent) aſſerentium Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes non poſſe recipere decimas, qoia tenentur eſſe pauperes, & abſque ulla poſſeſſione, ſicut Apoſtoli. Et quia pro ipſis Apoſtolis legatione funguntur, debent, nedùm fidem Apoſtolorum defendere verbo, & doctrinâ, ſed etiam vitam ipſorum ducere in omnibus, ut poſſint eſſe veri Apoſtolorum Succeſſores, Coadjutores, & Imitatores. *Gerardus Sagarellus.*

Joannes Vuicleffus natione Anglus alia ratione motus adverſus Eccleſiæ Miniſtros inſurrexit ſub Carolo V. Imperatore, & Clemente VI. Papa, circà annum Domini MCCCLII. & dixit quòd decimæ ſunt puræ Eleemoſynæ, quas Parrochiani poſſunt propter ſuorum Prælatorum peccata, ad libitum ſuom illis auferre, eaſque citrà peccatum denegare Eccleſiaſticis. Ejus ratio erat, quia à *Vuicleffus.*

Sanctitate Miniſtri Eccleſiæ Chriſti pendet nedum Sacramentorum valor, aut efficacia, ſed etiam Jus exigendi decimas. Nam (inquiebat ille vir Hæreticus.) ſi Sacerdos per peccatum fiat membrum Diaboli, privandus eſt patrimoniô pauperum, & omni beneficio, & bono Eccleſiaſtico; quin Judices poſſint Parrochianos pœnis pecuniarijs, vel cenſuris Eccleſiaſticis cogere.

Lutherus. His omnibus ſucceſſit Martinos Lutherus, de quo etiam habuimus ſermonem in varijs articulis, qui ut Principibus, & Regibus perſuaderet, ipliſque inſpiraret animum deripiendi bona Eccleſiæ, tuebatur, Sacerdotes omnes eſſe incapaces poſſeſſionum in bonis temporalibus, & quod ipſis victum & veſtitum ſufficiebant, ſicut ſufficiebant Apoſtolis, teſte D. Paulo I. ad Timot. cap. 6. verſ. 8. dicens. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli &c.* Eumdem errorem ſecuti ſunt Anabaptiſtæ, Trinitarij, & alij Hæretici ex putrido Calvini fonte exorti.

§. I.

Quo Probatur Decimas eſſe ſolvendas Authoritate Eccleſiaſtica.

MIniſtros Eccleſiæ Chriſti habere Jus exigendi decimas, & poſſe bona temporalia poſſidere, declaratum fuit in varijs decretis Conciliorum, quæ ſunt de bonis Eccleſiæ non alienandis: nam ſi illicitum ſit, & prohibitum alienare bona Eccleſiæ, certum eſt quòd ipſa Eccleſia poteſt habere agros, domos, & alia bona temporalia; cùm nemo alienare valeat ea, quæ non poſſidet, quemadmodum nemo dat quod non habet.

Concilium Chalcedonēſe. Concilium Chalcedonenſe (quod eſt unum ex illis quatuor, quæ poſt S. Gregorium, omnes dicunt eſſe recipienda, velut quatuor Evangelia) cap. 2. diſtrictius inhibet Clericis, nè poſt mortem Epiſcopi, res ad eum pertinentes, rapiant, ex quo ſequitur quòd rerum proprietas permiſſa fuit Epiſcopis authoritate Concilij. Conſtantienſe in quo dam- *Conſtantienſe.* natus fuit Joannes Vuicleffus cum ſuis omnibus erroribus, conceſſit etiam Sacerdotibus libertatem poſſidendi bona temporalia, ſcilicet domos, agros, vineas &c. alioquin non condēmnaſſet hunc Joannis Vuicleffi errorem de decimis non ſolvendis.

Tridentinū Tandem Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 13. ait: *Quoniam pleræque Eccleſiæ Cathedrales tam tenuis redditus ſunt, & anguſti, ut Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant; examinet Concilium provinciale, vocatis ijs, quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmiſſis inſtrumenta ad Summum Romanum Pontificem mittat: quibus inſtructus Romanus Pontifex ex prudentia ſua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat.* Quibus conſtat, Concilium approbare poſſeſſiones & redditus Eccleſiaſticorum, & velle quod poſſideant agros, domos, & alia bona temporalia juxtà modum in Sacris Canonibus præſcriptum.

§ II.

In quo ex Sacra Scriptura Probatur obligatio ſolvendi Decimas.

SAcerdotes Legis veteris agros, & poſſeſſiones habebant, Deo ſic permittente. Legimus enim *Joſue 21.* in lib. Joſue cap. 21. quòd poſtquam populus Iſraëliticus terram promiſſionis adeptus eſt, Tribus Levitica unde ſumebantur Sacerdotes, accepit ab illis Tribubus quadraginta octo urbes cum ſuis Suburbanis, ibi enim verſ. 2. & 3. habetur, *Locuti ſunt ad eos in Silo terræ Chanaam, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moyſi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda jumenta: dederuntque filij Iſraël de poſſeſſionibus ſuis juxtà imperium Domini, civitates, & ſuburbana earum.* Hanc verò poſſeſſionem factam fuiſſe prout præceperat Deus, conſtat ex verſ. 8. ejuſdem capitis in quo habetur: *Dederuntque filij Iſrael, Levitis civitates, & ſuburbana earum, ſicut præcepit Dominus per manum Moyſi, ſingulis ſorte tribuentes*, quare habere civitates, agros, & poſſeſſiones non licebit Sacerdotibus novæ Legis, ſicut licuit Sacerdotibus Legis antiquæ? Certum eſt quòd Sacerdotes noſtri, Sacerdotale Officium nobiliori modo adimplent, quàm Levitæ in Lege veteri, nullaque facta fuit à Chriſto Sacerdotibus prohibitio, falſumque eſt Apoſtolos nullum bonum temporale habuiſſe, ut in articulo proprio probatum manet. Nullam ſanè video rationem, quæ hujuſmodi poſſeſſionem prohibeat. Illud quippe præceptum quòd apud Joſue habetur, non erat judiciale, ſed morale; ideoque permanſit in Lege nova, in qua ſubſiſtit erga Sacerdotes Chriſti neceſſitas, quæ erat erga Sacerdotes Synagogæ.

Præterea Deus etiam præcepit populo veteris *Levit. 29.* Legis decimarum ſolutionem in ſubſtentationem Sacerdotum. Levit. cap. 27. verſ. 30. dicens *Omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur.* Ità ſanè locutus eſt Deus, hocque præcepit, ut eſſent in domo ſua ci- *Malach. 3.* bus, &c ut declarat apud Prophetam Malachiam cap. 3. verſ. 10. dicens: *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea*: Hoc eſt, ad ſuſtentationem eorum, qui in domo mea ſunt: ergo eadem ratione, Eccleſiaſtici, qui ſunt in domo Dei, ſeu in Eccleſia, quam Chriſtus acquiſivit Sanguine ſuo: quamque fundavit ſupra firmam petram, poſſunt licitè recipere decimas terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, ut ſuſtententur & vivant; cùm finis decimarum tam in nova, quàm in veteri Lege, reperiatur. Et Eccleſia Chriſti approbet conceſſiones, oblationes, & munera, quæ à fidelibus fiunt, aut Sacerdotibus offeruntur, Et fideles teneantur ex juſtitia eas dare Sacerdotibus; quin poſſint eas ſine peccato, & obligatione reſtituendi eas, defraudare. Nam ſi Sacerdotibus incumbat obligatio miniſtrandi fidelibus Sacramenta, & orandi pro populo; juſtum eſt quod fidelibus incumbat obligatio dandi Sacerdotibus undè ſuſtentari poſſint: eſt enim mutua inter Sacerdotes, & fideles obligatio.

Paulus videtur id exigere quaſi retributionem miniſterij, nam 1. ad Corint. cap. 9. verſ. 11. ait: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos* *1. Corint. 9* *carnalia veſtra metamus.* Quòd idem eſt, ac dicere quòd bona temporalia recipere, neceſſarium eſt Sacerdotibus & Miniſtris Eccleſiæ Chriſti, ut valeant vacare Legi Dei, populum docere, & exercitia ſpiritualia adimplere, quæ tamen facere non

poſſent, ſi alimenta, quæ neceſſaria ſunt, non haberent, nec continuò darentur hæc alimenta à fidelibus, niſi ad ea danda, aliqua Lege tenerentur, idcircò neceſſe eſt quòd habeant rediruum Eccleſiæ uſum. Quia qui Altari deſerviunt, cum Altari participare debent, & de ipſo Altari vivere, nè manibus laborando pro vita ſuſtentanda, ab officio Eccleſiaſtico recedant in detrimentum populi Chriſtiani, qui cùm in timore & tremore ſalutem ſuam operari debeat, pro eorumdem Chriſtianorum ſalute Sacerdos continuò ſe occupare neceſſe eſt, ex quo ſequitor quòd Sacerdotes nè diſtrahantur ad curam, & ſollicitudinem temporalium acquirendorum, debent habere apud ſe ipſos decimas, & alia bona temporalia, ſeu agros, domos, & divitias unde vivere poſſint: igitur decimæ ſunt Sacerdotum Jure divino, & qui eas dare noluerit, res alienas invadit, ut inquit D. Auguſtious. Hiuc eſt quòd non ſunt puræ Eleemoſynæ, ut voluerunt hæretici; cùm Jure divino debeantur Sacerdotibus, & non poſſint citrà peccatum defraudari, aut Sacerdoti denegari, quemadmodum peccat contra Juſtitiam ille, qui denegat alteri, quod ſuum eſt:

Decimæ jure divino pertinent ad ſacerdotes.

Rurſùm idem Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 3. jubet ut omnes Epiſcopi ſint hoſpitales, & benè præſint domui ſuæ; Quòd ſupponit divitias, & bona temporalia, nam hoſpitalitas nequit exerceri ab eo, qui non habet facultates, quoniam hoſpitalitatem exercere, eſt miniſtrare neceſſaria ijs, qui hoſpitio recipiuntur. Et domui benè præeſſe, eſt providere de victu, & veſtitu, & de cæteris ſine quibus hæc miſera vita conſervari minimè poteſt, niſi his omnibus, quæ ſunt in domo, nimirum bonis temporalibus, quæ Sacerdotes animarum curam habentes, nequeunt acquirere labore manuum.

1. Tim. 3.

Ratio naturalis etiam ſuadet hanc veritatem. Nam dictat quòd populus alimenta debet omnibus illis, qui pro eo laborant; cùm ex Apoſtolo non ſit qui militet proprijs ſtipendijs. Et ex Evangelio Matth. dignus ſit operarius mercede ſua; unde Regibus qui pro populi conſervatione, tranquillitate, aut pace tuenda continuò invigilant, & laborant, tributa, militibus ſtipendia, & judicibus præmia redduntur: ſed Eccleſiaſtici pro populo fideli, & Chriſtiano orant; nam Eccleſia eſt domus Dei, in qua orat Sacerdos pro delictis, & peccatis populi. Et laborant cùm Sacramenta adminiſtrent, Evangelium prædicent, infirmos viſitent, oves cuſtodiant: ergo illis naturalitèr debentur decimæ de fructibus terræ, vel aliquid æquivalens, ut indè vivere poſſint. Quapropter Deus in Deuteron. cap. 64. præcipit gentibus ut de omnibus fructibus primitiæ offerantor, & dentur Sacerdoti, ut invocet nomen Domini ſuper eas; hocque præcepto creditur Abraham dediſſe decimas Melchiſedech, qui tunc erat Sacerdos altiſſimi, ut legitur Geneſ. cap. 14. verſ. 20. *Et dedit ei decimas ex omnibus.* In hoc, (inquit) D. Chryſoſtomus Homil. 35 ſuper Geneſim) ſe Doctorem noſtrum exhibuit, & monuit quid debeamus facere pro noſtris ſacerdotibus, qui ſunt Sacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech; ex quo ſequitur quòd Eccleſiaſtici poſſunt titulô juſtitiæ decimas recipere, & dona quæ illis dantur, eaque conſervare & diſtribuere juxtà exigentiam temporum, & propriarum neceſſitatum; quin Principes poſſint ea licitè impedire, & totaliter in proprios uſus conſumere, quidquid dixerit Lutherus, qui auſus eſt ſuadere Principibus ut Eccleſias deriperent, aut ſpoliarent & Sacerdotes ad mendicitatem, vel ad manuum laborem reducerent.

Ratio ſuadens hanc veritatem.

Deuter. 34.

Geneſ. 14.

Hanc ipſam veritatem plurimùm extollit Pius Papa, & Martyr in Epiſtola ad Italos, ubi ait: *Ad Sedem Apoſtolicam Prælatum eſt quod ſint inter vos contentiones, & æmulationes, & prædia divinis uſibus tradita, quidam humanis applicant uſibus, & Domino Deo cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, ut ſuis inſerviant uſibus; quapropter ab omnibus illius uſurpationis contumelia depellenda eſt, nè prædia uſibus ſecretorum cæleſtium dicata, à quibuſdam irruentibus vexentur; quòd ſi quiſquam præſumpſerit, velut Sacrilegus habeatur; & ſicut ſacrilegus judicetur.* Quibus liquidò conſtat, Eccleſiaſticos poſſe tutâ conſcientiâ exigere decimas, habere domos, agros, & alia bona temporalia; quin talibus bonis poſſint à Principibus Sæcularibus abſolutè privari; ſi autem contingat quòd occaſione divitiarum peccent, hoc non à poſſeſſione; ſed ab uſu illicito, turpi, & prohibito provenit.

Pius Papa.

§. III.

In quo impugnantur Rationes contrariæ.

ASſertionem impugnant Hæretici authoritate Sacræ Scripturæ Deuteron. cap. 10. verſ. 9. *Non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt.* Per Levitas intelligendi ſunt Sacerdotes noſtri, qui ut jam diximus Levitis ſucceſſerunt: ergo (inquiunt) Eccleſiaſtici, qui ſunt ſucceſſores Levitarum, nullam poſſunt habere poſſeſſionem tutâ conſcientiâ, nec poſſunt Sæculares citrà peccatum grave, fructus, decimas, res temporales, & divitias dare Eccleſiaſticis.

Deuter. 10

Reſpondeo quòd ſi Levitæ non habuerunt vineas nec agros, quia Deus dederat terram alijs, tamen ipſi Levitæ habebant ejuſdem terræ fructuum decimas, ut probant plures textus ſupra relati. Habebantque Urbes ad habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora, ut dictum eſt ſuprà; ideoque habebant poſſeſſiones, & divitias, ac proinde in Lege nova Sacerdotes poſſunt abſque peccato recipere decimas de fructibus terræ, a fidelibus, ſicut in veteri Lege Levitæ recipiebant eas ad vitam ſuſtentandam. Et habere domos; cùm juſtitia noſtra debeat abundare pluſquam juſtitia Scribarum, & Phariſæorum, ut notat D. Auguſtinus in Pſal. 146. ubi exponens hæc verba: *Qui parat terræ pluviam*, optimè inquit: *exime aliquam partem redituum tuorum, decimas vis, decimas exime, quamquam parum ſit: dictum eſt enim quia Phariſæi decimas dabant, & quid Dominus? Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quibus conſtat in Lege nova, decimas pertinere ad Sacerdotes ſicut in veteri Lege pertinebant ad Levitas.

D. Auguſt.

Idem docet D. Chryſoſtomus ſuper illud Matth. cap. 23 verſ. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis Mentham, & Anethum*, ubi ait: *Juſtitiam, miſericordiam, & fidem propter ſuam gloriam mandavit Deus, ſed decimas propter Sacerdotes*, qui cùm electi fuerint in ſortem, ſeu hæreditatem Domini, Can. *Clerus* diſtinct. 21. & ut ſacrificent pro ſalute populi juxtà monitum Fabiani Papæ in Epiſt. 2. debent recipere de fructibus terræ decimas; cùm Deus pro ipſis eas inſtituerit; quin Laici reclamare valeant, quia Domini eſt terra, & plenitudo ejus.

D. Chryſoſt.

Objiciunt iterum illud Matth. cap. 10. verſ. 9. & 10. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Apoſtolis ſuis. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas:* Ergo Epiſcopi, qui ſunt ſucceſſores Apoſto-

Matth.

lorum, can. *Quorum vices*, diſtinct. 68. Ex Sacerdotes, non poſſunt licitè poſſidere decimas, nec eas ex juſtitia exigere; alioquin haberent jus ad bona temporalia. Quòd eſt expreſſè contra textum.

Solvitur altera Hæreticorum ratio

Reſpondeo hanc rationem non valere, quoniam hæc verba Evangeliſtæ non debent abſolute applicari Apoſtolis pro omni tempore, ſed solùm intelligenda ſunt pro tempore illo, quo Apoſtoli ante Paſſionem Chriſti ibant per civitates cauſa prædicandi, & Evangelizandi, ut enim eſſent expeditiores, nullamque rerum temporalium curam haberent, Chriſtus jubet eis nihil poſſidere, ut durante miſſione viverent ex donis & eleemoſynis à populo fideli diſtribuendis, *dignus eſt enim*, dixit illis Chriſtus, *operarius mercede ſua*. At quia poſt Chriſti Aſcenſionem fixerunt ſedes, oves, & Eccleſias habuerunt curandas, & pauperes ſuſtentandos, non timuerunt bona temporalia à fidelibus recipere, ut legitur, Act. cap. 4. verſ. 34. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos, quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum*: Igitur Apoſtoli recipiebant bona temporalia, & ipſis fruebantur, ut fuſiùs diximus in articulo de Apoſtolis. Idem legitur in cap. 5. ejuſdem libri Actuum Apoſtolorum: itaque Sacerdotes noſtri poſſunt decimas inſtitutas exigere, & ipſis uti prout Sacris Canonibus ab Eccleſia præſcriptum eſt.

Act. 4.

Luc. 14.

Inſtabunt, Chriſtus Luc. 14. verſ. 33. dixit Diſcipulis ſuis, & alijs: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus?* Ex quo ſequitur quòd nullus poteſt eſſe Paſtor, aut Miniſter in Eccleſia Chriſti, ſi non renunciaverit omni juri decimarum, ſeu ſi ſit dives.

Reſpondeo, Chriſtum Dominum ſic locutum fuiſſe Diſcipulis ſuis, ut eis oſtenderet, dilectionem Dei eſſe præferendam amori & acquiſitioni rerum temporalium, id eſt, quòd debeat plus amare Deum, quàm domum, vineas, & agros, ut tenent communiter omnes. Quia ſcriptum eſt quòd qui non odit animam ſuam, Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, non eſt Deo dignus. Quòd non intelligitur de odio formali circà animam & Parentes, ità ut quis ſit Deo dignus, debeat odio habere Parentes, ſed de amore præferentiæ, quæ ſoli Deo debetur, quia diligendus eſt ex toto corde, & ſuper omnia: ergo ex illa authoritate non licet inferre, Eccleſiaſticos non poſſe bona temporalia habere, ſed ſolùm non poſſe bona temporalia præferre ſpiritualibus: terrena namque ſubſtantia ſupernæ fœlicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium inquit D. Gregorius homil. 17. in Evangelia.

ARTICULUS LVIII.

Exponit Pſallianis, præceptum recitandi Horas Canonicas obligare omnes Sacerdotes.

MErè Eccleſiaſtica eſt Horarum Canonicarum, ſeu Officij Divini Inſtitutio. Nam Eccleſia Romana ad Horas Canonicas recitandas aſtringit omnes Clericos in ſacris conſtitutos, omnes Religioſos Profeſſos, & omnes etiam, qui beneficium Eccleſiaſticum obtinent, etiamſi nullo ordine Sacro ſint inſigniti, ut conſtat ex can. *quia per ambitioſam* de reſcriptis in 6. Ex cap. *dolentes* de celebratione Miſſæ, ubi legitur: *Diſtrictè præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum paritèr & diurnum quantum eis Dominus dederit, ſtudioſe pariter celebrent, & devotè.* Sunt alij in Jure Canonico textus, & plures Sanctorum Patrum authoritates, quibus liquidò conſtat, ſolo Jure Eccleſiaſtico Clericos obligari ad recitandum Divinum Officium, quod componitur ex Horis Canonicis, quæ ſunt numero ſeptem juxtà ordinem ab Eccleſia præſcriptum recitandæ; quin ex ipſis una poſſit citrà peccatum omitti, ut fatentur omnes Catholici, niſi gravis infirmitas excuſet.

Fuerunt tamen quidam Hæretici, qui hanc Eccleſiaſticam conſtitutionem impugnarunt tanquam perniciosam ſaluti, & reſtrictivam obligationum indiſpenſabilium. Nam Pſalliani anno CCCLXVII. tempore Joviniani Imperatoris, & Liberij Papæ, dixerunt, illum Horarum Canonicarum ordinem in Eccleſia Chriſti eſſe nullum, imò & contrarium praxi Apoſtolorum, qui in oratione perſeverabant, quoniam Pſalliani exiſtimabant, Deum ità obligare hominem ad orationem continuam abſque ulla intermiſſione, (ſicut in articulo de oratione dictum eſt) ut nullus poſſit hujuſmodi orationem ad ſeptem horas reducere. *Pſaliani.*

Anno autem MCLX. regnante Friderico Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Alexandro III. emerſerunt Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno; qui ut Horas Canonicas, aut Divinum Officium abolerent, dicebant, tempus fruſtrà teri in cantibus Eccleſiaſticis, & Horis Canonicis dicendis. Reverà volebant, orationem eſſe licitam, ſed improbabant ordinem Horarum Canonicarum, nec non obligationem recitandi eas, tam in communi, ſeu in choro, quàm in particulari, exiſtimantes, nullum hominem aſtringi poſſe ad orandum. Eorum ratio erat, quia eſt oblatio libera, & voluntaria, & ſacrificium laudis ità ex corde procedens, ut nullus poſſit licitè obligari, ad offerendum illud. *Uvaldenſes*

Eumdem errorem ſuſcitavit poſteà ſcilicet anno MCCCLII. ſub Carolo IV. Imperatore, & Innocentio VI. Papa, Joannes Vuicleffus dicens cum Uvaldenſibus, (quorum errores profitebatur) quòd licet bonum ſit orare, malum tamen eſt hominem obligare ad orandum certo & determinato tempore, quia (ut dicebat) hoc repugnat, libertati Chriſtianæ; cùm oratio ex ſe ità libera eſſe debeat cuilibet, ut oret cùm voluerit. *Vuicleffus.*

Inſurrexit tandem Lutherus Hæreſiarcha inſignis, qui Monachatu relicto, ſuſtulit tempus orandi ab Eccleſia religioſis ſtatutum, & Eccleſiaſticis reliquit libertatem recitandi Divinum Officium, non quoad ſubſtantiam, ita ut docuerit, Officium Divinum non eſſe recitandum, ſed quoad modum, & tempus. Voluit enim tantum Ritum Romanum, necnon conſuetudinem comprecandi ſtatuto tempore, abolere, & alium inſtituere. Ità teſtantur & referunt plures Scriptores adverſus hæreſes contrà nonnullos, qui dicunt, Lutherum voluiſſe Clericos non teneri ad Horas Canonicas. *Lutherus.*

§. I.

De Deciſione Articuli.

COncilium Agathenſe cap. 30. quod eſt de ordine Officiorum, aſſertionem noſtram expreſſè definit contrà Hæreticos, ibi enim ait: *Et quia convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualitèr cuſtodiri, ſtudendum eſt, ut ubique fiat ſit, poſt Antiphonas, collectiones, per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dici, & Hymnos matutinos, vel veſpertinos diebus omnibus decantari, & in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarum poſt Hymnos capitella de Pſalmis dici, &* *Concilium Agathenſ.*

Digitized by Google

plebem collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimitti &c. quibus verbis Patres hujus Concilij non ſolum certas horas orandi, haſque eſſe ab Eccleſiaſticis neceſſario obſervandas pro divino officio recitando, decernunt, ſed etiam modum quo orandum eſt, aut quo recitandum eſt divinum officium; quin Clerici poſſint hujuſmodi horas omittere citrà peccatum; ſi caſum neceſſitatis excipias. Idem habetur in cap. 1. de Miſſæ celebratione, & in Concilio Gerundenſi, Can. 10. Hæreticum eſt igitur impugnare inſtitutionem divini officij, aut horarum canonicarum recitationem, ſive in particulari, ſive in communi; cùm ſit ex ordinatione Eccleſiæ, cui nemo poteſt citrà hæreſim pertinaciter contradicere in his, quæ ſpectant ad fidem, vel ad cultum reddendum Deo.

Concilium Gerundenſe

Obligatio recitandi horas Canonicas, quæ Eccleſiaſticis in Sacris conſtitutis, aut beneficium Eccleſiaſticum habentibus, necnon Religioſis profeſſis incumbit, eſt ab ipſis inviolabiliter obſervanda, nedum quia definita fuit in variis Concilijs; ſed etiam quia Chriſtus eaſdem horas myſteriis conſecravit; media ſiquidem nocte natus eſt ex Virgine Matre. Hora prima ſeu manè ſurrexit à mortuis. Hora tertia Spiritus S. deſcendit ſuper Diſcipulos Chriſti. Hora ſexta ipſe Chriſtus Crucifixus fuit. Hora nona mortuus eſt. Veſpere cum Diſcipulis ſuis Cœnat, illiſque carnem Sacratiſſimam dat ad manducandum. Completorij hora, quæ eſt prima noctis vigilia, in montem ſeceſſit ſolus orare.

Septem horæ Canonicæ.

Alia ratio inſtitutionem ſeptem horarum affirmans, eſt quia orare ſtatutis horis, ſeu ſepties in die laudem dicere Deo, non eſt novum inventum, ut proclamant hæretici. Nec opus merè humanum, ſed Sacræ Scripturæ documentum, atque exemplum Sanctorum virorum antiquæ legis. Nam in actibus Apoſtolorum cap. 3. dicitur quòd Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam, Et cap. 10. quòd Petrus aſcendit in ſuperiora, ut oraret circa horam ſextam. Quòd evidenter demonſtrat apud Judæos olim fuiſſe, Deo ſic præcipiente, aliquas horas orationi deſtinatas, quas obſervarunt Apoſtoli à quibus hæc orandi tempora uſque ad nos, abſque ulla interruptione, proceſſerunt; & ideo Eccleſiaſtici, qui Apoſtolorum miniſterium exercent in Eccleſia Chriſti, & Deo ſpecialiter dicati ſunt, debent certis, & determinatis uniuſcujuſque diei horis, Deum orare; alioquin tenerentur orare continuò, ut volebant Pſalliani. Vel nullam haberent orandi obligationem, ut dicebant Uvaldenſes. At utrumque falſum eſt: itaque ab ipſis recitandæ ſunt horæ Canonicæ juxtà ritum in Breviario præſcriptum. Illæ autem horæ ſunt ſeptem, ut omnibus conſtat, ſcilicet hora matutina; prima, tertia, ſexta, nona, poſt quas recitandæ ſunt veſperæ & completorium, ut legitur in Can. *Presbyter* diſt. 91. circa finem, ubi habetur: *Septies in die laudem dixi tibi, quia ſeptenarius Sacratus numerus à nobis ſic implebitur, ſi matutina prima, tertia, ſexta, nona, veſpera, completoriique tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus.*

Act. 3.

Hora matutina deſignatur à Propheta Regio dicente Pſal. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Ibi enim David fatetur quòd orabat in nocte, noſque ad tunc orandum hortatur Pſal. 133. dicens: *In noctibus extollite manus veſtras in Sancta, & benedicite Dominum.* Davidis exemplum ſunt ſecuti Apoſtoli, ut patet Act. 6. ubi legimus quòd Paulus, & Silas media nocte adorantes, laudabant Deum, ut audiebant eos, qui in cuſtodia cum illis erant, ſubitò vero terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & univerſorum vincula ſunt ſoluta. Habemus ergo ut certiſſimum, Judæos in veteri lege. Et in nova Apoſtolos oraſſe Deum media nocte, & ante Lucem. Reverà nullum eſt præceptum, quo Sacerdotes teneantur ſurgere media nocte ad orandum, laudandi tamen ſunt, & magno præmio digni, qui tunc ſurgunt, & recitant matutinas horas.

Pſal. 118.

De horis tertià, ſexta, & nona patet ex dictis, de aliis autem, ſcilicet de prima, veſperis, & completorio, ad quas recitandas Eccleſia Romana aſtringit Eccleſiaſticos, etiam conſtat. Manè enim eſt orandum, ut reſurrectio Domini in matutina oratione celebretur. Hoc quidem Spiritus Sanctus deſignavit in Pſalmis per os Davidis dicentis: *Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam, manè aſtabo tibi, & videbo.* Et Pſal. 54. verſ. 18. *veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, exaudiet vocem meam,* ex quibus colligitur, inſtitutionem ſeptem horarum canonicarum à Propheta ante verbi divini Incarnationem, fuiſſe obſervatam, juxtà illud Pſal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, eamque nunc diligenter obſervari in univerſali Eccleſia Romana, ut hujuſmodi horarum virtute divinarum laudum, Diaboli & mundi machinæ corruant quemadmodum olim ſeptem tubis, Clangentibus Sacerdotibus, muri Jerico corruerunt, ut legitur in cap. 6. libri Joſue. Nam quamvis in hoc loco per numerum ſeptenarium intelligatur frequentiſſima laus, quemadmodum intelligitur frequens lapſus dum dicitur proverb. 24. *Septies in die cadit Juſtus*, ut notat Bellarminus; tamen non ſine cauſa ex hoc loco Eccleſia uſum ſeptem horarum canonicarum inſtituiſſe videtur, nam cùm ad tam ſancti Regis imitationem, vellet filios ſuos frequentiſſimè Deum laudare, determinavit numerum ſeptenarium, ſeptemque horas Canonicas inſtituit, & ideo nullus poteſt hujuſmodi horas impugnare: quin ſit hæreticus.

Pſal. 54.

Proverb. 24.

Authoritatibus Sacræ Scripturæ ſuprà relatis ſuffragatur hæc ratio. Oratio cadit ſub præcepto, & poteſt dupliciter præcipi, videlicet determinatè, & indeterminatè. Determinatè quidem ad aliquas orationes, & præces, non ab omnibus, ſed à nonnullis faciendas, ab illis ſcilicet qui ex officio mediant inter Deum, & homines, quales ſunt Eccleſiæ miniſtri, quapropter ipſis ex officio incumbit præces ad Deum in perſona totius Eccleſiæ fundere, non continuò, ut voluerunt pſalliani, ſed certis horis diei, quæ canonicæ dicuntur; ideoque tenentur eas recitare juxtà modum præſcriptum ab Eccleſia; quæ Miniſtris ſuis ſic orare præcipit. Indeterminatè verò illud orandi præceptum obligat omnes, quia quilibet homo tenetur orare Deum; cùm teneatur ſibi procurare bona ſpiritualia, quæ à ſolo Deo dari poſſunt. At ut hoc præceptum ab omnibus obſervetur, voluit Eccleſia tempus orandi determinare etiam illis, qui Eccleſiæ miniſterio non funguntur, eoſque obligare ad orandum diebus feſtis; Presbyteros verò ſepties in die; licet officij recitandi uſus, aut ritus ſit diverſus juxtà diverſitatem temporum, aut ſecundum diverſas partes anni, vel diverſas feſtivitates; nam in die reſurrectionis uſque ad Sabbatum in albis. Et in die Pentecoſtes uſque ad Sabbatum SS. Trinitatis tres tantùm Pſalmos in matutinis horis, & tres lectiones antiquo more legimus, quia per hoc notatur triduana Domini ſepultura, vel honor Sanctiſſimæ Trinitatis; ut obſervat gloſſa in Can. *in die* de conſecrat. diſt. 5.

De conſecr. diſt. 5.

Alijs autem diebus per totum annum ſi ſit feſtivitas, novem Pſalmos, & novem lectiones dicimus, aliis verò diebus duodecim Pſalmos juxtà ordinem Pſalterij, & feriarum, & tres lectiones recitamus. In dominicis diebus, decem & octo Pſalmos (exceptis diebus Paſchæ & Pentecoſtes) & novem lectio-

nes dicimus juxta ordinem Breviarij Romani. Ità *Gregorius VII.* Gregorius VII. relatus in Can. *in die* de conſecrat. diſt. 5. deſinant igitur hæretici tot viros Eccleſiaſticos reprehendere, imò laudent ſanctam Eccleſiam ſepties in die Clericos ad præces recitandas ex formali præcepto obligantem; cùm Deum orare neceſsè ſit, hancque neceſſitatem præceptô firmare maximè conveniat. Omnia tempus habent, inquit ſapiens, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub Cœlo, & ideo debet eſſe tempus orandi, ut omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, ut monet Apoſtolus.

Miniſtri Eccleſiæ non tenentur, nec poſſunt continuò, & abſque ulla interruptione orare, ut in proprio loco dictum eſt contra Pſallianos, & alios hæreticos, nec decet eos abſolutè diſpenſare in orationibus vocalibus; cùm Chriſtus pernoctaverit in oratione Dei, & dixerit Diſcipulis ſuis: *vigilate & orate*. Juſta eſt igitur, & rationabilis hæc conſtitutio, quæ ad ſeptem horas Canonicas in qualibet die attente, & devotè recitandas obligat Eccleſiaſticos, & Religioſos clericos.

§. II.

Obſtat removentibus Divinum Officium.

Septem horas Canonicas impugnantium ratio eſt, quia orare Deum, liberum debet eſſe cuilibet nam (inquiunt) licet ſit bonum orare Deum, non eſt tamen juſtum quòd homo arctetur ad orandum certo & determinato tempore. *De hæreticorum ratione.* Hoc, aut alio modo, ità ut non poſſit citrà peccatum, hanc, vel aliam horam, aut precem omittere, quia hoc repugnat libertati Chriſtianæ, quâ homo poteſt orare, cùm voluerit Et indè concludunt, Eccleſiaſticos non poſſe obligari ad recitandas in die ſeptem horas Canonicas, ſub forma ab aliis præſcripta; licet poſſint obligari ad orandum, præciſis modo, & tempore.

Reſpondeo ridiculum eſſe hoc argumentum hæreticorum: nam libertas Chriſtiana in hoc non conſiſtit, ut nulli humanæ legi obligetur; cùm ut jam dictum eſt, Eccleſia Romana habeat à Deo verè poteſtatem inſtituendi leges Canonicas, ejuſdem Eccleſiæ capiti, ſcilicet Petro conceſſam his verbis: *Quod ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlo*, ac *De reſponſione ad illam rationem.* proinde poteſtatem condendi legem de horis Canonicis recitandis ab omnibus Eccleſiaſticis, qui ſunt in Hierarchia Eccleſiæ. Libertas Chriſtiana non conſiſtit in hoc, ut nulla poſſit Chriſtianis lex imponi, ſed in hoc, ut primò per Baptiſmum homo liberetur à ſervitute peccati, quæ maxima ſervitus eſt, quia facit hominem ſervum Diaboli. Et baptiſmus, quo fit Chriſtianus, eximit eum à tali poteſtate.

Præterea per Chriſti Sanguinem nedum liberi ſumus à ſervitute Diaboli cujus eramus ſervi per peccatum, ſed etiam à Jugo ſervitutis legis Moſaicæ. Undè libertas, quâ ex Apoſtolo Chriſtus nos liberavit, non eximit nos ab omni lege. Ità ut nobis liberum ſit quaſlibet humanas leges contemnere; cùm ex Sacra Scriptura teneamur præpoſitis noſtris obedire etiam Diſcolis, ut inquit D. Petrus, ſed ſolùm à præceptis legalibus, & cæremonialibus veteris legis, quæ in morte Chriſti, aut poſt Evangelij promulgationem obligare ceſſarunt: tunc enim vetera receſſerunt, & nova fuerunt omnia: Igitur *Lex de horis Canonicis recitandis non eſt contraria libertati Chriſtianæ.* non repugnat libertati Chriſtianæ habere legem inſtituentem tempus orandi ſepties in die, alioquin eidem libertati Chriſtianæ repugnarent etiam jejunium, celebratio feſtorum &c. quôd eſt falſum, nibil equidem juſtiùs, quàm orare Deum, & pro beneficiis receptis, illi gratias agere, & ideo malum, nec injuſtum eſſe poteſt quòd Eccleſia præſcribat tempus, & methodum orandi, omnibus Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm regularibus, & ad horas recitandas obliget eos, qui ſerviunt ei. In hoc ſanè nihil aliud facit, quàm præſcribere tempus, in quo orandi præceptum à Deo inſtitutum, implendum ſit, ſicut in præcepto de ſanctificatione Sabbati declarat illud impleri per auditionem miſſæ, & per ceſſationem operum ſervilium in die dominica. Nullus poteſt igitur citrà hæreſim negare præceptum de horis Canonicis recitandis, Clericos ſub pœna peccati obligans. Nec improbare exemplum eorum, qui media nocte ſurgunt, ut laudes Deo dicant, juxtà Conſilium Jeremiæ Thren. 2. verſ. 19. *Conſurge lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*: laudabile enim eſt media nocte ſurgere ad confitendum Domino.

ARTICULUS LIX.

Probat contrà Quietiſtas, voluntariam carnis mortificationem eſſe meritoriam.

Quidam hæretici dicti Novatiani, non ab hæreſi, ſed ab authore ſcilicet Novato Romanæ Eccleſiæ presbytero, tempore Galli, & Voluſiani Imperatorum, & Cornelij Papæ circà annum Domini: CCLV, dixerunt, virtutem pœnitentiæ nullius eſſe meriti apud Deum, nullumque beneficium *Novatiani* afferre illis, qui carnem ſuam macerant, vigiliis, Jejuniis, & abſtinentiis, quia credebant; peccata poſt baptiſmum commiſſa, eſſe omninò irremiſſibilia, Deo ſic ordinante, & in ſolo baptiſmo peccatorum remiſſionem includente, ſubindeque pœnitentiam nihil quidquam peccatoribus ſuffragari, ut teſtantur D. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 1. D. Hieronymus Epiſtola ad Marcellam. Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 33.

Hujus hæreſis acerrimus defenſor fuit *Ablabius* conditione orator nobiliſſimus in Nicæna urbe Novatianorum Epiſcopus. Hic enim hæreticus teſte Nicephoro lib 14. cap. 13. hiſt. Eccleſ. omnem pœnitentiæ virtutem tollebat, tamquam inutilem in nobis, quia veniam impoſſibilem credebat, & morti- *Ablabius* ficationem carnis aſpernebat ut ridiculam ad obtinendam in hac vita remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum. At hæc hæreſis ità diſſona viſa fuit rationi, ut eam nullus amplecti auſus fuerit; licet plures ſectatores habuerit Novatus in aliis erroribus ſuis, quos docuit etiam Montanus, à quo accepit hæreſim, de qua hîc agitur, ſaltem per accidens, quia hæc hæreſis expreſsè impugnatur in articulo, in quo refutantur hoſtes miſericordiæ Dei. Hic autem agitatur an virtus pœnitentiæ, aut carnis mortificatio, quam inutilem & malam credebant prænominati hæretici ob rationem ablatam, ſit fructuoſa ad ſalutem.

Michaël de Molinos Presbyter Hiſpanus anno MDCLXXXVII. plures Romæ docuit errores inter quos eſt iſte. *Crux voluntaria, mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda*. Ex *Molinos* quo patet, hunc virum hæreticum ab Innocentio XI. damnatum, velle mortificationes eſſe rejiciendas tamquam infructuoſas, & meritum auferre à virtute pœnitentiæ voluntariæ. Hujus hæretici ratio eſt longè diverſa à ratione Novatianorum, ut videbimus infrà, & ideo eſt hîc expreſsè impug-

nandus ; licet mortificationum fructus, & remiſſio peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum ex vi pœnitentiæ, colligi poſſint ex articulo primi libri contra Novatianos negantes Deum eſſe miſericordem.

§. I.

Pœnitentiam extollit.

HAnc hæreſim damnat Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. dicens. *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjecta, & emendata tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur*, ubi per pium animi dolorem, voluntariam pœnæ acceptationem deſignat, & voluntariam mortificationem denotat.

Deciſio Concilij Tridentini.

Idem evidentiùs habetur in cap. 9. ejuſdem ſeſſionis, ibi enim legitur: *Docet præterea tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolum pœnis ſponte a nobis pro vindicando peccato ſuſceptis: aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Jeſum Chriſtum ſatisfacere valeamus.* Huic conſtitutioni addi poſſent plures Canones, qui ſunt in diſtinctione tertia de pœnitentia.

Utilitatem, & beneficium mortificationis demonſtrat Apoſtolus, 1. ad Corinth. cap. 9. verſ. 26. &

1. Corint. 9. 27. *Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, nè fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Sanè Paulus ſic minimè locutus fuiſſet, ſi illicitum, ac infructuoſum eſſet carnem ſuam crucibus voluntariis mortificare. Nam corpus caſtigare, illudque in ſervitutem velle redigere, eſt verè, & voluntariè ſibi crucem imponere, & inde maximum ſperare fructum, cùm Apoſtolus hoc fecerit, nè reprobus efficeretur dum aliis prædicaret, ſeu ut animam ſuam ſalvam faceret in miniſterio ſuo.

Præterea ſi pœnitentiæ, & mortificationes volun-

Matth. 16. tariæ, eſſent infructuoſæ, ut volunt Novatiani, & Moliniſtæ, ſeu Quietiſtæ, certum eſt quod Chriſtus Dominus non dixiſſet Diſcipulis ſuis Matth. 16. verſ. 24. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, quia Chriſtus cujus voluntas eſt Sanctificatio noſtra, non invitat nos ad malum, nec ad inutile. Et ideo ſic ſequi Chriſtum, maximum bonum eſt, dependens à pœnis, & mortificationibus voluntariis. Ibi enim ipſe Chriſtus loquitur de Cruce voluntaria, & de mortificatione ab ipſo homine ſumenda, ut indicat hæc particula, *tollat*, quæ ſignificat hominem eſſe in poteſtate tollendi, vel non tollendi Crucem pro Chriſto. Idem ſuadet hæc particula, *ſuam*, quæ indicat Crucem tollendam, propriè eſſe Crucem hominis, & unumquemque poſſe eam ſibi aſſumere: igitur Crux mortificationum non eſt dimittenda, tamquam pondus infructuoſum; cùm hoc ſit imitari & ſequi Chriſtum, & Paulum dicentem, *imitatores mei eſtote.*

Eadem mortificationum neceſſitas ſuadetur hac ratione. Nullus poteſt citrà peccatum graviſſimum mandata Dei tranſgredi; cùm eorumdem obſervantia ſit omninò neceſſaria ad obtinendam vitam æternam, ut declaravit Chriſtus dicens cuidam adoleſcenti *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Nec poteſt Conſilia Evangelica deſpicere. Unde cùm illa verba: *Si quis vult venire &c.* contineant præceptum, vel Conſilium (quia ea, quæ Chriſtus dixit, ad noſtram doctrinam, & juſtificationem dicta ſunt) nullus poteſt mortificationem voluntariam infructuoſam credere; cùm omnia præcepta, tendant ad vitam æternam. Tum quia finis legis eſt dilectio. Tum quia, qui vult ad vitam ingredi, neceſſè eſt quòd ſervet mandata, nullo excepto, quia qui peccat in uno factus eſt omnium Reus. Et Conſilia Evangelica tendant ad perfectionem noſtram, quidquid dixerit impius Lutherus, idcirco quamvis Conſilia Evangelica non ſint in præcepto, ſed in hominis *Matth. 19.* arbitrio, Can. *quiſquis* 14. quæſt. 1. unuſquiſque poteſt ea licitè ſequi, eaque ad amuſſim ſervare, & ideo juxtà illud: *Si quis vult venire poſt me &c.* copioſiſſimum reportabit fructum, ut patet ex illo Matth. 19. verſ. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cælo.* Hæc enim ultima verba denotant hujus Conſilij fructum, ſcilicet Theſaurum non deficientem in Cœlo, ſeu vitam æternam, ad quam peccator nequit pervenire, niſi per pœnitentiam, ut in variis Sacræ Scripturæ textibus cautum eſt.

Apoſtolus mortificationis meritum extollit di- *Coloſ. 3.* cens Coloſſenſibus cap. 3. verſ. 5. *Mortificate membra veſtra*, ſic enim illis loquebatur ut eos ad virtutem excitaret, & vitium comprimerent per Jejunia & alias pœnitentias. Et ad Philippenſes cap. 1. verſ. 29. ſubdit: *Vobis datum eſt pro Chriſto non* *Philipp. 1.* *ſolum ut in eum credatis, ſed etiam pro illo patiamini* Hoc donum habent illi, qui pro Chriſto voluntariè Crucem ferunt, corpus caſtigant, illudque in ſervitutem redigunt, & agunt pœnitentiam, cùm voluntatem Dei adimpleant, & vivant ut vivere debet Chriſtianus (cujus vita eſt Crux) & obtineant beneficia pœnitentibus promiſſa.

Hæc oſtendit D. Chryſoſtomus ſermon. de pœnitentia virtute (in cujus genere includuntur Cru- *D. Chryſ.* ces voluntariæ) *Pœnitentia peccata, Deo miſerante, remittit, & Paradiſum reſerat, contritum ſanat, omnem triſtitiam exhilarat, vitam de interitu revocat, Statum reſtaurat, honorem renovat, fiduciam dat, vires reformat, gratiam abundantiorem refundit, omnia ligata ſolvit, omnia ſoluta cuſtodit, omnia adverſa mitigat, omnia contrita ſanat, omnia confuſa lucidat, omnia deſperata animat. Per pœnitentiam, David afflictus, vel contritus, fuit, & factus eſt Sanctus. Filius prodigus paternum amplexum meruit. Petrus poſtquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit. Per Pœnitentiam, Latronem ſubitò Chriſtus ad regnum æternum rapuit.* Sanè tot, tantaque beneficia, quæ ex mortificatione, Cruce, & pœnitentia virtute proveniunt, evidenter probant, mortificationem eſſe pondus verè fructuoſum, & Cruces eſſe colendas; cùm ut jam dixi ſuprà ex Evangelio, eas tollere debeat quiſquis vult ſequi Chriſtum, & cum eo ad cæleſtem patriam pervenire.

Unde D. Petrus Epiſt. 1. cap. 4. verſ. 13. ait, *communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* His quidem verbis ille princeps Apoſtolorum ſuadet, bonum *1. Petr. 4.* eſſe Crucem ferre, carnem mortificare: & pœnitentiam agere. Hoc eſſe verum, patet exemplò Domini Jeſu Chriſti, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, hoc eſt, pati voluit, & propter hoc Deus dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ſicque per Crucis mortificationem meruit, & ideo Crux voluntaria, nequit nobis eſſe inutilis. Nam ſi oportuerit Chriſtum pati, & ità

intrare in gloriam ſuam, certum eſt quòd mortificationum pondus non poterit nobis eſſe infructuoſum; licet ſit voluntarium quidquid dixerit Michaël de Molinos, quia libertas, & ſpontaneitas non tollunt meritom, nequé illud minuunt in obſervantia mandatorum, vel Conſiliorum, quæ nobis proponuntur in Sacris Scripturis. Omnes viti Sancti multa voluntariè paſſi ſunt tormenta, tamen adepti ſunt repromiſſiones. Et David diecbat Domino *Voluntariè ſacrificabo tibi hoſtiam laudis.*

§ II.

In quo proponitur, & refutatur Quietiſtarum Ratio.

Michaëlis de Molinos fundamentum eſt longè diverſum à fundamento Novaii. Iſte aſſerit, Cruces, & mortificationes eſſe inutiles, quia (inquit) peccatum, ob cujus remiſſionem dumtaxat fieri ſolent, eſt omninò irremiſſibile, ut retulimus in 1. lib. articulo de miſericordia Dei, qui eſt contra ipſum, ille verò ſeu Molinos docet, mortificationes & pœnitentias eſſe infructuoſas, ex quibuſdam erroribus mox deducendis, ex quibus (quamvis omninò improbabiles ſint) concludit prorſus ſuperfluum eſſe, carnem mortificare & agere pœnitentiam de peccatis commiſſis. Undè ut hunc errorem & plures alios ſuadeat ità loquitur: *Oportet hominem ſuas potentias annihilare. Velle operari activè eſt offendere Deum, qui vult ipſe ſolus eſſe agens, & ideo opus eſt hominem ſe in Deo totum, & totaliter derelinquere, & poſteà permanere velut corpus exanime ..... non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate, ac proinde ſuperfluum eſt velle portare mortificationum pondus, quia reflexio ad proprias actiones, & ad proprios defectus, eſt nociva. Reſignato quidem Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, ut relinquere faciat in nobis ſine nobis ſuam voluntatem. Non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nullà adhibità induſtrià, & ſi natura commovetur, oportet ſinere ut moveatur, quia eſt natura. In occaſione tentationum etiam furioſarum. Non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſuprà dicto amore, & reſignatione manere. Cum hujuſmodi tentationes occurrunt, ſinere oportet ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo, & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcæni propriis manibus, & etiam pejora, non eſt opus ſe ipſum inquietare, ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur Sancta libertas, & præ omnibus non eſt opus hæc confiteri, & Sanctiſſime fit, non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur Dæmon, & acquiritur Theſaurus pacis. Satanas, qui hujuſmodi tentationes infert, ſuadet deindè gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur. Unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.* Hi errores ſunt Michaëlis de Molinos presbyteri Hiſpani ab Innocentio XI. damnati anno MDCLXXXVII.

Propoſitiones hæreticæ.

Earumdem propoſitionum proſcriptio.

Ex his liquidò conſtat, hunc hæreticum prava tum verbo, tum ſcripto docuiſſe dogmata, & voluiſſe ſuperfluum eſſe carnem mortificare. Nam ſi ad ſalutem conſequendam ſufficiat permanere in abſoluta indifferentia de omnibus, etiam de pœnis ut impiè voluit Molinos, neceſſariò ex hac impietate ſequitur altera, nimirum quód animæ ſemel unitæ Deo per unum actum non revocatum, vana eſt mortificatio, aut pœnitentia. Quòd eſt manifeſtè falſum; cùm hæc virtus in Sacris paginis commendetur omnibus hominibus.

Hoc fundamentum Quietiſtarum eſſe falſiſſimum patet, nam facile evellitur ex dictis in libro de hæreſibus, quæ inſurrexerunt adverſus gratiam, in quo probatur, uſum, ſeu actum liberi arbitrij gratià adjuti, eſſe Adultis neceſſarium ad ſalutem ut patet ex Apoſtolo dicente: *Gratia Dei mecum*, ita ut non poſſit ſalvari homo, niſi velit, & operetur, ut manifeſtè declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia. Anathema ſit.* Necnon ex illo D. Auguſtini. *Qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te*, quo nedum oſtenditur neceſſitas operandi ad ſalutem, ſed etiam ſignificatur velle operari activè, non eſſe offendere Deum, imo potiùs obedire Deo dicenti peccatoribus: *Convertimini ad me ex toto corde veſtro. Pulſate & aperietur vobis. Quærite & invenietis, quodcumque poteſt manus tua inſtanter operare &c.* igitur qui vult activè operari, & de facto operatur pro ſua ſalute, elicit opera bona, & fugit à peccato, vincit tentationes, & abſtinet ſe ab omni opere malo, non offendit Deum, nec peccat, imo meretur & obedit Deo dicenti: *convertimini &c.* hæc quidem verba actionem exigunt ab homine. Idem demonſtrant alia verba Sacræ Scripturæ relata, ut eſt evidens ex propria terminorum ſignificatione, & præſertim ea, quibus tenemur reſiſtere Diabolo, & orare nè inducamur in tentationem.

Argumentum contra errores Michaëlis Molinos.

Hæc confirmat Apoſtulus cap. 6. verſ. 9. & 10. dicens: *Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus, non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* His ſiquidem verbis Apoſtoli ſuadetur, operationem noſtram eſſe omninò neceſſariam, ut ſalvemor; alioquin Chriſtus fruſtrà vocaret fideles ad ſe. Et idem Paulus non diceret ad Philippenſes cap. 2. verſ. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Nec Petrus Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 10. *Satagite ut per veſtra bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, ſic enim facientes non peccabitis aliquandò*, idcircò non ſufficit relinquere ſe ipſum in Deo totum, & totaliter, & poſteà manere velut corpus exanime, quia omnes homines etiam juſti, & perfecti tenentur diligere Deum actu operationis, & proximum. Tenentur inſuper currere, ut comprehendant gloriæ bravium, pœnitentiam agere ut ſalvi fiant, vel ut in via ſalutis ſtare poſſint.

Philipp. 2.

2. Petr. 1.

Scriptura Sacra hortatur omnes, non ad quietem, nec ad otium, non ad ſupprimendos virtutum actus, nec ad paſſivam de omnibus etiam de ſalute indifferentiam, ſed potios ad laborem, & ad ſollicitudinem rerum Spiritualium; ait enim: *Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam. Vigilate, & orate.* Ad recordationem & dolorem peccatorum præteritorum, teſte Propheta dicente. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & ad recordationem eorum, quæ hominibus laborantibus, & benè operantibus promiſſa ſunt ſecundum uniuſcujuſque opera. Falſum enim eſt quòd Deus velit ipſe ſolus eſſe agens; cùm poſuerit animam noſtram in manibus noſtris, & velit eſſe auxiliator noſter.

Tenentur inſuper omnes homines ſpecialem curam habere de ſalute; cùm teneantur primùm quærere regnum Dei, & contendere intrare per anguſtam portam. Nam hoc verbum *contendere* ſignificat ardens deſiderium conſequendi vitam æternam, ad quam nullus poteſt ingredi, niſi præcepta Dei obſervarit.

ſervaverit, faciendo ſcilicet quod præcipitur, & omittendo quod prohibetur. Meritò igitur damnata fuit Pſeodomyſtica Michaëlis de Molinos Præsbiteri Hiſpani, viri impiiſſimi, authoris Quietiſtarum doctrina ſupra relata, aſſerens in vita Spirituali ſive myſtica, hos ſolos eſſe cenſendos perfectos, & verè myſticos, necnon veros Dei amicos, atque altiſſimæ divinitatis contemplatores, qui per unum actum, & ſolummodo non revocatum, Deo ſemel oblati, & totaliter uniti, reſignati, atque relicti, & abſque ulla cura, ſeclusâ quoque omni animæ potentiarum operatione, reliquos omnes ut ſuperfluos ſuſpendunt actus, & velut exanimes permanendo, nihil prorſus operando, neque volendo, neque petendo, nec de bonis acceptis Deo gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, credunt ſalutem operari, aut vitam æternam mereri, etiamſi liberè & voluntariè ſequantur polluriones, tactus impudici; & ſimiles actus turpes & peccaminoſi: hæc enim impia ſunt, & maculant animam. Qui talia agunt, certò ſunt ex Diabolo: quoniam qui ſunt Chriſti, carnem ſuam Crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ut inquit Apoſtolus ad Galat. 5 verſ. 24. Quapropter D. Auguſtinus de verbis Apoſtoli ait opus noſtrum, hoc eſt, in hac vita actiones carnis Spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere.

Præterea Molinos in propoſitione XIII. ait. Reſignato Deo libero arbitrio. eidem Deo reliquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem. Ut monui ſupra referendo errores, aut propoſitiones ejuſdem Molinos ab Innocentio XI. condemnatas. Hoc autem ſuppoſito. Quæro an Dæmon tentet animam illam vel non. Hoc poſterius non poteſt dici, quia ipſe Dæmon eſt adverſarius ejus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens ut eam dèvoret. Igitor dicendum eſt quod tentat, ut autem ſuperetur, non ſufficit homini permanere in ſuo nihilo, quidquid dicat Molinos in propoſitione XLVII. ſed neceſſe eſt quòd operetur, ut facile infertur ex illo Jacobi cap. 7. verſ. 7. *Subditi ergo eſtote Deo: reſiſtite autem Diabolo, & fugiet a vobis* indè enim evidènter conſtat quòd ex parte hominis requiritur operatio, aut cooperatio gratiæ Dei; cùm nemo poſſit reſiſtere Diabolo; quin agat, quin oret; quin carnem ſuam maceret per jejunium, & alios mortificationum actus. Hoc penſum noſtrum, hoc munus noſtrum, hoc militia noſtra vim naturæ inferre. Per nos regnum cælorum vim pati debet, inquit S. Joan. Climacus.

§ III.

In quo iterum impugnatur Quietiſtarum Ratio tamquam Hæretica.

QUietiſtarum doctrinam eſſe hæreticam patet. Nedum ex condemnatione lata ab Innocentio Papa XI. ſupra memorato, ſed etiam hac ratione fidei principiis innixa, ſcilicet quia actus, quo anima ſe offert Deo, & totaliter unitur illi (etiamſi non ſit ab ipſa expreſsè revocatus) revocatur tamen per quemcumque actum contrarium legi divinæ, ſive ſit actus commiſſionis; vel omiſſionis, ſcilicet toties, quoties ipſa anima omittit quod lex Dei præcipit, vel facit quod prohibet, quia illa anima, non obſtante Quietiſtarum unione, tenetur obſervare legem Dei (ad cujus obſervantiam obligantur Juſti, ſicut peccatores) alioquin anima ſic unita Deo, non ſubijceretur illi, vel non eſſet in via, ſed eſſet beata, & frueretur divinâ eſſentiâ. Quòd eſt falſum. Hæc autem voluntaria legis divinæ omnes homines obligantis tranſgreſſio, etiamſi ſit per purâ omiſſionem, diſſolvit illam unionem animæ cum Deo, ſicut expellit gratiam; cùm ſit peccatum mortale, quod avertit hominem à Deo. & convertit illum ad creaturam, ut docet D. Chryſoſtomus: igitur actus mali, aut contrarij divinis mandatis, verbi gratia, omnes polluciones liberæ, tactus impudici &c. ſunt peccaminoſi divinæ Sanctitati oppoſiti, ac contrarij divinæ legi, æternaque pœna digni in illa animâ oblata Deo, ſicut peccaminoſi ſunt in illo homine, qui non obtolit ſe Deo. Vel dicendum eſt; quòd hæc oblatio, aut unio reddit animam impeccabilem, quòd eſt contra univerſam Eccleſiæ fidem & expreſsè contra illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare: videat nè cadat*: ergo neceſsè eſt, nonobſtante illa unione, quòd homo operetur, carnem mortificet, nè vincat Spiritum adversùs quem pugnare non ceſſat. Neceſsè eſt tandem quod fideliter legem ſervet, & eliciat actus virtutis erga Deum, & proximum &c. ut poſſit in illa unione cum Deo permanere: hæc quippe unio fit per operationem, ideoque impoſſibile eſt quòd conſervetur ſine operatione. Quia ſolitò res in conſervari pendet ab eo, à quo pendet in fieri.

Hus actus eliciendi neceſſitas colligitur ex dictis ejuſdem Michaëlis de Molinos, qui in decima ſexta propoſitione ex condemnatis ab Innocentio XI. ait: *Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, non convenit, quia melius eſt divina juſtitiæ ſatisfacere, quàm divinam miſericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle Crucem fugere.* Ex illa quidem propoſitione ſequitur quòd ille, qui ob peccata commiſſa carnem ſuam jejuniis, & vigiliis macerat, & amarè quærit divinam miſericordiam, benefacit. Et quòd ille, qui non vult Crucem fugere, imo qui eam quærit & tollit, ut in quantum poteſt ſatisfaciat divinæ juſtitiæ, melius facit. Atqui nullus hominum in hac mortali vita in qua ſæpè peccat & in multis offendit, poteſt divina juſtitiæ ſatisfacere pro pœna propriis peccatis debita; quin operetur, & quin doleat de ipſis peccatis, quia ſatisfactio pœnæ debitæ peccatis, eſt laborioſa, aut dolor reſpondens peccatis; bonum eſt igitur bona opera elicere, de peccatis dolere, &c.

Hinc eſt quòd D. Paulus ad Rom. 6. verſ. 19. ait *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitia in Sanctificationem*: neceſſarium eſt igitur operari active ex totis viribus, ex tota mente, ex toto corde Deum diligere, & cum Chriſto Crucem tollere, nam ſi oportuerit Chriſtum unigenitum Dei Filium in ſplendoribus Sanctorum ante luciferum genitum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Et ſi ipſe Chriſtus qui de Cœlo venit, ut eſſet Redempturus Iſraël Sanguinis ſui effuſione, pro nobis ſatisfecerit patiendo, & operando: quamvis ipſius anima ſemper fuerit unita Deo per viſionem beatificam, certum eſt quòd nos, qui peccatores ſumus, & divinæ juſtitiæ debitores, in hac peregrinatione non poſſumus pro peccatis noſtris ſatisfacere ſtando otioſi, & abſque ulla operatione interiori ergà Deum ſummè bonum, ſcilicet annihilando potentias animæ in eſſe operativo, quidquid dixerit Molinos; cùm teneamur facere ſecundum exemplar quod nobis in monte monſtratum eſt, & adimplere ea quæ deſunt paſſionum Chriſti,

hoc eſt, per pœnitentiam hujus Sacratiſſimæ Paſſionis merita nobis applicare.

Deindè ſi velle Crucem fugere, eſſet res, quæ non eſt grata Deo, nec apud eum meritoria, ut inquit Michaël de Molinos in illa propoſitione decima ſexta (quia hoc, ut ipſe ait, eſt velle Crucem fugere) neceſſario ſequitur quòd velle Crucem tollere, mortificationes pati pro Chriſto, tranſire per ignem & aquam, ut educamur in Sanctorum refrigerium, eſt res bona, grata Deo, & meritoria, quoniam juxta communem Sanctorum Patrum, & omnium Theologorum ſententiàm, illud eſt bonum & meritorium apud Deum, cujus oppoſitum eſt malum & demeritorium, idcirco ex hac decima ſexta propoſitione Michaëlis de Molinos, ſequitur deſtructio alterius, id eſt, ſequitur quòd neceſsè eſt operari per potentias animæ, ſcilicet per intellectum, & voluntatem dum vivimus pro aſſequenda vita æterna; cùm regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud, & voluntas humana ſit potentia ità activa, ut non poſſit, ſuppoſita cognitione intellectus bonum repræſentantis, non elicere ſuum actum, qui eſt amor Dei, & proximi, quem nequimus licitè ſuſpendere, teſte D. Auguſtino in Pſal. 31. dicente: *Dilectio vacare non poteſt*, hoc eſt, non debemus animæ potentias annihilare in eſſe operativo; cùm teneamur Deum diligere, & Chriſti veſtigia ſequi; quòd eſt impoſſibile illi, cujus anima ità ſeipſam annihilat in eſſe operativo, ut nullum actum producat, aut permanet velut corpus exanime, hoc eſt, ſine operatione, etiamſi totum ſe Deo dederit, quoniam quod unit animam Deo, eam conſervat unitam, cùm Philoſophi teneant quòd conſervatio eſt continuata productio, unde cùm anima uniatur Deo per cognitionem, & charitatem, neceſſè eſt quòd operetur, & agat, ſeu quòd cognoſcat Deum, eumque diligat, ut illi unita permaneat.

LIBER QUARTUS FIDEI VINDICATÆ.

In quo Referuntur, & Refutantur Hæreſes, quæ inſurrexerunt adverſus Eccleſiam Dei, & adverſus Sacramenta ejus.

ARTICULUS I.

Quo adverſus Donatiſtas oſtenditur, Eccleſiam Chriſti, eſſe in toto orbe diffuſam.

Donatus. DONATUS, non ille, qui fuit Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus, & Succeſſor Majorini, ſed alter Donatus in Numidia à Caſis nigris Epiſcopus, à quo ipſe Majorinus ordinatus eſt (ut tenet communior pars Scriptorum cum D. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 69.) docuit ſub Conſtantino Ioıperatore, & Melchiade circà annum Domini CCCXIII. Eccleſiam in cæteris orbis regionibus traditorum contagio, malorumque communione periiſſe, & in ſola Africa remanſiſſe, ſeu in ſola parte Dooatiſtarum, ut refert idem Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmeoiani. In ſeptem libris de Baptiſmo cootra Donatiſtas. lib. de unico Baptiſmo contra Petiliaonm, & alibi paſſim. Hujus Schiſmatis, & Hæreſia Donatiſtarum cauſa fuit, quia Cæcilianus Carthaginenſis Archidiaconus, ordinatus fuerat Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ à Fœliee Aptungirano poſt mortem Menſurij. Donatus autem hanc ordinationem ægre ferens, molta Cæciliano impoſuit erimina, quæ cùm probare non potuerit, tanquam Impoſtor judicatus fuit ipſe Donatus, qui volens ſuam falſitatem pertinaci defenſione firmare, ab Eccleſia ſe diviſit, & hæreſim in Schiſma mutavit, dicens, Eccleſiam, quæ Cæciliano favebat, non eſſe veram Eccleſiam, quia licet ibi aliqui eſſent boni, ex commonione tamèn cum malis, maculabantur, & ità Eccleſia vera perierat in univerſo orbe, exceptâ ea parte in qua ipſe Donatus erat cum Sectatoribus ſuis.

Botrus. Cœleſtius. Huic Hæretico, ſe unà cum Botro & Cæleſio (qui eumdem Epiſcopatum ambierant, & ſpe ſua fuerant dejecti) conjunxit Lucilla Hiſpana Mulier præpotens & factioſa, quæ tunc Carthagine morabatur, & partes Donati tuebatur contrà Cæcilianum. Hujus adhæſionia in hac Muliere cauſa fuit, quia ipſe Cæcilianus eam reprehenderat, eo qood ante Sacram communionem, os cujuſdam hominis mortui (& ſi Martyris, ſed nondum vindicati, & ab Eccleſia agniti) ſuperſtitioſis oſculia veneraretur; illa autem correctionis impatiens, & Cæciliani verbia percita, hanc ulciſcendi ſe de Cæciliano captavit occaſionem.

§ I.

De Donatiſtarum Proſcriptione.

IN varijs Concilijs damnatua fuit Donatus, ſcilicet in Concilio Romano celebrato ſub Melchiade Papa. Io Arelatenſi celebrato anno CCCXIV. cui juxtà D. Auguſtini teſtimonium lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani cap. 5. convenere ducenti Epiſcopi, præſide Marino Arelateoſi, cui Sylveſter Romanus Pontifex ſuas commiſerat vices. Nec obſtat dicere hæc duo Concilia fuiſſe convocata pro judicanda Cæciliani cauſa ei objecta. Non obſtat, inquam, quia ibi declaratum fuit Eccleſiam in toto orbe diffuſam, non fuiſſe contaminatam, nec violatam communione Cæciliaoi. Ex qua deciſione neceſſario ſeqoitur condemnatio Donatiſtarum. *Hæreſis proſcriptio.*

Ex intentione Chriſti ſuadetor, Eccleſiam non eſſe in una mundi parte reconditam, ſed per univerſum orbem diffuſam: ait enim Diſcipulis ſuis ipſe Chriſtus Matth. cap. ult. *Eunte in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hæc quidem miſ- *In omnem terram exivit Evangelium Chriſti.*

ſio, quæ ab Apoſtolis perfecta fuit, cùm in omnem terram exierit ſonus eorum, data eſt, ut omnes homines Evangelio crederent, Baptiſmum ſuſciperent, & Eccleſia ubicumque inſtitueretur. Quorſum Chriſtus voluiſſet Evangelium prædicari in univerſo mundo, niſi ipſius intentio fuiſſet ampliare Eccleſiam ſuam, & palmites ejus extendere uſque ad fines terræ? nulla alia poteſt hujus miſſionis aſſignari ratio, nec poſſunt Donatiſtæ hoc negare. Nam credunt Chriſtum voluiſſe omnium hominum ſalutem, nec dubitant hanc ſalutem in ſola Eccleſia Chriſti haberi poſſe, acproinde negare non poſſunt, Eccleſiam nedum eſſe in Africa, ſed etiam in cæteris mundi regionibus, in quibus Chriſtus adoratur, & ejus Sacramenta ritè adminiſtrantur.

Undè inquit D. Auguſtinus. lib. de unitate Eccleſiæ cap. 10. *Teneamus ergo Eccleſiam ex ore Domini* D. Auguſt. *deſignatam unde captura, & quouſque perventura eſſet: captura ſcilicet ex Jeruſalem, & perventura in omnes gentes*, ad quas de facto jam pervenit, nam nullum eſt regnum, nulla natio nobis cognita, quæ Fidem Chriſti non habeat adhuc, vel aliquando non habuerit, vel non incipiat habere. Nullus dubitat plures eſſe apud Indos, Perſas, Tartaros & alios ſimiles, qui Sacramenta recipiunt validè, & Miſſam reverenter audiunt. nullus eſt igitur, qui poſſit negare, Eccleſiam eſſe per totum orbem diffuſam, cùm in omnibus partibus mundi ſint gentes, quæ ſe ſubjiciunt Eccleſiæ Catholicæ, & habent ejus fidem.

Hanc ipſam veritatem prædixerat per os Prophetæ Malachiæ cap. 1. verſ. 10. his verbis: *Quis eſt in vobis*, Malach. *qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. His quidem verbis declaratur, quòd ſacrificium Chriſti in toto orbe offertur, & quòd apud omnes gentes adoratur ipſe Chriſtus Filius Dei unigenitus, de quo ſpiritu Prophetico, aut potiùs, Deo inſpirante dictum fuit: *adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.*

Reverà plures ſunt in mundo homines, qui Chriſtum non adorant, ejuſque Baptiſmum deſpiciunt. Sed inter ipſos ſunt, qui eum adorant in Spiritu & veritate prout prædicatum fuit ab Apoſtolis qui Evangelium Chriſti in quemlibet terræ Angulum portavere, ut eis prædixerat ipſemet Chriſtus mox in cœlos aſcenſurus: dicens Act. cap. 1. verſ. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & omni Judæa, & uſque ad ultimum terræ.* Eccleſia autem Donatiſtarum, non eſt in toto orbe diffuſa, nec de illa verificari poſſunt prædicta verba, cùm innumeræ ſint regiones, in quibus Secta Donatiſtarum nunquam fuit, nec eſt ſtabilita, verificantur tamen de Eccleſia Romana: igitur hæc eſt vera Religio Chriſti in toto orbe diffuſa.

Intuitu hujus veritatis D. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ, ait: *Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamèn lumen eſt quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in univerſam terram copiâ ubertatis extendit. profluentes largiter rivos latiùs expandit: unum tamen* D. Cyprian. *caput eſt, & origo una, & una Mater fæcunditatis ſucceſſibus copioſa*: Inde enim patet, Eccleſiam Chriſti non eſſe incluſam, aut limitatam apud Donatiſtas, nec in angulo parvæ regionis contineri, cùm in Gallijs, in Hiſpanijs, in Italia, & in alijs partibus mundi, in quibus non ſunt Donatiſtæ, validè conferatur Baptiſma, ſitque vera Eccleſia. Nedum gentem Africanam dedit Deus ſponſo Eccleſiæ, id eſt, Filio ſuo, ſed omnes gentes: *poſtula à me*, inquit ei Pater, Pſal 2. verſ. 8. *Et dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam uſque ad terminos terræ.* Et Iſayæ cap. 49. verſ. 6. *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*, ideo Chriſti fides eſt univerſalis, & viget in omnibus partibus mundi, quamvis non ſit in quolibet homine, ut inſinuat Propheta Regius Pſal. Pſal. 2. 21. verſ. 28. & ſequentibus dicens. *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium, quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium*; Quibus etiam oſtenditur, Chriſtum ubique adorari, quia qui omnes fines terræ dixit, nullam partem mundi excepit.

Idem ſuadetur ex illo Iſaïæ cap. 2. verſ. 2. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Iſay. 49. Hæc enim Divus Auguſtinus tract. 2. in Joan. explicat de Eccleſia. Et Epiſt. 166. ad Donatiſtas exponens illud Pſal. 18. D. Auguſt. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, inquit, *ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, id eſt, in manifeſtatione, omnibus nota, uſque ad terminos terræ.* In lib. de unitate Eccleſiæ contra eoſdem Donatiſtas contendentes, hanc ubique locorum diffuſionem non convenire Eccleſiæ Romanæ, inquit, *Singula hæreſes in multis gentibus, ubi Eccleſia Catholica eſt, non inveniuntur, hæc autem, quæ ubique eſt, etiam ubi illæ non ſunt invenitur.* Et in lib. 4. de Symbolo cap. 10. addit: *Eccleſia totum mundum poſſidet, & quæcumque congregatio cujuſlibet hæreſis, in angulis ſedet.* Nihil certò clarius dici poteſt contra Hæreticos pro ſtabilienda univerſitate Eccleſiæ ratione locorum, cùm per hæc verba ille Sanctus Doctor expreſſe affirmet evidenterque demonſtret, ipſam eſſe per totum orbem diffuſam.

His omnibus addo authoritatem Divi Damaſceni, qui in oratione pro Fidelibus defunctis, non ſolum laudat uſum Eccleſiæ, & præces, quas pro mortuis effundit, ſed etiam monet, ipſam Eccleſiam eſſe ubique; ibi enim habet: *Porrò verbi Diſcipuli ac Conſpectores a quibus univerſus orbis captus eſt, illi, inquam, Salvatori Diſcipuli, ac Divini Apoſtoli, ut in tremendis ac puris, vitamque afferentibus myſteriijs, eorumque cum fide diem obiiſſent extremum memoria fierent, inſtituerunt quod etiam fir-* D. Damaſcenus. *mè atquè conſtantèr, ac ſine ulla controverſia, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab extremis finibus, ad extremos uſque fines, ab eo tempore uſque ad hunc diem ſemper retinuit, ac tantiſper dum mundus erit, hic retinebit.* Sunt aliæ quamplurimæ Sanctorum Patrum authoritates, quibus ſuadetur eadem veritas contrà Donatiſtas, ſed eas omitto, quia eas referendi in hoc libro nobis erit occaſio.

§. II.

De Donatiſtarum Rationum ſolutione.

Donatiſtæ argumentantur, & objiciunt illud Cantic. cap. 1. verſ. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, nè vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Indè enim colligunt, Chriſtum, ut Eccleſiæ ſponſum, ſeu Eccleſiam eſſe in uno loco determinato, ſcilicet in regione Meridionali, quæ eſt Africa, in qua ipſi habitant,

Porrò hæc anthoritas, Eccleſiam ad ſolam Donati partem non reſtringir, quia hæc verba Canticorum ſunt myſtica, & figurata, ut notat D. Auguſtinus: etenim ſunt intelligenda de illo, qui haber charitatem & ſervat cum Chriſto unitatem, quia ibi eſt meridies, ubi Chriſtus paſcit, & ubi cubar, quoniam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: quoniam Deus chatitas eſt. Altera eſt hujus nullitatis ratio, ſcilicet quia quælibet natio poteſt eadem Scriptnrâ uti, & ad ſuam partem reſtringere Eccleſiam, cùm illi, qui in partibus Aquilonis ſunt, dicere poſſint illud Pſalmi 47. verſ. 3. *Fundatur exultatione univerſa terræ mons Sion latera Aquilonis civitas Regis magni*, cùm Eccleſia ſit civitas Regis magni. Illi, qui ſunt in Occidente, poſſunt ob eumdem finem addncere illud Pſal. 67. verſ. 5. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi*, nullus tamen his locis uſus eſt. Nec Donatiſtæ poſſunt præfata Canticorum verba ità interpretari, ut velint Eccleſiam eſſe, tantum in Africa, aut in aliqua altera partemundi, ità determinatè, ut non ſit in alijs.

Solvitur prima Donatiſtarum ratio.

Dicunt inſuper, veram Eccleſiam eſſe tantùm illam, in qua eſt puſillus grex, cui complacuit Patri dare regnum, ſeu in qua ſunt prædeſtinari tantum, idque probant ex eo quòd arcta, & anguſta ſit porta cœli; ſed illa Eccleſia non poteſt eſſe in toto orbe; cùm puſillus grex ſit in loco ità determinato, ut nequeat per univerſum ſpargi orbem: ergo vera Eccleſia Chriſti eſt tantum apud Donatiſtas, qui pauci ſunt, & in minima parte Africæ recludun-tur.

Ad alteram Donatiſtarũ rationem reſponſio.

Reſpondeo hanc illationem eſſe falſam, quia falſa eſt ejus ratio, nimirum veram Eccleſiam eſſe illam, in qua eſt tantùm puſillus grex; nam Sanctus Lucas per puſillum gregem, non intelligit omnes filios Eccleſiæ, ſed ſolum eos, qui inter ipſos ſunt humiles, vel prædeſtinari efficaciter ad gloriam, qui verè pauci ſunt ob comparationem ſuperborum, & reproborum, qui ſimul cum electis commixti ſunt in Eccleſia, & ex his omnibus componitur multitudo fidelium, quæ repler univerſum mundum, cùm pars non ſit in mundo, in qua non exiſtant aliqui, qui habent fidem Eccleſiæ, & Evangelio credunt, & non timent confiteri nomen Chriſti. Deus promiſit Abrahæ, Meſſiam naſciturum ex ſemine ejus, Geneſ. 22. dicens ei: *Per memetipſum juravi: quia feciſti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum. Benedicentur in ſemine tuo*, id eſt, in Chriſto, ut exponit Apoſtolus ad Galat. 3. *Omnes gentes*: igitur tanra eſſe debet multitudo fidelium, quanta eſt latitudo gentium.

Tandem ſi hæc ratio valerer pro Donatiſtis, valeret utique pro Calviniſtis, quorum numerus eſt minor numero Catholicorum, ſeu Romanorum. Pro Socianinis quorum numerus eſt minor, numero Lutheranorum, & ſic de cæteris, quorum Eccleſia eſt numero minor alterâ Eccleſiâ. At cùm hæc ratio non valeat pro Calviniſtis, nec pro Donatiſtis valere debet. Quoniam hæc verba Luc 12. *Nolite timere puſillus grex*, tam ab illis, quàm ab iſtis accipi poſſent, ſi liceret ea malè interpretari.

ARTICULUS II.

Agnoſcit contra Circumcelliones, Juſtos, & Peccatores in Eccleſia.

Circumcelliones.

Circumcelliones viri Hæretici, natione Africani, ſolitò dicti Circuitores, (teſte D. Auguſtino lib. de Hæreſ. cap. 69.) plures docuerunt errores anno CCCXLIX. Conſtantij Imperatoris, & Julij Papæ temporibus, quorum præcipuus erar circa volunrarium homicidium: occidebant enim ſeipſos, & alios ſeducebant, ut ſe interficerent, exiſtimantes neminem poſſe vitam æternam conſequi, niſi occidendo ſeipſum. Alter erar circà Eccleſiam, volebant enim in ipſa, bonos, juſtos, & prædeſtinatos dumtaxat contineri. Anno autem CCCLVIII. ſub Conſtantio Imperatore, & Liberio Summo Pontifice, inſurrexerunt alij Hæretici, nimirum Aſſurritani & Rogatiani, qui in eodem regno Africæ errores Donati omni cum impudentia prædicabant, & peccatores ab Eccleſia excludebant tanquam Ethnicos, & Publicanos, credentes, hanc piam Matrem non habere filios, niſi juſtos. At hic error curâ Doctorum hujus temporis rejectus fuit, & omnes baptiſmo inſigniti unanimiter crediderunt, peccatores eſſe recipiendos velut membra Eccleſiæ Chriſti vigore baptiſmi, & ab Eccleſia à peccatis abſolvendos.

Aſſurritani Rogatiani.

Huſſita.

Hunc errorem poſt multa ſæcula, ſeu in principio quinti decimi ſæculi ſub Uvenceſlao Imperatore, & Gregorio XI. Papa, ab inferis ſuſcitavit Joannes Hus vir profeſſione Hæreticus, natione Bohæmus, Doctus, ſed de fœce populi ortus; vir, & impius, licet aliundè apud Bohæmos ingenio & eruditione clarus, ac Pragenſis Academiæ Præpoſitus. In eadem Hæreſi, eodemque errore illi ſucceſſit Joannes de Roſocxſeſana, qui teſte Silvio, libro de origine Bohæmorum, tempore Sygiſmundi Imperatoris, & Martini V. Papæ circa annum Domini MCCCCXXX. publicavit errores Vuicleſſi, & Joannis Hus, ſed præcipuè aſſerebat, Eccleſiam Dei ex ſolis prædeſtinatis, & in gratia exiſtentibus conſiſtere; & malos ad eam non pertinere.

Joannes de Roſockſeſana.

Lutherus. Calvinus.

His omnibus Hæreticis ſucceſſerunt Matrinus Lutherus, & Calvinus, de quibus varijs in locis locuti ſumus, eritque in poſterùm ſermo, præſertim in articulo de Sacra Euchariſtia. Illorum virorum Hæreticorum unica ratio erat, quia fides per quodlibet peccatum amittitur. Quòd eſt falſum, ut in proprio loco contra Lutheranos, & Calviniſtas probatum manet.

§. I.

In quo Probatur Articuli Veritas.

Concilia Carthaginenſia.

Conſtanſienſe.

HÆc Hæreſis damnata fuit in varijs Concilijs Carthaginenſibus. In Bracarenſi. Tandèm & in Conſtantienſi contra Joannem Hus, nam in prædicto Concilio, ſeſſ. 15. plures ſunt articuli damnati, quorum tertius eſt iſte. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur ipſi capiti inſolubiliter, ità ut nemo poſſit eſſe in Eccleſia Dei, niſi ſit Juſtus Sanctus, & prædeſtinatus: Ideò cùm hæc propoſitio damnata fuerit à Patribus hujus Concilij, ſequitur quòd ex mente & deciſione ejuſdem Concilij, Eccleſia continet juſtos, & peccatores, bonos, & malos, prædeſtinatos, & reprobos.

Idem probatur ex varijs Juris Canonici textibus, in quibus declaratur, Eccleſiam Dei militantem, aliud non eſſe, niſi collectionem fidelium, nam ſi Eccleſia ſit cœtus fidelium ejuſdem Doctrinæ, & Sacramentorum, eorumdemque communione, ſub Apoſtolico legitimorum Paſtorum regimine adunatus, nt ſancit Can. *Eccleſia* de conſecrat. diſt. 1. certè quilibet fidelis eſt in illo cœtu, etiamſi ſit peccator, excepto peccato incredulitatis, aut infidelitatis, quoniam peccatum quodlibet non tollit fidem, ut in proprio loco dictum manet contra Lutheranos, & Calviniſtas, & ideo peccatores tamdiu ſunt in Eccleſia, quamdiu credunt.

Chriſtus plurimis Parabolis docuit hanc veritatem: *Iterum ſimile eſt*, inquit, Matth. 13. verſ. 47.
Matth. 13. & ſequentibus, *Regnum cœlorum ſagena Miſſa in mare & ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta eſſent, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt: ſic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium*: Ibi enim Chriſtus duo ſignificat, primum eſt, Eccleſiam eſſe ſicut ſagenam miſſam in mare. Secundum eſt, de illa ſagena in fine mundi, ſeu in die Judicij, bonos eſſe ſeparandos à malis, ideircò quemadmodum in ſagena eſt multitudo piſcium, inter quos ſunt boni & mali. Ita inter fideles ſunt boni, & mali, quorum ſeparatio non fit quamdiu ſunt in ſagena, ſeu in Eccleſia, in qua ratione ſtatus viæ gratiæ, & Sacramentorum, malus poteſt fieri bonus, & peccator fieri juſtus, ſed in conſummatione vitæ: ſtatutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.

Inſuper Chriſtus vocat Eccleſiam regnum cœlorum, non quòd Eccleſia ſit patria cœleſtis, ſeu triumphans, ſed quia ipſa Eccleſia militans, eſt aliquandò in cœlis regnatura: igitur Chriſtus hac Parabola docet in Eccleſiæ gremio contineri omnes fideles, ſive bonos, ſive malos in die Judicij judicandos & eligendos, ut qui boni fuerint, æterno perfruantur regno, qui verò mali, eant in ignem æternum.

Deindè Eccleſia militans eſt domus Dei, ut credunt communitèr omnes fideles poſt D. Paulum 1. ad Timoth. cap. 3. eodem Timotheo dicentem: *Si autem tardavero ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei*
1. Timoth. 3. *converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*. Sed Propheta Regius docet, in hac domu Dei plures eſſe peccatores. Nam Pſal. 54. v. 14. & ſequentibus ait: *Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum conſenſu*, quibus verbis conſtat, malum ſimul cum bono; ſeu peccatorem ſimul cum juſto, eſſe in Eccleſia Chriſti Domini.

Præterea ſi domus Dei, ſeu Eccleſia militans conſtaret ex ſolis juſtis, ut prætendunt Hæretici, ſequeretur quòd Eccleſia Catholica eſſet inviſibilis, nimirùm in ſolo Spiritu; & nullus poſſet cognoſcere ſe eſſe membrum Eccleſiæ, quamvis crederet in Deum, & in Chriſtum ejus: quia nemo poteſt dicere purum eſt cor meum, mundus ſum à peccato. Hoc eſt, ego ſum juſtus. Nec poſſet ſcire an aliquis alius eſſet membrum Eccleſiæ. quoniam nullus poteſt cognoſcere omnes, qui verè ſunt juſti, & qui ſunt peccatores; experientiâ etiam docente, videmus in his judicandis atque diſcernendis, homines pro injuſtis, juſtos, & pro juſtis, injuſtos judicare. Et aliquando prædeſtinatos credere reprobos quia homo non intuetur cor, in quo reſidet bonitas, aut malitia moralis, & ex quo exeunt cogitationes ſive bonæ, ſive malæ, ſed intuetur ſolum ea, quæ foris patent; ſed Eccleſia militans eſt viſibilis, ut dicemus in articulo ſequenti: igitur in ipſa Eccleſia ſunt membra viſibilia, & nota per Baptiſma, & per Fidem, quæ cùm ſint in peccatoribus, & in bonis ſeu juſtis, certum eſt quod utrique in ipſa Eccleſia continentur, ſicut in Arca Noë, quæ Eccleſiæ militantis typum geſſit, continebantur animalia immunda ſimul cum mundis, ut inſinuat D. Chryſoſtomus ſuper Matth. 22. dicens: *Eccleſia media eſt inter cœlum quod eſt locus tantum bonorum, & infernum, qui eſt locus tantum malorum; ipſa vero Eccleſia media eſt qua indiffe-* D. Chryſoſt.
renter bonos & malos colligit, quod figuratum eſt in Arca Noë, ubi animalia mitia ſimul erant cum animalibus immitibus.

Aliud nobis præbet exemplum Chriſtus Dominus Joan. 15. verſ. 1. ubi ait: *Ego ſum vitis vera: &* Joan. 15.
Pater meus agricola eſt, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Ibi enim Chriſtus declarat, palmitem non ferentem fructum, ſeu malum, aut ſterilem, eſſe in eo, ſicut palmitem bonum, alioquin non diceret eſſe tollendum, ſed jam ſublatum eſſe; qua ergo ratione Fidelis: quamvis in peccato ſit, & ſterilis, id eſt, licet nullum bonum fructum ferat, non poterit adhuc per veram fidem adhærere Chriſto, cùm peccatum fidem non expellat? Chriſtus tolerat palmitem non ferentem fructum, id eſt, conſervat, aut retinet in Eccleſia peccatores, quia homo quamdiu conſervat fidem, poteſt de peccatis dolere, pœnitentiam agere, meliorem vitam ducere, & veniam obtinere, ut conſtat ex varijs exemplis in Sacra Scriptura relatis, ut V. G. de Latrone in cruce converſo, de Maria Magdalena ſorore Lazari, & de alijs peccatoribus. quorum pœnitentia fuit grata Deo, & meritoria vitæ æternæ.

Eccleſia militans eſt velut corpus humanum, in quo membra diſſimilia ſunt, hoc eſt, Eccleſia habet membra diverſa, licet omnia Chriſto Domino, ejuſque Vicario in terris degenti, uniantur per eamdem fidem· quædam enim ſunt mala, nec per hoc ſunt extrà illam, ſed ſunt verè membra; licet in peccato mortali exiſtant, quoniam per quodlibet peccatum non diſſolvitur hæc unio, ut monet D. Gregorius homil. 12. in Evangelia, ubi comparans Eccleſiam decem Virginibus ait: *Quia in Eccleſia* D. Gregor.
mali cum bonis, & reprobi cum Electis admixti ſunt, rectè ſimilis Virginibus prudentibus & fatuis eſſe perhibetur.

Idem docet Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 2. verſ. 20. dicens: *in magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*, quibus intendit ſignificare, Fideles Chriſto per fidem conjunctos, eſſe diſſimiles in moribus, & actibus fructuoſis, & meritorijs: quamvis habeant undè ſimiles fieri poſſint, ut ſuadent hæc verba, quæ ſequuntur, *Si quis emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Hæc autem magna domus, eſt Eccleſia militans, quæ eſt magni Domini domus, in qua vaſa aurea, & argentea, ſunt juſti. Et fictilia ſunt peccatores, qui ſi emundaverint ſe ab iniquitatibus erunt vaſa in honorem, ideoque Eccleſia militans præter juſtos, & electos, qui ſunt vaſa aurea, continet peccatores, qui ſunt vaſa fictilia, qui tamen ſi pœnitentiam agant, erunt vaſa in honorem ſanctificata, & utilia Domino.

His omnibus accedit illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum* Matth. 18.
ſolum, ſi te audierit lucratus es fratrem tuum, ibi enim Chriſtus loquitur juſto & innocenti, vultque pecca-

Digitized by Google

torem eſſe fratrem ejus. Si autem peccator ſit frater juſti, certò peccatnr & juſtus habent eamdem Matrem, nempé Eccleſiam, vel eumdem Patrem, nempè Chriſtum. Si eumdem Patrem ergn & eamdem Matrem, quia qui eſt iu Chriſto, eſt & in Eccleſia cum qua Chriſtus eſt uſque ad conſummationē ſæculi, neque ab ipſa recedet propter peccata aliquorum Fidelium, non enim venit vocare juſtns, ſed peccatores. Pœuitentiæ Sacramentum iterabile inſtituit, non pro illis, qui ſoris ſunt, ſed pro illis, qui ſunt in Eccleſia. Proſectò hac ratione plené convincuntur Hæretici, peccatores ab Eccleſia prorſùs excludentes, cùm indè videant Jacob, & Eſaü eſſe ejuſdem Matris, Chriſtum velle fratrem juſtum, ſeu Jacob corripere charitativé peccatorem, ſeu Eſaü. Et eumdem Chriſtum fratri juſtn dare ſpem ſanctificandi peccatorem, nt ſuadent hæc verba. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum, quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ,* ſen Matri. Quibus verbis liquidò conſtat peccantem fratrem in fratrem juſtum, pertinere ad Eccleſiam, membrumque illius eſſe; alioquin Chriſtus non præcepiſſet, ut peccatum illius denunciaretur Eccleſiæ ab illa corrigendum, præmiſſia quibuſdam conditinnibus in Evangelin præſcriptis. Nequè Eccleſia illud puniret; nam eos, qui ſoris ſunt, Deus judicabit, ut inquit Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 5. verſ. 13. Sed de hac denunciatione exiat ſormale præceptum in Evangelio, & ideo Chriſtus ſupponit in Eccleſia eſſe delinquentes, & peccatores corripiendos.

Non parum juvat ad convincendos Hæreticos aſferre authoritatem Sanctorum Patrum, & præſertim D. Auguſtini in Pſal. 36. ubi ait: *Suſpicamini quid vultis de nobis, ſi boni ſumus in Eccleſia Dei, frumenta ſumus. Si mali ſumus in Eccleſia Dei, palea ſumus, tamen ab area non recedimus.* His enim ille Sanctus Doctor docet in Eccleſia Chriſti præter bonos, quos per frumentum exprimit, inſuper eſſe malos, quos paleam vocat.

D. Auguſt.

Idem docet D. Cyprianus, lib. 3. Epiſt. 3. ubi habet: *Et ſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impeditur fides, aut charitas noſtra, ut quoniam in Eccleſia zizania eſſe cernimus, de Eccleſia ipſi recedere debeamus*: Quibus ille Sanctus Doctor evidentèr probat ſicut D. Auguſtinus, Eccleſiam non conſiſtere tantum in congregatione juſtorum, ſed etiam pati conſortium peccatorum. Quidquid dicant Hæretici, qui multoties ſtolidè ſcandalizati ſunt quod mali eſſent in communione Eccleſiæ, ut patet de Novatianis, & Luciferianis, qui lapſos, in communionem Catholicorum recipi videntes, ab Eccleſia receſſerunt nè (ut dicebant) eſſent cum malis in eodem gremio, eademque communione. Ejuſdem prævaricationis fuit quidam Helladius, qui attendens Epiſcopos Arianos poſt Arianiſmum abjuratum in prælaturas reſtitui, dicebat, Eccleſiam in lupanar eſſe converſam. Impia ſanè fuit hæc cogitatin, talis quippè dicitur à Chriſto Domino ſic loquente, Joan. 6. verſ. 37. *eum qui venit ad me non ejiciam foras*: itaque laudabilis eſt Eccleſia militans, quæ peccatores recipit, ad pœnitentiam vncat, & uſque ad mortem conſervat eos in ſinu ſuo, nt ipſis ita adminiſtret ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ut ſi pereant, propriâ culpâ pereant.

D. Cyprian.

§. II.

De Reſponſionibus ad Hæreticos.

HÆretici articulum noſtrum impugnant, & peccatores de Eccleſia tollunt authoritate Apoſtoli ad Epheſ. cap. 5. verſ. 27. ubi de Eccleſia ſic loquitur: *Ut exhiberet ipſe*, id eſt, Chriſtus, *ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit Sancta, & immaculata.* Inde enim concludunt, Eccleſiam Chriſti, nullum peccatorem continere, quia Apoſtolus per maculam, nihil aliud intelligit, niſi eos, qui ſunt impuri, & maculati.

Sed vana eſt hæc objectin. Mens enim Pauli erat de Eccleſia triumphante, in qua nihil coinquinatum intrabit. Ratio Doctorum eſt, quia Chriſtus paſſus eſt, ut talem exhiberet Eccleſiam, qualem credimus eſſe in gloria, & in qua aliquando eſſe ſperamus, ut ſuadent hæc verba *glorioſam Eccleſiam* quæ non poſſunt dici de Eccleſia militante, quæ quamvis in ſe Sancta ſit, & mundata lavacro aquæ in verbo vitæ, tamen non eſt glorinſa; cùm ſit in Prælio, & militet adverſus mundum, carnem, & Diabolum. Et gloria detur poſt triumphum: oportuit enim Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam, nos oportet etiam pati, in hac vita, ut ad Eccleſiam glorioſam & triumphantem pervenire valeamus.

Reycitur prima Hæreticorum ratio.

Deindè ſi Apoſtolus ibi loqueretur de Eccleſia militante, ut putant Hæretici, ſequeretur quòd Sacramentum pœnitentiæ, quòd confertur ſolùm peccatoribus, qui ſunt in Eccleſia, eſſet vanum & ſuperfluum, quia indè ſeu ex errore Hæreticorum, nullus eſſet in Eccleſia peccator. Tamen ipſi concedunt hujuſmodi Sacramentum veré eſſe in Eccleſia Chriſti, ut videbimus in proprio loco, ubi ſtabiliemus Sacramentalem confeſſionem, ſed ex Apoſtolo in Eccleſia Chriſti datur remiſſio peccatorum, ut conſtat in varijs locis Epiſtolarum ipſius. Ideò juxtà mentem Apoſtoli in Eccleſia Chriſti continentur juſti, & peccatores; qui in ipſa tamdiu ſubſiſtunt, quamdiu credunt, cùm fides ſit vinculum, quo membra uniuntur capiti. Illi ſunt membra viva, & ſana, iſti autem ſunt membra mortua & putrida in fine reſecanda, niſi pœnitentiâ reviviſcant, & ſanentur: etenim cor contritum, & humiliatum non deſpicit Deus, qui non vult mortem peccatoris.

Donatiſtæ, Circumcelliones, Aſſuritani, & Rogatiani dicebant, bonos ex communione malorum inquinari, & ob hanc cauſam judicabant, malos non pertinere ad Eccleſiam Chriſti, nec eſſe in ea recipiendos, nè ex eorum communione boni inficerentur.

Sed hæc ratin falſa eſt, & voluntaria, nam iniquitas unius non maculat alium, ut facilè colligitur, Ezech. cap. 7. verſ. 16. *& ſalvabuntur qui fugerint ex eis & erunt in montibus quaſi columbæ convallium, omnes trepidi, unuſquiſque in iniquitate ſua*, ubi Propheta expreſſè declarat, iniquitatem unius non eſſe alterius, alioquin ſequeretur, Judam mixtum cum Apoſtolis, maculaſſe alios Apoſtolos, quibus tamen malitia Judæ minimè nocuit, ut teſtatus eſt Chriſtus Joan. 13. verſ. 10. dum dixit: *& vos mundi eſtis omnes.* Neſcio igitur qua ratione, aut quo delirio Hæretici volunt, malos in Eccleſia Chriſti maculare bonos, cùm viderint Judam proditorem eſſe Apoſtolum immundum, atque ſceleratiſſimum, alijs tamen utpotè bonis minimé nocentem. Scimus enim quod Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. Et audivimus Apoſtolum ad Galatas cap. 6. verſ. 5. dicentem *unuſquiſque onus ſuum portabit, quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*, ex quo ſequitur, quòd membrum bonum & ſanum Eccleſiæ Chriſti, ſeu fidelis juſtus non infirmatur, nec maculatur per membrum immundum, & putridum, quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne metet, & corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Juſtus autem in Eccleſia ſeminat in ſpiritu, & ideo non metet de carne corruptionem, quam metet peccator. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti ut referat unuſquiſque prout geſſit ſive bonum, ſive malum: igitur qui bonum fecerit in Eccleſia Chriſti, non referet malum quod fecerit alter, nec judicabitur ſecundum opera alterius, ſed ſecundum opera propria.

Oſtenditur nullitas ultima rationis Hæreticorum

ARTICULUS III.

Indigitat contra Oſiandrinos, Eccleſiam eſſe viſibilem.

QUidam viri Hæretici ex rigidorum confeſſioniſtarum Secta, dicti inviſibiles, prædicabant teſte Staphylo, nullam Eccleſiam eſſe viſibilem hominibus viatoribus. Eorum ratio erat. Quia Deus ſolus noſcit ea, quæ ſunt ipſius, juxtà Sacram Scripturam, & perconſequens ſolus Deus videt eos, qui ſunt in Eccleſia, quoniam omnes, quos ipſa Eccleſia

Calvinus. Melancthon Anabaptiſta Oſiandrini.

continet, ſunt Dei. Hujus Hæreſis authores fuerunt Martinus Lutherus vir Hæreticus, patria Illebienſis, natione Saxus, & profeſſione per decem annos Monachus. Philippus Melancthon, Joannes Calvinus, Illiricani, Suencfeldiani, Oſiandrini, & Anabaptiſtæ, qui omnes poſt Lutherum, dixerunt, Eccleſiam Chriſti eſſe omninò inviſibilem. De horum Hæreticorum hiſtoria, hîc nullam mentionem facio, quia de quolibet eorum, alibi eſt ſatis fuſus ſermo.

§. I.

In quo Probatur veritas Articuli.

Deciſio Concily Conſtantienſis.

HÆc Hæreſis, Eccleſiam militantem inviſibilem eſſe affirmans, damnatur in Concilio Conſtantienſi celebrato anno MCCCCXIV. ſub Joanne XXIII. Papa, in quo declaratum fuit, Eccleſiam univerſalem ſufficienter exprimi, ac repreſentari per Concilia generalia ritè congregata. Undè cùm Concilium ſit viſibile, neceſſariò ſequitur, Eccleſiam militantem eſſe etiam viſibilem.

Dicent forſan Hæretici prædicto Concilio, id, quòd à Phariſæis calumniantibus dictum fuit Chriſto Domino Joan. 8. ſcilicet: *tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Sed non valet hic ſermo, quia Concilium poteſt etiam reſpondere, id, quod Phariſæis reſpondit Chriſtus: *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum; quia ſcio unde veni, & quo vado: vos autem neſcitis unde veni, aut quo vado. Vos ſecundum carnem judicatis; ego non judico quemquam, & ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater*, quia Spiritus Sanctus ſuggerit Patribus Concilij omnem veritatem, & ſcriptum eſt in Lege, quòd duorum hominum teſtimonium verum eſt.

Eccleſiam militantem eſſe viſibilem probatur authoritate Sacræ Scripturæ: ſeu ex illo Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Quòd de Eccleſia militante intelligit D. Auguſtinus in hunc Pſalmum. Et

Pſal 18.

in Epiſt. 166. ad Donatiſtas, ait: *Ipſa Eccleſia in ſole poſita, hoc eſt, in manifeſtatione, omnibus nota uſque ad terminos terræ*: Ejuſdem Eccleſiæ manifeſtationem, & viſibilitatem probant etiam exempla adducta in præcedenti articulo de ſagena miſſa in mare, de Arca Noë, & de domo Dei. quibus comparatur Eccleſia, quæ cùm viſibilia ſint, viſibilis eſt etiam Eccleſia militans; alioquin non valeret hæc comparatio à Sanctis Patribus nobis relicta, ut verum militantis Eccleſiæ ſtatum agnoſceremus. Quod hactenus aſſerere auſus eſt nemo, Sanctorum Patrum Doctrinam venerans. Nihilominus ut hæc veritas magis eluceſcat, & evidentiùs ſe convictos videant Hæretici Eccleſiam Chriſti in inviſibilitate conſtituentes, dico quòd Eccleſia vocatur grex, ut facilè colligitur ex illo 1. Petri cap. 5. verſ. 2. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Hujus autem gregis oves ſingulæ, ſunt ſinguli Fideles, quos Chriſtus commiſit Petro, dum dixit illi, Joan. 21. verſ. 15. *paſce Agnos meos*, & verſ. 17. *paſce Oves meas*, ſed grex ille Chriſti eſt viſibilis, alioquin Petrus non potuiſſet paſcere illum, quoniam nemo poteſt paſcere quod non cognoſcit, *Joan. 21.* quod non videt, quod non apparet. Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, qui cùm viſibiles ſint, viſibilis quoque debet eſſe Eccleſia Chriſti in terris degens, ut eam regere valeant. Nam regere, & regi duo ſunt quaſi correlata: ideoque Eccleſia eſt viſibilis grex, corpuſque viſibile Quippe illud corpus eſt viſibile & notum, cujus caput eſt viſibile. membra quoque ſunt viſibilia, ſed D. Petrus, quem Chriſtus conſtituit hujus Eccleſiæ caput, erat viſibilis & ejus ſucceſſor eſt etiam viſibilis, Fideles ſunt viſibiles: oportet ergo quòd Eccleſia militans ſit viſibilis, & manifeſta.

Præterea Chriſtus præcipit, ut quandò Frater noſter eſt incorrigibilis, dicamus Eccleſiæ, ut legitur, Matth. 18 Quomodò autem hoc fieri poſſet, ſi Eccleſia eſſet inviſibilis tam in capite, quàm in membris, ut volunt Hæretici? Undè ut conſtet præceptum Chriſti eſſe poſſibile; imo & neceſſarium, aſſerendum eſt, neminem poſſe negare Eccleſiam militantem eſſe viſibilem, quin neget abſolute Chriſtum in terris reliquiſſe Eccleſiam, quod eſt manifeſte impium, ut patet ex varijs Sacræ Scripturæ locis, in quibus declaratur, Chriſtum condidiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo, & ipſi reliquiſſe media ad ſalutem conſequendam protſus neceſſaria.

Eadem veritas confirmatur ex Sacra Hiſtoria deſcribente Templi dedicationem, lib. 3. Reg. cap. 8. *3. Reg. 8.* verſ. 14. ubi habetur: *Convertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël: omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat*; At ſi Eccleſia eſſet inviſibilis, ut volunt Hæretici, Salomon faciem ſuam ad eam convertere *1. Corint. 15* non potuiſſet, quia faciei converſio ad objectum præſens, & apparens, dumtaxàt eſſe poteſt. Nec Pau- *Ad Galat. 1* lus perſecutus fuiſſet eam, ſi fuiſſet inviſibilis, quoniam corporalis perſecutio fieri non poteſt, niſi in eum, qui eſt viſibilis. Quod tamen feciſſe conſtat ex ipſius Pauli teſtimonio 1. ad Corinth. cap. 15. v. 9. *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Et ad Galat. cap 1. verſ. 13. *Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.*

Reſpondebunt Hæretici, perſecutionem hanc non probare, Eccleſiam eſſe viſibilem, ut conſtat ex illo Act 9. verſ. 5. in quo legitur Chriſtum dixiſſe Paulo: *Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris*, quem tamen Paulus non videbat, alioquin vidiſſet Chriſtum ſedentem ad dexteram Patris. Sed nulla eſt hæc reſponſio, quoniam ibi Chriſtus ſumebat membra ſua pro ſe ipſo, naturale enim eſt capiti, ut reliquis corporis mẽbris *Eccleſia eſt verè viſibilis.* compatiatur. Nec poſſunt Hæretici hanc reſponſionem rejicere, ut patet ex illo Matth. 25. verſ. 40. *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his Fratibus meis minimis, mihi feciſtis* quibus Chriſtus oſtendit, quòd mala, quæ facimus pauperi, illud ipſo Chriſto facimus: quamvis ſit nobis inviſibilis. Ita paritèr loquebatur Apoſtolo perſequenti Eccleſiam Dei: igitur non nocet hæc reſponſio. Nec infirmat argumentum, quo ex perſecutione probamus, Eccleſiam militantem eſſe viſibilem. Nec poteſt hæc Hæreticorum reſponſio infirmare aliud exemplum quod eſt de afflictione; legimus enim Act. 12. verſ. 1. *Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus ut affligeret quoſdam de Eccleſia*, quod ſanè non feciſſet ille impiiſſimus Rex ſi Eccleſia eſſet inviſibilis, cùm ad inviſibile nemo mitti poſſit, illud affligendi cauſâ.

Tempore Apoſtolorum Eccleſia militans erat verè viſibilis : nam coacto Concilio Jeroſolymis pro decidenda illa quæſtione, an ſcilicet vetus Lex eſſet ſimul cum nova obſervanda, dictum fuit act. 15 verſ. 22. *Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Judam &c.* Et verſ. 28. *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis operis quàm hæc neceſſaria*, quibus conſtat, non obſervare Circumciſionem placuiſſe Eccleſiæ. Hoc eſt, definitum fuiſſe ab Eccleſia à Spiritu Sancto directa, Circumciſionem eſſe abolendam, & Baptiſmum omnibus conferendum. Quod autem placet alteri eſt viſibile, ille etiam cui placet eſt viſibilis, ſi ab illo acciplatur, & commendetur, ſed tunc Eccleſia decrevit, Baptiſmum eſſe neceſſarium, & Circumciſionem nihil prodeſſe · ideoque Eccleſia Chriſti erat viſibilis tempore Apoſtolorum, ac proindè etiam viſibilis eſt modò, & viſibilis erit uſque ad finem mundi. Act. 15.

Iſay. 5. Agg. 8. Eccleſia eſt congregatio fidelium cujus caput inviſibile, eſt Chriſtus, viſibile verò eſt Epiſcopus Romanus, quæ quidem collectio eſt viſibilis, eſtque ea de qua Deus ait Iſaiæ 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci.* Et Aggeæ 8. *magna erit gloria domus iſtius noviſſima pluſquam prima*, per vineam quippè, & per domum, intelligitur Eccleſia, ſeu collectio Fidelium credentium: igitur cùm vinea, & domus ſint res viſibiles, neceſſe eſt quòd Eccleſia militans, ſit etiam viſibilis, ut ad ipſam confugere poſſint illi, qui fugiunt ab ira ventura, & ultimum conſequi volunt finem. Impoſſibile quidem eſt homini viatori confugere ad inviſibile, & intrare in illud, aut ab illo recipi. Legimus tamèn Paulum, & Barnabam referentes ad Apoſtolos ſeditionem ortam Antiochiæ propter Judæos volentes gentes ad Deum converſas circumcidi, ſuſceptos fuiſſe ab Eccleſia, Act. 15. verſ. 4. & Eccleſiam ipſam fuiſſe commiſſam curæ

Act. 20. & ſollicitudini Epiſcoporum, ut conſtat ex illo Act. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſuo ſanguine.* Qualitèr autem cura de re inviſibili committi potuit homini mortali, quia de inviſibili nulla poteſt eſſe cura, nullaque ſollicitudo, nullaque poteſt ab ipſa re inviſibili haberi deciſio ſenſibilis prolata, & ſcripta. Unde cum hæc omnia ſcilicet cura, & ſollicitudo ſint in Epiſcopis pro Eccleſia à Spiritu Sancto commiſſa ipſis Epiſcopis, & Paſtoribus, qui rationem reddituri ſunt pro animabus noſtris, ſequitur quòd hæc Eccleſia eſt viſibilis, ut illam adire, conſulere, venerari, & illius præceptis obedire poſſimus.

Nec valet dicere, formam Eccleſiæ, ſeu collectionis Fidelium, utpotè fidem, eſſe inviſibilem. Non valet inquam, quia hæc fides quamvis per ſe non videatur, ſitque argumentum rerum non apparentium, videtur tamen per externam profeſſionem, quæ fit per verba, aut per actus, quibus credimus vera eſſe ea, quæ nobis revelat Eccleſia, quæque ore confitemur. Nam nihil prohibet hominem viſibilem eſſe : quamvis anima, quâ corpus ejus vegetatur, inviſibilis ſit : nihil etiam prohibet, Eccleſiam viſibilem eſſe, quamvis fides, quâ ſolidatur, & charitas, quâ vivificatur, & Spiritus Sanctus, quô regitur ; omnes inviſibiles ſint : & à ſolo Deo agnoſcantur. Animam noſtram ſolus Deus intuetur, corpus autem animatum intuentur omnes ; ſic etiam fides ſecundum ſe nulli apparet, tamen omnis fidelis eſt omnibus notus, & ſecundum ſe viſibilis.

Minus valet dicere, Eccleſiam tempore Eliæ ità latuiſſe, ut Elias ſe ſolum relictum putaret. Ratio noſtra eſt, quia hoc ſolùm probat Eccleſiam aliquandò uno tempore minus eſſe conſpicuam, vel in uno loco ita fuiſſe cognitu difficilem ; non verò omnino incognitam, & inviſibilem, ut ſcripſit D. Hilarius contra Auxentium, admonens tempore Arianorum, Eccleſiam Chriſti non fuiſſe quærendam in exteriori pompa ; ſed potius in carceribus, & in ſpeluncis, in quibus morabantur Fideles, & veri adoratores tempore perſecutionis, ut Eccleſiaſtica narrat hiſtoria: Non fuit tamen tempus, nec erit in quo Eccleſia ità obſcura, & incognita ſit, quin ſemper ſuos habeat actus viſibiles, quales ſunt publicatio Evangelij, Sacrificij oblatio, Sacramentorum adminiſtratio &c: licet enim hæc omnia aliquandò facta fuerint ſine apparatu, tamen ſemper facta fuerunt, & viſa, ſi non ab alienis, ſaltem ab ipſis Fidelibus congregatis. Quantum ad Eliam, fateor quòd Fideles, qui erant ſub dominatione Achab, erant occulti reſpectu Eliæ, quapropter ſe ſolum relictum putabat, ſed erant cogniti inter ſe. Idem dico de Fidelibus tempore Arianorum, Lutheranorum, Calviniſtarum, durante enim illa perſecutione, Fideles in varijs Provincijs erant occulti reſpectu Perſecutorum, & Tyrannorum, ſed inter ſe erant cogniti, & ſubjecti Romano Pontifici Eccleſiæ capiti. D. Hilarius.

§. II.

Solvuntur Argumenta Contraria

ARguunt Hæretici, & ut oſtendant, Eccleſiam militantem eſſe inviſibilem, diſtinguunt eam ab Eccleſia veteris Teſtamenti, & propter hoc dicunt, quòd hæc erat congregatio externa ; cujus Lex ſcripta erat in tabulis lapideis juxtà illud Exod. 24. verſ. 12. *Dixit autem Dominus ad Moyſem : aſcende ad me in montem, & ſto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ ſcripſi, ut doceas eos.* Et Lex nova eſt congregatio interior, cujus Lex eſt in cordibus, teſte Jeremia cap. 31. verſ. 33. in quo legitur : *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo Legem in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Idem teſtatur Apoſtolus ad Heb. cap. 10. verſ. 16. Igitur Eccleſia militans, ut diſtinguatur ab Eccleſia veteris Teſtamenti, quæ viſibilis erat, debet eſſe inviſibilis. Exod. 24. Jerem. 31.

Reſpondeo cum communi Sanctorum Patrum ſententia, Eccleſiam novam, ſeu ſponſam Chriſti, aut Eccleſiam militantem, reverà diſtingui ab Eccleſia veteri, ſed non per hanc differentiam, quam aſſignant Hæretici, ſed per hoc quod Eccleſia vetus habebat fidem de Chriſto venturo, non verò de Chriſto nato, ut eam habet Eccleſia Romana. Fideles veteris Eccleſiæ habebant Sacramenta in figura tantum, nos verò in veritate, & realitate, ut prædicat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 11. dicens : *Hæc autem omnia in figuris contingebant illis : ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*, Non autem per viſibilitatem, & inviſibilitatem, quia Eccleſia nova eſt viſibilis ſicut vetus cum qua diſconvenit, & convenit. Diſconvenit ſicut realitas à figura, ut jam diximus. Et convenit in cognoſcibilitate, & viſibilitate: Eccleſia veteris Teſtamenti continebat eos, qui credebant Chriſtum venturum ; Eccleſia autem novi Teſtamenti continet eos, qui credunt Chriſtum natum, & Apoſtolorum ejus Doctrinam ſequuntur. Unde ad Prophetam dico, per hæc verba voluiſſe oſtendere, animam Eccleſiæ veteris Teſtamenti eſſe tantum Doctrinam exteriorem, animam verò Eccleſiæ novi Teſtamenti eſſe charitatem Dei, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Nec per hoc ſequitur, Eccleſiam novã eſſe inviſibilẽ, quamvis inviſibilẽ formã habeat, nam ut cognoſcatur, & videatur, ſufficit quod videatur ejus operatio; alioquin ſequeretur quòd homo eſſet inviſi- 1. Corint. 10.

bilis, quia ejos forma oculis noſtris minimè apparet per ſe. Revera lex veteris Eccleſiæ erat nota, ſenſibilis, & viſibilis, videlicet ſcripta in tabulis lapideis. Et lex nova Scripta eſt in cordibua noſtris, ſed inde non ſequitur, Eccleſiam novam eſſe inviſibilem, ſed ſolum inviſibile eſſe id quod in ea eſt principaliua. Divinitas io Chriſto erat inviſibilis, humanitas autem erat viſibilia, boc tamen nonobſtante, Chriſtus erat viſibilis: igitur Eccleſia eſt viſibilis, etiamſi charitas Spiritus Sancti non appareat ſecundum ſuam entitatem oculis noſtris.

Arguunt iterum hæretici. Eccleſia militans (ioquiunt) eſt cætus credentium, nullus enim eſt in Eccleſia, niſi habeat fidem, quæ unit hominem Chriſto totius Eccleſiæ capiti, & ideo Apoſtoli congregati iſtud condiderunt dogma. *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam*, idque fuit iteratum à Patribus Concilij Nicæni, quibua conſtat, Eccleſiam eſſe objectum fidei, acproinde inviſibilem reſpectu noſtri, ſicut Spiritus Sanctus, Sanctorum communio, peccatorum remiſſio, carnis reſurrectio, & vita æterna inviſibiles ſunt.

Reſpondeo duo conſideranda eſſe in Eccleſia Chriſti, nempè Congregationem fidelium ejuſdem Doctrinæ, & ſacramentorum eorumdem communione ſub Apoſtolico legitimorum paſtorum regimine Deum colentium. Et regimen Spiritus Sancti, collationem gratiæ inuiſibilis, aliurumque donorum ſupernaturalium, quæ in ſula Eccleſia Chriſti conferuntur, & à quibus abſolutè depender uniuſcujuſque hominis ſalus. ille enim dumtaxat qui crediderir & baptizatua fuerir ſalvus erit. Eccleſia quoad primum conſiderata, ſeu quatenus eſt congregatio fidelium, Deum lo Sacramentis, & Sacrificiis ſenſibilibua colentium, non eſt proprié objectum fidei, nec inviſibilis, cùm per profeſſionem fidei, alioſque actus externos, cognoſcantur caput & membra Eccleſiæ, hoc eſt, paſti, & paſtores, ſeu Epiſcopi & fideles. Quantum autem ad ſecundum, ſeu directionem, & efficaciam Sacramentorum, reverà eſt objectum fidei. Quia non videmua Spiritum Sanctum Eccleſiam dirigentem, nec ſeotimus gratiam, quam recipimus in Sacramentis, quæ ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ inviſibilis ad noſtram ſanctificationem inſtituta, & ordinata. Videmua ſpeciem pania, & vini in Sacrificio, & credimus ſub illis ſpeciebua offerri carnem & Sanguinem Chriſti.

Duo conſideranda ſunt in Ec

Undè Eccleſia eſt viſibilis, & inviſibilis, cognoſcitur, & creditur, ſicut Chriſtus cognoſcebatur ſecundum humanitatem, & credebatur ſecundom divinitatem: itaque Eccleſia Chriſti noo poteſt dici inviſibilia nonobſtante authoritate Apoſtolotum, & Patrum Concilij Nicæni, ot hæretici putant, quia hæc authoritaa eſt intelligenda de Eccleſia quoad dona ſuperoaturalia, quæ in ipſa ſunt, & efficaciam Sacramentorum quoad gubernium, quod accipit à Spiritu Sancto, quo regitur, & infallibilia redditur, & quoad collationem gratiæ quâ ſanctificamur, non verû quoad congregationem fidelium, Deum in Sacramentis, & Sacrificiis ſenſibilibus colentium, quæ eſt viſibilis, & nota ab omnibus.

Dicent hæretici. Si hæc congregatio viſibilia fideliom, eſſet Eccleſia, ſequeretur quòd omnes & ſinguli fideles deberent convenire cum Summo Pontifice, Epiſcopis, & aliis Prælatis pro rebus definiendis in Conciliis generalibos. Ratio hujus ſequelæ eſt, quia ex ipſis fidelibus Eccleſia compooitur, & per Concilium Generale repreſentatur. Sed hoc eſt falſum, aut ſaltem contrà uſum Eccleſiæ Romanæ, quæ ad Concilia non vocat ſubditos, ſed ſolum Prælatos: ergo ſignum eſt quòd Eccleſia non componitur ex omnibus fidelibua, neque in ipſis conſiſtit, ſed in aliquo ſpirituali, & inviſibili, acproinde Eccleſia eſt inviſibilis quamtum ad utrumque conceptum, boc eſt, tam quoad fideles, quàm quoad fidem, & gratiam, aur charitatem.

Reſpondeo negando ſequelam, nam fideles nempè ſubditi non excluduntur à corpore Eccleſiæ: quamvis non vocentur ad Concilia Generalia pro rebus definiendis, licet ipſa Concilia Generalia repreſentent Eccleſiam, ut patet in comitiis, quæ repreſentant provinciam; quin tamen vocentur ad ea omnes cives. In uno corpore multa membra ſuot, ſed omnia non eumdem actum habent, tamen uniuſcujuſque membri actus corpori tribuuntur. Nonnè dicimos quòd corpus humanum videt, ſi ejus oculi videant, quamvis maoos & pedes non videant. Nullus dicit brachia verbi gratia non eſſe membra corporis hominis audientis, eo quòd non audiant, nec ea excludit à corpore humano, quia non audiunt: ergo fideles non debent excludi à corpore Eccleſiæ: quamvis non vocentur ad Concilia Generalia, quoniam actus ipſorum non eſt definire res in Concilijs Generalibua, ſicut eſt actus prælatorum, ſed eſt obedire; idcircò in illo corpore, quod eſt Eccleſia, quodlibet membrum ſuum actum habet, & perconſequens ſubditi ſunt io congregatione fidelium ſicut prælati; etiamſi non habeant actum, quem Prælati babent. Et ſont membra Chriſti per fidem, quæ quamvis inviſibilis ſir, fideles tamen viſibiles reddit. Quare bonus Paſtor, inquit *Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ* bæc quidem mutua paſtoris, & ovium cognitio probat Eccleſiæ viſibilitatem.

Reſponſio ad ultimam rationem.

ARTICULUS IV.

Indicat adverſus Uveſphalos, infallibilitatem Eccleſiæ.

JOannes de Uveſphalia, natione Germanus, profeſſione Doctor Theologus, ſectâ Lutheranus, multos libros compoſuit, & in lucem edidit, ſed protinùs ob varias hæreſes in eis repertas, ex Inquiſitorum hæreticæ pravitatis ſententiâ, Moguntiæ exuſti fuerunt tempore Caroli V. Imperatoris, & Clementis Papæ hujus nominis VII. inter quos errores unos erat circà infallibilitatem Eccleſiæ. Aſſerebat enim impiiſſimus ille vir, circa annum Domini MDXXXIII. poſt Lutherum, & Calvinum, Eccleſiam Chriſti poſſe errare, & de facto erraſſe, & ità defeciſſe à vera fide, & Religione, ut nullus modò ſit io Eccleſia Romana Prælatus, qui veram Chriſti fidem teneat. Affirmabat Eccleſiam Romanam ſolum per primos quingentos annos fuiſſe veram Chriſti ſponſam, ſed poſteà omninò Apoſtataſſe, factamque adulteram. Sed boc nemini mirum videri debet, quia Eccleſia ſemper hæreticorum errores damnavit, quapropter ejus infallibilitatem in fide non admittunt, ut ipſis ſuperſit quô ſuas tueantur hæreſes. Nam ſi faterentur, Eccleſiam eſſe infallibilem in rebus ad ſalutem neceſſariis, in fide ſcilicet & in moribus, neceſſariò cogerentur ſuos fateri errores, quos cum omni certitudine ipſa Eccleſia damnavit, quoniam Reus, qui pœnam ab ipſa ſibi impoſitam lubens ſubit, ſe legitimè judicatum credit.

Uveſphalo

§. I.

In quo firmatur infallibilitas Eccleſiæ,

Eccleſiam Chriſti eſſe infallibilem in rebus fidei conſtat ex variis deciſionibus Summorum Pontificum, & præſertim Innocentij Papæ Epiſt. 26. ad *Decretum Innocentij Papæ.* Epiſcopos Concilij Milevitani, ubi legitur: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris authorem referre debere (veluti nunc retulit dilectio veſtra) quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe.* Idem habetur in Can. *Rogamus* 24. quæſt. 1. quo conſtat; Eccleſiam Chriſti in terris viſibilem, eſſe totius veritatis, & infallibilitatis fontem. Ut autem hæc veritas magis eluceſcat ex infra dicendis, notandum eſt, errorem infallibilitati oppoſitum, ex duplici capite oriri poſſe, ſcilicet ex animo incidendi in hæreſim, & errandi, ut de facto inciderunt Arius negans Chriſti divinitatem, Macedonius negans divinitatem Spiritus Sancti, Neſtorius duas in Chriſto admittens perſonas, Euthyches unicam in Chriſto aſſerens naturam, Pelagius negans peccatum originale, & gratiæ neceſſitatem, Lutherus, Calvinus, & alij, qui voluntariè inciderunt in hæreſim, & maluerunt Eccleſiam militantem turbare, quàm in triumphante cum Chriſto regnare. Aliud errandi caput eſt ignorantia invincibilis de rebus fidei, ut de facto ſæpè errant ignari, & ruſtici. Hoc ſuppoſitò evidenter apparet, Eccleſiam Chriſti non poſſe errare in rebus fidei, Nam Eccleſia non poteſt errare ex animo incidendi in hæreſim, hujus ſiquidem erroris culpabilis fons, *Eccleſia non poteſt errare.* eſt Dæmonis aſtutia, quæ maximè in diſſeminandis hæreſibus, & erroribus verſatur; ſed hæc Dæmonum aſtutia non prævalebit adverſus Eccleſiam Chriſti, cùm actualiter fulciatur Chriſti auxilio, ſitque omninò invincibilis, ut teſtatur Chriſtus Matth. 16. dicens, quòd portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam. Minus prævalebit ignorantia, quia Eccleſia eſt fundamentum, & columna veritatis, ut poſt D. Paulum ad Timoth. 3. declarat Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. Et Sacerdotes, ſeu miniſtri ejus cuſtodiunt ſcientiam; non homo, ſed Spiritus Sanctus docuit eam omnem veritatem. Prætereà Chriſtus nota fecit Apoſtolis ſuis quæcumque didiſcerat à patre ſuo. Nulla igitur poteſt eſſe in Eccleſia Dei ignorantia; nulluſque error.

Ratione etiam ſuadetur, Eccleſiam Chriſti eſſe infallibilem. Nam Eccleſia eſt corpus viſibile continens fideles ejuſdem doctrinæ & Sacramentorum, eorumdem communione, ſub Apoſtolico legitimorum Paſtorum regimine, adunatos. In hujus corporis capite reſidet Spiritus veritatis juxtà illud Joan. cap. 14. verſ. 16. & 17. ubi legitur Chriſtum dixiſſe *Joan. 14.* Eccleſiæ in perſona Apoſtolorum: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum; Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum; nec ſcit eum, vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Spiritus autem veritatis à Chriſto Apoſtolis promiſſus, & à Patre æterno datus, manet in Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui in officio ſuccedentes, eumdem ſuſceperunt Spiritum veritatis, & infallibilitatis, ut non poſſent in rebus fidei falſa proferre, nec errare, alioquin non fuiſſet conceſſus, nec datus in æternum, ſed ſolum pro aliquo tempore Quod eſt falſum: ergo ipſe Spiritus manet in ſucceſſoribus, qui ipſorum funguntur officio in Apoſtolatu, egentque dirigi eodem Spiritu, quo dirigebatur Petrus, ut oves Chriſti paſcere valeant. Undè nè offendatur Chriſti promiſſio, & appareat; Chriſtum Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe ſuam authoritatem, neceſſé eſt quòd Eccleſia ſit infallibilis in tradendis regulis fidei, & quòd adverſus ipſam prævalere nequeant mendacium, error, & hæreſis. Nam (inquit D. Auguſtinus) *D. Auguſt.* lib. de Symbolo ad Cathecumenos: *Ipſa eſt Eccleſia Sancta, Eccleſia una, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans, oppugnari poteſt, expugnari non poteſt: hæreſes omnes de illa prodierunt, tamquam ſarmenta inutilia de vite præciſa, ipſa autem manet in radice ſua; in charitate ſua, portæ inferorum non vincent eam,* hoc eſt, numquam deficiet in rebus ad ſalutem neceſſariis, neque in fide, neque in moribus.

Hujus veritatis ratio eſt, quia ſi Eccleſia in fide erraret, error ille redundaret in Spiritum Sanctum; & poſſet tribui Chriſto, quia Spiritus Sanctus eſt cor Eccleſiæ, ut docet Sanctus Thomas part. 1. quæſt. 8. artic. 2. ad 3. à quo accepit veritatem juxta illud Joan. 16. *Spiritus docebit omnem veritatem.* Et Chriſtus *Joan. 16.* eſt caput ejus, ut monet Apoſtolus ad Epheſ. dicens, *dedit Deus ipſum*, nempè Chriſtum, *caput Eccleſiæ quod eſt corpus ejus.* Et cap. 5. *vir eſt caput mulieris ſicut Chriſtus Eccleſiæ.* Error autem non poteſt à Spiritu Sancto oriri, nec ad ipſum redundare, cùm ſit ipſa veritas increata, ac bonitas æterna, cui intrinſecè repugnant malitia, & mendacium. Nec poteſt tribui Chriſto, qui eſt via, veritas & vita, teſte Joan. cap. 14. verſ. 5 & 6. Igitur nec ab Eccleſia poteſt oriri error in rebus fidei; cùm nullus ſit in actionibus interioribus corporis defectus, qui non proveniat à corde, vel à capite.

Hæretici reſpondent negando conſequentiam; quia (inquiunt) argumentum de corde & capite valere in corpore Phyſico, & naturali, cujus defectus tribuuntur cordi, & capiti; non autem in corpore myſtico, quale eſt Eccleſiæ corpus, in quo ſi ſint aliqui defectus, non cordi & capiti tribui debent, ſed membris.

At non valet hæc reſponſio. Quia quoad dependentiam & influxus myſticos ac morales in corpore *Rejicitur hæreticorũ inſtantia* myſtico, membra dependent à capite, & corde, ſicut in corpore Phyſico; ideo cordi & capiti tribuendi ſunt defectus corporis myſtici, ſicut defectus actionum internarum corporis naturalis tribuuntur corpori & cordi, quippè tam in myſtico & morali corpore, quàm in naturali & phyſico, membra à corde & capite diriguntur in ordine ad conſervationem tuendam, & ad finem conſequendum. Quapropter Prælati Eccleſiæ dicuntur Patres, Paſtores, lux mundi, & ſal terræ, ut ex talibus nominibus videamus quòd ab ipſis eſt directio noſtra, quodque ipſi ſunt rationes reddituri pro animabus noſtris.

Dicent inſuper, quemlibet fidelem poſſe errare; quin error illius in Chriſtum redundet, quamvis ſit membrum Chriſti, ac proindè Eccleſiam poſſe errare; quin error tribuatur Chriſto, alioquin errores Simonis Magi, Ebionitarum, Manichæorum, & aliorum tribuerentur Chriſto, quòd eſt falſum.

Reſpondeo argumentum non valere, & paritatem eſſe nullam. Ratio eſt, quia fidelis particularis *Error particularium non tribuitur Eccleſiæ.* poteſt deſinere eſſe membrum Chriſti, ut de facto deſinit, qui in hæreſim voluntariè & pertinaciter incidit, ut probat experientia hæreticorum memoratorum, quos Eccleſia anathemate percuſſit & foras emiſit, ſeu à communione fidelium removit. Sed Eccleſia non poteſt deſinere eſſe corpus myſticum Chriſti redemptoris, nec templum Spiritus Sancti, nec columna & firmamentum veritatis, ſuppoſita ipſiuſmet Chriſti promiſſione, quæ habetur Oſeæ 2. *Deſponſabo te mihi in fide in ſempiternum.*

Deindè Eccleſia eſt ſponſa Chriſti, quam Chriſtus

ſibi conjunxit indiſſolubilitèr, & promiſit ſe ſemper adfuturum per directionem, & gubernationem, dicens Apoſtolis, Matth. 28. verſ. 19. & 20. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus de-

Matth. 28. clatatur, Doctrinam Apoſtolorum communicatam à Spiritu Sancto, quæ eſt Doctrina Eccleſiæ Catho-

Epheſ. 5. licæ & Apoſtolicæ, eſſe veram, ac infallibilem, & ipſum Chriſtum eſſe Eccleſiæ ſuæ indiviſibilitèr conjunctum uſque àd finem ſæculorum. Quare Apoſtolus ad Epheſ. 5. ait: *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Per hæc quidem verba Apoſtolus ſuadere intendit, ſponſum non debere à ſponſa ſeparari, eo quod Chriſtus non ſeparatur ab Eccleſia, intendit pariter ſuadere, ſponſam non debere relinquere ſponſum, ſicut Eccleſia non dereliquit directionem Chriſti, ex quo ſequitur, ut notat D. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ, quòd ſponſa Chriſti eſt incorrupta, & pudica, & adulterari non poteſt, quia Dominus, qui cuſtodit eam, non dormit, nec dormitat.

Nec poſſunt Hæretici hanc paritatem, aut conformitatem negare, nam Deus manet in anima Juſti, ut docet ſcriptura Joan. 14. verſ. 23. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et in ipſa in perpetuum maneret, ſi nunquam peccaret, aut confirma-

Joan. 14. retur in gratia, in qua certò animam Juſti confirmari poſſe nullus eſt ambigendi locus, ut probant inviolabilis Mariæ puritas, & ſanctitas, quam habuerunt Apoſtoli poſt deſcenſum Spiritus Sancti: igitur Chriſtus manebit in perpetuum in Eccleſia, quia ſanctificavit eam ſanguine ſuo, & in gratia confirmavit pariter, & in fide, nè erret, ut facilè colligi poteſt ex illo Chriſti ad Petrum cap. 22. verſ. 32. *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua.* Quod idem ſignificat ac ſi illi dixiſſet: *Rogavi pro te Petre ut ſis infallibilis in fide*, vel, *ut non erres in fide*: Ex quo ſequitur quòd Eccleſia non erravit in tradendis regulis fidei, nequè errabit inpoſterùm, ſicut confirmatus in gratia nunquam peccabit in moralibus. Illa quidem verba Chriſti Domini; quamvis relata, & directa fuerint ad perſonam Petri particularem, & individuam, ut manifeſtum eſt ex illa particula *te*, referuntur tamen ad ſucceſſores ejus in Pontificatu & gubernio Eccleſiæ. Hujus extenſionis ratio ex fine orationis deſumitur, Chriſtus enim oravit pro Petro, ut fides ei non deficeret propter neceſſitatem Eccleſiæ committendæ, quæ infallibile exigebat habere caput in tradendis regulis fidei, nè portæ inferi prævalerent adverſus eam, quæ cùm militans ſit, & pugnet per fidei regulas, neceſſe fuit hanc ipſam Eccleſiam eſſe infallibilem in tradendis regulis fidei. Hæc autem neceſſitas Eccleſiæ defeciſſet, moriente Petro, ſi ſucceſſores ipſius non fuiſſent infallibiles in tradendis regulis fidei, ſicut ipſe Petrus erat infallibilis. Sed non defecit, cum nunc tam neceſſe ſit, Eccleſiam eſſe infallibilem in tradendis regulis fidei, quàm neceſſe erat tempore Petri, cùm Dæmon non ceſſet Hæreticorum animô inſurgere adverſus eam: igitur Chri-

Chriſtus oravit propter. ſtus oravit pro omnibus ſucceſſoribus Petri, ut Eccleſiæ fides nunquam deficèret: nam finis Eccleſiæ eſt ſalus hominum, cum hæc ſit mens ſponſi ejus, ut probat Paulus ad Titum, cui de Chriſto ita loquitur: *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem bonorum operum.* Noſtra autem ſalus ab infallibilitate Eccleſiæ dependet, quippecùm nemo poſſit in errore ſalvari, nullus poſſet etiam ſalvari in Eccleſia Chriſti, ſi fallibilis eſſet in fide ex qua Juſtus vivit: ergo in Eccleſia neceſſariò admittenda eſt infallibilitas juris & fidei ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

Deinde qui audit Eccleſiam in rebus ad fidem pertinentibus, nullum poteſt audire errorem, quia audit Chriſtum, ut ipſemet Chriſtus teſtatur Luc 10. verſ. 16. dicens Apoſtolis ſuis, *qui vos audit, me audit*, quo ſuadetur, quòd dum Eccleſia loquitur de rebus ad inſtructionem, & ſanctificationem noſtram pertinentibus, Chriſtus eſt, qui loquitur, cum ille qui loquitur, ſit ille qui auditur. Et ille qui auditur ſit ille, qui loquitur, etenim ſi ille, qui Apoſtolos & Miniſtros Chriſti audit, audiat Chriſtum, certum eſt quòd non poteſt falli, nec decipi ab illis, cùm audiat Chriſtum à quo falſa minimè proferri *Matth. 10.*

poſſunt; cùm ſit Chriſtus, qui loquitur, aut Spiritus Sanctus qui loquitur in Apoſtolis, teſte Matth. cap. 10. verſ. 20 ubi legitur Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis*; Si Spiritus Sanctus loquatur in Apoſtolis, & in eorumdem ſucceſſoribus, quomodo ſuadere poterint Hæretici, Prælatos Eccleſiæ poſſe loqui falſa, & oppoſita fidei? Nulla certò ratione, quoniam Doctrina Prælatorum Eccleſiæ, eſt Doctrina Apoſtolorum qui prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermone confirmante ſequentibus ſignis.

§. II.

De Reſponſionibus ad Hæreticos.

INfallibilitatem Eccleſiæ impugnant Hæretici ab actu ad poſſe. Nam (inquiunt,) Eccleſia in triduo in Apoſtolis conſiſtebat, ſed ipſi Apoſtoli tunc temporis, hoc eſt, à morte uſque ad Reſurrectionem Chriſti, amiſerunt fidem, & ob hanc cauſam Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam exprobavit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, ut refert Sanctus Marcus cap. 16. verſ. 14. *Noviſſimè recumbentibus illis undecim apparuit: & exprobavit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia ijs qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Prætereà Petrus pro quo Chriſtus oraverat, nè fides ei deficeret, negavit fidem negando Chriſtum, non eſt igitur unde Eccleſia Romana in qua ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, poſſit eſſe infallibilis.

Reſpondeo hanc Hæreticorum rationem eſſe nullam, & ſuppoſititiam, falſum enim eſt, Apoſtolos omnes amiſiſſe in triduo fidem reſurrectionis, nec Chriſtus exprobando incredulitatem eorum & duritiam cordis, ſignificat quòd amiſerint fidem, ſed ſolum quod tardi fuerant ad credendam reſurrectionem, ut ex proprio textu Marci evidentèr conſtat; quippè aſſerit quod Apoſtoli non credebant Chriſtum jam à mortuis ſuſcitatum (ſed non aſſerit quod non credebant eum reſurrecturum) quod certè non eſt errare in fide, nec deficere: tarditas enim ad credendum non eſt infidelitas, nec error. Minus nocet id quod dicunt de Petro. Quia non negavit Chriſtum corde, ſed ore tantum, ut affirmant Sancti Patres: *Reſponſio ad primam hæreticorum rationem.* D. Ambroſius in Pſal. 43 Tertullianus lib. de fuga & perſecutione. Aurelius Prudentius, & alij; at hoc non ſufficit ad jacturam fidei: cùm non ſit amittere fidem, ſed potiùs fidem occultare; aut eam non confiteri externè, & ideo Apoſtoli non defecerunt in fide, ſed in fidei confeſſione dumtaxàt.

Addunt inſuper Hæretici, quod Eccleſia defecit in fide tempore Moyſi, videlicet quando Aaron cum toto populo vitulum adoravit, ut legimus in

cap.

cap. 32. Exodi: ergo Eccleſia Chriſti poteſt errare, & à fide deficere ſicut erravit, & defecit Synagoga Judæorum, in qua etiam erat ſalus in fide Chriſti venturi, ſicut in Eccleſia nova eſt ſalus in fide Chriſti nati.

Eccleſia non defecit tempore Moyſi.

Sed non valet huc argumentum. Deficientibus enim Aarone, & populo, non defecit Eccleſia. Quia ſolus Moyſes (cum quo Filij Levi perſeverarunt in cultu veri Dei, ut conſtat ex 28. verſ. ejuſdem capitis, ubi habetur, *fecerunt Filij Levi, juxta ſermonem Moyſi*,) erat caput ejus. Quoad Synagogam manifeſtum eſt ipſam non defeciſſe à fide, quam profitebatur, ſed ſolum repudiatam, aut ſepultam fuiſſe cum cæremonijs, & Sacrificijs ſuis. Et in ejus locum ſucceſſiſſe Eccleſiam Chriſti. Fides enim illius erat fides Chriſti venturi, iſtius autem Chriſti nati. Deindè dato & non conceſſo quòd in fide defecerit Synagoga Judæorum, non ſequitur tamen, Eccleſiam Chriſti poſſe errare, & à fide deficere. Ratio diſparitatis eſt. Tum quia Eccleſia Chriſti eſt ſanctior, & perfectior Synagogâ. Tum quia ipſa Synagoga non habebat promiſſiones infallibilitatis, quam habet Eccleſia, quam Chriſtus fundavit ſupra firmam petram, & eſt columna veritatis adverſus quam portæ inferi non prævalebunt. Hæ voces *columna & firmamentum*, quæ D. Paulus I. ad Timoth. cap. 3. tribuit Eccleſiæ Chriſti, & aliæ ſimiles, quæ eidem Eccleſiæ præbent Evangeliſtæ, liquidò demonſtrant dari in Eccleſia Chriſti firmam & irrefragabilem authoritatem ad tradendam rerum credendarum veritatem Catholicam, quæ Judæorum Synagogæ data non fuit, cùm repudiata fuerit ejus authoritas, & in locum ejus ſucceſſerit Eccleſia Chriſti, cui nulla alia in terris ſuccedere poteſt, quia durabit uſque ad finem mundi, ſeu donec Chriſtus veniat judicare vivos & mortuos. Fidei enim noſtræ ſolum ſuccedet ultimus finis noſter; ſeu rerum omnium conſummatio, aut terminus, nimirum viſio beatifica, juxtà illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 13. verſ. 10. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.*

1. Corint. 13

Dicent forſan Hæretici, quod his non obſtantibus Eccleſia Chriſti deficiet tempore Antichriſti, ut colligi poteſt ex illo 2. ad Theſſalon. cap. 2. verſ. 3. *Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, Filius perditionis.* Sed hoc non nocet, quia non debet intelligi quantum ad omnes fideles, qui tunc erunt, ità ut nullus remaneat fidelis durante perſecutione Antichriſti; ſed ſolum quantum ad aliquos qui deficient à fide & ipſi Antichriſto adhærebunt, & perconſequens non licet inferre, Eccleſiam Chriſti eſſe ex ſe fallibilem, aut defectibilem in fide. Sed ſolum in ipſa Eccleſia eſſe aliquos, qui errare, & deficere poſſunt a fide, & qui de facto deficient tempore Antichriſti, cui credent, Diabolo ſuadente.

Deficere in Sanctitate non eſt deficere in fide.

Dicent inſuper ſanctitatem non minus eſſe eſſentialem Eccleſiæ, quàm fidem. Quoniam Sanctitas eſt una ex ipſius Eccleſiæ notis. Sanctitas autem poteſt deficere, nedum in membris Eccleſiæ, ſed etiam in capite, & in omnibus Prælatis, quorum quilibet poteſt peccare, & culpâ ſuâ Sanctitatem amittere, alioquin eſſent impeccabiles. Quòd eſt falſum.

Reſpondeo primò negando paritatem, quia infallibilitas in fide magis promiſſa eſt Prælatis Eccleſiæ, quàm ſtabilitas in Sanctitate. Tum quia Sanctitas Prælatorum pendet à moribus, qui facilè corrumpi poſſunt per colloquia prava. Et à voluntate, quæ cùm mutabilis ſit, poteſt de bono ad malum tranſire. Fides verò eſt in intellectu, qui adhæret objecto, & aſſentitur concluſioni quamdiu ſtant promiſſæ, quæ difficilè deſtrui poſſunt, dum ſunt de fide. Tum quia Prælati Eccleſiæ ſunt Paſtores; quorum primus eſt Petrus, cui Chriſtus dixit, Joan. ult. *Paſce oves meas:* verbum autem, *paſcere*, idem ſignificat, ac cibum miniſtrare, regere, gubernare, & dirigere; actus enim Paſtoris, ſunt cibum præbere, ducere & reducere, tueri & præeſſe, regere & caſtigare; at ſi Paſtores ſeu Prælati poſſent errare in miniſtratione cibi, qui conſiſtit in ſola fide, non poſſent nos tueri, nec in vitam cœleſtem nos ducere, quia cœcus cœcum duceret, & defectibilis in fide, ſeu in via ſaluris, defectuoſum regeret, & ideo ſi Prælati errarent in definiendo, omnes fideles etiam errarent; quia ipſis Prælatis omnes obediunt; at nè hoc eveniat, Chriſtus reſidet ſpeciali aſſiſtentia in Prælatis ex Cathedra loquentibus. Hoc autem inconveniens, ſeu ruina fidelium omnium non ſequitur ex peccato, aut ex defectu in moribus Prælatorum. Quia non tenemur ſecundum opera eorum agere; ſed ſecundum dicta, ut præcipit Chriſtus Matth. 23. verſ. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt*: igitur non valet inferre, Prælatos Eccleſiæ Chriſti poſſe errare in tradendis regulis fidei, ex eo quod poſſint peccare in moribus, & à ſanctitate deficere.

Joan. ult.

Matth. 23.

Dico inſuper quòd licet Sanctitas deficeret in congregatione Prælatorum (quod certè non concedo) tamen non deficeret in congregatione fidelium omnium, quoniam Eccleſia Chriſti eſt columna veritatis, quam evellere nequeunt error & mendacium. *ad Eccleſiam* inquit Caſſiadorus ſuper Pſal. 1. *Bona ſpiritualia pervenerunt, & fidei inſeparabile fundamentum.*

Inſtabunt: Plures Summi Pontifices de facto defecerunt in tradendis regulis fidei, ut legitur de Liberio, ejuſque ſucceſſore, qui crediderunt cum Arianis, verbum eſſe creaturam. De Vigilio, & Honorio, qui in Chriſto unam dumtaxat voluntatem admittebant, & de alijs, qui Millenariorum Hæreſim tuebantur.

Reſpondeo primò prædictos Summos Pontifices falsò accuſari, ut diximus in primo libro. Secundò, dato & non conceſſo quòd defecerint, argumentum Hæreticorum non deſtruit infallibilitatem Eccleſiæ, quia hoc non eſſet hæreſim, aut errorem docere ex Cathedra, nec Eccleſiam errare, imo nec eſſet Summum Pontificem errare in fide, ſed ſolum Doctorem particularem deficere à fide, ut notat noſter Boyvinus. Undè cùm ſuprà memorati Pontifices talia dixiſſent ut perſonæ, & Doctores particulares (in quo ſenſu nullus Summus Pontifex fuit infallibilis) ſequeretur quòd error non eſſet ab Eccleſia, ſed ab illis particularibus. Hæc enim prærogativa infallibilitatis convenit ipſis ratione dignitatis, ſeu ſupremi Pontificatus, & officij capitis totius Eccleſiæ Chriſti, aut ſucceſſoris Petri, ſcilicet in definiendo, & univerſaliter proponendo res fidei; non verò in opinando, & privatim diſcurrendo: in hoc autem ſenſu, poſſunt à veritate aberrare, quoniam tunc non loquuntur de his, quæ ſunt Dei, ſed de his, quæ ſunt hominum, ac proindè poſſent deficere, quamvis errare, aut deficere nequeant in tradendis regulis fidei.

ARTICULUS V.

Reijcit Fabulam de Papiſſa Joanna.

NOn deſunt Hæretici, qui contendentes Eccleſiæ Catholicæ infallibilitatem evertere, proclamant, olim ſcilicèt poſt Leonem IV. Sediſſe in Romana ſede annis duobus, menſibus quinque & diebus quatuor, Fœminam quamdam Meretricem, atque præſtigiatricem, nomine Joanna. In tantam impietatem & illuſionem lapſi ſunt plures Hæretici, & præſertim Magdeburgenſes teſtimoniô quorumdam Scriptorum, quorum unus eſt Marianus Scotus, in Chronico ad annum DCCCLIII ubi inquit, *Leo Papa obijt Kalendis Auguſti, huic ſucceſſit Joanna Mulier annos duos, menſes quinque, dies quatuor.* Alter eſt, Martinus Polonus, Nicolai III. Papæ Pænitentiarius. Tertius tandem eſt, Sigebertus in Chronico ad annum DCCCLIV. ubi ait: *Fama eſt hunc Joannem Fæminam fuiſſe, & uni ſoli familari tantum cognitam, qui eam complexus eſt, & gravida facta peperit, Papa exiſtens. Quare inter Pontifices non numerant quidam. Ideo nomini numerum non facit.* Sigeberto, adhæſerunt Platina, & alij qui de eadem Papiſſa loquuntur.

Porrò ut appareat quàm inſulſa & inepta ſit hæc de Papiſſa Joanna narratio, obitèr obſervandum eſt, hanc fabulam juxtà virorum eruditorum placita, ortum habuiſſe ex aliqua ex ſequentibus conjecturis, ex quibus nata eſt hæc popularis & fabuloſa traditio.

Prima hujus fabulæ conjectura. Joannes Aventinus in lib. 4. Annal. Bojorum vult, hanc fabulam de Papiſſa Joanna originem habere à Joanne IX. ibi enim inquit: *Albertus locupletiſſimus Etruriæ Princeps, Ravennam, Bononiam, Romam in poteſtate habuit. Ejus ſocrus Theodora, Scortum nobile atque imperioſum, Romæ dominabatur, Joannemque novum amatorem ſuum, Bononienſibus primo, deinde Ravennatibus, poſtremo Romanis impoſuit, primariumque Sacerdotem creavit. Unde fabulam ortam crediderim, quæ temerè vulgarit, hiſce temporibus, fuiſſe Sacerdotem Maximum, Fæminam, quæ appellata ſit Joanna.*

Alia conjectura, ex qua ortum habuit hæc fabula, eſt Baronij qui ad annum DCCCLXXIX. refert, hanc fabulam originem habuiſſe à Joanne VIII. qui Photium in ſedem Conſtantinopolitanam reſtituit: ait enim ille celebetrimus Annaliſta. *Hinc puto factum*

Aliam hujus fabulæ coniecturam addit Baronius. *quod ob nimiam Joannis animi facilitatem, & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate; fractus animo, Sacerdotalis conſtantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Adrianus, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus, utpotè quòd qui nec reſiſtere ſciret Eunucho, quique vinceretur à ſemiviro, non vir, ſed eſſet Fæmina potius nuncupandus, & ſic nomen contumeliæ transierit poſteris rerum inſciis in veritatis opinionem, atque ita à compluribus decantatum fuerit, Joannem octavum Papam, fuiſſe Fæminam; ſicque jactata vulgò eo modo locum invenerit fabula. Ejuſmodi planè Scommatibus proſcindi ſæpè ſolere levioribus de cauſis Romanos Pontifices à maledicis, & otioſis, quis Romæ verſatus ignorat?*

§. I.

De Rationibus contra hanc Fabulam.

HAnc de Papiſſa Joanna narrationem eſſe omnino fabuloſam, prorſuſque fictam, manifeſtè conſtat ex Summorum Pontificum Catalogo, & ex falſitate fundamenti Hæreticorum, aut Hiſtoricorum referentium eam. *Ex Summorum Pontificum catalogo infertur hæc fabula.* Affirmant enim, hanc Papiſſam ſediſſe in Cathedra D. Petri immediatè poſt Leonem IV. Sed hoc eſt manifeſtè falſum, quoniam Leoni IV. defuncto XVII. Julij, anni DCCCLV. ſtatim atque immediatè ſucceſſit Benedictus III. fabula igitur eſt, & merum commentum, quod inter Leonem IV. & Benedictum III. in Cathedra D. Petri ſederit Mulier annos duos, menſes quinque, dies quatuor. Major eſt certa, eſtque unicum Hæreticorum fundamentum, quod probant quibuſdam conjecturis infra adducendis, & ſolvendis. Minor verò à qua pendet tota difficultas aut controverſiæ deciſio Probatur authoritate, & teſtimonio quorumdam Doctorum, qui tunc temporis ſcripſerunt ſeriem Summorum Pontificum, quoad ordinem ſedendi.

Ado Archiepiſcopus Viennenſis In Chronico ad annum DCCCLV. ſcribens de Lothario Imperatore. Ità habet; *Ipſe vero Promiæ Monaſterium regno temporis ſe exuens ingreditur: Tonſuratus & Monachus effectus, aliquot diebus interpoſitis defungitur, anno Incarnationis Domini DCCCLV. Imperij vero XXXIII. Atque ibi in Baſilica S. Salvatoris à Fratribus reverentèr humatur*: ſtatim addit in eodem Chronico: *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur: illo defuncto, Leo ſuccedit. Quo obeunte; Benedictus in ſede Apoſtolica ſubſtituitur, jam tamen defuncto Lothario Imperatore.* Et infra. *Nicolaus Papa vir religione præcipuus moritur, ac in atrio ante portas B. Petri non longe à membris Benedicti prædeceſſoris ſui ſepelitur. Huic Adrianus in Epiſcopali ordine ſuccedit.* Porro Leone defuncto ſubſtitutus fuit Benedictus III. non verò alter nomine Joannes. Et poſt Benedictum III. electus fuit Nicolaus I. Et poſt Nicolaum Adrianus; itaque nullus datur huic Papiſſæ locus poſt Leonem IV. acproindè numquam Mulier electa fuit in Summum Pontificem.

Eadem veritas probatur teſtimoniô Hincmari, Sandionyſiani, olim propè Pariſios Monachi, poſteà Archiepiſcopi Rhemenſis, illis ijſdem temporibus celeberrimi, Romaniſque Pontificibus noti, qui in Epiſt. 26. aſſerit ſe nuntios miſiſſe ad Leonem IV. Eccleſiam Dei tunc regentem, ut ab ipſo obtineret aliquod privilegium, quod petebat, quodque obtinuit à Benedicto III. Leonis IV. ſucceſſore. *Teſtimonium Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis.* Quia nuntij invenerunt Benedictum III. jam in Leonis ſucceſſorem electum: igitur evidens eſt inter Leonem IV. & Benedictum III. non ſediſſe Papiſſam illam, quam Hæretici prætendunt. Verba Hincmari ſunt hæc: *Poſtquam has litteras Domini Papæ Leonis accepi, ſicut mihi innotuit Dominus Lotharius, petente quodam Epiſcopo regni ſui, qui adhuc vivit, per Petrum Aretinum Epiſcopum præfato Domino Papæ mandavit, ut geſta Epiſcoporum de eiſdem Clericis non firmaret, quæ cum ad Fratres & Coëpiſcopos noſtros retuli, rogantibus eis apud Lotharium Imperatorem, Epiſtolam ex inde ipſo ex animo largiente per miſſos meos obtinui, ubi inter cætera ita ſcriptum habetur &c: ſicque cum iſta Epiſtola, & cum Legatione Imperatoris per præfatum venerabilem Epiſcopum miſſos meos*

cum literis Romam direxi. Quibus in via nuntius venit de obitu Papæ Leonis : pervenientes autem Romam cum præfatis literis , & intervenientibus prædictis Epiſcopis. Domnus nomine & gratia Benedictus, mihi quod noſtis , privilegium inde direxit. Hoc quidem teſtimoniò prorſus authentico conſtat , ſtatim poſt Leonis IV. mortem , Ipſi ſucceſſiſſe Benedictum nomine III. non vero aliquam Papiſſam.

Hincmari teſtimonium confirmat Nicolaus Papa I. Benedictique III. proximus ſucceſſor, qui in Epiſt. 46. ad Sueſſionenſis Concilij Patres data anno DCCCLXVI. expreſſè declarat Leoni IV. ex hac luce ſubtracto ſucceſſiſſe Benedictum III. ibi enim inquit : *Apoſtolicæ Sedis Pontifex Leo, qui Fratris Hincmari propoſitum noverat , ab hac luce ſubtractus eſt : cumque ſanctæ memoriæ Benedictus vir Apoſtolicus ei ſucceſſiſſet in ordine Pontificatûs , rurſus Reverendus Hincmarus arma præparat , & eidem Summo Præſuli tamquam ſuarum inexperto verſutiarum latenter ſubrepit* , Sanè hoc loquendi modo liquidò patet , fundamentum Hæreticorum eſſe falſum , ſcilicet poſt Leonem IV. in Cathedra Petri ſediſſe Fœminam, cùm ex eo tamquam certum habeamus , ſtatim poſt Leonem IV. electum fuiſſe Benedictum III. Nam Anaſtaſius Abbas natione Græcus, officio Bibliothecarius Apoſtolicus, qui Romanorum Pontificum vitas, à Sancto Petro uſque ad Nicolaum I. ſcripſit , aſſerit ut teſtis oculatus , poſt Leonis IV. obitum , Sanctam Sedem vacaſſe tantum per quindecim dies , hiſque peractis , ſtatim communi conſenſu in Romanum Pontificem creatum fuiſſe Benedictum III. Idem referunt Eminentiſſimus Cardinalis noſter Laurea in Epitom. Canonum, Caballutius Aquenſis , & alij , qui aſſerunt , poſt Leonem IV. defunctum, Benedictum III. intrà menſem electum fuiſſe in ſucceſſorem.

Aliud teſtimonium quod eſt Nicolai I.

Tandem Leo IX. Papa creatus anno MXLIX. In Epiſtola ad Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanum , Græcis exprobavit , Fœminam in Sedem Conſtantinopolitanam irrepſiſſe, nullo, ipſi idem opprobrium Sedi Romanæ accidiſſe , retorquente , ut conſtat , nedum ex illa Epiſtola , ſed ex varijs hiſtorijs Eccleſiaſticis fidedignis. Proculdubio aliquis ſimile dedecus ei obieciſſet , ſi aliqua mulier in ipſa Sancti Petri Cathedra ſediſſet. Nemo enim neſcit vim vi repelli licere. Non obſtat dicere , Græcos tunc temporis ignoraſſe Leoni IV. Romano Pontifici ſucceſſiſſe Mulierem. Non obſtat inquam , hæc Inſtantia ; quia Marianus Scotus cujus ope nata eſt de Joanna Papiſſa fabula , floruit antecedenter ad Leonem IX. idcircò jam divulgatum erat Mulierem ſediſſe in Sancta Sede annos duos , menſes quinque, dies quatuor. Sed quia ipſam fabulam divulgaverat nullo fretus coëvorum teſtimonio , imo ipſis coëvis repugnantibus , ſcilicet Lupo Ferrarienſi , Adone Viennenſi , Anaſtaſio Bibliothecario Apoſtolico ; Græci fabulæ Mariani Scoti nullam fidem adhibebant, ideoque eam Leoni IX. objicere minimè auſi ſunt, ſcientes aliunde ex varijs hiſtorijs , ſtatim poſt mortem Leonis IV. Benedictum III. fuiſſe electum.

Leo IX.

Aliud teſtimonium probans minorem , ex qua eſt tota difficultas , & rejiciens inſtantiam Græcorum , eſt Photij Græcorum vexillarij , Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimi hoſtis , hic quippè lib. 1. de proceſſione Spiritus Sancti adverſos Latinos , enumerans Pontifices Romanos illo ipſo tempore , quo vivebat , nullam inter eos Fœminam nominat ; ſed Leoni IV Benedictum III. ſubjungit. Idem teſtimonium refert Metrophanes Smirnæus , Eccleſiæ Romanæ hoſtis alter , qui in catalogo Pontificum ſtatim & immediatè poſt Leonem IV. numerat Benedictum III. nulla facta mentione de Papiſſa Joanna , quam tamen feciſſet in odium Romanæ Sedis , ſi Mariani Scoti narratio non fabula , ſed hiſtoria fuiſſet.

Photius.

Ad refellendam hanc fabulam de Papiſſa Joanna, non parum juvat ipſa narratio facti , quæ cùm variè à varijs referatur , potiùs fabulam , quam hiſtoriam ſapit. Quidam dicunt hanc Mulierem fuiſſe natione Anglicam , alij Moguntinam , quæ adhuc Puella in habitu virili fuit ab Amaſio quodam Athenas ducta, ibique ità litteris operam dedit , & in ſcientijs profecit, ut ei par non eſſet Athenis , poſteà (inquiunt) Romam venit , ibique legens , & docens , magnos Magiſtros inter Diſcipulos , & auditores habuit ; tantæque opinionis ſibi nomen fecit , ut defuncto Leone IV. in ſucceſſorè ipſius fuerit concorditèr electa , ſed poſt electionem à ſuo familiari vitiata , temporiſque ſui partus ignara , cùm de Baſilica Sancti Petri ad Lateranum in ſolemni ſupplicatione tenderet , peperit , ibique mortua , & ſepulta fuit , Templum inter Sancti Clementis , & Coliſæum , atqui hæc omnia , quæ Hæretici narrant de Papiſſa Joanna ; omninò falſa , & ſuppoſititia ſunt. Nam patria hujus Mulieris propter raritatem facti , & perpetuam rei memoriam ità omnibus nota eſſet , ut omnes Scriptores convenirent an fuiſſet Anglica ; vel Moguntina.

Hujus Fœminæ patria ignoratur.

Deinde anno DCCCL. in quo contendunt Mulierem illam fuiſſe electam , in ſucceſſorem Leonis IV. Athenis ſolum ſupererat nomen , & jacentis Academiæ fama , teſte Sancto Syneſio Ptolemaidis Epiſcopo , viro ſanctitate & doctrina claro , qui ſcribens ad Fratrem ſuum anno CCCCXX. monet eum , Athenas ſplendidum habere nihil præter celeberrima locorum nomina. Improbabilia ſunt igitur ea , quæ Marianus Scotus, Martinus Polonus, Joannes Baptiſta Platina, & alij referunt de illa Puella , ab Amaſio Athenas ducta , ibique edocta , cùm anno CCCCXX. Athenæ, quæ ſapientium domicilium erant , nunc eam Mellatores celebrent , inquit ipſe Syneſius Epiſt. 35. ubi ita ſcripſit : *Nihil jam Athenæ ſplendidum habent præter celeberrima locorum nomina , ac velut ex hoſtia conſumpta ſola pellis ſupereſt animalis ; quod olim aliquando fuerat ; indicium , ſic inde deducta Philoſophia , reſtat ut oberrando Academiam ac Lycæum mireris , atque etiam variam illam porticum a qua Chryſippi ſecta nomen accepit ; quæ quidem minimè nunc varia eſt: Nam Proconſul tabulata ſuſtulit ; in qua artem omnem ſuam Polygnotus Thaſius contulerat. Nunc itaque noſtra ætate Ægyptus alit ; quæ ab Hypatia ſapientiæ ſemina ſuſcepit. Athenæ verò quondam civitas fuit , ſapientium domicilium : nunc eam Mellatores celebrant.*

Joannes Platina.

Syneſius.

Nullus fabulatorum qui de Papiſſa Joanna ſcripſerunt , refert ipſam fuiſſe promotam ad Cardinalatum , quæ quidem promotio tunc temporis præcedebat electionem ad Summum Pontificatum. Nam in Concilio Romano habito anno DCCLXIX. ſub Stephano IV. cui interfuere XII. Galliæ Præſules, ſcilicet Vicillicarius Senonenſis , Lullus Moguntinus , Gavienius Turonenſis , Ado Lugdunenſis , Herminardus Bituricenſis , Daniel Narbonenſis , Telpinus Rhemenſis , Herulfus Lingonenſis , Herembertus , Babulfus , Giſelbertus, & Joſephus incertarum ſedium Antiſtites , ad providendum de forma in Summi Pontificis electione ſervanda ; in hoc quidem Concilio ſtatutum fuit quod Cardinales tenerentur in Summum Pontificem eligere unum de ipſo ſolo Cardinalium collegio (quamvis id non ſemper reperiatur obſervatum , multi ſiquidem fuere in Summos Pontifices poſterius electi, nec tamen de Cardinalium Collegio ſumpti , quales inter alios fuere Silveſter II. natione Gallus , Leo IX. Urbanus

Non hiſtoria ſed fabula eſt de Papiſſa Joanna narratio.

IV Gregorius X. & alij, qui poſt decretum Concilij Romani, electi fuerant, quamvis Cardinales non eſſent:) igitur potius fabula, quam hiſtoria, eſt hæc narratio de Papiſſa Joanna, cùm nulla fiat mentio de ejuſdem Mulieris electione ad Cardinalatum, quæ tunc præcedebat electionem ad Summum Pontificatum.

Si Hæretici velint, hanc conſtitutionem Stephani IV. fuiſſe violatam poſt mortem Leonis IV. ſicut fuit poſteà in electione Sylveſtri II. & aliorum numeratorum. Fateri debent, quòd hæc Papiſſa nominaretur inter Summos Pontifices, qui electi fuere; quin eſſent de Cardinalium Collegio, ſicut nominantur alij Deinde certi ſumus ex hiſtoria Eccleſiaſtica quòd Sylveſter II. fuit primus, qui poſt Stephanum IV. electus fuit in Summum Pontificem, quin Cardinalis eſſet. At Sylveſter II electus fuit anno circiter DCCCCXCIX acproindè à Leone IV. uſque ad prædictum Sylveſtrum, nullus non Cardinalis fuit electus in Summum Pontificem.

Manifeſta contradictio

Alia contradictio ex qua ſequitor argumentum probans, nullam Fœminam ſediſſe in Cathedra D. Petri, eſt quia adverſarij dicunt Joannam in ſolemni ſupplicatione peperiſſe, ſcilicet cum ad Lateranum pergeret, quòd incredibile eſt. Nam Romani, aut aliquis ex exteris Romam confluentibus, illam Fœminam, ore, voce, actis, totiuſque corporis habitu cognoviſſet, impoſſibile enim eſt Romanos adeo ſtupidos & ineptos fuiſſe, ut nemo fuerit, qui eam internoverit. Incredibile pariter eſt eam Mulierem in Papam electam, a tot menſibus fœtu gravidam, partuique proximam, ob publicum & ſolemne, laborisque plenum, voluiſſe obire munus, in quo erat futuri partus, honoris, vitæque periculum, itaqoe falſa eſt Mariani Scoti, aliorumque narratio de Papiſſa Joanna; cùm principia ex quibus eam inferunt, ipſamque hiſtoriam eſſe volunt, ſint prorſus impoſſibilia, atque incredibilia.

§. II.

Solutio ad Argumenta Contraria.

HÆretici præſertim Magdeburgenſes, objiciunt, primò, authoritatem Scriptorum, quorum præcipui ſunt Marianus Scotus, Martinus Polonus, Theodoricus Nimenius, Guillelmus Brevin, Platina, & Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus: nam (inquiunt) incredibile eſt tot, tantique viri, doctrinâ graves, hiſtoriæ de vitis Summorum Pontificum Scriptores egregij, in tantum incidiſſe errorem Romanæ Eccleſiæ odioſum.

Reſpondeo, argumentum hoc nullius eſſe momenti. Quoniam plures alij æque graves, fideque digniores hac in re, quia rei ſuppoſitæ contemporanei, reclamant & affirmant, hanc Papiſſæ electionem eſſe meram fabulam. Hi autem Scriptores, qui reclamant, quoſque præferendos cenſeo, ſunt Lupus Ferrarienſis, Ado Viennenſis Archiepiſcopus, Hincmarus Rhemenſis, Anaſthaſius Bibliothecarius Apoſtolicus, Floloardus, Nicolaus I. Summus Pontifex, Benedicti III ſucceſſor immediatus, & alij recentiores, quos citant & ſequuntur Baronius, Bellarminus, Jacobus, Gretſerus, Florimundus, Remundus Senator Burdigalenſis, in refutatione vernacula erroris popularis de Papiſſa Joanna. Onufrius Panvioius, Papirus, Maſſonus lib. de Epiſcopis Urbis Romæ, & alij.

Prima ad rationem hæreticorum ſolutio.

Reſpondeo iterum, authores ab Hæreticis relatos, ex ſola populari traditione locutos fuiſſe, præſertim Marianum Scotum, quo obſtetricante, publicata eſt inſulſa, & inepta de Papiſſa Joanna fabula. Ratio hujus rei eſt, quia Scriptores molti, Eccleſiæ Romanæ hoſtes, qui paulo poſt mortem Leonis IV. ſcripſerunt, nullam hujus Papiſſæ mentionem habent, ipſe autem Marianus Scotus annis centum ſeptuaginta tribus poſt Benedicti III. exaltationem natus eſt, idcirco poſtponendus eſt alijs, eique deneganda eſt fides. Quamtum ad alios; dico quòd non loquuntur aſſertivé, referunt enim narrationem Mariani, & præſertim Martinus Polonus, cujus narrationem refert D. Antoninus, p. 2. Chron. Tit. 16. cap. 1. §. 6. ubi ait: *Poſt hunc Leonem Martinus in Chronica ſua poſuit Joannem natione Anglicum, qui ſedit anno Domini DCCCL. in Cathedra Petri annis duobus, menſibus tribus, diebus ſex. Quo mortuo ceſſavit Papatus menſe uno. Hic, Martinus ut aſſeritur Fœmina fuit, & in Puellari ætate à quodam ſuo Amaſio in habitu virili Athenas Adducta, ſic in diverſis ſcientijs profecit, ut nullus ſibi par inveniretur, adeo ut poſt Romæ in trivijs legens, magnos Magiſtros Diſcipulos, & auditores haberet, & cum in Urbe in ſcientia & vita magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditèr eligitur poſt Leonem: ſed in Papatu per ſuum familiarem impragnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata in partu, inter Eccleſiam Sancti Clementis, & Coliſeum peperit in via, & in partu mortua, ibidem ſepulta dicitur, & quia Papa eandem viam ſemper obliquat, cum Lateranum accedit, creditur à pleriſque quod ob deteſtationem facti, hoc facit, nec ponitur in catalogo Summorum Pontificum, propter Mulieris ſexum.* Indè enim patet D. Antoninum non loqui aſſertivè. Idem dico de alijs Scriptoribus.

Altera ad eand. rationem ſolutio.

Arguunt tandem Hæretici ex nonnullis conjecturis. Primò ex marmorea illa Fœminæ gerentis infantulum recens natum, Statua, quæ olim Romæ videbatur, in ipſo tam deteſtandi partus loco in perpetuam rei memoriam poſita, quæ ibi per multos annos ſpectantibus Summis Pontificibus ſuperſtes viſa eſt, donec aliquo ex illis jubente, in Tyberim dejecta fuit. Addunt quòd Senis in majori Templo inter Pontificum Romanorum Statuas, Joannæ Papiſſæ ſimulacrum collocatum fuit uſque ad Pontificatum Clementis VIII. Secundò ex eo quod ab his temporibus, Romanus Pontifex quoties è Vaticano ad Lateranenſem Eccleſiam tendit, in hujus horrendi deteſtationem eventus, hanc conſultò declinat viam. Tertiò ex eo quod ad ſimilem vitandum caſum, in creandis Romanis Pontificibus, novus Pontifex ſoleat ad Cathedram perforatam applicari, & ejus ab ultimo Diacono ſexus explorari: ergo, inquiunt, ex illis conjecturis neceſſariò infertur, non fabuloſam eſſe, ſed veram, hanc de Joanna Papiſſa narrationem.

Falſa conjectura pro hac fabula.

Reſpondeo ad primam conjecturam, hanc Statuam marmoream olim fuiſſe Romæ viſam, ſed non talitèr qualitèr eam ſcribunt Hæretici, ſed ſolùm Statuam mulieris ſpeciem preſeferentem. At nego hanc mulierem præſetuliſſe infantem recens natum, & pannis involutum, ut ipſi volunt, ſed puerum ſatis grandem, & quaſi præeuntem referebat, unde viri in his rebus & vetuſtis explicandis figuris eruditi, colligunt, non Papæ, nec Papiſſæ fuiſſe Statuam, ſed antiqui cujuſdam Ethnici Sacerdotis ad Sacrificium, eum ſuo præeunte Miniſtro, pergentis. Aut aliquod gentilium numen hanc Statuam referre, viri rei antiquariæ periti pridē obſervarunt. Eorum ratio eſt, quia hæc Statua altera manu palmæ ramum humero innixum deſcrebat. Quod non eſt inſigne Summorum Pontificum, qui crucem, vel claves manibus geſtantes, effinguntur. Quantum ad rationem ob quam Hæreriei volunt, hanc Statuam fuiſſe in Tiberim dejectam juſſu alicujus Summi Pon-

Digitized by Google

rificis, dico quòd eſt falſa, quoniam illa Statua ſublata fuit tempore Sixti V. qui viam in qua poſita erat rectiorem duxit & amplificari curavit, ad urbis decorem, & ornamentum. *Rejicitur prima conjectura.* Quantum verò ad Statuam poſitam in majori Eccleſia Senenſi, dico quòd Papiſſam referebat, ſed hoc ſculptoris errori & licentiæ, ac nimiæ Senenſium conniventiæ, vel imperitiæ eorum, qui opus curabant, tribuendum eſt, non autem memoriæ Pontificatûs Papiſſæ Joannæ.

Hanc reſponſionem ad Statuam marmoream, veram eſſe patet. Nam ex adverſarijs, Scriptores antiqui, reique narratæ Coævi noluere in gratiam Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis reverentiam, hanc præfatam Papiſſam Joannam inter Romanos Pontifices recenſeri, nè (inquiunt) aliqua ſupereſſet illius in libris memoria; ergo indè inferri debet quod non poſuiſſent in via publica tale monumentum, ſcilicet Statuam marmoream, quæ eſt memoria æterna, & effigies indelebilis Papiſſæ Joannæ, quæ ſi aliquandò fuiſſet, & Summi Pontifices curaſſent eam non recenſeri inter Summos Pontifices, curaſſent etiam in gratiam ſanctæ Sedis, & Romani Pontificis reverentiam, nè poſita fuiſſet hæc Statua marmorea.

Ad ſecundam conjecturam dico Romanos Pontifices, quoties è Vaticano ad Lateranenſem tendunt Eccleſiam, non declinare præfatam viam in deteſtationem hujus prætenſi, execrandique Papiſſæ partus, ut Hæretici fabulantur, ſed quia via illa licèt brevior, anguſta eſt, & anfractuoſa, Pontificumque comitatui minus facilis, & apta, quàm ea, per quam tranſit.

Ad tertiam tandèm dico. Romanum Pontificem recentèr electum, reverà ſedere in ſede perforata, ſed non ad ſimile vitandum in creandis Romanis Pontificibus, eventum vel errorem. Nec ad explorandum novi Pontificis ſexum, ut perperàm, & irriſoriè fabulantur Hæretici, ſed ut Summus Pontifex recentèr electus in hac ignobili ſede ſedens, cognoſcat & recordetur, è ſede humili loco, ad ſummum evehi honoris faſtigium, nec tamen de humanæ vitæ miſerijs, & neceſſitatibus erui; nam dum in illa ſedet novus
Rejicitur altera conjectura. Pontifex, chorus canit, *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus & ſolium gloria teneat*: igitur hæc Sedes perforata, quæ ſtercoraria nuncupatur, minimè inſtituta fuit ad explorandum novi Pontificis ſexum, ſed ad inſpirandam novo Pontifici humilitatem, ut ſuadent hæc verba, *Sancte Pater ſic tranſit gloria mundi*, quæ proferuntur illi dum in ſolemni coronationis pompa, ex Sacriſtia per Eccleſiam tendit ad Altare, in memoriam futuræ mortis, mundique brevis. Stupa in arundinis apice conſultò parata ſolet coram ipſo comburi.

Deindè hujus conjecturæ falſitas manifeſtè patet. Quia ſi hæc Sedes perforata inſtituta fuiſſet ad explorandum novi Pontificis ſexum, ut volunt Hæretici, proculdubio in ipſa ſederent omnes illi qui ſunt de gremio eligendorum, vel ſaltem aliquis eorum, qui eligendi ſunt, nè fœmina eligeretur, ſed hæc cæremonia non fit ante electionem, ſed poſt, ſcilicet cùm novus Pontifex Lateranenſem Baſilicam prima vice ritu ſolemni ingreditur: igitur hæc cæremonia non fuit eô animô, quô volunt adverſarij, ſcilicet nè mulier ſedeat in Cathedra Petri, cùm potiùs fieret ante electionem, nè mulier eligeretur.

ARTICULUS VI.

In quo Contra, Bizochos, probatur poteſtatem condendi Leges eſſe in Eccleſia.

PAuperes de Lugduno, ſeu Uvaldenſes ab Uvaldo quodam Cive Lugdunenſi, qui eorum Author fuit, dixerunt anno Domini MCLX. regnante *Uvaldenſes* Friderico hujus nominis primo Imperatore, & Alexandro III. Summo Pontifice, obedientiam non eſſe præſtandam Summo Pontifici, nec omnibus Eccleſiæ Prælatis ſimul congregatis in Concilijs generalibus, etiamſi Papa præſit, & affirmet aliquas Leges eſſe ſtatuendas; eaſque ſtatuet animô obligandi fideles: quamvis non ſint pœnales, ſed gratioſæ, ità ut teneantur fugere eos, quos excommunicat jus Romanum, aut honorare eos, quos indultis, & privilegijs diſtinguit.

Anno MCCXCV. tempore Adolphi Imperatoris, & Bonifacij VIII. Papæ, emerſit quidam Hæreticus nomine Gerardus Sagarellus de Parma, qui Uval- *Gerardus Sagarellus.* denſium errorem publicè docuit. & publicavit fideles non teneri obedire Romano Pontifici, quia ſolus Chriſtus habet poteſtatem præcipiendi, quam poteſtatem Eccleſiæ ſuæ minimè reliquit. Huic viro Hæretico paulo poſt, nimirum anno MCCCXIV. *Fratricelli* tempore Ludovici Bavari Cæſaris Germani, & Joannis XXII. Papæ adhæſerunt (ſi non abſolutè, ſaltem cum aliqua modificatione) Begardi, qui & Fratricelli ſeu Fratres de paupere vita, qui Bizochi dicuntur. Hi enim viri Hæretici, natione Germani; & profeſſione Monachi docebant; hominem in ſtatu perfectionis, & ſpiritu libertatis conſtitutum nulli humanæ obedientiæ ſubjectum eſſe oportere. Putabant enim pro ſolis peccatoribus leges condi poſſe. Idem ſentiebant Beguinæ, quæ erant mulierculæ, quæ honeſtè & religioſè vivebant, tamen Begardorum errores publicabant, & propter hanc adhæſionem Begardæ dicebantur, aut Beguinæ. *Beguinæ.*

Eadem Hæreſis alium habuit defenſorem in eodem ſæculo, utpote Joannem Hus genere Bohæ- *Huſſitæ.* mum, qui ſub Vuenceſlao Imperatore, & Gregorio XI. prædicabat, excommunicationem à Summo Romanorum Pontifice, aut ab alio quocumque Prælato inflictam, non eſſe timendam ex defectu poteſtatis, ſeu quia Eccleſia nullam habet in Chriſtianos juridictionem ſic enim diſcurrebat Hæreticus ille, quoniam claves regni cœlorum pro nihilo reputabat. Non minus impius fuit Joannes Vuicleffus; qui *Vuicleffus* tempore Caroli IV. & Clementis VI. circa annum Domini MCCCLII. docuit, Papam ſuper fideles poteſtatem non habere ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare, ac proindè negabat, Eccleſiam accepiſſe à Chriſto poteſtatem ligandi fideles, & ſubjiciendi eos ſuis præceptis, quaſi temporale eſſet regimen Eccleſiæ Chriſti, & humana eſſet Sacramentorum efficacitas.

Idem aſſeruit impijſſimus Lutherus, & poſt Lu- *Lutherus.* therum, Joannes de Vueſphalia de quo agitur in articulo præcedenti Undè ipſe Lutherus anno MDXX *Joannes de Vueſphalia.* totum corpus Juris Canonici publicè combuſſit. ut indè ſuaderet, Papam nullam habere poteſtatem condendi leges. *Quo jure* dicebat, lib. de captivitate Babilonica cap. de Baptiſmo: *Papa ſuper nos leges conſtituit? Quis ei dedit poteſtatem captivandæ libertatis per Baptiſmum nobis donatæ? cum neque Papa, neque Epiſ-* *Calviniſtæ.* *copus, neque ullus hominum habeat jus conſtituendæ ſyllabæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi fiat ejus conſenſu.* Horum omnium Hæreticorum mentem ſequuntur Cal-

viniſtæ, & alij, qui non minus Impiè, quàm ſtòlidè dicunt Papam eſſe Anticbriſtum.

His addi poteſt Michaël de Molinos Presbyter *Molinos.* Hiſpanus, qui in LXV. propoſitione ex condemnatis ab Innocentio XI. anno MDCLXXXVII. ait: *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti religioſorum tantummodo ad exterius pertingit; in interiori verò aliter res ſe habet, quò ſolus Deus, & Director intrant.*

§. I.

De Proſcriptione hujus Hæreſis.

HÆc Hæreſis damnata fuit in Concilio Vienenſi celebrato ſub Clemente V. pro extin- *Concilium Viennenſe.* guendis Templarijs, damnandiſque Dulciniſtis, Begardis & Beguinis, ferendo terræ Sanctæ ſubſidio, & reformandis Eccleſiæ moribus. In hoc quidem Concilio damnati fuerunt errores Begardorum, quorum tertius in ordine, eſt illa, quem nos *Conſtantienſe.* hîc Impugnandum ducimus. Damnata fuit etiam eadem Hæreſis in Concilio Conſtantienſi celebrato anno MCCCXIV. ſub Joanne XXII. Romanorum Pontifice, pro tollendo, non extincto, ſed facto trium Pontificum Schiſmate, damnandiſque tunc graſſantibus Vuicleffitarum, & Huſſitarum Hæreſibus, inter quas Hæreſes, erat hæc de obedientia non præſtanda Sanctæ Sedi Apoſtolicæ. Joannis Hus ratio erat, quia decretales, Epiſtolæ, & Leges Eccleſiaſticæ ſunt Apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide, & ideo dicebat; ſtultos eſſe Clericos, qui ſtudent eis.

Contra hanc Hæreſim varia ſunt decreta in Concilijs tam generalibus, quàm particularibus, & in corpore Juris Canonici, quibus tenemur de neceſſitate ſalutis ſubeſſe capiti viſibili Eccleſiæ Chriſti, & ejuſdem Eccleſiæ leges ad amuſſim, & ſub pœna peccati obſervare, cùm poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis, & pro ſalute animarum conceſſa fuerit Prælatis, quibus incumbit Chriſti ovium cura.

§. II.

De Rationibus hanc Hæreſim Impugnantibus.

EX veteri Teſtamento deducitur argumentum quò contrà Hæreticos prænominatos ſtabilitur poteſtas condendi leges, quam habet Eccleſia Chriſti, nam Proverb. 6. verſ. 20. & ſequentibus, legitur iſtud Salomonis teſtimonium; *Conſerva fili præcepta Patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ, liga ea* *Proverb. 6.* *in corde tuo jugiter, & circunda gutturi tuo, cum ambulaveris, gradiantur tecum: cùm dormieris, cuſtodi ante te, & evigilans loquere cum eis.*

Dicent forſan Hæretici quòd Pater ille, eſt Deus, cujus lex eſt ab omnibus obſervanda. Fateor hæc verba de præceptis Dei eſſe intelligenda, quoniam ſolus Deus eſt verè Pater omnium hominum, quibus hîc loquitur Salomon, ſed nullus poteſt negare eumdem Salomonem cap. 22. verſ. 28. dicentem, *Nè tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui*, loqui de Patribus Spiritualibus, quibus Deus, qui eſt Pater omnium, nos ſubjecit in his, quæ ſalutem noſtram concernunt. Nec diffiteri poteſt quis Matrem illam, cujus legem idem Salomon docet, non eſſe dimittendam, eſſe Eccleſiam, quæ eſt Mater noſtra, in qua per Baptiſmum renati ſumus, & per cujos Miniſtros dirigimur, & ad vitam æternam ducimur, quin citrà peccatum ipſis reſiſtere valeamus, ut teſtatur Scriptura Sacra, Deuteron. cap. 17. verſ. 12. ubi habetur. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferet malum de Iſrael.* Quod nedùm de Sacerdotibus veteris Legis dictum eſt, ſed etiam de Sacerdote novæ legis, cujus Sacerdotium dignius eſt, & authoritas major, quàm in Lege antiqua. Nullus igitur poteſt inficere Eccleſiam Chriſti habere poteſtatem obligandi fideles, & condendi Leges, quibus parete omnes tenentur, ſcriptum eſt enim in eodem libro Deuteronomij cap. 17. verſ. 10. *Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus,* *Deuteronomij* *& docuerint te:* Locus autem ille eſt Eccleſia, cui præſunt Prælati, ſeu Apoſtolorum ſucceſſores, quibus Deus contulit univerſam in Filios ſuos poteſtatem: dicens: Matth. cap. 18. verſ. 18. *Amen dico vobis quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in* *Matth. 18.* *cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo;* ligare autem eſt Legem imponere: igitur Chriſtus dedit Apoſtolis ſuis, & Eccleſiæ ſuæ Prælatis poteſtatem condendi Leges, ut ligarent eos, qui ligandi ſunt, & ſolvendi eos, qui ſolutione digni ſunt.

Eamdem aſſertionem de poteſtate condendi Leges, Eccleſiæ à Chriſto conceſſa affirmat Paulus ad *Rom. 13.* Rom. cap. 13. dicens: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt.* His enim verbis ſuadetur, quemlibet hominem teneri obedire illi, cui Deus contulit poteſtatem in alios, & per conſequens Apoſtolis (quos Deus conſtituit Principes ſuper omnem *Ad Titum 2.* terram in quam exivit ſonus eorum ſeu Doctrina, & authoritas) fideles tenentur obedire. Et in Epiſt. ad Titum cap. 2. monet ſervos, Domini ſui ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſten- *Heb. ult.* dentes, ut Doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Illi autem Domini, aut ſaltem inter illos, ſunt Miniſtri Eccleſiæ, ut colligitur ex illo ad Heb. cap. ult. verſ. 17. *Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Quod de Prælatis Eccleſiaſticis, & Paſtoribus animarum dumtaxàt intelligi poteſt, ut patet per id, quod in verſ. 7. ejuſdem capitis præmiſerat: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Sunt enim hi, quibus Act. 2. verſ. 28. dicitur: *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* *Act. 2.* Ideoque nullus poteſt citrà hæreſim denegare Eccleſiæ poteſtatem condendi Leges, & in præceptorum ejus obſervantiâ ſe diſpenſare, ut declarat idem Apoſtolus 2. ad Theſſ. cap. 3. verſ. 14. dicens: *Si* *2. Theſſ. 3.* *quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Quod ſanè non dixiſſet, niſi habuiſſet poteſtatem præcipiendi, & puniendi eos, qui mandatis Apoſtolicis obtemperare recuſant, undè cùm non ſit minor poteſtas nunc in Prælatis Eccleſiæ, quàm tunc fuit, nullus eſt qui non teneatur ipſis obedire in his, quæ ad obſervationem Legis Divinæ conducunt, mores depravatos corrigunt, & ſpiritualia perficiunt. Sumus enim fluctuantes in hoc ſæculo, nec poſſumus aliquid ex nobis, ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & quia Spiritus Domini ubi vult ſpirat, Prælatis, quibus commiſit curam, ſpirat media nobis demonſtranda.

Non parum juvat ratio; nam in Politia temporali eſt poteſtas condendi Leges Civiles pro recto regimine temporali, quibus Legibus omnes ſubditi *D. Auguſt* tenentur obedire in conſcientia, ut docet D. Auguſtinus Epiſtola 50. ad Bonifacium, dicens: *Quicum-*

gue Legibus Imperatorum quæ pro rei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium. Quod intelligit de gravi ſupplicio apud Deum, apud quem propter culpam mortalem, tale ſupplicium acquiritur.

Idem colligitur ex illo 1. Petri cap. 2. verſ. 18. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam Diſcolis*: Multo magis hæc poteſtas condendi Leges erit in Politia ſpirituali, quæ ſcilicet ad finem ſpiritualem ordinatur pro ſalute animarum, qualis eſt Eccleſia pro recto regimine ſpirituali, ut patet ex varijs Evangelij locis, in quibus conſtat, Chriſtum commiſiſſe Petro, & ejus ſucceſſoribus Eccleſiæ curam, & gubernationem quæ ſine Legibus fieri nequeunt, cùm à Legibus pendeat omnis reipublicæ ſalus. Etenim qui derelinquunt Legem, laudant impium. Et qui cuſtodit Legem, Filius ſapiens eſt, Inquit Salomon Proverb. cap. 28. Quare à primo Concilio ab Apoſtolis celebrato Jeroſolymis, de quo mentio fit, Act. 15. uſque ad ultimum, Leges aliquæ latæ ſunt ſecundum temporis opportunitatem. Et non tardè à Summis Pontificibus emanant decreta, & conſtitutiones, ut fideles maneant in fide Chriſti, & perveniant ad vitam æternam. Nam licet Chriſtiani habeant Legem ſcilicet Evangelium, egent tamen Legibus Eccleſiaſticis, quia Evangelium eſt univerſale, & non ſufficit ad dirigendas actiones noſtras, niſi per determinationes Prælatorum, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, & ad quos ſpectat, nobis verum Scripturarum ſenſum aperire, ut colligitur ex Deuteron. cap 17. verſ. 8. & 9. alioquin unicuique liceret interpretari Scripturas Sacras, & definire ea, quæ ſpectant ad fidem. Quòd eſt falſum, ut habetur ex Deuteron. jam citato, & unicuíque liceret judicare de facto proximo. Quòd eſt etiam falſum, ut aſſerit Papa Anterus, natione Græcus ſcribens ad Epiſcopos Bœtiæ & Toleranæ Provinciæ; & dicens: *Facta ſubditorum judicantur a nobis, noſtra vere judicat Deus*: Quibus verbis conſtat poteſtatem judicandi, decidendi, & reſolvendi eſſe penès Summum Pontificem, & Prælatos Eccleſiæ: igitur in ipſis Eccleſiæ Prælatis reſidet poteſtas obligandi fideles in his, quæ ſunt Dei & pro regimine animarum; hinc eſt quod Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 2. ait: *Laudo autem vos Fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis* Quòd ſanè non dixiſſet, niſi poteſtatem ſtatuendi recepiſſet à Chriſto Domino.

1. Corint. 11

Deuter. 17.

Lutherus propter tot, tantaſque authoritates fatetur, fideles teneri obedire Eccleſiæ Chriſti, ſed negat, ipſam Eccleſiam habere poteſtatem præcipiendi ea, quæ non habentur expreſſè in Scriptura Sacra. Sed ridicula eſt hæc argumentatio. nam plura obſervantur in Eccleſia à tempore Apoſtolorum, quæ tamen non ſunt expreſſè in Sacris Litteris, ut patet de ſolemnitate feſtiva diei Dominicæ, quæ non reperitur expreſſè in Sacris Litteris, & tamen præcipitur ab Eccleſia, & obſervatur ab ipſis naſcentis Eccleſiæ cunabulis. Plura etiam definita fuerunt in varijs Concilijs, quæ tamen non reperiuntur expreſſè in Sacra Scriptura, ut patet de conſubſtantialitate Filij cum Patre, quam Lutherus admittit, quamque declaravit contra Arium Nicæna prima Synodus celebrata anno CCCXXV. quamvis non reperiatur expreſſè in Sacra Scriptura, quamque Eccleſia ex quadam infallibili ratiocinatione collegit, & declaravit ea, quæ erant obſcura, & eruit quæ erant abſcondita, Deo ſic inſpirante. Prophetæ etiam vice, juſſu, ac motu Dei ſua fundebant oracula, teſte D. Petro Epiſt. 2. cap. 3. verſ. 2. dicente. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti. Dei homines*, Nedùm de his, quæ ad divina Myſteria ſpectabant, ſed etiam de his; quæ pertinebant ad mores, poterit etiam eadem Eccleſia ſtatuere eos mores, qui ad obſervationem mandatorum Dei maximè conducunt, cùm non ſit major ratio ob quam Eccleſia potuit ſtatuere in cauſa fidei, & non poſſit ſtatuere in cauſa morum: ergo allucinatur Lutherus exiſtimans, Eccleſiam Chriſti non poſſe ſtatuere & præcipere niſi ea, quæ expreſſè habentur in Sacra Scriptura.

2. Petr. 3.

Deindè Paulus plura præcepit, quæ tamen nulla ante Scriptura expreſſerat: præcepit enim 1. Corinth. cap. 11. Mulierem velato capite orare, viros autem capite nudato, quod quidem præceptum non reperitur in Evangelio. Præcepit inſuper virum fidelem debere permanere cum uxore infideli, & fidelem uxorem cum viro infideli, ſi alter conjugum infidelis nullum incommodum inferat fidei alterius, & velit cum altero fideli in conjugio permanere, & ſi deceſſerit nolens cum fideli permanere, diſcedat; fideli manente libero ad ſuſceptionem alterius, quòd tamen non reperitur expreſſè in Evangelio Chriſti, ut fatetur ipſemet Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 7. verſ. 12. ubi ait: *Ego dico non Dominus*, ut moneat ſe habere poteſtatem præcipiendi ea, quæ ſpectant ad perfectionem Chriſtianam, perficiunt mores & conducunt ad vitam æternam, & ad gaudium Domini, ad quod nihil coinquinatum intrabit: ondè cùm Leges pro bonis moribus inſtituendis, tendant ad mundationem, & puritatem animæ; poſſunt ab Eccleſia condi, ut homines, juſtè piè, & ſobriè vivant in hoc ſæculo, & poſt mortem intreont In gaudium Domini.

1. Corint. 7

§ III.

Solvuntur Argumenta Contraria.

PRænominati Hæretici objiciunt nobis eumdem Paulum, dicentem ad Corinth. 1. cap. 7. verſ. 23. & 24. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum unuſquiſque in quo vocatus eſt, Fratres, in hoc permaneat apud Deum*, Quibus verbis volunt, nos per Chriſtum liberatos eſſe à Lege Moſayca, & ab omni poteſtate Eccleſiaſtica, ità ut nullus poſſit; quin injuriam inferat Chriſto, ſe ſubjicere Papæ, & alijs Prælatis Eccleſiæ, quoniam inquit Apoſtolus ad Galat. 5. verſ. 18. *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.*

Reſpondeo Apoſtolum ità loqui nè ſerviamus hominibus propter homines, ſed propter Deum, ut explicat ad Epheſ. 6. verſ. 1. dicens: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt.* Et verſ. 5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo.* Non vero nè obediamus Prælatis Eccleſiæ, quorum curæ, & ſollicitudini ſumus à Chriſto commiſſi, cùm oppoſitum affirmet ad Heb. cap. ult. verſ. 17. dicens: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*, & Prælati Eccleſiæ ſint præpoſiti, & Patres noſtri de quibus ipſe Paulus loquitur.

Solvitur hæreticorum ratio.

Vel reſpondeo, Apoſtolum ibi docere quòd Chriſtus nos liberavit à ſervitute peccati, & à ſervitute Legis Moſaycæ, id eſt, à jugo cæremoniarum, & à Lege Circumciſionis, non verò quod ſuſtulit obedientiam Prælatorum Eccleſiæ, qui in Evangelio pro Chriſto legatione funguntur, à quorum

ſervitute Chriſtus non liberavit nos, imò ipſis ſubjecit nos. Vel dico quòd per illa verba, Apoſtolus avertit nos ab illa ſervitute, quâ quiſque illius fatebatur eſſe, à quo baptizatus erat. Quidam dicens; *Ego ſum Pauli*, alius, *ego ſum Apollo*, atque alius, *ego ſum Cephæ*, ut habetur 1. ad Corinth. cap. 3. verſ. 32. & ſequentibus; igitur Apoſtolus non intendit

Altera ſolutio.

aſſerere Chriſtum nos liberaſſe à ſervitute Prælatorum Eccleſiæ, & Miniſtrorum Chriſti, qui pro animabus noſtris reddituri ſunt rationem in ſtrictiſſimo Dei judicio; nec poſſumus eorumdem præceptis reſiſtere; quin Deo reſiſtamus, ut monet idem Apoſtolus 1. ad Theſſalon. cap. 4, verſ. 8. dicens: *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum*.

Iterum objiciunt, ut probent hominem debere ſoli Deo obedire, illud Deuteron. cap. 12. verſ. ult. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas*; Indè enim concludunt, ſolum

Deuter. 13.

Deum eſſe legiſlatorem cui obedire debemus, & ideo nullus in Eccleſia Chriſti habet poteſtatem præcipiendi nobis, ut faciamus ea, quæ vult, ſive ſit Epiſcopus, ſive ſit Papa.

Hæc inſtantia non valet, quia indé ſequeretur quod ſubditi non tenerentur obedire Regi, nec Reges poſſent Leges ſtatuere, quod eſt falſiſſimum, & contrà communem ſenſum, ac proindé melius eſſet hanc Hæreticorum objectionem ſpernere, quàm explicare. Nihilominus, reſpondeo Scripturam loqui de additione contraria Legibus Divinis, nam dum Deus ait: *non addas, nec minuas quidquam*, hoc eſt, non addas quidquam Legibus meis contrarium, hocque meritò quia poteſtas condendi Leges, non eſt in deſtructionem, ſed ad ædificationem ut obſervat Apoſtolus. Chriſtus enim loquens Diſcipulis ſuis,

Luc. 10.

Luc. 10. verſ. 16. & in eis omnibus Prælatis illorum ſucceſſoribus: ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me*. Ex quibus verbis colligimus, Epiſcopos, & Paſtores Ovium Chriſti habere poteſtatem loquendi nobis; & præcipiendi, & in ipſis Ovibus, ſeu in nobis eſſe obligationem audiendi eos, & faciendi ea, quæ præcipiunt dum loquuntur in Cathedra; quin valeamus iota unum omittere. Chriſtus enim Matt.

Matth. 23

23. ait: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere*, ut indé agnoſcamus authoritatem aliquam eſſe in terris ſuper nos, hancque eſſe juriſdictionem Eccleſiæ, quæ reſidet in Prælatis independentèr ab eorum ſanctitate & probitate, quidquid dixerint Albanenſes. In nobis vero eſſe obedientiam non ſolum aliquorum, ſed omnium præceptorum, ut ſuadent hæc verba: *quæcumque dixerint vobis*; quid eſt, autem dicere, *quæcumque*. Numquid facturi ſumus ſcelera, ſi nobis præcipiantur? abſit. Per illa enim verba ſolum nobis præcipitur obedientia eorum, quæ ad Cathedram pertinent, id eſt, eo-

De obedientia debita ſuperioribus Eccleſiaſticis.

rum quæ ſpectant ad fidem, & ad bonos mores, quæque ad faciliorem obſervantiam mandatorum Dei viam aperiunt, & conducunt; ideoque in Deuteronomio, Deus non removet à Prælatis Eccleſiæ poteſtatem condendi Leges, ſed ſolùm poteſtatem abolendi divinas, & addendi aliquid contrarium, vel minuendi veritates.

Scriptura non docet, nullum præter Deum eſſe legiſlatorem, ſed ſolùm declarat Deum eſſe legiſlatorem ſupremum, præcipuum & principaliorem, à quo eſt omnis poteſtas, ut aſſerit Apoſtolus ad Rom. cap. 13. dicens: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem*

Rom. 7.

ſunt à Deo ordinata ſunt. Hinc eſt quod præcepta Prælatorum Eccleſiæ obſervanda ſunt, ſicut præcepta Dei. Et dum tranſgrediuntur, tranſgrediuntur etiã præcepta Dei, qui eos Miniſtros ſuos & novi Teſtamẽti Inſtituit, ut docet idem Apoſtolus ſtatim ſubdens: *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Idem prius docuerat Moyſes, dum populo Iſraëlitico adverſus eum, & Aaronem fratrem ejus murmuranti, dixit Exod. cap. 16. verſ. 8. *Dabit vobis Dominus veſperè carnes edere, & manè panes in ſaturitate: eo quod audierit murmurationes veſtras quibus murmurati eſtis contra eum, nos* *Exod. 16.* *enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.*

Tandem objiciunt nobis authoritates Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quibus Eccleſia comparatur Lunæ: inde enim volunt, Eccleſiam non poſſe habere poteſtatem condendi Leges in ordine ad ſalutem. Quia ioquiunt, hujuſmodi Leges debent à legiſlatore infallibili provenire: Eccleſia autem à fide ſua deficere, & veritatis Eclypſim interdùm errando pati, ſicut Luna poteſt à ſua claritate deficere, imo aliquando deficit, & Eclypſim patitur.

Reſpondeo paritatem non convincere: Eccleſia enim comparatur Lunæ ratione principij, ſcilicet quia ſicut Luna lumen recipit à Sole, qui eſt totius luminis centrum, ità & à Chriſto vero juſtitiæ & intelligentiæ ſole, lumen habet Eccleſia. Vel comparatur Lunæ ratione effectus, quia ſicut Luna initio menſis exigua eſt, ſic Eccleſia in ortu ſuo exigua fuit & de die in diem creſcens, ad plenitudinem pervenit, ſicut Luna. Et in hoc ſiſtit tota comparatio Eccleſiæ cum Luna; non verò, in hoc, quod ſicut Luna poteſt à ſua claritate deficere, & Eclypſim pati, ut probat experiẽtia ità poſſit, & Eccleſia à ſua fide deficere. Et er- *Reſponſio ad ultimam hæreticorum rationem.* rare; cùm numquã defecerit, nec erraverit in fide, ut ex ſupradictis conſtat; ſed in hoc quod ſicut Luna ſuas patitur viciſſitudines, & mutationes accidentales, ità & Eccleſia Chriſti modò pacis, modò perſecutionis viciſſitudines habeat, licet numquam deficiat. Quapropter Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis. Matth. 10. verſ. 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ, cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.* His enim verbis monebat eos, eiſque indicabat futuram perſecutionem, & viciſſitudines futuras, quas non ſolum Apoſtoli, ſed etiam ipſorum ſucceſſores paſſi ſunt, teſte hiſtoria Eccleſiaſtica, abſque tamen ullo defectu, aut Eclypſi in fide, ut probant verba, quæ immediatè ſequuntur: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*

Unde Divus Ambroſius lib. 2. Exameron. comparationem Eccleſiæ cum Luna in Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus ſæpè repetitam, mirificè explicat dicens: *Eccleſia tempora ſua habet perſecutionis, & pacis, nam videtur ſicut Luna deficere, ſed non deficit; obumbrari poteſt, ſed deficere non poteſt.* *D. Ambroſ.* Et Caſſiadorus ſuper Pſal 30. inquit: *Eccleſia enim magis incipit eſſe uberrima, cùm ad finem ſæculi erit perducta, tunc enim paſſionibus Electorum, citò implebitur numerus bonorum*: *Caſſiador.* Igitur cùm Eccleſia non ſit defectibilis, nec mutabilis ut Luna, comparatio Hæreticorum non removet ab ea poteſtatem condendi Leges.

ARTICULUS VII.

Quo adverſus Flavitanos, Epiſcopus Romanus ponitur Totius Eccleſiæ Primas.

ADverſus Summum, atque Supremum Eccleſiæ Chriſti Pontificatum plures inſurrexere hæreſes (profectò ut eſſet Schiſmatis occaſio, & ut non eſſet Rex in Iſraël, ſed ut unuſquiſque quod ſibi rectum videretur, hoc faceret) Anno CCCCLXXVI. tempore Leonis II. Imperatoris, & Simplicij Romanorum Pontificis, quidam vir hæreticus Arianus, dictus Flavitas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſed intruſus, docuit (teſte Nicephoro, lib. 15. cap. 18. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ) quòd Papa non eſt Epiſcopus Supremus, acproinde quòd nullam habet juriſdictionem, aut poteſtatem in Eccleſia Chriſti, niſi eam, quàm quilibet Epiſcopus habet in ſuo Epiſcopatu. Armeni autem crediderunt anno DCXL. regnante Conſtantio III. Hæraclij Filio, & Eccleſiam Dei regente Theodoro; Epiſcopum Romanum non eſſe Epiſcopum univerſalem, ſeu totius Eccleſiæ Chriſti Primatem, nec ipſi competere curam univerſalem, ſeu totius Eccleſiæ, ſed ſolum Diœceſis Romanæ, quapropter ab Eccleſia Romana ſe ſubtraxerunt, decreta Concilij Chalcedonenſis recipere noluerunt, & ab hoc tempore obedientiam Romano Pontifici negare cœperunt.

Flavitani

Armeni.

Poſt Græcos, & Armenos adverſus Summum Pontificem inſurrexerunt impij & Idiotæ Ualdenſes; Joannes Uvicleſ, & Joannes Hus, de quibus in præcedenti articulo locuti ſumus. Et quoniam ibi videri poteſt id, quod de Papa ſentiunt, ad hunc articulum lectorem remitto. Ualdenſibus in hac parte, ſeu contra Summum Pontificem, conſenſerunt Marſilius Paduanus, & Jandunus aſſerentes, Petrum majorem non habuiſſe poteſtatem, acproinde Romanum Pontificem non debere agnoſci ut Chriſti Vicarium ſuper omnem Eccleſiam, nec ut viſibile caput ipſius, ſed tantum Eccleſiæ Romæ, ſicut D. Jacobus erat caput Eccleſiæ Jeroſolymorum, & ſic de cæteris.

Ualdenſes

Uvicleffita

Huſſita

Marſilius Paduanus.

Iſtorum omnium hæreticorum communem errorem jam diu ſepultum, ab inferis revocavit Martinus Lutherus, ut faciliori modo, quas conceperat hæreſes, docere poſſet. Nulla eſt enim alia via apertior ad hæreſes introducendas, quàm primatum Petri ab Eccleſia ſubtrahere, & tot capita in Eccleſia Chriſti conſtituere, quot in ipſa ſunt Epiſcopi. Quoniam ex hac ſupremæ authoritatis diviſione, maxima naſceretur contradictio, & diverſitas, nedum in modo tradendi dogmata fidei, ſed etiam in ipſis fidei dogmatibus, quapropter hæreticorum Scopus, is unus eſt, Papam videlicet à ſua ſede dejicere, & omnem poteſtatem, quam à Deo in terris recepit, illi adimere, ut percuſſo paſtore, diſpergantur oves.

Lutherus

Anno autem Domini MDXXIII. ſub Carolo. V. Imperatore, & Clemente VII. hujus nominis Papa, Jacobus præpoſitus, Monachusq; Eremitarum ordinis Sancti Auguſtini, natione Flander, prædicavit, Papam non eſſe caput Eccleſiæ jure divino, nec authoritate Chriſti, exiſtimabat enim Petrum ſolo jure humano, & electione fuiſſe primum dignitate inter ipſos Apoſtolos, aut ordine, non vero authoritate, & juriſdictione. Et inde concludebat, nullum ſucceſſorem Petri eſſe Primatem Eccleſiæ Chriſti jure divino ſed tantummodo primum inter pares. Nedum in hoc erravit prædictus Jacobus, ſed in pluribus aliis articulis. Tamen inter hæreticos minimé reputandus eſt, quia poſtea corde contritus in majori Eccleſia Bruxellensi, coram ingenti hominum multitudine ſua falſa dogmata publicè, & ſolemniter revocavit ſub hac forma. *Ego Frater Jacobus præpoſitus Religioſus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini anathematizo omnem hæreſim, eamque præcipue de qua diffamatus ſum, quam frater Martinus Luther in ſuis libris, & ad populum ſermonibus his temporibus & docuit & ſevuit, propter quam à ſede Apoſtolica tamquam hæreticus cum ſua doctrina damnatus eſt, maximè quoad articulos in litteris Apoſtolicis comprehenſos. Conſentio etiam cum Romana Eccleſia, in omnibus quæ ad Chriſtianam Religionem ſpectant, & confiteor quæcumque ſedes Apoſtolica confitetur, & reprobo quæ reprobanda cenſet. Sentio præterea, & teneo præfatum Martinum cum ſua doctrina ritè atque legitime à dicta ſede condemnatum, ejus libros, tractatus, vel ſermones tam editos, quàm edendos rectè vetitos legi, vel teneri ad incendia tradi mandatos; ſpecialiter autem reprobo quoſdam articulos, quorum alios publice prædicavi, alios privatim, & doloſe expreſſi, reliquos apud me ſenſi.* Hæc ſunt verba prædicti Jacobi, quæ refert Prateolus

Jacobus præpoſitus.

His hæreticis ſucceſſit Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis in Dalmatia, fraude intruſus, qui authoritatem Papæ deprimere ſemper conatus eſt: dicebat enim Eccleſiam nullum aliud habere caput, niſi Chriſtum. Et Vicarium Chriſti non eſſe Papam, ſed Spiritum Sanctum: Papam verò eſſe Epiſcopum unius Diœceſis tantum, ſicut quilibet alter Epiſcopus, idem ſentiunt Rutheni natione Lituani.

Marcus Antonius de Dominis Rutheni

§. I.

De Impugnatorum ſupremæ poteſtatis Papæ Proſcriptione.

ECcleſiæ Primatum reſidere in Summo Pontifice definitum fuit in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. in qua hæc Sancta Synodus damnavit XLV. articulos Joannis Uvicleſ, quorum unus eſt iſte: *Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti*, quæ aſſertio ſimul cum aliis ejuſdem hæretici damnata fuit tamquam hæretica: Igitur oppoſita, videlicet ea, quæ affirmat, Eccleſiam eſſe ſponſam Spiritus Sancti. Et Papam eſſe Vicarium Chriſti, eſt de fide.

Concilium Conſtantienſe.

Idem decrevit Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. celebrato anno MCCCCXXXVIII. pro damnandis Græcorum hæreſibus, & uniendis iiſdem cùm Latinis: dicens. *Definimus Sanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem Sacerdotem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro, paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

Florentinum

Eadem definitio pro firmando primatu Epiſcopi Romani habetur ex antiquiſſima traditione. Fideles enim ſemper crediderunt Papam, ſeu Epiſcopum Romanum habere primatum Eccleſiæ Chriſti, & ſucceſſorem Petri. Idem habetur etiam in variis juris canonici textibus quos hic referre mihi videtur ſuperfluum, quia in decretalibus legi poſſunt. Unde authoritate Sacrarum Scripturarum probandum eſt contra prænominatos hæreticos, Papam eſſe totius Eccleſiæ primatem, ſeu primatum ſupra cæteros Epiſcopos habere, nedum primatum ordinis, & dignitatis, ſed etiam juriſdictionis, & authoritatis.

§. II.

Probatur ex Scriptura veritas articuli.

Matth. 16. CHriſtus ſoli Petro promiſit ſupremam Eccleſiæ poteſtatem juxtà illud Matth. 16. verſ. 17. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & Sanguis non revelavi tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt: & ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & dabo tibi Claves regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Hoc quidem nomine *Claves* ſignificatur univerſalis ligandi, & ſolvendi poteſtas Eccleſiæ militantis, ut inſinuat hæc particula *quodcumque ligaveris ſuper terram*, quæ nihil excludit, nullumque hominem eximit ab illa poteſtate, quam Petro Chriſtus de facto dedit, juxta illud Joan. cap. 21. verſ. 15. ubi Chriſtus eumdem alloquens Petrum ait: *Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro, Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te, dicit ei paſce agnos meos. Dicit ei iterum Simon Joannis diligis me? ait illi: etiam Domine, tu ſcis quia amo te; dicit ei paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, amas me: & dixit ei? Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei paſce oves meas.* Dedit autem illi hanc ſupremam poteſtatem regendi Eccleſiam, & paſcendi oves inter quas erant alij Apoſtoli. *Joan. 21.*

Hanc ipſam authoritatem fuiſſe conceſſam Petro fatetur univerſa Eccleſia in oratione officij Cathedræ, ſeu authoritatis ejuſdem Sancti Petri die 18. Janvarij celebrandi ubi habetur; *Deus qui Beato Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti.* Quod non poteſt intelligi tantum de Pontificio determinato, ſeu unius Diœceſis particularis, nimirum Romanæ, ſed de Pontificio totius Eccleſiæ Chriſti, quæ omnes & ſingulos fideles comprehendit, & in qua ſunt oves Chriſti à D. Petro paſcendæ, Chriſtus autem dedit illi hanc poteſtatem, ut perpetuò duraturam, ſeu ut tamdiu duraret, quamdiu duraret ipſa Eccleſia, acproindè ut duraret non in ſolo Petro, alioquin hæc authoritas, & Eccleſia ſtatim finem habuiſſent, quia Petrus ſedit in Romano Pontificatu, an. XXIV. menſ. III. di. XII. tantum; ſed etiam ut duraret in Petri ſucceſſoribus, cum mortuo Petro, remanere debebant oves Chriſti paſcendæ & regendæ. Sed ex perpetua traditione, & perenni omnium fidelium, & Eccleſiæ doctrina, Romanus Pontifex Canonicè electus, eſt legitimus ſucceſſor Sancti Petri. Quapropter Sanctus Auguſtinus in Epiſt. 61. habet: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolica Cathedra viguit principatus:* *D. Auguſt.* Hoc eſt, authoritas Petri, ſemper fuit in Antiſtite Romano, qui in officio ſucceſſit Petro, ſicut cæteri Epiſcopi, ſuccedunt aliis Apoſtolis.

Divus Hieronymus Epiſtola 67. ad Damaſum ait: *D. Hieronymus.* *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior.* Patres Concilij Chalcedonenſis Sancti Leonis Romani Pontificis Epiſtolam approbantes, unanimi voce clamarunt. *Petrus per Leonem locutus eſt*, quòd evidenter probat, authoritatem Petri eſſe in Leone. *D. Bernardus.* Et D. Bernardus lib. de conſideratione ad Eugenium III. Romanum Pontificem, cap. 8. ait: *Age indagemus adhuc diligentius quis ſis quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei, quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, judicatu Samuël, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus, tu es cui Claves traditæ, cui Oves creditæ ſunt ..... habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos tibi univerſi crediti, uni unus, nec modo ovium, ſed & Paſtorum, tu unus omnium Paſtor: unde id probem quæris? ex verbo Domini, cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſæ ſunt oves? ſi me amas Petre, paſce oves meas: quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe regna? oves meas, inquit, cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe: nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil:* Igitur eodem jure divino, quo univerſalis juriſdictio Eccleſiæ fuit in Petro, hoc eſt, ex inſtitutione Chriſti, durat adhuc in Romano Pontifice, & in ipſo reſidet totius Eccleſiæ primatus, ſeu ſuprema illa Eccleſiam univerſalem regendi poteſtas.

Hæretici volunt prædicta verba Chriſti ad Petrum: *Dabo tibi Claves* &c. pertinere ad totam Eccleſiam; non verò ad perſonam privatam Petri, ità ut inferri liceat, authoritatem illam à Chriſto promiſſam Petro, ità datam fuiſſe illi, ut modo reſideat primario, & magis principaliter in Papa, qui ſe Petri ſucceſſorem dicit. Ita diſcurrunt Lutherus, Calvinus, & Magdeburgenſes.

Sed ſiniſtra eſt hæc ratiocinatio, ut ſuadent circunſtantiæ concomitantes verba Chriſti, quæ perſonam particularem Petri indicant, nam, *tibi*, eſt pronomen ſingulare indicans perſonam illius cui dicit, *tibi dabo*, hæc autem perſona, eſt Petrus, ut indicat id quod præcedit: *beatus es Simon Barjona*, id eſt, Petrus Filius Jonæ. Præterea hæc verba Chriſti: *ego tibi dabo* &c. dicta fuerunt à Chriſto, illi, qui Chriſtum confitebatur, dicens: *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ut conſtat ex Evangelio: Ille autem, qui dicit: *tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, eſt Simon Petrus, ut habetur in eodem Evangelio Matthæi verſ. 16. ideoque hæc verba Chriſti: *Tibi dabo Claves regni Cœlorum* &c. non pertinent ad totam Eccleſiam, ut voluere hæretici; alioquin in Eccleſia tot eſſent capita, & fundamenta, quot ſunt membra. Quòd eſt falſum, cum Eccleſia ſit corpus myſticum, vel nullum eſſet caput in Eccleſia, ſeu eſſet corpus Acephalum, quòd eſt pariter falſum, idcircò ſpectant ad perſonam privatam Petri, ut notant communiter Sancti Patres, nempè D. Hilarius lib. VI. & X. de Trinitate; D. Auguſtinus lib. 2. contrà duas Epiſtolas Gaudentij, & ſerm. 13. de verbis Domini, D. Chryſoſtomus in cap. 16. Matthæi, & alij, qui dicunt quòd confeſſio Petri, mercedem accepit. His addo orationem officij Cathedræ Sancti Petri Romæ, ſuprà relatam. *Rejicitur hæreticorũ Inſtantia.*

Tandem ille, cui Chriſtus dixit: *Tibi dabo claves regni Cœlorum*, eſt ille cui paulò poſt dixit Matth. 16. verſ. 23. *Vade poſt me Satana ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum:* Ille autem erat Petrus, ut conſtat ex verbis immediatè præcedentibus, *qui*, id eſt Chriſtus, *converſus, dixit Petro, vade:* Igitur promiſſio de dandis clavibus regni Cœlorum, non fuit facta Eccleſiæ univerſæ, ſeu tam in membris, quàm in capite, conſideratæ, ſed ſoli Petro, ut in ipſo eſſet poteſtas univerſalis ligandi, atque ſolvendi omnes, & ſingulas animas, aut oves Chriſti, qui eaſdem oves eidem Petro ſubjecerat, his verbis: *Petre paſce agnos meos, paſce oves meas*, cùm oves ſubjiciantur illi, à quo paſcuntur & diriguntur, ſcilicet paſtori. Quique ſuper eumdem ſcilicet Petrum, ædificaverat Eccleſiam ſuam. *Matth. 16.*

Fateor plures eſſe in Eccleſia Paſtores, ſed omnium primus prioritate juriſdictionis, eſt ſucceſſor Petri, ſeu Papa, qui ſuccedens Petro in officio, ſuccedit etiam in authoritate, & juriſdictione, eſtque reſpectu aliorum paſtorum, id, quod erat Petrus reſpectu aliorum Apoſtolorum, ut affirmat D. Au-

D. Auguſt. guſtinus lib. 2. contra Epiſtolas Petiliani cap. 15. ubi ait : *Cathedra tibi quid fecit Eccleſia Romana in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſthaſius ſedet*: At Petrus erat primus Apoſtolorum prioritate juriſdictionis; & eorundem Apoſtolorum Princeps, ut declarant Concilia Florentinum, & Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ubi Petrus, Apoſtolorum princeps vocatur, quo nomine principis ſignificatur, Petrum eſſe ſuperiorem, & alios Apoſtolos fuiſſe ſubditos Petri.

Petrus ſua authoritate congregavit alios Apoſtolos ad eligendum novum Apoſtolum in locum Judæ proditoris, ut patet ex illo Act. 1. verſ. 15. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, viri fratres, oportet impleri ſcripturam* &c. Cùm etiam orta eſſet quæſtio de ceſſatione legallum, quibuſdam dicentibus, illa eſſe neceſſaria, aliis autem contradicentibus, & pro hujus quæſtionis definitione Concilium Jeroſolymis congregaretur, ſurgens Petrus in medio illorum primus locutus eſt. & illius ſententiæ omnes conſenſerunt. Profectò Petrus non fuiſſet hujus Concilij Præſes, nec primus locutus fuiſſet, niſi Chriſtus conſtituiſſet eum caput totius Eccleſiæ, principem & ſuperiorem Apoſtolorum, nam ſi hoc non eſſet, id eſt, ſi Petrus non habuiſſet juriſdictionem & authoritatem ſuper alios Apoſtolos, ità ut quilibet Apoſtolus fuiſſet ſolus, & primus Epiſcopatus ſui Paſtor & caput; in illo Concilio Jeroſolymitano, D. Jacobus ejuſdem civitatis Epiſcopus, fuiſſet præſes, & locutus fuiſſet priuſquam Petrus, quia erat præſens, & Concilium erat in ſua Diœceſi, in qua ſolus habuiſſet ſupremam authoritatem ſed hoc non fecit D. Jacobus, & Petrus locutus eſt primus præſente Jacobo Epiſcopo Diœceſano: ergo Petrus erat ſuperior Jacobo in ſua etiam Diœceſi exiſtente, & habuit univerſalem & plenariam authoritatem, definiendi res, & controverſias in Concilijs, ut notat D. Ambroſius relatus in Can. *Non turbatur* 24. quæſt. 1, ubi ait : *Et ſi aliis imperatur, ut laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur, duc in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum.* D. Ambroſ.

Deinde in omni Apoſtolorum Catalogo D. Petrus ſemper numeratur primus, alij verò Apoſtoli, nullo ſervato ordine, ab Evangeliſtis numerantur. Nam Matthæus ponit Andræam in ſecundo loco. Marcus ponit illum in quarto. Idem Matthæus ponit Thomam in ſeptimo loco. Et Marcus, & Lucas ponunt eum in octavo. Petrus autem nunquam variato ordine, ab omnibus Evangeliſtis, imo & ab omnibus Apoſtolis act. cap. 1 verſ. 13. ponitur primus, quòd factum non fuiſſet, ſi ipſe Petrus non fuiſſet cæteris ſuperior, & prior, non prioritate vocationis ad Apoſtolatum, quoniam conſtat, Andream fuiſſe prius illò vocatum, & per ipſum Andream, Petrum fuiſſe ad Chriſtum adductum: ergo Petrus eſt prior, prioritate juriſdictionis, & authoritatis; hinc eſt quòd omnes Apoſtoli, præſente Petro, nullum authoritatis ſignum demonſtrabant : nam cum Petrus & Joannes aſcendiſſent in templum ad horam orationis nonam, cuidam Claudo ad portas templi petenti Eleemoſynam, Petrus ait: Act. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do : in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, & ſtatim conſolidatæ ſunt bazes ejus, & plantæ* : tamen D. Joannes hoc miraculum facere poterat, & dicere claudo ſicut Petrus : *Surge & ambula.* Qui enim Druſianam mortuam poſtea ſuſcitavit, poterat tunc claudi pedes conſolidare, ſed tacuit, quia Petrum agnoſcebat ſuperiorem, & Vicarium Chriſti, in terris. Concilium Nicænum Hanc veritatem declarat Synodus Nicæna lib. 3. Can. 39. verſ. *Conſtituet Patriarcha* ubi legitur : *Petrus cui data eſt poteſtas in omnes principes Chriſtianos, & omnes populos ut qui ſit Vicarius Domini Noſtri Jeſu Chriſti*

Deinde cum venirent etiam ad monumentum Petrus, & Joannes, iſte prior pervenit, ut legimus Joan. 20. verſ. 4. *Currebant autem duo ſimul, & ille Diſcipulus præcucurrit citiùs petro, & venit prius ad monumentum, & cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introivit*, Sanè ut exhiberet Petro tamquam ſuperiori honorem debitum: nam Joannes, qui fuerat dignus recumbere ſuper corpus vivum, dignus etiam erat intrare in monumentum, in quo poſitum fuerat idem corpus mortuum. Nec valet dicere quòd noluit abſolutè intrare, cum idem Evangelium cap. 8. habeat : *Tunc ergo*, hoc eſt, poſt acceſſum, & ingreſſum Petri, *introivit, & diſcipulus ille, qui venerat prius ad monumentum*, ut conſtat ex verſ. 6. igitur ratio Joannis fuit oſtendere, Petrum habere primatum inter Apoſtolos, & ipſi Petro omnes præ cæteris deberi honores.

Chriſtus etiam eumdem Petri primatum oſtendit, nam poſt ſuam in cœlos aſcenſionem, volens docere Eccleſiam ſuam, Illum ciborum delectum, qui in lege Moſayca præceptus fuerat, non eſſe jam neceſſariò faciendum, ſoli Petro de hoc revelationem fecit, ut conſtat Act. 10. tamen hæc res tangebat omnes, nihilominus ſoli Petro revelata fuit, profectò quia erat perſona communis curam omnium gerens; & caput omnium fidelium. Uſus probat, voluntatem ſupremi ſuperioris aut principis, ſignificandam eſſe ſuperiori ordinario ab ipſo ſupremo delegato; Petrus igitur, cui in hac occaſione revelata, & notificata fuit voluntas Chriſti, eſt ſuperior ordinarius omnium fidelium.

Aliud ejuſdem authoritatis Petro conceſſæ ſignum dederat Chriſtus. Matth. 17. *Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem Fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Ibi enim Petrus fuit Matth. 17 primus aſſumptus, ut agnoſceretur primus & Princeps Apoſtolorum, non ſolum prioritate ordinis, aut dignitatis, ſed officij & authoritatis, quia nomen hoc, eſt nomen officij. Ideoque ſolus Petrus in illo monte locutus eſt & dixit Chriſto : *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Et verſ. 23. dicitur, quòd cum Chriſtus & diſcipuli veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui Didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei ; *Magiſter veſter non ſolvit Didrachma?* Chriſtus autem pro didrachmate ſolvendo prævenit Petrum & dixit illi : *Ut non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum : & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies ſtateren : illum ſumens, da eis pro me ; & pro te.* Inde enim Chriſtus oſtendere voluit quòd jam meditabatur, Petrum poſt ſe relinquere caput Eccleſiæ, quia tributum illud juxta D. Hieronymum in hunc locum, non ſolvebatur pro omnibus & ſingulis, aliàs ſolutum fuiſſet pro quolibet Apoſtolo, ſed ſolum ſolvebatur pro capite familiæ. Unde Chriſtus non dixit Petro *pro me, pro te, & pro aliis Apoſtolis meis*, ſed ſolum *pro me & pro te*, ut Apoſtoli agnoſcerent, Chriſtum eſſe caput & principem, & poſt illum, Petrum occupare primum locum, & primam ſedem, ſeu abſente Chriſto, aut poſt Chriſti aſcenſionem, Petrum fore permanſurum caput & principem Apoſtolorum, quoniam non niſi pro capite exigendum erat tributum ab illis, qui accipiebant illud.

Angelus apparens Mariæ Magdalenæ, & aliis ejus cõſortibus Chriſti Sepulchrum viſitantibus, ait, Marc. ult. verſ. 6. & 7. *Jeſum quæritis Nazarenum Crucifixum, ſurrexit, non eſt hic ; ſed ite dicite diſcipulis ejus & Petro. Quia præcedit vos in Galilæam.* Ratio ob quam Marc. ult. Angelus ſolius Petri nomen exprimit, & aliorum tacet, eſt quia Petrus cæteris omnibus præminere debebat, & à Chriſto conſtituendus erat Paſtor omnium ovium, & princeps Apoſtolorum. Nam ſi-

non fuiſſet cæteris præſtantior & ſuperior, ſed ſolum æqualis, ut volunt aliqui hæretici, dixiſſet tantum, *dicite Diſcipulis ejus*. At ut innueret, aliquid eſſe in Petro ſingulare propter quod eſſet proprio deſignandus nomine, tanquam aliorum Princeps, addidit, *& Petro*, quo nomine Angelus diſtinxit Petrum ab omnibus Apoſtolis tanquam caput à membris, & tanquam ſuperiorem a ſubditis Quia Petrus erat petra, ſupra quam Deus Eccleſiam ſuam fundare decreverat. In quolibet corpore myſtico, & morali, caput ſolitô nominatur diſtinctè & in particolari exprimitur.

Idque confirmaverat David Rex, Spiritu prophetico Chriſtum de Apoſtolis ſic alloquens Pſal. 44. verſ. 17. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram* quod poſtea factum fuit à Chriſto dicente Apoſtolis, Matth. ult. verſ. 18. & ſequentibus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes* &c. At Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſum, unum habuerunt Principem viſibilem, ut Eccleſia eſſet una, nedum unitate fidei, ſed etiam unitate capitis, ut tolleretur Schiſmatis occaſio, hicque fuit Petrus, ut declarat Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 11 dicens. *Item Princeps Apoſtolorum Petrus* &c. Igitur Petrus conſtitutus fuit caput, & princeps Apoſtolorum omnium, & per conſequens habuit in illos, & in omnes fideles, ſeu in Agnos, & Oves, plenariam poteſtatem, Apoſtoli erant ex ovibus illis, de quibus Chriſtus, Joan. 10. verſ. 14. ait: *Ego ſum Paſtor bonus & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Paſtor autem ille antequam aſcenderet in Cœlum, conſtituit Petrum ſui gregis paſtorem, dum dixit illi *paſce oves meas*, acproinde Petri erat dirigere, ac regere Apoſtolos, & fideles, ſeu univerſalem Eccleſiam.

Pſal. 24.
Matth. ult.
Joan. 10.

Eamdem veritatem confirmat Chriſtus, & declarat, Petrum majorem habere poteſtatem, & eſſe principem Apoſtolorum, Luc. cap. 22. verſ. 31. & 32. dicens: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquandô converſus confirma fratres tuos*, His quippè verbis Chriſtus docuit, Petrum eſſe cæteris Apoſtolis majorem, quia poteſtas confirmandi alios Apoſtolos, quos Diabolus expetiverat, ut ſicut triticum cribraret, eſt poteſtas juriſdictionis, & authoritatis, ut fatentur omnes. Theophilactus hunc textum Lucæ explicans ait: *Planus hujus intellectus is eſt, quia te habebo ut principem diſcipulorum, poſtquam me negato fleveris, & ad Pœnitentiam veneris, confirma cæteros, hoc enim te decet qui poſt me Eccleſia petra es & fundamentum.* Dedit illi inſuper firmitatem, & infallibilitatem in fide, ei priuſquam aliis divinitatem ſuam revelavit, ut inter fideles eſſet Primas, & majorem haberet authoritatem: ergo Petrus cui injungitur onus confirmandi reliquos Apoſtolos, eſt caput Apoſtolorum. Et Papa eſt ejus ſucceſſor, cui committitur cura omnium ovium Chriſti. Eſt Paſtor principalior totius ovilis, ſeu tam agnorum, quàm ovium, id eſt, univerſalis Eccleſiæ. Non quòd ſit in ipſa Eccleſia ſolus Epiſcopus, ſed quia curam omnium animarum habet, & juriſdictionem in alios Epiſcopos, ut probant conceſſio Jubilæi, & judicium cauſarum Epiſcoporum.

Luc. 22.
Theophilactus.

Idem ſuadet hæc ratio. Ubicumque ſunt multa regimina ordinata, & benè diſpoſita, neceſſe eſt quòd detur univerſale regimen ſupra particularia regimina, ut patet in omni Monarchia, in qua plures ſunt Domini qui imperant, ſubditoſque regunt ſub uno regimine Monarchiæ univerſalis. Sed in Eccleſia Chriſti ſunt plures Epiſcopatus particulares ordinati, & benè diſpoſiti, quorum unus non ordinatur ad alium, & quorum Epiſcopi inter ſe nullam dicunt dependentiam; unuſquiſque enim ovium ſuarum curam habet, & nullus poteſt in meſſem alienam mittere falcem, ſeu in curam alterius ſe ingerere, ut conſtat in jure Canonico ab omnibus Epiſcopis inviolabiliter obſervato. Solus Epiſcopus Romanus, qui eſt Summus Pontifex, & ſucceſſor Petri, poteſt de cauſis uniuſcujuſque horum Epiſcopatuum cognoſcere, negligentiam Epiſcoporum reprimere, omnes eorumdem ſubditorum diſpenſare in certis caſibus, excommunicare &c. igitur Epiſcopi Eccleſiæ (quæ eſt unum corpus, regnum, monarchia, exercitus, domus, ovile) debent ad aliquem Epiſcopum, aut ad aliquod regimen univerſale ordinari, ut conſervetur unitas corporis, regni, Monarchiæ, exercitus, domus, ovilis, ſub uno, eodemque capite, monarcha, duce, Domino, & Paſtore viſibili habente ſuper omnes fideles juriſdictionem illam, quam Chriſtus contulit Eccleſiæ ſuæ, & curam illam, quam contulit Petro his verbis: *Paſce agnos meos, paſce oves meas*; nam forma regiminis Eccleſiæ non eſt mutata, nec mutabitur uſque ad finem mundi, quo adveniente, fidei Eccleſiæ ſuccedet viſio beatifica. Poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum eſt eadem ac erat anteà, ſed anteà poteſtas regendi Eccleſiam erat commiſſa Petro: ergo hæc poteſtas, quæ data fuit, ut duraret uſque ad finem mundi, reſidet in eo, qui ſucceſſit Petro, nimirum in Summo Pontifice, qui non eſt ſucceſſor Andreæ, Jacobi, Joannis, nec Bartholomæi, ſed eſt ſucceſſor Petri, cui Chriſtus reliquit curam totius Eccleſiæ, ſeu ovilis ſui, oviumque ſuarum inter quas erant Apoſtoli, & ſunt modò eorum ſucceſſores utpotè Epiſcopi, alioquin nullum poſſet ſtatui decretum pro univerſa Eccleſia. Quod eſt falſum. Vel quilibet Epiſcopus poſſet ſtatuere illud. Quòd eſt pariter falſum.

Valida contra adverſarios ratio.

§. III.

De ſolutione ad Rationes contrarias.

HÆretici objiciunt contra ſupremam D. Petri juriſdictionem, & dicunt quòd Chriſtus non contulit Petro majorem authoritatem, quàm cæteris Apoſtolis, nec illi magis, quàm cæteris ſuam commendavit Eccleſiam; omnibus enim dixit Joan. cap. 20. verſ. 21. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Et poſteà: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Omnibus pariter dixit: *Euntes, docete omnes gentes* Igitur Petrus nihil poteſtatis ſupra Eccleſiam accepit à Chriſto, quod non acceperint Andreas, Thomas & cæteri Apoſtoli.

Reſpondeo negando ſuppoſitum: Chriſtus enim majorem poteſtatem contulit Petro, dum dixit illi: *paſce oves meas*. Quod ampliorem juriſdictionem ſignificat, quàm dicere, *Accipite Spiritum Sanctum* &c. Ratio eſt, quia priora verba dicta fuere ſoli Petro, & ipſi ſoli commiſerunt gregem Chriſti abſque reſtrictione ulla in regimine. Poſteriora verò tam Petro, quàm aliis dicta fuerunt, acproinde tantam Petro, quantam aliis contulerunt juriſdictionem, ex quo ſequitur quòd Petrus obtinuit à Chriſto delegatione particulari quamdam juriſdictionem illi, his verbis *paſce oves meas* collatam, quam non obtinuerunt alij Apoſtoli, his verbis: *accipite Spiritum Sanctum* &c. quæ etiam Petro cum aliis cõjunctim dicta fuerunt. Unde Sanctus Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, in natali Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, inquit, *Prius agnos, deinde oves commiſit illi, quia non ſolum Paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit: paſcit igitur Petrus Agnos, paſcit & oves, paſcit Filios, paſcit & matres, regit & ſubditos & Prælatos, omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos, & oves, in Eccleſia nihil eſt.* Igitur Petrus fuit

Reſponſio ad primum argumentum.
D. Eucherius.

Apoſtolorum

Apoſtolorum Paſtor, Princeps, Primas, & caput & conſequenter Papa, qui eſt verus Petri ſucceſſor, eſt caput Epiſcoporum, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum.

Inſtabunt. Chriſtus contulit Petro authoritatem; dum dixit illi Matth. 16. verſ. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis. Et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Hæc quippè verba exprimunt univerſam Chriſti poteſtatem. Sed idem dixit aliis Apoſtolis cap. 18. verſ. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*: ergo Apoſtoli æqualem cum Petro habuerunt poteſtatem.

Reſpondeo argumentum non concludere, & maximam eſſe differentiam inter illos duos textus. Chriſtus promiſit Petro claves regni Cœlorum, & Juriſdictionem in omnibus Cœlis, aliis autem Apoſtolis promiſit claves non Cœlorum omnium, ſed cœli: ità ut quilibet Apoſtolus haberet poteſtatem in uno Cœlo determinato, ut ex propriis textibus conſtat. Petro enim dicitur: *Erit ſolutum & in Cœlis.* Aliis verò Apoſtolis dicitur: *erunt ſoluta & in Cœlo,* ut inde agnoſcamus, authoritatem Petri eſſe univerſam & extenſam abſque ulla reſtrictione, Apoſtolorum vero eſſe authoritatem determinatam, & incluſam in uno loco, quia Chriſtus uſus eſt nomine ſingulari, id eſt, dicit, *in Cœlo,* quia authoritas unius Apoſtoli erat incluſa in una Diœceſi, Petri verò in omnibus locis, ſeu Eccleſijs erat recipienda. Talis enim eſt loquendi uſus in Sacra Scriptura, nam dum loquitur de Deo, ait: qui eſt in Cœlis, de Patre, qui eſt in Cœlis, de Filio qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, quia Deus & Chriſtus habent poteſtatem univerſalem: ideoque Sacra Scriptura dum de illis loquitur in his, quæ divinam poteſtatem concernunt, nullam reſtrictionem locorum ponit, & dum loquitur de aliis rebus quarum virtus, juriſdictio, aut influentia non eſt univerſalis, non tribuit illis omnes Cœlos, ſed Cœlum determinatum. Nam dum loquitur de Cruce, quæ eſt ſignum Filij hominis Matth. 24. verſ. 30. aſſerit quod parebit in Cœlo. Dum loquitur de Prælio Michaëlis cum Dracone, Apocaly. cap. 12. verſ. 7. dicit quod factum eſt in Cœlo: igitur ex diverſo locutionis modo intelligendum eſt, atque affirmandum quòd fortiores, & potentiores claves datæ fuerunt Petro, quàm cæteris Apoſtolis. Poteſtas illa clavium in Petro, his verbis: *quodcumque ſolveris* &c. Facta fuit abſoluta, ac univerſalis, & ipſi propria, & ordinaria, in aliis verò Apoſtolis per hæc verba: *quæcumque ligaveritis* &c. Facta fuit dependens & reſtricta, priùs enim data fuerat Petro. Et per hæc *quæcumque ligaveritis* non fuit diminuta poteſtas hæc ligandi emanata à poteſtate paſcendi oves; quæ cùm data fuerit ſoli Petro, ab ipſo Petro dependebat omnis Eccleſiæ juriſdictio, ab alijs verò juriſdictio unius Eccleſiæ, aut Cœli particularis.

Rejicitur inſtantia

Apocalyp.

Objiciunt 2. Si Petrus eſſet caput Eccleſiæ, & Princeps Apoſtolorum, ſequeretur quòd Eccleſiæ corpus, eſſet monſtrum biceps. Nam Chriſtus eſt caput, ut ait Apoſtolus ad Epheſ. 5. verſ. 23. *Sicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & fundamentum.* Et, ad Corint. cap. 3. verſ. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus,* & ideo ſi Petrus ſit fundamentum & caput ejuſdem Eccleſiæ, duo ſunt fundamenta, duoque principes in ipſa.

Reſpondeo negando ſequelam, non enim dicimus, Petrum eſſe caput æquale Chriſto, ſed caput ſub Chriſto. Diximus Chriſtum eſſe primum & ſupremum Eccleſiæ caput, Petrum verò Vicarium caput, hoc eſt, Chriſti loco ſubrogatum, & caput ſecundum poſt Chriſtum, id eſt, caput aliorum omnium à Chriſto; qui cùm ſedeat ad dexteram Patris, antequam ad Cœlos aſcenderet, vicarium inſtituit, qui in terris ſuam repleret ſedem. Vicarius gerit vices ſuperioris abſentis, & Petrus gerebat vices Chriſti inviſibilis. Chriſtus eſt fundamentum præcipuum & primarium in quo fundatur Eccleſia, eſtque illud præter quod ex Apoſtolo, nemo poteſt ponere aliud, quia nemo poteſt eſſe fundamentum primarium, & à ſe, niſi Chriſtus; Petrus autem eſt caput ſecundarium, & miniſteriale, commiſſum delegatione particulari, & ſpeciali inſtitutum à Chriſto dicente: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Nec hoc implicat quia Eccleſia Chriſti eſt viſibilis, & ipſe Chriſtus modò eſt inviſibilis Eccleſiæ militanti, quæ non videt, ſed credit, quæ non tenet, ſed ſperat: ergo Chriſtus potuit inſtituere, imo de facto inſtituit fundamentum viſibile, quod eſt Petrus, cujus officium tranſmittitur ad ſucceſſores ipſius, nimirum ad Summos Pontifices, ut declarat Concilium Epheſinum, part. 2. actione 3. ubi habetur: *In omnibus ſæculis notum eſt quòd Sanctus Petrus, Apoſtolorum princeps à Chriſto claves regni accepit, qui ad hoc uſque tempus, & ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit, & judicium exercet.*

Solvitur altera adverſariorum ratio.

Dicent quòd Chriſtus, & Eccleſia tamquam ex capite, & membris inter quæ eſt Petrus, aut Epiſcopus Romanus, conſtituunt unum corpus myſticum, integrum: ergo in ipſa Eccleſia ſolus Chriſtus poteſt dici caput, & cæteri dicuntur membra.

Reſpondeo hoc verum eſſe quoad influxum internum, ſolus enim Chriſtus ſic influit in Eccleſiam, ſed quoad influxum externum, ac regimen viſibile, & ſubordinatum illi qui fundavit Eccleſiam, eamque lavit ſanguine ſuo, & acquiſivit, non eſt verum, quia Summus Pontifex in hoc ſenſu eſt caput omnium fidelium, quamvis ſit membrum Chriſti, ſicut cæteri Epiſcopi, quoniam paſcit oves ipſiuſmet Chriſti, eas gubernat, & regit, Chriſto ſic ſtatuente; ergo eſt earumdem ovium Paſtor: & Judex.

Summus Pontifex eſt caput viſibile.

Dicent iterum non eſt veriſimile ut Petrus qui atrociùs peccaverat, eſſet Judex ſuper alios. Sed non valet hæc ratio, quia hoc factum fuit, ut Paſtor univerſalis, aut Vicarius Chriſti majorem compaſſionem haberet de peccatoribus, qui ad ipſum recurrerent, ut notant plures Sancti Patres.

Inſtabunt: Eccleſia Jeroſolimytana quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, Jacobo commiſſa fuit: ergo potius Divus Jacobus, quàm Petrus eſſet caput viſibile, & ſecundarium Eccleſiæ Chriſti, & per conſequens Epiſcopus Romanus non eſt ſucceſſor Vicarij Chriſti.

Reſpondeo Jeroſolymam eſſe matrem omnium Eccleſiarum jure antiquitatis, non autem jure poteſtatis, ſi Petrus non ſederit Jeroſolymis, hoc eſt, quia congruum erat quòd mutatis lege, & Sacerdotio per mortem Chriſti, locus Summi Sacerdotis mutaretur. Sunt aliæ quamplurimæ rationes ob quas Petrus, Romæ ſuam fixit ſedem, ſed ſufficit dicere cum Marcello Papa, Can. *Rogamus.* 24. quæſt. 1. hanc tranſlationem factam fuiſſe jubente Domino. Hinc eſt quòd D. Jacobus Epiſcopus Jeroſolymitanus, fuit Epiſcopus unius Eccleſiæ particularis. Et Petrus Epiſcopus omnium Eccleſiarum, qui Jacobum Epiſcopum Jeroſolymitanum inſtituit, ut docet D. Chryſoſtomus homil. 87. in Joan. ubi ait: *Si quis à me percontaretur quomodo Jacobus ſedem Jeroſolymitanam accepit, reſponderem ego, Petrum totius orbis magiſtrum illum propoſuiſſe.*

Marcellus Papa.

Dicent quòd Apoſtoli miſerunt Petrum & Joannem

in Samariam , ut legitur Act. 8. verſ. 14. igitur Petrus non fuit Princeps Apoſtolorum ſed æqualis ſicut Joannes. Non valet hæc inſtantia, quia Apoſtoli non miſerunt Petrum ex authoritate, & Imperio, ſed de conſenſu , & conſilio.

Dicent inſuper , Paulum , & Barnabam quæſtionem de circumciſione non ad Petrum , ſed ad omnes Apoſtolos tuliſſe:igitur Petrus non erat Princeps Apoſtolorum , ſed æqualis cæteris. At non nocet hæc inſtantia , quia controverſia delata fuit ad omnes Apoſtolos quibus præſidebat Petrus , ut deciſio fieret cum majori partiū ſatisfactione , quòd non impedit primatum Petri : ſicut non impeditur, nec tollitur authoritas Regis quando cauſa civium affertur Senatui præſidente Rege. Unde Act. 15.

Act. 15. verſ. 7. *Cum magna conquiſitio fieret , ſurgens Petrus dixit ad eos : viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit , per os meum audire gentes verbum Evangelij , & credere* , quibus verbis conſtat, Petrum fuiſſe electum primarium , & principaliorem miniſtrum Evangelij, & magiſtrum omnium gentium. Hinc eſt quòd quando Chriſtus dixit Apoſtolis ſuis, *vos autem quem me eſſe dicitis* ſolus Petrus dixit : *tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Alij dixerunt , Joannem , alij Jeremiam, alij Eliam aut unum ex Prophetis.Petrus autem divinitatem ejus declaravit , & docuit, Chriſtum eſſe verè Deum.

Inſtabunt.Si hoc eſſet, Paulus non reſtitiſſet ei, nec ipſe Petrus fuiſſet reprehenſibilis. Minus nocet hæc ratio , nam quælibet correctio non arguit inferioritatem in illo , cui fit , ſed ſolum ea, quæ fit ex juſtitia , & per inflictionem pœnæ , non verò ea, quæ fit ex charitate , & per fraternam correctionem, qualis fuit ea, quam Petro fecit Paulus, ut notat D. Augu-

D. Auguſt. ſtinus Epiſt. 19. ad Hieronymum dicens : *Ipſe Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis , Sancta, & benigna humilitate pietatis accepit* : ergo Paulus non fuit ſuperior Petro.

Tertio objiciunt hæretici contra primatum Petri ex facto aliorum Apoſtolorum , qui ſe Petro æquales cenſebant , nec illum ut ſuperiorem ſive primatum agnoſcebant , ut rectè colligitur ex illo Lucæ cap. 22. verſ. 24. *Facta eſt autem & contentio inter fratres quis eorum videretur eſſe major:*Igitur æquales erant Petro cæteri Apoſtoli,vel ſaltem ſe credebant æquales illi , vel quod Petrus non erat major. Veroſimile quidem eſt quòd nulla fuiſſet inter Apoſtolos contentio circa prioritatem , aut primatum , ſi Petrus fuiſſet major ex ordinatione Chriſti.Et quòd ipſi Petro omnes ſe ſubjeciſſent.

Reſpondeo hanc contentionem fuiſſe factam antequam Apoſtoli accepiſſent Spiritum Sanctum , &

Solvitur ultima ratio. antequam Chriſtus dixiſſet Petro , *paſce oves meas*, per quæ verba Petrus conſtitutus fuit Paſtor & Primas Eccleſiæ Chriſti , igitur non nocet hæc contentio , cùm præcedat electionem Petri in Summum Paſtorem , & Pontificem , ut conſtat ex Evangelio. Nam contentio fuit ante mortem , ex D. Luca loco citato. Et oves Chriſti commiſſæ fuerunt Petro poſt Chriſti Reſurrectionem ex D. Joan. cap. 21. verſ. 17.

Dicent. Si hoc eſſet , cæteri Apoſtoli non dicerentur poſt reſurrectionem fundamenta Eccleſiæ,ut de facto dicuntur juxta illud Apocalyp.cap. 21.verſ. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim,& in*

Apocalyp. 21. *ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.*

Reſpondeo , Apoſtolos ſic denominari , quia ipſi poſt reſurrectionem Eccleſias fundaverunt quamplurimas , non enim totum terrarum orbem ad fidem convertit Petrus . ſed alias nationes Jacobus, alias Paulus , alias Bartholomæus , alias alij. Sed hoc non probat, Apoſtolos eſſe fundamenta , ſicut Petrus eſt fundamentum ; iſte enim jure ordinario rexit Eccleſiam , illi verò extraordinario. Iſte ſine dependentia ad ipſos , illi cum dependentia & ſubordinatione ad Petrum , hinc eſt quòd modò nullus poteſt eſſe Epiſcopus alicujus Eccleſiæ particularis independenter ab omni conſenſu,& notitia Summi Pontificis , D. Petri legitimi ſucceſſoris , ut habetur 24. quæſt. 1.Can. *Pudenda.* Et Papa eligitur à Cardinalibus quibus authoritate Apoſtolica commiſſum fuit jus omnium Epiſcoporum pro eligendo Summo Pontifice tanquam pro paſtore univerſali, ſeu totius Eccleſiæ Chriſti. Deinde ſi quilibet Apoſtolus habuiſſet tantam authoritatem in omnes fideles, quantam habuit Petrus, ſequeretur quòd authoritas Apoſtolorum tranſiret ad Epiſcopos , ſicut authoritas Petri tranſit ad Summum Pontificem. Quod tamen non eſt.Quia eſſent inEccleſia duodecim Epiſcopi tantùm,ſicut erant duodecim Apoſtoli;ſicut eſt unus Papa quoniam uni dumtaxat ſeu Petro Chriſtus dixit : *paſce oves meas. Oravi pro te ne deficeret fides tua, tu aliquando converſus confirma fratres tuos*

ARTICULUS VIII.

Impugnat Magdeburgenſes negantes, Papam poſſe convocare Concilia.

ADverſùs Concilia Generalia plures fuiſſe errores variis temporibus exortos, conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica, nullus enim fuit hæreticus,qui de Conciliis Eccleſiæ Generalibus malè non ſenſerit: Arius in Concilio Nicæno damnatus , dixit, Concilium erraſſe.Neſtorius in Concilio Epheſino anathemate percuſſus : Eutyches , & Dioſcoros in æcumenica Synodo Chalcedonenſi damnati,dixerunt etiam Concilia Generalia eſſe damnanda. Eorum argumentum erat , quia veritatem impugnant , fidei Chriſtianæ nocent , ſanciunt mendacium , & errorem, & ſunt figmenta purè humana. Idem dixit Joannes Hus , qui cùm Doctrinam Joannis Uvicleffi fuiſſet amplexus , eamque vidiſſet damnari in Concilio Conſtantienſi , odio motus, errorem ſuum mordicus tenuit, & contra infallibilitatem Concilij Generalis publicé blaſphemavit.

Lutherus timens nè, Conciliô congregatô , ſua falſa dogmata damnarentur , addidit hoc aliud venenum , dicens , Concilium generale etiam à Summo Pontifice congregatum poſſe in fide , & moribus errare , & de facto Concilium Conſtantienſe erraſſe in condemnatione Joannis Hus. Non mirtor : quia Rei in Judicio,quamvis legitimé ac debitè condemnati , ſolent contra Judices reclamare, eoſque de errore accuſare.

Alij dixerunt , Imperatoris eſſe , & non Papæ convocare Concilia Generalia , & in eiſdem præſidere convocatis , ità ſentiunt cum Luthero , Cal- *Lutherus*
vinus , Magdeburgenſes , Vigorius , Molineus qui- *Calvinus*
dam Juriſconſultus Pariſienſis , qui aſſerit Concilium Tridentinum non eſſe recipiendum , quia à Papa , & non ab Imperatore convocatum eſt. *Magdeburgenſes.*
Hæc eſt ratio , quam allegant Proteſtantes hæretici Germaniæ in ſuo libello, & propter quam comparere in illo Concilio renuerunt.

§. I.

De probationibus veritatis Articuli.

Confirmatur in varijs Concilijs generalibus hæc veritas Catholica,& ideo dicere poſſumus quòd varia Concilia damnant eos , qoi volunt Concilia generalia poſſe errare. Et non Summi Pontificis , ſed Imperatoris eſſe ea convocare, & in eiſdem præſidere convocatis. Hæc autem Concilia ſunt Nicænum primum ex Julio I. Epiſt. 1. Chalcedonenſe actione prima. Lateranenſe. V. ſeſſ. 2. & ſeſſ. 11. conſtitur. 3. Conſtantienſe ſeſſ. 39. in quibus authoritas convocandi Concilia , & in ipſis præſidendi,conceditur ſoli Summo pontifici per ſe , vel per delegatum, ut refert Eminentiſſimus Cardinalis noſter de Laurea in Epitom. Caoonum, verbo, *Concilium*.

Idem decreverunt plures Summi Pontifices , ut conſtat ex variis juris Canonici textibus, & præſertim ex diſtinctione XVII. in qua ſunt ſeptem Canones,in quotum quarto legitur. *Nec licuit alicui aliquando , nec licebit,particularem Synodum congregare, ſed quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt , rationem , aut ſponte hi, qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicam ſedem pro recipienda ratione conveniant , aut ſi forte (ſicut de talibus ſcriptum eſt , peccator cum venerit in profundum malorum,contemnit) ita obſtinati, & contumaces extiterint, ut doceri non velint , eos ab ijſdem Apoſtolicis ſedibus , aut attrahi ad ſalutem , quoquo modo neceſſe eſt , aut (ne aliorum perditio eſſe poſſint) ſecundum Canones per ſæculares oportet opprimi poteſtates*.. Idem declarat Pelagius hujus nominis Papa. II. Epiſcopis qui convenerant ad illicitam vocationem Joannis Conſtantinopolitani , relatus in Gaoone V. ejuſdem diſtinctionis,'ubi habetur : *Multis denuò Apoſtolicis , & Canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis , non debere abſque ſententia Romani Pontificis,Concilia celebrari.*

Concilium Generale nihil habet eſſentialius,quàm infallibilitas , cùm ejus finis, ſit res fidei definire, & pro bonis moribus inſtruendis regulas inſtituere , nam convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc , ſeu an Circumciſio eſſet obſervanda : Act. cap. 15. verſ. 6. quæ certò fieri non poſſent in
Finis Conciliorum. Conciliis Eccleſiæ generalibus, niſi ipſa Concilia infallibilia eſſent , quoniam inter fideles eſſet controverſia , & dubium : cùm non haberent firmam , & infallibilem in atteſtante fidem : & Chriſtus Dominos minus providiſſet Eccleſiæ ſuæ regimini , quàm olim providerat Deus Synagogæ. Quòd eſt falſum: idcircò Concilia Generalia debent eſſe infallibilia.

Deinde in Concilijs generalibus ritè congregatis adeſt Spiritus Sanctus , Patrum eorumdem Conciliorum moderator, & Rector,qui eos in fide inſtruit, ut confeſſi ſunt Apoſtoli in unum congregati Jeroſolymis,ut de ceſſatione legalium definirent , dicentes Actorum cap. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*; at-
Act. 15. qui hæc infallibilitas non poteſt eſſe in Concilijs Generalibus niſi convocetur in nomine Chriſti, hoc eſt, authoritate Chriſti,à quo oritur infallibilitas in rebus fidei ; eſt enim eſſentialiter via , veritas , & vita , acproinde eſſentialiter infallibilitas , quæ juxtà omnes Doctores non poteſt eſſe in Conciliis, niſi Chriſtus fuerit in ipſis;hoc eſt, niſi in ipſius nomine
Matth. 18. fuerint convocata , juxtà illud Matth. cap. 18. verſ. 20. *ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* Nullum autem Concilium dicitur convocatum ab eo , cui Chriſtus hanc conceſſit authoritatem (cujus defectu nullus eſt major,cùm non ſit major defectus quàm defectus poteſtatis) quam Chriſtos conceſſit ſoli Petro,cui dixit *Petre paſce oves meas*,& in perſona Petri , Romano Pontifici , & non Imperatori, alioquin Imperator ſederet in Cathedrà Petri.Quod eſt falſum : ergo ut Concilium ſit infallibile debet à Romano Pontifice , vel de conſenſû illius convocari.

Inſuper ille ſolus poteſt convocare Concilium, qui habet jus cogendi eos, qui debent Concilijs generalibus intereſſe, nimirum Epiſcopos, & Prælatos univerſi orbis , ſed Imperator non habet talem poteſtatem;cùm non dominetur orbi Chriſtiano , nec habeat poteſtatem ferendi cenſuras Eccleſiaſticas , dimittendi peccata, & adminiſtrandi Sacramenta. Solus Summus Pontifex habet illam , ut confeſſus eſt Valentinianus Imperator , qui teſte Sozomæno lib. 9. cap. 7. requiſitus à quibuſdam Epiſcopis, ut illis permitteret convocare Concilium , inquit , *ſum quidem in ſorte plebis , fas mihi non eſt talia curioſius perſcrutari, Sacerdotes quibus iſta cura ſunt , quocumque voluerint loco conveniant* : Igitur non Imperatoris , ſed Papæ eſt convocare Concilium.

Idem declaravit Marcellus anno CCXCIII. vel anno CCXCVII. in Epiſtola ad Epiſcopos Eccleſiæ *Marcellini Papæ.*
Antiocheoæ de Apoſtolis ſic loquens : *Iidem inſpirante Domino conſtituerunt , ut nulla Synodus fieret præter authoritatem Summi Pontificis* , qui cùm ſit Paſtor Gregis, & pro ipſo grege congregetur Concilium,quod nihil aliud eſt, quàm prælatorum Eccleſiæ Congregatio ad fidei controverſias definiendas, vel fidelium mores reformandos, à legitimo capite convocata. Et Imperator non ſit Paſtor, ſed ovis , non Imperatoris , ſed ſolius Papæ eſt convocare illud. Hinc eſt quòd Concilium Chalcedonenſe non permiſit, Dioſcotum Alexandrinum Patriarcham inter Epiſcopos ſedere , eo quod aliud Concilium convocare auſus fuerat , inconſulta Romana ſede , & alia voce clamavit : *Id nunquam factum , nunquam licitum fuiſſe.*

Quòd ſolius Romani Pontificis ſit etiam in Concilijs Generalibus, per ſe, vel per legatos præſidere, ſuadetur ratione. Nam ſolius Paſtoris eſt ſuo gregi præſidere per ſe, vel per aliom delegatum, ſicut capitis eſt ſuis præeſſe membris , Imperatoris eſt ſuis præſidere comitiis. Et Patris eſt ſuæ præſidere Familiæ,ſed Romanus Pontifex eſt gregis Chriſti,ſeu univerſalis Eccleſiæ Paſtor,caput , Primas, & Pater juxtà illud Joan. cap. 21. verſ. 18. *Paſce Agnos meos,* *Joan. 21.*
paſce oves meas, quod Chriſtus cœlos aſcenſurus non dixit Tiberio Romæ imperanti ; ſed Petro in littore piſcanti , igitur ſolius Romani Pontificis eſt univerſali præſidere Eccleſiæ,ſive per orbem diffuſæ, ſive in Concilio Congregatæ , acproinde & Concilio Generali Eccleſiam repræſentanti ; nam dum Chriſtus dixit Petro , & in perſona ipſius, Summis Pontificibus , *Petre paſce oves meas* , idem eſt, inquit D. Chryſoſtomus , ac ſi dixiſſet : *Eſto præpoſitus loco meo,& caput fratrum tuorum* , idcirco quemadmodum Chriſtus ſedet in medio eorum , qoi in nomine ipſius congregantur ; ita etiam Summus Pontifex debet ſedere in medio Epiſcoporom tamquam Judex ſupremus, quia Chriſtus pleniſſimam poteſtatem Petro & ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, dum dixit illi *quodcumque ligaveris ſuper terram erit &c.*
inquit D. Cyrillus Alexandrinus apud Sanctum Tho- *D. Cyrillus*
mam contra errores Græcorom , opuſc. 1. cap. 32. tit. de Romano Pontifice. Idque probat perennis, & antiqua Eccleſiæ Praxis,quâ nedùm conſtat,Petrum præfuiſſe primo Apoſtolorum Concilio pro electione Matthiæ Jeroſolymis habito , & alteri omnium præcipuo, cæterorumque normæ , ibidem celebrato pro determinanda legalium ceſſatione , ut patet ex Act. cap. 15.Sed etiam conſtat, poſt Apoſtolos , Papam cæteris Concilijs per ſe,vel per legatos præfuiſſe, Imperatorem vero , minimè,nec per ſe, nec per alium.

Ad primum Concilium Nicænum contra Ariom celebratum anno CCCXXV. Oſius Epiſcopus Cordubenſis, Vitus, & Vincentius Eccleſiæ Romanæ Presbyteri, miſſi fuerunt à Sancto Silveſtro Papa, ut Præſides, & legati Apoſtolici, & ut tales eos venerati ſunt trecenti ſupra decem & octo Epiſcopi, aut Patres, qui prædicto Concilio ut Judices interfuere & ſubſcripſere, præſente Imperatore Conſtantino, qui in ipſo interfuit ut ſpectator & moderator, non autem ut Præſes, neque ut Judex in cauſis fidei definiendis. Ad Concilium Epheſinum celebratum anno CCCCXXXI. contra Neſtorium, tamquam Vicarij Cæleſtini Papæ, miſſi ſunt D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Arcadius & Projectus Epiſcopi, cum Philippo Presbytero Eccleſiæ Romanæ. In Conſtantinopolitano Generalį VI. præfuit Agatho Papa, per Theodorum & Gregurium Preſbyteros, Joannem Diaconum, & Conſtantium Sobdiaconum.

Tandem nullum eſt Concilium æcumenicum tam occidentale, quàm orientale, in quo non præfuerit Summus Pontifex per ſe, vel per legatos ab ipſo Romano Pontifice miſſos: igitur nedum de jure, ſed etiam ex praxi conſtat, ſolius Summi Pontificis eſſe, præſidere generalibus Concilijs.

§. II.

De ſolutione ad Argumenta Contraria.

Dicunt hæretici, Priora æcumenica Concilia cōvocata fuiſſe ab Imperatoribus, videlicèt Nicænum primum à Conſtantino, ut probat ipſius in eodem Concilio præſentia. Conſtantinopolitanum primum à Theodoſio ſeniore. Epheſinum à Theodoſio Juniore. Et Chalcedonenſe à Marciano, quo non obſtante, eorum Canones obſervat Eccleſia, ideoque ſupponuntur ritè congregata, convocata, pariterque ſupponitur Imperatores habere poteſtatem convocandi Concilia; alioquin eſſent nulla ex defectu legitimæ, & Canonicæ convocationis.

Reſpondeo negando antecedens, nam Nicænum congregatum fuit à Silveſtro Papa, non autem à Conſtantino, ut ipſe teſtatus eſt ejuſdem Concilij Patribus, dicens ſe non Epiſcopos judicare, ſed ab Epiſcopis judicari debere. Si primum locum materialem in eodem Concilio tenuerit, non tenuit ut Judex definiens ea, quæ in Concilio proponebantur, ſed ſolom honoris causâ, non ut Concilij Præſes, aut Judex, ſed ut defenſor, aut tutor, eo quod in ſola Apoſtolica ſede, Deus totius Eccleſiæ poſuit principatum, eique convenit de ſingulis cauſis omnium fidelium judicare, & definire, ut notat gloſſa in Can. *Epiſcopo*.9. quæſt. 3.

Conſtantinopolitanum Concilium convocatum fuit à Damaſo Papa, ut indicant ejuſdem Concilij Patres in Epiſt. ad eumdem Damaſum dicentes: *Mandato literarum à ſuperiori anno, à veſtra Reverentia ad Sanctiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter duntaxat Conſtantinopolim uſque faciendum nos præparavimus.* Epheſinum indictum fuit à Cæleſtino I. ut colligitur ex ipſa Concilij relatione ad Theodoſium Imperatorem miſſa, actione III. ſic dicente: *Antequam hæc Sanctiſſima Synodus conveniret, Cæleſtinus primus, magnæ Romæ Epiſcopus per litteras ſuas indicaverat, & Cyrillo Sanctiſſimo, Deoque dilectiſſimo, magnæ civitatis Alexandriæ Epiſcopo, ut ſuas vices ſubiret, commiſerat.*

Tandem Chalcedonenſe fuit convocatum à Sancto Leone magno, ut patet ex Epiſtola Marciani Imperatoris ad Leonem, quâ rogat ipſum, ut veniat, & ipſe Concilium faciat, vel ſi venire nolit, per litteras ſignificet quid agi velit, conſtat etiam ex ejuſdem Leonis ad Marcianum reſponſione, ubi habetur: *Litteras dedimus ad fratres & Coepiſcopos noſtros, iiſque Concilium generale indicimus.* Unde D. Athanaſius ad ſolitariam vitam agentes arguit Conſtantinum Imperatorem, qui volebat pro rebus definiendis convocare Concilium, dicens: *Si judicium Epiſcoporum eſt, quid cum eo commune habet Imperator?* Quomodo ergo poſſunt hæretici aſſerere, priora æcumenica Concilia fuiſſe ab Imperatoribus convocata; cùm oppoſitum ità evidens ſit ex hiſtoria Eccleſiaſtica? proculdubio ſic arguunt, & falſum ſupponunt, quoniam; cùm ipſis non ſufficiat impugnare jus, volunt impugnare factum, ut faciliùs ſeducant eos, qui hiſtoriam ignorant. *D. Athanaſius.*

Dicunt iterum. Quòd ſi, prædicta Concilia fuerint à Summis Pontificibus convocata, volunt tamen plures Imperatores præfuiſſe Concilijs Generalibus, quorum Canones in univerſa Eccleſia obſervantur utpotè Conſtantinum in Concilio Nicæno primo contra Arium & ejus ſectatores celebratum tempore Beati Silveſtri Papæ. Marcianum in Chalcedonenſi, Theodoſium in Epheſino & ſic de multis alijs, quos hîc afferre, eſt ſuperfluum: igitur non Summi Pontificis, ſed Imperatoris eſt per ſe, vel per alium delegatum præſidere in Concilijs, alioquin Conſtantinus non præfuiſſet Nicæno: erat enim Imperator Religioſiſſimus, & gloriæ Sanctæ ſedis cupidiſſimus, ideoque præſidentiam non ſibi uſurpaſſet, ſi jure divino Summo Pontifici, videlicet Silveſtro debita fuiſſet.

Reſpondeo nullum Imperatorem præfuiſſe authoritativè Concilijs generalibus, quorum Canones fuerunt recepti in Eccleſia, quamvis interdom Imperatores præſentes fuerint, juxtà exigentiam temporum, interfuerunt tantum ad Epiſcoporum pacem conſervandam, & ut omnia recto ordine, & ſine tumultu peragerentur, non vero ad mera Eccleſiaſtica negotia, qualia ſunt fidei & morum decreta ſtatuenda, & judicanda, ut probat præſentia Conſtantini in primo Nicæno Concilio, in quo ipſe Imperator dum diſputabatur, attentè auſcultabat, rumores ſubnaſcentes conſopiebat, ſuum modeſtum ſenſum inſinuabat, & ſingulos amicè alloquebatur, ut refert Euſebius Cæſarienſis lib. 3. vitæ Conſtantini cap. 3. *Reſolvitur adverſatiorum inſtantia.*

Ad rationem adductam, dico quòd eſt vera. Nam ipſe Imperator erat religioſiſſimus, ideoque non violaſſet jura Pontificis. Idem dicere debent hæretici, ſcilicet quòd Summus Pontifex non violaret jura Imperatorum, hoc eſt, in Conciliis non præſideret, ſi ex jure pertineret ad Imperatorem, nec Imperator hujuſmodi violentiam pateretur: ſcimus tamen quòd in Concilio Conſtantinopolitano IV. celebrato anno DCCCLXIX. ſub Adriano II. Romano Pontifice contra Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum (fraudulenter intruſum) pro reſtituendo Sancto Ignatio, perperam, & injuſtè detruſo, præfuerunt ut Legati Adriani, Donatus Epiſcopus Oſtienſis, Stephanus Nepeſinus pariter Epiſcopus, & Maximus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ut conſtat ex ſubſcriptione Donati in fine ejuſdem Concilij. Ubi habetur *Ego Donatus Epiſcopus Oſtienſis, locum obtinens Domini mei Adriani univerſalis Papæ, huic Sanctæ & univerſali Synodo præſidens, omnia quæ ſuperiùs leguntur, promulgavi, & manu propria ſubſcripſi*: Ex quo ſequitur quòd ſi jus præſidendi in Concilijs non pertineret ad Romanum Pontificem, ſed ad Imperatorem, Patriarchæ Conſtantinopolitani numquam cedere, nec dimittere voluiſſent ſuam authoritatem, ut eâ induerent legatos à Papa miſſos, qui ſæpiùs erāt tantum Epiſcopi, aliquando ſimplices Sacerdotes Eccleſiæ Romanæ, & aliquando ſolùm Diaconi, dixiſſent enim quòd non Papæ, ſed Imperatoris eſt præſidere,

& ipſis abſentibus, aut præeſſe nolentibus, ad Patriarchas Conſtantinopolitanos devolvendum eſſe jus præſidentiæ. Scimus tamen quod talia non dixerunt, ideoque non Imperatoris, ſed Papæ eſt præſidere in Concilijs: hinc eſt quòd in Concilijs Jeroſolymis per Apoſtolos celebratis, non Imperator, ſed D. Petrus præfuit, ut conſtat ex varijs locis Actuum Apoſtolorum; igitùr indè concludendum eſt, nedum juris Divini eſſe, ſeu à Chriſto Domino originem habere Sacra Eccleſiæ Concilia, ſed etiam jus præſidendi in ipſis, pertinere ad ſolum Summum Pontificem, qui eſt caput viſibile totius Eccleſiæ Chriſti.

Hanc ipſam reſponſionem probari poteſt ex veteri Teſtamento, quò patet non Imperatores, ſed Summos Sacerdotes præfuiſſe in Concilijs; legimus *2. Paralip. 19.* enim in lib. 2. Paralip. cap. 19. verſ. 11. & 12. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Habetiſque Magiſtros Levitas coram vobis; confortamini, & agite diligentèr, & erit Dominus vobiſcum in bonis.* Quibus conſtat Deum diſtinxiſſe res ſpirituales à civilibus, diverſos aſſignando Judices, temporales ſcilicet aut ſæculares, & ſpirituales, aut Eccleſiaſticos. Et voluiſſe res ſpirituales eſſe judicandas à Summis Pontificibus, civiles verò à Regibus: ideoque non Regum, ſed Summorum Pontificum eſt in Concilijs præſidere, quoniam in ipſis non agitur, niſi de his, quæ ad Deum pertinent, ſeu ad fidem, & ad bonos mores.

Dicent Hæretici, in Concilijs Apoſtolorum præter Apoſtolos & Presbyteros plures interfuiſſe Sæcu- *Reſpõdetur inſtantiæ adverſariorũ.* lares, ſeu Laicos, ut affirmat Sanctus Lucas in lib. Act. Apoſt. cap. 15. dicens. *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores de verbo hoc; tunc placuit Senioribus cum omni Eccleſia*: ergo ex novo Teſtamento, Imperatores ſunt convocandi ad Concilium, & poſſunt judicare de his, quæ pertinent ad Deum.

Reſpondeo, Laicos interfuiſſe Concilijs ſolùm ut audientes, & conſentientes, non verò ut Judices, nec ut Conſultores, ut patet, etenim Lucas introducit tantùm Petrum, Paulum, Barnabam, & Jacobum loquentes, ut appareat, ſolos Apoſtolos fuiſſe Judices, & habuiſſe vocem deciſivam: *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum.* Et verſu ſequenti ſubditur, *& poſtquam tacuerunt reſpondit Jacobus dicens: viri Fratres audite me*: ergo Laïci non adfuerunt Concilijs eo titulo, quô adfuerunt Apoſtoli, id eſt, ut Judices, acproindè nulli Laïco, tribui poteſt jus præſidendi in Concilijs, ſed ſolum Summo Pontifici, qui ſupremus Dei Vicarius eſt, ſuper omnia in ſpiritualibus, & qui contrarium dicit mentitur, inquit Baldus celebris Interpres Juris.

ARTICULUS IX.

Aſſerit contra Aerianos, Sacerdotes non eſſe æquales Epiſcopis.

ANno Chriſti CCCXLII. Imperante Conſtantino Magno, & Eccleſiam Dei regente Julio I. *Aerius.* Aerius vir quidam Euſtachij Sebaſtæi in Armenia Præſulis Condiſcipulus, & æqualis, cùm eſſet Presbyter, ægrè ferens non poſſe ſe Epiſcopi dignitatem aſſequi, in Arianam tranſijt hæreſim, & ut conſolaretur ſe Epiſcopum factum non fuiſſe, excogitavit *Marſilius Paduanus.* non diſtingui à Presbytero niſi prædeſtinatione hominum: hæreſique Arianæ de ſuo addidit, Epiſcopis eſſe æquales Presbyteros, ut referunt D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 53. Et D. Damaſcenus hæreſ. LXXV. quamvis Philaſtrius de illo loquens hoc illi non tribuat.

Eumdem errorem ab inferis ſuſcitavit poſteà, ſcilicet anno MCXVII. Henrico V. Imperatore, & *Uvaldenſes* Paſchali Papa hujus nominis II. Marſilius Paduanus qui, teſte Alpharo, lib. 1. de planctu Eccleſiæ, Ar- *Vuicleffus* tic. 68. dixit; Epiſcopum à Presbytero nullâ differentiâ diſcernendum eſſe, nullumque fore inter Sacerdotes diſcrimen, nec ullum eſſe alio poteſtate eminentiorem.

Huic Hæretico adhæſerunt Uvaldenſes, & Joannes Vuicleffus, qui teſte Thoma Uvaldenſi in doctrinali Fidei antiquæ. Tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 60. ait: Joannem Vuicleffum ambijſſe Epiſcopatum Vigorienſem, quem tamen non fuit aſſecutus, & ideò contemnere cœpit, quod prius anxiè deſideraverat, dicendo, Epiſcopatum nullatenus eſſe Sacerdotiò altiorem Dignitate, & Juriſdictione. Volebat enim Epiſcopum eſſe in Epiſcopatu primum ſola ordinis prioritate.

Joanni Vuicleffo adhæſit Martinus Lutherus, qui *Lutherus.* in Libello quodam, quem compoſuit contra falſa nomina, inquit: *Epiſcopi ſunt indoctæ larvæ Papales, quæ non ſolum ad veritatem opprimendam creatæ ſunt, ſicut & Creator ipſorum, ideo deleri debet Epiſcoporum regimen, & devaſtari Epiſcopatus.* Et in lib. de captivitate Babylonica ait: *Omnes quotquot baptizati ſumus, æqualiter Sacerdotes ſumus, & quilibet Laicus poteſt Eccleſias conſecrare, pueros confirmare &c.* In hoc enim loco non ſolùm Sacerdotes, ſed etiam Laicos dicit eſſe pares Epiſcopis, ut notat noſter Alphonſus à Caſtro hæc ipſa verba Lutheri referens lib. 6. adverſus hæreſes, verbo: *Epiſcopus.* Ex hoc errore manifeſtè patet, errorem Lutheri eſſe pejorem, errore Aerij.

Lutherum & alios Hæreticos ſecutus eſt Joannes Calvinus, qui lib. 4. Inſtitut. cap. 4. ait: *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros, illi ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialitèr dabant titulum Epiſcopi, nè ex æqualitate, ut fieri ſolet, diſſidia naſcerentur, neque tamen ſic honore, & dignitate ſuperior erat Epiſcopus, ut dominium in collegas haberet, ſed quas partes habet Conſul in Senatu; ut referat de negotijs, & exequatur quod Decretum eſt ex communi Conſilio, id muneris ſuſtinebat Epiſcopus in Presbyterorum cœtu, atque idipſum pro temporum neceſſitate fuiſſe humano conſenſu inductum fatentur ipſi veteres.* *Calvinus.*

§. I.

De Rationibus contra Hæreticos.

HUnc errorem damnavit Concilium Hiſpalenſe II. celebratum anno Domini DCXIX. ſub Bonifacio V. cui interfuit Beatus Iſydorus. In hoc *Concilium Hiſpalenſe.* quidem Concilio cap. 17. Decretum fuit, ſolos Epiſcopos poſſe Sacramentum Confirmationis conferre, & nullum Presbyterum, poſſe alium in Presbyterum, aut Diaconum ordinare. Quod ſi ordinare attentaverit aliquis Presbyter, ejus ordinationem decernit eſſe nullam, & eſſe neceſſario iterandam ab Epiſcopo, ut ſic ordinatus poſſit aliquid exercere. Apoſtoli erant digniores Diſcipulis, ſed Epiſcopi tenent locum Apoſtolorum in Eccleſia, Presbyteri verò aliorum Diſcipulorum, ut teſtantur Sanctus Clemens Epiſt. 1. Sanctus Anacletus ad Epiſcopos Italiæ Epiſtola 2. relatus in can. *in novo Teſtamento.* diſt. 21. ergo Epiſcopi ſunt ſuprà Presbyteros, & ipſis digniores. Idem *Conſtantienſe.* decrevit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. ult. in quo Epiſcopus dicitur major Presbytero, & diverſus Miniſter, ut prius Decretum fuerat in lib. 2. conſtitut. Apoſtolic. cap. 58.

Tandem articulus noſter fuit definitus in Concilio

Trident. ſeſſ. 23. de Sacramento Ordinis can. 7. ubi legitur : *Si quis dixerit , Epiſcopos non eſſe Presbytero ſuperiores , vel non habere poteſtatem confirmandi , & ordinandi : vel eam , quam habent , illis eſſe cum Presbyteris communem ; vel ordines ab ipſis collatos ſine populi , vel poteſtatis Secularis conſenſu , aut vocatione , irritos eſſe , aut eos , qui nec ab Eccleſiaſtica & Canonica poteſtate ritè ordinati , nec miſſi ſunt , ſed aliundè veniunt , legitimos eſſe verbi , & Sacramentorum Miniſtros ; anathema ſit* : Indè enim etiam conſtat , Epiſcopos eſſe ſuperiores , & altiores Presbyteris tam in juriſdictione , quàm in dignitate. *Tridentin.*

1. Timot. 5. Eamdem veritatem prædicat Apoſtolus 1. ad Timot. cap. 5. verſ. 19. dicens illi : *Adverſus Presbyterum, accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus , aut tribus teſtibus.* Indè quidem conſtat, nedum Sacerdotem eſſe Laïco digniorẽ ob pluralitatem teſtium, quos requirit Paulus ut Presbyter judicetur , ſed etiam Epiſcopum eſſe Presbytero majorem , & juriſdictione ſuperiorem ; cùm declaret , Timothæum Epheſi Epiſcopum , eſſe Judicem Presbyterorum. Ad quid enim (ut notat Sanctus Epiphanius) Timothæo commendaſſet Paulus adverſus Presbyterum accuſationem non recipere ſine duobus , aut tribus teſtibus, ſi Presbyterum juriſdictionem non ſuperaret Epiſcopus ? cùm ſolius Superioris ſit judicare inferiorem, & qui ab alio judicatur , inferior eô ſit. Certum enim eſt quòd qui probat Chriſtum conſtitutum fuiſſe à Deo Judicem vivorum & mortuorum , probat utique Chriſtum eſſe ſuperiorem & digniorem omnibus hominibus : idcircò Paulus declarans, Timothæum Epheſi Epiſcopum , Judicem eſſe Presbyterorum , declarat ipſum eſſe Charactere ſuo ſuper Sacerdotes.

Idem oſtendit Tito Cretæ Epiſcopo cap. 1. verſ. 5. ubi ait : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ , ut ea , quæ deſunt corrigas , & conſtituas per civitates Presbyteros , ſicut , & ego diſpoſui tibi.* Sanè hoc non dixiſſet Paulus , ſi Titum ut Epiſcopum, non judicaſſet, eſſe jure Divino Presbyteris , juriſdictione , & ordinis poteſ- *Ad Titum. 1* tate majorem ; cùm ex conſtitutionibus Apoſtolicis , certum ſit , nullum eſſe ſimplicem Sacerdotem , ſeu non Epiſcopum , qui Presbyteros conſtituendi , ſeu conſecrandi poteſtatem habeat. In ſolis Epiſcopis eſt & ſemper fuit hæc poteſtas. Hinc eſt , quòd ſi Titus habuerit poteſtatem conſtituendi , ſeu conſecrandi Presbyteros ; erat Presbyteris major. Nam ſi Titus Cretæ Epiſcopus , non fuiſſet major Presbyteris , non illi deſideraſſet majores virtutes , & perfectiones , quàm Presbyteris. Nec dixiſſet ſtatim : *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe , ſicut Dei diſpenſatorem.* Quoniam illi, quos per civitates conſtituiſſet Presbyteros, fuiſſent Epiſcopi ſicut Titus , eiſque commendaſſet ea , quæ commendavit Tito Epiſcopo Cretenſi , cùm habuiſſent eamdem dignitatem , eademque Miniſteria functuri fuiſſent , ideoque non dixiſſet , *oportet Epiſcopum eſſe , ſed oportet Epiſcopos eſſe* , nec diſtinxiſſet Titum in ordine obligationum à Presbyteris , eidem quippè ordini eadem incumbit obligatio , ſed Apoſtolus diſtinguit Titum, eique plura majora commendat , quàm Presbyteris , & majorem tribuit poteſtatem ; igitur vult, Presbyteros non eſſe æquales Epiſcopis.

Vetus Teſtamentum docet eamdem veritatem, ex ipſo enim inferre licet , Epiſcopos eſſe altiores Presbyteris , quoniam teſte Paulo 1. ad Corint. cap. 10. *1. Corint. 10* verſ. 10. in eis fuerunt quædam figuræ eorum, quæ futura erant in Lege Evangelica. Undè cùm Aaron fuerit Summus Sacerdos , filij autem ejus minores Sacerdotes , diſtinctaque habuerit in veteri Lege ornamenta Summus Sacerdos qui intrabat in Sancta Sanctorum. Quod alijs Sacerdotibus non erat licitum, ut conſtat in lib. Levit. neceſſè eſt quod in nova Lege , quæ eſt antiquâ longè perfectior , & Sanctior , Summi Sacerdotes , ſeu Epiſcopi (quibus commiſſa fuit animarum cura) diſtinguantur à Sacerdotibus minoribus , ſeu Presbyteris , & habeant juriſdictionem, ſeu authoritatem ſuper illos , necnon dignitatem præeminentem , qualem Apoſtoli habebant ſuper Diſcipulos , cùm Epiſcopi teneant in Eccleſia locum Apoſtolorum , & Presbyteri locum Diſcipulorum , ut declarat Urbanus Papa II. relatus in can. *Quorum vices* , diſt. 68. ubi legitur : *Quorum vices in* *Urbanus* *Eccleſia habeant Epiſcopi ; & quis eis hanc dignitatem da-* *Papa.* *re debeat (Sanctus Auguſtinus oſtendit inquiens : pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij ? Patres miſſi ſunt Apoſtoli , pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi , conſtituti ſunt Epiſcopi , hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum : unde nati ſunt :) ipſa Eccleſia Patres illos appellat , ipſa illos genuit , & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum , non ergo te putes deſertam : quia non vides Paulum , non vides Paulum , quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi crevit Paternitas : pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij (conſtitues eos principes ſuper omnem terram) filios genuit Eccleſia conſtituit eos pro Patribus ſuis principes ſuper omnem terram* : Quibus verbis conſtat , Epiſcopos , non autem Sacerdotes, eſſe ſucceſſores Apoſtolorum , quibus Chriſtus dixit , Matt. 18. verſ. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis , & quæcumque ſolveritis ſuper terram ,* *Matth. 12* *erunt ſoluta & in cælo* , acproinde poteſtas Epiſcoporum eſt major poteſtate Presbyterorum. Non iſtis , ſed illis Chriſtus dixit : *ſicut me miſit vivens Pater , & ego mitto vos.* Hæc quidem nobilior miſſio majorem in Epiſcopis deſignat authoritatem ratione characteris.

Præterea poſt receſſum Judæ proditoris , ut reſtitueretur duodenarius numerus , Apoſtoli elegerunt Matthiam, non abſque ſolemni ceremonia , licet anteà ipſe Matthias fuiſſet ex Diſcipulis , ut conſtat ex teſtimonio Petri , Act. 1. verſ. 21. ergo Apoſtoli erant majores Diſcipulis. Et Epiſcopi majores ſunt ſimplicibus Sacerdotibus ; alioquin non elegiſſent cum tanta ſolemnitate Diſcipulum Matthiam, ut numeraretur cum undecim Apoſtolis. Nec ad ordinem ſuperiorem aſcendiſſet ipſe Matthias, ſi ut Diſcipulus, fuiſſet æqualis Apoſtolis.

Non parum juvat hìc afferre rationem D. Thomæ, *D. Thomas.* qui reſolvens quomodo Epiſcopi ſecundum majorem perfectionem , Chriſtum repreſentent, inquit , quòd ſicut omnium rerum naturalium perfectiones præexiſtunt exemplariter in Deo , ità & in Chriſto præexiſtunt omnia officiorum Eccleſiaſticorum exemplaria , ità ut unuſquiſque Eccleſiæ Miniſter Typum Chriſti ad aliquid gerat , ea tamen diverſitate , ut ille ſit ſuperior , dignior , & major in Eccleſia Dei , qui ſecundum majorem perfectionem Chriſtum repreſentat. Hæc autem major perfectio non à Sacerdote , ſed ab Epiſcopo repreſentatur , nam Sacerdos repreſentat Chriſtum in hoc , quod per ſeipſum aliquod Miniſterium implevit, quale eſt Miniſterium Conſecrationis , Baptiſmi , Prædicationis &c. Sed ſolus Epiſcopus , præciſe ut talis , repreſentat Chriſtum in hoc, quod alios Miniſtros inſtituit & Eccleſiam fundavit. Unde inquit idem Sanctus Doctor in 4. diſt. 24. quæſt. 3. art. 3. ad Epiſcopum pertinet mancipare aliquid divinis obſequijs, quaſi cultum divinum, ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuens , & propter hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter ſponſus Eccleſiæ dicitur, ſicut Chriſtus; itaque Epiſcopi, qui ſecundum majorem perfectionem repreſentant Chriſtum, quàm Sacerdotes, debent eſſe ipſis Sacerdotibus majores, & perfectiores. Imo eorumdem Sacerdotum ſuperiores, quia ipſis Epiſcopis commiſſa fuit cura, aut gubernatio Eccleſiæ, & dictum fuit : *attendite vobis &*

univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, idcircò habent poteſtatem in Sacerdotes qui ſunt in eo grege; cùm cura, aut gubernatio importet juriſdictionem.

Deinde Epiſcopi plura poſſunt ſuper Sacerdotes, ſcilicet Clericos ordinare, Virgines benedicere, Eccleſias conſecrare, non conſuetudine Eccleſiæ, nec tolerantiâ ſimplicium Sacerdotum, ut voluit Vuicleffus, ſed ex vi characteris Epiſcopalis, & inſtitutione Chriſti, qui illis in perſona Apoſtolorum dedit hanc poteſtatem, quam non dedit Diſcipulis ſuis, quorum ſucceſſores ſunt Presbyteri, ut expreſſè declarat Anacletus Papa & Martyr, qui quartus à Beato Petro Apoſtolo rexit Eccleſiam Catholicam, dicens in Epiſtola de Patriarchis, Primatibus, ac reliquis Epiſcopis: *Fratres Sacerdotum ordo bipartitus eſt, & ſicut Dominus illum conſtituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem a Domino, Apoſtolos eſſe electos, & conſtitutos, & poſtea per diverſas provincias ad prædicandum diſperſos, cùm verò meſſis cœpiſſet creſcere, videns paucos eſſe operarios, ad eorum adjumentum, ſeptuaginta eligi præcepit Diſcipulos: Epiſcopi vero Domini Apoſtolorum, Presbyteri quoque ſeptuaginta Diſcipulorum, locum tenent:* ergo id quod Epiſcopi habent ſupra Sacerdotes, non habent illud ex tolerantia Sacerdotum, nec ut toleretur ſchiſmatis, & diſſidij occaſio, ut volunt Hæretici, ſed ex officio & ordine Epiſcopali, cùm à Chriſto fuerint electi, conſtituti, & miſſi in perſona Apoſtolorum, ac proindè Sacerdotes nequeunt eſſe æquales Epiſcopis.

Anacletus Papa.

§. II.

Evelluntur Hæreticorum fundamenta.

Prima hæreticorum ratio.

AErius articulum noſtrum impugnat authoritate Apoſtoli ad Philipp. cap. 1. ubi habetur: *Paulus & Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus &c.* Ibi enim Paulus nullam differentiam ponit inter Epiſcopos, & Presbyteros, cùm utroſque eodem nomine vocet, velitque Sacerdotes eſſe Epiſcopis æquales. Quod verum eſſe patet ex proprijs terminis, nam Philippis eſt urbs in Macedonia, in qua certò non plures, ſed unus tantum erat Epiſcopus, quem non nominat (ſed juxtà Theodoretum, erat hujus Epiſtolæ Lator, videlicet Epaphroditus:) ergo quia loquebatur pluribus Epiſcopis Philippis reſidentibus, certum eſt quòd per Epiſcopos intelligebat Sacerdotes, aut dicendum eſt quòd in hac civitate erant plures Epiſcopi. Quòd eſt falſum; numquam enim duo fuerunt in una ſede Epiſcopi, nec in uno ovili duo fuerunt Paſtores: inde, inquit Aerius, ſequitur quòd Sacerdotes juxtà mentem Apoſtoli, ſunt æquales Epiſcopis.

Addit aliam authoritatem ejuſdem Apoſtoli dicentis ad Majores natu Eccleſiæ Epheſinæ, Act. cap. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, ubi per Epiſcopos intelligit etiam Presbyteros; alioquin Epheſi fuiſſent plures Epiſcopi propriè dicti. Quòd eſt falſum; ideoque loquebatur Epiſcopo, & Sacerdotibus Epheſi reſidentibus, abſque ulla differentia. Et conſiderabat eos æquales Epiſcopo in regenda Eccleſia Dei.

Altera eorundem ratio.

Reſpondeo, Apoſtoli authoritatem non nocere, nec Sacerdotes Epiſcopis æquales eſſe. Nam licet hæc duo nomina, *Epiſcopus*, & *Presbyter* tempore D. Pauli, eſſent omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quàm minoribus, videlicet Presbyteris, & Epiſcopis, aut tam Diſcipulorum, quàm Apoſtolorum ſucceſſoribus communia, & promiſcuè utriſque tributa majoribus, ſcilicet quos vocamus Epiſcopos propriè dictos. Et minoribus, quos Presbyteros dicimus, res tamen nomine Epiſcopi ſignificata, non erat ſimplici Sacerdoti, & Epiſcopo communis, nam ipſorum ordines, & juriſdictiones diſtinguebantur: quamvis in aliquo conveniret. Etenim Sacerdotes erant æquales Epiſcopis in poteſtate conſecrandi corpus Chriſti, & abſolvendi à peccatis, quam recipiunt in ordinatione; ſed erant impares, & inferiores Epiſcopis, quatenus non habebant poteſtatem ordinandi, ſeu conſecrandi Eccleſiæ Miniſtros, & adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis. Undè fit quòd Paulus ob hanc miniſtrandi, & conſecrandi Hoſtiam, & abſolvendi à peccatis poteſtatem, necnon ob conſortium in regenda Eccleſia, nomen Epiſcopi modò majoribus, modò minoribus Sacerdotibus tribuat, quamvis Epiſcopos juriſdictione, & ordinis poteſtate majores agnoſcat: igitur Apoſtolus non facit Sacerdotes æquales Epiſcopis, licet eos Epiſcopos vocet. Nec vult hæc duo nomina, Epiſcopum ſcilicet & Presbyterum, eamdem rem ſignificare, cùm in lib. Act. cap. 15. habeatur quòd orta Antiochiæ ſeditione propter Judæos volentes gentes ad Deum converſas circumcidi, miſſum fuit ad Apoſtolos & Presbyteros in Jeruſalem ſuper hac quæſtione.

Reſponſio ad rationem. hæreticorum

Ratio ob quam indifferenter loquebantur de Presbyteris, & Epiſcopis eſt, quia tempore Apoſtolorum, non tam authoritate, & Juriſdictione diſtincta ac diviſa, quàm communi Presbyteri conſilio, labore, & zelo ſimul cum Epiſcopis regebant Eccleſiam Dei, nam inter Sacerdotes, & Epiſcopos tunc erat cor unum, & anima una: unde Presbyteri dicebantur Epiſcopi, id eſt, Inſpectores, & morum populi Correctores; non quòd Epiſcopi propriè dicti dignitatem & poteſtatem haberent, ſed quòd cum Epiſcopo, & de illius conſenſu Eccleſiam regerent: nam Epiſcopi nomen propriè ſumptum convenire poteſt illi; qui præficitur alijs, & cui convenit aliorum cura, eſtque Superintendens, ut obſervat D. Auguſtinus relatus in Can. *Qui Epiſcopatum*, cauſæ 8. quæſt. 1. ubi ait, quòd *Epiſcopus*, eſt dictio Græca, & compoſita ab *Epi* voce Græca quæ idem ſignificat ac Latine *ſuper*, & ab *ſcopus* quæ eſt etiam vox Græca, quæ idem ſignificat ac Latinè *intentio*, & ità Epiſcopus tantum valet ac *Superintendens*, & ideo nomen illud poteſt tribui illi, qui præficitur alijs, & eorum curæ ſuperintendere debet, quamvis non habeat tales prærogativas & dignitates, quales habent ſucceſſores Apoſtolorum, ſeu Epiſcopi, ac proindè Apoſtolus temporis ſui Sacerdotes meritò vocavit Epiſcopos, quamvis non eſſent Epiſcopi propriè dicti, ſicut Epiſcopi in Sacra Scriptura ſæpè dicuntur Angeli, quia cuſtodiunt animas, quas etiam cuſtodiunt Angeli: quamvis Epiſcopi non ſint propriè, nec verè Angeli. Sed paulo poſt, ipſo etiam tempore Apoſtolorum, cùm creſceret Eccleſia, & Presbyteri abuterentur illa authoritate cum Epiſcopo communi, facerentque Schiſmata, & ſeditiones in populis, ità ut diceret unus: *Ego ſum Cephæ:* alter, *ego Pauli*, & alius, *ego Apollo*, ipſiſque Epiſcopis æquari vellent, ac ſi fuiſſent Epiſcopi propriè dicti, & veri ſucceſſores Apoſtolorum; neceſſe fuit pro bono Eccleſiæ regimine, eis oſtendere, Epiſcopos habere jure divino curam Eccleſiæ, tenore hujus miſſionis: *Euntes in univerſum mundum, docentes &c.* habere paritèr ſuper omnes animas poteſtatem, & juriſdictionem Chriſti, his verbis: *quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque &c.* ex quo ſequitur, Epiſcopos eſſe Presbyteris majores. Quare Sanctus Ignatius ſcribens ad Smirnenſes, ait: *Presbyteri ſubjecti eſtote Epiſcopis.* Nullus Hæreticus poteſt teſtimonium illud rejicere tamquam novum, nec dicere quòd fuit inventum contra Aerium; cùm ipſe

D. Auguſt.

D. Ignatius.

Sanctus Ignatios Martyr, Sancti Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus, è vivis raptus fuerit anno CXI.

Dicent D. Hieronymum Aerio poſteriorem tempore, exponentem illum locum Apoſtoli ad Titum: *Hujus rei gratia reliqui te Creta* &c. dixiſſe: *ergo idem eſt Presbyter qui Epiſcopus &c.* igitur diſtioctio Epiſcoporum à Sacerdotibus nequit ex inſtiturione Chriſti provenire, quia numquam Sacerdos vocatus fuiſſet Epiſcopus, ſed ex ordinatione Eccleſiæ, quæ quoſdam Sacerdotes ſuper alios voluit extollere, & Epiſcopos vocare, ut Presbyterorum juriſdictioni detraheret.

Reſpondeo, tempore D. Hieronymi, ſcilicet circa finem quarti ſæculi (nam D. Hieronymus natus eſt anno CCCXIX. & obijt CCCCXX.) Presbyteros dici Epiſcopos, quia tunc nondum facta erat vocabulorum diſtinctio. Nec tamen ex hoc ſequitur quòd Sacerdos idem protſus fuiſſet, ac Epiſcopus, ut ex dictis facilè colligitur. Nec in hoc mens Eccleſiæ fuit Sacerdorum juriſdictinni aut dignitati detrahere, ut putant Hæretici, ſed rei veritatem oſtendere, & unicuique quod ſuum eſt, tribuere. Unde D. Hieronymus loco laudato non affirmat, Sacerdotem eſſe æqualem Epiſcopo, ſed tali nomine utebatur, ſeo aliquando vocabat Presbyteros, Epiſcopos, propter quamdam convenientiam, quam Sacerdos habet cum Epiſcopo in exercitio Miniſterij. Nam Epiſt. ad Evagrium, ait: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non facit?* Ergo non vult Sacerdotem eſſe propriè Epiſcopum; cùm Sacerdos non poſſit conferre ordinis Sacramentum, quod confert Epiſcopus.

D. Hieron.

Inſtabunt: Si tempore D. Hieronymi vocabulorum ſignificationes erant communes, ità ut Sacerdos diceretur Epiſcopus, certum eſt quod ex Sacra Scriptura non poſſumus inferre, Epiſcopos diſtingui à Sacerdotibus, neque eſſe ipſis majores, aliàs D. Hieronymus non vocaſſet Sacerdotes, Epiſcopos. Quia verſatiſſimus erat in Sacra Scriptura.

Reſpondetur, Inſtantiam eſſe falſam; ſcimus enim ex Sacra Scriptura Apoſtolos, & Epiſcopos eorum ſucceſſores, alios ordinaſſe in Sacerdotes. Et non legimus, Diſcipulos, quorum ſucceſſores ſunt Sacerdotes, ordinaſſe alios in Sacerdotes: igitur ex Sacra Scriptura colligitur, Epiſcopos eſſe ſupra Sacerdotes, & ipſis digniores ex inſtitutione Chriſti, à quo receperunt poteſtatem conferendi Sacerdotium, quam non receperunt Diſcipuli, quamvis propter curam, quam habebant, dicerentur Epiſcopi, ſeu Superintendentes, ut monui ſuprà. Nec erravit D. Hieronymus vocando Sacerdotes, Epiſcopos, quia non attendebat penitùs Scripturæ, ſed curæ, ac ſollicitudini Sacerdotum, & modo, quo tunc loquebantur omnes de Miniſtris Eccleſiæ.

Explicatur mens Divi Hieronymi.

ARTICULUS X.

Affirmat adverſus Rethorianos, extrá Eccleſiam Romanam, non eſſe veram Salutem.

PHilaſtrius Brixienſis refert, quoſdam viros Hæreticos, quos vocat Rethorianos, à Rethorio quodam, docuiſſe in Ægypto, quemlibet hominem poſſe ſalvari in ſua Eccleſia, ſeu in ſua religione, modò in ipſa bene vivat, ſive Judæus ſit, ſive Paganus, ſive Sarracenus: approbabant enim cunctas Hæreſes, Hæreticos omnes laudabant, & ex ijs nullum errare in fide Chriſti aſſerebant. Putabant etiam bené ſentire omnes. Hujus Hæreſis authoris, ſcilicet Rethorij conditio & tempus non referuntur apud Philaſtrium, nec apud D. Auguſtinum, cui hæc Hæreſis tàm ſtulta, rectæque rationi diſſona viſa eſt, ut in ſuo Libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum, Hæreſ. 72. impoſſibile eſſe dixerit, ut quis ſanæ mentis compos, hoc ſentire poſſit. Juſtum quidem eſt hoc D. Auguſtini judicium, quia Hæreſes ſunt inter ſe contrariæ, aut contradictoriæ: ſalus autem habetur per obſervantiam præceptorum, quæ uniformia ſunt.

Rethoriani.

Alphonſus de Caſtro lib. 9. adverſus Hæreſes, verbo, *Lex*, Hæreſ. 3. fatetur, nullum hucuſque inveniſſe hujus Hæreſis Patronum, ſed ex relatione aliorum ſcire, & præſertim ex Joanne de Turre Cremata illi non defuiſſe Tutorem, Sed miror virum doctiſſimum nolle hanc Hæreſim tribuere Rethorianis de quibus loquitur in lib. 7. littera, *Hæreticus*, ubi ait: *fuerunt quidam adeo dementes, ut dicerent omnes Hæreticos bene ſentire, quam ſententiam aſſeruerunt quidam Rethorij*, nam aſſerere quòd omnes Hæretici bene ſentiunt, videtur mihi idem, ac dicere, quòd omnes Hæretici bené credunt, & ideò quòd Ariani, Pelagiani, Mahometani, Lutherani, Calviniſtæ, & alij ſunt in vera fide, ac proindé quòd quilibet ſalvatur in ſua Religione, ſi bené vivat, hoc eſt, juxta regulas, & inſtitutionem Religionis, aut Sectæ ſuæ: quamvis ſit extra Eccleſiam Romanam; ergo ſalva tanti viri reverentia, exiſtimo quòd illi de quibus Joannes de Turre Cremata loquitur, tacito nomine apud ipſum Alphonſum, qui dicebant, quemlibet hominem in ſua Lege poſſe ſalvari, ſi illam benè ſervaverit, ſunt Rethorii, ſive Rethoriani, qui ſolitò Hæreticorum omnium Patroni dicuntur, quia credunt, quamlibet Religionem aperire viam ad Cœlum.

Quidam Hæretici ex Luthero exorti, qui Adiaphoriſtæ dici voluerunt, ſeu Indifferentes, quia dicebant, indifferens eſſe ad ſalutem ſervare, vel non ſervare Leges & Conſtitutiones Eccleſiæ, & Conciliorum. Et pacis aut tranquillitatis cauſâ, unumquemque poſſe ſe conformem facere ſuis Legibus Civilibus in cauſa Religionis. Quòd eſt admittere ſalutem extrà Eccleſiam, & aſſerere hominem ſalvari poſſe in qualibet Religione. Adiaphoriſtæ (inquit idem author) fuerunt Vuitembergenſes qui ſic vocati fuere poſt mortem Lutheri, cujus Secta in duas diviſa fuit, nam alij dicti fuerunt Adiaphoriſtæ ob rationem allatam. Et alij Interimiſtæ, quia interim Auguſtanum ſectari voluerunt anno MDXLVIII.

Adiaphoriſtæ.

§. I.

Statuitur veritas Catholica.

HAnc Hæreſim damnavit Concilium Lateranenſe generale, celebratum ſub Innocentio III. declarans quod una eſt fidelis Eccleſia, extrà quam nullus omnino ſalvatur, ut facilè videri poteſt in cap. *firmitér*, de Summa Trinitate, & fide Catholica § *una*: Eamdem declarationem dedit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. ult. ut teſtatur & refert Eminentiſſ. Cardin. noſter de Laurea in Epitom. Canonum verbo, *Eccleſia*. Ubi pro eadem veritate firmanda, refert etiam Concilium Senonenſe cap. 1. Sunt aliæ authoritates in Jure Canonico, quibus probatur contra Rethorianos, & alios, qui Rethorianis pejores ſunt, extra Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam, nullam eſſe ſalutem, ſed eas hìc omitto, quoniam infrà nonnullas ducemus, ut citiùs Scripturæ Sacræ Argumentis, Rethorios, ſive Rethorianos, & alios extrà fidem Eccleſiæ viventes convincamus, extrà Eccleſiam, nullam eſſe ſalutem.

Lateranenſe. *Conſtantienſe.* *Senonenſe.*

Paulus in Epiſt. ad Heb. cap. XI. hanc ipſam veritatem expreſſè docet, ibi enim firmitèr teſtatur quòd ſine fide, impoſſibile eſt placere Deo, id eſt, quòd homo ſine fide nequit adipiſci vitam æternam, ſeu ſalvari. Neque poteſt ab Hæreticis rejici illud Pauli

Hebr. 11.

Digitized by Google

teſtimonium, quia fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium, idcircò qui non credit, non ſperat; & qui non ſperat ea, quæ Deus promiſit, diſplicet Deo, ideoque nequit intrare in regnum cœlorum, alioquin in cœlo poſſet eſſe aliquis diſplicens Deo. Quòd eſt falſiſſimum; cùm Dominus ſit Rex gloriæ & regni cœleſtis, in quo nullus poteſt eſſe homo, niſi ſit amicus Dei, hoc eſt, Deo gratus, Juſtus, & Sanctus, quoniam, Chriſto ſic atteſtante, nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. Hæc autem fides ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, eſt fides Chriſti, nam eſt ea, quæ definitur: ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium, eſt fides quâ intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus, viſibilia fierent. Quâm plurimam Hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, quâ Enoch tranſlatus eſt nè videret mortem, quâ Noë reſponſo accepto de ijs, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit Arcam in ſalutem domus ſuæ, quàm damnavit mundum, & inſtitutus eſt Hæres, quâ Sara ſterilis virtutem in Conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat,

Tandem hæc fides ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, eſt ea, cujus augmentum deſiderabant Apoſtoli dicentes: *Domine adauge nobis fidem*, atqui hæc fides omninò neceſſaria ad ſalutem, non eſt in Religione, aut in ſecta Arianorum, qui credunt Verbum Divinum eſſe creaturam, licet Chriſtus declaret ſe eſſe Deum, dum dicit, *Ego & Pater unum ſumus*. Nec in Religione Sabellianorum, qui negant in Deo eſſe tres Perſonas, licet Chriſtus dicat ſe habere Patrem, & Spiritum Sanctum à Patre procedere. Nec in Religione Pelagianorum dicentium, gratiam eſſe ſuperfluam ad conſequendam vitam æternam: quamvis Chriſtus teſtetur quòd ſine ipſo nihil poſſumus facere. Nec in Religione Euthychianorũ & aliorum dicentium Chriſtum non eſſe verũ Deum, aut non eſſe verum hominem non obſtantibus teſtimonijs, quibus Chriſtus dicitur verus Deus, & verus homo. Nam ſi hæc fides prorſus neceſſaria homini ut ſalvetur, ſit in una ex his Religionibus, non eſt in alia, quia fides eſt una ex Apoſtolo, acproindè illi, qui vivunt in Religione, in qua non eſt hæc fides, non poſſunt ſalvari. Hæc autem fides eſt in Eccleſia Romana dumtaxàt, ut conſtabit ex dicendis: ergo nullus extrà Eccleſiam exiſtens, poteſt placere Deo, nec conſequi vitam æternam, cùm non habeat fidem Chriſti, quæ eſt in ſola Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ſupra quam, & ex qua conſurgit ſpes futuræ Beatitudinis, juxtà illud Apoſtoli ad Corint. 1. cap. 3. dicentis: *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: quòd gloſſa ordinaria interpretatur de fide Chriſti, quæ per dilectionem operatur, & per quam ipſe Chriſtus habitat in cordibus noſtris.

In ſola Eccleſia Chriſti eſt vera ſalus.

1. Corint. 3.

Dicent forſan Hæretici, quamlibet Religionem, ſeu Eccleſiam eſſe Eccleſiam Chriſti, acproinde quemlibet hominem poſſe ſalvari in ſua Religione, ſeu Lege, ſi eam ſervet, ſeu in illa benè vivat.

Falſa eſt hæc reſponſio, quia omnis Eccleſia non eſt Eccleſia Chriſti; aliàs Propheta Regius non diceret Pſal. 25. verſ. 5. *adivi Eccleſiam malignantium, & cum Impijs non ſedebo*. Sed ſolum ea, quæ ſupra Petrum ædificata fuit, juxtà illud Matth. 16. verſ. 18. in quo ſcimus Chriſtum, Petro reſpondenti: *Tu es Chriſtus Filij Dei vivi*, dixiſſe: *ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hæc autem Eccleſia fundata ſupra firmam Petram, ſeu ſupra Petrum, eſt Romana, ut declaratum manet in can. *Rogamus* 24. quæſt. 1. ubi legitur Marcellum Papam ſic ſcripſiſſe univerſis Epiſcopis per Antiochiam conſtitutis; *Rogamus vos, Fratres, ut non aliud doceatis, neque ſentiatis quàm quod à Beatò Petro Apoſtolo & reliquis Apoſtolis & Patribus accepiſtis; ab illo enim primo inſtructi eſtis. Ideo non oportet vos proprium relinquere Patrem, & alios ſequi: ipſe enim caput eſt totius Eccleſiæ, cui ait Dominus; tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Ejus enim Sedes primitùs apud vos fuit, quæ poſtea jubente Domino; Romam tranſlata eſt, cui adminiculante gratia divina; hodierna præſidemus die. Nec ab ejus diſpoſitione vos deviare oportet, ad quam cuncta majora Eccleſiaſtica negotia, divina diſponente gratia, juſſa ſunt referri; ut ab ea regulariter diſpenatur, à qua ſumpſere principia: ſi vero veſtra Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ ceſſit ſedi; nulla eſt; quæ ejus non ſit ſubjecta ditioni*: Igitur ſola Eccleſia Romana, cujus fundamenta ſunt Apoſtoli; ſuper quorum fundamentum ſuperædificati ſunt Fideles Catholici & Apoſtolici Romani, eſt Eccleſia Chriſti; cujus murus habet fundamenta, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni, qui pro ſalute mundi occiſus eſt, acproindè homo non poteſt ſalvari in alijs Eccleſijs, aut Legibus oppoſitis Legibus, & fidei Eccleſiæ Romanæ, etiamſi in ipſis benè vivat. Quippècùm Beatiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acceperit principatum, & fidem illam ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & Romana Eccleſia in ejus permaneat inſtitutis, nefas eſt credere quòd extrà illam ſit vera ſalus; cùm hac de cauſa Joan. 17. Chriſtus rogaverit Patrem pro eis, qui per Apoſtolorum verba, erant in ſe credituri, ut innueret eos dumtaxàt ad veram Eccleſiam pertinere, quos conſtat eſſe in Eccleſia ab Apoſtolis propagatos. *Joan. 17.*

Ps. 25.

Marcellus Papa

Nefas eſt pariter, credere quòd Ariani, Macedoniani, Pelagiani, Neſtoriani, Lutherani, Calviniſtæ & alij poſſint ſalvari, quamvis ad amuſſim obſervent ea, quæ illis præcipiuntur, & credant ea, quæ eis credenda proponuntur ab Ario, Macedonio, & alijs Hæreſiarchis, profectò cuique Hæreſi proprius aſſignatur Architectus, Catholicis autem, his ſcilicet qui vivunt in fide Eccleſiæ Romanæ, nullus præter Chriſtum, fidei author eſt, nam Eccleſia Romana, eſt ab Apoſtolis perenni ſucceſſione, & numquam interrupta temporum ſerie, ad nos uſque deducta: Unde cum Apoſtoli acceperint à Chriſto ea, quæ docuerunt nos, quæque nos modò docent Apoſtolorum ſucceſſores, ſcilicet Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ, manifeſtum eſt quòd ipſa Eccleſia Romana, eſt ea, in qua dumtaxàt eſt vera ſalus, quam poteſt conſequi, qui crediderit, & baptizatus fuerit. Illi verò qui non crediderint, condemnabuntur: ergo Ariani, Macedoniani, Pelagiani, & Neſtoriani, Mahometani, Lutherani, Calviniſtæ, & alij, cùm non credant omnia, quæ ſunt credenda, non habent inter ſe unitatem fidei, nec poſſunt in hoc ſtatu vitam æternam conſequi.

Eccleſia Chriſti non poteſt eſſe niſi una, cùm ſit Sponſa Chriſti, & Mater omnium Fidelium. Hanc unitatem etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat, dicens: *una eſt Columba mea perfecta mea*. Joan. 6. *fiet unum ovile, & unus Paſtor*. Et Apoſtolus ad Epheſ. 4. *unum corpus, & unus Spiritus, una Fidès, unum Baptiſma, unus Deus, & Pater omnium*. Hæc autem omnia verba, & alia ſimilia, quibus oſtenditur, Eccleſiam, in qua eſt ſalus, eſſe unam, non poſſunt verificari de omnibus Eccleſijs, videlicet Arianorum, Pelagianorum, Calviniſtarum, & aliorum; cùm habeant diverſam fidem, diverſaque teneant Dogmata. Nam Ariani credunt Filium eſſe creaturam. Et Pelagiani credunt illum verum Deum, Lutherani credunt corpus Chriſti eſſe ſimul cum Pane ſub Speciebus Euchariſ-

Joan. 6.

Epheſ. 4.

Digitized by Google

ticis, Calviniſtæ verò credunt, panem eſſe ſine carne ſub eiſdem Speciebus: igitur ex omnibus Hæreticorum Eccleſijs non poteſt confici una Eccleſia, ſed tot ſunt Eccleſiæ, quot ſunt Sectæ, hæc quippè prærogativa unitatis (quæ eſt nota veræ Eccleſiæ) convenit Eccleſiæ Romanæ dumtaxàt, quæ eſt una unitate fidei, cùm Eccleſiæ particulares eamdem fidem, eademque Dogmata habeant, & Romanæ ſubjiciantur. Habet unitatem capitis; cùm Papa; ſeu Epiſcopus Romanus ſit ſucceſſor Petri in Sede & in primatu Eccleſiæ abſque ulla interruptione à D.Petro uſque
D.Cyprian. ad Clementem XI. qui modò eamdem Eccleſiam fœliciter gubernat: ergo in ſola Eccleſia Romana poteſt haberi ſalus.

Idem docet Cyprianus in tract. de unitate Eccleſiæ relatus in can. *alienus*. 24. quæſt. 1. ubi ait, *Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt, habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem*, quæ eſt una omnium Fidelium, qui cùm ſint Fratres, eumdem Patrem, eamdemque Matrem habere debent, hoc eſt, Chriſtum, & Sponſam ejus Eccleſiam, quam Petro commiſit dicens illi, *Petre paſce oves meas*: Igitur ſulus ille, quem paſcit Petrus, eſt ovis Chriſti, & audit vocem ejus, dum audit voces Apoſtolorum, ut teſtatur Chriſtus dicens Apoſtolis ſuis: *qui vos audit, me audit*. Petrus autem non paſcit niſi eos, qui ſunt in Eccleſia Romana, cùm in ſolo Pontifice Romano ſit officium Petri, ut jam oſtendi: ergo in ſola Eccleſia Romana poteſt homo ſalvari, & audire vocem Chriſti.

His ſuffragari poteſt authoritas D. Gregorij in moralibus, relatus in can. *quia ex ſola*, ubi loquitur
D. Gregor. de Eccleſia Catholica ſeu Romana; *Sola quippè eſt per quam Sacrificium Dominus libentèr accipiat: ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedit; unde etiam de Agni Hoſtia, Dominus præcepit, dicens: in una domo comedetur: nec efferetis de carnibus ejus foras, in una namque domo Agnus comeditur; quia in una Catholica Eccleſia, vera Hoſtia Redemptoris immolatur, de cujus carnibus divina Lex efferri foras prohibet, quia Sanctum dari canibus vetat, ſola eſt in qua bonum fructuoſe peragitur; unde & mercedem denarij nonniſi qui intra vineam laboraverant, acceperunt. Sola eſt, quæ intra ſe poſitos valida charitatis compage cuſtodit, unde & aqua diluvij arcam quidem ad ſublimiora ſuſtulit, omnes autem quos extra arcam, invenit, extinxit.*

Ex hujus Sancti Doctoris verbis facilè colligitur quòd Eccleſia Romana habet verum Sacrificium quod Deus acceptat pro peccatis noſtris, à quorum remiſſione abſolutè pendet ingreſſus, aut poſſeſſio regni cœleſtis, ad quod nihil coinquinatum intrare poteſt. Colligitur inſuper quòd Eccleſia Romana eſt ut arca Noë, iſta enim ſola ſalvavit à diluvio eos, quos continebat, Eccleſia verò etiam ſalvat à damnatione æterna eos, qui in ipſa ſunt, & in ipſa piè, juſtè, & ſobriè vivunt. Unde cùm nulla ſit Religio, nullaque Eccleſia præter Romanam, quæ verum Sacrificium habeat, & quæ conferat ea Sacramenta, quæ ſunt fontes aquæ ſalientis in vitam æternam, manifeſtum eſt quòd nullus poteſt ſalvari, niſi ſit in Eccleſia Romana, quæ offert quotidiè Deo Patri Corpus & Sanguinem Chriſti, & dat carnem ejus ad manducandum, & Sanguinem ejus ad bibendum, ut neceſſè eſt ad conſequendam vitam æternam, juxta illud Joan. 6. verſ. 54. *Amen amen dico vobis niſi manducaveritis carnem Filij Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Joan. 6. Paulus Apoſtolus damnat eos, qui Legis Moſaïcæ cæremonias obſervant, ponentes in illis ſpem conſe-
Ad Galat. 5 quendi vitam æternam, ait enim ad Galat. cap. 5. verſ. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.* Et verſ. 6. *In Chriſto Jeſu, neque Circumciſio valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur:* ergo Apoſtolus vult, hominem viventem in Lege Circumciſionis, ſeu Moſaica, non poſſe ſalvari, etiamſi in ipſa benè vivat, quia ſine Chriſto, nemo poteſt fœlicitatem æternam conſequi: Chriſtus enim ſolus eſt, qui per proprium Sanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna Redemptione inventa. Et qui factus eſt nobis obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ, ut monet Heb. 5.
idem Apoſtolus ad Heb. 5. verſ. 9. ut oſtendat, Chriſtum factum fuiſſe cauſam obtemperantibus ſibi dumtaxàt; non verò obtemperantibus Moyſi, ideoque Judæus quamvis Legem Moſaïcam optimè ſervet, nequit ſalvari, à fortiori in eadem impotentia perveniendi ad fœlicitatem æternam, ſunt illi, qui vivunt in Lege mortifera, qui ſunt in Eccleſia malignantium, & obtemperant Miniſtris, qui ſedent in Cathedra peſtilentiæ, quales ſunt illi, qui obtemperant Ario, Sabellio, Pelagio: & alijs Hæreticis; etiamſi Leges horum Hæreſiarcharum unuſquiſque in ſuo ordine ſervet; cùm non obtemperet Chriſto, imò deſpiciat eum, deſpiciendo Paſtores Eccleſiæ Romanæ, ſeu Epiſcopos; cùm conſtet Chriſtum dixiſſe Apoſtolis ſuis, quorum Epiſcopi ſunt ſucceſſores; *qui vos ſpernit, me ſpernit, qui vos audit, me audit.* In ſola quidem Eccleſia Romana poteſt audiri verbum Dei, cùm ipſa ſola habeat Libros Canonicos, & Evangelia, ideoque in illa ſola poteſt haberi ſalus, quia qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Et qui audit Miniſtros Eccleſiæ, audit Chriſtum, & verbum Dei.

Sanctus Petrus in Epiſt. 1. cap. 2. vocat genus electum, regale Sacerdotium, gentem Sanctam,
populum acquiſitionis, ſolùm eos, qui regenerati 1. Petr. 2.
ad Chriſtum, lapidem vivum accedunt credentes, non autem omnem populum cujuſcumque Religionis, aut Legis ſit, ut conſtat ex inſcriptione ejuſdem Epiſtolæ, & ex proprijs terminis Apoſtoli; ait enim, *vos autem*, ut inde agnoſcamus quòd non loquitur omnibus, & ſingulis hominibus, ſed tantum baptizatis, qui audiebant eum, ejuſque Doctrinam ſectabantur; cùm hæc particula ſit diſtinctiva ſolùm ad Judæos ad fidem Chriſti de novo converſos per Doctrinam Apoſtolorum, quæ præcipit bonum, & prohibet malum, quæ provocat ad virtutem, & removet à vitio. Unde dicebat illis *deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes & invidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti Infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtaſtis quoniam ſuavis eſt Dominus. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum*, ut eos inſtrueret de his, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, & de modo, quo vivere debent veri crucis & Chriſti Filij. Viri autem illi, ſeu Judæi converſi de novo ad fidem, erant in Eccleſia, aut navi D. Petri quæ eſt Eccleſia Romana cujus caput nunc eſt Clemẽs XI. ſucceſſor Petri: igitur ex D. Petro ſola illa gens, quæ eſt in Eccleſia, cujus ipſe fuit à Chriſto inſtitutus, caput, & Paſtor, poteſt eſſe gens Sancta, genus electum & populus acquiſitionis. Scribebat enim ad illos, qui Baptiſmum ſuſceperant, & ad eum venerant, volebatque, eos eſſe gentem Sanctam, genus electum, & populum acquiſitionis, & perconſequens idem Apoſtolus declarat, nullum poſſe eſſe Sanctum niſi benè vivat in Lege Evangelica, & ſit in Eccleſia Chriſti, quamvis benè vivat in alia Religione, ſeu extrà Eccleſiam, etenim ut quis ſalvus fiat, neceſſè eſt quòd credat in Chriſtum, ut affirmat idem Petrus loco citato verſ. 6. dicens: *Propter quod continet Scriptura ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum, & qui crediderit in eum, non con-*

fundetur lapis autem ille eſt Chriſtus. Unde cùm plures ſint, qui in Chriſtum minimè credunt, quales ſunt Judæi, Mahometani, Ariani, &c. Et plores alij ſint, qui ſi credant, malè credunt; quoniam non credunt omnia, quæ credenda ſunt, & ſic ſunt culpabiles, quippè qui peccat in uno, factus eſt omnium Reus; hoc malum minimè timent qui habent fidem Catholicam: ideoque illi, qui ſunt extrà Eccleſiam Romanam, in qua ſola eſt fides Catholica, confundentur & peribunt: quamvis benè vivant, hoc eſt, ſecundum regulas Religionis in qua ſunt: una quidem eſt regula dirigens ad ſalutem, quæ eſt Evangelium Chriſti, quod ſola docet, & ſequitur Eccleſia Catholica, & Apoſtolica.

Idem affirmat D. Auguſtinus in Epiſt. 152. contra Donatiſtas relatus in Can. *ſi quis*, 23. quæſt. 4.
D. Auguſt ubi ait: *Si quis a Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quamtumlibet laudabilitér ſe vivere exiſtimat, hoc ſolo ſcelere quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, quiſquis autem in hac Eccleſia benè vixerit, nihil enim præjudicant aliena peccata, quia in ea unuſquiſque proprium onus portabit ſicut Apoſtolus dicit.* Et in lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 37. relatus in Can. *firmiſſimè* quæſt. 1. inquit: *Firmiſſimè tene & nullatenus dubita extra Eccleſiam baptizatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, Baptiſmo cumulari perniciem. Tantum enim valet Eccleſiaſtica ſocietatis communio ad ſalutem, ut Baptiſmo non ſalvetur, cui non ibi datur ut oportet, ut detur*; quibus ille Sanctus Doctor admonet nos, in eccleſia Chriſti Baptiſmum ſuam habere virtutem perducendi ad gloriam. Reverà ibi D. Auguſtinus non tractat expreſſe an extra eccleſiam ſit ſalus, ſed cùm ibi declaret extrà eccleſiam, baptizatos perniciem ſibi cumulare, ſi ad eccleſiam non redierint manifeſtè declarat, extrà eccleſiam, nullum poſſe ſalvari.

Eamdem veritatem clariùs demonſtrat in Can. *quamvis* de conſecrat diſt. 4. ubi ait: *Quamvis unum Baptiſma ſit Hæreticorum, eorum ſcilicet qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizant, & Eccleſia Catholicæ, tamen quia foris & extra Eccleſiam baptizantur, non ſumunt Baptiſmum ad ſalutem, ſed ad perniciem, habentes nimirum formam Sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes.*

§. II.

In quo rejicitur Ratio Hæreticorum.

Hæreticorũ ratio. FUndamentum Hæreticorum eſt illud Apoſtoli 1. ad Timot cap. 2. verſu 4. ubi de Salvatore noſtro Deo, ait: *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et paulo poſt: *qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Indè enim inferunt, quemlibet hominem poſſe ſalvari in Religione ſua, quia Apoſtulus ſciebat, omnes homines non eſſe ejuſdem Religionis, & ideo aſſerebat, Deum velle ſalvare eos, qui ſunt extrà Eccleſiam, ſive Hæretici, ſive Infideles ſint, ſi velint ſalvari; hoc eſt, ſi faciant ea, quæ ipſis præcipiuntur in Religione in qua vivunt, ſicut eos, qui ſunt in Eccleſia Romana, quia illis, qui rectè operantur, debetur premium, ut Deus dixit Geneſ. cap. 4. Caino: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua, nonnè ſi benè egeris recipies, ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Ibi enim nulla ſit mentio de ſtatu, aut Religione, ideoque qui benè egerit, ſive intra, ſive extra Eccleſiam, recipiet mercedem ſuam, quæ nihil aliud eſt, quàm Deus, ut ipſemet teſtatus eſt Abrahamo dicens ei: *ego ero merces tua.* Sanè delicta, aut peccata, quæ committunt illi, qui ſunt extrà eccleſiam, verè ſunt peccata, quæ ducunt ad gehennam; eadem ratione, bona, ſeu opera dictamini, & regulis præſcriptis conformia, quæ fiunt ab ijſdem, debent ducere in vitam æternam, injuſtum quidem eſt (inquiunt) condemnare eum, qui malum non fecit, & obſervavit mandata, quæ recepit a Præpoſitis ſuis.

Idem confirmant ex illo Matth. cap. 19. in quo legitur quòd Chriſtus interrogatus quid faciendum eſſet pro aſſequenda vita æterna, reſpondit. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* hæc autem mandata ſunt Matth. 19.
hæc: *non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices, honora Patrem tuum & Matrem tuam, & diliges proximum tuum ſicut teipſum,* ut conſtat ex eodem Evangelio Divi Matthæi, ſed hæc omnia tam bene fieri poſſunt ab illis, qui exiſtunt extrà Eccleſiam, & de facto ſervantur ab Arianis, Macedonianis, Pelagianis, Lutheranis, Calviniſtis, & alijs Hæreticis, quàm ab illis, qui ſunt in Eccleſia Romana, quia illi ſicut iſti, credunt, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, contemptum parentum, & odium proximi eſſe peccata, cùm prohibeantur à lege naturali, ut fatentur omnes Theologi in expoſitione præceptorum Decalogi: ergo ſi hæc omnia obſerventur ab illis, qui vivunt extrà Eccleſiam, non eſt deſperandum de eorum ſalute, ſive Hæretici ſint, ſivè Infideles, & Mahometani; nam qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.

Reſpondeo, Apoſtolum loqui de voluntate generali, quà Deus vult ſalutem omnium, & de Sanguine Chriſti pro omnibus effuſo, at indè non ſequitur quòd omnes homines ſalvi fiant, ſed ſolùm illi, qui crediderint, & baptizati fuerint, ut ipſemet Chriſtus teſtatur Marc. ult. verſ. 16. Non quòd Baptiſmus & fides ſufficiant ad conſequendam vitam æternam, ſeclusis bonis operibus, & obſervantià mandatorum Reſponſio ad
Dei, ſed quia opera eorum, qui Baptiſmum ſuſce- rationem.
perunt, & credunt ſicut oportet, ſunt grata Deo, hæreticorum
ſi fiant extrà ſtatum peccati. Undè cùm Baptiſmus ſit in ſula Eccleſia Chriſti, & Fideles dumtaxat credant ea quæ credenda ſunt, habeantque fidem ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, concludendum eſt quòd illi, qui non ſunt baptizati, aut ſi baptizati ſint, non credunt Chriſto, non poſſunt ſalvari, etiamſi bene vivant, ſeu juxta regulas Religionis, in qua ſunt. Nam Chriſtus Joan. 10. verſ. 25. dixit Judæis,
Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me, ſed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis, oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: Joan. 10.
igitur illi, qui non credunt Chriſto, qui non audiunt vocem ejus, nec ſequuntur eum, quales ſunt illi, qui vivunt extra Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, non ſunt oves Chriſti, quamvis Deus velit voluntate generali eos ſalvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire, & Chriſtus pro illis mortuus fuerit. Nec ſalvabuntur licet obſervent ea, quæ ipſis præſcribuntur in Religione in qua vivunt: quia voluntate conſequenti Deus vult tantùm ſalvare eos, qui bona egerunt & crediderunt; nam opera illa, quæ bona credunt Hæretici: quamvis non ſint moralitèr mala, nec peccata: quidquid dixerint Lutherus, Joannes Hus, & Michaël Baijus, tamen non ſunt meritoria apud Deum, licet non ſint peccaminoſa. Ratio eſt, quia meritum humani operis pendet à gratia ſanctificante, quæ non exiſtit in illis, in quibus non eſt fides, & ſic ille, qui in Religione ſua (excepto Chriſtiano Catholico) non offendit in operibus ſuis, non meretur vitam æternam apud Deum, quia non habet fidem veram. Authoritas Geneſis ſupra relata, non contradicit huic reſponſioni, nam dum Deus dixit Caino; *nonnè ſi bene ege-*

ris, *recipiet*, non excludit fidem; ità ut qui benè egetit extrà fidem, recipiet. Sed eam ſupponit, quia ſi deficiat, opus non poteſt eſſe bonum, ea bonitate cui debetur præmium, aut vita æterna, quia bonum eſt ex integra cauſa, & qui peccat in uno factus eſt omnium Reus, hoc eſt, privatur præmio, & prohibetur intrare in regnum cœlorum. Itaque illi, qui ſunt extrà Eccleſiam, non ſunt digni præmio, ac proindè merito condemnantur, cum non crediderint, ut declarat Chriſtus, Marc. ult. verſ. 16.

Ad Confirmationem dico quòd obſervantia mandatorum eſt conditionata, & includit fidem, ut colligitur ex varijs ejuſdem Evangelij locis, in quibus declaratur, fidem eſſe abſolutè neceſſariam ad ſalutem. Ratio autem ob quam hæc fides notificata non fuit interroganti, eſt quia adoleſcens habebat illam, ut ſuadet ipſius interrogatio: *Magiſter bone quid boni faciam ut habeam vitam æternam*: igitur ad ſalutem non ſufficit non occidere, non adulterare &c. ſed inſuper neceſſè eſt credere, ut demonſtrat exemplum Eunuchi dicentis Philippo Act. 8. verſ. 36. *ecce aqua quid prohibet me baptizari?* cui Philippus reſpondens ait: *ſi credis ex toto corde tuo, licet*. Reſpondens ipſe Eunuchus, ait: *Credo Jeſum Chriſtum Filium Dei.* Et ſtatim Philippus baptizavit eum, ut conſtat ex eadem hiſtoria, hoc quidem exemplo patet, fidem Chriſti eſſe omninò neceſſariam ad ſalutem, & ad validitatem Baptiſmi Adultorum. Fides autem hæc eſt in ſola Eccleſia Romana, cujus Paſtor & Epiſcopus eſt Divus Petrus, ſuper quem fundavit ſuam Eccleſiam Chriſtus, Matth. cap. 16. verſ. 18.

Act. 8.

D. Hieron.

Undè D. Hieronymus Epiſt. 11. ad Ageruchiam ait: *Sicut una Eva eſt Mater cunctorum viventium, ità una Eccleſia eſt parens omnium Chriſtianorum*, una eſt igitur Eccleſia, quæ eſt Mater noſtra in cujus fide ſalvantur illi, qui ſalvantur. Quemadmodum enim fides ſine operibus mortua eſt, ſicut corpus ſine Spiritu mortuum eſt, ut aſſerit D. Jacobus in Epiſt. cap. 2. ità non occidere, non furtum facere, & ſimilia ad quæ obligamur, mortuum erit, hoc eſt, non ſufficiet ad conſequendam vitam æternam, ſine fide. Quoniam accedentem ad Deum oportet credere, inquit Apoſtolus. Et ubi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe Juſtitia, quia Juſtus ex fide vivit, ut ait D. Auguſtinus relatus in Can. *ubi ſana*, 24. quæſt. 1.

ARTICULUS XI.

Statuit contra Albanenſes, in Eccleſia eſſe Poteſtatem Excommunicandi.

Albanenſes.

INter Hæreticos, qui poteſtatem Eccleſiæ minuere voluerunt quantum ad Judicium, & pœnas infligendas, primi ſunt Albanenſes, qui circà annum Domini DCCCXVI. regnante Conſtantino IV. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Leone III. Summo Pontifice, dixerunt, Eccleſiam non poſſe excommunicare, neque debere malos perſequi, nequè facere poſſe conſtitutiones obligantes in conſcientia.

Vuicleffita.

Albanenſibus adhæſit Joannes Vuicleffus, natione Anglus, qui anno MCCCLII. tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis VI. Papæ, docuit quòd qui propter Excommunicationem hominum concionari deſinunt, vel audire Dei verbum, ſunt reipſa Excommunicati, & in die Judicij, ut Proditores Chriſti habebuntur. Hunc Joannis Vuicleffi errorem citò, ſcilicet anno MCCCLXXVII. regnantibus Uvenceſlao Imperatore, & Gregorio XI. Papa, promulgarunt Huſſitæ, ſic appellati à Joanne Hus, qui prædicabat Excommunicationem à Summo Romanorum Pontifice inflictam, vel ab alio quocumque Eccleſiæ Prælato, non eſſe timendam, quia (dicebat ille Hæreticus) eſt cenſura Antichriſti.

Huſſita.

Rutheni.

Licet hæc Hæreſis damnata fuiſſet in Concilio Conſtantienſi celebrato anno MCCCCXIV. nihilominus anno MCCCCXVIII. inſurrexerunt quidam viri Hæretici dicti Rutheni, aut Ruſſiani, qui ut Græcos ſequerentur, Schiſma fecerunt ab Eccleſia Romana, in Polonia, undè cum vellet eos ad Eccleſiam revocare Rex Polonorum, ſe Imperatori Moſcovitarum ſui Schiſmatis protectori ſubjecerunt, & negarunt, Petrum fuiſſe verum Pontificem, Eccleſiam Romanam eſſe aliarum caput, rejiciebant ſcripta Patrum Latinorum, determinationes Conciliorum, Purgatorium, Sacramenta Confirmationis & Extremæunctionis, & Excommunicationem.

Lutherus.

His omnibus ſucceſſit Lutherus, qui dixit Excommunicationem non ſolùm non eſſe timendam, ſed cum gaudio recipiendam, & procurandam. Lutherum ſecuti ſunt omnes Hæretici ipſo tempore poſteriores, & contemporanei, qui nè crederentur Anathematis gladio percuſſi, docebant Chriſtum non reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ poteſtatem excommunicandi.

§. I.

De hujus Hæreſis Proſcriptione.

Decretum Apoſtolorū.

HAnc Hæreſim Albanenſium, Lutheranorum, Calviniſtarum, & aliorum damnat Canon duodecimus Apoſtolorum, ubi legitur: *Si quis Clericus, aut Laicus à communione Segregatus, ſeu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus civitatem, ſine commendatitijs litteris receptus fuerit, à communione excludatur, tam qui recepit, quam, qui receptus eſt, ſi excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditur.* Fere mille Patres (è quibus fuerunt trecenti Epiſcopi, & quatuor Patriarchæ) in ſeſſione octava Concilij Conſtantienſis in quo damnantur 45 propoſitiones Joannis Vuicleffi quarum una eſt iſta. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum eſſe à Deo excommunicatum, & qui ſic excommunicat, eſt Hæreticus ex hoc, vel excommunicatus*; damnant etiam alterum articulum ejuſdem Vuicleffi, in quo habetur: *Excommunicatio Papæ, & cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.* Si vero Canon Apoſtolorum, & Concilium Conſtantienſe non ſufficiant Hæreticis excommunicationes aſpernentes, moneo ipſos, quòd idem prius decreverant Concilium Carthaginenſe IV. cap. 73. & Concilium Bracarenſe I. cap. 33. quod inhibet ſub pœna excommunicationis nè aliquis communicet excommunicato ab Eccleſia. Nam licet hæc duo Concilia, quæ antiquiſſima ſunt, non ſtatuant expreſſè excommunicationes, eas tamen ſupponunt, & admittunt velut actus, qui à poteſtate Prælatorum elici poſſunt.

Concilium Conſtantienſe.

Carthaginenſe IV.

Bracarenſe.

Tridentinū.

Sanè hæc Concilia ſufficient Hæreticis, ut videant omnes, Eccleſiam Romanam à tempore Apoſtolorum uti cenſuris, & excommunicationibus, ac proindè ipſam Eccleſiam habere poteſtatem ferendi eas: nihilominus convenit afferre Concilij Tridentini verba ſeſſ. 25. de reformatione cap. 3. quæ ſunt hæc: *Quamvis gladius excommunicationis nervus ſit Eccleſiaſtica diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris; ſobriè tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem &c.* Indè enim conſtat, in Eccleſia eſſe poteſtatem excommunicandi, cùm Concilium præſcribat ibi modum, quem Epiſcopi ſervare debent in fulminandis excommunicationibus.

Hæc

Hæc ipſa veritas, nimirum Eccleſiam habere poteſtatem excommunicandi, facilè colligitur ex varijs Sacræ Scripturæ locis, & præſertim ex cap 18. Evan-
Matth. 18. gelij Sancti Matthæi, in quo Chriſtus docet quomodo Frater in Fratrem peccans, debeat corrigi, & Eccleſiam non audiens pro Ethnico haberi, dicens de illo peccatore: *Si autem non te audierit: adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Per hæc quidem verba certò conceditur Eccleſiæ poteſtas excommunicandi. Hujus poteſtatis argumentum eſt, quia ſi Eccleſia, Chriſto ſic permittente, aut præcipiente, poſſit dicere uni de alio, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, poteſt excommunicare: quia dicere, *ſit tibi Ethnicus*, idem eſt ac dicere, nullam protſus cum eo habeto converſationem, aut communionem, ille autem, qui nullam poteſt habere communicationem cum Fidelibus propter aliquod peccatum, à quo non vult recedere, non obſtante prævia admonitione, quique habendus eſt ſicut Ethnicus & Publicanus; eſt verè excommunicatus, & omninò ſegregatus à conſortio, & communione aliorum Fidelium; cùm per excommunicationis nomen, nihil aliud ſignificetur, niſi ſeparatio à conſortio, ſermone, & conſilio Fidelium, vel à participatione Euchariſtiæ, ut notat D. Dionyſius. Et poſt illum omnes Theologi, qui unanimitèr, Eccleſia ſic mandante ſpeciali præcepto, Chriſtianis interdicunt communionem cum Infidelibus. Et Chriſtianis illis, qui in omnibus Eccleſiæ obediunt, prohibent converſationem, & communionem cum illis, qui præcepta ejus contemnunt; etenim qui Eccleſiæ Doctrinam contemnit; Deum non habet, quia Doctrina Eccleſiæ eſt Doctrina Chriſti, & per conſequens non debet recipi inter Fideles, imo potius ab ipſis rejici ſicut Ethnicus, & Publicanus, ut docet D. Joannes
1. Joann. Epiſt. 2. verſ. 9. & 10. ubi ait: *Omnis qui recedit, & non permanet in Doctrina Chriſti, Deum non habet. Qui permanet in Doctrina; hic & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos; & hanc Doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Ave ei dixeritis.* Quæ autèm conventio Chriſti ad Belial? quæ pars Fideli cum Infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum Idolis? Ratio hujus Catholicæ veritatis eſt, quia qui dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis. At illi qui non ſunt recipiendi in domum, & quibus non poſſumus dicere, Ave, ſunt excommunicati; ideoque Eccleſia; quæ poteſt nobis præcipere, ut fugiamus eos, qui non permanent in Doctrina Chriſti, habet poteſtatem excommunicandi, hacque utitur à tempore Apoſtolorum.

D. Clemen. Quòd verum eſſe probat Sanctus Clemens, Epiſt. 1. cap. 1. ubi teſte Eminentiſſ. Cardinali noſtro Laurea in Epitom. Canonum, verbo *Excommunicationis antiquitas*, aſſerit Apoſtolos uſos fuiſſe excommunicatione, & præcipuè Sanctum Petrum. De Paulo autem legitur 1. Corint. cap. 5. quòd excommunicavit quemdam Inceſtum, qui cum Noverca ſua coibat: ibi enim ait; *Ego quidem abſens corpore, præſens autem Spiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini Jeſu-Chriſti, congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis.* Aliam cenſuram, ſeu excommunicationem tulit, ut conſtat ex Epiſt.
1. Timoth. 1. 1. ad Timoth. cap. 1. verſ. 19. & 20. ubi habetur: *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Tertia tandem excommunicatio lata à
Ad Galat. 1 Paulo, quamvis non determinata, reperitur in Epiſt. ad Galat. cap. 1. verſ. 9. ubi ait: *Si quis vobis Evangelizaverit præter id quod accepiſtis; Anathema ſit.* Revera hìc nullum videmus excõmunicatum inter Galatas, ſed certò ſcimus Apoſtolum velle quòd ille, qui Evangelizaret Galatis Doctrinam oppoſitam ſuæ, eſſet excommunicatus: igitur Paulus agnoſcebat in Eccleſia poteſtatem anathematizandi, & excommunicandi, quam nos modò agnoſcimus. Loquebatur enim, eo modo, quo poſteà locuti ſunt Patres noſtri in Synodo congregatis, qui in quolibet Canone, inquiunt: *Si quis dixerit &c. Anathema ſit.*

Eadem excommunicandi poteſtate uſi ſunt Epiſcopi in principio Eccleſiæ naſcentis: nam Callixtus Papa creatus anno CCXXI. in Epiſtola ad omnes Epiſ- Callixtus Papa.
copos Galliarum, quam D. Iſydorus præfixit voluminibus Conciliorum Generalium, excommunicationi ſobjacet eos, qui excommunicatos recipiunt, aut cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut oſculo communicant, aut eis, Ave, dicunt, idcircò nullus poteſt hunc excommunicationis gladium ab Epiſcopis, ſeu Apoſtolorum ſucceſſoribus auferre; niſi velit eſſe Hæreticus, cùm Apoſtoli illum à Chriſto acceperint, & ipſo uſi fuerint; cùm Epiſcopi habeant Juriſdictionem Apoſtolorum.

Hìc tamen obiter obſervandum eſt, Prælatos Eccleſiæ non debere pro leviſſima culpa excommunicationem infligere, cum Apoſtolus tantum tribus vicibus propter graviſſima crimina excommunicaverit. Ratio Eccleſiaſticis Judicibus facilem uſum cenſurarum prohibens eſt, quia excommunicatio eſt pœna acerbiſſima quà nullus plecti debet, niſi pro crimine lethali, non pro quolibet, ut tali, ſed ſolum pro illo cui admixta eſt pertinacia, ut declarant Concilia & Sancti Patres communitèr, ut videri poteſt apud Theologos morales.

Idem confirmat Paulus ad Theſſ. Epiſt. 2. cap. 3.
verſ. 13. & 14. dicens: *Vos autem Fratres nolite deficere benefacientes. Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per* 2. Theſſ. 3.
Epiſtolam, hunc notate, & nè commiſceamini cum illo, ut confundatur: ibi enim Apoſtolus excommunicationem exprimit, cum declaret inobedientem verbo Dei, eſſe vitandum. Et excommunicatio ita faciet, ut excommunicatus ſit vitandus, privandus Sacramentis, ſuffragijs, ac orationibus Eccleſiæ, & communione Fidelium, ſitque ſubjiciendus alijs graviſſimis pœnis, quæ cùm à nullo Chriſtiano ignorentur, non video quomodo Lotherus dicere audeat excõmunicationem non eſſe timendam, ſed cum gaudio recipiendam, & procurandam? nonnè omnes à natura habent, ut cum alijs converſari & vivere optent? nonnè anima privata ſuffragijs Eccleſiæ, eſt infauſta? nonnè tradi Satanæ eſt ſummum malum? ergo excõmmunicatio eſt horrenda, & formidanda, quia hæc omnia mala procurat, ut conſtat ex citatis Sacræ Scripturæ locis, quibus nedum probatur, Eccleſiam habere poteſtatem excommunicandi, ſed etiam demonſtrantur effectus excommunicationis; ex ipſis enim locis conſtat quòd excommunicatus traditur Satanæ, ut ab eo facilius & liberius torqueatur, nam ſi propter peccatum, homo ſit in poteſtate Dæmonis, per excommunicationem ipſe Dæmon in eo majorem habet poteſtatem. Quia per ipſam excommunicationem ſeparatur à cõmunione, & participatione Fidelium, & ideo poteſt faciliùs, ac magis vexari à Dæmone, quàm peccator ille, qui eſt particeps orationum, communionum, &c. quæ ab Eccleſia fiunt, hinc eſt quòd Eccleſia, quæ in die Paraſceve orat pro omnibus, etiam pro perfidis Judæis, & Paganis, non orat pro excommunicatis publicè denuntiatis. Unde ſi talibus auxilijs deſtituatur excommunicatus, veroſimile eſt quòd Dæmon majorem in eum habet poteſtatem, quàm ante excommunicationem: quamvis in peccato fuiſſet, quia virtus reliquorum membrorum quibus peccator non excommunicatus, eſt per fidem conjunctus, reſiſtit Diabolo. At excommunicatus deſtituitur hoc auxilio,

& à corpore magis ſeparatur; & ſic Dæmon poteſt eum facilius quàm antea torquere.

Nec valet dicere excommunicationem latam non augere peccatum propter quod fertur, acproindè peccatorem non eſſe magis ſub poteſtate Diaboli ſi excommunicetur. Non valet inquam, licet homo per peccatum ſit in poteſtate Diaboli, ejuſque ſervus, & excommunicatio non augeat formalitèr, nec intenſivè peccatum. Ratio eſt, quia Eccleſia cujus oratio infirmat Diaboli vires, peccatores adjuvat: & ideo excommunicatus pro quo non orat Eccleſia, magis à Diabolo torquetur, quia ſic non habet tantum auxilium, & fit debilior per gladium excommunicationis, quo feritur, quàm erat per peccatum propter quod fuit percuſſus.

§. II.

In quo datur Reſponſio ad Hæreticos.

LUtherani excommunicationem non admittunt. Eorum ratio eſt, quia excommunicatio eſt gladius, qui nequit eſſe in manibus Eccleſiæ Chriſti, quæ cùm ſit Mater Fidelium, nequit tam ſævo ſupplicio punire eos, qui delinquunt, crudelis enim eſſet cenſenda, ſi tanto gladio eos feriret, nequit enim eos magis torquere, quàm tradere eos Satanæ: ergo (inquiunt) Papa non habet poteſtatem excommunicandi, nec tenet in manu ſua excommunicationis gladium, quo abuti poſſet, cùm homo ſit.

Rejicitur Lutheranorum ratio. Reſpondeo hanc rationem eſſe falſam, quia excommunicationis, aut cenſurarum finis, eſt fidelium utilitas, quam Eccleſia pia Mater omnibus Filijs ſuis optat, quamque non optaret, niſi Filios ſuos amaret, Nec Chriſtus illi hanc poteſtatem contuliſſet, niſi voluiſſet, Fideles poſſe propter excommunicationis gladium declinare à malo, & facere bonum, & ideo Chriſtus Legifer noſter meritò reliquit Miniſtris Eccleſiæ ſuæ poteſtatem puniendi per cenſuras, eos, qui à malo nolunt pertinaciter recedere, ut cùm percuſſos ſe viderint, convaleſcant.

Hoc verum eſſe patet in excommunicationibus latis à D. Paulo, qui illum, qui cum noverca ſua coibat, excommunicavit, ut Spiritus ſalvus eſſet in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et excommunicavit Hymenæum & Alexandrum, ut diſcerent non blaſphemare; igitur excommunicatio non eſt effectus crudelitatis, ut putant Hæretici, ſed juſtitiæ & bonitatis, tendens ad ipſius excommunicati utilitatem, & emendationem, cùm illum ad ſui peccati cognitionem adducat, & cognitio illius peccati eum ad pœnitentiam cogat. Probabile enim eſt quòd cùm peccator viderit ſe à communione Fidelium ejectum,
Jonas 2. pœnitebit ſe malè egiſſe, & dicet Deo cum Jona cap. 2. verſ. 5. *Abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo Templum Sanctum tuum. Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum,*
D. Ambroſ. ut probant quàmplurima exempla, quæ referre poſſem, ſed ea omitto brevitatis gratia, cùm ſufficiat unum quod eſt Theodoſij Imperatoris, qui à D. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo excommunicatus fuit, & ob excommunicationem, quam patientèr ſuſtinuit, flectibus & gemitibus pœnitentiam peſſimi ſceleris egit, & poſt octo menſes pœnitentiæ, communionem Eccleſiæ ab eodem D. Ambroſio obtinuit, & poſteà de tanto beneficio Deo gratias egit, & D. Ambroſium Conſtantinopoli laudavit, ut legitur in Hiſtoria tripartita lib. 9. cap. 30.

Excommunicatio vocatur in Jure Canonico, medicinalis, & ut talis Eccleſiæ data fuit à Chriſto, quia excommunicationis finis, eſt mederi peccatori, modò ipſe peccator eam non contemnat (ut de facto eam contempſerunt Vuicleffus, Lutherus, & alij) ſed potiùs confuſionem ſuam aſpiciens, & peccati ſui enormitatem ponderans, declinet à malo, quod fecerat, & faciat bonum. Si autem eam contemnens pœnitere negligat, tunc excommunicatio non eſt illi medicina, ſed venenum mortale, quô nullum pejus, tunc enim excommunicatus fit ſuſpectus de hæreſi, ut docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de reformat. cap. 3. Nec propter hoc noxia, imo nec inutilis debet judicari, ità ut hæc deneganda ſit Eccleſiæ poteſtas excommunicandi, ut voluit Lutherus, quia Prælatus excommunicans non ſolum conſulit utilitati ipſius excommunicati, ſed etiam incolumitati omnium Fidelium, quia peccatô unius maculari poſſent alij. Unde Iſaias cap. 52. verſ. 11. ait: *Pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Et Paulus 2. ad *Iſai. 52.*
Corint. cap. 6. verſ. 17. *Separamini & immundum ne tetigeritis.* Ideo nè hoc ſequatur, bonum eſt tunc peccatorem in peccato perſiſtere volentem, ſeparare ab alijs Fidelibus per gladium excommunicationis nè omnes pereant. Nec poteſt peccator ille excommunicatus, & à conſortio Fidelium ſeparatus, aut Satanæ traditus, conqueri, ſed potiùs debet pertinaciam ſuam in malo conſiderans, dicere, meritò hæc patior, *2. Corint. 6.*
quia peccavi in Fratrem meum; quia ut inquit Origenes Homil. 2. ſuper librum Judicum, non ſolum per Apoſtolos ſuos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, ſed & per eos, qui in Eccleſia habent poteſtatem non ſolum ſolvendi, ſed & ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, dùm pro delictis ſuis à corpore Fidelium ſeparantur. Juſtum quidem eſt, ut ille, qui à peccato declinare non vult, & poteſtati Eccleſiæ reſiſtit, Eccleſiæ ſuffragijs, & beneficijs privetur. *Origenes.*

Nec novum videri debet Hæreticis hoc juſtitiæ genus, non ſolum quia Chriſtus reliquit eum Eccleſiæ ſuæ Sanctæ, ſed etiam quia Teſte Anthero Papa *Antherus*
& Martyre in Epiſtola ad Epiſcopos Beticæ & Toletanæ, *In veteri Lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra Caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubjecta contemptum expiabat cruore; nunc vero inobediens animadverſione ſpirituali truncatus, & ejectus ab Eccleſia rabido Dæmonum ore diſcerpitur.* Quoniam qui excommunicatur, Satanæ traditur; nam inquit Divus Auguſtinus de verb. Apoſt. ſerm. 68. *Papa.*
Omnis Chriſtianus, dilectiſſimi, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? quia ſcilicet extra Eccleſiam Diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus, ac per hoc quaſi Diabolus traditur, qui ab Eccleſiaſtica communione removetur. Per hæc enim verba Antherus, qui creatus fuit Papa, anno CCXXXVII. nedum docet excommunicationis uſum antiquiſſimum, atque utiliſſimum eſſe Fidelibus, qui mediante excommunicatione fugiunt eos, qui ſunt in poteſtate Dæmonis ob pertinaciam in peccato, ſed etiam hanc ipſam excommunicationem fuiſſe figuratam in veteri Teſtamento. *D. Auguſt*

Nec debet ab Eccleſia removeri poteſtas excommunicandi, eo quod Miniſtri, ſeu Papa, & Epiſcopi poſſint eà abuti, quoniam abuſus ille, quem ſupponunt Hæretici, non debet refundi in Chriſtum, nec in Eccleſiam, ſed ad aliquos Miniſtros, ex quorum culpa non debet ſequi totalis privatio, aut remotio hujus poteſtatis, quæ neceſſaria eſt fidelibus, & bono totius Eccleſiæ, quæ cùm ſit Regnum, Monarchia, & Exercitus militantium, neceſſe eſt quòd habeat poteſtatem puniendi delinquentes, & ejiciendi eos qui nolunt eam, & volunt contra eam pugnare. Nec propter hoc debet reputari crudelis, ut facilè colligitur ex effectibus, aut beneficijs, quæ excommunicans intendit procurare excommunicato, quæque ſupra deducimus.

Undè Eccleſia Chriſti, ut tollantur abuſus, plures appoſuit conditiones, ut cenſuræ ſint validæ, ſed eas hìc non refero: quia ad Caſuiſtas pertinet eorum

narratio : hîc enim ad nos tantum ſpectat probare contra Hæreticos, Eccleſiam habere poteſtatem excommunicandi, ut jam probavimus. Et ut iterum probemus illam contrà Hæreticos ſuprà nominatos utimur authoritate D. Joan. cap. 20. ubi legitur Chriſtum dixiſſe Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*; per hæc quidem verba, Chriſtus
Joan. 20. contulit eis poteſtatem non dimittendi peccata, dum ei illa non dimittere expedire videbitur. At dum Miniſtri Eccleſiæ, non dimittunt alicui peccatori delicta, & nolunt cum illo communicare, illum excommunicant, ut conſtat ex dictis: ergo Apoſtoli acceperunt poteſtatem excommunicandi, & nos debemus cum excommunicato non communicare, eumque ut Ethnicum, & Publicanum habere, quoniam injuſtum eſt recipere eos, quos Apoſtolorum ſucceſſores, ſcilicet Epiſcopi ejiciunt, & tradunt Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.

ARTICULUS. XII.

Tenet adverſus Euſtatianos, Eccleſiam habere poteſtatem inſtituendi jejunia.

Vlri Hæretici, jejunium quamvis à Chriſto conſecratum, impugnarunt, ſed diverſo modo. Nam Euſtatius, primùm Monachus, deinde Epiſcopus Sebaſtienſis, tempore Conſtantini magni Imperatoris & Sylveſtri Papæ, circa annum Domini CCCXX. docuit jejunia Eccleſiaſtica eſſe prorſus contemnenda dicens, quod Eccleſia nequit ea inſtituere, quoniam jugum Chriſti ſuave eſt, & onus ejus leve: Aerius
Euſtatius. verò Euſtatij Condiſcipulus, Condiſcipuli ſui errorem mitigare volens, anno CCCXLII. regnante eodem Imperatore & vivente Julio I. Papa, dixit, jejunia, & alia ſimilia, quæ corpus caſtigant, illudque in ſervitutem redigunt, eſſe exercenda, non autho-
Aerius. ritate Eccleſiæ, exiſtimans ipſam Eccleſiam non poſſe ea inſtituere pro certo aliquo, & ſtatuto tempore, ſed pro cujuſcumque arbitratu, nè ſub Lege eſſe videremur, ſed ſub gratia, ut refert D. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 53. Et poſt D. Auguſtinum Oſius lib. 3. de authoritate Sacræ Scripturæ.

His duobus Hæreticis ſucceſſit Jovinianus anno CCCCXV. ſub Theodoſio IJ. & Syricio Papa, qui rejecto Monachatu multos in Eccleſiam invexit errores, quorum unus eſt contra jejunium. Ille ſiquidem Hæreticus non ſolum ciborum delectum damnabat, dicens, in jejunio nullum eſſe meritum, ſed etiam Eccleſiam non poſſe illud inſtituere aſſerebat, cum Eccleſia nequeat præcipere ea, quæ meritoria non ſunt, nec conducunt ad vitam æternam, cùm nulla poteſtas detur in deſtructionem, ſed in ædificationem, ut monet Apoſt. 1. ad Corint. cap. 10. & 13.
Jovinianus At licet hæc hæreſis Joviniana damnata ſit in varijs
Uvaldenſes Concilijs infra citandis, nihilominus Pauperes de Lugduno, ſeu Uvaldenſes, Joviniani errorem ſuſcitarunt anno MCLX. regnante Friderico I. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Alexandro III eumdem clariùs expreſſerunt, exiſtimantes Eccleſiam Chriſti fortiùs impugnare: dicebant enim licitum eſſe, carnem, ova & reliqua comedere tempore quadrageſimæ. Hac in re nullum ſubeſſe peccatum, nedum (inquiebant) quia in ea abſtinentia nullum ineſt meritum, ſed etiam quia Eccleſia non poteſt talem ciborum abſtinentiam præcipere, nec filios ſuos ad pœnitentias obligare, niſi ad eas, quas nobis impoſuit Chriſtus, qui cùm ſit Rex & Legifer noſter, ipſe ſolus poteſt nos onerare, & Leges inflictivas præſcribere.

Begardi, qui Fratricelli, ſeu Fratres de paupere vita, vel Bizochi dicuntur, non audentes hanc poteſtatem prorſus denegare Eccleſiæ, eam ad aliquos reſtrictam conceſſerunt, etenim anno MCCCXIV. tempore Ludovici Bavari Imperatoris, & Joannis Papæ XXII dixerunt, Eccleſiam poſſe inſtituere jejunia, ſed noluerunt hanc poteſtatem eſſe ergà omnes Fideles; etiam ſi robuſti & juvenes ſint, ſed ſolum circà peccatores, exiſtimabant enim hominem, qui pervenit ad ſtatum perfectionis, non poſſe obligari ad jejunia Eccleſiaſtica, quia illa pœna, nimirùm abſtinentia, aut jejunium nequit infligi juſtis, in quibus nulla eſt culpa ob quam dumtaxàt dari poteſt pœna.

Begardis & Beguinis ſucceſſit majori impietate *Begardi.*
motus Joannes Vuicleffus de quo jàm ſatis alibi dic- *Vuicleffus.*
tum eſt, qui tempore Caroli IV. Imperatoris & Clementis VI. circà annum Domini MCCCLII. ut jejunia Eccleſiaſtica condemnaret, dixit, quòd confirmatio, jejunium, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papæ, & Epiſcopis ob lucri temporalis, & honoris ambitionem, ac proindè quòd inſtitutio jejunij eſt mala & vitioſa, quia abſque ulla neceſſitate, aut utilitate fuere inſtituta jejunia.

Tandem poſt tot, tantoſque viros Hæreticos, in- *Lutherus*
ſurrexerunt alij contra jejunium Eccleſiaſticum circà *Calvinus*
finem XVI. ſæculi, ſcilicet Martinus Lutherus, *Melanctonus*
Joannes Calvinus, Philippus Melancton, Brentius, *Brentius.*
& alij non minus impij, dicentes, abſtinentiam & jejunium non poſſe præcipi ab Eccleſia, freti ex illo Pauli malè intellecto: *corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt*. Ad verum hujus authoritatis ſenſum aperiendum hîc non immoramur, quia infrà explicanda eſt mens Apoſtoli in ſolutionibus objectionum Lutheranorum & aliorum Hæreticorum, qui jejunia calumniant.

§. I.

Statuitur jejunium authoritate Canonica.

PRædictos Hæreticos damnarunt plures Synodi, quæ declarant contra Jovinianos, jejunium eſſe meritorium apud Deum, qui cùm præcipiat pœnitentiam in Sacris Scripturis, præmiat jejunium, quod vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur & præmia. Sanciunt inſuper contrà Euſtatianos, Aerianos, & alios, Eccleſiam poſſe illud inſtituere; quin aliquis fidelium poſſit ſe in eo citrà peccatum diſpenſare ſine cauſa legitima ab Eccleſiæ Prælatis examinata, & approbata, quoniam non ligati, ſed ligantis eſt deligare, non Laicis, ſed Epiſcopis Chriſtus in perſona Apoſtolorum dixit: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in Cælo.*

Concilium Grangrenſe celebratum ſub Sylveſtro *Concilium*
Papa, ait cap. 19. ſuorum Decretorum: *ſi quis eorum,* *Grãgrenſe.*
qui propoſito ſunt continentiæ præter neceſſitatem corporalem ſuperbiat, & jejunia communia totius Eccleſiæ putaverit contemnenda, perfectum in ſua ſcientia vindicans rationem; Anathema ſit. Concilium Bracarenſe primum celebra- *Bracarenſe*
tum ſub Joanne Papa III. anno DLXIII. cap. 16. ſuo- *I.*
rum Decretorum ſic definit: *ſi quis quinta Feria Paſchali quæ vocatur Cæna Domini, hora legitima poſt nonam, jejunus in Eccleſijs Miſſas non tenet, ſed ſecundum ſectam Priſcilliani Feſtivitatem ipſius ab hora tertia per Miſſas defunctorum, ſoluto jejunio, colit: Anathema ſit*: In Collectorio Græcarum Synodorum per Martinum Bracarenſem Epiſcopum facta c. 50. legitur: *non liceat quinta Feria noviſſimæ Hebdomadæ jejunium ſolvere, & omnem exonerare Quadrageſimam, ſed ſincerè abſtinentes totam Quadrageſimam peragere.*

Idem ſtrictiùs præcipit Toletanum VIII. celebra-
tum ſub Martino Papa I. anno DCLIII. cap. 8. ubi ha- *Toletanum*
betur. *Tota Quadrageſima jejunetur, & abſtineatur à* *VIII.*
carnibus. Et Concilium Viennenſe generale celebra- *Viennenſe.*
tum ſub Clemente V. anno MCCCXI. per trecentos Epiſcopos, damnans Begardorum & Beguinarum errores, declarat omnibus Fidelibus, jejunia Eccleſiaſtica eſſe obſervanda.

Tandem eadem conſtitutio habetur in Sacra Tridentina Synodo ſeſſ. 25. de reformatione cap. 21 in Decreto de delectu ciborum, jejunijs, & diebus Feſtis, ubi dicitur. *Inſuper hortatur Sancta Synodus, & per Sanctiſſimum Domini noſtri atque Salvatoris adventum Paſtores omnes obteſtatur, ut tanquam boni milites illa omnia*

Tridentinũ.

quæ Sanctiſſima Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, ſtatuit, necnon ea quæ tam in hoc Concilio, quàm in alijs œcumenicis ſtatuta ſunt, quibuſcumque Fidelibus ſedulo commendent; omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, & in ijs præcipue ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia, vel etiam, quæ faciunt ad pietatem augendam &c. Hæc quidem & alia Concilia, quæ nos ad obſervantiam jejunij ab Eccleſia præcepti obligant in conſcientia, evidentèr declarant contrà Jovinianos, Uvaldenſes, Vuicleffitas, & Lutheranos, jejunium eſſe meritorium apud Deum, quoniam Eccleſia non præcipit, niſi ea quæ tendunt ad perfectionem noſtram, contra Euſtatianos, & Aerianos, jejunium non eſſe obſervandum pro cujuſcumque arbitratu, ſed ſecundum ordinem Eccleſiæ, & contra Begardos, & Beguinas, eſſe obſervandum tam à juſtis, quàm à peccatoribus, alioquin ſequeretur quòd Eccleſia præciperet pœnas, & labores carnem macerantes, abſque ulla ſpe fructus, ſeu præmij apud Deum. Quod eſt improbabile.

Sequeretur inſuper ex dictis quòd unuſquiſque eſſet ſui ipſius Paſtor & moderator; cùm ſpretis documentis Eccleſiæ, poſſet ſibi præſcribere jejunia, & rejicere ea, quæ ſunt Eccleſiæ, aut nobis præcepta ab Eccleſia, quod numquam probabunt Euſtatius, & Aerius. Sequeretur tandem ex errore Begardorum, & Beguinarum quòd Eccleſia non poſſet obligare juſtos ſicut peccatores. Quòd eſt falſum; cùm utrique ſint in Eccleſia, & Filij ejus, ut dictum eſt ſuprà contra Circumcelliones.

Dum Chriſtus dixit Principi Apoſtolorum, *Petre paſce oves meas*, dedit ei curam Fidelium, hæc autem cura includit poteſtatem præcipiendi ea, quæ ad animarum ſalutem conducunt, & prohibendi ea, quæ

Finis jejunij.

tendunt ad damnationem. Nec ad alium finem tendit poteſtas ligandi, & ſolvendi, quam habuerunt Apoſtoli, & quæ modò reſidet in Epiſcopis, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores: idcircò Eccleſia, quæ habet hanc poteſtatem, poteſt nos ligare Lege jejunij, nec non prohibere nobis pro aliquo tempore, aut in aliquibus diebus eſum carnium, ovorum, & ſimilium, quæ nobis in quadrageſima prohibentur. Nam jejunium corporale tendit ad ſalutem noſtram, noſtramque converſionem operatur. Et ex Iſai. cap. 58. multum prodeſt ad ſatisfaciendum Deo, ac ipſum placandum, ut probat exemplum Ninivitarum: Jon. cap. 3. verſ. 5. & teſtimonium Prophetæ dicentis; *Operui in jejunio animam meam.* Utiliſſimum eſt ad orationem: bona eſt enim oratio cum jejunio, & eleemoſyna, & ad contemplationem cœleſtium, quandoquidẽ Moïſes præparatus fuerit ad loquendum cum Deo per jejunium quadraginta dierum, Exod 34. Undè D. Chryſoſtomus homil. 3. in Geneſim. habuit occaſionem dicendi, *Jejunium animæ noſtræ alimentum eſt, leves ei pennas producit, ut in ſublime feratur, & ſumma contemplari queat.* Utile eſt etiam jejunium ad colendum Deum, non quòd per ſe ex opere operato, & ſine relatione ad bonum finem, cedat in honorem & cultum Dei, ut nobis falsò affingit Kemnitius, ſed quia Deus honorari cenſetur, quando propter ipſum Chriſtianus jejunat, & corpus ſuum caſtigat, ut contra Quietiſtas dictum eſt in ultimo artic. tertij libri.

Iſai. 58.

Jonæ. 3.

D. Chryſoſtomus.

Hoc verum eſſe probat Anna Propheciſſa Filia Phanuelis de Tribu Aſer, cujus mentio habetur Luc. cap. 2. verſ. 36. quæ non diſcedebat de templo jejunijs & obſecrationibus ſerviens die ac nocte, quia inquit D. Auguſtinus in ſerm. de jejunio. Jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis vero lumen accendit. Denique per jejunium multa beneficia tam æterna, quàm temporalia obtinentur à Deo, quem jejunanti ſæpé gratias contuliſſe ſcimus. Nam Sara Tob. 3. liberata fuit à Dæmone. Anna Elchanæ uxor per jejunium Filiũ Samuelem obtinuit. Multa ſunt jejunij beneficia, quæ hîc deducere ſuperfluum eſt, quoniam ab omnibus nota ſunt. Hinc eſt, quòd Eccleſia, quæ nobis præcipere poteſt ea, quæ perducunt ad ſalutem animæ, ut jam ex dictis ſuppono probatum, poteſt nobis præcipere jejunium quadrageſimale, & in alijs diebus anni, ſcilicet in vigilijs & quatuor tẽporibus.

Jejunij beneficia.

Deindè Eccleſia poteſt nobis præcipere ut offeramus Deo decimam partem dierum anni, ſicut offerimus decimam partem fructuum terræ: igitur inſtituere jejunium quadrageſimale, quô totius anni pars decima offertur Deo. Nam à prima Dominica uſque ad Paſcha ſunt tringinta ſex dies jejunij, quæ ſunt decima pars anni.

Nec novus eſt jejunandi uſus in Eccleſia Dei. Legimus Matth. 6. verſ. 17. quòd Chriſtus docens quomodo jejunandum ſit: ait: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, nè videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus qui videt te in abſcondito, reddet tibi.* Inde enim conſtat quòd jejunium obſervabatur tempore Apoſtolorum Chriſti, ab illis quidem accepimus jejunium quadrageſimale, ut affirmat Theophilus Alexandrinus dicens. *Habemus quadrageſimam ab Apoſtolis inſtitutam*, Ex quo non ſolum ſequitur, jejunium eſſe ab Apoſtolis, ſed etiam meritorium, quidquid dixerint Joviniani, nam ſi pro jejunio reddet nobis Pater, neceſſè eſt quòd ſit meritorium, quia præmium non redditur niſi pro merito. Si velint, id quòd Pater reddet pro jejunio, non eſſe præmium; ut inde concludere poſſint, jejunium non eſſe meritorium, non poſſunt negare quod id, quòd reddet, non ſit donum & ideo non poſſunt negare quod jejunium non ſit Deo gratum, quia donum non datur operi, niſi ſit largitori gratum.

Matth. 6.

Theophilus Alexandrinus.

Idem ſuadet Chriſtus Dominus (cujus actiones fuerunt meritoriæ, nullâ exceptâ) qui jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ideoque debet eſſe meritorium apud Deum, ſicut aliud opus Chriſti laborioſum. Unde cum ejeciſſet ſpiritum immundum ex corpore cujuſdam pueri, Diſcipuli ejus quæſierunt ab eo: dicentes: *Domine quare nos non potuimus ejicere?* reſpondit illis. *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur niſi in jejunio, & oratione.* Nonnè ejicere Dæmonium, eſt donum à Deo datum: cùm ſolius Dei ſit foras ejicere principem hujus mundi, & tenebrarum: ergo ſi jejunanti detur à Deo hæc poteſtas juxtà infallibile teſtimonium Chriſti, jejunium eſt res magni momenti apud Deum, eſt de genere virtutum, & pars temperantiæ viam apertiſſimam parans ad alias virtutes, nimirum caſtitatem, quoniam ſi gula juvat luxuriam, oportet ut jejunium adjuvet caſtitatem; cùm oppoſitarum cauſarum, oppoſiti ſint effectus. Neceſſè eſt inſuper quòd ſicut homo per gulam demeretur, per jejunium mereatur, & quod ſicut per gulam virtutes infirmantur, per jejunium acquirantur, & acquiſitæ augeantur, ut docet D. Hieronymus ad Demetriadem, dicens: *Jejunium non ſolum perfecta virtus ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio & pudicitia, atque prudentia, ſine qua nemo videbit Deum.*

D. Hieron.

Contra errorem Aerij exiſtimantis jejunium non eſſe meritorium, nec obſervandum, niſi fuerit ab unoquoque impoſitum. Dico, quod cùm Eccleſia habeat poteſtatem inſtituendi jejunia, nos qui Filij

Impugnatur Aetii ratio.

ejus ſumus, tenemur ea obſervare, ea enim magis meritoria ſunt, quàm ea, quæ ſolà propria voluntate facimus, quia melior eſt obedientia, quàm victima, acproinde illud jejunium quod præcipitur ab Eccleſia, eſt gratius Deo, digniorique præmio dignum, quàm illud, quod nobis voluntariè injungimus devotionis cauſa. Obedientia quam debemus Eccleſiæ præferenda eſt jejunio voluntario, quoniam jejunium ad temperandam pertinet, obedientia verò ad juſtitiam, quæ dat unicuique quod ſuum eſt, & per eam reddimus ſuperiori, quod illi debemus: habemus igitur meritum obedientiæ, & jejunij, dum ex præcepto jejunamus, & ideo melior eſt conditio illius, qui præcepto obediens jejunat, quàm illius, qui ſponte jejunat. Hujus rei argumentum eſt, quia qui non obſervat jejunium præceptum, magis peccat, quàm ille, qui non obſervat jejunium voluntariè a ſeipſo ſibi impoſitum. Quapropter opinio Aetij, & aliorum, qui eum ſecuti ſunt, eſt erronea, cùm melius ſit jejunare ex præcepto Eccleſiæ, quàm ex propria voluntate jejunium imperante. Nam juxtà communem Canoniſtarum ſententiam, meliora ſunt ea, quæ ex voti obligatione fiunt, quàm quæ ſponté. Et opera, quæ fiunt ex obligatione præcepti, meliora ſint, quam ea, quæ fiunt ex proprio arbitrio. Ratio in promptu eſt, quia gravius punientur illi, qui votum emiſerunt, & non perfecerunt, quam illi qui ſine voto malè finierunt, ſeu qui non fecerunt quod non promiſerunt, igitur qui ſervavit jejunium quod vovit, magis præmiabitur, quàm ille qui jejunavit abſque ullo voto, nulloque præcepto: contrariorum quidem eadem ratio eſt.

Begardi & Beguinæ non omnes Chriſtianos eximentes ab obligatione jejunij, ſed ſolum illos, qui ad gradum perfectionis pervenerunt, convincuntur ex illo Proverb. 6. *Conſerva Fili mi præcepta Patris tui, & ne dimittas Legem Matris tuæ.* Hæc enim verba tam ad juſtos, quàm ad peccatores, tam ad perfectos, quàm ad imperfectos diriguntur, cùm obedientia fundetur in ſubjectione, aut inferioritate, aut filiatione, quæ reſpectu Eccleſiæ (quæ eſt Mater omnium) in omnibus eſt. Quare Chriſtus dicens; Luc.

Luc. 10.

10. Diſcipulis ſuis, *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem ſpernit me, ſpernit eum, qui miſit me*: inſinuat quòd dedit Apoſtolis authoritatem ſuam, & ſubjicit Eccleſiæ ſuæ omnes eos, quos ipſe ſubjectos habet, ideoque vult, quòd omnes homines quantumvis perfecti, & juſti obediant Eccleſiæ: ejuſque Leges obſervent, quamvis inflictæ ſint; cùm habeat poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, & quodcumque ligaverit ſuper terram, erit ligatum & in Cœlo.

Non valet dicere cum ipſis Begardis, quòd ille, qui perfectionis ſtatum adeptus eſt, non indiget jejunio ad animæ ſalutem, & per conſequens, quòd non poteſt ab Eccleſia ligari Lege jejunij. Non valet inquam hæc ratio, quia ut ait Paulus caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus adverſus carnem, nedum in illis, qui ad gradum perfectionis nondum pervenerunt, ſed etiam in omnibus (ſi Deiparam excipias) nonnè vita hominis eſt militia ſuper terram? Nonnè omnes naſcimur filij iræ? Ergo in omnibus caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus adverſus carnem, & unuſquiſque habet vitia corporali jejunio comprimenda, alioquin Apoſtolus non præciperet cæteris Sanctis, ut in mortali eorum corpore peccatum non regnet. Nec corpus ſuum caſtigaſſet, ut illud in ſervitutem redigeret, quia uſque ad tertium cœlum raptus, ſanè gradum perfectionis attigerat: viderat enim arcana Dei, quæ non licet homini loqui, igitur impij & libidinoſi Begardi & Beguinæ, Paulô & Joanne Baptiſtâ longè in ſancti-tate inferiores, nè dicant oppoſitū propter peccata & delicta, quibus onerantur, credere debent, jejunium Eccleſiaſticum, eſſe ab unoquoque Chriſtianorum obſervandum juxtà præceptum Eccleſiæ. Qui Sanctus eſt poteſt adhuc ſanctificari, ut inquit Scriptura. Nullum igitur inconveniens eſt obligare perfectos ad jejunium Eccleſiaſticum, ut perfectiores fiant.

§. II.

Reſponſio ad Rationes Hæreticorum.

HÆreticorum fundamentum deſumitur ex illo ad Timoth. 1. cap. 4. verſ. 8. *Corporalis exercitatio, ad modicum utilis eſt; pietas autem ad omnia utilis eſt promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*: Inde enim concludunt, jejunium corporale quod eſt quædam exercitatio, eſſe parvi momenti. Et Apoſtolum deſpexiſſe illud. Acproindè non poſſe præcipi ab Eccleſia, cujus poteſtas eſt præcipere ea, quæ magni momenti ſunt apud Deum pro noſtra ſalute.

Reſpondeo hanc authoritatem non nocere, quia non negat jejunium eſſe meritorium & utile, neque inſinuat, Apoſtolum deſpexiſſe illud, licet dicat exercitationem eſſe ad modicum utilem, quia loquitur de exercitatione quæ non habet pietatem ſibi conjunctam, quæ revera parui momenti eſt, ſi deſit pietas, non verò de jejunio corporali, aut exercitatione habente pietatem ſibi conjunctam. Hæc explicatio à nullo poteſt contradici, quoniam colligitur ex proprio textu, ſeu ex verbis præcedentibus per quæ Timothæum admonebat, ut ſeipſum ad pietatem exerceret. Et ut ei hanc veritatem ſuaderet, ſtatim ſubdit: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia utilis eſt.* Hæc autem verba immediatè ſequuntur ad iſta *exerce autem teipſum ad pietatem*, ac ſi dixiſſet, non ſic fidas carnis macerationi, ut hanc ſolam ſine pietate ſufficere, putes, quoniam ſine pietate ad modicum utilis eſt hæc exercitatio corporalis; ideò exerce teipſum ad pietatem, quæ cùm multò præſtantior ſit, quàm carnis maceratio, macerationis carnis tuæ augebit meritum. Hoc eſſe verum colligitur ex eodem Apoſt. 2. ad Corinth. cap. 6. Ibi enim numerando ea, quæ fecit ut probatum ſe Dei Miniſtrum oſtenderet, admittit jejunium ſicut caſtitatem, ſcientiam, longanimitatem, laborem, patientiam &c. igitur ex Apoſtolo jejunium eſt meritorium.

Solvitur prima hæreticorū ratio.

2. Corint. 6.

Rurſum dicere poſſem cum Theophilato eumdem Pauli locum exponente: jejunium non eſſe propriè exercitationem corporalem, cum ſit ſpiritale. Nam etſi corpus per inediam maceretur, ſpiritus tamen eſt vigilantior, & jejunij beneficium recipit: & per conſequens Apoſtolus, hic per corporalem exercitationem, non intelligit jejunium, ſed potius laborem manualem, qui ſi fiat ſine pietate, ad modicum utilis eſt, quia pietas eſt Mater boni operis, ut inquit D. Gregorius lib. 18. moral. cap. 2. relatus in can. *Si quælibet* cauſ. 22. quæſt. 2.

Theophilatus.

Objiciunt iterum adverſus jejunij meritum, illud Iſai. cap. 58. verſ. 3. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti.* Et verſ. 5. *Numquid tale eſt jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?* verſ. 6. *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? diſſolve colligationem impietatis, ſolve faſciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe, frange eſurienti panem tuum &c.* Ex quibus Hæretici inferunt, Deum deſpicere jejunium tamquam opus inutile, & ingratum, ac indignum præcipi ab Eccleſia, quæ non præcipit niſi ea, quæ ſunt grata Deo.

Iſai. 58.

Reſpondeo ex verbis Prophetæ neminem poſſe concludere, Deum deſpicere jejunium abſolutè, nec ipſum jejunium eſſe ingratum Deo ex ſe, ità ut quodlibet jejunium ſit ex ſe deſpiciendum (alioquin Deus non hortaretur per os Joëlis omnes & potiſſimum

Sacerdotes ad Jejunium,) ſed ſolum fictum, & vitioſum, ſeu malu animo, maloque fine obſervatum, quale eſt jejunium Pharyſiacum, cui multa alia ſcelera adjunguntur propter malum finem. Tale quidem fuit jejunium Judæorum, quorum hypocriſis hîc reprehenditur, & jejunium ſic factum rejicitur, nedum tamquam nullum, ſed etiam ut demeritorium, ut manifeſtè indicant verba, quæ ſunt in verſ. 3. & 4. *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis: ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter.* Quibus conſtat, Deum non deſpexiſſe abſolutè jejunium Judæorum, nec dixiſſe illis; *nolite jejunare*, ſed ſolum ut circunſtantiam viriantem oſtenderet, *nolite jejunare hoc modo*, id eſt, malo animo, aut ad lites & contentiones: addit enim: *ſicut uſque ad hanc diem*, quòd probat jejunium Judæorum non eſſe malum ex ſe, ſed ex mala circunſtantia. Hæc autem particula: *ſicut uſque ad hanc diem*, denotat quòd alio modo erat à Judæis obſervandum jejunium; igitur Deus non deſpicit jejunium quod fit ex charitate, & cum pietate, quæ cùm ſit Mater boni operis, ut jam monui ſupra, meritorium reddit jejunium, & ità operatur, ut caro ſubjiciatur ſpiritui. Tale quidem jejunium laudatur à Deo, & præmium, dicit illi eſſe ſtatutum à Patre, ac proindè Eccleſia poteſt nobis præcipere illud, ut carnem noſtram Spiritui ſubjiciamus, & Spiritum Deo.

Solvitur altera Hæreticorum ratio.

Præterea ſi ex reprehenſione illa, quàm refert Propheta, inferre liceat, Deum deſpicere ità jejunium, ut nulli poſſit ab Eccleſia præcipi, ſequeretur quòd nulla diei celebritas fieri poſſet, etiam juſſu Eccleſiæ, quia Deus per eumdem Prophetam reprehendit Judæos cap. 1. Iſai. verſ. 14. dicens: *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea: Facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens*: cum ex verbis Prophetæ non ſit major ratio de jejunio, quàm de celebritate diei Feſti. Nullus tamen affirmat celebritatem diei Feſti eſſe malam. Nec poſſe præcipi ab Eccleſia, negat, non obſtante authoritate adducta in contrarium; ergo nec poſſunt abſolutè negare jejunium Hæretici: quamvis Propheta aſſerat, Deum reprehendiſſe jejunium Judæorum, ſed ſolùm illud quod ſine pietate cum peccato & malo fine fit, ut fiebant celebratio Feſtorum apud Judæos, & orationes. Quare Deus dixit illis, *& cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Hoc ſanè non diceret orantibus in Spiritu, & veritate, ſicut oportet nos orare Deum, nam oratio Juſti multum valet inquit D. Jacobus. Et Chriſtus Dominus præbet illam ut medium ad vincendas tentationes, dicens Diſcipulis ſuis in periculo deficiendi conſtitutis: *vigilate & orate, nè intretis in tentationem.* Ità nec deſpexiſſet Deus jejunium Judæorum, ſi jejunaſſent cum pietate.

Iſai. 14.

Ad rationes ab Hæreticis in principio articuli propoſitas. quibus probare contendunt, Eccleſiam non poſſe inſtituere jejunia, ex eo quòd jugum Chriſti ſuave eſt, & onus ejus leve. Dico quòd non valent, quia jugum Chriſti non eſt ità ſuave, nec onus ejus ità leve, ut nulla poſſit eſſe Lex inflictiva, nullumque præceptum obligans Fideles ad mortificationem in Lege Evangelica, cùm crucem tollere, & pœnitentiam agere teneamur, indigeamus etiam laboribus, vigilijs, jejuniis & orationibus, quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Sed eſt leve quatenus Chriſtus liberavit nos à ſervitute peccati, & dedit nobis faciliora præcepta, & Sacramenta utiliora, & efficaciora: igitur Eccleſia poteſt nobis præcipere jejunium corporale quòd vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur & præmia, ut canit Eccleſia in Prefatione Quadrageſimæ. Undè D. Ambroſius lib. de Elia, & jejunio ait: *Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt Caſtitatis. Hoc gradu ad Deum citius pervenit, hoc gradu antequam curru Elias aſcendit.*

D. Ambroſ.

Videant Hæretici an jejunium tot, tantaque beneficia conferens, poſſit eſſe ſine merito, & diſplicere Deo virtutum amatori? Sane ſi virtutem jejunij attentè conſiderarent, & vellent avertere, Chriſtum jejunio ſuo Quadraginta dierum dediſſe exemplum jejunandi, faterentur, jejunium eſſe maximi meriti apud Deum. Et Eccleſiam merito præcepiſſe illud Fidelibus; tam illis, qui ad perfectionis gradum pervenerunt, quàm illis, qui ad illum gradum aſcendere volunt. Nam ut inquir D. Hieronymus ad Nepotianum ardentes Diaboli ſagittæ, jejuniorum & vigiliarum frigore reſtringendæ ſunt. Hinc eſt quòd omnes debent jejunare; cùm Diabolus ſit adverſarius omnium, juxtà illud Petri monitum 1. cap. 5. *Fratres ſobrij eſtote & vigilate quia adverſarius veſter Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.*

D. Hieron.

1. Petr. 5.

ARTICULUS XIII.

Tenet adverſus Severianos, Libros Eccleſiæ eſſe Canonicos.

PEr Libros Eccleſiæ ab Hæreticis impugnatos, vetus, & novum intelligimus Teſtamentum, id eſt, omnes & ſingulos Libros, qui in Sacris Biblijs referuntur, & recipiuntur ab Eccleſia Romana, tamquam Sacri & Canonici, & ab ipſa proponuntur tamquam regula Fidei, & morum reformandorum. Hi autem Libri Canonici, ex quibus univerſa Scriptura Sacra componitur, ſunt illi quorum meminit Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis, ubi legitur: *Sacrorum verò Librorum indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit; nè cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt verò infra ſcripti: Teſtamenti veteris quinque Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & ſecundus. Teſtamenti novi, quatuor Evangelia ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli.* præter quos nullus eſt Liber Canonicus, ſeu qui ad vetus, vel ad novum, Teſtamentum pertineat, quique in Sacra Scriptura reponi poſſit.

Sacrorum Librorum numerus.

§. I.

In quo referuntur Hæretici qui Sacros Libros impugnarunt.

Cerinthus.

EX his ſeptuaginta duobus Libris, quorum quadraginta quinque primi, ſunt veteris Teſtamenti. Et viginti ſeptem poſteriores, ſunt novi Teſtamenti. Cerinthiani ſic dicti à Cerintho viro Hæretico, & peſſimis motibus aſſueto, natione Judæo, & ex numero eorum, qui deſcendentes de Judæa in Jeruſalem anno Domini LXIX. ſub Nerone Imperatore, & D. Petro Apoſtolo, docebant, Legem veterem juxtà omnia illius præcepta, eſſe ſervanda unà cum Lage nova, rejiciebant Evangelia (excepto eo quod eſt ſecundum Matthæum) & librum Actuum Apoſt. cæteros autem libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti admittebant velut Sacros, & Canonicos, ſeu ſcriptos dictante Spiritu Sancto. Eamdem hæreſim poſteà, ſcilicet anno LXXX. ſub Tito Imperatore, & Cleto Romano Pontifice, docuit Ebion vir magnæ facundiæ, ſed perverſæ & Hæreticæ mentis, qui varios ex Samaritanis, Nazaræis & Cerinthianis collectos diſſeminans errores, Libros Canonicos ut Cerinthus ſpernebat omnes ex ſupra nominatis, quos prius rejecerat velut Apocryphos ipſe Cerinthus.

Ebionitæ.

Carpocrates

Huic hæreſi altera oppoſita ſucceſſit anno cxxix. tempore Adriani Imperatoris & Sixti Papæ, cujus author fuit Carpocrates qui docuit, vetus Teſtamentum eſſe omninò rejiciendum, & ſolum novum ſervandum, nullo Libro excepto. Hujus Hæretici errori anno CXLIV. imperante Antonino Pio, & Eccleſiam Dei regente Hygino, quidam vir Hæreticus profeſſione Magus, nomine Cerdon, alium addidit, nimirum Evangella eſſe rejicienda, excepto Evangelio Lucæ, quia ea, quæ ſunt Matthæi, Marci, & Joannis putabat eſſe falſa, ſicut vetus Teſtamentum.

Cerdon.

Marcion.

Marcion natione Ponticus, Patria Synopenſis, ſub eodem Imperatore & Pio hujus nominis Papa I. circà annum Domini CLV. eoſdem errores multiplicavit; addidit enim Libros Prophetarum, Patriarcharum, & Moyſi, ſen omnes Libros veteris Teſtamenti, eſſe omninò abjiciendos, velut ab alieno Deo, editos. Et ex novo recipiebat Evangelium quod eſt ſecundum Lucam, (rejecta tamen Genealogia) novem tantum Epiſtolas Pauli Apoſtoli, & Librum Actuum Apoſtolorum à D. Luca conſcriptum, & ſic ex novo Teſtamento rejiciebat ſimul cum veteri, tria Evangelia, quinque poſteriores Epiſtolas D. Pauli, Epiſtolas Petri, Jacobi, Joannis, Judæ & Apocalypſim. Marcionem in hoc errore ſecuti ſunt anno CLXXIII. tempore Marci Antoini Imperatoris, & Soteris Summi Pontificis, Tarianitæ, quorum autbor eſt Tatianus, Juſtini Martyris & Philoſophi Diſcipulus, qui teſte Nicephoro docuit omnes errores Marcioniſtarum.

Tatianitæ.

Severiani.

Quidam Tatiani Diſcipulus nomine Severus, à quo Severiani ortum habent, Magiſtri ſui errorem circà Libros Canonicos mirigare voluit, anno CLXXVIII. regnantibus eodem Imperatore, & eodem Papa, & dixit, ex Sacra Scriptura reſpuendum eſſe Librum Actuum Apoſtolorum, & omnes Epiſtolas Paulinas dumtaxàt. Recipiebat quatuor Evangelia, Epiſtolas Petri, Jacobi, Joannis, Judæ, & Apocalypſim, ut teſtatur Euſebius Cæſarienſis Lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 26. Alogiani autem, ſeu viri verbo carentes, ferè omnes libros admittebant, rejiciebant tantum Apocalypſim, & Evangelium D. Joaonis, quia in hoc Evangelio dicitur, Jeſum Chriſtum eſſe Verbum Patris, quapropter dicti fuerunt *Alogi* ſive *Alogiani*, id eſt, viri ſine Verbo, aut negantes Verbum eſſe in Deo. Exorti ſunt circà annum Domini CLXXX. ſub Commodo Imperatore, & Sotero Papa.

Alogiani.

Elchæſaitæ.

Sæculo autem ſequenti, videlicet anno CCXXXIX. ſub Maximino Imperatore, & Fabiano Papa emerſerunt quidam viri Hæretici dicti Elchæſaitæ, à quodam Pſeudo-Propheta Elchæſaë, ſic dicti, qui cum Cerintho, Ebione & Nazaræis, Legem veterem juxtà omnia illius præcepta, unà cùm Evangelio ſervandam eſſe aſſerebant, & de Scripturis quædam refutabant, & quædam rurſùs novæ ac veteris Legis teſtimonia admittebant, ſed Paulum Apoſtolum velut illis per omnia adverſantem prorſùs reſpuebant.

Manichæi.

His ſucceſſerunt Manichæi, de quibus locuti ſumus in 2. artic. hujus operis, qui ut Elchæſaitarum hæreſim extenderent, totum vetus Teſtamentum rejiciebant. Et ex novo, omnes, & ſingulos Apoſtolorum libros admittebant, excepto libro Actuum Apoſtolorum. Mahometes de quo ſæpè locuti ſumus tam vetus, quàm novum Teſtamentum rejecit, & ſuis Aſſeclis nullum alium librum reliquit præter Alcoranum, ideoque omnes libros Sacros, hoc eſt, univerſam Scripturam Sacram prorſùs abnegavit: Albanenſes (qui circa annum DCCXCVI. tempore Conſtantini III. Imperatoris, & Leonis III. Papæ, duo rerum principia cum Gnoſticis, Carpocratianis, Cerdonianis, Marcioniſtis, Manichæis, & alijs Polythæis admittebant, bonum unum, à quo bona, malum alium, à quo mala omnia proveniunt) vetus Teſtamentum reſpuebant, quia à malo principio eſſe putabant, ut refert Guido Carmelita, novum verò venerabantur tanquam inſtrumentum à vero Deo Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, nobis datum.

Mahometus

Albanenſes.

His omnibus adverſus Sacram Scripturam, magis impium protulit Judicium anno MCCCCXCIX ſub Maximiliano Imperatore, & Alexandro VI. Papa, Hermanus Riſſuich, qui teſte Bernardo de Luxemburgo, dixit, Evangelium eſſe falſum, & Fidem noſtram fabuloſam. Et ut Sacræ Scripturæ inimicum ſe oſtenderet, aſſerebat, Biblia eſſe opus fictum. Poſteà, ſcilicet MDXVII. Martinus Lutherus reverà univerſam Scripturam non negavit, ſicut Hermanus, cujus Doctrinam in multis ſecutus eſt, ſed rejecit libros Machabæorum, & aſſeruit, illos non eſſe Canonicos, nec dignos annumerari inter libros Sacros. Rejecit pariter Epiſtolam Jacobi, hujus rejectionis cauſa, eſt quia libri Machabæorum, & Epiſtola D. Jacobi, falſa Lutheri Dogmata apertiſſimè impugnant, ut prædictos libros legenti patebit, modò prius legerit Lutheri errores, apud noſtrum Alphonſum de Caſtro, & alios Scriptores adverſus Lutheranos.

Hermanus Riſſuich.

Lutherus.

Tandem impijſſimus Calvinus natione Picardus, Patria Noviodunenſis inter Hæreticos ſuæ ætatis, ſolo Luthero impietate minor, publicè prædicavit, ſub Carolo V. Imperatore, & Paulo III. Romano Pontifice circà annum Domini MDLVII. libros Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum eſſe falſos, rejecit pariter Canticum trium Puerorum, hiſtoriam Suſannæ, decem ultimos verſus decimi capitis libri Eſther, & ſex ultima capita, quæ ſequuntur ejuſdem libri. Hos prædictos libros excludit eadem ratione, qua Luther, imò qua omnes Hæretici moventur ad rejiciendos Sacros libros, quoniam omnibus ferè Hæreticis, hoc unum ſit commune, Sacris videlicet Scripturis detrahere quippècùm Sacra Scriptura ſit myſtica quædam Turris Davidica, ex qua pendet omnis armatura fortium, & Catholicorum virorum, Hæretici conantur eam minuere, nè habeamus arma, quibus eorum valeamus inſanas proſternere Doctrinas, ideo ab

aliquibus unus liber, ab alijs alius rejicitur; prout quiſque expediens videtur, & ſuæ aſſertioni talis libri Doctrina repugnat. Etenim Hæretici nequeunt citius debellari, nec hæreſes extingui, quàm per traditionem, & Sacram Scripturam, quæ ſunt duæ infallibiles fidei noſtræ regulæ, ideoque ſi in hæreſi velint perſiſtere, ſuoſque ſibi Aſſeclas conſervare, neceſſè eſt quòd rejiciant traditiones, & libros illos qui iniquitates eorum manifeſtè demonſtrant.

§. II.

Probatur Libros Eccleſiæ eſſe Canonicos.

Libros ſupra relatos juxta Decretum Tridentinæ Synodi, eſſe Canonicos & Sacros declarant, nedum ipſum Concilium Tridentinum, ſed etiam plura alia ipſo antiquiora, ſcilicet Laodicænum celebratum anno CCCXVIII. per triginta duos Epiſcopos ſub Sylveſtro Papa, Præſide Nuxechio Phrigiæ Metropolitano, cujus verba omitto brevitatis gratia. Carthaginenſe III. anno CCCXCVII. ſub Syricio Papa, cui ſubſcripſit Sanctus Auguſtinus. Romanum celebratum ſub Gelaſio anno CCCCXCIV. Florentinum quod eſt generale decimum ſeptimum ſub Eugenio Papa IV. anno MCCCCLVIII. per centum quadraginta unum Epiſcopos pro damnandis Græcorum erroribus, & uniendis ijſdem cum Eccleſia Latina, Græcis. Et alia quamplurima Concilia, in quibus legitur Catalogus Sacrorum Librorum, quique receptus fuit ab univerſa Eccleſia Chriſti. Non parùm juvat afferre reſolutiones, aut deciſiones Summorum Pontificum, ſed ſufficit his addere authoritatem Innocentij I. Summi Pontificis, qui in quadam Epiſtola, quam circà annum CCCCIV. ſcripſit ad Exuperium Toloſæ Epiſcopum ampliorem Scripturarum Canonem ſtatuit, Sanctione VII. his verbis: *Qui verò libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, brevis annexus oſtendit: Hæc ſunt ergo quæ deſiderata moneri voce voluiſti. Moyſi lib. V. id eſt, Geneſis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomij: & Jeſu nave unus, Judicum unus. Regum libri IV. ſimul & Ruth. Prophetarum libri XVI. Salomonis libri V. Pſalterium. Hiſtoriarum Job liber unus. Tobiæ unus, Eſther unus, Judith unus, Machabæorum duo, Eſdræ duo, Paralip. duo; item novi Teſtamenti Evangeliorum libri IV. Apoſtoli Pauli Epiſtolæ XIV. Epiſtolæ Joannis III. Epiſtolæ Petri duæ. Epiſtola Judæ, Epiſtola Jacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Joannis. Cætera autem quæ vel ſub nomine Matthiæ, ſive Jacobi minoris, vel ſub nomine Petri & Joannis, quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt; vel ſub nomine Andreæ, quæ à Xenocharide, & Leonida Philoſophis; vel ſub nomine Thomæ, & ſi quæ ſunt alia, non ſolùm repudienda, verùm etiam noveris eſſe damnanda.* His omnibus ſubſcripſerunt Sancti Patres communiter, & præſertim D. Auguſtinus lib. 15. de civitate Dei cap. 25. & lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8.

Tridentinũ. Laodicænũ. Carthaginẽſe. III. Romanum. Florentinũ. Innocentius I. D. Auguſt. 2. Petr. 1. 2. Timot. 1.

Libros veteris Teſtamenti eſſe Sacros conſtat contra Cerinthianos, Ebionitas, & alios Polytheos, ex eo quòd Sancti Prophetæ dum loquuntur in Scripturis paſſim dicant: *Hæc dicit Dominus*, vel, *factus eſt ſermo Domini ad me dicens*, vel, *factum eſt verbum Domini ad me dicens*, ut omnibus in Sacris paginis verſatiſſimis notum eſt. Unde D. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. verſ. 21. ait: *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed inſpirati Spiritu Sancto, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Et Paulus 2. ad Timot. cap. 3. verſ. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum*: Hæc autem Scriptura eſt ea, quæ in Sacris libris Bibliorum continetur, cùm in ipſis nihil aliud ſit, quàm ſermones Prophetarum, & Apoſtolorum, qui verè ſunt ſermones Domini, aut verbum Dei, quoniam Deus dictavit eos, ut aſſerit D. Auguſtinus ſerm. 2. in Pſal. 90. ubi ait: *De illa civitate unde peregrinamur hæ litteræ nobis venerunt, ipſæ ſunt ſcripturæ, quæ nos hortantur, ut benè vivamus.* Et D. Gregorius Epiſt. 40. ad Theodorum Medicum: *Quid eſt aliud Scriptura Sacra, quàm Epiſtola quædam omnipotentis ad creaturam ſuam*: Igitur ex Apoſtolo Canonici ſunt libri ſuprà cum Tridentino numerati, nam per libros Canonicos intelligimus eos, quos Spiritus Sanctus dictavit Scriptoribus, ut per eos doceamur, cùm quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram Doctrinam ſcripta ſint.

D. Gregor.

Deindè Chriſtus non venit Legem ſolvere, ſed adimplere, quapropter juxtà Legis præſcriptum, circumciſus fuit in Templo: diebus Feſtivis in Templo aſcendit, ut ſecundum conſuetudinem Judæorum, & Legem, Deum adoraret; Agnum Paſchalem cum ſuis Diſcipulis comedit, cæteraque Legis præcepta ad amuſſim ſervavit, & implevit, ita ut iota unum, aut unus Apex non præteriret à Lege donec ab eo omnia fierent. Nonne hæc obſervatio oſtendit libros ſaltem legales, ſcilicet libros, quibus Pentateuchus componitur, eſſe Sacros & Canonicos, ſeu à Spiritu Sancto dictatos, alioquin Chriſtus non obſervaſſet ea, quæ præcipiunt. Quia non fuiſſent præcepta Dei, ſed Moyſi dumtaxàt.

Validum pro veteri Teſtamento argumentũ.

Quantum ad alios, ſeu Hiſtoricos, videlicet Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralypomenon, duo Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, & duo Machabæorum. Et ad Sapientiales, videlicet libros Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Canticorum, Sapientiæ, ac Eccleſiaſtici. Necnon ad libros Propheticos, videlicet Pſalmorum Davidis. Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Baruch, Danielis, & aliorum duodecim Prophetarum minorum, oſtenditur nobis ipſos libros verè eſſe Canonicos, ac Sacros, ex eo quod ſæpè citentur in novo Teſtamento, quod Hæretici Marcioniſtæ, Ebionitæ, Manichæi, & alij adſcribunt, Deo optimo, hominumque Reparatori, & Salvatori. Nam ſi vetus Teſtamentum non eſſet Scriptura Canonica, Scriptores novi, ſcilicet Evangeliſtæ, & Apoſtoli non retuliſſent plures textus illius, quos tamen referunt, ut patet in margine Bibliorum, in qua omnes diſjunctim veteris Teſtamenti libri recenſentur: ergo vetus Teſtamentum ab Apoſtolis ſæpè relatum, eſt Canonicum; alioqnin in novo plura continerentur, quæ non eſſent à Deo. Quod eſt falſum, acproinde à nullo poſſunt citrà hæreſim rejici tamquam Apochryphi.

Ut autem hæc veritas magis eluceſcat, de quolibet veteris Teſtamenti libro diſcurrendum eſt: Pentateuchum, ſeu quinque primos libros ſcripſit Moiſes, ut probant contrà Hæreticos varij textus novi Teſtamenti, quod ipſi admittunt: nam Joan cap. 5. verſ. 45. Chriſtus alloquens Judæos incredulos & ad oracula Moyſi fidem denegantes, hanc veritatem docet, ibi enim ait: *Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem; eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſan & mihi: de me enim ille ſcripſit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?* Et cap. 1. verſ. 45. *Philippus dicit ad Nathanaël: quem ſcripſit Moyſes & Prophetæ, invenimus Jeſum Filium Joſeph à Nazareth*, illa autem oracula quibus Meſſias pronunciatur à Moyſe venturus, extant in Pentateucho, videant itaque Manichæi reverà Moyſem in novo Teſtamento affirmari Pentateuchi ſcriptorem, & ipſum Pentateuchum eſſe ſcripturam divinitus inſpiratam, loquebatur enim Dominus ad Moyſem facie ad faciem, & ore ad os, divina ſunt igitur ea, quæ ſcripſit Moyſes.

Joan. 5. Act. 15.

Idem confirmant Apoſtoli Petrus & Paulus, ille Actor. cap. 15. verſ. 21. dicens: *Moyſes enim à tem-*

poribus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur. Iſte verò ad Corinth. 2. cap. 3. verſ. 15. ait, *Sed uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen*
2. Corinth. 3.
poſitum eſt ſuper cor ejus. Hi autem præcipui libri qui in Synagogis legebantur per omne Sabbatum, erant quinque libri Moyſi, ut fatentur omnes, & ut probat perpetua traditio. Atqui quinque primi libri Sacrorum Bibliorum non poſſunt eſſe Moyſi, ſeu à Moyſe conſcripti, nec laudari in Novo Teſtamento, niſi conſcripti fuerint, Deo Jubente, & niſi maximam haberent authoritatem apud Apoſtolos. Nam Paulùs ad Hebr. cap. 11. verſ. 24. illum inter primos fidei, ac veræ Religionis Hæroes recenſet:
Heb. 11.
fide, inquit, *Moyſes grandis effectus negavit ſe eſſe Filium Filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium*
Eccleſ. 45.
Chriſti. Et Eccleſiaſticus cap. 45. ait: *Dilectus Deo & hominibus Moyſes cujus memoria in benedictione eſt* &c. Ergo quinque libri Moyſi ſunt verè verbum Dei, hoc eſt, Sacri, inſpirante Deo, conſcripti ad noſtram
Joſue 8.
ſalutem ſtabiliendam. Unde Dominus dixit ad Joſue verſ. 7. & 8. cap. 1. *confortare igitur, & eſto robuſtus valdè; ut cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus, ne declines ab ea ad dexteram vel ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.*

Quantum ad alios ejuſdem veteris teſtamenti libros nulla poteſt eſſe contradictio, ſunt enim illi in quibus continentur veræ, atque divinæ religionis præcepta & documenta è quibus nihil competit, quod à ſincera pietate, veroque Dei cultu ſit alie-
Joan. 5.
num, unde de illis ſicut de Pentateucho loquitur Jeſus Joan. cap. 5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Hoc quippe nomen *Scripturas* non magis convenit Pentateucho, quàm aliis libris Sacris, cùm nullus ſit, qui teſtimonium non perhibeat de Chriſto. Et Luc. cap.
Luc. ult.
ult. *neceſſè eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis, & Pſalmis de me.* Paulus ad Rom. cap. 1. ait: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei quod ante promiſeras per Pro-*
Rom. 1.
phetas ſuos in Scripturis Sanctis: Igitur non ſolum Pentateuchum, ſed etiam alios libros, in decreto Tridentini relatos, tenemur recipere ut Sacros, & Canonicos, ſicut à Spiritu Sancto dictatos, ſunt enim ſcriptura illa, de qua loquitur Chriſtus locis citatis.

Calviniſtæ volunt, Apoſtolum per Scripturas Sanctas intelligere libros illos, qui Canonici erant apud Judæos. Sed (inquiunt) libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtes & Machabæorum non erant Canonici apud Judæos: ergo nec in Eccleſia Chriſti, quæ recipit Judæorum Scripturas, in quibus Meſſias promittitur futurus.

Reſpondetur, Apoſtolum per Scripturas Sanctas intelligere omnes libros, quos dictaverat Spiritus
Rejicitur hæreticorum inſtantia.
Sanctus, quique ſunt omnes illi, qui in Canone Eccleſiæ divinas Scripturas determinante, ſunt expreſſi, id enim aliundè nobis certò conſtare non poteſt, quàm ex judicio Eccleſiæ, quæ cùm didiſcerit à Spiritu Sancto omnem veritatem, perfectè cognoſcit libros, quos dictavit ipſe Spiritus Sanctus. Quapropter D. Auguſtinus ait: *Evangelio non crederem, niſi*
D. Auguſt.
me Eccleſia commoveret authoritas. Nec ità reſtringuntur libri Sacri ſuper Canones Judæorum: ut Chriſtiani debeant habere pro Canonicis, ſolùm illos, quos Canonicos habuerunt & admiſere Judæi, ſed quos Canonicos Chriſti Eccleſia declaravit, non enim Canon Hæbræorum, ſed Eccleſiæ Canonicas facit Scripturas, ut inquit Eminentiſſimus Cardinalis Hoſius. Ideoque perperam è veteri teſtamento libros Tobiæ, Judith, &c. expungunt Calviniſtæ, ea præciſe ratione, quia à Judæis expuncti fuerunt, quoniam, non à Synagoga, nec à Judæis regitur Eccleſia Chriſti, ſed à Spiritu Sancto, idcirco non eos, quos Synagoga recepit libros, nos tenemnr recipere, ſed eos, quos recepit Eccleſia Romana.

Dicent iterum, Eccleſia recipit tantum eos libros, quos admiſit D. Hieronymus. Et reprubat eos, quos à Canone rejecit, ut clarè colligitur ex Can. *Sancta* *D. Hieronymus.*
Romana Eccleſia, diſt. 15. Sed D. Hieronymus præf. in proverbia, dicit, librum Tobiæ non eſſe Canonicum, *Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad Eccleſiaſticorum dogmatum authoritatem confirmandam*: igitur prædicti libri non ſunt Canonici.

Reſpondeo Divum Hieronymum eſſe intelligendum cum diſtinctione. Pro cujus intelligentia advertendum eſt, libros Canonicos, quos in Bibliis noſtris habemus, eſſe in duplici ordine, quidam enim dicuntur Protocanonici, alij verò Deuterocanonici. Priores ſunt illi, de quibus in Eccleſia à Catholicis numquam dubitatum fuit, poſteriores verò ſunt illi, de quibus olim dubium fuit apud Catholicos, licet modò ab omnibus recipiantur tanquam Canonici. Unde D. Hieronymus in loco citato ad priorum canonicorum librorum ordinem attendens, dixit libros Tobiæ, Judith, & Machabæorum non eſſe Canonicos, hoc eſt, de numero Canonicorum primi ordinis, ſeu non fuiſſe ſemper receptos in Eccleſia, aut eſſe protocanonicos. Sed non pronunciavit, libros Tobiæ, Judith &c. Non eſſe Canonicos abſolutè, hoc eſt, nec protocanonicos, nec deuterocanonicos, quia cùm Sancti Auguſtinus & Hieronymus, & Concilium Carthaginenſe tertium (cui ipſemet Sanctus Auguſtinus interfuit) hos libros in Catalogo Sanctarum ſcripturarum enumerarunt, non ad primum, ſed ad ſecundum ordinem librorum Canonicorum reſpexerunt. Neque id, Sanctus Hieronymus improbat, quippe librum Judith à Synodo Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum computatum affirmat.

Dicent, Si dubitatum fuerit olim, an prædicti libri, ſeu Deuterocanonici fuerint recipiendi velut conſcripti, Spiritu Sancto inſpirante, hocque dubium fuerit in Concilio Laodicæno apud Sanctos Patres in Spiritu Sancto congregatos, qualiter nos audemus velut certi, aſſerere libros Tobiæ, Judith &c. de quibus illi dubij fuerunt, eſſe Canonicos & Sacros.

Reſpondeo hanc rationem non valere, quoniam non licet inferre, nos debere dubitare de eo, de *Reſponſio*
qoo dubitabant Antiqui, nec licet aſſerere unum *ad inſtantiam hæ-*
Concilium non poſſe declarare aliquid eſſe de fide, *reticorum.*
ſi non fuerit in aliquo priori declaratum. Deus enim quotidie plenius nos illuſtrat, & Eccleſiæ ſuæ non omnia ſimul, ſed juxtà opportunitatem temporis revelavit documenta, ut patet de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, quam hæretici admittunt ob declarationem poſteriorum Cunciliorum, quamvis hæc particula *filioque* prununciata non fuerit in prioribus Eccleſiæ Conciliis. Hinc eſt quòd Eccleſia comparatur auroræ, quæ temporis ſucceſſu magis ſplendet, vehementiuſque rutilat, quô fit, ut multa nunc ſciamus, quæ à primis Patribus, aut dubitata, aut prorsùs ignorata fuerunt, quia progreditur aurora, conſurgitque ſol, effunditque ad oculos

noſtros lucis ſuæ ubexiores radios: igitur libri Deuterocanonici ſuor recipiendi: quamvis de ipſis aliquandò dubitatum fuerit, aut recepti non fuerint, cùm Eccleſia Romana in Concilijs Florentino, & Tridentino congregata, eos receperit, Deo ſic inſpirante.

§. III.

Solvuntur Argumenta Contraria.

Prima hæreticorum ratio.

CErinthiani, Marcioniſtæ, Manichæi, & alij, qui vetus teſtamentum rejiciunt. Sic argumentantur: eos debemus rejicere libros, in quibus exarantur præcepta, quorum obſervatio nobis interdicitur: ſed libri veteris teſtamenti varia continent præcepta, quæ nobis obſervare non licet; alioquin teneremur obſervare legem Moſaicam, ſimul cum lege Evangelij. Quod eſt hæreticum, ut in proprio loco dictum eſt contra Cerinthianos, Ebionitas, Nazaræos & alios, itaque illi libri nullius uſus, nulliuſque authoritatis eſſe debent in Eccleſia Chriſti, ut cùm non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia, nullam aliam regulam fidei habeamus præter novum Teſtamentum, in quo continetur voluntas Chriſti Salvatoris noſtri.

Reſponſio ad hanc rationem.

Reſpondeo cum Divo Auguſtino lib. 6. cap. 2. contrà Fauſtum Manichæum, præcepta eſſe duplicis generis, quædam ſunt vitæ agendæ. Et quædam vitæ ſignificandæ, v. g. *Non concupiſces*, eſt præceptum vitæ agendæ: *Circumcides omnem maſculinum octavo die*, eſt præceptum vitæ ſignificandæ. Poſteriora non ſunt obſervanda, quoniam id, quod ſignificabant, recepimus, nec ſumus ſub figura, aut umbra, ſed ſub realitate, ideoque non tenemur obſervare præcepta vitæ ſignificandæ. Priora verò ſunt obſervanda, quia ſumus adhuc in via, & nondum obtinuimus præmium, ſeu vitam æternam, quam Chriſtus promiſit illis, qui obediunt mandatis, dicens: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*. Hinc eſt quòd libri veteris teſtamenti non ſunt rejiciendi, quamvis in ipſis exarentur præcepta ſignificandæ vitæ quæ obſervare non poſſumus. Congruit enim retinere ea, quæ ventura ſignificabant ea, quæ nunc manifeſta ſunt: nam Apoſt. 1 ad Corinth, cap. 10. verſ. 11. ait. *Hæc autem omnia in figura illis contingebant, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerant*, ut inde agnoſcamus vetus teſtamentum non eſſe recipiendum ad conſequendas illas promiſſiones, ſed ad intelligendas in eis novi teſtamenti prænunciationes, quas accepimus, veteris quippè teſtificatio fidem novo conciliat; acproindè vetus teſtamentum eſt, ſcriptura divina, ſicut novum, eſtque pariter recipiendum ut Canonicum, & à Spiritu Sancto dictatum.

2. Machab. ul.

Inſtabunt: ſi hoc eſſet, author libri Machabæorum non diceret in ultimo cap. verſ. 39. *Et ſi quidem benè, & ut hiſtoria competit, hoc & ipſe velim: ſin autem minus dignè, concedendum eſt mihi*. Reſpondeo, authorem hujus libri non petere veniam errarorum, quia ibi nulla ſunt, ſed ſtyli minus fortè politi, & minus fortè digni, quàm divini verbi majeſtas exigit, non quod talis ſit, ſed ſi fortè talis legentibus appareat.

Inſurgunt Manichæi ex illo Matth. 9. verſ. 16. *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & pejor ſciſſura fit*. Luc. 5. verſ. 36. *dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: quia nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus, alioquin, & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura à novo*. Et Marc. cap. 2. verſ. 21. *Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: alioquin aufert ſupplementum novum à veteri, & major ſciſſura fit*, inde quidem inferunt, Teſtamentum novum incompatibile eſſe cum veteri, & è converſo, hoc eſt, teſtamentum vetus eſt incompatibile cum novo, acproinde è Bibliis noſtris ejiciendum eſt vetus teſtamentum, ut novum duntaxat ſit vera fidei noſtræ regula, vel rejiciendum eſt novum, ut ſoli veteri credamus.

Hæc authoritas non nocet quia non intendimus ex veteri & novo Teſtamento unum, & idem conficere, ut ex veteri & novo panno efficiunt unum illi, qui novum veteri aſſumunt, ſed diſtinguimus vetus à novo & intendimus vetus fuiſſe dictatum à Spiritu Sancto, ſicut novum, & ideo eſſe Canonicum & Sacrum ſicut novum. Dico inſuper cum Divo Auguſtino, Chriſtianos tenere authoritatem veteris teſtamenti, non ad Judaicæ ſervitutis imitationem, ſed ad Chriſtianæ libertatis teſtificationem. Neque enim (inquit) mea, ſed Apoſtoli vox eſt, quia omnia hæc in figura contingebant illis: ſcripta autem ſunt propter nos, in quos finis ſæculorum obvenit. Quapropter non in ſervitute facimus quæ juſſa ſunt ad nos prænunciandos, ſed in libertate legimus quæ ſcripta ſunt ad nos confirmandos. Quis itaque jam nos intelligat, unde Galatas revocat Apoſtolus non religioſè Scripturam circumciſionis legentes, ſed jam ſuperſtitioſè circumcidi volentes? Unde non pannum novum veſtimento veteri aſſuimus, ſed erudimur in regno Cœlorum ad ſimilitudinem illius Patris familias, quem commemorat Dominus proferentem *de Theſauro ſuo nova & vetera*. Ille autem aſſuit pannum novum veſtimento veteri, qui continentiam vult habere ſpiritalem, & nondum depoſuit ſpem carnalem: nam legite diligenter, & videte de Jejunio Dominum interrogatum, reſpondiſſe, *Nemo aſſuit pannum novum veſtimento veteri*; adhuc enim diſcipuli Dominum carnaliter diligebant, quandoquidem etiam nè occiſum amitterent, formidabant. Ità D. Auguſtinus apud Fraſſenium noſtrum in Diſquiſitionibus Biblicis lib. 5. cap. 5. num. 10. qui addit, Chriſtum Dominum hâc Metaphorâ docere diſcipulos ſuos non debuiſſe gravari Jejuniis, & ſeverioris vitæ præceptis, donec tandem in diſciplina dominica evaſiſſent firmiores.

Libri novi Teſtamenti ſunt Canonici.

Novum teſtamentum, hoc eſt, quatuor Evangelia, liber Actuum Apoſtol. Epiſtolæ quatuordecim Paulinæ, una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis Evangeliſtæ, una Judæ, & Apocalypſis eſſe Scripturam Sacram & Canonicam probatur contra hæreticos, nedum authoritate Sanctorum Patrum (qui unanimiter novum Teſtamentum recipiunt) & Conciliorum in quibus eorumdem librorum editus fuit Catalogus, ſed etiam authoritate Sacræ Scripturæ, quam admittunt ipſi hæretici, videmus enim quòd Paulus, Petrus, Joannes, Jacobus, & Judas Apoſtoli in ſuis Epiſtolis interdùm citant & referunt plura, quæ ſunt in quatuor Evangeliis. Quòd non feciſſent, niſi credidiſſent ea Canonica, ac Sacra. Et ex traditione quæ probat novum Teſtamentum eſſe canonicum. Nam Papias, Apoſtolorum diſcipulus lib. 5. cap. 39. ait: *Matthæus quidem Hebraico ſermone divina ſcripſit oracula, interpretatus eſt autem unuſquiſque illa prout potuit*. Hoc quidem vetuſtiſſimo, atque veriſſimo teſtimonio conſtat, Matthæum ſcripſiſſe oracula, quæ non poſſunt eſſe, nec videri niſi in Evangelio nomen ejus præſeferente, ideoque ipſum Evangelium debet eſſe Canonicum & Sacrum, ſicut vetus Teſtamentum.

Clemens Alexandrinus.

Idem teſtatur Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. de Sancto Marco dicens: *Marcus Petri ſectator, prædicante Petro Evangelium palam Romæ coram quibuſdam Cæſarianis equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis ut poſſent quæ dicebantur memoriæ commendare, ſcripſit ex his quæ à Petro dicta ſunt, Evangelium, quod ſecundum Marcum vocatur*. Sanctus

D. Hieronymus. Hieronymus de Sancto Luca inquit: *Totius Evangeliſta Lucas medicus, natione Syrus Antiochenſis cujus Laus eſt in Evangelio, qui & ipſe Diſcipulus Pauli Apoſtoli in Achaia, Bœtiaque partibus volumen condidit, quædam altius repetens, & ut ipſe in proemio confitetur, audita magis quam viſa deſcribens.* Origenes præfat. in Evangelium Joannis inquit: *Totius Scripturæ primitias eſſe Evangelium, Evangeliorum vero primitias, Evangelium eſſe Joannis* Igitur ab Antiquioribus Scriptoribus accepimus, Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem ſcripſiſſe quatuor Evangelia, ſicut accepimus Moyſem ſcripſiſſe Pentateuchum, ſic de cæteris librorum veteris teſtamenti Authoribus. Et ipſa Evangelia ſunt Sacra, & Canonica, quemadmodum verus Teſtamentum Sacrum & Canonicum eſt, cùm illi qui ea ſcripſerunt, fuerint Diſcipuli Domini, ut refert Sanctus Lucas cap. 6. verſ. 13, & ſequentibus; ubi legitur de Chriſto: *Cum dies, factus eſſet, vocavit Diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit) Simonem, quem cognominavit Petrum & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum, & Thomam, Jacobum Alphæi* &c.

Origenes.

Simonem, quem cognominavit

Quantum autem ad alios novi teſtamenti libros, conſtat etiam ex veterum Patrum teſtimonio, quòd ſunt vere Canonici, & Sacri. Solùm de Epiſtola ad Hebræos fuit olim aliqua difficultas, ut teſtatur Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 3. ubi ait: *Pauli quatuordecim nota ſunt Epiſtolæ, omnibus & perſpicua, ſciendum tamen eſt, Epiſtolam ad Hebræos à nonnullis ideò eſſe repudiatam, quod dicerent eam ab Eccleſia Romana pro certa ac genuina Pauli Epiſtola non haberi.*

Euſebius.

Verùm certiſſimum eſt apud omnes Catholicos, hanc ipſam Epiſtolam ad Hebræos, ut Canonicam Scripturam ab Eccleſia jam dudum fuiſſe receptam ut patet in omnibus ſcripturarum indicibus, & Sacrorum Bibliorum Catalogis. Et ex teſtimonio Gelaſij, Innocentij primi, aliorumque Summorum Pontificum, necnon Sanctorum Eccleſiæ Patrum aſſerentium Epiſtolam ad Hebræos eſſe Paulinam. Præcipuum hujus rei argumentum eſt. Quia Sanctus Petrus ad Hebræos ſcribens, hujus Epiſtolæ Paulinæ mentionem facit. Nam in ſecunda Epiſtola cap. 3. verſ. 15. ait illis. *Et Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis.* Ex hoc Sancti Petri teſtimonio conſtat, Paulum ſcripſiſſe ad Hebræos, ad quos ipſe Petrus ſcribebat. Sed inter Epiſtolas Paulinas nulla alia eſt ad Hebræos, niſi illa, quæ in Catalogo librorum Canonicorum Eccleſiæ reponitur à Tridentino, & in noſtris Bibliis legitur: cùm aliæ nomen Pauli circunferentes, ad diſtinctas Eccleſias, vel ſpeciales perſonas Titi & Timothæi ſcriptæ ſint, itaque Paulus ſcripſit hanc Epiſtolam; hancque Romæ, cùm cap. ult. verſ. 24. dicat: *Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes Sanctos, ſalutant vos de Italia fratres.* Idem affirmant plures Scriptores Sacri, ſcilicet Clemens Romanus Pontifex, qui in Epiſtola quam ad Corinthios ſcripſit, hujus Epiſtolæ ad Hebræos meminit, teſte Euſebio lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 386. Hilarius, Ambroſius, & alij.

2. Petr 3.

Epiſtola ad hebræos eſt canonica.

Quantum ad alias Epiſtolas, quæ ſunt Petri, Jacobi, Joannis, nulla eſt controverſia, omnes enim admittunt eas ut Canonicas, ſi excipias eam, quæ eſt D. Jacobi, quam Lutherus impugnat (reverà abſque fundamento) de illa quidem Epiſtola, Euſebius ait: *Ei etiam ſcilicet Jacobo, adſcribi ſolet Epiſtola prima earum quæ Catholicæ dicuntur, quam quidem nonnulli ſpuriam, ac ſuppoſititiam exiſtimant. Sanè pauci admodum ex vetuſtioribus hujus Epiſtolæ, tum illius Judæ, quæ & ipſa in ſeptem Catholicarum numero recenſetur, mentionem fecere. Veruntamen has quoque cum cæteris in plurimis Eccleſiis publicè lectitari cognovimus.* Urbanus Papa hujus nominis primus, vir martyrio clarus, in Epiſtola de communi vita, & oblatione fidelium, citat hanc Epiſtolam ſub nomine Jacobi. Et Anacletus Papa & martyr citat etiam eam in Epiſtola de oppreſſione Epiſcoporum, circà medium. Juſtius eſt ergo (inquit Alphonſus à Caſtro) ut his Sanctiſſimis, & vetuſtiſſimis teſtibus credamus, quam uni Luthero fatuo, atque amenti; præcipuè cùm de hac re extet totius Eccleſiæ definitio, quæ illam Epiſtolam ſub nomine Jacobi inter Canonicas ſcripturas collocavit. Unde D. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſ. ait de D. Jacobo: *Unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ eſt de ſeptem catholicis*, Igitur hæc Epiſtola eſt Sacra, & Canonica, ſicut aliæ Epiſtolæ Pauli, Petri & Joannis; cùm ſcripta fuerit ab Apoſtolo Chriſti poſt receptum Spiritum Sanctum.

Epiſtola D. Jacobi eſt canonica.

Adverſùs Epiſtolam ad Hebræos, nonnulla objiciunt argumenta hæretici, quibus conantur eam apocrypham oſtendere. Dicunt primò quòd Epiſtolæ Pauli nomen ejus præſeferunt in capite, vel in fine. Quod de illa, quæ eſt ad Hebræos non verificatur; cùm in principio non habeantur hæc verba, *Paulus ſervus &c.* ſed, *Multifariam, multiſque modis* &c. Dicunt ſecundò quod Scriptor hujus Epiſtolæ cap. 2. verſ. 3. aſſerit eſſe ex his, qui à Chriſti diſcipulis notitiam acceperunt. At Paulus variis in locis, & præſertim ad Galatas cap. 1. verſ. 12. teſtatur ſe accepiſſe per revelationem Jeſu Chriſti id, quod ſcripſit. Tertio quia hæc Epiſtola eſt elegantior Epiſtolis Paulinis, & habet aliam ſcribendi methodum. Hæretici inde inferunt, Epiſtolam ad Hebræos non eſſe Paulinam, acproinde nec Canonicam. Sed facilè diſſolvi poſſunt hæc fundamenta.

Rationes contra Epiſtolam ad hebræos proponuntur, & diſſolvuntur.

Ad primum dico cum Sanctis Patribus, præſertim Hieronymo, & Clemente Alexandrino, Paulum non præpoſuiſſe nomen ſuum huic Epiſtolæ; quia erat odioſus Hebræis, qui Epiſtolam contempſiſſent, ſi ſciviſſent ipſam fuiſſe a Paulo ſcriptam, & transmiſſam, ideoque prudenter nomen ſuum tacuit ipſe Paulus; ut Judæi Epiſtolæ ſuæ fidem adhiberent.

Ad ſecundùm; reſpondeo, Paulum ad Galat. dicentem, *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*, non aſſerere determinatè ſe non eſſe ex ijs, qui à Chriſti diſcipolis notitiam acceperunt, ita ut ab eorum numero ſe excludat, ſed ſolum aſſerit ſe habuiſſe à Deo ſigna, & portenta eorum, quæ enarrat. Quòd verè de Paolo verificatur quoniam raptus fuit uſque ad tertium Cœlum, in quo audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Ad tertium dico, ſtyli diverſitatem, aut elegantiam hujus Epiſtolæ non nocere, quia licet ſenſus, aut materia ſit Pauli. Stylus tamen eſt Lucæ. Quod verum eſſe probat hujus Epiſtolæ, & Actuum Apoſtolorum in ſtylo conformitas.

Tandem objiciunt unanimiter hæretici nolentes Scripturam Sacram eſſe regulam fidei noſtræ. Et ut oſtendant, Apoſtolos ſolo humano Spiritu, locutos fuiſſe, aſſerunt illud Apoſtoli 1. ad Corin. cap. 7. verſ. 10: ubi ipſe Paulus ait: *Præcipio non ego, ſed Dominus*. Et verſ. 12. ſubjungit: *cæteris dico ego, non Dominus*, ex quo ſequitur, non omnia divinæ Scripturæ verba à Deo fuiſſe dictata, ſed plura eſſe ab ipſis Apoſtolis humano animo ſcribentibus circà myſteria fidei, & bonos mores firmandos, acproinde omnes libros Bibliorum non eſſe purè Canonicos. Hinc eſt quod Sanctus Lucas in principio ſuæ hiſtoriæ ſe omnia Scripturum promittit, ut audivit ex ore Apoſtolorum qui ab initio viderunt, ut oſtendat, ſe non Scripturum, dictante Spiritu Sancto.

Altera hæreticorum, objectio.

Reſpondeo negando ſequelam, quia cùm Spiritus

Sanctus dictans, ſe Scriptorum hominum genio accommoder, & loquatur in Apoſtolis, aut per os Apoſtolorum, & Prophetarum, non mirum videri

Reſponſio ad illam objectionem

deber, ſi Paulus dicat: *Præcipio non ego, ſed Dominus,* aut, *dico ego, non Dominus,* quia ſemper eſt Spiritus Sanctus qui loquitur, licet ore proprio non loquatur. Unde dum Apoſtolus ait: *Ego dico, non Dominus,* id eſt, Dominus ore proprio non dicit, ſed ego dico à Domino, qui in me loquitur, aut dico juxtà conſilium meum, quod tamen non eſt conſilium hominis, ſed Spiritus Sancti, hinc eſt qnod in fine hujns capitis, inquit: *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam,* ut inde videamus, Apoſtolum locutum fuiſſe, & ſcripſiſſe, dictante Spiritu Sancto.

Ad monitum Lucæ nego conſequentiam, nimirum non ſcripſiſſe, dictante Spiritu Sancto, licet promittat ſe ſcripturum ea, quæ audivit ab Apoſtolis, nam Marcus eriam ſcripſit ea, quæ audivit ab Apoſtolis, tamen ſcripſit, Spiritu Sancto dictante: ſpecia-

D. Auguſt.

li quidem providentia factum eſt, inquit D. Auguſtinus, ut duo ex Evangeliſtis Apoſtoli fuerint, qui ses ut viſas narraverint. Et alij duo Apoſtoli non fuerint, & res non ut viſas, ſed ut ab alijs auditas ſcripſerint, ut inde colligarus, certitudinem Scripturarum eſſe à Spiritu Sancto.

ARTICULUS XIV.

Laudat contra Uvaldenſes, uſum ſepeliendi mortuos, in loco Sacro.

PEtrus Uvaldus, Mercator Lugdunenſis (à quo Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, ortum habent) plures errores docuit anno MCLX. reg-

Uvaldenſes

nantibus Friderico primo Imperatore, & Alexandro III. Papa, inter quos errores unus eſt contra Sepulturam defunctorum. Voluit enim hæreticus ille, vir laicus, illiteratus, & ignarus, nulli intereſſe quacumque in terra corpora humana ſepeliantur, ſive locus ſit ſacer, ſive non, nullumve bonum advenire animæ ex Sepultura corporis; cùm hæc anima nullum beneficium à tellure poſſit recipere, ut refert Aeneas Silvius in lib. de origine Bohæmorum cap. 35. Idem referunt alij Hiſtorici.

Hoc ſuppoſito, quærunt Scriptores an hæc Uvaldenſium aſſertio ſit hæretica; locus ambigendi eſt, quia ſi ſolum doceat, locum ſeu Sepulturam nihil prodeſſe per ſe ad augendam, vel minuendam animæ fælicitatem, vel miſeriam, non eſt hæretica, cùm nullus ſit in Scripturis textus, nullaque in Concilijs authoritas, quibus aliquid ordinis ſupernaturalis tribuatur Sepulturæ. Nam D. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis agenda, eamdem tenet aſſertionem, dicens: *Nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum ſepultura, nec ſi exhibeatur aliquid infidelibus prodeſt.* Et lib. 1. de civit. Dei cap. 12. *nullo modo enim diceret veritas, nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere, ſi quidquam obeſſet vitæ futuræ, quidquid inimici de corporibus occiſorum facere potuiſſent, niſi forte quiſpiam ſic abſurdus eſt, ut contendat eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, & timeri debere poſt mortem ne corpus occiſum ſepeliri non ſinant: falſum eſt ergo quod ait Chriſtus, qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant; ſi habent tanta quæ de cadaveribus faciant. Abſit ut falſum ſit, quod veritas dicit,* Et quibuſdam interpoſitis ſubdit: *Proinde iſta omnia; id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum ſolatia ſunt, quam ſubſidia mortuorum, ſi aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis, aut nulla;* Sed ſi Uvaldenſium aſſertio ſit, nihil prorsùs prodeſſe animæ, tam per ſe, quàm per accidens, tam directè, quàm indirectè, tam mediatè, quàm immediatè, quòd corpus in loco ſacro ſepeliatur, ut ipſum Uvaldum docuiſſe creditur; certum eſt quòd aſſertio eſt aliquo modo contra univerſalem Eccleſiæ Chriſti fidem, quæ cùm doceat pro defunctis eſſe orandum, aliquo modo docet, corpora fidelium defunctorum ſepelienda eſſe in loco Sacro, in quo orat Sacerdos pro delictis & peccatis populi.

§. I.

Approbat Eccleſiaſticam Sepulturam.

HUjus condemnationis Uvaldenſium ratio, eſt quia vivi, qui locum Sacrum in quo corpus ſepultum eſt, quotidiè viſitant, quoties recolunt ubi ſepultum eſſe Amici, vel conſanguinei corpus, & venit in mentem Sanctus, aut Sancta in cujus honorem locus ille ſacratus eſt, huic Sancto, aut Sanctæ animam dilectam commendant, ut apud Deum pro illa intercedere dignetur. Quapropter mortuorum Tumuli vocantur monumenta, tale ſiquidem nomen ipſis impoſitum fuit ab effectu, ſcilicet quia movent mentem, ut oret pro defunctis: nec licet dubitare, orationem illam prodeſſe animabus, quæ in Statu gratiæ deceſſerunt, & propter quamdam leviſſimam maculam in Purgatorio detinentur, quoniam hîc cùm viverent, meruerunt, ut orationes poſt banc vitam ſibi prodeſſe poſſent, quamvis hoc vivi facere valeant pro illis, qui in locis Sacris non ſunt ſepulti. Illi quippè qui in loco non Sacro ſepeliuntur, non privantur ſuffragiis Eccleſiæ; niſi ob aliquam cenſuram privati fuerint Eccleſiaſticâ Sepulturâ, ſed non ità recordarentur; niſi illos, ut ità faciant, admoneret Sepultura, quæ infallibiliter in memoriam sevocat ſepultos inſpicientis, qui vix de Amicis, aut conſanguineis defunctis cogitare poteſt; quin oret pro ipſis, ut Inſinuat D. Gregorius relatus in Can. *cum gravia* cauſ. 13. quæſt. 2. ubi ait: *Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur; quod eorum proximi quoties ad eadem Sacra loca veniunt, ſuorum quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt; nam quos peccata gravia deprimunt, non ad abſolutionem potiùs, quàm ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in Eccleſijs ponuntur,* ubi gloſſa, verbo, *ſepeliantur,* tres rationes aſſignat hujus utilitatis. Prima eſt, quia orantes in Eccleſia pro defunctis, orant pro illis, qui in hac Eccleſia ſepulti ſunt. Secunda, quia ſpecialiter commendantur patrociniis Sanctorum illorum in quorum nomine dedicata eſt Eccleſia illa, ut affirmat D. Auguſtinus relatus in Can. *non æſtimemus,* ejuſdem quæſtionis. Tertia eſt, quia minus ibi vexantur à Spiritibus immundis. Nullus igitur poteſt citrà hæreſim negare, Sepulturam in loco Sacro prodeſſe defunctis, eiſque eſſe utilem, ſi non per ſe, ſaltem per accidens, ſeu ratione ſuffragiorum, & orationum ingredientium; quoniam hoc eſt negare ſuffragia, & orationes prodeſſe animabus defunctorum, ob hanc cauſam cum multitudine comitantium corpora defunctorum deferuntur ad Sepulturam. Nec eſt nova hæc conſuetudo: ſic enim ſepultus fuit Jacob. Geneſ. 50. verſ. 6. & 7. *Dixitque ei Pharao: aſcende, & ſepeli Patrem tuum ſicut adjuratus es. Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti.* Et Luc. 7. verſ. 12. *Ecce defunctus efferebatur Filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.*

Prima contrà Uvaldenſes ratio — *D. Gregorius.* — *D. Auguſt.* — *Geneſ. 50.* — *Luc. 7.*

Eadem veritas confirmari poteſt ex Concilio Tri-

burenſi

Concilium Triburenſe

burenſi relatu in Canone, *Vbicumque* 13. quæſt. 2. ubi legitur: *Vbicumque temporum, vel locorum facultas tulerit apud majorum Eccleſiam, ubi ſedes eſt Epiſcopi, Sepultura celebrentur. Si autem propter temporis, vel loci aſperitatem hoc difficile viſum fuerit, apud Eccleſiam in quo Religioſorum Canonicorum, vel Monachorum, vel Sanctimonialium religioſa Congregatio communiter degerit, ſepeliatur; ſi autem & hoc ineptum viſum fuerit, ubi qui decimas perſolvebat vivus, ibi & ſepeliatur & mortuus.* Quibus conſtat quòd ibi potiùs ſepeliendi ſint homines, ubi eſt major concurſus populorum, & numerus Sacerdotum, & Religioſorum, aut in Eccleſia in qua continuè orationes funduntur ad Deum: hac procul dubio ratione, quia defuncti participant in orationibus Sacerdotum, & aſſiſtentium, qui in tali loco erant, cùm poſſint aliquo modo inter circunſtantes nuncupari: quamvis animæ longè diſtent, quia Sacerdos orat pro omnibus circunſtantibus, ſeu illis, qui ſunt in Eccleſia, in qua de facto ſunt corpora defunctorum.

Deindè ſi tanta ſit propinquorum & amicorum oblivio, ut etiam defunctorum Sepulchris inſpectis non meminerint. Deum pro illis orare, eſt adhuc aliud quod manifeſtè defunctis in locis Sacris ſepultis prodeſſe poteſt, ſuffragia ſcilicet, quæ in uno quoque loco Sacro ab illius loci miniſtris fieri ſolent pro illis qui intra ſepta Cœmeteriorum ſuorum ſunt ſepulti. Hinc eſt quòd Eccleſia in quadam oratione, quæ habetur in Rituali Romano, & quæ profertur in benedictione Sepulchri, orat pro omnibus qui hîc ſepeliuntur, ut indè videamus quantum utile eſt ſepeliri in loco Sacro, alioquin Eccleſia in vanum inſtituiſſet benedictionem Sepulchri, & Cœmeterij; & fruſtrà oraret pro defunctis. Quòd aſſerere, eſt hæreticum.

Deniquè ſicut ſepelire mortuos, ſemper fuit opus miſericordiæ, & Religionis, res bona, utilis, & meritoria, teſte Angelo, inter pia Tobiæ opera reponente Sepulturam mortuorum: cap. 12. verſ. 12.

Tob. 12.

Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos & derelinquebas prandium tuum, & mortuos, abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Ità fuit etiam Religionis actus, ac pietatis, conſiderare locum in quo forent ſepelienda corpora, ut fideles mortui perinde, ac vivi diſcernerentur ab impiis & infidelibus. Nam Patriarchæ in veteri teſtamento de ſuorum corporum Sepultura anxiè dum viverent, curaverunt, ut conſtat ex variis locis libri Geneſis de Abrahamo, Sara, Iſaac, Jacob, & aliis, qui ſepulti fuerunt in loco, quem elegerant. Certò nullam Sepulturam elegiſſent, ſi animæ prorsùs eſſet indifferens quod corpus ſit in hoc, vel in alio loco, in Sacro, vel in non Sacro.

Idem conſtat etiam ex lib. 3. Regum cap. 13. ubi legitur, Prophetam dixiſſe Filiis ſuis: *Cum mortuus*

3. Reg. 13.

fuero, ſepelito me in Sepulchro, in quo vir Dei ſepultus eſt: juxta oſſa ejus ponite oſſa mea, quodque præceptum multùm profuit illi, hoc eſt, multum illi utile fuit ſepeliri in loco in quo vir Dei ſepultus fuerat. Quoniam Joſias Rex; cùm templa Idolorum everteret poſt multos annos, & honorem Sancto Prophetæ deferret, juſſit ut alterius Prophetæ qui juxtà illum ſepultus erat; oſſa intacta remanerent, ut conſtat de illo 4. Reg. cap. 23. verſ. 16. & ſequentibus, *Et converſus Joſias, vidit ibi Sepulchra, quæ erant in monte: miſitque & tulit oſſa de Sepulchris, & combuſſit ea*

4. Reg. 23.

ſuper altare, & polluit illud juxtà verbum Domini, quod locutus eſt vir Dei, qui prædixerat verba hæc. Et ait: quis eſt titulus ille, quem video? Reſponderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Juda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel. Et ait: dimittite eum, nemo commoveat oſſa ejus. Et intacta manſerunt oſſa illius, cum oſſibus Prophetæ qui venerat de Samaria. Quibus ſuadetur ſepeliri in loco, in quo ſunt Sancti, ſeu ſanctorum reliquiæ, & in quo ſpecialiter adoratur Deus, eſt valdè utile & multum prodeſſe animæ.

Rursùm Principes Sacerdotum ex triginta argenteis ex Juda proditore relatis, emerunt agrum figuli in Sepulturam peregrinorum, ut refert Matth. cap. 27. fortè ne aut inſepulti manerent, aut né in prophano loco ſepelirentur. Primum eſt incredibile. Quia nulla eſt natio quamtumvis Barbara, quæ ſuos non ſepeliat mortuos. Sed ſecundum eſt certum, ac proinde ſemper bonum viſum fuit ſepelire mortuos in loco, à locis profanis, & ad omnem uſum deſtinatis, ſegregato. Alioquin Patriarchæ Jacob, & Joſeph fruſtrà voluiſſent ſepeliri in terra promiſſionis, ubi Chriſtus erat naſciturus, fruſtrà etiam primi Chriſtiani ſepeliri voluiſſent in templis. Quòd eſt falſum.

Nec valet objicere, uſum ſepeliendi in loco benedicto, eſſe novum. Quia D. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 9. D. Hieronymus in vita Paulæ, & Fabiolæ, D. Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis teſtantur in exordiis Eccleſiæ, Chriſtianorum corpora in templis fuiſſe ſepulta. Semper enim honorata fuit mortuorum Sepultura quæ eſt omnibus commendanda, juxta illud Eccl. cap. 38. verſ. 16. Eccleſ. 38.

Fili in mortuum produc Lacrymas, & quaſi dura paſſus incipe plorare, & ſecundum judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.

§. II.

Reſpondet Rationi contrariæ.

Objiciunt hæretici; olim Eccleſiam Romanam declaraſſe ſepulturam vilem, aut nullam, nihil abeſſe hominibus piis, ut legitùr in capite *Sacris* extra, *de Sepulturis*. Et D. Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei, dixit Sepulturam non eſſe præſidium defunctorum, indeque inferunt, nihil intereſſe quacumque tellure corpora humana ſepeliantur, ſive locus ſit Sacer, ſive non.

Sed non nocet hæc ratio. Quia hæc conſtitutio, & D. Auguſtinus loquuntur de utilitate ad ſalutem æternam, & de fœlicitate, quam plures putabant ex Sepultura per ſe provenire. Non verò de utilitate abſolutè, ita ut nullum poſſit animæ beneficium aliquo modo ex Sepultura accidere, ſi hæc ſit in loco Sacro; certum enim eſt quòd Sepultura nihil per ſe prodeſt defunctis, ſed ſolùm per accidens, in quantum ſcilicet citiùs accedit precibus Amicorum, qui dum in Eccleſiis orant, & ſepulchra vident, defunctorum memores ſunt, & pro ipſis orant, ut ſuprà oſtenſum eſt variis Sacræ Scripturæ authoritatibus, & Sanctorum virorum exemplis.

Rejicitur hæreticorum ratio.

Nec valet dicere, Concilium Eliberitanum cap. 34 prohibere accenſionem cæreorum, aliaſque cæremonias in Sepultura defunctorum, cujus prohibitionis ratio ſane eſt, quia Sepultura nihil prodeſt defunctis. Non nocet, inquam, hæc authoritas, nec talis fuit Patrum mens. Quia ratio Concilij fuit impedire ſuperſtitiones Gentilium, & Paganorum, qui putabant, in corporibus mortuorum remanere ſenſum, & ipſa ſentire aliquos dolores, quos ipſi Gentiles mitigare putabant per hujuſmodi cæreorum accenſionem, aliaſque cœremonias, quæ nè eo animo fierent, Concilium prohibuit accenſionem cæreorum in Cæmeteriis, & in Sepultura defunctorum, non ut ne fieret abſolutè, ſed

Digitized by Google

né fieret eo animo Gentilium, cum dogma datur Chriſtianis, quod anima dat corpori vivere, & ſentire.

ARTICULUS XV.

Concludit contra Manichæos, Septem eſſe in Eccleſia Dei Sacramenta.

MAgna fuit ſemper inter hæreticos tam antiquos, quàm modernos ergà Catbolicam fidem malignitas, ſed minor non fuit inter eoſdem circà Sacramenta diſſentio. Et ex illorum variis opinionibus, & erroribus validè concludi poteſt, veram Cbriſti Eccleſiam non eſſe apud ipſos, ſed ſolum apud eos, qui vivunt ſub regimine Vicarij Chriſti, nimirum Summi Pontificis & Epiſcoporum, in quibus eſt vera fides Catholica, quoſque Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.

Manichæi Manichæi de quibus in articulo primi libri fusè locuti ſumus, arbitrati ſunt, nullum nobis à Chriſto Domino relictum fuiſſe inſtrumentum, aut ſignum, ſive ſpeculativum, ſive practicum juſtificationis, aot Sanctificarionis, nimirùm Sacramentum. Anno autem CCLXXIX. Impetante Aureliano, & Eccleſiam Dei regente Fœlice I. emerſerunt quîdam viri hæretici, dicti Cathariali, ſivè Cathariſtæ, non
Cathariali. illi, quos plures vocant Novarianos, ſed alij Novationis poſteriores, qui ad Manichæorum familiam pertinent, & quos D. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 46. non Catharos, ſed Cathariſtas vocat. Nam inquit ille Sanctus Doctor, Manetis diſcipuli, aut ſectatores inter ſectas dividuntur, quidam nomen authoris retinentes, dicuntur Manichæi, alij Macarij, alij verò Cathariſtæ, hoc eſt, Mundatores, ſive Purificatores, propter horrendas quaſdam, & execrandas purificationes, quas faciebant.

Hîc tamen obiter obſervandum eſt ex eodem D. Auguſtino; quòd licet inter ipſos Manetis Diſcipulos, eſſet quædam diſſentio quâ dividebantur, nihilominus omnes conveniebant circà Sacramenta; quoniam conſtat Scriptorum teſtimoniô, quòd omnes unanimiter negabant omnia Eccleſiæ Sacramenta, velut inania & inutilia.

Poſteà plures inſurrexerunt hæretici, qui nolentes cum Manichæis; & Catharialis negare Sacramenta omnia, negarunt tamen aliqua. Lutherus in hac materia miram habuit inconſtantiam, ut patet
Lutherus. ex lib. de captivit. Babilonica, ubi modò unum tantum admittit, & ſubdit quòd ſi uſu ſcripturæ loqui velimus, unicum dumtaxat profitebimur Sacramentum, & tria ſigna Sacramentalia; nam, inquit, Euchariſtia, & Pœnitentia ſunt rememorativa Paſſionis, & Baptiſmi. Modò duo, modò tria Sacramenta recipit; conſtantiùs tamen, & firmiùs hunc ultimum numerum tenet, & vult Chriſtum tantum tria inſtituiſſe Sacramenta; Baptiſmum, ſcilicet, Euchariſtiam, & Pœnitentiam. Hinc eſt quòd quidam Lutherani, dicti Biſſacramentales duo tantum admittunt Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, & Cœnam. Alij vero his duobus adjungunt Pœnitentiam, huic errori adhæſit Zuinglius lib. de vera & falſa Religione cap. de matrimonio, his duobus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet & Cœnæ addit matrimonium.

Philippus Melancthon negat matrimonium eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, quia, inquit, inſtitutum fuit ante Incarnationem. Sed hæc ratio eſt nulla, nihil enim obſtat, quominus Chriſtus jam tem exiſtentem, ac Incarnationis ſuæ futuræ ſignum, ac vaticinium potuerit ad Sacramenti dignitatem promoveri.

Joannes Calvinus tria eſſe Sacramenta affirmat, & *Calvinus* contra Lutherum præter Baptiſmum, & Cœnam admittit Ordinem, aut impoſitionem manuum, qua miniſtri Eccleſiæ initientur. Nam licet lib. 4. inſtitut. cap. 18. §. 19. duo tantum prima, teneat pro veris Sacramentis, tamen paulò poſt ſcilicet in cap. 19. ſeſſ. 31. ordinationem numerat inter vera Sacramenta, ſicut & anteà cap. 14. ſeſſ. 20. ubi obiter admonet; quod ſi dixerit aliquandò duo eſſe tantum Sacramenta, loquitur de Sacramentis ordinariis, quæ toti Eccleſiæ ſunt communia, & omnibus & ſingulis fidelibus neceſſaria. Quare in Antidoto Concilij Tridentini, quatuor tantum rejicit Sacramenta, ſcilicet Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem; & Matrimonium à numero ſeptenario, quem admittunt Catholici, quòd evidenter probat ipſum Calvinum tria tantum admiſiſſe Sacramenta. Quapropter quidam Calviniſtæ freti authoritate ejuſdem capitis 18. duo tantum admittunt Sacramenta; alij verò tria, & volunt Calvinum non rejeciſſe Ordinem è numero Sacramentorum à Chriſto inſtitutorum.

§. I.

Docet ſeptem eſſe Sacramenta.

HAnc hæreſim damnant plura Concilia, nedum nationalia, & provincialia; ſed etiam generalia, in quibus definitum fuit, in Eccleſia Dai dari Sacramenta, quæ benè diſpoſitis gratiam conferunt, hæcque eſſe numerò ſeptem. Horum antem Conciliorum præcipua ſunt duo, ſcilicet Florentinum in decreto Eugenij, in quo inter cætera, num. 5. Statuitur; *Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Baptiſmus &c. quæ multum differunt à legis antiquæ Sacramentis, illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc verò noſtra, & continent gratiam, & dignam ipſam ſuſcipientibus conferunt.* Et *Concilium Florentinum* Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere Can. *Tridentinum.* 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum; anathema ſit.*

His Conciliis addi poteſt Conſtantienſe ſeſſ. 15. & *Conſtantienſe.* 45. pariter & authoritas Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum, quorum plurimi, licet ſeptem Eccleſiæ Sacramentorum expreſſam fortè mentionem non fecerint, quia nulla neceſſitas urgebat, nec ulla præſens aderat occaſio iſta ſeptem Sacramenta numerandi. Nihilominus non deſunt ex antiquioribus qui plurium hujuſmodi Sacramentorum meminerunt, ſed nè longiorem in referendis omnium ſententiis, hac de re ſermonem protrahamus, unus præ cæteris ſufficiet, ſcilicet D. Dionyſius Areopagita, Pauli diſcipulus, Sanctorum Ignatij, & Polycarpi martyrum Coœvus, qui in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, præter Baptiſmum, & Euchariſtiam de quibus plurimùm ſparſim inſtituit, meminit etiam Sacramenti Ordinis. Et in Epiſtola ad Demophilum declarat etiam Pœnitentiæ Sacramentum.

Nec valet dicere ex illo Sancto Doctore, quatuor tantum eſſe Sacramenta. Non valet, inquam, hæc inſtantia. Quia non loquitur determinat, élicet quatuor tantum memor ſit in locis citatis, ideoque non rejecit alia, nec voluit in numero quaternario, omnia Eccleſiæ Sacramenta includere.

Non parùm juvat hîc contra hæreticos afferre traditionem, qua compertum habemus hujuſmodi ſepte-

narium Sacramentorum nomerum ex divina inſtitutione,& Apoſtolica doctrina, ad nosoſque & interrupta nuſquam obſervatione dimanaſſe,cuique nemo poteſt contradicere, ut notat D. Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo cap. 14. dicens : *Quod univerſa tenet Eccleſia , nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper eſt retentum, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimé creditur.* Dato Igitur & non conceſſo, quòd ſeptenarius Sacramentorum nomeros noo habeatur in Sacra Scriptura , neque in Conciliis primitivæ Eccleſiæ, debet tamen recipi ab omnibus fidelibua, quia habetur ex traditiooe Apoſtolica.

D. Auguſt.

Hic ſeptenariua Sacramentorum numerus evidenter ex Sacra Scriptura probatur contra hæreticoa. Nam Sacramentum quod Catholici admittunt, quodque negant hæretici , definitur , ſignum ſenſibile , gratiarum Dei , vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificana, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris ; ſed ex Sacra Scriptura colligitur ſeptem eſſe hujuſmodi Sacra ſigna , quibus indita eſt promiſſio virtutis ad conferendam gratiam , utpoté Baptiſmum , Confirmationem , Euchariſtiam ; Pœnitentiam, Extremam-Unctionem , Ordinem , & Matrimonium. De Baptiſmo , patet ex Evangelio Marci cap. ult. ubi legitur Chriſtum Dominum delegantem Apoſtoloa ad omnium Gentium converſionem , & Evangelij publicationem , dixiſſe illis *: Ite , docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. quibus conſtat , baptiſmum inſtitutum fuiſſe tanquam ſignum gratiæ , omnibus ad ſalutem neceſſarium , ut ſuadent hæc verba ; *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Similiter & ax Joan. cap. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Unde D. Paulus extollena ſummam Chriſti Domini ergà ſuam Eccleſiam dilectionem , inquit : *Chriſtus dilexit Eccleſiam ; & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret , mundans lavacro aqua in verbo vitæ.* Per hæc quidem verba Apoſtolus declarat , inſtitutionem , neceſſitatem ; & effectua Sacramenti Baptiſmi , in quo homo ab omni ſorde lavatur , & Filiua Dei adoptivus efficitur ; cùm gratia baptiſmalia ſit Spiritua adoptionia Filiorum Dei , in quo Clamamna Abba , Pater , & ipſe Spiritus teſtimonium reddat Spiritui noſtro quòd ſumus Filij Dei.

Inſtitutio baptiſmi

Joan. 3.

De confirmatione patet ex illo Act. 8. verſ. 17. tunc imponebant manus ſuper illos , & accipiebant Spiritum Sanctum. Et cap. 19. verſ. 6. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus , venit Spiritus Sanctus ſuper eos , & loquebantur linguis , & Prophetabant.* Inde enim infertur , Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacramentum Confirmationis. Nam ſi hoc non eſſet , ſané effectos non fuiſſet infallibilis per hujuſmodi ſigni applicationem per Apoſtolos factam. Quia ſolius Dei eſt dare gratiam , & ſolius Chriſti eſt inſtituere ſigna externa & ſenſibilia ad conferendum Spiritum Sanctum. Et ideo certum eſt quòd ſi Chriſtus non inſtituiſſet confirmationem tanqoam ſignum practicum gratiæ , ſeu Sacramentum, Apoſtoli ſignum iſtud non uſurpaſſent ad conferendum Spiritum Sanctum , & ad communicandam fidelibua gratiam fortitudinis : in hoc quidem Sacramento regeneramur ad vitam, & armamur ad pugnam , ut ſcripſit Melchiades Papa & martyr.

Inſtitutio Confirmationis

Quantum ad Euchariſtiam conſtat ex illo Matth. cap. 26. verſ. 26. *Cœnantibus autem eis , accepit Jeſus panem , & benedixit , ac fregit,deditque Diſcipulis ſuis, & ait : accipite, & comedite , hoc eſt corpus meum* Joan. 6. *Qui manducat hunc panem , vivet in æternum* , quæ quidem vita per gratiam haberi poteſt. Idcirco Euchariſtia, quæ eſt panis ille , eſt verum Sacramentum, quod inſtituit Chriſtus, dum accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit , *Accipite & manducate , hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur ; hoc facite in meam commemorationem* , ut refert Apoſtolus ad Corinth. cap. 11. verſ. 24.

Inſtitutio Euchariſtiæ

Pœnitentiæ verò ritus , & gratiæ ſanctificantis conferendæ vis habetur Joan. 20. ubi Chriſtus diſcipulos , ſic alloquitur : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis : & quorum retinueritis retenta ſunt.* Miſſio autem Apoſtolorum pro hoc Sacramento conferendo , habetur ex illo , *ſicut miſit me vivens Pater , & ego mitto vos.* Hinc eſt quòd Apoſtolos volens oſtendere Apoſtolos ad hoc munus fuiſſe miſſos , ait. 2. ad Corint. cap. 5. *Dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Extremæ-Unctionis ritum, & gratiæ conferendæ virtutem aperit Sanctus Jacobus cap. 5. ubi ait : *Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Eccleſiæ , & orent ſuper eum,ungentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei ſalvabit infirmum .... Et ſi in peccatis ſit , remittentur ei.* Quòd ſolitò non intelligitur de mortalibus quæ per ſe non remittuntur niſi in baptiſmo, vel in Sacramento pœnitentiæ, ſed de venialibus.

Inſtitutio ordinis refertur ab Apoſtolo,ad Timoth. cap. 4. dicente : *Noli negligere gratiam , quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam , cum impoſitione manuum presbyteri* , & in Epiſt. 2. cap. 1. *Admoneo te,ut reſuſcites gratiam Dei , quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.*

Inſtitutio Pœnitentiæ

Inſtitutio extremæ-unctionis

Inſtitutio ordinis

Tandem ritus Matrimonij habetur Matth. 19. his verbis *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Promiſſio autem gratiæ colligitur ex cap. 5. ad Epheſ. ubi Apoſtolus loquena de matrimonio ait ; *Sacramentum hoc magnum eſt , ego autem dico in Chriſto , & in Eccleſia* ; ibi enim loquitur de contractu viſibili inter virum & fœminam,in quo corpora mutuò traduntur ; & ſignificatur magnum Sacramentum in Chriſto & in Eccleſia, aut unionem Chriſti cum Eccleſia.

Inſtitutio matrimonij

Idem ſeptenarius Sacramentorum numerus evidentiùs Manichæis , Catharis , & Lutheranis apparebit, dum de quolibet in particulari contra alios hæreticos erit nobis pugna , nihilominùs congruit eum hîc oſtendere ex convenientia animæ cum corpore , quæ licet non probet directè , eſt tamen magni momenti : unde dicendum eſt quòd quemadmodum humani corporis conſervationi à divina liberalitate proviſum eſt generatione , augmentatione, ac nutritione , atque remediis contrà morbos , ac reliquias morborum : ità congruum fuit ſaluti ſpirituali animarum providere generatione per baptiſmum , à quo renaſcimur juxtà illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto* &c. Augmentatione per confirmationem , quâ roboramur, noſtraſque augemus vires pro fide tuenda contrà hoſtes Eccleſiæ Chriſti , in qua eſt vera fides , quam oportet habere accedentem ad Deum. Nutritione per Euchariſtiam in qua manducamus corpus Domini , & bibimus Sanguinem ejus. Remedio contra peccata , per Pœnitentiam in qua purgamur à peccatis , & ab eorumdem reliquiis per Extremam-Unctionem. Et nè ſocietati etiam univerſæ conſervandæ, divina largitas deeſſet, divino miniſterio ordinem inſtituit, ut aliqui hominum ligandi , atque ſolvendi poteſtatem haberent. Et conjugij ſanctitati matrimonij benedictionem tam ſapienter præſcripſit , quam gratioſé impertiit. Si verò hæc comparatio non ſufficiat hæreticis , advertant Deum nobiliori modo providere indigentiis animæ , quàm corporis , & majorem curam habere de republica ſpi-

Joan. 3.

rituali, quàm de temporali. Et indè facilè concludent, Chriſtum Eccleſiæ ſuæ ſeptem reliquiſſe Sacramenta, ut ipſis ſuos valeat hæc pia mater ſalvos conſervare Filios. Unde Apoſtolus ad Titum. 3. ait : *Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum : ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.*

Ad Tit. 3.

§. II.

Reſpondet Hæreticis.

HÆretici, qui omnia Sacramenta negant, utpotè Manichæi, Cathariſtæ nullam rationem adducunt, niſi ſuperfluitatem. Putarunt enim, Sacramenta eſſe inania, & ſuperflua. At hæc ratio eſt nulla, & inutilis. Sacramenta autem utilia & neceſſaria eſſe, probant eorumdem effectus quibus indigemus propter peccata noſtra, & conſervationem Sanctitatis, aut vitæ animæ, acptoinde hæc ſeptem Sacramentorum inſtitutio non fuit ſuperflua imo nobis neceſſaria, ut ſuaderi poteſt aliquo exemplo ex Sacra Scriptura deducto. Nam Deus ſeptem diebus præcepit comedi Azima, ſeptem lucernæ erant in Sanctuario, ſeptem vicibus præcepit Elizeus Naamam Syrum lavari in Jordane, ſeptem inſtituit tubas Jubilæi, Chriſtus ſeptem panibus pavit quatuor millia hominum, nec in hoc ſuperfluè egit, ergo nec in inſtitutione ſeptem Sacramentorum.

Rejicitur manichæorum ratio.

Alij verò hæretici, qui duo tantum vel tria Sacramenta admittunt, dicunt, quòd Scriptura Sacra non deſignat ſeptem Sacramenta, ſed tantum tria, & per conſequens quòd non ſunt admittenda ſeptem.

Reſpondeo hanc rationem eſſe falſam. Nam licet Scriptura Sacra non indicet verbis expreſſis, ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta, ea tamen implicite ſignificat, cùm ut jam dictum eſt, & ſpeciali inductione probatum, ſeptem Sacros exprimat ritus, quibus annexa eſt gratiæ promiſſio : Deindè dato & non conceſſo quòd numerus ille nequeat ex Sacra Scriptura inferri, tamen ad hoc ſufficientiſſima foret traditio apoſtolica, cui adhibenda eſt fides, ut contra Heuticianos dictum eſt, vel authoritas Eccleſiæ, ut docet D. Hieronymus lib. contra Luciferianos, ubi diſſerens de manuum impoſitione ait : *Exigis ubi Scriptum ſit ? in actibus Apoſtolorum, etiamſi Sacra Scripturæ authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret* : In bis enim in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum tenenda ſunt, ut dicitur communiter poſt D. Auguſtinum.

D. Hieronymus.

Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 19. §. 3. articulum noſtrum impugnat ex Sanctis Patribus, præfertim ex D. Auguſtino qui in Epiſt. XI numerat tantùm baptiſma & Euchariſtiam, & ait, Chriſtianos frui Sacramentis numero pauciſſimis, obſervata facillimis, & ſignificatione præſtantiſſimis, quòd indicat numerum Sacramentorum non eſſe ſeptenarium cùm talis numerus nequeat dici pauciſſimus reſpectu Sacramentorum veteris legis. Undè ut oſtendat hunc numerum non eſſe ſeptenarium, addit : *Sicut eſt baptiſmus nomine Trinitatis conſecratus, & communicatio corporis & Sanguinis Domini.*

Reſpondeo D. Auguſtinum ibi non aſſerere duo tantum eſſe Sacramenta, ſcilicet baptiſmum, & Euchariſtiam, quamuis ibi de duobus tantum loquatur. Sæpè Scriptura Sacra loquitur de Patre æterno, nulla de Filio & Spiritu Sancto facta mentione, tamen Calvinus non affirmat in divinis eſſe tantum unam perſonam. D. Auguſtinus voluit ſolùm hæc duo Sacramenta utpotè baptiſmum, & Euchariſtiam proponere, non ut numerum Sacramentorum præberet, ſed ut probaret Sacramenta novæ legis eſſe præſtantiora, & perfectiora Sacramentis legis Moſaycæ. Si D. Auguſtini opera accuratè legantur, ſat apertè patebit ipſum noſtra ſeptem Sacramenta recenſere. Quia lib. 5. de baptiſmo cap. 20. aſſerit eſſe pluſquàm duo Sacramenta : ibi enim ait : *Si ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur, nimirum per reconciliationem*, quibus verbis indicat dari baptiſmum, Extremam-unctionem, Euchariſtiam, & Pœnitentiam. Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. declarat confirmationem his verbis : *In hoc unguento Sacramentum Chriſmatis vult Petilianus interpratari, quod quidem in genere viſibilium Signaculorum Sacro-Sanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus.* Et lib. 2. contra litteras Parmeniani cap. 13. loquitur eodem modo de ordine ac de baptiſmo : *utrumque* (inquit) *Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur. Si enim utrumque Sacramentum eſt, quòd nemo dubitat, cur illud admittitur, & iſtud non admittitur ? neutri Sacramento facienda injuria eſt.*

Rejicitur ratio Calvini.

D Auguſt.

Denique lib. de bono conjugali cap. 18. ait : *In noſtrorum nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Et lib. de nuptiis cap. 10. manifeſtè docet, *Matrimonium*, in nova lege eſſe Sacramentum, ideoque Calvinus falsò loquitur dum negat ex D. Auguſtino, eſſe plus quàm tria Sacramenta, ſeu ſeptem. Vel reſpondeo quòd D. Auguſtinus in loco contra nos ab hæreticis citato, non enumerat omnia Sacramenta, ſed tantum profert aliqua pro explicanda & ſuadenda ipſorum virtute.

Explicatur iterum mens D. Auguſtini

Idem dico de aliis Sanctis Patribus, qui de Sacramentis loquuntur ; quin numerent omnia, ſed tantum duo, vel tria, vel quatuor, vel quinque, quia loquebantur pro ratione argumenti quod tractandum erat. Nam dum erat occaſio loquendi de uno, vel de duobus, de illo loquebantur, ſed non negabant eſſe numero ſeptem. Tum quia non implicat quòd ſit occaſio loquendi de uno ; quin ſit de alio. Tum, quia ex omiſſis nihil benè conficitur.

Addunt hæretici. Tot eſſe Sacramenta, quot ſunt actiones Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Quoniam ex D. Dionyſio Sacramenta pertinent ad actiones ejus, quæ ſunt tantum tres, ſcilicet purgatio, illuminatio, & perfectio.

Reſpondeo negando ſuppoſitum. Nam tria conſiderantur in actionibus Hierarchicis, nimirùm agentes, recipientes, & actiones : Agentes ſunt Eccleſiæ Miniſtri ad quos pertinet ordo cùm ipsô inſtituantur, ut dicemus in proprio loco contrà Lutheranos exiſtimantes omnes illos, qui viuunt in Eccleſia eſſe Sacerdotes. Recipientes ſunt ij, qui ad Sacramenta accedunt, quique per matrimonium producuntur legitimè, & citrà culpam. Actiones ſunt purgatio, illuminatio, & perfectio, ſola purgatio non eſt Sacramentum novæ legis, cùm non ſit ſignum gratiæ inviſibilis, ſed pertineat ad Sacramentalia quæ ſunt Cathechiſmus, & Exorciſmus. Purgatio autem, & illuminatio ſimul Eccleſiaſticæ Hierarchiæ pertinent ad baptiſmum. Et propter remedium de ſecundariò pertinent ad Pœnitentiam, & Extremam-Unctionem. Perfectio

Explicatur mens D. Dyoniſ.

quoad virtutem (quæ eſt veluti formalis perfectio) pertinet ad confirmationem, & quoad aſſecutionem finis, pertinet ad Euchariſtiam, ut notat Fraſſenius noſter. Hinc eſt quòd Baptiſmus, confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium ſunt Sacramenta Legis novæ.

His ſeptem Sacramentis non licet adjungere lotionem pedum, nec Aquam benedictam, licet à nonnullis Sanctis Patribus, nomine Sacramenti donentur. Quoniam præter Sacramenta ſupra memorata, nullum habemus ſignum certum, divinitùs inſtitutum, cui annexa ſit promiſſio gratiæ ſanctificantis, aut virtus eam conferendi ex divina inſtitutione ab Eccleſia univerſa frequentandum.

Dicent tandem quòd in illo ſeptenario Sacramentorum numero, duobus tantum indigemus, Baptiſmo ſcilicet & pane, ſeu Euchariſtia, & ideo Chriſtus non ſeptem, ſed tantum duo inſtituit Sacramenta, vel tria, juxta indigentiam noſtram.

Rejicitur ultima hæreticorū ratio. Porrò falſa eſt hæc inſtantia, nam ſi omnia ſeptem Sacramenta non ſint neceſſaria ſingulis; cùm plures regnent cum Chriſto, qui numquam ſuſceperunt ordinem, neque Extremam-unctionem, neque Matrimonium contraxerunt, neceſſaria tamen ſunt pro ſingulis, & pro univerſali Eccleſia, ut inſinuat Tridentinum ſeſſ. 7. can. 4. dicens, *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, Anathema ſit.* Diverſa tamen eſt hæc neceſſitas, una eſt neceſſitas medij, altera neceſſitas præcepti. Nam Baptiſmus, Pœnitentia, & Ordo neceſſaria ſunt, neceſſitate medij, vel in re, vel in voto. Baptiſmus eſt neceſſarius omnibus ſine exceptione, ut dicemus contra Pelagianos Quoniam omnes homines in Adam peccaverunt (ſi Beatam Mariam Virginem excipias) & fuit inſtitutus ad delendum peccatum Originale quod in conceptione contraximus. Pœnitentia eſt neceſſaria illis, qui peccaverunt actualiter, ut dicemus contra Montaniſtas, & alios Hæreticos in proprio loco. Ordo eſt neceſſarius neceſſitate medij ſi non omnibus, ſaltem pro omnibus. Quia omnes indigent Miniſtris ordinatis ab Eccleſia, ſeu qui habeant authoritatem conficiendi Sacram Euchariſtiam, atque poteſtatem abſolvendi à peccatis.

Quoad alia Sacramenta dicendum eſt quòd ſunt tantum neceſſaria neceſſitate præcepti, ut determinatum fuit in Concilio Florentino, cùm aliquis poſſit ſalvari ſine Euchariſtia, Confirmatione, Extrema-unctione, niſi fuerit in occaſionibus illis, in quibus præceptum de hujuſmodi Sacramentis ſuſcipiendis, obligat. Quoad Matrimonium neceſſarium eſt ex divina inſtitutione, non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ in univerſum, ut fiat legitima propagatio individuorum in quibus conſervetur Eccleſia; igitur nec plura, nec pauciora, quam ſeptem ſunt Sacramenta, hæcque neceſſaria aliqua neceſſitate, cui Chriſtus Salvator noſter providere dignatus eſt.

Scotus. Nam ut ait Scotus in Proœmio ad 4. lib. adorandus ille Salvator verum ſe piiſſimum ac divina charitate flagrantem Samaritanum exhibet, qui ſpoliatum videns hominem, & atrocitèr ſauciatum, miſerationis affectu compaſſionis medicinam attulit efficacem, quâ curatis ipſis vulneribus, ac plenè reddita ſanitate, in ſui principium, à quo deſcendens ab Jeruſalem deviaverat, finalitèr traducatur.

ARTICULUS XVI.

Probat contra Lutheranos, Omnia Sacramenta non eſſe ejuſdem Dignitatis.

Lutherus. Lutherus docuit in Epiſt. ad Pragenſes de inſtituendis Miniſtris, unum Sacramentum dignius altero eſſe non poſſe. Nullam quidem voluit inter Sacramenta videre differentiam quoad naturam; neque quoad effectus Hanc hæreſim damnat Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 3. dicens: *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ità eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius; Anathema ſit.* Hoc Canone liquidò conſtat, Sacramenta novæ Legis non habere æqualem dignitatem, ſed unum eſſe alio nobilius; licet omnia habeant eumdem authorem, utpote Chriſtum Dominum. Et omnia inſtituta fuerint ob eumdem finem, ſcilicet propter ſalutem hominis viatoris, ut patet ex definitione, quam tradunt communiter Sancti Patres, & Theologi.

§. I.

Aſſignat Sacramentorum differentiam.

Primum pro veritate articuli argumentū. Hæc veritas probatur inductione. Baptiſmus excedit alia Sacramenta quantum ad remiſſionem peccati. Remittit enim tam peccatum Originale, quàm Actuale, tam Mortale, quàm Veniale Adulto illi, qui confertur, tam quoad pœnam, quàm ad culpam, ut clarè manifeſtat illud Act. 10. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum, in remiſſionem peccatorum.* Confirmatio excedit quantum ad gratiam actualem ad proteſtandam fidem, quæ quidem gratia magis in iſto, quàm in alijs Sacramentis confertur. Certum enim eſt quòd Apoſtoli ante receptionem Confirmationis (quamvis fuiſſent baptizati, & recepiſſent Euchariſtiam) erant timidi, poſt Confirmationem verò intrepidi, prædicabant Evangelium, etiamque fortiores in bello contra hoſtes Evangelij quod prædicabant, & fidei quam profitebantur. Pœnitentia eſt magis neceſſaria, quam alia Sacramenta, ſi Baptiſmum excipias) quia præter Baptiſmum nullum Sacramentum ità neceſſarium eſt, ut pœnitentia, quæ lavit nos à peccatis noſtris poſt Baptiſmum commiſſis, eſtque ſecunda tabula poſt naufragium. Inſuper excedit Baptiſmum in multiplicitate, quoniam iterari poteſt. Baptiſmus autem eſt Sacramentum, quod ſemel confertur: Extrema-unctio excedit Pœnitentiam in perfectione, cùm illam ſupponat, tollatque peccati reliquias. Ordo confert poteſtatem ſuper corpus Chriſti reale, cùm ordinatus in Presbyteratum poſſit Euchariſtiam conficere, necnon conferre aliqua Sacramenta, quorum adminiſtratio prohibetur Laicis.

Matrimonium tandem excedit cætera Sacramenta in ſignificatione, & dicitur ab Apoſtolo, magnum Sacramentum, quia ſignificat unionem Verbi cum natura humana. Idcircò ex illa inductione facilè colligitur, Sacramenta non eſſe æqualia, ſed unum in aliquo excedere aliud. Et in aliquo excedi ab alio. Hic quippè exceſſus nequit æqualitatem conſervare inter Sacramenta; cùm denotet aliquam differentiam, quæ in rebus Sacris nequit eſſe; ſed arguat majorem perfectionem. Quoniam res Sacræ Sanctitatem & perfectionem ſpirant, præſertim in Sacramentis, quæ ad hominum ſanctificationem inſtituta fuerunt à Chriſto Domino.

Inſuper Euchariſtia abſolutè loquendo eſt nobilior alijs Sacramentis, continet enim gratiam ſubſtan-

tialem, nempè Chriſtum, ut dicemus in proprio loco contrà Calviniſtas, alia verò continent tantum gratiam accidentalem, ſeu formam ſupernaturalem animæ inhærentem, quam aliquando non conferunt, ſcilicet quando ſuſcipiens illa, eſt indiſpoſitus: tunc enim Sacramenta ratione indiſpoſitionis ſubjecti, carent ſuo ſignificato, ſcilicet gratiâ, eamque non conferunt: Eucbariſtia autem numquam caret ſuo ſignificato, cùm ſemper contineat Corpus & Sanguinem Chriſti, licet communicans ſi indiſpoſitus ſit, hujus Sacramenti beneficium non recipiat, imo potius judicium ſibi manducat & bibat, ut monet Apoſtolus.

Eucbariſtia eſt dignior alijs Sacramentis.

Præthereà Euchariſtiæ Sacramentum conſiſtit in eſſe permanenti cùm poſt prolationem verborum, remaneat Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Panis, quamdiu Hoſtia conſecrata remanet incorrupta, ut dicemus in proprio loco contra Lutheranos; alia autem Sacramenta conſiſtunt in actioue traoſeunte; cùm poſt prolationem verborum non amplius exiſtant, ut conſideranti patebit. Quòd certò probat Euchariſtiam eſſe Sacramentum cæteris nobilius, atque dignius, & perfectius. Habet etiam præter hanc rationem, aliam, nimirùm rationem Sacrificij, ut dicemus in proprio loco contrà aliquos Hæreticos, nullum alium agnoſcentes Sacrificium in Eccleſia Chriſti præter illud, quod ipſemet Chriſtus obtulit in Cruce.

Tandem Euchariſtia habet aliud excellentiæ ſuper cætera Sacramenta ſignum, eſt enim finis aliorum Sacramentorum, cùm omnia alia ad iſtud ordinentur. Baptiſmus ad Euchariſtiæ receptionem ordinatur; cùm nullus poſſit recipere Sacratiſſimum Corpus Chriſti, niſi priùs fuerit baptizatus, & crediderit. Confirmatio ad ejus publicam frequentationem, & Pœnitentia ad dignam perceptionem ejus ordinantur, cùm homo debeat eſſe ab omni ſorde mundus, ut dignè accedat ad menſam Domini. Etenim ſumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus. Extrema-unctio ad digniorem communionem etiam tendit, cùm tollat reliquias peccatorum. Ordo confertur ad ejus conſecrationem. Et Matrimonium ad ejus ſignificarionem, quoniam inſtitutum fuit ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, & talem conjunctionem realem Euchariſtia efficit, ut affirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 17. dicens, *Quoniam unus Panis, unum Corpus multi ſumus, omnes qui de uno Pane participamus*. Ex his omnibus evidentèr conſtat, Eocharistiam abſolutè loquendo eſſe nobiliorem alijs Sacramentis, cætera verò excedere, & excedi, quoniam ſignificata ſunt diverſa, diverſi quoque ſunt Sacramentorum effectus, cùm quodlibet præter gratiam ſanctificantem, aut augmentum, confert aliam gratiam, quæ dicitur Sacramentalis.

1. Corin. 10.

§ II.

Diſſolvit Rationem Contrariam.

RAtio Lutheranorum eſt. Quia omnia Sacramenta conſtant verbo Dei quod in omnibus eſt æqualis dignitatis, nec aliundè poteſt provenire quòd uoum Sacramentum efficiatur nobilius, & dignius allo; cùm tota dignitas non ab elemento, ſed à verbo procedat, juxtà illud Axioma D. Auguſtini. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, ab omnibus Theologis, & ab univerſa Eccleſia acceptum.

Reſponſio ad rationem. Lutheranorum.

Reſpondeo argumentum Hæreticorum non militare contra nos, quia illa major dignitas, aut inæqualitas Sacramentorum non provenit præciſè, & totaliter ex verbo, nec conſiſtit in illo, quô Sacramenta conficiuntur, ſed in eo quod ſignificant, quodque producont: & in alijs prærogativis jam relatis, ex quibus clarè colligitur, Sacramenta novæ Legis non eſſe inter ſe paria. Reverà ſcimus, Chriſtum eſſe authorem omnium Sacramentorum, ut ſancit Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. Baptiſmus ex ſua inſtitutione eſt janua aliorum; ipſô autem eluuntur omnia in Eccleſiam intrantium peccata. Confirmatio nos conſtituit milites Chriſti pro profitenda, ac tuenda fide. Euchariſtia vero eſt miraculorum à Chriſto factorum, miraculum maximum, ut docet Sanctus Thomas. Pœnitentia reſtituit peccatores ad priſtinom ſtatum adoptionis Filiorum Dei à qoo receſſerant: Extrema-unctio adjuvat nos ad repellendas Dæmonum tentationes, & ad alios convincendos hoſtes in hora mortis. Tandem Ordo tribuit nonnullis, ſeu illis, qui recipiunt eum, virtutem conficiendi Corpus Chriſti, necnon poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Et Matrimonium reddit propagationem licitam; cùm hujus Sacramenti bonum, ſit proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei, ut declarat Innocentius Papa III. can. *Quanto* de divortijs.

Innocentius III.

Unde cum hæc omnia, quæ à Sacramentis proveniunt, ſint diverſa, & inæqualia. Certum eſt etiam quòd eorum cauſæ, nimirum Sacramenta ſunt etiam inæqualia & imparia nobilitate, quia ex inæqualibus effectibus arguitur inæqualitas in eorum cauſis, & ex inæqualibus virtutibus arguitur inæqualitas in corũ ſubjectis: Sacramenta aotem habent effectus diverſos, ideoque inter ipſa eſt aliqua differentia in Ordine dignitatis, & nobilitatis, ut docet Sacra Tridentina ſynodus ſuprà citata contra Lutheranos.

ARTICULUS XVII.

Docet contra Sacramentarios, Sacramenta conferre Gratiam.

PRæter Manichæos, Pſallianos, Euchitas, Meſſalianos, Entuſiaſtas, Albanenſes, & Albigenſes, vim ſanctificandi, & peccata delendi, à Baptiſmo tollentes (ut videbimus in proprio loco,) ſunt alij Hæretici, qoi volunt, nullum eſſe Sacramentum quod cauſet gratiam, non obſtantibus quibuſcumque diſpoſitionibus in recipieute exiſtentibus; licet fateantur contrà jam nominatos Hæreticos, Baptiſmum tollere peccatum Originale, non in ratione cauſæ inſtrumentalis, ſed ſolum in ratione ſigni ſpeculativi. Horum Hæreticorum efficientiam à Sacramentis removentium præcipui, & primi fuerunt Armeni Hæretici, qui ſub Conſtantino III. Imperatore, & Theodoro Papa circa annum Domini DCXL. dixerunt, nullum Sacramentum gratiam conferre poſſe ſuſcipienti, quantumlibet ad illius ſuſceptionem animam ſuam præparet: reverà fatebantur per Sacramenta remitti peccata, negabant tamen per ea, gratiam, ſive qoodlibet aliud bonum conferri; diſtinguebant enim remiſſionem peccatorum à gratiæ habitualis infuſione, hoc eſt, volebant nullam gratiam eſſe recipiendam in remiſſionem peccatorum, & hanc ipſam remiſſionem ſine gratia fieri, ut aſſerit Guido Carmelita lib. de Hæreſ.

Armeni.

Poſt Armenos adverſus Sacramenta, inſurrexerunt in principio decimi quinti ſæculi plures alij Hæretici, utpotè Lutherani, Sacramentarij, Anabaptiſtæ, & Calviniſtæ. Nam Sacramentarij, & Anabaptiſtæ abſolutè omnimodam gratiæ cauſalitatem denegabant Sacramentis. Lutherus verò, & Calvinus volunt, fidem per quam divinas promiſſiones comprehendimus, per Sacramenta excitari, & nu-

Sacramentarij. Calvinus

ttiri: quippècum velint, animam juſtificari per fidem, non per gratiam; dicunt quòd in Sacramentis, nulla grstia conſertut ſuſcipientibus pro remiſſione peccatorum, nequé pro juſtificatione. Unde Philippus Melanĉton in Apolog. confeſſionis Auguſtanæ circà articulum V. & XIII. audactèr ſic pronunciat: *damnamus totum populum Scholaſticorum Doctorum, qui docent quòd Sacramenta non ponentibus obicem, tonferunt gratiam ex opere operato ſine bono motu utentis. Hac ſimplicitèr judaica eſt opinio, quòd per ceremonias juſtificamur ſine bono motu cordis, hoc eſt; ſine fide: hac tamen impia, & perniciosa opinio magna authoritate docetur in toto regno Pontificie.* Quibus verbis opus juſtificationis falsò tribuitur totalitèr fidei, & bonis motibus cordis, veluti cauſæ formali; licet certum ſit quòd juſtificatio ſit formalitèr per gratiam Sacramentis dignè ſuſceptis productam, fides verò, & motus cordis ſint diſpoſitiones ad juſtificationem peccatorum adultorum requiſitæ.

Melancton

§. I.

Authoritate, & Ratione Firmatur veritas Articuli.

OMnes & ſingulos Hæreticos ſuprà nominatos, Anathemate percutiunt, & eorum hæreſim damnant plura Concilia, ſcilicet Nicænum ſecundum celebratum à CCCL. Epiſcopis anno DCCLXXXVII ſub Adriano Papa pro Sacris Imaginibus contrà Iconomachos. Milevitanum cap. 2. ubi legitur: *Parvuli, qui nihil peccatorum in ſe admittere potuerunt; ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis, regeneratione mundetur; quod generatione traxerunt;* At quod traxerunt generatione, eſt peccatum, ideoque Baptiſmus tollit illud, non per fidem excitatam, quia Baptiſmus non ſupponit Fidem in parvulis, ſed per gratiam, quam cauſat. Florentinum in Decreto Eugenij decernit; ſeptem eſſe novæ Legis Sacramenta, quæ multùm differunt à Sacramentis Legis veteris; Illa enim non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem dandam eſſe ſignificabant, hæc verò, ſeu noſtra continent gratiam; & ipſam dignè ſuſcipientibus conſerunt. Idem declaratum fuit in Concilio Arauſicano ſecundo, & inferri poteſt ex Symbolis Nicæno; & Conſtantinopolitano; in quibus confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.

Nicænum II

Milevitanū

Florentinū.

Arauſicanum II.

Licet hæc Concilia ſufficiant, tamén neceſſe eſt addere Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 6. ubi legitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nova Legis non continere gratiam, quam ſignificant; aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantùm, externa ſint, accepta per fidem gratia, vel juſtitia; & nota quadam Chriſtiana profeſſionis; quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab Infidelibus: Anathema ſit.* Et can. 8. *Si quis dixerit, per ipſa nova Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam Fidem divina promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; Anathema ſit:* Authoritate hujus Concilij manifeſtè damnantur Lutherani, Calviniſtæ, & alij Hæretici recentiores; cùm expreſſè declaret Sacramenta habere vim productivam gratiæ ex opere operato.

Tridentinū.

Porrò licet articuli noſtri veritas ſatis eluceſcat nedum ex verbis Conciliorum, quæ retulimus, ſed etiam ex vera, ac propria Sacramenti definitione jam data; cùm Sacramentum non poſſit eſſe ſignum practicum, & ſenſibile inviſibilis gratiæ ad Salutem noſtram à Deo inſtitutum; quin ex ipſius divina inſtitutione, non ponentibus obicem, conferat gratiam; tamen probanda eſt ex varijs Sacræ Scripturæ Textibus, primò quidem ex illo de Sacramento Baptiſmi Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*, Quibus verbis, regeneratio, & nativitas ſpiritualis tribuuntur Spiritui Sancto, & aquæ, illi tanquam cauſæ principali; iſti verò ſeu aquæ, tanquam cauſæ inſtrumentali, cùm conjungatur cum Spiritu Sancto, tanquàm inſtrumentum hujus regenerationis, ut denotat hæc particula, *ex*, quæ juxtà Grammaticos denotat aliquam cauſalitatem, & efficacitatem eſſe in re, de qua dicitur, ac proindè in Sacramento aquæ, ſcilicet Baptiſmi, ſed regeneratio hæc fit per gratiam quæ expellit peccatum, cui opponitur, quæque nos conſtituit Filios Dei adoptivos, & cauſatur per Baptiſmum in quo renaſcimur, cujus materia eſt aqua, & cujus effectus eſt remiſſio peccatorum; juxtà illud Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Chriſti, in remiſſionem peccatorum;* ubi particula, *in* cum accuſativo caſu conjuncta, denotat in quem finem, & ad quem effectum fiat ablutio, qui quidem effectus eſt remiſſio peccati, quæ nunquam eſſe poteſt ſine infuſione gratiæ, teſte D. Auguſtino citato in can. *gratia*; diſt. 4. de conſecrat. ideircò hoc Sacramentum non eſt tantum iſtius gratiæ ſigillum, aut ſignum connotativum, ut voluit Calvinus, ſed eſt ſignum practicum, & cauſa inſtrumentalis verè productiva.

Joan. 3.

D. Auguſt.

S. Leo ſerm. 4. de nativitate Domini, ut hanc ipſam veritatem nobis evidenter demonſtret; Sacramenti Baptiſmum comparat utero Virginis Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus: *Omni homini renaſcenti aquâ Baptiſmatis; inſtar eſt uteri virginali: eodem Spiritu replente fonte, qui replevit Virginem, ut peccatum quod ibi vacuaverat Sacra Conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* His verbis ille Sanctus Doctor voluit ſignificare, quòd ſicut Spiritus Sanctus ſupervenit in Virginem, ut conciperet, ac pareret verè, & realitèr Chriſtum Filium Dei unigenitum, ut ipſi promiſerat Angelus, Luc. 1. verſ. 35. dicens: *Spiritus Sanctus ſupervenie tin te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ità myſticè ſupervenit in aquam Baptiſmatis, (quâ regeneramur, & renaſcimur, & de filiis perditionis, & iræ, efficimur Filij dilectionis) ut ei conferat vim producendi Filios adoptivos, ſeu vim producendi gratiam ſanctificantem, quæ eſt forma adoptionis, aut Spiritus Filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater, alioquin nullius beneficij hæc eſſet aquæ ſanctificatio; cùm ex illa aqua nullum bonum animæ proveniret, nec eſſet aliquod diſcrimen inter Baptiſmum Joannis, & Baptiſmum Chriſti. Quod eſt contra Tridentinum ſeſſ. de Baptiſmo, can. 1. nullus ergo poteſt citra hæreſim, credere, Baptiſmi Sacramentum non conferre gratiam nedum parvulis, ſed etiam Adultis, qui ritè recipiunt illud.

D. Leo

Luc. 1.

Idem conſtat de cæteris Sacramentis. Ex Sacra Scriptura. Act. 1. dicitur, *Accipietis virtutem Spiritus Sancti, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terra*, Hæc autem virtus Spiritus Sancti, quæ in Confirmatione recipitur ut confirmatus ſpeciale robur animæ obtineat, non tantum ad expugnandas aſſiduas interiores, & exteriores Diaboli infeſtationes, ſed maximè ad proteſtandam Fidem coram Tyrannis; & Eccleſiæ impugnatoribus, eſt gratia quæ per hoc Sacramentum producitur, & inhæret animæ, quæ pugnat adverſus carnem.

Act. 1.

Quoad Euchariſtiam conſtat ex illo Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij Hominis; & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam ſi Euchariſtia ſolùm eſſet ſignum gratiæ merè ſpeculativum, non minus ridicula foret illa Joannis locutio, quàm ſi quis diceret: *Niſi quis biberit ex hedera vinum venale ſignificante; non explebit ſitim.* Sed dicere locutionem D. Joannis non eſſe veram, eſt abſurdum: quæcumque enim ſcripta ſunt, ſunt vera, cùm ad noſtram Doctrinam ſcripta fuerint, ut ſpem habeamus, inquit Apoſtolus ad Rom. cap. 15. verſ. 4. Ergo Euchariſtia verè confert gratiam, quæ eſt vita animæ, (ut docet D. Auguſtinus pluribus in locis) aut cibus, quò ipſa

Joan. 6.

Rom. 15.

anima nntritur, & operatur juxtà illud Joan. 15. v.4. *Manete in me:& ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite : ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Et vinculum qnô Fideles uniuntur, ut docet idem Auguſtinus, dicens, quòd ſicut ex multis granis unus conficitur panis, & ex racemis unus calix exprimitur, ſic ex multis Fidelibus unum corpus myſticum integratur, Divi Auguſtini ſententiæ adhæſit eminentiſſimns Cardinalis Beſſarionus, dum dixit : *Panis & vinum jam in Chriſti corpus, & ſanguinem verſa, exemplaria ſunt colligationis Chriſtianorum ad invicem, velut membrorum ſub uno capite.*

De Pœnitentia etiam conſtat. Nam de ea legimus, Chriſtum dixiſſe Apoſtolis ſuis Joan. cap. 20. verſ. 22. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt:* *Joan. 20.* His ſiquidem verbis, Apoſtoli fuerunt inſtituti Judiees in Pœnitentiæ tribunali cum plenitudine poteſtatis his verbis : *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in culis*, conceſſa. Et Sacramentum fuit inſtitutum tanquam cauſa inſtrumentalis remiſſionis peccatorum, quæ exigit neceſſariò infuſionem gratiæ, inhærentis animæ. Quantum ad Extremam-unctionem habetur, ex illo Jacobi cap. 5. *Oratio fidei ſalvabit infirmum. Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* De Ordinis efficientia fit mentio ad Timot. 2. *Ut reſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* *Jacob. 5.* *Ad Timot 2.* De Matrimonio autem licet non ſit ità evidens teſtimonium, hoc tamèn colligitur ex cap. 5. ad Ephes. *Epheſ. 5.* ubi dicitur : *magnum Sacramentum.* Indè enim facilè infertur, Matrimonium eſſe Sacramentum ſicut Baptiſmus &c. Et habere efficaciam, quam habent alia Sacramenta in Ordine ad ſanctificationem hominis. Ut exprimitur ex Sacramenti definitione, quæ omnibus Sacramentis convenit, & ideo nullum eſt Sacramentum, quod non producat gratiam ex opere operato, ſeu ex vi ſua, ut cauſa inſtrumentalis. Nam Baptiſmus infantibus collatus remittit peccatum Originale, eis gratiam ſanctificantem confert, ipſoſque ad regnum cœlorum perducit ex virtute, quam Chriſtus contulit illi, licet baptizatus nondùm pervenerit ad uſum rationis, & baptizans ſit malus & improbus; quippecùm in baptizando non requiratur ratio, nec in baptizante, Sanctitas. Gratia, quam in Baptiſmo, & in alijs Sacramentis obtinemus, non provenit ex opere operantis, nec ex fide per Sacramentnm excitata, ſed ab ipſis Sacramentis efficientèr, inſtrumentalitèr. Quia Chriſtus inſtituit ea velut ſigna & inſtumenta practica ſanctificationis noſtræ, & gratiæ ſuæ, ut aſſerit Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis part. 9. cap. 2. ubi eleganter ait : *Sacramentum eſt corporale elementum foris ſenſibilitèr propoſitum ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens inviſibilem gratiam ſpiritualem.* *Hugo Victorinus.*

§. II.

Solvuntur Argumenta Hæreticorum.

HÆretici, qui omnem efficacitatem à Sacramentis removere conantur, objiciunt varios Sacræ Scriptutæ Textus. Primò objiciunt illud Luc 5. verſ. 21. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Inde enim inferunt, hominem per Sacramenta non poſſe conferre gratiam ſanctificantem, quia hæc expellit peccatum, quod cùm à ſolo Deo dimitti poſſit, ab eodem ſolo poteſt produci gratia, quâ ipſum peccatum expellitur.

Sed non nocet hæc authoritas, quia intelligenda eſt de cauſa principali abſoluta & independenti, non verò de cauſa miniſteriali, & inſtrumentali. In primo quidem ſenſu ſolus Deus confert gratiam, & dimittit peccata, ut ipſemet teſtatur, Iſaï. 43. dicens: *Ego ſum ipſe, qui deleo peccata & iniquitates veſtras.* In ſecundo autem Sacramenta conferunt illam. Chriſtus inſtituendo Sacramenta, inſtituit inſtrumenta gratiæ, vel fontes aquæ ſalientis in vitam æternam, per quos Deus omnipotens ſuum in nos Spiritum effundit, nos ad ſe pellicit, ſibique tam facilè copulat, ut cum eo unus idemque Spiritus efficiamur. *Sacramenta ſunt cauſa inſtrumentales.* Etenim qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt; ideoque Sacramenta poſſunt eſſe inſtrumenta gratiæ, licet Deus ſit ejus cauſa principalis V. G. dum Chriſtus reſtituit cœco nato viſum, uſus eſt lutò, ipſe fuit cauſa princeps, lutum verò cauſa inſtrumentalis; licet non fuerit talis in eodem ſenſu, in quo Sacramenta ſunt inſtrumenta gratiæ; acproindè authoritas relata non removet à Sacramentis omnimodam virtutem conferendi gratiam, etſi eam Deo principalitèr tribuat, quia non implicat cauſam principalem uti cauſâ inſtrumentali, undè S. Auguſtinus lib. 3. quæſt. in Leviticum, quæſt. 84. ait : *Et Moyſes ſanctificabat, & Dominus, ſed Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum, Dominus inviſibili gratia per Spiritum Sanctum.* *D. Auguſt.*

Replicabunt Hæretici & dicent, eundem Sanctum Auguſtinum tract. 6. in Joan. docere homines conferre gratiam per adminiſtrationem Sacramentorum orando & deprecando; nun verò efficiendo; Idem docet lib. 15. de Trin. cap. 17. ubi inquit. *Quantus Deus, & qui dat Deum: neque enim aliquis Diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum, orabant quippè, ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant, quem morem in ſuis præpoſitis etiam ſervat Eccleſia.*

Reſpondetur, D. Auguſtinum nihil aliud velle, quàm quòd Apoſtoli non dabant Spititum Sanctum perſonalitèr ſumptum, ſeù quatenus eſt tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, ibi tamen voluit, Apoſtolos dediſſe donum Spiritus Sancti, non per modum cauſæ principalis, ſed inſtrumentalis, aut miniſterialis, ut facilè colligi poteſt ex octavo capite Actuum Apoſtolorum, ubi legimus quod per impoſitionem manuum, dabatur Spiritus Sanctus. *Explicatur mens D. Auguſtini.*

Adducunt aliam authoritatem Scripturæ, quâ aſſeritur quòd juſtus ex fide vivit. Undè concludunt hominem non juſtificari per Sacramenta ſuſcepta, ſed per fidem, & devotionem ſuſcipientis, per hæc quidem verba oſtenditur, fidem eſſe id, quô juſtus vivit, eſtque juſtus; alioquìn Scriptura diceret quòd juſtus vivit ex Sacramentis, ſi à Sacramentis produceretur gratia, quæ eſt vita animæ, ut notat Divus Auguſtinus.

Sed non valet hæc ratio. Scriptura non dicit quòd juſtus ex ſola fide vivit, ità ut ſola fide ſit juſtus, & Sanctus, & ideo relinquit etiam locum Sacramentis quæ vivificant; aliàs nec Deus, nec Chriſtus, nec actus amoris, aut doloris de peccato gratiam conferrent; cum nec Deus, nec Chriſtus, nec actus amoris ſint actus fidei. Deindè ſequeretur quòd plures peccatotes viverent in Deo, & eſſent juſti. Quia plures habent fidem, & non habent gratiam, nec ſunt grati Deo.

Dico iterum cum pluribus Theologis quòd hæc authoritas Scripturæ intelligenda eſt de promiſſione vitæ æternæ facta juſto, non verò de fide in ſe, & quatenus eſt habitus à Deo infuſus. *Rejicitur hæreticorum inſtantia.* Juſtus enim dicitur ex fide vivere, quia per fidem præſtolatur, & expectat vitam æternam ſibi à Deo promiſſam. Sed non dicitur vivere ex fide formaliter ità ut fides ſit forma juſtificationis, hoc enim ſpectat ad gratiam ſanctificantem, quæ producitur per Sacramenta; quæ ſunt ſigna viſibilia gratiæ inviſibilis divinitus inſtituta ad ſalutem hominum.

Dicent Hætetici, haoc gratiam non poſſe provenire à creatura corporea, & ſenſibili. Quia hæc gratia eſt res ſpiritualis & ſupetnaturalis. Sed neganda eſt hæc illatio, quia non implicat quòd res corporea, & ſenſibilis ſit cauſa inſtrumentalis, & moralis rei ſpiritualis; licet implicet quòd ſit cauſa principalis; Sacramenta autem ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ, & producunt eam, non Phyſicè, ſed moralitèr, ut cum Scoto docet univerſa Schola ſubtilis. Igitur Sacramenta cauſant, & conferunt ex propria virtute, & ex opere operato gratiam ſanctificantem, quâ juſtus verè & formaliter vivit, fitque Filius Dei adoptivus, & Hæres regni cœleſtis.

Res materialis eſt inſtrumentum rei ſpiritualis.

Tandem objiciunt illud ad Epheſ. 5. ubi legitur, Chriſtum mundaſſe Eccleſiam lavacro aquæ in verbo vitæ, quippè per *verbum vita* Hæretici nihil aliud intelligunt, quàm verbum quod fide conceptum, vitam producit, dum videlicet homo apprehendit per fidem divinas promiſſiones ſibi factas, eaſque conſtanti animo expectat, ideoque homo non eſt Sanctus Miniſteriô Sacramentorum, nec per ipſa mundatur à peccato, ſed per verbum Dei, quòd ſi conceptum fuerit, generat fidem, ideoque vanum, & ſupetfluum eſt aſſerere, Sacramenta eſſe inſtrumenta productiva gratiæ ex propria inſtitutione.

Sed non valet hujus authoritatis expoſitio. Quia per verbum vitæ, juxtà veram Apoſtoli mentem, intelligitur verbum conſecratorium, nempè invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, cujus virtute aqua concipit vim regenerandi per gratiam Sacri Baptiſmatis, ut communitèr notant Sancti Patres, & ideo verbum illud dicitur verbum vitæ, quandoquidem Spiritu Sancto replente fontem, aqua Baptiſmalis vim recipit ſanctificandi hominem. Hinc eſt, quòd Tertullianus lib. de reſurrect. carnis ait; *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur, ut anima, & ſpiritu illuminetur, caro corpore Chriſti, & ſanguine veſcitur, ut anima Deo ſaginetur.*

Tertullian.

Addunt illud Petri 1. cap. 3. verſ. 21. *Quod & vos nunc ſimilis forma ſalvos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium; ſed conſcientia bona interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti*: Inde etiam inferunt; hominem non ſanctificari per Sacramentum, ſed per conſcientiæ interrogationem, quæ nihil aliud eſt, niſi excitatio fidei reſurrectionis Chriſti, quæ vim habet ſanctificandi, acproindè ſalus non eſt tribuenda Sacramentis, ſed bonæ conſcientiæ, & virtuti fidei.

Exponitur authoritas D. Petri.

Reſpondetur ibi D. Petrum aſſerentem conſcientiæ bonæ interrogationem ſalvos nos facere, non loqui in ſenſu formali, itàut velit, ipſam bonam conſcientiam, aut fidelem, ſolam eſſe cauſam formalem noſtræ ſanctificationis; ſed ſolùm diſpoſitivè. Quia bonæ conſcientiæ interrogatio, eſt diſpoſitio & præparatio ad fructum Sacramentorum utilitèr percipiendum, hoc eſt, ad receptionem gratiæ & peccatorum remiſſionem, ad quam requiritur interrogatio, aut examen conſcientiæ, ut inſinuat D. Paulus, qui hominibus loquens de Sacramento Euchariſtiæ, ait. 1. ad Corint. cap. 11. verſ. 28. *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

§ III.

In quo refutatur Calviniſtarum Ratio.

CAlvinus lib. 4. inſtitut. cap. 14. §. 14. articulum noſtrum ſic impugnat. Sacramenta non poſſunt cauſare gratiam ex opere operato, ſeu juſtificare; quin ſubtrahant homines à Deo, & faciant ut in rebus corporeis finalitèr quieſcant, quod falſum eſt. Quia Deus ut homines ſanctificet; non indiget rebus corporeis, nec ſenſibilibus; cùm ſit omnipotens, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; ideoque id, quô juſtificamur; non oritur ex Sacramentis, acproinde Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis, ſcilicet quia excitant fidem in eo, qui recipit ea; & intuitu fidei excitatæ, Deus confert gratiam.

Solutio rationis Calviniana.

Reſpondeo negando ſuppoſitum: nimirum per Sacramenta hominem ſubtrahi à Deo. Nam licet Sacramenta conferant gratiam ex opere operato, tamen ſpem noſtram non collocamus ità in illis ſignis ſenſibilibus, ut ad Deum, & ad merita Chriſti nullatenus recurramus; ſed ea conſideramus tanquam inſtrumenta, quæ habent à meritis Chriſti, ſeu ex pretio in cruce exhibito, & à Deo Patri accepto, vim illam ſanctificandi, & producendi moraliter gratiam, quæ à ſolo Deo Phyſicè producitur velut à cauſa efficiente. Ut autem hæc veritas magis eluceſcat, dicendum eſt quòd ſicut qui à Chriſto curabantur per contactum ejus veſtimenti, ſicut mulier ſanguine fluens, aut per lutum divinis manibus ejus impoſitum, ut cœcus natus ſpem ſuam non collocabant in ejuſmodi rebus materialibus, neque eiſdem rebus indigebat ipſe Chriſtus ad reſtituendam mulieri ſanitatem, aut cœco nato lucem dandam, ità nos ſpem noſtram non collocamus in ipſis Sacramentis, nec volumus, Deum ipſis indigere pro animarum ſanctificatione, ſed eam collocamus in Dei efficientia, & meritis Chriſti, qui ut connaturali modo, & viſibilibus ad inviſibilia Dei conſurgeremus, Sacramenta inſtituit velut cauſas inſtrumentales gratiæ ſanctificantis, ut ad debitam, ac dignam ipſorum receptionem, eſſemus Sancti & Immaculati. Nè credas tamèn ô Calvine, nos velle, lutum, aut veſtimentum Chriſti eſſe ſignum practicum ſanitatis, ſicut Sacramenta ſunt ſigna gratiæ, ſed ſolùm ſpem noſtram eſſe in Deo, ſicut ſpes mulieris & cæci nati. Et Deum uti rebus ſenſibilibus pro conferendis beneficijs inviſibilibus. Nec hoc negari poteſt ab Hæreticis; alioquin negare poſſent quòd Deus ſtatuerit, Iſraëlitas à morſu ſerpentium ſanare per aſpectum ſerpentis Ænei, aut mundare Naaman Syrum per aquas Jordanis.

Tandèm ſi Calviniſtæ velint, Deum non uti creaturis viſibilibus pro animarum ſanctificatione, poſſent negare Filium Dei aſſumpſiſſe carnem noſtram; quia eſt viſibilis & materialis, fuitque aſſumpta prò ſalute noſtra; ſed hoc dicere non audent: ergo nec poſſunt denegare Sacramentis virtutem productivam gratiæ ratione adductâ, ſcilicet quia ſunt res corporeæ, quibus non indiget Deus. Pluta quidem Deus fecit olim per Miniſterium Angelorum, Prophetarum, & hominum Apoſtolicorum, quæ per ſe ſolum facere poterat, ſicut potuit creare mundum; quem fecit ex nihilo.

ARTICULUS XVIII.

Affirmat adverſus Vuicleffitas, Tria eſſe Sacramenta; quæ præter gratiam, conferunt Characterem.

ANno MCCCLII. regnante Carolo IV. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Clemente VI. Papa, malitia Dæmonum apparuit & inſurrexit adverſus Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam

Google

quidam vir Hæreticus, nomine Joannes Vuicleffus natione Anglus, profeſſione Sacerdos, & Artium Magiſter, qui in libro 4. Trialogi, cap. 15. negat *Vuicleffus.* Characterem Sacramentalem, ibi enim ait: *multiplicant quidam in Ordinibus à Sacramentis characteres; ſed iſtorum fundationem, & fructum, nec in Scriptura Sacra, nec in ratione conſidero.* Ità teſtatur Thomas Uvaldenſis. *Lutherus.* Tom. 2. cap. CIX. Vuicleffitarum hæreſes referens.

Huic Hæretico ſucceſſit Lutherus, qui in lib. de captivitate Babylonica cap. de Ordine non ſolùm negat, Sacramenta poſſe conferre gratiam ſanctificantem, ſed etiam vult, quòd nequeant Characterem imprimere, effinxerunt inquit: *Characteres, quos huic ſuo Sacramento tribuerunt, qui imprimerentur ordinatis, unde ergo tales cogitationes, quâ authoritate, qua ratione ſtabiliuntur?* Quibus verbis patet, Lutherum *Calvinus.* nullam de Charactere Sacramentali habere fidem.

Vuicleffitas & Lutheranos ſecutus eſt Calvinus, qui in Antidoto Canonis IX. ſeſſ. 7. Concilij Tridentini ait: *Quod de Charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodit officina, nam in veteribus id totum ignotum fuit, & magis conſentaneum eſt incantationibus magicis, quàm ſana Doctrina Evangelij: eadem ergo facilitate repudiabitur, quâ excogitatum fuit.*

§. I.

Probat Characterem eſſe effectum aliquorum Sacramentorum.

Decreta Conciliorum Florentini, & Tridentini. ISTOS Hæreticos Characteris Sacramentalis productionem, atque exiſtentiam negantes, damnant duo Concilia, Florentinum ſcilicet, & Tridentinum. Illud in Decreto Eugenij ubi legimus: *Inter hæc Sacramenta (novæ Legis) tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id eſt, ſpirituale ſignum à cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile.* Iſtud verò in ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 9. dicens: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc eſt: ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt: Anathema ſit:* quibus verbis facilè ſuadetur ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ Chriſti, tria ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, imprimere Characterem in anima illius, cui conferuntur; quin tamen deſinant eidem conferre gratiam.

Eadem veritas perpetua traditione ab Eccleſiæ primordio accepta luculentèr exprimitur in can. *Majores* de Baptiſmo. Et in can. *non licet* de conſecrat. diſt. 4. & in alijs locis Juris Canonici, in quibus authoritate Summorum Pontificum firmitèr declaratur, tria Sacramenta jam memorata, non poſſe iterari, quia imprimunt Characterem, quem non imprimunt cætera quæ iterantur. Eccleſia etiam ſemper renuit tria Sacramenta, quæ non iterantur, imprimere Characterem. Quippècùm horum Sacramentorum effectus ſemper ſubſiſtat, nulla poteſt eſſe neceſſitas iterandi ea.

Non deſunt etiam Scripturæ teſtimonia huic veritati patrocinantia contrà Hæreticos ſupra memoratos. In primis adduci poteſt illud ad Epheſ. cap. 4. *Ephes. 4.* verſ. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei: in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Ubi Apoſtolus loquitur de ſignaculo diſtincto à gratia, ut tradit Haymo eumdem Apoſtoli locum exponens. Loquitur etiam ad improbos, & de effectu baptiſmi remanente in *Cyrillus Jeroſolymitanus.* peccatoribus baptizatis, & ideo non poteſt eſſe aliud, niſi Character, ut monet Cyrillus Jeroſolymitanus præfatione in ſuas Catecheſes dicens: *Magnum eſt ſanè propoſitum Baptiſma captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum Sanctum, & indelebile.* Baptiſmus autem non eſt indelebilis ratione gratiæ ſanctificantis, quam confert, cùm per quodlibet peccatum mortale deleatur gratia, ut in lib. de gratia dictum eſt contrà Jovinianiſtas, Pelagianos, Begardos, & Beguinas. Igitur Baptiſmus ex Apoſtolo, & ex Sanctis Patribus, dicitur talis, ſeu Sacramentum indelebile ratione alicujus effectus ab ipſo producti, utpotè ſignaculi in baptizato indelebilitèr exiſtentis, ſcilicet Characteris qui eſt ſignaculum illud, ut docet *Gregorius Nazianzenus.* S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40. dicens: *Baptiſmus eſt ſigillum, quia conſervatio eſt, ac dominationis ſignificatio, ſignificat enim cujus Domini poſſeſſio ſimus.* His quidem verbis ſuadetur Baptiſmum conferre aliquid aliud præter gratiam, quò ſignamur, & baptizati actu, & verè conſtituimur, nedùm in hac vita, ſed etiam poſt mortem. Quòd certò à gratia minimè poteſt provenire, cùm gratia amittatur per peccatum mortale à baptizato commiſſum, & non amittatur id, quod ſignificat baptizatum eſſe Filium Eccleſiæ Chriſti, & ovem legitimi Paſtoris, ut jam dixi ſuprà.

Ejuſdem Characteris meminit S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 1. *Eduxit Paſtoribus Eccleſia Ovem* *D. Auguſt.* *quæ foris errabat, & Dominicum Characterem à fallacibus deprædatoribus foris acceperat venientem ad Chriſtianæ veritatis ſalutem, ab errore corrigi, à vulnere ſanari, Characterem tamen Dominicum in ea potiùs agnoſci, quam improbari, quandoquidem ipſum Characterem multi Lupis infigunt.* Ille Dominicus Character, aut eſt ipſa Dei gratia, aut ipſum Sacramentom, aut aliquod indelebile ſignaculum impreſſum animæ in Baptiſmo, per quem homo fit Filius Eccleſiæ, ſed non eſt ipſa gratia, hæc enim non reperitur in Lupis, id eſt, in Ove foris inter Hæreticos errante. Nec eſt ipſum Sacramentum ſecundum ſe ſumptum, ſeù quatenùs conſtat verbis, & rebus, ut eſt manifeſtum: ergo neceſſe eſt quòd S. Auguſtinus loquatur de Charactere animæ impreſſo per Baptiſmi Sacramentum.

De Confirmatione conſtat ex illo ad Corinth. 2. cap. 1. verſ. 21. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in* *2. Corint. 1* *Chriſto, & qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Quibus verbis Paulus diſtinguit tres effectus Confirmationis, quos non diſtinguit in alijs Sacramentis Eccleſiæ. Primus eſt gratia, ſecundus eſt Character, tertius verò eſt Spiritus Sanctus; cùm dicat quòd ungimur, ſignamur, & recipimus pignus futuræ gloriæ. Nam ungere pertinet ad gratiam, quæ comparatur Oleo. Signare pertinet ad Characterem, qui eſt de genere ſigni. Et ideo ex Apoſtolo Sacramentum Confirmationis imprimit Characterem, quô Deo conſecramur, & quo ſignamur velut ſignô Chriſti ad cultum divinum, & aliquod officium, ad quod non ſignamur per alia Sacramenta.

Quantum verò ad Ordinem colligitur ex illo ad *Timoth. 4.* Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyteri.* Ibi Apoſtolus meminit gratiæ permanentis in quocumque ordinato. Quæ quidem gratia nequit eſſe gratia ſanctificans, quæ ſæpè amittitur. Sed ſignum aliquod indelebile, ſcilicet Character qui à Theologis dicitur ſignum quoddam ſpirituale impreſſum à Deo ſuſcipienti Sacramentum noniterabile. Hinc fit quòd ea Sacramenta, quæ tale ſignum conferunt, non poſſunt iterari, licet ea, quæ ſolam gratiam producunt, iterentur, ex eo quod gratia ſit amiſſibilis per peccatum, Character verò inamiſſibilis. Nam Chriſtianus inviolabilitèr diſtinguitur à non Chriſtiano, & hoc non per gratiam Baptiſmalem, quæ ſæpè deperditur, & ipſâ amiſſa, baptizatus remanet in Eccleſia, in qua ſunt juſti & peccatores, ſed per Characterem Baptiſmi, & per Confirmationem diſtinguitur, ut fortis miles, à Chriſtiano non confirmato,

qui licet miles ſit, & pugnet contra hoſtes fidei, tamen reſpectu confirmati eſt infirmus.

Tria ſunt Sacramenta quæ Characterem imprimunt.

Tandem qui Sacrum recepit ordinem; diſtinguitur ut perfectus, à non perfecto, & ex plebeio ad nobilium ſtatum evehitur, ac proindè Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo cauſant aliquid aliud præter gratiam, quô diſtinguitur à non baptizato, à non confirmato, & à non ordinato, & quô indelebilitèr ſignatur; ac deſtinatur ad aliquod officium in gloriam Dei, & ſalutem ſuam exercendum. Hoc verum, & neceſſarium eſſe ſuadet hæc ratio D. Auguſtini, & D. Damaſceni. Sicut militantibus ſub àliquo Rege debetur aliquod ſignum diſtinguens militem, ità etiam milites Chriſti debent aliquo Charactere diſtingui ab illis, qui contrà Chriſtum pugnant; & à Chriſtianis fidei abnegationem exigunt. In veteri Lege, Circumciſio diſtinguebat populum Dei à cæteris gentibus. Et in Eccleſia in qua exiſtunt tantùm illi, qui Baptiſmà ſuſceperunt, confirmatus debet diſtingui à non confirmato: cùm ſit eo fortior in defenſione Fidei. Et ordinatus à non ordinato, quia habet aliquam poteſtatem, quam non habet ipſe ordinatus, ſeu Laicus, qui cùm, Deo ſic ordinante, ſubjiciatur Miniſtris Eccleſiæ, in his quæ ad ſalutem ſpectant, neceſſe eſt quòd ipſi Miniſtri habeant aliquod hujus authoritatis ſignum, quod dicitur Character.

§. II.

Hæreticorum Fundamenta evertit.

HÆretici negant, Sacramenta imprimere Characterem, quia (inquiunt) nulla eſt neceſſitas, nullaque apparet ratio, ob quam admittendus videatur Character Sacramentalis. Non eſt neceſſarius, ut gratia Sacramentalis recipiatur; alioquin omnia Sacramenta imprimerent Characterem; cùm omnia producant gratiam. Neque ut baptizatus à non baptizato diſtinguatur, quoniam ſi ad hoc, eſſet neceſſarius Character, hoc eſſet reſpectu Dei, vel reſpectu Beatorum, & Angelorum, vel reſpectu noſtri. Non primum, quia Deus abſque ullo prorsùs ſigno noſcit homines; & abſque ullo Sacramento diſtinguit unum; ab alio. Nec ſecundum, quia Beati, & Angeli vident, & diſcernunt baptizatum à non baptizato. Neque tertium; quia cùm Character ſit ſignum ſpirituale, non poteſt à nobis percipi beneficiô ſenſuum; ac proinde ſuperfluus eſt Character; cùm non requiratur; ut baptizatus V. G. appareat à non baptizato, diſtinctus, nec propter aliam rationem neceſſariam.

Præcipua Hæreticorum ratio.

Reſpondetur Hæreticorum argumentum eſſe falſum. Licet Deus nullo prorsùs ſigno egeat, ut baptizatum à non baptizato diſtinguat, hoc non obſtat, quominùs homo baptizatus ſit ex vi hujus Sacramenti diſtinctus à non baptizato. Idem dico in ordine ad Angelos, & homines. Quoniam Character non diſtinguit baptizatum à non baptizato, confirmatum à non confirmato, & ordinatum à non ordinato, ut diſtinctivus appareat, ſed quia ex natura ſua diſtinctivus eſt; cùm ſit de genere ſigni, qualitatis, aut formæ, ut docent communitèr Scholaſtici cum Doctoribus Angelico, & Subtili.

Solutio ad Hæreticorũ ratiocinia.

Deindè Deus, hominem Charactere inſignitum ſibi ſpeciali jure vindicat. Beati, eum in ſpecialem cuſtodiam aſſumunt, & viatores in ſocietatem Fidei & Sacramentorum aſſociant. Et licet in ſe non ſit ſenſibilis, ſed ſpiritualis ipſe Character Sacramentalis; tamen per Sacramentum ſemel collatum diſtinguit quemcumque hominem Baptiſmô, Confirmatione, & Ordine inſignitum, ab eo, qui hæc Sacramenta non ſuſcepit. Nam, inquit Doctor Subtilis, ſicut qui ad diverſa officia deputantur in domo cujuſdam Principis, notari ſolent quibuſdam ſignis, quibus eorum munia noſcuntur. Ità homines, qui per Baptiſmum recipiuntur in familiam Chriſti, noſcuntur Domeſtici ejus per Characterem, per Confirmationem verò deſignantur velut milites ad profitendam Fidem; & per Ordines donantur aliqua poteſtate circa Corpus Chriſti verum, & myſticum: ergo neceſſè eſt admittere Sacramentalem Characterem, ſi non ut gratia recipiatur, ſaltem ut illi, qui ſunt Chriſti, diſtinguantur ab alijs; qui non ſunt ejus. Neceſſè eſt inſuper quòd in Eccleſia Dei milites à non militibus, ordinati à non ordinatis aliquo ſigno, aut Charactere diſtinguantur; cùm Eccleſia ſit Hierarchia. Et in domo Dei manſiones multæ ſint, perfectiſſimaque ſubordinatio.

Dicent in anima nullum poteſt eſſe ſignum diſtinctivum. Omne enim ſignum debet eſſe ſenſibile, anima verò eſt ſpiritualis; ergo in ipſa nullus poteſt eſſe Character, qui verè diſtinguat unum ab alio. Non valet hæc ratio, quia Character non eſt ſignum rigoroſè; ſed ſolùm analogicè, & per aliquam ſimilitudinem; ſcilicèt quatenus configurat, & aſſimilat, aut diſtinguit, & ideò non debet eſſe ſenſibilis, cùm non ſit ſignum propriè dictum, quod inducit ad notitiam rei latentis.

Inſtabunt, ſi Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimerent Characterem, omnia Sacramenta imprimerent illum; cùm nulla ſit ratio, ob quam tria duntaxàt habeant virtutem imprimendi illum.

Reſpondeo cum Doctore Subtili in 4. diſt. 6. quæſt. 10. rationem colligi poſſe ea proportione ſtatus Legis Evangelicæ ad ſtatum politicum, in quo ſunt quidam gradus dignitatis, qui non conveniunt omnibus ſubditis ejuſdem Principis, aut Reipublicæ. Primus eſt aſſociatio in familiam, qui convenit tantùm omnibus ſervis Principis & per quem ab alijs, ſeu ab illis, qui non ſunt ſervi, diſtinguuntur. Secundus eſt militiæ. Tertius eſt Miniſtrorum & Diſpenſatorum juxtà varios ſuos gradus. Unde cùm omnes homines non ſint in familia Chriſti, quia multi ſunt; qui baptizari nolunt, & omnes qui fuerint recepti in familiam Chriſti, non fuerint recepti in militiam, quia nondum ſuſceperunt Confirmationem, & ex his, omnes non ſint Miniſtri, & Diſpenſatores. Neceſſè eſt quòd per Baptiſmum, per quem quis recipitur in familiam. Per Confirmationem, per quam quis recipitur in militiam. Et per Ordinem per quem quis recipitur, & inſtituitur Miniſter & Diſpenſator (non autem per alia Sacramenta) imprimatur aliquod ſignum, ſeu aliquis Character, quô baptizatus diſtinguatur à non baptizato, confirmatus à non confirmato, & ordinatus à non ordinato: quamvis in cæteris Sacramentis omnes conveniant, eaque ſæpè recipiant. Quia iterari poſſunt. Euchariſtia tendit ad nutritionem ſpiritualem, Pœnitentia ad reconciliationem animæ, Extrema unctio ad corroborationem ejus contrà hoſtes in articulo mortis. Et Matrimonium ad procreationem corporalem, & ideo poſſunt iterari, quia removent neceſſitates, quæ ſæpè in vita accidunt: Baptiſmus verò, Confirmatio, & Ordo ordinantur ad res initerabiles V. G. Baptiſmus tollit peccatum Originale, quod ſemel tantum contrahitur. Confirmatio confert robur irrevocabile ad defenſionem Fidei Chriſtianæ, & conſtituit Baptizatum, militem Chriſti. Ordinis verò Sacramentum conſtituit baptizatum, in Patrem & Paſtorem, qui introducit alios in Eccleſiam, eos dirigit, & inſtruit, ut facilè colligi poteſt ex illo Act. cap. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*: Igitur eſt aliqua ratio, ob quam Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo debeant imprime-

Act. 20.

re Characterem, quem non imprimunt alia quatuor Sacramenta, ſcilicet Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-unctio, & Matrimonium.

ARTICULUS XIX.

Confundit Anabaptiſtas dicentes, Baptiſmum non eſſe neceſſarium Parvulis.

Adverſus Baptiſmi Sacramentum inſurrexerint Hæretici, qui ejus virtutem, & præſtantiam execrari voluerunt. Anno CLX. tempore Antonini Pij Imperatoris, & Pij I. Romanorum Pontificis, emerſerunt quidam viri Hæretici dicti Archontici, qui dicebant in Palæſtina (ut aſſerunt D. Auguſtinus lib de Hæreſ. cap. 20. & D. Epiphanius Hæreſ. 23) Baptiſmum eſſe prorſus inane, & inutile in Ordine ad conſecutionem vitæ æternæ, & ad remiſſionem peccatorum.

Anno CCCLVIII. regnante Conſtantio Imperatore, & Liberio Papa, apparuerunt Aſſurritani, aut Aſſurrani de ſecta Donatiſtatum, qui cum Donato in Numidia à Caſis Nigris Epiſcopo, dicebant, Baptiſmum non poſſe valide conferri extrà Eccleſiam, (quam dicebant eſſe tantum penès ipſos) & ideò rebaptizabant eos, qui ab Eccleſia Catholica ad eos deficiebant, exiſtimantes, hoc Sacramentum nullam habere virtutem, niſi dum à Donatiſta confertur: Putabant enim ob prætenſa Cæciliani Epiſcopi crimina, totam ubiquè corruptam defeciſſe, ac perijſſe Eccleſiam, & puram remanſiſſe in ſola Africæ Donati parte, ſicque in ſola verum eſſe Baptiſma; alibi verò nullum, nulloſque niſi impuros & ſpurios meretricis Eccleſiæ eſſe Miniſtros. Sic enim Catholicam vocabant Eccleſiam.

Dadoës Dadoës unus ex Meſſalianorum hæreſis ducibus, docuit tempore Joviniani Imperatoris, & Liberij Papæ, circa annum Domini CCCLXVII. nullam utilitatem ex Sacro Baptiſmate, baptizatis accedere, ſed ſolùm ſtudioſam orationem, Dæmonem inhabitantem effugere, & peccata tam Originalia, quàm Actualia delere. Hujus hæreſis Defenſores fuerunt Sabas, Adelphius, Simeones, Audeus, Euchytæ, Enthuſiaſtæ, & Maſſaliani, qui nullum alium agnoſcebant medium pro remiſſione peccatorum obtinenda, præter Orationem.

Fulgentius Poſt tot, tantoſque Hæreticos Baptiſmi virtutem inficientes, Diabolus ſuſcitavit alium Hæreticum nomine Fulgentium, qui tempore Arcadij Imperatoris, & Syricij Papæ, circà annum Domini CCCC. docuit, Baptiſmi Sacramentum nihil conferre peccatoribus, ut refert D. Auguſtinus in libro, quem adverſus eum edidit. Hic quippè Hæreticus reverà admittebat Baptiſmum, ſed effectum ejus principaliorem negabat, nimirum peccatorum remiſſionem.

Huic Hæretico ſucceſſit alter, quamvis diverſam mentem haberet, nimirum Pelagius; de quo alibi locuti ſumus, qui anno Domini CCCCV. ſub eodem Imperatore, & Innocentio I. Papa, aſſeruit, pueros non egere Baptiſmo ad delendum peccatum Ori-
Pelagius. gioale. Quia videlicet voluit, pueros ante Baptiſ-
Armeni. mum, nullum Originale peccatum habere, ut aſſerit Idem S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 88. Eum-
Mahometes. dem errorem tutati ſunt Armeni anno DCXL. tempore Heraclij Imperatoris, & Theodori Summi Pontificis. Ejuſdem Sacramenti virtutem impugnavit Mahometes Pſeudopropheta, vir natione Arabs, & profeſſione Mercator viliſſimus, qui multas Hæreſes publicavit tempore Heraclij Imperatoris, & Honorij I. anno DCXXX. inter quas una eſt adverſus Baptiſmum Chriſtianorum, eumque prorſus, infructuoſum, judicans cum Judæis, & Ebionitis, Circumciſionem, ut neceſſariam, eſſe recipiendam. *Albanenſes*

Anno autem DCCXCVI. regnante Conſtantio VI. Imperatore, & Leone III. emerſerunt Albanenſes viri alios inter Hæreticos ſceleratiſſimi, qui dixerunt, Baptiſmum nullam virtutem habere, nullumque beneficium conferre hominibus, & in hoc errore, eos poſteà ſcilicet MCCXVI. temporibus Friderici, & Innocentij Papæ III. ſecuti ſunt Albigenſes, ſic dicti ab Albia Albigenſium civitate Metropoli, Toloſæque vicina.

Tandem anno MDXXII. inſurrexerunt quidam Hæretici, dicti Anabaptiſtæ ab iterato Chriſti Baptiſmate, qui occaſione orta ex Lutheri Epiſtola ad Uvaldenſes ſcripta (quâ aſſerebat inter alia ſatiùs eſſe Baptiſmum in parvulis omitti, quàm illum ſine fide conferri) dixerunt, Baptiſma nihil prodeſſe parvulis uſu rationis carentibus. Eorum ratio erat. Quia parvuli rationis expertes, non poſſunt habere fidem, nec credere verbo Dei. Iſti Hæretici varias in ſectas diviſi fuere, & diverſa ſuſceperunt nomina, vel ab Authoribus, vel à locis, vel à Doctrina, vel à vitæ inſtituto, ſemper tamen ſervato nomine Anabaptiſtarum, in quo conveniebant omnes. *Albigenſes.* *Anabaptiſt.*

Ex hac Anabaptiſtarum ſecta, exorti ſunt Davidiani, ſeu Georgiani, (hoc eſt, cujuſdam Davidis Georgij Amersfordienſis Sectarij, qui ſe ſe tertium Davidem, verumque Meſſiam jactabat) qui dixerunt, Baptiſmum eſſe abominandum. His adhæſit Lucas Sternberger qui vivente eodem Davide, ſcilicet anno MDLXI. ut referunt plures Hiſtorici, impudenter Sacrum Baptiſma rejecit, vocans illud inſtitutionem Satanicam. Et affirmans eos omnes, qui hoc Baptiſma ſuſcipiunt, non niſi ad Tartarum, & ſempiternam damnationem baptizari. Dicebat enim non Baptiſmum, ſed Circumciſionem fuiſſe divinitùs inſtitutam. *Davidiani* *Lucas Sternberger.*

Huic impietati, aut huic impio Baptiſmum blaſphemanti, impietatem addiderunt quidam viri Hæretici ad Antilutheranorum familiam pertinentes, dicti Suenefeldiani, qui teſte Lindano Dialog. 2. dixerunt cum Gaſpare Suenefeldio, lavacrum Baptiſmi eſſe verum ſuillum balneum. Nihil ſanè magis impium dici poteſt, his omnibus Hæreticis addendus eſt Joannes Vicleffus; cùm docuerit, Baptiſma nullatenus eſſe neceſſarium, quia (inquiebat) puer etiam ſi non baptizetur, ſi tamen prædeſtinatus ſit, conſequetur certò vitam æternam. Et ſi non ſit prædeſtinatus, non conſequetur eam, etiamſi Baptiſmum ſuſceperit. *Suenefeldiani.*

§. I.

De Proſcriptione Hæreticorum.

Merito igitur hos Hæreticos damnant plura Concilia, nedum provincialia, & nationalia. Scilicet Milevitanum ſub Innocentio Papa I. celebratum per LX. Epiſcopos circà annum CCCCXV. Et Carthaginenſe VI. celebratum anno CCCCXIX. ſub Caleſtino I. vel ſub Bonifacio I. ut volunt aliqui. Sed etiam generalia nempe Florentinum ſub Eugenio IV. habitum anno MCCCCXXXVIII. pro damnandis Græcorum erroribus, & uniendis iiſdem cum Eccleſia Latina Græcis. In hoc quidem Concilio in inſtructione de Sacramentis data Armenis, legitur. *Cum propter hominem mors intrôierit* *Concilium Milevitanū* *Carthaginenſe.* *Florentinū*

troierit in univerſos, niſi ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcamur, non poſſumus, ut inquit veritas, in regnum cœlorum introire. In definitione de libris Canonicis hanc definivit Doctrinam, ſic dicens: *Circà pueros verò propter periculum mortis. (quòd poteſt ſæpè contingere) cùm ipſis non poſſit alio remedio ſubveniri, niſi per Sacramentum Baptiſmi, per quod eripiuntur a Diaboli dominatu, & in Dei Filios adoptantur, admonet non eſſe per quadraginta aut octoginta dies, ſeu aliud tempus juxtà quorumdam obſervantiam Sacrum Baptiſma differendum, ſed quàm primum fieri poteſt, debet conferri; Ita tamen quod mortis imminente periculo, mox ſine ulla dilatione baptizentur, etiam per Laïcos.* His quidem verbis ſuadetur, Baptiſmum eſſe abſolutè, & ſimplicitèr neceſſarium ad ſalutem, huncque conferendum eſſe parvulis etiam per manus Laïci, ſi periculum mortis immineat, & deſit Sacerdos.

Tridentinū

Hanc ipſam veritatem docet aliud Concilium generale, ſcilicet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. ubi habetur: *Quibus verbis juſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur Filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: quæ quidem tranſlatio poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto; fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Hanc Baptiſmi neceſſitatem clariùs exprimit in ſeſſ. 7. de Baptiſmo, Can. 5. ubi ait: *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem: Anathema ſit.*

Carthaginenſe. V. *Gerundenſe* *Bracarenſe. II.*

Quantum ad Anabaptiſtarum pueros Baptiſmo privantium, condemnationem, ut appareat Baptiſmum prodeſſe parvulis, referenda ſunt Concilia, Carthaginenſe quintum celebratum anno ccccxcviii ſub Anaſtaſio Papa I. per LXXII. Epiſcopos; Concilium Gerundenſe ſub Hormiſda Papa, per LXX. Epiſcopos, anno Domini DXVII. Bracarenſe II. tempore Interregni Joannis III. Præter hæc nationalia, aut provincialia, adducenda ſunt alia longè poſteriora, & generalia, nimirum Viennenſe, & Lateranenſe ſub Innocentio III. cujus verba habentur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate circà finem, ubi legimus: *Sacramentum verò Baptiſmi (quod ad invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus Sancti conſecratur in aqua) tam parvulis, quàm Adultis in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum proficit ad ſalutem.* Adducendum eſt iterum & Tridentinum in ſeſſ. 7. de Baptiſmo Can. 13. ubi habetur: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter Fideles non eſſe computandos, ac propterea, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ: Anathema ſit.*

Viennenſe. Lateranenſe. *Tridentinū*

§. II.

Firmatur neceſſitas Baptiſmi.

Joan. 3.

Baptiſma eſſe neceſſarium omnibus & ſingulis hominibus, in re, vel in voto, colligitur contrà Hæreticos ex illo Joan. 3. verſ. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Quibus verbis Chriſtus Dominus demonſtrat, neminem poſſe ſalutem conſequi, niſi fuerit aqua Baptiſmi renatus, ibi enim Chriſtus nullum excipit, non Infantem, non aliqua præventum neceſſitate, ut notat Divus Ambroſius lib. de Abraham cap. 11. prædicta verba Divi Joannis exponens, ſed omnes comprehendit, & in ſolo Baptiſmo includit virtutem perducendi ad regnum Dei, ut propriam terminorum naturam conſideranti patebit: igitur Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij omnibus hominibus, tam Adultis, quàm parvulis, nequè eſt aliud præter Baptiſmum ſub cœlo ſignum, in quo poſſint ſalvari.

Unde Divus Baſilius in Epiſt. 28. ad Sanctum Hieronymum, hanc ipſam abſolutam neceſſitatem Baptiſmi demonſtrare cupiens, inquit: *Quiſquis dixerit quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſinè Sacramenti hujus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur, ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe.* Et lib. 3. de origine animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, Infantes antequam baptizentur morte præventos, poſſe pervenire ad originalium indulgentiam delictorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Inde enim expreſſè colligitur neceſſitas Baptiſmi à Chriſto inſtituti pro delendo peccato Originali, contrà Pelagianos, & Armenos. Et pro ſuſcipienda gratia, quæ eſt veſtis nuptialis, ſine qua nemo poteſt introire in domum Dei Patris, ſuppoſita quidem, (quam Eccleſia ex Scripturis tradit de peccato Originali,) veritate, nimirum, hac, *in Adam omnes peccaverunt.* Item, *eramus omnes Filij iræ.* Certiſſimum eſt quòd egemus abſolutè aliquô remediô, quô tollatur peccatum illud, per quod mortui ſumus, dum de Matre naſcimur, ut ipſô mediô renaſcamur; illud autem medium, quo regeneramur, eſt baptiſmus juxtà illud Joan. *Niſi quis &c.* Qui ex Florentino in Decreto ad Armenos poſt ultimam ſeſſionem, eſt vitæ ſpiritualis janua, & per ipſum membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ, atquæ filij adoptionis, ut monet Apoſtolus ad Titum cap. 3. dicens quòd baptiſma eſt lavacrum regenerationis & renovationis, quæ quidem regeneratio, aut renovatio à Chriſto inſtituta, non poteſt ordinari, niſi ad ſalutem noſtram; cùm venerit nos ad vitam revocare, & moriendo, mortem noſtram deſtruere.

D. Baſilius *ad Titum. 3*

Idem confirmat ratio. Nam ſicut peccato Originis omnes infecti, naſcimur Filij iræ, ut inquit idem Apoſtolus. Ità neceſſe eſt, ut renaſcamur Filij Dei per baptiſmum cujus neceſſitatem, eſſe omnibus & ſingulis hominibus communem, declarat Chriſtus, Joan. 3. dicens: *Niſi quis renatus fuera ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Hæc autem aqua, eſt aqua baptiſmi à Chriſto pro regeneratione noſtra inſtituti.

Nec valet dicere cum Hæreticis, ex illis verbis Chriſti, non poſſe colligi, baptiſma eſſe abſolutè neceſſarium parvulis, & Adultis, neceſſitate medij, nam (inquiunt) ex illo Joannis 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij Hominis, non habebitis vitam in vobis*, Nemo colligit, Euchariſtiam eſſe abſoluté neceſſariam omnibus: ergo nec ex alio colligit neceſſitatem baptiſmi. Non valet inquam quia Chriſtus non dixit de Euchariſtia, *Niſi quis manducaverit*, ſicut de baptiſmo dixit, *Niſi quis renatus fuerit*, ſed dicit, *Niſi manducaveritis*, ut indicaret, ſermonem ſuum de Euchariſtia, intelligendum eſſe pro Adultis talis manducationis capacibus. Sermonem verò de baptiſmo, intelligendum eſſe pro omnibus, nemine excepto. Hinc eſt quòd Petrus alloquens eos, qui ad eum, & ad Apoſtolos veniebant, & dicebant, Act. 11. verſ. 27. *Quid faciemus, viri Fratres?* Reſpondet verſ. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Et comprehendit omnes, & ſingulos homines. Ratio hujus diſcrimi.

Vana hæreticorum inſtantia

nis inter baptiſmum, & Euchariſtiam eſt. Qnia Euchariſtia datur per modum cibi. Cibus verò ijs dumtaxat neceſſarius eſt, in quibus aliquid deperditur; pueri autem, qui peccatô actuali nihil deperdunt, cibô illò non egent. At baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis, cujus omnes homines tam parvuli, quàm Adulti ſunt capaces, quàque indigent omnes, qui in Adam peccaverunt, ſeu mortui: ergo nulla eſt paritas inter utrumque Chriſti Domini oraculum.

Quantum ad univerſalitatem obligationis minus valet dicere, in novo Teſtamento, plures ſine baptiſmo aquæ ſalvos factos fuiſſe, ut conſtat ex Zacharia, Elizabeth, Anna, & Simeone. Ratio eſt, quia omnes illi Sancti vixerunt & mortui ſunt ante veteris Teſtamenti conſummationem per mortem Chriſti Domini, acproindè priuſquam baptiſmus aquæ fuiſſet neceſſarius omnibus hominibus neceſſitate medij ad ſalutem obtinendam. Portò nunc, conſummato novo Teſtamento, inſtitutoque baptiſmo, nullus poteſt introire in regnum Dei, niſi fuerit baptizatus, ſeu renams ex aqua, & Spiritu Sancto. Hoc eſt, niſi ſit Chriſtianns. Unde Divus Auguſtinus de

D. Auguſt.

verbis Apoſtoli, ſerm. 14. cap. 8. Pelagium alloquens, ait: *Ecce ſimul dicamus huic homini, Chriſtianus es? Chriſtianus*, inquit, *audi Evangelium, qui vis non baptizatos parvulos mittere in regnum cœlorum, audi Evangelium: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei. Domini ſententia eſt: huic non reſiſtit, niſi non Chriſtianus.* Id eſt, ſolus infidelis negat, baptiſmum eſſe neceſſarium omnibus hominibus.

Sacra Scriptura aliis in locis hanc baptiſmi neceſſitatem oſtendit. Paulus ad Titum cap. 3. verſ. 4. &

Ad Titum. 3.

5. ait: *cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum.* His verbis oſ-

Epheſ. 5.

tendit, ſalutem ſpiritualem nobis datam eſſe ex meritis Chriſti, non ſolo verbo, aut ſolo illius mandato, ſecluſo quocumque medio, aut inſtrumento ſenſibili, ſed interveniente lavacro regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, ut colligi poteſt ex illo ad Epheſ. cap. 5. verſ. 25. & 26. ubi dicitur, Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam, & ſeipſum tradidiſſe pro ea, ut illam ſanctificaret, mundando eam lavacro aquæ in verbo vitæ. ergo nullus poteſt renovari, & regenerari niſi per baptiſmum, acproindè baptiſmus eſt abſolutè neceſſarius neceſſitate medij ad vitam æternam conſequendam.

Ad Galat. 3

Idem docet ad Galat. 3. ubi ait: *Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, Quià Chriſtum induere, nihil aliud eſt, quàm habere ejus gratiam, quâ velut veſtimentum tegimur, undè cùm ſit neceſſarium habere veſtem illam, ſeu gratiam, hæcque habeatur dumtaxàt per baptiſmum in re, vel in voto (alioquin baptiſmus non eſſet janua Sacramentorum, nec Eccleſiæ. Quòd eſt falſum,) ſequitur quòd baptiſmus eſt abſolutè neceſſarius neceſſitate medij ad conſequendam vitam æternam, ad quam nemo poteſt pervenire, niſi habeat gratiam ſanctificantem quæ eſt ſemen gloriæ, datque jus ad illam, quod quidem jus perdidit omnis Filius Adæ per peccatum ipſius. & nobis acquiſitum fuit per Chriſtum, & in Baptiſmo communicandum

Baptiſmus prodeſt infãtibus ſicut Adultis.

Illud autem baptiſma prodeſſe Infantibus, ſeu Infantes eſſe capaces baptiſmi ſuſcipiendi, conſtat contrà Hæreticos ex varijs Sacræ Scripturæ locis, præſertim ex illo act. 16. ubi dicitur de Lydia; *Cum autem baptizata eſſet, & domus ejus tota.* Et verſ. 33. de cuſtode carceris, In quo recluſus fuerat Paulus, dicitur: *Baptizatus eſt ipſe & omnis domus ejus continuò.* Et 1. ad Corinth. cap. 1. verſ. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum*, Ex his locis facilè infertur, tunc plures parvulos fuiſſe ritè, ac validè ab Apoſtolis baptizatos, quia nullus dubitare poteſt in iſtis familijs univerſim baptizatis, fuiſſe aliquos parvulos, qui Baptiſma ſuſceperunt ab Apoſtolis, ac proindè nullus dubitare poteſt de validitate Baptiſmi parvulis collati. Quicumque enim baptizati ſunt, inquit, idem Apoſtolus ad Galatas, Chriſtum induerunt, hoc eſt, gratiam receperunt ſivè ſint parvuli, ſivè ſint Adulti, ut exponunt communitèr Sancti Patres. Hinc eſt quòd Chriſtus ait: *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cœlorum*, certè hoc non dixiſſet, ſi non eſſent capaces Baptiſmi, quia ſine Baptiſmo nullus poteſt regnum illud conſequi.

Præterea Baptiſmus cùm ſucceſſerit Circumciſioni ordinatæ ad medelam generalis morbi, dicendum eſt quòd ipſe Baptiſmus qui dignior, ac major eſt Circumciſione, poteſt conferri validè parvulis, ſicut conferebatur Circumciſio, ut docet Innocentius III. in cap. *majores*, De Baptiſmo, dicens: *Cum* *Innocentius III.* *ergo Circumciſio tam Adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur: Nè Baptiſmus, qui ſucceſſit loco ipſius, & generaliter tamen exiſtit, cùm tam viri, quàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam Adultis, quam parvulis eſt conferendus.* Hocque conforme eſt divinæ Providentiæ, ad quam ſpectat, ut quicumque poteſt ab alio lædi in ſalute, & perdi, poſſit & aliundè juvari auxilio neceſſario: quia ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundavit, & gratia. Quòd tamen falſum eſſet, ſi Infantibus Baptiſma non prodeſſet, ut volunt Hæretici, quoniam in Adam peccaverunt, ut inquit Apoſtolus, & non poſſent vivificari in Chriſto, nec per medium aliquod revocari ad vitam. Quòd eſt manifeſtè falſum, & directè oppoſitum fini divinæ Incarnationis, qui eſt reparatio generis humani, cùm Chriſtus venerit diſſolvere opera Diaboli, ſitque fortior, potentior, atque pronior ad removendum peccatum Originale, quàm fuerit Adam ad illud invehendum, ubi enim abundavit delictum, ibi ſuperabundavit & gratia; atqui peccatum Adæ vitiavit parvulos, qui peccatum ipſius contrahunt in primo inſtanti conceptionis, & naſcuntur filij iræ: Igitur Baptiſmus Chriſti ſanctificavit eos, eiſque peccatum Originale, ſeu peccatum Adæ remiſit, quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes vivificantur, ut ait Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 22. licet non poſſint actu credere ex defectu uſus cognitionis, & libertatis ad fidem omnino neceſſarij, ut notant plures Sancti Patres præcedentes Concilium Tridentinum (in cujus ſeſſ. 7. hæc veritas expreſſè definita manet) & præcipuè D. Auguſtinus relatus in Can. 76. de conſecrat. diſt. 4. ubi ait: *Parvulum* *D. Auguſt.* *& ſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jàm tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit, nam ſicut credere reſpondetur, ità etiam fidelis vocatur, non rem ipſa mente annuendo; ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo.* Et in Canone ſequenti, idem Sanctus Doctor inquit: *Cum pro parvulis alij reſpondent, ut erga eos impleatur celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt, at ſi pro eo qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet, ex qua regula illud in Evangelio dictum eſt, quòd omnes cum legitur, naturalitèr movet, ætatem habet: ipſe pro ſe loquatur.*

Eadem veritas demonſtratur ex varijs figuris Baptiſmi, quæ olim in veteri Teſtamento præceſſerunt quæ nequeunt à Petrobuſſianis, Henricianis & alijs Hæreticis præcitatis ſupra in principio articuli, citrà hæreſim rejici. Cùm ex Apoſtolo omnia Patribus an-

tiquæ Legis in figura contigerint, & ipſe Paulus ex hujuſmodi figuris ſæpè ſumpſerit argumentum ad probanda ea Dogmata, quæ nunc pro tempore novi Teſtamenti, ab omnibus neceſſariò ſuſcipienda ſunt.

Argumenta ex figuris deſumpeum.

Prima figura ex qua utilitas Baptiſmi deſumi poteſt, eſt Arca Noë, quæ ex D. Petro Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 20. & 21. eſt figura Baptiſmi; ibi enim legitur: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis forma ſalvos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti*; Quibus verbis ſatis clarè oſtendit Sanctus Petrus, illam Arcam fuiſſe Typum Baptiſmi noſtri, in quo ſolùm homines poſſunt ſalvari à diluvio peccati, ſed hæc Arca omnioò neceſſaria fuit Noë, & tribus Filijs ejus, & Uxori ipſius, & Uxoribus triom Filiorum ejus, ut patet in Sacra Scriptura, ideo ex eadem Sacra Scriptura aſſerente, nullum poſſe ſalvari niſi renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, dicendum eſt quòd Baptiſmus eſt ita neceſſarius filijs Adæ, ot nullus poſſit ſine ipſo in voto, vel in re ſuſcepto, ſalvari.

Altera figura ex qua infertur, Baptiſmum eſſe neceſſarium parvulis, eſt Circumciſio, ut inquit Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 11. *In quo & circumciſi eſtis Circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in Circumciſione Chriſti*; At Circumciſio non ſolùm proderat Adultis ad ſalutem animæ, ſed etiam parvulis, ut ſuprà dictum eſt, & colligitur ex cap. 17. verſu 14. Geneſis. *Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.* Et verſ. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*; cùm quodlibet præceptum divinum ſit neceſſariò obſervandum pro vita æterna aſſequenda: ità ſimiliter Baptiſmus in nova Lege debet parvulis prodeſſe, aliàs Sacramentum Baptiſmi non haberet tantam virtutem, quantam habebat Circumciſio. Quòd eſt falſum. Quia Sacramenta novæ Legis ſunt perfectiora Legis antiquæ Sacramentis.

Sunt aliæ figuræ eamdem veritatem probantes, ſed ea omitto cùm hæc duo ſufficiant. Ad hæc omnia pro Baptiſmo parvulorom accedit antiquiſſimus uſus in Eccleſia Catholica inviolabiliter obſervatus. Divus Dionyſius Areopagita cap. ult. Eccleſiaſt. Hierarch. teſtatur tempore Apoſtolorum, Eccleſiam baptizaſſe parvulos. Idem refert D. Cyprianus in Epiſt. 8. lib. 9. Divus Auguſtinus Epiſt. 23. quæ eſt de Baptiſmo parvulorum. Plures alij Divo Auguſtino antiquiores & poſteriores idem referunt. Accidit pariter traditio Apoſtolica, quæ non eſt minoris authoritatis quàm Scriptura, quia eodem Spiritu loquebantur Apoſtoli, quo ſcribebant.

D. Cyprian. D. Auguſt.

§. III.

Solvuntur Hæreticorum Argumenta.

PRænominati Hæretici, qui Baptiſmum inutilem judicant, ſic objiciunt. Si Baptiſmus eſſet abſolutè neceſſarius, mandatò Chriſti Domini Apoſtoli ſuſcepiſſent illum, ſed non receperunt. Tum quia non conſtat ex Sacra Scriptura. Tum quia plures Sancti Patres, & præcipuè Divus Chryſoſtomus Homil. 1. in Act. Apoſt. Et Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 12. dicunt ipſos non fuiſſe baptizatos.

Sed non valet hæc ratio, quia non debet intelligi præciſè de Baptiſmo, ſed ſolùm de effectu ipſius, ſcilicet de remiſſione peccatorum, non verò de alijs effectibus. Etenim plures Doctores præſertim Evodius, Nicephorus, Clemens Alexandrinus, Divus Auguſtinus Epiſt. 108. & alij teſtantur, Apoſtolos fuiſſe baptizatos, quia ſciunt Baptiſma fuiſſe ipſis collatum non ut obtinerent deletionem peccati Originalis quæ præceſſerat per Circumciſionem, ſed ob alios fines, V. G. ut reciperent Characterem, ut idonei eſſent ad alia Sacramenta, ut augmentum gratiæ habitualis, & gratiam Sacramentalem reciperent, ut non eſſent alijs occaſio ſcandali, & ut obſervarent præceptum Chriſti, qui ante mortem, Baptiſmum inſtituerat ſuſcipiendum: Igitur Patres non negant, Apoſtolos fuiſſe baptizatos, ſed ſolum peccatum Originale fuiſſe remiſſum Apoſtolis per Baptiſmum. Ut dicitur de Chriſto, qui fuit baptizatus, & remiſſionem peccati non recepit.

Apoſtoli receperunt Baptiſmum

Dicent cum Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 7. quòd Filij Fidelium ſunt Sancti in utero Matris, ideoque baptiſmus eſt inutilis. Sed non valet hæc authoritas, quia intelligenda eſt de aliqua externa ſanctificatione, quà non ſunt ſpurij, ſed legitimi Filij; non verò de ſanctificatione interna, quæ fit per gratiam, cùm ex eodem Apoſtolo, omnes naſcamur Filij iræ, & per baptiſmum renaſcamur Filij dilectionis.

Explicatur mens Apoſtoli.

Anabaptiſtæ aſſerentes, baptiſmum nihil prodeſſe Infantibus, inquiunt, quòd Chriſtus Apoſtolos ſuos docens de iis, quæ poſt ſuam in cœlos Aſcenſionem, illi acturi erant, dixit Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ex quo ſequitur, baptiſmum non poſſe conferri niſi credentibus. Sed Infantes non credunt, nec poſſunt credere; cùm ſint rationis expertes: igitur non poſſunt validè baptizari, nec Deo placere; cùm ipſi placere ſine fide impoſſibile ſit, & ſi tunc moriantur certò condemnantur, etiamſi baptiſmum ſuſcipiant, quoniam actu credere, pendet à ratione, ſeu ab Intellectu captivato in obſequium fidei.

Anabaptiſtarum ratio

Reſpondeo, Anabaptiſtas, & alios Hæreticos in hac parte illis adhærentes, errare a veritate, & à verà mente Chriſti dicentis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Quia Chriſtus ibi loquitur de Adultis, in quibus baptizandis, hunc ordinem ſervari voluit, ut priùs inſtruerentur de rebus fidei, quàm baptiſmum ſuſciperent. Quòd verum eſſe patet ex verbis præcedentibus: *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, quæ intelligenda ſunt de ſolis Adultis; alioquin Chriſtus præcepiſſet Apoſtolis prædicare Evangelium Infantibus octo dierum. Quòd eſt falſum: Igitur hæc verba, quæ immediatè ſequuntur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, intelligenda ſunt de illis Adultis, quibus Apoſtoli debebant prædicare Evangelium, & nullatenus de Infantibus, ille quidem ſermo de baptiſmo conferendo, erat de illis, quibus prædicatio Evangelij erat annuncianda. Nec valet illud de neceſſitate fidei, ut quis placeat Deo. Quia parvuli, qui baptizati ſunt, placent Deo, etiamſi non credant actu, quoniam parvuli; licet ante baptiſmum non habeant fidem, habent tamen illam per baptiſmum, qui ex Concilio Vienneſi infundit Fidem, Spem, & Charitatem; licet ipſi parvuli per illas virtutes operari non poſſint, & ideo ſi non habeant Actum, habent tamen habitum, cum quo parvulus placet Deo, qui in habitu fidei ſponſat ſibi animas.

Solvitur Anabaptiſtarum ratio

Undè D. Bernardus ſerm. 66. ſuper Cant. ait:

Nemo mihi dicat quia parvulus non habet fidem, cui mater impertit ſuam, involvens illi in Sacramento quouſque idoneus fiat, proprio non tantum ſenſu, ſed aſſenſu evolutam, puramque percipere, numquid breve pallium, ut non poſſit ambos cooperire? magna eſt Eccleſia fides, numquid minor fide Cananea mulieris, quam conſtat & filia ſufficere potuiſſe, & tibi? Ideo audivit, mulier, *D. Bernardus.* *magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti*, & paucis interpoſitis, ſubdit: *quæ cum ita ſint, nullum præjudicium ſuſtinebunt regenerati de hoc quod dictum eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, cum ſine fide non ſint qui teſtimonium fidei Baptiſmi gratiam receperunt, ſed neque de eo quod idem dictum eſt, qui vero non crediderit condemnabitur, quid enim credere eſt, niſi fidem habere*, quibus oſtenditur, parvulos baptizatos habere ſufficientem fidem, ut placeant Deo, ut notat Divus Auguſtinus in lib. de Baptiſmo parvulorum dicens quòd parvuli baptizati inter credentes reputantur per Sacramenti virtutem, & offerentium reſponſionem; qui vero non ſunt baptizati inter non credentes judicantur; ità legitur in can. *Filius Dei*, de conſectat. diſt. 4. Et in can. *Parvuli*, ejuſdem diſtinct. ubi inquit; *Parvuli, fideles recte vocantur, quia ſicut per verba geſtantium quodammodo profitemur,* *D. Auguſt* *& per eorundem verba Diabolo & mundo abrenunciant, & hoc fit vi Sacramenti, & divina gratia, quam Dominus donavit Eccleſiæ*: Itaque parvuli habent fidem; licet non poſſint per eam exire in operationem, quouſque ad uſum rationis pervenientes, per auditum verbum Dei credentes, illam ſuſcipiant: ſcriptum eſt enim, fides ex auditu. Qoare ait: *ſinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum*, Quia loquebatur de parvulis, qui erant juſtificati per Sacramentum Circumciſionis, aut remedium Legis naturæ.

Tandem objiciunt. Si Baptiſmus eſſet ità abſolutè neceſſarius parvulis parentum fidelium, ut nullus poſſet alio medio ſalvari, evidenter ſequeretur quòd conditio Chriſtianorum eſſet deterior, quàm conditio veteris populi. Et gratia ſub Evangelio eſſet reſtrictior, quàm ſub Lege Moyſi, quia in iſta non obſtante præcepto Circumciſionis, pueri ſine ipſa Circumciſione conſequebantur vitam æternam, ut V. G. dum urgebat neceſſitas ante octavum diem pueri, tunc enim illi ſufficiebat ad ſalutem applicatio remedij Legis naturæ, nempè fides parentum teſtata per aliquod ſignum ſenſibile, ac proindè Circumciſio, non fuit in Lege Moſaïca tam neceſſaria parvulo, ut ſi ante octavum diem moreretur, non *Altera hæreticorum ratio.* poſſet ſine illa ſalvari; ergo nunc Baptiſmus, qui ſucceſſit Circumciſioni, & per illam figuratus fuit, non eſt ità neceſſarius, ut ſine illo nemo poſſit ſalvari.

Reſpondeo paritatem eſſe falſam, ut ſupra dictum eſt cum Apoſtolo. Falſum eſt enim quòd par- *Rejicitur hæreticorũ ratio.* vulus Judæus ante octavum diem mortuus ſine Circumciſione, poſſet ſalvari, ut colligitur ex illo Geneſ. 17. *Maſculus cujus caro præputij circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*, hoc eſt, in libro viventium non ſcribetur. Quòd idem eſt ac excludi à gloria. Ità reſpondet noſter Alphonſus à Caſtro, verbo *Baptiſmus*, hæreſi undecima.

Dico inſuper, paritatem non valere, quia licet Deus prohibuiſſet in veteri Lege, parvulum circumcidi ante octavum diem, tamen erat conveniens, ut periclitantibus ante illum diem relinqueret applicandum remedium Legis naturæ; at in Lege nova, cùm voluerit, Baptiſmum ità inſtitui, ut conſtaret verbis: *ego te baptizo*, & rebus, ſeu aqua, ut parvulis applicari poſſet ſtatim ac nati ſunt, non fuit neceſſe aliud remedium ipſis applicandum relinquere, ſufficit enim Baptiſmus; qui à quolibet homine conferri poteſt ſi ſit neceſſitas baptizandi puerum, aut immineat mortis periculum, & ideò non fuit neceſſarium in nova Lege relinquere remedium naturæ, aut conſenſum parentum.

Dicent. Voluntas Adæ fuit ſufficiens infantibus, ut cum illo peccarent: igitur voluntas parentum etiam ſufficiens erit parvulis, ut per eorum vota, *Nulla eſt paritas ab adverſariis adducta.* & orationes poſſint juſtificationem aſſequi. Minus valet hæc paritas, quia voluntas primi hominis dum peccavit continebat omnes noſtras voluntates moralitèr reſpectu juſtitiæ originalis nobis promerendæ, vel deperdendæ, dum peccavit, non verò dum pœnituit, habebat rationem capitis, & ideo licet ejus voluntas fuerit ſufficiens, ut omnes peccarent; voluntas Patris Infantis nati non poteſt ſufficere, ut à peccato mundetur per ipſius vota, aut orationes: quia Pater non eſt caput generis humani, nec Filij, ſaltem in eo ſenſu in quo Adam erat caput omnium hominum.

Ratio Uvicleffitarum ſupra relata, eſt etiam nulla, quia prædeſtinatio ad gloriam includit prædeſtinationem ad Baptiſmum, ideoque Baptiſma eſt neceſſarium omnibus ut conſequantur vitam æternam, quoniam nullus niſi per Salvatorem Chriſtum Jeſum poteſt eam conſequi, ut notat D. Thomas poſt plures alios Sanctos Patres. Chriſto autem nemo niſi per Baptiſmum, unitur, incorporatur, fitque membrum corporis ejus, quod ex Apoſtolo eſt Eccleſia: *Rejicitur ratio Uvicleffi.* Igitur Baptiſma quod ex Nicæno inſtitutum fuit in remiſſionem peccatorum, eſt omnibus abſolutè neceſſarium, quoniam omnes naſcuntur filij iræ, ſeu peccatores.

ARTICULUS XX.

Quô probatur contra nonnullos Hæreticos validitas Baptiſmi in voto.

EX teſtimonio Divi Bernardi Epiſt. 77. & Hugonis à S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 7. conſtat, olim fuiſſe Hæreticos, qui licet aſſererent Baptiſmum eſſe neceſſarium omnibus hominibus, contra eos, qui in præcedenti articulo citantur, nihilominus volebant, Baptiſmi neceſſitatem tantam eſſe, ut Adultum infidelem, qui non propter contemptum, aut negligentiam, ſed tantummodo, & præciſè propter omnimodam impoſſibilitatem, ſine Baptiſmo ab hac vita migravit, ſalvari non poſſe; idque pertinaciter contendebant etiam ſi baptizari vellet, fueritque ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ad Deum converſus: in ſola quidem Baptiſmi ſuſceptione ſalutem hominum conſtituebant, & nullatenus in ipſius voto.

Revera non conſtat ex eorumdem Doctorum teſtimonio, an hæc hæreſis habuerit aliquem Patronum, qui eam ſcriptis aſſeruerit, & ſub cujus nomine publicata fuerit. Referunt enim hæreſim, nomen autem Hæretici tacent, ideoque hæc hæreſis impugnanda eſt, ſuppreſſo ipſius authore, nec hoc ſtudio noſtro implicat; cùm mens noſtra, non ſit principalitér impugnare Hæreticorum perſonam ut nomen, ſed hæreſes, ut triumphet fides Chriſti, & extollatur Catholica Religio, unde cùm ſit Hæreticum aſſerere, Baptiſmum in voto eſſe nullum illi, qui ardentèr deſiderat illum, ut declarat Tridentinum ſeſſione 6. capite quarto.

Quibus verbis juſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur Filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: quæ quidem tranſlatio poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et ſeſſ. 7. can. 4. *Si quis dixerit, Sacramenta nova Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria; ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci; licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint; Anathema ſit.*

Cùm his verbis liquidò conſtet, Baptiſmum in voto non eſſe ſuperfluum, ſed utile. Neceſſe eſt ut intentum noſtrum proſequamur hic oſtendendo illis Hæreticis quiqui ſint, Baptiſmum flaminis eſſe validum, ſeu hominem adultum, qui ex toto corde ſuo optat baptizari, poſſe ſalvari, quamvis propter impoſſibilitatem ſuſcipiendi Baptiſmum, non baptizetur, modò ſit ſemper paratus ad petendum, atque ſuſcipiendum Baptiſmum, dum baptizari poterit juxtà ritum & formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Chriſtus reliquit Baptiſmi formam.

§. I.

De validitate Baptiſmi in voto.

EX varijs Sacræ Scripturæ locis probari poteſt articuli noſtri veritas. Nam in eadem Sacra Scriptura tam in veteri, quàm in novo Teſtamento conſtat, Deum ſpopondiſſe veniam peccatori
Ezech. 18. Pœnitenti, ac divinam miſericordiam poſtulanti, ut probat illud Ezech. 18. verſ. 27. & 28. *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam: ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim, & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vita vivet: & non morietur.* Hæc verba probant, corporalem ſuſceptionem Baptiſmi non eſſe abſolutè, & in omni caſu Adultis infidelibus & impijs neceſſariam ad converſionem, & juſtificationem; cùm ibi de illa ſuſceptione Baptiſmi nulla fiat mentio, ſaltèm explicita, nec in illo Zachar. 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: Ideoque Adultus non baptizatus, qui vult ex toto corde ſuo baptizari Baptiſmo Chriſtianorum, & non poteſt ex defectu Miniſtri; & aliorum, quæ Ad conferendum Baptiſmum neceſſaria ſunt, eſt verè baptizatus, & Baptiſmi effectum recipit ratione voti & deſiderij. Hinc eſt quod S. Ambroſius oratione habita in obitu Valentiniani junioris Imperato-
D. Ambroſ. ris Cathecumeni occiſi non baptizati, inquit: *Baptiſmi gratiam, quia poſtulavit, accepit.* Nec miror hunc Imperatorem Baptiſmi aquæ effectum recepiſſe per virtutem Baptiſmi flaminis: quippè vera cordis contritio includens votum Baptiſmi, poteſt cauſare gratiam, & remittere omnem culpam ſive Originalem, ſive Actualem illi, cui eſt impoſſibile recipere Baptiſmum fluminis, cuique non contemptus, nec negligentia ejuſdem Baptiſmi, ſed invincibilis neceſſitas eumdem fluminis Baptiſmum denegat.

D. Auguſt. D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 21. hunc Baptiſmi fluminis, ſeu aquæ effectum, his claris atque expreſſis verbis declarat. *Tunc impletur inviſibiliter confeſſio fidei, cum myſterium Baptiſmi, non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.* Et cap. 26. *Converſio cordis poteſt quidem ineſſe, non percepto Baptiſmo. Sed contempto Baptiſmo, non poteſt, nec ullo modo dicenda eſt cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur*, ex quo inferendum eſt, Infidelem, qui verè de peccatis dolet, & ex toto corde ſuo baptizari deſiderat, recipere gratiam juſtificantem, etiamſi non abluatur aquâ Baptiſmi propter impoſſibilitatem, modò habeat animum ſuſcipiendi Baptiſmum dum removebitur hæc impoſſibilitas, quæ cùm juxtà communem omnium Gentium mentem excuſet, & præſuppoſitis omnibus conditionibus, diſpenſet in lege de aliqua re per- *Caſſiod. ler.*
agenda, diſpenſat etiam in hac de Baptiſmo aquæ in re ſuſcipiendo, ſi votum adſit. Votum enim pro operatione judicatur, ut ait Caſſiadorus in Pſal. 31. Et ad ſolam promiſſionem pietas Dei peccatum dimittit.

His ſuffragatur Paulus 2. ad Corinth. cap. 8. verſ. 12. dicens: *Si voluntas prompta eſt; ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundum id quod non* *2. Corint. 8*
habet: Inde enim oſtendit quòd illa voluntas grata eſt Deo, quæ juxtà id quod poteſt, eſt facere parata, neque Deus exigit ab aliquo, ut faciat quod non poteſt. Quaproter nullum præceptum ultrà vires noſtras ſtatuit: *diliges*, inquit, *Deum tuum ex totis viribus tuis*, non verò, *ultra vires tuas.* Itaquè Adultus de quo agitur, qui baptizari deſiderat, debet recipere effectum Baptiſmi; licet non ſit in re baptizatus, & baptizari non poſſit; ſi tamen plenè credat, ſitque converſus ad Deum; cùm poſt latam de Baptiſmi fluminis neceſſitate Le- *Rom. 9*
gem, his verbis: *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Nobis intimatam, dicat Apoſtolus ad Rom. cap. 9. verſ. 33. *Omnis, qui credit in eum, non confundetur.* Et cap. 10. verſ. 13. *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

Profectò valdè congruit, ut qui ad Deum ſincerè & perfectè convertitur ad vocem Domini dicentis: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, qui eum caſto, filialique amore diligit, qui eum totis viribus quærit. Qui omnia media à Chriſto inſtituta (ſi ſit tibi poſſibile) aſſumere paratus eſt, qui non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Chriſti, & qui ſervat mandata, inveniat illum, & ab eo diligatur, ſubindeque gratia ſanctificante perfundatur, licet non ſuſceperit in re Baptiſmum propter impoſſibilitatem; cùm ipſe Deus dicat: *Proverb. 8.*
Ego diligentes me diligo, Proverb. cap. 8. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Zachar. cap. 1. *Zachar. 1.*
verſ. 3. *Petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit invenit: & pulſanti aperietur.* Matth. *Matth. 7.*
cap. 7. verſ. 7. & 8. Ut autem in his ſpem habeamus, & credamus, invocantibus, diligentibus, ſpe quærentibus, fide petentibus, charitate pulſantibus, ſalutem eſſe concedendam, & cor contritum ac humiliatum non eſt deſpiciendum à Deo, verum atque certum teſtimonium præbet nobis Deus apud eumdem Evangeliſtam verſ. 9. & ſequentibus ubi ait; *Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quanto magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe.*

Ex dictis conſtat, credentem in Deum, ipſum ſuper omnia diligentem, & baptizari deſiderantem, poſſe aſſequi gratiam ſanctificantem virtute voti de Baptiſmo ſuſcipiendo, & ſi in ipſa diſpoſitione moriatur, ſtante Baptiſmi impoſſibilitate, aſſequitur gloriam æternam, quam promiſit Deus omnibus, qui diligunt illum. Neque his promiſſis derogat illud Joan. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* In quo præcipuè fundantur Hæretici, quos hîc impugnamus; cùm de-

beat intelligi de Baptiſmo in re, vel in voto. Et ille de quo agitur, ſuſcipiendi Baptiſmum voluntatem habeat illudque recipiat in voto.

D. Bernard. Unde D. Bernardus ponderans illud Salvatoris: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, notat, Chriſtum non addidiſſe, *& baptizatus non fuerit, condemnabitur*, ſed tantùm dixiſſe, *qui non crediderit, condemnabitur*. Ratio hujus omiſſionis eſt, quia licet in fide & Baptiſmo ſemper ſalvetur homo, ſola tamen fides charitate flagrans, interdum ſufficere poteſt abſque Baptiſmo in re ſuſcepto, ſed tantùm in voto vero, & ſincero de Baptiſmo aquæ ſuſcipiendo in remiſſionem peccatorum. Quòd enim volumus, pro facto reputetur, ubi factum excludit, neceſſitas patet. Nam Deus, qui, Scriptura teſtante, eſt cordium Scrutator, & noſcit perfectè voluntatem hominis, acceptat voluntatem illam, quæ ſi non procedat ad opus, hoc eſt, quia non poteſt, habetque eam in eo pretio, quo haberet, ſi opus illud perfeciſſet, acproindè acceptat voluntatem ſinceram ſuſcipiendi Baptiſma pro Baptiſmo in eo qui baptizari non potuit, ſi tamen plenè crediderit, & fuerit in Deum converſus.

Hoc probari poteſt exemplo duplici. Primum eſt de actibus malis. Si voluntas mala reputetur pro facto, ut facilè colligitur ex illo: *Qui viderit Mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt in corde ſuo &c.* Certum eſt etiam quòd in bonis actibus, voluntas pro facto reputatur. Aliud exemplum eſt de Baptiſmo ſanguinis, hic quippè Baptiſmus pro Chriſto ſuſceptus gerit vices Baptiſmi fluminis, quia Chriſtus dixit: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Igitur eadem ratione Baptiſmus flaminis debet ſupplere vicem Baptiſmi aquæ. Et ille, qui verè vult baptizari, & non poteſt, debet cenſeri verè baptizatus, quia Chriſtus dixit: *Qui credit in me, habet vitam æternam*; cùm in iſto ſit fides, cujus virtute Baptiſmus ſanguinis valet, ſicut eſt in illo, & in utroque includatur votum ſuſcipiendi Baptiſmum aquæ abſolutè neceſſarium in re, vel in voto ad recipiendam gratiam juſtificantem, ut declarat Tridentinum loco ſuprà citato. Hinc eſt quod Innocentius III. de hac re interrogatus ab Epiſcopo Cremonenſi in can. *Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato: ait: *Tuæ Inquiſitioni taliter reſpondemus, Presbyterum quem ſine unda Baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in Sanctæ Matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverit, ab Originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum aſſerimus incunctanter.* Ille enim Summus Pontifex aſſertionem noſtram expreſſè declarat, & virtutem ſanctificandi tribuit Baptiſmo flaminis.

Validum pro battiſmo in voto argumentum.

Innocentius III.

§. II.

Impugnat Argumenta Contraria.

HÆretici Baptiſmo aquæ tantùm virtutem concedentes, objiciunt illud Act. 10. verſ. 30. & ſequentibus in quibus legitur, Cornelium nondum de fide Chriſti edoctum, miſſum fuiſſe in Joppem, ut ibi inſtrueretur, & in aqua baptizaretur; licet jam diu deſideraſſet baptizari: ergo Baptiſmus flaminis non juſtificat, nec delet peccata; alioquin Cornelius non fuiſſet miſſus in Joppem, nec ibi ſuſcepiſſet Baptiſmum aquæ in nomine Domini Jeſu Chriſti; cùm jam recepiſſet gratiam, quæ vivificat, & delet peccata, Et Baptiſmus ſolùm ob hunc finem conferatur, acproindè Baptiſmus aquæ, eſt ità abſolutè neceſſarius ut nullus alius ſit, in quo ſalvari poſſimus.

At hæc ratio non nocet, quoniam antequam Cornelius videret Petrum, verè juſtus erat; ut aſſeritur Act. 10. verſ. 22. ubi habetur: *Cornelius Centurio, vir juſtus, ac timens Deum.* Idem affirmat D. *Act. 10.* Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 21. dicens: *Melior enim Centurio Cornelius non- D. Auguſt.* *dum baptizatus, Simone baptizato, ille enim & ante Baptiſmum Spiritu Sancto repletus eſt, iſte poſt Baptiſmum, immundo ſpiritu afflatus eſt, veruntamen Cornelius ſi etiam Spiritu Sancto jam accepto, baptizari noluiſſet, contempti tanti Sacramenti; reus fieret*: Ex quibus conſtat, Cornelium antequam Baptiſmum aquæ ſuſciperet, fuiſſe Spiritu Sancto plenum, plenèque juſtificatum Baptiſmo flaminis. Hinc eſt quòd ex illa miſſione Cornelij ad Joppem, nullus poteſt colligere, Cornelium tunc ante Baptiſmum ſuſceptum non fuiſſe juſtificatum; cùm antequam baptizaretur aquâ, eſſet plenus Spiritu Sancto, religioſus, ac timens Deum, ſed ſolùm inferri poteſt ex illa miſſione, quòd licet Cornelius tunc eſſet jam juſtificatus, adhuc tamèn (remota impoſſibilitate) tenebatur ſuſcipere Baptiſmum fluminis. Hoc enim Petrus facere juſſit poſtquam Cornelium, & omnes alios, qui in domum ejus convenerant, inſtruxerat in fide, ut conſtat ex illis ultimis verbis ejuſdem capitis, ubi legitur, *Tunc reſpondens Petrus: numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti.*

Dicunt inſuper, plures Sanctos Patres præſertim D. Auguſtinum lib. 1. de Baptiſmo cap. 21. Et Tract. 13. in Joan. D. Fulgentium de fide ad Petrum cap. 3. & 27. docere, Cathecumenos non juſtificari; Cathecumeni tamen in fide & charitate deſiderant baptizari: igitur Sacramentum iſtud non juſtificat, niſi verè recipiatur. Hinc eſt (inquiunt) quòd Syricius Papa, & alij Summi Pontifices monent, Baptiſmum non eſſe in neceſſitate negandum, nè pereant non baptizati, ut ſuadeant, hominem non poſſe ſalvari niſi in Baptiſmo aquæ verè, & realiter ſuſcepto.

Reſpondeo, Sanctos Patres intelligendos eſſe de his Cathecumenis, qui voluntariè omittunt, vel differunt Baptiſmum; cùm poſſint baptizari. Non verò de Cathecumenis ordinarijs, qui ſeclusâ negligentiâ expectant baptizari, & Filios Eccleſiæ fieri; quippè Sancti Patres, & præſertim citati, docent, Adultis in neceſſitate ſufficere contritionem cum voto Baptiſmi, ut ex ſupra dictis facilè colligitur. Docent inſuper, hoc Sacramentum eſſe concedendum, atque ſuſcipiendum cùm adeſt facultas. Hinc eſt, quòd Summi Pontifices, ut ſecurior ſit ſalus noſtra, præcipiunt Baptiſmum non eſſe differendum, *2. Paralip.* ſtante etiam ipſius Baptiſmi voto, ſed in re conce- *30.* dendum; quin tamen affirment, deſiderium Baptiſmi eſſe inutile dum elicitur in fide. Nam Dominus propitiabitur cunctis, qui in toto corde Dominum Deum requirunt, & non imputabit eis quòd minus ſanctificati ſunt, ut legitur in 2. Paralip. cap. 30. verſ. 18. & 19. acproindè non improbat tale deſiderium, imo illud extollit, & acceptat, modò ſit fide firmum, votumque Baptiſmi includat. Hoc quidem ſuppoſito, plenè juſtificatur, & obtinet jus ad gloriam ſicut Baptiſmus aquæ.

Reſponſio ad Hæreticorum inſtantiam.

Unde D. Bernardus Epiſt. 77. ait. *Si quis voluerit, & petierit baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non deſit fides recta, ſpes pia,* *D. Bernard.* *charitas ſincera, huic ergo ob ſolam aquam, ſi defuerit,*

nequaquam omninò poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere ſpem; nec excidere charitatem; tanquam ſi aquam non contemptus, ſed ſola, ut dixi, prohibeat impoſſibilitas. Et adductis Ambroſij & Auguſtini teſtimonijs ſubnectit: *Ab his duabus columnis difficilè avellor, credens & ipſa ſola fide* (per dilectionem operante, ut patet ex contextu) *Hominem poſſe ſalvari cum deſiderio percipiendi Baptiſmum; ſi tamen pio adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcunque vis invincibiliter obviaverit*, quibus liquidò conſtat, Sanctos Patres non dubitare de ſalute illius, qui verè Baptiſmum deſideravit; & non recepit illum. Quia non potuit.

Idem docet Doctor Angelicus quæſt. 68. artic. 2. dicens: *Sacramentum Baptiſmi alicui deeſſe poteſt re, ſed non voto, ſicut cùm aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu prævenitur morte antequam Baptiſmum ſuſcipiat, & talis ſine Baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium Baptiſmi; quod procedit ex fide per dilectionem operante; per quam Deus interiùs hominem ſanctificat, cujus potentia Sacramentis viſibilibus non alligatur.*

D. Thomas.

ARTICULUS XXI.

Probat adverſus Flagellantes, Baptiſmi aquæ virtutem non ceſſaſſe.

OLim in Italia ſcilicet anno MCCLXXIII: regnante Rudolpho Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Gregorio X. Erat quædam hæreſis, quæ poſteà ſcilicet anno MCCCXIII. ſub Imperio Ludovici Bavari, Germani Cæſaris, & Pontificatus Joannis XXII. fuit in Gallia & in Germania, quæ hujus præcepti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, tenorem prorſùs abolebat, ut refert Bernardus Luxemburgus, atteſtans quòd docebat, Baptiſmum aquæ jam ceſſaſſe, mutatumque fuiſſe in Baptiſmum ſanguinis, ità ut ille ſolus poſſet ſalvari, qui proprio ſanguine ſe baptizabat. Idque referunt ij, qui veterum, & recentiorum Hæreticorum indicem texuerunt.

Flagellantes

Hæc hæreſis (cujus Author, aut Patronus à nemine refertur) dicebatur error Flagellantium, eò quod illi, qui tuebantur eam, ſeipſos virgis, ac nodoſis flagellis concidebant, ut ſanguinem emitterent, & ipſo ſanguine baptizarentur. Homines iſti rudes erant, cruces in ſuis veſtimentis deferebant, urbes gregatim triſtes, ac mœſti ingrediebantur; ulcera ex crebris ictibus, ſcapulis præferentes; neminem rogabant; aliqua oblata ſponte ſumebant, (teſtante Prateolo) & ſpretis omnibus mundi divitijs; paupertatem Evangelicam ſe ſe profiteri jactitabant; his tamen religioſis ſignis plurima vitia tegebant, & alebant occultè. Hoc nomine appellari voluere, quia aſſerebant, atque prædicabant; hanc flagellationem potiorem eſſe ad delenda peccata omnia quavis confeſſione, imò ipſam martyrio comparabant, vel ut inquit idem Author, potiùs præferebant, neque aliud in remiſſionem peccatorum agnoſcebant medium, præter hanc flagellationem exiſtimantes ab ipſa ſola procedere noſtram ſalutem.

§ I.

Probat Veritatem Articuli.

COntra hanc hæreſim, quæ ſtatim pernicioſa, atque contraria apparuit Sacræ Scripturæ, nullum expreſſè celebratum fuit Concilium, tamen implicitè & indirectè rejicitur, ac damnatur in omnibus illis, quæ poſtea fuere celebrata in quibus declaratur Baptiſmum aquæ eſſe omnibus hominibus neceſſarium, in re, vel in voto, ut declarat Tridentinum. Eam damnat etiam uſus totius Eccleſiæ Chriſti; quæ baptizat, Baptiſmo fluminis, & baptizabit eodem aquæ Baptiſmo uſque ad finem mundi, nec portæ inferi, aut Flagellantium nequitia prævalebit adverſus eum.

Hæreſis proſcriptio.

Sacra Scriptura manifeſtè oſtendit, Flagellantium errorem ex perpetuitate, & firmitate Evangelij, quò omnes homines tenentur ſuſcipere Baptiſmum aquæ: affirmat enim, Chriſti Evangelium eſſe ab omnibus obſervandum uſque ad finem mundi; cùm nulla ſit Lex, quæ Evangelio ſuccedere debeat: fidei enim ſuccedet viſio Beatifica: *Nos verò omnes* (inquit Apoſtolus) 2. ad Corinth. cap. 3: *Revelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur.* Et ad Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater*, Quibus ſuadetur, Evangelium Chriſti adhuc vigere, & obligare eos, qui adhuc vivunt in terra; cùm nulla nobis data fuerit Lex de Lege Evangelica abolenda, nullumque auditum fuerit mandatum de Baptiſmo aquæ in Baptiſmum ſanguinis mutando, hæc autem Lex Evangelica, aut Evangelium Chriſti, ait Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto; non poteſt introire in regnum Dei*, quò tenemur baptizari aquâ; Igitur Baptiſmus fluminis, aut aquæ, qui illis verbis exprimitur, & notificatur, non ceſſavit, nec fuit mutatum in Baptiſmum ſanguinis, ut voluere Flagellantes, cùm adhuc in plenitudine vigoris ſui exiſtat Evangelium hujuſmodi aquæ Baptiſmum præcipiens ſub pœna damnationis, ut probant hæc verba: *Non poteſt introire in regnum Dei.*

2. Corint. 3.

Rom. 8.

Joan. 3.

Inſuper nullum eſt indicium, nullaque cauſa undè deſumi poſſit Evangelij ceſſatio, imò plures ſunt rationes, ex quibus colligitur perpetua ejus duratio. In Evangelio quippè conſummata ſunt omnia, quæ olim promiſerat Deus Patribus noſtris. Lex vetus figura fuit & umbra novæ, ut obſervat Paulus ad Galat. cap. 4. Et ad Heb. 7. Nova autem eſt veritas, & complementum veteris.

Unde Divus Hieronymus lib. 1. adverſus Pelagianos cap. 9. inquit: *In Lege promittitur, in Evangelio impletur; ibi initia; hîc perfectio eſt, in illa fundamenta jaciuntur; hîc fidei & gratiæ culmen imponitur.* Itaque nulla ſperanda eſt mutatio in his, quæ nobis præcepit Chriſtus; acproindè nec in Evangelio, in quo continentur verba; & præcepta Chriſti: idcircò nulla poteſt eſſe in Baptiſmo Chriſtianorum mutatio, quoniam Lex nova, aut Evangelium præcipiens illum, eſt culmen, & ultima perfectio gratiæ.

D. Hieron.

Hanc utique veritatem eleganti ſimilitudine explicat Victor Antiochenus, exponens illud Marci cap. 4. verſ. 28. *Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deindè ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica* ait enim: *Primò herbam fructificat in lege naturæ, poſtmodum ſpicas in lege Moyſi, poſteà plenum frumentum in Evangelio,*

Victor Antiochenus

Ex quibus verbis infertur, in Evaogelio oullam eſſe poſſe additionem, nec mutatiooem circa præcepta, ſicut oulla poteſt fieri in frumeoto, quod eſt ultimus in hoc genere productionis gradus; cùm Evangelium ſit ultima perfectio, in qua ſiſtendum eſt, & continentur verba Chriſti, quæ non tranſibuot. Errant igitur Flagellantes, qui volunt Baptiſmom flumiois jam ceſſaſſe, cùm certum ſit Evangelium præcipiens illud adhuc vigere.

Deindè baptiſmus fluminis, aut aquæ à Chriſto Domino inſtitutus, non potuit ab hominibus mutari in baptiſmum Sanguinis, ut declarat Concilium *Tridentinū* Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. ubi habetur. *Præterea declarat*, id eſt, Sancta Synodus, *Hanc poteſtatem perpetuòin Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutare qua ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Qoibus ſuadetur, nullam poteſtatem eſſe in terris, quæ valeat materiam aut formam Sacramentorum mutare, ità ut conſtare poſſint aliâ materiâ, aliaque forma; quippecùm Sacramenta Eccleſiæ ſint ſigna gratiæ à Chriſto Domino inſtituta, à nulla creatura poſſunt mutari. Unde ſi baptiſmus fluminis ceſſaſſet, & fuiſſet motatus in baptiſmom Sanguiois, ut voluere Impij Flagellantes, hæc mutatio non eſſet hominum. Nam ſi velint ipſam eſſe hòminum, debent pariter velle quòd ſit nulla. Sed eſſet dexteræ excelſi, ſeo facta à Deo, ſeu à Chriſto Sacramentorum authore, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, ſed oullibi conſtat, Chriſtum mutaſſe baptiſmum; audivimus enim eum diceotem; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto non poteſt introire in regnum Dei, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, & nunquam audivimus eum dicentem, *niſi quis ſe flagellaverit non poteſt introire in regnum Dei*, nec dixit, *quis ſe flagellaverit ſalvus erit, qui verò non ſe flagellaverit, condemnabitur.* Si ergo Dominus hoc non dixit ut certiſſimom eſt, quomodo Flagellantes audent condemnare cos qui noo ſe flagellant, & baptizantur aquâ in oomine Jeſu Chriſti.

Nec valet dicere qoòd baptiſmus Saoguinis, aot Sanguis pro Chriſto effuſos ſupplet vicem baptiſmi fluminis, aut aquæ, ut inferunt Sancti Patres ex variis Sacræ Scripturæ locis. Non valet inquam. *Rejicitur flagellantium inſtantia.* Quia hæc effuſio Sanguinis, vel martyrium oon enervat vim ac poteſtatem baptiſmi fluminis: quamvis ejus vicem gerat, & Saoctificet non baptizatos, qui pro Chriſto Sanguinem effundunt, & lavant ſtolas ſuas in Sanguine Agni, idcirco baptiſmus aquæ non fuit mutatus in Baptiſmum Sanguiois propria manu in flagellatione effuſi.

Deinde effuſio Sanguinis, quæ baptiſmi fluminis vicem ſupplet, eſt illa, quæ fit ab alio propter Chriſtum, quam homo pro Chriſto patienter tolerat, ut fatentur omnes Sancti Patres unanimiter, ſed Sanguis in quo Flagellantes baptizari volebant, & omnes baptizandos eſſe dicebant, non fit ab alio propter Chriſtum, ſed ab unoqooque in proprio corpore, & voluntariè mortem infert, aut læſionem corporis talem ex qua corpus circà vitam periclitatur: *Innocentius III.* Igitur hæc flagellatio potius valet ad gehennam, quàm ad remiſſionem peccatorum; cùm contemnat baptiſmum aquæ omnibus oeceſſarium, nec poſſit ſupplere vices baptiſmi aqoæ, quem nemo poteſt ſibi conferre; ut decrevit Innocentius III. ad Epiſcopum Metenſem relatus in Can. *Debitum* de baptiſmo.

§. II.

Reſpondet Argumento Contrario.

FLagellantium ratio eſt. Quia (inquiebant) quando Chriſtus in Cana Galileæ circà finem convivij noptialis, aquam mutavit in vinum, deſignavit circà finem mundi, Baptiſmum aquæ mutari debere in Baptiſmum Sanguinis de proprio cruore per flagella effuſi. Et ſicut vinum rubeum omni vino priùs coovivantibus appoſito magis placebat, pluſque ab alijs commendabatur, ità in nova lege Baptiſmi Sanguinis præ Baptiſmo fluminis, & flaminis ante latis legibus Deo accepriorem eſſe volebant. *Flagellantium ratio.* Quapropter dicebant ab eorum adveotu in mundum, nullum potuiſſe ſalvari, nec verum efficere Chriſtianum, niſi in proprio Sanguioe per flagella effuſo, & ex proprio corpore variis impreſſis Stigmatibus elicito, Baptizetur.

Verùm hæc ratio non ſolum hæreſis & impietas eſt, ſed potius ineptia, aut dementia dici debet, ut obſervat noſter Alphonſos à Caſtro; cùm nullibi conſtet, Chriſtum in Cana Galileæ mutando aquam in vinum, deſignaſſe quòd circa finem mundi, Baptiſmus aquæ mutari deberet in Baptiſmum Sanguinis, ut malignitate moti, Flagellantes interpretati ſunt contrà mentem communem Sacrorum Interpretum. Hæc enim deſignatio non poteſt affirmari, niſi ex Scriptura, ex Traditione Apoſtolica, ex Concilijs, vel ex ſanctis Patribus, quibus competit nobis verum ſenſum Chriſti exponere, & legitimas fidei regulas demonſtrare, ex nullo autem ex illis locis inferri poteſt *Solutio ad rationem flagellantium.* Nam Scriptura affirmat, Baptiſmum aquæ eſſe de præcepto æterno, ſeu duraturo uſque ad finem mundi; cùm ex dictis conſtet, Evangelium non ceſſaſſe, nec deſiturum eſſe, donec veniat Chriſtus judicare vivos & mortuos, & reddere ooicuique ſecuodum opera ſua. Traditio quoquè nollam mentionem facit de hujuſmodi mutatione Baptiſmi aquæ in Baptiſmum Sanguinis, ut patet ex praxi Eccleſiæ Romanæ, in qua eſt vera traditio, quam ab Apoſtolis habuit; oec Concilia, imò omnia decernuut, aqoæ Baptiſmum in re, vel in voto ſuſcipiendum eſſe ab omnibus hominibus, ſi veliot introire in regnum Dei.

Idem dicendum eſt de Sanctis Patribus, nullus enim dixit, converſionem aquæ in vioum in Cana Galileæ factam, deſignaſſe Baptiſmum aquæ debere circà finem mundi mutari in Baptiſmum Sanguinis, ſed ſolùm ſignificare, Chriſtum inſtituiſſe nuptias, haſque non eſſe malas, oec à Diabolo factas fuiſſe, ut præproperè confunderet hæreticos, qui poſt mortem ipſius nuptias improbarent, vel ſignificare, Evangelium, & nuptiarum Sacramentum, ot monet D. Auguſtinus tract. 6. in Joan. obi ait: *D. Auguſt.* *Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis, caſtitas firmaretur, & oſtenderetur Sacramentum Nuptiarum, quia & illarum nuptiarum ſponſus, perſonam Domini figurabat: cui dictum eſt, ſervaſti bonum vinum uſque adhuc, bonum vinum Chriſtus ſervavit uſque adhuc, id eſt, Evangelium ſuum*: Igitur Flagellantes ex nullo capite inferre poſſunt, Chriſtum Dominum in Cana Galileæ deſignaſſe mutationem Baptiſmi aquæ in Baptiſmum Sanguinis per flagella ex proprio corpore effuſi.

ARTICULUS XXII.

Sancit contrà Jacobitas, Hominem non eſſe Baptizandum in igne.

Politheorum error.

CIrcà Baptiſmi materiam, aut aquam in qua adminiſtratur, erraverunt plures hæretici. Tam antiqui, quàm recentes, ut ex variis Scriptoribus colligitur. Nam Manichæi, Gnoſtici, & aliqui alij Polithei cum exiſtimarent, & aſſererent omnia elementa à Deo malo eſſe creata, dicebant, Baptiſmum in aqua nihil ad ſalutem cooferre. Ann. verò CCCLXXX tempore Valentis Imperatoris, & Damaſi Summi Pontificis inſurrexit quidam vir hæreticus, natione Galata, nomine Seleucus docens, malum eſſe in Baptiſmate uti aquâ, ſed igne utendum eſſe propter verbum illud Joannis Baptiſtæ de Chriſti Baptiſmo myſticè loquentis *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. Exiſtimabat enim ipſe Seleucus, omnes Spiritus, & animas hominum ex igne & Spiritu conſiſtere, ut legimus in lib. 7. cap. 11. hiſtoriæ tripartitæ, acproinde ipſas animas non poſſe ſalvari niſi in igne.

Seleucus

Huic hæretico adhæſit alter etiam natione Galata, nimirum Hermas, velut alij volunt Hermias, qui anno CCCLXXXVIII. ſub Valente, & Valentiniano Imperatoribus, & Syricio Papa univerſos Seleuci errores docuit, & præſertim hunc de Baptiſmate non in aqua, ſed in igne ſuſcipiendo ex eiſdem verbis Joannis Baptiſtæ: *Ego vos baptizo in aqua, ipſe autem vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, pravè intellectis, & perverſo ſenſu acceptis.

Hermas

Jacobitæ.

Quidam viri dicti Jacobitæ à quodam viro hæretico nomine Jacobo, natione Syro, viro prorſus obſcuro genere, dixerunt tempore Mauritij Imperatoris, & Pelagij II. Papæ, circa annum Domini DLXXXIV, aquam non eſſe adhibendam in Baptiſmate, nec ipſi eam adhibebant in Baptiſmate ſuo; ſed ferro candente Crucis formam impreſſo Stigmate frontibus, vel genis parvulorum imprimebant, hinc putantes originale peccatum expiari, ut teſtantur Bernardus de Luxemburgo in Catalogo hæreticorum, & Sanderus lib. 3. de viſibili Monarchia, hæreſi. 113.

Error Lutheri, & Bezæ.

His hæreticis addi poſſunt Lutherus & Beza qui indirectè, aut ſaltem occaſionaliter, & in certis quibuſdam caſibus neceſſitatem aquæ in materia Baptiſmatis rejecerant, licet ad ignem non recurrerint cum Seleucianis, Hermianis, & Jacobitis. Nam Lutherus colloquiis convivialibus cap. 17. Rogatus an aqua deficiente, liceat in lacte, vino, aut cervicia baptizare, dixit & reſpondit, aqua deficiente quidquid balnei nomine poteſt nuncupari, ad Baptiſmum ſufficere: Idem docuit Theodorus Beza Epiſt. 2. ad Thomam Thilium, ubi ait: *videtur ſi deſit aqua, & alicujus Baptiſma cum ædificatione differri non poſſit, nec debeat: ego certe quovis alio liquore, non minus ritè, quam aquâ baptizarem*, Itaque hi duo hæretici negabant, aquam naturalem, ex Inſtitutione divina eſſe materiam Baptiſmi, ſicut panis triticeus, & vinum, de vite ſunt materia Euchariſtiæ.

§ I.

Statuitur veritas Articuli.

COncilia, quæ decernunt, materiam remotam Baptiſmi eſſe aquam naturalem, damnant prædictos hæreticos, qui volunt, homines non eſſe baptizandos, in aqua naturali, ſed in vero & proprio Sanguine, vel in igne, vel in aliquo liquore diſtincto ab aqua naturali. Unde hæretici, quos hic impugnamus, damnantur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ubi dicernitur. *Sacramentum Baptiſmi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti conſecratur in aqua) tam parvulis, quam Adultis.* Et in Florentino in decreto unionis ſub Eugenio IV. quòd inquit: *Materia hujus Sacramenti (Baptiſmi) eſt aqua vera & naturalis, nec refert ſi frigida ſit, aut calida.* Et in Tridentino ſeſſ. 7: Can. 2. de Baptiſmo: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo illa verba Domini noſtri Jeſu Chriſti*: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, *Ad metaphoram detorſerit: anathema ſit.* Idque confirmari poteſt ex perpetuo uſu, & traditione Eccleſiæ univerſalis, quæ ſemper baptizavit Baptiſmo aquæ naturalis, & ideo nullus poteſt citrà hæreſim à Baptiſmate aquam naturalem removere, ut decernunt prænominata Concilia.

Lateranenſe — *Florentin.* — *Tridentin.*

Nihilominùs ut articuli noſtri veritas magis eluceſcat, adducendum eſt tam vetus, quàm novum teſtamentum. Illud quoties de hoc Sacramento figurativè loquitur, eum nomine aquæ deſignat, ut conſtat ex illo Zachar. 13. *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*, ex illo Ezech. cap. 36. verſ. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Per hæc enim verba, quæ Baptiſmum figurant, facilè ſuadetur ex Sacris litteris Baptiſmum non eſſe in igne, ſed in aqua juxtà doctrinam, & praxim Apoſtolorum, qui baptizabant in aqua. Chriſto ſic mandante, & indicante his verbis D. Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* diluvium enim quo mundus purgatus eſt, quando ſcilicet omnis caro corruperat viam ſuam, hujus aquæ figuram & ſimilitudinem clarè, & manifeſtè geſſit, ut teſtatur S. Petrus Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 20. & 21. ſic Judæos alloquens: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma.* Maris etiam rubri tranſitus hujus aquæ Salvatoris figura fuit, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 10. ablutio de qua loquitur 4. Reg. cap. 5. & Probatica Piſcina, hujus noſtri Baptiſmatis aquam figurant. Nullum eſt ergo dubium; quin Baptiſma Chriſtianorum, aut Evangelij, debeat fieri in aqua, in remiſſionem peccatorum.

Zach. 13. — *Ezech. 36.* — *1. Petr. 3.*

Tertullian.

Quòd conſiderans Tertullianus elegariter ait in principio libri de Baptiſmo. *Fælix aqua noſtra Sacramentum, quia ablutis delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Ratio hujus rei eſt. Quia cùm ad abſtergendas corporis ſordes, aqua ſit peridonea, certum eſt quòd effectus Baptiſmi, cujus eſt veteris hominis inquinamenta mundare, per aquam deſignatur.

Inutilis hæreticorum inſtantia

Nec valet dicere hanc ſpiritalem virtutem mundandorum animorum non eſſe naturaliter in aqua, quoniam ſi hæc ratio valeret, militaret etiam contrà hæreticos; cùm quia ignis non habeat illam naturâ ſuâ, nec Sanguis, nec, liquores idonei ſint ad talem effectum præſtandum, præterea Chriſtus Sacramentorum Inſtitutor dedit aquæ naturali virtutem ſanctificandi, & mundandi animas noſtras, quam non dedit igni, nec Sanguini de proprio corpore, vi flagellorum expreſſo, ut docet Leo Magnus ſerm. 5. de nativit. ubi ait: *Originem quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis, & obumbratio Spiritus S. qua fecit ut Maria pareret, eadem facit ut aqua regeneret* Et ſerm. 4. *Omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis in-*

Leo Magnus.

ſtar eſt uteri virginalis, eodem Spiritu repleite fonte, qui replevit virginem; ut peccatum quod ibi evacuavit Sacra conceptio, hic ſolvat ablutio. Quibus conſtat, Baptiſmum non eſſe conferendum in igne, qui non mundat, nec lavat, ſed urit, nec in Sanguine, qui non mundat, nec lavat, ſed conſpurcat, ſed in aqua, quæ verè lavat, & mundat.

Nec valet dicere quòd Chriſtus lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, acproindè quòd potiùs in Sanguine quam in aqua baptiſmus eſt conferendus, ut lavemur & mundemur. Non valet inquam, quia Sanguis Chriſti mundavit nos ſolùm moraliter, & in ratione prætij exhibiti pro Redemptione noſtra.

Hanc ipſam veritatem nimirum Baptiſma eſſe conferendum in aqua, confirmat novum Teſtamentum, legimus enim Matth. 28. Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Ex quibus verbis infertur, non ſolum Apoſtolis tunc traditam fuiſſe baptizandi poteſtatem, necnon Baptiſmum tunc fuiſſe publicatum, ſed etiam ipſum Baptiſmum non poſſe fieri niſi in aqua, quia baptizare eſt nomen Græcum, idem ſignificans, ac latinè immergere. Et Baptiſma, idem eſt ac immerſio, aut lotio, nullus autem lavat igne, ſed urit, ſolà quidem aquà lavantur ea, quæ lavanda ſunt, inquit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. part. 6. cap. 14. *In ſolo Elemento aquæ Sacramentum Baptiſmi conſecrari inſtitutum eſt, quia hæc ſola plenam atque perfectam habet mundationem, alij liquores omnes, aquâ purificantur, & ſi quid alio quolibet liquore tactum fuerit, in ſola aqua Sacramentum emundationis conſiſtit.* Ideoque per hæc verba: *euntes &c.* Denotatur lotio, quæ fit per aquam.

Undè Apoſtolus ſcribens ad Epheſ. cap. 5. de Baptiſmo ſuſcipiendo, mentem ſuam per nomen aquæ exprimit, & declarat, Chriſtum mundaſſe nos, non adustione ignis, ſed lavacro aquæ: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam Sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.* Nonne ex Apoſtolo Eccleſia mundata fuit lavacro aquæ? dicant Jacobitæ, Seleuciani, & Hermiani. Sane nullam aſſignabunt rationem: baptizent igitur non igne, ſed aquâ ad inſtar Apoſtolorum, qui non in igne, ſed aquà baptizabant, ut patet in lib. Act. Apoſt. cap. 8.
Act. 8. verſ. 38. ubi habetur *Et juſſit ſtare currum: & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.* Idem demonſtrant verb. D. Petri, Act. 10. verſ. 47. *Tunc reſpondit Petrus: numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos.* Nec poterant alià materià uti, niſi aquâ; cùm audierint veritatem dicentem, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.*

Quoad alios hæreticos aſſerentes, quemcumque liquorem poſſe in neceſſitate ſufficere pro validitate Baptiſmi, convinci poſſunt rationibus ſuprà allatis, quibus conſtat, Baptiſmum in ſola aqua naturali eſſe neceſſariò adminiſtrandum. Hujus veritatis alia non ſubeſt efficax ratio, inquit Scotus noſter Doctor Sub-
Ratio Scoti contra hæreticos. tilis in 4. diſt. 3. quæſt. 1. §. *hic dicendum eſt*, circà finem, quàm Chriſti Domini voluntas, quæ per oracula Scripturarum innoteſcit: *Hujus probatio non eſt alia, niſi quia ſic inſtitutum eſt, ut patet Joan. 3. Matth. 3. quare ſit ſic inſtitutum, ſunt aperta congruentia, quia aqua eſt frigida, fluida, neceſſaria, & communis, & hæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis, & hoc eſt commune omnibus, ſicut lex iſta, cujus hoc Sacramentum eſt initiativum, communis eſt omnibus ad ſalutem.* Itaque nullus eſt qui poſſit alià materià uti in Baptiſmo, niſi aquâ naturali, cùm omnes teneantur obedire divinæ voluntati, quæ cùm inſtituerit Baptiſmum in aqua, in aqua ſola poteſt adminiſtrari.

§. II.

Reſponſio ad Adverſarios.

AD rationem hæreticorum ſupra adductam ex teſtimonio D. Joannis Baptiſtæ, Matth. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, Ex quo Seleuciani, Hermiani, & Jacobitæ non adhibebant aquam in Baptiſmate, ſed ferro candente Crucis formam impreſſo Stigmate frontibus, vel genis parvulorum imprimebant, exiſtimantes ipſa impreſſione ignea deleri omnia peccata.

Licet Eraſmus aſſerat illam vocem, *igni*, non haberi in exemplaribus Græcorum; tamen cùm contradicant plures Sancti Patres, præſertim D. Hieronymus, & Hylarius, necnon Chryſoſtomus & Cyrillus ambo Græci affirmantès in exemplaribus Græcorum, hanc vocem, *igni* reperiri. Dico quòd improbandus eſt hæreticorum Baptiſmus in igne adminiſtratus. Nam hæc poſita fuit differentia in Evangelio inter utrumque Baptiſma, Joannis ſcilicet, & Chriſti, non quod Baptiſmus illius eſſet in aqua, iſtius verò in igne, ſed quia Baptiſmus Joannis erat tantum in aqua, non in Spiritu, Baptiſmus autem Chriſti eſt in Spiritu, non quod ipſe Spiritus ſit ejus materia, ſed quia à Spiritu S. obtinet efficacitatem, ut animas noſtras Sanctificet. Et in hoc, Baptiſmus Joannis erat diverſus à baptiſmate Chriſti, ut dicemus infrà contrà nonnullos hæreticos. Additur autem, & *igni*, vel ut ſignificaretur copioſa illa Spiritus Sancti in Apoſtolos effuſio in die Pentecoſtes futura, ſcilicet quandò Spiritus S. in diſcipulos congregatos in linguis igneis deſcendit, non ſolùm ad Eccleſiam implendam, *Mens Sanctorum Patrum.*
ſed etiam ſuam in ejus Sacramentis permanentiam, promittendam, ut exponunt plures Sancti Patres, præter citatos, ſcilicet, D. Anſelmus homil. in Matth. D. Baſilius lib. de baptiſmo, & D. Cyprianus lib. 1. contra Judæos, cap. 12. Itaque D. Joannes non explicat materiam, vel formam baptiſmi, in quo Chriſtus erat baptizaturus, ſed ſolùm effectum & efficaciam Spiritus Sancti in eodem baptiſmo, quæ non erat in baptiſmo ipſius Joannis, quæ quidem virtus oritur à Spiritu S. qui in Sacra Scriptura interdùm dicitur ignis, acproinde hæretici non poſſunt ex vi hujus authoritatis D. Joannis baptizare in igne.

Dico iterùm cum D. Chryſoſtomo, Spiritum S. *Reſponſio D. Chryſoſtomi, Bedæ, & aliorum.*
eſſe ibi intelligendum quoad efficaciam Sanctificationis hujus baptiſmatis, quæ uſtioni comparatur, & & per nomen ignis exprimitur. Vel dico cum venerabili Beda & aliis, per ignem eſſe intelligendam pœnitentiam, vel tribulationem hujus vitæ, quâ Deos baptizatos probat, undè Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 3. ait: *Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*; vel cum D. Hieronymo, & aliis ibi per ignem intelligendum eſſe ignem purgatorij, nec certè illa interpretatio aliena eſt à mente D. Joannis baptiſtæ; cùm ſtatim poſt hæc verba: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizavit in Spiritu Sancto & igni*, ſubjungat: *cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hæc enim verba ſolent interpretari Sancti Patres de igne, in quo poſt mortem purgandi ſunt Electi; igitur D. Joannes baptiſta, per

Digitized by Google

ignem non deſignavit materiam baptiſmi, ſed ignem purgatorij.

Sed ſi hæc interpretatio non placeat hæreticis, dico verba D. Joannis Baptiſtæ ſignificare effectum baptiſmi, ſeu ferventem illam charitatem, quâ inardeſcebant naſcentis Eccleſiæ Filij, qui baptiſmum & Confirmationem acceperant. Charitas quidem illa, aut gratia, quæ diffuſa eſt in cordibus baptizatorum per Spiritum Sanctum, qui datus eſt illis, interdùm per ignem in Sacris Scripturis exprimitur, & ipſos baptizatos inflammat.

ARTICULUS XXIII.

Docet adverſus Colobroſianos, Baptiſmum collatum in nomine alicujus creaturæ eſſe invalidum.

Colobroſiani. NEdum circà materiam Baptiſmi, ſed etiam circà ipſius formam errarunt hæretici & primò Colobroſiani Viri hæretici, ſic dicti à Colobroſo Menandri hæretici ac Magi aſſectatore, qui tempore Antonini Pij Imperatoris, & Hygini Papæ circà annum Domini CLII. dixit, omnes ſitientes ſalutem, non in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed in ſuo nomine eſſe baptizandos, & ſic de facto baptizabat eos, qui baptizari volebant, ut ex D. Auguſtino de hæreſ. colligunt plures Scriptores. Huic hæretico ſucceſſit alter aliam formam addens, ſcilicet Marcus, Valentini hæretici Diſcipulus, & Heracleonis ſucceſſor, qui ut teſtantur Euſebius lib. 4. hiſt. Eccleſ. & Irenæus lib. 1. adversùs hæreſes cap. 8. docuit anno CLV. tempore ejuſdem Imperatoris, & Pij hujus nominis Papæ 1. homines eſſe baptizandos in nomine Ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium; & in eo, qui deſcendit, Jeſu.

Marcus Valentini diſcipulus.

Cataphrygij. Anno autem CLXXXI. regnante Commodo Imperatore, & vivente Sotero Papa, inſurrexerunt Cataphrygæ, ſeu Cataphrygij etiam viri hæretici, ex provincia Phrygiæ nomen ſumentes, qui nolentes in forma baptizandi uti ijſdem verbis, quibus Eccleſia Catholica utitur, quæque Chriſtus Apoſtolos ſuos docuit dicens: *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nec baptizare in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, aliam formam invenerunt, qualis autem fuerit hæc forma, non conſtat, cùm de ipſa nullam mentionem faciant Philaſtrius, neque Auguſtinus, nec alij Scriptores, qui de hac re loquuntur.

Paulus Samozatenus Paulus Samozaterius natione Syrus, qui Artemonis, & Ebionitarum hæreſim revocavit anno CCLXXIII. tempore Aureliani & Fælicis primi, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis minime baptizabat, ut referunt Philaſtrius & Sanctus Auguſtinus, licet non referant formam, quâ utebatur, eamque omiſerint, ſicut omiſerunt eam, quâ utebantur Cataphrygij, de quibus jam locuti ſumus.

Eunomius His hæreticis ſucceſſit Eunomius (à quò Eunomiani hæretici) genere Capadox, conditione Arij Diſcipulus; & in omnibus inimicus veræ fidei, qui anno Domini CCCLVIII. regnantibus Conſtantio imperatore, & Liberio Papa, ut prædeceſſores ſuos impugnaret, noluit in nomine Trinitatis baptizare, ſed in morte Chriſti dumtaxat, ſub hac forma: *Ego te baptizo in morte Chriſti.* Huic errori, veram Baptiſmi formam à Chriſto Domino inſtitutam, rejicienti, poſtea, nimirum anno CCCCXCIII. tempore Anaſtaſij primi in Oriente Imperatoris, & Symmachi Papæ, adhæſit quidam hæreticus nomine Deuterius Epiſcopus Arianus, de quo Nicephorus lib. 6. cap. 35. hiſt. Eccleſ. ſic ſcribit: *Eadem tempeſtate, hoc eſt, Anaſtaſii Imperatoris temporibus, Epiſcopus quidem Arianus, cui nomen Deuterij fuit, in urbe Conſtantinopolitana, Barbam quemdam cum baptizaret; veluti Domini traditionem abolens, præter morem receptum, dicere auſus eſt: baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, ecce tibi autem: unda, quæ in Sacro lavacro erat, derepentè diſparuit, & Barbas indè profugiens, miraculum id omnibus promulgavit.* Sanè hoc miraculo ſuadetur, Baptiſma nullam aliam habere formam, niſi eam quâ utitur Eccleſia Catholica, quæ eſt hæc *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* *De Deuterio*

In hac hæreticorum ſerie reponendi ſunt etiam alij impugnatores Sacramentorum, nimirum Lutherus, Zuinglus, & Brentius, qui licet dixerint in Baptiſmo utendum eſſe formâ conſuetâ in Eccleſia Romanâ, erraverunt tamen circà ejuſdem Baptiſmi formam. Nam Lutherus de captivitate Babylonica, cap. de Baptiſmo, tenet, valere Baptiſmum quibuſcumque verbis conferatur, modò miniſtretur in nomine Domini. Addit inſuper quòd valet etiam ſi non detur in nomine Domini, modò in nomine Domini à baptizato ſuſcipiatur. Quòd eſt hæreticum, & contrà formam à Chriſto Domino inſtitutam. *Lutherus*

Zuinglus lib. de vera & falſa religione approbat formam conſuetam, ſed affirmat certam verborum formam non eſſe neceſſariam. Sed hic Lutheri, & Zuingli error eſt pejor prioribus, quia Baptiſmi formam uniuſcujuſque arbitrio relinquit, & revocat quod Chriſtus determinavit. Brentius in ſuo Cathechiſmo cap. de Baptiſ. declarat, Eccleſiæ formam eſſe ſervandam, tradit tamen Baptiſmum forè legitimum, ſi miniſter poſt recitatum à Cathecumeno fidei Symbolum, baptizet in hac forma: *Audivi jam ex te confeſſionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, in hanc igitur confeſſionem intingo te in aquam, ut hoc ſignaculo certus ſis, te in Chriſtum inſertum eſſe.* Hæc verba probant, Brentium velle, formam Baptiſmi non conſiſtere neceſſariò in verbis, quibus utitur Eccleſia. Ideoque inter hæreticos hujus articuli reponendus eſt. *Zuinglius* *Brentius*

§. I.

Anathematizat Hæreticos.

FOrmam Baptiſmi eſſe hanc *Ego te Baptiſo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, definitum fuit in variis Concilijs contra prædictos hæreticos, ſcilicet in Lateranenſi cap. *Firmiter.* In Florentino in decreto Eugenij. Et in Tridentino ſeſſ. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, in Eccleſia Romana (quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra) non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam: anathema ſit.* Doctrina autem Eccleſiæ Romanæ à Spiritu S. edoctæ, eſt in hac forma baptizare: *Ego te baptizo* &c. hancque eſſe veram formam: habetur in ſequenti Canone: *Si quis dixerit, Baptiſmum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum: anathema ſit.* Nam licet hic Canon conditus fuerit ad declarandum validum hæreticorum Baptiſma; Sancit tamen Baptiſmi formam eſſe hanc; *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* cùm propter eadem verba, Baptiſmus hæreticorum ſit validus, & ipſius validitas à vera forma pendeat. *Lateranenſe.* *Florentinũ* *Tridentinũ*

Concilijs addo quadrageſimum Canonem Apoſtolorum, in quo legitur; *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter in una initiatione, non tres immerſiones, ſed una duntaxat, Quæ in mortem Domini datur, peregerit, deponi-*

Digitized by Google

tur, non enim dixit Dominus: baptizate in mortem meam, ſed profecti docete omnes gentes, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, baptizantes eos. Sanè hac Apoſtolica

Canonum XL. Apoſtolorum.

conſtitutione damnantur Hæretici baptizantes in morte Chriſti, vel in alia forma diſtincta ab ea, quâ utitur Eccleſia Romana, quia declarat Baptiſma eſſe miniſtrandum ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. Hocque prorſùs invalidum eſſe dum ipſa Trinitate penitùs inexpreſſa, miniſtratur. Solius Inſtitutoris eſt præſcribere formam, Miniſtri verò eſt eam fideliter obſervare: idcircò unuſquiſque tenetur baptizare in forma præſcripta à Chriſto.

Formam Baptiſmi eſſe hanc: *ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij &c.* Patet nedùm ex authoritate Conciliorum, & Apoſtolorum jam memorata, ſed

Matth. ult.

etiam ex illo Matth. cap. ult. *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, licet enim ibi expreſſè non præcipiat Chriſtus, ut baptizando, Apoſtoli proferant eadem verba tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas exprimentia; id tamen ratione conſtat, quia neceſſe eſt quòd cauſa Baptiſmi exprimatur, non ſolum miniſterialis, quæ Sacramentum perficit, ſcilicet ille, qui baptizat; ſed etiam cauſa principalis, ſeu Sanctiſſima Trinitas, à qua verba Sacramentorum virtutem obtinent, & à qua habent,

Vera Baptiſmi forma.

ut quod exprimunt, ſignificent. Forma autem præfata, Miniſtrum exprimit, dum dicitur, *ego te baptizo*, & cauſam principalem deſignat, dum dicitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ideoque dum Chriſtus mandavit Apoſtolis ut docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c. Formam Baptiſmi deſignavit, docuitque modum, in quo erant gentes baptizaturi, qui quidem modus, eſt baptizare in nomine Patris &c. Hoc Chriſti mandatum eſſe ſic intelligendum, conſtat ex proprijs terminis. Evidens enim eſt quòd ex Chriſti verbis Apoſtoli nullum alium poterant colligere modum baptizandi. Conſtat paritèr ex continua Eccleſiæ praxi, quæ hunc ritum obſervavit, ut facilè colligitur ex ſuprà citato Canone Apoſtolorum, à quibus ipſa Eccleſia hujuſmodi baptizandi formam accepit.

Hinc eſt quòd Alexander III. relatus in Canone primo de Baptiſmo, & ejus effectu, inquit: *Si quis puerum ter in aquam immerſerit in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, amen, & non dixerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen, non eſt puer baptizatus.* Quibus conſtat, Eccleſiam ſemper docuiſſe formam

Alexander. III.

Baptiſmi, non eſſe aliam, quàm illam quâ ipſa utitur. Undè Concilium primum Nicænum celebratum anno CCCXXV. ſub S. Sylveſtro Papa pro tuenda Filij divinitate contrà Arianos, Can. 9. Paulianiſtas & Cataphrygios ad Eccleſiam redeuntes, baptizari jubet. Quia Baptiſma eorum, erat nullum, utpotè quia verbis Evangelicis non conſecratum, hoc eſt,

Concilium Nicænum.

quia Paulianiſtæ & alij non baptizabant in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, quam non credebant, ſed baptizabant in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, nolebant autem baptizare in nomine Filij, ne cogerentur eum Deum fateri, ſed per Filium quaſi per inſtrumentum. Idem decrevit Concilium Lao-

Concilium Laodicenſe.

dicenſe can. 8 itaque Baptiſmus ſub quacumque alia forma collatus, debet eſſe nullus ex defectu veræ formæ, ſeu prolationis verborum Sanctiſſimam Trinitatem invocantium.

D. Auguſt.

His authoritatibus ſuffragantur Sancti Patres, & præſertim S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 15 ubi ait: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* Fateor, Sanctum Auguſtinum per hæc verba approbare Baptiſmum Hæreticorum Marcioniſtarum, ſed nullus diffiteri poteſt, eumdem Sanctum Doctorem per eadem verba docere, hujus Sacramenti formam, ſeu Baptiſmum eſſe conferendum in nomine Patris, &

D. Ambroſ.

Filij, & Spiritus Sancti. Et D. Ambroſius lib. 2. de Sacramentis inquit, *In uno nomine baptizari nos juſſit; hoc eſt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et in can. *Sanctum* de conſecrat. diſt. 4. habetur: *Sanctum eſt Baptiſma per ſeipſum quod datum eſt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Idem decrevit Zacharias Papa relatus in can. 85.

Zacharias. Papa.

diſtint. 4. de conſecrat. ubi ſic legitur: *In Synodo Anglorum Decretum & Judicium firmiſſimè præceptum, & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, ut quicumque ſine invocatione Trinitatis merſus fuiſſet, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum eſt, quia ſi lotus in fonte Baptiſmatis qui fuerit ſine invocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, fuerit baptizatus. Hoc quoque obſervari in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe verum non poſſet. Quòd pro certo verum eſt: quia qui unam ex Sancta Trinitate confeſſus non fuerit, perfectus Chriſtianus eſſe non poteſt. Qui enim confitetur Patrem, & Filium, ſi confeſſus non fuerit Spiritum Sanctum neque Patrem habet, neque Filium. Et qui confeſſus fuerit Patrem, & Spiritum Sanctum, & non fuerit confeſſus Filium, neque Patrem habet, nec Spiritum Sanctum, ſed vacuus eſt à divina gratia.* Ex illa authoritate ſequitur quòd neceſſe eſt pro Sacramenti validitate, tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas exprimere in Baptiſmo juxtà mandatum Domini, qui Baptiſma in nomine trium Divinarum Perſonarum miniſtrandum eſſe dixit, Matth. ult. Hæc quidem expreſſio ad formam Baptiſmi ſpeciali quadam ratione exigitur, quia cùm Baptiſma ſit totius vitæ ſpiritualis fundamentum ad ſalutem omninò neceſſarium, ut fatentur omnes illi, qui admittunt illud, nihil juſtius eſt, quàm ut in exordio ſalutis authorem agnoſcamos, in ejuſque fidem, amorem, & gratiarum actionem effundamur, à quo creati in Chriſto Jeſu novum eſſe recipimus, & divinæ conſortes facti naturæ à Patre per Filium in Spiritu Sancto, regeneramur, dum in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti baptizamur.

Nullitas Baptiſmi Marcioniſtarum

Undè Baptiſmus in nomine Colobroſi collatus, paritèr & Baptiſmus Marcioniſtarum collatus in nomine ignoti Patris omnium, & veritate omnium matre, & in eo qui deſcendit in Jeſu, non confertur in debita forma, ſeu in ea, quam Chriſtus deſignavit; cùm ipſius collatione non exprimatur Sanctiſſima Trinitas, cujus vera expreſſio non poteſt fieri niſi per hanc formam: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ut patet. Nam dicere: *ego te baptizo in nomine ignoti Patris &c.* Juxtà Marcioniſtarum formam, non eſt exprimere Trinitatis perſonas, cùm non nominentur in conceptu formali relationum, aut notionum quibus perſonalitèr conſtituuntur, realiter diſtinguuntur, & multiplicantur.

Nec valet eorum ratio de ſpirituali regeneratione, quàm tribuunt Patri, & Matri ſicut de corporali. Quia hæc generatio eſt a Deo, de quo ſpiritualitèr naſcimur: Igitur Baptiſmus Marcioniſtarum debet eſſe nullus, paritèr & ille, qui datur nomine

Pelagius Papa.

Colobroſi. Nam ſi Baptiſmus collatus in nomine ſolius Domini, id eſt Chriſti, ſit nullus, ut declarat Pelagius Papa in Can 30. diſt. 4. de conſecrat. ubi alloquens Gaudentium Epiſcopum, ait: *ſi reverà hi de cæteris Hæreticis qui in locis tuæ dilectioni vicinus dicuntur commorari, ſolummodò ſe in nomine Domini baptizatos*

fuiſſe

fuiſſe forſitam confitentur, ſine cujus (quam dubitationis ambiguo) eos ad Catholicam fidem venientes in Sancta Trinitatis nomine baptizabis à fortiori nullus debet eſſe baptiſmus in Colobroſij nomine collatus. Sane nullus rationis compos hoc ibit inficias; cùm baptizari in nomine Colobroſij ſit baptizari in nomine viri impiiſſimi. Et baptizare in nomine Chriſti, ſit baptizare in nomine Filij Dei.

Act. 8. Nec obſtat quod Act. cap. 8. verſ. 12. viri & mulieres dicantur baptizati in nomine Jeſu Chriſti ab Apoſtolis, qui in nomine Jeſu Chriſti baptizabant. Non obſtant, inquam, quia Apoſtoli tunc hoc fecerunt ex divina quadam diſpenſatione illis inſinuata propter exaltationem nominis Jeſu Chriſti. Quòd Judæis erat ſcandalum; gentibus autem ſtultitia, teſte Apoſtolo dicente: *Prædicamus Chriſtum Crucifixum Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, ut monent omnes Theologi poſt D. Thomam. At ſublata hac occaſione, cùm videlicet jam nomen Domini Jeſu exaltatum eſſet, nulli licet hoc ſolo nomine invocato, baptizare; cùm neceſſariò in Baptiſmate exprimi debeant tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ, nec nunc extet eadem ratio, congruum enim fuit initio Eccleſiæ naſcentis, apud Judæos dari Baptiſma in remiſſionem peccatorum in nomine Chriſti. Quia Judæi negabant neceſſitatem Redemptionis & Redemptoris, ideò potuit Baptiſma in illa forma diſpenſativè conferri ſine ullo errore in forma practicè, vel ſpeculativè, nunc autem hæc ratio jam ceſſavit, & ideo non ſubſiſtit amplius diſpenſatio.

§. II.

Proponit, & diſſolvit Argumenta Hæreticorum.

ARgumentum hæreticorum eſt. Quia ex illis verbis Matthæi: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non poteſt colligi, formam, quâ in Baptiſmo utitur Eccleſia Romana, eſſe legitimam. Quòd verum eſſe patet ex variis ſimilibus locis Sacræ Scripturæ. Nam dum Chriſtus Marc. ult. contulit Diſcipulis ſuis poteſtatem ejiciendi Dæmonia, his verbis: *In nomine meo Dæmonia ejicient*, non mandavit eis ut Dæmones expellendo; uterentur hac forma. *Dæmon, ego te ejicio in nomine Chriſti.* Et cum inſtituit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſuiſque Apoſtolis poteſtatem conſecrandi dedit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, non mandavit Apoſtolis ut conſecrando, dicerent: *Hoc facio in Chriſti commemorationem.* Tandem dum Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, dixit Apoſtolis: *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*; tamen forma Sacramenti Pœnitentiæ, quâ utuntur Sacerdotes in Eccleſia Romana, non eſt hæc. *Cui remitto peccata, remiſſa ſunt, cui retineo, retenta ſunt*, cùm poſt factam peccatorum confeſſionem, Sacerdos dicat: *Ego te abſolvo à peccatis tuis*: igitur pari ratione, nullus debet baptizare in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Licet Chriſtus dixerit Diſcipulis ſuis. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*

Reſpondeo, paritatem non valere, nam Chriſtus per hæc verba *baptizantes eos in nomine Patris &c.* oſtendit, Baptiſmum non poſſe aliter conferri, niſi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. tunc enim docuit Diſcipulos, modum baptizandi. Per alia autem verba ſupra relata, dedit illis ſolùm poteſtatem ejiciendi dæmonia, conficiendi Euchariſtiam, & abſolvendi à peccatis, & ideo non valet paritas. Deindè ſi hæc verba Chriſti: *baptizantes &c.* ſecundum ſe dumtaxat, & ſeorſim à traditione accipiantur; tranſeat; quòd ex ipſis verbis poſſit alia forma colligi. At ſi ex traditione perpetua accipiantur, ex qua; Chriſti Domini præcepti ſenſus eſt accipiendus, certum eſt quòd quælibet alia forma Baptiſmi eſt nulla, conſtat enim ex Eccleſiæ praxi; & Sanctorum Patrum authoritate, in Baptiſmo hæc verba eſſe uſurpanda: *Ego te baptizo &c.* quia in hac forma Baptiſmus confertur juxtà mandatum Chriſti: etenim in hac forma dumtaxat, ſignificantur ea, quæ abſolutè ſub pœna nullitatis ſignificanda ſunt in Baptiſmo, ſcilicet Miniſter, Sacramentum, perſona recipiens, & cauſa princeps. Primum ſignificatur per pronomen, *ego*, quod ſignificat, miniſtrum, qui licet non debeat neceſſariò exprimi, ut probat Baptiſma Græcorum ſub hac forma collatum: *Baptizetur ſervus Dei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* ab Eccleſia Romana approbatum, bonum tamen eſt, miniſtrum exprimere, cùm Chriſtus inſtituerit eum: eique ſuam contulerit poteſtatem. Secundùm exprimitur per verbum *baptizo.* Tertium per particulam, *te.* Quartum verò ſeu Sanctiſſima Trinitas exprimitur per alia verba ſcilicet, *In nomine Patris &c.* In aliis autem exemplis adductis, ſeu in ſecundo, & in tertio, Sacerdotes Eccleſiæ reverà non utuntur eiſdem verbis; cùm non conſecrent in hac forma. *Hoc facio in Chriſti commemorationem*, quia per hæc verba non conſecravit Chriſtus, ſed dicunt: *Hoc eſt corpus meum*, quia ſunt verba, per quæ ipſe Chriſtus conſecravit. Nec in Sacramento pœnitentiæ Sacerdos dicit: *Quorum remitto peccata, remittuntur eis*, ſed: *ego te abſolvo*, quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum per modum judicij. Et voluit, Sacerdotes eſſe judices ad proferendam ſententiam in peccatorum remiſſionem, quæ non poteſt aliter proferri niſi per hæc verba, *ego te abſolvo &c.* Idem dico de primo exemplo quod eſt de poteſtate ejiciendi Dæmonia, quæ ejiciuntur in nomine Chriſti, ſeu virtute Chriſti; per verba hanc Dæmoniorum ejectionem exprimentia. Hinc eſt quòd paritas non tenet, acproinde quòd Baptiſma debet neceſſariò conferri in forma prædicta, quoniam hæc ſola fit in Invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis.

Reſponſio ad argumentum contrarium.

Inutiles ſunt paritates ab hæreticis adductæ.

ARTICULUS XXIV.

Nullam contra Donatiſtas admittit Iterationem in Baptiſmo.

MArcioniſtæ, de quibus locuti ſumus in primo articulo hujus operis, aſſerebant (teſte D. Epiphanio hæreſ. 42.) eundem hominem eſſe ter baptizandum, ſi poſt primum Baptiſma in alia peccata labatur. Baptizabant primò eum in infantia ad delendum peccatum originale, alia verò duo Baptiſmata concedebant in adulta ætate ad Imitationem Chriſti Domini, qui à Joanne baptizari voluit, tamen non conferebant hæc duo poſteriora in ejus Sanguine, ſed in aqua, ut à peccatis actualibus ipſâ aquâ baptiſmali mundaretur, ſicut in Sanguine Chriſti mundatus fuerat.

Error Marcionis.

Eumdem errorem de Baptiſmo iterando tutatus eſt anno. CCCLVIII. tempore Conſtantini Imperatoris, & Liberij Papæ, quidam Hæreticus, nomine Donatus, qui propter Cæcilianum contra vo-

luntatem ſuam ordinatum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum, ab Eccleſia receſſit, objiciens eidem Epiſcopo delicta, quæ probare non potuit, ſed poſtmodum de falſitate coovictus, Schiſma in hæreſim pertinaci vertit defenſione, quæ ferè totam Africanam Eccleſiam infecit, ut refert D. Auguſtinus in lib. de hæreſibus.

Armeni

Guido Carmelita, ſeu Guido de Perpiniano dictus, Carmelitici ordinis Prior Generalis, & poſteà Epiſcopus Majorienſis eumdem errorem tribuit Armenis, qoi ad ipſos venientes ex Eccleſia Romana, rebaptizabant, dicentes Eccleſiam Romanam, noo eſſe veram Eccleſiam Chriſti, ac proindè vérum Baptiſma non poſſe eſſe io illa, ſed ſolùm in Eccleſia ipſorum Armenorum, quam ipſi dicunt veram & Catholicam Eccleſiam. Sed in quantum ad nos eſt, Donatiſtas, & Armenos, in hac hæreticorum Baptiſmum iterantium ſerie repouere non audemus, quia non iterabant propriè Baptiſmum, ſicut Marcioniſtæ, hoc eſt, ut per ſecundum Baptiſma delerentur peccata actualia illius, cui per primum remiſſum fuerat peccatum originale, ſed in alio ſenſu, nimirum quia putabant, Baptiſmum hæreticorum, & eorum, qui ex alia ſecta venerant, eſſe nullum. Dicebant enim unum Baptiſma tantum eſſe neceſſarium; unde error iſtorum eſt diverſus ab errore illorum; ideoque in alia ſerie ſunt merito reponendi, ſcilicet in ea, in qua adducendi ſunt hæretici, qui volunt Baptiſma ab hæreticis collatum eſſe nullum, & invalidum.

Anabaptiſtæ

Anno autem MDXXII. inſurrexerunt contrà uoitatem Baptiſmi quidam hæretici, qui ab iterato Chriſti Baptiſmate, dicti fuerunt Anabaptiſtæ, quorum author creditur Baltazar Pacimontanos, uel ut credunt alij, Nicolaus Storkius, qui cum primum Luthero adhæſerit, ab eo poſteà deficiens, in inſolitas revelationes ventilans ad ruſticas & ignaras gentes accedit, & fidem apud eos iovenieus, de ſecretis, ut jactabat, ſibi per Michaelem Archangelum revelatis, eis perſuaſit ut libertatem profiterentur Evangelicam, & ſoli Deo vacarent, ſeque ſinerent rebaptizari. Et eos, qui tali Doctrinæ repugnarent, igne, & ferro delerent, affirmans nullum poſſe ſalvari unico Baptiſmo, ſubindeque docebat cum Marcioniſtis Baptiſma eſſe iterandom ob iterationem peccatorum actualium, quæ in ſecundo Baptiſmate deleri volebat, denegans Pœnitentiæ Sacramento plenam virtutem delendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Obiter obſervandum eſt apud Judæos fuiſſe quoſdam hæreticos qui ſe, ſuaque veſtimenta quotidie abluebant, & dicti fuerunt Hemerobaptiſtæ, quia teſtibus Crinito, & Sancto Epiphanio hæreſ. 17. aſſerebant, hominem ſine quotidiaoo Baptiſmate ſalvari non poſſe.

Hemerobaptiſtæ.

§ I.

Affert Articuli Probationes.

ITerationem Baptiſmi pariter, & eos, qui tuentur eam, damnaot Concilium Nicæoum I. io cujus Symbolo legitur *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Quòd non debet intelligi de Baptiſmo ſecundum ſe, ita ut indiviſibilis ſit in Baptiſmum fluminis, flaminis, & Sanguinis, ſed de Baptiſmi ſuſceptione, ita ut una vice dumtaxàt recipi poſſit in peccatorum remiſſionem; quamvis poſt Baptiſmum ſemel ſuſceptum committantur peccata à baptizato. Carthaginenſe I. Canon. 1. refert, Epiſcopum Concilio præſideotem dixiſſe. *Si vobis placet conſideremus primum ritulum rebaptizationis unde Sanctitatem veſtram peſtulo; in mentis veſtra placita producatis ad deſcendentem in aquam; & interrogatum in Trinitate ſecundum Evangelij fidem; & Apoſtolorum doctrinam, & confeſſum bonam conſtientiam in Deum de reſurrectione Jeſu Chriſti, ſi liceat iterùm interrogari in eadem fide, & iterum tingi. Univerſi Epiſcopi dixerunt, abſit; abſit; illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum à ſincera fide, & Catholica diſciplina.*

Declaratio Concilij Nicæni.

Concilium Carthaginenſe primum.

Fateor hoc Concilium principaliter eſſe ad approbandum Baptiſma hæreticorum, ſed tamen affirmat, unum Baptiſma in vera forma collatum, eſſe validum, & ideo negat, eſſe iterandum, vultque verum Baptiſma ſemel collatum ſufficere. Unde Concilium Viennenſe ait in Clementina cap. fidei Catholicæ de Summa Trinitate, & fide Catholica circa finem; *Ad hoc Baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut unus Deus & unica fides) ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua; in nomine Patris, & Filij; & Spiritus Sancti, eſſe credimus tam Adultis, quam parvulis perfectum remedium ad ſalutem.*

Viennenſe

Concilium Florentinum ſub Eugenio eamdem doctrinam tenet, ait enim. *Tria ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt, Spirituale ſignum imprimunt in anima, indelebile, unde in eadem perſona non iterantur.* Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 9. de Sacramentis in genere habet: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam Spirituale; & indelebile, unde ea iterari non poſſunt: Anathema ſit.*

Florentinum.

Tridentinū

Hæc veritas de baptiſmo non iterando in tot Concilijs confirmata contra hæreticos, colligitur etiam, & firmatur ex Sacra Scriptura, ſcilicet ex illo ad Heb. 6. *Impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati* verſ. 6. *& Prolapſi ſunt; rurſus renovari ad Pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei: & oſtentui habentes.* Quamvis plures velint inde veritatem hanc non poſſe inferri, fateor aliquos hæreticos, quos in proprio loco impugnabimus, intelligere verba hæc de Pœnitentia, ut ſuadeant, peccata poſt baptiſmum commiſſa, eſſe irremiſſibilia. Quòd eſt falſum & contrarium eidem Paulo 1. ad Corinth. cap. 15. docenti, peccata etiam fidelibus per Pœnitentiam condonari.

Hebr. 6.

Fateor inſuper quòd aliqui Catholici ea intelligunt etiam de Pœnitentia, ut oſtendant, peccata poſt baptiſmum commiſſa difficilè remitti; tamen Divus Ambroſius, Divus Auguſtinus lib. de vera & falſa Pœnitentia, Divus Chryſoſtomus homil. 9. ad Hebræos, Divus Epiphanius hæreſ. 59. Theodoretus & Theophilactus eumdem locum expooentes, & multi alij, cenſent hæc verba Apoſtoli intelligenda eſſe de baptiſmo, & volunt ſemel illuminatos, & prolapſos, non poſſe iterum eodem illuminari (neceſſe enim eſt confiteri unum baptiſma in remiſſionem peccatorum) igitur Apoſtolus docet ſemel Baptizatos, qui poſt baptiſmum peccant, non poſſe per aliud baptiſma renovari, nec revocari ad Pœnitentiam, ſeu ad Pœnitentiæ effectum, nempè ad remiſſionem peccatorum per idem Sacramentum, putà per baptiſmum. Ratio hujus rei eſt, quia in baptiſmo commori-

mur Chriſto, & conſepelimur inquit Apoſtolus ad Rom. 6. verſ. 3. & 4. *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hinc eſt quòd iteratio Baptiſmi eſt contrà ejus ſignificationem. Er iterare illum, eſt falsò mortem Chriſti & ejus ſepulturam repræſentare, quia Chriſtus ſemel tantum mortuus eſt, & mors illi ultrà non dominabitur. Idqne facilé colligi poteſt ex fine, ob quem Chriſtus venit, & mortuus eſt, qui cùm ſit reparatio juris ad gloriam per Adæ peccatum amiſſi, nulla eſt in Chriſto neceſſitas iterum moriendi.

Rom. 6.

Hoc verum eſſe probat idem Apoſtolus, qui dum aſſignat rationem ob quam impoſſibile eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt, & prolapſi ſunt, revocari ad Pœnitentiam, ait; quia hoc eſſet in ſemetipſis rursùs crucifigere Chriſtum, quem iterùm Crucifigere impoſſibile eſt, cùm ſedeat ad dexteram Patris, vivat in carne impaſſibili, & habeat immortalitatem. Idcircò ſemel valide baptizatus, non poteſt iterum baptizari, quoniam ut air S. Clemens Papa lib. 6. conſtitut. cap. 15. *Uno Baptiſmo ſumus contenti qui in mortem Chriſti vadimur.* His quidem verbis Baptiſma ſimilatur morti Chriſti, quæ cùm ſemel duntaxat tradita fuerit Chriſto, ſemel tantum fidelibus tradi poteſt Baptiſma. Idem Summus Pontifex de iterantibus Baptiſmum, inquit *Crucifigunt Dominum, decident divina*, vult igitur novum Baptiſma repugnare baptizato, ſicut Crucifigi repugnat Chriſto, qui mori non poteſt, quia morti mors fuit, ut prædixerat per os Prophetæ, *O mors ero mors tua.* Taceant igitur hæretici, & deſinant rebaptizare, nè iterum Chriſtum Crucifigant, ut inquit Apoſtolus.

S. Clemens Papa.

Hanc ipſam veritatem confirmat finis, ob quem inſtitutum fuit Baptiſma, ſcilicet remiſſio peccati originalis, ut tenent omnes communiter contra Pelagianos. Porrò cùm hoc peccatùm ſemel tantùm contrahatur ab omnibus filijs Adæ, in quo peccante, omnes peccaverunt, ſequitur quòd ſemel tantùm poteſt ſuſcipi Baptiſma, cùm ceſſante fine, ceſſet utique mediorum applicatio; alioquin media non eſſent propter finem, & Sacramenta poſſent confici, deficiente materia circa quam, id eſt, ad quam deſtruendam inſtituta fuere. Quòd eſt falſum, ideo enim Pœnitentia iteratur, & ad Thronum confeſſionis ſæpé accedimus, quia ſæpè peccata committimus actualia, ad quæ delenda, fuit inſtitutum Pœnitentiæ Sacramentum. Undè cum deficiat in ſemel baptizatis hæc materia Baptiſmi, putà peccatum originale per primum Baptiſma remiſſum, ipſius etiam deficit iteratio; aliàs materia non eſſet abſolutè neceſſaria ad conficiendum Sacramentum. Quòd eſt hæreticum, ut declarat Sacra Florentina Synodus.

Argumentum ex fine baptiſmi deſumptum

Nec valet dicere, peccata actualia etiam deleri cum originali per Baptiſmum, ſi in baptizato reperiantur, ut definitum fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali circà finem, ubi legitur: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: Anathema ſit.* Non valet, inquam, quia Baptiſmus hæc peccata actualia delet per accidens, hoc eſt, ratione remiſſionis peccati originalis, quod non poteſt deleri niſi deleantur cætera, quæ cum ipſo ſunt. Baptiſmô inquam eluuntur omnia in Eccleſiam intrantium peccata. Hæc enim eſt virtus Chriſti, ut quamvis peccator qui ejus undâ ſe laverit, denuò in Virginem reparatus, non meminerit ante quod fecerit, & juventutis ſcelera non cognoſcat, & ſit Virgo fide Chriſti, qui fuerat Adulter corruptione peccati; inquit S. Maximus, homil. 1. de Eleemoſyna.

Peccata actualia remittuntur per accidens in baptiſmo.

Reſtat itaque Baptiſmum fuiſſe inſtitutum propter peccatum originale, ex cujus unica contractione ſequitur unica Baptiſmi ſuſceptio. Quapropter Paulus ad Epheſ. 4. ait, *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*: Igitur, Paulo teſte, hæretici ſupra citati, utpotè Marcioniſtæ, Anabaptiſtæ, & alij non poſſunt citrà hæreſim, tria vel quatuor Baptiſmata uni & eidem conferre. S. Leo relatus in Canone, *cum itaque* de conſecrat. diſt. 4. eodem teſtimonio Pauli utitur ad rejiciendam Baptiſmi iterationem, ibi enim ait: *Scimus quidem inexpiabile eſſe facinus, quoties juxtà hæreticorum damnata à Sanctis Patribus inſtituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante ſententia, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confeſſionem, unum in Baptiſmate Sacramentum.* His ſiquidem verbis ille Sanctiſſimus Papa, ſuadet Leoni Ravennati Epiſcopo, Baptiſmum non eſſe iterandum, quia illa unitas in Baptiſmate ſumitur ſecundum ipſius ſuſceptionem, ſemel quidem verè baptizatus, ſemper remanet baptizatus, habetque ipſius Baptiſmi characterem.

Epheſ.

D. Leo

His ſuffragatur ratio congruentiæ. Nam Baptiſmus eſt quædam regeneratio Spiritualis, ut facilè ſuadetur ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et ex variis locis Apoſtoli, in quibus Baptiſma dicitur Lavacrum regenerationis. Et in Sanctis Patribus in quibus homo baptizatus dicitur renatus. Hinc eſt quòd ſicut nativitas carnalis unica eſt, & homo ſemel tantùm naſcitur, ità unicum debet eſſe Baptiſma, ut ſemel baptizatus non poſſit iterum baptizari. Unde D. Auguſtinus explicans illud Joan. 3. Nicodemi ad Jeſum: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci*, ait: *Intellige nativitatem Spiritus, quomodò intellexit Nicodemus nativitatem carnis, quomodò enim uterus non poteſt repeti, ſic nec Baptiſmus*, quibus conſtat, baptiſmum eſſe omninò initerabilem, etiamſi poſt baptiſmum ſuſceptum, homo moriatur per peccatum, quia non indiget renaſci, nec fieri de novo Filius Eccleſiæ, cùm in ſinu ſuo hæc pia Mater contineat juſtos, & peccatores, ſed indiget reſurgere, & de facto reſurgit per Pœnitentiam. In Baptiſmate homo renaſcitur, & conſtituitur Filius Sponſæ Chriſti, ſeu Sanctæ Matris Eccleſiæ, ut monet idem Divus Auguſtinus ſerm. 163. de temp. ubi inquit. *Reſurrecturum humanum genus in ſæculi conſummatione poſt mortem, nunc reſurgit in Baptiſmo: ſuſcitandus eſt tunc Dei populus poſt ſoporem, nunc ſuſcitatur poſt infidelitatem, liberandus eſt tunc à mortali conditione, nunc liberatur ab innocentiæ cæcitate. Renaſciturus tunc ad æternitatem, nunc renaſcitur ad ſalutem.* Hac quidē auth. plenè cōvincuntur Marcion, & Anabaptiſtæ, qui Adultos jam baptizatos, iterum baptizare volebant, ut ipſis remitterentur peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Baptiſmus eſt nativitas, mors, & reſurrectio, quæ ſemel contingunt, ideoque Baptiſmate in debita forma ſemel collato alicui nequit eidem iterum conferri. Non duo, ſed unum

Joan. 3.

D. Auguſt.

Digitized by Google

nobis præcipitur in Concilio Nicæno confiteri baptiſma in remiſſionem peccatorum.

Dicent hæretici, Euchariſtiam eſſe etiam figuram, & repræſentationem mortis Chriſti Domini, ut inſinuat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 26. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Hoc tamen nonobſtante, Euchariſtiæ Sacramentum quotidiè iteratur: Igitur Baptiſma quamvis ſit figura mortis & Reſurrectionis Chriſti, po-

1. Corint. 11.

teſt iterari, imo debet multoties in vita ab hominibus ſuſcipi; cùm conferat gratiam Sanctificantem, deleatque peccata mortalia ex ſua inſtitutione, quæ non delet Euchariſtia, quæ non eſt panis mittendus canibus, neque eſt Sacramentum mortuorum pro quibus tamen inſtitutum fuit Baptiſma, ut notat Tertullianus in principio libri de Baptiſmo dicens. *Fælix Sacramentum aqua noſtra, quia ablutis delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* Nec

Tertullianus.

onus eſt, hic Baptiſmi mirandus effectus: decem alios enumerat D. Chryſoſtomus ad Neophitos dicens: *Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi. Et cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & juſtitia in ſorte verſantur, qui fuerant in confuſione peccati, non enim ſunt tantùm liberi, ſed & Sancti, non tantùm Sancti, ſed & Juſti, non ſolùm Juſti, ſed & Filij, non ſolùm Filij, ſed & hæredes, ſed & Fratres Chriſti, non tantum Fratres Chriſti, ſed & cohæredes, non ſolùm cohæredes, ſed &*

D. Chryſoſt.

membra, non tantum membra, ſed & templum, non tantum templum, ſed & organa Spiritus. Vides quot ſunt Baptiſmatis largitiones, & nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere, nos autem honores decem computavimus, unde cùm effectus Baptiſmi majores ſint, quàm effectus Euchariſtiæ, & nobis magis neceſſarij ſint, præſumendum eſt, Chriſtum, qui efficacem attulit medicinam, inſtituiſſe Baptiſma iterabile, ſicut inſtituit Euchariſtiam iterabilem.

Huic argumento in quo plurimùm confidunt hæretici reſpondeo, maximam eſſe differentiam inter repræſentationem mortis, & paſſionem Chriſti, quam exhibet Euchariſtia, & eam quæ habetur in Baptiſmo, ex qua neceſſariò ſequitur Baptiſ-

Prima ad hæreticorũ inſtantiam reſponſio.

ma non poſſe iterari, licet iteretur ſumptio Euchariſtiæ. Nam in Baptiſmo mors Chriſti repræſentatur, in quantum homo Chriſto commoritur, & in novam vitam regeneratur, ut aſſerit S. Thomas contrà gentes cap. 59. lib. 4. art. 9. ad 5. At in Sacramento Euchariſtiæ repræſentatur mors Chriſti, in quantum ipſe Chriſtus paſſus exhibetur nobis, quaſi Paſchale convivium, ut tradit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 5. verſ. 7. dicens: *Expurgate vetus fermentum ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azimi: etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis.* Igitur cùm homo ſemel naſcatur, multotiès autem cibetur, Euchariſtia debet multotiès dari, Baptiſmus verò ſemel tantum.

Vel reſpondeo cum Doctore Subtili in 4 diſt. 6. quæſt. 5. *ad argumenta*, quòd illa prolatio ver-

Altera reſponſio quæ eſt Scoti.

borum, quibus Euchariſtia conſecratur, non eſt Sacramentum, ſed conſecratio Sacramentalis, quam non licet iterare ſuper eamdem materiam. Nam ſi iteraretur, non fieret Sacramentum, quia factum eſt. Illa etiam perceptio non eſt Sacramentum, licet ergo eadem perſona poſſit frequenter communicare, ſeu recipere Euchariſtiam, tamen ſuper eamdem materiam non poſſunt verba conſecrationis Euchariſtiæ iterùm proferri, nec ſic debet Euchariſtia iterari ſcilicet, quòd propriè aliqua materia hujus Sacramenti bis ſuſcipiat formam ejus. Eadem igitur ratione non licet pluriès ſuper eamdem perſonam proferre formam Baptiſmi: quamvis Baptiſmus majores habeat effectus.

Ad rationem Marcionis, quâ ipſe hæreticus probat, hominem non poſſe ſalvari in uno Baptiſmo, eo quod Chriſtus à Joanne baptizatus fuerit, & poſteà propriô Sanguine in Cruce. Dico quod ſi hæc ratio valeret, Marcioniſtæ deberent poſt ſuſceptum Baptiſmum aquæ, baptizari in proprio Sanguine, quòd tamen non faciunt. Deindè Chriſtus eſt vere martyr, & Rex martyrum, qui in proprio Sanguine baptizatus fuit. Hinc eſt quòd Filios Zebedæi alloquens. Marc. 10. ait: *Poteſtis Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari:* Hoc eſt, poteſtis mori, ſicut ego morior, ut ſuaderet, & deſignaret Baptiſmum Sanguinis, qui licet ſuppleat effectum Baptiſmi aquæ abſolutè neceſſarij (Chriſto ſic atteſtante. Joan 3. his verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non &c.*) tamen non præcipitur, nec eſt abſolutè neceſſarius, licet ſuppleat Baptiſmi fluminis effectum, qui nequit ab alio ſuppleri, dum fuit productus à Baptiſmo aquæ: *Rejicitur argumentũ Marcionis.* Igitur licet bonum ſit, & ab omnibus commendandum imitari Chriſtum, qui baptizari voluit Baptiſmo Joannis, & poſteà propriô Sanguine, tamen illicitum eſt, atque prohibitum iterum conferre Baptiſma fluminis illi, qui jam baptizatus fuit.

Dico inſuper, hominem in Baptiſmo aquæ conſepeliri Chriſto, ut ſupra diximus cum Apoſtolo ad Rom. 6, quicumque enim baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus, & ideo dum baptizamur, imitamur Chriſtum, & Fratres ipſius efficimur unico Baptiſmate, poſt quod, aliud nequit ab eodem recipi, quoniam unico Baptiſmate delentur omnia peccata ut inquit S. Leo Epiſt. 79. cap. 7. *Hanc regulam (ut ſcitis) ſervandam ab omnibus Eccleſiis, prædicamus, ut lavacrum ſemel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.* Unde ſicut nemo poteſt duobus Dominis ſervire, ipſo Chriſto Domino teſte, Matth. 6. verſ. 24. *D. Leo.* nec poteſt duo Baptiſmata ſuſcipere, ſeu ſemel & iterùm baptizari Baptiſmate fluminis.

ARTICULUS XXV.

Docet contra Cataphrygios, Baptiſmum collatum ab hæreticis eſſe validum.

QUamvis rebaptizare, ſit iterare Baptiſmum; nihilominus hæretici in præcedenti articulo relati, & de eorum Dogmatum falſitate ſufficienter convicti, differunt ab illis, quos in hoc articulo impugnaturi ſumus pro validitate Baptiſmi ab hæreticis in debita forma collati. Nam illi, ſuppoſito uno Baptiſmo valido, & debitè adminiſtrato, conferebant alium etiam in aqua, exiſtimantes, hominem non poſſe ſalvari uno Baptiſmate, ſi poſt primum Baptiſmum iterum peccet. Iſti verò, quos mox nominabimus, eos rebaptizabant, qui à malis miniſtris ſcilicet peccatoribus, impiis, Infidelibus, & hæreticis baptizati erant, exiſtimantes, Baptiſma collatum ab homine gratiæ fidei ex-

perte, eſſe nullum & invalidum, & indebitè adminiſtratum.

Cataphrygij. *Montanus Appelle.* Horum hæreticorum primi ſunt Cataphrygæ, ſeu Cataphrygij (à Provincia Phrygiæ, in qua nati ſunt, nomen accipientes) qui authoribus Montano & Apelle unà cum Priſca, & Maximilla Prophetiſſis anno CLXXX tempore Commodi Imperatoris, & Soteri Papæ rebaptizabant Catholicos, veroſque fideles, quos ſeducebant, & ad ſuam ſectam convertebant, exiſtimantes, Baptiſmum collatum à Catholicis, collatum fuiſſe ab hominibus vera fide carentibus, ut refert Philaſtrius.

Tertullianus. Eundem errorem hæreticorum Baptiſma irritantem, juxtà plurium Scriptorum mentem ſecutus eſt Tertullianus, & licet nonnulli conentur eum excuſare, aliorum tamen opinio videtur mihi probabilior; cùm conſtet ipſum cenſuiſſe, nullum eſſe Baptiſma ab hæreticis collatum, nam lib. de Baptiſmo cap. 17. ait; *Heretici nullum habent conſortium noſtra diſciplina, quos extraneos utique teſtatur ipſa ademptio communicationis: non debeo illis agnoſcere quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus & nobis, & illis, nec unus Chriſtus ideo idem, ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem, quem, cùm ritè non habeant, ſine dubio non habent*: Ex his quidem verbis conſtat, Tertullianum improbaſſe Baptiſma omnium eorum; qui ſunt extra Eccleſiam.

Agripinus Carthaginenſis. Tertulliano adhæſit Agripinus Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui anno CCL. ſub Gallieno Imperatore, & Stephano I. Papa, aſſerebat (teſte S Cypriano) eſſe rebaptizandos jam ab hæreticis baptizatos. Idem de Agripino teſtatur Vincentius Lirinenſis in commonitorio, num. 46. ubi ait, *Agripinus Carthaginenſis Epiſcopus contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contrà ſenſum omnium Sacerdotum, contrà morem atque inſtitutionem majorum, eſſe cenſuit rebaptizandum.*

Novatus. Idem refertur de Novato presbytero Romano, qui circa annum CCLV. tempore Galli, & Voluſiani Imperatorum, & Cornelij Papæ, docuit contrà fidem Catholicam plures errores, inter quos unus erat, quòd accedentes ad ſe Catholicos, rebaptizarent, ut conſtat ex Epiſtola Sancti Cypriani ad Jubajanum, ubi inquit: *Nec nos movet, Frater Chariſſime, quod in litteris tuis complexus es, Novatianenſes, rebaptizare eos, quos à nobis ſollicitant.* Idem affirmat Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 11. hiſtor. cap. 11. ubi refert quòd Novatus, ſeu Novatianus, improbato Baptiſmo Eccleſiæ Catholicæ, volebat denuo eos baptizari, qui ex Catholicis ad ſuam ſectam deficiebant. Credebat enim omnes extra ſuam ſectam viventes, eſſe hæreticos.

Donatus. In hac hæreſi tuenda Propugnator maximus, ac præcipuus fuit Donatus in Numidia à Caſis Nigris Epiſcopus, qui teſte D. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 69. tempore Conſtantini Imperatoris, & Melchiadis Papæ, circa annum CCCXIII. publicè & pertinacitèr docuit, Sacramenta à malis, & impuris Miniſtris collata, nulla eſſe, acproindè dicebat, Catholicos ad ſuam ſectam venientes, eſſe rebaptizandos. Putabat enim ob prætenſa Cæciliani contra voluntatem ſuam ordinati Epiſcopi Eccleſiæ Carthaginenſis, crimina, quæ ipſe Donatus non potuit probare, totam ubique corruptam defeciſſe, ac periiſſe Eccleſiam. Et puram in ſola remanſiſſe Africæ Donati parte, ſicque in ea ſola verum eſſe Baptiſma, alibi nullum, nulloſque niſi impuros, & illegitimos meretricis Eccleſiæ miniſtros, ſic enim Catholicam vocabat Eccleſiam.

Maximinianus Carthaginenſis. *Primmianus.* *Petilianus.* Præcipui autem & principaliores hujus hæreſis Sectatores fuerunt Maximinianus Carthaginenſis Pſeudo-Epiſcopus. Priminianus ejuſdem civitatis etiam Pſeudo-Epiſcopus, Rogatus Epiſcopus in Mauritania Cæſarienſis, & alius Epiſcopus Conſtantinenſis nomine Petilianus D. Auguſtini Convitiator acerrimus, & veritatis Catholicæ Oppugnator, & hoſtis, contrà quem ſcripſit tria volumina, ut ipſemet fatetur, 2. retract. cap. 25. illi enim viri hæretici defuncto Donato, anno CCL. dixerunt, malos Sacerdotes non conferre Sacramenta vera, & malorum immunditiam bonis obeſſe, acproinde baptizatos ab illis, qui veram fidem non habent, eſſe iterum baptizandos. *Rupitani.* His vero adhæſerunt Montenſes, ſeu Rupitani, qui circà Romam in ſpeluncis montium & rupium habitabant.

Aetiani. Idem peſtilens dogma (teſte D. Epiphanio hæreſ. 76.) docuerunt Aetiani anno. CCCLXIII. ſub Conſtantino Imperatore, & Liberio Summo Pontifice. Hi enim duce Aetio Diacono (poſtmodum Epiſcopo) eos, qui jam baptizati fuerant, iterum baptizabant, nedum illos, qui à Catholicis, aut alijs Religionibus, ſed etiam qui ab ipſis Arianis deficiebant; licet Aetiani negarent, Filium eſſe conſubſtantialem Patri, & in hoc errore cum Arianis convenirent. *Hilarius.* Anno autem CCCC. tempore Theodoſij, & Arcadij Imperatorum, & Siricij Papæ, ex Arianis inſurrexit quidam hæreticus nomine Hilarius conditione Diaconus, qui editis libris propugnabat rebaptizandos eſſe eos, qui ab hæreticis Baptiſma ſuſceperant; ei tamen cæteri Ariani non adhæſerunt, quoniam hic error inter eos, qui Ario tribuuntur, non inveniebatur. Non deſunt tamen Scriptores, qui exiſtimant hunc Hilarium fuiſſe ſecta Luciferianum, quia non conſtat clarè an fuerit ex Arianis, vel ex Luciferianis, ut notat noſter Alphonſus à Caſtro, ſed major pars Doctorum ponunt illum inter Arianos. Huic hæreſi affinis fuit illa, quæ vocata eſt Circuitorum, aut Circumcellionum de quibus alibi ſatis fusè locuti ſumus.

Armeni. Hæreticos ſupra relatos ſecuti ſunt Armeni ſub Conſtantini III. Filij Heraclij Imperio, & Pontificatu Theodori, circa annum Domini DCXL. modò enim rebaptizant eos, qui jam baptizati ſunt in Eccleſia Romana (ut notant hiſtorici) credentes in ea non eſſe verum Baptiſma. Et affirmantes apud Latinos non eſſe veram, & Catholicam Eccleſiam, ſed ſolùm penes ipſos. *Petrobruſſiani.* Idem poſteà ſcilicet anno MCXXIV. regnante Henrico V. & Eccleſiam Dei regente Callixto II. docuit Petrus de Bruis, natione Gallus ex Provincia Occitaniæ oriundus, de quo Petrus Cluniacenſis in duabus Epiſtolis contra Petrobruſſianos editis, ità ſcribit. *Petrobruſſiani novo & apud Chriſticolas, inaudito ſcelere, in partibus noſtris rebaptizant populum Eccleſiæ profanata*, quibus verbis ille Doctor clariſſimus vult, Petrobruſſianos inter rebaptizantes comprehendi.

Henriciani. Eidem hæreſi ſtatim ſubſcripſit, & ejuſdem Hæretici ſociū ſe conſtituit, alter Hæreticus, nomine Henricus etiā natione Gallus, & Patriā Tholoſanus, qui aſſeruit peccatores idoneos non eſſe Sacramentis dandis & ſuſcipiendis, ut refert Divus Bernardus ſerm. 66. in Cant. cap. 11. Poſt Henricum inſurrexit eumdem errorem publicaturus in partibus Orientis, in quibus erat ignotus, alter Hæreticus nomine Baſilius profeſſione Medicus, qui Bogomilus vocari voluit, à *Bogomili.* voce *Bog* quæ Bulgarorum lingua, ſignificat Deum, & *Milus*, quæ ſignificat misereri, ità ut Bogomilus idem ſit apud eos, quòd, qui miſericordiam Dei inclamat. Hic enim (teſte Euthymio part. 2. Panopliæ ſuæ Tit. 23.) docuit tempore Alexij Conſtantinopolitani Imperatoris, & Alexandri III. Papæ circà annum Domini MCLXXIX. rebaptizandos eſſe eos, qui baptizati fuerant in magna Eccleſia Conſtantinopolitana Sanctæ Sophiæ conſecrata, exiſtimans

Digitized by Google

eos, qui ibi Baptiſmum ſuſceperant, non eſſe veré baptizatos, quia credebat Miniſtros hujus Eccleſiæ non habere fidem Catholicam.

Vuicleffus.

Tandem Joannes Vuicleffus de quo in alijs hæreſibus dixi, acri ingenij Theologus, tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis VI. Papæ, ea tantum Sacramenta valida eſſe cenſuit, quæ a Miniſtris prædeſtinatis conferuntur, ac proindè exiſtimabat, Sacramenta à Peccatoribus, Infidelibus, & Hæreticis, non poſſe validè miniſtrari, & per conſequens ea, quæ ab ipſis miniſtrata ſunt, iteranda proclamabat. Hic poſterior Hæreticus à veritate, & à ratione magis quàm cæteri aberrat: quippé præter fidem, aut ſanctitatem, quam in Miniſtro exigunt Cataphrygij, ille Vuicleffus exigit ſanctitatem conſummatam, ultimatam, & inamiſſibilem, quæ paucis, id eſt, ſolis prædeſtinatis tribuitur: ſcriptum eſt enim, nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.

§. I.

Prænominatos Hæreticos Anathematizat.

Concilium Arelatenſe. I.

ILlam Rebaptizantium hæreſim damnant plura Concilia, quæ in Sacramenti Baptiſmi Miniſtro fidem non exigunt neceſſariò, nec Sanctitatem, ut Baptiſma ſit validum. Quorum primum eſt Arelatenſe I. celebratum per CC. Epiſcopos ſub Silveſtro Papa, anno CCCXIV. in cujus octavo Canone ſic legitur. *De Afris quod propria Lege ſua utuntur, ut rebaptizent: placuit, ut ſi aliqui ad Eccleſiam de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes de Symbolo, & ſi perviderint eos in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, baptizatos, manus eis imponatur, ut accipiant Spiritum. Quod ſi interrogati, non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Nicænum I. celebratum anno CCCXXV. ſub eodem Papa, ut teſtatur D. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 3. 4. 5. & 6. Nec valet dicere quòd idem Concilium can. 19. Paulianiſtas, & Cataphrygios ad Eccleſiam redeuntes, baptizari jubet. Id enim juſſit idem Concilium, quia Baptiſma Paulianiſtarum erat nullum, & invalidum, utpotè quia verbis

Nicænum I.

Evangelicis non conſecratum, hoc eſt, quia non fuerat collatum in forma à Chriſto Domino præſcripta, & debita, nimirum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Arelatenſe II. celebratum ſub Syricio Papa circà

Arelatenſe. II.

annum CCCXXX. Can. 17. ait. *Bonoſianos autem ex eodem errore venientes, quos ut Arianos baptizare manifeſtum eſt, dum interrogati, fidem noſtram toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & impoſitione manus in Eccleſia recipi ſufficit.* In quibus verbis nulla fit mentio de rebaptizatione, imò aſſeritur, Baptiſma ab Arianis

Carthaginenſe. I.

collatum ſufficere fidem noſtram confitenti. Idem definitum fuit in Carthaginenſi I. celebrato anno CCCXLVIII. ſub Julio Papa. Pariter & in ſecundo

Conſtantienſe.

ejuſdem nominis celebrato ſub Cœleſtino I. circà annum CCCXCVI. idem decrevit Concilium Conſtantienſe celebratum ſub Joanne XXIII. pro tollendo eodem, non extincto, ſed facto trium Pontificum Schiſmate, & pro damnandis tunc graſſantibus hæreſibus Vuicleffitarum & Huſſitarum.

Florentin.

Tandem eadem veritas definita fuit in Florentino

Tridentin.

celebrato anno MCCCCXXXVIII. Et in Tridentino ſeſſ. 7. de Baptiſmo, ubi habetur: *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſma: Anathema ſit.* Et licet hic Canon omnem dubitationem penitùs excludat, nihilominùs, ut veritas Catholica magis eluceſcat, bonum eſt addere Canonem duodecimum ejuſdem ſeſſionis de Sacramentis in genere, in quo legimus: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit; non conficere, aut conferre Sacramentum: Anathema ſit.* Hoc quidem Canone certum eſt, Concilium approbare Baptiſma collatum in aqua, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quamvis ab homine peccatore collatum fuerit.

Joan. 1.

Eadem veritas de Baptiſmi à malis Miniſtris collati validitate patet ex illo teſtimonio Joannis 1. verſ. 32. *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Ex illis verbis conſtat, Baptiſmum ab impijs, malis, & Hæreticis collatum, (modò conferatur juxtà ritum in Evangelio præſcriptum) non eſſe invalidum: nam licet Miniſter exteriùs corpus abluat; tamen ille, qui baptizat, eſt Chriſtus Filius Dei, qui mundat interius animam.

Undè D. Auguſtinus tract. 6. in Joan. exponens eadem verba Joannis Baptiſtæ, ait: *Quid ergo per columbam didicit, né mendax poſteà inveniatur (quod avertat à nobis Deus opinari) niſi quamdam proprietatem in*

D. Auguſt.

Chriſto talem futuram, ut quamvis multi Miniſtri eſſent baptizaturi, ſive juſti, ſive injuſti, non tribueretur ſanctitas Baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto? Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat, Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat, Judas baptizet, hic eſt qui baptizat. Nam ſi ille, qui baptizat eſt Chriſtus, quomodo Hæreticus, aut malus Miniſter baptizans in forma præſcripta, poterit obeſſe virtuti Sacramentorum, & ex ipſius impuritate poterit Baptiſma fieri invalidum? Nam nequé qui plantat eſt aliquid, nequé qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, inquit Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 3.

Miniſter eſt cauſa ſecundaria, & miniſterialis in Sacramentorum adminiſtratione ſubdita Chriſto, qui baptizat interius, dum Miniſter quo utitur, baptizat exterius, idcircò Baptiſma collatum à Miniſtro intendente facere quod facit Eccleſia Chriſti, debet eſſe validum, ſuumque ità præſtare effectum baptizato, ut non egeat iterum baptizari. Legimus enim Diſcipulos Chriſti baptizaſſe, nullibi tamen legimus baptizatos à Juda (qui quamvis tunc non proditor, tamen fur erat & latro) fuiſſe unquam rebaptizatos. Et ideo concludendum eſt contrà Hæreticos, eos qui ab Hæreticis baptizati fuerunt, non debere iterum baptizari; cùm in hoc Baptiſmo, verum Baptiſmi

D. Iſydorus

effectum receperint, ut notat S. Iſydorus relatus in Can. 23. de conſecrat. diſt. 4. dicens. *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi; licet Paganus ſit qui baptizat*, ubi gloſſa addit, quòd Papa non attendit baptizantem hominem, ſed Dei virtutem in Baptiſmo, quæ cum non pendeat à virtute, & fide Miniſtri, fructificat, & gratiam producit, dum ipſe Baptiſmus confertur ab infideli, vel ab Hæretico, vel à Peccatore, modò illud adminiſtret, ut eſt adminiſtrandus, ſcilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quemadmodum ut ſemen fructificet nihil refert quòd lotis, aut ſordidis manibus ſeminetur, ſed ſatis eſt, ſi bonum ſit, & ex ſe fructiferum, & terra ad fructificandum diſpoſita; hoc enim ſuppoſito, & Solis influxu non deficiente, terra dabit

D. Auguſt.

fructum ſuum, ut inquit D. Auguſtinus contra Creſconium cap. 8. ità quidquid ſit de Sanctitate, Fide, & probitate Miniſtri, ſi adſint cætera requiſita,

ſeu intentio faciendi quod facit Eccleſia, Baptiſmus eſt validus. *Quid enim tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus? non contaminatur donum Chriſti*: ait D. Auguſtinus tract. 5. in Joan.

His addo quòd ſi ad valorem Baptiſmi neceſſariò requiratur fides Miniſtri, ità ut à ſolo Fideli Catholico conferri poſſet, vix ulla eſſet nobis ſecuritas de noſtra ſalute, ſicut enim ſemper eſſemus incerti de fide Miniſtri, qui nos baptizavit, ità eſſemus incerti de valore Baptiſmi nobis ab eo collati, ut notat Scotus noſter in 4. diſtinct. 5. quæſt. 1. §. *Veritas quæſtionis*, ubi inquit. *Secunda congruentia ſumitur ex fine, qui ſi Baptiſmus non poſſet conferri niſi à bono, non eſſet in magnum remedium viatoris, ſed quaſi communiter in detrimentum, cum enim quaſi nullus poſſit eſſe certus de bonitate propria, multò magis nec de bonitate alterius: ergo ſi ex bonitate Miniſtri dependeret Baptiſmus, nunquam poſſet aliquis eſſe certus ſe verè recepiſſe Baptiſmum, quod eſt inconveniens.*

Nec valet dicere, Fideles non minus eſſe incertos de intentione Miniſtri, quàm de ejus fide, ac proinde debet etiam requiri fides. Non valet inquam inquit idem Doctor, quia probabiliter præſumi poteſt quòd Miniſtri talem actum exercentes, intendant facere illud, ad quod actus ſecundum ſe ordinatus eſt, ſcilicet ad conferendam gratiam in remiſſionem peccatorum, ſed non ità poſſet haberi certitudo de fide, vel de bonitate Miniſtri, quæ eſt merè intrinſeca.

Idem doctor Aliam congruentiam aſſignat idem Doctor Subtilis ex parte ſuſcipientis, nam inquit: *Omnino injuſtum eſt pro iniquitate alterius puniri, quando ille alter nullo modo communicat illius iniquitati, ita ut poſſit ſibi imputari, ſed ille baptizandus, ſe diſponit ad gratiam quantum poteſt: ſi ergo malitia Miniſtri impediret, ille punietur propter culpam alienam nullo modo ſibi imputandam.* Ratio eſt, quia tale punitionis genus injuſtum videtur, ac proinde non admittendum in Deo; cujus judicium eſt rectum, & cujus natura bonitas. Nam ait Scotus. *Rationabile eſt, Deum aſſiſtere ſuo ſigno practico ad cauſandum ſignatum ex determinatione voluntatis ſuæ præcedente omnem conditionem Miniſtri, ſicut illa determinatio ſua, quia tribuit ſigno, eſſe certum ſignum, eſt ab ipſo immediatè omninò, & primò, ita ut aſſiſtentia conſequens illam determinationem ad cooperandum, ſit immediatè ab ipſo.* Quibus verbis Doctor Subtilis ſuadet quòd cum Sacramentum omnem ſuam virtutem habeat à Chriſto Domino, illi non poteſt obeſſe malitia Miniſtri conferendi illud poteſtatem habentis. Baptiſmus Eccleſiæ non eſt opus hominum, ſed Chriſti Domini cui data fuit omnis poteſtas in cœlo & in terra; & ideo non à Miniſtro, ſed à Chriſto ſuam obtinuit virtutem ad remittenda peccata.

D. Auguſt. D. Auguſtinus tract. 5. in Joan. inquit: *Baptiſma tale eſt, qualis eſt ille in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille per cujus Miniſterium datur. Unde quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus? quid te impedit malitioſus præco, ubi eſt bonus Judex?* Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 2. *Nec aqua noſtra inquinamur, nec veſtra mundamur, ſed aqua Baptiſmi cum datur alicui, nec noſtra, nec veſtra eſt, ſed illius de quo dictum eſt: hic eſt qui Baptizat.* Hoc autem dictum fuit à Joanne Baptiſta de Chriſto, & ideo Baptiſmi efficacitatem minimè impedit infidelitas miniſtrantis. Idem confirmat D. Gregorius relatus in can. 89. 1. quæſt. 1. ubi ait: *Non nocet malitia Epiſcopi, neque ad Baptiſmum infantis, neque ad Eccleſiæ conſecrationem, quia à Deo datur Baptiſma, non ab homine venit.* Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis baptizatus gratiæ donum percipit, ut monet Zacharias Papa ſcribens ad Bonifacium Epiſcopum.

Deniquè error Rebaptizantium rejici poteſt ex Circumciſione, cui ſucceſſit Baptiſma, quæque vigebat apud Samaritanos, & Judæos ſicut modò viget Baptiſmus apud Hæreticos, Schiſmaticos, & omnes Catholicos; cùm omnes credant, Chriſtum jam natum, & baptizentur Baptiſmate, quod Chriſtus inſtituit; ſed Circumciſio Samaritanorum, qui erant inter Judæos, ſicut Hæretici & Schiſmatici ſunt inter Catholicos, non repetebatur, cum aliquis ex eis accedebat apud Judæos, ut notat D. Auguſtinus in Epiſt. 203. quæ eſt ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtam, ubi ait: *Si velles Samaritanus quem Samaritani circumciderant fieri Judæus, vacaret certè iterationis audacia, & id quod apud hæreſim erat factum, quod præceperat Deus, non repetere, ſed approbare cogeremur.* Unde concludit: *quòd ſi in carne circumciſi hominis non invenirent locum ubi Circumciſionem repeterent, quia unum eſt illud membrum, multò minus invenitur locus in uno corde, ubi Baptiſmus Chriſti repetatur: ideo qui Baptiſmum duplicare vultis, neceſſè eſt omninò, ut corda duplicia requiratis.* Conſtat ergo ex Divo Auguſtino, quòd Baptiſmus non poteſt repeti ſeu iterari, ſicut non potuit iterari ejus figura, ſeu Circumciſio, non obſtante Miniſtri errore, aut hæreſi. Et ideo nulli Catholico licet baptizare Hæreticos, qui accedunt ad Eccleſiam Chriſti, cùm Baptiſma in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis collatum, ſit verum, & homini ſufficiat, ut omnes aſſequantur fines propter quos à Chriſto inſtitutum fuit. Hinc eſt quòd quilibet homo viator, rationis compos poteſt in neceſſitate eſſe legitimus hujus Sacramenti miniſter. *D. Gregor.* *D. Auguſt.*

Stephanus Papa ſcribens ad S. Cyprianum Epiſcopum Carthaginenſem, ejuſque Collegas Epiſcopos Africanos, qui in quodam Concilio definierant, rebaptizandos eſſe ab Hæreticis baptizatos, ait *Si quis à quacumque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, ſed teneatur quod traditum eſt, ut manus illi imponantur ad Pœnitentiam, cum ipſi Hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes, non baptizent, ſed communicent tantum.* Et licet Stephani Epiſtola integra non extet, tamèn illius partem legimus apud Cyprianum in Epiſtola ad Pompeïum, ut teſtatur Fraſſenius noſter. Sancta ſanè & ſalubris eſt hæc Stephani cogitatio, & ab omnibus laudanda ejus admonitio, aut correctio ad Epiſcopos Africanos, imò non poterat alitèr ſcribere ille Summus Pontifex Baptiſmi virtutem ſuſtinere intendens contra Donatiſtas: certus enim erat quòd ſicut poteſt artifex uti ad opera ſua, nedùm inſtrumento vivo, & ſibi conjuncto, putà manu, ſed etiam inanimato, & ſeparato, nempè malleo: ità ſimilitèr Deus poteſt homine carente vità gratiæ, nec ſibi per charitatem aut fidem conjuncto, uti tanquam inſtrumento ad Baptiſmum, ad ejus effectus inevitabiliter producendos. Et ex ipſa certitudine evidenter demonſtrabat quòd Baptiſmus ab Hæretico collatus in invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, non eſt annulandus. Et quòd ſic baptizatus, non eſt iterum baptizandus, nonobſtante hæreticitate: nam licet ſuperbus Miniſter cum Diabolo computetur; tamen non contaminatur donum Chriſti, quia per illum purus fluvius tranſit, & venit ad terram fertilem, ut inquit D. Auguſtinus tract. 5. in Joan. qui noſtram Doctrinam expreſſius extollit lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 13. ibi enim inquit: *Cum tantùm valeat Baptiſmus per hominem contemptibilem, quantum per Apoſtolum datus, ità nec iſtius, nec illius eſſe cognoſcitur, ſed Chriſti*, qui voluit Baptiſmum eſſe operativum, & ſignum gratiæ practicum independenter à cognitione, aut conditione, ac virtute Miniſtri. *Stephanus Papa.* *D. Auguſt.*

§. II.

Refutantur Hæreticorum Argumenta,

Hæreticorum ratio.

DOnatiſtæ & alij Hæretici rebaptizantes, objiciunt plures Sacræ Scripturæ authoritates, quibus probare conantur, Baptiſmum extra veram Eccleſiam collatum, eſſe nullum, & præcipuè ex illo Sap. cap. 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* Ex illis Eccle. cap. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum; quid prodeſt lavatio ejus?* Sed qui baptizatur ab Infideli, aut Hæretico, à mortuo baptizatur, quoniam Juſtus ex fide vivit, ideoque Baptiſma ab ipſo collatum, non eſt validum, nec bonum, ſed malum & nullum, imò & peccatum, quia quòd non eſt ex fide, peccatum eſt.

Primum D. Auguſtini reſponſio.

Reſpondeo cum D. Auguſtino lib. 2. contra Epiſtolas Petiliani cap. 26. Sapientis ſenſum eſſe, quòd qui fictè miniſtrat, aut res divinas ſuſcipit, non habet Spiritum Sanctum. Quia maximum apponit Sacramentorum validitati impedimentum; nos autem loquimur de Hæretico, qui vere & ſincere baptizat, intendens aſſecutionem eorum, ob quæ Chriſtus inſtituit Baptiſma, & Eccleſia adminiſtrat illud: nam licet Spiritus Sanctus fugiat Miniſtri fallaciam, quia lingua fallax non amat veritatem, Proverb. cap. 26. verſ. 28. Tamen ſi adhibeat neceſſaria ad confectionem Sacramenti, aderit Spiritus Sanctus accipienti, ſi credat; utrumque quidem præſtat ipſe Divinus Spiritus, nempè fugere miniſtrantem, & indulgere accipienti.

Altera ejuſdem Divi Auguſtini reſponſio.

Ad ſecundum reſpondeo cum eodem S. Doctore quod per illa verba, *qui baptizatur a &c.* Eccleſiaſticus intelligit Baptiſma Paganorum, qui homines, & à juſtitia, & ab illa vita mortuos colunt, & in eorum nomine baptizant, nos enim loquimur de Miniſtris, qui carent tantum vitâ ſpirituali, ſcilicet fide & charitate, quibus anima vivit in Deo, cum in ipſo Deo maneat ille, qui manet in charitate, ut monet D. Joannes. Unde idem S. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani, ait: *quapropter & ſi apud Chriſtianos ſint aliqui præpoſiti, vel Miniſtri, qui per impietatem, & ſuam iniquitatem mortui ſunt, vivit tamen ille de quo dictum eſt in Evangelio, hic eſt qui baptizat, quia ſicut dicit Apoſtolus. Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Et dum dicitur quòd juſtus ex fide vivit, hoc eſt intelligendum de vita ſpirituali animæ, ideoque baptizatus ab Infideli, aut Hæretico, non baptizatur à mortuo, de quo loquitur Eccleſiaſticus, nec peccatum eſt Baptiſma ab illo collatum. Nè credant tamen Hæretici ad hoc obſtare illud Apoſtoli, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: quia debet intelligi de eo quod fit contra conſcientiam, Baptiſma verò de quo loquimur non fit contrà conſcientiam; cùm ſupponamus ipſum factum fuiſſe ab Hæretico intendente facere quod Chriſtus inſtituit, quodque facit Eccleſia, itaque illud Baptiſma eſt validum: quamvis Miniſter ſit extra Eccleſiam. Hoc verum eſſe Galatis oſtendit Apoſtolus cap. 3. verſ. 27. dicens: *quicumque* *ad Galat. 3.* *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ibi enim comprehendit Baptiſma collatum in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis. Tale eſt etiam Baptiſma Hæreticorum.

altera hæreticorũ ratio.

Addunt etiam illud Num. cap. 19. verſ. 22. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet*. Et illud Joan. cap. 9. verſ. 31. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*. Hæreticus autem eſt immundus & peccator, immundus remanet igitur, qui ab illo baptizatur, hoc eſt, in peccato exiſtit, & ipſius Baptiſmus à Deo non acceptatur, quia non eſt verus Dei cultor.

Solvitur hæc ſecunda ratio.

Reſpondeo verba illa eſſe intelligenda de his quorum virtus & meritum pendent à virtute, & merito operantis, ut patet in orationibus, & alijs actibus laudandis, qui à Deo non acceptantur, dum eliciuntur a peccatoribus; nec ſunt de condigno meritorij vitæ æternæ, & gratiæ. Undè ſcriptum eſt quòd dona iniquorum non probat altiſſimus. Et communitèr docetur quòd opera ex ſe ipſis moralitèr bona, quæ faciunt Hæretici & Infideles, non ſunt meritoria apud Deum, at Baptiſma non obtinet virtutem à Miniſtro baptizante, ſed a Chriſto Domino Sacramenti Baptiſmi authore.

Deinde dico illa verba, quæ habentur apud D. Joan. cap. 9. non eſſe dicta à Domino, ut optimè obſervat Divus Auguſtinus lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 8. ſed ab illo, qui oculos corporis jam quidem reſtitutos habebat, ſed ei oculi cordis nondum patebant, ideoque non poſſunt infirmare virtutem Baptiſmi ab homine extra Eccleſiam exiſtente collati.

Ultima hæreticorum ratio.

Inſuper citant plures Canones Apoſtolorum quibus præcipi videtur, Hæreticos ad Eccleſiam accedentes, eſſe iterum baptizandos, nam (inquiunt) ſic ſanxerunt Apoſtoli can. 45. eorum qui Apoſtolis tribuuntur, his verbis: *Epiſcopum aut Presbyterum qui Baptiſma aut Sacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus. Quæ etenim conventio inter Chriſtum & Belial? aut quæ particula Fideli cum Infideli.* Idem ex Can. Concilij in Trulo, ubi legitur: *Venientem ad Eccleſiam ab Hæreſi baptizamus.* Idem, (inquiunt) ſancitum fuit in Concilio Carthaginenſi ſub Agripino; ergo ex varijs Concilijs conſtat, baptizatos ab Hæreticis, eſſe iterum baptizandos.

Reſponſio ad hanc rationem.

Reſpondeo, Apoſtolos in illo Canone locutos fuiſſe de Baptiſmo collato ab Hæreticis, qui non ſervabant ſolitam Eccleſiæ formam, nam veteres Hæretici non baptizabant in illa forma, quâ ſemper uſa eſt Eccleſia, ut refert S. Irenæus lib. 1 contra hæreſes cap. 18. Ideoque meritò reprobatus fuit ut irritus & nullus ab Apoſtolis; nos autem loquimur de Baptiſmo collato ab Hæreticis in debita forma & materia cum intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit, ſic enim eſt validus; etiam ſi Miniſter ſit reus coram Deo, & hominibus. Nam ut inquit Anaſtaſius relatus in can. 8. diſt. 19. Baptiſma ſive ab Adultero, vel à fure datum fuerit, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa, quæ ſonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excluſit, quâ declaratur & dicitur, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto, & igne; nam ſi viſibilis Solis iſtius radij cùm per loca fœtidiſſima tranſeant, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius qui iſtum viſibilem fecit, virtus nulla Miniſtri indignitate conſtringitur. *Anaſtaſius.*

Ad Canonem Trulanum dico quòd jam dixi ad Canonem Apoſtolorum, ut facilè colligi poteſt ex verbis ejuſdem Canonis, quæ cùm in actibus ejuſdem Concilij videri poſſint, ea omitto. Ad Concilium Carthaginenſe dico cum D. Auguſtino lib. 2. de Baptiſmo cap. 3. illud fuiſſe Concilium provinciale, quod poſtmodum per generale totius orbis *D. Auguſt.* Concilium proſcriptum fuit: *ipſa* (inquit) *Concilia quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere; ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine ullo typho ſuperbiæ, ſine ulla inflante cervice arrogantia, ſine ulla contentione lividæ invidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana.*

ARTICULUS XXVI.

Maximam differentiam ponit contrà Petilianum, inter Baptiſmum Chriſti, & Baptiſmum Joannis.

NOnnulli Hæretici nullam prorſus diſtinctionem poſuerunt inter baptiſmum Joannis, & baptiſmum Chriſti, ex eo quod in Sacra Scriptura fiat mentio duorum baptiſmatum, ut patet ex illo Matth. cap. 3. *Videns Joannes multos, venientes ad Baptiſmum ſuum.* Quo conſtat dari baptiſmum Joannis. Et ex illo Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Quo etiam conſtat dari baptiſma quod Hæretici indiſcriminatim tribuunt Joanni baptiſtæ, & Chriſto, licet ipſe Joannes evidenter maximam aſſignet differentiam inter hæc duo baptiſmata.

Petilianus.

Primus Hæreticorum, qui hæc duo Baptiſmata in unum confundere auſus fuit, eſt Petilianus Sectâ Donatiſta, qui teſte D. Auguſtino lib. 2. contra litteras ejuſdem Hæretici cap. 32. 34. & 37. licet tres gradus ejuſdem Baptiſmi diſtingueret, dicendo, Joannem baptizaſſe aquâ, Chriſtum Spiritu, Paracletum igne, hæc tria tamen Baptiſmata ad eumdem Baptiſmum ità referebat, ut vellet Joannem Baptiſtam, Chriſtum, & Spiritum Sanctum, uno eodemque Baptiſmo; baptizaſſe. Vixit autem tempore Honorij & Theodoſij Imperatorum, & Innocentij I. Papæ circà annum Domini CCCCXV. Sed hæc hæreſis diu ſepulta remanſit, ſcilicet uſque ad annum MDXXV *Lutherus* tunc enim eam ab inferis ſuſcitavit Martinus Lutherus omnibus notus, velut impijſſimus, ut ſæpè alibi diximus.

Eumdem errorem docuit ſub Imperio Caroli V. Imperatoris & Pontificatu Clementis VII. Zuinglius Canonicus Conſtantienſis. Hic enim Hæreticus lib. *Zuinglius.* de vera, & falſa religione docet, Baptiſmum Joannis, eſſe Baptiſmum Chriſti, eoſdemque contuliſſe *Calvinus* effectus omnibus illis, qui illum receperunt.

His adhæſit Joannes Calvinus Canonicus Noviodunenſis, qui lib. 4. inſtitut. cap. 15. num. 7. ait: *Certiſſimum ſit idem fuiſſe prorſus Joannis miniſterium quod Apoſtolis poſteà delegatum eſt, non enim diverſum Baptiſmum faciunt diverſa manus quibus adminiſtratur, ſed eumdem eſſe, eadem Doctrina oſtendit: in unam Doctrinam Joannes & Apoſtoli conſenſerunt, utrique in pœnitentiam, utrique in remiſſionem peccatorum, utrique in nomen Chriſti à quo pœnitentia & remiſſio peccatorum eſſet, baptizarunt.*

Idem priùs contrà verum Eccleſiæ ſenſum docuerat anno MDXXX. Philippus Melancthon, falſa atque impia Magiſtri ſui Lutheri Dogmata tuens, in *Melancthon* locis anni LVIII. ibi enim in titulo de Baptiſmo, loquens de duobus Baptiſmis, quorum meminit Sacra Scriptura, ait quòd differunt tantùm in hoc, quia Baptiſmus Joannis conferebat gratiam in virtute Chriſti venturi, alter verò in virtute Chriſti jam nati, & ambo remittebant peccatum Originale; licet ſub diverſo motivo.

§. I.

Statuit diſtinctionem inter hæc duo Baptiſmata.

COntrà hos Hæreticos veritatem expreſſè declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. de Baptiſmo can. 1. dicens: *Si quis dixerit Baptiſmum, Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti: Anathema ſit.* Nec poſſunt Hæretici hanc determinationem impugnare, quia fundatur in hoc quòd Joannes Baptiſta, *Tridentinū* Marc. 1. verſ. 8. diſtinguat ſuum Baptiſma à Baptiſmate Chriſti, dicens: *Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto,* quibus verbis ſuadetur utriuſque Baptiſmi differentia.

Eadem veritas prius declaravit Concilium Nicænum *Nicænum* in cujus actis lib. 2. circà finem legitur quòd Patres reſpondentes Philippo per Macharium Jeroſolymitanum, dixerunt; *Tunc ad Baptiſmum venit prædicante Joanne Zachariæ filio ad populum Baptiſmum pœnitentiæ, non autem Baptiſmum peccatorum, aut adoptionis Filiorum Dei largiente, non enim erat Joannis hoc dare, ſed ipſius duntaxat inhumanati verbi Dei.* Ex quibus facilè colligitur, maximum eſſe diſcrimen inter Baptiſmum Joannis, & Baptiſmum Chriſti, juxtà Sanctorum ejuſdem Concilij Patrum Doctrinam. His Conciliis ſuffragantur plures Juris Pontificij textus.

Idem probat Sacra Scriptura præſertim hæc verba Matth. cap. 21. verſ. 25. & 26. *Baptiſmus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? at illi cogitabant,* Sacerdotes ſcilicet, & ſeniores populi, *inter ſe, dicentes:* *Matth. 21.* *ſi dixerimus è cœlo, dicet nobis, quare non credidiſtis illi, ſi autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem ſicut Prophetam.* Hæc enim evidenter ſuadent Baptiſmum Joannis non fuiſſe cognitum ut ſignum divinitùs inſtitutum ad conferendam gratiam, ſed fuiſſe cognitum, ut ſignum ex hominibus inſtitutum, Chriſti verò Baptiſma, nullibi dicitur Baptiſma hominis. Legimus enim Apoſtolum aliquando dixiſſe, Evangelium meum, Baptiſmus autem meus, nemo eorum dixit. Solus ille Baptiſmus, quem dedit Joannes, dictus eſt Baptiſmus Joannis, ut inquit D. Auguſtinus lib. 3. contrà litteras Petiliani cap. 56. Ideoque iſtius Baptiſma erat longè diverſum à Baptiſmate Chriſti.

Nec obſtat dicere, Joannem fuiſſe à Deo inſpiratum pro hoc ſigno inſtituendo. Quia licet ſit verum quòd Deus in genere inſpiraverit Joanni, Baptiſmum, tamen in particulari talem cæremoniam prædicandi pœnitentiam, & baptizandi homines, inſti- *Tertullian.* tuit ipſe Joannes, ut monet Tertullianus lib. de Baptiſmo exponens quæſtionem propoſitam à Chriſto ſuper Matth. cap. 21. verſ. 25. & 26. Unde idem Matth. 3. verſ. 7. habetur: *Videns autem multos Phariſæorum & Saducæorum, venientes ad Baptiſmum ſuum &c.* ſic enim loquitur Joannes, ut cognoſcamus quòd ipſe inſtituerat Baptiſma quod conferebat, unde ex ipſius teſtimonio conſtat quòd Baptiſmus, quem Chriſtus reliquit Eccleſiæ ſuæ, non eſt ille, quem conferebat Joannes.

Maxima inter Baptiſmata Chriſti & Joannis differentia.

Hanc ipſam differentiam inter hæc Baptiſmata oſtendunt hæc verba Joannis, Matth. 3. verſ. 11. dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* baptizare autem in aqua tantùm eſt minus perfectum, atque minus dignum, & longe diverſum à baptiſmo collato in Spiritu Sancto, & igni, & ideo Joannes non baptizabat eodem baptiſmate, quo Chriſtus erat baptizaturus, & quò nunc Eccleſia Romana baptizat.

Aliud habemus ejuſdem veritatis teſtimonium ex illo Joan. 3. verſ. 26. *Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt* *Joan. 3.* *ad eum.* Per hæc verba conſtat quòd Diſcipuli Divi Joannis conquerebantur quod Chriſtus baptizaret. Quòd ſanè non feciſſent, ſi baptiſmus Chriſti fuiſſet idem cum baptiſmo Joannis, quia conqueſtus ille in diverſo baptizandi modo fundatus erat, vel facilè fuiſſet Joanni eorum quærimoniæ ſatisfacere, di-

cendo, Chriſti Baptiſmum eumdem eſſe eum ſuo, quoad efficaciam ac virtutem, & ideo potius eſſe eis gloriandùm, quàm conquerendum; cùm hoc viſo, & audito, ipſi Diſcipuli credere, aut præſumere potuiſſent, quòd Chriſtus ut verus Diſcipulus illum baptizandi modum didiciſſet à Joanne, ſed Joannes Baptiſta Diſcipulis illis conquerentibus, quòd Chriſtus baptizaret, non ſic reſpondit, imo potiùs maximam inſinuavit differentiam inter ſuum & Chriſti Baptiſma, ut conſtat ex ipſius reſponſione, quæ habetur in verſ. 29. quâ oſtendit ſe eſſe minorem Chriſto, & ideo oſtendit pariter ſuum Baptiſma eſſe imperſectum reſpectu Baptiſmatis Chriſti. Unde idem Joannes reſpondens Diſcipulis ſuis dicentibus ei: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus*, dixit, *ego baptizo in aqua*, & paulò poſt de Chriſto: *ille autem baptizat in Spiritu Sancto*: At baptizare in aqua tantùm, & baptizare in aqua & in Spiritu Sancto, ſunt vere diverſa: ergo ex teſtimonio ipſiuſmet Joannis conſtat eſſe maximam differentiam inter utrumque Baptiſma, nimirum quia Baptiſmus Chriſti eſt verè & propriè Sacramentum, Baptiſmus verò Joannis erat tantum quædam cæremonia, quâ ipſe Præcurſor Chriſti Joannes per prædicationem Pœnitentiæ intendebat præparare homines ad receptionem Meſſiæ venturi, & per ſuum Baptiſma, illos ad Chriſti Baptiſmum recipiendum excitare, ut notat

D. Cyrillus
D. Cyprian.

Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Joan. cap. 26. vocans hoc Baptiſma præparativum. Et D. Cyprianus de Baptiſmo Chriſti, ait: *viam Domino præparabat Joannes lavando exteriùs corpora, ut exterius præcederet lavacrum ſecuturum Baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio.*

Deinde baptizati Baptiſmô Joannis, fuerunt iterum ab Apoſtolis baptizati Baptiſmate Chriſti, ut patet,

Act. 59.

Act. 19. verſ. 4. ubi legitur quòd Paulus dixit: *Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum Chriſtum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini*

Apoſtoli plures baptizarunt quos baptizaverat Joannes.

Jeſu. Hi ſcilicet, qui Joanni dicenti: *in quo ergo baptizati eſtis.* Reſponderunt, *in Joannis Baptiſmate.* Idem factum, conſtat etiam ex cap. 2. in quo legimus tria millia hominum fuiſſe baptizatos ab Apoſtolis in nomine Jeſu Chriſti, inter quos homines, probabile eſt, plures jam tinctos eſſe Baptiſmô Joannis, ut facilè colligi poteſt ex illo Matth. 3. verſ. 5. & 6. *Tunc exibat ad eum*, id eſt, ad Joannem, *Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circà Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua.* Quia ferè impoſſibile eſt inter tot homines diverſarum regionum, in quibus Joannes prædicaverat Baptiſmum Pœnitentiæ, non fuiſſe aliquem in illa civitate, & in illa regione, qui poſteà non fuerit baptizatus ab Apoſtolis, ibi paulò poſt baptizantibus baptiſmate Chriſti, cùm ut ait, D. Thomas, quæſt. 38. articul. 2. ad 3. baptiſmus Joannis non fuerit commendatus aliquo præcepto, ſed familiari quadam revelatione Spiritus Sancti: baptiſmus verò Chriſti, tunc eſſet ſub præcepto juxtà illud Joannis: *niſi quis renatus fuerit &c.*

D. Hieron.

Unde D. Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum, & Dialog. adverſus Luciferianos ait: *Joannis Baptiſma in tantum imperfectum fuit, ut conſtet poſteà Chriſti Baptiſmate baptizatos, qui ab eo fuerunt baptizati.* Et D. Auguſtinus tract. 4. in Joannem circà medium, ait; *qui*

D. Auguſt.

accipiunt Baptiſma Chriſti, Baptiſma Joannis non quærunt. Qui acceperunt Baptiſmum Joannis, Baptiſmum Chriſti quæſierunt. Hujus differentiæ ratio eſt. Quia baptiſmus Joannis non erat abſolutè neceſſarius ad ſalutem, nec ad illam ſufficiebat, ut patet ex illo Joannis 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum*; cùm baptiſmus Joannis eſſet tantum in aqua, ut ipſemet teſtatus eſt Matth. 3.

Tertullian.

Nec valet objicere, Tertullianum cap. 1. de baptiſmo dixiſſe nullam eſſe diſtinctionem inter tinctos à Joanne in Jordane, & tinctos in Tiberi à Petro. Quia Doctor ille de utraque ablutione loquebatur in ſenſu materiali; non verò in formali, nec quantum ad effectus & ſignificationem utriuſque baptiſmatis, ſed ſolum quantum ad naturalem qualitatem aquæ. Nam in cap. 10. ait: *Adeò poſteà in actis Apoſtolorum invenimus, quoniam qui Joannis Baptiſmum habebant, non accepiſſent Spiritum Sanctum, quem nè auditu quidem noverant: ergo non erat cœleſte, quod cœleſtia non exhibebat.* Quibus conſtat, hunc Doctorem loco citato, non loqui de ſignificatione baptiſmi, ſed de natura aquæ.

His ſuffragatur ratio. Effectus baptiſmi Chriſti, ſunt diverſi à forma, & effectibus baptiſmi Joannis. baptiſmus Chriſti confertur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Joannes verò conferebat ſuum baptiſma in nomine Chriſti venturi. Primum delet peccatum Originale, & omne peccatum quod eſt in baptizando. Secundum verò remiſſionem peccatorum dabat in ſpe, ſcilicet quatenus homines ad Pœnitentiam excitabat, quâ remiſſionem peccatorum conſequerentur, ut colligi poteſt ex illo Luc. 3. *venit in regionem Jordanis, prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ.* Quæ ver-

Luc. 3.

ba exponens D. Petrus Chryſologus, ait: *venit ad Jordanem quia Judaicas ſordes non poterat Hydria jam lavare, ſed flumen, erat penes Joannes venia, ſed non ſine Pœnitentia, erat remiſſio, ſed luctibus comparata, erat cura vulneris cum dolore, erat Baptiſma, quod culpam tolleret, conſcientiam non deleret; & quid plura? per Baptiſma Joannis purificabatur homo ad Pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.* Igitur baptiſma Joannis non erat ſufficiens ad gloriam comparandam, cùm ad illam nemo poſſit accedere ſine gratia ſanctificante, acproindè illud baptiſma Joannis erat longè diverſum à baptiſmate Chriſti: illud erat tantum in aqua, iſtud verò, eſt in aqua, & in Spiritu Sancto.

D. Chryſologus.

§. II.

Referuntur, & refutantur Rationes Hæreticorum.

HÆretici, & præſertim Zuinglius loco citato cap. de baptiſmo. Objiciunt quòd D. Andræas Apoſtolus Chriſti, fuit Diſcipulus Joannis, acproindè ab ipſo baptizatus, tamen nullibi legimus, ipſum poſteà Diſcipulum factum Chriſti Domini, fuiſſe ab ipſo Chriſto poſteà baptizatum, & ideo (inquiunt) baptiſma Joannis non habebat virtutem remittendi peccata, & conferendi gratiam ſicut baptiſma Chriſti; alioquin D. Andreas non introiſſet in regnum Dei; cùm illi tantùm, qui verum baptiſma ſuſceperunt, ſint Hæredes regni cœleſtis.

Reſpondeo, nullum Hæreticum poſſe ex Scriptura Sacra colligere S. Andream fuiſſe baptizatum baptiſmo Joannis, & non fuiſſe baptizatum baptiſmo Chriſti: nam ſi Zuinglius, & alij Hæretici velint hoc colligere, qui fuit Diſcipulus Joannis. Ex eadem ratione debent utique colligere, eum fuiſſe baptiſmo Chriſti baptizatum, quia fuit Chriſti Diſcipulus, ut patet ex Matth. 4. verſ. 18. & ſequentibus.

Solvitur prima Hæreticorum ratio.

Addunt quòd Diſcipuli Joannis ad eum referentes quòd Chriſtus baptizabat, non dixerunt quòd baptizabat baptiſmo diverſo; quòd certò dixiſſent, ſi diverſum in Chriſto baptizandi modum advertiſſent, quia baptiſmum Joannis plurimùm extollebant, & publicabant tanquam medium neceſſarium omnibus ad ſalutem: ergò (inquiunt) baptiſmus Chriſti non eſt diverſus à Baptiſmo Joannis.

At hæc ratio nulla eſt, imò potiùs in Hæreticos quàm in nos militat. Ex illa admiratione Diſcipulorum Joannis, faciliùs atque certius infertur, Chriſtum

alio Baptiſmo uſum fuiſſe ; nam ſi Chriſtus baptizaſſet eodem Baptiſmate, quo baptizabat Joannes, non ei annuntiaſſent hoc Baptiſma, velut quid novum. Sed admirati ſunt, & ideo conſpiciebant eum baptizantem diverſo à Joanne Baptiſmô, ſeu in aqua & in Spiritu Sancto. Nec valet dicere, Chriſtum baptizaſſe eodem Baptiſmo, quo ipſe à Joanne *D. Ambroſ.* baptizari voluit. Quia, ut monet D. Ambroſius lib. 2. in Luc. cap. ult. Dominus baptizatus eſt, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, qui peccatum non cognovit, Baptiſmatis vim haberent.

Dicunt inſuper, Baptiſmum Joannis habuiſſe omnia, quæ habet Baptiſmus, quo nunc nos baptizamus, qui eſt Baptiſmus Chriſti: erat enim aquæ ablutio, abluebatque exteriùs, & ſignificabat remiſſionem peccatorum, ut patet ex varijs Sacræ Scripturæ locis. Et Baptiſma noſtrum nihil aliud eſt, quàm ablutio aquæ exterior, & nihil aliud ſignificat, niſi remiſſionem peccatorum per gratiæ ſanctificantis infuſionem, ut declarat in Symbolo Sacra Nicæna Synodus.

Solvitur ultima hæreticorum ratio Sed non nocet hæc ratio. Fateor Baptiſmum Joannis fuiſſe ablutionem aquæ, & ſignificaſſe remiſſionem peccatorum; nullus tamen Hæreticus diffiteri poteſt, Baptiſmum Chriſti non ſignificare hanc remiſſionem peccatorum, modo diverſo: nam Baptiſmus Joannis ſignificabat eam ex opere operantis per efficaciam, ac meritum Pœnitentiæ, ſcilicet quia remittebat peccata tantum virtute Pœnitentiæ per illam aquæ ablutionem, & præviam prædicationem excitatæ. Hinc eſt quòd Baptiſmus Joannis non dicitur ſimpliciter Baptiſmus in remiſſionem peccatorum, ſed Baptiſmus Pœnitentiæ, Baptiſmus autem Chriſti ſignificat illam peccatorum remiſſionem ex opere operato; & dicitur ſimpliciter, & abſoluté *Act. 2.* Baptiſma in remiſſionem peccatorum, nedùm à Patribus Conciliorum Nicæni, & Conſtantinopolitani, ſed etiam à D. Petro, Act. 2. verſ. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine JeſuChriſti; in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti;* per quèm diffunditur charitas in cordibus noſtris.

Nec valet dicere quòd Petrus ait: *Pœnitentiam agite*, ac proindè quòd Baptiſmus Chriſti eſt etiam Baptiſmus Pœnitentiæ, ſicut Baptiſmus Joannis. Non *Baptiſmus Chriſti non eſt pœnitentia.* valet inquam, quia ibi remiſſio peccatorum non conjungitur cum Pœnitentia, ſicut in Baptiſmo Joannis, ita ut liceat dicere quòd Baptiſmus Chriſti ſit Baptiſmus Pœnitentiæ, ſicut Baptiſmus Joannis: ſed conjungitur cum Baptiſmo, a quo fit remiſſio peccatorum, ut aliquid præcedens conjunctum ſequenti, tanquam diſpoſitio præcedens formam: ait enim: *Pœnitentiam agite, & baptizetur &c.* Ex quo ſequitur quòd Pœnitentia non eſt Baptiſmus, nec è converſo, ſed ſolùm diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti. Ratio hujus diſpoſitionis eſt. Quia loquebatur Adultis corde compunctis, qui dixerant ad Petrum, & ad alios Apoſtolos. *Quid faciemus, viri Fratres?* Quibus ipſe Petrus reſpondens ait: *Pœnitentiam agite*; ut de peccatis dolorem efformarent ad Baptiſmum dignè ſuſcipiendum, qui quidem dolor veré neceſſarius eſt Adultis, qui baptizari volunt, ut ſancit Tridentinum cap. 1. ſeſſ. 14.

ARTICULUS XXVII.

Docet contrà Fulgentium omnia Peccata deleri in Baptiſmo.

QUidam vir Hæreticus, nomine Fulgentius factione Donatiſta, ſed à Patrono ſuo diverſus, quia Donatiſta, & Manichæus fuit, etenim cum Ma- *Fulgentius* nichæis duo ſtatuebat principia, una hæreſi minimè contentus, quia præter hunc errorem plures Deos admittentem, alium docuit circa Baptiſma. Dixit enim anno CCCC. tempore Arcadij Imperatoris, & Syricij Papæ, quòd Baptiſma nihil confert Reis, & peccatoribus, exiſtimans, Sacramentum Baptiſmi non habere ex ſe virtutem remittendi peccata, ſed ſolùm augendi gratiam Juſtis, & Prædeſtinatis, reſte D. Auguſtino, libro, quem adverſus eum ſcripſit. Hujus Fulgentij Doctrina ità fuit omnibus abominabilis, ut nullus poſt eum, tunc eam docere auſus fuerit, ut notant plures Hiſtorici veteres. Nihilominus quia ſuperbia eorum, qui oderunt Deum, aſcendit ſemper, in ultimis ſæculis exorti ſunt alij non minus impij, qui articulum noſtrum impugnarunt relinquentes Baptiſmo virtutem conferendi primam gratiam; denegantes tamen ipſi virtutem delendi verè peccata. Nam Lutherus docuit, nos in Baptiſmo non purgari verè a peccatis. quia inquit, *Lutherus.* nonobſtante Baptiſmo, peccata remanent in nobis; licet non imputentur nobis.

Anno autem MDXXX. tempore Caroli V. Imperatoris, & Clementis VII. Papæ inſurrexit Martinus Bucerus, qui docuit contra Lutherum. Originale *Bucerus.* peccatum verè dimitti per Baptiſmum, ſed negavit per illum omne peccatum actuale deleri, quia inquit, Baptiſmo ſuſcepto, manet adhuc carnis concupiſcentia, ſeu rebellio, quam vult eſſe peccatum; licet velit quòd à Deo non imputetur. Eumdem er- *Brentius.* rorem ſuſtinuit ſub eodem Imperatore, & Paulo III. Papa, circà annum Domini MDXL. quidam vir Hæreticus nomine Brentius Sectâ Semiluteranus.

§. I.

In quo oſtenditur validitas Baptiſmi.

HÆc Fulgentij & aliorum Hæreticorum hæreſis damnata manet in Concilio Nicæno I. ſub S. Sylveſtro celebrato, in cujus Symbolo dicitur: *Con- Concilium fiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* In Car- *Nicænum* thaginenſi IV. celebrato anno CCCCXVIII. præſide Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi, & univerſæ Africæ Primate cap. 1. ubi inter Fidei Documenta, & Dogmata, quæ profiteri debet Epiſcopus conſecran- *Carthaginenſ. IV.* dus, ſic habetur: *Quærendum eſt ab eo, ſi in Baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud Originale contractum, quàm illa, quæ voluntarie commiſſa ſunt, dimittantur.* *Florentin.* Quibus verbis conſtat, quòd inter Fidei Dogmata, unum eſt quod ſancit, Baptiſmum delere omnia pec- *Tridentinum.* cata. Idem docuit Florentinum in Decreto Unionis. Tandem & Tridentinum ſeſſ. 5. in Decreto de peccato Originali circà finem ubi legitur: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum illud, quod veram & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; Anathema ſit.*

Idem demonſtrat Sacra Scriptura. Ezech. 36. ubi *Ezech. 36* legitur Deum dixiſſe: *Effundam ſuper vos aquam mun-*

dam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris. Quippècum hæc verba figurent baptiſmum noſtrum, & non valeamus propriè mundari, ſi inquinamenta in nobis remaneanr, licer tegantur, ut volunt Hæretici, neceſſariò ex bis verbis Prophetæ inferendum eſt, baptiſma Chriſtl, remittere propriè & realiter omnia peccata, qoæ reperiuotur in homine, qui debitè ſuſcipit illud, ur evidentèr demonſtrar hæc particula, *ab omnibus iniquitatibus*, qoia, qui omnia admittit, nullum excludit.

Ad Tit. 3.

Undè Apoſtolus ad Titum 3. oſtendens noſtræ ſalutis fonrem; ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et ad Coloſſ. 2. verſ. 13. qnæ quidem vivlficatio fit per baptiſmum, ut inſinuat Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. ubi aſſignans differentiam Sacramenti Pœniteutiæ, & baptiſmi, ait: *Alius præterea eſt Baptiſmi, & alius Pœnitentia fructus, per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes.* Quâ novâ creaturâ intelligitur anima munda, & Sancta juxtà illud Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus*: igitur peccata io baptiſino debent abſolutè deſtrui, quia iſta ſalus, iſta generario, vivificatio, & vita, quâ ex D. Petro ſumus quaſi modo geniti Infantes, aut nova creatura, requirunt veram mortem peccatorum, & ſinceram mutationem interiorem, non verò ſolam non imputationem, quia illi in quibus mors eſt, nuu dicuntur verè, & propriè vivificati, nec geniti, neque nova creatura. Hæc enim regeneratio in ſpirltualibus, fit per grariam in baptiſmo collatam, quæ cum peccato minimè ſtare poteſt. Et Chriſtum in nobis habitare facit, imo & omoes divinas perſonas, teſte ipſomet Chriſto. Joan. 14. verſ. 23. dicente: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Hæc quippè verba de homine Juſto dicta ſunt à Chriſto Domino, qui cùm nequeat à Patre ſeparari, nec in anima impij habitare, in ſola anima Juſti ſedet ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto.

Tridentinū.

Pſal. 50.

Ioan. 14.

Aliam rationem addit ad Epheſ. 5. dicens, quòd Cbriſtus dilexir Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glurioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid bujuſmodi, ſed ut eſſet Sancta & Immaculata, impoſſibile eſt enim, Eccleſiam eſſe Immaculatam, & Sanctam per lavacrum aquæ baptiſmalis, ſi ejus membra, aut Filij, in ranta dignitare per baptiſmum conſtituti, per ipſum baptiſma, non fierent verè grati Deo, & Sancti; cùm per Eccleſiam Ibi Apoſtolus intelligat Fideles, ut facilè colligitur ex definitione Eccleſiæ ab omnibus tradita.

Prima hominum ſanctificatio fit per Baptiſmum.

D. Petrus cap. 2. verſ. 9. & ſequentibus. Epiſt. 1. regeneratos ad Chriſtum, ſic alloquitur: *Vos autem genus electum, gens Sancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* Ratio hujus admonitionis fuit. Quia Judæis de novo ad fidem converſis remiſſa fuerant omuia peccata per baptiſmum, quem ſuſceperant, quoque couſtituri fuerant Sancti, & ab omni peccato mundi. Quare Tertullianus virtutem hujus Sacramenti conſiderans in lib. de baptiſino cap. 1. ait: *Fœlix aqua Sacramentum quò ablutis delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* Et cap. 5. iſtud Sacramentum aſſimilat Piſcinæ Bethſaidæ, in qua ſanabantur omnes infirmitates. Joao. 5. verſ. 4.

D. Petrus. cap. 2.

Tertullian.

Eamdem admonitionem de remiſſione peccatorum in baptiſmo obtinenda, Tholoſanis tribuit Martialis, primus Lemovicenſium Epiſcopus

Martialis ad Toloſan.

ſtola ad eoſdem, ubi ait: *Vos enim eſtis membra Chriſti, & corpus immaculatum, nec aliqua in re coinquinatum, neque ſordibus obvolutum. Jam enim ſanctificati & mundati eſtis aquâ regenerationis.* Ille enim Sanctus Doctor docet Tholoſanos, baptiſmum rollere omne peccatum; cùm ſanctificatio perfectè omnem maculam excludar, & ipſa ſanctificatio perfectè fiat in baptiſmo, in cujus aqua anima lavatur, atque regeneratur Deo, ut colligitur ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Quo pater, nullum poſſe perfrui glorlâ æternâ; quin ſit baptizatus; unde cùm nihil inquinatum poſſit intrare in regnum cœlorum, & nemo poſſit intrare in cœlum, quin ſit baptizatus, manifeſtum eſt quòd baptiſmus verè remittit omnia peccata, quæ ad regni cœleſtis ingreſſum impediunt. Hinc eſt quòd Venerabilis Beda exponens illud Luc. 3. verſ. 21. *Jeſu baptizato apertum eſt cœlum*, ait: *virtus hîc Baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur, cæleſtis regni ei janua aperitur.*

Beda.

Idem Apoſtolus confirmat ex Sacramento baptiſmi otiri Sanctitatem, & peccatorum remiſſionem. Nam 1. ad Corinth. cap. 6. referens eos, qui è cœlo excluduntur, & removentur, numerat Fornicarios, Idolis ſervientes, Adulteros, Molles, Maſculorum concubitores, Fures, Avaros, Æbrioſos, Maledicos & Rapaces, aſſerens quòd hi omnes regnum Dei non poſſidebunt. Promittit tamén illud Corinthis ipſis; licet olim fuerint peccatores, ipſiſque declarat quòd fuerunt mundati per baptiſmum, quem ſuſceperant, ſtatim enim ſubjunxit, *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*, Per quæ verba oſtendit baptiſmi efficaciam, necnon interiorem baptizati mutationem, aut regenerationem. Et docet quòd ipſe Baptiſmus delevit hæc omnia, ſcilicet peccata, tam Originalia, quàm Venialia, & Actualia; quæ præcedunt Baptiſmum, qui cùm fuerit inſtitutus in remiſſionem peccatorum, ut in Concilio Nicæno confeſſi ſunt Sancti Patres, nullum poteſt eſſe peccatum in baptizando, quod non deleat ipſe Baptiſmus.

1. Corint. 6.

Quare Divus Hieronymus lib. adverſùs Ruffinum cap. 7. Et Epiſt. 83. ad Oceanum cap. 2. ait: *Omnia ſcorta, & publica colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium eſt inceſtus in parentes; atque in extraordinarias voluptates, utriuſque ſexus mutata natura, Chriſti fonte purgantur.* Et poſteà exponens verba Apoſtoli jam relata ſubjungit: *Omnia in Baptiſmate condonata ſunt crimina, non poſt indulgentiam Judicis eſt metuenda ſeveritas, dicente Apoſtolo, & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis &c.* D. Chryſoſtomus homil. 34. in Joan. *Aqua Baptiſmi tanquam in ſepulchro caput immergentibus, vetus homo ſepelitur, emergentibus inde novus reſurgit.* D. Ambroſios in Paulum ad Rom. cap. 11. *Gratia Dei in Baptiſmo gratis omnia condonat, & non quærit gemitus, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem.* Et Caſiadorus in Pſal. 5. ad illa verba. *Amplius lava me Domine*, inquit. *Iſtud lavacrum quod ſic abluit maculas peccatorum, ut ſupra nivem poſſit dealbare quod ſordidum eſt, ſalutiferi Baptiſmatis cognoſcitur indicare puritatem, ubi ſic omnia, & originalia delicta, & propria admiſſa mundantur, ut illi nos reſtituat puritati, in qua primus Adam noſcitur eſſe procreatus.*

D. Hieron.

D. Chryſoſt.

D. Ambroſ.

Caſiadorus.

§. II.

In quo impugnatur Ratio Hæretica

FUlgentij ratio ſupra adducta, ſcilicet Baptiſma habere virtutem delendi peccata, ſed ſolùm conferendi gratiam, nullius eſt momenti, quia

Baptiſmus eſt janua Sacramentorum.

aaptiſma eſt primum Sacramentum, Sacramentorum ianua, ideo fuit inſtitutum, non pro juſtis, ut in ipſis augeatur gratia; cùm nullus poſſit eſſe juſtus; quin ſit baptizatus; ſed pro peccatoribus, qui mortui dicuntur, ut in ipſo reviviſcant, & regenerentur. Undè Sanctus Maximus homil. de Juda Proditore, ait: *Baptiſmus Chriſti nobis eſt ſepultura, in qua peccatis morimur,* *S. Maximus* *criminibus ſepelimur, & veteris hominis conſcientiâ reſolutâ in alteram nativitatem, reſcidiva infantia, reparamur.*

Confertur inſuper ipſum aaptiſma ad delendum peccatum Originale, ot dictum manet contra Pelagianos, peccatum autem illud eſt verè mortale, & occidit animam, quamvis non ſit perſonale, aut actuale; cùm privet animam jure ad cœleſtem hæreditatem, ut patet in parvulis ſine baptiſmo decedentibus, qui patiuntur pœnam Damni: igitur baptiſmus verè remittit peccatum Originale, & Mortale, quod *Tertullian.* eſt in baptizato. Et per gratiam, quam confert, non auget Sanctitatem, ſicut Confirmatio, Euchariſtia, Ordo, & Matrimonium, ſed dat vitam & Sanctitatem, cum ex ipſo renaſcamur, & ſine ipſo vitam conſequi non valeamus æternam, ut declarat Chriſtus Joan. 3. Unde Tertullianus lib. de baptiſmo cap. 12. inquit: *Præſcribitur nemini ſine Baptiſmo competere ſalutem ex illa maximè pronuntiatione Domini, qui ait, niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam æternam.*

Concupiſcentia non eſt formaliter peccatũ Quantum ad alios Hæreticos, ſcilicet Lutheranos Bucceranos, & Brentianos exiſtimantes, poſt baptiſmum remanere peccatum, ſcilicet concupiſcentiam, (quam putant eſſe verè peccatum actuale,) dico, quòd concupiſcentia illa, quæ de facto remanet poſt baptiſmum, ut declarat Tridentina Synodus, non eſt peccatum propriè & formalitér avertens à Deo, & convertens actu ad creaturas. Nam Sancti Patres hujus Concilij ſeſſ. 5. in Decreto de peccato Originali circa finem, inquiunt, *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit: Anathema ſit.* Hujus Canonis ratio eſt. Quia Paulus vocat concupiſcentiam peccatum per Methonimiam; quia ſcilicet eſt cauſa peccati, nos enim allicit ad peccandum, ot probatum manet in proprio loco contra Lutheranos.

ARTICULUS XXVIII.

Reijcit Michaëlem Servetum, nullam intentionem exigentem in Miniſtro Baptiſmi.

HÆretici, qui volunt, Sacramenta fuiſſe inſtituta tantùm ad excitandam Fidem in mente aſtantium, vel recipientium; non autem ad remittenda verè, & propriè peccata contracta, vel commiſſa, volunt utique ad baptiſmi validitatem ſufficere quòd Miniſter apponat res, & verba, ſcilicet Materiam & formam à Chriſto Domino præſcriptas; quin ex parte ipſius neceſſe ſit habere intentionem aliquam conficiendi, vel miniſtrandi Sacramentum, imò nec intentionem exteriùs apponendi res ad Sacramentum conficiendum neceſſarias, quàm aliqui Theologi (quos non laudo) credunt ſufficientem. Illi verò Hæretici, qui nullam intentionem in Miniſtro voluerunt; ſunt Lutherus lib. de captivit. babylon. cap. de baptiſmo, ubi ait: *Non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, & ſi impius Miniſter non det in nomine Domini, verè baptizatum eſſe in nomine Domini, non enim tam in conferentis, quàm in ſuſcipientis fide eſt virtus Baptiſmi, ſicut legitur exemplum de quodam Mimo per jocum baptizato.* *Lutherus.*

Joannes Calvinus in Antidoto Concilij Tridentini ſeſſ. 7. can. 11. inquit: *Quod de intentione conſecrandi garriunt Sophiſtæ, nulla probabili ratione fuit proditum, nam ſi intentio Miniſtri eſſet neceſſaria: Nemo eſt noſtrum, qui certum ſui Baptiſmi ſe facere auſit &c.* Thilmanus Heshuſius, quem (teſte Lindano) Calvinus infamat dicens ipſum Servetianum, ſeu Michaëlis Serveti Hiſpani hujus erroris acerrimi propugnatoris Diſcipulum. Et Kemnitius qui part. 2. examinis hunc errorem manifeſtè docent, voluntque Chriſtum Diſcipulis ſuis reliquiſſe dumtaxat virtutem applicandi Sacramenta, non autem poteſtatem adminiſtrandi, & conficiendi ea. Quia ſunt Res divinæ, ad quas nihil poteſt homo mortalis. *Calvinus. Heshuſius. Servetus. Kemnitius.*

§. I.

De neceſſitate intentionis pro validitate Baptiſmi.

COncilium Florentinum in Decreto Eugenij adverſus hunc errorem pronunciat, exigit enim *Hujus hæreſis proſcriptio.* in Miniſtro intentionem faciendi rem Sacram, ut Sacramenta validè adminiſtrentur; ac proindè damnat Lutheranorum, & aliorum Hæreticorum hæreſim. Hujus Concilij verba ſunt hæc: *Omnia Legis Evangelicæ Sacramenta tribus perficiuntur rebus, ut materiâ, verbis, & formâ; & perſonâ Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Idem poſteà contrà Lutherum expreſſè definitum fuit in Tridentino ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; Anathema ſit,* & ſeſſ. 14. de Pœnitentiæ Sacramento can. 9.

Ratio ex inſtitutione Sacramentorum deſumpta, evidentèr probat hujus intentionis neceſſitatem. Nam res & verba, quibus Sacramenta conſtant, V. G. in baptiſmo, aqua, & hæc nomina. *Ego te baptizo &c.* ſunt ex ſe indifferentia ad multa. Et ſi ſecundum ſenſum naturalem uſurpentur, non poſſunt ſignificare ſpiritualem regenerationem, nec infuſionem gratiæ, poſſunt enim proferri propter officia multa, multoſque fines, videlicet ad munditiam corporalem, ad ſanitatem corporis, ad ludum; & ſimilia. Undè ut *Per Intentionem Miniſtri res & verba determinantur.* ſint ea, quibus conſtat Sacramentum, & ea, quæ Chriſtus deſtinavit ad ſignificandam rem Sacram, & ad conferendam gratiam, debent per aliquid ad hoc determinari, atqui ipſa verborum forma Sacramentalis non poteſt determinari; niſi per intentionem Miniſtri; quia hæc verba: *Ego te baptizo*, niſi determinentur ea intentione, quâ Miniſter vult facere quod facit Eccleſia, hoc eſt, niſi Miniſter dicendo, *Ego te baptizo;* velit baptizare baptiſmô Chriſti, aut conferre baptiſmum, quem confert Eccleſia, certum eſt quòd non magis ordinaret ablutionem aquæ ad ſanctificationem, ac ſi eadem verba proferret circà aliquod brutum, aut ſuper lignum, quia hæc verba, *Ego te baptizo;* non eſſent tunc Sacramenti forma; baptizantis autem intentio materiam determinat; & ex ipſa materia, & ex verbis, quæ ad eam accedunt tamquam ad Elementum, ex Divo Auguſtino, fit

Fff

Sacramentum. Omnis enim áctio ut ſit Sacramentalis, debet eſſe actus hamanus, ſeu judiciô deliberatus, quia Chriſtus Dominus Sacramenta commiſit Miniſtris velut Diſpenſatotibus bonorum Eccleſiæ, quæ quidem diſpenſatio nequit abſque judicio & voluntate fieri; alioquin ejus Miniſter non eſſet Diſpenſator, ſed Diſſipator. Actus autem humanus & judiciô deliberatus, neceſſariò requirit intentionem in Miniſtro, ut dirigatur in proprium effectum intentum à Domino cujus vices gerit, quia quæ fiunt abſque intentione, caſualia ſunt, & fortuita, & per conſequens non cenſentur facta cum deliberatione, & humano modo, ſed diverſo ab eo, quem voluit Chriſtus, qui cùm delegaverit Miniſtros ad conficienda, & conferenda Sacramenta, quilibet Miniſter debet agere eo genere, quo ſibi mandatum eſt, ſubindeque debet intendere id exequi, quod eſt ſibi delegatum, & præceptum; at Actio præcepta deber fieri cum intentione, quia ſuper
Tim. 4.
fortuita non cadit obligatio; ideoque nullus poteſt validè baptizare, niſi habeat intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia, cujus in hac parte ſit Miniſter. Et velit peragere id, quod illi commiſſum fuit, non ſolùm quantum ad rem, ſed etiam quantum ad finem, qui per Doctrinam illius, à quo commiſſus fuit, illi manifeſtatur. Quare Apoſtolus ſcribens ad Timoth. cap. 4. verſ. 16. ait: *Attende tibi, & Doctrinæ; inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.*

Hæc ratio præcedens roborari poteſt ex verbis, quibus pro conficiendo Sacramento utitur Miniſter, nam dum dicit: *Ego te baptizo*, non loquitur, aut operatur nomine proprio, ſed nomine, & virtute Domini Jeſu Chriſti: igitur neceſſe eſt quòd intendat talia verba proferre, ſeu baptizare juxta intentionem Chriſti. Hoc eſt, cum intentione operandi actum Religionis, & applicandi inſtrumentum divinitus inſtitutum ad producendam gratiam; alioquin ſequeretur, ut nutat Hugo à Sancto Victore lib. de Sacrament. part. 6. cap. 13. quòd Pater ducens Filium ſuum ad Balnea, & immergens illum more Chriſtiano, ſignans eum cruce, & dicens, *Lavo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ut benè illi cederet talis lotio, baptizaret illum. Quòd tamen eſt ridiculum, quoniam non haberet intentionem baptizandi, nec faciendi quod facit Eccleſia, ſed ſolùm lavandi puerum à ſordibus corporis, invocata Sanctiſſima Trinitate pro ipſa munditia obtinenda; idcircò abſoluté neceſſaria eſt intentio in Miniſtro pro validitate Sacramenti Baptiſmi, nam ſicut ille, qui non vult baptizare, non baptizat; licet lavet puerum, ità ut quis baptizet, debet velle baptizare.

Sacramentū eſt inſtrumentum gratiæ, quod non poteſt applicari, niſi Miniſter intendat applicare illud.

Idem dicendum eſt de alijs Sacramentis, nam in inſtitutione Euchariſtiæ, Chriſtus præcepit Miniſtris, ut illam in ſui commemorationem facerent, ut conſtat ex illo Luc. 22. *Hoc facite in meam Commemorationem.* Non poſſunt autem eam in Chriſti Commemorationem facere ſine interiori intentione, quâ conformentur intentioni Chriſti conſecrantis. Ad perficiendum Extremæ-unctionis Sacramentum præcipit inducere Presbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper infirmum; ſublata autem intentione, non poteſt pro aliquo quis orare: nullus enim orat quod non deſiderat, nec deſiderat quod non intendit.

Tandem Matrimonij validitas pendet à conſenſu patrium contrahentium, quæ efficiunt hujus Sacramenti Miniſtrum, nullus autem poteſt veré ac proprié conſentire, niſi conſentire intendat; igitur ad Sacramentorum validitatem, neceſſariò requiritur intentio interior in Miniſtro Sacramenti adminiſtrandi, nedum ut ipſe Miniſter ſit conformis intentioni Chriſti, qui eſt ille, qui baptizat dum Miniſter baptizat, & intentioni Eccleſiæ cujus Filius ſit, qui baptizatur; ſed etiam ut ſit verè & propriè Miniſter, qui cùm debeat agere prudentèr, & debitè, hoc eſt, juxtà ea, quæ illi præſcripta ſunt, tenetur attenté & voluntariè agere, ut verè commiſſum adimpleat Miniſterium. Certum enim eſt quòd Chriſtus dicens Diſcipulis ſuis, *Euntes baptizantes*, non exegit ab illis ſolam adminiſtrationem externam Baptiſmi, ſed etiam ſinceram voluntatem baptizandi, ſeu faciendi quod ipſe Chriſtus eis præceperat.

§. II.

De Solutione ad Rationes Hæreticorum.

HÆretici ſic inſurgunt. Deus non confert effectum Sacramenti juxtà intentionem Miniſtri; cùm talis effectus producatur ex opere operato. Hinc eſt quòd Deus plerumque divina beneficia confert præter intentionem Miniſtri, ſeu inſtrumenti, quo utitur ad illum effectum. Nam Geneſ. cap. 27. Iſaac præter intentionem, benedixit Jacob, intendens benedicere Eſaü, hoc tamen non obſtante, tunc non Eſaü, ſed Jacob benedictionem accepit: igitur effectus Sacramenti Baptiſmi advenit baptizato, quamvis Miniſter non intendat illum baptizare, ſed ſufficit quòd baptizando applicentur actu materia & forma Baptiſmi.

Reſpondetur quòd Deus confert effectum Sacramenti juxtà intentionem Miniſtri, quia dedit illi poteſtatem tractandi negotium pro ſua voluntate, ut patet ex illo Chriſti, Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Sacerdotes enim vocantur à Divo Paulo Diſpenſatores Myſteriorum Dei, 1. ad Corinth. cap. 4. Diſpenſatio autem nequit fidelitèr fieri ſine ulla intentione ex parte diſpenſantis, aut adminiſtrantis, hac enim ſublata, actio non eſſet humana, nec Sacramentalis.

Solutio ad primam hæreticorum rationem.

Ad exemplum propoſitum dico quòd non valet: nam Iſaac reverà habebat intentionem benedicendi unum ex ſuis Filijs, & eum primogenitum inſtituere in domo ſua, idcircò parum nocuit error ſuper perſonam. Et Jacob qui fuit benedictus, benedictionem accepit. Ità ſimilitèr Sacramentum Baptiſmi effectum ſuum confert baptizato, ſi Miniſter reverà intendat Baptiſma conferre: quamvis erret circà perſonam, quam baptizat, hoc eſt, licet baptizet puellam, credens baptizare puerum, modò non intendat conferre Baptiſmum niſi tali individuo, Verbi Gratia, puero, tunc enim ſi alius ſupponeretur, aut puella, non conficeretur Sacramentum ex defectu intentionis, quod tamen conficeretur, ſi Miniſter haberet intentionem conferendi Sacramentum præſenti, quicumque ille ſit.

Inſtabunt, Chriſtus Dominus non præcepit hanc intentionem in adminiſtratione Baptiſmi; alioquin præcepiſſet eam etiam in prædicatione Evangelij, *Matth.* 23.
ut facilè colligi poteſt ex illo Matth. 23. verſ. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Hæc enim verba oſtendunt, Chriſtum velle quod attendamus verbis Prædicatorum, non autem voluntati eorum: ergo Baptiſmus

validus, etiamſi conferatur ſine intentione Miniſtri, modò proferantor verba, & apponatur materia.

Sed minus nocet hæc inſtantia: nam poteſtas baptizandi, & poteſtas prædicandi, diverſo modo conceſſæ fuerunt Apoſtolis. Baptiſmus dirigebatur ad omnes tam parvulos, quàm Adultos, Prædicatio verò ad Adulros tantùm. Verbum Evangelij proponit res credendas, ſed non efficit creditas. Ex parte miniſtrantis eſt ſpeculativum, verbum autem Sacramentale eſt practicum, & efficax. Prædicatio eſt verbum ex ſe determinativum ad oſtendendam veritatem credendam, verbum autem Sacramentale ſecundum ſe conſideratum, & quatenus prolatum, eſt indifferens, imo ex ſe, & quatenus prolatum, longè alienum eſt à collatione gratiæ ad quam ordinata ſunt Sacramenta, ideoque ot ad eum effectum determinetur, neceſſaria eſt intentio Miniſtri volentis producere effectum propter quem Christus dixit Apoſtolis *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Confectio enim, & adminiſtratio Sacramenti ità dependent ab intentione Miniſtri, ot ſi illud non intendat conficere, nullum ſit Sacramentum; licet verba Sacramentorum habeant in ſe virtutem operativam gratiæ ex divina inſtitutione, quia hæc virtus eget debita applicatione Sacramenti. Quæ quidem applicatio, ut debita ſit, requirit intentionem Miniſtri, ſeu applicantis, qui ex Tridentino ſupra citato, debet habere intentionem faciendi id, qood facit Eccleſia, id eſt, intentionem baptizandi, ſeu apponendi materiam, & formam Baptiſmi; cùm Miniſter ſit cauſa ſecunda ablutionis, ut Sacramentalis eſt, quæ nequit eſſe talis ſine intentione conficiendi Sacramentum, aut ſaltem faciendi id, quod facit Eccleſia.

Reſponſio ad aliam rationem.

Inſurgunt inſuper & proponunt quædam exempla, quæ oſtendunt, olim Baptiſma approbatum fuiſſe, quamvis ſine intentione Miniſtri collatum. Nam Patriarcha Alexandrinus approbavit Baptiſmum Athanaſij, qui adhuc puer, baptizavit alios pueros ludendo. Et Concilium Sacerdotum judicavit pueros illos non eſſe rebaptizandos, ut teſtantur Ruffinus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 14. & Nicephorus lib. 8. cap. 14.

De exempli quæ afferunt heretici.

Aliud exemplum deſumitur ex Hiſtoria D. Geneſij Martyris, qui (ut refertur in Martyrologio Romano die 25. Auguſti) cùm eſſet Mimus, & coram Diocletiano vellet Chriſtianorum Myſterijs illudere, ſe ægrotum ſimulavit, & mimicè ab uno ex ſodalibus ſuis poſtulavit Baptiſmum, hoc nonobſtante, Baptiſma illud validum fuit, quamvis in baptizante non fuerit intentio faciendi quod facit Eccleſia. Hoc autem Baptiſma fuiſſe validum conſtat; cùm Angelus ante ablutionem apparens Geneſio à Deo inſpirato, & ſubitò ad fidem converſo, ei promiſerit, mediâ illâ aquâ, remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, quam de facto obtinuit, ut probat nedum ipſius mors, quæ fuit pro Fide Chriſti, ſed etiam Fidei confeſſio, nam ſuſcepto Baptiſmate, conſtantèr & liberè dixit coram Imperatore, ſe eſſe Chriſtianum, & cœpit Idolorum cultum execrari, ut teſtatur Ado in ſuo Martyrologio ad diem vigeſſimum quintum Auguſti.

Ad primum exemplum dico Baptiſmom Athanaſij fuiſſe approbatum, quia interrogatus de ſuo facto, ſeu de Baptiſmo, ipſe Athanaſius confeſſus eſt ſe habuiſſe intentionem faciendi quod faciebat Patriarcha Alexandrinus, ex quo ſequitur, exemplum non improbare aſſertionem noſtram, nec valere contra intentionem definitionis Concilij Tridentini. Sacramenta enim per jocum poſſunt dupliciter conferri, ut notat Hugo a Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. part. 2. cap. 13. ſcilicet dum conferuntur ad finem recreandi animum, aut animu ridendi de Myſterijs Fidei, ut non raro contingit apud Hæreticos. Et ob finem faciendi quod facit Eccleſia, comcomitante ludo. Hoc ſuppoſito, obitèr obſervandum eſt, quòd D. Athanaſius verè intendebat conferre Baptiſmum, & ludum erat actioni Sacramentali opus extrinſecum, & ideo non potuit tollere virtutem Sacramenti. Nec adverſarij poſſunt indè inferre, hoc Baptiſma fuiſſe collatum ſine intentione baptizandi, aut conferendi Baptiſmum Eccleſiæ; cùm per hoc ſignum voluerit facere quod facit Eccleſia,

Baptiſmus Athanaſij fuit validus

Ad aliud exemplum dico, omiſſis varijs reſponſionibus. Quòd Mimus ille, qui S. Geneſium baptizavit, ut magis Chriſtianorum Baptiſma irrideret, intendebat baptizare ipſum eo modo, quo Chriſtiani baptizabant. Credibile enim eſt, Angelum qui S. Geneſium monuit, ut baptiſmum ſeriò reciperet, eique peccatorum remiſſionem promiſit, admonuiſſe etiam Sodalem ſuum, ut ſeriò, pièque illum ipſi adminiſtraret, & ideo hoc baptiſma Geneſij verè adminiſtratum fuit tam ex parte ſuſcipientis, quàm adminiſtrantis. Hæc reſponſio colligitur ex Hiſtoria ejuſdem Sancti Geneſij, quam ſcripſit Ado Trevirenſis. Vel dico quòd illud baptiſma à Mimo collatum, fortè fuit nullum, licet Geneſius non fuerit baptizatus denuò, & in oſculo pacis mortuus fuerit, quia potuit effectus baptiſmi fluminis recipere per illam vivam fidem charitate formatam, quâ fidem Chriſti confeſſus eſt, quâque baptizatus fuit baptiſmo flaminis, qui in ipſo geſſit vices baptiſmi fluminis.

Baptiſmus Geneſij fuit cum intentione miniſtratus.

Dicunt tandem. Si intentio interior Miniſtri eſſet neceſſaria ad validitatem Baptiſmi, nullus eſſet certus an ſit baptizatus, quia unuſquiſque poteſt dubitare de intentione interiore Miniſtri; ſed hoc eſt abſurdum, quia improbabile eſt, Deum poſuiſſe efficaciam Sacramentorum, & ſalutem populorum in intentione Miniſtri, qui cùm ſit homo mendax, & fragilis atque ad malum pronus, poſſet irritare Sacramenta. At ſi hoc eſſet, miſeranda foret conditio populi Chriſtiani. Undè nè in tanto periculo ſit ſalus noſtra, dicendum eſt quòd Baptiſma Chriſti collatum infanti, eſt validum, etiamſi baptizans non habuerit intentionem illum baptizandi, nec faciendi quod facit Eccleſia, imo illud difficile facere poteſt, cùm ſæpè non amet Eccleſiam, nec eam agnoſcat, præſertim dum Baptiſma confertur ab Hæretico.

Reſpondetur, hominem poſſe eſſe certum de ſuo baptiſmo, certitudine morali. Nec debet ſuſpicari, an Miniſter, tantum Sacrilegium committere voluerit denegando ſuam intentionem actioni Sacramentali; cùm habere illam intentionem, facillimum ſit, & unicuique liceat præſumere quòd præſtando, quod Eccleſia præſtat, vult facere quod Eccleſia facit, dum eadem præſtat. Hæc autem certitudo ſufficit ad non iterandum baptiſmum, niſi poſteà aliquo ſigno exteriori apparuerit defectus intentionis Miniſtri. Hinc eſt quod Eccleſia admittit baptiſma Hæreticorum, qui licet Eccleſiam Romanam odio habeant, tamen dum baptizant, habent intentionem, quam habet Eccleſia.

Rejicitur ultimum hæreticorũ argumentũ

Nec valet dicere, Deum poſuiſſe ſalutem noſtram in voluntate Miniſtri, ſeu hominis independentèr ab ipſius voluntate, quæ cùm ſit libera, & inconſtans, ſalus noſtra eſſet in maximo periculo, ſcilicet in poteſtate mendacis.

Chriſtus dedit hominibus poteſtatem baptizandi.

Non valet inquam hæc inſtantia. Ratio eſt. Quia Sacramenta, quæ Chriſtus reliquit Eccleſiæ ſuæ viſibili, non poſſunt adminiſtrari niſi ab hominibus, quos Deus idoneos fecit Miniſtros novi teſtamenti, non littera, ſed Spiritu, ut monet Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 6. Ità ut ſi Miniſter recuſet baptizare puerum, vel nullus alius ſit, qui poſſit baptizare illum, certum eſt quòd ille puer non eſt baptizatus. Nonobſtante tamen hac dependentia, Hæretici aſſerunt, Chriſtum reliquiſſe hominibus poteſtatem baptizandi, quidni ergo non potuerit velle, Baptiſmum eſſe invalidum ſi ſine Miniſtri intentione conferatur. Undè ſi Hæretici velint miſeram eſſe Chriſtiani populi conditionem, ex eo quod Sacramentorum adminiſtratio pendet ab homine, qui poteſt denegare Sacramenta illis, qui petunt ea, debent etiam velle, ipſam conditionem non eſſe miſeram, ex eo quod Sacramenta pendent ab intentione Miniſtri, qui poteſt nolle baptizare; licet exterius aquam infundat, & hæc verba: *Ego te baptizo*, proferat ſuper puerum.

Dicent inſuper Hæretici quòd Baptiſmus eſt Sacramentum Fidei; in ipſo tamen ſufficit Fides Eccleſiæ, ac proindè intentio Eccleſiæ poteſt ei ità ſufficere, ut nullo modo neceſſaria ſit privata intentio Miniſtri. Deindè intentio non minus reſpicit baptizandum, quàm baptizantem (ſuppoſito quod neceſſaria ſit pro validitate Baptiſmi) atqui non eſt neceſſaria in baptizando, ut patet in Infante, qui poteſt baptizari validè, & de facto validè, atque licitè baptizatur; quin baptizari intendat: ergo nec neceſſaria eſt in baptizante, ſive ſit ex officio, ſive ex neceſſitate; id eſt, ſive ſit Parochus, ſive Laicus, qui baptizet.

Solvitur hæreticorũ inſtantia.

Reſpondeo paritatem non valere, nam Fides eſt velut agens univerſale, intentio autem agens particulare applicans Fidem ad hoc, & ad aliud, ideoque Fides ſalvatur in generalitate Eccleſiæ, intentio autem, cùm ſit particularis, & ipſâ copuletur actus ille Fidei Eccleſiæ, debet neceſſariò eſſe in Miniſtro, ut ſingulis fiat modo humano applicatio Baptiſmi abſolutè neceſſarij unicuique hominum. Undè ad ſecundum argumentum de æquali intentione habenda tam à puero, quàm à Miniſtro, dico, paritatem eſſe quoque nullam, quia intentio non requiritur in omnibus illis, qui capaces ſunt Baptiſmi, ut patet in Infantibus, ſed ſolùm illis, qui capaces ſunt uti libero arbitrio, poſſuntque diſcere rudimenta Fidei, ut requiritur, neceſſariò in omnibus illis, qui capaces ſunt adminiſtrationis Baptiſmi, cùm ex Apoſtolo 1. ad Corinth. capite 4. debeant conferre illud, ut diſpenſatores Myſteriorum Dei, ipſiſque commiſſa ſit adminiſtratio Sacramentorum modo humano, ſcilicet cum intentione, atque animo faciendi quod præcipit Chriſtus, dicens: *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c.* His ſi quidem verbis, nedùm dedit Apoſtolis poteſtatem baptizandi omnes nationes, ſed etiam illis præſcripſit modum baptizandi, qui quidem modus includit voluntatem baptizandi; alioquin potuiſſent coactè, & involuntariè baptizare abſque ullo Baptiſmi præjudicio. Quòd eſt manifeſtè falſum.

ARTICULUS XXIX.

Aſſerit contra Armenos, Baptiſma validè conferri, quin ſimul cum ipſo Euchariſtia conferatur.

Armeni.

TEmpore Conſtantini III. Filij Heraclij Imperatoris, & Theodori Papæ, circà annum Domini DCXL. Armeni in varios errores ceciderunt, inter quos plures erant circà Baptiſmum, nam rebaptizabant eos, qui jam ſemel Baptiſmum ſuſceperant in Eccleſia Romana (à qua receſſerant anno DLXXII. tempore Juſtini II. Imperatoris) exiſtimantes in ea non eſſe verum Baptiſma, nec veram Fidem.

Hæreſis præſcriptio.

Dicebant inſuper Baptiſma non poſſe alicui conferri validè, niſi eidem ſimul conferatur Sacramentum Euchariſtiæ, etiamſi baptizandus ſit adhuc Infans. Sanè hæc Armenorum propoſitio de Euchariſtia neceſſariò danda ſimul cum Baptiſmo, manifeſtè contradicit veritati, & eſt Hæretica; cùm ſit contra Doctrinam Eccleſiæ Romanæ, quæ non obligat parvulos ad Communionem Sacramentalem, & confert parvulis recenter natis Baptiſma, Euchariſtiam verò Adultis dumtaxat, quia non parvulorum; ſed Adultorum eſt hunc panem guſtare: igitur eſt Hæreticum velle ad Sacram Communionem obligare parvulos, ut declarat Sacra Synodus Tridentina ſeſſ. 21. cap. 4. ubi legimus. *Denique eadem Sancta Synodus docet, parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem*: quibus conſtat, nullam eſſe neceſſitatem recipiendi in Baptiſmo Sacratiſſimum Chriſti corpus, ut ipſe Baptiſmus ſit validus, ut putant Armeni, qui ſimul cum Euchariſtia conferunt Baptiſma, non devotionis cauſa, neque ad augendam gratiam Baptiſmi, ſed ut ipſum Baptiſma ſuum habeat effectum.

§. I.

Baptiſmi adminiſtratio non dependet ab adminiſtratione Euchariſtiæ.

NOſtra veritas Catholica colligitur ex inſtitutione Sacramenti Baptiſmatis, nam Baptiſma fuit inſtitutum ante Paſſionem Chriſti, ut tenent omnes Theologi, quia Chriſtus ab initio ſuæ Paſſionis baptizabat unà cum Diſcipulis ſuis, ut teſtatur D. Joan. cap. 3. his verbis. *Venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam; & illic demorabatur cum eis: & baptizabat.* *Joan. 3.* Idem affirmant plures Sancti Patres, & præſertim Divus Auguſtinus Tract. 5. in Joan. Sed Chriſtus tunc baptizans, Sacratiſſimum Corpus ſuum, non dabat illis, quos baptizabat. Diſcipuli etiam non dabant illud illis, quibus conferebant Baptiſmum; cùm tunc nondum inſtitutum eſſet Euchariſtiæ Sacramentum. Legimus enim, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in die Cœnæ, ſcilicet feria quinta, pridie quam pateretur, ideo Baptiſmus ex ſua inſtitutione non exigit Euchariſtiam, ut ſit validus; alioquin ſequeretur quod illi, quos Chriſtus, & Apoſtoli baptizaverant in Judæa, fuiſſent iterum baptizati poſt Chriſti mortem, & ſimul cum Baptiſmo Communionem recepiſſent, quòd tamen nullibi legimus. Vel ſequeretur quòd Diſcipuli poſt mortem Chriſti baptizantes Sacram Sinaxim ſecum detuliſſent, eamque ba-

Baptiſmus non exigit Euchariſtiã ut ſit validus.

ptizatis præbuiſſent, nè Baptiſma fuiſſet invalidum. Et ut illud adminiſtraſſent juxtà intentionem Chriſti, hoc tamen nullibi legitur, imo potiùs oppoſitum, nimirùm Apoſtolos baptizaſſe; quin darent Euchariſtiam. Nam Act. cap. 2. conſtat D. Petrum baptizaſſe in una die animas circiter tria millia, quibus dare Euchariſtiam eodem tempore impoſſibile videtur. Prætereà in ijſdem actibus haberetur mentio de illa communione, ſicut de Baptiſmo.

Deindè Petrus interrogatus de medijs ad ſalutem, reſpondit, dicens: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.* Ibi nulla fit mentio de Euchariſtia ſumenda ſimul cum Baptiſmo, ſed ſolùm de Pœnitentia peragenda ab Adultis, itaque ut gratia Baptiſmi recipiatur tam

Apoſtoli adminiſtrabāt baptiſmum ſine Euchariſtia.

à parvulis, quàm ab Adultis, non eſt neceſſe quòd Euchariſtia adminiſtretur concomitanter cum Baptiſmo, nec ſtatim poſt ipſum.

Nec valet dicere, Paſſionem Chriſti præceſſiſſe inſtitutionem Baptiſmi, ſicut cauſa præcedit effectum; cùm Paſſio Chriſti ſit cauſa omnium Sacramentorum novæ Legis, ac proindè cauſa præcedens Baptiſmum: Non valet inquam, quia Paſſio ut prævisa, & à Deo acceptata, eſt cauſa efficacitatis omnium Sacramentorum novæ Legis. Nec de hoc mirari debent Armeni, cum ſit certum Circumciſionem contuliſſe gratiam, licet eſſet tantum figura Baptiſmi. Unde non poſſunt denegare Baptiſmo vim remittendi peccatum Originale independenter à Sacra Communione, licet hæc Communio inſtituta fuerit ante mortem Chriſti.

Hoc confirmatur manifeſtè ex eo quod Dominus ſuis Diſcipulis præcipiens, ut docerent, & baptizarent gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nullam fecit memoriam de Euchariſtiæ ſumptione, nec implicitam, nec explicitam, nec directam, nec indirectam, ut conſtat, feciſſet tamen illam ſaltem aliquo modo, ſi ea ad Baptiſmi collationem neceſſariò exigeretur pro effectu principali aſſequendo, quoniam Chriſtus docuit Apoſtolos omnia, quæ ad validitatem Sacramenti requiruntur, nè Sacramentis aliquid deficeret pro validitate.

Idem Teſtimonium affert D. Joannes Baptiſta, qui de Chriſti Baptiſmo loquens, & illum diſtinguens à ſuo, ait: *Ego baptizo vos in aqua, ipſe autem vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, ibi nulla fit mentio de Communione ſumenda ſimul cum Baptiſmo Chriſti. Quòd certò probat, hanc Communionem non

Baptiſmus Eunuchi.

requiri ad Baptiſma Chriſti, quippè ſi eſſet neceſſaria, Joannes eam prædixiſſet; & Chriſtus ſine ipſa non baptizaſſet. Hinc eſt quòd Eunuchus à Philippo baptizari anhelans, nihil aliud præter aquam, & Miniſtrum quærebat. Unde dum venirent per viam Eunuchus & Philippus, venerũt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: *Ecce aqua; quid prohibet me baptizari?* At quia nihil aliud requirebatur, Philippus dixit Eunucho, *ſi credis ex toto corde; licet.* Et Eunuchus reſpondens, ait; *Credo; Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum. Et juſſit ſtare currum, & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus; & baptizavit eum.* In hoc colloquio, in quo omnia exprimuntur, quæ ad Baptiſmum ſunt neceſſaria, nulla fit mentio de Euchariſtia ſumenda, nullaque de ea facta fuit proteſtatio; nullaque promiſſio, ideoque non eſt neceſſaria ut Sacramentum Baptiſmi ſit validum.

Si Communio eſſet neceſſaria Baptiſmo, exprimeretur, & notificaretur ex traditione Apoſtolica, vel ex Scriptura, vel ex Concilijs Eccleſiæ, ſed non exprimitur, nec ex ipſa conficitur Sacramentum Baptiſmi, ut colligitur ex Concilio Florentino, ubi habetur quòd Sacramenta novæ Legis tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materià, verbis tamquam formâ, & perſonâ Miniſtri conferentis Sacramentum. Euchariſtia autem non eſt materia Baptiſmi, nec forma; nec intentio Miniſtri, cùm non ſit aqua elementaris, nec verba, nec perſona, aut intentio Miniſtri, ut eſt manifeſtum: ergo non requiritur ad validitatem ejus. Revera unum Sacramentum poteſt neceſſario præſupponi ad aliud, ut baptiſmus ad omnia, ſed nullum eſt neceſſariò de eſſentia alterius; cùm ſucceſſivè recipiantur, ut probat antiquiſſimus uſus Eccleſiæ.

§. II.

De Reſponſione ad Armenos.

Armeni objiciunt quemdam antiquum Eccleſiæ uſum, dicunt enim quòd olim Infantibus etiam lactantibus infundebatur ori ſanguis Chriſti de ſacro Calice, procùl dubiò non humana authoritate, ſed Chriſto ſic mandante, quoniam ea, quæ Sacramentis neceſſaria ſunt, à Chriſto ordinata, & præcepta ſunt. Unde cum talis uſus fuerit in primitiva Eccleſia, ut referunt Patres Antiqui, & præſertim Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem, ubi docet quod poſt completas baptiſmi cæremonias miniſtrabatur Euchariſtiæ Sacramentum. Hugo Victorinus dicit pueris recenter natis idem Sacramentum ſub ſpecie ſanguinis eſſe miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales poſſunt naturalitèr ſugere. Abraham Echellem Maronita rituum Orientalium peritiſſimus, in ſuis ad Nicænos Canones Arabicos obſervationibus, Fidem facit tunc in multis Orientis regionibus vigere morem Infantes communicandi, ut intinctum Sacro-Sanguinis digitum Sacerdos Infanti exugendum præbeat, talem autem uſum Eccleſia non potuit abolere, quia non potuit (inquiunt ipſi Armeni.) illum diſcere niſi ab Apoſtolis, & Apoſtoli, niſi à Chriſto, qui ſtatuerat & præceperat illum: ergo Chriſtus inſtituit baptiſma in hac circunſtantia de Euchariſtia ſimul ſumenda.

Proponitur Armenorũ ratio.

Reſpondeo, talem uſum reverà fuiſſe in primitiva Eccleſia, imo nedùm Euchariſtia tunc dabatur cum baptiſmo; ſed etiam Confirmatio, ut monet Sanctus Cyprianus in Epiſtola ad Jubaïanum, ubi ait: *Quod nunc quoque apud nos hoc geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Prapoſitis Eccleſia offerantur & per noſtram orationem, & manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo divino conſummentur.* Et Melebiades Papa ad Epiſcopos Hiſpaniæ, de eodem uſu Fidem facit, ibi enim inquit: *Ità conjuncta ſunt hac duo Sacramenta*, ſcilicet baptiſmus & Confirmatio, *ut ab invicem niſi morte praveniente, nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero, riè perfici non poteſt, nam unum praveniente morte ſalvare ſine altero poteſt, aliud autem non poteſt.* Sed illa

D. Cypriani reſponſio.

conſuetudo conferendi ſimul duo Sacramenta, baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam, non erat de neceſſitate Sacramenti, ut patet ex eadem Epiſtola. Nam dum ait quod unum Sacramentum poteſt ſalvare ſine alio, loquitur de baptiſmo; vultque, hunc poſſe ſalvare ſine Euchariſtia. Nec erat talis conſuetudo ex traditione Apoſtolica; cùm conſtet, Apoſtolos adminiſtraſſe Baptiſmum ſine Euchariſtia. Solùm enim erat conſuetudo aliquarum Eccleſiarum, quæ eam inſtituere poterant, tamquam cæremonias quæ Baptiſmatis validitati non officiebant, quæque indifferentes erant ad Baptiſmi effectum, & ideo Eccleſia Romana potuit eam abolere, & ſolis Adultis baptizatis dominicum panem præbere ad man-

Digitized by Google

ducandum, & ſanguinem ad bibendum, quin tamen damnet talem primitivæ Eccleſiæ uſum, quem revocavit, ut patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 4. Igitur Armeni exiſtimantes, Baptiſmum eſſe invalidum, niſi cum Euchariſtia detur, non excuſantur hoc uſu ab hæreſi, ut facilè colligi poteſt ex can. 4. ejuſdem Coucilij Tridentini, loco citato, ubi habetur: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem: Anathema ſit.*

Decretum Concilij Tridentini.

ARTICULUS XXX.

Refutat Lutherum, & alios Hæreticos de Miniſtro Baptiſmi malè ſentientes.

MArtinus Lutherus in lib. de Miſſa privata; & unctione Sacerdotum docet non ſolum omnes homines, ſed etiam Dæmones habere poteſtatem adminiſtrandi, non ſolùm Baptiſma, ſed etiam cætera Sacramenta. Ibi enim inquit: *Ego non dicam quod Papiſtæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipſam conſecrare poſſe, ſed è contra dico ſi Diabolus ipſe veniret, & ego poſtea reſcirem Diabolum ſic irrepſiſſe in officium Paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Eccleſia docuiſſe, baptizaſſe, celebraſſe Miſſam, & abſoluiſſe à peccatis, & tali munere functum eſſe juxta inſtitutionem Chriſti, tunc fateri cogeremur, Sacramenta ideo non efficacia, ſed verum Baptiſmum, verum Evangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti nos accepiſſe.* Licet per hæc verba, Lutherus non tollat ab hominibus poteſtatem baptizandi, & in hoc teneat Doctrinam Eccleſiæ Romanæ, hoc tamen non obſtat quin circà Miniſtrum hujus Sacramenti erret contra Fidem, quæ docet, Dæmones non habere poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta Eccleſiæ, hancque ſolis hominibus viatoribus competere, ut ſuadet Paulus ad Heb. 5. dicens: *Ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.*

Lutherus

Calvinus in Antidot. ad Canonem decimum Concilij Tridentini ſeſſ. 7. nedum Fidem Catholicam, ſed etiam Lutherum pugnat, cùm nolit, Mulierem habere poteſtatem baptizandi in neceſſitate; ibi enim inquit: *Nemo ſanus Chriſtianos omnes in verbi Sacramentorumque adminiſtratione pares facit, non ſolum quia decentèr, & ordine geri omnia in Eccleſia decet, ſed etiam quod ſingulari Chriſti mandato ad eam rem ordinantur Miniſtri*, ſubdit autem: *Porrò munus baptizandi ubi mulierculis injunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?* Quibus conſtat Calvinum velle, eos dumtaxàt quibus dictum eſt: *Ite in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos &c.* Habere poteſtatem baptizandi.

Calvinus

Hanc Calvini impietatem amplexus eſt Theodorus Beza, natione Burgundus, qui in quæſt. 144. de Sacramentis, impudentèr ait: ſe præferre Baptiſma à Satana, ſe ſe pro verbi divini Miniſtro gerente collatum, Baptiſmo per Mulierem, aut privatum Fidelem conferendo, & ideo dicendum eſt, Lutherum, Calvinum, Bezam de quibus alibi ſæpè locuti ſumus, tueri hanc hæreſim.

Beza.

§. I.

In quo Reficitur Hæreticorum error.

DE hac re habetur deciſio in Concilio Florentino in Decreto de Armenis, quâ conſtat quemlibet hominem, dummodo poſſit loqui, ſive ſit homo, ſive Mulier, ſive Catholicus, ſive Hæreticus, ſive Fidelis, ſive Infidelis, & Paganus, habere poteſtatem conferendi Baptiſma; ibi enim legitur: *In cauſa neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, ſed etiam Laicus, & Mulier, imo & Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt, modò Eccleſiæ formam ſervet, & facere intendat, quod illa facit.* Et in Decreto Eugenij inquit: *Miniſter hujus Sacramenti ordinarius, eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Inde enim ſequitur, alios eſſe Miniſtros hujus Sacramenti extraordinarios, quibus baptizare competit, non ex officio, ſed ex neceſſitate, qui quidem Miniſtri non ſunt Sacerdotes, ſed Laici, alioquin ſuperflua eſſet hæc nominatio Miniſtri ordinarij nimirùm Sacerdotis, ſi nullus alter præter Sacerdotes, poſſet abſolutè conferre Baptiſma.

Concilij Florentini Decretum.

Hæc definitio Florentina confirmata videtur in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de Baptiſmo, Can. 4. ubi habetur, Baptiſmum Hæreticorum eſſe ſimplicitèr validum, nam Hæretici, Judæi, Infideles & Pagani non ſunt Sacerdotes, ideoque ex Sacra Tridentina Synodo, quilibet homo viator poteſt eſſe hujus Sacramenti Miniſter, ſi non ex officio, ut Sacerdotes, ſaltem in neceſſitate. Eadem veritas declaratur in Concilio Eliberitano cap. 38. Et in Canon. *Conſtat*, de conſecrat. diſt. 4. necnon ex univerſalis Eccleſiæ praxi, quæ approbat Baptiſmum ab obſtetricibus collatum Infantibus poſt nativitatem periclitantibus.

Tridentini.

Eliberitani.

Neceſſitas Baptiſmi manifeſtè ſuadet, Chriſtum contuliſſe omnibus & ſingulis hominibus poteſtatem baptizandi; nam Deus qui vult neminem perire, & Baptiſmum inſtituere voluit in remiſſionem peccatorum, eadem providentiâ debuit inſtituere remedium commune, tam quoad materiam, quam quoad Miniſtrum, nè ob difficultatem habendi utrumque neceſſarium, ſcilicet materiam, & Miniſtrum, inter tot homines qui naſcuntur, aliquis periret, ut tradit Doctor Seraphicus D. Bonaventura. diſt. 5. artic. 5. quæſt. 1. dicens: *Congruum fuit ut Sacramentum tantæ neceſſitatis, & in materia adeò communi, eſſet miniſtrandum ab omnibus communitèr, cùm Deus velit neminem perire*, Sed Baptiſmi materia eſt communis, cùm ſit quæcumque aqua naturalis expreſſa his verbis Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, quæ affirmant nedum neceſſitatem Baptiſmi, ſed etiam materiam ejus eſſe aquam naturalem: igitur Miniſter debet eſſe communis, id eſt, quilibet homo debet in neceſſitate ſufficere ad conferendum Baptiſma.

D. Bonav.

Joan. 3.

Unde S. Auguſtinus lib. contra Parmenianum cap. 13. ait: *Et ſi Laicus aliquis pereunti dederit (Baptiſma) neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet dandum eſſe addidicit, neſcio an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum: nulla enim cogente neceſſitate, ſi fiat; alieni muneris uſurpatio eſt, ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt, ſed & ſi nulla neceſſitate uſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis ritè dici poteſt illicitè datum.* Hæc enim verba demonſtrant quòd ſi Laicus daret Baptiſmum extrà neceſſitatem, peccaret; quòd non diffiteor, quoniam Lex Evangelica inſtituit Sacerdotem, Miniſtrum hujus Sacramenti ex officio, & extrà neceſſitatem. Sed inſuper oſtendunt quòd ſi det illud in neceſſitate, non peccat, ac proindè quòd tunc Laicus eſt Miniſter hujus Sacramenti.

D. Auguſt.

Idem prius docuerat Tertullianus, qui lib. de Baptiſmo cap. 17. reſolvens Baptiſmi adminiſtrationem ſpectare ad Epiſcopos, & poſt ipſos ad Presbyteros, & poſt Presbyteros ad Diaconos, ad Laicum ſic alloquitur: *Sufficiat ſcilicet in neceſſitatibus ut ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit; tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum urget neceſſitas periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare quod liberé potuit*: Igitur ex Sanctis Patribus quilibet homo viator rationis compos, ſi urgeat neceſſitas, licitè, & validè poteſt baptizare privatim, & ſine ſolemnitate, prout definitum fuit in Concilijs ſuprà citatis. Nec licet citrà hæreſim dicere, Baptiſmum à Laico collatum, eſſe invalidum, ut expreſſè colligitur ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate circà finem ubi legitur: *Sacramentum vero Baptiſmi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Sanctiſſimæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus Sancti conſecratur in aqua) tam parvulis, quàm Adultis in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem.* Idem habetur in can. 23. diſt. 4. de conſecrat. ubi legitur: *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, licet Paganus ſit, qui baptizet.*

Tertullian.

Innocentius III.

Ordo inter Baptiſmi Miniſtros obſervadus.

Attamen non ità promiſcuè omnibus adminiſtratio illa permiſſa eſt, ut in concurſu plurium nullus ſit ſervandus ordo; cùm Apoſtolus præcipiat omnia in nobis ordinatè fieri debere. Undè præſente Sacerdote, vel Clerico, Laicus non poteſt licitè conferre Baptiſma, quia hæc verba, *Euntes, baptizantes &c.* magis Sacerdotibus & Clericis dicta ſunt, & illos reſpiciunt, quàm Laicos. Hac ipſa ratione nequit licitè baptizare Mulier in præſentia viri, niſi fortè vir non ſit Baptiſmi conficiendi peritus, vel puer non poſſit ab illo, & multò minùs à Clerico contrectari ob decentiam & honeſtatem, putà quando nondum eſt ex utero materno omninò egreſſus, tunc enim non decet Sacerdotem baptizare nè detur ipſi occaſio ruinæ, ſeu peccati intuitu ventris materni, quia tunc neceſſitas vitandi ſcandalum prævalet, eique cedit ordo ab Eccleſia inſtitutus; alioquin, utpotè remota neceſſitate, Presbyteri vocandi ſunt quoniam illis in perſona Diſcipulorum Chriſtus Matth. 8. dixit: *Euntes, baptizantes eos &c.*

Advertendum eſt etiam quòd dum antiqui Patres, Tertullianus lib. de Baptiſmo, Hieronymus dialog. adverſùs Luciferianos docent, Sacerdotes non poſſe baptizare ſolemniter ſine ſpeciali commiſſione Epiſcoporum, loquuntur de Baptiſmo qui certis anni diebus ſolemni cæremonia conſueverat in primitiva Eccleſia ab Epiſcopo celebrari, puta in vigilia Paſchatis, vel Pentecoſtes, non vero abſolutè pro omni tempore, ità ut illis numquam liceat ſine ſpeciali licentia baptizare. Vel loquuntur de ſimplici Sacerdote præciſè ſecundum ordinationem ſuam conſiderato, nam licet in ea receperit poteſtatem baptizandi, tamen nequit eam ad praxim reducere ſine juriſdictione ab Epiſcopo, vel ab alio conceſſa. Baptiſmus enim ſic conſideratus, ſeu ſolemniter, & ex officio collatus, eſt actus Paſtoris, quem nullus poteſt exercere, niſi prius fuerit inſtitutus Paſtor, & Rector in Eccleſia ab Epiſcopo, cui Eccleſia commiſſa fuit.

§ II.

Reſponſiones ad Objectiones.

Invalida ratio Calvini

JOannes Calvinus putat, nullum poſſe validè baptizare, niſi ei conceſſa fuerit facultas baptizandi, quam ſolis divini verbi Miniſtris legitimè vocatis conceſſam credit. Tum quia Matth. ult. conſtat non omnibus hominibus, ſed ſolis Apoſtolis Chriſtum dixiſſe, *Baptizantes eos &c.* Tum quia Chriſtus illis dumtaxat conceſſit facultatem baptizandi; quibus conceſſit facultatem prædicandi verbum Dei, ut conſtat ex illo ejuſdem Matth.: *Ite docete omnes gentes*, atqui facultas prædicandi Evangelium non competit omnibus hominibus, ut patet: igitur (inquit) ſucceſſores Apoſtolorum tantùm poſſunt baptizare.

Oſtenditur Calvinianæ rationis invaliditas.

Reſpondetur hoc argumentum probare, Chriſtum dediſſe ſolis Apoſtolis, & divini verbi Miniſtris facultatem baptizandi publicè & ſolemniter, & ex officio Paſtorali, hinc eſt quòd ſoli Sacerdotes ſic baptizant. Non verò privatim, & in caſu neceſſitatis ob rationes ſupra adductas. Hoc verum eſſe patet ex eo quod Apoſtoli ante Paſſionem, ſeu antequam eſſent Sacerdotes, aut Epiſcopi baptizabant, conſtat enim ipſos baptizaſſe ante Cœnam ultimam, & in ipſa factos fuiſſe Sacerdotes: ergo dum dixit illis, *Baptizantes &c.* Non dedit illis ſimpliciter poteſtatem baptizandi, ſed ſolùm facultatem prædicandi Evangelium, & miniſtrandi Baptiſmum publicè & ſolemniter veluti Paſtores, & Miniſtri ordinarij; & publicandi neceſſitatem Baptiſmi omnibus gentibus pro aſſequenda vita æterna juxta illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.*

Inſtabunt Calviniſtæ, & objicient illud Concilij Carthaginenſis cap. 100. *Mulier quamvis edocta, & Sancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non præſumat.* Ergo non quilibet homo viator, ſive vir, ſive fœmina, etiamſi ſit rationis compos habet poteſtatem baptizandi, etiamſi urgeat neceſſitas, ſed tantum vir ille, qui legitimè ad baptizandum deſtinatus eſt à Rectoribus Reipublicæ Chriſtianæ. Hanc conſequentiam confirmant authoritate Patrum antiquorum, & præcipuè Tertulliani, qui lib. de velandis Virginibus cap. 9. & lib. de Baptiſmo cap. 17. docet Baptiſmum Mulieribus eſſe interdictum.

Explicatur mens Concilij Carthaginenſis.

Reſpondeo conſequentiam eſſe falſam, quia Concilium Carthaginenſe per hæc verba; *Mulier quamvis edocta &c.* Voluit proſcribere & damnare quarumdam Mulierum maximè Marcioniſtarum petulantiam, & audaciam, quæ in illis tanta erat, ut etiam extra neceſſitatem baptizandi, vellent ſolemniter baptizare, & verbum Dei prædicare. Unde nè tantus introduceretur abuſus, Concilium tale edidit Decretum, nè mulieres extrà neceſſitatem baptizare præſumerent.

Aſſertionem noſtram de poteſtate baptizandi omnibus hominibus conceſſâ, impugnant Hæretici authoritate Juris Pontificij, quæ eſt Gregorij II. ad Bonifacium Epiſcopum, cui ille Summus Pontifex præceperat rebaptizare virum, quem baptizaverat Paganus, ut legitur in Quinquageſimo ſecundo Canone diſt. 4. de conſecrat. *Quos à Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ità habetur, ut denuò baptizes, in nomine Trinitatis mandamus*: Ergo ex jure conſtat, Baptiſmum non poſſe conferri à quolibet homine viatore; cùm non poſſit conferri à Paganis. Huic authoritati addunt Concilium Eliberitanum Can. 38. quo prohibetur Bigamis, etiam in neceſſitate baptizare.

Nulla eſt rebaptizantium inſtantia.

Reſpondeo Divum Gregorium non loqui abſolutè de Baptiſmo collato à Paganis, ſed de Baptiſmo collato, ritu Pagano. Hoc eſt, ſine invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, ut notat gloſſa dicens: *Quos à Paganis ſi ita habetur, ſcilicet in forma Eccleſiæ non fuerint baptizati.* Quibus verbis evidenter conſtat, mentem hujus Pontificis non fuiſſe talem, qualem putant Hæretici, ſcilicet Baptiſmum à Pagano collatum eſſe nullum, ſi collatum fuerit in forma Eccleſiæ, ſcilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed ſolum Baptiſma collatum ſub alia

forma eſſentialiter diverſa.

Ad Concilium Eliberitanum dico quòd non prohibet Bigamis baptizare abſolutè, ſed ſolum in præſentia non Bigami. Nec hoc prohibuit ſub pœna nullitatis; ſed ſolùm ſub pœna peccati, quia Bigamus baptizans io præſentia non Bigami, peccaret, ſicut Mulier, quæ in neceſſitate baptizaret in præſentia viri, ipſo viro valente, & volente baptizare, ſed Baptiſma non eſſet invalidum, quia Baptiſmi validitas non pendet à ſexu, nec à conditione perſonæ, ſed à materia, forma, & intentione Miniſtri, ex quibus juxtà Florentinum, perficitur.

Baptiſmus à bigamo collatus eſt validus.

Dicent, nemo dat quod non habet, ſed Paganus non habet Baptiſmi characterem: ergo illum alijs dare nequit, ſubindeque Baptiſmi Miniſter eſſe non poteſt.

Reſpondeo, argumentum eſſe falſum in oostro caſu, in quo Miniſter non eſt cauſa principalis, quæ non dat quod non habet, ſed ſolum cauſa inſtrumentalis, quæ dare poteſt quod non habet in ſe, ut patet de aqua, quæ poteſt eſſe inſtrumentum gratiæ, quam non habet, ut fatentur Hæretici: ergo non implicat quòd Paganus validè baptizet in neceſſitate, licet careat charactere. Quia eſt cauſa inſtrumentalis miniſterialis. Nudum enim in illo miniſterio opus ſufficit adjuncta intentione faciendi quod facit Eccleſia, quia Chriſtus eſt, qui baptizat, teſte Joan. cap. 1. verſ. 33.

Reſolvitur ultima hæreticorum inſtantia.

ARTICULUS XXXI.

Quo repelluntur Cataphrygij exiſtimantes, mortuum poſſe baptizari validè.

QUædam controverſia eſt inter Scriptores; an Marcion docuerit, homines, qui ſine Baptiſmo deceſſerunt, eſſe baptizandos. Theophilatus, Prateolus, & alij affirmant. Philaſtrius verò, Divus Auguſtinus, Euſebius, Tertullianus, Irenæus, & Guido Carmelita, qui de Marcione, ejuſque erroribus diſſerunt, illi hunc errorem non tribuunt. Sed nihil indé concludi poteſt contrà Theophilatum, & alios, qui ſecuti ſunt eum in hac parte, quia ea omiſſis nihil poteſt certè affirmari, & proprium eſt Hæreticis, qui aliorum Hæreticorum veſtigijs adhærent, Magiſtrorum ſuorum impietati addere, & eorum errores augere. Undè ut Theophilati ſententia teneat, dicendum eſt quòd Marcionis Sectatores erroribus illius hanc adhibuerunt hæreſim, ut optimè obſervat noſter Alphonſus à Caſtro, lib. 3. adverſ. hæreſ. verbo, *Baptiſmus*, hæreſi tertia, ubi monet, hanc hæreſim eſſe Diſcipulorum Marcionis.

Cataphrigij

Anno autem CLXXXI. regnante Commodo Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Sotero Papa, inſurrexerunt Cataphrygij, qui cum Montano & Apelle, & ipſius Montani Propheriſſis Priſca, & Maximilla, teſte Euſebio, dicebant baptizandos eſſe eos, qui ſine Baptiſmo è vivis deceſſerunt. Idem teſtatur Philaſtrius, licet non referat modum, quo baptizabant eos. Sunt tamen aliqui qui dicunt, quod feretro vivum aliquem ponebant hominem, quem interrogabant utrum vellet baptizari, quique reſpondebat: *volo baptizari*, & ſtatim illum baptizabant, exiſtimantes, mortuum pro quo reſpondebat vivus, eſſe verè baptizatum, hoc Baptiſmate collato homini vivo reſpondenti pro mortuo.

Hæc conſuetudo Cataphrygiorum damnata fuit tamquam Hæretica in Concilio Carthaginenſi III. celebrato ſub Syricio Papa circa annum Domini CCCXCVII. In hoc quidem Concilio cap. 6. legitur. *Item placuit ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur, dictum eſt enim à Domino, accipite, & edite. Cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere, cavendum eſt etiam nec mortuos baptizari poſſe, Fratrum infirmitas credat, cum Euchariſtiam mortuis non dari advertit.* Idem poteſt inferri ea Can. *legatur*, 24. quæſt. 2. ubi Gelaſius Papa declarat, Eccleſiam non poſſe ſolvere mortuos virtute Sacramentorum, & per modum judicij, licet poſſit eos à pœnis Purgatorij liberare per modum ſuffragij. Inde enim infertur evidenter contrà Marcioniſtas, & Cataphrygios, quòd Eccleſia non poteſt conferre mortuis Baptiſma etiam in perſona alicujus hominis vivi, Baptiſmum pro mortuo petentis. Nam cùm hoc Sacramentum inſtitutum fuerit à Chriſto Domino, & datum Eccleſiæ ut nobis remitteretur peccatum Originale, & omnia ea, quæ commiſſa ſunt ante ſuſceptionem Baptiſmi, non poteſt prodeſſe niſi illi, cui confertur.

Deciſio Concilij Carthaginenſis.

Ex natura Sacramentorum facilè colligitur, Baptiſma non poſſe conferri mortuis, eſt enim inſtrumentum à Deo Eccleſiæ militanti conſignatum ad tribuendam gratiam remiſſivam peccatorum, illis, qui adhuc vivunt in terris, ut ad cœleſtem patriam pervenire poſſint. Unde Matth. ult. legitur, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, quo ſuadetur, eos, qui non ſunt in mundo, nullatenus poſſe ſuſcipere Baptiſmum in remiſſionem peccatorum, quia in alio mundo peccata non remittuntur, ſed puniuntur, & mortui non ſunt in mundo: impoſſibile eſt igitur, imo & contra intentionem Chriſti, quòd baptizentur non dùm in ſe, ſed etiam in alijs, quia Chriſtus manifeſtando Baptiſmi neceſſitatem; & Apoſtolis Evangelij prædicationem commendando, non dixit quòd baptizaretur unus pro alio, ſcilicet vivus pro defuncto, ut voluere Marcioniſtæ & Cataphrygij; ſed quiſquis pro ſe: Undè Marcus inquit cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et D. Petrus Act. 2. verſ. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Sed qui à vita, ſine Baptiſmo deceſſit (quamvis in ejus locum ſubmittatur vivus, in quo baptizetur) mortuus eſt ſine Baptiſmo; ac proindè perire debet, quia non credidit, nec fuit baptizatus in re, nec in voto, ut ſupponimus.

Matth. ult.

Marc. ult.

Idem poteſt probari hac ratione. Ille, qui ſine Baptiſmo moritur, neceſſe eſt ut ſtatim poſt mortem vadat ad Gloriam, aut in Infernum, aut ad Purgatorium, quidquid poſt ipſius mortem fiat ab hominibus. Non vadit ad gloriam, ad quam nihil coinquinatum intrat, nec in Purgatorium quod eſt via ad gloriam, quia in illo loco exiſtunt illi duntaxàt, qui ſunt in gratia, ſeu qui ſunt electi, qui tamen ob quædam peccata levia indigent aliqua purgatione, ut in proprio loco dictum eſt: neceſſe eſt igitur quòd ille, qui ſine Baptiſmo moritur, ſtatim deſcendat in Infernum, quoniam Chriſto ſic teſtante, qui non eſt baptizatus, damnabitur, idcircò quamvis baptizetur poſt mortem in ſe, vel in alio, pro ſe reſpondente in feretro, non poteſt verè baptizari, nec gratiam recipere, nec de inferno exire, cùm teſte Scriptura, in inferno nulla ſit redemptio. Ad quid enim prodeſt jam mortuis conferre Baptiſma, niſi ad delendum peccatum originale, ad tribuendam gratiam, & jus ad gloriam? quam conſequi non poſſunt illi, qui ſunt in inferno, ac proindè nec ille qui ſine Baptiſmo mortuus eſt, ergo inutile eſt baptizare eum, qui jam mortuus eſt, cum ſit jam condemnatus, & ſolus ille qui renatus eſt ex aqua, & Spiritu S. poſſit introire in regnum Dei, teſtante Chriſto Domino Joan. 3. verſ. 5.

Argumentum ex ratione deſumptum.

Ex Sacra Scriptura conſtat, Deum nobis conceſ-

ſiſſe hanc vitam,ut per bona opera valeamus ad cœleſtem patriam pervenire, ipsâ vitâ tamen finitâ, nullum nohis reſtat medium merendi, unuſquiſque enim præmiabitur juxtà id, quod in vita geſſerit, quoniam ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc, autem judicium, ſeu ſuſceptio præmij, aut pœnæ teſte Apoſtolo ad Heb. cap. 9. verſ. 27. Undè Eccleſ. dicitur cap. 8. quòd ad quamcumque partem lignum cæciderit, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, ibi manebit, hoc eſt, in Cœlo, vel in inferno, cùm poſt mortem non ſit alius ultimatus à nobis locus expectandus; igitur ille, qui ſine Baptiſmo mortuus eſt, cecidit ad Aquilonem per quem figuratur infernus, quin poſſit indè exire; licet baptizetur: mortui enim nihil noverint amplius, nec habebunt ullam mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum, amor quoque, & odium, & invidia ſimul perieruot. Nec babebunt partem in hoc ſæculo, & io opere quod ſub ſole geritur, ut ait idem Eccleſiaſtes cap. 9. verſ. 5. & 6. Hinc eſt quòd verſ. 10. ſubdit, *Quodcumque facere poteſt manu tua; inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Ergo ſi mortui non habent partem in opere, quod ſub ſole geritur, non habent illam in Sacramento Baptiſmi, quod eſt janua Eccleſiæ militantis, cujus porta clauſa eſt defunctis, quia ſunt in ſe beati, vel ſunt in loco Dœmonum, vel in purgatorio, ut jam ſupra monui. Hinc eſt quod Eccleſiaſticus cap. 14. verſ. 17. ait: *Ante obitum tuum operare juſtitiam: quoniam non eſt apud inferos invenire cibum.* Et Chriſtus, Joan. 9. verſ. 4. *venit nox, quando nemo poteſt operari.* Hoc eſt, venit mors poſt quam nihil poſſumus agere: itaque Baptiſmus non poteſt prodeſſe homini mortuo, quoad remiſſionem peccatorum, nec quoad infuſionem gratiæ, nam Chriſtus per noctem intelligit mortem, ſeu ſtatum poſt mortem, in quo nemo poteſt meritoriè operari.

Argumentum deſumptum ex ſcriptura.

Eccleſ. 9.

Eccleſ. 14.

Undè D. Auguſtinus apud Proſperum, ait: *Fruſtrà ſibi homo poſt hoc corpus promittit, quod in corpore comparare neglexit*, quibus oſtendit quod Cataphrygij gratiam ſibi fruſtrà promittunt per Sacramentum poſt mortem collatum, quia hoc Sacramentum Baptiſmi debet lavare corpus vivum, ut ſanctificet animam, nec poteſt homo ſalvari, niſi fuerit hac aqua lavatus. Quapropter Tertullianus cap. 1. lib. de Baptiſmo vocat Chriſtianos Piſciculos, quia nimirum ſicot Piſces in aquis elementaribus corporaliter generantur, ità Chriſtiani in fonte Baptiſmatis ſpiritualiter regenerantur: *Nos piſciculi* (inquit) *in aqua naſcimur, nec aliter quam in aqua permanendo ſalvi ſumus.*

D. Auguſt.

Tertulliani

§. Unicus.

In quo proponitur, & rejicitur Argumentum oppoſitum

HÆretici, qui mortuos baptizabant, veritatem noſtram impugnant ex illo 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 29. & ſequentibus, ubi legitor, Apoſtolum dixiſſe. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis; ſi omninò mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? ut quid & nos periclitamur omni hora? quotidiè morior per veſtram gloriam; fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Indè enim concludunt, neceſſarium eſſe juxtà mentem Apoſtoli, quòd vivus baptizetur pro homine mortuo, qui dum viveret non ſuſcepit Baptiſma, vel quod in primitiva Eccleſia eſſet talis conſuetudo baptizandi vivos pro mortuis, quam Paulos approbabat: Impoſſibile enim eſt alium his verbis Apoſtoli præbere ſenſum.

Hæreticorum ratio.

Reſpondet D. Ambroſius, qui eumdem D. Pauli textum exponens, ait: *Intentum ratam & ſtabilem vult oſtendere reſurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam ſecuri erant de futura reſurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, ſi quem forte mors prævenisſet, timentes ne aut malè, aut non reſurgeret, aut qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur. Unde ſubjecit; quid & baptizantur pro illis? exemplo hoc non factum illorum probat, ſed fixam fidem in reſurrectione oſtendit. Quid & nos periclitamur omni hora? quotidiè morior pro gloria veſtra, quam habeo in Domino, dicendo quid & nos periclitamur? diſcrevit perſonas, oſtendens non Catholicos eſſe qui pro mortuis baptizabantur, denique ſuprà dixit, ut quid baptizantur pro illis? nunquid dixit, & baptizamur pro illis.*

Reſponſio D. Ambroſ.

Ex bac Ambroſiana reſponſione & expoſitione conſtat, Apoſtolum non docuiſſe, pro mortuis qui ſine Baptiſmo deceſſerunt è vivis, eſſe baptizandos vivos, ut monet noſter Alphonſus à Caſtro, qui eadem Divi Ambroſij verba refert. Sed conſtat, Apoſtolum Corinthiis ex ipſorum facto oſtendiſſe, reſurrectionem mortuorum eſſe futuram, ac ſi dixiſſet illis, ſi omnino mortui non reſurgunt, quid facient qui baptizantur pro mortuis. Undè ſi Adverſarij nolint hanc expoſitionem tamen negare non poſſunt ibi Apoſtolum retuliſſe conſuetudinem illam Marcioniſtarum vivum pro mortuo baptizantium fuiſſe jam ſuo tempore ab aliquibus introductam, ſed non conſtat ipſum Apoſtolum approbaſſe illam: nequeunt igitur Marcioniſtæ, & Cataphrygij hominem vivum pro mortuo baptizare. Nullique licet authoritate Apoſtoli hanc hæreſim Marcioniſtarum, & Cataphrygiorum ſoſcitare quia non approbat Baptiſmum vivis collatum pro mortuis, ſed ſolùm monet hoc Baptiſma olim fuiſſe in uſu illicito.

ARTICULUS XXXII.

Negat contra Armenos, Chriſma eſſe abſolutè neceſſarium ad validitatem Baptiſmi.

ARmeni nedùm volunt ſimol cum Baptiſmo adminiſtrandam eſſe Euchariſtiam, ut jam dictum eſt, ſed volunt inſuper Chriſma adeò eſſe exactum ad verum Baptiſmum perficiendum, ut niſi baptizatus Chriſmate ungatur, non ſit baptizatus, ut teſtatur Guido Carmelita. Anno autem MCCCLII tempore Caroli IV. Imperatoris, & Innocentij VI. Papæ, quidam hæreticus nomine Claudius, natione Anglus, & conditione Epiſcopus Taurinenſis, præter Chriſma voluit aliquid allud eſſe Baptiſmo abſolutè neceſſarium, quippè docuit Baptiſmum collatum ſine ſigno Crucis, digito Miniſtri facto in fronte baptizati; eſſe nullom.

Armenij

Poſt Armenos, & Claudium Taurinenſem, inſurrexerunt alij hæretici, qui Eccleſiæ aliâ viâ contradixerunt, ſcilicet Lutherus, & Calvinus, qui licet non dixerint, Chriſma, & ſignum Crucis in fronte baptizati digito imponendum, eſſe de Baptiſmi neceſſitate, tamen improbarunt cæremonias, quas in ſolemni Baptiſmi adminiſtratiooe ſervat Eccleſia. Nam Lutherus lib. de piis cæremoniis negat, nllas alias uſurpandas eſſe cæremonias, præter eas, quas ſcriptura commemorat, & ideo improbat omnes cæremonias Sacras, quas adhibet Eccleſia Romana in Baptiſmo ſolemni. Idem docet Calvinus lib. 3. inſtitut. cap. 15. num. 19.

Claudius Taurinenſis

Lutheri & Calvini error circà Baptiſmum

Reverà Lutherus & Calvinus non ſunt ſecuti in hac parte Armenos, nec Claudium Taurinenſem, qui voluerunt Chriſma & ſignum Crucis neceſſa-

riò requiri ad validitatem Baptiſmi, quinimo videntur ab illis recedere, quia negãdo cæremonias, negant Chriſma & ſignum Crucis, ſed per hoc non ſunt minùs impij; cùm voluerint improbare cæremonias, quas ad ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem inſtituit Romana Eccleſia. Unde eos meritò damnat ipſa Eccleſia in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere Can. 13. ubi legitur: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſia Catholica ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato, à Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem poſſe mutari; Anathema ſit*, quibus conſtat, in Baptiſmo ſolemni, nullam ex cæremoniis in Rituali Romano præſcriptis, poſſe citrà peccatum omitti, nec citrà anathema, aut hæreſim impugnari: præcepta enim Eccleſiæ gravia ſunt, ideoque ab omnibus Chriſtianis obſervanda ſub gravi pœna, non verò ſub pœna nullitatis Sacramentorum. Quia ut valida ſint, ſufficit quòd interveniant ea, quibus perficiuntur, utpotè materia, forma, & Intentio Miniſtri.

Hæreſis proſcriptio.

§ I.

Non numerat Chriſma, neque ſignum Crucis inter Res ad validitatem Baptiſmi neceſſarias.

ERror Armenorum pariter & Claudij Taurinenſis manifeſtè convincitur omnibus rationibus, quibus convincitur alter error de Euchariſtia ſimul conferenda cum Baptiſmo, quia ex inſtitutione ipſius videntur ea, quæ ad ejus utilitatem, & validitatem neceſſaria ſunt. At Chriſtus dum Baptiſmum inſtituit, & dum Apoſtolis præcepit, ut adminiſtrarent illum, his verbis, *Ite in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ, docentes omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nullum de Chriſmate, & ſigno Crucis adhibendis, dedit præceptum, ſicut nullum dedit de Euchariſtia ſimul cum Baptiſmo adminiſtranda. Nam Joannes Baptiſta prænuntians Baptiſma Chriſti, illud in aqua, & Spiritu S. tantum prænotiat, neque aliquid aliud aſſignat præter aquam. Apoſtoli quoque ſine Chriſmate, & ſine ſigno Crucis in fronte Infantis adhibito, baptizabant, ut quodam exemplo ipſorum Apoſtolorum probatum manet in præcedenti articulo; igitur Armeni, & Claudius Taurinenſis nequeunt citrà hæreſim aſſerere, Chriſma, & hujuſmodi Crucis ſignum requiri ad validitatem Baptiſmi tanquam res eſſentiales ex vi inſtitutionis ejus, & intentionis Chriſti.

Argumentum probans veritatem articuli.

Hujus veritatis certiſſima ratio communiter ab omnibus recepta, eſt quia quod eſſentiale eſt Sacramentis, non ex libero hominum arbitrio, ſed ex ſola inſtitutione Sacramentorum, vel ex ſcriptura, aut Traditione Apoſtolica diſci poteſt; cùm Sacramenta ſint ſigna divinitus inſtituta. Et Chriſtus dixerit Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* in quibus verbis nulla fit mentio explicita, nec implicita de Euchariſtia, de Chriſmate, nec fit de ſigno Crucis in fronte baptizati apponendo.

Deindè dum Sacramentis aliquid additur, vel aufertur, vel mutatur, neceſsè eſt quòd illud non ſit eſſentiale, nec ſubſtantiale, ut ſuadet Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. ubi habetur: *Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*: quibus conſtat quòd ſi Eccleſia addiderit Chriſma, & ſignum Crucis in baptiſmo ſolemni, hoc non debet recipi tanquam aliquid eſſentiale, & ſubſtantiale, ità ut baptiſma ſine Chriſmate, & ſigno Crucis, ſit invalidum, ſed tamquam aliquid valdè utile. Si non ad cauſandam gratiam ſanctificantem, nec ad remiſſionem peccatorum, ſaltem ad exprimendos alios effectus, & ad fidem, aut charitatem fidelium excitandam. Quòd non poteſt citra peccatum omitti, niſi neceſſitas excuſet, quin tamen (etiam ſecluſa neceſſitate) baptiſmus ſit invalidus, ſi ſine Chriſmate, & ſigno Crucis ſolemniter adminiſtretur. Aliud quidem eſt baptiſma eſſe illicitum, & aliud eſſe invalidum. Miniſter qui non obſervat in adminiſtratione Sacramentorũ ea, quæ Eccleſia inſtituit, reverà peccat, & illicitè adminiſtrat, ſed Sacramento non officit, contemnit præceptum Eccleſiaſticum, & ideo Reus eſt, ſed non infirmat Sacramenti virtutem, quia à Deo eſt, idcircò validè; adminiſtrat; licet illicitè adminiſtret. Baptiſmus, enim talis eſt, inquit D. Auguſtinus homil. 5. ſuper Joan. qualis ille in cujus nomine datur, non qualis Miniſter à quo datur.

Tridentinũ.

Lutherus, & Calvinus, quos dàmnat Sacra Tridentina Synodus, impugnantur, & confunduntur antiquo praxi Eccleſiæ, quæ ab exordio, hoc eſt, à tempore Apoſtolorum in ſolemni adminiſtratione hujus Sacramenti, ultrà materiam, formam, Miniſtrum, & intentionem, quæ ad baptiſmi validitatem neceſſariò requiruntur, aliquos ritus laudabiliter obſervavit, qui partim ab Apoſtolorum inſtitutione tranſmiſſi, partim ex Patrum teſtimoniis temporum ſucceſſione uſu invaluerunt: Igitur non ſunt novum quoddam figmentum, ut peſſimè garriunt ipſi, itaque ſunt obſervandi ab omnibus, quia tenentur acquieſcere Matris & Magiſtræ fidei Eccleſiæ Romanæ præcepto, cujus authoritatem ſic Chriſtus Dominus ſemper inoffenſam mirabiliter oſtendit, ut nullus ſit, qui reijcere poſſit, aut affirmare, eam non eſſe veritatis depoſitum à Spiritu S. procedens. Hoc quoque apud eamdem Eccleſiam, Chriſtum conſervaſſe, ſuadebitur ex eo quod dono ſcientiæ, & intellectus, cæteras quaſcumque Eccleſias, vel Congregationes nobiliter ſuperet, atque confundat, ſicut veritas confundit falſitatem, & lux depellit tenebras, idcircò obſervandæ ſunt in baptiſmo ſolemni cæremoniæ ab Eccleſia Romana præſcriptæ. Nam licet cæremoniæ in baptiſmi celebratione ab Eccleſia Catholica divinitùs inſpirata, adhibitæ, Sacramenti naturam non attingant, ſubindéque iis omiſſis, validum ſit & integrum Sacramentum, illicitè tamen miniſtraret, qui citrà urgentis & moræ impatientis neceſſitatis articulum, ijs prætermiſſis, Sacramentum illud perageret, quia peccaret contra præceptum Eccleſiæ, quæ hujuſmodi cæremonias potuit inſtituere. Nam ſicut Deo authore Sacramenta inſtituta ſunt, ita eodem inſpirante, Sacros illos ritus ab Eccleſia præſcriptos eſſe, credendum eſt: impia eſt igitur mens Lutheri & Calvini ritus in celebratione Baptiſmi, Eccleſia jubente, obſervandos impugnantium.

In baptiſmo obſervandæ ſunt cæremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ.

Quænam autem ſint hujuſmodi cæremoniæ Baptiſmo ſolemniter adhibendæ, ad nos non ſpectat referre eas, nec definire, ſufficit remittere lectorem ad Rituale Romanum, & ad Theologos Scholaſticos à quibus fideliter referuntur, & adducuntur motiva propter quæ Eccleſia ea inſtituere voluit, quia controverſia, quæ eſt inter nos, & hæreticos, non eſt, quid ſint, aut quot ſint cæremoniæ Baptiſmi, ſed an obſervandæ ſint, & hoc eſt ſufficienter probatum ex dictis ſupra.

Digitized by Google

§. II.

Reſpondet Authoritati Adverſariorum.

Argumentum hæreticorum ex Concilio Arauſicano malè deductum.

OBjiciunt Concilium Arauſicanum primum celebratum anno CCCCXLI. ſub Leone I. hujus nominis Pontifice, Theodoſio Juniore in Oriente, & Valentiniano III. in Occidente Imperatoribus, Præſide Hilario Atelatenſi, cui interfuit Eucherios Epiſcopus Lugdunenſis è monaſterio celeberrimo Lyrinenſi aſſumptus, ſicut & ipſe Hilarius, qui fuit Monachus ejuſdem illoſtriſſimi, ac Sacratiſſimi Cænobij. Secundus Canon hujus Concilij, quô contra nos utuntur Armeni, ait: *Nullus miniſtrorum qui baptizandi recipit officium, ſine Chriſmate uſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel in Baptiſmate chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt.* Quibus præcipitur, Chriſma eſſe adhibendum in Baptiſmo.

Explicatur Authoritas Concilij Arauſicani

Non valet contra nos hæc Armenorum ratio, quia hoc Concilium non præcipit hanc Chriſmationem ex neceſſitate Sacramenti, ut Interpretantur Armeni, ità ut ſine illa Baptiſmus ſit nullus, ſed ſolum ex neceſſitate præcepti, ſeu præcepti Eccleſiaſtici, ut facile colligi poteſt ex verbis, quæ ſequuntur, nam ſtatim ſubdit: *Non præjudicantes quidquam hoc dicimus: ſed ut neceſſaria habeatur Chriſmatio*, quaſi dicat, per hoc quod dicimus, non facimus præjudicium, quin in alio tempore, quàm in Confirmatione, poſſit hæc Chriſmatio fieri in vertice, ibi enim nulla fit mentio de reiterando Baptiſmo ſine Chriſmate adminiſtrato, quæ tamen fieret ſi abſolutè eſſet neceſſaria, ut volunt Armeni: ergo Concilium Arauſicanum non declarat Baptiſma ſine Chriſmate, & ſigno Crucis collatum, eſſe nullum, ſed ſolum eſſe illicitum propter mandatum Eccleſiæ applicationem Chriſmatis præcipientis Miniſtris ex officio, ſeu ſolemniter baptizantibus. Hinc eſt quod Parochus, aut alius Sacerdos ab eo deputatus, qui ſine Chriſmate baptizat, mortaliter peccat; validè tamen baptizat, quoniam Chriſma, & ſignum Crucis non ſunt de eſſentia Baptiſmi.

ARTICULUS XXXIII.

Admittit contra Ruthenos Sacramentum Confirmationis.

Novatiani

PLures extiterunt Sacramenti Confirmationis Impugnatores infeoſiſſimi, quorum præcipui ſunt Novatiani, quibus nomen dedit Novatus, Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui circa annum Domini. CCLV. ſub Gallo & Uoloſiano Imperatoribus, & Cornelio Papa, dicebat, baptizatos non eſſe obſignandos Chriſmate ab Epiſcopo, id eſt, confirmandos, non quod judicaret, Confirmationem eſſe ipſis ſuperfluam, ſed quia credebat, & prædicabat, nullum eſſe Confirmatioois Sacramentum, ut referunt Theodoretus lib. 3. Hæreticarum fabularum, & Cornelius Papa in Epiſtola ad Fabium Antiochenum, quæ habetur apud Euſebium, lib. 6. cap. 35.

Arius

Arius ſimiliter hoc Sacramentum contempſit, ut colligitur ex Concilio Nicæno Can. 31. Arabico. Et Arelatenſi II. Can. 17. Et Trallenſi Can. 95. Donatus pariter in hoc Sacramentum contumelioſus fuit, ut teſtatur Optatus lib. 2. contra Parmenianum, ubi refert, Ampullam vitream Sacri Chriſmatis à Donatiſtis projectam per feneſtram, divinitùs ſervatam fuiſſe illæſam, quæ nedum probat, Chriſma eſſe ſanctum, ſed etiam Donatum contempſiſſe Chriſmatis Sacramentum, Id eſt Confirmationem.

Donatiſt

Græci non ſunt hujus hæreſis defenſores.

Guido Carmelita, vult Græcos etiam eſſe hujus Sacramenti impugnatores. Quòd improbabile mihi videtur authoritate Bernardi de Loxemburgo, qui in ſuo Catalogo hæreticorum de Græcis loquens, aſſerit eos Sacramentum Confirmationis ſtatim poſt Baptiſmum conferre parvulis, & hoc per ſimplices Sacerdotes. Unde cum ipſe Bernardus, & plures alij graviſſimi Scriptores, & Hiſtorici; quorum nomina taceo, mihi videantur fideliores Guidone, Græcos non audeo inter hujus Sacramenti impugnatores reponere, nè ipſorum calumniator efficiar, ſufficit quòd intendam reponere eos inter illos, qui volunt, Epiſcopos non eſſe miniſtros ordinarios Confirmationis, unicuique enim Sacerdoti tribuunt poteſtatem confirmandi.

Uvaldenſes

Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, negarunt Confirmationem eſſe Sacramentum novæ legis, à Chriſto Domino inſtitutum, ut de eis teſtatur Æneas Silvius (qui poſtea Summus Pontifex factus, & Pius ſecundus dictus eſt) in lib. de Origine Bohœmorum cap. 35. ubi errores Uualdenſium recenſens, hunc circa Confirmationem inter alios illis impingit, quamvis Guido de eorum erroribus diſſerens, hanc hæreſim eis non tribuat.

An Joannes Uvicleffus fuerit hujus hæreſis defenſor.

Thomas Uvaldenſis Tom. 2. cap. 3. monet, Joannem Uvicleffum negaſſe, Confirmationem poſſe probari ex ſcriptura, addidiſſe inſuper nonnullos dicere, Confirmationem introductam fuiſſe à Dœmone, ex quo plures recentiores cum eodem Scriptore inferunt, Uvicleffum impugnaſſe hoc Sacramentum, quia (inquiunt) ſi credidiſſet, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum, reprehendiſſet eos, qui hoc dicebant; quos tamen non reprehendit. Porrò hæc illatio non placet pluribus, qui Uvicleffum ab hoc errore excuſant, & hoc illi ſolum impingunt quod videlicet dixerit, Confirmationem poſſe conferri à quocumque Sacerdote, & quod ſola lucri temporalis cupiditate, eſt reſervata Epiſcopis Confirmationis admioiſtratio. Ità colligit noſter Alphonſus à Caſtro, ex eodem Thoma Uvaldenſi Tom. 1. doctrinalis fidei lib. 2. cap. 57. Unde ipſe Uvicleffus remittendus eſt ad hæreſim eorum, qui volunt ſimplicem Sacerdotem eſſe legitimum, & naturalem Confirmationis miniſtrum. Non verò ad præſentem, ut volunt plures. Sed ſicut ſacrorum Rituum, & Romanæ Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimi fuerunt Lutherus & Calvinus, Rutheni & Sectarij, etiam præ cæteris in hoc Confirmationis Sacramentum ijdem deſævierunt: Lutherus enim lib. de captivit. Babylon. illud appellat inventum purè humanum, Calvinus autem in Antidot. Concilij Tridentini, ſeſſ. 7. Can. 2. vocat Patres ejuſdem Sacræ Synodi, Porcos & Aſinos refugientes ad Oleum Confirmationis, quia putat Confirmationem non eſſe opus Chriſti, nec Sacramentum novæ legis, ſed figmentum imaginatione humana efformatum, & authoritate Papiſta receptum velut Sacramentum à Chriſto inſtitutum ad conferendam gratiam.

Lutherus

Calvinus

Rutheni quos Roſanos vocat Strabo, reſpuunt Confirmationem, & Extremam-Unctionem; velut res ab Eccleſiaſticis excogitatas. Idem dicunt Sectarij, ſeu Semilutherani, & alij Lutherani, qui diverſo nomine vocantur ratione loci, vel Authoris ſpecialis, ardentiori impietate Lutheri errores tuentis; licet omnes ex eodem putrido fonte emanaverint.

§. I.

De Deciſione Conciliorum.

PLura ſunt Concilia, quæ contrà hæreticos affirmant, Confirmationem eſſe Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino inſtitutum. Primum eſt

Eliberitanum. Eliberitanum celebratum ſub Marcello Papa I. anno circitèr, CCCV. per Epiſcopos XIX. quod in Can. 38. ait, peregrè navigantes, poſſe fidelem ad Epiſcopum perducere, ut ungatur oleo Sancto, hoc eſt, ut confirmetur. Hæc quippè unctio nequit dari fideli, ſeu baptizato per Epiſcopum, niſi in Sacramento Confirmationis, quod Chriſmatis unctione conficitur.

Laodicanū Idem declarat Laodicænum celebratum anno CCCXVIII. ſub Silveſtro Papa per XXXII. Epiſcopos, nam Patres illius Concilij Can. 48. dicunt, *Oportet baptizatos Sacratiſſimum Chriſma percipere, & cæleſtis regni participes fieri.*

Florentinum ſub Eugenio IV. cum Epiſcopis CXLI

Florentin. anno MCCCCXXXIX. eamdem veritatem definivit in decreto de Armenis, ibi enim legitur: *Effectus Sacramenti hujus, eſt quia in eo datur Spiritus S. & robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen, ideoque in fronte ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, nè Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem ejus, qui Judæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno Crucis ſignatur.*

Extant alia Concilia præcedentia Concilium Florentinum, quæ eamdem veritatem declarant, ſcilicet

Carthaginenſe III. & IV. Carthaginenſe III. & IV. Toletanum I. cap. 20. Et Bracarenſe I. cap. 37. & alia quamplurima relaris anteriora, quorum verba omiſi, exiſtimans citata ſufficere ſimul cum Tridentino, quod ſeſſ. 7. de Con-

Toletanū I. firmatione Can. 1. ait: *Si quis dixerit, Confirmationem*

Bracarenſe I. *baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm Catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; Anathema ſit.* Et in Can. 2. *Si quis dixerit, injurioſos eſſe Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam*

Tridentinum. *tribuunt: Anathema ſit.* Indè enim patet poſt Baptiſmum, Sacramentum Confirmationis ſuccedere, ut ſi in illo ad vitam regeneremur, in hoc armemur ad

Melchiades Papa. pugnam, ut inquit Melchiades Papa & martyr, ut cum gratiæ augmento, certiùs agnoſcere, & conſtantèr exercere valeamus fidei Chriſtianæ munia. Chriſtus enim venit ut vitam habeamus per Baptiſma, per quod primitias Spiritus accipimus. Et abundantiùs habeamus per Confirmationem in ordine ad fidem tuendam contrà hoſtes Chriſti. Fortior enim eſt confirmatus non confirmato ad roborandam animam contra Diaboli impetus, ut exprimit D. Gre-

D. Gregorius gorius in oratione ad Sanctum lavacrum, ubi ille Sanctiſſimus Papa ait: *At ſi tu poſt Baptiſmum te obfirmaveris, & præclariſſimo, ac firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris, animum ſcilicet, & corpus unctione, & Spiritu conſignans. Quemadmodum olim Iſrael nocturno illo primogenoſque illos, euente cruore quid tibi accidet? & quod tibi præſidium comparatum erit? audi Salomonis paræmias, ſi ſederis intrepidus eris: ſi dormieris, ſuavis erit ſomnus tuus.*

§. II.

Statuitur Confirmatio.

HAnc eſſe verè Sacramentum indicat S. Joannes Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 19. & 20. ubi ait. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint* *Epiſt. 1. Joan. cap. 2*
quoniam non ſunt omnes ex nobis. Sed vos unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia. D. Athanaſius Epiſt. ad *D. Athanaſius*
Serapionem interpretatur hæc verba de baptizatis, qui Confirmationem receperunt, dicens: *Chriſma eſt Spiritus, & ſigillum cùm Joannes ſcribat: unctio quam accepiſtis ab eo, manet in vobis.* Et in Iſaya ſcriptum *Iſay.*
eſt: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me.*

Idem ſuadet Apoſt. ad Epheſ. cap. 1. verſ. 13. *Epheſ.*
in quo, ſcilicet in Chriſto, *Et vos, cum audiſſetis verbum veritatis, (Evangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Dicimur autem ſignari Spiritu promiſſionis per Confirmationem, quia, teſte Joanne, Dominus promiſit ſe miſſurum Spiritum S. dicuntur verò fideles (quos alloquitur Apoſtolus) ſignati in die redemptionis, id eſt, in die Baptiſmi, in quo baptizati ab Apoſtolis confirmabantur, & augmentum gratiæ recipiebant ad tuendam Chriſti fidem, quam in Baptiſmo receperant, ut ſuadent verba Melchiadis Papæ ſuprà relata. Hæc enim ſignatio fiebat per veram unctionem, & impoſitionem manuum, ut inſinuat Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 1. verſ. 21. & 22. dicens: *Qui autem* *2. Corinth. 1*
confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris, per manus ſcilicet Apoſtolorum.

Undè S. Clemens lib. 3. conſtitut. Apoſt. cap. 10. ait: ſe à D. Petro accepiſſe quod omnibus feſtinandum eſt abſque mora naſci Deo, ac demùm conſignari ab Epiſcopo, id eſt, in Confirmatione Spiritus *D. Cyprianus.*
Sancti gratiam accipere. D. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 1. ait *Tunc demum plene ſanctificari & eſſe Filij Dei poſſunt ſi Sacramento utroque*, ſcilicet de Baptiſmo & Confirmatione, *naſcantur*. Et D. Ambroſius lib. 3. *D. Ambroſius.*
de Sacramentis cap. 2. poſtquam de Baptiſmo locutus eſt, inquit: *Sequitur Spirituale ſignaculum, quia poſt fontem ſequitur ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* Ità enim locuti ſunt Sancti Patres, ut indè videamus, nos poſt Baptiſmum recipere Spiritum Sanctum per quoddam ſignaculum, vel Sacram unctionem, quæ in nobis fit per Confirmationem, quæ in genere viſibilium ſignaculorum, ſignaculum Sacro-Sanctum eſt, ut monet *D. Auguſt.*
D. Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum cap. 104. ideoque hæc unctio eſt Sacramentum, cùm per Sacramenta duntaxat infundatur Spiritus Sanctus.

Concilium Arelatenſe Can. 8 jubet ut hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, non conferatur Baptiſmus denuò, ſed manus ab Epiſcopis imponantur, ut accipiant Spiritum Sanctum, quia illi hæretici verum conferebant Baptiſma, ſed non adminiſtrabant Confirmationem, idcircò hæc eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum ad conferendum Chriſtianis novum robur, & augmentum gratiæ ad fidem ſuam profitendam conſtantèr, & contra Adverſarios defendendam, ut ad plenum Chriſtianum ſpectat. Undè Ur- *Urbanus Papa.*
banus Papa in Epiſtola ſua decretali, ait: *Fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum Sanctum, poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*, ſeu dum fidem profitendi erit occaſio, quapropter hæc Sacra unctio fit in fronte hominis baptizati, ad formam Crucis, ut ubi pudoris ſedes eſt, ibi fiat ſignaculum quod erubeſcere non permittit.

Eadem veritas colligitur ex Act. Apoſt. cap. 8. Ubi legimus, quòd cùm Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, audiſſent quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu, tunc imponebant manus ſuper illos

&

Apoſtoli confirmabant baptizatos.

& accipiebant Spiritum Sanctum. Quibus verbis conſtat, Spirimm Saoctum deſcendiſſe ſuper baptizatos ad impoſitionem manuum Apoſtolotum. Hæc autem impoſitio manuum orationi conjuncta confirmabat baptizatos, eiſque conferebar gratiam cum Spiritus S. numquam detur, quin gratia infundatur, acproindè erat Confirmàtiouis Sacramcotum, ut interpretantur Sacri Doctores, & Concilium Generale Florentinum, quod definiendo Confirmationem, ipſum locum Apoſtolorum de Confirmatione eſſe intelligendum decernit. Ut pater ex dictis ſuprà.

Simon Magus hanc Spiritus Sancti infuſionem ſtatim teſtatus eſt, nam cum vidiſſet quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: *Date & mibi hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum* Igitur tunc cognovit Simon, Apoſtolos conferre Spiritum Sanctum, qui cùm non potuerit conferri, nec infundi charitas ipſius, niſi per Sacramenta, utpotè quando Apoſtoli manus imponebant, proculdubio indè intulit ille Simon Magus Simoniæ Author, Apoſtolos tuoc conferre aliquod Sacramentum, non Baptiſma; quia imponebant manus ſuper baptizatos, ſed Confirmationem. Quòd

Confirmatio eſt verum Sacramentum.

verum eſſe probo hoc argumentô inconcuſsò. Signum ſenſibile divinitus inſtitutum ad conferendam gratiam ſanctificantem, eſt verè Sacramentum novæ legis, ut conſtat ex definitione Sacramenti ab omnibus tradita, ſed hæc manuum impoſitio ab Apoſtolis frequentata, erat ſignum ſenſibile conferens Spiritum Sanctum, & charitatem (quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis) erat pariter ſignum à Chriſto inſtitutum, alioquin eo ritu non eſſent paſſim uſi Apoſtoli ad conferendam gratiam; & ad communicandum Spiritum Sanctum, talis ſiquidem ritus non erat in poteſtate Apoſtolorum, ſolius quidem Chriſti eſt inſtituere cæremonias, quibus Spiritus S. certò & infallibiliter poſſit conferri, quia ipſi ſoli Deus Pater dedit poteſtatem in Cœlo & in terra primario & principaliter: ergo hæc manuum impoſitio Apoſtolorum erat verum Sacramentum, quod ipſi Apoſtoli (Deo ſic volente) reliquerunt ſucceſſoribus ſuis, utpotè Epiſcupis, ut baptizatis conferrent Spiritum Sanctum pro tuenda fide.

Melchiades Papa.

Hæc omnia confirmat Melchiades Papa, & martyr in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. *In Baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione confirmatur ad pugnam; In fonte Baptiſmatis Spiritus S. plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum ad pugnam Confirmamur. In Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur. Regeneratio per ſe ſalvat in pace Baptiſmum recipientes, Confirmatio armat, atque inſtruit ad agones.* Hæc quidem beneficia nequeunt à Confirmatione provenire, niſi ipſa ſit Sacramentum.

Hoc argumentum infirmare conantur Calvinus, Brentius, & alij, dicentes, hanc impoſitionem manuum Apoſtolicarum non dediſſe Spiritum Sanctum, ſeu gratiam ſanctificantem, ſed gratiam gratis datam, ut Donum linguarum &c. Sed non valet hæc ratio hæreticorum qui ſi nolint nobis credere, credant Simoni Mago ſupra citato, qui teſtatus eſt, eos quibus Apoſtoli imponebant manus, recepiſſe Spiritum Sanctum, ut legitur Act. cap. 8. verſ. 19. forſan credent illi, quia Impij Impiis credere ſolent.

Ejicitur hæreticorũ reſponſio.

Deindè gratiæ gratis datæ non conferebantur omnibus baptizatis, etiamſi ipſis daretur Confirmatio per impoſitionem manuum Apoſtolorum, ſed aliquibus tantum prout Eccleſiæ expediebat, ut ſuadet Apoſt. 1. ad Corinth cap. 12. verſ. 29. *Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Donum autem Spiritus Sancti, quod per manus impoſitionem conferebatur, dabatur omnibus, quibus ab Apoſtolis imponebantur manus, ſicut datus fuerat Apoſtolis. Undè Act. 1. verſ. 8. dicitur, *accipietis virtutem ſupervenientis in vos Spiritus Sancti, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & Samariæ, & uſque ad ultimum terræ,* Quibus conſtat, Chriſtum promiſiſſe ipſis Apoſtolis Spiritum Sanctum. Petrus autem declarat Act. cap. 2. eumdem Spiritum Sanctum, quem acceperant Apoſtoli ipſi in die Pentecoſtes, dandum eſſe omnibus fidelibus, ibi enim in verſ. 38. legitur: *Petrus verò ad illos*, ſcilicet ad Judæos, qui interrogabant eum *Dixit; pœnitentiam agite, & unuſquiſque veſtrum baptizetur in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti:* Ergo per impoſitionem manuum omnes accipiunt Spiritum S. huncque poſt Baptiſmum, cùm hæc particula, *& accipietis*, ſupponat aliam virtutem, aut aliud donum, ſcilicet gratiam, quæ eſt de Baptiſmo ſuſcepto.

1. Corinth. 12.

Act. 2.

Kemnitius aliter reſpondet dicens, Apoſtolos habuiſſe hoc privilegium conferendi Spiritum Sanctum baptizatis, per manuum impoſitionem, Epiſcopos autem temerè id præſumere, licet credant ſe Apoſtolorum ſucceſſores, quia privilegium perſonale ſequitur perſonam, & extinguitur cum perſona, ut docet VII regula juris in 6 At minus valet hæc reſponſio, nam ſi hæc promiſſio facta fuerit Apoſtolis, facta eſt Eccleſiæ; alioquin Chriſtus non providiſſet in omnibus Eccleſiæ ſuæ uſque ad finem. Nec dixiſſet: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi* cùm jam ceſſaſſet hæc poteſtas, ut inquit S. Leo Papa ſerm. 9. de Quadrageſ. Chriſtus autem hoc dixit ſincerè, itaque eadem poteſtas conferendi Spiritum Sanctum manet in Epiſcopis ut in ſucceſſoribus Apoſtolorum, quibus ut infrà dicemus contra aliquos hæreticos, competit poteſtas confirmandi.

Rejicitur reſponſio Kemnitij.

Inſtabunt. D. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. ait expreſsè quòd Apoſtoli per manuum impoſitionem non conferebant Spiritum Sanctum, ſed tantùm quaſdam gratias ſenſibiles gratis datas.

Reſpondeo negando ſuppoſitum, ſi abſolutè & ſimpliciter ſumatur. Undè dico cum communi expoſitione, Divum Auguſtinum velle tantùm quòd tunc daretur quidem Spiritus modo ſenſibili, nunc autem modo inſenſibili, ibi enim ait: *Neque temporalibus, & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modo datur Spiritus S. ſicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda; quis enim hoc expectat, ut ij quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? ſed inviſibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis, eorum cordibus divina charitas inſpirari.*

D. Auguſt. ab hæreticis citatus explicatur.

Eadem veritas de Sacramenti Confirmationis inſtitutione ſuadetur ratione congruentiæ, quâ utitur D. Thomas quæſt. 72. art. 1. ubi ait quòd ſicut poſt vitæ naturalis adeptionem, aliud inſuper ad corporale robur requiritur, ità conveniens fuit, ut accepto Baptiſmatis Sacramento, quo fit ſpiritualis generatio, aliud a Chriſto inſtitueretur Sacramentum ad ſpirituale robur acquirendum, nimirum Confirmatio, quâ armamur ad pugnam, cùm corpus non naſcatur in plenitudine roboris ſui

Argumentum probans hoc ſacramentũ

Hinc eſt quòd Theodoretus in cap. Canticorum ait: *Qui initiantur Baptiſmo poſt abnegationem Satanæ, & Confeſſionem fidei, veluti ſigno ac notâ regiâ ſpiritualis unguenti Chriſmate inuncti, ſub eodem viſibili unguenti ſpecie inviſibilem Sancti Spiritus gratiam percipiunt*, quibus verbis conſtat, fidelibus Spiritum Sanctum, & gratiam conferri modo inviſibili per aliquod ſignum viſibile à Baptiſmo diſtinctum; at cùm neceſſè ſit hanc fidem tueri, neceſſè eſt etiam aliud Sacramentum admittere præter Baptiſmum, ut in ipſo detur nobis fortitudo: hæc autem gratia non percipitur, ut homo ſit Chriſtianus, & Filius Dei adoptivus; cùm per Baptiſma fiat talis, ſed ut ſit miles Chriſti armatus ſufficienter ad Ipſius fidem tuendam, neceſſè eſt igitur admittere Sacramentum Confirmationis, ut ipsô ſignaculô dominicô confirmemur poſt Baptiſmum, ut probat aotiquiſſimus Eccleſiæ uſus.

Theodoretus.

§. III.

In quo Referuntur, & Refutantur rationes Hæreticorum.

NOnnulli Hæretici dicunt Sacramentum Confirmationis fuiſſe primò memoratum à Melchiade Papa, & per conſequens, nullum poſſe affirmare, eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolis collatum.

Sed temeraria eſt hæc ratio, nam D. Dionyſius Areopagita, Pauli Diſcipulus, Sanctorum Ignatij & Polycarpi martyrum Coævus, qui præceſſit Melchiadem Papam creatum anno CCCXII. in lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. expreſſam facit mentionem de Sacramento Confirmationia, ibi enim inquit *Baptizatum alba veſte ad Pontificem ducunt, ille divino ac deifico prorsùs unguento virum ſignat.* Confirmationis etiam meminit alter Dionyſiû antiquior, nimirum Clemens patriâ Romanus filius Fauſtini, Apoſtolorum Coadjutor, & Diſcipulus, de quo loquitur Paulus ad Philipp. cap. 3. verſ. 3. ad ſedem Romanam erectus quartus poſt Petrum, & ſui nominis primus, anno Chriſti XCIII. nam ille Summus Pontifex Epiſt. 4. ad Julium, & Julianum, loquitur de boc Confirmationis Sacramentu, ibi enim ſic ſcribit. *Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nunquam poteris, nec ſedem habere inter perfectos, ut à Beato Petro accepimus, & cæteri Apoſtoli, præcipiente Domino, docuerunt.*

D. Dionyſius.

Clemens Romanus

Eamdem mentlonem facit Tertullianus Melchiade antiquior, nam lib. de reſurrectiooe carnis cap. 8. inſinuans antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, refert quòd Eccleſia Africaoa, Adultis Catbecumenis ritè præparatis tria Sacramenta eodem die conferebat, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam, idcircò temetarij ſunt reputandi Hæretici notitiam hujus Sacramenti primò attribuentea Melchiadi Papæ, cùm Tertullianus Ipſum, Melchiadem præceſſerit & loco citato dixerit, *Caro abluitur ut anima emaculetur*, per hæc verba inſinuat Baptiſmum; in qoo homo lavatur ab omni iniquitate. *Caro ungitur ut anima conſecretur, caro ſignatur ut anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*, per hæc verba Confirmationem indicat. Deindè Euchariſtiam demooſtrat, dicens: *Caro corpore, & Sanguine veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Idem ſentiunt alij Doctores ut Origenes, & alij Melchiade aotiquiores: Igitur à veritate plurlmom aberraot Hæretici, qui dicunt nos à Melchiade Papa, Confirmationis notitiam accepiſſe, tamquam ab authore, & in hoc omni pœna digni ſunt, quia voluntariè, atque malitioſè errant, nullus enim ioter ipſos eſt, qui ignoret, Apoſtolos hoc Sacramentum adminiſtraſſe.

Tertullianus.

Origenes.

Hæretici qoi negant Coofirmationem eſſe Sacramentum, illud reſpuere conantur ut inutile, dicunt enim quòd per Baptiſmum, & Euchariſtiam habemus effectus, quos Confirmationi attribuimus. Nam (inquiunt) in Baptiſmo infunditur gratia ſimul & virtutes, tribuitur etiam Spiritus Sanctus. Et in Euchariſtia quæ eſt pauls cor hominis confirmans, virtutes ſpirituales creſcunt: ergo Chriſtus, qui nihil fruſtra fecit, non inſtituit Sacramentum Confirmationis ad communicandum Spititum Sanctum, nec ad præbendam plenitudinem fortitudinis.

Reſpondeo cum Doctore Seraphico D. Bonaventura, Baptiſmum & Confirmationem diverſos fines habere, licet in utroque Sacramento nobis conferatur gratia, acproindè eſſe duo diſtincta Sacrameota. Nam in Bapriſmo infunditur ad innocentiam, in Confirmatione ad pugoam, & in Euchariſtia ad animæ delicias, & ſaginam. In Baptiſmo confertur plenitudo juſtitiæ, in Confirmatiooe plenitudo fortitudinia, & in Euchariſtiâ plenitudo devotionis. In Baptiſmo regeneramur in oovam creaturam, in Confirmatione roboramur ad vitam ſpiritualem tuendam, & in Euchariſtia hujus vitæ ſpiritualis deliciis impingoamur. Undè cùm innocentiæ vitæ congruum ſit addere robur ad ipſam vitam tuendam, congruum etiam fuit Baptiſmo addere Sacramentum Confirmationis, quia finis diſtinctus, & motivum diverſum ad diſtinctam actionem eliciendam, ſufficiunt, idcirco licet Confirmatio conferat gratiam, Baptiſmus pariter conferat eam, ſuperflua minimè fuit Confirmationia inſtitutio. Deindè firmitas, aut corroboratio, quæ per Confirmationem datur, eſt diverſa ab illa, quæ datur per Euchariſtiam, & per alia Sacramenta. Quia eſt militaris & athletica ad fidem fortiter profitendam & defendendam; ea verò, quæ datur per Euchariſtiam, non eſt talis, ut probat exemplum Apoſtolorum, qui invincibiles fuerunt poſt deſcenſum Spiritus Sancti, quo coofirmati fueruor.

Oſtenditur hujus Sacramenti beneficium.

Tandem dicunt hæretici, id quod ounc fit ab Epiſcopis Confirmationem adminiſtrantibus, non eſt idem quod ab Apoſtolis factum oarratur Act. cap. 8. nam ab Apoſtolis dabatur Spiritus S. cum Dono linguarum, aliiſque Donis, quæ modò non dantur ab Epiſcopis. Deinde Apoſtoli imponebant tantum manus, Epiſcopi veró utuntur unctiooe Chriſmatis: ergo Confirmatio, quæ fit ab Epiſcopis, non poteſt dici Sacramentum ex Apoſtolica traditione deſumptum, ſed quædam cæremonia, ab ipſis Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ introducta.

Reſpondeo ſuppoſitum eſſe falſum, indè enim manifeſtè ſequitur quôd ounc fit ab Epiſcopis noſtris, quod fiebat ab Epiſcopis primitivæ Eccleſiæ, qui faciebaot id, quod fecerant Apoſtoli, ut facilè colligi poteſt ex ſupra citatis authoritatibus Sanctorum Patrum primitivæ Eccleſiæ. Nec obſtat collatio Donorum omnium Spiritus Sancti, quæ modò non conferuntur confirmatis ab Epiſcopis. Nec probat Confirmationem non eſſe Sacramentum. Quia Donum linguarum, aliarumque gratiarum gratis datarum, erat beneficium accidentarió huic Sacramento conjunctum, effectus enim principalis, & veluti eſſentialis illius, erat infuſio gratiæ Sanctificantis, quæ nuuc etiam confertur fidelibus per Sacramentum Confirmationis.

Solvitur ultima hæreticorum ratio.

Minus nocet dicere quòd in Confirmatione ab A-

Digitized by Google

poſtolis adminiſtrata, nulla erat unctio Chriſmatis. Quia hæc unctio fiebat etiam ab Apoſtolis in Confirmatiooe. Nam licet Scriptor libri Actuum Apoſtolorum loquatur ſolùm de manuum impoſitione, tamen D. Dionyſius ſupra citatus teſtatur, Apoſtolos uſos fuiſſe unctione Chriſmatica. Et Fabianus Papa, qui vixit in principio tertij ſæculi, in Epiſt. 2. ad Orientales ait, Chriſtum docuiſſe Apoſtolos coo-ficere Chriſma, ideoque ipſo utebantur, cùm confectio Chriſmaris ordinetur ad unctionem, & ad opus Sacramentale. Porrò dato & non conceſſo quòd Apoſtoli Chriſmate minimè uſi ſint, & per nudam manuum impoſitionem hoc Sacramentum contulerint, nihil tamen indè inferre poſſunt hæretici contra nos, quoniam tunc Apoſtoli utebantur quadam ſpeciali diſpenſatione, quâ uti non poſſunt Epiſcopi noſtri, ut aſſerunt plures Theologi poſt duo Concilia, ſcilicet Moguntinum Can. 18. & Colonienſe in Doctrina hujus Sacramenti. Ratio hujus diſpenſationis in Chriſmate, eſt quia tunc Spiritus S. viſibiliter deſcendebat, & interior unctio, evidenti illo Spiritus Sancti illapſu, ſufficienter apparebat, acproindè neceſſaria minimè erat Chriſmatis applicatio. At modò Spiritus Sanctus deſcendit inviſibiliter, ideoque omninò neceſſaria eſt viſibilis applicatio Chriſmatis, quæ Spiritus Sancti infuſionem indicet.

Fabianus Papa.

Deindè tunc, ſcilicet tempore Apoſtolorum mos erat, ut ſtatim poſt Baptiſmum præberetur Confirmatio, quæ difficilè ob multitudinem baptizatorum poterat per unctionem Chriſmatis adhiberi, idcircò congruum fuit, ut Chriſtus ab hac cura illos liberaret, & ut Spiritus Sanctus ad ſolam manuum impoſitionem veniret viſibiliter: modò autem non ſubſiſtunt hæ rationes, nullaque eſt diſpenſatio circà Chriſma adhibendum, & ideo Epiſcopi noſtri non poſſunt hoc Sacramentum miniſtrare ſine unctione Chriſmatis ad modum crucis facta, ut erecto crucis vexillo, Chriſtianus miles ad certamina concitetur. Nam inquit D. Thomas loquens de Confirmatione, hoc Sacramentum non ſolum ad hoc ordinatur quòd homo ſanctificetur in ſeipſo, ſed exponitur cuidam pugnæ exteriori, & ideo non ſolum fit mentio de interiori ſanctificatione, cùm dicitur, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, ſed etiam conſignatur homo exterius quaſi vexillo Crucis ad pugnam Spiritualem, quòd ſignificatur, dum hæc verba, *Signo te ſigno Crucis* proferuntur ab Epiſcopo.

In confirmatione adhibenda eſt unctio chriſmatis.

ARTICULUS XXXIV.

Docet contra Græcos, Confirmationem non eſſe Iterandam.

OMnes Hæretici, qui affirmarunt, Baptiſma ab hæreticis collatum, eſſe iterandum, idem affirmarunt de Confirmatione collata ab illis, qui extra ſuam Eccleſiam exiſtebant, ut teſtatur Archudius de Agripino Carthaginenſi, qui hujus erroris Author fuit in Africa. Undè eos hîc iterum referre ſuperfluum eſt, cùm ſufficiat eos ad Baptiſmum remittere, quia omnes numerantur in hæreſi Rebaptizantium. Græci autem nunc à veritate Catholica & Eccleſiæ fide aberrantes, ſunt adhuc hujus erroris defenſores, ſaltem quoad Confirmationem. Nam licet non rebaptizent eos, qui extrà Eccleſiam baptizati ſunt, ſi ad eos accedant, eos tamen confirmant, etiamſi confirmati fuerint ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, ut notant & approbant Job Monachus in tract. de Sacrament. Simeon Theſſalonicenſis, & Nicolaus Cabaſilas in ſecunda oratione de vita in Chriſto, nec non & Gabriel Philadelphus in ſuo tractatu de Sacramentis, ubi docet, duo eſſe Sacramenta, quæ indelebilem characterem imprimunt, ſcilicet Baptiſmum & Ordinem. Quantum verò ad Confirmationem addit quòd ſunt nonnulli, qui piè his duobus adjungunt divinum Unguentum, quaſi id pro certo & rato ipſe non habeat, ſeu neget Confirmationem imprimere characterem, & ideo eſſe initerabilem, cùm ea Sacramenta, quæ characterem imprimunt, ſint initerabilia.

Rebaptizantes.

Græci.

Confirmationem non poſſe iterari, determinatum fuit in variis Concilijs, ſcilicet in Tarraconenſi celebrato per X. Epiſcopos anno DXVII. ſub Hormiſda Papa cap. 6. In Toletano VIII. Nationali, celebrato per LII. Epiſcopos ſub Martino I. anno DCLIII. His Concilijs quorum unum eſt Provinciale, & aliud Nationale, adhæſerunt duo Generalia, ſcilicet Florentinum in decreto unionis, & Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere Can. 9. ubi legitur: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt: Anathema ſit.* Per hæc enim verba hoc celeberrimum Concilium declarat, Sacramentum Confirmationis non poſſe iterari ſicut Baptiſmus & Ordo, ideoque rationes quibus ſupra probatum manet in tractatu de Sacramentis, Baptiſmum non poſſe iterari, oſtendunt utique Confirmationem eſſe initerabilem.

Deciſio conciliorum.

Tarraconenſe.

Toletanum IV.

Florentinũ

Tridentinũ

Idem colligitur nedum à Caſuiſtis, ſed etiam à Theologis ex illo ad Heb. 6. verſ. 1. & 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum; Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicij æterni.* Nam (inquiunt) ibi Apoſtolus manifeſtè ait, eamdem eſſe doctrinam (ſaltem quoad individuationem) de Baptiſmo, de impoſitione manuum (hoc eſt de Confirmatione, quæ ſolitò per impoſitionem manuum exprimitur) de reſurrectione mortuorum, & de ultimo judicio. Sed hæc omnia ſcilicet Baptiſma, reſurrectio, & judicium initerabilia ſunt, ideoque etiam initerabilis eſt Sacramentalis Confirmatio. Undè idem Apoſtolus ſtatim ſubdit: *Impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel illuminati ſunt*, per Sacramentum Baptiſmi, *Guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti*, per Confirmationem *Guſtaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam* Id eſt, recipere fructum Pœnitentiæ, nempe gratiam ſanctificantem & illius augmentum, iterum ſuſcipiendo Baptiſmum, aut Confirmationem. Hoc enim impoſſibile eſt per hæc duo Sacramenta. Ratio hujus impoſſibilitatis, nulla alia eſt, niſi quia Baptiſmus, & Confirmatio non poſſunt iterari, nequè bis illuminare. Nec rejici poteſt hæc expoſitio, nedùm quia eſt Sanctorum Patrum, & præſertim Anſelmi & Chryſoſtomi, ſed etiam quia eſt rationi valdè conſonans.

Hebr. 6.

Id patet ex fine ob quem Chriſtus Sacramentum Confirmationis inſtituit, qui quidem finis fuit curare puſillanimitatis, timoris, ac verecundiæ morbum, qui omninò obſtat ad confitendum Deum; hic autem morbus cùm ſit contractus, non iteratur, dum ſemel ſanatus, aut remiſſus eſt per Sacramentum Confirmationis, itaquè homo conſignatus una vice, & confirmatus ſemel, ſemper eſt confirmatus, ſicut ſemel baptizatus, ſemper eſt baptizatus. Nam per iſtud Sacramentum fidelis inſtruitur in determinato gradu Eccleſiæ, ſcilicet in gradu Bellatoris, à quo nun poteſt recedere, acproindè nec Confirmationem Sacramentalem poteſt iterùm ſuſcipere, ut docet Scotus noſter in 4. diſt. 7. quæſt. 4. circà finem.

Finis ob quem datur confirmatio

Deindè in Confirmatione, fidelis accipir Spiritum Sanctum ; & ſignificatur per ipſam adventus ejuſdem Spiritus Sancti in Apoſtolos die Pentecoſtes, ut docent omnes Sancti Patres. Hic autem Spiritus Sanctus ſemel venit, itaqnè ſemel tantùm poteſt ſuſcipi Confirmatio.

Prætereà in Confirmatione datur fortitudinis plenitudo, & ex ipſa ſequitur initeratio ipſius. Nam ſicut in vita corporali eſt Status quidam, in quo perfectio non augetur quantum ad fortitudinem, ità robur Spiritus ad fidem liberè profitendam, & coram hoſtibus tuendam, habet ſtatum ultrà quem non poteſt augeri, idcirco Confirmatio, quæ hanc fortitudinem confert, non poteſt eam bis eiſdem conferre cùm ſuperfluum ſit ſemel & iterum inſtituere militem Chriſti, eum, qui ſemel fuit inſtitutus. *Sanctus Clemens* Quare S. Clemens lib. 3. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 17. ait : *Unguentum eſt confirmatio profeſſionis*, quia profeſſio ſemel debitè facta, eſt irrevocabilis, ſemel enim in aliquo ordine profeſſus, ſemper eſt profeſſus.

Alia eſt ratio congruentiæ, (quâ ſuadetur Confirmationem non eſſe iterandam,) nimirùm Conſecratio, quæ cùm non admittat reiterationem, qnia quòd ſemel conſecratum eſt, ſemper eſt conſecratum, ſequitur quòd Confirmatio, quæ per modum conſecrationis datur, ſcilicet cum Chriſmate Conſecrato, non poteſt iterari. *D. Gregorius.* Undè Gregorius III. in Epiſt. ad Bonifacium relatus in Can. 9. de Conſecrat. Diſt. 5. ait : *De homine qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis reiteratio, eſt probibenda.* Et D. Auguſtinus lib. 2. contrà Epiſtolam Parmeniani cap. 13. inquit : *Utrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur, ideoque in Catholica Eccleſia, utrumque non licet iterari.* Hæc quippè verba magiſter ſententiarum extendit ad Confirmationem, quâ homini datur poteſtas & fortitudo ad vincendos inimicos fidei.

§. Unicus.

In quo Referuntur, & Diſſolvuntur Argumenta Hæretica.

HÆretici hanc veritatem impugnant authoritate ejuſdem D. Auguſtini lib. 5. de Baptiſmo cap. 16. dicentis, manuum impoſitionem non eſſe ſicut Baptiſmum, ità ut repeti non poſſit, quia *Proponitur & reſolvitur hæreticorum ratio* nihil aliud eſt, niſi Oratio ſuper hominem, ideoque ex illo Sancto Doctore, Confirmatio poteſt iterari, ſicut poteſt iterari Oratio.

Sed non valet hæc reſponſio, quia ibi D. Auguſtinus non loquitur de impoſitione manuum confirmatoria, ſed de reconciliatoria, qnæ tunc hæreticis pœnitentibus impendebatur, ſive in foro externo, ſive interno per Sacramentalem abſolutionem.

Nec valet dicere quòd converſi ab hæreticis Confirmationem accipiebant, ut patet ex variis Concilijs, ſcilicet ex Coostantinopolitano I. celebrato ſub Damaſo Summo Pontifice anno CCCLXXXI. pro Spiritus Saocti divinitate tuenda contra Macedonium. Ex Arelatenſi I. Conſtantinopolitanum præcedente; cùm fuerit celebratum anno CCCXIV. in cujus octavo Canone legitur de Afris quòd propria lege ſua ntuntur, ut rebaptizent. *placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent Symbolum. Et ſi praviderint eum in patre, & Filio & Spiritu Sancto eſſe baptizatum; manus tantum ei imponatur ut accipiat Spiritum Sanctum, quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Ex quibus ſequitur Confirmationem non eſſe ſicut Baptiſma, utpotè initerabilem. Noo valet inquam, quia Concilia non loquuntur de Chriſmate confirmativa Neophytis in Eccleſia tribui ſolita, ſed de Chriſmatione, & manuū impoſitione reconciliatoria, quæ ſcilicet miniſtrari ſolebat Hæreticis ad Eccleſiam revertentibus, quæ (quamvis eſſet pura cæremonia ad Confirmationis Sacramentum minimè conducens, tamen à ſolo Epiſcopo fieri ſolebat, nec poterat eos ſimplex Sacerdos (niſi urgente mortis diſcrimine) reconciliare, ut monet S. Leo Papa Epiſt. 79. cap. 6. dicens: *His verò, qui ad iterandum baptiſma, vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & immo ſe contra Catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, quâ in ſocietatem noſtram, non niſi per pœnitentiæ remedium, & per benedictionem Epiſcopalis manus unitatem communionis recipiant.* *D. Leo.* Idcircò nullus poteſt indè inferre, hanc impoſitionem manuum, eſſe eam de qua loquimur, ſcilicet Sacramentalem.

Idem expreſſius declarat Euſebius Emiſſenus Epiſt. 38. ubi inquit : *Hæreticos omnes quicumque Dei gratia convertuntur, & in Sancta Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ regulam tenentes, per manus impoſitionem reconciliari præcipimus :* *Euſebius emiſſenus.* Igitur hæc manus impoſitio, quam Concilia, & Sancti Patres deſiderant hæreticis converſis, oon eſt confirmativa, nec Sacramentalis, ſed purè cæremonialis, illa enim iteratur, iſta autem oon, nt declarat Concilium Toletanum VIII. ſupra citatum cap. 7. ubi legitur *Toletanum VIII.* *Nequaquam poterit profanari quod divina profeſſione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis authoritate factum noſcitur extaiſſe verum ſicut Sanctum Chriſma collatum, & altaris honor propter conſecrationem (quæ per Epiſcopos tantum exercenda & conferenda ſunt) evelli nequeant*, ſed in Confirmatione Chriſma conficitur per Epiſcopum: igitur non poteſt evelli, ac proindè nec iterari ipſa Sacramentalis Confirmatio.

ARTICULUS XXXV.

Docet contra Uvicleffitas, ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium Confirmationis.

UVicleffitæ ſic dicti à Joanne Uvicleffo, qui vixit ſub Carolo IV. Imperatore, & Clemente *Uvicleffita* VI. Romanorum Pontifice, dixerunt ipſo Uvicleffo Authore, Confirmationem conferri poſſe à quocumque Sacerdote, ex vi Ordinis Sacerdotalis. In hoc errore Uvicleffum ſecutus eſt Armacanus natione *Armacanus* Hibernicus, qui florebat anno MCCCLX. tempore ejuſdem Imperatoris, & Innocentij VI. Papæ. Hic hæreticus docuit, ſimplices Sacerdotes in abſentia Epiſcopi exercere poſſe munus Epiſcopale, ſcilicet conſecrare altaria, oleum, vel Chriſma benedicere, Ordines ſacros conferre, reſque ſimiles quæ ab Epiſcopis dumtaxat fiuot, perficere.

Non deſunt Doctores, quibus plurimùm confido, qui volunt quòd Photiùs Patriarcha Con- *Photius.* ſtantinopolitanus, & Schiſmatis Græcorum Anteſignanus docuerit eumdem errorem, ſeu quemlibet Sacerdotem poſſe confirmare homines baptizatos, & habere poteſtatem imponendi manus ſuper fideles. Quòd ipſum dixiſſe, credo. Nam Arcudius cap. 11. refert quòd eſſet conſuetudo Patriarchis Conſtantinopolitanis, Chriſma à ſe confectum, in varias deindè Eccleſias Epiſcopis, & Presbyteris, eos baptizatos conſignaturis, mittere, huic conſuetudini morem gerens ipſe Photius ad Bulgarum Gentem recenter ad Chriſti fidem converſam,

Unguentum à ſe conſecratum miſit, quo Presbyteri Græci baptizatos confirmarent, quæ quidem Confirmatio fuit reprobata à Legatis Nicolai Papæ I. in Bulgariam miſſis authoritate Apoſtolica, & populi iterùm confirmati fuerunt. Nec valet dicere hanc Confirmationem fuiſſe revocatam, quia Chriſma conſecratum fuerat à Photio à divinis ſuſpenſo. Fuit enim revocata, quoniam facta fuerat a Photianis Presbyteris, alioquin non fuiſſet revocata Confirmatio, quia ex illo defectu, ſcilicet ex ſuſpenſione Photij, conſecratio Chriſmatis non fuiſſet invalida; ſed ſolùm illicita, dato quòd Photius fuiſſet Epiſcopus ſuſpenſus dumtaxàt.

§. I.

Probat ſimplicem Sacerdotem non eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum.

Concilium Eliberitanū

SOlum Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis Miniſtrum declarant plura Concilia, & præſertim Eliberitanum celebratum ſub Marcello Papa I. per XIX. Epiſcopos, anno Domini CCCV. Laodicœnum habitum ſub Sylveſtro Papa, per XXXII. Epiſcopos, circà annum CCCXVIII. Hiſpalenſe II. ſub Bonifacio V. anno DCXIX. cui interfuit Beatus Iſydorus ejuſdem civitatis Epiſcopus. Nam Patres hujus Synodi cap. 7. Decretorum, dicunt loquendo de Presbyteris, & de illis, quæ ipſis interdicta ſunt, & ſolis Epiſcopis reſervata. *Si quidem nec benedicere eis Eccleſiam, vel Altaria conſecrare, neque per impoſitiones manuum Fidelibus baptizandis, vel converſis ex hæreſi ſpiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate Baptizatorum frontem ſignare.* Toletanum VIII. Nationale, celebratum anno DCLIII. ſub Martino Papa I. per Epiſcopos LII. cap. 7. de Sacra Unctione. Conſtantienſe in quo damnatæ fuerunt Vuicleffi propoſitiones, quarum XXVIII. erat hæc. *Confirmatio Juvenum, & Clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papa, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris*, ut jam ſuprà dixi referendo errores Vuicleffi, idcircò ex eodem Concilio Generali, non ſimplicium Sacerdotum, ſed Epiſcoporum eſt Confirmationem adminiſtrare.

Laodicenū.

Hiſpalenſe. II.

Toletanum. VIII.

Conſtantienſe.

Eamdem definitionem poſteà tradiderunt Concilia Florentinum in Decreto Eugenij §. quinto Eccleſiaſticorum. Et Tridentinum ſeſſ. 7. de Confirmatione can. 3. ubi legitur. *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem; Anathema ſit.* Et ſeſſ. 23. cap. 4. habetur: *Proindè Sacro-Sancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, adhuc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere; & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu Sancto, regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Idem poſteà Decretum fuit à pluribus Summis Pontificibus.

Florentin.

Tridentinū.

Præter Concilia tam Nationalia, quàm Generalia, & praxim Eccleſiæ, Scriptura Sacra evidenter demonſtrat contrà Hæreticos, ſolos Epiſcopos eſſe ità ordinarios Miniſtros Confirmationis ut à nullo ſimplici Sacerdote, ſeu à Sacerdote non Epiſcopo, poſſit adminiſtrari, legimus enim in lib. Act. Apoſt. cap. 8. Quòd cum Philippus (non quidem Apoſtolus, ſed alius, qui non erat Epiſcopus, ſed tantùm Diſcipolus, ut monent Chryſoſtomus, Beda, & Rabanus) baptizaſſet moltos Samaritanos, miſſi ſunt Petrus & Joannes Epiſcopi, ipſis Samaritanis Apoſtolorum abſentium adventum præſtolantibus, ut per manuum impoſitionem, Spiritum Sanctum darent ijs, quos in Samaria baptizaverat ipſe Philippus. At nulla alia poteſt aſſignari ratio hujus laborioſæ peregrinationis, & longioris itineris, niſi quia poteſtas conferendi Spiritum Sanctum, hoc eſt, confirmandi (cum per hoc Sacramentum daretur ipſis Spiritus Sanctus) ſolis Apoſtolis & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, Chriſto ſic mandante, conveniebat, ut optimè obſervat Iſydorus Peluſiota Epiſt. 43. lib. 1. ubi ſic legitur. *Si Philippus à quo Baptiſmum acceperat ex Apoſtolorum numero fuiſſet, Spiritum donandi poteſtatem profectò habuiſſet, at verò baptizabat tantum, ut Diſcipulus: Apoſtoli autem gratiam explebant, atque perficiebant, ut qui hujuſmodi muneris tribuendi poteſtatem, atque authoritatem divino beneficio accepiſſent:* Et Damaſus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos, inquit: *Solis Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus proprij ſis officij tradere Spiritum Sanctum liber Actuum Apoſtolorum docet, præſertim cum nullus ex ſeptuaginta Diſcipulis, quorum iſti in Eccleſia ſpeciém gerunt, legatur, donum Spiritus Sancti per manus impoſitionem tradidiſſe.* Ita loquebatur Damaſus Papa ad Epiſcopos Numidiæ, ut eis, expreſſè oſtenderet, ſimplices Sacerdotes & Chorepiſcopos non poſſe confirmare: quamvis Chorepiſcopi inter ipſos Sacerdotes ſint præcipui.

Act. 8.

Iſydorus Peluſiota.

Damaſus Papa.

Eamdem veritatem pariter inſinuat Euſebius Papa & Martyr Epiſt. 4. ad Epiſcopos Tuſciæ, dicens: *Manus impoſitionis Sacramentum, magna veneratione tenendum, quod ab alijs perfici non poteſt, niſi a Summis Sacerdotibus, nam tempore Apoſtolorum, ab alijs, quam ab ipſis Apoſtolis non legitur, aut ſcitur peractum eſſe, neque ab alijs, quam ab illis, qui eorum locum tenent perfici poteſt, aut fieri debet:* Igitur ex praxi, & ex Apoſtolica traditione inferendum eſt, poteſtatem confirmandi non competere ſimplicibus Sacerdotibus, ſed ſolis Epiſcopis, qui in Summo Sacerdotio, atque ordinaria poteſtate eiſdem Apoſtolis ſuccedunt, ut notat D. Auguſtinus in Pſal. 44. verſ. 17. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filij.* Idem obſervat S. Leo Epiſt. 88. Undè Innocentius IV. in Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum Sanctæ Sedis in Regno Cypri Legatum, ait: *Soli Epiſcopi conſignent Chriſmate in fronte baptizatos, quia ejus unctio non debet niſi per Epiſcopum fieri.* Ejus ratio eſt ea, quæ ſuprà, ſcilicet, *quia* (inquit) *ſoli Apoſtoli quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam Confirmatio repræſentat, Spiritum Sanctum tribuiſſe leguntur.*

Argumentum ex traditione deſumptum.

D. Auguſt.

Innocentius IV.

His authoritatibus ſuffragatur ratio congruentiæ. Nam Epiſcopis commiſſus eſt Grex Chriſti, ut colligitur ex illo Act. cap. 20. verſ. 28. *Attendite vobis: & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ipſi enim ſunt Prælati Eccleſiæ, ad quos ſpectat inferiores in ordine ſtatuere, & Gregem ſecurum facere, muniendo, roborando, protegendo &c. ac proindè ipſorum ordinariò debet eſſe adminiſtratio Confirmationis, quæ eſt Sacramentum roboris & fortitudinis, in ipſo enim datur plenitudo Spiritus Sancti. Idcircò tale Sacramentum ab illis dumtaxàt poteſt conferri, in quibus reſidet plenitudo poteſtatis. quales ſunt Epiſcopi. Undè Urbanus Papa & Martyr, Apoſtolorum temporibus vicinus, in Epiſtola de communi vita, & oblatione Fidelium ad omnes Epiſcopos ſcripta, ait: *Omnes Fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent; ut plenè Chriſtiani inveniantur; quia cùm Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur.* Per hæc enim verba ille Sanctus Papa & Martyr, totalem confirmandi poteſtatem remittit ad Epiſcopos incluſivè.

Act. 20.

Urbanus Papa.

Hæc ratio patet, quia in quolibet opere noviſſima conſummatio ſupremæ arti, aut virtuti reſerva-

tur & ſupremo artifici, ſicut præparare materiam inferioribus demandatur, ut obſervant Gaudentius & alij plures Theologi cum D. Thoma, 3. part. quæſt. 72. artic. 11. Ità Pictores demandant Pueris ſuis conterere colores, figuram delineare &c. At ipſi ultimam manum imponunt, & dant formam ultimam, ſic & in conſtruenda domo, ſervi offerunt calcem, ligna, &c. at Architectus dat formam ultimam, & perfectam domui. Eadem ratione Epiſcopi quibus commiſſa fuit cura domus Dei, debent opus Dei perficere propria manu, hoc eſt, confirmare in Fide eos, quos baptizant Sacerdotes, quorum manu pueri poſt Baptiſmum fiunt lapides pretioſi domus Dei, & Filij ejus adoptivi. Per Confirmationem idem pueri aſcribuntur militiæ Chriſti cujus duces ſunt Epiſcopi, itaque ad

D. Thomas

eos debet ſpectare militum conſcriptio, ſeu Confirmationis adminiſtratio. Nam inquit D. Thomas loco citato: *Ità ſcilicet quod per Baptiſmum ædificatur homo in domum ſpiritualem, & conſcribitur quaſi quædam ſpiritualis Epiſtola, ſed per Sacramentum Confirmationis quaſi domus ædificata dedicatur in Templum Spiritus Sancti, & quaſi Epiſtola ſignatur ſigno crucis.* Ejus ratio eſt, quia Sacramentum Confirmationis, eſt ultima Sacramenti Baptiſmi conſummatio.

§ II.

De Rationibus Hæreticorum ſolvendis.

VUieleffitæ, & alij Hæretici volunt, Sacerdotes eſſe Apoſtolorum Succeſſores; acproindè ipſos ſimplices Sacerdotes poſſe confirmare, ſicut conſecrare corpus, & Sanguinem Domini. Quòd perfectius eſt, quàm confirmare.

Sed non valet hæc ratio, quia Sacerdotes non ſunt Succeſſores Apoſtolorum in omnimoda participatione eorum authoritatis, & Miniſterij ſicut Epiſcopi, licet baptizent, conſecrent & abſolvant authoritate Chriſti pro quo legatione funguntur, cùm conſtet, Chriſtum non miſiſſe Diſcipulos, nec eos elegiſſe ſicut duodecim Apoſtolos, quibus dixit Joan. 2. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Nam per hæc verba oſtendit, non Diſcipulos, ſed Apoſtolos accepiſſe à Chriſto plenitudinem poteſtatis, & virtutem conferendi Spiritum Sanctum, & Diſcipulos LXXII. fuiſſe electos, & miſſos ab Apoſtolis. Hinc eſt quòd, ut obſervat Sanctus Anacletus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, Epiſcopi Typum gerunt Apoſtolorum, atque in eorum loco ſunt conſtituti in Eccleſia, ideircò Presbyteri non poſſunt confirmare ſicut Epiſcopi, qui cùm ſint majores Presbyteris, ut jam dictum eſt, poſſunt conferre aliqua Sacramenta, quæ non poſſunt à Sacerdotibus conferri. Parum refert quòd conſecratio corporis, & ſanguinis Domini ſit major & perfectior Confirmatione, quia indé ſequeretur quòd ſi ſimplices Sacerdotes poſſent confirmare, ex eo quòd poſſint conſecrare panem & vinum ex quibus conficiuntur corpus, & ſanguis Chriſti, poſſent conferre Presbyteratum, quia perfectiùs eſt conſecrare, quàm ordinare. Imò ſequeretur quòd Laicus poſſet confirmare ſaltem in neceſſitate, quia in tali caſu poteſt baptizare, & Baptiſmus eſt dignior, & magis neceſſarius quàm Confirmatio: at hoc eſt abſurdum, abſurda paritèr eſt Hæreticorum inſtantia ex qua tanta ſequitur abſurditas.

Sacerdotes non ſunt ſucceſſores Apoſtolorũ.

Dicent inſuper, ſi ſolius Epiſcopi eſſet confirmare, Ananias non confirmaſſet, quia non erat Apoſtolus, ſeu Epiſcopus, ſed Diſcipulus, ut habetur in cap. 9. Act. verſ. 10. At ipſe Ananias confirmavit Paulum, ut conſtat ex verſu 17. ubi habetur, *Et abiit Ananias, & introivit in domum, & imponens ei manus, dixit; Saule frater, Dominus miſit me Jeſus qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto*: ergo Ananias confirmavit, quia hæc Spiritus Sancti plenitudo eſt effectus Confirmationis.

Act. 9.

Reſpondere poſſem huic argumento, Ananiam fuiſſe Epiſcopum cùm potuerit ordinari ab aliquo Apoſtolo, ut probabile judicant plures Scriptores celeberrimi. At dato quòd non fuerit Epiſcopus quando miſſus fuit ad Paulum, ut probabile judicant alij, quibus lubens ſubſcribo, dico tamen quod argumentum non obſtat, nec convincit, ſimplices Sacerdotes poſſe confirmare Fideles in Eccleſia Chriſti. Nam illa manuum impoſitio Ananiæ ad Paulum, non fuit confirmatoria, neque verè Sacramentalis, ſed tantùm curatoria, ut patet ex verbis ſequentibus, *Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus*, id eſt Pauli, *tamquam ſquamæ, & viſum recepit: & ſurgens baptizatus eſt.* Quibus ſuadetur, illam manuum impoſitionem fuiſſe factam Paulo nondùm baptizato, acproindè ſuadetur pariter, non fuiſſe impoſitionem confirmatoriam, neque Sacramentalem; cùm Confirmatio ſolis baptizatis conferri poſſit, ut conſtat ex Canone quinto, diſt. 5. de conſecrat. ubi ſcribitur: *Noviſſimè à Sacerdote Summo, per impoſitionem manus, Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum, ad prædicandum alijs idem donum, quod ipſe in Baptiſmate conſecutus eſt, per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum Chriſmate per Sacerdotem in capitis ſummitate, per Pontificem verò in fronte, ut in priore unctione ſignificetur Spiritus Sancti ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam; in ſecunda quoque, ut ejuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia, cum omni plenitudine Sanctitatis, & ſcientiæ & virtutis venire in hominem declaretur*, Quibus verbis certum eſt, Sacramentalem Confirmationem poſſe conferri ſolis baptizatis, ſubindeque Ananiam non contuliſſe Paulo Sacramentum Confirmationis, quoniam tunc nondum baptizatus erat, ut conſtat ex proprio textu ſupra relato.

Ananias non fuit Epiſcopus.

Inſtabunt tandèm. In multis Conciliorum & Pontificum Decretis præcipi, ut Presbyteri, abſente Epiſcopo, vel ab eo præſente juſſi, baptizatos Chriſmate ungant, ut videre eſt in Concilio Toletano I. can. 2. In Arauſicano I. can. 2. In Romano celebrato anno DCLII. per CV. Epiſcopos can. 11. ubi habetur, *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi ab Epiſcopo fuerit illi præceptum.* Et in alijs: igitur ſimplex Sacerdos poteſt confirmare.

Sed non obſtat hæc ratio: nam Concilia citata, & alia citanda loquuntur de unctione cæremoniali, non verò de unctione confirmatoria. Obſervandum enim eſt, tres eſſe in Eccleſia Catholica diverſas unctiones, quarum prima fit ante Baptiſma in pectore & humeris, cum oleo Cathecumenorum. Seconda poſt Baptiſmum in vertice baptizati cum Chriſmate. Et tertia in fronte, quæ eſt Confirmatio. Undè Concilia loquuntur de prioribus unctionibus, non verò de tertia. Nam ſecunda, quæ fit poſt Baptiſmum, olim non erat in uſu quando Sacramentum Confirmationis unà ſemper cum Baptiſmo miniſtrabatur, eam autem inſtituit Sylveſter Papa, cùm enim multi ſuo tempore ſtatim poſt Baptiſmum immatura morte decederent, quibus abſente Epiſcopo, Confirmatio dari non poterat, ut illi in ultimo certamine aliquod præſidium acciperent contra tentationes Dæmonis ex orationibus Eccleſiæ, hanc unctionem unam cum precibus poſt Baptiſmum placuit adhiberi. Ità refert Fraſſenius noſter ex Damaſo in vita Sylveſtri: igitur Concilia numquam conceſſerunt ſimplicibus Sacerdotibus facultatem ungendi pueros Chriſmate in fronte, ſeu Confirmationis Sacramentum adminiſtrandi, cùm ſolis Apoſtolis conceſſa fuerit & ab Apoſtolis ad Epiſcopos

De tribus unctionibus diverſis.

tranſmiſſa, ut patet ex dictis ſupra.

Nec licet inferre oppoſitum ex facto Gregorij Magni, qui conceſſit Presbyteris Sardiniæ hanc poteſtatem confirmandi, ut legitur lib. 3. Epiſtolarum, Epiſt. 26. quæ eſt ad Januarium Caralitanum Epiſcopum. Nec ex facto Leonis X. & Adriani VI. qui eamdem conceſſionem fecerunt Patribus & Miſſionarijs Ordinis noſtri ad converſionem Indorum deſtinatis, pariter & Patribus Societatis Jeſu apud Indos commorantibus, ut teſtatur Rodrigues. Quia indè, ſeu ex hac conceſſione ſolùm colligitur, ſimplicem Sacerdotem, ex ordinatione, & diſpenſatione Summi Pontificis poſſe eſſe Miniſtrum extraordinarium hujus Sacramenti Confirmationis Quòd concedunt Theologi Scholaſtici, cum Divo Thoma, & Scoto. Sed quia hæc difficultas, ſcilicet an Papa poſſit hanc facultatem concedere, vel non, non ſpectat ad nos, qui non Scholaſticos, ſed Hæreticos impugnamus, ad Theologiam Scholaſticam remitrimus Lectorem; ſufficit enim quòd à nobis diſcat, Vuicleffum, Armacanum, Photinm, & alios Hæreticos plurimùm à veritate aberrare, dum dicunt Epiſcopum non eſſe Miniſtrum ordinarium Confirmationis.

De poteſtate confirmandi Sacerdotibus Sardiniæ conceſſa

ARTICULUS XXXVI.

Probat adverſus Calviniſtas, Chriſti corpus eſſe verè, realitèr, & ſubſtantialitèr ſub Speciebus conſecratis.

§ I.

In quo Referuntur hujus SS. Sacramenti Hoſtes.

NOn miror ſi Diabolus Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum infeſto magis bello impugnare ſimul, & expugnare per ſuos Aſſeclas molitus fuerit, quàm quodcumque aliud Myſterium, aut Sacramentum, quoniam Deus omnes amoris ſui divitias ergà homines in hoc Sanctiſſimo, adorandoque Euchariſtiæ Sacramento, effundere voluit, & memoriam facere mirabilium ſuorum.

Primi autem Hæretici quibus uſus eſt ipſe Diabolus ad impugnandam realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, ſunt Diſcipuli illi, qui nonobſtante hujus Myſterij explicatione à Chriſto habita cum Capharnaitis dicentibus, *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* retrò abierunt, inter quos fuit Judas, ut referunt D. Auguſtinus, & D. Chryſoſtomus. Alij ſunt Corinthij, ut colligitur ex Epiſt. 1. ad eoſdem cap. 11. ubi legitur, Apoſtolum dixiſſe eis: *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreſes eſſe*, quippè error Corinthiorum fuit, quia non diſcernebant Euchariſtiam à carne communi, ac proindè non credebant, Euchariſticum panem continere verum Chriſti Domini corpus.

Judas Iſcariotes Corinthij.

His Hæreticis ſucceſſerunt alij duo, quorum unus eſt Simon Magus, qui vixit anno LV. vivente D. Petro. Alter verò fuit Menander ejus Diſcipulus, qui dixerunt, Chriſtum Dominum in ultima Cœna non dediſſe verè carnem ſuam ad manducandum. Nam D. Ignatius, Epiſt. ad Smirnenſes ſcribit de Simonis Magi, & Menandri ſectatoribus, teſte Theodoreto, Dialogo 3. & ait: *Illi Hæretici Euchariſtias oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater benignitate ſua ſuſcitavit.*

Menander.

Anno autem CCCCXXVII. regnante Theodoſio Juniore Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Celeſtino I. inſurrexit Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui dixit in Euchariſtia realitèr contineri corpus, aut verbis Sacramentalibus panem mutari in carnem, ſed voluit illam carnem eſſe puri hominis, & Filij Mariæ perſonalitèr diſtincti à Filio Dei, nullo modo carnem Filij Dei, ſeu Verbi incarnati, ut colligitur ex actibus primæ Synodi Epheſinæ. Hic error rejicitur in proprio articulo in quo declaratur, Chriſtum non eſſe duos Filios, ſed unum, qui eſt Filius Dei, & Filius Mariæ ſimul, ut videri poteſt in primo hujus operis libro.

Neſtorij error.

Poſt Neſtorianos, ſcilicet anno DCXL. ſub Conſtantino III. Imperatore, & Theodoro Papa, apparuerunt Armeni, qui abſolutè negarunt, Chriſti corpus, & ſanguinem ejus realiter contineri ſub ſpeciebus panis, & vini. Reverà ſunt plures Scriptores, qui eos ab hac hæreſi excuſant, ſed alij numero majores, & fide digniores, eam eis impingunt, & ideo alijs ſunt præferendi, & ipſi Armeni inter Hæreticos ſunt meritò reponendi, velut hoſtes Sanctiſſimi Sacramenti.

Armeni.

His ſucceſſerunt anno DCCXX. Iconomachi, qui ut omnes deſtruerent Imagines, dicebant, unicam eſſe imaginem Chriſti, nimirùm panem, & vinum; quæ inſtituta ſunt à Chriſto, ut ſuum corpus, & ſanguinem repræſentarent, ac proindè non credebant, Chriſtum Dominum eſſe realitèr & verè præſentem ſub ſpeciebus conſecratis, ſed ſolùm in ſigno, & figura. Quia volebant, Euchariſtiam, ſolùm eſſe ex divina ordinatione merum ſignum, & figuram corporis, & ſanguinis Chriſti.

Iconomachi.

Undecimum ſæculum (Diabolo ſuadente) novum aliud monſtrum ſecundum malitiam præcedentibus Hæreticis habuit æquale, ſcilicet Berengarium, natione Gallum, Eccleſiæ D. Mauritij Andegavenſis Archidiaconum, virum quidem literis humanioribus, & ſacris parùm eruditum, ſed dialecticis quibuſdam captiunculis prorſùs deditum. Nam vir ille Hæreticus docuit, corpus, & ſanguinem Chriſti non eſſe realitèr in pane & vino poſt conſecrationem, nullam vi verborum Sacramentalium fieri converſionem panis, & vini in carnem, & ſanguinem Chriſti. Voluit Chriſtum eſſe in Euchariſtia ſolùm, ut in typo, & figura. Voluit quod Euchariſtia diceretur còrpus Chriſti, ſicut in ligno crucifixus ſculptus, dicitur Chriſtus. Et aſſeruit in ſua Epiſtola ad Lanfrancum, ſe in hac parte ſequi ſententiam Scoti, non Subtilis, Scholæ noſtræ principis, qui de fide Catholica, & de Sancta Romana Eccleſia benè meritus eſt, & rectè ſcripſit, ſed alterius qui ſubnominatus fuit Erigenna, & Præceptor Caroli Magni, ut refert Gavatius poſt Bertramum. At hac hæreſi Berengarij, aut aliorum Hæreticorum, Sacratiſſimam Euchariſtiam impugnantium occaſione motus Leo IX. tunc Summus Eccleſiæ Pontifex, vir omnium Hiſtoricorum teſtimonio, vitæ Sanctitate clarus, Vercellis convocavit Concilium, in quo damnata fuit hæc hæreſis Berengariana, ſed non obſtante hoc Anathemate Joannem Scotum, & Berengarium percutiente, anno MCXXVIII. inſurrexerunt Henriciani, & Petrobruſiani omnes Galli natione, patria Occitani, qui negarunt veritatem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſeu realem præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & dixerunt, Miſſam non eſſe actionem Sacram, nec Sanctam, ſed cœremoniam purè Diabolicam, ac proindè non eſſe celebrandam. Ità teſtatur Petrus Abbas Cluniacenſis, vir eruditione, & vitæ Sanctimonia admodum præſtans.

Berengarius. *Henriciani. Petrobruſiani.*

Illis Hæreticis adhæſit poſteà ſcilicet anno MCCCLII & eamdem hæreſim publicavit Joannes Vuicleffus, nam inter XLV. errores, quos edidit, quoſque dam-

Vuicleffus.

navit Concilium Conſtantienſe, primus affirmat ſubſtantiam panis, & vini remanere in Sacramento Euchariſtiæ poſt conſecrationem. Nec valet dicere cum nonnullis, Vuicleffum negaſſe tantum tranſubſtantiationem, ſeu velle quòd panis remaneat ſimul cum corpore Chriſti, ut volunt modò Lutherani. Non valet inquam, qoia tertius error ipſius, eſt quòd Chriſtus non eſt in eodem Sacramento, identieè, & realiter in propria præſentia corporali. Nam Goillelmus Uvindefordus in tract. contra Vuicleffum, ſic ſcripſit: *Sicut Joannes fuit figurativè Elias, & non perſonaliter, ſic panis eſt figurativè corpus Chriſti, & abſque omni ambiguitate, hac eſt figurativa locutio.* Hoc eſt corpus meum, *ſicut illa in verbis Chriſti,* Joaunes eſt Elias. Quòd probat, Vuicleffum fuiſſe hujus hæreſis Defenſorem. Eumdem errorem ſecutus eſt Joannes Hus natione Bohæmus, licet omnes Diſcipuli ejus illum ſecuti non fuerint.

Joann. Hus

Lutherus non eſt hic reponendus ut defenſor hujus hæreſis.

Inter hos Hæreticos realitatem corporis Chriſti non admittentes in Sacra Euchariſtia, plures reponunt Lutherum, qui in libro ad Uvaldenſes negat, Euchariſtiam eſſe adorandam. Et lib. de captivit. Babylon. aſſerit, Sacramenta novæ Legis eſſe nuda ſigna. Indè enim inferunt, ipſum Martinum Lutherum non crediidiſſe realem præſentiam corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis: ego tamen cum pluribus Hiſtoricis eum ab hoc errore excuſo, & reponam illum in alia hæreſi, quæ erit circà uſum hujus Sacramenti, & de tranſubſtantiatione panis in carnem, & vini in ſanguinem. Hujus excuſationis cauſa eſt, quia ipſe Lutherus ad extremum mutavit ſententiam, & concluſit, Chriſtum realiter eſſe in Sacramento, ſed ſimul cum ſubſtantia panis & vini, ut liquet ex Epiſtola ejus ad Argentinenſes, cujus verba referam in proprio loco, ubi contra ipſum Lutherum erit ſpecialis ſermo. Tamèn inter hos Hæreticos, qui credunt in Hoſtia conſecrata nihil eſſe niſi panem materialem gerentem figuram corporis Chriſti, eſt reponendus ejus Diſcipulus, nimirum Andreas Carloſtadius, natus Franconiæ, Archidiaconus Vvitembergenſis factus, eo tempore, quo ſe in hanc Eccleſiam Lutherus intruſit; ille enim Hæreticus: quamvis Lutheri Diſcipulus eſſet, poſt Berengarium, primos publicavit, & docuit in Sanctiſſimo Sacramento corporis, & ſanguinis Chriſti, & in conſecratione ipſius, nihil aliud eſſe præter figuram, & ſignum repræſentativum corporis & ſanguinis Chriſti. Et in eo, nihil aliud fieri à Sacerdotibus noſtris præter commemorationem Paſſionis Chriſti. Verùm quia hæreſis ad hæreſim impellit, idem Hæreticus, ſcilicet Carloſtadius, fuit etiam primus Sacerdos, qui ſe uxori connubio junxit, & die quo ſe matrimonio copulavit, (Diabolo ſuadente) publicè juſſit cantari Miſſam, novô, ſed malignô, atque perverſô ritu compoſitam; ut jam dictum eſt ſuprà articulo LII. libri III.

Carloſtadius.

Eumdem circà Euchariſtiam errorem ſecuti ſunt etiam Anabaptiſtæ ſecta Lotherani, qui à Magiſtro recedentes animo in pejorem errorem decidendi, nedum baptizatos in pueritia rebaptizabant, ut huic ſectæ proprium fuit, ſed etiam negabant corpus Chriſti eſſe realiter præſens ſub ſpeciebus panis, & vini, ut refert Guillelmus Lindaous. Anno autem MDXXV. apparuit alter Hæreticus ſub Carolo V. & Clemente VII. nomine Joannes Oecolampadius profeſſione Monachus Ordinis Sanctæ Birgittæ, qui rejecto Monachatu, & relictis filijs Comitis Palatini, quorum erat Præceptor, prædicavit in Cœna Domini, ſeu in Sacramento Euchariſtiæ, ſolùm eſſe ſignum corporis Chriſti. Undè illi, qui eum ſequebantur, dicti fuerunt Significativi, ut refert Staphilus.

Anabaptiſt.

Oecolampadius.

Eodem anno Diabolus ſuſcitavit alium virum Hæreticum cæteris nequiorem, utpotè Zuinglium Canonicum Eccleſiæ Conſtantienſis, qui docuit, Chriſtum non eſſe præſentem ſpeciebus panis & vini conſecratis, ſed panem Cœnæ eſſe verum panem, ſicut in Baptiſmo, aqua eſt verè aqua naturalis. Huic errori aliquam modificationem addiderunt alij Hæretici dicti Energici ex Sacramentarijs exorti, qui cum Zuinglio impiè dixerunt: reverà corpus Chriſti non eſſe verè, & realiter in Euchariſtia, benè verò virtutem corporis Chriſti, ſicut virtus Solis eſt in viſceribus terræ. Porrò hac modificatione nonobſtante, Energici ſunt in hac parte Hæretici, quoniam negant articulum præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia ſtatuentem.

Zuinglius.

Energici.

Ex eodem Zuinglio exortus eſt alius Hæreticus nomine Ludoicus Alemani, natione Italus, qui anno MDLXVI. publicè prædicavit quòd in hoc Sacramento Cœnæ nulla eſt virtus divina, nullaque nobis ad edendum, aut bibendum ſanguinem, datur ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti; ſed ſolum panis in memoriam mortis, & ejus Paſſionis, ſicut in Teſtamento non datur verè, & ſubſtantialiter Teſtatoris hæreditas.

Ludoicus Alemani.

Tandem his omnibus Hæreticis, non minus quæſtuoſè, quàm impiè ſucceſſit unus cæteris impior, ſcilicet Joannes Calvinus, Gerardi Cauvini viri Catholici filius impijſſimus, natione Picardus, patriâ Noviodunenſis, qui Pariſijs olim in Marchiano Collegio partim, & partim in montis acuti Gymnaſio, ſuorum ſtudiorum curſu peracto, in patriam reverſus, nedum ordines, ſed etiam Eccleſiaſticum Beneficium ab Epiſcopo Noviodunenſi obtinuit in Eccleſia Cathedrali cum alio Rurali, & utrumque per aliquod tempus tenuit. At relictis Beneficijs Eccleſiaſticis ſpretaque Epiſcopi, totiuſque Cleri Noviodunenſis benevolentiâ, inter diſſolutos ſuæ patriæ viros diſſolutiſſimus eminuit, & exulavit, profuguſque inter Hæreticos ſuæ ætatis, poſt Lutherum celeberrimus evaſit, plures errores ab Inferis ſuſcitavit, ut eos per univerſam Galliam, viciniores'que regiones diſſeminaret ad ſeducendas Gentes contrà Chriſtum, & ejus Eccleſiam, etenim non unam tantùm, ſed plures docuit hæreſes circà annum MDLVII ſub Carolo V. Imperatore, & Paulò III. Romano Pontifice, ſed eas hîc referre ſuperfluum mihi videtur; cùm alibi locum habeant, ſintque impugnatæ, aut impugnandæ, ſufficit adducere eam, de qua hîc agitur, ſcilicet illam, quâ aſſerit corpus Chriſti non eſſe realitèr & verè præſens in Sacramento Cœnæ, (hoc quidem nomen tribuit Euchariſtiæ) ſed ſolùm in figura. Et quâ affirmat, Euchariſtiam eſſe merum panem ſignificantem, & repræſentantem carnem Chriſti Domini, & vinum ſignificans ſanguinem ejus.

Calvinus

§ II.

De Concilijs in quibus damnantur Hæretici.

PLura Concilia, ſive Provincialia, ſive Nationalia ſive Generalia ſanciunt contra Hæreticos, corpus & ſanguinem Chriſti verè & realitèr, & ſubſtantialitèr contineri ſub ſpeciebus Euchariſticis. Nam Nicænum I. celebratum ſub Sylveſtro Papa, & Conſtantino Imperatore contra Arianos pro ſtabiliendo Dogmate de Divinitate Chriſti, aut conſubſtantialitate Verbi Divini cum Patre, anno CCCXXV. in capite de Sacra Menſa, ait. *In hac Sacra Menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & calicem, ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in illa Sacra Menſa, Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, in-*

Nicænum primum.

Digitized by Google

cruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ejus corpus & ſanguinem, verè nos ſumentes, credamus hæc eſſe noſtra Redemptionis Symbola. His ſiquidem verbis liquidò conſtat, in hoc Concilio definitum fuiſſe in Euchariſtia realiter, & ſubſtantialitèr à Fidelibus recipi corpus Domini, acproindè in eadem Euchariſtia præſens eſſe corpus illud ad manducandum, & ſanguinem ad bibendum.

Epheſinum.

Aliud Concilium Generale eſt Epheſinum, celebratum ſub Celeſtino I. contra Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolit. ſuprà memoratum, hæc quidem Sancta Synodus approbavit Epiſtolam Cyrilli, in qua habetur, *ad myſticas benedictiones accedimus, eaque ratione ſanctificamur, utpotè Sacræ carnis & pretioſi Sanguinis Chriſti omnium noſtrum Salvatoris participes effecti.* Et paulò poſt: *Neque enim illam, ut carnem communem ſuſcipimus, ſed tamquam verè vivificam, ipſiuſque verbi propriam*, ſubindeque declaravit, Chriſtum nobis carnem ſuam verè & realiter reliquiſſe. Hæc approbatio poſita fuit ut damnaretur Neſtorius in ea parte, quâ credebat in Hoſtia eſſe carnem puri hominis, quapropter volebat Chriſtum conſultò dixiſſe: *Niſi manducaveritis carnem Filii Hominis*, quaſi non eſſet Filius Dei. Quòd exprobando Synodus Epheſina, ſtatuit, carnem, cujus participes efficimur, non eſſe puri hominis, ſed illius Verbi de quo Joannes ait; *Verbum caro factum eſt*, hancque non eſſe in figura tantùm, ut volunt Hæretici, ſed veram, ac realem. Quia nòn figuræ, ſed rei realitèr exiſtentis participes effici poſſumus. Idem declaratum fuit in Synodo Nicena II. celebrata ſub Adriano I. anno DCCLXXXVII.

Nicænum. II.

Lateranenſe.

His Conciliis addo aliud, nimirùm Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. celebratum, quod iterum veritatem Catholicam de reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia confirmat, ſimul & damnat Hæreticos ſuprà nominatos: nam in primo Canone, ait: *Verum Chriſti corpus, & ſanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina.* Eadem veritas explicata fuit in Viennenſi ſub Clemente V. In Conſtantienſi ſub Martino V. In Florentino ſub Eugenio IV. Tandèm & in Tridentino ſeſſ. 13. Can. 1. ubi legitur. *Si quis negaverit, in Sanctiſſima Euchariſtia Sacramento contineri verè, & realitèr, ac ſubſtantialitèr corpus, & ſanguinem unà cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, acproindè totum Chriſtum: ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno, vel figura, aut virtute: Anathema ſit.* Certò nihil clariùs, & expreſſiùs dici poteſt ad refellendam hæreſim Calviniſtarum, & aliorum Hæreticorum, qui eos præceſſerunt; nec debent ipſi Calviniſtæ hæc Concilia rejicere, quia Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 9. recipit, & approbat tria priora Concilia citata, ideo ſe convictos fateri debent Calviniſtæ.

Viennenſe. Conſtantienſe. Florentinū. Tridentinum.

Antecedentèr ad hæc poſteriora Concilia Generalia, plura fuere celebrata Nationalia, & Provincialia, quibus ſtatuitur articulus noſter. Hæc autem Concilia ſunt Romanum ſub Leone IX. Vercellenſe & Pariſienſe celebrata anno ML. Florentinum ſub Victore II. celebratum anno MLV. Veronenſe eodem anno. Romanum ſub Nicolao II. anno MLIX. Rothomagenſe anno MLXIII. & alia quamplurima, in quibus proſcripta fuit hæreſis Berengariana, & ipſe Berengarius Anathematis gladio percuſſus fuit. Certò hæc Concilia, aut Conciliorum authoritas ſufficeret pro firmanda articuli noſtri virtute. Nihilominus contra eoſdem & alios Hæreticos, authoritate Sacræ Scripturæ probanda eſt realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Romanum Vercellenſe. Pariſienſe. Rothomagenſe. Veronenſe.

§ III.

De Authoritatibus, quibus probatur veritas Articuli.

IMprimis Chriſtus, qui non poteſt mentiri, quia veritas eſt, & veritatem docet, nobis verum corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum promiſit Joan. 6. dicens: *panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Hæc verba non exprimunt ſignum, nec figuram carnis Chriſti, ſed ipſammet carnem Chriſti, ut indicat hæc particula, *caro mea eſt*: igitur dum dedit illum panem ad manducandum, verè, & realitèr carnem ſuam dedit; hoc quippè dicto, Judæi litigaverunt ad invicem, dicentes: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* *Joan. 6.* Ex quo ſequitur quòd Chriſtus non loquebatur de manducatione ſpirituali per fidem, ut contendunt Hæretici. Nec per figuram, ſive de carne non realiter, & ſubſtantialitèr exiſtente, id eſt, ſolùm in ſigno & figura, ſed quod loquebatur propriè, & de eſu vero & reali. Quia Judæi intelligebant de reali manducatione, paritèr, & aliqui Diſcipuli qui dixerunt: *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire*; ut legitur in verſu 62. tamèn Chriſtus videns hanc litigationem eſſe inter Judæos, & Diſcipulos non reprehendit eos, licet manducationem realem, & ſubſtantialem intelligerent. Nec dixit illis ſe loqui de manducatione carnis ſuæ in figura, ſeu in manducatione panis. Quòd proculdubio feciſſet nè in hoc errore manſiſſent Judæi, aut ut ab ipſis verè intelligeretur, verum ſenſum aperuiſſet aliqua explicatione: credibile enim eſt quòd verba illa, ſi non in germano, & naturali ſenſu, quem præferunt, ſed in ſenſu figurativo intelligenda eſſent, ipſe Chriſtus, vel aliquis Evangeliſtarum, Salvatoris mentem in re tam gravi, tam ſeria, tam ſcitu neceſſaria expoſuiſſet, & diſtinxiſſet manducationem, quâ ſumus ſumpturi carnem Domini. Nam ipſe Chriſtus, aut Apoſtoli in rebus minoris momenti adeò fuere ſolliciti Salvatoris verba accommodando benignè interpretationis lenimento temperare, ſicut cum Chriſtus dixit: *ſolvite Templum hoc*; ſtatim addidit: *loquebatur de Templo corporis ſui*: ergo Chriſtus dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, intelligebat carnem veram propriam, & realem, & promittebat ſe daturum illam, non in figura, vel in ſigno, ſed in propria natura, & exiſtentia.

Chriſtus expreſſè diſtinguit manducationem carnis ſuæ à potione ſanguinis ſui, dicens: *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, ut indè appareat ibi carnem non eſſe metaphoricè, & in figura ſumendam, ſed eſſe realem, & ſubſtantialiter comedendam, quia ſi loqueretur ſolùm de manducatione per fidem, illa diſtinctio eſſet inanis, & ſuperflua. Siquidem comeſtio, & potio per fidem, ſunt unum & idem, fiuntque eodem modo, videlicet credendo in Chriſtum cœnantem cum Diſcipulis ſuis, eiſque carnem ſuam in ſigno & figura præbentem: Igitur ſi Chriſtus locutus eſt per figuram, ut volunt Hæretici, vana eſt hæc promiſſio.

Præterea ait: *caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*; at ſi caro Chriſti ſola fide, aut in ſigno vel figura ederetur, & ſanguis ejus biberetur, ut volunt Calviniſtæ, illa caro non eſſet cibus verè, ſicut homo pictus, aut figuratus non eſt verè homo, ſed tantùm tropicè, & metaphoricè. Nam ſicut os & guttur animæ metaphoricum tantùm eſt, neque eſt magis os & guttur, quàm imago hominis depicti, eſt homo; ità Chriſti cibus & potus, eſſet tantùm cibus & potus metaphoricè; non autem verè & propriè. Quòd eſt falſum, quia dixit; *caro mea vere eſt cibus.* Et nullus dixit: homo pictus, eſt verè homo.

Itaquè caro Chriſti in Euchariſtia eſt propria, vera & realis. Nec manducatur ſolùm per fidem, ut volunt Hæretici, ſed veré & ſubſtantialitèr ſumitur à Fidelibus. Hinc eſt quòd Chriſtus de corpore ſuo loquens, illudque Mannæ comparans, ait: *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut Patres veſtri manducaverunt Manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Indè enim videmus Euchariſtiam, non eſſe ſicut Manna, ſeu figuram corporis Chriſti, quia non extolleretur ſuper Manna, nec ipſe Chriſtus præferret panem Euchariſticum, ſed de utroque loqueretur eodem modo, utrumque in eadem æſtimatione haberet; cùm Manna fuerit etiam figura corporis Chriſti. Et Patres qui in Deſerto Manna manducaverunt, in Chriſtum crediderint, idcircò ſpirituali manducatione per fidem, corpus ejus comederunt, Manna comedendo: nos autem, qui in lege perfectiori vivimus, nec in figura res nobis contingunt, verè & realitèr carnem Chriſti manducamus, alioquin in lege Evangelica non manducamus hunc panem, nobiliori, nec perfectiori modo, quàm Patres noſtri in veteri Lege. Quòd eſt falſum: cùm Lex nova non figuram, ſed realitatem, & veritatem contineat, & Chriſtus venerit ut abundantius habeamus.

Manna fuit figura corporis Chriſti.

Authoritas Concilij Niceni.

Undè Concilium Nicænum II. actione ſexta, ad rejiciendam figuram, & ad manifeſtandam realitatem, ait: *Nullus aliquando tubarum Spiritus Sanctorum videlicet Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum noſtrorum incruentum noſtrum Sacrificium dixit imaginem corporis ejus, ſed audiant Evangelicè, dicente eo, niſi manducaveritis carnem Filij hominis &c.* Quibus conſtat in Sacrificio Altaris verè, & realitèr eſſe corpus Chriſti, quippè cùm non ſit alius modus excogitabilis eſſendi in hoſtia, niſi realitèr, vel figurative, ſeu per imaginem. Et Sacrificium noſtrum non ſit imago corporis Chriſti, ſed ejus caro, cum manducare ſignum aut figuram carnis, non ſit manducare carnem Filij Hominis, ſequitur quòd in ipſo Sacrificio Altaris eſt verè, & realiter corpus Chriſti. Effectus enim probat virtutem, & realem cauſæ exiſtentiam, quia panis ille plures præſtat effectus, qui non ſignis, nec figuris, ſed ſubſtantiali, atque reali cauſæ tantùm conveniunt ut facilè colligitur ex illo Sap. 16. verſ. 20. & 21. *Nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in Filios habes, oſtendebat: & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.*

Sap. 16.

Reverà hæc dicta ſunt de Manna, aut de Agno Paſchali, ut notant plures expoſitores Sacræ Scripturæ, nihilominùs debent verificari de Euchariſtia, quam Manna figurabat. Ideoque ipſa Euchariſtia, aut panis Euchariſticus non eſt figura corporis Chriſti ſicut Manna, ſed ipſum corpus Chriſti, alioquin ipſa Euchariſtia non eſſet perfectior, nec nobilior Manna, cùm non poſſit eſſe perfectior niſi actu contineat quod ipſum Manna ſignificabat. Quinimò Euchariſtia eſſet figura ſicut Manna. Quod eſt falſum, cùm receſſerint vetera, & nova ſint omnia, adeptique ſimus repromiſſiones, ſcilicet videamus Chriſtum, nobis in Patriarchis figuratum, atque promiſſum, & manducemus carnem ejus. Undè Matthæus Uvormacenſis Homil. de Cœna Domini, de Euchariſtia, ait: *Redemptionis memoriale pignus, pignus hæreditatis æternæ, futuræ jucunditatis amabile præludium, Arrham ſponſæ, jocale divinum cœlitus ei datum, Eccleſiæ militantis cum triumphante ſuave glutinum, & unionem Fraternam, dum eam dulcedinem, quâ illa fruitur ſine velamento, iſta habet ſub Sacramento, & ſi illa cœleſtis Jeruſalem habet Deum ſuum jucundius, ità in terra militans, habet eum mirabilius.* Nam Doctor ille per hæc verba ſignificat, nos habere in Sacramento id, quod Beati in patria vident, ſed ibi vident corpus Chriſti veré & realitèr, corporalitèrque præſens: ergo nos habemus illud tale in adorando Euchariſtiæ Sacramento: dixit enim Chriſtus Diſcipulis ſuis: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, quòd non eſt intelligendum de præſentia viſibili, cùm aſcenderit in cœlum, ſedeatque ad dexteram Patris, & non appareat oculis noſtris. Nec de præſentia figurativa per panem conſecratum, quia hoc non eſt eſſe nobiſcum, ſed eſt, nos habere imaginem, aut ſignum Chriſti, ſed eſt intelligendum de præſentia reali velata ſpeciebus Sacramentalibus, quia hæc particula, *ecce ſum*, denotat exiſtentiam realem coexiſtentem, id eſt, nobiſcum exiſtentem, aut actu in terris apud nos manentem.

Matthæus Uvormacenſis.

Eadem veritas manifeſtè oſtenditur ex illis verbis, quibus uſus eſt Chriſtus. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. præbendo corpus ſuum & ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini in inſtitutione hujus Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, dicens: *accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Et porrigendo ſanguinem ſub ſpecie vini, *bibite ex illo omnes, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Nam ex illis verbis evidentèr conſtat, Chriſtum dediſſe Diſcipulis verè, & realitèr, & ſubſtantialitèr corpus ſuum ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum, quoniam hæc pronomina, *hoc* & *hic* denotant corpus, & ſanguinem eſſe res præſentes verè & realiter à Chriſto datas, & à Diſcipulis ejus receptas. Diſcipuli in illa ultima cœna receperunt id, quod dedit eis Chriſtus, Chriſtus autem non dedit illis figuram, ſicut Deus dederat eam Patribus noſtris, ſed corpus ſuum, ut conſtat ex Textu Sacro: ergo corpus Chriſti erat verè & realitèr ſub ſpecie panis dati Diſcipulis. Et ſanguis ejus erat ſub ſpecie vini.

Matth. 26.

Argumentum hujus veritatis, eſt quia hæc duo verba, *hoc*, *hic*, ſunt nomina demonſtrativa, quæ affirmant rem, quam exprimunt, eſſe præſentem, ut probant hæc æterni Patris: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Præterea, Corpus quod Chriſtus dedit, dicens: *Accipite: hoc eſt corpus meum*, eſt idem ac illud, quod pro nobis tradidit in Ara crucis, ut evidentèr demonſtrat, nobiſque ſuadet hæc particula, *quod pro vobis tradetur*, ſimilitèr ſanguis, quem dedit, eſt idem ac ille, qui pro nobis effundi debebat ab ipſomet Chriſto in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ut ſuadet hæc particula *qui pro vobis fundetur.*

Pronomina hoc, hic ſignificant rem præſentem.

Undè D. Paulus Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 23. & ſequentibus, ait: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens, fregit, & dixit: accipite & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens: hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem:* Sed Chriſtus non in figura, nec in imagine ſeu in pictura, nec in ſigno, ſed verè & realitèr, ac ſubſtantialitèr tradidit ſe pro nobis, hoc eſt, verum, reale ac ſubſtantiale corpus pro nobis traditum fuit, alioquin Chriſtus non fuiſſet paſſus, nec mortuus, nec ſepultus. Quòd eſt Hæreticum. Item verus Chriſti ſanguis pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, ut fatentur Calviniſtæ, & alij Hæretici ſupra citati: Igitur in Sacramento Euchariſtiæ, habemus verum, & reale corpus Chriſti, & idem ſubſtantialitèr quod erat in cruce, cùm Apoſtolus diſtinctè, ac perſpicuè dicat, Dominum tradidiſſe Diſcipulis corpus,

1. Corint. 11.

Digitized by Google

quòd tradidit in ultima Cœna, quodque datur quotidiè io communione, & quod traditum fuit Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Et quod tertia die reſurrexit, quod certò non erat larvatum, nec iu imagine, aut in figura, ſed erat verum & naturale, ac ſubſtantiale, quia corpus figuratum, nequit verè, & realitèr crucifigi, neque ſanguinem effundere in remiſſionem peccatorum, cùm corpus in figura non habeat ſanguinem, neque vitam, ut patet de homine picto. Ex illa authoritate Evangeliſtarum, unum ex duobus neceſſarium eſt, nimirùm quòd taceant Hæretici realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis negantes. Vel dicant, corpus traditum Judæis crucifigendum non eſſe idem, ac corpus datum Diſcipulis ad manducandum. Hoc ultimum dicere non audent, ut conſtat de Luthero qui, his verbis: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur* auditis reſiſtere nequiens, mutavit ſententiam, & docuit, corpus Chriſti eſſe realiter præſens io Euchariſtia, ſed ſimul cum pane. Fateantur igitur primum, & credant Euchariſtiam continere realiter corpus Chriſti. Nec hoc fateri timere debeant, cùm Lutherus maximè propenſus ad negandam hanc realitatem, ingenuè confeſſus fuerit, ſe non poſſe tam manifeſtè Scripturæ Sacræ teſtimonio repugnare, ut liquet ex ejus Epiſtola ad Argentinenſes, ubi ſic ſcribit. *Vellem, poſſet mihi aliquis perſuadere nihil eſſe in Euchariſtia præter panem, & vinum; magno illo beneficio me devinceret: jam ſæpè gravibus curis in hac materia deſudavi; & videbam me hoc modo plurimum poſſe Papatui incommodare: verum ego me captum video, nulla labendi via relicta, textus Evangelij nimis eſt apertus.* Sanè hujus textus evidentia tam Calvioiſtis & alijs nota eſt, quàm Lutheranis.

Teſtimonium Lutheri.

Nec valet dicere quod Lutherus non eſt minus Hæreticus, quàm Calvinus, acproindè quòd ipſe Lutherus non eſt hìc audiendus. Non valet inquam, quia in hoc non erravit, neque eſt propriè Hæreticus, ſed in alio, nimirùm quia dixit ſubſtantiam panis, & vini ſimul cum Chriſti corpore & ſanguine remanere, ut infra videbimus.

Aliud argumentum pro realitate firmanda eſt ex eodem Apoſtolo loco citato, ubi pro aſſignandis nonnullis conditionibus panem Euchariſticum, à pane uſuali diſcernentibus, ait: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Nam ſi Euchariſtia, quam Chriſtus Dominus inſtituit, quamque Apoſtolus ab eo accepit, & Fidelibus tradidit ad manducandum, non contineret verè, & realitèr, ac ſubſtantialitèr corpus & ſanguinem Domini, ſequeretur quòd inutilis, & ridicula eſſet hæc Apoſtoli admonitio, quæ eſt de Euchariſtia, aut de Communione dignè, ac debitè ſumenda, quia ſi Euchariſtia eſſet tantum ſubſtantia panis, & in ea corpus Chriſti eſſet tantùm in figura, & per fidem tantum manducaretur. Et ſanguis paritèr tantùm per fidem biberetur, omnes Fideles eſſent (prout tales præciſè) præparati ad Communionem, nullaque eſſet neceſſitas diſcernendi, dijudicandique corpus Domini, cùm nullum eſſet in ſubſtantia diſcrimen, inter hunc panem, qui de cœlo deſcendit, & panem uſualem, ſed valdè utilis, imò & neceſſaria eſt admonitio Apoſtoli: igitur caro Chriſti eſt verè, & realitèr ſub ſpecie panis Euchariſtici.

Aliud pro realitate argumentum ex Apoſtolo deductum.

Ratio altera eſt, quia in ſenſu Hæreticorum corpus Chriſti non poteſt indignè manducari, nec ſanguis ejus indignè bibi ab hominibus baptizatis, & credentibus, quamtumvis perverſis, & peccatoribus. Nam quicumque illum panem cœleſtem manducat, fidem habet, vel fide caret. Si fidem habet, certò dignè (inquiunt) ſuſcipit, quamtumvis plurimis ſceleribus, & peccatis ſit inquinatus. Ratio eorum eſt, quia corpus Chriſti eſt ibi per fidem, aut figura manducatur. Et homo juſtificatur per fidem, ut affirmat Calvinus lib. 3. inſtitut. cap. 11. Quapropter qui habet fidem, dignus eſt manducare hunc panem, quia per ipſos eſt Juſtus, hæc autem fides manet cum peccato; ut contrà Hæreticos probatum manet in proprio loco: igitur juxtà Hæreticorum Doctrinam negantem, carnem Chriſti eſſe realiter in Euchariſtia, ad dignam ſuſceptionem corporis Chriſti ſufficit credere, & parùm nocet communicanti habere peccata mortalia. Si fide caret cum ad Euchariſtiam accedit, Chriſti corpus, & ſanguinem nullatenus ſuſcipit, quia Hæretici volunt, primò quòd caro Chriſti non ſit in ea realiter præſens. Secundò quod Euchariſtia ſola fide, ſeu ut dicunt, ore fidei ſuſcipi poſſit, ex quo ſequitur quòd ſi corpus Chriſti non eſt verè, & realiter in Euchariſtia, omnis, qui illam recipit, dignè recipit illam, quia nullus eorum, qui recipiunt, eſſet reus corporis, & ſanguinis Domini. At hoc eſt falſum & directè contra mentem Apoſtoli dicentis: *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Ejus ratio eſt. Quia non dijudicat corpus Domini: igitur ex Apoſtolo, corpus Domini eſt verè ſub ſpeciebus panis. Quomodo enim reus eſſet corporis & ſanguinis Domini, aut peccaret comedens in peccato panem hunc, ſeu Euchariſticum, ſi verè & ſubſtantialitèr ſumptus, nihil aliud eſſet niſi panis uſualis? Cùm hunc panem uſualem manducare in peccato, non ſit prohibitum, nec peccatum. Quomodo eſſet reus corporis & ſanguinis Domini, ſi non manducaret verum, ac ſubſtantiale corpus Domini, cum ad manducandum panem figurantem corpus Chriſti, ſufficiat (juxta mentem Hæreticorum) credere, & peccatores credant.

Ratio deducta ex præparatione ad dignam Communionem neceſſaria.

Quorſùm homo deberet probare ſeipſum, & ſic de pane illo edere, & de calice bibere, ſi panis ille non eſſet caro Chriſti, nec vinum eſſet ſanguis ejus, ſuppoſito quod habeat fidem per quam ex Hæreticis, panis ille manducatur, & ſine qua nullatenus manducari poteſt? Nulla ſanè poteſt aſſignari ratio oppoſitum ſuadens, cùm probare ſe, ſit animam ſuam præparare, eamque à peccatis mundare; ideoque Apoſtolus ità loquitur, ut indè diſcamus corpus Chriſti eſſe verè, ac realiter ſub ſpecie panis, & ſanguis ejus ſub ſpecie vini. Et quod dum Chriſtus dixit; *accipite & manducate: hoc eſt corpus meum,* dedit propriam carnem ſuam, & ſubſtantiam, quæ cùm nequeat operari in anima in peccato exiſtente, Apoſtolus vult præparationem eſſe præmittendam ad dignam Communionem, non ut corpus Domini recipiatur à communicante, quia peccatores recipiendo Hoſtiam, recipiunt illud, ut contra nonnullos Hæreticos dicemus in proprio loco, ſed ut recipiantur Communionis fructus.

Quare Sancti Patres, qui ſenſum Apoſtoli ſuſceperunt, nos eorumdem verborum virtute realitatem corporis Chriſti manifeſtè docuerunt. Nam S. Hilarius lib. VIII. de Trinit. inquit: *Verè Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturalitèr manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſuæ ſub Sacramento nobis communicandæ carnis, admiſcuit.*

D. Hilarius.

S. Juſtinus Martyr ; qui in ſecundo ſæculo floruit, ſic loquitur de Sacra Communione in Apologia ſecunda : *Non ut cemmunem panem , neque ut communem* D. Juſtinus *potum iſta ſumimus , ſed ſicut per verbum Dei, caro factus Jeſus Chriſtus Salvator noſter , & carnem , & ſanguinem ſalutis noſtra cauſa habuit , ad eundem modum , etiam eam , in qua per praces verbi ejus ab ipſo profecti gratia ſunt acta alimoniam , undè ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur ; incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in Commentarijs à ſe ſcriptis , quæ Evangelia vocantur ; ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum , eum enim , pane accepto , cum gratias egiſſet , dixiſſe. Hoc facite in meam recordationem , hoc eſt corpus meum. Et poculo ſimiliter accepto , & gratijs actis , dixiſſe ; hic eſt ſanguis meus* ; Quibus ſuadetur , panem à Chriſto datum Diſcipulis, noo eſſe communem & uſualem , nec talem, qualem volunt eſſe, Hæretici ; ſed carnem & ſanguinem Chriſti , eo modo , quo in Incarnatione eſt vera caro Chriſti , qui non dedit quod in menſa accepit: accepit enim panem , & dedit corpus ſuum. Undè ipſe Chriſtus, accepto pane gratias egit , fregit & dixit , *hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur* , quibus verbis ſuadetur pariter ; Chriſtum non eſſe in figura ſub ſpeciebus Euchariſticis , ſed ſubſtantialitér.

Idem affirmat Theophilatus in cap. 25. Math. ubi de Chriſto loquens , ait : *Non enim dixit, hoc eſt figura,* Theophilatus. *ſed hoc eſt corpus meum : ineffabili enim operatione transformatur , etiamſi nobis videatur panis , quoniam infirmi ſumus , & abhorremus nudas carnes manducare , maximè hominis , ideo quidem panis apparet , ſed caro eſt* ; ſanè nihil hoc clariùs dici poteſt ad ſuadendam contrà Hæreticos realitatem corporis Chriſti in Hoſtia conſecrata , & ad repellendam figuram , quam fingunt ipſimet Hæretici.

Simila habet S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fi- D. Damaſcenus de cap. 14: ubi legitur. *Non eſt figura panis , & vinum corporis & ſanguinis Chriſti : abſit enim hoc , ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum , ipſo Domino dicente , hoc eſt corpus meum , non figura corporis , ſed corpus , non figura ſanguinis , ſed ſanguis.* Chriſtus non dedit figuram ad manducandum , nec ad bibendum , dum dixit : *accipite & manducate , hoc eſt corpus meum* ; ſed carnem ſuam , ideo dixit , *caro mea verè eſt cibus , & ſanguis meus verè eſt potus.* Et ideo id , quod dedit Diſcipulis ſuis in ultima Cœna ad manducandum , non panis , ſed vera & ſubſtantialis Chriſti caro eſt , ideoque à veritate plurimum aberrant Hæretici qui credunt , Chriſtum eſſe in Hoſtia conſecrata , tantum per figuram , & repræſentationem. Et impugnant Tranſubſtantiationem realem panis in carnem Chriſti , non enim Chriſto ſatisfuit , hominem fieri , colaphis cædi , & crucifigi inquit D. Chryſoſtomus Hom. 83. D.Chryſoſt. verum ſemetipſum nobis dedit , & non fide tantùm , verum & ipſa re ſuum efficit corpus , ut eſſet corporaliter ſub ſpeciebus Euchariſticis nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi , & ut per carnem ſuam nutriret animas , quas per ſanguinem redemerat.

Undè S. Ambroſius relatus in Can. 74. diſt. 2. de Conſecrat. hanc ipſam veritatem ſic explicat. *Omnia quacumque voluit Dominus fecit in cœlo , & in terra , & quia voluit , licet figura panis & vini hic ſit , omninò nihil* D. Ambroſius. *aliud quam caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt : undè ipſa veritas ad Diſcipulos , hac , inquit , caro mea eſt pro mundi vita. Et ut mirabiliùs loquar , non alia planè , quàm quæ nata eſt de Maria Virgine , & paſſa in cruce , & reſurrexit de Sepulchro ; hæc inquam ipſa eſt , & ideo Chriſti caro eſt , quæ pro mundi vita hodiè offertur , & cùm dignè percipitur , vitam utique æternam in nobis operatur.* Quibus conſtat , D. Ambroſium ibi docere, corpus Chriſti eſſe ſubſtantialiter ſub ſpeciebus , ſeu panem mutari in carnem Chriſti ex vi verborum Sacramentalium , quibus ex Divina Omnipotentia competit hæc virtus , ut docet fides Catholica : Dogma enim datur Chriſtianis quòd in carnem tranſit panis , & vinum in ſanguinem: igitur Euchariſtia non eſt ſubſtantialitèr panis , neque vinum , ſed caro , & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. D. Thomas Hæc quippè mutatio non eſt ſubſtantiæ in figuram , nec figuræ in figuram, nec accidentis in accidens , ſed ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſeu panis in carnem Chriſti.

His Sanctis Patribus addendus eſt S. Auguſtinus, D. Auguſt. qui refert , Chriſtum , optimum operatum fuiſſe miraculum, dum præ manibus ſuis panem habens , dixit: *hoc eſt corpus meum* , ut habetur in expoſitione Pſal. 33. ubi tractans locum 1. Regum cap. 21. inquit. *Hoc Fratres quomodo fieri poſſit in homine , quis intelligat ? quis enim portatur in manibus ſuis ? manibus alienis poteſt portari homo , manibus ſuis nemo portatur ; quomodo intelligitur in ipſo Davide ſecundum litteram ; non invenimus , in Chriſto autem invenimus , ferebatur enim in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum , ait : hoc eſt corpus meum , ferebatur illud corpus in manibus ſuis* : ergo panis , quem Chriſtus præ manibus in ultima Cœna habebat , poſt conſecrationem , fuit idem corpus realitér & ſubſtantialitèr , ac illud , quod tenebat , hoc eſt , tenens & tentum fuerunt unum & idem corpus, alioquin D. Auguſtinus non dixiſſet ; fuiſſe miraculum quod Chriſtus ferebat ſe manibus ſuis , quando dicebat , *hoc eſt corpus meum.* Nullum ſanè eſſet miraculum ferre manibus ſuis Symbolum ſui repræſentativum aut ſignum, vel figuram corporis ſui ; quia hoc homines facere poſſunt, cùm quilibet poſſit imaginem ſuam depictam ferre.

Nec dicerent alij Sancti Patres V. G. D. Baſilius in Liturgia , D. Gregorius Nicænus oratione de Paſchate , & D. Chryſoſtomus , lib. 3. de Sacerdotio , D. Baſilius. miraculum eſſe Omnipotentiæ Dei , quòd corpus Chriſti exiſtens in cœlo , ſit ſimul in terra , atque in ea varijs in locis exiſtat , ſi in terris , ſcilicet in Hoſtia conſecrata , eſſet tantum figorativé , & repræſentativè, ut volunt Hæretici Calviniſtæ & alij , quia non eſt miraculum Omnipotentiæ Dei corpus Chriſti eſſe in cœlo realiter , ac corporalitèr , & in terra per figuram & repræſentationem , plures quidem ſunt perſonæ ; quarum effigies, ſeu imagines eas repræſentantes, ſunt in locis diſſitis : igitur Sancti Patres (in quibus melius eſt confidere , quàm in Simone Mago , Menandro , Berengario , Calvino & alijs) cenſent corpus Chriſti non myſticè , nec figurativè , ſed verè , realitèr , & ſubſtantialitèr eſſe in Euchariſtia ; cùm ipſorum Doctrina ſit tuenda , & obſervanda , ut monet Joannes Papa VIII. in Can. *quis autem* diſt. 10. *Et* Joannes Papa. VIII. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Sanctorum Patrum Magiſter , & Præceptor , dixerit ; caro mea verè eſt cibus , & ſanguis meus verè eſt potus.* Hæc quidem verba verè aſfirmant , carnem Chriſti eſſe verè cibum , ſicut iſta Matth. 24. *Verè Filius Dei erat iſte* , affirmant , Chriſtum eſſe verè Deum.

§ IV.

De quibuſdam Miraculis , quæ probant realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia.

NOn parum juvat hic afferre cum Prateolo , Cabaſutio , Goneto , Fraſſenio , & pluribus alijs fideliſſimis Scriptoribus & celeberrimis Theologis omni fide dignis , quædam miracula Authentica ex quibus facilè erit colligere realem exiſtentiam corporis Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento , cùm Deus faciat miracula miniſterio hominum , ad Infidelium , & Hæreticorum converſionem , ut declaratur in libro octavo Conſtitut. Apoſtolic. cap. 1.

Prateolus

Digitized by Google

Prateolus in Elencho Alphabetico Hæreticorum lib. 7. littera G. Refert quod in Hiſtoria Fratrum Prædicatorum legitur, in Epiſcopatu Brixienſi, quemdam virum, numine Guidonem de Lacha, virum Sanctitate & puritate præditum apud homines, ſed Hæreticum apud Deum, nam cùm vita functus, & honorificè ſepulturæ demandatus eſſet, poſt aliquod tempus, fidei inquiſitor per teſtes fideles, examine diligenti peracto, probavit, & invenit illum *Argumentū ex quodam miraculo deductum.* eſſe Hæreticum, & plures animas in ipſo fiduciam habentes in his, quæ ſpectabant ad directionem, ſubvertiſſe; ideoque de conſilio Epiſcopi, & aliorum prudentum virorum, ſancitum eſt, ut ejus cadaver effoderetur, & oſſa igne cremarentur. Populo itaque præſente, ejus oſſa in ignem conjecta ſunt, quæ mox Dæmones ex eodem igne in aërem attollentes, ea ſuſpenſa ſuper ignem tenebant. Non tamen illi videbantur, ex quo effectu ut populus exclamaret, Epiſcopum cum ſuis eſſe necandum, qui invidiâ moti Sanctum Dei virum exüere præſumpſiſſent, id Deo nolente, nec permittente, quâ re exterritum Epiſcopum, ſoi bono animo eum deprecati ſunt in hæc verba prærumpentes: Domine Epiſcope, ne ulla te frangaris quæſomus, quandoquidem hîc pro fidei tuitione adſumus, ſed ad ſacrum peragendum te potiùs præpara, viſuri experientia ipſa, num Deus aliquod miraculum ſuper hac re exhibiturus ſit, nè fides in diſcrimen veniat, ac periclitetur. Miſſa ea fuit de Beata Virgine, cumque corpus Dominicum, ſurſum ab Epiſcopo levaretur, Dæmones in aëre exclamare auditi ſunt in hunc modum: *O Guido de Lacha! te hucuſque quantum potuimus defendimus, ſed amplius non poſſumus, quia major nobis adeſt*, moxque in ignem oſſa ceciderunt, & combuſta ſunt, & fides ab omnibus exaltata. Hæc ſunt verba Prateoli loco citato, & Bernardi de Luxemburgo in catalogo Hæreticorum. Hoc miraculum de quo dubitare nulli fas eſt, evidentèr probat contrà Calviniſtas, corpus Chriſti eſſe realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis, alioquin Dæmones non dixiſſent coram Epiſcopo conſecrante, Hoſtiam Conſecratam levante: *major nobis adeſt*; ſeu Jeſus Chriſtus eſt præſens, præſentia corporali, quia ille major de quo loquebantur, eſt Chriſtus, qui eſt unigenitus Dei Filius, in quem deſiderant Angeli proſpicere, in cujus conſpectu tremunt poteſtates, & in cujus nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Aliud miraculum exiſtentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia probans, refertur à Fraſſenio noſtro, tract. de Sacramento Euchariſtiæ diſp. 1. ſect. 1. quæſt. 1. num. 15. & à Cabaſſutio in Notitia Eccleſiaſtica ſecundi ſæculi, diſſert. 5. num. 6. ibi enim inquit, fuiſſe receptiſſimam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conſuetudinem (juxta monitum Evagrij lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 36. Nicephori & aliorum Scriptorum.) Pueros ex Scholis accerſendi ad comedendas Euchariſtiæ particulas, quæ de populi communione ſupererant, nè corrumperentur, quâ occaſione miraculum narrant inſigne nati pueri ex Patre Judæo, arte vitriario, qui cùm ſcholæ Sodalibus accitus de Sacramento ſimul comederat. Quod ubi *Miraculū ex Evagrio, & Nicephoro relatum.* Pater reſcivit, tanto furore exarſit, ut innocentem, ac ſimplicem puerum in fornacem accenſam conjecerit, Mater ſceleris Paterni inſcia, puerum aliquot dies flebiliter conquiſivit, qui tamen auditis ejulantibus Maternis, è fornace reſpondit ad ſtupefactæ Matris diligentiam recluſo fornacis oſtio, puer inſtar trium Hebræorum puerorum in Babylonicam fornacem conjectorum, viſus eſt in medijs ignibus incolumis, & illœſus; indeque eductus narravit ſe à Patre in ignes truſum, à divina & eximia Matrona quadam exceptum, ejuſque pallio circumfuſum, non ſenſiſſe flammarum ardorem, quin etiam nè fame moleſtaretur ſubminiſtratum ab eadem fuiſſe cibum, & potum. Puer liberatus unâ cum converſa Matre ingentis populi concurſo, & celebritate initiatus eſt Baptiſmo, Pater verò obſtinatiſſimus, damnante Juſtiniano Imperatore ob admiſſum in Filium ſcelus, affixus eſt cruci. Ita Cabaſuſius.

Verum ex hoc miraculo facilè infertur, corpus Chriſti fuiſſe verè & realitèr in illo pane conſecrato: Imo inferendum eſt, hoc miraculum factum fuiſſe, ut manifeſtaretur, & exaltaretur fides Catholica, quam habemus de ipſa realitate corporis Chriſti in Euchariſtia. Hoc miraculum accidit temporibus Juſtiniani Imperatoris, & Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Tertium tandèm miraculum refertur à Goneto in Clypeo Theologiæ, Tom. 5. Tract. de Euchariſtia Diſp. præm. artic. 9. num. 64. ubi ait, in his proprijs terminis. Eſt Vicus in Diœceſi Andegavenſi, quem vulgò vocant *les Vlmes de Saint Florent*, propè Salmurium, ibi die ſecunda menſis Junij anni MDCLXVI *Vltima ratio ex alio miraculo deducta.* quæ erat dies Sabbati infrà octavam corporis Chriſti, cùm ad ſalutem decantandam, omnes conveniſſent, dum à Parocho hic verſus, *Verbum caro, panem verum* decantaretur. Viſa eſt loco Hoſtiæ integra ſpecies hominis. Advertit id ſtatim Parochus, & vocatis qui aderant, propiùs accedunt, adeò ut facilè, & figura & lineamenta notari potuerint. Erat capillis ſub nigris, & ad humeros defluentibus, ſplendida facie, majeſtate ſupra humanam, inſertis in modum crucis manibus quarum ſiniſtra dexteræ appoſita erat, totumque corpus candida veſte, & qualem albam vocant, tegebatur. Hæc itaque per horæ quadrantem circitèr viſa ſunt à Parocho, & cæteris qui aderant, adque probandum miraculum acceſſerant. Poſteà cœpit quædam parva nubes totam hanc hominis ſpeciem involvere, & ab intuentium oculis ſubducere, & demùm nube paulatìm in aëra abeunte, Hoſtia in propria figura, & eodem ſtatu, quo erat antea, remanſit. Statim hujus rei nuntium delatum eſt ad Epiſcopum Andegavenſem, qui in eum locum ſe ſe contulit, ut hujus certior fieret, & Parochi, aliorumque teſtium depoſitionibus exceptis, ſummaque diligentia adhibita, hujus miraculi fidem fecit Epiſtola Paſtorali, quæ per Gallias delata undique ſparſa eſt, ut jam planè inſani eſſet hominis rem ità contigiſſe, velle negare. Ità Gonetus.

Sanè ex hoc miraculo Authentico, & approbato, & ex alijs duobus ſupra relatis, & alijs non minus Authenticis, quæ referri poſſunt, ità probatur realis exiſtentia corporis Chriſti, atque præſentia ſubſtantialis ſub ſpeciebus Euchariſticis, ut nullus ſit, qui poſſit abſque impudentia, & inſigni temeritate eam negare, cum teſtimonijs Authenticis ſit adhibenda fides, alioquin liceret omnes hiſtorias indifferentèr impugnare. Quòd eſt falſum.

§. V.

In quo referuntur, & refutantur Argumenta Hæretica.

HÆretici, qui hanc realem præſentiam nolunt, & credunt, Euchariſtiam eſſe ſolum figuram & repræſentationem carnis & ſanguinis Chriſti, plura objiciunt. Nam Zuinglius in lib. de vera & falſa Religione, cap. de Euchariſtia, argumentum contra Eccleſiam Romanam deſumit ex illo Joan. 6. ubi murmurantibus Capharnaitis audientibus Chriſtum

dixiſſe ; *caro mea verè eſt cibus.* Et poſteà, ſeu verſ. 64 reſpondentem : *Spiritus eſt , qui vivificat : caro non prodeſt quidquam , verba quæ ego locutus ſum vobis , Spiritus & vita ſunt.* Inquit quòd Chriſtus his verbis voluit corrigere errorem Capharnaitarum, qui exiſtimabant, carnem Chriſti eſſe manducandam verè & realitèr eo modo, quo manducantur alimenta, ſeu panis, caro, & res ſimiles. Quapropter, ut eos corrigeret &

Ratio Zuinglij.

verum ſenſum eis aperiret : dixit eis : *Spiritus eſt, qui vivificat &c.* animo monendi ipſos, ſpiritualiter tantùm, & ſola fide ſumendam ab eis eſſe hanc carnem, acproindè (inquit ipſe Zuinglius) credendum eſt, Chriſtum non eſſe in Eucharistia realitèr, & ſubſtantialitèr, ſed ſolùm per figuram & per fidem ſumi.

Reſpondetur, hanc interpretationem eſſe falſam, licet Chriſtus hæc verba protulerit, ut corrigeret falſam Capharnaitarum imaginationem, quæ non

De mente Capharnaitarum

erat circà realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſpecie panis, ſed ſolum circà uſum, aut manducationem. Capharnaitæ exiſtimabant carnem Chriſti in propria ſpecie, & more communi eſſe edendam, mortuam ſcilicet, & diviſam, ut carnes animalium edi ſolent, dixerunt enim : *Quomodo poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum ?* Undè opus fuit ut Chriſtus eis explicaret modum, quo ipſum edi oporteret, nimirum realiter, non quidem in propria ſpecie carnis, ſed in aliena, videlicet in ſpecie panis, unde dixit : *caro mea non prodeſt quidquam*, id eſt, caro carnalitèr accepta ſub forma carnis eo pacto, quo carnem animalium ſumitis, non prodeſt quidquam, ſed *verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*, hoc eſt, non ſunt intelligenda de carne corruptibili, dentibus atteribili, & diviſibili, ſed de re inviſibili, ſeu de carne mea, quæ dat ſpiritum & vitam. Continet enim ſpiritualem hunc vivificum, & reconditum ſenſum, quòd caro Filij hominis manducanda vobis erit, ſumendo eam ſub aliena ſpecie, & tamen credendam eam veram Chriſti carnem eſſe ſub ſpeciebus panis : igitur Chriſtus audiens Capharnaitas murmurantes, non improbat exiſtentiam realem corporis ſui in Euchariſtia, ſed ſolum manducandi modum, ſcilicet carnaliter, ut credebant Capharnaitæ, quemque nos rejicimus juxta mandatum Chriſti, & fidei Documenta in cujus obſequium captivamus intellectum noſtrum.

Dicent, Capharnaitas non cogitaſſe de Chriſto abſurdiſſima, nec ipſi indigna, quæ tamen cogitaſſent

Hæreticorũ inſtantia.

ſi ex verbis Chriſti credidiſſent, carnem ipſius eſſe manducandam eo modo, quo manducantur carnes animalium, quia nihil Chriſti Majeſtate indignius, quàm ipſum in Euchariſtia dentibus atteri, à Muribus, & alijs animalibus rodi, putreſcere, aceſcere, cùm panis, & vini corruptione in ſtomachum trajici, & in ſeceſſum ire. Hæc omnia Chriſti Domini corpus glorioſum dedecent, & ideo non potuerunt à Capharnaitis excogitari, acproinde falſa eſt hæc excogitatio, aut ad inſtantiam reſponſio.

Reſpondeo ſuppoſitionem hanc de Capharnaitarum cogitatione, aut mente, eſſe falſam, certum enim eſt quód Capharnaitæ audientes Chriſtum dicentem : *caro mea eſt vere cibus*, cogitaverunt carnem Chriſti eſſe manducandam eo modo, quo manducantur carnes animalium. Ratio evidens eſt, vi-

Rejicitur hæreticorum inſtantia.

delicet quia non attendebant, Chriſtum eſſe in Euchariſtia modo inextenſo, & impaſſibili, acproindè penitùs ignorabant, corpus Chriſti non poſſe lædi, nec cadere in terram, nec pedibus conculcari, nec à Muribus rodi, nec dentibus atteri, quoniam impaſſibilitas ab his omnibus actibus liberat carnem, & ſanguinem, ut docent communiter Theologi; poſt Sanctos Patres, in tractatu de Beatitudine; ideoque dum hæc omnia fiunt à communicante ſive ſub una, ſive ſub utraque ſpecie, ſcilicet panis, & vini, non fiunt in ſanguine, nec in corpore Chriſti, ſed in ſolis ſpeciebus panis, & vini, quæ poſt Conſecrationem remanent, cùm corpus ſit impaſſibile & inextenſum, ſpecies verò viſibiles, extenſæ, & alterabiles ſint, idcircó non miror ſi Capharnaitæ hæc ignorantes, crediderint, carnem Chriſti eſſe manducandam eo modo, quo carnes animalium manducantur. Et dixerint, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum ?*

Porrò ut Hæretici credant corpus Chriſti poſſe manducari, quin dentibus atteratur, dum atteruntur ſpecies, hoc exemplum eſt proponendum, ſcilicet quód ſicut homine cadente, anima non cadit, & corpus cadit : quamvis anima exiſtat in corpore verè, realitèr, & ſubſtantialitèr. Nec vulneratur ipſa anima, dum vulneratur corpus, quamvis det illi eſſe, vivere, & intelligere informando ipſum, ità etiam non atteritur corpus Chriſti, nec dentibus atteritur dum atteruntur ſpecies, ſub quibus verè, realitèr, & ſubſtantialitér, abſque ulla adhæſione, & informatione exiſtit ipſum corpus integrum, & indiviſibile, & incorruptibile, ut obſervat Sanctus Cyprianus de Cœna

D. Cyprianus.

Domini, ubi de Chriſtu ſic loquitur *Integer erogatur, diſtributus non demembratur, incorporatur & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Idem obſervant plures alij Sancti Patres, quorum verba omitto.

Deinde corpus Chriſti eſt glorioſum, & incorruptibile, non tranſit in ſubſtantiam corporis eorum, qui ſumunt illud, ſed eos potius in ſe ſpiritualitér mutat, ut inquit Divus Auguſtinus lib. 7. Confeſſ. cap. 10. ubi loquens in perſona Chriſti, ſic ait : *Cibus ego ſum, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Hinc eſt quòd corpus Chriſti non manducatur eodem modo, quo manducantur carnes animalium. Nequé hoc dedecet Chriſti Majeſtatem, ut putant Hæretici ſupra nominati, qui nolentes, hanc Chriſti præſentiam, aut Chriſtum præſentem in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento adorare, hoc dedecus ſupponunt, quin ſit. Ratio omnium Doctorum eſt, quia Myſteria noſtræ Fidei, eo ipſo diviniora cenſeri debent, quo Dei Majeſtati ſecundum humanam ſapientiam videntur prorſùs indigna, *ſtultum quippe*, inquit Sanctus Gregorius Homil. 6. in Evangelia, *hominibus viſum eſt, ut pro hominibus author vitæ moreretur, nam tanto*

D. Gregorius.

Deus ab hominibus dignius honorandus eſt, quanto pro hominibus indigna ſuſcepit : Ergo Divinæ Majeſtati non officit realis præſentia Chriſti in Euchariſtia, licet ipſe Chriſtus nobis in ea dederit carnem ſuàm ad manducandum. Neque hoc eſt Deo indignum, ut notat Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, ubi inquit, aſſumpſiſſe Deum quædam ſibi indigna, nobis autem neceſſaria, & ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm hominis ſalus. Unde cum omnibus ſit neceſſarium manducare carnem Chriſti juxtà illud Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij Hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Non eſt Deo indigna hæc carnis Chriſti manducatio.

Utuntur Hæretici authoritate aliquorum Patrum Græcorum, qui Hoſtiam conſecratam vocant ſignum, figuram, Symbolum, & repræſentationem corporis, & ſanguinis Chriſti, ut videri poteſt apud D. Gregorium Niſſænum in Oratione funebri de Gorgonia Sorore ſua, apud S. Cyrillum Jeroſolymitan.

Cathech. 5. ergo (inquiunt) Corpus Chriſti non eſt verè, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſaltèm juxtà fidem Græcorum.

Duplex eſt figura.

Minimè nocet hæc authoritas Græcorum Patrum, aliter enim eſt intelligenda; cùm de facto non adverſetur fidei Eccleſiæ Romanæ. Ut autem conſtet, hoc verum eſſe, advertendum eſt, duplicem eſſe figuram, unam ſcilicet quæ rem abſentem repræſentat, ut eſt V. G. imago, aut vera effigies alicujus Principis, quæ haberi poteſt in varijs locis diſtinctis, & ipſe Rex in uno loco tantum eſſe poteſt. Aliam verò quæ rem præſentem exhibet. Prima non continet rei ſubſtantiam cujus eſt figura, ut patet in exemplo adducto, ſed ſecunda eam continet verè, & realitèr, alioquin ſeqoeretur quod Chriſtus non eſſet Deus, nec conſubſtantialis Patri, quia ex Apoſtolo ad Heb. dicitur, *figura ſubſtantiæ Patris*. Et ad Coloſſ. *Imago Dei*. Sed nonobſtante hac expreſſione Apoſtoli, Calviniſtæ & alij Hæretici dicunt contrà Arianos, Chriſtum eſſe conſubſtantialem & æqualem Patri ſecundum Divinitatem: ergo non poſſunt negare, Corpus Chriſti eſſe realiter in Hoſtia, licet à D. Gregorio Nazianzeno dicatur figura, quia ille S. Doctor loquitur de figura in ſecundo ſenſu accepta, ideoque non impugnat fidem noſtram de Euchariſtiæ Sacramento. Nam ſi Patres Græci præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia negaſſent, ut volunt Hæretici, Eccleſia Græca non admitteret tranſſubſtantiationem, ſeu converſionem panis in Corpus Chriſti, & vini in Sanguinem ejus, aut ſaltem eam aliquando non admiſiſſet, ſed eam admittit, eamque ſemper credidit, cùm nulla unquam fuerit inter Latinos, & Græcos controverſia, an panis verè, & ſubſtantialiter mutetur in corpus Domini, vel an Chriſti caro, & ſanguis ſub ſpeciebus Euchariſticis realiter exiſtant, ſicut olim fuit maxima quoad alia fidei noſtræ Dogmata, ut patet in controverſia ſæpè agitata in varijs Concilijs circà Proceſſionem Spiritus Sancti.

Eccleſia græca ſemper credidit realem præſentiam corporis Chriſti.

Hujus ad Patres Græcos reſponſionis veritas apparet ex eo quod reſponſum fuit à varijs Epiſcopis Græcis, ad quos Lutherani miſerant Auguſtanam confeſſionem, & eos Judices conſtituerant circa controverſiam, quam cum Catholicis habent de panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiatione. Reſponſio autem, quæ ipſis Lutheranis facta fuit ad inſtantiam Patriarchæ Conſtantinopolitani, eſt hæc: *Multa de vobis referuntur, quæ nobis nullo pacto probari poſſunt, Eccleſia igitur Sancta illud judicium eſt in Sacra Cæna poſt Conſecrationem, & Benedictionem, panem in ipſum corpus Jeſu Chriſti, vinum autem in illius ſanguinem virtute Spiritus Sancti, tranſire ac immutari.* Ità refert Gonetus loco ſupra citato poſt Bellarminum lib. 3. de Euchariſtia cap. 21. Et addit quòd poſteà ijdem Epiſcopi Græci dixerunt, corpus Chriſti non deſcendere de cœlo, ut in Euchariſtia præſens adſit, ſed fieri præſens per tranſmotationem & tranſitionem panis in corpus, & vini in ſanguinem, remanentibus ſolis panis & vini accidentibus. Idcircò nullus ex Patribus Græcis negavit præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia.

Reſponſio Græcorum ad Lutheranos.

D. Auguſt.

Dicent Hæretici, Patres Latinos, præſertim D. Auguſtinum in Pſal. 98. negare hanc præſentiam realem, & ſubſtantialem corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ut conſtat evidentèr ex verbis quibus ibi inducit Chriſtum ſic loquentem ad Capharnaitas, *Spiritualitèr intelligite quod locutus ſum, nam hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent, Sacramentum aliquod commendavi vobis, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos: caro autem non prodeſt quidquam.*

Reſpondeo negando inſtantiam, quia ut notat S. Thomas quæſt. 75. articl. 1. D. Auguſtinus ibi loquebatur de corpore viſibili, ſenſibili, palpabili, & paſſibili, ſeu de corpore tali, quale tunc erat, hoc eſt, conſideratum, nedum ſecundum exiſtentiam præciſè; ſed etiam ſecundum modum, quo exiſtebat in ſe, non verò de modo Sacramentali, & Euchariſtico. Nam corpus Chriſti comedendum erat in aliena ſpecie, & impaſſibilitèr ac invìſibilitèr ſe habens, nec poteſt impugnari hæc D. Thomæ reſponſio, licet ipſe Auguſtinus utatur pronomine demonſtrativo, *hoc*, & relativo, *quod*, ut facilè colligi poteſt ex Epiſtola ejuſdem S. Auguſtini ad Irenæum relata in can. 45. diſt. 2. de Conſecratione, ubi legitur: *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt illi, qui me crucifigent: ipſum quidem, & non ipſum inviſibiliter, & non ipſum viſibiliter. Unde & ſubditur, etſi neceſſe eſt, illud viſibiliter celebrari, neceſſe eſt tamen illud viſibiliter intelligi.* Ubi gloſſa addit: *nec ſumitis corpus in propria ac viſibili forma, ſed ſub alia ſpecie inviſibiliter, id eſt, ſub ſpecie ſub qua non videbitur, id eſt, ſub ſpecie panis, & vini*: Igitur D. Auguſtinus non negavit præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed ſolum corpus Chriſti manducandum eſſe modo viſibili, & palpabili, quo manducantur carnes. Nam idem S. Doctor loco citato exponens illud ejuſdem Pſalmi. *adorate ſcabellum pedum ejus*, addit rationem, dicens: *Quia in ipſa carne hic Chriſtus ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adoraverit.* Per hæc enim verba conſtat D. Auguſtinum crediſiſſe in Euchariſtia eſſe verè, & ſubſtantialitèr corpus Chriſti.

D. Thomas explicat verba Divi Auguſtini.

Dicent quòd corpus Chriſti cenſetur dari tale, qualis eſt finis ob quem datur in Euchariſtia, ſed datur propter nutritionem animæ, quæ non eſt corporalis, ſed ſpiritualis, nec manducat verè & realitèr, ſed ſolùm per fidem, ſeu per intellectum credentem, qui teſte ſcriptura, eſt os juſti: ergo ipſe Chriſtus non eſt in Euchariſtia corporaliter, ſed ſolùm ſpiritualiter, & per repræſentationem, ſignum, & figuram, figuratus, & repræſentatus per panem.

Reſpondeo ſuppoſitum eſſe falſum. Quia non implicat quòd ſignum ſenſibile, & materiale ſit propter rem ſpiritualem, ſcilicet gratiam, ut patet in Sacramentis, quæ cauſant gratiam inviſibilem, & ſpiritualem, ob quam inſtituta fuerunt: quamvis ſint ſigna materialia & ſenſibilia, idcircò non eſt neceſſe quòd Sacramentum Euchariſtiæ (quod eſt nobiliſſimum Sacramentum) contineat corpus Chriſti tantùm figurativè, aut ſpiritualitèr ſeu per fidem. Poteſt enim Euchariſtia verè, & realiter continere corpus Chriſti, & prodeſſe animæ ſpirituali; cùm ſignum corporeum proſit ad ſpiritualem effectum, qui eſt conformis fini, aut ſubjecto, nimirum animæ cui confertur.

Reſolvitur hæreticorũ inſtantia.

Inſtabunt. Euchariſtia poſſet præſtare effectum, quem præſtat; etiamſi Chriſtus eſſet in Hoſtia per figuram, ut patet in Baptiſmo, qui cauſat gratiam; quin verè contineat corpus Chriſti, ac proindè non eſt in Euchariſtia realitèr, cùm hoc eſſet ſuperfluum, & extrà neceſſitatem.

Non valet hæc inſtantia. Nam licet ad fructum gratiæ, præſentia realis Chriſti non ſit ſimplicitèr neceſſaria, tamen non debet dici ſuperflua, quamvis potuerit non eſſe. Chriſtus enim potuit non inſtituere Sacramenta, tamen non ſunt ſuperflua, imò neceſſaria, & præcipuè Euchariſtia, in qua eſt realitèr præſens Chriſti corpus, quod multum proficit, & huic Sacramento maximè convenit, quia cùm Chriſtus panem præ manibus habens dixerit Apoſtolis, *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, credere debemus ad hujus Sacramenti perfectionem requiri

Solvitur hæreticorum inſtantia.

totum id, quô conſtituitur corpus, ſicut ad perfectionem Baptiſmi requiritur aqua, cum pronomine, *hoc*, denotetur verum corpus, & per verbum, *eſt*, ſignificetur corpus realitèr exiſtens, datum ad manducandum; alioquin non manducaretur corpus, aut caro Chriſti, ſed panis tantùm, nec in corpus noſtrum intraret corpus Chriſti, ſed ſolùm panis. Quòd eſt falſum, quia Chriſtus non dixit: *manducate panem meum*; ſed dixit: *manducate corpus meum*; quod non eſt panis; ſed caro.

Geneſ. 41.
Exod. 12.
Luc. 8.

Reſpondent Hæretici hæc verba. *Hoc eſt corpus meum*, æquivalere iſtis: *hoc ſignificat corpus meum*, ut patet in aliis Sacræ Scripturæ locis. Nam Geneſ. 41. habetur in verſ. 26. *Septem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt*, quaſi diceret, *Septem annos ubertatis ſignificant*. Exod. 12. verſ. 11. Agnus Paſchalis vocatur Phaſe, *eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini*. Hoc eſt, Phaſe, ſignificat tranſitum Domini. Luc. 8. *Semen eſt verbum Dei*, id eſt, ſignificat verbum Dei. Et ad Corinth. cap. 10. *Petra autem erat Chriſtus*, id eſt, Petra ſignificabat Chriſtum: igitur (inquiunt) dum Chriſtus dixit; *hoc eſt corpus meum*, idem voluit dicere, & ſuadere, ac ſi dixiſſet, *hoc ſignificat corpus meum*. Sed non valet hæc ratio generalitèr, ità ut verbum, *eſt*, in Sacra Scriptura ſemper accipiendum ſit pro verbo, *ſignificat*, quamvis in locis citatis ſic accipiatur. Nam ſi hoc eſſet, Calviniſtæ poſſent cum Arianis figurativè accipere hæc verba D. Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Verbum caro factum eſt, &c.* Sed accipiunt ea realitèr cùm non dicant cum Socinianis, Verbum illud ſpectare ad verbum Evangelicum, & accidentale; ſed ad Verbum Divinum & ſubſtantiale: ergo nec debent accipere hanc particulam, *hoc eſt corpus meum*, ſicut iſtam, *hoc ſignificat corpus meum*; ſed in ſenſu vero, & reali. Nec poſſunt alitèr accipi propter verba, quæ præcedunt, ſcilicet: *accipite & manducate, & bibite*, quæ cùm de corpore dicta ſint, ac de ſanguine, verum corpus & verum ſanguinem exprimunt. Pariter & propter hæc: *Biberunt ex eo omnes*, quæ ſequuntur, & ſuadent, Apoſtolos non bibiſſe ſignũ ſanguinis Chriſti, ſed bibiſſe verum ſanguinem.

Rejicitur altera hæreticorum inſtantia.

Dicent hæc verba Lucæ. *Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur* non poſſunt accipi niſi figuratè, calix enim non eſt Teſtamentum, ſeu ſignum pacti & initi fœderis Dei cum hominibus, niſi figuratè. Porro non valet hæc ratio, quia Teſtamentum ſivè fœdus, ibi propriè ſumitur, & duo ſignificat, pactum ſcilicet, & victimam, cujus oblatione, fœdus ſeu pactum ſancitur; ergo hæc victima, ſeu Hoſtia oblata, quæ eſt Chriſtus, eſt verè & realitèr vivens, & immolatur, eſtque verum Sacrificium, quod non fit rei figuratæ, aut per aliam rem ſignificatæ, ſed rei viventis & exiſtentis.

Verba conſecrationis non exprimunt figuram, ſed realitatem.

Addunt, Chriſtum ibi locutum fuiſſe figuratè, quia ſtatim poſt hæc, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*, addidit, *hoc facite in meam commemorationem*, ſeu memoriam, memoria autem non eſt de præſentibus, ſed de præteritis: ergo dum Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut Euchariſtiam celebrarent, non voluit quod eam accipiendo, exiſtimarent ſe reverà accipere verum corpus, quod eſſet præſens, ſed tantùm quod recolerent memoriam illius, qui hæc inſtituerat.

Minus valet hæc ratio. Quia Euchariſtia non eſt commemoratio Chriſti ſimplicitèr, & abſolutè, ſed ſolùm Chriſti patientis, & morientis, non verò Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, ut monet Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. dicens: quod quotieſcumque manducamus panem hunc & calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus, donec veniat:

Euchariſtia non eſt commemoratio Chriſti ſimpliciter ſumpti.

Igitur hæc memoria fieri poteſt in Euchariſtia, licet Chriſtus ſit ibi præſens verè, & realitèr. Nam memoria alicujus rei non excludit ſemper illius realitatem, & præſentiam, ac proindè nec præſentia realis corporis, & ſanguinis Chriſti excluditur in Conſecratione Euchariſtiæ, licet ſit memoria paſſionis & mortis Chriſti jam præteritæ, quia eſt etiam expreſſio actualis corporis ipſius ſub ſpeciebus verè & realitèr exiſtentis, ut clarè & evidenter probari poteſt hoc exemplo familiari. Vox parvuli in domo incluſi poteſt eſſe memoria doloris, quem Mater paſſa eſt in partu, & ſignum infallibile ejoſdem Filij exiſtentis in domo, ità ut Mater audiens Filium ſuum recordetur doloris partus, & ſciat Filium ſuum eſſe in domo verè & realitèr. Undè licet Chriſtus dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*, non debemus inferre, Euchariſtiam eſſe nudam memoriam aut commemorationem Chriſti, aut illius quod Chriſtus fecit, ſeu memoriam paſſionis aut mortis ejus, quam annuntiamus. Sed debemus inſuper inferre, ipſam Euchariſtiam eſſe reiterationem illius, ſeu Sacrificij quod fecit, & Sacramenti quod inſtituit, ſeu converſionis panis in carnem, & vini in ſanguinem.

Tandem objiciunt ex contradictione, quæ ſequeretur ex illa reali præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis. Nam (inquiunt) implicat quòd corpus indiviſum manens, ſimul exiſtat in pluribus locis; ſubindeque implicat etiam quòd corpus Chriſti, unum & indiviſum manens, ſit in cœlo Empireo ad dexteram Patris, & in terra in Sacramento Euchariſtiæ, quod in infinitis Altaribus invenitur.

Reſpondeo cum communi ſententia, quòd licet repugnet idem numero corpus eſſe ſimul in pluribus locis circunſcriptivè, non tamen implicat quòd nitente divina virtute, ſit in uno circunſcriptivè, & in pluribus alijs Sacramentalitèr: ergo Chriſti corpus poteſt eſſe in cœlo circunſcriptivè, ſeu ſedere in propria ſpecie ad dexteram Patris, & ſimul in terra Sacramentaliter poni in Euchariſtia, & in pluribus Altaribus ſimul exiſtere. Hoc enim non eſt multiplicare corpus, neque ſubſtantiam ejus, ſed ſolum multiplicare præſentiam, aut reddere idem corpus præſens pluribus in locis, ut ſancit Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 13. cap. 1. ubi legitur: *Docet Sancta Synodus, & apertè ac ſimplicitèr profitetur, in almo Sancto Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum, atque hominem, verè, realiter, atque ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri: nec enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus alijs in locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſimè credere debemus &c.* Impoſſibile quoque eſt quòd Hæretici probent, hoc miraculum eſſe ſuper virtutem divinæ Omnipotentiæ, neque ſuper inventiones divini amoris, qui cùm ſciverit hypoſtaticè unire carnem Verbo, ſcivit etiam panem in hanc carnem convertere, eamque pluribus locis præſentem reddere.

Reſponſio ad ultimam objectionem.

Tridentinū

Inſtant Hæretici, & dicunt quòd ſi Chriſtus ſedens ad dexteram Patris, eſſet etiam realiter ſub pane conſecrato, non dixiſſet ſuis Apoſtolis poſt Cœnam & Reſurrectionem Joan. 16. *Expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, quia non receſſiſſet ab eis, nec reliquiſſet mundum, cum ſemper fuiſſet in Altari præſens ipſis Apoſtolis. Reliquit tamen mundum, & ivit ad Patrem, teſte Scriptura: igitur non habemus in terris corpus

Joannes 16.

Digitized by Google

Chriſti ſubſtantialitèr, ut ipſemet Chriſtus proteſtatus eſt Diſcipulis murmurantibus, quòd prætium Unguenti in caput ipſius in domo Simonis Leproſi à Magdalena effuſi, non eſſet potiùs ſervatum pauporibus eroganduin, dicens Joan. 12. *Pauperes ſempèr habetis vobiſcum, me autem ſemper non habetis.* Igitur habemus tantum ſignum, figuram, aut repræ-

Joan. 12. ſentationem ejus in Euchariſtia.

Reſpondeo ex locis citatis, & ex alijs ſimilibus citandis, nullum poſſe inferre, Chriſtum non eſſe ſubſtantialitèr, & realitèr in Euchariſtia, quia ibi loquebatur de receſſu quoad præſentiam aſpectabilem, & humanam, ac familiarem cum hominibus converſationem, non autem quoad præſentiam Sacramentalem ſupernaturalem, & miraculoſam, quam

Matth. ult. habet in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Hoc verum eſſe patet; nam Matth. ult. Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaculi.* Indè tamen malìs negat (ſaltem ex Calviniſtis & ex alijs Hæreticis, quos hìc impugnamus) Chriſtum aſcendiſſe in cœlum. Undè dicendum eſt quòd Chriſtus in cœlum aſcendit juxtà illud Joan. 6. *expedit vobis &c.* Et quòd juxtà illud Matth. *ecce vobiſcum ſum*, remanſit in terris, alioquin hæc verba ultima Chriſti, vel præcedentia eſſent falſa. Quòd non eſt dicendum. Igitur ut uterque textus ſalvetur, neceſſariò tenendum eſt, quòd dum Chriſtus receſſit ab Apoſtolis, dicens: *relinquo mundum, & vado ad Patrem*, de præſentia viſibili loquebatur, & de familiari converſatione. Et dum dixit: *ecce vobiſcum ſum*, loquebatur de alia præſentia, ſeu de Sacramentali ſupernaturali, & miraculoſa, quâ eſt in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, pro quo conficiendo, Apoſtoli habebant poteſtatem.

Nec valet dicere quod hæc authoritas: *ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaculi* ſalvatur, ſi textus Matthæi intelligatur de præſentia figurata per Euchariſtiam, quæ repræſentat Chriſtum. Non valet inquam, quia non dixit, *ecce panis*, nec, *eſſe figura*, ſed, *ecce ego*, quæ verba referuntur ad perſonam Chriſti loquentis. Nec dixit, *vobiſcum eſt*, ſed dixit, *vobiſcum ſum*, ut oſtenderet quòd erat permanſurus cum hominibus uſque ad conſummationem ſæculi, realitèr & ſubſtantialitèr, quia verbum, *ſum*, denotat exiſtentiam ſuppoſiti præſentis.

Albertinus Miniſter Calvinianus, ſic objicit. Si corpus Chriſti eſſet verè in Euchariſtia, quilibet communicans manducaret carnem Domini, & haberet vitam æternam; at quilibet manducans Euchariſ-

Reſponſio ad rationem Albertini. tiam, non habet vitam æternam: ergo in ipſa non continetur corpus Domini.

Reſpondeo negando minorem, ſi intelligatur de dignè communicante, nam qui dignè communicat, habet vitam æternam, licet indignè communicans non habeat eam. Hæc reſponſio eſt Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. XI. verſ. 27.

ARTICULUS XXXVII.

Convincit Lutheranos, corpus Chriſti, verè & realitèr remanere in Hoſtia, tamdiù, quamdiu remanent ſpecies.

Plures Hæretici inſurrexerunt adverſus Euchariſtiam, ut ex jam dictis manifeſtum eſt, ſed diverſo modo eam impugnarunt. Quidam infrà nominandi, fatentur contrà alios, Euchariſtiam eſſe verum novæ Legis Sacramentum, & in ipſo Sacramento, Chriſtum eſſe verè & ſubſtantialitèr præſentem. In hoc conveniunt cum Catholicis, & in alio diſconveniunt ab ipſis. Nam à veritate fidei plurimùm aberrant, dicendo, Euchariſtiæ Sacramentum non eſſe permanens, nec in ſe continere corpus, & ſanguinem Domini, tamdiù, quamdiù permanent ſpecies Sacramentales, ſed in ſolo uſu, ſeu ſumptione ità conſiſtere, ut extrà Communionem, corpus Chriſti non ſit in Hoſtia Conſecrata. At quia ex errore error oritur, & ex hæreſi hæreſis naſcitur, dicunt, Euchariſtiam nunquam eſſe ſervandam poſt Miſſæ celebrationem propter quamcumque veriſimilem futuram neceſſitatem, nec propter adorationem, quia (inquiunt) eſt præſens manducantibus dumtaxat; cùm pro manducantibus inſtituta fuerit Euchariſtia.

Hujus hæreſis Protectores ſunt Lutherani, qui credunt hoc Sacramentum non conſiſtere in aliqua *Lutherani.* re permanente, ſed eſſe ſicut Baptiſma, nam (inquiunt) ſicut aqua in Baptiſmo non habet rationem Sacramenti, niſi quandò actu applicatur, ità panis Euchariſticus non habet rationem Sacramenti, niſi quandò actu manducatur, non vero quandò conſervatur in Pixide, ſicut aqua Baptiſmalis, ſeu in Fonte Baptiſmali conſervata, non eſt Sacramentum, etiamſi in ipſa puer aliquis fuerit lotus.

Eumdem Lutheri errorem docuit Martinus Bucerus, qui licet dixerit cum Berengario, Chriſtum *Bucerus.* non eſſe in Hoſtia, niſi per figuram, voluit tamen ſpecies Sacramentales non eſſe permanentes, ſed in ſola manducatione conſiſtere, hoc eſt, Euchariſtiam eſſe tantùm Sacramentum in illo inſtanti, in quo panis manducatur. Porrò ſi nonnullis Authoribus credere fas eſt, dicam, Lutherum ſecutum fuiſſe errorem Martini Buceri. Nam teſte Gavario, ipſe Bucerus anno MDXXXVI. perſuaſit Luthero (quiſà fide Catholica recedendo, realitatem corporis Chriſti non admittebat in Sacramento Cœnæ) corpus Chriſti non eſſe in Hoſtia, niſi dum ſumitur, & deindè ſumptionem ipſam dumtaxàt, eſſe Sacramentum Euchariſtiæ. Huic ſuaſioni adhæſit Lutherus, ſaltem quoad permanentiam corporis ſub ſpeciebus, quam non admittebat Bucerus cum quo dixit hoc Sacramentum conſiſtere in ſolo uſu, licet contra eumdē admiſerit realitatem. Et ideo hujus hæreſis Author non eſſet Lutherus, ſed Bucerus.

Calvinus etiam contendit lib. 4. inſtitut. cap. 17. panem Euchariſticum, ſeu Cœnam non habere rationem Sacramenti, niſi cum actu ſumitur, & *Calvinus.* manducatur, ibi enim ait: *Quæro qua virtute putant, Hoſtiam eſſe ritè conſecratam? nam verba illa proferunt:* hoc eſt corpus meum, *ego vero contra objicium, ſimul dictum eſſe*; accipite & manducate; *neque id de nihilo faciam, cum enim præcepto annexa ſit promiſſio, dico hanc ſub illo ità incluſam ut ſeparata, fiat omninò nulla*, ex quibus ſequitur, Calvinum Cœnæ Sacramentum, aut panem Euchariſticum (quem putat ſolùm repræſentativum corporis Chriſti) in ſolo uſu reponere.

Huic Lutheranæ hæreſi, aut ut veriùs loquar, Buceranæ impietati ſubſcripſit Marcus Antonius de Dominis, ſeu ille, qui ſe fraudè intruſit in Epiſcopatum Spalatenſem in Dalmatia, & ſemper conatus eſt deprimere authoritatem Summi Pontificis Romani. *Marcus Antonius de Dominis.*

§. I.

Probat Chriſtum permanere in Hoſtia Conſecrata.

Hanc hæreſim, Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in ſolo uſu conſtituentem, dam- *Nicænum I.* narunt varia Concilia, ſcilicet Concilium Nicænum I. celebratum anno CCCCXXV. ſub Sylveſtro *Aurelianenſe.* Papa cap. 4. Aurelianenſe, Lateranenſe. Tandem & *Lateranenſe.*

Tridentinum. Tridentinum, ſeſſ. 13. Can. 4. ubi habetur : *Si quis dixerit, peracta Conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt & in Hoſtijs, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini : Anathema ſit* : Idem Concilium hanc ipſam veritatem ſic ſancit in cap. 3. ejuſdem ſeſſionis : *Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum eſſe rei Sacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem : verum illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante uſum eſt : nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe quod præbebat, & ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt Conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie unà cum ipſius anima, & divinitate exiſtere.*

Inſupèr in cap. 5. & 6. ejuſdem ſeſſ. approbatur, & commendatur mos Eccleſiæ reverentèr aſſervandi in Sacrario, & ad infirmos deferendi Sacramentum Euchariſtiæ, & honorificè circumferendi illud in Proceſſionibus per vias, & loca publica. Hanc ipſam venerationem Euchariſtiæ commendat etiam, Can. 94. diſtinctionis ſecundæ de Conſecrat. depromptus ex Concilio Arelatenſi, ibi enim habetur; *Qui benè non cuſtoderit Sacrificium, & Mus vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat, qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, quadraginta diebus pœniteat.* *Arelatenſe.* His verbis conſtat, hoc Concilium ſancire, corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus tamdiù, quamdiù durant ipſæ ſpecies.

Eadem veritas manifeſtè colligitur ex his verbis : *hoc eſt corpus meum*, quibus conficitur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ex ipſis quidem verbis ſequitur quòd tamdiù manet hoc Sacramentum, quamdiù manet id, ſub quo Chriſtus Dominus (qui pronunciavit ea) affirmavit, aut dixit Diſcipulis ſuis, eſſe corpus ſuum. Nam dicens, *hoc eſt corpus meum*, demonſtravit corpus ſuum eſſe id, quod dabat, & quod Diſcipuli acceperunt poſt Conſecrationem, ità ut in illo contineretur corpus; alioquin Chriſtus non dediſſet Apoſtolis corpus ſuum, ſed purum panem. Quòd Lutherani negant, ſed ſpecies illius rei, quã præ manibus habebat ſcilicet panis ſub quo corpus Chriſti realiter continetur, manet etiam peracta Conſecratione : ergo manet etiam ſub eiſdem ſpeciebus corpus Chriſti. Nec ab ipſis recedit, niſi ipſis ſpeciebus deficientibus, alias ſequeretur quòd corpus Chriſti non fuiſſet datum Diſcipulis, ut jam monui, quoniam antequam Diſcipuli manducarent panem illum, in ipſo pane non fuiſſet corpus. Quòd eſt falſum, nam erat Conſecratus & continebat realiter corpus Domini, ac proindè non poteſt conſiſtere in ſolo uſu, cùm ante uſum, ſeu manducationem, corpus eſſet ſub ſpeciebus panis, ut probant hæc verba : *accipite & manducate : hoc eſt corpus meum*, ſeu id, quod do vobis, eſt corpus meum. Sanguis erat ſub ſpeciebus vini antequam biberent Apoſtoli. Et ideò licet Euchariſtia ſit aliquo modo propter uſum, ſcilicet ut manducetur; tamen non debet conſiſtere in ſolo uſu, aut actuali manducatione, cùm corpus fuerit prius à Chriſto oblatum, quàm ſumptum à Diſcipulis.

Corpus Chriſti remanet in Euchariſtia tam, quamdiu remanent ſpecies Sacramentales.

Deindè ſi in ſolo uſu conſiſteret, ſequeretur quòd tantùm ille Apoſtolus, qui primo accepit calicem, & bibit, bibiſſet verè ſanguinem Domini, alij autem non, nam omnes Apoſtoli biberunt ſucceſſivè ex uno, eodemque calice, ut facilè colligitur ex illo, Marc. cap. 14. verſ. 23. *Et accepto calice gratias agens dedit eis : & biberunt ex illo omnes.* *Marc. 14.* Quibus conſtat, Chriſtum dediſſe tantùm unum calicem, & ſemel dixiſſe, *bibite*, ut teſtatur Matth. cap. 26. verſ. 27. dicens de Chriſto : *Et accipiens calicem gratias agit : & dedit illis, dicens, bibite ex hoc omnes* : *Matth. 26.* Igitur primus ſolum bibiſſet ſanguinem Domini, cæteri verò, non, quia uſu illius conſummatum fuiſſet Sacramentum, ſaltem prout conſtat ſanguine ſub ſpecie vini, cùm talis uſus per unum Apoſtolum, ità eſſet perfectus, & completus, ut cæteri Apoſtoli non potuiſſent bibere vinum illud, niſi Chriſtus iterum dixiſſet, *accipite & bibite*, quod non dixit, & ideo errant Hæretici Euchariſtiæ Sacramentum in ſolo uſu conſtituentes. Certum enim eſt quòd durante toto illo tempore Cœnæ, Sanguis Chriſti erat ſub ſpeciebus vini. Certum eſt etiam quòd ſi non bibiſſent totum calicem, ità ut aliqua pars vini conſecrati in eo remanſiſſet, fuiſſet verè ſanguis Chriſti : ergo Euchariſtia eſt Sacramentum permanens.

Reſpondeat Hæretici, Chriſtum conſecraſſe panem, & vinum poſt utriuſque traditionem, id eſt, poſt panem acceptum ab Apoſtolis, idque colligunt ex illo Matth. cap. 26. verſ. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait : accipite, & comedite : hoc eſt corpus meum.* *Matth. 26.* Indè enim volunt, hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum in uſu tantum, quia dare & accipere, ſeu manducare, in Cœna illa fuerunt duo correlata, id eſt, fuerunt ſimul.

Sed non valet hæc reſponſio, quia per hæc verba, Chriſtus invitavit Diſcipulos ad manducandum, ea enim protulit, ut Apoſtoli corpus ejus manducarent, & ejus Sanguinem biberent: quamvis ea protulerit, ut panem in corpus ſuum verteret, & vinum in ſanguinem, & ideo prius vinum fit ſanguis, & panis, corpus Chriſti, quàm biberent & manducarent, nam id quod Chriſtus fecit in hac Cœna, prius, aut poſterius non eſt colligendum ex ordine verborum, ſed ex eorum ſenſu & ſignificatione, & indè videbunt Lutherani quòd Chriſtus non dedit Apoſtolis panem, ſed corpus ſuum, quippè hæc verba : *hoc eſt corpus meum*, ſignificant, corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis, & ideo certum eſt quòd non ſignificant, Apoſtolos præ manibus habuiſſe purum panem, dum Chriſtus ea protulit, ſed carnem Chriſti. *Reſolvitur inſtantia hæreticorum.*

Deindè ex verbis Matth. & Marci non conſtat, Apoſtolos jam manducaſſe panem à Chriſto datum, nec eſſe actu comedentes ipſum, quandò Chriſtus dixit : *hoc eſt corpus meum*, probabile enim eſt; imo & evidens, Apoſtolos non manducaſſe hunc panem, nec bibiſſe hoc vinum, niſi poſt prolata, & audita verba Chriſti, ut viderent quòd non panis, ſed caro dabatur illis : ergo corpus Chriſti erat ſub ſpeciebus panis antequam Apoſtoli illum manducarent, & poterat ibi permanere, imo permanſit ſub eiſdem ſpeciebus, tamdiù, quamdiù fuerunt exiſtentes. Si Apoſtoli non manducaſſent tunc, aut ſervaſſent illum panem, ut dicitur de Juda Proditore (qui juxtà teſtimonium Theophilati retinuit panem, & oſtendit illum Judæis, dicens; ecce panem, quem dedit nobis Jeſus Nazarenus, dicens, ipſum eſſe carnem ſuam, quid vultis mihi dare, & ego cum vobis tradam) certò tunc corpus Chriſti fuiſſet huic pani realiter præſens, idcircò nullus poteſt negare, Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens, cùm panis in carnem ſit converſus antequam manducetur, & vinum ſit converſum in ſanguinem, antequam bibatur, ut ſuadetur ex illo Matth. 26. verſ. 27. *Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* *Matth. 26.* Quia hæc verba manifeſtè oſtendunt, Chriſtum non dediſſe

Digitized by Google

Apoſtolis vinum, ſed ſuum ſangoinem, quia poſuit particnlam cauſalem, ut eos moveret ad bibeudum non vinum, ſed ſangui nem.

Undè Apoſtolus 1. ad Corluth. cap. 11. verſ. 28. ait, *probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice libat*. Ex hoc quidem documento Apoſto-

1. Corint. 11

lico conſtat, panem eſſe corpns Chriſti antequam mandueetnt, & vinum eſſe ſanguinem antequam bibatnr, quia non loquitur de pane, & vino uſualibus, ſed de carne & ſanguine Chriſti contentis ſub ſpeciebus panis, & vini, nt probant hæc verba, quæ immediate ſequuntur, *qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini*. Nec mirandum eſt. Quia cibus, & potus ſunt in menſa antequam ſumentur, imo antequam à cœnantibus & ab invitatis accipiantur Eucharistia eſt Cœna Agni providi, & ideo eſt veré caro Chriſti, nedum dum ſumitur, ſed etiam dum conficitnr, non enim fit dum ſumitur, ſed ut ſumi poſſit, hinc eſt quòd cùm ſumi poſſit ab abſentibus a menſa, ſi ad illos deferatur, vel ſi abſentes ad ipſam accedant, certum eſt quod conſervatur tandiù, quamdiù conſervantur ſpecies, ut venientes poſſint eam ſumere.

Clemens Papa.

Eadem veritas Catholica ſuadetur authoritate Clementis Romani, D. Petri Diſcipuli, & in Cathedra Snceeſſoris, qui inter multa quæ à Beato Petro ſe accepiſſe narrat, unum eſt quod noſtram Doctrinam maxime commendat. Nam in lib. 8. conſtitut. Apoſtolic. cap. 13. in fine., ait: *Tribus gradibus commiſſa ſunt Sacramenta divinorum ſecretorum, id eſt, Presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore, & tremore Clericorum reliquias corporis Dominè debent cuſtodire fragmentorum, nè qua putredo in ſacrario inveniatur, nè cum negligentèr agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria; recitetur pſalmus trigeſſimus tertius, dum cæteri communicant, & poſt communionem omnium tum virorum, tum mulierum, ſumat Diaconus reliquias, & inferat in Tabernaculum.*

Idem habetur in Can. XXIII. diſtinct. 2. de Conſecrat. Igitur tempore S. Clementis, Eucharistia ſervabatur in Sacrario, & in illo ſic ſervata, erat verum corpus Chriſti ſumendum ab alijs, & deferendum infirmis, ut monet Concilium Uvormiſcenſe relatum in Can. 93. diſt. 2. de Conſecrat. ubi legitur. *Presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, & quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, nè ſine communione moriatur.* Ratio ob quam in Pixide conſervanda eſt Eucharistia, & ob quam dicere debemus, ipſam eſſe Sacramentum permanens, eſt

Argumentũ ex inſtitutione deductum.

quia fuit Inſtituta per modum cibi ſpiritualis animæ, & ideo ſicut cibus naturalis, ante actualem manducationem eſt cibus Ità complecté habens virtutem adæquatam ad nutriendum corpus humanum, ut ipſa manducatio ſit tantùm conditio neceſſaria, ut actu notritiat. Ità ſimiliter Eucharistia ante manducationem ità eſt completé cibus habens virtutem adæquatam ad reficiendam animam, ut ejus ſumptio, manducatio, aut uſus ſit tantùm conditio requiſita, ut reficiat, & nutritiat, non verò ut ſit veré panis Angelorum, & cibus ſpiritualis viatorum.

Deindè Eucharistia eſt Sacramentum contiuens verè, & realitèr corpus & ſanguinem Domini, ut fatentur Lutherani, qui contra Calviniſtas dicont, & credunt, corpus Chriſti eſſe realiter præſens ſpeciebus Sacramentalibus; ſed corpus illud eſt ſubſtantialiter permanens in loco, in quo eſt; cùm ſit ens per ſe ſubſiſtens: ergo permanet in Hoſtia Conſecrata; cùm ſit in illa abſque ulla intrinſeca mutatione, & ſit idem ac illud, qnod eſt in cœlo ſedens ad dexteram Patris, ut etiam fatentur Lutherani.

Eucharistiæ conſervationem referunt plures Sancti Patres. S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, qui floruit in fine ſecundi ſæculi, & in principio tertij in Epiſtola ad Victorem Papam, quæ extat apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap 24. refert quòd illius temporis conſuetudo erat, ut Papa mitteret Euchariſtiam ad alios Epiſcopos in ſignum pacis & Communionis: igitur tunc Fideles nedum credebant realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis ut volunt Lotherani contra Calviniſtas, ſed etiam credebant hanc ipſam præſentiam Chriſti eſſe in Hoſtia permanentem. Idque ſuaderi poteſt alio teſtimonio. Nam legimus apud Surium quòd S. Lucianus Presbyter Antiochenus cum eſſet in carcere, in pectore ſuo, velut in vivo Altari Chriſti corpus conſecravit, partem Hoſtiæ Conſecratæ ſumpſit, alteram præſentibus Fidelibus diſtribuit, alteram vero ad Fideles abſentes miſit per Diaconos Tertullianus etiam pluribus in locis teſtatur, Fideles tunc ſolitos eſſe, Hoſtiam in manibus accipere, & eam domum deferre, ut urgente neceſſitate ob perſecutionem, illam ſecretò ſumerent. Eamdem conſuetudinem referunt alij Sancti Patres Antiqui, ſcilicet S. Cyprianus, ſerm. de lapſis, S. Ambroſius lib. de obitu Satyrij Fratris. S. Baſilius Epiſt. 289. quæ eſt ad Cæſariam Patriciam. Idem referunt alij

D. Irenæus.

Olim Papa mittebat Euchariſtiam ad Epiſcopos

Reverà hæc conſuetudo ſecum deferendi Euchariſtiam fuit proſcripta in Concilio Toletano primo, celebrato ſub Anaſtaſio Papa per Epiſcopos IX. anno cccc. In Concilio Rothomagenſi. Tandem & in Tridentino, ſi non directè & expreſſe, ſaltem indirectè & implicitè ſeſſ. 25. c. 10 Sed hæc revocatio non nocet, quia hæc conſuetudo non fuit proſcripta, ut Fideles crederent, hoc Sacramentum non eſſe permanens, ſed ut viderent adminiſtrationem ipſius ad ſolos Presbyteros ſpectare. Sané hæc conſuetudo conſervandi Hoſtiam Conſecratam, probat evidenter, Eccleſiam Romanam numquam credidiſſe, Euchariſtiam conſiſtere in ſolo uſu, ſed ſemper docuiſſe, ipſam eſſe permanens Sacramentum, hancque Doctrinam accepiſſe ab Apoſtolis, & ab Apoſtolorum Diſcipulis, quibus Chriſtus dixerat: *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, quique crediderant, corpus illud eſſe permanens ſub ſpeciebus panis, & Chriſtum eſſe cum illis præſentem in Sacramento Altaris, ut ipſe promiſerat eis Matth. ult. verſ. 20. dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.*

Conſuetudo ſecum deferendi hoſtiã proſcripta fuit.

Matth.

Nec valet dicere quod Sanctus Clemens, loco ſuprà citato, ſcilicet in Can. 23. diſt. 2. de Conſecrat. expreſſe declarat, Euchariſtiam non eſſe ſervandam, ibi enim inquit: *Tanta in Altari certe Holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant, quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore & tremore Clericorum diligentia conſummentur.* Non valet inquam, quia Communio tunc ita freqnens erat, ut Sacramentum ægrotis ſervare neceſſe non eſſet, & ideo ille Sanctus Papa voluit, omnia Holocauſta conſummari à Clericis, non vero improbare omnino conſuetudinem conſervandi eam, undè ſtatim ſubdit: *Qui autem reſidua corporis Domini, quæ in Sacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant, nè putent Sanctæ portioni miſcere cibum &c.* Per hæc enim verba conſtat, Summum Pontificem Clementem, primùm prohibuiſſe reſervationem Euchariſtiæ conditionalitèr duntaxàt, ſeu dum non eſt neceſſitas conſervandi eam pro infirmis, ut patet ex uſu Eccleſiæ Romanæ, quæ non permittit conſervationem Euchariſtiæ Eccleſiis, quibus non competit animarum cura, aut ab aliqua communitate Religioſa non dirigitur, ut perennis probat praxis. Ideoque hæc Clementina conſtitutio non

Sancti Clementis conſtitutio.

Aperitur verus conſtitutionis Clementinæ ſenſus.

prohibet uſum conſervandi in Pixide Hoſtias conſecratas, imò potius præcipit illum.

Origenes.

Hæretici dicunt, Chriſtum Dominum non præcepiſſe conſervationem Euchariſtiæ, ut notat Origenes in cap. 7. Levit. Homil. 5. ubi ait: *Dominus panem, quem Diſcipulis dabat, & dicebat eis: accipite & manducate, non diſtulit, nec ſervari juſſit in craſtinum:* acproindè Eccleſiam Romanam non potuiſſe illam inſtituere, cùm nullam poſſit habere poteſtatem circa ea, quæ ſunt à Chriſto ordinata.

Euchariſtia eſt Sacramentum permanens.

Non valet conſequens, quia Chriſtus per Apoſtolos, & Eccleſiam plura ordinavit, quæ per ſe non juſſit. Undè licet Origenes hæc dixerit, non improbavit tamen uſum conſervandi Euchariſtiam, ſed ſolùm voluit affirmare, hanc conſervationem non eſſe de jure divino. Quòd non officit aſſertioni noſtræ. Nam licet non ſervetur jure divino, ſed ſolùm jure Apoſtolico, per hoc non ſequitur, Euchariſtiam non eſſe Sacramentum permanens, quia ex ipſius inſtitutione infertur hæc permanentia. Nonnè Euchariſtia fuit inſtituta per modum cibi, & de facto cibus eſt, ut declarat Chriſtus, dicens: *caro mea verè eſt cibus?* Nonnè de natura cibi eſt manere donec corrumpatur? Ergo non fuit neceſſe divinum præceptum de Euchariſtia ſervanda, cùm ex ſe ſervabilis ſit, eo quod ſubſtantialiter, & realitèr contineat corpus incorruptibile, ut fatentur Lutherani, qui ſi nolint hanc reſponſionem recipere, dicimus quòd Origenes in hoc erravit, ſicut in pluribus alijs articulis.

Dicent Hæretici Hoſtiam conſervandi conſuetudinem improbantes, quòd Heſichius lib. 2. in Levit. cap. 8. ait: dari præceptum ſpeciale de non ſervandis reliquijs Euchariſtiæ. Reſpondeo hoc præceptum intelligendum eſſe de Hoſtijs, quæ ſervari non poterant cum reverentia, aut veneratione debita, ratione loci, aut temporis, ut contingit quando huic Sacramento poteſt fieri injuria ab Hæreticis, & inimicis noſtræ Religionis, aut quandò ſervari non poſſunt niſi indecentèr, tunc enim ſpecies illæ ad vitandam profanationem, & contemptum, tradi debent igni velut Elemento omnium puriſſimo conſumendæ, ut præcipit Miſſale Romanum cap. 10, Rubricarum de defectibus circà Miſſam, ſi non poſſint ab aliquo Sacerdote, vel ab alia perſona decentér adminiſtrari. Reliquiæ autem, quæ ſunt immunes ab ejuſmodi periculis, & integræ remanent, poſſuntque decenter conſervari, conſervandæ ſunt, non per annum integrum, ſed ad ſummum per quindecim dies, ut declarat Innocentius IV. conſtitut. XIV.

Tandem ex ijs, quæ dicunt Hæretici contra conſervationem Euchariſtiæ in Sacrario, nullum poteſt confici argumentum contra permanentiam hujus Sacramenti, quia dato & non conceſſo quòd prohibitum eſſet ſervare illud in Pixide, hoc non probaret inſtitutum fuiſſe ad uſum tantùm, ſeu in ſolo uſu conſiſtere, quia ſemper ſubſiſtit quòd Chriſtus ſit verè in Hoſtia, ſeu in pane conſecrato antequam edatur, quodque ſub ſpeciebus exiſtat, donec complete edatur: quippè Conſecratio eſt rei permanentis, & ſubſiſtentis, & de facto ſubſiſtit donec deſtruatur res conſecrata.

§. II.

De Reſponſionibus ad Argumenta Hæretica.

PRæcipua ratio Hæreticorum eſt, quia Baptiſmus, Confirmatio, & alia novæ Legis Sacramenta conſiſtunt in uſu, & conferunt gratiam ſanctificantem, ſicut Euchariſtia (inquiunt) nullum tamen ex illis eſt, quod non conſiſtat in uſu: Ergo Euchariſtia conſiſtit etiam in uſu tantùm, ſicut cætera Sacramenta.

Euchariſtia differt ab alijs Sacramentis.

Porrò evidentèr nulla eſt hæc Hæreticorum argumentatio. Hujus nullitatis cauſa eſt, quia Euchariſtia continet rem Sacram, realiter, & ſubſtantialiter, ſeu corpus Chriſti, quod cùm ſit ex ſe ſubſtantiale, ac permanens, permanentèr eſſe debet in Euchariſtiæ Sacramento; cæterà verò Sacramenta continent, revera rem Sacram, ſed accidentalem nempè virtutem ad ſanctificandas animas per gratiam, quam producunt, dum debitè applicantur. In hoc quod eſt producere gratiam tantùm, dum applicantur, omnia Sacramenta conveniunt cum Euchariſtia, quæ etiam confert gratiam ſanctificantem. Et in alio ſcilicet in hoc quod eſt non permanere, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia ab Euchariſtia differunt, ſicut minus à majore, & digniore, hinc eſt quod Euchariſtia eſt dignior cæteris Sacramentis; cùm præter gratiam accidentalem, quam confert, contineat gratiam ſubſtantialem nempè carnem Chriſti, quam non continent alia Sacramenta. Undè cùm talis effectus, ſeu ſanctificatio non poſſit à Sacramentis provenire, niſi applicentur, conſiſtunt in uſu, ſeu in ſola applicatione. Iſtud verò licet ità ſanctificet, dum panis conſecratus manducatur, ut non ſanctificet niſi manducetur, ſubſiſtit tamen ſubſiſtente Hoſtia conſecrata, quæ continet Corpus Chriſti realitèr permanens, & per hoc ab alijs Sacramentis diſtinguitur, ut declarat Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3.

Euchariſtia inſtituta fuit per modum convivii.

Deindè omnia Sacramenta novæ Legis inſtituta fuere velut cauſæ inſtrumentales gratiæ, iſtud autem non ſolùm ut cauſa inſtrumentalis ejuſdem gratiæ fuit inſtitutum, ſed etiam ut menſa, & convivium in quo Chriſtus ſumitur, idcircò ex natura ſua eſt permanens, & ſubſiſtens realitèr, ut ad illud accedere poſſint Fideles, & in ipſo refici. Undè hæc verba Salvatoris: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos:* poſſunt tribui Chriſto in Euchariſtia exiſtenti, cum non ſit ibi tranſitoriè, ut volunt Lutherani, ſed permanentèr; cùm dicat: *ecce ego vobiſcum ſum uſque &c.* ut ſub bina ſpecie carnem ſuam, & ſanguinem ſuum Chriſtus daret.

Addunt inſupèr, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam, ut carnem ſuam daret ad manducandum, etenim inſtituendo hoc Sacramentum, juſſit panem accipi, ac manducari, & in ejus commemorationem fieri; tota autem illa actio, his verbis, Luc 22. *Hoc facite in meam Commemorationem* imperata; eſt tranſitoria; Igitur Euchariſtiæ Sacramentum debet conſiſtere in uſu, ſeu in ſola actione tranſeunte, ſicut Baptiſma, Confirmatio &c. cùm non cauſet gratiam nutrientem niſi in actuali uſu, & ſumptione, ſicut cætera Sacramenta eam cauſant in applicatione.

Euchariſtia non ſiſtit in ſolo uſu, licet propter uſum inſtituta fuerit.

Reſpondeo, argumentum non valere; licet Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam, ut nobis ſuam carnem daret ad manducandum, quoniam inſtitutio hæc non probat, Euchariſtiam in ſola manducatione conſiſtere, quamvis non cauſet gratiam, nec nutriat, niſi manducetur. Ratio hujus eſt; quia Chriſtus inſtituit eam, & poſteà acceperunt eam Diſcipuli: ergo non fuit inſtituta per manducationem, aut ſumptionem, ſed ut manducaretur, ſeu propter uſum, idcircò non conſiſtit in uſu, nec in applicatione materiæ, & prolatione verborum, ſeu formæ, ſed uſus eam conſtitutam ſupponit, quia nullus poteſt uti re, quæ non eſt. Baptiſma fit in uſu, ſeu applicatione formæ, & materiæ, Euchariſtia autem fit propter uſum, ideò reſtat donec ipſà fidelis utatur, ſeu eam manducet, aut tamdiu, quamdiu durant ſpecies.

Nec valet contra nos, aut contra durationem, vel permanentiam hujus Sacramenti, objicere illud præ-

ſaptum, *hoc facite in meam commemorationem*. Non valet inquam, quia hæc commemorario facienda, oon eſt

Reſolvitur hæreticorum iſtantia.

Sacramentum. Hoc, ex ipſo Baptiſmo dilucidè conſtat; nam Chriſtus juſſit Apoſtolis, ut ireot ad omnes Gentes, *euntes in mundum univerſum, baptizantes eos, in nomine Patris. & Filii, & Spiritûs ſancti*. Nullus tamen dixit, illam hactenus profectionem eſſe Sacramentum Baptiſmi, ſed ſolùm miſſionem ad baptizandum. Ita ſimiliter nullus poteſt dicere, Euchariſtiam conſiſtere in illa commemoratione, oec in alia actione tranſeunte, ſcilicet in manducatione, ſed in eſſe permanente, cùm denotet exiſtentiam, ut evidenter probant verba formæ hujus Sacramenti, ſcilicet *Hoc eſt Corpus meum*, quia indicant hoc, ſeu panem eſſe corpus Domini, aut ſub ſpecie panis eaiſtere Chriſti carnem, quæ cùm ſit extra ſuas cauſas, non debet conſiſtere in uſu, ſed uſum antecedere, ſicut pania, aut alimentum eſt ante uſum, aut ſumprionem; nemo enim poteſt uti eo, quod non eſt, cùm ut aliquis alio utatur, ſit neceſſe quod accipiat illud, & ideo eſt neceſſe quod illod, quod ad uſum accipitur, ſit antequam pro uſu accipiatur, & quod duret donec aliquis eo utatur, aut aliquâ cauſâ deficiat: Ergo corpus Chriſti exiſtit in Euchariſtia ante communionem, & in ipſa manet tamdiu, quamdiu durant ſpeciea ſacramentaléa, à quibus dependet quantum ad eſſe hîc, ſeu quantum ad eſſe Sacramentale & Euchariſticum, hoc quidem eſſe non eſt traoſitorium, ſed verè permanens, quia eſt menſale, ſeu paratum velut cibus animæ, & ſpiritualis alimonia.

§ III.

In quo reſicitur Pracipua Lutheranorum Ratio.

LUtherus ſuam hæreſim hoc argumento probare nititur. Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ad ſolam communionem, hoc eſt, tanquam communionem, ita ut Sacerdos non poſſit conſecrare, niſi ſint, qui velint communionem ſumere, ac proiode hoc ſacramentum non poteſt ſervari, ſed debet ſimul confici, & ſumi, ſubindéque in ſola communione, ſeu in ſolo uſu conſiſtere; Chriſtus enim non conſecravit, niſi ut Diſcipulis communionem daret.

Reſpondeo hoc eſſe ſalſum. quia Chriſtus dicens Diſcipulis ſuis, *Hoc facite in meam commemorationem*, & dans illis poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, nullam appoſuit conditionem de communione facienda in illo inſtanti temporis; cùm in illis verbia nulla fiat communionis mentio, ſed ſolùm conſecrationis; nam licet dixerit: *Accipite & manducate*, inde

Reſicitur ratio Lutheri.

tamen Lutherus non poteſt inferre, Euchariſtiam eſſe propter communionem præciſè præſentem, ſeu ſolis aſſantibus dandam, ſed ſolùm propter communionem præſentem vel futuram: cibus enim eſt ad manducandum, & indifferens eſt ad abſentes & præſentes. Euchariſtia eſt per modum convivii, aut menſe ad quam nos invitat Chriſtus, qui paravit eam.

Deinde ſi ad veram & realem corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia, neceſſaria eſſet alicujus accipientis voluntas, ita ut Sacerdos non poſſet conſecrare hoſtias, niſi eſſent qui vellent eas actu ſumere, ut putat Lutherus, ſequeretur quòd poteſtas Sacerdotis ad conſecrandum penderet à voluntate accipientis; cùm non poſſet conſecrare aliquam hoſtiam, niſi conſentiente alio, nec Chriſtus ibi adeſſet, niſi alius præter Sacerdotem, vellet quòd ibi adeſſet: At hoc eſt impium & temerarium; cùm ſit contra hujus

Concilium Florentinū

Sacramenti inſtitutionem, & totius Eccleſiæ definitionem, ot patet ex Florentina Synodo ſub Eugenio IV. celebrata, quæ in Decreto de Armenis, ait: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris; Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum, nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in corpus, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur*. Ex quibus verbis ſequitur, Sacerdotem habere poteſtatem conſecrandi independentèr à voluntate communicantium, huncque poſſe conſecrare panem ſola vi verborum, toties quoties cum debita intentione profert verba Conſecrationis ſuper panem. Chriſtus conſecravit independentèr à voluotate Apoſtolorum ſuorum, licet intuitu ipſorum, & Eccleſiæ conſecraverit, idcirco Sacerdotea, quibus dedit hanc conſecrandi poteſtatem, poſſunt conſecrare panem, etiamſi non ſiot præſentes aliqui, qui velint manducare illum, quoniam panis ille Euchariſticus poteſt ſervari pro alijs.

Sed quia Lutherani temerariè rejiciunt Concilia Eccleſiæ Romanæ, convincendi ſunt per abſurda, quæ ex ipſorum Hæreſi neceſſariò ſequeretur, quæ cùm non poſſint admitti, nec poteſt tolerari ipſorum Lutheranorum delirium. Nam ſi Sacerdotis poteſtas ad conſecrandum corpus, & ſanguinem Domini penderet à voluntate communicantium, Sacerdos non poſſet eſſe certus ſe integrè confeciſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quia numquam ei conſtare poterit de voluntate alterius, an velit communicare, vel non? Sed hoc eſt abſurdiſſimum, ideoque rejiciendum eſt illud ex quo ſequitur. Secundò ſupponamus aliquem aſtaotem velle ſtatim poſt Conſecratiooem Sacerdotis ſuſcipere de manu illius Sacram Communionem. Nullus Lutheranus negat, corpus Chriſti eſſe verè & realiter, atque ſubſtaotialitèr ſub ſpecie panis poſt Conſecrationem, cum ibi adſint omnia neceſſaria, ſcilicet panis conſecratus, & voluntas ſuſcipientis (quam ipſi Lutherani ad validitatem Conſecrationis neceſſariò exigunt) ſupponamus etiam quòd poſt hanc Conſecrationem integrè ſactam, ille, qui anteà volebat communicare, & ob quem Hoſtia conſecrata fuit, quique ſe ad Communionem paratum dicebat, nolit ſumere Cõmunionem. Quæro à Lutheranis an panis ille remaneret conſecratus, vel non? Si primum: ergo Imaginaria eſt illa conditio de voluntate communicantis apponenda ad Cooſecrationem. Si ſecundum, dico quòd eſt improbabile, quia ſuppoſito quòd poſteà idem vellet communicare antequam Sacerdos ab Altari recederet, certiſſimum eſt quòd poſſet communicare, ſeu eumdem panem ſumere (cum adhuc in Altari eſſet panis ille) quin Sacerdos iterum conſecraret illum; ficta eſt igitur & imaginaria, hæc conditio voluntatem communicantis neceſſariò requirens ad validam Conſecrationem Euchariſtiæ, nam Chriſtus dicens Diſcipulis ſuia ordinatis, *hoc facite in meam commemorationem*, nullo modo expreſſit, nec ſignificavit hanc conditionem de adhibenda voluntate communicantis.

Conſecratio panis eſt valida independenter à voluntate communicantis.

ARTICULUS XXXVIII.

Probat adverſus Petrobruſſianos, Chriſtum inſtituiſſe Miſſæ Sacrificium.

JUxta Sacrorum Scriptorum teſtimonium, plures adverſus Miſſam inſurrexerunt hæreſes. Petrus Cluniacenſis Epiſt. 2. lib. 5. & alij quamplurimi referunt quòd Petrus de Bruis, (à quo Petrobruſſiani nomen habent) natione Gallus, docuit anno MCXXIV. tempore Henrici V. Imperatoris, & Callixti Summi Pontificis, Miſſam nihil eſſe, nec celebrari poſſe, ſicque in Dei Eccleſia nullum eſſe verum Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum. Petrum de Bruis in Oppido Sancti Ægidij Diœceſis Nemauſenſis igne combuſtum teſtatur ipſe Abbas Cluniacenſis, qui eamdem hæreſim

Petrus de Bruis. Henricus.

Digitized by Google

tribuit Henrico patriâ Toloſano. Hanc ipſam Hæreticam Sententiam docuerunt, & poſteà publicaverunt ſcilicet anno MCXL. ſub Conrado III. Imperatore, & Innocentio III. Papa, Arnaldiſtæ, ſic dicti ab Arnaldo Brixienſi, qui ut refert S. Bernardus Epiſt. 24. *Arnaldiſtæ.* Miſſam abſolutè negavit.

Anno autem MCCCLII. tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis VI. Papæ, Joannes Vuicleffus, de quo ſæpè locuti ſumus, auſus eſt affirmare *Vuicleffus.* quòd in Evangelio non conſtat, Chriſtum, Miſſam inſtituiſſe, vel ordinaſſe Sacerdotes pro Miſſa celebranda. Porrò horum Hæreticorum impietatem auxit, & exitiale bellum Miſſæ Sacrificio indixit Martinus *Lutherus.* Lutherus lib. de captivit. Babyl. ibi enim ſic alloquitur: *Nihil hodiè receptius quàm Miſſam eſſe opus bonum, & Sacrificium Miſſa eſſe teſtamentum Chriſti, quod moriens poſt ſe reliquit diſtribuendum Fidelibus, ſecundum ſuam ſubſtantiam, propriè nihil aliud eſt, quàm verba Chriſti, accipite & manducate, ſcandalum ſpecioſiſſimum, quod Miſſam paſſim credatur eſſe Sacrificium, quod offertur Deo*, ex quibus patet quòd ſi admittat Miſſam, tamen negat, ipſam eſſe verum Sacrificium. Idque clarius exprimit lib. de abrogaoda Miſſa privata, ubi inquit, *Chriſtus ſeipſum ſemel obtulit, non voluit denuò ab alijs offerri, ſed memoriam ſui Sacrificij voluit fieri.* Idem *Melancthon* docuerunt Philippus Melancthon in locis Tit. de Sa- *Brentius.* crificijs. Brentius in Confeſſione Vuitembergenſi, *Illyricus.* cap. de Euchariſtia, Illyricus in Apol. Confeſſionis *Kemnitius.* *Calvinus* Antuerp. 15. Kemnitius prima parte examinis. Et alij, qui ſcripſerunt poſt Lutherum, qui cum impudentia intolerabili dixerunt, Miſſam eſſe ſummam abominationem à Romanis Presbyteris adinventam, Diabolo ſuadente, ut refert Bellarminus. His omnibus Hæreticis adhæſit Joannes Calvinus qui Miſſam majori audacia, & impudentia inſectatus eſt lib. 4. inſtitut. cap. 18. & 49.

Porrò hos omnes errores longè majori impietate ſupergreſſus eſt quidam impiiſſimus Hæreticus dictus Bernardinus Ochinus, natione Italus, patria Seneoſis, qui plura ſcripſit contrà Fidem Eccleſiæ Romanæ, ſed ejus opera prohibita fuere in Tridentino tanquam erronea, & Hæretica, ut patet in catalogo Authorum Librorum prohibitorum primæ claſſis. Ille enim Hæreticus in libello adverſus Miſſam, omnes *Ochinus.* quas Diabolus ſuggeſſerat Blaſphemias, nefando pectore, & calamo evomuit, ut oſtenderet, Miſſam nedùm non eſſe Sacrificium à Chriſto inſtitutum, ſed etiam nec opus laudabile.

§. I.

In quo firmatur Veritas Authoritate Canonica.

PRædictus Hæreticos, ac prædictam Hæreſim damnant Concilium Nicænum I. can. 14. declarans, Diaconos non habere poteſtatem offerendi Sacrificium, *Concilium Nicænum I.* ſed ſolos Sacerdotes, inde enim facilè colligitur Miſſam eſſe Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum, quia ſolus Sacerdos poteſt celebrare, & facere quod Chriſtus fecit in Cœna noviſſima cœnantibus Diſcipulis, hoc eſt, Miſſam celebrare, & in Sacrificium Deo offerre cor- *Epheſinum. I.* pus & ſanguinem Domini. Epheſinum I. tom. 1. cap. 16. ubi Sancti Patres dicunt: *Profitemur nos obire in in Eccleſijs incruentum Dei cultum, & myſticas benedictiones, & ſacrificare per Chriſti corpus & ſanguinem.* Chal- *Chalcedonenſe.* *Laodicenũ.* cedonenſe, actione prima. Laodicænum can. 44. ubi habetur. *Mulier non ingrediatur ad Altare, non enim Altare, niſi propter Sacrificia*, ſeu niſi propter Miſſam celebrandam, ideoque ex hoc Concilio, Miſſa eſt verum Sacrificium.

Idem affirmat Concilium Nicænum II. Act. VI. di- *Nicænum II* cens: *Nemo unquam Apoſtolorum, vel Sanctorum Patrum incruentum noſtrum Sacrificium in memoriam Paſſionis Chriſti factum, vocavit imaginem corporis illius, leges quaſcumque voles, numquam invenies nec Dominum nec Apoſtolos, incruentum illud, quòd à Sacerdote offertur, dixiſſe imaginem, ſed potius ipſum corpus Chriſti,*

Conſtantienſe contra Joannem Vuicleffum, & Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *firmiter*, ubi habe- *Conſtantienſe.* tur, Chriſtum in Euchariſtia eſſe Sacerdotem, ſimul *Lateranenſe.* & Sacrificium. Hocque myſterium non poſſe confici niſi per Sacerdotes. Idem decreverunt Concilium Florentinum in decreto unionis, & alia quamplurima, *Florentinũ.* *Tridentinũ* tùm Generalia, tùm Particularia, quæ omitto brevitatis gratia, addendo tamen Tridentinum quod ſeſſ. 22. can. 1. ait: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari: Anathema ſit.* Et can. 4. *Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari Sanctiſſimi Chriſti Sacrificio in cruce peracto, propter Miſſa Sacrificium, aut illi per hoc derogari: Anathema ſit.* His quidem Sacris Canonibus expreſſè damnantur Lutherani, & Calviniſtæ, contra quos conditi fuere: indè enim ſuadetur, Patres Lateranenſes docoiſſe, Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem, eſſe Victimam, aut Hoſtiam à Sacerdote in Miſſa oblatam Deo Patri. Eamdem veritatem tenent communitèr Sancti Patres.

§ II.

Probat Miſſam eſſe verum Sacrificium.

MIſſam eſſe propriè Sacrificium, in quo Chriſtus offertur Deo Patri, evidenter demonſtratur contrà Hæreticos, nedum ex authoritate Conciliorum, ſed etiam ex eſſentiali, & propria deſcriptione. *Definitio Sacrificij convenit Miſſæ.* Certum enim eſt apud Philoſophos, quôd definitio ſoli rei definitæ convenit, at Miſſæ conveniunt omnia, quæ ad veram, & propriam Sacrificij rationem pertinent. Nam ex Divo Auguſtino lib. 4. de Trinit. cap. 14. ad verum & proptium Sacrificium requiruntur quatuor, ſcilicet Sacerdos legitimus, ſeu Sacrificator ad hoc officium à Deo inſtitutus. Res Sacra, ſeu Victima, Oblatio ejuſdem. Et conſumptio. Idem fatentur omnes, qui de Sacrificio ſcripſerunt. Hæc autem omnia in Miſſa inveniuntur, adeſt enim Sacerdos offerens, adeſt res Sacra, ſcilicet corpus & ſanguis Domini, adeſt Oblatio quæ à Sacerdote tamquam à Miniſtro, & à Chriſto principali offerente fit, adeſtque rei Oblatæ conſumptio, utpotè corporis & ſanguinis Domini manducatio, & potatio: ſolis enim Presbyteris congruit ſumere, & dare cæteris, itaque Miſſa eſt verum, & proprium Sacrificium; cùm habeat omnes conditiones ad verum Sacrificium neceſſarias, ut patet ex dictis, & nequeat eas habere; quin ſit verum, & proprium Sacrificium, imò eſt Sacrificium nobilius, & perfectius, quò dignius nemo poteſt excogitare; cùm Victima ſit pretij infiniti, & præ cæteris Deo grata, nihil enim aliud eſt, quàm Chriſtus immaculatus, undè D. Auguſtinus loco ci- *D. Auguſt.* tato, ait: *Quid tam grave offerri, & ſuſcipi poteſt, quàm caro Sacrificij noſtri, corpus effecta Sacerdotis noſtri?*

Idem docet S. Cyprianus Epiſt. ad Cecilium, cui oſtendit nedum Miſſam eſſe Sacrificium, ſed etiam Sacrificium præſtantiſſimum, quô nullum dignius eſ- *D. Cyprianus.* ſe poteſt, ait enim: *Si Chriſtus Dominus, & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Deo Patri, ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Chriſti vere fungitur, quod, id quod Chriſtus fecit, imitatur, & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Chriſtus autem obtulit ſeipſum Deo Patri ſub ſpeciebus panis & vini, accepto enim pane coram Diſcipulis ſuis pridie quàm pateretur, gratias

agens, fregit, & dixit eis, *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*. Et accepto calice ſimiliter dixit: *accipite & bibite, hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, quæ quidem traditio fieri non potuit Deo, niſi in Sacrificium, oblatum fuerit corpus Domini: igitur tunc Chriſtus in Sacrificium ſe obtulit Deo Patri, & ut in perpetuum, ſeu uſque ad conſummationem ſæculi offeratur, dedit ſuis Diſcipulis poteſtatem faciendi quod ipſe fecerat, dicens eis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, ſacrificate ſicut me ſacrificare videtis, uſitatum eſt enim in Scriptura ut verbum, *facere* pro ſacrificare uſurpetur, ut conſtat ex illo Luc. 2. verſ. 27. *Et venit in Spiritu in Templum. Et cum inducerent puerum Jeſum, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*, id eſt, ut ſacrificarent: Igitur Sacerdotes dum Miſſam celebrant, veré ſacrificant; cùm ibi faciant quod Chriſtus fecit in Cœna noviſſima, & ideo Miſſa eſt proprium, & verum Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum in ultima Cœna, juncta Diſcipulis obligatione illud offerendi, ut proclamat D. Ambroſius de præparatione Miſſæ, dicens: *Ego licet peccator accedo ad Altare tuum, & offero Sacrificium quod inſtituiſti, & offerre præcepiſti*. Idem ſentiunt plures alij Sancti Patres.

Luc. 22.

D. Ambroſius.

Sacrificium noſtrum quod Chriſtus in ultima Cœna inſtituit, quodque Sacerdotes noſtri quotidie in Altari offerunt, dum Miſſam celebrant, ſuaderi poteſt ex alio principio certiore, nimirùm ex inſtitutione Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, quia tunc Chriſtus obtulit ſeipſum, ut docet S. Cyprianus loco ſupra citato, & præcepit omnibus Diſcipulis ſuis, & futuris Sacerdotibus, ut facerent in ſui cõmemorationem illud: quod fecerat fecerat autem Sacrificium, dixerat enim, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, non verò quod pro vobis dabitur, ut indè oſtenderet quòd non ſolùm poſteà in cruce debebat offerre Deo Patri corpus ſuum, ſed quòmodo tunc offerebat illud ſub ſpecie panis pro nobis Deo Patri, quia tunc Chriſtus dedit Patri corpus ſuum, non in eſcam ſicut Diſcipulis, ſed ut Victimam & Sacrificium pro peccatis hominum.

D. Cyprianus.

Eodem modo locutus eſt de calice dicens: *Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis funditur*, licet in vulgata, & antiqua novi Teſtamenti tranſlatione, habeatur in verbo futuri temporis, quia Græcè non eſt in futuro, ſed in præſenti, & non legitur *fundetur*, ſed, *funditur*, quo conſtat, Chriſtum duo obtuliſſe Sacrificia Deo Patri, unum incruentum, quod fecit in Cœna, aliud verò cruentum, quod fecit in cruce, quamvis utrumque ſit de Sanctiſſimo corpore ſuo; hinc eſt quòd quotieſcumque manducamus panem illum, & calicem Domini bibimus, mortem Domini annuntiamus, donec ille ad judicium veniat, quia Sacerdos, qui conſecrat, facit id, quod facit, in commemorationem Chriſti, ut ipſe præcipit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Nulla autem eſſet in Miſſa Chriſti commemoratio, niſi ille in noviſſima Cœna obtuliſſet àliquo modo corpus, & ſanguinem ſuum Deo Patri, quia in cruce veré Sacrificium fecit, & Deo Patri veré ſe obtulit. Et Sacerdos Euchariſtiam conficiens non facit quod Chriſtus fecit in cruce, ſed ſolùm id, quod fecit in Cœna noviſſima: igitur ſi conſecratio Euchariſtiæ ſit memoria Paſſionis, ſeu Sacrificij, neceſſè eſt quòd ipſa Miſſa ſit Sacrificium, cùm commemoratio debeat cum illo cujus eſt commemoratio, convenire, ſaltem in ratione finis, & objecti, alioquin conſecratio, nullo modo eſſet Paſſionis commemoratio, quia Sacerdos tunc, ſeu conſecrando Hoſtiam, non offerret Deo Patri, Chriſti corpus, quod ei oblatum fuit in cruce à Chriſto.

Duo Sacrificia fecit Chriſtus.

Undè D. Paulus ad Heb. 7. verſ. 26. manifeſtè declarat, Sacerdotes offerre Hoſtias, ſeu Sacrificium quod Chriſtus obtulit, ſeipſum offerendo, ibi enim ait, de Chriſto Domino: *Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidié, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis Hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo*, ex quibus conſtat quòd Sacerdotes quotidiè offerunt. Sacrificium pro peccatis ſuis, deindè pro peccatis populi.

Hebr. 7.

Si Hæretici velint, Apoſtolum ità loqui de Sacrificio crucis, ut ipſe Chriſtus non in Cœna noviſſima, ſed in cruce dumtaxat ſe obtulerit Deo Patri. Allucinantur, quia Apoſtolus non diſcernit Sacerdotium noſtrum à Sacerdotio Chriſti, ſed ſolùm Sacerdotes noſtros à Chriſto ut Sacerdote. Et ſi hanc expoſitionem nolint, tamen ſemper ſequitur quòd Sacerdos conſecrans offert Hoſtiam Deo Patri, quam Chriſtus ei obtulit, & ideo veré ſacrificat, & Miſſa eſt verum ac proprium Sacrificium, ſicut mors Chriſti, verum & proprium Sacrificium eſt.

Chriſtus in Cœna obtuliſſe Deo Patri

Hujus veritatis ratio eſt, quia in lege Gratiæ neceſſariò eſt admittendum aliquod Sacrificium externum proprie dictum, cùm ſit cæteris legibus perfectior. Et Sacrificium ſit præcipuus Religionis Actus in cultum veri Dei eliciendus. Hujus Sacrificij exiſtentia colligitur ex illis verbis Malachiæ, cap. 1. ubi Deus Judæos alloquens, ait per os Prophetæ: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, Quæ verba de Sacrificio novæ Legis dicta ſunt, ut notant S. Juſtinus Martyr Dialog. cum Tryphone, Irenæus lib. 4. adverſus Hæreſ. cap. 32. Hieronymus in Comment. ad hunc locum Prophetæ. Illud autem Sacrificium legis Gratiæ, non eſt aliud niſi Miſſæ Sacrificium, cùm nulla ſit alia actio Sacra, in qua Chriſtus conficiatur, Deo offeratur, & à Sacerdote, ſeu à Sacrificatore conſumetur, nam Sacrificium illud, de quo loquitur Propheta, non eſt offerendum à Judæis. Tum quia reprobantur omnia Judæorum Sacrificia, ab illo tempore, quo oblatum fuit Sceptrum de Juda, hoc eſt, ab adventu Meſſiæ, tunc enim receſſerunt vetera, & nova facta fuere omnia. Tum quia illud Sacrificium de quo loquitur Propheta. dicitur offerri in omni loco; multæ tamen ſunt regiones in quibus non ſunt Judæi, itaque nequit de ipſis intelligi. Nec eſt Sacrificium oblatum à Gentilibus, quia non Deo, ſed Dæmonijs ſacrificatur apud ipſos, ideoque locutus eſt de Sacrificio Miſſæ, quod in omni loco offertur, & in quo Sacerdos offert Deo Patri corpus & ſanguinem Domini, prius pro peccatis ſuis, deindè pro peccatis populi, ut ſupra monet Apoſtolus.

Malach. 1.

S. Juſtinus.

D. Irenæus.

D. Hieron.

Lutherus, Calvinus, & alij Hæretici dicunt, illa verba Prophetæ Malachiæ eſſe intelligenda de Sacrificio crucis à Chriſto futuro exhibendo Deo Patri pro ſalute totius mundi, ut nobis aperiret Divinæ Incarnationis finem. Vel de alijs Sacrificijs improprijs; quæ fiunt Deo Patri per preces, jejunia, mortificationes, & ſimiles, quas facturi erant Chriſtiani pœnitentias, quæ impropriè dicuntur Sacrificia, non verò de inſtitutione Euchariſtiæ; cui non competit veri Sacrificij ratio.

Non valet hæc reſponſio, nam quantum ad primam conſtat ex proprijs verbis Prophetæ; ait enim quod talis oblatio offertur in omni loco, at oblatio

Rejicitur inſtantia Lutheri, & Calvini.

Digitized by Google

facta in cruce à Chriſto Domino, facta fuit in ſola civitate Jeroſolymitana, in qua ſemel Chriſtus paſſus eſt, & mortuus: igitur hæc oblatio facta in omni loco, de qua loquitur Propheta, non eſt illa, quæ facta fuit in cruce, nec jejunium, aut aliud Sacrificium improprium, ſed illa, quæ fit quotidiè in omni loco per Conſecrationem corporis Chriſti, ſeu per Miſſam, quæ à Sacerdotibus noſtris celebratur apud omnes nationes terræ, & fiet uſque ad finem mundi, teſte ipſo Chriſto dicente: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.*

Haymo.

Undè Haymo in Commentarijs ſuper Malachiam prædicta verba interpretans, ait: *Manifeſtiſſima eſt Prophetia, nec eget profundiori expoſitione, loquitur autem ad Sacerdotes propriè, qui illicitas victimas offerebant, atque ideo voluntas Dei quem exacerbabant, non erat in eis; ſimul etiam docet carnalibus illorum Victimis, ſpirituales Victimas ſucceſſuras, nec in una tantum Provincia Judæorum, ſed in omni loco offerri Deo mundam oblationem, hoc eſt, Sacrificium quod nunc frequentat Eccleſia.*

Reverà Doctor ille non meminit expreſſè Sacramenti Euchariſtiæ, ut valeamus dicere de ipſo expreſſè locutum fuiſſe Malachiam. Sed non obſtat, quia id ſatis manifeſtè indicat, dicit enim oblationem illam, de qua locutus eſt Malachias, eſſe Sacrificium quod nunc frequentat Eccleſia, illud autem Sacrificium quod nunc Eccleſia frequentat, nullum aliud eſt niſi Miſſa, quæ quotidiè in Eccleſia celebratur: igitur verba Malachiæ non poſſunt intelligi de Sacrificio crucis, ſed de Euchariſtia quam Chriſtus inſtituit. Nec poteſt intelligi de Sacrificio impropriè dicto, quod fit per jejunia, orationes &c. Ratio hujus rei eſt, quia oblatio, quæ eſt Oratio, aut Eleemoſyna, Jejunium, aut aliqua alia res ſimilis, non eſt propriè Sacrificium, & ideo de illa minimè locutus eſt Malachias. Tum quia hoc Sacrificium ſpirituale, & impropriè dictum, non ſolet appellari abſolutè Sacrificium, ſed cum addito, nempè Sacrificium laudis, juſtitiæ, vociferationis, laborum &c. Propheta verò loquitur abſolutè de Sacrificio quod non poteſt aliud eſſe niſi Sacrificium corporis Chriſti. Tum quia loquitur de oblatione munda & Sacrificio Sancto. Omnia autem opera noſtra, V. G. Orationes, Jejunia, & alia ſimilia opera moraliter bona (in Doctrina Lutheranorum, & Calviniſtarum alibi impugnata authoritate Sacræ Scripturæ) ſunt opera immunda, & mala, ut in proprio loco dictum eſt; igitur Lutherani, & Calviniſtæ non poſſunt dicere, Malachiam Prophetam locutum fuiſſe de illis, ſed de oblatione Euchariſtiæ, quæ eſt una oblatio in omnibus & in omni loco, tam reſpectu rei oblatæ, ſcilicet corporis Chriſti, quàm reſpectu principalis offerentis, qui eſt ipſe Chriſtus: hujuſmodi autem oblationes, de quibus loquuntur Lutherani & Calviniſtæ, ſcilicet Orationes, Jejunia, & Eleemoſynæ non ſunt una in omni loco ab omnibus oblata, ſed diverſæ ſunt Orationes, diſtinctæ Eleemoſynæ juxta diverſitatem perſonarum eas offerentium. Tum quia Propheta loquitur de oblatione nova, quæ ſuccedere debebat Sacrificijs legis Moſaycæ, ſed bona opera, & fides Chriſti, quæ ſunt in Lege nova, non ſuccedunt Sacrificijs Judaicis, hæc enim omnia omnibus communia ſunt, tàm Judæis, quàm Gentilibus, quia in quocumque loco fuit fides Paſſionis Chriſti, certum enim eſt quod apud veteres erant aliqua bona opera, & fides Chriſti venturi: ideoque Propheta locutus eſt de Sacrificio Euchariſtiæ quod Chriſtus ſic inſtituit, & cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant & dent cæteris, ut dicit D. Thomas eumdem ſenſum Prophetiæ præbens poſt S. Irenæum lib. 4. cap. 32. Chryſoſtomum lib. 4. cap. 14. & Juſtinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone, qui illum locum Malachiæ exponunt de Sacrificio Miſſæ, aut de Divinæ Euchariſtiæ inſtitutione.

Per Sacrificium propriè dictum Scriptura intelligit Sacrificium altaris.

D. Thomas
D. Chryſoſt.
D. Juſtinus

Dan. 12.

Hic non parum juvat afferre aliud teſtimonium Prophetæ Danielis cap. 12. ubi agitur de adventu Antichriſti futuri, & aſſeritur quòd dum ipſe veniet, auferetur Juge Sacrificium, ut habetur in verſ. 11. ejuſdem capitis: *Et à tempore cum ablatum fuerit Juge Sacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem.* Reverà Rex ille, qui ablaturus erat Juge Sacrificium, ſecundum litteram, eſt Antiochus, ſed per allegoriam eſt Antichriſtus, ut fatentur Hæretici, qui credunt, Antichriſtum venturum eſſe. At hoc ſuppoſito inferre debemus, Miſſam eſſe Sacrificium, nam ſicut Antiochus abſtulit Juge Sacrificium Judæorum, ità Antichriſtus in fine mundi auferet Juge Sacrificium Chriſtianorum juxtà Danielis Prophetiam; atqui Juge Sacrificium Chriſtianorum in fine mundi auferendum, aut quod ablaturus eſt Antichriſtus, eſt celebratio Miſſæ, quia hoc Miſſæ Sacrificio ſublato, ſtatim peribit devotio, ut obſervat Rupertus in lib. de Glorificatione Filij Hominis, eritque magna abominatio in deſolationem, quæ cum provenire non poſſit, niſi ex ceſſatione celebrationis Miſſæ, ſequitur quòd ipſa celebratio eſt illud Juge Sacrificium, de quo locutus eſt Daniel, quia omni die in honorem Dei fit, & in ea verum Chriſti corpus, & verus ſanguis ejus quotidiè Deo Patri offeruntur, hæcque eſt ratio ob quam vocatur Juge Sacrificium, quod quidem Sacrificium non poteſt eſſe corporale, ſeu ſimile illis, quæ olim fuerunt in lege Moſayca, quia nullum ex illis hoc nomine honoratur. Neque eſt illud quod creditur in lege Evangelica ab Antichriſto auferendum. Neque illud Sacrificium in fine mundi auferendum eſt Oratio, aut Laus Divina, de qua Pſalmiſta, ait: *Immola Deo Sacrificium Laudis.* Nec eſt afflictio carnis per Jejunia, de quibus Apoſtolus ad Rom. 13. ait: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Neque Sacrificium illud eſt contritio peccatorum, de quo Propheta Pſal. 50. ait: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Nec de aliquo alio poteſt intelligi Prophetia, quia licet tempore Antichriſti abundaverit iniquitas, & erit deſolatio ſuper univerſam terram, ut ex Scriptura Sacra facilè colligimus, tamen Antichriſto vivente, erunt adhuc plures Juſti, Chriſti amore accenſi, qui ipſi Antichriſto reſiſtent, & ob hanc cauſam occidentur ab illo, ut conſtat nedum ex verſ. 10. ejuſdem capitis Danielis ubi habetur: *Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi: & impiè agent Impij, neque intelligent omnes Impij, porrò Docti intelligent,* ſed etiam ex alijs textibus Sacris: ergo Juge Sacrificium tempore Antichriſti ceſſaturum, non eſt bonum opus aliquod ex ſupra adductis per Hæreticos Danielis Prophetiam in malum ſenſum vertentes, ſed eſt celebratio Miſſæ in qua Chriſtus offertur Deo Patri, acproindè Miſſa eſt Sacrificium à Chriſto inſtitutum, cùm nihil aliud ſit quàm actio Sacra in qua Chriſti corpus conficitur, Deo offertur, & à Sacerdote ſumitur, juxtà Mandatum Chriſti, quod poſt inſtitutionem dixit Diſcipulis ſuis. *Hoc facite in meam commemorationem*, quippe exemplum dedit Diſcipulis ſuis, ut facerent ſicut ipſe fecerat.

Rupertus.

Rom 13.

Pſal 50.

Sacrificium adventu Antichriſti auferendũ, eſt Sacrificium Miſſæ.

Hæretici dicunt ex allegorijs Scripturæ Sacræ nollum poſſe inferri validum argumentum, acproindè quod ex Prophetia Danielis, Sacrificium eſſe auferendum prædicente, non poteſt inferri exiſtentia Sacrificij nobis in Miſſa, aut in Euchariſtia à Chriſto Domino relicti, quamvis contineat hæc verba: *cum ablatum fuerit Juge Sacrificium.* quoniam hæc per allegoriam & in alio ſenſu dicta ſunt.

Reſpondeo

Ex allegoriis Scripturæ validum inferri poteſt pro fide argumentum.

Reſpondeo hanc rationem eſſe falſam, ſi Hæretici velint eam abſolutè accipere, nam plures allegoriæ explicantur ab ipſamet Scriptura, ideoque ex illis, quæ explicantur, poteſt inferri validum argumentum pro fide tuenda, cùm ſuppoſita hac explicatione, ceſſet allegoria. Hæc autem, quam hîc exponimus, ab ipſa Scriptura explicatur, quia ea, quæ Daniel dixit de Antiocho juxtà ſenſum litteralem, & per allegoriam, omnes vident quòd de ipſo Antichriſto explicantur à Divo Paulo 2. ad Theſſ. cap. 2. Igitur ex allegoria Danielis validum poſſumus inferre argumentum contra Hæreticos pro notitia Sacrificij Miſſæ.

Dan. 11.

Deindè hæc explicatio poteſt ex alio capite confirmari, ſcilicet ex eo quod Rex ille, qui juxtà Prophetiam Danielis auferet Juge Sacrificium, pugnabit contra omnes Deos, neque Deum Patrum ſuorum recuperabit, ut ſuadet illud Danielis cap. 11. verſ. 8. *Inſuper & Deos eorum, & ſculptilia, vaſa quoque pretioſa argenti, & auri, captiva ducet in Ægyptum: ipſe prævalebit adverſus Reges Aquilonis &c.* At hæc omnia non poſſunt intelligi de Antiocho, qui Deos Patrum ſuorum palàm coluit, ut exponit D. Hieronymus in Comment. benè verò de Antichriſto, qui extollet ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Et in Templo Dei ſedebit oſtendens ſe tamquam ſit Deus, ut affirmat Apoſtolus loco citato, verſ. 4 Itaque hæc Prophetia Danielis prædicens Juge Sacrificium ceſſaturum in fine mundi, intelligenda eſt de Sacrificio Altaris.

Luc. 22.

Heb. 7.

Denique Sacerdotes in Eccleſia Catholica dum Miſſam celebrant, faciunt quod Chriſtus fecit in Cœna noviſſima, vertunt enim ex vi verborum; panem in corpus Chriſti, ſumunt illud, & dant cæteris: ſed dum Chriſtus ſacrificavit Deo Patri, ut ſtatim dicemus, voluit quòd Sacerdotes impoſterùm ſacrificarent, ut patet ex illo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; igitur Miſſa eſt proprium & verum Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum. Quod Chriſtus tunc ſacrificaverit facilè colligitur ex illo Pſal. 109. verſ. 4. ubi de eo dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech.* Quòd refert etiam Apoſtolus ad Heb. cap. 7. verſ. 4. ex quo ſequitur quod Chriſtus debuit offerre Sacrificium juxtà ritum Sacrificij Melchiſedech, qui ſacrificavit in pane, & vino, ut legitur Geneſ. cap. 14. verſ. 8. At Chriſtus numquam ſacrificavit in pane, & vino, niſi inſtituendo Euchariſtiam in qua ſe obtulit Deo Patri, ut conſtat ex Evangelio. Ergo cùm ſit Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech, neceſſè fuit ipſum Chriſtum offerre aliquod Sacrificium in pane & vino in Euchariſtia, in qua Chriſtus (quem figuravit Melchiſedech) Deo Patri obtulit ſub ſpeciebus panis & vini, cùm conſtet, Chriſtum hac ſola vice obſervaſſe, aut feciſſe ſecundum Ordinem & ritum Melchiſedech.

D. Hieron.

Unde D. Hieronymus Epiſt. ad Marcellam, ait: *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech Regem Salem, hujus Principem invenies civitatis; qui jam tunc Typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in ſanguine & corpore Salvatoris dedicavit.* Et in Epiſtola ad Evagrium: *Ex ſententia antiquiſſimorum Patrum Irenæi, Hypoliti, Euſebij, tum Cæſarienſis, tum Emiſſeni, Apollinarij, & Euſtachij; Ordinem Melchiſedech in eo conſiſtere quòd ipſe non immolaverit cruentas victimas, ſed pane & vino ſimplici, puroque Sacrificio Chriſti dedicaverit Sacramentum.* Et D. Auguſtinus Epiſt. 95. ad Innocentium Papam, quam ſcripſit nomine ſuo, & nomine multorum Epiſcoporum, ait: *Melchiſedech prolato Sacramento menſæ Dominicæ novit æternum ejus Sacerdotium figurare.* Et lib. de civitate

D. Auguſt.

loquens cap. 22. de oblatione Melchiſedech, ait: *Ibi primum apparuit Sacrificium quod nunc à Chriſtianis Deo offertur toto orbe terrarum.*

Idem referunt ferè omnes Sancti Patres, qui dum de Miſſa loquuntur, probant eam eſſe Sacrificium exemplo Melchiſedech, qui fuit figura Chriſti Domini Magni Sacerdotis in hoc ritu, ſcilicet quatenus in nova Lege Chriſtus, in Cœna ultima obtulit Deo Patri Sacrificium in pane, & vino, ſicut Melchiſedech obtulerat etiam illud in pane, & vino in Lege veteri. Sed horum Patrum verba omitto; quia ea, quæ retuli, videntur mihi ſufficere.

Huic argumento reſpondent Lutherani & Calviniſtæ. Primò Melchiſedech non fuiſſe Sacerdotem, ſed Principem, ac proindè non obtuliſſe Sacrificium in pane & vino. Et Chriſtum nullum nobis reliquiſſe Sacrificium incruentum.

Melchiſedech fuit Sacerdos.

Hæc reſponſio non nocet, quia vulgata noſtra tam in Pſal. 109. quàm in cap. 7. Epiſt. ad Heb. refert quod Melchiſedech: *erat Sacerdos Dei Altiſſimi*: Ergo licet eſſet Rex, erat etiam Sacerdos, alioquin bis dixiſſet, *Melchiſedech Rex Salem*, & numquam dixiſſet, *Sacerdos*. Præterea ſi Melchiſedech non fuiſſet Sacerdos, ut volunt Hæretici, ſequeretur quòd argumentum quo Apoſtolus probat excellentiam Sacerdotij Chriſti ſupra Sacerdotium Aaronicum, eſſet inefficax. Denique Melchiſedech benedixit Abrahæ; & Abraham obtulit ei decimas, teſte Scriptura. Benedicere autem, & decimas recipere non attinet ad Regem, ſed ad Sacerdotem, cujus eſt benedicere, & decimis veſci, idcircò Melchiſedech fuit verus Dei Sacerdos.

§ III.

Proponit, & diſſolvit reſponſiones, authoritatem impugnantes.

Zuinglius, (qui primus apud Helvetios cum Ocolampadio Hæreſim Berengarij ſuſcitavit) & Andreas Oſiander Vuitembergenſium Propheta reſpondent, Melchiſedech fuiſſe Sacerdotem; ſed negant ipſum juxtà Sacerdotij ſui Ordinem obtuliſſe Deo panem & vinum. Eorum ratio eſt, quia hoc in Scriptura minimè reperitur, ſed ſolùm protuliſſe panem, & vinum Abrahæ redeunti de victoria quinque Regum, & per conſequens (inquiunt) Melchiſedech non protuliſſe panem & vinum in Sacrificium ſed in refectionem Abrahæ, & Militum ejus ex prælio revertentium, ſubindeque ex illa oblatione nullum deſumi argumentum probans, Chriſtum in Cœna noviſſima ſacrificaſſe.

Falſa hæreticorum interpretatio.

At ut evidentiùs demonſtretur falſitas hujus interpretationis, obiter obſervandum eſt antequam reſpondeamus, quod Judæi volentes depravare Scripturas, quæ de Chriſto figurativè loquuntur, & quibus ipſius probatur adventus, hanc hiſtoriam Melchiſedech eodem modo in perverſum ſenſum detorſerunt, ut refert noſter Lyranus, idcircò Hæretici in hoc ſequuntur veſtigia Judæorum, licet ſe eſſe Judæos non dicant: quamvis non ſint minus inimici Eccleſiæ Romanæ, quàm Judæi.

Unde ad prædictam Hæreticorum interpretationem dico, quòd falſum eſt, Melchiſedech obtuliſſe hunc panem, hocque vinum in refectionem Abrahæ, & militum ejus, ut evidentèr patet ex ipſius litteræ contextu, nam illi quatuor Reges pro quibus pugnaverat Abraham contra quinque, habebant ea, quæ ad cibum erant neceſſaria ſibi, Abrahæ & Militibus, ut ipſe Abraham teſtatur Geneſ. 14. verſ. 23. ad Regem Sodomæ, qui omnia ſpolia

præter animas illi offerebat; ibi enim ait Abraham: *non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas ego ditavi Abraham: exceptis his quæ comederunt Juvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum*: Igitur improbabile eſt, Melchiſedech panem & vinum obtuliſſe Bellatoribus, qui tam opimis ſpolijs è prælio revertebaotur omnem ſupellectilem captam ſecum reducentes.

Inſuper Scriptura Sacta in vanum diceret, Melchiſedech fuiſſe Sacerdotem Dei Altiſſimi, ſi panem & vinum oon obtuliſſet in Sacrificium, ſed ſolum ad refectionem Abrahæ, & militum. Quia proprium Sacerdotis eſt ſacrificare ſecundum ordinem illius, ſecundum cujus ordinem & ritum eſt Sacerdos, cùm proferre ea, quæ ad victum pertinent, non ſit officium Sacerdotom, nec Regum, qui per Miniſtros ſuos alimenta adminiſtrant millitibus, ſed officium Laicorum ſubditorum, qui tum authoritate Sacerdorum, tum authoritate Regum, bona temporalia adminiſtrant. At Scriptura nihil in vanum proferr, nullamque qualitatem hominibus falsò tribuit; itaque Melchiſedech erat verè Sacerdos, & obtulit Sacrificium Deo in pane & vino juxtà Sacerdotij ſui ordinem. Hujus rei ratio eſt, quia ſtatim poſt hanc oblationem Scriptura ait: *erat Sacerdos Dei Altiſſimi*. Hæc quippè particula eſt caoſalis, & demonſtrat Melchiſedech hoc feciſſe ſeu benedixiſſe Abrahæ, & obtuliſſe panem, & vinum Deo, quia erat Sacerdos Dei Altiſſimi, quibus verbis conſtat, hunc actum non fuiſſe actum Laici, nec actum directum ad Laicum, ſeu virum non Sanctum, nec Sacerdotem, ſed actum Sacerdoris Dei,

2. Paral. 29 cujus officium non eſt offerre Laicis, ſed Deo, eique ſacrificare victimas, juxtà illud Paralip. lib. 2. cap. 29. verſ. 11. *Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus ut ſtetis coram eo, & miniſtretis illi, colatiſque eum, & cremetis ei incenſum.* Nullùs eſt igitur qui poſſit citra hæreſim aſſerere, Melchiſedech non fuiſſe Sacerdotem, ſed obtuliſſe panem & vinum Abrahæ ad ejus refectionem, & militum ejus, fuit enim Sacerdos Dei Altiſſimi, & obtulit non Abrahæ, ſed Deo panem & viuum in Sacrificium, ut ſignificaret, Chriſtum futurum eſſe Sacerdotem in pane & vino ſacrificaturum, hocque fecit io ultima Cœna, in qua panem, & vinum obtulit, aut carnem ſuam ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini.

Falſa Calvini interpretatio.

Calvinus aliter reſpondet, & dicit quod ſi Melchiſedech fuiſſet figura Chriſti quatenus eſt Sacerdos, Apoſtolus ad Heb. 7. ſcribens expreſſè dixiſſet, Sacerdotium Melchiſedech eſſe figuram Sacrificij Chriſti, & utriuſque Sacrificij convenientiæ meminiſſet.

Minus valet hæc reſponſio, nam Apoſtolus nullam illius figuræ mentionem facit expreſſè. Tum quia hoc non exigebat illius propoſitum. Tum qoia loquebatur Hebræis, inter quos plurimi erant adhuc Infideles, quibus tantum prodere myſterium, nefas eſſe judicabat, ideoque Sacrificium Melchiſedech fuit verè figura Sacrificij Chriſti panem & vinum tradentis Diſcipulis ſuis, eiſque dicentis: *accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*, ut panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum converteret. Unde Divus Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. agens de pane, & vino ad conſecrandam Eucbariſtiam, ait: *Cognovimus horum Sacramentorum figuram Abrahæ tempora præceſſiſſe quando S. Melchiſedech obtulit Sacrificium.*

D. Ambroſius.

§. IV.

Evellantur Hæreticorum Fundamenta.

RAtio Hæreticorum negantium, Miſſam eſſe verum, & proprium Sacrificium eſt, quia in nova Lege oullum poteſt eſſe Sacrificium propriè dictum. Idque probant ex reſponſione Chriſti Domini ad Mulierem Samaritanam quærentem, an Deus deberet adorari in templo, vel in monte. Nam Chriſtus Joan. 4. huic Mulieri interroganti, dixit: *Joan. 4.* *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeruſalem adorabitis Patrem.* Et ſtatim dat rationem, dicens: *Quia veri adoratores, adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Inde enim concludunt Hæretici, Miſſam non eſſe verè Sacrificium, qoia adorare, eſt Sacrificare, & adoratio ſeu ſacrificatio non poteſt eſſe, nec fieri in re ſenſibili, & materiali, hoc eſt, in pane & vino ex quibus Euchariſtia conficitur, & in quibus Miſſa celebratur, ſed in ſpiritu & veritare.

At hæc ratio eſt falſa; cùm in Lege nova, ſeu Evangelica ſit Sacrificium præſtantiſſimum in aliarum præcedentium Legum Sacrificijs figuratum. Nec obſtat reſponſio Chriſti ad Mulierem Samaritanam, quoniam Chriſtus in hoc colloquio, non negavit futuram adorarionem, aut Sacrificium in pane & vino offerendum, ſed ſolùm declarare voluit quòd Deus non adorabitur impoſterùm in monte illo tantum, nec in Jeruſalem Sacrificijs carnalibus Judæorum, quæ ceſſatura erant per Sacrificium Euchariſtiæ, aut novæ Legis, quod eſt omninò ſpirituale *Reſponſio ad rationem hæreticorum.* quoad ſuam virtutem & modum exiſtendi rei oblatæ, ſcilicet per Sacrificium Euchariſtiæ in qoo Chriſtus inviſibili & Sacramentali modo continetur, quamvis viſibile ſit ex parte ſpecierum ſub quibus exiſtit, quibus indicatis & viſis, Deum adoramus in Spiritu & veritate. Unde cùm in hoc Sacrificio Deum colere, ſit adorare eum in Spiritu & veritate, ſequitur quòd Chriſtus Dominus reſpondens Mulieri Samaritanæ loquebatur de adoratione Chriſtiana in Sacrificio Euchariſtiæ, quod erat inſtituturus ante Paſſionem, & mortem ſuam.

Lutherus addit quòd reſponſio Chriſti ad Samaritanam non poteſt intelligi de Euchariſtia. Ejus ratio eſt, quia Euchariſtia non offertur Deo, nec ad hunc finem inſtituta fuit, eſt enim convivium hominibus paratum, & ideo hominibus relinquitur, cùm conſtet, Chriſtum eam inſtituendo, dixiſſe: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.*

Sed falſa eſt Lutheri additio ſupponens Euchariſtiam non offerri Deo, neque ad hunc finem fuiſſe inſtitutam, ut ex dictis ſupra ſufficientèr probatum manet. Falſum eſt etiam naturam Sacrificij eſſe, ut tantùm Deo offeratur, & nihil hominibus de re oblata relinquatur. Conſtat enim in Lege Moſaica quòd *Falſa Lutheri interpretatio.* Sacerdotes ſumebant ſæpè Sacrificia, quæ offerebant, ut facilè colligi poteſt ex Pſal. 49. verſ. 9. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis* *Pſal. 46.* *Hircos. Quoniam mea ſunt omnes feræ ſylvarum, Jumenta in montibus, & Boves. Cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt: ſi eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & pulchritudo ejus. Numquid manducabo carnes Taurorum, & ſanguinem Hircorum potabo?* Qoippè hæc verba ſuadent quòd Sacrificatores, Deo ſic ſtatuente, poſt Sacrificij oblationem, comedebant carnes, quas offerebant Deo; alioquin perijſſent, aut eas ad uſus illicitos tranſtuliſſent. Quod eſt improbabile, licet Sacrificium quod Holocauſtum dicebatur, traderetur igni ot

conſumeretur, hoc enim non erat ex natura ſacrificij, ſed ex particulari modo offerendi illud, cùm conſtet multa fuiſſe in antiqua Lege Sacrificia, quorum pars aliqua comedebatur à Sacerdote, juxtà mandatum, quod habetur in lib. Levitici.

Hæretici volunt inſuper, Miſſam non eſſe verè Sacrificium, quia Chriſtus in ultima Cœna inſtituendo Euchariſtiam, non inſtitnit Sacrificium, nequé corpus ſuum Deo Patri obtulit, quia ſequeretur quòd ſuperfluum eſſet Sacrificium crucis pro remiſſione peccatorum noſtrorum. Quia per Sacrificium Euchariſtiæ (quòd Sacrificium crucis præceſſit) nos redemiſſet & juſtitiæ Dei Patris ſatisfeciſſet, cùm Euchariſtia (ſi eſſet Sacrificium,) eſſet infiniti valoris, & Deùs acceptaſſet illud in remiſſionem peccatorum noſtrorum propter dignitatem, & excellentiam victimæ oblatæ. Deindè Chriſtos unum dumtaxat Sacrificium fecit in cruce, ut monet Apoſtolus ad Heb. c. 10. v. 14. dicens: *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum Sanctificatos.* Hæc quidem oblatio facta fuit in cruce in qua ipſe Chriſtus dixit, Joan. 19. *Conſummatum eſt*, ut exprimeret uno Sacrificio crucis, ſe compleviſſe omnia, quæ ad noſtram ſalutem neceſſaria erant.

Præcipua hæreticorum ratio.

Hebr. 10. Joan. 19.

Huic rationi, quam Hæretici judicant invincibilem, reſpondeo Sacrificium crucis non fuiſſe ſuperfluum, licet Chriſtus conficiendo Euchariſtiam, verum Sacrificium inſtituerit, ſeque Deo Patri obtulerit ſub ſpeciebus panis, & vini pridie quam pateretur. Hujus veritatis ratio eſt, quia Sacrificium crucis: quamvis infinitam, & ſemper manentem virtutem habeat ad ſanctificandum, tamen ut effectus ejus nobis efficacitèr applicetur, egemus alio Sacrificio, quod ab alio dependeat, vimque ſuam ex ipſo habeat, quale eſt Sacrificium Miſſæ, quod efficaciam accepit à morte Chriſti, & ejuſdem mortis meritum nobis applicat: nam per Euchariſtiam ſumma Paſſionis Chriſti virtus in nos derivatur. Undè Chriſtus hujuſmodi applicationem Sacrificij crucis prævidens nobis neceſſariam, per Sacrificium Euchariſtiæ utrumque fecit, id eſt, obtulit ſe Deo Patri ſub ſpeciebus panis, & vini modo incruento. Et in cruce modo viſibili & cruento, ſeu effundendo ſanguinem. Hæc autem verba: *conſummatum eſt*, non debent intelligi de completa conſummatione ſatisfactionum, ità ut mors Chriſti abſolutè ſufficiat, ut ſimus Sancti, ſecluſo quocumque bono opere noſtro, ſecluſo etiam quocumque alio Sacrificio; alioquin nulla eſſet in nobis obligatio de ſalute procuranda, ſed debent intelligi ſolùm de conſummatione Scripturarum, & Prophetiarum, quæ omnes in morte Chriſti fuerunt verificatæ.

Rejicitur hæreticorũ ratio.

Inſtant Hæretici, & dicunt, effectum Sacrificij crucis nobis ſufficientèr applicari per prædicationem Evangelij, & per Baptiſmum, acproindè non eſſe neceſſè ob hunc finem, quòd Euchariſtia ſit Sacrificium, cum de facto Baptiſmus non ſit Sacrificium, & nobis peccatorum remiſſionem obtineat.

Non valet hæc inſtantia. Quia Deus voluit quòd Sacrificium crucis poſſet nobis applicari per diverſa media, ideoque licet Paſſionis fructus applicentur nobis per Baptiſmum, & per Prædicationem, tamen non implicat quòd applicentur nobis per Euchariſtiam, quæ eſt verum Sacrificium, quia ut jam dixi, Chriſtus inſtituendo Euchariſtiam, dedit Deo Patri corpus ſuum, ſicut dedit ei illud in cruce; licet diverſo modo: accepto enim pane, gratias egit, & fregit & dedit Apoſtolis dicens: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. cap. 22. ubi *datur*, idem ſignificat, ac *offertur*; ideoque corpus Chriſti in ultima Cœna fuit ab ipſo Chriſto datum, ſeu oblatum Deo Patri, & quotidiè illud offerunt Sacerdotes noſtri pro peccatis, ut declarat Apoſtolus ad Heb. cap. 7.

Per Euchariſtia Sacrificium nobis applicatur Paſſionis fructus.

Luc 22.

Dicunt inſuper quòd victima, quæ in vero & proprio Sacrificio offertur, debet occidi, nam Sacrificium propriè dictum: ſic definitur: *Oblatio externa rei ſenſibilis, & permanentis legitima authoritate inſtituta à Miniſtro competenti per immutationem illius rei, ſoli Deo facta in proteſtationem ſupremi illius Dominij in vitam, & mortem.* Hac quippè definitione conſtat quòd in vero Sacrificio, Victima moritur. Idem, ſcilicet mors victimæ infertur nedum ex Sacrificijs Legis veteris, ſed etiam ex Sacrificio crucis. Sed Chriſtus in Euchariſtia non occiditur, nec moritur; cùm ibi ſit impaſſibilis, & immortalis: igitur Miſſa non eſt verum Sacrificium, & Sacerdos dum Miſſam celebrat, non ſacrificat, ſed ſolum exhibet figuram Chriſti in cruce ſe offerentis.

Argumentũ ex definitione Sacrificij ab Hæreticis deductum.

Huic argumento reſpondeo quòd eſt verum de Sacrificio cruento, quale fuit Sacrificium crucis, & qualia fuerunt Sacrificia animalium in Lege veteri; ſed falſum de Sacrificio incruento, quale fuit Sacrificium Melchiſedech, & quale eſt Sacrificium Miſſæ, quamvis ſit etiam repræſentativum Sacrificij crucis, ſeu cruentis. Quoniam Sacrificium eſſe cruentum uel incruentum, hoc non ſpectat ad ipſius ſubſtantiam, vel eſſentiam, ſed potius ad ipſius circunſtantiam, & modum; alioquin Melchiſedech offerendo panem, & vinum, non ſacrificaſſet. Quòd eſt falſum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi.

Duplex ad prædictum argumentũ reſponſio.

Deinde dici poteſt quod Chriſtus in Euchariſtia myſticè, ac moralitèr occiditur, quia in ea exiſtit modo veluti mortuo, ibi enim nullam habet functionem & operationem ſenſuum externorum, licet ſub ſpeciebus Sacramentalibus verè vivat & regnet. Hinc eſt quòd D. Joan. in Apocalyp. cap. 5. teſtatur ſe vidiſſe eum ſtantem tamquam Agnum occiſum. Prætereà Sacrificium Miſſæ eſt repræſentativum Sacrificij crucis, teſte Apoſtolo dicente, quod quotieſcumque manducabimus panem & bibemus calicem, mortem Domini annuntiabimus, etenim propter hæc dicere poſſumus, quòd Chriſtus in Euchariſtia, aut in Sacrificio Miſſæ, aliquo modo occiditur per gladium verborum, ut inquit Sanctus Cyrillus, ipſo quidem gladio, ſeu ex vi verborum, ſanguis Chriſti ponitur ſub ſpecie vini. Non quod ſanguis ſit ibi ſine corpore, quidquid impiè dixerit Folmarus Præpoſitus in Franconia, ſed quia corpus eſt ibi per concomitantiam. Deindè hoc incruentô Miſſæ Sacrificiô fit myſtica ſanguinis effuſio per eundem gladium verborum.

D. Cyrillus

Tandèm dicunt nullum eſſe Sacerdotem in Eccleſia Chriſti, acproindè nullum poſſe eſſe in eadem Eccleſia Sacrificium, nam (inquiunt) Chriſtus ex Apoſtolo ad Heb. 7. eſt Sacerdos in æternum, hoc eſt, nullum habebit ſucceſſorem, & in hoc diſtinguitur Sacerdotium Chriſti à Sacerdotio veteris Legis in qua Sacerdotes multiplicabantur: in Lege autem gratiæ, nulli debent eſſe Sacerdotes, qui Chriſto ſuccedant: ergo nec debet eſſe aliud Sacrificium præter illud, quod Chriſtus obtulit, cùm Sacerdotium, & Sacrificium ſibi mutuó correſpondeant, & Sacerdos ſit propter Sacrificium.

Hæretici falſò docent nullum eſſe in Eccleſia Sacerdotem

Sed minus nocet hæc ratio Hæreticorum, & præcipuè Calvini, qui hujus argumenti Inventor creditur, certum enim eſt quòd non officit veritati Catholicæ, quoniam falſum ſupponit, ſcilicet nullum eſſe Sacerdotem in Eccleſia Chriſti, nam licet Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, hoc non obſtat quominùs ſint alij Sacerdotes, qui ſint Chriſti Vicarij, Miniſtri, & Diſpenſatores, ut declarat Apoſtol. 2.

1. Corint. 5.

ad Corinth. cap. 5. verſ. 20. dicens: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Quibus ſuadetur, Apoſtolos fuiſſe Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum ejus: Epiſcopos verò, atque Sacerdotes modò eſſe Miniſtros, & Diſpenſatores eorumdem myſteriorum, cùm Chriſtus jam non fungatur Sacerdotio ſuo per ſe, & immediatè, ſcilicet offerendo Sacrificia. Et neceſſe ſit quòd in Eccleſia offeratur Deo Sacrificium: Chriſtus enim dixit Diſcipulis præſentibus, & in eorum perſona futuris, *hoc facite in meam commemorationem*, hinc eſt quòd argumentum Calvini non militat contrà nos, quia intendit probare, nos per Sacerdotes intelligere Succeſſores Chriſti, qui cùm ponantur propter abſentiam, vel mortem Prædeceſſoris, & Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, impoſſibile eſt, quòd Chriſtus habeat Succeſſores propriè dictos, ſcilicet quatenus Succeſſor denotat Prædeceſſoris mortem, aut officij vacantiam. At in hoc allucinantur, quia nos admittendo Sacerdotes in Eccleſia Chriſti, non admittimus Chriſti Succeſſores, ſed Vicarios, Miniſtros, & Diſpenſatores, qui poſſunt exiſtere in Eccleſia, licet ipſe Chriſtus Sacerdos Supremus, & Principalior exiſtat.

Sacerdotes non ſunt Succeſſores Chriſti, ſed Miniſtri.

Nec repugnat unitati Sacerdotij Chriſti plures habere in terris Miniſtros, qui vice ipſius viſibile offerant Sacrificium, nam licet Chriſtus ſit unus Doctor, & Magiſter noſter, ut habetur Matth. 23. Hoc tamen non impedit, quin plures habeat in terris Miniſtros, qui vices ipſius gerant, & Gregem paſcant verbo & doctrina, hique ſunt illi, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Ità à pari poteſt plures habere Sacrificatores, aut Sacerdotes, licet ipſe ſit Sacerdos in æternum, & ipſius virtute & Miniſterio omnes Sacerdotes noſtri divina pertractent myſteria. Hoc verum eſſe probat adminiſtratio Baptiſmi, nam in Baptiſmi Sacramento, quoties illum Sacerdos aliquis adminiſtrat, Chriſtus eſt, qui verè & effectivè baptizat, ut teſtatus eſt Præcurſor Domini D. Joannes Baptiſta, Joan. 1. dicens: *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Indè enim conſtat, in adminiſtratione Sacramentorum, & oblatione Sacrificiorum, Chriſtum eſſe Miniſtrum Principaliorem, & Sacerdotem Supremum, alios verò Sacerdotes eſſe Miniſtros & Vicarios ejus, non autem Succeſſores, ut Hæretici credunt, ex eo quod Chriſtus eſt Sacerdos in æternum. Quoniam Vicarius alicujus, non eſt Succeſſor ejus, cùm non repugnet quòd quis gerat vices alterius ſubſiſtentis, nedum in natura, ſed etiam in officio, licet repugnet quod ſit ejus Succeſſor, ſi in officio ſubſiſtat.

Matth. 23.

Joan. 1.

Addunt inſuper quòd Euchariſtia eſt Sacramentum ſimul & Teſtamentum, acproindè quod non eſt Sacrificium, quia rationes Teſtamenti, & Sacramenti ità pugnant cum ratione Sacrificij, ut nequeant uni & eidem convenire. Nam Sacrificium offertur Deo, Sacramentum verò nobis datur à Deo. Et Teſtamentum eſt promiſſio hæreditatis accipiendæ ab hærede, cui delegatur tamquam eà indigenti, Sacrificium autem non eſt acceptatio, ſed oblatio victimæ, undè cum hæc omnia dici nequeant de Euchariſtia, certum eſt quòd ipſa, non eſt Sacrificium Deo Patri offerendum.

Ultimum hæreticorũ argumentum.

Huic objectioni reſpondeo, rationes Sacramenti, Teſtamenti, & Sacrificij verificari poſſe de Euchariſtia, quoniam in ipſa diverſæ ſunt rationes, ex quibus poteſt diverſas accipere denominationes; licet inter ſe videantur oppoſitæ, ut patet de denominationibus Putei & Fontis, quæ Beatæ Virgini conveniunt, licet ſint oppoſitæ, nam Euchariſtia confert gratiam ſanctificantem, offertur Deo in illius honorem, & proteſtationem illius Supremi Dominij in mortem, & vitam hominum: igitur poteſt eſſe Sacramentum, Sacrificium, & Teſtamentum, ſicut Beata Virgo eſt Puteus, & Fons gratiarum. Aut quemadmodum Agnus Paſchalis in Lege veteri, ſimul erat Sacramentum, & Sacrificium. Sacramentum quidem quatenus erat ſignum viſibile inviſibilis gratiæ. Sacrificium autem in quantum immolabatur Deo. Ità Euchariſtia quatenus nobis relicta, ut ſit ſignum noſtræ ſanctificationis, eſt Sacramentum, quatenus autem Deo offertur in recognitionem Supremi Dominij, quod habet in vitam, & in mortem hominum, eſt Sacrificium. In quantum verò eſt portio legati pro nobis Teſtamento relicti, & pignus gloriæ, eſt Teſtamentum, ſeu ſignaculum voluntatis Chriſti Teſtatoris.

Rejicitur hæc ultima Hæreticorũ ratio.

Nec obſtat dicere quòd Euchariſtia eſt donum Dei, ut fatetur Chriſtus, dicens: *accipite & manducate ex eo omnes*, acproinde non poteſt eſſe oblatio noſtra, nam inter ſe pugnant donum & oblatio, quia non poteſt quis rectè alteri offerre quod ab illo accepit. Non obſtat inquam, quamvis Euchariſtia ſit donum nobis conceſſum à Deo; alioquin ſequeretur quòd homo nihil poſſet offerre Deo, quia à Deo accepit omnia, quæ habet. Nec Patres noſtri in Lege veteri obtuliſſent Deo Sacrificia, quia ab eo acceperant animalia, quæ offerebant, ut patet in Pſal. 49. cujus verba ſupra retulimus. Idem patet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 4. dicens: *quid autem habes quod non accepiſti.* Igitur ratio Hæreticorum eſt nulla, & Sacerdotes noſtri poſſunt offerre Deo Euchariſtiam, quam nobis dedit.

Donum, & oblatio non pugnant inter ſe.

Deindè ſi hæc Hæreticorum ratio valeret, ſequeretur quòd Chriſtus nullum Sacrificium obtuliſſet in cruce, quia acceperat à Deo Patre illud corpus, quod obtulit pro peccatis noſtris, ut tradit Apoſtolus ad Heb. cap. 10. verſ. 5. ſic loquens: *Ideo ingrediens mundum dicit; Hoſtiam, & Oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.*

Hebr. 10.

ARTICULUS XXXIX.

Tenet contra Ærianos, Miſſæ Sacrificium poſſe pro peccatis offerri.

Ærius.

ÆRius, ſeu Presbyter ille, qui cùm non poſſet dignitatem Epiſcopalem aſſequi, aſſeruit Epiſcopatum non eſſe Sacerdotiô majorem, nec digniorem. Dixit etiam circà annum Domini CCCXLII. tempore Conſtantini magni Imperatoris, & Julij primi Papæ, teſte D. Epiphanio, ſuperfluum eſſe offerre Sacrificia pro Defunctis, & Miſſas pro peccatis applicare, aut pro alijs rebus viatoribus, & Eccleſiæ neceſſarijs. Nullam enim huic adorando Sacrificio tribuebat virtutem, nullumque ab ipſo volebat ſperandum eſſe effectum.

Eamdem hæreſim ſuſcitavit anno MDXVII. impijſſimus Lutherus, ſi non integrè, ſaltem quoad unam partem, quippè hujus Sacrificij virtutem minuit, dicens, Miſſam non poſſe offerri pro peccatis, nec prodeſſe vivis, ac Defunctis, ſed ſoli Sacerdoti. Idem poſteà ſcilicet anno MDXXXIV. docuit Calvinus qui hujus Sacrificij valorem & meritum recuſat defunctis.

Lutherus.

Arnaldus à Villanova. Tandem huic erroti adhæſit quidam vir Hæreticus nomine Arnaldus à Villanova, ſic dictus à quodam loco ſito in Agro Catellonenſi, profeſſione Medicus inſignis, qui dixit, illum, qui Miſſas celebrare facit pro infirmis, aut pro defunctis, opus charitatis non perficere. Hojus Hæretici ratio erat, quia Miſſæ Sacrificium nulli prodeſt, hinc fit quòd ipſe Arnaldus à Villanova à nonnullis vocatur Ærianus.

§ I.

Aſſerit Veritatem Articuli.

Concilium Cabillonenſe. Concilium Cabillonenſe ſecundum ſub Vitaliano Papa circà annum DCLVIII. damnat hunc errorem, ſimul & Presbyterum Aërium: ait enim in ſuis Decretis: *Antiquitùs hunc morem Sancta tenet Eccleſia, ut & Miſſarum ſolemnibus, & alijs precibus Domino Spiritus quieſcentium commendentur, dicente Auguſtino, non ſunt prætermittendæ ſupplicationes, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate laudamus defunctorum, etiam tacitis nominibus eorum, qui ſub generali commemoratione ſuſcipit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt Parentes, aut Filij, aut quicumque ſignati, vel amici, ab una eis exhibeantur à pia Matre communi*: Ità refertur à Gavatio in can. 27. de Conſecrat. diſt. 1.

Idem decreverunt Concilium Senonenſe cap. 12. Florentinum ſeſſ. ult. in litteris nnionis Armenorum. Et Trident. ſeſſ. 22. can. 3. ubi habetur expreſſè con-

Senonenſe. Florentinũ. Tridentinum. tra Martinum Lutherum, & eos qui falſa Dogmata tunc tuebantur: *Si quis dixerit, Miſſa Sacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus offerri debere: Anathema ſit.* Idem habetur in ſeſſ. 25. in Decreto de Purgatorio, ubi legitur: *Curent autem Epiſcopi, ut Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, Orationes, Eleemoſyna, aliaque pietatis opera, quæ à Fidelibus pro alijs Fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta piè, & devotè fiant.* Hæc verba apertè demonſtrant Sacrificij utilitatem pro vivis, & defunctis, ac proindè damnant Lutherum exiſtimantem, Miſſam ſoli Sacerdoti prodeſſe. Idem ſanciunt plures Juris Canonici textus, in quibus Sacerdoti celebranti præcipitur offerre Sacrificium pro illis, pro quibus illud offerre tenetur, nè contrà Juſtitiam privet eos beneficiis, & fructibus Sacrificij Miſſæ.

Paulus in Epiſt. ad Heb. cap. 5. manifeſtè docet hanc veritatem, his verbis: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis;* Ex quibus facilè infertur, Miſſæ Sacrificium poſſe pro delictis, & peccatis hominum offerri; cùm Pontifex

Hebr. 5. ex hominibus aſſumptus, & conſtitutus in his, quæ ſunt ad Deum, nullum aliud habeat Sacrificium Deo offerendum, quàm Sacrificium Eucharistiæ, ſeu Miſſæ, quod minimè Taurorum, Hircorum, aut Vitulorum eſt, ſed Chriſti, qui ſemel ſeipſum velut Hoſtiam obtulit pro peccatis noſtris, & voluit quotidiè offerri à Sacerdotibus. Hinc eſt quòd idem Apoſt. cap. 7. ejuſdem Epiſtolæ verſ. 27. affirmat, Sacerdotes habere quotidiè neceſſitatem prius pro ſuis delictis Hoſtias offerendi, deindè pro peccatis populi, Chriſtum autem non habere eam, quia hoc fecit ſe-

Ibidem 7. mel ſeipſum offerendo in cruce. Profectò hæc neceſſitas Sacerdotum noſtrorum probat Sacrificij Euchariſtici oblationem, nedùm eſſe utilem peccatoribus; ſed etiam neceſſariam; cùm ſit neceſſitas offerendi Hoſtiam pro peccatis remittendis. Et prorsùs neceſſè ſit quòd peccata remittantur, ut valeamus ad vitam æternam pervenire, quoniam nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.

Nec mirari debent Hæretici in hoc. Nam Sacrificia Legis naturæ proficiebant non ſolum offerentibus, *Job. 1* ſed etiam illis, pro quibus offerebantur, ut teſtatur Job. cap. 1. ubi legitur quòd per ſingulos dies pro Filijs ſuis Sacrificia offerebat, né fortè peccaſſent, ibi enim verſ. 5. habetur: *Cumque in orbem tranſiſſent dies convivij, mittebat ad eos Job, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculò offerebat Holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim: né fortè peccaverint Filij mei, & maledixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Job cunctis diebus.* Sacrificia etiam Legis ſcriptæ non ſolum proderant Sacerdoti ſacrifi- *Levit. 4.* canti, ſed & illis pro quibus offerebantur, ut conſtat ex lib. Levit. cap. 4. verſ. 3. & ſequentibus, ubi Deus præcepit multas oblationes pro peccatis, quarum aliquæ erant pro peccato Sacerdotis, aliæ pro peccato Principis, & aliæ pro peccatis populi, ideoque mirari non debent Hæretici, ſi Sacrificium Miſſæ offeratur, & proſit peccatoribus, cùm ſit multò præſtantius omnibus alijs Sacrificijs à Patribus noſtris, tam in Lege naturæ, quàm in Lege ſcripta Deo Patri oblatis, ut ex dignitate ipſius Victimæ conſtat, pariter & ex adoratione quæ debetur illi, ut teſtatur Alexander *Alexander* Papa & Martyr in Epiſtola quadam, quam miſit ad *Papa.* omnes Fideles, ubi loquens de oblationibus corporis, & ſanguinis Domini, quæ in Miſſa Deo Patri offeruntur à Sacerdote, inquit: *Crimina atque peccata, oblatis his Domino Sacrificijs, delentur, idcircò, & Paſſio ejus in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda, talibus enim Hoſtijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in Sacrificijs majus eſſe poteſt, quàm corpus & Sanguis Chriſti, nec ulla oblatio hâc potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda, & ſicut potior eſt cæteris, ità potiùs excoli, ac venerari debet*; Ex quibus ſequitur, Sacrificium Miſſæ nedùm eſſe præſtantiſſimum, & ſuper omnia extollendum atque venerandum, ſed etiam utiliſſimum omnibus hominibus, & per conſequens pro hominibus offerendum. Offertur in memoriam Paſſionis, quæ cùm fuerit redemptio peccatorum, Miſſa, quæ eſt ipſius memoria, debet aliquam in gratiam peccatorum habere virtutem in ordine ad conſolationem, & ſanctificationem animarum.

Hujus Sanctiſſimi Miſſæ Sacrificij utilitatem probat Traditio Apoſtolica hucuſque in Eccleſia Chriſti *Argumentum traditione deductum.* inviolabilitèr obſervata, ut patet ex Lyturgijs Sanctorum Jacobi, Matthæi, & Marci. Et ex cap. 2. ſeſſ. 22. Concilij Tridentini circà finem, ubi de hoc Sacrificio dicitur; *Quare non ſolùm pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè, juxtà Apoſtolorum traditionem, offertur.*

Eadem Traditio firmatur teſtimonio Clementis Romani lib. 8. conſtitut. cap. 9. ubi ille Summus Pontifex Doctrinâ & Sanctitate clarus, docet, nos habere praxim offerendi Miſſæ Sacrificium ab Apoſtolis, qui illud in remiſſionem peccatorum obtulerunt.

Idem ſuadetur authoritate Patrum, ſcilicet Tertulliani lib. de Corona militum, cap. 3. S. Cypriani lib. *Clemens Papa.* 1. Epiſtola 9. & aliorum, quorum verba non refero nè offendam brevitatem cui ſtudeo, contentus adducere ea, quæ ſunt D. Chryſoſtomi homil. 3. in Epiſt. ad Philippenſes circà finem, quæ ſunt hæc: *Non fruſtra inſtituerunt Apoſtoli, ut cùm tremenda Myſteria celebrantur, fieret eorum commemoratio, qui ex hac vita de-* *D. Chryſoſtomus.* *ceſſerunt. Sciebant enim magnum indè lucrum, multamque utilitatem his provenire, cùm enim adſit populus univerſus, & collegium Sacerdotale manus attollat, & coram eo poſita ſit tremenda Hoſtia, quomodo iram Dei non placabimus*

Digitized by Google

pro illis orantes. Licet autem ibi loquatur de Fidelibus defunctis, tamen eadem ratio pariter viget pro vivis. Hinc eſt quòd Eccleſia hoc offert Sacrificium pro vivis & defunctis, ut colligitur ex Offertorio Miſſæ. Et certò rationi conſentanea eſt hæc inſtitutio, nam cùm Miſſæ Sacrificium ſit bonum Eccleſiæ à Chriſto relictum per legitimos Miniſtros diſpenſandum, debet pro omnibus Fidelibus Deo offerri, ut nullus ab ejus fructu, & utilitate arceatur, niſi per condemnationem aliquam præciſus ſit à participatione bonorum ſpiritualium ipſius Eccleſiæ, qualis eſt excommunicatus nominatim à Judice Eccleſiaſtico denuntiatus, pro quo Euchariſtiæ Sacrificium nequit offerri, ut conſtat ex Jure Canonico. Extra. de ſent. excomm.

§. II.

De ſolutione ad Argumenta Hæretica.

Primum Lutheri argumentum.

LUtherus duo profert argumenta, quibus probare conatur, Miſſam non poſſe offerri pro peccatis, nec poſſe prodeſſe vivis, aut defunctis, ſed ſoli Sacerdoti. Primum eſt per comparationem, illud enim ſic efformat. Communio unius Laici non poteſt prodeſſe alteri, ergo (inquit) Miſſa Sacerdotis non poteſt prodeſſe populo, quoniam in ipſa Sacerdos communicat, & corpus Chriſti ſumit, ſicut Laicus in communione. Aliud verò eſt iſtud ſub hac ſimilitudine confectum.

Aliud ejuſdem Hæretici argumentum.

Unus homo non poteſt pro alio baptizari, nec pro alio uxorem ducere: ergo (inquit) nec unus homo poterit pro alio offerre corpus, & ſanguinem Domini, cùm Euchariſtia, quæ in Miſſa conficitur, & a Sacerdote ſumitur, ſit Sacramentum novæ Legis (ſicut Baptiſmus, & Matrimonium) à Chriſto Domino inſtitutum pro ſanctificatione illius, à quo ſumitur.

At hæc argumenta facilè diſſolvi poſſunt. Nam quoad primum, obſervandum eſt, quòd maxima eſt differentia inter Sacerdotes, & Laicos. Sacerdos dum Miſſam celebrat, facit quod Chriſtus fecit in Cœna

Solutio ad primum argumentum Lutheri.

noviſſima, hoc eſt, ex pane conficit corpus Chriſti, illudque obtulit Deo Patri, ſicut Chriſtus poſt Cœnam, ſeu in ara Crucis obtulit ſeipſum; Laici verò dum communicant, faciunt tantum quod tunc, ſeu in Cœna noviſſima fecerunt Apoſtoli, hoc eſt, de manu Chriſti acceperunt Euchariſtiam, quam in Miſſa recipiunt Laïci de manu Sacerdotis, à quo recipiunt idem corpus, quod Apoſtoli receperunt de manibus Chriſti. Undè ſicut nullus poteſt dicere, nec affirmare Conſecrationem à Chriſto factam in ultima Cœna, nullo modo nobis prodeſſe, eo quod unus Apoſtolus accipiens corpus Chriſti, nihil altero Apoſtolo profuit, ità nec poteſt dicere Sacrificium Miſſæ, aut Euchariſtiæ conſecrationem nulli prodeſſe, ſed tantum ipſi Sacerdoti, eo quod unus Laïcus non poteſt pro alio communicare, nec communio unius alteri proficere, imò omnes debemus dicere, & affirmare, Sacrificium à Sacerdote oblatum in Miſſa, prodeſſe omnibus illis, pro quibus offertur, ſicut conſecratio Chriſti profuit omnibus hominibus, pro quibus fuit inſtituta Euchariſtia, quia Sacerdos, ut jam dixi, tenet locum Chriſti, dum celebrat & facit quod Chriſtus fecit, eique facere præcepit Luc. 22. dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, Miſſæ Sacrificium prodeſt omnibus illis, pro quibus offertur, licet Communio proſit tantum communicanti, quia in Miſſa, præter Communionem, habetur oblatio Hoſtiæ pro populo.

Solutio ad aliud argumentum Lutheri.

Quoad aliud argumentum Lutheri. Dico quòd Sacramenta non ſunt omnia virtute & poteſtate æqualia, licet omnia ſint ab uno, eodemque inſtitutore, utpotè à Chriſto, qui inſtituit ea, idcircò cùm Euchariſtiæ Sacramentum plurimùm reliqua omnia dignitate, & poteſtate ſua antecedat, ſex alia non ſunt illi ità comparanda, ut de ipſis diſcurrendum ſit, ſicut de Euchariſtia, ac proindè celebratio Miſſæ poteſt Sacerdoti, & alijs prodeſſe: quamvis Baptiſmus, & Matrimonium uni tantùm proſint, illi ſcilicet, qui recipit ea, quoniam non habent rationem Sacrificij, quod præter offerentem, reſpicit illum pro quo offertur, & ſic utrique prodeſt. Baptiſmus autem, & Matrimonium ſunt purè Sacramenta, quæ ſuos producunt effectus, ſuaque tribuunt beneficia illis, à quibus recipiuntur.

Deindè ſi hæc reſponſio non placeat Luthero, nec alijs Hæreticis exiſtimantibus, omnia novæ Legis Sacramenta eſſe æqualia. Dico quòd argumentum Lutheri non valet. Nam ſi eſſet validum, & paritas eſſet admittenda, ſequeretur quòd Sacerdos celebrans non poſſet Euchariſtiam à ſe conſecratam ſuſcipere, ſed neceſſè eſſet quòd illam à manu alteri Sacerdotis acciperet, quia nullus Sacerdos poteſt ſeipſum abſolvere, nec ullus homo poteſt ſeipſum baptizare, quamvis quilibet homo ſit Baptiſmi Miniſter, ſaltem extraordinarius, ſicut quilibet Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti Euchariſtiæ. Sed falſum eſt (etiam in ſententia Lutheri) quòd Sacerdos non poſſit ſuſcipere Hoſtiam à ſe conſecratam: ergo argumentum non valet, & Sacrificium Miſſæ poteſt prodeſſe alteri à Sacerdote, qui ſumit Victimam Deo Patri oblatam, licet Baptiſmus proſit tantum ſuſcipienti illum. Et in Matrimonio nullus poſſit ducere uxorem niſi pro ſeipſo.

Impugnantur argumenta Lutheri ex abſurdo quòd ſequeretur.

Hinc eſt quod Catechiſmus Romanus part. 2. cap. 5. num. 61. ait; *Ut enim quoad contritionem, & confeſſionem attinet, nemo pro altero dolere, aut confiteri poteſt, ità qui divinà gratiâ prædita ſunt, alterius nomine poſſunt quod debetur perſolvere, quo re fit, ut quodam pacto, alter alterius onera portare videatur; nec verò de hoc cuiquam Fidelium dubitandi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo, Sanctorum Communionem confitentur.*

Catechiſmus Romanus

Ex quibus verbis conſtat juxtà plurium Doctorum mentem, Miſſæ Sacrificium poſſe communicari, & prodeſſe multis; cùm non ſit in materia doloris, & confeſſionis, & per ipſum nobis, & alijs applicetur fructus Paſſionis Chriſti, quæ ex opere operato, adjuvat & proficit. Dolor autem, Confeſſio, Baptiſmus &c. ſunt media à Deo ità inſtituta in remiſſionem peccati, ut remittant illud ei, in quo ſunt. Et Sacrificium Miſſæ inſtitutum fuit, ut Deo offeratur in remiſſionem pœnæ eorum, pro quibus offertur. Hoc inſinuat Apoſtolus ad Hebr. cap. 7. verſ. 27. dicens Sacerdotes noſtros habere neceſſitatem quotidie priùs pro ſuis delictis Hoſtias offerre, deindè pro populi: hæc quidem neceſſitas offerendi Hoſtias, tendit ad remiſſionem peccatorum.

ARTICULUS XL.

Statuit contra Berengarium, Tranſſubſtantiationem.

BErengarius Eccleſiæ Andegavenſis Archidiaconus (de quo jam locuti ſumus) poſt abjuratam illam ſuam primam Hæreſim circa realem exiſtentiam corporis Chriſti, ſub ſpeciebus Sacramentalibus, incidit in aliam, dicens, in Euchariſtia poſt conſecrationem remanere integram ſubſtantiæ panis, & vini naturam, conjunctam accidentaliter corpori Chriſti, eo modo, quo unum ſuppoſitum poteſt localiter conjungi alteri. At licet poſteà hanc abjuraverit hæreſim, & crediderit Tranſſubſtantiationem, ſeu converſionem panis & vini, in corpus & ſanguinem Chriſti, ut de ipſo teſ-

tantur plures Scriptores fide digni, tamen dicendum eſt, Berengarium fuiſſe hujus hæreſis Primipilum, & *Voicleffus. Huſſita.* Inventorem. Et quod ſi ipſe eam abjuraverit, hæreſis tamen adhuc vivit in Hæreticis, qui ipſum Berengarium ſunt ſecuti. Nam Joanes Voicleffus natione Anglus, & Joannes Hus in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnati, erroneam Berengarij ſententiam ab inferis ſuſcitarunt tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis VI. Papæ, circà annum Domini MCCCLII. Docuerunt enim ſubſtantiam panis, & vini in Sacramento Altaris permanere, & accidentia panis non ſubſiſtere ſine ſubjecto, ſuſtinuerunt.

Hanc erroneam ſententiam ſimili audacia docuerunt Lutherani, duce Martino Luthero, qui licet ini- *Lutherani.* tio diſſeminatæ ſuæ hæreſis fluctuaret, circa aſſerendam, vel negandam tranſſubſtantiationem panis in carnem, & vini in ſanguinem Chriſti, permitteretque affirmantem ſententiam, tamen impudentior poſtmodum factus anno MDXXII. in Dogma datum Chriſtianis, quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem, impio calamo pronuntiavit Blaſphemiam, & ſcripſit librum contra Henricum Angliæ Regem, (qui hujus novi Hæreſiarchæ impia Dogmata ſcriptis & ſupplicijs extirpare fuerat aggreſſus) in quo quidem libro docuit in Eucbariſtia poſt factam Conſecrationem, manere eumdem panem, qui ante Conſecrationem ibidem erat. Hac ratione motus, ſcilicet quia ſæpe in novo Teſtamento, hoc Sacramentum appellatur panis. Hæc tamen ratio nulla eſt, ut videbimus infra in reſponſionibus ad Hæreticos habendis.

Error Joannis Pariſienſis. Plures Scriptores referunt, quemdam virum dictum Joannem Pariſienſem, eumdem errorem docuiſſe) licet alio modo à Lutheranis longè diverſo uteretur) dicebat enim, teſte Thoma Uvaldenſi, tom. 2. de Sacramentis cap. 65. panem Eucbariſtiæ aſſumi Hypoſtaticè à verbo, eo prorſus modo, quo natura humana à Verbo aſſumpta eſt in unitate perſonæ abſque ulla confuſione ſubſtantiæ, ex quo ſequitur, panem eſſe corpus Chriſti per communicationem idiomatum, ſicut in Chriſto homo eſt Deus; quin tamen corpus in Euchariſtia ſit verè, formalitèr, & ſubſtantialitér corpus humanum, neque carneum, ſed panaſſeum. Quoniam verbum divinum per verba Conſecrationis non aſſumit panem, mediante toto Chriſto, ſicut in Incarnatione aſſumpſit omnes partes eſſentiales hominis, ſed ſolum mediante Chriſti corpore. Unde ſicut Æthiops non dicitur abſolutè albus, quia non eſt albus in toto corpore, ſed ſolum in dentibus. Ita (inquiebat Hæreticus ille) licet verbum aſſumat panem, tamen Deus non debet dici abſolutè panis, nec panis converſus in corpus Chriſti, quia panis non conjungitur verbo, niſi mediante parte humanitatis Chriſti, ſcilicet niſi mediante corpore. Unde ſicut in Chriſto eſt verus Deus, & verus Homo ſine tranſſubſtantiatione, aut converſione humanitatis in divinitatem, aut divinitatis in humanitatem, ità in Euchariſtia eſt verum Chriſti corpus, & verus panis abſque ulla tranſſubſtantiatione, aut converſione panis in carnem Chriſti, & vini in ſanguinem.

§ I.

Firmatur Dogma Catholicum Authoritate Eccleſiaſtica.

Circa hanc hæreſim plura Concilia clamant, & affirmant, in Euchariſtia nullam eſſe ſubſtantiam præter ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, *Lateranenſe IV.* quia panis convertitur in ſubſtantiam carnis, & vinum in ſubſtantiam ſanguinis Domini, ut patet in Conciliis, in quibus damnata, & fulminata fuit hæreſis Berengarij, ſed ea omitto, quia ſufficit hic afferre duo Generalia, quorum primum eſt Lateranenſe IV celebratum ſub Innocentio III. ubi legitur: *Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extrà quam nullus omninò ſalvatur, in qua idem ipſe Sacerdos, & Sacrificium Jeſus-Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veracitér continetur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina, ut ad perficiendum Myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.*

Aliud eſt Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. ubi habetur. *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter, corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò Sancta* *Tridentin.* *hæc Synodus declarat, per Conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus: quæ converſio convenientèr & propriè à Sancta Eccleſia Catholica, Tranſſubſtantiatio eſt appellata.*

Idem expreſſè declaratur in can. 2. ejuſdem ſeſſionis ubi Patres ejuſdem Concilij Satanæ tradunt, ſeu anathematizant eos, qui hanc veritatem negant; ibi enim ſic loquuntur: *Si quis dixerit, in SacroSancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini, unà cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti; negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxát ſpeciebus panis & vini, quamquidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſſubſtatiationem appellat: Anathema ſit.*

§. II.

Firmatur Dogma Catholicum Authoritate Sacra Scriptura.

HÆc veritas manifeſtè probatur ex verbis, quibus hoc Sacramentum conficitur, nimirùm. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, hæc enim verba non eſſent vera, ſi non eſſet vera Tranſſubſtantiatio panis & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, quia ut pro- *Panis convertitur in corpus Chriſti.* nomen demonſtrativum, *Hoc*, ſit verè demonſtrativum corporis Chriſti, neceſſè eſt quòd indigitet omnem ſubſtantiam manducandam, aut omnem ſubſtantiam ſub accidentibus latentem, eſſe corpus Chriſti; alioquin nulla eſſet identitas inter prædicatum, & ſubjectum, omnis enim prædicatio de alio, ſupponit identitatèm, vel unionem attributi, ſeu prædicati cum ſubjecto, ut docent omnes Logici: panis autem & corpus Chriſti ſunt res omninò diſparatæ, nec inter ſe ulla identitate, vel unione copulantur in Euchariſtia, ut eſt manifeſtum, cùm ibi Chriſtus ſit impaſſibilis, & inextenſus, necnon incapax omnium accidentium, atquè formarum extrinſecùs advenientium: ergo pronomen, *Hoc* ſignificat quod res, quam Chriſtus dedit Apoſtolis ad manducandum, dicens: *accipite, & manducate:* non eſt ſubſtantia panis, nec eſt panis, ac corpus Chriſti ſimul, non duo quippè, ſed unum dumtaxat ſignificat pronomen, *Hoc*, quod eſt corpus Chriſti, cùm non dixerit, accipite & manducate, hoc quod do eſt panis, neque hîc eſt panis, ſed, hoc eſt corpus meum, ac proindè id quod Chriſtus dedit ad manducandum, non eſt ſubſtantialitér panis, ſed ſubſtantialitér caro in quam converſa eſt ſubſtantia panis, quæ erat ante conſecrationem.

Inſuper id, quod datum fuit Apoſtolis ad manducandum, eſt id, quod datum fuit Judæis ad crucifigendum. Et id, quod dedit ad bibendum, eſt id, quod effundi debebat in remiſſionem peccatorum, ut probant hæc verba, quæ immediatè ſequuntur; *Quod pro vobis tradetur. Qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*; ſed panis nullo modo datus fuit ad crucifigendum, nec vinum fuit effuſum in remiſſionem

peccatorum, ut eſt evidens: Ergò in Euchariſtia nullo modo remanet ſubſtantia panis, nec ſubſtantia vini, ſed ſolùm Corpus & Sanguis Chriſti, remanentibus dumtaxàt panis & vini accidentibus; converſio enim hæc non eſt accidentium in accidentia, ſed ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſcilicet panis in Carnem, & vini in Sanguinem, quia hæc propoſitio, *Hoc eſt Corpus meum*, eſt vera & practica, & demonſtrat rem in quam cadit, nihil aliud eſſe ſubſtantialitèr, quàm Corpus illius de quo recitantur; nimirùm quàm Caro Chriſti, de quo Sacerdos celebrans, ait: *Qui pridie quàm pateretur.*

Undè D. Ambroſius relatus in Can. 74. de Conſecrat. diſt. 2. ut hanc veritatem confirmet, ait: *D. Ambroſ.* Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, & quia voluit, licet figura panis, & vini hìc ſit omninò nihil aliud, quàm Caro Chriſti, & Sanguis poſt conſecrationem credenda ſtent, undè ipſa veritas ad Diſcipulos, hæc inquit: *Caro mea verè eſt cibus, Caro mea eſt pro mundi vita.* Et ut mirabiliùs loquar non alia planè, quàm quæ nata eſt de Maria, & paſſa in Cruce, & reſurrexit de Sepulchro; hæc inquam ipſa eſt, & ideò Chriſti Caro eſt, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur, & cùm dignè percipitur, vitam utique æternam in nobis operatur. Panem quidem iſtum, quem ſumimus in Myſterio, illum utique intelligo panem, qui manu ſuâ Spiritus formatus eſt in utero Virginis, & igne Paſſionis decoctus in ara Crucis; panis enim Angelorum factus eſt cibus hominum, undè ipſe ait: *Ego ſum Panis vivus qui de cœlo deſcendi.* Et item, *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.* Ex his namque duabus ſententiis manifeſtè datur intelligi, quia panis iſte, & ille, non ſunt duo, ſed unus Panis & una Caro, proculdubiò unum corpus efficitur, illud verè, illud ſanè quod ſumptum eſt de Virgine, quod paſſum eſt & ſepultum; quod reſurrexit, & in cœlum aſcendit, & ſedet ad dexteram Dei Patris, quod venturus eſt judicare vivos & mortuos. Ità Ambroſius, qui ſic loquendo, manifeſtè declarat, Panem quem in Euchariſtia manducamus, eſſe ità purum corpus Chriſti, ut in ipſa Euchariſtia nulla ſit ſubſtantia Panis.

Non valet dicere quòd idem Sanctus Doctor tenet oppoſitum in lib. 4. de Sacrament. cap. 4. ubi ait: *Si tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quantè magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant.* Ex quibus ſequitur D. Ambroſium, velle miracula non eſſe in converſione panis in corpus Chriſti, ſed in conjunctione utriuſque in Euchariſtia.

Non valet (inquam) quia ibi loquitur de his, quæ priùs erant ſecundùm viſibilem ſenſibilium accidentium ſpeciem, quæ adhuc remanent; licet non remaneat intrinſeca panis & vini ſubſtantia, quæ hujuſmodi ſpecies & accidentia ſuſtentat, antéquam mutetur in Corpus, & Sanguinem Chriſti ut meritò obſervat Lancfranchus. Quia in eodem capite ipſe D. Ambroſius affirmat Tranſſubſtantiationem. Ibi enim ait, ut legitur in Lectionibus ſecundi Nocturni, quæ recitantur feriâ quartâ Octavæ Sanctiſſimi Sacramenti: *Meus Panis eſt uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit Conſecratio, de pane fit Caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, Corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo deferunt; oratio præmittitur pro Populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti: ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? nempè is; quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus, & factum eſt Cælum: juſſit Dominus, & facta eſt Terra: juſſit Dominus, & facta ſunt Maria: juſſit Dominus, & omnis Creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, ut quæ erant, in aliud commutentur? Cælum non erat, Mare non erat, Terra non erat. Sed audi dicentem: Ipſe dixit, & facta ſunt: Ipſe mandavit, & creata ſunt. Ergo tibi ut reſpondeam, non erat Corpus Chriſti ante Conſecrationem: ſed poſt Conſecrationem dico tibi quod jam Corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt; Ipſe mandavit, & creatum eſt.* Nihil ſanè clarius dici poteſt, ut appareat D. Ambroſium docuiſſe Tranſſubſtantiationem, quam contra Hæreticos defendimus.

Idem S. Doctor.

Eidem Sententiæ favet Haymo, Vir Illuſtris inter Theologos, qui in Comment. ſuper Paulum exponens illud. 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus,* inquit: *Caro, quam Verbum Dei Patris aſſumpſit in Utero virginali in unitate ſuæ Perſonæ. Et panis qui conſecratur in Eccleſia, unum Corpus Chriſti ſunt; ſicut enim illa Caro Corpus Chriſti eſt, ità iſte panis tranſit in Corpus Chriſti, nec ſunt duo corpora, ſed unum corpus: Divinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illo, replet & iſtum panem, & ipſa Divinitas Verbi, quæ implet Cælum & Terram, & omnia quæ in eis ſunt, ipſa replet Corpus Chriſti, quod à multis Sacerdotibus per univerſum Orbem ſanctificatur, & facit unum Corpus Chriſti eſſe, & ſicut ille Panis & Sanguis in Corpus Chriſti tranſeunt; ità omnes, qui in Eccleſia Dei dignè comedunt illud, unum Corpus Chriſti ſunt, ſicut Ipſe dicit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ex quibus facilè conjicitur, in Euchariſtia non eſſe duo corpora, aut duas ſubſtantias, ut potè panem, & corpus Chriſti, neque vinum virigineum, & Sanguinem ipſius, ſed tantùm unam ſubſtantiam, aut unum corpus, videlicèt corpus Domini, quod eſt ſub illis ſpeciebus ſub quibus erat panis ante conſecrationem; Conſecratio enim debet aliquam mutationem facere, non in accidentibus, aut ſpeciebus cùm remaneant, igitur facit illam in ſubſtantia, convertendo eam, ſcilicet in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Domini. *Haymo.*

Idem clariori modo exprimit S. Eucherius Lugdunenſis homil. 5. de Paſchate, ubi ait: *Inviſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam Corporis & & Sanguinis ſui, verbo ſuo ſecretâ poteſtate convertit...... ut tibi novum & impoſſibile non debeat videri quod in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutentur, quando benedicenda verbis cæleſtibus creatura ſacris Altaribus imponuntur, antequàm invocatione ſummi Numinis conſecrentur, ſubſtantia eſt illis panis & vini, poſt verba autem Chriſti, Corpus & Sanguis eſt Chriſti. Quid mirum autem ſi ea, quæ verbô creare potuit, poſſit creata convertere? Imò jam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, jam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei poſſit eſſe difficile, cui facile fuit, viſibilia & inviſibilia voluntatis imperio ſuſcitare.* Sanè nihil clarius dici poteſt, ut confundatur Lutherus, qui in lib. de Captivit. Babylon. ait: Tranſſubſtantiationem eſſe portentoſum ſomnium Patribus antiquis ignotum, & à Presbyteris Romanis inventum, cùm Patres citati ſint Antiquiſſimi, & ea quæ dixerunt non poſſint figmentum novum reputari. *Eucherius Lugdunenſ.*

Sed non parùm juvat afferre teſtimonium D. Auguſtini ad majorem confuſionem Lutheri, ille ergò S. Doctor lib. 1. contra Adverſarios Legis, & Pro-

Digitized by Google

phetæ, inquit: *Quod eſt ſacratiùs laudis Sacrificium in quo Dominus honorificatur, quàm quod eſt in gratiarum actione. Hinc Dominus Panem, & Calicem accipiens, gratias egit, & panem in Corpus ſuum, & vinum in Sanguinem commutando, Patri Sacrificium gratiarum actionis obtulit. Et Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in Sacerdotio idem Sacrificium in gratiarum actionem offerre conſimili actione, inſtituit.* Ex quibus etiam patet, D. Auguſtinum noſtram docuiſſe ſententiam, ut ſuadet hæc particula, *commutando*, quæ denotat converſionem, aut Tranſſubſtantiationem panis in Carnem, & vini in Sanguinem Chriſti.

D. Auguſt.

Idem ſentiunt omnes Sancti Patres quorum verba referre videtur mihi ſuperfluum. Tùm quia dicta, debent ſufficere. Tùm quia licèt verba citandorum Patrum ſint diverſa, eumdem tamen ſenſum habent, & Tranſſubſtantiationem affirmant.

§. III.

Solvuntur Argumenta contraria.

D. Cyrillus Jeroſolymit.

Dicent Hæretici, plures Sanctos Patres rejeciſſe Tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, & vini in Sanguinem, velut rem novam & inauditam, & præſertim S. Cyrillus Jeroſolymit. qui in Catech. 3. docet, panem Euchariſtiæ poſt invocationem Sancti Spiritûs, non eſſe amplius panem communem, ſed corpus Chriſti, ſicut ſanctum Unguentum poſtquam conſecratum eſt, non eſt ampliùs unguentum commune & nudum, ſed ſanctum Chriſma. Undè (inquiunt) ſicut Chriſma per conſecrationem non amittit ſubſtantiam unguenti, licèt ſit verè ſacrum Chriſma. Ità Panis Euchariſticus non amittit ſubſtantiam panis per conſecrationem, quamvis Euchariſtia ſit caro Chriſti: Ergò non obſtantibus conſecratione, & præſentiâ Chriſti in Euchariſtia, eſt ſubſtantia aut natura panis, ſicut in Chriſmate eſt natura & ſubſtantia Olei.

Explicatur Paritas D. Cyrilli Jeroſolymit.

Reſpondeo, comparationem D. Cyrilli non eſſe ità intelligendam, ut mutatio adveniens unguento, & mutatio adveniens pani ſint ejuſdem rationis, ità ut panis ſubſtantia remaneat poſt conſecrationem, ſicut ſubſtantia unguenti. Nec ſignificare Euchariſtiam eſſe quid conſtans pane, & corpore Chriſti, ſicut Chriſma eſt quid conſtans oleo olivarum, & Balſamo. Nam ille S. Doctor ſolùm intendit quòd ſicut unguentum poſt conſecrationem, ſanctitatem acquirit, nec eſt quid profanum, ſed ſanctum Chriſma, ità panis non eſt panis uſualis poſt conſecrationem, ſed corpus Chriſti. Hinc eſt quod non dixit, Unguentum poſt conſecrationem eſſe Spiritum Sanctum, vel corpus Chriſti. Sed dixit quòd panis poſt conſecrationem eſt corpus Chriſti.

Hanc eſſe mentis D. Cyrilli patet ex his, quæ dixit in Catecheſi quartâ. *Cùm igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane, Hoc eſt Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, ac dicente; Hic eſt Sanguis meus, quis inquam dubitat, ac dicat non eſſe illius Sanguinem? Aquam aliquandò mutavit in vinum, quod eſt Sanguini propinquum, in Cana Galilea ſolâ voluntate, & non erit dignum cui credamus, quod vinum in Sanguinem tranſmutaſſet; quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis, datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini, datur Sanguis, ut ſumpto Corpore & Sanguine Chriſti, efficiaris ei particeps Corporis & Sanguinis.* Reverà D. Cyrillus ibi probat realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſed hoc non obſtante, probat etiam Tranſſubſtantiationem, ut denotat hæc particula, *in ſanguinem tranſmutaſſet, & ſub ſpecie panis datur tibi corpus*, quoniam oſtendit nihil de pane remanere præter ſpeciem ejus, & accidentia.

Inſtabunt. Dum Chriſtus dicit: *Ego ſum Vitis vera*; nullam converſionem exprimit, juxtà Sanctos Patres: Ergò dum dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, nullam Tranſſubſtantiationem ſignificat. Nego paritatem, quia per hæc quæ ſequuntur, ſcilicet, *& vos palmites*, demonſtratur, ibi Chriſtum loqui figurativè. Sed dum dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, ſtatim addidit, *quod pro vobis tradetur*; quibus conſtat tunc locutum fuiſſe verè & realitèr, & per converſionem unius ſubſtantiæ in aliam, hoc factum fuiſſe, quoniam quod pro nobis traditum fuit, non eſt figura, ſed verum & reale corpus.

Inſuper objiciunt Theodoretum, qui Dialogo primo ait: *Symbola quæ videntur, appellatione Corporis & ſanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, ſed naturæ gratiam adjiciens.* Et Dialogo ſecundo, ait: *Neque ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura; manent enim in priori ſubſtantia, & forma, & videri, & tangi poſſunt, ſicut prius*: Ergo (inquiunt) in Euchariſtia remanet natura panis & vini, quamvis poſt conſecrationem in eadem Euchariſtia ſint Corpus & Sanguis Chriſti, ſubindéque nulla ſit Tranſſubſtantiatio per verba ſacramentalia.

Theodoreti.

Reſpondetur, hanc authoritatem Theodoreti non nocere, tùm quia intendit ſignificare quod eadem accidentia, eadem forma, & figura prioris ſubſtantiæ, ſeu panis & vini remanent poſt utriuſque conſecrationem, & converſionem, ut optimè notat Cardinalis Perronius, quia Theodoretus loquitur de ſignis, & vult quòd non recedant à ſua natura, hoc eſt, quod remaneant eadem, non verò quòd ſubſtantia ſeu panis, cujus ſunt, remaneat in ſua natura. Quia Theodoretus de Neſtorianiſmo ſuſpectus fuit, ut notant plures celeberrimi Doctores, ideóque dum de Euchariſtia loquitur, eſt cautè audiendus. Undè ſi Hæretici nolint primam reſponſionem recipere, nec nos volumus Theodoretum audire.

Explicatur Theodoretus.

Addent authoritatem Gelaſii, qui in lib. 2. de duabus in Chriſto Naturis contra Eutychem, & Neſtorium edito, ſic habet *Sacramenta, quæ ſumpſimus Corporis & Sanguinis Chriſti, divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen non deſinunt ſubſtantia, vel natura panis & vini.* Igitur ex illo Summo Pontifice, nulla fit panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti Tranſſubſtantiatio.

Gelaſius.

Reſpondetur Librum illum de duabus in Chriſto Naturis, non eſſe Gelaſii Papæ, ut notant celeberrimi Scriptores, ſed alterius Gelaſii Cæſarienſis Græci, cui non eſt adhibenda fides, ſaltèm quantum ad ea, quæ favent Eccleſiæ Græcæ Schiſmaticis & Hæreticis. quos hîc impugnamus. Hujus rei Argumentum eſt. Quia opus de duabus in Chriſto Naturis à Gelaſio Papa ſcriptum, quodve ipſi Gelaſio tribuunt plures Hiſtorici, eſt grande volumen diviſum in quinque Libros, ut teſtantur Gennadius, Honorius Auguſtodunenſis, & Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Gelaſii. Opus autem undè locus objectus eruitur, eſt libellus exiguus de quo nullum habemus Argumentum; nec in Hiſtoria Eccleſiaſtica veſtigium, quo valeamus illud Gelaſio Papæ attribuere, aut quo valeamus dicere, Gelaſium illa duo opera de duabus in Chriſto Naturis edidiſſe, nullius igitur authoritatis eſt Liber contra nos citatus.

Liber citatus non eſt Gelaſii Pap.

Nec valet dicere quod Eccleſia Lugdunenſis lib. de tribus Epiſtolis meminerit libri cujus titulus eſt: *De duabus in Chriſto Naturis.* Ratio hujus nullitatis eſt.

Quia liber ille, quem Eccleſia Lugdunenſis commendat, non eſt ille, qui nobis objicitur, ſed alter, qui licet ſit Gelaſii Papæ, non eſt contra nos, quia talia verba non continet, ut jam monui ſuprà, fretus authoritate plurium Doctorum, quibus non adhibere fidem, nefas eſt.

Tandem objiciunt Hæretici, & præſertim omnes Lutherani, nonnullos Sacræ Scripturæ textus, in quibus Euchariſtia dicitur panis & vinum: Indé enim concludunt, in Euchariſtia remanere ſubſtantiam panis & vini; alioquin hujuſmodi locutiones eſſent impropriæ, & falſæ. Quia accidentia panis non poſſunt verè dici panis, & præſertim in Evangelio, quô Deus docet nos veritatem, cùm ibi non loquatur nobis in parabolis & figuris, ſed in Filio.

Ultima Hæreticorum ratio.

Reſpondeo verum eſſe, in Sacra Scriptura, Euchariſtiam dici panem, ut conſtat ex illo D. Pauli 1. ad Corinth. cap. 11. *Quotieſcumque manducabitis Panem hunc*, & ex aliis locis Evangeliorum. At indè non poteſt rectè concludi, ſubſtantiam panis remanere in Euchariſtia cum corpore Chriſti, ſeu non poteſt dici nullam eſſe Tranſſubſtantiationem. Nam licèt nulla ſubſiſtat in hoc Sacramento panis ſubſtantia, nullaque ſit ſubſtantia vini: tamen Euchariſtia poteſt dici panis abſque ullo errore. Hocque ſuaderi poteſt variis rationibus, ſcilicèt quia ſit ex pane tanquam præjacente materiâ, cùm Tranſſubſtantiatio ſit de ſubſtantia panis ad ſubſtantiam carnis Chriſti, ut ſæpè dictum fuit. Nec falſa dici poteſt hæc denominatio, nec indigna Sacræ Scripturæ: cum Geneſ. cap. 2. Eva dicatur os Adæ, & Exod. 7. Serpens dicatur Virga; tamen Eva non eſt ſubſtantialiter os Adæ, nec Serpens ſubſtantialitèr Virga, ſed ſic nominantur, quia Eva facta fuit ex oſſibus Adæ. Et Serpens ex Virga: Ergò Euchariſtia poteſt dici panis, quia ſubſtantia panis converſa fuit in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem ejus; quamvis nullatenùs contineat ſubſtantiam panis.

1. Cor. 11.

Ejuſdem rationis ſolutio.

Alia ratio eſt, quia in Euchariſtia remanent ſenſibilia panis & vini accidentia, à quibus res contenta ſub illis, poteſt ſuſcipere nomen, ut patet de Angelis, qui ſub ſpecie humana apparuerunt, quique propter hanc ſpeciem, vocantur in Sacra Scriptura, homines, quamvis non ſint ſubſtantialiter tales: Ergo Lutherani non debent mirari ſi Euchariſtia vocetur panis in Sacra Scriptura, licèt in ipſa non ſit ſubſtantia panis, cùm panis ſpeciem habeat, & ſpecies ſolitò nomen ſuum tribuat rei, quæ ſub ipſa eſt, ut probant exempla adducta.

Tandem Euchariſtia dicitur panis, quia eſt cibus ſpiritualis animæ, dicente Chriſto, Joan. 6. *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, non quod ſit panis materialis; nàm juxta phraſim Scripturæ, nomine panis ſignificatur quilibet cibus, ut colligitur ex pluribus locis, maximè verò ex Geneſ. 18. Igitur Euchariſtia poteſt dici panis; quin panem materialem & uſualem contineat, verè, realitèr & ſubſtantialitèr; quippè ut ſic nominetur, ſufficit quod ſit panis apparentèr & extrinſecè.

Joan. 6.

Hæc omnia confirmat Lancfrancus Epiſcopus Cantuarienſis, lib. de Euchariſtiæ Sacramento ubi ait: *Corpus Chriſti vocatur panis, vel quia ex pane conficitur, ſeu quia intuentium oculis, cùm caro ſit, panis videtur, ſivè quod corporali, & viſibili pani ſimilitudine quadam conjungitur. Nam ſicut iſte panis diſcretè ſumptus, humanam carnem nutrit, & ſuſtentat, ſic ſpirituale, & inviſibile corpus Chriſti animam dignè ſumentis, & alit, & vegetat.* Ibi enim ille Doctor aſſignat eaſdem rationes, ob quas Euchariſtia dicitur panis: quamvis in ſe nullam aliam contineat ſubſtantiam, præter ſubſtantiam corporis & ſanguinis Domini.

Lancfrãch. Cantuariẽſis.

ARTICULUS XLI.

Docet contrà Gnoſticos, ſolùm Panem triticeum eſſe materiam, ex qua confici poteſt Euchariſtia.

NUllum ferè eſt Fidei Catholicæ Dogma circà quod non inſurrexerint hæreſes, ſed magis deplorandæ, & execrandæ ſunt illæ, quæ inſurrexerunt circa materiam, quâ conficienda eſt Euchariſtia quoad utramque ſpeciem, panis ſcilicet, & vini. Horrendæ quidem, & abominabiles ſunt Deo, & hominibus, quia ſanctitatem & puritatem graviter offendunt. Imprimis Gnoſtici dixerunt (teſte D. Epiphanio lib. 1. adversùs hæreſes, hæreſ. 26. num. 4.) Euchariſtiæ materiam non eſſe panem uſualem, neque vinum de vite, ſed ſemen humanum voluntariè effuſum. Et menſtruum ſanguinem, ex quibus dumtaxàt poteſt (inquiebant) confici Euchariſtiâ. Hoc certè non crederem, niſi S. Epiphanium teſtem haberemus.

Gnoſtici.

Cataphrygæ, ſeu Cataphrygij à Phrygia, quam incolebant, ſic dicti, (licèt Montanum & Appellem habuerint) aliam materiam pro conficienda Euchariſtia aſſumebant velut abſolutè neceſſariam. Cataphrygæ inceperunt tempore Commodi Imperatoris, & S. Soteris Papæ, circa annum CLXXXI. & plures docuerunt errores circa Euchariſtiæ Sacramentum, ſicut Gnoſtici, & cum ipſis ſunt in eadem damnatione. Nam ſi materia, quam aſſignabant non ſit æquè impura, ſicut ea, quam aſſignabant Gnoſtici, eſt certò magis fera, cùm ut refert S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus, hæreſi 26. Sacramenta funeſta haberent: Infantis enim Agniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionibus extorquebant, quaſi Euchariſtiam ſuam conficiebant; admixtâ tamen farinâ, ſecluſâque aquâ, ut panem conficerent ad conſecrandum. Nec Parentibus diſplicebat hæc punctio, imò ipſis poſtulantibus fiebat, quia puerum indè mortuum habebant pro martyre, Superſtitem verò pro magno Sacerdote.

Cataphrygij.

Hæc hæreſis ſtatim damnata eſt à Summis Pontificibus Zepherino & Aniceto, ut refert Tertullianus lib. contra Pſychicos cap. 1. qui cùm initio adversùs Montanum Cataphrygiorum Patronum, tanquam hæreticum pugnaſſet, poſtmodum illius auſterâ & rigidâ vivendi ratione illectus, & deceptus, in ejus partes miſerè lapſus eſt, eaſque adversùs Eccleſiæ damnationem defendere ſuſcepit, exceptâ tamen eâ hæreſi, quam hîc impugnamus.

Eodem anno circa Euchariſtiæ materiam erraverunt Artotyritæ patriâ Galatæ, qui panem & Caſeum offerebant, & ex utroque Euchariſtiam conficiendam eſſe volebant, undè à nonnullis dicti fuerunt Panicaſaïſtæ. Et ab aliis Pepuziani. Ipſorum ratio erat, quia primi homines offerebant de fructibus terræ & ovium.

Artotyritæ.

Panicaſaiſtæ.

His, & aliis Hæreticis, alios nimirùm Ophitas jungit D. Auguſtinus hæreſi 7. quia habebant verum Colubrum, quem nutriebant, & venerabantur, exiſtimantes, colubrum, qui decepit Adam & Evam, eſſe Chriſtum Salvatorem hominum. Et hàc impietate moti, huic colubro, quem ſtudioſè in ſpelunca nutriebant, oblationes faciebant, & ex ipſis oblationibus à Serpente contactis, conficiebant Euchariſtiam, exiſtimantes ex nullo pane confici poſſe

Ophitæ.

hoc Sacramentom, niſi priùs fuerit ſanctificatus contactu Serpentis.

Illis Hæreticis ſucceſſerunt Cathariſtæ ſcelerum turpitudine non minùs infames, quam Gnoſtici, qui tempore Aureliani Imperatoris, & Fælicis primi *Cathariſtæ.* Papæ, circa annum CCLXXIX. dixerunt (teſte D. Augoſtino) nullo pacto ex pane, aquâ, igne confecto, poſſe confici corpus Chriſti, eò quód panem, creaturam Diaboli eſſe confiterentur. Undè (inquiebant) ut ex pane conficiatur Euchariſtia, rejicienda eſt aqua, & adhibendum eſt ſemen humanum, ut farina purificetur, ſitque propria, & debita materia ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum. Quare D. Auguſtinus propter has ciborum execrandas purificationes, eos non Catharos, quòd latinè ſonat Mundos, ſed potiùs Cathariſtas, hoc eſt, Purificatores vocat. Et meritò, quia credebant ſolum ſemen humanum eſſe mondum, & ipſo ſemine cætera eſſe purganda atque purificanda, ut ad divina Myſteria deſtinati poſſent.

Eumdem errorem Manichæis tribuit D. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 40. ubi de illis loquens, *Manichæi.* ait quòd credebant, alimenta omnia eſſe immunda propter mali principii commixtionem, eaque, quibuſdam execrandis purgationibus adhibitis, purificabant: nam (inquit) farinæ, ex qua panis pro Euchariſtia conficienda erat, humanum ſemen miſcebant, dicentes; Semine admixto farinam purificari, atque eâ ſic per ſeminis mixtionem purificata, ſacramentum execrandum conficiebant.

Circa materiam calicis, quæ ex divina Inſtitutione eſt vinum de vite, erraverunt aliqui Hæretici, quos D. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 4. vocat Aquarios, quia aquam dumtaxàt in poculo ſacramentali adhibebant, abſtinentes à vino vitigineo ex *Aquarii.* induſtria. Unde Theodoretus eos vocat Encratitas exortos ex Manichæis, qui vinum, ut fel Draconis, & veluti liquorem diabolicum execrabantur: quidquid tamen de hac re ſit, certum eſt quòd Aquarii ſunt verè Hæretici, cùm ex aqua, Sanguis Chriſti nequeat confici, ut ex infrà dicendis patebit.

Ex D. Epiphanio quidam Viri Hæretici dicti Marcitæ à Marco Valentini Hæreſiarchæ Diſcipulo, *Marcitæ.* inſurrexerunt anno CLV. tempore Antonini Pii Imperatoris, & Pii primi Summi Pontificis, qui non aquam puram, ſed aquam vino permixtam magica incantatione rubicundam efficiebant, & ex ipſa conficiebant Sanguinem Domini, & ſic ab Aquariis ſolo colore ſe diſtinguebant; tamen in ſubſtantia cum ipſis conveniebant, quia liquor ille in ſubſtantia erat aqua.

Alii Hæretici ſuppreſſo nomine in Concilio Bracarenſi III. damnati Lac loco vini offerebant. Alii Botrum pro vino apponebant juxtà idem Concilium. Alii denique ex eodem, pannum lineum muſto intinctum per totum annum reſervabant, & tempore celebrationis eum lavabant aquâ, quæ ex tincto panno ſaporem & colorem vini contrahens, offerebatur in Euchariſtiæ Sacramento, aut Sacrificio, & ſumebatur reverentèr, ac ſi fuiſſet Sanguis Domini, quamvis verè & ſubſtantialitèr eſſet aqua, quia materia calicis, eſt vinum de vite, ut infrà dicemus.

§. I.

De Canonica horum Hæreticorum Proſcriptione.

ILlas omnes erroneas, nefandas, & impias opiniones, aut ut meliùs dicam, intolerabiles hæreſes damnarunt plura Concilia, ea ſcilicèt, quæ ſanciunt, materiam conficiendi Chriſti Domini corpus eſſe Panem triticeum aquâ naturali coaleſcentem, & igne decoctum. Materiam verò conficiendi Chriſti Domini Sanguinem, eſſe vinum vitigineum. Primum eſt Concilium Apoſtolorum, Can. 3. ubi habetur: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter præter ordinationem Domini, quæ de Sacrificio inſtituit, alia quæpiam, putà aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut aliqua animalia, aut legumina ſuper altare obtulerit, ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitur, excepto novo frumento, & uvâ opportuno tempore.* *Concilium Apoſtolor.* Ex quibus verbis colligitur, in pane, & vino tantùm poſſe confici hoc Sacramentum.

Carthaginenſe III. celebratum ſub Syricio Papa circa annum CCCXCV. cap. 4. idem definivit, dicens: *In Sacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil aliud offeratur, quàm quod tradidit ipſe Dominus, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum, primitiæ verò, ſeu mel, ſeu lac, ſeu alia, quæ ſolent offerri, licèt in Altari offerantur, habent tamen propriam benedictionem, & à divinis Sacramentis diſtinctam.* *Carthaginenſe III.* Tiburenſe celebratum ſub Formoſo Papa anno DCCCXCV. cap. 19. idem declaravit his verbis: *Confitemur & confirmamus ne ullus ſine commixtione vini, & aqua ſacra Myſteria conficiat, ſed ut duæ partes ſint vini, quia major eſt Majeſtas Chriſti ſanguinis, quàm fragilitas populi.* *Tiburenſe.* Idem affirmant Lateranenſe de Summa Trinitate, & Fide Catholica cap. *Firmiter.* *Lateranenſe.* Florentinum in Decreto Eugenii ubi legitur: *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* *Florentinū.*

Tandem & Tridentinum ſeſſ. 13. & præſertim in Can. 2. ejuſdem ſeſſionis ubi habetur: *Si quis dixerit, in ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu-Chriſti; negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſſubſtantiationem appellat, Anathema ſit.* *Tridentinū.* Quibus manifeſtum eſt, Sacram Euchariſtiam ex ſolo pane triticeo & vino vitigineo eſſe conficiendam. Nam licèt hic Sancti Patres expreſsè & formalitèr affirment Tranſſubſtantiationem contra Lutherum & ejus Sectatores, ac alios Hæreticos, de quibus eſt ſermo in proprio loco, nihilominùs affirmant etiam, panem & vinum eſſe materiam Euchariſtiæ, ex qua fit corpus Domini ſub ſpeciebus ſacramentalibus.

Reverà hujus veritatis ratio alia non eſt, quàm intentio Chriſti, qui hoc Sacramentum in pane uſuali, & vino de vite voluit inſtituere, ut nullus homo poſſit aliam adhibere materiam pro conficiendo Euchariſtiæ Sacramento. Undè Hæretici ſuprà nominati plurimùm erraverunt circa Euchariſtiæ materiam. Quia non fidei, ſed humanæ rationi adhæſerunt. Indè videmus in quàm deplorandas execrationes humanum animum ſibi permiſſum, & *Euchariſtiæ Inſtitutio eſt in pane & vino.* à Deo deſertum, præcipitem labi neceſſe ſit. At ut hoc evidentius appareat, & ab Hæreticis fugiamus, ſicut à facie colubri, oſtendendum eſt, Chriſtum inſtituiſſe hoc ſanctiſſimum Sacramentum in pane & vino, non verò in illis rebus, quas ſuprà retulimus, quaſque cum pudore & tremore diximus, Nam Matth. 26. de pane id expreſſum habemus: *Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt Corpus meum.* *Matth. 26.* Igitur Chriſtus hoc Sacramentum inſtituendo, nullam aliam materiam elegit, niſi panem, & vinum de vite, idcircò non in Sanguine, nec in ſemine humano, nec in aqua, nec in lacte; ſed in pane triticeo, & vino vitigineo confici poteſt Euchariſtia, cùm in his duobus confece-

rit eam Chriſtus. De vino vitis autem conſtat, ex Matth. & Marc. qui referunt calicem conſecratum fuiſſe in vino ex fructu vitis expreſſo: licèt enim Evangeliſtæ recitando inſtitutionem, dicant tantùm, Chriſtum Dominum accepiſſe calicem, nihil de contento exprimentes, ut patet ex illo Matth. 26. verſ.

Marc. 14.

27. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* Attamèn ſtatim interpretantur, calicem iſtum fuiſſe calicem vini: ſubjiciunt enim, Chriſtum ſtatim dixiſſe: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei*, ut patet ex eodem Matth. verſ. 29. Et ex cap. 14. Marci, verſ. 25. Ergò id quod Chriſtus conſecravit accipiendo calicem, eſt vinum de vite, acproindè panis triticeus, & vinum de vite, ſunt materia Euchariſtiæ. Nec poteſt ex alia materia hoc Sacramentum confici, Chriſtus enim ſic fecit, & ſic faciendum aliis præcepit, dum dixit: *Hoc facite in meam Commemorationem.* Undè ſicut materia Baptiſmi eſt vera & naturalis aqua abſque ulla contradictione apud Hæreticos citatos, quia aquam ſimpliciter dictam Chriſtus deſignavit, dum dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ità nulla debet eſſe controverſia circa materiam Euchariſtiæ, cùm Chriſtus panem & vinum conſecraverit, & ità faciendum Diſcipulis imperaverit. Eccleſia autem facit quod Chriſtus fecit, & faciendum præcepit.

Dicent forſan Hæretici ſuprà relati, & præſertim Manichæi, Sanctum Lucam feciſſe mentionem duplicis calicis, communis ſcilicèt & Sacri, acproindè innuere, verba ejuſdem Evangeliſtæ potiùs de calice communi, eſſe intelligenda, quàm de Sacro in quo non erat vinum; cùm dicta fuerint ante conſecrationem panis, poſtquam fuit alia conſecratio, ſcilicet conſecratio calicis.

Rejicitur Manichæor. Inſtantia.

Sed non valet hæc ratio. Quia S. Lucas de uno & eodem calice loquitur; licèt de ipſo bis loquatur. Quòd non implicat de uno & eodem ſemel, & iterùm loqui, ut notat D. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 2. ut ex Evangelio facilè colligi poteſt, eaque conſtans eſt & firma traditio, ut conſtat ex illo Can. 4. diſt. 2. de Conſecrat.: *Non oportet aliquid aliud in Sacramento offerri præter panem, vinum & aquam, quæ in typo Chriſti benedicuntur, quia dum in Cruce penderet, de corpore ejus ſanguis effluxit, & aqua; hæc tria unum ſunt in Chriſto Jeſu, hæc Hoſtia, & Oblatio Dei in odorem ſuavitatis.* Quibus conſtat, Chriſtum nullum alium conſecraſſe calicem, niſi calicem vini; accepto enim calice, dixit: *Bibite ex eo omnes.* Hoc eſt, bibite vinum in calice contentum.

Conſtat pariter, nullam aliam eſſe materiam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, niſi Panem triticeum & vinum de vite, quoniam ſolus Panis triticeus dicitur ſimplicitèr panis, & ſolum vinum de vite dicitur ſimplicitèr vinum. Nam alius panis pronunciatur cum aliquo addito, V. G. Panis bordeaceus, & ſic de cæteris. Idem dico de vino, quod dum non eſt de vite, ſemper pronuntiatur cum aliquo addito. Tandem Panis triticeus, & vinum de vite magis conveniunt effectui hujus Sacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia, quam panis ex aliis granis. Et vinum ex multiplicibus Uvis ſignificant, & exprimunt communis dilectionis vinculum, ut ſuadet, Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 10. dicens: *Unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus.*

1. Cor. 10.

Juxtà communem interpretationem, Chriſtus Dominus conſecravit in Pane triticeo, & in vino vitigineo; non enim veriſimile eſt alium panem, aliudque vinum fuiſſe in uſu in die feſto Azymorum, ut probat Scotus ratione congruentiæ deſumptâ ex illo, Joan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Ubi Chriſtus ſe grano frumenti comparat, quia carnem ſuam dat ad manducandum, eamque vocat panem, non quod in ſe panis ſit, ſed quia ex pane fit. Dogma enim datur Chriſtianis quod in carnem tranſit panis, & vinum in Sanguinem. Idque probant alii de vino ex Concilio Aurelianenſi quarto, celebrato ſub Vigilio Papa circa annum Domini DXLV. cap. 4. ubi habetur, *ut nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, aquâ mixtum offerre præſumat, quia ſacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in Mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit.* Deindè potus conſiſtit in vino vitis: vinum enim vitis eſt potus confortans, & lætificans cor hominis, inquit Propheta Pſal. 103. Igitur materia Euchariſtiæ juxtà Inſtitutionem fit in Pane triticeo, & vino vitigineo. Undè dum Sacerdotes conſecrant, tenentur facere quod Chriſtus fecit, nullus poteſt aliam materiam conſecrare præter panem triticeum, qui per panem ſolitò exprimitur. Et vinum vitigineum, quod per vinum ſimpliciter dictum, ſignificatur.

Ratio congruentia.

Concilium Arelatenſ.

Idem ſuadet ratio. Nam communio, ſeu ſumptio corporis & ſanguinis Domini magis exprimitur per panem ex multis granis confectum, & per vinum ex multis racemis expreſſum, quàm per aliam materiam, ut obſervat D. Auguſtinus: Ergò materia Euchariſtiæ non poteſt eſſe ſemen humanum, nec Panis, & Caſeus, nec animal aliquod, & aqua, ſed Panis triticeus, & vinum de vite, quia ſicut pane & vino homines communitèr reficiuntur, ità convenientèr illa materia ad Euchariſtiæ Sacramentum electa eſt, quô animi noſtri cœleſti cibo reficiuntur; Chriſtus enim acceptis pane & vino, dixit: *Hoc eſt Corpus meum; Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*, ut indè crederemus, panem fuiſſe converſum in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem, vi horum verborum: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Calix Sanguinis mei.*

Pane & vino homo reficitur.

§ II.

Proponuntur, & refutantur Rationes Hæreticæ.

HÆretici panem & vinum excludentes, dicunt, Euchariſtiam eſſe repræſentationem Paſſionis Chriſti, quæ cùm per animalium occiſorum carnes meliùs repræſentetur, quàm per ſimplicis panis, & vini elementa, credunt potiùs Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum in carne animalium, vel in ſemine humano, aut in ſanguine Innocentium, quàm in pane, & vino.

Sed non valet hæc ratio, quoniam aptiora ſunt panis, & vinum tùm ad repræſentandam Paſſionem Chriſti, & ad ſignificandum cruenti Sacrificij Crucis in effuſione Sanguinis præcipuè conſiſtentis myſteriũ, tùm ad Unitatem Eccleſiæ repræſentandam, tùm ad uſum Fidelium, qui pane & vino nutriuntur, tùm ad hujus Sacramenti puritatem, & caſtimoniam ſignificandam, cùm non parùm impuritatis in ſemine humano, in ſanguine menſtruo, in carnibus occiſorum inſit. Chriſtus enim in Cœna ſacramentali habebat tantùm panem triticeum, & vinum vitigineum: Ergò tantum panem, & vinum conſecravit, ſeu ex pane, & vino Euchariſtiam confecit in Cœna noviſſima, erat enim Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui non ſemen nec ſanguinem humanum, nec carnes Animalium obtulit Altiſſimo, ſed panem & vinum, quæ in omnibus terris naſcuntur, ſaltem triticeum. Et vinum ad omnes terras facilè aſportatur, ſuntque alimenta naturalia, & propria homini, quæ in convivio & menſâ ſolitò adminiſtrantur, veluti res

Solvitur prima Hæreticorum ratio.

Principaliores

Principaliores & communiores, quibus ſublatis, nullum eſt verum convivium. Unde S. Cyprianos Epiſt. 63. ad Cecilium Aquariorum Inſulſum Dogma refellens inquit: *Nam quis magis Sacerdos Dei Summi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & idem obtulit quod Melchiſedech obtulerat, panem & vinum, ſcilicet Corpus & Sanguinem*, Plures pariter citat Prophetias, Proverb. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum*. Geneſ. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine Uvæ, &c.* Quibus ſubdit, *Numquid rubicunda veſtimenta aqua poteſt facere, aut in torculari aqua eſt, quæ pedibus calcatur, aut prælo exprimitur? vini utique mentio eſt, & ideò ponitur ut Domini ſanguis, vino intelligatur, & quod in calice Dominico poſteà manifeſtatum eſt, ut ab Annuntiantibus prædicetur.* His quidem verbis liquidò conſtat quòd Chriſtus conſecravit ea, quæ obtulerat Melchiſedech, ſcilicet panem & vinum, ut illum in corpus, & iſtud in ſanguinem ſuum converteret; ideò Apoſtolis cœnantibus, accepto pane, dixit: *Accipite & manducate, hoc eſt Corpus meum.* Et accepto calice, dixit: *Hic eſt Calix ſanguinis mei.*

D. Cyprian.

Proverb.

Geneſ. 49.

Manichæi veritatem impugnant, & aſſerunt, panem non eſſe materiam Euchariſtiæ, ſed ſemen humanum, quia credunt, omnia alimenta eſſe immunda propter mali principii cómixtionem; & ideò dicunt, farinam eſſe purificandam ſemine humano, ut ſuprà monui, vel ſanguine Infantis Aguiculi, ut voluere Montaniſtæ.

Sed hæc ratio impertinens eſt, quia omnia alimenta ſicut & cætera, quæ in mundo ſubſiſtunt, ſunt à Deo creata, qui eſt Creator omnium, & vidit quòd cuncta, quæ fecerat, erant valdè bona, ut diximus in primo libro contra Manichæos, qui cùm non poſſint negare, Chriſtum in cœna accepiſſe panem ad manducandum, & vinum ab bibendum, nec poſſunt negare panem & vinum eſſe à bono principio, ſeu à Deo, à quo omnium rerum tàm materialium, quàm ſpiritualium exiſtentia pendet, ex quo ſequitur, Manichæos non poſſe negare, Chriſtum Dominum ex utroque, ſcilicet ex pane & vino confeciſſe Euchariſtiam in noviſſima cœna, ſeclufis quibuſcumque aliis rebus ab Hæreticorum ore blaſphemo aſſignatis. Nullibi enim invenient ſcriptum, nec audient, nec judicabunt ſanà mente, Chriſtum uſum fuiſſe ſemine humano, nec ſanguine parvulorum miſcendis cum farina ad ipſam farinam purificandam. Tùm quia farina ex ſe non eſt immunda. Tum quia aqua munda eſt, & ipsà Chriſtus uſus eſt in Baptiſmo, ubi peccata, quæ non detulit, nos abluendo ſuſtulit. Hæc autem puritas aquæ à nonnullis colligitur ex illo Geneſ. cap. 1. verſ. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Nullam aliam rationem legi apud Hæreticos; ideòque hæc, quæ diximus ſufficere debent tàm pro firmanda veritate articuli noſtri, quàm pro refellenda hæreſi.

Reſponſio ad Rationem Manichæor.

ARTICULUS XLII.

Quo firmatur contra Eccleſiam Græcam Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in pane Azimo.

Cum certum ſit, panem triticeum eſſe materiam neceſſariam conſecrandæ Euchariſtiæ, certum eſt etiam tàm azimum, quàm fermentatum panem, eſſe materiam ſufficientem ejuſdem Sacramenti, ut declarat Concilium Florentinum in Decreto Unionis ubi habetur: *Item definimus in azimo, ſivè fermentato pane triticeo corpus Chriſti veracitèr confici, Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque juxta Eccleſiæ ſuæ, ſivè Orientalis, ſivè Occidentalis, conſuetudinem.* Undè non eſt cenſendus Hæreticus, ille qui docet, Euchariſtiam poſſe confici in fermentato, benè verò ille, qui docet Euchariſtiam non poſſe confici in Azimo. Hujus hæreſis de Euchariſtia in fermentato neceſſariò conficienda defenſores præcipui, imò & primi, ſunt Græci, qui inter alia perverſa Dogmata propter quæ ab Eccleſia Romana diſceſſere, anno Domini DCLX. Authore Photio Patriarchâ Conſtantinop. hoc unum tuentur, Romanam ac Catholicam Eccleſiam ſuggillantes, quod in pane Azimo Sanctiſſimam Euchariſtiam conficiat; quapropter dum loquuntur de Latinis, vocant eos Azimitas, eoſque anathematizant, velut Hæreticos & Schiſmaticos, nec permittunt, Latinos Sacerdotes in eorum Altaribus Sacrum Myſterium celebrare, ſaltem in Azimo. Quod ſi ipſis neſcientibus, aut invitis aliquis celebraverit, lavant Altaria, quia credunt ea eſſe polluta ex falſo Sacrificio (inquiunt) per Sacerdotem Latinum in azimo pane confecto: credunt enim conſecrationem in Azimis eſſe irritam & omninò profanam, ut teſtantur D. Anſelmus, & alii Scriptores antiquiſſimi omni fide digni.

Ejuſdem hæreſis Defenſores, ſeu in Azimis conſecrationem impugnatores, ſunt Neſtoriani, Armeni, Rutheni, & alii Hæretici, qui licet omnes Fide & Religione, Græci aut Armeni ſint, ab ipſis tamen diſtinguuntur, nedùm nomine Authorum, qui expreſſè & impiè contra Eccleſiam Romanam ſcripſerunt, ſed etiam quibuſdam cæremoniis, quæ ſtatuerunt, ideòque hìc non ſunt referendi, ſed inter Græcos, vel Armenos computandi.

Neſtoriani.

Armeni.

Rutheni.

His Hæreticis addendus eſt alter Hæreticus, nimirùm Marcus-Antonius de Dominis, qui ſe fraudè intruſit in Archiepiſcopatum Hiſpalatenſem in Dalmatia: ille enim vir Hæreticus nedum authoritatem Papæ deprimere voluit; & ſempèr conatus eſt, ſed etiam docuit lib. 5. Reipublicæ cap. 6. Chriſtum conſecraſſe in pane fermentato dum cœnam celebravit cum Diſcipulis ſuis, ac proindè nullum Sacerdotem poſſe ſacram Euchariſtiam conficere in pane Azimo, cùm de neceſſitate Sacramenti ſit conſecrare ſicut Chriſtus conſecravit, ſcilicet in pane fermentato.

Marcus An. tonius de Dominis.

§. I.

Approbat ritum Latinorum in Pane azimo conſecrantium.

Hæc hæreſis ſolùm panem fermentatum aſſignans pro conficienda Euchariſtia, damnata fuit in Concilio Florentino jam citato, & ex uſu Eccleſiæ Romanæ, quæ ſemper conſecravit Euchariſtiam in Pane Azimo, ut colligitur ex Leone IX. epiſt. 6. quæ eſt ad Michaëlem Conſtantinopolitanum, his verbis: *Quis non ſtupeſcat quod poſt tot Sanctos, & Orthodoxos Patres, poſt mille & viginti à Paſſione Salvatoris annos, novus Calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti; anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex Azimis.*

Decretum Cōcilii Florentini.

Leo IX.

Idem affirmat Innocentius III. lib. 4. Myſteriorum Miſſæ cap. 4. ubi de Ritu Latinorum circa Azima, rejicit inſolentiam Græcorum Romanam Eccleſiam accuſantium de hæreſi: ibi enim declarat ille Summus Pontifex, ab ipſis Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, hunc ſacrificandi ritum Eccleſiam Romanam accepiſſe, & inviolabilitèr obſervaſſe. Idem docent Rupertus, Theophilatus, & alii Sancti Patres, qui affirmant, Eccleſiam Romanam conſecrare in Azimis. Quia Chriſtus Dominus in ultima cœna in iiſdem conſecravit, ut infrà videbimus & probabimus contra Græcos.

Innoc. III.

Ut autem appareat, nullum poſſe citra hæreſim aſſerere in ſolo pane fermentato ſacratiſſimam Euchariſtiam confici poſſe, advertendum eſt quòd Sacerdos

Chriſtus conſecravit in pane azimo. qui conſecrat, ſicut Chriſtus conſecravit, ritè ac validè conſecrat, cùm ipſe ſit hujus Sacramenti Inſtitutor & Magiſter, qui cœpit facere & docere. Chriſtus autem verè conſecravit in Azimis; comedit enim Agnum Paſchalem ritu Judaico, ſcilicet die decimâ-quartâ primi menſis, à qua die incipiebat apud Judæos prohibitio panis fermentati, & durabat uſque ad vigeſimam primam diem ejuſdem menſis, ut conſtat ex Scriptura Exod. 12. v. 18. & ſequentibus. Et ex lib. Levit. c. 23. v. 5. & 6. Igitur Chriſtus cœnans cum Diſcipulis ſuis, eiſque præbens panem, & dicens eis: *Accipite & manducate, hoc eſt Corpus meum.* Non comedit panem fermentatum, quia erat prohibitus à Lege, ſed Azimum: etenim non venerat ſolvere Legem, ſed adimplere, *Matth. 5.* ut conſtat ex illo Matth. 5. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant,* acproindè panis, quem conſecravit, non erat fermentatus, ſed Azimus, quoniam noviſſimam cœnam fecit, ſeu panem conſecravit, urgente jam Lege de comedendo pane Azimo.

Hæc veritas Catholica probatur manifeſtiſſimis Sacræ Scripturæ Textibus; nam Matth. c. 26. v. 17. *Idem. 26. v.* legimus: *Prima autem die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, dicentes; Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dixit: Tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis.* Quibus verbis conſtat, Chriſtum decreviſſe manducare Paſcha eodem die, quo Judæi manducabant illud; ſcilicet die primâ Azimorum, quæ erat dies decima-quarta, & de facto manducaſſe illud eodem die, nam in verſ. 19. & 20. habetur: *Et fecerunt Diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit: Unus veſtrûm me traditurus eſt.* Ideò dedit corpus ſuum ſub ſpecie panis azimi, acproindè in ipſo pane, & non in fermentato, inſtituit Euchariſtiam. Tum quia in eadem cœna conſecravit, ut patet ex verſ. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum.* Tum quia Chriſtus in hac cœna non habuit alium panem, niſi panem azimum, quia fermentatus erat à Lege prohibitus, & azimus erat manducandus; quippè cœnavit primâ die Azimorum, ut manduca-
Luc. 12. ret Paſcha cum Diſcipulis ſuis, ut notat S. Lucas cap. 12. dicens: *Venit dies Azimorum in quo neceſſe erat occidi Paſcha;* ex quibus ſic licet diſcurrere. Dies prima Azimorum, in qua Judæi Paſcha immola-
Marc. 14. bant, juxtà illud Marci 14. *Prima dies Azimorum quando Paſcha immolabant,* erat dies decima-quarta primi menſis dicti *Niſan*, Martio noſtro correſpondentis, à quo tempore uſque ad ſeptem dies non licebat Judæis habere fermentatum in Domibus ſuis, ſed Chriſtus Dominus Paſcha comedit, hac primâ die, ut patet ex verbis D. Matthæi ſuprà relatis, & Euchariſtiam inſtituit, eadem primâ die Azimorum. Igitur conſecravit in pane, quem in illa cœna habebat, ille quidem panis juxta Legem, quam Chriſtus ad amuſſim obſervavit, erat azimus: ergò Euchariſtiam inſtituit in pane azimo, ſubindéque Eccleſia Latina, quæ in eodem pane azimo conſecrat, verum, legitimumque ritum à Chriſto Domino inſtitutum obſervat.

His addenda eſt authoritas SS. Patrum, quâ probatur, Chriſtum conſecraſſe Euchariſtiam die præcedente Paſſionem & Mortem, & dum azima edebantur à Judæis. Nam S. Leo ſerm. 7. de Paſſione
S. Leo. Domini ait: *Divino intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, ut ſacrilegi Judæorum Principes, & impij Sacerdotes, qui ſæviendi in Chriſtum occaſiones ſæpè quæſierant, non niſi in ſolemnitate Paſchali exercendi furoris ſui acciperent poteſtatem.* Quibus verbis conſtat, Chriſtum fuiſſe traditum Judæis tempore Azimorum, acproindè eodem tempore cœnam manducaſſe cum Diſcipulis ſuis: Cœnantibus autem illis accepit panem, gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Certò panis ille erat azimus, quoniam ipſius uſus inceperat die præcedenti Paſſionem & mortem ipſius, ſeu decima-quartâ ad veſperas, ut incipi ſolent dies Eccleſiaſtici, quæ cùm reſpiciat officium & ſolemnitatem, incipit à primis veſperis diei feſti. Undè D. Chryſoſt. homil. 82. ait: *Cujus* *D. Chryſoſt.*
rei gratia venit ad Paſcha, omnibus ſemper ad ultimum Paſſionis diem, non eſſe adverſarium Legi ſe oſtendit; Quibus verbis ſuadetur; Chriſtum comediſſe Paſcha die præcedenti Paſſionem ſuam, ſcilicet die decima-quartâ Lunæ juxtà mandatum Legis.

Idem notat Origenes; Tract. 35. in Matth. exponens illud Chriſti Domini ad Diſcipulos: *Scitis quia* *Origenes.*
poſt biduum Paſcha fiet, ubi ait: *Si poſt biduum, utique Luna decimâ quartâ*: Igitur Chriſtus non anticipavit Paſcha, ut volunt Græci, alioquin non fuiſſet fidelis obſervator Legis, ſed comedit illud die præſcriptâ à Lege, quâ Judæi manducabant illud, ut obſervat S. Epiphanius lib. 1. Hæreſ. 30. agens con- *D. Epiphanius.*
tra Ebionitas, qui eſum carnium damnabant. Ibi enim ait: *Quomodo verò de eſu carnium non ſtatim ipſorum dementia redarguetur; primum quidem Domino edente Paſcha Judæorum? Paſcha autem Judæorum erat agnus, & azima.* Ex quibus ſequitur, Chriſtum comediſſe carnem & azima, Judæi quidem apprehenderunt illum ipsâ nocte, quâ comederat Paſcha, ſcilicet primâ die Azimorum, qui ſi accipiatur pro die Artificiali, ut de facto accipi debet, ſequitur quod Chriſtus mortuus eſt die decimâ-quinta, acproindè conſecravit die decimâ-quarta, quia conſecravit pridiè quàm pateretur.

Non valet dicere quòd Chriſtus abrogavit omnia legalia, & perconſequens panem azimum, qui erat legalis cæremonia. Non valet inquam, quia abrogavit tantùm legalia, quæ ſignificabant tantùm Chriſtum venturum, & quæ Evangelicis præceptis *Chriſtus obſervavit Legem, & modum de Paſcha comedendo.*
& inſtitutis adverſabantur; non verò alia, quæ verè moralia ſunt, idcircò non eſt credibile Chriſtum prætermiſiſſe eſum Paſchatis, qui tot divinis mandatis præcipiebatur, quia non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret Legem Excelſi. Obſervavit Legem Circumciſionis, licèt eâ non indigeret, fuitque ad Templum præſentatus, ſervavit etiam Legem de Paſcha comedendo die decimâ-quartâ menſis *Niſan* ad veſperas.

§ II.

Solvuntur Rationes Græcorum.

VArios Sacræ Scripturæ Textus adducunt Græci & alii Schiſmatici, ac Hæretici: & ipſis probare nituntur contra Latinos, Chriſtum Dominum anticipaſſe ſolitum diem celebrandi Paſcha, illudque comediſſe die decimâ-tertiâ ad veſperas, & conſequentèr ipſum Chriſtum Dominum conſecraſſe in pane fermentato, in quo de facto conſecrat Eccleſia Græca; quin liceat Sacerdotibus conſecrare in azi- *Textus pro Græcis.*
mo, quia conſecrare debent eodem modo, quo Chriſtus conſecravit. Primò quidem adducunt illud Joan. 13. *Ante diem feſtum Paſcha, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, & cœna facta, &c.* Igitur eo tempore, quo Chriſtus conſecravit, aut Paſcha comedit cum Diſcipulis ſuis, nondum erat inceptum feſtum Paſchatis, nec incepti dies Azimorum, alioquin non diceret Evangeliſta: *Ante diem Feſtum Paſcha;*

ſed, *in ipſo die feſto Paſchæ*, idcircò Chriſtus in cœna noviſſima non comedit panem azimum, quoniam ante diem feſtum Paſchæ noo dabatur, ſed panem fermentatum.

Porró hæc authoritas non nocet, nam Chriſtus qui non venit ſolvere Legem, ſed adimplere, Paſcha oon anticipavit, ſed tempore, & modu debito cuncta conſummavit, ut notat D. Chryſoſtomus. Deindè ſi Chriſtus anticipaſſet Paſcha ſuum, illudque in pane fermentato comediſſet, certò Judæi, qui falſa teſtimonia quærebant adversùs eum, ut teſtatur Matth. c. 26. v. 59. *Principes autem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent*, eam prævaricationem protuliſſent, cùm apud Judæos eſſet Lex inviolabilis de Agno, & aximis non comedendis, niſi die decimâ-quartâ ad veſperam; ſed nullibi conſtat, Judæos de hoc Chriſtum accuſaſſe, idcòque non anticipavit Paſcha.

Chriſtus non anticipavit Paſcha.

Ad authoritatem D. Joannis dico, feſtum Paſchæ duobus modis intelligendum eſſe, ſcilicèt pro die Artificiali, id eſt, ab ortu Solis uſque ad occaſum ejuſdem. Et pro die Legali, aut Eccleſiaſtico, id eſt, à primis veſperis uſque ad ſecundas. In primo ſenſu dies Paſchæ incipiebat die decimâ-quintâ, & in ſecundo incipiebat à primis veſperis diei decimæ-quintæ, quæ erant intra diem Artificialem diei decimæ-quartæ, ut patet in nova Lege de die Dominicâ, quæ ſi artificialis accipiatur, incipit ab ortu Solis ejuſdem diei. Et ſi legaliter accipiatur, incipit intra diem præcedentem, ſeu à veſperis diei Sabbati, qui eſt Vigilia. Undè dum Divus Joannes ait: *Ante diem Feſtum Paſcha*, loquitur de die Artificiali, qui erat dies Solemnitatis, & feſtivus pro Judæis, non autem de die Legali, quæ erat vigilia illius diei Feſtivitatis; ſed Chriſtus comedit Paſcha die Legali, ſeu prima Azimorum, quæ erat decima-quarta ad veſperas, à quibus incipiebant dies Legalis, & uſus Azimorum, idcircò Chriſtus non comedit Paſcha ante diem feſtum Paſchæ abſolutè, ſeu antequàm Panis azimus eſſet edendus; ſed ſolùm ante diem Artificialem. Hæc enim propoſitio *Ante*, non denotat diei Legalis, & Artificialis anterioritatem, ſed Artificialis tantum: hæc enim dies, ut jam dixi, incipit ab ortu Solis; altera verò à primis veſperis. Hinc eſt quòd Chriſtus fecit cœnam intra diem Azimorum, aut Paſchæ Eccleſiaſticum, & Legalem, cùm fecerit eam nocte præcedente diem xv. & ante diem feſtum Paſchæ Artificialem, cùm hæc dies incipiat ab ortu Solis diei xv. & ſupponat diem Legalem jam inceptum à veſperis præcedentibus.

Addunt alium Textum ejuſdem Evangeliſtæ cap.
Joan. 18. 18. verſ. 28. *Adducunt ergo Jeſum a Caipha in Prætorium; erat autem manè, & ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Indè enim concludunt quòd Judæi nondùm comedebant Paſcha, ſed erant ipſum comeſturi, acproindè quòd dies illa, ſeu dies, qua Chriſtus fuit morti traditus, erat dies decima-quarta, & Paſcha comederat die decimâ-tertiâ ad veſperam quando Judæi adhuc comedebant panem fermentatum, cùm conſtet, Chriſtum conſecraſſe pridiè quam pateretur, ideòque anticipavit ſolitum diem Paſchatis, & uſus eſt pane fermentato, dum Euchariſtiam inſtituit.

Minùs nocet hæc authoritas, quia Evangeliſta dicens, *ut manducarent Paſcha*, non loquitur de Agno Paſchali, nec de vero Paſcha immolando, ſed loquitur de victimis Paſchalibus, quæ etiam Paſcha dicebantur, quaſque ſolùm mundi edebant diebus Azimorum, ut obſervat Joſephus lib. 3. Antiquit. Et ut inſertur ex lib. 2. Paralyp. Harum victimarum Sacrificium io tres partes dividebatur: quarum una cremabatur in holocauſtum, ſecunda deſtinabatur ad uſum Sacerdotis; altera vero comedebatur à populu. Quapropter Judæi, qui immunditiam Legalem contrahebant, ex ſocietate cum Infidelibus, & Impiis (cum quibus reputabant Chriſtum, ut prædixerat Iſayas cap. 53. verſ. 12. dicens, *Cum ſceleratis reputatus eſt.*) noluerunt introire in Prætorium, in quo erat Jeſus ne contaminarentur, id eſt, ut mondi manducarent Paſcha, non Agnum Paſchalem; quem jam comederant, nec Azima, quæ jam inceperant, ſed illas victimas Paſchales. Hoc verum eſſe patet ex eodem Evangeliſta; nam ipſe dixit quòd erat manè: Panis autem azimus incipiebat à primis veſperis diei decimæ-quintæ. Ergó Chriſtus erat in Prætorio, aximis jam inceptis à veſperis præcedentis diei; alioquin introiſſent in Prætorium, ſi azimâ nondùm incepta, ſed inceptura fuiſſent eodem die ad veſperas. Quia à manè ad veſperas eſt ſufficiens tempus pro præparatione ad manducandum Paſcha. Ex his patet, Chriſtum comediſſe Paſcha tempore præſcripto, ſcilicèt die decimâ-quarta Lunæ in cœna, ut monet Joan. 3. verſ. 2. dicens: *Et cœna facta* in pane & azimo. Patet etiam Chriſtum Dominum paſſum, & mortuum fuiſſe die decimâ-quintâ.

Explicatur alter Græcorum textus.

Alium Textum afferunt Græci ejuſdem Joan. c. 19. v. 14. *Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta.* Indè enim probant, Chriſtum mortuum fuiſſe ante Paſcha, id eſt, die decimâ-quartâ, horâ ſextâ, quia Paraſceve Paſchæ, eſt præparatio ad Paſcha; hoc eſt, ad diem feſtum Paſchæ, hinc eſt quod Judæi, Matth. 26. v. 5. dicebant illis, qui volebant ad veſperas uſque, vel ad craſtinum diem differre mortem Chriſti: *Non in die feſto ne fortè tumultus fieret in populo.* Sic enim clamabant Judæi, quia nolebant occidere Chriſtum die decimâ-quintâ, quæ erat dies feſtus ſolemnis, ut conſtat ex Levit. c. 23. v. 6. Igitur Chriſtus traditus fuit ad mortem horâ ſextâ diei decimæ quartæ, & perconſequens conſecravit die decima-tertia ad veſperas, quâ die Judæi manducabant panem fermentatum, ut ex Lege liquidò conſtat.

Alium textum proponunt Græci.

Reſpondetur: diem Paraſceve, hìc denotare feriam ſextam, quæ dicebatur Paraſceve, ut habetur ex illo Marci c. 15. v. 42. *Et cum jam ſerò eſſet factum (quia erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum) venit, &c.* Ergò ibi D. Joan. per diem Paraſceve non intelligit vigiliam Azimorum, neque diem præparatoriam ad Paſcha, acproindè non concludit, Chriſtum conſecraſſe die decima-tertiâ, nec fuiſſe mortuum die decimâ-quarta. Non valet dicere illo anno, diem ſolemnem Azimorum occurriſſe feriâ ſextâ (ut notant nonnulli) & perconſequens nec Evangeliſtam intellexiſſe præparationem ad Sabbatum. Non valet inquam, quia ibi Joannes locutus eſt juxtà morem Judæorum, & ſumpſit denominationem à præparatione, quæ fieri ſolebat à tali die, & dixit: *Erat autem Paraſceve Paſchæ*, quia dies præcedens ex 7. diebus Paſchalibus, aut intra feſta Paſchalia incidens, Paraſceves vocabatur apud Judæos, qui in toto eo ſpatio 7. dierum ſe præparabant; ſcilicet in prima pro ſecunda, in ſecunda pro tertia, & ſic de cæteris.

Vera textus Græcorum interpretatio.

Ad alium Textum Evangeliſtæ de non interficiendo Chriſto in die feſto, dico quod nihil concludit contra Sacerdotes Eccleſiæ Latinæ in Azimis conſecrantes, quia non omnes Judæi, neque omnis populus, ſed tantùm aliqui dixerunt: *non in die feſto, &c.* At alii qui hoc non dixerunt, prævaluerunt, & Chriſtum die feſto crucifixerunt, quia putabant ſe obſequium præſtare Deo, & diſpenſatos eſſe in Lege de nullo opere ſervili faciendo. Nam licèt dixerint, *non in die feſto, &c.* Non debemus inferre, diem feſtum

Digitized by Google

inccpturum eſſe, ſed potiùs eumdem diem feſtum jam inceptum eſſe, quia ſi incepturus fuiſſet dies feſtus, hoc non dixiſſent, cùm à manè uſque ad veſperas, ſeu quandò incipiebant Azima, erat tempus ſufficiens ad crucifigendum Chriſtum. Hoc verum eſſe patet ex verſibus præcedentibus, ubi legitur: *Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas. Et conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent: dicebant autem, non in die feſto, &c.* quibus conſtat, Jeſum captum fuiſſe feſto jam incepto, ſeu dum Judæi manducabant panem azimum.

Proponitur Argumentum ex Reſurrectione deductum à Græcis.

Tandem aliud Argumentum addocunt Græci contra conſecrationem in pane azimo, ex Reſurrectione. Dicunt enim: Si Chriſtus reſurrexit Lunâ decimâ-ſeptimâ, aut primâ Sabbati, id eſt, die Dominicâ, ut credunt communitèr omnes Latini, neceſſe eſt, ipſum Chriſtum mortuum fuiſſe, & ſepultum Lunâ decimâ-quartâ, & conſecraſſe die decimâ tertia, quia conſecravit pridiè quàm pateretur, & remanſit in Sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, ut ipſe prædixerat, Matth. cap. 12. v. 40. dicens: *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius Hominis in corde Terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Porrò à die decima quinta, ad diem decimam-ſeptimam, non ſunt tres dies, nec tres noctes: Ergo Chriſtus mortuus eſt Lunâ decima-quartâ, à qua uſque ad diem decimam-ſeptimam, ſunt tres dies, & per conſequens conſecravit Lunâ decimâ-tertiâ acproindè conſecravit non in pane azimo, qui incipiebat tantùm die decimâ-quartâ, ſed in fermentato, qui adhuc edebatur à Judæis.

Matth. 12.

Reſpondeo hoc Argumentum nihil probare. Quia dies, ac noctes quibus Chriſtus jacuit in Sepulchro, non debent intelligi completæ, & integræ, ut quælibet dies viginti-quatuor horas contineat, ſed intelligi debent per Synedochen, quæ eſt figura quâ non rarò utuntur Scriptores Sacri, ut patet in Sacris Bibliis, & per quam pars ſumitur pro parte totali, V. G. Pars Phyſica, aut potiùs integrans hominis pro tuto, hoc eſt, caput pro toto homine, ut legitur Pſal. 65. v. 12. ubi Propheta ait: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, id eſt, ſuper nos. Et Apoſtolus ad Rom. cap. 12. v. 20. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus*, hoc eſt, ſuper ipſum, quia ibi Propheta & Apoſtolus ſumunt partem pro toto, ſeu caput pro corpore. Eâdem figurâ utendum eſt in hoc caſu, id eſt, una pars diei debet ſumi pro tota die. Hæc interpretatio eſt Doctoris noſtri Irrefragabilis, ſcilicèt Alexandri Alenſis part. 3. q. 20. ubi ait: *Feria ſexta cum nocte præcedente erit una dies, & ità per Synedochem fuit ibi illâ die: Item fuit ibi per totum diem Sabbati cum nocte præcedente, & ita per totum illum diem naturalem abſque Synedoche, ità nox præcedens Dominicam Reſurrectionis cum ipſa die eſt una dies naturalis, & per illam noctem fuit ibi, & ita per diem naturalem, id eſt, per Synedochen ità per tres dies naturales fuit in Sepulchro.* Et perconſequens ex Reſurrectione Chriſti nihil infertur contra nos. Nam dies tertia, à die decimâ quinta incluſivè incipiendo, eſt decima-ſeptima, quamvis non ſit integra, & completa, ſeu non contineat viginti-quatuor horas, ſicque Chriſtus fuit in Sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, & reſurrexit poſt tres dies, ut prædixerat, ſi per Synedochem intelligantur, ut eos intelligere neceſſe eſt. Vel reſurrexit tertia die, etiam ſi mortuus fuerit die decimâ-quintâ, & reſurrexit die decimâ-ſeptimâ; cùm totum illud tempus conſtet tribus diebus, ſcilicèt decimâ-quintâ, decima-ſextâ, & decimâ-ſeptimâ.

Chriſtus mortuus eſt die 15. & Reſurrectionis die 17.

Alexander Alenſis.

Undè licet Græci conſacrent in pane fermentato; in hæreſim tamen incidunt, dum dicunt, conſecrationem in azimo eſſe nullam; tùm quia Chriſtus conſecravit in azimo, ut conſtat ex dictis. Tùm quia panis azimus conſecrandæ Euchariſtiæ convenientior eſt, quàm fermentatus, quia panis ille magis congruit ſignificandis proprietatibus hujus Sacramenti. Azimus enim panis puritatem, candorem, ſimplicitatem, humilitatem, & incorruptionem denotat, fermentatus verò in Scriptura plerumque morum corruptionem, & ementitam virtutem denotat. Quare Chriſtus, Luc 12. dixit Diſcipulis ſuis: *Attendite à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis.* Et Apoſt. ad Corinth. 1. cap. 5. ait: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit: Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azimi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis.* Conſacrent igitur Sacerdotes Chriſti in pane azimo, in quo ipſe conſecravit, & conſecrare magis convenit, ut facilè colligi poteſt ex illo, Levit. cap. 2. verſ. 11. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in Sacrificio.* Indè enim infertur quòd in fermento, malitia aut imperfectio deſignatur, & ideò panis fermentatus non convenit Sacrificio, ſicut panis azimus convenit.

Luc. 12.

1. Cor. 5.

Levit. 2.

ARTICULUS XLIII.

Impugnat Waldenſes, formam Euchariſtiæ in Oratione Dominica ſeptiés repetita conſtituentes.

Circa ſanctiſſimæ Euchariſtiæ formam plures fuerunt errores. Quidam dixerunt, Chriſtum abſque ulla forma verborum, ſed ſolo voluntatis imperio per poteſtatem excellentiæ conſecraſſe, & poſteà formam expreſſiſſe, quâ in futurum Euchariſtiæ conſecratio ab Apoſtolis perficeretur. Alii dixerunt, verbis Chriſtum conſecraſſe, ſed verbis nobis ignotis, ac proindè credunt ea, quibus utimur in Eccleſia, eſſe arbitraria, & de Inſtitutione purè humana. Porrò hæc falſa & hæretica ſunt, quia Chriſtus, in hoc Sacramento conficiendo, uſus eſt verbis, ut declarat Tridentinum Seſſ. 13. c. 1. quæ quidem verba retulerunt Evangeliſtæ, & Paulus Apoſtolus, ideòque non ſunt nobis ignota.

Nonnulli Græci recentiores, (quales ſunt Nicolaus Cabaſillas in explicatione Liturgiæ c. 29. & 30. Marcus Epiſcopus Epheſ. lib. de verbis conſecrationis. Jeremias Patriarcha Conſtantinop. in cenſura ad Auguſtanam confeſſionem cap. 10. & Simeon Theſſalonicenſis apud Petrum Arcadium in Concordia Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ lib. de Euchariſtia cap. 28.) crediderunt, formam conſecrationis Euchariſtiæ Sacramenti non conſiſtere ſolùm in his verbis: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*, ſed volunt his verbis abſolutè & neceſſariò addendas eſſe invocationes quaſdam, & Preces quibus Spiritus-Sanctus invocatur, ut panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti convertant. Dixi nonnulli Recentiores Græci, quia ſunt alii ex eadem Eccleſia, qui hujuſmodi Preces non admittunt ut neceſſarias, ſed ſolùm ut convenientes Hiſtoriæ Paſſionis Chriſti, & Inſtitutioni hujus Sacramenti. Et dicunt, formam conſecrationis corporis Chriſti conſiſtere in his verbis: *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur*, ità ut ſi unum ex his verbis amittatur, nulla ſit conſecratio. Quòd eſt etiam falſum, quia duo poſteriora non ſunt de ipſius eſſentia.

Varii fuerunt errores adverſùs formam Euchariſtiæ.

Lutherani reverà certa & determinata verba requirunt, ut conficiatur Euchariſtia, ſed illis nul-

Lutherus.

Lutherus, jam veram efficacitatem aſſignant, quia negant tranſſubſtantiationem, ſeu converſionem panis in carnem, & vini in ſanguinem. Calvinus autem nulla certa verba requirit, quæ huic Sacramento eſſentialia ſint, ſed aliqua dumtaxat eſſe ad excitandam fidem neceſſaria credit. Unde cùm hujuſmodi opiniones ſint contrariæ inſtitutioni Chriſti (quia per hæc verba. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, Euchariſtiam inſtituit) ſunt rejiciendæ ut Hæreticæ & impugnandæ authoritate Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum.

Tandem Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno; de quibus alibi locuti ſumus, docuerunt, Euchariſtiam non eſſe conſecrandam hâc formâ: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, quibus panem, & vinum conſecramus, & corpus & ſanguinem Domini efficimus. Nec aliâ voluntariâ formâ conficiendum eſt Sacramentum Euchariſtiæ, ſed ſolùm per Orationem Dominicam ſepties repetitam, & pronuntiatam ſuper panem, & vinum; conſecrant enim dicendo ſepties *Pater noſter*, & benedicendo panem, & vinum. Eorum ratio eſt (juxta Scriptorum teſtimonia) quia in Oratione Dominica petimus panem noſtrum quotidianum, hoc eſt (inquiunt) panem Euchariſtiæ. *Uvaldenſes*

Hic tamèn obitèr obſervandum eſt cum nonnullis Uvaldenſes ab hoc errore excuſantibus, quòd Æneas Sylvius, qui & Pius ſecundus Pontifex Maximus fuit, errores Uvaldenſium recenſens, de hoc nullam mentionem facit. Et Bernardus de Luxemburgo in ſuo Catalogo Hæreticorum loquitur etiam de Uvaldenſibus, iſto errore ſuppreſſo. Inde plures recentiores hunc errorem non tribuunt Uvaldenſibus; nos tamen eum illis impingimus. Tum quia ex omiſſis nihil benè conficitur, & ideo licet Æneas Sylvius & Bernardus de Luxemburgo non numerent iſtum inter errores Uvaldenſium, tamen poteſt ipſis tribui, ſi ſint alia teſtimonia: ſæpè enim unus Scriptor refert quod alter antiquior omiſit, aut neſcivit. Tum quia Guido Carmelita cap. 9. de hæreſ. & Prateolus ambo in hac materia Doctiſſimi, affirmant, Uvaldenſes conſecrare dicendo ſepties Pater noſter, & docere Jeſum Chriſtum ità reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ hunc conſecrandi modum, ut nullus poſſit validè Euchariſtiam conficere, niſi dicendo ſepties Pater noſter &c.

§ I.

In quo aſſignatur vera Euchariſtiæ forma:

Euchariſtiæ conſecrationem neceſſariò faciendam eſſe per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, vel, *hic eſt calix ſanguinis mei*, declarant plura Concilia. Et præſertim Florentinum in litteris unionis, aſſerens formam hujus Sacramenti eſſe verba, quæ Chriſtus protulit, & quibus confecit Euchariſtiam. *Concilium Florentinũ.*

Tandem idem habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. ubi legitur: *Ita enim majores noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuere; qui de Sanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis; vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, diſertis; & perſpicuis verbis teſtatus eſt: quæ verba à Sanctis Evangeliſtis commemorata, & à D. Paulo poſteà repetita, cùm propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt, indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contenſioſis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis; & ſanguinis Chriſti negatur, contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri, quæ tanquam columna, & firmamentum veritatis; hæc ab impijs hominibus excogitata commentata, velut ſatanica; deteſtata eſt grato ſemper & memore animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.* *Tridentinũ* Inde enim infertur, formam hujus Sacramenti, eſſe verba quibus Chriſtus uſus eſt, & ea quibus Chriſtus uſus eſt, eſſe ea, quæ referunt Evangeliſtæ; & Divus Paulus, ſcilicet. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*; quin liceat alicui dubitare, cùm ipſe Paulus dicat: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* Quibus ſuadetur, Chriſtum panem ſuum convertiſſe in corpus ſuum per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*; cùm hæc verba ſint ea, quæ ipſe Paulus accepit à Domino, ſequitur quòd Chriſtus qui in Cœna; hoc Sacramentum inſtituit, tunc etiam conſecravit, quia non aliter inſtituit, quam efficiendo conſecravit ritu, & verbis, quibus nos uti voluit, & ipſe præcepit, dicens: *Hoc facito in meam commemorationem*. Itaquè ex Tridentino conſtat, Chriſtum conſecraſſe Euchariſtiam per hæc verba; *Hoc eſt corpus meum*, acproindè nullus poteſt citrà hæreſim aliam aſſignare formam pro Euchariſtia conſecranda; cùm nulla poteſtas humana valeat inſtituere materiam, & formam Sacramenti, eſt enim ſignum divinitùs inſtitutum ad conferendam gratiam homini viatori.

Hujus Sacratiſſimi Myſterij forma non poteſt certior haberi, quam ex inſtitutione, cùm nihil habeatur in Sacramentis, quòd non ſit à Chriſto Domino, qui ea inſtituit. Hoc quidem ſuppoſito, & ab omnibus recepto, facilè colligitur, formam conſecrationis corporis Chriſti conſiſtere in his verbis: *Hoc eſt corpus meum*, Et formam ſanguinis, in his: *Hic eſt calix ſanguinis mei*: nam illa ſola verba ſunt de eſſentia formæ, quâ conſecratur panis, quæ ſignificant præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis & præſentiam ſanguinis ipſius ſub ſpeciebus vini. Sed hanc præſentiam ſignificant hæc ſola verba. *Hoc eſt &c.* Nam imprimis illa verba: *qui pridie* nullo modo id ſignificant, cùm nihil indicent de corpore Chriſti, iſta verò, *accipite & manducate*, ſignificant uſum & diſtributionem rei, quæ datur, quin ipſius naturam exprimant: igitur corpus Chriſti ſignificatur præſens ſub ſpeciebus per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, remanentibus de pane, & vino ſolis accidentibus, quia per hanc formam ſubſtantia panis convertitur in ſubſtantiam carnis, & ſubſtantia vini in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, ut affirmat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. ubi inquit: *acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, dicendo. Hoc eſt corpus meum*, acproindè nulla eſt alia Euchariſtiæ forma eſſentialis præter iſtam: *Hoc eſt corpus meum*. Nam ut (inquit D. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 15.) ſicut Deus dicendo, *fiat lux*, fecit lucem, ità dicendo: *Hoc eſt corpus meum*. Et *Hic eſt ſanguis meus*, perfecit hoc Sacramentum. Unde quemadmodum hæc verba: *Ego te baptizo &c.* ſunt forma Sacramenti Baptiſmi, quia ſignificant ablutionem corporis, & exprimunt Sanctiſſimam Trinitatem, ità hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, debent eſſe forma Euchariſtiæ, quia exprimunt præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quam non exprimunt cætera verba, ſeu præces, aut benedictiones, quæ à Sacerdotibus novæ Legis fiunt, nec Oratio Dominica ſepties repetita ut ſomniarunt Uvaldenſes, cùm hæc verba: *Pater noſter &c.* demonſtrent exiſtentiam Patris Æterni in cœlo, non verò exiſtentiam Chriſti in Hoſtia.

De Verbis in quibus conſiſtit forma Euchariſtia.

Tertullianus

Unde Paſchaſius lib. de corpore Domini cap. 5. ait: *Hoc Sacramentum non meritis, non verbis humanis; ſed proculdubio divinis efficitur, & conſecratur mandatis,* *Paſchaſius.*

ſed verbo Creatoris, hoc eſt corpus meum. In hoc verbo creatur illud corpus, quia divinum eſt, & omnipotentiâ plenum, per hæc quidem verba Doctor ille pijſſimus ſuadet, Chriſti Domini corpus, aut Sacram Euchariſtiam non confici per alia verba, niſi per hæc ſola: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, quoniam ipſe Chriſtus eiſdem verbis uſus eſt.

D. Auguſt. Idem Docet D. Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini, ubi manifeſtè declarat, corpus Chriſti effici ex pane triticeo, & vinum ex vino vitigineo vi verborum, quæ Chriſtus in Cœna ultima protulit ibi enim ait ille S. Doctor: *Ante verba Chriſti, quod offertur in Altari, panis dicitur, ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed corpus appellatur.* Hæc autem verba Chriſti ſunt iſta. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, ut teſtantur Evangeliſtæ, & Paulus Apoſtolus. Cætera verò, quæ præcedunt, vel ſubſequuntur, non ſunt Sacramentalia, nec ſignificant id, quod Chriſtus fecit in Cœna ultima; licet referant tempus, & modum, quibus Chriſtus fecit Cœnam ſuam: igitur hæc verba: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſola ſunt forma Euchariſtiæ.

Odo Camaracenſis. Idem docet Odo Camaracenſis, qui in expoſitione Sacri Canonis, inquit: *Tolle verba Chriſti, non ſunt Sacramenta Chriſti, vis fieri Chriſti corpus & ſanguinem? appone Chriſti ſermonem: facit ſermo veritatis, quod dicit, quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt: ſine dubio fit in creatura, quod Chriſti ſermo dicit de creatura. Eſt enim omnipotens ſermo tuus ô genitor, fit ergo ſermone Chriſti corpus & ſanguis Chriſti*: Hæc ſuadent, corpus, & ſanguinem Chriſti confici ex pane, & vino per verba, quæ Chriſtus in ultima Cœna protulit, dum hoc adorandum Sacramentum inſtituit, quæ quidem verba non ſunt hæc: *Pater noſter qui es in cœlis*, ut volunt Uvaldenſes, ipſis enim Chriſtus nos docuit modum orandi, Nec, *qui pridie quam pateretur &c.* Quibus, ut jam dixi, oſtenditur tempus & modum, quibus Chriſtus hoc Sacramentum confecit. Sed ſunt hæc, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, quæ ad primarium Sacrimenti ſignificatum pertinent, & ipſorum efficacia ſignificatur, panem tranſſubſtantiari in corpus Chriſti, ideoque in ijſdem verbis debet conſiſtere forma hujus Sacramenti. Quemadmodum enim Græci, & Hæretici colligunt, hæc verba: *Ego te baptizo* eſſe formam Baptiſmi, quia Chriſtus dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris &c*, ità debent colligere, hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, eſſe formam Euchariſtiæ, quia ipſemet Chriſtus inſtituendo Euchariſtiam, dixit: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, ut teſtantur Evangeliſtæ.

D. Ambroſ. Unde D. Ambroſius lib. de Sacramentis cap. 17. ait: *Verba Evangeliſta ſunt uſque ad accipite ſive corpus, ſive ſanguinem, inde ſunt verba Chriſti, accipite & bibite ex eo omnes, & idem ſingula. Qui pridie (inquit) quàm pateretur, in Sanctis manibus ſuis accepit panem, antequam conſecretur, panis eſt, ubi verò verba Chriſti acceſſerunt, corpus Chriſti eſt. Denique audi dicentem; accipite & edite ex eo omnes, Hoc eſt corpus meum, & ante verba Chriſti, calix vini, & aqua eſt plenus, ubi verba Chriſti operata fuerunt, ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* Inde enim conſtat, panem & vinum converti in carnem, & ſanguinem Domini per hæc verba: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, ut notat D. Chryſoſtomus Homil. 60. ad populum Antiochenum, ubi loquens de conſecratione à Chriſto in Cœna facta, ait: *Qui namque dixit, Hoc eſt corpus meum, & verbo factum confirmavit.* Et idem D. Ambroſius loco citato addit: *cum panem accipiens diceret; Hoc eſt corpus meum, plane monſtratur verbum illud operatorium fuiſſe.* Hoc eſt converſivum panem in corpus *D.Chryſoſt.* & vinum in ſanguinem Chriſti, ac proinde in ipſis verbis dumtaxàt ſiſtit Euchariſtiæ forma.

§. II.

In quo repelluntur Impugnatorum Tela.

HÆretici inſurgunt, & ut probent, Chriſtum non conſecraſſe panem per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, dicunt quòd Chriſtus Dominus panem conſecravit, antequam talia verba diceret. Panem quidem conſecravit cum eum benedixit, prius veró benedixit, quia poſt benedictionem, & fractionem protulit, hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, ut ſuadent Evangeliſtæ dicentes: *Accepit Jeſus panem, benedixit, fregit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Idem ex verbis etiam Marci cap. 14. quibus conſtat, Apoſtolos jam bibiſſe quandò Chriſtus dixit, *Hic eſt ſanguis meus*: *Marc.* Igitur Chriſtus non convertit panem in carnem ſuam per hæc verba: *Hoc eſt corpus meum.* Nec vinum in ſanguinem per hæc, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, quia per hæc verba docuit carnem ſuam eſſe ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, & demonſtravit quòd id, quod dabat, non erat panis, *S. Juſtinus.* ſed caro, nec vinum, ſed ſanguis, ac proinde conſecravit per imperium excellentiæ ſuæ, vel per præces & benedictionem, vel per alia verba nobis ignota, unde S. Juſtinus Martyr Apol. 2. ait: *Quemadmodum per Verbum Dei incarnatus eſt Jeſus Chriſtus Salvator noſter, & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, ſic etiam per praces Verbi Dei, ab ipſo Euchariſtiam factam cibum & potum edocti ſumus*, ideo forma hujus Sacramenti non conſiſtit in his verbis, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, quia ſupponunt conſecrationem, ſeu converſionem panis in carnem, & vini in ſanguinem. Idem probat exemplum Chriſti, qui in Caſtello Emmaüs Euchariſtiam ſine verbis ullis conſecratam porrexit Diſcipulis ſuis, ut conſtat ex Luc. cap. ult. Hæc quippè conſecratio fuit facta abſque ulla verborum prolatione, ſed per benedictionem, & fractionem panis.

Huic Hæreticorum argumento reſpondendum eſt *D. Auguſt.* cum D. Auguſtino lib. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 39. & 44. Evangeliſtas non ſemper eumdem in recitando ſervaſſe ordinem, quo res geſtæ ſunt. Unde ſenſus eorum eſt ille: accepit panem & gratias agens benedixit, dicens: *Hoc eſt corpus meum*, ſeu, *Id quod vobis do, eſt corpus meum*, per hæc quippè verba: *Hoc eſt corpus meum*, Chriſtus in carnem ſuam convertit panem, quem præ manibus habebat, quia non ſunt demonſtrativa rei præexiſtentis, & prius ibi poſitæ, ſed rei præſentis, & ibi realiter exiſtentis, efficiunt enim id, quod demonſtrant, quia practica, & operatoria ſunt, ut docet Stephanus Eduenſis de Sacramento Altaris cap. 15. ubi ait: *Stephanus Eduenſis.* *Fides noſtra eſt, & vere credendum eſt quòd Sacerdote proferente hæc verba, Hoc eſt corpus meum, jam non eſt panis terrenus, ſed ille panis, qui de cœlo deſcendit: item virtute verborum iſtorum, Hic eſt calix ſanguinis mei, vinum convertitur in ſanguinem.* Itaque forma Euchariſtiæ non conſiſtit in præcibus, & benedictionibus, ſed in his verbis: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, quæ dicta ſunt à Chriſto antequam acciperetur panis, ſeu corpus Domini, & antequam Apoſtoli biberent calicem, ut teſtantur Evangeliſtæ Matthæus, & Lucas.

Nec obſtat illud Marci 14. verſ. 23. *Biberunt ex eo omnes*, quô Hæretici volunt, Apoſtolos jam bibiſſe calicem, dum Chriſtus dixit: *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Non obſtat inquam, quia hoc poſuit per parentheſim, ſeu ut oſtenderet quod alij Evangeliſtæ omi-

ſerant. Solus Marcus expreſſè notat, Apoſtolos omnes bibiſſe ex calice conſecrato.

Quantum ad factum Chriſti in Caſtello Emaüs, dico quòd tunc Euchariſtiam confecit proferendo verba conſecratoria, licet S. Lucas ea non expreſſerit, quoniam jam nota erant Diſcipulis cum quibus Chriſtus hoc Sacramentum inſtituerat in Cœna noviſſima, & quibus dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem.*

S. Juſtinus

Ad S. Juſtinum & ad alios Patres, quos citare poſſunt Hæretici, dico quòd non loquuntur de forma eſſentiali hujus Sacramenti, nec de forma conſecratoria, ſed de his, quæ conſecrationem ità neceſſariò præcedunt, ut non poſſint ſine peccato omitti, licet ipſis omiſſis, Sacramentum maneat validum. Quia omnia eſſentialia admittuntur, dum hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, proferuntur. Nam hæc benedictio non eſt conſecratoria, ſed conſueta, quam dedit pani etiam in monte, ut oſtenderet nobis, nullum cibum eſſe ſumendum, niſi prævia benedictione, ut obſervat S. Bonaventura, diſt. 8. part. 1. artic. 2. quæſt. 3. ad ſecundum. Dum Evangeliſtæ dicunt, *accepit panem, & gratias agens &c*: narrant ea, quæ Chriſtus fecit antequam conſecraret. Et dum dicunt, Chriſtum dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*, narrant ea, quæ dixit ut conſecraret.

D. Bonaventura.

Dicent. Hæc verba: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, non poſſunt eſſe forma effectiva, niſi præcedant aliqua verba, quæ determinent ea ad conficiendum hoc Sacramentum, & ut agnoſcantur eſſe verba Chriſti; alioquin eadem verba ex ſe eſſent conſecratoria. Quòd eſt falſum, neceſſè eſt igitur quòd determinentur per ea, quæ præcedunt, ſcilicet per hæc. *Qui pridie quam pateretur*, vel per hæc. *Quod pro vobis tradetur*, acproinde forma Euchariſtiæ non conſiſtit ſolùm in his verbis, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed ſimul in præcedentibus, & conſequentibus, quæ a Sacerdote proferuntur in Canone conſecrationis, in quo dumtaxat apponuntur verba eſſentialia, à quibus neceſſariò dependet conſecratio.

Rejicitur hæreticorũ inſtantia.

Reſpondeo cum Theologis, illa verba ſufficientèr determinari ad perſonam Chriſti, quatenus proferuntur ſuper materiam debitam & neceſſariam à Chriſto inſtitutam; & cum intentione illa proferendi, ſicut Chriſtus præcepit, & protulit, & efficiendi quod ipſe effecit, hæc quippè intentio determinat actionem, & prolationem verborum ad faciendum quod Chriſtus fecit; & pro quo conficiendo talia verba inſtituit. Idcirco hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, dumtaxat, debitè prolata ſufficiunt ad validitatem Sacramenti Euchariſtiæ, ſecluſis cujuſcumque alijs verbis, ut inſinuat Author Sermonis de Cœna apud S. Cyprianum, dicens: *Ex quo à Domino dictum eſt, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcumque his verbis, & hac fide dictum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis. Et calix ſolemni benedictione ſacrati, ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit*, quibus conſtat, nullam eſſe Euchariſtiæ formam præter eam, quam ſuprà aſſignavimus contrà Hæreticos; ſcriptum eſt enim: *Cœnantibus illis accepit Jeſus panem, & benedixit & fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & dixit: accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*, Quibus ſuadetur, Chriſtum uſum fuiſſe eadèm formâ, qua perpetuò Eccleſia Catholica uſa eſt.

Innocentius III.

Idem docet Innocentius III. lib. 4. de myſterio Miſſæ cap. 6. ubi totam virtutem conſecrandi tribuit eiſdem verbis, *Hoc eſt corpus meum*, pro pane conſecrando. Et pro vino, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Nec poteſt impugnari hæc ratio, quia Sacerdos dum conſecrat, facit quod Chriſtus fecit, dum conſecravit, acproindè debet habere materiam, quam Chriſtus habuit, ſcilicet panem triticeum, & vinum vitigineum. Et debet uti his verbis, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*: Ergo eadem verba ſufficiunt, quia ipſis uſus eſt Chriſtus.

§. III.

In quo Rejicitur Uvaldenſium Ratio.

Proponitur Uvaldenſium ratio.

UValdenſes ſic contrà noſtram aſſertionem, objiciunt. In verbis, aut forma conſecrationis debet exprimi panis cœleſtis; cùm hoc Sacramentum ſit panis vivus, qui de cœlo deſcendit; panis Angelorum, & cibus Viatorum: ſed Chriſtus Dominus in ſola oratione Dominica expreſſit panem hunc & docuit nos nedum modum petendi, ſed etiam & conficiendi illum: panis enim de cœlo datum, eſt caro Chriſti, ideoque dum hanc orationem dixit, panem Euchariſticum inſtituit, & nos debemus illum per eadem verba, ſcilicet per hæc: *Pater noſter qui es in cœlis &c.* Conficere. Et quoniam in nobis non eſt tanta virtus, quanta eſt in Chriſto, cum infirmi & debiles ſimus, debemus ea ſepties repetere, inquiunt Uvaldenſium Sectatores, qui pro hoc errore tuendo, addunt quòd non deſunt Doctores exiſtimantes, S. Gregorium lib. 7. Epiſt. 63. fuiſſe ejuſdem ſententiæ, ibi enim ille Summus Pontifex, & Sanctus Doctor ait: *Orationem Dominicam, ideircò poſt precem (id eſt Canonem) mox dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis Hoſtiam conſecrarent*: Igitur (inquiunt) D. Gregorius cenſet, Euchariſtiam per Dominicam orationem confici.

Falſa eſt Uvaldenſium ratio.

Sed Uvaldenſium ratio non valet, eſtque extra propoſitum, & prorſus imaginaria. Quia in forma conſecrationis Euchariſtiæ non debet exprimi panis, ſed caro, cum revera, & ſubſtantialiter Euchariſtia non panem, ſed Chriſti carnem contineat, ut probatum manet contra Calviniſtas, Lutheranos & alios Tranſſubſtantiationem negantes, quamvis propter accidentia panis, quæ remanent, vel quia ante Tranſſubſtantiationem erat verè panis, panis dicatur, neceſſè enim eſt quòd verba Sacramentalia ſignificent, & efficiant id, quod Sacramenta producunt, & continent, non verò id quod fuit, aut apparenter indicatur in poſitione materiæ ſupra quam cadit forma, & præſertim Sacramentum Euchariſtiæ, quod cùm contineat corpus Chriſti, non panis, ſed ipſum corpus debet in forma exprimi. Falſum eſt etiam quòd Chriſtus Euchariſtiam inſtituerit, dum docuit Apoſtolos modum orandi, ſeu dum dixit: *Pater noſter qui es in cœlis &c.* Quia conſtat ex Evangelio, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam cœnantibus Diſcipulis, ſeu vigilia Paſſionis ſuæ; quin in eodem Evangelio pro hujus Sacramenti inſtitutione referatur oratio Dominica.

Ad D. Gregorium dico, hunc Sanctum Doctorem numquam docuiſſe, nec credidiſſe, Euchariſtiam per orationem Dominicam confici, quoniam in loco citato reſpondet ad Quærimoniam quorumdam, qui ægrè ferebant quod ipſe ſtatuiſſet, ut oratio Dominica ſtatim poſt Canonem diceretur. Quapropter, ut huic Quærimoniæ ſatisfaceret, & oſtenderet ſe non ſine juſta cauſa, hanc conſtitutionem edidiſſe, declaravit ſe in hac re imitari Apoſtolos, dicens: *Orationem Dominicam idcirco per precem mox dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolum modo orationem oblationis Hoſtiam conſecrarent*, Indè non ſequitur orationem Dominicam eſſe formam conſecrationis, ſed ſolum orationem, quam recitare in Miſſa, Magis convenit, quàm recitare alias præces ab hominibus inſtitutas. Undè idem S. Doctor ſtatim ſubdit,

Explicatur authoritas D. Gregorii.

Et valde inconveniens mihi viſum eſt, ut precem quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, ut ipſam orationem quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem taceremus : Igitur S. Gregorius non affirmat conſecrationem corporis & ſanguinis Domini fieri per Orationem Dominicam, ſed per verba Chriſti, cùm contendat, ut conſecrationi, ſeu pani jam conſecrato, ſeu converſo in carnem Chriſti, necnon & Canoni Miſſæ adjicienda ſit Oratio Dominica ſecundum Praxim, & Traditionem Apoſtolorum.

D. Hieron. Non valet dicere quod Apoſtoli recitabant Orationem Dominicam, ut conſecrarent, ſeu ut haberent panem Euchariſticum, qui verè eſt panis quotidianus, quem dat Deus. Non valet inquam, quia ex D. Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos circa finem, Apoſtoli pariter & omnes Sacerdotes recitabant, ex Traditione Chriſti, Orationem Dominicam in Sacrificio Miſſæ poſt conſecrationem, ac proindè non recitabant illam, ut conſecrarent, ſed ut conſecrationem venerarentur, ut de ea Deo Altiſſimo gratias agerent, ut à malo liberarentur, & ut à Deo obtinerent panem, & alia vitæ humanæ neceſſaria.

Authoritas Liturgiarũ Addent quod ex Lyturgijs Sanctorum Marci, Jacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi, Sacerdos, prolatis his verbis : *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, ſtatim ſuper panem, & calicem in nomine ſuo, & in nomine omnium aſtantium, ait : *Rogamus te Sancte Pater ut mittas Spiritum Sanctum tuum ſuper nos, & ſuper hæc appoſita munera, & fac panem iſtum pretioſum corpus Filij tui, & quod eſt in calice Sancto pretioſum ſanguinem Chriſti tui.* Hæc autem verba, quæ rogatoria ſunt, verè efficiunt corpus Chriſti, quia dicuntur ut panis fiat caro Chriſti, & vinum vertatur in ſanguinem ipſius. Igitur hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, quæ præcedunt, non ſunt forma conſecrationis. Benè verò iſta, *Pater noſter qui es in cœlis &c.*

Non valet hæc ratio, nam Græci, qui ſic orant in Sacrificio Miſſæ, non credunt converſionem panis in carnem Chriſti, & vini in ſanguinem fieri per hæc verba. *Rogamus te &c.* Sed per hæc : *Hoc eſt corpus meum*, quia non orant præciſe, ut fiat hæc converſio, aut Tranſſubſtantiatio panis in carnem, & vini in ſanguinem Chriſti, ſed ut Sanctiſſimum Chriſti corpus fiat in ſalutem animarum &c. Quòd verum eſſe patet ex eo quod in ijſdem Lyturgijs Sacerdos communicaturus orat in hunc modum : *Fiat mihi Domine Jeſu Chriſte corpus tuum in remiſſionem peccatorum meorum, & ſanguis tuus pretioſus in vitam æternam.* Hinc eſt etiam quòd Sacerdos communicans fidelem, ait illi : *corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, amen.* Igitur non per præces, ſed per hæc verba ; *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, conficitur Euchariſtia. Præces autem præcedunt formam conſecrationis, vel ad eam ſequuntur, ut patet ex illis verbis, quæ ſunt in Canone Miſſæ; *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & ſanguis fiat Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quibus Sacerdos deprecatur Deum, ut panem in corpus, & vinum in ſanguinem convertere dignetur, ideo ſtatim addit, *qui pridie quam pateretur &c.* ut faciat quod Chriſtus tunc fecit, ſeu ut conficiat Euchariſtiam dicendo in perſona Chriſti ſuper panem, *Hoc eſt corpus meum.* Et ſuper calicem: *Hic eſt calix ſanguinis mei* Hæc enim verba, quæ hanc converſionem aut tranſſubſtantiationem ſignificant, eam efficiunt, & panem in carnem, & vinum in ſanguinem vertunt.

Explicatur Lyturgia.

ARTICULUS XLIV.

Sacerdotibus dumtaxàt concedit, adverſus Vuicleffitas, poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam.

JOannes Vuicleffus, de quo alibi ſæpè locuti ſumus, plures errores docuit tempore Caroli IV. Imperatoris, & Clementis VI. Papæ circa annum Domini MCCCLII. quorum errorum unus eſt circa Euchariſtiæ Miniſtrum. Voluit enim quemlibet Laicum poſſe conſecrare, & Euchariſtiam conficere, non ità ut voluerit quemlibet hominem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum ordinarium & proprium, ut poſteà voluit Lutherus, ſed ſolùm in neceſſitate ſicut Eccleſia Romana vult, quemlibet hominem eſſe Miniſtrum Sacramenti Baptiſmi in caſu neceſſitatis, & abſente Sacerdote, nè anima pereat. Ità refert Thomas Uvaldenſis tom. 2. cap. 28. *Vuicleffus.*

§. I.

Solis Sacerdotibus concedit Poteſtatem Conſecrandi.

HAnc Vuicleffitarum hæreſim damnant Nicænum I. ſub Sylveſtro. Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmitèr* his verbis. *Hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Jeſus Chriſtus.* Et Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. *Chriſtus Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* *Concilium Nicænum. I. Lateranenſe* *Tridentinũ.*

Idem habetur in Canone ſecundo ejuſdem ſeſſionis, ubi legitur : *Si quis dixerit, illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi alijque Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum : Anathema ſit.* Quibus verbis conſtat, Chriſtum Dominum ſolis Apoſtolis contuliſſe poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, ſubindeque ipſum Chriſtum Dominum, non omnes Fideles, ſed ſolum ipſos Apoſtolos inſtituiſſe Sacerdotes. Idem paritèr habetur in ſeſſ. 23. cap. 1. & 4. in quibus expreſſè declaratur, omnes Chriſtianos promiſcuè non eſſe Sacerdotes novi Teſtamenti, ſed ſolùm eos, qui ab Epiſcopis ordinantur, & recipiunt poteſtatem conficiendi, & conſecrandi corpus Domini. Idque probatur ex ordine Sacro, qui eſt Sacramentum novæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum, ut dicemus in proprio loco contra hos, & alios Hæreticos, qui volunt ordinationem Clericorum eſſe purum figmentum humanum.

Hanc ipſam conſecrandi poteſtatem ſolis Sacerdotibus convenire, ſuadetur ratione, quia ſcilicet ille ſolus eſt Euchariſtiæ conficiendæ Miniſter, qui in nova Lege habet poteſtatem ſacrificandi, & offerendi Hoſtiam Sanctam : nam Euchariſtia Sacrificando conficitur, & conficiendo fit Sacrificium. Sed omnes Chriſtiani poteſtatem non habent Sacrificandi, ut expreſſè docet D. Hieronymus, Dialog. adverſus Luciferianos, ubi de quodam Hilario Diacono Schiſmatico, qui Euchariſtiam conficere *Sacerdos poteſt Euchariſtiam conficere.*

Digitized by Google

non potuit, quia Diaconus tantùm erat, conqueritur, factum ejus improbando & non ſine cauſa, hoc enim munus ad Sacerdotes novæ Legis pertinet, ut canit Eccleſia in Hymno Sanctiſſimi Sacramenti, qui incipit, *Sacris ſolemnijs*, ubi legitur de Chriſto Domino: *Sic Sacrificium iſtud inſtituit, cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent cæteris.* Et ideo non omnis Chriſtianus ratione Baptiſmi, nec quilibet Juſtus ratione adoptionis, ſed ſolus ordinatus, aut Sacerdos Ordine factus, eſt Miniſter hujus Sacramenti ſpecialitèr aſſumptus ad offerendum totius Religionis Sacrificium. Non enim ſibi quiſquam aſſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſeu tanquam Sacerdos, quoniam omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat Dona & Sacrificia pro peccatis; ut docet Apoſtolus ad Heb. cap. 5. Nam ſi ſit Pontifex pro hominibus, & qui pro hominibus Sacrificia offerat, certum eſt quòd omnis homo non eſt Pontifex, nec Sacerdos habens poteſtatem offerendi Sacrificia, ſed ſolùm illi, qui ex hominibus aſſumpti ſunt, non à Republica, ut putaor Lutherani, ſed à Deo, qui Miniſterio Epiſcoporum eligit Sacerdotem ſibi ad ſacrificandum Hoſtiam laudis. Chriſtus non dixit omnibus hominibus *Hoc facite in meam commemorationem*, ſed ſolum illis, quos aſſumpſerat, & Apoſtolos nominaverat.

Heb. 5.

Idem ſuadet D. Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio, ubi ait. *Per Sacerdotes Chriſtum induimus, per ipſos Dei Filio conjungimur, per ipſos membra beata ipſius capitis efficimur.* Inde enim ille S. Doctor demonſtrat quòd Sacerdos conſtituitur medius inter Deum & homines, acproinde declarat, omnem hominem non eſſe Sacerdotem, ſed ſolùm eum, cui data eſt poteſtas ligandi; atque ſolvendi virtute clavium, cuique dictum fuit ab Epiſcopo ordinante: *accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia tam pro vivis, quàm pro defunctis*, ut definitum fuit in Concilio Arelatenſi I. (celebrato ſub Melchiade Papa circa annum: CCCXXXIV. per Epiſcopos ducentos) quod D. Auguſtinus lib. de Baptiſmo cap. 9. Et. Epiſt. 162. vocat Plenarium, & Univerſale, atque univerſæ Eccleſiæ Concilium, licet reverà generale non ſit, nec inter Generalia numeretur. Hoc quidem Concilium declarat, Ordinem eſſe Sacramentum, quô Clerici ſunt Superiores Laicis, eiſque poſſunt adminiſtrare Divina, ſic inſtituente Deo, cujus eſt èligere Sacerdotes. Hinc eſt quòd Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 3. ait: *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*, hoc eſt, nos eligit. Et inſtituit Diſpenſatores Myſteriorum Dei; unde cum non fecerit omnes homines, idoneos Miniſtros novi Teſtamenti, ſequitur quòd omnis homo, licet Baptizatus, non eſt Miniſter Euchariſtiæ, ſed ſolum ille, cui in Sacerdotio data eſt hæc poteſtas conſecrandi;

D. Chryſoſt.

Arelatenſe I.

2. Corint. 3.

Eamdem veritatem de poteſtate conficiendi corpus Chriſti ſolis Sacerdotibus conceſſa, probat perpetua, & conſtans Eccleſiæ Traditio, quæ demonſtrat, nullum hominem, Euchariſtiam conſecraſſe, niſi fuerit ordinatus Sacerdos, ut probat illud Extravag. de Summa Trinitate, & Fide Catholica. *Hoc Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui fuerit Ordinatus, ſecundum claves Eccleſiæ; quas conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Jeſus Chriſtus.* Idem declarat Clemens Romanus lib. 2. conſtitut. Apoſt. cap. 27. dicens: *Quicumque Laicus ſine Sacerdote aliquid operatur, inaniter operatur.* Et ideo officium conſecrandi numquam Laicis, ſed Sacerdotibus ſemper conceſſum fuit. Unde Apoſtolus non de omnibus hominibus, ſed de Confratribus ſuis ſolùm loquens 1. ad Corinth. cap. 4. ait: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Igitur omnis homo non eſt Miniſter hujus Myſterij Euchariſtiæ, ſed ille ſolus, qui ordinatus eſt.

Extra. de Summa Trinitate

Clemens Romanus.

Tertullianus lib. de Præſcriptionibus adverſùs Hæreticos cap. 41. arguit eos, qui Sacerdotalia, & Epiſcopalia Laicis munera indifferentèr concedunt, dicens; *Alius hodie Epiſcopus, cras alius, hodie Diaconus qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus, nam & Laici munera Sacerdotalia injungunt*, quibus conſtat, Tertullianum diſtinxiſſe Sacerdotes à Laicis quantum ad poteſtatem exercendi Divina Myſteria, & adminiſtrandi res Sacras, quæ quidem poteſtas extollit eos, qui habent eam. Hinc eſt quod D. Hieronymus ad Helyodorum, Sacerdotes ſuper alios Clericos ſpecialitèr commendat ex eo quod corpus Chriſti Sacro ore conficiunt. Et D. Auguſtinus, inquit: *O magna Sacerdotum dignitas in quorum manibus velut in utero Virginis, Chriſtus quotidiè incarnatur.* His etiam conſtat, poteſtatem conſecrandi non eſſe communem, ſed particularem, exiſtentem in ſolis Sacerdotibus, velut in Succeſſoribus eorum, quibus Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut tradit Iſidorus can. *Prælectis*, diſt. 25. ubi legitur: *ad Presbyterum pertinet Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini in Altario Dei conficere.*

Tertullian.

D. Hieron.

D. Auguſt.

Iſidorus.

Idem docet Felix IV. in Epiſt. ad omnes Epiſcopos dicens: *Sicut non alij, quam Deo ſacrati Sacerdotes Miſſas cantare, aut in Altari Sacrificia offerre debent, ità nec in alijs, quam in Sacratis locis.* Nam licet ille Summus Pontifex per hæc verba velit diſtinguere loca Sacrificij, vult etiam diſtinguere Sacerdotes à Laicis per poteſtatem conficiendi corpus Domini, & offerendi Sacrificia. Et ſicut quilibet locus non eſt aptus, ut in eo Euchariſtia conficiatur, ità neque quilibet Chriſtianus poteſt eam conſecrare, ſed ſolùm ille, qui impoſitione manuum ordinatus fuit, & aſſumptus ad Sacerdotium. Hinc eſt quòd Act. 13. Spiritus Sanctus non de omnibus Fidelibus, qui erant Antiochiæ, ſed tantùm de duobus dixit; *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos.*

Felix IV. Papa.

Act. 13.

Deinde ſi conficiendæ Euchariſtiæ Myſterium non ſit quibuſdam hominibus ex alijs ſpecialitèr aſſumptis proprium, nulla poteſt aſſignari ratio, cur omnes homines etiam Infideles non poſſint Euchariſtiam conficere, ſicut poſſunt validè baptizare. Nec valet dicere quòd Baptiſmus, qui eſt ratio, hujus poteſtatis non convenit Infidelibus, & ideo ſoli Fideles poſſunt conſecrare. Non valet inquam, quia in nullo Sacræ Scripturæ Textu conſtat, Baptiſmum conferre hanc poteſtatem conſecrandi, cùm Baptiſma non ſit Sacramentum poteſtatis, nec Juriſdictionis, cùm det ſolùm eſſe ſupernaturale, quô homo renaſcitur, & conſtituitur Filius Dei adoptivus, non verò Miniſter Chriſti & novi Teſtamenti. Deinde ſi in Baptiſmo conſiſteret hæc poteſtas conſecrandi, ſequeretur quòd Chriſtus in Cœna noviſſima non dediſſet Apoſtolis ſuis hanc poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, nec conſtituiſſet eos Sacerdotes. Quòd eſt manifeſtè falſum, tunc enim dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*: Igitur Baptiſmus non ſufficit ad conficiendam Euchariſtiam.

Baptiſmus non confert poteſtatem conſecrandi

Dico inſupèr quòd ſi hæc ratio Hæreticorum valeret, ſequeretur quòd Mulieres baptizatæ poſſent validè conficere Euchariſtiam, quod eſt falſum, ut contra Pepuſianos, & Collyridianos expreſſè diximus authoritate Sacræ Scripturæ.

Denique ſi omnes baptizati eſſent Sacerdotes, in Primitiva Eccleſia (ut volunt Hæretici) fruſtra fuiſſent Fideles tunc de aſportanda in domos privatas Euchariſtiâ ſolliciti, quia quilibet homo ſive vir, ſive fœmina potuiſſet in quolibet momento eam conficere, ſed hæc ſollicitudo inviolabilis fuit in Primi-

Nullus Laicus validè conſecravit

tiva Eccleſia, acproinde dicendum eſt quòd proveniebat ex penuria Sacerdotum, ſeu eorum quibus data fuerat poteſtas conſecrandi Euchariſtiam. Tandem nullum poteſt afferri exemplum antiquitatis, quô conſtet, Laicos conſecraſſe, licet conſtet, ipſos baptizaſſe; ſed conſtat in ſummis etiam neceſſitatibus, Catholicos potius caruiſſe Euchariſtiâ, ut aſſerunt D. Auguſtinus Epiſt. 180. D. Epiphanius Epiſt. ad Joannem Jeroſolymit. & Theodoretus lib. 4. Hiſt. cap. 17. Nec reperiri poteſt de hac re exemplum in veteri Teſtamento: in eo enim ſolis Sacerdotibus licebat offerre Sacrificia pro delictis & peccatis populi. Scimus enim quod ſola Tribus Levitica ex omni Iſraëlitico populo deſtinata fuit à Deo, ut ſacris peragendis inſerviret, ità ut nemo tunc temporis, niſi ex illa Tribu oriundus, idque per lineam Paternam inſervire poſſet Divinis Myſterijs, imo nec incenſum offerre Deo. Porrò cùm hoc non ità ſit, nemo eſt, qui non videat Sacerdotium non eſſe commune, ſeu non convenire omnibus Fidelibus in Lege Evangelica, quæ omnium præſtantiſſima eſt.

D. Auguſt. D. Epiphan. D. Theodor.

§ II.

De Reſponſionibus ad Hæreticorum objectiones.

HÆretici volunt, quemlibet Chriſtianum eſſe Sacerdotem, & habere poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, quia Chriſtus eam inſtituendo dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, non ſolum Apoſtolis, & Diſcipulis, ſed etiam omnibus membris ſuis, ſcilicet Chriſtianis: ergo (inquiunt) omnes Chriſtiani poſſunt Euchariſtiam conficere, quia omnes à Chriſto acceperunt hanc poteſtatem, ſicut omnes homines acceperunt poteſtatem baptizandi, ex illo Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.*

Reſpondeo ſuppoſitum eſſe falſum, quia Chriſtus dixit hæc verba, *hoc facite &c.* Ad ſolos Apoſtolos, & ad Succeſſores eorum, ut obſervat Tridentinum, ſeu ad eos, quibus dabat carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ad bibendum, idcircò Evangeliſta reſpondet: *Biberunt ex eo omnes*, ſeu illi, quibus dixerat, *bibite*, tamen omnes Fideles non biberant, ut inde videamus, Chriſtum dicentem, *hoc facite*, locutum fuiſſe tantum illis, qui erant in Cœna, & in ipſorum perſona, Succeſſoribus. Ad paritatem dico quod non valet. Tum quia Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate medij, Euchariſtia autem non, & ideo poteſtas baptizandi debuit eſſe communis, ut omnes ſalvari poſſent, altera verò ſeu conſecrandi debet eſſe ſpecialis & in ſolis Miniſtris reſidere. Tum quia quando Chriſtus dixit Apoſtolis, *Euntes ergo &c.* Non inſtituit Sacramentum Baptiſmi, nec ipſis Apoſtolis dedit poteſtatem baptizandi, baptizabant enim ante Paſſionem Chriſti, ut conſtat ex Joan. 3. At quando dixit eis: *Hæc quotieſcumque feceritis, hoc facite in meam commemorationem.* Tunc eos Sacerdotes conſtituit, eiſque dedit poteſtatem conſecrandi: igitur authoritas conficiendi Euchariſtiam convenire poteſt tantum illis, qui Apoſtolis in Sacerdotio ſuccedunt.

Solis Apoſtolis fuit conceſſa poteſtas conſecrandi.

Joan. 3.

Nec valet dicere quòd ſi hoc eſſet, hæc verba: *Euntes ergo &c.* dicta Apoſtolis, eſſent ſuperflua, cùm jam haberent poteſtatem baptizandi. Non valet inquam, quia dicta fuerunt ad ſolemnitèr promulgandum Baptiſmi præceptum, & ut viderent omnes, Apoſtolos habere à Chriſto Domino jus baptizandi ex officio, & ex commiſſione Divina, Laicos verò poteſtatem ex neceſſitate, cum Chriſtus non ſatis providiſſet de medio ad ſalutem neceſſario, ſi non dediſſet cuilibet homini poteſtatem baptizandi in neceſſitate: cum ille ſolùs qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto poſſit introire in regnum cœlorum.

Veritatem noſtram iterùm impugnant, dicunt enim olim conſecrationem factam à Laicis approbatam fuiſſe ut legitimam & validam, ut refert Theodoretus lib. 2. Hiſt. Eccleſ. ubi aſſerit quòd Frumentius cùm juvenis in India commoraretur, Chriſtianos Mercatores Romanos illuc appulſos, ad celebranda Divina Myſteria, ſeu Lyturgias invitaret, ipſe autem non erat Sacerdos, ſed Laicus: ergo tunc à Laicis, Euchariſtia confecta eſt. Addunt quòd in Actis Sanctæ Petronillæ habetur, ipſam celebratis Dominicæ oblationis Myſterijs, & Euchariſtiâ refectam, mortem obijſſe. Tandèm inquiunt, in Prato ſpiritali cap. 26. refertur quemdam Monachum Laicum pronuntiaſſe verba conſecrationis ſuper panes, quos ſecum habebat, Angelum aſtitiſſe, qui declaravit hujuſmodi panes conſecratos eſſe: ergo conficiendæ Euchariſtiæ poteſtas conceditur, aut convenit omnibus Fidelibus juxtà divinam inſtitutionem, contrà quam Eccleſia Romana decrevit ſolos Sacerdotes poſſe conſecrare.

Hæretici nonnulla afferunt exempla.

Reſpondeo, argumentum eſſe falſum. Nam ad exempla, quæ referunt, dico cum Rufino lib. 1. cap. 9. & alijs fide dignis quòd Frumentius invitavit Chriſtianos Mercatores ſolùm ad præces, Pſalmos, & alia pietatis Officia, quæ ipſe celebrabat. Parùm refert quòd Theodoretus hanc actionem, Lyturgiam nominet, quia accipit nomen Lyturgiæ largo modo, ſeu quatenus complectitur præces, & Orationes, quæ inter celebranda Sacroſancta Myſteria recitari ſolent, omiſſis verbis conſecrationis, qua ratione Miſſa Nautica, quæ ſolitò ſicca dicitur, Lyturgia vocatur. Quòd ſi de Lytorgia ſtrictè ſumpta locutum fuiſſe contendant Theodoretum, dico quod non eſt certum an Frumentius ille fuerit Laicus, cùm plures credant ipſum Frumentium ordinatum fuiſſe Epiſcopum à S. Athanaſio, acproinde conſecraſſe eos, quos ad Divina Myſteria vocaverat.

Oſtenditur exemplorũ falſitas.

Ad ſecundum dico in Actis S. Petronillæ non haberi diſtinctè quod ipſa celebraverit Divina Myſteria, ſed quòd, celebratis Myſterijs Spiritum emiſerit; quòd non probat, ipſam conſecraſſe, quia mori potuit, poſt celebrata Myſteria ab aliquo Sacerdote, qui eam inviſerat in carcere, ut fieri ſolebat tunc temporis, ut refertur in operibus S. Cypriani.

Ad tertium exemplum de illo Monacho non Sacerdote. Dico dubiam eſſe veritatem Hiſtoriæ, quam tamen falſam aliqui ſubodorantur, plures enim dicunt librum illum de Prato ſpiritali vitiatum fuiſſe à nonnullis, acproindè nihil probare contra poteſtatem Sacerdotum. Vel dico cùm aliquibus Doctoribus quòd ſi hæc Hiſtoria vera ſit, tamen non probat, quemlibet hominem baptizatum, eſſe Miniſtrum Euchariſtiæ. Quia totum hoc miraculoſè & de potentia extraordinaria factum fuit, ex quo nullus poteſt inferre, poteſtatem conſecrandi eſſe communem omnibus hominibus. Quia ex facto inſolito, & extraordinario improbari minimè poteſt ordinaria poteſtas Sacerdotum; alioquin Hæretici, & præcipuè ij, quos hic impugnamus, dicere poſſent quòd quælibet mulier poteſt concipere & parere ſine contactu, & congreſſu cum viro, quia una, ſcilicet Beata Virgo ſic concepit & peperit Filium ſuum de potentia extraordinaria. Quòd nullus hactenus dicere auſus eſt; quia Maria ſola concepit de Spiritu Sancto.

Dicent inſuper Hæretici. Concilium Ancyranum celebratum anno CCIV. Can. 12. removere quoſdam Diaconos à Miniſterio Sacro, ſeu Sacrificio, ibi enim legitur: *Diaconi ſimilitèr qui immolaverunt, honorem quidem habeant, ceſſare vero ab om i Sacro Miniſte-*

Decretum in favorem Diaconorum.

rio, ſive à pane, ſive à calice offerendo; vel prædicando, quod ſi quidam Epiſcoporum conſcij ſunt laboris eorum & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerunt eis aliquid amplius tribuere, penes ipſos erit poteſtas. Ideoque tunc temporis, Diaconi (qui non ſunt Sacerdotes) conſecrabant, & Euchariſtiam conficiebant, ſubindeque falſum eſt, Sacerdotes dumtaxàt ſemper fuiſſe, & eſſe Miniſtros hujus Sacramenti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. Et ſi modò ita ſit; hoc eſt de conſtitutione Eccleſiaſtica.

Explicatio Decreti Ancyrani.

Reſpondeo conſequentiam eſſe nullam, quia Canon Ancyranus non prohibuit Diaconis illis (qui Idolis ſacrificaverant) nè Euchariſtiam impoſterum conficerent, & panem in Altari conſecrarent, ſed ut proprium implerent officium; quod non conſiſtebat in conſecratione, & oblatione Sacrificij Miſſæ; ſed in eo ſcilicet, ut Sacerdoti Sacrificaturo panem & calicem de more conferrent, & conſecratam Euchariſtiam Fidelibus paratis diſtribuerent; ac Sacrum Dei verbum ad populum facerent, ut conſtat ex propria inſtitutione Diaconorum, quâ non tribuitur ipſis poteſtas Sacerdotum, nam hæc particulâ Canonis; *Ceſſare verò ab omni Sacro Miniſterio; ſive a pane, ſive a calice offerendo*: Non debet intelligi de Miniſterio immediato; ità ut velit, Diaconos privare poteſtate aut uſu conſecrandi; & offerendi, ſed ſolùm uſu miniſtrandi; & offerendi, aut præparandi Sacerdoti panem, & calicem in pœnam delicti, quod commiſerant ſacrificando Idolis. Certum enim eſt quòd Diaconi numquam Euchariſtiam confecerunt, ut notat S. Cyprianus hæreſ. 79 docens, ſolos Apoſtolos ordinatos fuiſſe à Chriſto; Miniſtros Euchariſtiæ, & ab Apoſtolis alios Epiſcopos, & Presbyteros, Diaconis verò numquam conceſſam fuiſſe hanc poteſtatem conſecrandi; imò expreſſè prohibitum fuit Diaconis conſecrare, ut refert Athanaſius in ſecunda Apologia contra Arianos, ubi habetur Epiſtola Synodi Alexandrinæ, in qua Patres probant, quemdam Hiſchiram ſectâ Arianum non potuiſſe Sacro calice uti, nec Sacra celebrare, eo quod non eſſet ordinatus à vero Epiſcopo in Sacerdotem.

Diaconi numquam Euchariſtiã conſecerunt

Tandem dicunt quòd convenientiùs eſt, Laicum juſtum, & bonum miniſtrare Deo, & ſacrificare, quàm impium Sacerdotem, ex eo quòd Sancta Sanctè ſint tractanda, & munda à mundis conficienda. Sed Sacerdos malus & impius verè conſecrat, & ad ipſius invocationem, Deus convertit panem in carnem; & vinum in ſanguinem Chriſti; ut declarat Eccleſia Romana in varijs Concilijs Generalibus; ergo multò magis ad verbum Laici juſti, & boni.

At non nocet hæc ratio; nam licet convenientius ſit, bonom Sacerdotem miniſtrare Deo, quàm malum Sacerdotem, tamen convenientiùs non eſt, bonum Laicum miniſtrare Deo, quàm malum Sacerdotem. Ratio hujus eſt, quia in poteſtate conſecrandi & conficiendi Euchariſtiam, non conſideratur dignitas perſonæ; nec perfectio morum, ab illis enim non dependet donum Dei, nec virtus Altiſſimi; ſed conſideratur tantùm authoritas, quæ non in viris bonis, & juſtis; ſed in ordinatis tantùm reperitur ratione characteris, ut notat D. Bonaventura Doctor Seraphicus diſt. 13. quæſt. 2. qui cùm indelebilis ſit ille character, Indelebilis etiam eſt in Sacerdotibus poteſtas conſecrandi, hinc eſt quòd quilibet Sacerdos, etiam Hæreticus, Schiſmaticus, & Degradatus poteſt conficere Euchariſtiam, ſaltem validè, licet non valeat eam licitè conficere.

Reſponſio D. Bonaventuræ ad rationem Hæreticorum.

Hujus reſponſionis veritas patet ex XVIII. Can. cauſæ I. quæſt. 1. ubi legitur: *Non nocet malitia Epiſcopi, neque ad Baptiſmum infantis, neque ad Eccleſia conſecrationem, quia Baptiſma à Deo datur, non ab homine venit, ſic & Euchariſtia & omnia quæcunque in Altari ponuntur, non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt*: Ergo Sacerdos, qui habet poteſtatem conſecrandi, & conficiendi Euchariſtiam, validè conſecrat, modo omnia ad Sacramentum requiſita habeat; licet in ſe malus ſit, ſive Hæreticus, ſive Schiſmaticus, ſive Degradatus, nam quilibet Sacerdos verè ordinatus, eſt Sacerdos in æternum.

Inſtantia hæreticorũ ex Tertulliano deducta.

Nec valet dicere contra aſſertionem noſtram, quemlibet Chriſtianum eſſe Sacerdotem ratione Baptiſmi, ex illo D. Petri 1. cap. 2. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium*; Et ex illo Apocalypſis cap. 1. ubi de Chriſto dicitur quòd fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo: igitur quibet homo baptizatus eſt Sacerdos. Quapropter Tertullianus exponens hæc verba Apocalypſis in exhortatione ad caſtitatem ſervandam cap. 7. ait: *Nonnè & Laici Sacerdotes ſumus, ſcriptum eſt: regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo Patri ſuo fecit, differentiam inter ordinem; & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinem conceſſum ſanctificatus à Deo, ubi Eccleſiaſtici ordinis eſt conceſſus, & offert & tinguit Sacerdos, qui eſt ibi ſolus, ſed & ubi tres, & Eccleſia eſt, licet Laici, unuſquiſque enim de ſua fide vivit.* Et paulò poſt: *Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas; oportet etiam diſciplinam Sacerdotis, ſi neceſſe ſit, jus habere Sacerdotis.* His enim Doctor ille declarat, quemlibet fidelem eſſe Sacerdotem, & habere poteſtatem conſecrandi corpus & ſanguinem Domini, ſubindeque quilibet Chriſtianus eſt hujus Sacramenti Miniſter, etiamſi non fuerit ab Epiſcopo ordinatus Sacerdos.

Rejicitur inſtantia, & explicatur mens Tertulliani.

Non valet inquam hæc ratio, nam D. Petrus vocat omnes fideles, Sacerdotes; non quod reverà Sacerdotes ſint, ſicut non ſunt Reges verè, licet vocet eos Reges, ſed quia per Baptiſmum uniuntur Chriſto, qui eſt verè Sacerdos, & Rex, totiuſque populi Chriſtiani caput, nam ut Chriſtianus populus dicatur genus electum, & regale Sacerdotium; non eſt neceſſe quòd quilibet Chriſtianus ſit Sacerdos formalitèr; ſed ſufficit quòd uniatur Summo Sacerdoti per fidem. Vel quod in illo populo Chriſtiano reperiatur Sacerdotalis dignitas.

D. Chryſol.

Ad Tertullianum dicò quòd non loquebatur de Sacerdotio conſecrationis, neque de Sacrificio Miſſæ, ſed de Sacrificio largo modo ſumpto, ſeu de Sacrificio orationis & pœnitentiæ; in quo unuſquiſque Chriſtianus eſt Sacerdos, cùm habeat poteſtatem ſemetipſum offerendi & conſecrandi Deo; ut monet S. Petrus Chryſologus exponens illud Apoſtoli ad Rom. cap. 12. *Obſecro itaque vos Fratres per miſericordiam Dei &c.* ubi ait: *Apoſtolus ſic rogando omnes homines ad Sacerdotale veſtigium ſic provexit; ô inauditum Chriſtiani Pontificatus officium! Quando homo ſibi ipſe eſt Hoſtia & Sacerdos, quando Hoſtia mactatur, & vivit; Sacerdos neſcit occidere.... mirum Sacrificium, ubi corpus ſine corpore, ubi ſine ſanguine ſanguis offertur, in tali victima mors expenditur Hoſtia permanet, vivit Hoſtia, mors punitur.* Per hæc enim verba D. Chryſologus unicuique tribuit poteſtatem ſacrificandi corpus ſuum, & exhibendi illud Hoſtiam viventem, idcircò quilibet Chriſtianus poteſt in hoc ſenſu dici Sacerdos, non quoad conſecrationem, ſed quoad Sacrificium orationis, pœnitentiæ & mortificationis. Unde Chriſtus ait, *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hoc eſt, ſacrificet corpus ſuum in Altari pœnitentiæ, & mortificationis. Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Quapropter cum ſanctificare ſit actus Sacerdotum, quilibet homo poteſt aliquo modo dici Sacerdos, licet nequeat conſecrare panem, nec Euchariſtiam conficere; quia poteſt carnem ſuam pro Chriſto ſacrificare, corpus caſtigare, & illud in ſervitutem redigere, ut de ſeipſo teſtatus eſt Paulus.

ARTICULUS XLV.

Tenet contra Græcos, Hoſtiam conſecratam Feria quinta majoris Hebdomadæ, non eſſe majoris virtutis, quàm ea, quæ conſecratur alia die.

Græci. QUamvis Græci in Primitiva Eccleſia fuerint in fide Catholica firmitèr ſtabiles, ut Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria, præclaraſque virtutes, inſignes Eccleſias, atque Doctores per multa tempora ſub Eccleſiaſtica obedientia habuerint, duræ tamen cervicis ſemper fuerunt, & uſque adeo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ rebelles, ut nec illi, nec Sacrorum ſuorum Conciliorum determinationibus, atque decretis obtemperare unquam voluerint, Summum autem Pontificem Chriſti Vicarium, omneſque Latinos tamquam Excommunicatos, & extrà Eccleſiam veram exiſtentes, inſpiciunt, & contra ipſos falſa prædicant Dogmata, inter quæ unum eſt circà virtutem Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, ipſis proprium & particulare, ſicut illud de Proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre. Aſſerunt enim, Hoſtiam in die Cœnæ Domini, ſcilicet Feria quinta majoris hebdomadæ conſecratam, habere majorem virtutem, quàm eam, quæ conſecratur in quolibet alio die, ut affirmat Guido Carmelita Græcorum errores recenſens. Hinc eſt (inquit idem Scriptor) quòd Græci hac occaſione in alia die anni conſecrant tantùm illum panem, quem conſumere poſſunt, ſed Euchariſtiam quam die Cœnæ conficiunt, confectumque illo die Sacramentum, per totum annum conſervant, ut inde infirmis miniſtretur, ut ipſis infirmis major virtus conferatur.

Eumdem errorem docuerunt anno Domini MCLX. tempore Friderici Imperatoris, & Alexandri III. Papæ, *Uvaldenſes* Uvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno. Hæc hæreſis in nullo Concilio invenitur expreſſè damnata, benè vero in Sacra Scriptura, in qua manifeſtè colligitur, Euchariſtiam ex ſua inſtitutione habere virtutem, & eſſe Sacramentum præſtantiſſimum independentèr à circunſtantia temporis, loci, & perſonæ operantis, cùm omne illud, quod habet, habeat ex opere operato. Et ex hoc capite conferat gratiam, ut dicunt communiter Theologi.

§. Unicus.

Statuis Veritatem Articuli.

1. Corint. 11. UT Græcorum, & Uvaldenſium error appareat audiendus eſt Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 26. dicens: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ibi enim nullum diem ſpecialem deſignat, ſed omnes dies comprehendit, cùm dicat: *quotieſcumque*: Igitur ſi quocumque die, quacumque hora, Sacerdos proferat verba Chriſti cum debita intentione ſuper panem, & vinum, conficiat verè corpus Chriſti, certum eſt quòd dum hæc omnia fiunt & verba Sacramentalia ſuper panem, & vinum debitè proferuntur in die Cœnæ Domini, ſeu Feria quinta majoris hebdomadæ, non habent majorem virtutem, quam dum proferuntur in alio die anni. Nec poſſunt Hæretici contradicere Apoſtolo cùm dicat quod tradidit nobis, quòd à Domino acceperat, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus, ubi ait: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus &c.* Quibus conſtat, Hoſtiam conſecratam in die Cœnæ non habere majorem virtutem, quam eam, quæ in alio die conſecrata fuit, cùm tam manducans iſtam, quàm manducans illam annuntiet mortem Chriſti, cùm ex textu relato conſtet, Apoſtolum accepiſſe à Domino Euchariſtiam habere totam ſuam virtutem à verbis Chriſti, quæ ſemper ſunt eadem. Et à præſentia ſua reali ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ ſemper exiſtit in Hoſtia conſecrata, non vero à tempore, nec à die, aut hora, quoniam Sacramentum ab illis non dependet, *Luc. 22.*
ſed ex materia & forma, pane ſcilicet, & ex Chriſti verbis, ſcilicet *hoc eſt corpus meum*, debita intentione à Sacerdote prolatis. Chriſtus enim dicens, Luc. 22. Apoſtolis ſuis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Non dicit, Sacramentum hac ſola die eſſe conficiendum. Nec hac ſola die, Sacramentum habere majorem virtutem, nullamque eis temporis legem, aut prærogativam præſcripſit, ſed abſolutè dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ideoque Euchariſtia, nullo tempore, nullaque diei circunſtantia ſit virtute major, certum quidem eſt quód ſi Euchariſtia eſſet major ratione diei Cœnæ ultimæ, ſeu Feriæ quintæ majoris hebdomadæ, Chriſtus dierum diſcrimen ſtatuiſſet, & dixiſſet, ſi hoc feceritis hac die, majorem virtutem habebit Sacramentum, quàm alio quolibet die, quoniam nihil omiſit eorum, quæ ad ſanctitatem ducunt, & naturam Sacramentorum exprimunt; hoc tamen non dixiſſe conſtat, nec poterunt Hæretici textum aliquem adducere ex Sacra Pagina: ergo inſani ſunt Græci, dum exiſtimant, Hoſtiam conſecratam Feria quinta majoris hebdomadæ, eſſe majoris virtutis, quàm ſi conſecraretur altera die. Et abſque ulla cauſa ſervant per totum annum Sacramentum eo die confectum, ut inde infirmis miniſtretur. Nullum quidem beneficium ex hoc Sacramento recipit communicans, quod non ſit ex opere operato in cruce à Chriſto, vel ex opere operantis, ſeu ex diſpoſitionibus dignè communicantis, & nullatenus ex die conſecrationis, vel communionis.

Unde Chriſtus Euchariſtiæ virtutem nobis exprimens, Joan. 6. verſ. 55. ait. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Et verſ. 57. *in me manet, & ego in eo;* Quin indicet fructuoſius eſſe manducare hunc panem Feria quinta *Joan. 6.*
majoris hebdomadæ, ſeu die Cœnæ Domini, quam alia die, imo quin inde inferri poſſit talis exceſſus virtutis. Quòd tamen indicaſſet, cùm ſit Author, & Magiſter totius perfectionis & virtutis, & ab ipſo ſolo valeamus veram, atque plenam accipere Sacramentorum cognitionem. Vel ſaltem aliquis Diſcipulus nos docuiſſet, Euchariſtiam confectam Feria quinta majoris hebdomadæ, aut die Anniverſaria Cœnæ noviſſimæ, eſſe majorem & digniorem ratione effectuum, eâ quæ conficitur in alia die anni, ſeu majorem gratiam conferre, quàm ea, quæ conficitur in alia die, nullus tamen hoc dixit: ergo id merè gratis & voluntarié dictum eſt à Græcis, & ab Uvaldenſibus, cum ex nullo capite juſtificari poſſit dictum, ſeu propoſitio eorum; ac proindè Hæretici cenſendi ſunt, quia Hæreticum eſt Sacramentis addere, vel minuere reſpectu eorum, quæ virtutem & ſubſtantiam Sacramentorum concernunt, ut declarat Sacra Tridentina Synodus.

Græci & Uvaldenſes hujus hæreſis Defenſores nullam rationem afferunt, qua poſſit probari, Euchariſtiam confectam Feria quinta majoris hebdomadæ, excedere in virtute & beneficio eam, quæ conficitur in alio die, ex quo concludendum eſt, hunc errorem eſſe purum ipſorum Græcorum & Uvaldenſium figmentum. Reverà idem dici poteſt de

dc alijs erroribus, & hæreſibus cùm ſint contra Sacram Scripturam, quæ eſt vera regula Fidci, & magiſtra veritatis divinæ, à qua Eccleſia Catholica à Spiritu Sancto directa, didiſcit omnem veritatem, tamen Hæretici in alijs erroribus fulciuntur aliquò textu ſaltem malè intellecto, at in iſto errore nullum textum afferunt, ideoque in hoc errore Græci & Uvaldenſes, ſunt non ſolum nequiores, ſed etiam inſaniores, quàm in alijs erroribus, quos diſſeminare conati ſunt in contemptum Eccleſiæ Romanæ.

ARTICULUS XLVI.

Docet adverſus Tanchelimiſtas, Euchariſtiam, maximam dignè ſumentibus conferre gratiam.

MAſſaliani, vel ut alij volunt, Meſſaliani, qui inſurrexerunt circà annum Domini ccclxxx. *Maſſaliani.* tempore Valentis Imperatoris, & Damaſi Papæ. Viri iſti verè Hæretici diverſa ſuſceperunt nomina, *Euchita.* nam quidam eos vocant Euchitas, id eſt, Orantes, & alij Enthuſiaſtas, hoc eſt, Sacrificatores, alij tan- *Enthuſiaſta Phanatici.* dem vocant eos Phanaticos ob extaſes & raptus quibus divinas inſpirationes jactitabant. Horum Hæreticorum Patroni, & Authores præcipui fuerunt Dadoes, Sabbas, Adelphius; Hermes, & Simeones, qui ſe Prophetas eſſe, ſeque Sanctam Trinitatem oculis corporeis videre jactabant, ſeque ad tantam Dei ſimilitudinem venire poſſe; ut amplius peccare non poſſent. Et ità erant à Dæmone illuſi, ut negarent Euchariſtiam eſſe Sacramentum ſalutare, nam voluerunt hoc Sanctiſſimũ cibum non habere virtutem communicativam, dicebant enim, Euchariſtiam non prodeſſe homini quidquam, nec obeſſe communicantibus; quamvis crederent, Chriſtum inſtituiſſe eam.

Huic hæreſi adhæſerunt Armeni anno DCXL: ſed non in omnibus, dicunt enim Euchariſtiam tantum corporis ſaluti prodeſſe. In hoc differunt à Maſſalia- *Armeni.* nis, qui credunt, Euchariſtiam eſſe inutilem animæ & corpori.

Eundem errorem poſteà; ſcillcet anno MCCXXIV. ſub Henrico V. Imperatore, & Calixto II. Papa ab inferis ſuſcitavit Tandenius, vel Tanchelinus Laicus Antuerpienſis, quem profligavit S. Norbertus Ar- *Tanchelia.* chiepiſcopus Magdeburgenſis. Hic enim Laicus negabat corporis & ſanguinis Chriſti perceptionem ſumentibus ad ſalutem prodeſſe. Et ut hunc errorem diſſeminaret, pretioſo habitu, & veſte deaurata incedebat triplici funiculo crinibus intortis, verbis perſuaſibilibus; & conviviorum apparatibus; eos, qui illum circiter tria millia armati ſequebantur, alliciebat, & per eos in ſibi reſiſtentes cædibus ſæviebat. Qui ei in tantum credebant, cum adeo reverebantur, ut aquam in qua corpus ſuum lavabat, biberent, & pro reliquijs aſportarent (ità refert Sigibertus) erat tamen vir tantæ incontinentiæ, & impietatis, ut Filias in Matrum præſentia, & Sponſas, Maritis intuentibus, corrumperet, aſſerendo id opus eſſe ſpirituale, & neceſſarium ad ſalutem; ut aſſerit idem Doctor, ab hoc itaque Hæretico ſeducti Antuerpienſes à fide receſſerunt, & quia portæ inferi non prævalebunt adverſus Eccleſiam, Deus ſuſcitavit prædictum S. Norbertum, virum Sanctum & Doctum, quo prædicante, Viri, ac Mulieres compuncti, corpus Dominicum quod in foraminibus per decem annos & ampliùs repoſuerant, attulerunt; & per ejus Doctrinam paulatim ad Sanctam Fidem reverſi ſunt prædicti Antuerpienſes, ut conſtat Teſtimonio plurium Doctorum, errores Taodenij, vel ut alij dicunt, Tanchelini, recenſentium.

§. I.

De Canonica erroris Proſcriptione.

HAnc hæreſim debellarunt in Oriente Epiſcopi, præſertim Leo Melchinenſis, qui ut Meſſalianos arceret à ſuis ovibus, eorum ſpeluncas incendit. *Hujus hæreſis proſcriptio.* Amphilochius Iconienſis, qui eos pariter à ſuo grege procul abegit, & Flavius Patriarcha Antiochenus, qui Adelphium ſectæ ducem, & ſenem inveteratum convicit, & ad fidem Eccleſiæ Catholicæ reduxit. At non obſtante hac proſcriptione, aut reportatâ victoriâ contra Meſſalianos, addo quod hanc ipſam hæreſim damnant plura Concilia, & præcipuè Florentinum ſub Eugenio IV. celebratum, quod de Euchariſtia ſermonem faciens in definitione Fidei Armenis data de Sacramento Euchariſtiæ, cùm dixiſſet: hujus Sacramenti effectum, quem in animâ operatur dignè ſumentis, eſſe adunationem hominis ad Chriſtum, ſtatim hujus rei cauſa præferens, ait: *Florentinum.* *Quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt quod per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, ſubſtentando, augendo, reparando, & delectando; Sacramentum hoc quoad vitam operetur ſpiritualem in quo inquit Urbanus Papa gratiam Salvatoris noſtri recenſentes memoriam à malo retrahimur; confortamur in bonum, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.*

Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. inquit: *Ergo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit; ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit hoc Sacramentum, tanquam ſpiritalem animarum cibum, quo alantur, & conſortentur viventes vita illius qui dixit, qui manducat me, & ipſe vivet propter me, & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis; & à peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis &c.* *Tridentinum.* Quibus verbis liquidò conſtat, Euchariſtiam multum prodeſſe dignè ſumentibus eam, & eſſe neceſſariam ad augendam gratiam, & ſanctitatem; eſt enim Sacramentum à Chriſto inſtitutum ad conferendam gratiam, & in hoc convenit cum alijs novæ Legis Sacramentis, eſtque Sacramentum vivorum, ſeu inſtitutum ad augendam primam gratiam.

§. II.

Probat hoc Sacramentum eſſe cauſam gratiæ ſanctificantis.

HOc verum eſſe patet ex teſtimonio Chriſti Joan. 6. dicentis in laudem hujus Sanctiſſimi Sacra- *Joan. 6.* menti, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo Die. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Nonnè bonum eſt, & ſalutare, tot, tantaque beneficia habere? Multum igitur prodeſt Euchariſtia illi, qui dignè recipit eam, cùm hæc omnia ei conferat ex opere operato, nec poſſit illi majora conferre, quippè homo viator, Fidelis, & Juſtus nihil recipere poteſt, quod illi magis proſit, cùm nihil majus, nihil glo-

I.11

rioſius ſit quàm habere vitam æternam & manere in Deo, *omnis enim*, inquit D. Joannes Epiſt. 1. cap. 3. verſ. 6. *Qui in eo manet, non peccat, & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*, ex quo ſequitur quòd per dignam hujus Sacramenti receptionem, maximum bonum advenit illis, qui dignè manducant corpus, & bibunt ſanguinem Domini, ut facilè colligitur ex illo Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Nam ſi illi, qui non manducant illam, non habeant vitam æternam; illi, qui eam dignè manducant, recipiunt vitam æternam, & ab illis omnis prorſus peccati culpa abigitur, & charitas augetur in eis. Quia nemo manet in Deo, nec Deus in homine ſpeciali exiſtentia, niſi per charitatem, ut teſtatur idem D. Joannes loco citato cap. 4. dicens: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Unde ſi ille, qui manducat carnem Chriſti, & bibit ejus ſanguinem, in illo maneat, ut certiſſimum eſt, manet etiam in charitate & dilectione, ac proindè in ſtatu perfectiſſimo, mediante Eucharistia dignè ſuſcepta, cùm in ipſa ſit verè, & ſubſtantialiter Chriſtus, qui eſt vera charitas, & pulchra dilectio.

Eucharistia gratiam confert illis qui eam dignè recipiunt

Idem colligitur ea Etymologia nominis; nam Euchariſtia idem ſignificat, quod Latinè, bona gratia, hoc quippè vocabulo ſuadetur, quod Euchariſtia gratiam confert ſumentibus, imò in hoc Sacramento non ſolùm datur gratia, ſed etiam ille, à quo eſt omnis gratia. Deinde Euchariſtia confertur tanquam memoriale Paſſionis Chriſti, ut teſtatus eſt ipſemet Chriſtus, dum dixit: *Hæc quotieſcumque feceritis, in meam memoriam facietis*; Ideoque digna Euchariſtiæ ſuſceptio, operari debet aliquid ergà dignè ſuſcipientes, quod Chriſti Domini Paſſio operata eſt ergà genus humanum: hæc autem Paſſio fuit gratiarum omnium Fons: idcircò pari ratione, Euchariſtia copioſum gratiæ cœleſtis imbrem in eam dignè ſuſcipientes debet effundere, imò de facto effundit, ut docet Innocentius lib. de Sacramentis, dicens: *Per Crucis Myſterium eripit nos à poteſtate peccati, per Euchariſtia Sacramentum eripit nos à voluntate peccandi: Nam Euchariſtia ſi dignè ſumatur, à malo liberat, in bono confirmat; venialia delet; & mortalia*; quô beneficiô nullum majus in hac vita mortali habere poſſumus; cùm ipſo ſimus Juſti & Cohæredes Chriſti.

In Euchariſtia recolitur Paſſionis Chriſti memoria

Innocentius Papa I.

Inſuper Chriſtus Dominus in hoc adorando Euchariſtiæ Sacramento nobis donatur per modum cœleſtis alimoniæ, ait enim in Evangelio, *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, idcircò eos in nobis producit effectus, quos terreſtris cibus, & potus corporibus præſtant, undè cum cibus materialis proſit homini; quia nedùm ſuſtentat corpus, ſed etiam auget, reparat, & delectat, pari ratione, Euchariſtia animam jam viventem vita ſpirituali novô gratiæ ſubſidiô roborat, ſuſtentat, atque delectat, amplioreſque ei dat Sanctitatis gradus, quibus anima roborata vegetior fit, & promptior ad Dei obſequium, fortior ad reſiſtendum tentationibus, ad adverſa quoque toleranda conſtantior, & ad virtutem ſectandam zelantior, quia ut ait D. Bernardus, Euchariſtiâ homo fit manſuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagatior ad cautelam, ad obedientiam pronior, & ad gratiarum actionem devotior. Multum igitur prodeſt Euchariſtia dignè ſumentibus eam.

Divina Euchariſtia effectus.

Nec mirari debent Hæretici. Quoniam ſi illi, qui indignè manducant hunc panem, damnationem ſibi manducant, ut inquit Apoſtolus, dicendum eſt quòd illi, qui dignè manducant illum, ſalutem ſibi acquirunt. Eſt alia ratio cur mirari non debent, quia ſi Chriſtus innumera beneficia contulit ijs in quorum Tecta mortalis receptus eſt, vel ijs, qui veſtem ejus tetigerunt, quanto magis contulerit ea illis, qui carnem ejus manducant, ejuſque ſanguinem bibunt, cum à corpore Chriſti fuerit hæc veſtium & contactuum virtus. Quare inquit D. Chryſologus ſerm. 34. *O quam docuit Mulier quantum ſit corpus Chriſti, quæ in Chriſti fimbria tantum eſſe monſtravit. Audiant Chriſtiani, qui quotidie corpus Chriſti attingunt; quantum de ipſo corpore ſumere poſſunt medicinam; quando Mulier totam rapuit de ſola Chriſti fimbria ſanitatem.* Taceant igitur Hæretici dicentes nihil prodeſſe manducare carnem Chriſti, panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo; ut conſtat ex Evangelio Joan. 6. Eſt enim ſacrum convivium; in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus; mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

D. Chryſol.

Joan. 6.

Deindè anima virtute hujus Sacramenti ſpiritualiter reficitur & veluti dulcedine bonitatis divinæ inebriatur, ut colligitur ex illo Cant. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini cariſſimi*; cujus utique divini cibi ſuavitatis, ac dulcedinis egregiam figuram præbuit manna, de quo ità Sap. 16. verſ. 20. & ſequentibus dicitur: *Pro quibus Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Subſtantia enim tuá dulcedinem tuam, quam in Filios habens, oſtendebat, & deſerviens uniuſcujuſque voluntati; ad quod quiſque volebat; convertebatur.* Sanè panis ille maximæ utilitatis erat populo Dei, licet eſſet tantùm figura Euchariſtiæ, ſeu carnis Chriſti modò exiſtentis ſub ſpeciebus panis & vini; ut tradunt Sacri Expoſitores, idcircò ipſa Euchariſtia majora beneficia conferre debet Chriſtianis; qui dignè ac debitè ſuſcipiunt illam. Realitas enim majorem virtutem habet, quàm figura; & corpus quàm umbra, ideoque magis prodeſt Euchariſtia illis, qui dignè eam manducant, quàm Manna populo Iſraëlitico. Hinc eſt quod *oportet gratiam Euchariſtiæ inſtantèr quærere, deſideranter petere, patienter & fiducialiter ſpectare; gratanter recipere, humiliter conſervare; ſtudiosè cum ea operari, ac Deo terminum & modum ſupernæ viſitationis donec veniat committere*, inquit Thomas à Kempis de Imitatione Chriſti lib. 4. cap. 15. Hujus Sanctiſſimæ admonitionis, utiliſſimique ſtudij cauſa eſt, quia inquit D. Cyprianus, *in Cœna Domini mira ſunt, quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita; quæ loquitur, quem Agnus iſte Paſchalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat, & delectat*, quapropter nullum eſt Sacramentum Euchariſtiâ dignius, nec utilius Fidelibus Chriſtianis, qui vivunt vitâ ſpiritali per gratiam. Sicut nihil utilius eſt viventi, quàm cibus; ità nihil juſto melius quàm Euchariſtia, quæ eſt verè cibus, cujus digna manducatione anima reficitur.

Cant. 5.

Sap. 16.

Thomas à Kempis.

D. Cyprianus.

Divus Bonaventura Doctor Seraphicus in Opuſculo de præparatione ad Miſſam, tot, tantaque Euchariſtiæ beneficia contemplans, inquit: *Tolle hoc Sacramentum de Eccleſia. Et quid erit in mundo, niſi error & populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum diſperſus & Idololatria deditus; ſicut patet expreſſè in Infidelibus; nam per hoc Sacramentum ſtat Eccleſia, roboratur fides, viret, & viget Chriſtiana Religio; & divinus cultus.* Huic ſententiæ favere videtur Eccleſia, quæ poſtulat, ut hoc Euchariſtiæ Sacramentum ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra omnia mundi pericula Firmamentum, ſit vivorum, atque mortuorum remiſſio omnium delictorum.

D. Bonaventura.

Tandem Euchariſtiæ utilitas, aut beneficia patent ex eo quòd verè cauſet perſeverantiam in gratia & gloriæ æternæ adeptionem, nam per ipſam Euchariſtiam mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Inſuper

inſtituta fuit per modum cibi nutrientis, & foventis vitam ſpiritualem, & præſervantis à peccatis mortalibus, à quâ præſervatione naſcitur perſeverantia in gratiâ, cùm impediat deſtructionem gratiæ, quæ per ſolum peccatum deſtruitur. Undè Propheta Re-*Pſal. 103.* gius Pſ. 103. ait: *Ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet.* Reverà Propheta loquitur de pane, qui de terra educitur, ſi juxtà ſenſum litteralem intelligatur, tamen verba ipſius nobiliori modo exponi poſſunt de Pane Euchariſtico: nam ſi panis de terra eductus, & hominibus datus à Deo Proviſore omnium, cor hominis confirmet, quantò magis potiùs ille Panis cœleſtis, qui nobis datus eſt ut fatiſcentem animam fulciat, ut confirmatam tueatur, ut Chriſtum ſequentes, ejuſque crucem jugitèr portantes, atque in via Perfectionis, Pœnitentiæ, ac Mortificationis fatigatos reficiat. Hinc eſt quòd S. Ignatius in Epiſt. ad *D. Ignatius* Epheſ. ſic eos hortatur: *Studete frequenter accedere ad Euchariſtiam, & Dei gloriam; quando enim hoc ipſum aſſiduè agitur, expelluntur Satanæ poteſtates, qui ſuos actus convertit in ſagittas ignitas ad peccatum.* Quippè idem S. Doctor & Martyr Epheſios ſic allocutus eſt, ut ipſis oſtenderet, Sacram Euchariſtiam habere virtutem expellendi Dæmones, & peccata, quibus à nobis aufertur gratia.

Hæc eſt mens Pſalmiſtæ Pſal. 22. qui ſpiritu Pro-*Pſal. 22.* phetico dicebat: *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt.* Quæ verba exponens S. Chryſoſtomus addit: *Tanquam* *D. Chryſoſt.* *leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedimus, facti Diabolo terribiles.* Nam ſi in Nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, ut monet Apoſtolus, tremantque Poteſtates, certum eſt quòd recedens à dignè communicante, in quo Chriſtus reſidet ut Pater & Cuſtos, ad Dæmones accedit.

Quantùm verò ad adeptionem gloriæ patet ex illis verbis Chriſti Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum.* Vita enim æterna, eſt vita gloriæ: igitur Euchariſtia cauſat gloriam juxtà illud D. Auguſtini Tract. 25. in Joan. *Cum cibo & potu id appetant homines, ut non eſuriant, neque ſitiant, hoc ve-*D. Auguſt.* raciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit in ſocietate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena atque perfecta.* Et D. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, inquit: *Animas eorum, qui hoc Sacramentum in fine vitæ* *D. Chryſoſt.* *ſuſcipiunt ab Angelis, propter aſſumptum illud Sacramentum recta ad cœlum via deduci, eorum verò corpora ſatellitum more ſtipantibus Angelis in vitam æternam cuſtodiri.* Idem ſuadetur antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, quo Sacerdos dum alteri Sacram Euchariſtiam præbet, ait illi: *Corpus Domini Noſtri Jeſu-Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.*

§ III.

De Beneficio hujus Sacramenti erga corpus Communicantis

EUchariſtia prodeſt etiam corpori ſumentis; eſt enim cordis caſtimonia, & corporeæ puritatis propagatio, ut colligunt Sancti Patres ex illo Za-*Zachar. 9.* chariæ 9. *Quid eſt bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines.* Quia qui Panem Euchariſticum dignè manducant, uniuntur Chriſto totius Sanctitatis & Puritatis Fonti, ut docet Concilium Florentinum, declarans adunationem hominis ad Chriſtum, eſſe effectum hujus Sacramenti.

Idem confirmat S. Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 17. dicens: *Si quis cera liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam commiſceat neceſſe eſt, ſic* *D. Cyrillus* *qui Carnem & Sanguinem Domini recipit, cum ipſo ità conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.* Huic authoritati favet teſtimonium Chriſti Joan. 6. verſ. 57. dicentis: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Hoc enim eloquio clarè demonſtratur Unio communicantis cum Chriſto puritatis Fonte. Undè Paſchaſius lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 21. ait: *Felix fructus ubertatis ex quo Virginitas germinatur;* *Paſchaſius.* *nam hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur, ab iſto verò Virgines procreantur.*

Denique Euchariſtia eſt fomitis appetitus ſenſitivi mitigatio, & ſævientium paſſionum refrænatio ac moderatio, ut tradit S. Cyrillus loco citato, ubi inquit: *Pias quæſo caſtigationes ſuſcipiat, ſtudioſè, ſanctéque vivas, & benedictione particeps, quæ (mihi crede)* *D. Cyrillus.* *non mortem ſolùm, verum etiam morbos omnes depellit: ſedat enim cum in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum Legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, ut ſicut bonus Paſtor qui animam ſuam pro ovibus ſuis poſuit, ab omni nos eripit caſu.* Itaque hæreticum eſt dicere cum Maſſalianis, Tanchelino, & aliis Fidei Catholicæ inimicis, quòd Euchariſtia nihil prodeſt dignè ſumentibus illam, quippè Sacramenta Novæ Legis ſunt practica & operativa, & ideò multa bona producunt, ſi non ponatur obex. Hæreticum eſt etiam dicere quòd non officit indignè ſumentibus eam: nam teſte Apoſtolo, qui hunc Panem manducat, & bibit indigne Sanguinem Domini, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: Et qui manducat, & digne bibit, ſalutem ſibi manducat, & bibit (cùm ibi judicium ſumatur pro condemnatione) contrariorum enim eadem eſt ratio.

Apud Hæreticos nulla invenitur ratio contrà virtutem Euchariſtiæ, & ideò non poſſum eorum errorem, aut hæreſim oſtendere ex nullitate Argumentorum, quibus ſolitò utuntur in aliis hæreſibus tuendis. Nec miror ſi deſit ratio Articulum noſtrum impugnans, quia nihil evidentiùs eſt quàm Euchariſtiæ utilitas, aut beneficia, quæ ſuſcipiunt dignè communicantes. Undè Propheta Regius in perſona hominis dignè communicantis exclamat, dicens: *Cor meum & Caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et D. Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 4. ait: *Iis qui hoc Sa-* *D. Damaſc.* *cramentum per fidem dignè ſuſcipiunt, in peccatorum remiſſionem, & vitam æternam, animique & corporis præſidium cedit.* Quibus verbis liquidò conſtat, dignè communicantes plures effectus recipere beneficiò Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Porrò ſi Hæretici nolint Prophetas audire, nec Sanctos Patres ſuprà citatos, intueantur Martyres; qui gladiatorio Euchariſtiæ cibo vegeti, tanquàm leones ignem ſpirantes facti ſunt Tyrannorum metus, & interni terror, ut refert Concilium Carthaginenſe ſcribens ad Cornelium Papam, his verbis: *Ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis & Corporis Chriſti muniamus, & cùm ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra Adverſarios volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus.* Patres hujus Concilii per hæc verba nos docent, Sacram Euchariſtiam eſſe cauſam & radicem fortitudinis & conſtantiæ Martyrum.

ARTICULUS XLVII.

Declarat contra Græcos, Peccatores ad Menſam Domini accedentes, recipere Corpus Domini.

GRæci de quibus ſæpè locuti ſumus in præcedentibus Articulis, dicunt quód ſi Peccatores accedant ad Menſam Domini, & à Sacerdore Panem *Græci.* conſecratum accipiant, non recipiunt tamen corpus Domini, nec carnem ejus manducant, nec ſanguinem ejus pretioſum bibunt; licèt ſpecies Sacramentales ſumant. Ita teſtantur Prateolus, Guido Carmelita, & alii Scriptores errores Græcorum recenſentes.

Sunt alii Hæretici, qui hunc Græcorum errorem ſequuntur, ſed eorum nomina ignoramus. Nam Petrus Lombardus, qui vulgò Magiſter Sententiarum dictus eſt in lib. 4. Sentent. diſt. 9. poſtquàm recenſuit quorumdam Sanctorum teſtimonia, quæ huic errori apparentet favere videntur, ſtatim ſubdit: *Quidam obtruſo corde legentes, erroris caligine involuti ſunt, adeòut præſumpſerint dicere, corpus & ſanguinem Chriſti, à bonis tantùm ſumi, & non a malis.* Indè enim conſtat, olim fuiſſe aliquos, qui hunc errorem tuerentur, licèt eos non nominet, nec in ejuſdem Magiſtri Commentariis nominentur. Ex hoc etiam deſumi poteſt, Hæreticos hujus hæreſis Patronos, noo eſſe Græcos tantùm, quia ipſe Petrus Lombardus eos nominaſſet, cùm ubi de ipſis eſt controverſia, nominet eos, ut patet in Scriptis hujus celeberrimi Magiſtri: Igitur prætet Græcos, habemus alios Hæreticos hîc impugnandos.

§. I.

Declarat Peccatores communicantes recipere ſubſtantialiter corpus Domini.

COntrà haoc hæreſim nullum expreſſum adinvenui Concilium; plures tamen ſunt in Jure Canonico Textùs, qui eam rejiciunt, ut videri poteſt apud Eminentiſſimum Cardinalem noſtrum de Laurea Epitom. Canonum, nec-non in SS. Patribus, quibus evidenter oſtenditur, Chriſtum non recedere à ſpeciebus Sacramentalibus ad acceſſum Peccatoris, *Validum pro veritate Articuli firmanda Argumentum.* qui licet non recipiat hujus Sacramenti effectus, ſcilicet gratiam & vitam; recipit tamen idem corpus quod recipiunt Juſti, hinc eſt quòd Eccleſia in Proſa, quæ decantatur in Miſſa de Sanctiſſimâ Euchariſtiâ, ait: *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitûs.* Id enim quód tàm boni, quàm mali ſumunt, eſt Euchariſtia, & id ex quo provenit inæqualitas ſortis, eſt dignitas & indignitas, ſeu diſpoſitio communicantis, quæ ſi bona ſit, corpus aut manducatio prodeſt, ſi veró mala, obeſt.

Idem aſſerit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. v. 29.
1. Cor. 11. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ex quo etiam ſequitur, hominem indignum manducare corpus Chriſti; licèt talis manducatio ſit illi valdè incommoda, hoc eſt, licet ei damnationem & judicium inferat, hoc quidem judicium nequit illi inferri, niſi quia malè & indignè accepit corpus Domini. Certum eſt enim quód ſi indignè accedens, ſeu Peccator communicans non reciperet corpus Domini, ſicut dignè accedens, aut Juſtus, & habens veſtem nuptialem, ut volunt Græci, ex illa ſuſceptione Euchariſtiæ nollum malum ei accideret, quoniam nullus poteſt de eo dicere quòd malè recepit corpus Dñi, ſi corpus Domini non recepit, cùm benè vel malè recipere, ſit modus, qui ſubſtantiam rei acceptæ ſuppoit, nec valeat verificari an benè, vel malè receperit, niſi priùs illud receperit.

Hoc pariter probatur exemplô de Judâ Proditore, qui licet eſſet peccator, ut conſtat ex Evangelio, in quo legitur, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis congregatis: *Unus veſtrùm Diabolus eſt.* Tamen nonobſtante illâ indignitate, ſeu peccato, recepit corpus Domini, ut coostat ex illo Matth. 26. verſ. 26. *Cœnantibus autem eis, ſcilicet Apoſtolis, accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, &* *Exemplum Judæ Proditoris.*
ajt: Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hoc enim loco ſuadetur, Judam fuiſſe unum ex illis Diſcipulis âdſtantibus: cùm nullus excipiatur, acproindè ipſum Judam manducaſſe carnem Domini, ac bibiſſe Sanguinem ejus, cùm S. Marcus fateatur, omoes ex conſecrato calice bibiſſe, dicens: *Biberunt ex eo omnes.* Hoc eſt, omnes Apoſtoli biberunt eumdem Sanguinem, eamdemque carnem comederunt, & ideò Judas Proditor; cùm eſſet unus ex illis, manducavit corpus Domini, quamvis eſſet peccator, & judicium ſibi manducaverit & *D. Gregor.*
biberit. Undè D. Gregorius lib. 7. Epiſt. 126. ad Recaredom Regem citatus in can. 48. cauſæ 7. q. 1. circà finem, ait: *Ecce elongavi fugiens, non loco ne rumpatur charitas bonorum, ne perdatur exercitium malorum, quos Deus admiſcet, ut Judam Apoſtolis, quem quamvis furem eſſe ſciret; tamen ad prædicandum miſit, & ei Euchariſtiam dedit, docent, in Eccleſia tolerari malos, non obeſſe bonis malorum conſortia, quando verò omnium ſubditorum eſt obſtinata malitia, nec prodeſt ei Prælatorum præſentia. Tunc etiam licet corpore ab eis recedere, ne & illorum nequitia ſemper indeterius proficiat, & iſti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu poſſet invenire.*

Idem docet D. Auguſtinus relatus in can. 68. de conſecrat. diſt. 2. ubi ait: *Sicut Judas cui buccellam tra-* *D. Auguſt.*
didit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit, ſic indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum, non efficit ut quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit; corpus enim Domini, & ſanguis Domini, nihilominus etiam erat de illis quibus dicebat Apoſtolus: Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Et in Pſal. 10. exponens hæc verba: *Juſtus autem quid fecit, ait: Chriſtus quid fecit vobis, qui Traditorem ſuum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, in ore ſuo commendata, ſicut cæteris Apoſtolis traderet.* Ex quibus ſequitur, Jeſum dediſſe corpus ſuum peccatori, ſeu illi, de quo dixerat: *Verumtamen manus Tradentis mecum eſt in menſa.* Ità etiam credit Eccleſia Romana, ut conſtat ex hymno in quo legitur: *Cibum turba duodena, ſe dat ſuis manibus,* quoniam per hæc verba oſtendit, Judam recepiſſe idem corpus Domini, quod receperunt alii Apoſtoli; alioquin turba illa non fuiſſet duodena; cùm excluſo Juda, non duodecim, ſed undecim tantùm ſint Apoſtoli.

Denique ſi Sacerdos malus, aut peccator profert verba Sacramentalia ſuper Panem cum debitâ intentione, certum eſt quòd validè & verè conſecrat; quamvis hujus Sacerdutis actio ſit verè, & omninò illicita, ut in proprio loco dictum manet, ideò communicans malus, recipit corpus Dñi; quippècùm non deſinat Tranſſubſtantiatio, dum conſecratio fit à peccatore, nec corpus Dñi recedat à ſpeciebus panis & vini ob peccatum Miniſtri. Nec ob peccatum communicantis recedit à peccatore, à quo ſumitur indignè idem corpus, quod non expellitur à peccato, quô expellitur gratia ſanctificaus.

Hæretici dicent, Judam viſa unguenti pretioſi in Bethania ſuprà Chriſti pedes effuſione, murmuraſſe, & à Chriſto reprehenſum deſeruiſſe cæteros Apoſtolos, & ad Principes Sacerdotum illicó properaſſe,

ut eis Chriſtum traderet; acproindè Cœnæ cum cæteris non adfuiſſe, nec Sacram Euchariſtiam recepiſſe.

Matth. 26. Sed hæc ratio non valet, conſtat enim de oppoſito ex illo Matth. 26. verſ. 25. *Reſpondens autem Judas qui tradidit eum, dixit, numquid ego ſum Rabbi? ait illi, tu dixiſti,* quibus liquet quòd Judas erat præſens, & aſſiſtens in Cœna cum cæteris Apoſtolis, ſtatim enim & immediatè idem Evangeliſta ſubjungit loquendo de Cœna Euchariſtica: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem benedixit, fregit & dixit: accipite & manducate ex hoc omnes.* Quòd probat, Judam non *D. Hieron* receſſiſſe ab illa Cœna, ſed manducaſſe carnem, & bibiſſe ſanguinem Domini, ut affirmat S. Hieronymus exponens illud Marci, *biberunt ex eo omnes*, ùbi ait: *Et Judas bibit, & non ſaturatur, nec ſitim extinguit ignis æterni, qui indignè myſteria Chriſti ſuſcipit.* Hinc eſt quòd Theologi communitèr ex facto Chriſti Judam communicantis, volunt peccatores occultos non eſſe arcendos à communione, ut præcipitur in can. 66. de conſecrat. diſt. 2. ubi habetur quod non prohibentur mali de menſa Domini manducare.

Tandèm hæc ipſa veritas colligitur ex 1. cap. Act. verſ. 20. ubi Judas dicitur Epiſcopus, & Sacerdos, ſicut ſcriptum eſt Pſal. 108. *Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Nam Apoſtoli ordinati ſunt Sacerdotes, & E- *Act. 1.* piſcopi tantùm in inſtitutione & manducatione Euchariſtiæ, tunc enim dixit illis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & ideo Judas, qui cum aliis Sacerdos fuit inſtitutus, erat ſicut alij Apoſtoli præſens dum Chriſtus dedit illis corpus ſuum ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum.

§. II.

De Reſponſione ad Rationem Græcorum.

Argumentū Græcorum. Græci articulum noſtrum impugnant ex oppoſitione, quæ habetur inter peccatum & Chriſtum qui cùm ſit via, veritas, & vita, neceſſariò recedit à peccatoribus, acproindè non intrat in cor eorum qui cum peccato accedunt ad Sacram menſam. Et ſi recipiunt ſpecies Sacramentales, certum tamen eſt quòd non recipiunt ſubſtantialitèr corpus Domini (inquiunt ipſi Græci) ut probant plures Sancti Patres exemplo Judæ, qui licet receperit panem Euchariſticum, tamen corpus Domini non recepit.

Hæc ratio non nocet, quoniam hæc oppoſitio re- *Reſponſio ad argumentū Græcorum.* peritur inter gratiam accidentalem, & peccatum, quæ non exiſtunt in eodem ſubjecto, & opponuntur demeritoriè, Chriſtus autem non eſt accidens, nec qualitas ſicut gratia habitualis, aut juſtificans: in Euchariſtia enim eſt verè ſubſtantia cauſans gratiam ſanctificantem; ſi in communicante non ponatur obex, at Chriſtus remanet ſub ſpeciebus Sacramentalibus tandiu, quamdiu durant ipſęmet ſpecies Sacramentales, ut in proprio loco dictum fuit contra Lutheranos & ideo intrat in os peccatoris, & in ipſo remanet quamdiu remanent ſpecies; licet ipſe peccator non recipiat effectus, nec fructus, quos recipit ille, qui ſine peccato communicat, ut patet de Juda Proditore, qui recepit corpus Domini abſque ullo beneficio, id eſt, non fuit tanti Sacramenti ſpiritualitèr particeps, ut ex dictis ſupra evidentèr conſtat.

Undè ſi Sanctus Dionyſius, & alij Sancti Patres videantur excludere Judam à communione, aut receptione corporis Domini, hoc debet intelligi de excluſione fructus illius, ut notat D. Auguſtinus ſuper *D. Auguſt.* Joan. Tract. 50. dicens: *Talis erat Judas, & tamen cum Sanctis Diſcipulis intrabat, & exibat, ad ipſam Cœnam Dominicam pariter acceſſit. Converſari cum eis potuit, eos inquinare non potuit, de uno pane. Et Petrus accepit & Judas, & tamen quæ pars Fidelis cum Infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem, quomodo enim ille odor bonus, ſic ille cibus bonus, ſicut ergo bonus bonos vivificat, malos mortificat, qui enim manducaverit, vel biberit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit:* Itaque qui indignè ad Cœnam Domini accedit, verum Chriſti corpus accipit, licet nihil illi proſit, imò maximè obſit, non ipſius panis naturâ, cùm ſit cibus Viatorum, & panis Angelorum qui dat vitam mundo; ſed ipſius accipientis vitio. Ille enim judicium ſibi manducat, & bibit, qui indignè manducat corpus Domini, & bibit ejus ſanguinem: indignitas perſonæ non officit præſentiæ Chriſti, licet ipſius fructus & beneficia impediat, hinc eſt (ut docent plures Theologi) quòd ſi in peccato communicans, perfectè doleret dum ſpecies Sacramentales ſubſiſtunt in ſtomacho, certè reciperet gratiam Sacramenti.

ARTICULUS XLVIII.

Quô contra Lutheranos ad dignam Communionem requiritur in Peccatoribus Confeſſio Delictorum.

Martinus Lutherus docuit, munditiam, & puritatem cordis non requiri ad dignam communionem, nullamque pœnitentiam eſſe neceſſariam etiam peccatoribus ad Sacram menſam accedere conantibus, & cupientibus, ſed ſolam fidem, quâ ſcilicet credant & ſperent ipſi peccatores ſe gratiam ibi conſecuturos; ait enim: *Magnus error eſt eorum, qui accedunt ad Sacramentum Euchariſtiæ, huic fiducia innixi quòd ſint confeſſi, quòd ſi non ſint ſibi conſcii alicujus peccati mortalis, quòd præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria: omnes illi ſibi judicium manducant, & bibunt. Sed ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos*, Ità loquitur ipſe Lutherus de præparatione ad Euchariſtiam, volens inde oſtendere, peccatum, & impuritatem cordis nullatenus obeſſe beneficio communionis, in hoc eum ſecuti ſunt illi Hæretici, qui pro tuendis falſis ejuſdem Lutheri Dogmatibus ſcripſerunt. *Lutherus.*

Eidem errori adhæſit Calvinus lib. 4. inſtitut. c. *Calvinus.* 57. num. 41. ubi requiſitam à Catholicis diſpoſitionem, conſcientiarum torturam ac diram animi divexationem vocat, dicens, eam optimam eſſe præparationem, quam Deo afferre poſſumus, ſi noſtram ei utilitatem, & indignitatem offeramus, ut ſuâ miſericordiâ nos ſe dignos faciat, ſi animos in nos deſpondeamus, ut nos in ipſo conſolemur, ſi nos humiliemus, ut ab ipſo erigamur, ſi nos accuſemus, ut ab ipſo juſtificemur. His enim verbis ſuadet Impijſſimus ille vir, omnes diſpoſitiones ad dignam Communionem peccatoribus neceſſarias tantùm in humilitate, & fide conſiſtere: non verò in Confeſſione, & dolore de peccatis commiſſis. Fateor quod humilitas & fides ſunt veræ diſpoſitiones, ſed præter iſtas certum eſt quòd peccatoribus, neceſſariæ ſunt aliæ, ut anima ab omni peccato mundetur, ſitque digna recipere Euchariſtiæ fructus, ſcilicet Confeſſio & Pœnitentia, quæ ſi deſint, communicans judicium ſibi manducat & bibit, hoc eſt indignè communicat.

§ I.

In quo declaratur, Peccata eſſe confitenda ante Communionem.

LUrhetum, & alios Hæreticos impietatum ejus Fautores damnat Sancta Tridentina Synodus ſeſſ. 13. cap. 7. dicens: *Si non decet ad Sacras ullas functiones quempiam accedere, niſi Sanctè; certè quo magis Sanctitas, & divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cavere ille debet, nè abſque magna reverentia, & Sanctitate ad id percipiendum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum: probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem eſſe neceſſariam, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quamtumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris, quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur.* Ideo hujus celeberrimi Concilij Patres, non ſolùm ad humilitatem, & fidem, peccatores communicare volentes, obligant; ſed etiam ad ſinceram & lacrymoſam peccatorum confeſſionem prinſquam ad menſam Domini accedant, ut patet ex proprijs verbis relatis in qoibus fit expreſſa & formalis mentio confeſſionis præmittendæ.

Concilium Tridentinũ.

Si Hæretici velint, Concilium Tridentinum reponere omnes præparationes & diſpoſitiones in ſola fide, ut de facto volunt plures, qui hoc Concilio contradicentes, credunt Patres ibi locutos fuiſſe de confeſſione fidei, non verò de confeſſione peccatorum, allucinaotur, quia oppoſitum expreſſè declarat in can. 11. ejuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum Sanctiſſima Euchariſtia Sacramentum, Anathema ſit. Et nè tantum Sacramentum indigno, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quamtumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Sanè nihil hoc clarius diei poteſt, ut Hæretici agnoſcant, ad dignè ſumendam Sacram Euchariſtiam, ſolam fidem non ſufficere peccatoribus, ſed inſuper requiri peccatorum confeſſionem, necnon firmum propoſitum non peccandi de cætero.

1 Corint. 11

Idem ſuadet Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 11. ubi reprehendens eos, qui nullam hujus cibi, ſeu panis cœleſtis ab alio differentiam faciunt, docet eos modum, quô ſe præparare debent ad dignam corporis Dñi ſuſceptionem, dicens: *Probet autem ſeipſum homo*, hoc eſt, examinet homo conſcientiam ſuam, *& ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*: Hoc eſt, ſcrutetur vitam, ſtatum, propenſiones, diſpoſitiones, vitæ rationes excutiat, & recognoſcat argumentis pœnitentiæ ſuæ, fidelitatis. Et firmitatis animi in peccata mortalia non relabentis, quod in ſe nullum habeat peccatum. Fideli examine confirmet & oſtendat ſe habere cor ad Sacram Synaxim paratum. Quid enim eſt ſeipſum probare, niſi inquirere vitam ſuam & diſquirere de operibus tam Internis, quàm externis (peccamus enim verbo, cogitatione, & opere) an juſta fuerint, aut aliqua ſint expiatione digna?

1. Theſſ. 15

Idem Apoſtolus 1. ad Theſſalon. cap. 5. dicens: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*, evidenter demonſtrat quod probare, idem eſt, ac tentare, inquirere, diſcutere, ita ut dum ait: *probet autem ſeipſum homo*, idem ſignificet, ac ſi diceret: diſcutiat homo quod iotus habeat, qualia ſint opera, & ſi hæc opera ſint cootra Legem Dei, ſeu ſint peccata mortalia, ad Sacram Synaxim non accedat, niſi prius peccata ſua confeſſus fuerit Sacerdoti, & ab ipſo abſolutus fuerit, nè iudicium ſibi manducet, & bibat, quia ſicut Euchariſtia eſt pignus gloriæ, & Arrha, ſalutis dignè ſuſcipientibus eam, ità certa eſt impiorum condemnatio, & præjudicata ſententia. Hoc verum eſſe patebit ponderanti ſingularem loquendi formulam, Apoſtolua, qui non dicit quòd indignè communicans ſibi manducar Judicem, ſed judicium, quaſi diceret, temerarius eſt ille, qui cum peccato mortali communicat. Et jam condemnatus eſt, ibunt enim impij in reſurrectionem judicij, ſeu condemnationis, teſte ſcriptura, idcircò indignè communicans, ſeu ille qui in peccato communicat, judicium ſibi manducat, & bibit præciſè, quia impius ſeu peccator eſt, & in peccato ad Euchariſtiam accedit. Hujus veritatis ratio prorſùs evidena, & inconcuſſa eſt, quippècùm condẽnatio & judicium ità reſpiciant peccata mortalia, ut nullus à Deo condemnetur; quin ſit peccator, certum eſt quòd indignè communicaos (qui ex Apoſtolo jam judicatus eſt) condemnatua eſt peccator, non quia ſumpſit Euchariſtiam, ſeu corpus Domini, ſed quia manducavit illud in peccato mortali, quod cùm ſubſiſtat io homine ſimul cum fide, ut alibi probatum manet contra Lutheranos adverſus quoa dictum eſt, præter iofidelitatem dari alia peccata, ſequitur quòd ſi homo cum peccato mortali communicet, indignè communicat; etiamſi fidem habeat, quia non obſtante fide, quolibet peccato fit indignus, & ipſo ſtante, Indignè manducat corpus Domini, quod juxta legem & mandatum Chriſti, eſt panis vivorum, ſeu juſtorum non mittendus canibus, ſeu peccatoribus, idcirco dignus eſt morte æterna indignè communicans, ut declarat Apoſt. cap. 10. ad Heb. verſ. 28. & 29. dicens: *Irritam quis faciens Legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratia contumeliam fecerit?*

Peccator in dignè manduc corpus Domini.

Heb. 10.

Nec mirari debent Hæretici de hac punitione, quà puniendi ſunt peccatores, qoi in peccatia exiſtentes, ad Sacram Euchariſtiam accedunt; licet habeant fidem, & credant in ipſa exiſtere realiter, & verè corpus Domini quod ſunt ſumpturi ſub ſpeciebus pania, & vini. Quia peccator debet ſe à Sacra menſa abſtinere, & timere in conſpectu Domini: nam ſi viſo inſolitæ capturæ piſcium miraculo, S. Petrus tremens ac ſtupens ad genua Chriſti ſe projecerit, dicens: *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine*, ut refert S. Lucas cap. 5. verſ. 8. Si Mulier illa ſanguinis fluxu laborans coram Chriſto ſtare non audet, ſed retrò accedens fimbriam ejus veſtimenti tetigit, ut teſtatur idem Evangeliſta cap 8. verſ. 44. Si Magdalena, quæ erat in civitate peccatrix, poſt extinctam cœleſtis incendio amoris cupiditatis flammam, retrò ſecus pedes Domini ſtetit, non ſe illi

Luc. 5.

obtulit, non arripere manum, ſed pedes tantum oſculari, ac lacrymis rigare contenta fuerit. Si Centurio ad Chriſtum adire ipſe non eſt auſus, ſed amicos miſerit, qui rogarent pro puero ſanitatem, & indignum ſe dixerit, his verbis: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Qua fronte ad Chriſtum jam à Patre charitate, quam habuit antequam mundus fieret, clarificatum, accedent impœnitentes, peccatores, & ſument, ad manducandum? Nam Pe-
D. Leo. trus, Centurio, Magdalena credebant verè, firmiterque in Deum, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus Unigenitum, ut facilè probatur ex Evangelio, tamen ſe peccatores exiſtimabant atque indignos, ideoque alia eſt diſpoſitio præter fidem ad recipiendum corpus Domini, ſcilicet gratia ſanctificans. Et ut quis dignè communicet, non ſufficit quòd credat, ſed neceſſe eſt inſuper quòd ſit mundus ab omni peccato per veram, & ſinceram pœnitentiam.

Hanc veritatem confirmat D. Leo Epiſt. 91. cap. 1. ubi ait: *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Id eſt, per Sacramentum pœnitentiæ, quod eſt ſecunda tabula poſt naufragium, & tribunal in quo abſolvimur à peccato, & reconciliamur Deo.

Idem docet D. Ambroſius lib. 6. in Luc. c. 9. ubi inquit: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi qui fuerit ante ſanatus, ubi ergo in hoc myſterio hic ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſteà alimonià menſæ cœleſtis exuberet.* Hinc eſt
D. Ambroſ. Euſebius. quod Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 25. admonet Philippum Imperatorem volentem in Die Paſchæ communicare, non fuiſſe illi permiſſum ab Epiſcopo, niſi prius confeſſionem præmitteret: indè oſtendere volens ipſe Epiſcopus, peccatorem non poſſe dignè accedere ad menſam Domini, etiamſi fidem habeat in Deum, & credat omnia fidei Myſteria, quamvis hæc fides ſit præcipua diſpoſitio, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Non valet dicere, nullum aliud eſſe peccatum præter infidelitatem, ac proindè accedentem cum fide non eſſe peccatorem. Non valet inquam hæc ratio, quia præter infidelitatem ſunt alia peccata mortalia, ut alibi diximus contra plures Hæreticos, Chriſto enim teſte, homicidia, adulteria, fornicationes maculant hominem tam credentem, quàm Infidelem, cùm ſint actus contra Deum, qui eſt Deus, & Dominus omnium.

Peccatorum remiſſionem eſſe neceſſariam ad dignam communionem probat etiam Ordo, quem Chriſtus ſervavit, dum Diſcipulis ſuis in Cœna ultima adorandum corpus ſuum ad manducandum
Lotio pedum Apoſtolorū. præbuit, & ſanguinem ad bibendum ſub ſpeciebus panis & vini: legimus enim in Evangelio quòd Chriſtus antequam corpus ſuum daret Diſcipulis, legem de eſu Agni Paſchalis prius implevit, & poſteà Diſcipulorum pedes lavit, neque id ſine Myſte-
Matth. 15. rio fecit Chriſtus, qui aliàs permiſit Diſcipulos illotis manibus manducare panem, nonobſtante Phariſæorum murmure, ut teſtatur S. Matth. cap. 15. verſ. 2. *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Seniorum? non enim lavant manus ſuas cum panem manducant.* Cui interrogationi Chriſtus reſpondens ait, verſ. 20. *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Indè Chriſtus oſtendere voluit prius animorum affectus eſſe purgandos, antequam quis ad Euchariſtiam accedere præſumat. Porrò tales affectus non purgantur per fidem, ſed per veram pœnitentiam, quæ delet peccata.

Hujus lotionis pedum figura præceſſit in veteri Teſtamento, ut conſtat in lib. Exod. c. 30. v. 18. & 19. ubi *Exod. 30.*
legitur Deum dixiſſe Moyſi. *Facies & labrum Æneum cum baſi ſua ad lavandum; poneſque illud inter Tabernaculum teſtimonii & Altare. Et miſſa aqua; lavabunt in ea Aaron & Filij ejus manus ſuas ac pedes, quandò ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonii, & quan-* *Joan. 13.*
dò acceſſuri ſunt ad Altare, ut offerant in eo Thymiama Domino: At Chriſtus qui non venit legem ſolvere, ſed adimplere, volens Apoſtolos ſuos adducere ad Cœnam, ut carnem ſuam manducarent, prius eorum pedes lavit, eorumque purgavit affectus; proptereà dixit Petro recuſanti Joan. 13. verſ. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Quam neceſſitatem agnoſcens Petrus reſpondit & dixit: *Domine non tantum pedes, ſed manus & caput*, ut eſſet mundus totus hac figurâ confeſſionis, ſeu pedum lotione. Hinc eſt quòd Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis, *vos mundi eſtis ſed non omnes*, hoc enim dixit, ut intelligerent illam pedum lotionem itâ eſſe ad animarum affectum referendam, ut omnes eſſent mundi, excepto Juda Proditore; licet Chriſtus laviſſet ejus pedes, ſicut pedes omnium aliorum Apoſtolorum a quibus diverſus erat affectu tradendi Chriſtum voluntariè efformato, atque retento. Liberè voluit tradere, & de facto liberè tradidit Chriſtum Judæis pro triginta argenteis. Itaque nos non poſſumus dignè accedere ad menſam Domini carnem ejus ſumpturi, ſi non ſimus mundi ab omni peccato per confeſſionem peccatorum. quâ homo fit mundus totus, atque Sanctus, & Juſtus. Peracta quidem lotione pedum, Chriſtus præbens corpus, & ſanguinem ſuum Diſcipulis, admonuit eos, ut quoties hoc eſſent facturi, memores eſſent tanti beneficij illis exhibiti, & earumdem diſpoſitionum, ſcilicet lotionis aut purgationis, quæ ſi non præmittatur, communio erit ſicut communio Judæ Proditoris, ſeu non ad vitam, ſed ad interitum, & ideo Joan 13. verſ. 15. dixit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis*, quo ſuadetur, Chriſtum velle nos eſſe lotione, ſeu confeſſione mundus ab omnibus peccatis, dum ad Sacram menſam accedimus.

Merito Chriſtus hoc lotionis mandatum fecit & ipſo nobis præcipere voluit animæ præparationem: Nam ſi nulli liceret ſub pœna mortis, vaſa Deo conſecrata, ejuſque Sacro cultui deſtinata tangere juxtà illud Levit. 22. *Omnis homo, qui acceſſerit ad ea quæ conſecrata ſunt à Filijs Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Quanta ſeveritate Deus in eum animadvertet, qui Deum ipſum totius Sanctitatis principium indigna com- *Levit. 22.*
munione reciperet, quia ſi ad illam futurorum umbram, aut offerendam, aut tangendam, Deus exigit munditiam. Quantò majorem credendum eſt, eum exigere ad corporis ſui, & ſanguinis oblationem, ſive perceptionem? Sanè eam exigit, quoniam ad nuptias Agni nullus poteſt intrare, niſi habeat veſtem nuptialem, ſeu quin ſit Sanctus, & perfectus.

Undè Divus Baſilius libro 2. de Baptiſmo agnoſcens præter fidem, quæ eſt in intellec- *D. Baſilius.*
tu, munditiam cordis eſſe prorſus neceſſariam, ad dignè communicandum, ſic admonet omnes Fideles: *Mundemus nos ab omni inquinamento, atque ita ad Sancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus, proptereà quod quis ederit panem, & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, Ibi enim ille Sanctus Doctor eodem declarat quòd non ſufficit, nos mundos eſſe ab infidelitate, aut habere fidem, ut voluit Lutherus, cùm dicat: *ab omni inquinamento.* Et præter

Digitized by Google

infidelitatem, ſint alia peccata, quæ maculant animam, ut ait Chriſtus, Matth. 15. verſ. 19. Sed declarat inſuper neceſſariò requiri quòd mundemur ab
Matth. 15. omni peccato per veram pœnitentiam, perfectamque contritionem, quæ quidem munditia per ſolam fidem haberi non poteſt, cùm ut jam dixi contra Lutherum, præter infidelitatem, quæ per fidem expellitur, ſint alia peccata, quæ de ore, vel de corde exeunt, quæ tamen non per fidem, ſed per abſolutionem Sacramentalem remittuntur, ſi revelentur Sacerdoti, ad quem Chriſtus remiſit Leproſum, dicens ei: *oſtendete Sacerdoti*; velut Medico, qui ſpirituales morbos curat, ut ægrotos ſanos faciat, ut poſſit accedere ad Altare. Prius enim unuſquiſque ſanandus eſt, ut paulatim virtutibus præcedentibus aſcendere poſſit ad montem Domini, id eſt, ad Altare Dei, in quo manducatur caro Chriſti, & ſanguis ejus bibitur dignè, vel indignè; cùm quilibet communicans verum corpus recipiat, ut ſuprà dictum eſt contrà Græcos: quamvis qui indignè communicat, hujus Sacramenti fructus non recipiat.

Quare inter Eccleſiaſtica Dogmata per Beatum Auguſtinum, aut per Beatum Gennadium in unum vo-
D. Auguſt. lumen collecta, iſtud habetur: *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere; nec laudo nec reprehendo, omnibus tamen diebus Dominicis communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit, nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari, & ideo quamvis quis peccato mordeatur; peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione; qui peccata piè confeſſioni donare conſuevit; accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus: Sed hoc de illo dico; quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt; hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ità Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere, ſed & ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negamus, ſed mutato prius ſæculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi imo perpetuo luctu miſerante Deo, ita dumtaxat ut contraria pro his, quæ pœnitet, agat, & omnibus Dominicis diebus Euchariſtiam ſupplex & ſubmiſſus uſque ad mortem percipiat.* Itaque ex D. Auguſtino nullus peccator poteſt dignè ad Sactam Euchariſtiam accedere, niſi prius peccata ſua fuerit confeſſus, & abſolutionem, aut remiſſionem obtinuerit, ut ſit mundus, & innocens: impuri enim corporis obſcœnitates damnat virginea Chriſti caro ex puriſſimo virginis ſanguine, Spiritu Sancto cooperante, efformata, animam criminibus infamem reprobat ipſius anima Sanctiſſima, & cordis ſorditudines non patitur ſanguis ille pretioſus, qui in remiſſionem peccatorum effuſus eſt.

§. II.

De Rationibus Hæreticorum.

LUtherus, & alij Hæretici exiſtimantes ſolam fidem ſufficere, ſic objiciunt. Sacramentum Eu-
Præcipua Lutheranorum ratio. chariſtiæ eſt Sacramentum reconciliationis, ſubindeque poteſt dignè ſuſcipi ab illis, qui habent peccata actualia, modò habeant fidem, ſicut Baptiſmus dignè ſuſcipitur ab illis, qui habent peccatum Originale, etiamſi ſint adulti, modò credant, imò à ſolis peccatoribus poteſt validè recipi; cùm Baptiſmus inſtitutus fuerit ad delendum peccatum Originale. Et Euchariſtia inſtituta fuerit ut medicina ad ſanandam animam cuius infirmitas ſiſtit in peccato mortali.

Sed hæc ratio minimè valet, quia Sacramentum Euchariſtiæ non eſt per ſe inſtitutum ad remiſſionem peccati mortalis, nec ad conferendam primam gratiam, quæ eſt gratia reconciliationis, ſed ad augendam eam, ut declarat Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. Ratio hujus rei eſt, quia Euchariſtia eſt nutritio ſpiritualis animæ, ut teſtatur Chriſtus, dicens: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quapropter in-
ſtituta fuit ſub ſpecie cibi, & potus: cœnantibus *Reſponſio*
enim Apoſtolis datus fuit panis ille, ut conſtat ex Evangelio, ex quo habemus, Euchariſtiam non fuiſſe inſtitutam, per modum tribunalis, & judicij, ſed per modum convivij, & per modum medicinæ præſervativæ. Igitur illius effectus non eſt prima gratia, nec reconciliatio; ſed augmentum gratiæ, nam ſicut per nutritionem non habetur prima vita, hoc eſt, non generatur, nec naſcitur homo, ſed ha-
betur tantum vitæ augmentum, ità per Euchariſ- *ad Lutheranorum rationem*
tiam non naſcitur homo in Deo, ſicut per Baptiſmum, quo de peccatore fit juſtus, & de filio Diaboli, filius Dei adoptivus; ſed nutritur, & augetur; & à malo præſervatur; hinc eſt quòd Sacramentum Baptiſmi dicitur Sacramentum mortuorum, hoc eſt, pro peccatoribus inſtitutum, Euchariſtia verò eſt Sacramentum vivorum, hoc eſt; inſtitutum pro illis qui per gratiam jam in Chriſto ſpiritualitèr vivunt. Magna quidem eſt differentia inter Baptiſmum, & Euchariſtiam, ille pertinet ad regenerationem ſpiritualem, quâ peccator fit juſtus; cùm oporteat nos renaſci denuò Joan. 3. verſ. 7. Iſta verò pertinet ad nutritionem ſpiritualem, quam qui non vivit per gratiam, habere non poteſt, ſicut qui non vivit vitâ corporali, nutriri non poteſt. Non mortuorum, ſed vivorum eſt manducare, ideo licet Baptiſmus non poſſit validè recipi, niſi ab illo, qui habet peccatum Originale, falſum tamen eſt quòd Euchariſtia poſſit dignè, & fructuoſè recipi à peccatoribus, qui cùm mortui ſint ſpiritualitèr per peccatum mortale, nequeunt manducare ſaltem dignè, & fructuosè panem cœleſtem, ſeu Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum vivorum, ſeu eorum, qui ſpiritualiter vivunt in Domino per gratiam, ut colligunt plures Sancti Patres, & præcipuè Divus Chryſoſtomus ex illo Pſal. 113. verſ. 17. & 18. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſed nos qui vivimus & benedicimus Domino.*

Ut autem ſuadeant idem Hæretici, confeſſionem delictorum non eſſe præmittendam à peccatoribus
ante communionem, dicunt, Apoſtolum de præpa- *D. Chryſoſt. in Pſal. 113*
ratione ad communionem loquentem, velle tantum quòd homo probet ſeipſum, & videat an habeat fidem, vel non, non verò ut confiteatur alteri peccata ſua, cum in eo Sacramento remitti debeant.
Huic expoſitioni, inquiunt, favet D. Auguſtinus, *D. Auguſt.*
ſerm. 253. dicens, *Unuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam, & quando ſe aliquo crimine vulneratum cognoverit, prius Orationibus, Jejunijs, & Eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere.* Ibi enim nullam fecit mentionem confeſſionis, ſed ſolùm aliquarum virtutum, quæ peccato non ità opponuntur, ut valeant illud delere. Igitur imaginaria eſt illa neceſſitas confeſſionis, & remiſſionis peccatorum ad dignam communionem requiſitæ ſecundum Eccleſiæ Decreta, non verò ſecundum inſtitutionem divinam.

Sed reſpondeo hoc argumentum Hæreticorum
penè Hæreticum eſſe; cùm à vero Apoſtoli ſenſu *Explicatur mens Apoſtoli.*
ſit alienum. Nam Apoſtolus per hanc probationem intelligit examen conſcientiæ, quo unuſquiſque

Digitized by Google

debet eſſe ſibi-ipſi Judex, diſcernens opera ſua, & diligentèr inquirens an ſint contra Legem, & voluntatem Dei, ſeu mala & peccaminoſa, non veró an habeat, vel non habeat fidem; cùm ad dignam communionem non ſufficiat credere, ſed etiam neceſſe ſit vivere vitâ ſpirituali per gratiam, ut jam dixi ſuprà. Hæc autem probatio Paulina intelligenda

Iſay. 38. eſt juxta illud Iſayæ c. 38. v. 17. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Undè S. Anſelmus exponens hæc verba Apoſtoli: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit*, inquit: *Indignè manducat, & bibit qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commiſit, &*

D. Anſelm. *non confitetur ea, priuſquàm ad communionem accedat.* Ex hoc quidem conſtat, indignitatem ad communionem non provenire ex ſola carentia fidei, ſed etiam ex peccatis in anima exiſtentibus, quæ ſi non remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt Sacramentum Reconciliationis, in quo homo abſolvitur à peccatis, habens illa non poteſt dignè accedere ad menſam Domini. Et ſi accedat, certum eſt quòd judicium ſibi manducat, & bibit, eſtque reus corporis & ſanguinis Domini. Ille quidem eſt reus hujus ſanguinis, qui eſt reus mortis, cujus reus eſt quilibet, & ſolus peccator, quoniam peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.

Ad D. Auguſtinum dico quòd ſi non meminerit in hoc loco Pœnitentiæ confeſſionis à peccatori-

Explicatur D. Auguſt. ab Hæreticis relatus. bus præmittendæ ad communionem, hoc non omiſit ut oſtenderet hanc confeſſionem non eſſe neceſſariam peccatoribus, ſed quia omnibus compertum erat, & evidens ex continua Eccleſiæ praxi, remiſſionem peccatorum per ſinceram confeſſionem eſſe neceſſariam ad dignam communionem; cùm alibi eam admittat, ut patet ſuprà. Et homilia 71. ſuper Joan. 7. ubi de communicaturis ait, *Accedens*, id eſt, ad Sacram Euchariſtiam, *debet eſſe plenus ſanctimoniâ, & immaculatus.* Sanctitas autem, & munditia peccatoris ex Sacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto, haberi poteſt.

ARTICULUS XLIX.

Docet contra Aquarios, eſſe apponendam aquam in Calice conſecrando.

Aquarii. AQuarii de quibus loquitur D. Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 4. prædicabant quòd in calicis conſecratione ſola Aqua eſt offerenda, ut ex ipſâ, vi verborum, fiat Sanguis Chriſti, & ideò ob hanc hæreſim, illi Hæretici dicti fuerunt Aquarii, ſeu à calice vinum rejicientes. Huic errori directè contradicunt Græci & Armeni, licèt errent, & devient à veritate, ſicut Aquarii, nec minùs Hæretici ſint cenſendi, nec-non impugnatores veritatis Catholicæ. Dicunt enim in calice conſecrationis nullam eſſe apponendam aquam vino conſecrandam,

Græci. quoniam cùm hæreſi Eutychiana inficerentur, nolebant in Chriſto admittere duarum Naturarum Unionem, ut refert Nicephorus lib. 18. cap. 53. di-

Armeni. cens: *Vinum aquâ non temperatum adhibent in divina re facienda, unam in Chriſto naturam deſignantes, neque ſicuti nos calicem miſcent, per quam mixtionem duarum in Chriſto Naturarum, & Unionem declaramus.* Hanc autem hæreſim pridem damnatam, & ſepultam ſuſcitavit Martinus Lutherus, quique veritati Evangelicæ circa Sacramenta ferè in omnibus contradicit;

Lutherus. nam in ſcriptis contra Regem Angliæ, fatuos & ſtolidos putat eos, qui peccatum eſſe credunt ſine Aqua, vinum conſecrare, ex quo ſequitur quód ex falsâ, & impiâ hujus Hæreſiarchæ Doctrinâ, nulla eſt obligatio permiſcendi Aquam vino conſecrandam. Græcis; Armenis; Lutheranis adhæſit Calvinus, non minùs impius, quàm *Calvinus.* Lutherus: ait enim, ſacrilegos & falſarios eſſe eos, qui in calice conſecrando ponunt unam guttam Aquæ, adhærentibus unanimiter omnibus Lutheranis & Calviniſtis, qui ſcripſerunt contra Fidem Catholicam, & præcipuè contra Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

§. I.

De hujus Hæreſis Proſcriptione.

PRænominatos Hæreticos, & præſertim Armenos damnant plura Concilia tàm Nationalia, quàm *Carthaginenſe III.* Generalia, quorum præcipua ſunt ea, quæ ſequuntur, ſcilicet Carthaginenſe III. can. 24. Aurelianenſe IV. can. 4. & alia Antiquiſſima. Florentinum in *Aurelianenſe IV.* Decreto Eugenii pro Inſtructione Armenorum, ubi legitur: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum, & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt quòd per hoc Sacramentum, in ſumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quod ad vitam agunt corporale ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando,* *Florentinum.* *Sacramentum, hoc à quo ad vitam operatur ſpiritualem; hujus Sacramenti materia, eſt panis triticeus; & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet: Aqua autem ideò admiſcetur, quoniam juxtà teſtimonium Sanctorum Patrum, ac Eccleſiæ Doctorum pridem in Diſputatione exhibita, creditur ipſum Dominum in vino aqua permixta hoc inſtituiſſe Sacramentum; deindè quia hoc convenit Dominicæ Paſſionis repræſentationi.*

Ex his conſtat contra Aquarios, Græcos, Armenos, & Lutheranos, Aquam eſſe apponendam in calice à Sacerdote conſecrando, non ex neceſſitate Sacramenti, ità ut conſecratio calicis eſſet nulla, ſi non apponeretur Aqua modiciſſima, ut voluit Armachanus lib. 9. de quæſt. Armenorum cap. 9. ubi docet contrà omnes Theologos tàm Antiquos, quàm Recentes, mixtionem illam ità neceſſariam eſſe, ut ſi Sacerdos Aquam in calice, vel incuriâ, vel oblivione non admiſceat, irrita prorsùs, & invalida ſit conſecratio, ſed apponendam eſſe hujuſmodi Aquam ſolùm neceſſitate Præcepti Divini, vel Eccleſiaſtici, ut monent Sancti Patres communitèr, & habemus ex continuâ Traditione Eccleſiæ, quæ ſemper Aquam vino conſecrando appoſuit, & apponi præcepit in variis Conciliis. De hoc quidem Præcepto, ſcilicet an ſit Divinum, vel humanum, hîc non diſputamus, quia hæc difficultas non ad nos, ſed ad Scholaſticos ſpectat, cùm in hoc non ſiſtat controverſia inter Catholicos, & Hæreticos.

Tandem hæc neceſſitas admiſcendi vino conſecrando Aquam in modicâ quantitate præcipitur in Concil. Trident. contrà Lutheranos ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 7. ubi etiam declarantur motivum, & rationes hujus neceſſitatis. Ibi enim legitur: *Tridentinum.* *Monet deindè ſancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent. Tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur. Tum quia etiam à latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypſi Beati Joannis populi dicantur: ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur.* Undè cùm neceſſe ſit in hoc Sacrificio repræſentare Paſſionem,

& Mortem Chriſti, (ut affirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. aſſereudo: quòd quotieſcumque manducabimus panem hunc, & calicem bibemus, Mortem Domini annuntiabimus donec veniat) neceſſé eſt vino conſecrando, Aquam apponere, cùm ex Evangelio D. Joanois c. 19. conſtet quod Chriſto mortuo unus Militum lanceâ latus ejus aperuit, & quod continuò exivit Sanguis & Aqua, alioquin Sacramentum calicis non eſſet perfecta repræſentatio Paſſionis, & Mortis Chriſti, quam tamen repræſentare in hoc adorando Sacrificio abſolutè pernecessarium eſt.

Non obſtat quod Chriſtus Aquam illam non inſtituerit, nec dixerit, Aquam eſſe apponendam vino conſecrando. Non obeſt inquam, quia Eccleſia hoc ſtatuere potuit Præcepto ſpeciali, atque indiſpenſabili propter rationes à Patribus Tridentinis allegatas. Nec Sacrificio officit hæc mixtio, cùm Aqua non deſtruat vinum cui miſcetur, quia modiciſſima eſt, vel quia convertitur in ſubſtantiam vini, ut volunt plures Theologi, acproinde ſit materia calicis ante conſecrationem, & de vino convertitur in Sanguinem vi verborum.

Litargia Jacobi, Marci & Baſilii.

Eadem veritas colligitur contra Hæreticos ex variis Liturgiis Sancti Jacobi, Sancti Marci, Sancti Baſilij, & aliorum quibus ſuadetur, Chriſtum vinum Aquâ mixtum conſecraſſe; nam in primâ, quæ eſt Jacobi dicitur: *Similiter poſtquam cœnavit accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aqua.* Secuoda ait: *Similiter & calicem poſtquam cœnavit, accipiens, factaque vini & aquæ commixtione.* Tertia verò quæ eſt S. Baſilii: *Similiter & eam calicem ex genimine vitis accepiſſet, miſcuit.* Itaque Sacerdotes, qui tenentur, dum Miſſam celebrant, facere quod Chriſtus fecit in cœnâ ultimâ, ex ſolâ Imitatione Chriſti debent Aquam miſcere in vino, ut in calice ſub ſpecie vini perfectè & integrè repræſenteiur Sanguis in Paſſione effuſus, prout ſancit Tridentina Synodus loco ſuprà citato, ubi præcipit hanc mixtionem, ut hoc Sacrificium repræſentet Paſſionem Chriſti, ex cujus latere exivit Sanguis & Aqua.

Alexander Papa I.

Idem decrevit Alexander I. Pootifex Maximus in Epiſt. 1. c. 4. ubi ſic loquitur: *In Sacramento Obiationis, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, Paſſio Domini miſcenda eſt, ut ejus cujus Corpus & Sanguis conficitur, Paſſio celebretur, ita ut repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantùm, & vinum aquâ permixtum, in Sacrificio offerantur: non enim debet (ut à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet) in calice Domini, aut vinum ſolùm, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in Paſſione ſua profluxiſſe legitur.* Nam perfecta Paſſionis repræſentatio, nedùm effuſionem Sanguinis, ſed etiam Aquæ comprehendit, cùm ex Chriſti pectore lanceâ transfixo fluxerint Sanguis & Aqua, ut fatentur omnes Hæretici, qui Evangelia recipiunt tanquam Canonica, & à Spiritu Sancto dictata, ut de facto ea recipiunt Græci; & Lutherani.

§. II.

De nonnullis Convenientiis quibus ſuadetur hæc Veritas.

HÆc cæremonia ſacra admiſcendi Aquam vino conſecrando ſuadetur neceſſaria, & debitè mandata, aliâ ratione, ſcilicet ex ſignificatione Unionis Fidelium cum Chriſto capite, cui per Paſſionem uniti fuerunt, ut ipſe Chriſtus promiſerat dicens: *Dum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Per hæc quidem verba poteſt intelligi quod Chriſtus exaltatus in cruce in qua diſſolvit opera Diaboli, acquiſivit animas ſibi, eaſque ſibi univit, & conjunxit velut membra capiti, quæ quidem Unio ſignificatur in hoc Euchariſtiæ myſterio, ut notum fecit Julius Papa Epiſcopis per Ægyptum, relatus in can. 7. diſt. 2. de conſecrat. circa finem, ubi ait: *Cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit copulatur, & jungitur, quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini, ſic miſcetur in calice Domini, ut mixtio illa non poſſit ſeparari: nam ſi vinum tantùm quis offerat, Sanguis Chriſti ecce incipit ſine nobis, ſi verè aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto: ergo quando Botrus ſolus offertur, in quo vini tantùm efficientia deſignatur, Sacramentum noſtræ ſalutis negligitur, quod per aquam ſignificatur. Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, & ideò quia jam ex hoc plurima, & multiplex majorum manavit ſententia, omnis deinceps talis error atque præſumptio ceſſare debet, ne perverſorum inordinata compago ſtatum veritatis enervet, & ideo nulli deinceps licet, aliud in Sacrificiis divinis offerre, niſi juxta antiquorum ſententiam Conciliorum, panem tantùm, & calicem vino & aquâ permixtam, de cætero aliter, quàm præceptum eſt, faciens tamdiù à ſacrificando ceſſabit, quandiù legitima pœnitentia ſatisfactione correctus ad gradus ſui officium redeat quod amiſit.*

Julius Papa.

Idem docent plures Sancti Patres relati in Textibus ejuſdem diſtinctionis de conſecratione, quibus oſtenditur neceſſitas miſcendi Aquam vino conſecrando, ut indè verè repræſentetur Unio Chriſti cum Eccleſia, & populi cum Chriſto, quippè vinum repræſentat Chriſtum cor hominis lætificantem; Aqua autem ſignificat populos, ut declarat Tridentinum loco citato, ex Apocalypſi. Ideòque cùm bonum ſit, hanc Unionem ſignificari in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, in quo Chriſtus nobiſcum eſt uſque ad conſummationem Sæculi, bonum utique eſt ac laudabile Præceptum de Aquâ apponenda vino conſecrando.

Aqua eſt apponenda vino conſecrando.

Tandem eſt alia ratio, qua juſtificatur hæc Aquæ mixtio, ſcilicet ſignificatio duarum Naturarum in Chriſto in unitate ſuppoſiti unitarum. Nam ſi Armeni nolint, Aquam admiſcere vino conſecrando, hoc provenit ex eo quòd dicunt cum Eutychianis in Chriſto non eſſe duas Naturas, ut obſervat Nicephorus ſuprà relatus; At Lutherus & Calvinus in Chriſto duas admittunt Naturas hypoſtaticè unitas: Ergò debent etiam admittere fidem noſtram, ſeu Aquam apponere vino conſecrando, & adhærere Decretis Conciliorum, & approbare uſum Eccleſiæ Romanæ modiciſſimam Aquam apponentis vino conſecrando, quia ex hâc mixtione vini cum Aquâ ſignificatur Unio Divinitatis cum carne in Chriſto, ut notant communitèr SS. Patres.

Ratio apponendi aquâ vino conſecrando.

S. Ambroſius lib. 5. de Sacrament. cap. 1. addit aliam rationem, ſcilicet transformationem noſtræ mortalitatis in immortalitatem, quæ per mixtionem Aquæ cum vino exprimitur, quoniam Aqua in calice appoſita, neceſſariò convertitur mediatè, vel immediatè in Sanguinem Chriſti immortalis, & impaſſibilis. Nam inquit ille S. Doctor: *Tangit Sacerdos calicem, redundat aqua in calice, & ſalit in vitam æternam.* Si verò hæ rationes diſpliceant Armenis, & aliis Schiſmaticis & Hæreticis, ità ut eas ſequi nolint, adhæreant ſaltem exemplo Chriſti, & faciant ſicut ipſe fecit, cùm ſit illud exemplar, quod in monte nobis monſtratum eſt; At Chriſtus dum conſecravit, Aquam in vino poſuit, ut teſtatur Clemens Romanus lib. 8. conſtitut. cap. 17. his verbis: *Similiter & calicem miſcens ex vino & aquâ, & ſanctificans, tradidit ei dicens: Bibite ex hoc omnes.* Quòd ſi nolint exemplum Chriſti in hoc Sacrificio præ oculis habere, nec audire illum Sanctum, &

D. Ambroſ.

Clemens Romanus.

Summum Pontificem Clementem primum, fateantur quòd malè dicunt, & falsò reclamant contrà Romanos Sacerdotes, dum dicunt eos apponendo Aquam vino conſecrando, eſſe falſarios, & blaſphemos; cùm ſervent Ritum à Chriſto Domino inſtitutum in ultimâ cœnâ, nobiſque ab ipſo relictum. Et quòd ipſi nequeunt ſine crimine hanc Aquam nolle vino conſecrando apponere, quia ea, quæ Chriſtus fecit, non poſſunt citrà peccatum improbari.

§ III.

De Reſponſione ad Hæreticos.

Ratio Hæreticorum eſt authoritas Iſayæ cap. 1. verſ. 22. dicentis: *Argentum tuum verſum eſt in Scoriam: vinum tuum mixtum eſt aquâ.* Quibus verbis Deus Judæis exprobat quòd Aquam vino miſcerent, ſeu ſinceritatem non haberent, ut explicat D. Hieronymus: Igitur hæc Aquæ in calice mixtio eſt exprobanda & improbanda, cùm nequeat aliquid boni ſignificare.

Explicatio verborum Iſaya. Sed non valet hæc conſequentia; ibi enim Deus non exprobat Judæis eam mixtionem Aquæ cum vino, quam temperantia exigit, & per quam multa bona ſignificari poſſunt, & effici, ut facilè colligi poteſt ex illo Proverb. cap. 9. *Bibite vinum quod miſcui vobis.* Quæ quidem mixtio non poteſt eſſe niſi ex Aquâ, ut ipſo vinô temperetur. Sed improbat mixtionem, quæ fit in fraudem, ut pro vino Aqua detur, non verò eam, quæ fit propter temperantiam in potu nè vinum noceat. Nec licet Hæreticis hanc expoſitionem rejicere: nam eadem res poteſt ſub diverſâ conſideratione bonum & malum ſignificare; ideóque poteſt recipi pro una parte, dum rejicitur pro alia, hinc eſt quòd Leo ratione fortitudinis aliquandó in Sacrâ Scripturâ ſignificat Chriſtum, & pro ipſo ſumitur, ut Apocalyp. cap. 5. verſ. 5. & ratione crudelitatis ſignificat Dæmonium, ut 1. Petri cap. 5. verſ. 8. *1. Petr. 8.* Idcircò vini cum Aqua mixtio conſiderata in Vendentibus, aut in Cauponibus, qui purum vinum ſe vendere promittunt, eſt prorsùs mala: etenim decipiunt ementes eâ mixtione, ideóque ſic conſiderata non poteſt licitè fieri, quia ſignificat corruptionem puritatis & ſinceritatis. Conſiderata autem in Chriſto Domino, & in Bibentibus Sanguinem ejus ſub ſpecie vini, in quo ex vi verborum Aqua in vinum, & de vino in Sanguinem Chriſti convertitur, ſignificat aliquid boni, nimirùm unionem Populi fidelis cum Chriſto ſuo capite, Sanguinem & Aquam, à latere Chriſti lanceâ tranſfixo exeuntes, nec-non & factum ipſius Salvatoris dum Euchariſtiam inſtituit, cùm ut ex dictis conſtat, ipſum Chriſtum in cœnâ noviſſimâ Aquam in vino appoſuiſſe, credatur.

Nec obſtat dicere quòd ex latere Chriſti Domini non exivit Aqua mixta cum Sanguine, teſte Evangeliſtâ dicente: *continuò exivit Sanguis & Aqua*, ſed Sanguis & Aqua diviſim, ac proinde quòd mixtio Aquæ in vino conſecrando, non denotat Sanguinem, & Aquam fluxiſſe ſimul ex Chriſti Domini pectore lanceâ transfixo. Non obſtat (inquam) quia in infuſione, Aqua & Vinum ſunt diſtincta, ſeu Aqua poſt vinum ponitur in modiciſſimâ quantitate, ut in Rubricis præcipitur, ut faciliùs convertatur in vinum, juxtà ſententiam plurium Theologorum, ideóque tunc ſignificant exitum Aquæ & Sanguinis de latere Salvatoris. Et quia ipſa Aqua poſt conſecrationem non remanet in propriâ ſpecie, cùm poſt ipſam, in calice nulla ſubſtantia ſit, niſi ſubſtantia Sanguinis Chriſti, ſignificat Unionem Populi cum Chriſto Domino, qui verè vivit in Fidelibus, & Fideles verè in ipſo vivunt.

Dicent dum conſecramus Panem, non facimus commemorationem hujus Unionis Populi fidelis cum Chriſto, ſed tantùm Paſſionis illius, ut docent Doctores Catholici exponentes illud Lucæ cap. 22. *Luc. 22.* *Hoc facite in meam commemorationem.* Itaque ad ſignificandam illam Unionem, Aqua non eſt permiſcenda vino conſecrando, cùm in conſecratione calicis fiat tantùm commemoratio Paſſionis, ſicut in conſecratione panis.

Sed non valet hæc inſtantia; nam in ſumptione corporis Chriſti quodammodo fit Unio Fidelium, & inter ſe & cum Chriſto Domino, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 16. *1. Cor. 10* *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Igitur quatenùs Fideles manducant Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, verè & ſubſtantialiter contentum, uniuntur cum ipſo Chriſto Domino. Et quatenùs omnes ad eumdem Chriſtum Dominum manducandum concurrunt, uniuntur inter ſe; quamvis in conſecratione fiat commemoratio Paſſionis & Mortis Chriſti. Prætereà Chriſtus Paſſione ſuâ nobis meruit gratiam, quâ unimur Deo, & ipſius naturæ participes efficimur.

Addunt quod in Sacrificio Melchiſedech, quod fuit figura Sacrificii noſtri, nulla erat Aqua, ac proindé nulla debet eſſe Aqua in Sacrificio Euchariſtiæ.

At non valet hæc ratio, quia ut veritas reſpondeat figuræ, ſufficit quod hæc figura ex aliquâ parte repræſentet veritatem, non verò omni ex parte, quippècùm Realitas ſemper ſit figurâ perfectior, debet plus oſtendere, quàm figura promiſerat; alioquin Iſaac habuiſſet omnia, quæ habet Chriſtus cujus erat figura. *Rdſolvitur Inſtantia Hæreticorû.* Et Sacramenta veteris Legis operata fuiſſent, ſicut noſtra operantur. Quod eſt falſum, & perconſequens in Sacrificio Euchariſtiæ, Aqua modiciſſima poteſt apponi vino conſecrando, ut ex Aquâ & vino ſignificetur, Aquam & Sanguinem fluxiſſe de latere Chriſti, lanceâ perforato, quod non ſignificabat Sacrificium Melchiſedech: quamvis fuerit figura Sacrificij Euchariſtiæ, quatenùs Melchiſedech obtulit panem & vinum, & indè ſignificavit quod Sacrificium Chriſti debebat eſſe in pane & vino juxtà Ritum Sacerdotis Melchiſedech, ſecundùm cujus ordinem Chriſtus futurus erat Sacerdos.

Alia Hæreticorum ratio eſt, quia omnes Sacerdotes in Sacrificio nihil debent addere, ſed illud peragere eodem modo, quô Chriſtus confecit illud. Sed non conſtat, Chriſtum appoſuiſſe Aquam in calice. Imò D. Chryſoſtomus id apertè negat, exponens illa verba Chriſti Domini *Non bibam de hoc genimine vitis*; homil. 83. *Objectio ex D. Chryſoſt. deſumpta.* Igitur nullus Sacerdos poteſt licitè apponere Aquam, quamtumvis modicam, in calice conſecrando. Quoniam in hoc Sacrificio celebrando, nulli licet facere quod Chriſtus non fecit, nec omittere quod ipſe fecit.

Huic Argumento reſpondeo, Chriſtum Dominum in cœnâ noviſſimâ conſecraſſe vinum Aquâ mixtum, ut conſtat ex dictis ſuprà authoritate Sanctorum Patrum, & Conciliorum, & præſertim Tridentini, loco laudato.

Ad authoritatem Divi Chryſoſtomi dico, eum ibi reprobare quoſdam Hæreticos, qui teſte Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 20. in Sacrificium offerebant Aquam puram, ut patebit conſideranti verba ejuſdem Sancti Doctoris, ideóque non prohibuit mixtionem Aquæ cum vino conſecrando, ſed ſolùm uſum eorum qui in Myſteriis utebantur Aquâ, cùm conſtet in Eccleſia Conſtanti- *Reſponſio ad authoritatem D. Chryſo*

nopolitana (cujus erat Præſul ipſe Chryſoſtomus) ſemper ſervatam fuiſſe hanc aquæ mixtionem cum vino conſecrando : Probabile enim eſt quòd ſi improbaſſet hanc mixtionem, ſtatuiſſet nullam aquam eſſe apponendam in Calice conſecrando, & quòd ſtatutum illud obſervaſſet & obſervatum fuiſſet, ſaltem durante ipſius S. Chryſoſtomi Pontificatu in Eccleſia Conſtantinopolitana.

Armenos, Græcos & alios Schiſmaticos, Lutherum Calvinum, & alios Hæreticos malè intellexiſſe authoritatem D. Chryſoſtomi, & reſponſionem noſtram eſſe veram conſtat ex 32. can. Concilij Trullani, ubi hæc legimus. Quoniam ad noſtram cognitionem pervenit in Armenorum Regione, vinum tantùm in ſacra menſa offerri, aquam illi non miſcentes qui incruentum Sacrificium peragunt prætexentes Eccleſiæ Doctorem Joannem Chryſoſtomum in interpræatione Matthæi hoc aſſerentem. Ut jam nunc ab ignorantia liberentur illius Patris mentem orthodoxè aperimus, cum enim antiquam Hydroparaſtarum hæreſim, qui pro vino ſolam aquam in ſacrificio uſi ſunt ſubverteret, illam orationem compoſuit in qua Aqua in ſacrificio miſſæ adjunctionem amovere illi exiſtimant, cùm tamen non doceat Sanctus per ſolum vinum oblationem fieri, quandoquidem & ſuæ Eccleſiæ ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi ſacrificium oportet, ex pretioſo & honorando noſtri Redemptoris ſanguine, & aqua contemperationem attendens, quæ in totius mundi vivificationem effuſa eſt, & peccatorum redemptionem, & in omni etiam Eccleſia ubi ſpiritualia luminaria refulſerunt, hic ordo divinitus ſervatur, nam & Jacobus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem Frater, & Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis cujus gloria omnem terrarum Orbem pervaſit, myſtico nobis in ſcripto tradito ſacrificio, ita peragendum in Sacro myſterio, ex Aqua & vino Sacrum poculum ediderunt, & qui Carthagine convenerunt Sancti Patres ita apertè tradiderunt. Si quis ergo Epiſcopus, vel Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem facit, deponatur, ut imperfectè, & ſimpliciter myſterium enuncians, & quæ tradita ſunt innovans. Ità locuti ſunt pro explicanda D. Chryſoſtomi mente Patres Trullani, qui ſic vocantur, quia convenerunt in Trullano palatio Conſtantinopolitano, ut contra Armenos ſtatuerent, Aquam apponendam eſſe vino conſecrando.

Decretum Concilij Trullani.

Ex his verbis duo inferenda ſunt, ſcilicet unum ex Armenorum erroribus fuiſſe, quòd exiſtimarent, Aquam non eſſe vino in calice conſecrando admiſcendam. Aliud verò inde inferendum, eſt qoòd omnes Sacerdotes ità tenentur hanc Aquæ mixtionem cum vino conſecrando obſervare quoties adorandum Euchariſtiæ Sacramentum conficiunt, ut ſi deeſſet Aqua, non poſſent licitè conſecrare, quoniam nullus poteſt ſe in hoc præcepto diſpenſare. Dixi *Licitè* quia ſi conſecraret abſque ulla mixtione Aquæ, conſecratio eſſet valida, cùm juxta communem Theologorum ſententiam, Aqua non ſit apponenda ex neceſſitate Sacramenti, hæcque neceſſitas ſolùm vinum exigat; ut ex dictis colligitur contrà Aquarios ſine vino Aquam conſecrare volentes.

ARTICULUS L.

Impugnat Bohemos volentes Euchariſtiam eſſe ſub utraque ſpecie dandam Laicis.

PLures ſunt Hæretici, qui volunt, Chriſtum ità præcepiſſe communionem ſub utraque ſpecie, ut nullus poſſit in ea diſpenſare, acproindè Eccleſiam Romanam, quæ Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, Laicis minime tradit, aut quæ à laicis calicem abſtulit, errare, & agere contrà intentionem Chriſti Domini, qui ſub duplici ſpecie ſacratiſſimam Euchariſtiam inſtituere voluit.

§ I.

De Hæreticis in hoc Articulo impugnandis.

HUjus hæreſis Authores primi fuerunt Græci. Græcos ſecutus eſt Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus anno CCCCXXVII. tempore Theodoſij Imperatoris, & Cæleſtini Papæ. Neſtorianos ſecuti ſunt Bohemi illi, qui Saxonibus ad meridiem juncti ſunt, ut teſtatur Aeneas Silvius cap. 35. in lib. de Origene Bohemorum. Ex illo Bohemorum genere ortus eſt Joannes Hus, qui cùm impiæ Uvaldenſium, & Uvicleffitarum ſectæ adhæſiſſet, cæpit primùm apud Pragenſes publicè docere hæreſes, inter quas una erat circa communionem, dicebat enim circà annum Domini CCCLXXVII. ſub utraquæ ſpecie, ſcilicet panis & vini, eſſe ità neceſſariò communicandum, ut nullus poſſit in hoc legitimè diſpenſari.

Græci. *Neſtoriani* *Bohemi* *Joann. Hus* 1408.

Anno autem MCCCCX. ſub Ruperto, vel Roberto Bavaro Imperatore, & Alexandro V. inſurrexit quidam vir nomine Jacobellus, patriâ Miſnenſis, qui eumdem errorem publicè prædicavit, & fideles incitavit ad petendam communionem ſub utraque ſpecie, ſicut Chriſtus Dominus dedit illam Diſcipulis, & ordinavit ut ab ipſis ſic daretur aliis. Eodem anno apparuit alter Hæreticus nomine Petrus Dreſenſis natione Germanus, patriâ Miſnenſis, dicens quòd ſi Eccleſia Romana eſſet vera mater fidelium, eis commmionem ſub utraque ſpecie præberet, cùm apud D. Joan. 6. ſub duplici ſpecie panis & vini ità jubeatur, ut nullus hominum poſſit citra hæreſim eam auferre à fidelibus.

Jacobellus *Petrus dreſo cenſis.*

His Hæreticis poſtea ſcilicet anno MCCCCXXX. Imperante Sigiſmundo, & Summum Pontificatum gerente Martino V. apparuit alter, ſcilicet Joannes de Rochesana, ſucceſſor & aſſertor errorum Uvicleffi, & Joannis Hus, qui dixit, Laicos ita debere ſicut Sacerdotes ſub duplici ſpecie communicare, ut nullus poſſit validè communicare, niſi manducet carnem ſub ſpecie panis, & bibat ſanguinem ſub ſpeciè vini, cum panis, & vinum ſint materia hujus Sacramenti.

Joannes de Rochiſana

Eumdem errorem ſecutus eſt Martinus Lutherus, qui per totam Germaniam illum ità prædicavit, ut modò Laici, ſicut Sacerdotes ſub utraque ſpecie communionem ſumant, & dicant, Papiſtas corpus dominicum non ſumere dum communicant, quia (inquiunt) ſanguinem ejus non bibunt. Præcipui hujus erroris defenſores in ſecta Lutherana, ſunt Brentius Kemnitius, & alij in iniquitate pares, qui ſi nominari non poſſint, nè prolixior ſit ſermo noſter, tradendi ſunt Diabolo & Angelis ejus.

Lutherus *Brentius Kemnitius*

His omnibus addendus eſt alter Hæreticus nequitia & impietate major, utpotè Joannes Calvinus, qui

lib. 4.

lib. 4. inſtitut. cap. 13. & 17. non minori impudentia, quàm ignorantia, aut certè quòd veriùs eſt, malitiâ ſcribit, ex officina diaboli prodiiſſe illam conſtitutionem Romanam, quâ dimidiam Cœnæ partem meliori populi numero, vel furata eſt, vel eripuit, nempe Symbolum ſanguinis, ità locutus eſt ille vir impiiſſimus, qui ſuis nec carnem, nec ſanguinem Chriſti reliquit, cùm dixerit illis corpus Chriſti non eſſe verè & realiter ſub ſpecie panis, nec ſanguis ſub ſpecie vini ut ſupra dictum manet in proprio articulo.

Calvinus

§. II.

De Decretis Conciliorum.

SAcram Communionem non eſſe dandam laicis ſub utraque ſpecie, declarant plura Concilia contra præcitatos Hæreticos. Hæc autem ſunt Conſtantienſe ſeſſ. 13. ubi habetur? *Et ſicut hæc conſuetudo ad evitandum aliqua pericula, & ſcandala rationabiliter introducta, quòd licet in primitiva Eccleſia hujuſmodi ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie, poſteà à conficientibus ſub utraque ſpecie, & à laicis tantum ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini contineri. Unde cùm hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſimè obſervata fuerit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito mutare. Quapropter dicere quòd hanc conſuetudinem, aut legem obſervare, ſit Sacrilegium, aut illicitum, cenſeri debet erroneum. Et pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi per Diœceſanos locorum.*

Conſtantienſe.

Idem declarat Concilium Colonienſe III. celebratum anno MDXLIX. ſub Paulo III. ſimiliter & alia quamplurima Concilia Provincialia, & Nationalia, ſed ea omitto, quia tandem Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. can. 1. & 2. hanc ipſam veritatem fuſiùs determinat, ibi enim habetur: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit. Si quis dixerit, Sanctam Eccleſiam Catholicam, non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit.*

Colonienſe.

Tridentinū.

§. III.

Statuit Dogma Catholicum:

EAdem veritas facilè colligitur ex Sacra Scriptura, in qua legitur, Chriſtum vitam promiſiſſe recipientibus hoc Sacramentum ſub ſola ſpecie panis nulla mentione facta de ſpecie vini. Et non legitur, Chriſtum promiſiſſe illam recipientibus hoc ſacramentum ſub ſola ſpecie vini, nam Joan. 6. habetur quod Chriſtus ſic dixit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, hæc enim verba ſuadent, ſolam ſpeciem panis ſufficere ad dignam communionem; cùm hanc ſolam ſpeciem manducantibus promittantur omnes effectus propter quos Euchariſtia fuit inſtituta, nulla deinde fiat mentio de ſpecie vini, ut etiam conſtat ex illo Lucæ 22. verſ. 19. *Et accepto pane gratias egit, fregit & dixit: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem*, hoc eſt: *date panem, ſicut ego do*; De ſpecie autem vini ſolùm loquitur conditionaliter in verſ. 26. dicens: *quotieſcumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis*, per hæc quidem verba ſuadet, panem poſſe ſumi ſine calice, hinc eſt quòd in verſu ſequenti ait: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè &c*; ut oſtendat unam ſpeciem poſſe ſine altera ſufficere, ut obtineantur effectus ſacramenti; cùm loquatur disjunctivè, uni ſpeciei tribuat virtutem; quam tribuit alteri & velit quod ille, qui ſumit unam ſpeciem indignè, ſit reus, ſicut ille qui bibit ſanguinem indignè. Hocque meritò quia ſub ſpecie panis reperitur verè, & realiter Sanguis; alioquin Apoſtoli, & Diſcipuli nunquam ſumpſiſſent Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis; ipſos tamen eam ſic ſumpſiſſe conſtat ex illo Act. 2. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum; & communicatione fractionis panis*, ubi per fractionem panis intelligitur Euchariſtiæ participatio, ut declarat Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 10. dicens: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt*. Igitur certum eſt, Apoſtolos aliquandò adminiſtraſſe Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis; cùm nulla ibi ſit mentio de calice.

Joan. 6.

Luc. 22.

Act. 2.

1. Corint. 10.

Nec valet dicere quòd ibi potus ſubintelligitur, licet non exprimatur ſicut cibus. Non valet inquam hæc inſtantia, quia inter fideles tunc communicantes per manus Apoſtolorum, erant plures Nazaræi, quibus permiſſa erat obſervantia legis ab Apoſtolis. Nam Nazaræi non bibebant vinum, ut legitur in lib. num. cap. 6. verſ. 3. *A vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent, uvas recentes, ſiccaſque non comedent.*

Num. 6.

Illud confirmatur ex S. Leone, qui ſerm. 4. de Quadrageſima ubi refert quòd Manichæi, ut ſe Catholicos eſſe ſimularent, ad menſam Domini cum Catholicis accedebant, & cùm ipſis communionem accipiebant, hancque ſub ſola ſpecie panis ſumebant, Manichæi enim, ut colligitur ex D. Auguſtino contrà Fauſtum Manichæum cap. 13. ſuperſtitioſè abhorrebant à vino, velut à felle Draconis, & veluti à Dæmone facto, ejuſque potum ſacrilegum eſſe dicebant: ergo non dabatur illis ſanguis ſub ſpecie vini, nec dabatur Catholicis cum quibus communicabant.

In primitiva Eccleſia communio dabatur ſub ſola ſpecie panis:

Objicient quòd Manichæi non credebant, Chriſtum eſſe verè, & realiter ſub illis ſpeciebus etiam conſecratis; cùm conſtet ex D. Auguſtino lib. de Hæreſi cap. 4. quòd Manichæi exiſtimabant; panem non eſſe materiam Euchariſtiæ: Sed non valet hæc ratio: Quia ſimulatè acedebant cum Catholicis ad menſam Domini, ſeu ut ſimularent ſuam hæreſim: igitur in primitiva Eccleſia, Euchariſtia dabatur ſub ſola ſpecie panis, ſiquidem Manichæi erant in principio tertij ſæculi.

Aliud habemus exemplum in Abſtemiis, quibus olim Euchariſtia porrigebatur ſumenda, ut teſtatur D. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium, ubi quarumdam Catholicarum Virginum Abſtemiarum meminit, quæ Romæ in Sacris myſteriis pro nativo vini horrore à ſpecie vini abſtinebant, ibidemque increpat, & redarguit idem. S. Doctor quaſdam laſcivas mulieres, quæ adverſus Virgines Abſtemias obloquentes, eas miſeras & Manichæas dicebant, ex quo ſequitur, Manichæos, & Abſtemios, communicaſſe in primitiva Eccleſia ſub una ſpecie tantùm, ſcilicet ſub ſpecie panis, pariterque quòd utriuſque ſpeciei uſus non eſt ordinatus à Chriſto, quia Apoſtoli nunquam dediſſent Euchariſtiam tantùm ſub una ſpecie, nec Eccleſia eam ſic daret. Nec debet hoc diſplicere Lutheranis; cùm ipſi in ſuis ordinationibus permittant ut Abſtemii ſaporis, & odoris vini impatientes communicent ſub

Sacra Communio non denegatur abſtemiis.

ſola ſpecie panis : ergo non poſtunt affirmare hanc ſpeciem vini eſſe ſumendam ex divina inſtitutione, quia nulla poteſtas valet diſpenſare in præceptis Chriſti, Chriſtus corpus ſuum dedit Diſcipulis euntibus in Emmaüs ſub una ſpecie, ot inſertur ex illo Luc. 24. ubi legitur, *Et factum eſt, dum recumberet cum eis,* *Luc. 24.* *accepit panem, & benedixit ac fregit & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis* : Etenim panis ille erat panis Euchariſticus, ut notant Sancti Patres, & præſertim S. Auguſtinus, lib. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. ubi ait : *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum, à Satan factum fuiſſe nè agnoſceretur* *D. Auguſt.* *Jeſus, ſed tantum à Chriſto facta eſt promiſſio uſque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici.* Idem docet venerabilis Beda ſuper eumdem locum, ubi ait : *Beda.* *Impedimentum permittit eſſe Deus, donec ad Sacramentum perveniatur, ſed veritate percepta corporis Chriſti, impedimentum inimici auſertur, ut Chriſtus poſſit cognoſci* : Igitur Chriſtus tunc conſecravit, & corpus ſuum dedit Diſcipulis euntibus in Emmaüs ſub ſola ſpecie panis.

Nec poteſt inſerri præceptum de communione ſub utraque ſpecie ſumenda, ex integritate Sacramenti. Hæc enim conſiſtit primò in ſigno, ſecundò in re ſignificata, ſeu ſub ſigno contenta, tertiò in effectibus; cùm nihil aliud requiratur, ut Sacramentum Euchariſtiæ ſit omni ex parte integrum. At communio ſub ſola ſpecie panis habet hæc omnia; cùm ſignificet Chriſtum, ejuſque mortem, necnon ſpiritualem refectionem animæ : igitur non eſt neceſſe, ut *Nullum eſt præceptum de communione ſub utraque ſpecie ſumenda* quis perfectè communicet, quòd utramque ſpeciem ſumat, quia ſumendo duas ſpecies, non plus ſumat, quàm ſumendo unam tantùm, ſaltem ex opere operato, & ex virtute Sacramenti, ut docent communiter Theologi.

Deindè ſub ſpecie panis continetur totus, ac integer Chriſtus, cùm ſub hac ſpecie Chriſtus vivat, & verè exiſtat in ſuo eſſe eſſentiali, & completo.

Tandem dum ſub ſola ſpecie panis idem Chriſtus datur, confertur communicanti vita conſummata, quæ eſt propriè Euchariſtiæ effectus, Chriſtus enim *Joan. 6.* inquit Joan. 6. *Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum, panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* : & ideo Sacramentum Euchariſtiæ eſt perfectum, & integrum in ſola ſpecie panis, idcircò nullum poteſt eſſe præceptum divinum obligans fideles ad ſumptionem Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie; cùm nulla ſit ratio ob quam à Chriſto Domino debuerit imponi Laicis, ſicut imponitur Sacerdotibus conſecrantibus, quibus Chriſtus in perſona Apoſtolorum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quia hæc verba relata apud Lucam cap. 22. verſ. 19. & ab Apoſtolo 1. ad Corint. cap. 11. verſ. 24. dicta fuerunt poſt conſecratum panem, & ante conſecrationem Calicis, hinc eſt quòd Marcus cap. 14. refert quod omnes Apoſtoli biberunt ex calice : inquit enim *Biberunt ex eo omnes.* Et quantum ad panem non dicit, *manducaverunt ex eo omnes,* licet omnes Apoſtoli manducaverint ex illo. Ratio eſt, quia panis dandus erat omnibus fidelibus, vinum verò illis dumtaxat, quos hujus ſacramenti miniſtros efficiebat.

§. IV.

Reſpondet Hæreticis.

Joan. 6. HÆretici ſupra relati inferunt præceptum de communione ſub utraque ſpecie ſumenda ab omnibus fidelibus, ex illis verbis Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* *Matth. 26.* Et ex illo Matth. 26. verſ. 27. ubi legitur, Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis præbendo ipſis calicem; *Bibite ex hoc omnes,* quid (inquiunt) clarius? quia per hæc verba Chriſtus oſtendit neceſſitatem communionis ſub utraque ſpecie, ſicut per hæc verba Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei* oſtendit neceſſitatem Baptiſmi : ergo habemus præceptum de Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſumenda, ſicut habemus illud de Baptiſmo; cùm particula *niſi* indicat neceſſitatem, tam in Euchariſtia, quàm in Baptiſmo, & in Euchariſtia ad utramque ſpeciem referatur, undè ſicut Baptiſma non poteſt ſuſcipi niſi in Aqua, ità nec Euchariſtia niſi in cibo, & potu; cùm hæc duo ſint materia Euchariſtiæ, ſicut Aqua naturalis eſt materia Baptiſmi, qui cùm detur omnibus eodem modo, ſic etiam Euchariſtia debet dari omnibus fidelibus eodem modo, & ſecundum omnes, aut ſpecies ſuas, ſcilicet ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini.

Reſpondeo, argumentum ex authoritate D. Joannis deſumptum, non probare præceptum de communione ſub utraque ſpecie ſumenda, ſed tantùm oſtendere neceſſitatem ſumendi corpus, & ſanguinem Domini, at utrumque fit ſumendo ſolam ſpeciem panis, ſub qua ſanguis eſt ſimul cum corpore, quia ſub illa *Reſponſio ad rationem contrariam* ſpecie Chriſtus vivit, & ideò dum corpus manducatur, ſanguis dicitur bibi quoad ſubſtantiam, quia ſumitur res potabilis, nimirum ſanguis, dum manducatur panis Euchariſticus; licet non dicatur propriè bibi quoad modum; nec hoc inſolitum eſt in Sacra Scriptura, quæ plerumque verbum *manducandi & bibendi* pro eodem indifferenter uſurpat, ut patet ex illo 1. ad Corinth. cap. 3. verſ. 2. *lac vobis potum dedi, non eſcam*, ibidem cap. 9. verſ. 7. *quis paſcit gregem, & de lacte gregis non* *Pſal. 88.* *manducat*, ubi Apoſtolus indifferenter, lacti bibere, & manducare tribuit; licet propriè loquendo lac non ſit propriè cibus, & potus ſimul. Eodem modo utitur Scriptura Pſal. 68. verſ. 22. ubi habetur: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto* : Igitur de pane Euchariſtico Evangeliſta potuit dicere, *Niſi manducaveritis, niſi biberitis,* quin velit oſtendere illum, qui manducat corpus Domini, non bibere Sanguinem Domini, hæc enim verba ſunt intelligenda de corpore & Sanguine Chriſti ſumendis in Euchariſtia, non verò de modo ſumendi ſub una, aut duplici ſpecie. Ratio hujus rei eſt, quia Chriſtus protulit ea contra Capharnaitas, inter ſe litigantes & dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Illi autem non litigabant de modo ſumendi ſub utraque, aut unica ſpecie, ſed de re ipſa, ſcilicet an poſſet caro ejus, & ſanguis in Euchariſtia ſumi, ideoque non præcepit utriuſque ſpeciei ſumptionem, ſed declaravit carnem ſuam eſſe manducandam, ſuumque Sanguinem bibendum. Et de facto ſumitur in ſumptione corporis, quod ſecundum omnes ſuas partes ſumitur.

Ad alium textum Matth. 26. dico quòd hæc verba *bibite ex hoc omnes*, dicta fuerunt ſolis Apoſtolis. Quòd verum eſſe patet ex illo Marci cap. 14. verſ. 23. *Biberunt ex illo omnes*, inde enim monet quòd calix erat tantùm pro Apoſtolis, & inter ipſos dumtaxat dividendus juxtà illud Lucæ 22. *Accipite & dividite inter vos,* ac ſi dixiſſet pro vobis eſt tantùm, quia ſi fuiſſet pro *Explicatur Evangeliſta Matthæus.* omnibus fidelibus, ſicut panis, falſa fuiſſet reſponſio hæc : *biberunt ex illo omnes*, quia omnes fideles non biberant eum, de pane autem non dicitur: *manducaverunt ex illo omnes* quia Laici, qui eum manducare debebant, non manducaverant illum, quòd probat, calicem eſſe pro familia Chriſti, ſeu pro Miniſtris ha-

Digitized by Google

jus Sacramenti, panis verò pro miniſtris, & adſtantibus, & ideo non valet paritas de Baptiſmo, & de ſanguine ſumendo ſub ſpecie vini, licet in utroque præcepto addatur particula, *niſi*, cùm in Baptiſmo totaliter cadat in Aquam, & in Euchariſtia non cadat in utramque ſpeciem ſacramentalem, ſed in rem in ipſis contentam, ſcilicet in corpus Domini, quod ſemper eſt cum ſanguine ſub ſpecie panis, ſicut ſanguis eſt cum corpore ſub ſpecie vini. Deindè in Baptiſmo particula *niſi* denotat neceſſitatem medij, in Euchariſtia verò neceſſitatem præcepti, cum plures ſint, qui ſine Euchariſtia ſalvantur, & nullus ſit, qui ſine Baptiſmo poſſit ſalvari. Nec hoc negare poſſunt Lutherani; cùm ipſimet non communicent infantes, quos baptizant, & Abſtemios communicare patiantur ſub ſola ſpecie panis.

Præter hæc, quæ dixi pro diſſolvendo Hæreticorum argumento, dico iterum, hanc particulam *&* non eſſe ſumendam copulativè, ſed ſolum diſjunctivè, ut ſenſus ſit, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, vel biberitis ejus ſanguinem.* Nec mirari debent Hæretici de hac reſponſione, nedùm quia eſt communis omnibus Hæreticorum impugnatoribus, ſed etiam quia in Sacra Scriptura non rarò hæc particula *&* ſumitur pro *vel*, Hebræi enim ſæpè utuntur particulâ copulativâ pro diſjunctiva, ut patet ex illo Exod. 21. *Qui percuſſerit patrem & matrem, morte moriatur*, id eſt, alterutrum: certum enim eſt quòd percuſſio Patris ſola ſufficiebat ad mortem, pariter & percuſſio matris, licet abſque illa disjunctione ibi loquatur Scriptura Sacra, Act. 3. verſ. 6. Petrus ait, *Argentum & aurum non eſt mihi*, id eſt, neque argentum, neque aurum habeo.

Explicatur particula

Exod. 21.

Deinde eadem veritas evidenter colligitur ex Apoſtolo ad Corinth. cap. 11. ibi enim Scriptor ille Sacer, quin verum ſenſum mutet, utitur particula *&* in uno verſu. Et in alio utitur particula, *vel.* Nam verſ. 26. ait: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Et verſ. 27. de eodem Sacramento loquendo, licet ejus ſermo ſit de manducatione digna, ait: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini &c.* tamen de diverſa manducatione non loquitur, ſaltem quoad ſubſtantiam carnis manducandæ, & Sanguinis bibendi: Igitur particula *&* hîc ſumitur pro particula *vel*: Et dum corpus ſumitur, Sanguis etiam ſumitur ſub eadem ſpecie panis, in qua eſt corpus Domini vi verborum, & Sanguis per concomitantiam; alioquin non dixiſſet Apoſtolus: *Qui biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis, & Sanguinis Domini*, Quia indignè bibendo ſanguinem; eſſet tantum reus corporis Domini: non enim implicat quòd indignè manducans panem; poſt manducationem ſe diſponat; per contritionem ad dignè bibendum ſanguinem, ſi Euchariſtia ſub utraque ſpecie eſſet neceſſariò ſumenda. Ideoque Apoſtolus declarat Corinthiis Euchariſtiam eſſe ſumendam unicâ ſumptione.

1. Corint. 11

Inſtabunt: Si hoc eſſet ſequeretur quod Chriſtus fruſtrà inſtituiſſet Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, & vini, cùm ſpecies panis ſufficiat, ut Sacramentum ſit integrum, & ut ſanguis verè recipiatur ſimul cum corpore, & corpus cum ſanguine; ſed hoc eſt abſurdum, quia vinum eſt materia neceſſaria Euchariſtiæ, ſicut panis; ergo & abſurdum eſt etiam illud undè ſequitur, nimirum quòd communio ſub una ſpecie tantùm ſit ſumenda.

Reſpondeo argumentum eſſe nullum, quia Chriſtus in nocte Cœnæ nedùm inſtituit Sacramentum, in quo eſſet nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi, inſtituendo Euchariſtiam, voluit etiam, hoc Sacramentum eſſe Sacrificium. Sed ad Sacrificium requiritur conſecratio & ſumptio utriuſque ſpeciei, ſcilicet panis, & vini, cùm neceſſario illud Sacrificium ſit unius victimæ, habentis carnem, & ſanguinem. Unde presbyteri, qui quotidie ſacrificant Deo vivo, ipſi duntaxàt debent in utraque ſpecie illud Sacrificium ſumere, ſicut ſub utraque ſpecie offerunt illud; Laici verò ſub ſola ſpecie panis; quia non ſumunt Sacrificium, ſed ſumunt tantùm Sacramentum, quod non magis integrum eſt ſub duabus ſpeciebus, quàm ſub una ſola, nec minus recipiunt recipiendo Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis, quàm Sacerdotes recipiendo eam ſub utraque ſpecie.

Cur Euchariſtia inſtitutio ſub utraque ſpecie facta fuerit.

Dicent, licet præceptum ſit de una ſpecie ſumenda, & ſub ipſa ſola Sacramentum ſit integrum, altera etiam præcipitur; uno enim & eodem præcepto ambæ ſpecies præcipiuntur. V. G. in iſto ſermone Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam* nedùm præcipitur fides, ità ut ſola fides ſufficiat ad conſequendam vitam æternam, ſed etiam præcipiuntur opera, licet ibi non exprimantur; Hujus veritatis argumentum eſt, quia fides ſine operibus ità mortua eſt, ut maxima ſit neceſſitas eliciendi bona opera, ut fides ſit viva; igitur licet Chriſtus dixerit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, non ſequitur ſolam carnis manducationem ſub ſpecie panis abſque potu Sanguinis ſub ſpecie vini, eſſe ità ſufficientem ad vitam æternam conſequendam, ut hæc haberi poſſit potu Sanguinis; quippe cùm cum ſub ſpecie vini ſumatur à presbyteris, ſub eadem debet ſumi à Laicis.

Joan. 3.

Reſpondetur paritatem eſſe falſam, nam Sacra Scriptura æqualiter præcipit fidem, & bona opera, velut duo abſolutè neceſſaria, ut ex quolibet ipſorum ſequatur fructus, aut meritum ad vitam æternam conſequendam, ità ut ſi unum ſit ſine alio, nullum ſit, ut patet ex illo Jacobi cap. 2. verſ. 14. *Quid proderit fratres, ſi fidem quis dicat ſe habere: opera autem non habeat? numquid poterit fides ſalvare eum.* Et infra. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Unde licet fides ſit neceſſaria, & abſolutè præcipiatur; quin eodem præcepto præcipiantur opera, ut conſtat ex dictis & ex Apoſtolo ad Rom. cap. 1. *Juſtus ex fide vivit*, ad Heb. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, hæc tamen non excludunt bona opera, nec poſſumus nos ab illis abſtinere, cùm ex aliis locis præcipiatur, & declaretur, vitam æternam à bonis operibus dependere, qui enim bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum, licet habuerint fidem, at Chriſtus qui dixit: *Niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus Sanguinem &c.* numquam dixit: *Niſi biberitis ſanguinem filij hominis non habebitis vitam in vobis*, nec unquam dixit: *Qui manducat carnem meam; & non bibit meum ſanguinem non habebit vitam æternam*: Itaque præcipiendo Euchariſtiæ ſumptionem, non præcipit eam ſub duabus ſpeciebus, ſed ſolùm ſub una, quia ſub una ſola eſt verè & completè Sacramentum, cùm ſub qualibet ſpecie ſit verum corpus, & verus ſanguis ſimul. Qui ſumit, aut manducat carnem, ſumit ſanguinem, & habet omnia, quæ ſunt in Euchariſtia, ſed qui credit & non operatur in fide per dilectionem, reverà habet fidem, ſed non habet opera, per quæ vivit ipſa fides; ideoque non valet paritas.

Paritas ſuprà adducta ab Hæreticis eſt nulla.

Objicient, Eccleſiam dediſſe olim Laicis Euchariſtiam ſub ſpecie panis, & vini. Sed non nocet talis uſus, qui olim in Eccleſia fuit, quia Eccleſia non fecit hoc ex mandato Chriſti, ſed propria authoritate, ac proinde potuit dare Laicis communionem

ſub ſola ſpecie panis, imo eam ſic dare debuit, in dies creſcente Fidelium multitudine. Nam propter hanc multitudinem Fidelium communicandam, periculum erat effuſionis ſanguinis, quod in primitiva Eccleſia propter populi paucitatem, non adeó timendum erat.

Rationes ob quas communio non eſt danda Laicis ſub ſpecie vini.

Deindè delatio vini conſecrati ad loca diſtantlota pro communicandis infirmis erat periculoſa, & occaſio effoudendi ſanguinem in terram. Legitur enim in vita S. Donati Epiſcopi & Martyris, quòd quidam Diaconus popolo ſanguinem tradens, poſt celebrationem cecidit, & ſanctum calicem comminuit: Inſuper vinum pro infirmis conſervatum poterat verti in acetum.

Tandem inde homines credere poſſent, ſanguinem non eſſe ſub ſpecie panis, nec corpus ſub ſpecie vini, ut refertur de quibuſdam Neſtorianis, qui in hunc errorem lapſi ſunt: ergo Eccleſia ex juſta cauſa privavit Laicos ſpecie vini. Nec inde advenit ipſis injuria, quia ſub ipſa ſola ſpecie panis recipiunt idem Sacramentum, & eamdem gratiam, nec advenit ipſis præjudicium, quia ſumere Euchariſtiam ſub utraque ſpecie convenit tantum Sacerdotibus, qui Deo offerunt Sacrificium, panem & vinum continens, & ſub una ſola ſpecie continentur corpus & ſanguis Domini. Sunt aliæ quamplurimæ rationes propter quas Eccleſia judicavit ſpeciem vini non eſſe dandam Laicis, ſed eas umitto quia videri poſſunt apud Theologos ſive Scholaſticos, ſive Morales.

ARTICULUS LI.

Declarat contrà Jacobitas, Auricularem Peccatorum Confeſſionem fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutam.

Jacobitæ.

ADverſus auricularem, & peccatorum ſecretam confeſſionem Sacerdoti faciendam plures inſurrexerunt Hæretici, qui nec propriæ, nec aliorum ſaluti conſulentes, conati ſunt eam fundiùs evertere, diverſis tamen vijs ità aggredi tentarunt ad ſuadendum hanc confeſſionem odioſam & ridiculam eſſe, ut nulla ſit hæreſis extentior, cùm major pars Hæreticorum hanc confeſſionem inficietur.

Primi fuerunt quidam viri Hæretici Orientáles, dicti Jacobitæ à quodam Jacobo genere Syro, qui tempore Mauritij Imperatoris, & Pelagij II. Papæ, circà annum Domini DLXXX. dicebat, nullum hominem teneri peccata ſua confiteri Sacerdoti, ſed Deo ſoli, quia ipſe ſolus poteſt peccata dimittere.

Albanenſes. Bajolenſes. Concordenſes.

Anno veró DCCXCVI. Albanenſes, Bajolenſes, & Concordenſes tempore Conſtantini IV. Imperatoris, & Leonis III. Papæ, dixerunt, nullum hominem poſt peccatum commiſſum, confiteri debere Sacerdoti, imo nec Deo, eorum ratio erat (inquiebant) quia in homine nullum eſt liberum arbitrium, & dum peccat, non liberè ſed de neceſſitate peccat, & ideo non tenetur ſe accuſare coram Sacerdote, nec coram Deo, quia nullus homo poteſt eſſe reus.

Uvaldenſes

Albanenſium errori adhæſerunt Pauperes de Lugduno, ſeu Uvaldenſes anno MCLX. ſub Friderico I. Imperatore, & Alexandro III. Papa, dixerunt enim, confeſſionem auricularem nullo modo eſſe neceſſariam, imò prorſùs inutilem, & injurioſam Deo & hominibus, Deo ſcilicet qui ſolus delet peccata juxtà ſuæ voluntatis beneplacitum; quin ei revelentur per confeſſionem.

Joannes de Poliaco.

Ioannes de Poliaco Theologus Pariſienſis varias ſeminavit hæreſes circà audientiam confeſſionum auricularium tempore Ludovici Bavari Cæſaris Germani, & Joannis XXII. Docuit enim quòd Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſiones, imo nec Deus ipſe. Et addit quòd ille, qui peccata ſua confitetur habenti generalem facultatem & licentiam, tenetur rurſùs proprio confiteri Sacerdoti, quem Parochialem Curatum, ſeu Curionem vocat. Sed malè quia per proprium Sacerdotem Concilia intelligunt Epiſcopum.

Vuicleffus.

Poſt hos Hæreticos inſurrexit alter ſub Carolo IV. & Clemente VI. ſeu Joannes Vuicleffus natione Anglus, qui in articolo ſeptimo eorum, quos damnavit Concilium Conſtantienſe, ait: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua*, ex quo ſequitur, hunc Hæreticum negaſſe confeſſionis Sacramentalis neceſſitatem, tam in re, quàm in voto.

Joann. Hus.

Idem judicavit Joannes Hus genere Bohemus, & Vuicleffi ſocius, hic enim dixit; *Grave eſt & formidabile, Presbyterum audire confeſſionem populi, modo quo Latini utuntur*, iſte videtur aliquid alterius, ſeu Vuicleffi Sacrilegio addidiſſe, nimirum confeſſionem illam eſſe intolerabilem; qui verò credit illam intolerabilem, credit eam etiam ſuperfluam, & ideo Joannes Hus nequior eſt Vuicleffo; cùm dixerit, confeſſionem non ſolum eſſe ſuperfluam, ſed etiam intolerabilem. Quòd ipſe Vuicleffus non dixit, nam qui credit, hanc confeſſionem eſſe ſuperfluam, non credit eam intolerabilem.

Lutherus.

Martinus Lutherus qui errores & impietates Hæreticorum, qui præceſſerunt eum, ſuſcitavit, cùm vix tres, aut quatuor in ipſius ſcriptis & litteris proprij reperiantur errores, dixit in Diſſertationibus de confeſſione, & Sacramento Euchariſtiæ; quòd confeſſio auricularis, quæ fit Sacerdoti, non eſt præcepta à Deo, ſed mandata fuit à Papa, qui ad eam cogit homines. Et lib. de captivitate Babylonica, inquit: *Confeſſio & ſatisfactio egregia facta ſunt officina lucri.* Et in aſſertione nona; ait: *ita eſt cruentiſſima, qua hactenus tot miſeras conſcientias torſerunt omnium, & ſingularium peccatorum diſcuſſionibus cum pro ſe non habeant nec tota quidem illius Scriptura Tyrannide propria, hac tenera importabilia hominibus imponere.* Et alibi vult, hominem debere ſoli Deo confiteri peccata, ut conſcientia (inquit) ab hujuſmodi diſcuſſionibus, & pœnis liberetur.

Calvinus.

Alter Hæreticus utpotè Joannes Calvinos, non minùs impiè ſentit de hac Sacramentali confeſſione, quàm Lutherus: In lib. 3. inſtitut. cap. 3. 5. & 7. ait: *Miror autem qua fronte auſi ſint contendere confeſſionem, de qua loquuntur, juris eſſe divini; cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum fatemur, ſed quàm facilè evincere poſſumus olim fuiſſe liberam, certe de ea nullam ſtatutum fuiſſe legem, aut conſtitutionem, ante Innocentii III. tempora, eorum quoque Annales narrant*: Sanè nihil clarius dicere poterat Hæreticus ille, ut oſtenderet ſe impugnatorem, & inimicum confeſſionis auricularis faciendæ Sacerdoti, cùm ibi loquatur contrà Theologos eam admittentes, validiſſimiſque argumentis, & rationibus efficaciſſimis tuentes eam, velut Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum in remiſſionem peccatorum Actualium, non verò ut rem ab hominibus inventam ut putabat ipſe Calvinus, quia in lib. de Confeſſione Fidei Calviniſtarum artic. 24. aſſerit, confeſſionem auricularem eſſe inventum humanum, quo jugum imponitur conſcientijs.

Marcus Antonius de Dominis.

Tandem Marcus Antonius de Dominis eamdem impietatem docet in lib. 5. Reipublicæ Eccleſiaſticæ cap. 7. num. 43. ibi enim ait: confeſſionem auricularem eſſe homini liberam, nec ulla Lege divina, aut humana hominem ad ipſam eſſe aſtrictum cùm habeat remedium in pœnitentia interna, quæ ſola poteſt ſufficere ad remiſſionem peccatorum à Deo

obtinendam. Hic Hæreticus oſtendit confeſſionem auricularem non eſſe neceſſariam, nullumque eſſe divinum præceptum, quo teneamur eam facere Sacerdoti.

§. I.

De Hæreticorum Proſcriptione.

PRædicti Hæretici damnantur in varijs Concilijs nedum Nationalibus, ſed etiam Generalibus, & præſertim in Concilio Conſtantienſi in quo damnati ſunt quadraginta quinque propoſitiones, ſeu articuli Joannis Vuicleffi, & Joannis Hus, quorum unus tenet confeſſionem auricularem peccatorum eſſe inanem & ſuperfluam. In Florentino ſub Eugenio IV. in definitione Fidei datæ Armenis.

Concilium Conſtantienſe.

Florentinū.

Tridentinū.

Tandem & in Tridentino ſeſſ. 14. can. 3. habetur: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium: Anathema ſit.* Et can. 6. ejuſdem ſeſſionis. *Si quis negaverit, confeſſionem Sacramentalem vel inſtautam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum: Anathema ſit.* Ibi enim vērè damnantur Hæretici, qui volunt, confeſſionem Sacramentalem, nullatenus eſſe neceſſariam, & credunt, eam eſſe inventum purè humanum.

Lateranenſe.

Calvinus, qui vult, confeſſionem auricularem ortum habere non à Chriſto, ſed ab Innocentio III in Concilio Lateranenſi, damnatur in cap. 5. ejuſdem ſeſſ. circà finem, ubi legitur: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti Fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Undè jam in univerſa Eccleſia, cum ingenti animarum Fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſima, quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tamquam pium, & meritò retinendum:* Quibus verbis conſtat, confeſſionem auricularem non fuiſſe adinventam ab Innocentio III. ut impiè ſomniavit Calvinus, qui acceſſorium pro re principali malitiosè ſumere voluit, ut hoc Sacramentum deſtrueret, ſed conſtat, confeſſionem auricularem fuiſſe inſtitutam à Chriſto Domino.

§ II.

De Divina Sacramentalis Confeſſionis Inſtitutione.

EAdem veritas demonſtratur ex Sacra Scriptura, ex qua colligitur, Apoſtolos accepiſſe à Chriſto Domino poteſtatem dimittendi, vel retinendi peccata hominum, quæ quidem poteſtas ſuum nequit habere effectum, niſi homo peccata ſua confiteatur, & declaret verbalitèr peccata ſua Sacerdotibus, ad quos tranſmiſſa fuit, & in quibus reſidet ordinariò, vel per delegationem hæc ipſa poteſtas conceſſa Apoſtolis, & Diſcipulis Domini, circà peccata dimittenda vel retinenda, Joan. cap. 20. verſ. 22. & 23. legitur, Chriſtum dixiſſe illis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ex quibus ſequitur, Chriſtum cujus ſanguine redempti ſumus, inſtituiſſe Sacerdotes Judices peccatorum noſtrorum, & ad eos remiſiſſe peccatores. Sacerdotes autem non poſſunt peccata remittere alicui, niſi prius ea cognoverint, quia remittere peccata, eſt actus imperij, & de natura ſententiæ, quæ ferri non poteſt niſi circà rem cognitam; cùm nihil volitum, quin præcognitum. Et ex Sacra Scriptura Proverb. 12. qui judicat quæ novit, Judex juſtitiæ ſit, ità ut qui judicat quæ non novit, Judex juſtitiæ non ſit. Hinc fit quòd nè Sacerdos cui Chriſto ſic ſtatuente ſubjicienda ſunt peccata, ſit Judex injuſtus, neceſſe eſt quod peccator ei revelet peccata ſua per veram & ſinceram peccatorum confeſſionem, & quod ipſe Sacerdos attentè conſideret peccata, quæ confitetur illi.

Joan. 20.

Proverb. 12.

Unde Concilium in Trullo can. 102. inquit: *oportet eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem acceperunt à Deo peccati qualitatem conſiderare, & ejus qui peccavit ad eam converſionem, ſtudium promptum, & ſic morbo convenientem afferre medicinam, nè ſi de peccato ſine crimine ſtatuant, aberrent in ægroti ſalutem, non enim ſimplex eſt peccati morbus; verùm varius & multiformis plurimiſque propaginibus ſubpullulans ob quas malum longe, lateque diffunditur, ac ſerpit, quouſque tandem virtuti medicamenti reſiſtat*, ex quo ſequitur quòd qui voluerit hac ligandi, atque ſolvendi poteſtate uti, neceſſè eſt quòd cognoſcat ea, quæ ſolvit, aut ligat, ſubindequè neceſſè eſt quòd peccator teneatur ei peccata ſua confiteri, nam hæc poteſtas ligandi & ſolvendi peccata hominum non potuit concedi à Chriſto Apoſtolis reſpectu hominum; quin ſimùl voluerit obligare homines ad notificanda eiſdem Sacerdotibus ea, circa quæ & ob quæ data fuit hæc poteſtas ligandi, aut ſolvendi. Correlativa quidem ſunt hæc duo. At hæc notitia ſolvendorum, aut ligandorum non poteſt à Sacerdotibus haberi niſi peccatores confiteantur peccata ipſis Sacerdotibus, qui talem poteſtatem habent, quoniam peccata aliorum, maximè ea, quæ ſecretò intrà cordis latebras commiſſa ſunt, non poſſunt cognoſci à Sacerdotibus, niſi ab ipſis peccatoribus revelentur, ex quo ſequitur etiam peccatorem eſſe obligatum ad hujuſmodi peccatorum confeſſionem. Evidens enim eſt quòd qui dedit Sacerdotibus poteſtatem remittendi peccata, injunxit utique per eadem verba peccatoribus obligationem confitendi illis peccata ſua; cùm indigeant hac remiſſione. Et Chriſtus propter ipſam Sacerdotibus contulerit poteſtatem remittendi peccata; quin dederit illis virtutem agnoſcendi interna hominum peccata, invito homine, quoniam Deus ſolus ſit Scrutator cordium.

Concilium Trullenſe.

Chriſtus dādo Apoſtolis poteſtatem abſolvendi à peccatis, obligavit peccatores ad confeſſionem

Hæc illatio, ſeu neceſſitas confitendi peccata ex eo quòd Chriſtus contulerit Apoſtolis poteſtatem remittendi ea, probatur evidentèr exemplo Baptiſmi. Nam quemadmodum ex his verbis Matth. ult. cap. verſ. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*; Nedum inferimus, Chriſtum dediſſe Apoſtolis virtutem baptizandi, aut poteſtatem remittendi peccatum Originale, ſed etiam Chriſtum voluiſſe obligare omnes, & ſingulos homines ad ſuſcipiendum Baptiſmum, aut ad petendum Baptiſmum à Miniſtris Eccleſiæ, ut fatentur Hæretici, qui ex eiſdem verbis dumtaxat inferunt præceptum, quo tenemur Baptiſmum ſuſcipere. Ita ex iſtis Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Non ſolum debemus inferre, Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata hominum, ſed etiam, ipſos homines obligaſſe ad petendam abſolutionem, aut remiſſionem peccatorum, non à ſolo Deo, ut Hæretici putant, ſed à Sacerdotibus; alioquin fruſtra fuiſſet eis data hæc poteſtas remittendi, aut abſolvendi peccata, hæc quidem abſolutio peccatoribus concedi nequit, niſi ipſimet declarent

Matth. ult.

ſe reos eſſe, & peccata revelent. Hujus obligationis ratio eſt, quia ſapientis ac providentis Legiſlatoris munus eſt non ſolum Sanctiſſimis Legibus cives inſtruere, ſed etiam ad eas ſervandas quamtum fieri poteſt eos obligare, iraquè dum Chriſtus dedit Diſcipulis ſuis poteſtatem remitrendi peccata, obligavit homines peccatores ad peccatorum confeſſionem, cùm voluerit quód homines peccatores remiſſionem peccatorum obtinerent à Sacerdoribus, mediante confeſſione ad abſolutionem prævia, quia ſcriptum eſt Proverb. 28. verſ. 13. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordam conſequetur.* Ex regulis Juris venia non datur niſi correcto cognito ab eo, qui veniam dat, Sacerdos autem abſolvit, datque veniam peccatori, non quomodocunque, ſed illi, qui ſe confitetur peccatorem & veniam petit. Judex judicat reum convictum per ſe, vel per teſtes; at in hoc pœnitentiæ tribunali, peccator non poteſt convinci per teſtes; igitur, ut abſolvatur, & judicetur, neceſſè eſt quód ſe accuſet, ſuaque peccata confiteatur in amaritudine animæ ſuæ.

Proverb. 8.

Hæretici reſpondent quòd ex illis verbis: *accipite Spiritum Sanctum*, ſolùm poteſt inferri confeſſionem peccatorum eſſe ſub conſilio velut bonum quoddam opus, & ad ſalutem maximè conducens, non verò neceſſitatem, aur obligarionem confitendi peccata eiſdem, quibus Chriſtus dixit: *accipite &c.*

Hæc ratio eſt prorſùs inanis & imaginaria, nam poſt illa verba, *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ſtarim ſubdit: *quorum retinueritis; retenta ſunt*, ex quo ſequitur, quòd illi quorum peccata rerema fuerunt, in peccato erunt, quia Sacerdotem retinere peccata, nihil aliud eſt, quàm non dimittere peccata, acproindè ille eujus peccata non ſunt remiſſa, ſeu ſunt retenta, eſt peccator, undè ſi ad hoc ut peccata ſint remiſſa, neceſſè ſit quòd remittantur à Sacerdote. Et ut quis Intret in Regnum cœlorum, neceſſè ſit, ipſum nullum peccarum habere, ſeu quod remittantur ei omnia peccata, ut eſt manifeſtum in Sacra Scriptura, neceſſè eſt etiam, ut ſua peccata confiteatur Sacerdoti, qui ea remittat, quoniam accepit à Deo poteſtatem dimittendi ea; alioquin erunt retenta, & ipſe peccator puoietur pœnâ æternâ, ideoque ex illis verbis *accipite &c.* Nullus poteſt inferre, confeſſionem eſſe tantùm ſub conſilio, ſed ſub præcepto; cùm hæc neceſſitas confitendi peccata, ſit in Adultis, qui peccata habent, ſitque oeceſſitas medij & præcepti, quô tenemur obſervare ea, quæ ſunt oeceſſaria ad conſequendam vitam æternam.

Confeſſio Sacramentalis non eſt de conſilio, ſed de præcepto.

Origenes Homil. 2. in Pſal. 37. peccatorum confeſſionem neceſſariam prædicat, dicens: *Oportet peccatum non celare intrinſecus: fortaſſe enim, ut ij, qui habent incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, aut phlegmatis copiam ſtomacho imminentem, ſi vomerint, relevantur: ita ij, qui peccaverunt, ſi occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentes, & propemodum ſuffocantur à phlegmate, vel humore peccati, ſi autem ipſe accuſator ſui fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit delictum, & omnem morbi cauſam.* Per hæc enim verba Origenes demonſtrat neceſſitatem confeſſionis peccatorum non eſſe de conſilio, ità ut ipſa neglecta, nullum malum nobis adveniat, ſed de neceſſitate abſoluta, ur peccator valeat neceſſitatem animæ conſequi, eſt enim ſecunda tabula poſt naufragium, ſioe qua nullus poteſt à peccato perſonali & voluntario liberari, nec pervenite ad portum ſalutis. Quare D. Baſilius, regula CCLXXXVIII. air: *Neceſſario ijs*, id eſt Sacerdotibus, *peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio Myſteriorum Dei*, cùm Sacerdotes novæ Legis ſunt ex Apoſtolo eorumdem Myſteriorum Diſpenſatores, & pro Chriſto legatione fungantur.

Origenes.

D. Baſilius

Plures ſunt inſuper textus In Sacra Scriptora, quibus probatur confeſſionis neceſſitas Luc. 17. legimus Chriſtum dixiſſe decem Leproſis ſalutem ab eo poſtulantibus: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, ex quibus verbis etiam deſignatur confeſſio, quia per lepram figuratur peccatum, & per oſtenſionem lepræ Sacerdoti faciendam, ſignificatur peccatorum confeſſio facienda Sacerdoti. Nullus igitur poteſt citrà peccatum, cirrà eriam hæreſim negare, peccatorum confeſſionem eſſe abſoluté neceſſariam peccatoribus.

Luc. 17.

Nec valet dicere quòd ſufficit ſi hæc confeſſio fiat ſoli Deo, ut olim dixerunt Jacobitæ, non valet inquam, quia Chriſtus ibi aſſignat illum, cui fieri debet, ſcilicet Sacerdotem, qui eſt Diſpenſator Myſteriorum Dei, & qui habet virtotem purgandi lepram, ut notat D. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio c. 6. dicens; *corporis lepram purgare, vel purgatam oſtendere Judæorum Sacerdotibus licebat, at vero noſtris Sacerdotibus animæ ſordes, non dico purgatas oſtendere, ſed purgare prorſus conceſſum eſt*, & in hoc à Sacerdotibus Legis Moſaicæ differunt Sacerdotes novæ Legis.

D. Chryſoſt.

Idem ſuadet illud Joan. cap. 11. verſ. 44. *Solvite eum, & ſinite abire*, ex quo etiam colligi poteſt, quòd peccator, quamvis per gratiam ei à Deo in contritione collatam, ſit à morte peccati ſuſcitatus, ſicut Lazarus fuit ſuſcitatus à Chriſto voce magna clamante & dicente: *Lazare veni foras*, nihilominùs ligatus Sacerdoti traditur, ut ſolvatur à vinculo, quo tenetur ad certam pœnam pro peccatis ſatisfactione ſolvendam, ſicut Lazarus traditus fuit Apoſtolis, ut ſolveretur, & abſolutus abiret: ſtatim enim prodiit qui fuerat mortous ligatus, pedes & manus inſtitis; & facies illius Sudario erat ligata, ut refert idem Evangeliſta loco citato; hinc eſt quód D. Ambr. lib. 1. de Pœnitentia c. 6. ait: *Si vis juſtificari; fatere delictum tuum ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum*, ità loquitur ille Sanctus Doctor, ut doceat vincula noſtra per confeſſionem diſſolvi poſſe.

D. Ambroſ.

D. Gregorius Homil. 26. in Evang. eam veritatem colligit ex Lazari reſurrectione, ibi enim inquit: *Lazare dicitur veni foras ac ſi apertè cuilibet in culpa meritò diceretur, cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras jam per confeſſionem egredere qui te inferius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator, venientes foras ſolvant Diſcipuli ut Eccleſiæ Paſtores ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.* Certò nulla poteſt afferri authoritas iſtâ clarior pro ſtabilienda confeſſionis neceſſitate ex morte & reſurrectione Lazari.

D. Gregor.

Antiquiſſimus Eccleſiæ oſus etiam demonſtrat peccatorum confeſſionem neceſſarió eſſe faciendam Sacerdoti ex præcepto divino: quippecum nihil admittat eſſeotiale in Sacramentis, quòd non acceperit à Chriſto, certum eſt quód peccatorum confeſſio, quam ſemper admiſit in Sacramento Pœnitentiæ velut partem eſſenrialem eſt inſtitura à Chriſto, qui docuit eam Apoſtolos, à quibus fuit obſervata, & uſque ad oos abſque ulla interruptione derivata. Legimus enim in Actibus Apoſt. c. 19. v. 18. quód multi credentium veniebant ad ipſos Apoſtolos, quibus Chriſtus dederat curam gregis ſui, quoſque conſtituerat Ovium ſuarum Paſtores; confitentes & annuntiantes Actus ſuos, inter quos proculdubio nonnulli erant peccaminoſi, quos certo confitebantur ipſi credentes, ut acciperent remiſſionem, eo quòd ſciebant Apoſtolos accepiſſe à Chriſto poteſtatem dimittendi peccata, quam ipſe Chriſtus acceperat à Deo Patre. Undè D. Chryſoſt. interpretans illud Joan. c. 5. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*, inquit lib. 3. de Sacramentis c. 5. *Cæterum*

Confeſſio Sacramentalis ſemper fuit in Eccleſia.

D. Chryſoſt.

videò ipſum omne judicium à Deo Filio Sacerdotibus traditum eſſe, & ſervorum ſententiam Deus confirmat cum dicit: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.

Ratio ob quam Apoſtoli audiebant peccata credentium eſt, quia eos abſolvere poterant a peccatis. Et ratio ob quam ipſi credentes confitebantur ea eſt, quia ad hoc tenebantur ex præcepto Chriſti, nec poſſunt Hæretici negare, Fideles fuiſſe ad hujus præcepti obſervantiam obligatos. Res quidem valdè difficilis eſt hæc confeſſio peccatorum, per quam peccator omnia peccata ſua alteri dicit, quà re nihil durius, aut gravius inveniri poteſt, ut proclamant Hæretici, qui peccata amantes, odio habent peccatorum confeſſionem; idcirco hæc peccatorum confeſſio à ſolo Deo introduci potuit, neque potuiſſet obſervari niſi à Chriſto inſtituta fuiſſet, qui cùm ſit cœleſtis Medicus, idonea peccatis noſtris adhibuit medicamenta; quæ licet dura appareant Hæreticis, non poſſunt tamen rejici, quia ſalutaria ſunt, ideoque neceſſaria ægrotis, & præſertim confeſſio, ſeu manifeſtatio peccati facienda medico, nimirùm Sacerdoti; cùm nequeat ſuppleri per aliquod aliud medium, dum adeſt Sacerdos.

Idem docet D. Auguſtinus in Tract. de cura militiæ; & in lib. 50. Homiliarum, Homil. 49. ubi ait: *Qui poſt Uxores veſtras, vos illicito concubitu maculaſtis; ſi præter Uxores veſtras, cum aliqua concubiſtis, agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago: novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago; ergo ſine cauſa dictum eſt; quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa data ſunt claves Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium Dei? Fruſtramus verba Chriſti? Promittimus nobis quod ille negat? Nonnè nos decipimus?* Per hæc quidem verba D. Auguſtinus præter pœnitentiam, ſeu dolorem de peccatis; neceſſariò exigit Sacerdotis abſolutionem, acproinde peccatorum confeſſionem, quia Sacerdos cujus eſt ſolvere, & peccata remittere; Chriſto ſic ſtatuente, his verbis, *quæ ſolveritis ſuper terram &c.* Non poteſt abſolvere peccata, quæ non novit; quæque cognoſcere nequit, niſi à peccatore ei revelante; cùm ab ipſo ſolo cognoſcantur, & ad cognitionem medici ſpiritualis pervenire valeant de hac re Peccatores; ut monet D. Hieronymus exponens illud Eccleſiaſtes c. 10. v. 11. *Si mordeat Serpens in ſilentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit*, ubi habet: *Si quem Serpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit; ſi tacuerit qui percuſſus eſt; & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum Fratri, aut Magiſtro voluerit confiteri, Magiſter qui linguam habet ad curandum; facilè ei prodeſſe, non poterit, ſi erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri. Quod ignorat medicina non curat.* Quibus ſuadetur nedum abſolutionem peccatorum eſſe neceſſariam; ſed etiam peccata eſſe manifeſtanda abſolventi, ſeu Sacerdoti qui habet virtute clavium poteſtatem dimittendi peccata, aut retinendi. Hinc eſt quòd Sacerdos non deprecatur ut pœnitens abſolvatur, ſed ſua authoritate utens abſolvit, & ait peccatori confeſſo: *Ego te abſolvo &c.*

D. Auguſt.

D. Hieron.

§ III.

De Reſponſionibus ad Rationes Hæreticorum.

Plures Sacræ Scripturæ textus afferunt Hæretici; quibus nituntur probare, confeſſionem peccatorum non eſſe neceſſariam ad eorum veniam obtinendam. Primus eſt ex c. 18. Ezech. in quo Deus promittit quòd quoties ingemuerit peccator, vitâ vivet, & Deus iniquitatū ejus non recordabitur amplius, indè enim inferunt, confeſſionem eſſe faciendam ſoli Deo in amaritudine animæ; cùm ipſe Deus agnoſcat delicta noſtra; quin ea confiteamur Sacerdoti, & ea poſſit abſolvere; quin egeat Sacerdotis Miniſterio, unde in Sacra Scriptura ait: *ego ſum, qui deleo iniquitates veſtras.*

Huic rationi reſpondeo reverà ibi Deum promittere veniam ingemiſcenti peccata, ſed non ità abſolutè, ut ſolus dolor ſufficiat, nam Deus apud Ezechielem loco citato v. 27. & 28. *Cum averterit ſe Impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam: ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim; & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt; vita vivet & non morietur.* Quibus conſtat, Deum velle quòd impius faciat judicium; & juſtitiam. Et quòd ſervet omnia præcepta, præter pœnitentiam, hoc eſt, quòd doleat, & faciat cætera, quæ ei præcipiuntur pro conſequenda vitâ æterna, ut habetur in v. 21. at inter hæc præcepta, quæ neceſſariò obſervanda ſunt invenitur iſtud de confeſſione Sacerdoti facienda, quamvis adſit verus dolor de peccatis cōmiſſis, quippè ſi in Lege Moſaica erant quædam cæremoniæ legales, atque oblationes faciendæ, ut quis veniam peccatorum conſequeretur; licet doleret, ità in Lege Evangelica, ut quis ejuſmodi remiſſionem obtineat, tenetur recurrere ad unum eorum quibus Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*, quia Chriſtus per hæc verba nedum inſtituit eos Judices, ſed etiam ad eos remittit peccatores: de hoc quidem ſtat præceptum obligans omnes peccatores, nec gemitus, & lacrymæ quidpiam pœnitenti prodeſſe poſſunt, niſi Sacramentum Pœnitentiæ recipiat in re, vel in voto; aliàs ſequeretur ex authoritate Ezechielis quòd Baptiſmus non eſſet neceſſarius ad delendum peccatum Originale, præſertim Adultis, qui ex Paganiſmo ad veram Religionem venire vellent, quia ſi Infidelis doleret de peccatis ſuis; etiamſi nollet baptizari, poſſet ſalvari; cùm in promiſſione facta apud Ezechielem, nulla ſit mentio de Baptiſmo, ſi obſervantia præceptorum excludatur. At non obſtante hac authoritate, Hæretici dicunt, Baptiſmum eſſe neceſſarium, quia Chriſtus dixit Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit &c.* Ita pariter dicere debent, confeſſionem peccatorum eſſe neceſſariam in re, vel in voto; cùm ex ſuprà dictis conſtet, dari præceptum de hac confeſſione facienda. Vel ſaltem dicere debent quòd ex authoritate Ezechielis non excluditur confeſſio auricularis, ſicut non excluditur ablutio Baptiſmalis in remiſſione peccatorū inſtituta à Chriſto.

Explicantur Textus ab Hæreticis adducti.

Joan. 3.

Alter textus, quem afferunt Hæretici contrà confeſſionem, eſt D. Matth. c. 18. ubi Chriſtus dicit: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, indè enim inferunt nullam eſſe obligationem apud Fideles, quâ teneantur confiteri peccata Sacerdotibus. Eorum ratio eſt, quia confeſſio illa eſt jugum gravius eo, quod Judæi portabant in veteri Lege, ſeu contritione, ad quam dumtaxàt tenebantur. Et admiſſa neceſſitate confitendi peccata Sacerdoti, teneremur ad contritionem ſicut Judæi, & inſuper ad confitenda peccata ſigillatim; quod eſt jugum priori additum nobiſque injunctum.

Matth. 18.

Huic rationi reſpondeo negando quòd ex obligatione confitendi peccata, liceat inferre Legem Evangelicam eſſe rudiorem, & difficiliorem Lege Moſaica, noſque gravius jugum portare, quàm Judæi. Nam in Lege veteri unum dumtaxàt erat remedium, ſcilicet contritio, quæ ità neceſſaria erat ad remittenda peccata, ut attritio non poſſet ſufficere Judæis dolentibus de peccatis ex metu gehennæ, tunc enim opus erat contritione perfecta, quæ ità firmam, & conſtantem deteſtationem peccati exigit, ut fortè pauci fuerint in illa Lege (in qua non ità uberior gratia exundabat) qui illam perfectam contritionem exercerent; ut obſervat Fraſſenius noſter in articulo de confeſſione Sacramentali; ſed in Lege nova hæc attritio cum præmiſſa peccatorum confeſſione, ſufficit, ut infra dicemus, ad obtinendam

Nonobſtante confeſſione Lex Evangelica eſt ſuavior Lege Moſaica;

remiſſionem Peccatorum. Quòd ſanè eſt nos habere jugum ſuavius, & onus levins ex Sactamento Pœnitentiæ, & confeſſionis quàm jugum & onus Judæorum.

Tridentin.

Idem facilè colligi poteſt ex Trident. ſeſſ. 14.c.5. circà finem, ubi legitur: *Ipſa verò hujuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri poſſet, niſi tot, tantiſque commodis & conſolationibus levaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Quibus conſtat, confeſſionem Sactamentalem non reddere jugum noſtrum difficilius; nec onus noſtrum gravius onere Judæorum; cùm quod eſt utile & commodum, facilè & ſuavitèr ferri poſſit; & Attritio faciliùs haberi poſſit, quàm contritio.

Paritas nulla.

Dicent, Chriſtum cujus authoritate utuntur Sacerdotes in Nova Lege, remiſiſſe peccata abſque ulla præviâ accuſatione, ut patet exemplo Magdalenæ, Paralytici, Cananeæ, & aliorum, acproindè nullam confeſſionem Peccatorum eſſe neceſſariò faciendam Sacerdoti, cùm nulla facta fuerit Chriſto, qui plures Peccatores non confitentes abſolvit, ut jugum noſtrum eſſe ſuavius, & onus noſtrum levius onere Judæorum oſtenderet.

Reſpondeo paritatem eſſe nullam, quia Chriſtus omnes hominum actus, & effectus cognoſcebat, & ità poterat ſine ullâ præviâ accuſatione, aut confeſſione dimittere peccata; at Sacerdotes Novæ Legis cùm ſint Judices à Deo delegati, non ſolùm pro ſolvendis, ſed etiam pro retinendis peccatis, non poſſunt ea ſolvere, niſi juxtà præſcripta, & obligationem hominibus impoſitam. Hæc autem præſcriptio, & hominum obligatio comprehendunt Peccatorum accuſationem, & confeſſionem; quia Sacerdotes licèt Miniſtri & Diſpenſatores Myſteriorum Dei ſint, atque Judices delegati, non poſſunt judicare niſi parte auditâ; hoc eſt, niſi agnoſcant peccata per veram & ſinceram Peccatoris accuſationem. Et videant an ſint dimittenda, vel retinenda, ut conſtat ex ipſorum delegatione, *quorum remiſeritis peccata, &c.* Itaquè non valet paritas.

Deindè præter illam cognitionem Peccatorum, Chriſtus habebat ſupremam poteſtatem remittendi peccata, & ideò poterat Magdalenæ, Mulieri Cananeæ, & aliis Lugentibus condonare delictum abſque ullâ confeſſione auriculari; Sacerdos verò non habens hanc ſupremam poteſtatem, ſed ſolùm authoritatem illis commiſſam, qua uti non poſſunt niſi circà confitentes peccata ſua, non poteſt peccata remittere, vel retinere, niſi priùs audierit Peccatoris accuſationem.

Altera Hæreticorum Inſtantia.

Addunt quod ſi ſtante confeſſionis neceſſitate, & exiſtente Præcepto de confeſſione Sacerdoti faciendâ, jugum noſtrum eſſet leviùs jugo Veteris Legis, certum eſt quòd unquam nullum fuiſſet dubium circà confeſſionis neceſſitatem. Quód tamen eſt falſum, plures enim ſunt in Jure Canonicu Textûs, in quibus fit mentio de hac Controverſia, aut Diſputatione apud Fideles habita in Primitiva Eccleſia, ut patet in Titulo de Pœnitentia, & ideò ne jugum noſtrum ſit gravius jugo Judæorum repudienda eſt confeſſio auricularis, & ſtandum eſt in contritione cordis.

His reſpondeo, neceſſitatem confeſſionis ſemper fuiſſe recognitam, & receptam in Eccleſia Chriſti, ut inferri poteſt ex dictis ſuprà, juxtà teſtimonium Sanctorum Patrum. Ad Textus Juris Canonici dico quòd non impugnant neceſſitatem confeſſionis particularis, & ſecretæ, ſed publicæ ut conſideranti patebit. Vel dico quòd debent intelligi de confeſſione ſoli Deo facta, quæ non ſufficit, quæque non eſt admittenda velut ſufficiens pro obtinendâ remiſſione peccatorum, ſtante etiam contritione, ſi abſit confeſſio in re, vel in voto: quippè Peccator ex Jure Divino tenetur ſe oſtendere Sacerdoti, ut abſolvatur.

Nec obſtat dicere quòd Græci admittunt tantùm confeſſionem ſoli Deo factam, ut patet ex cap. ult. de Pœnit. diſt. 1. ubi legitur: *Quidam Deo ſolummodò confiteri debere peccata dicuntur Græci, &c.* Non obſtat, inquam, quia Græci non negabant abſolutè confeſſionem auricularem & ſecretam, quam modò Nos, & illi facimus Sacerdoti, ſed ſolùm confeſſionem publicam, quam olim faciebant nonnulli Fideles, ut notat Nicolaus Cabaſſilas in Explicatione Lyturgiæ, ubi ait: *Scimus poſt mortem Chriſti, etiam fide, Pœnitentiâ, & confeſſione opus eſſe; & Sacerdotum oratione; non poteſt homo ſolvi à peccatis; niſi hæc præceſſerint.* Ideòque Græci; qui ex canone citato dicunt, confeſſionem ſoli Deo eſſe faciendam, à verâ Fide Græcorum receſſerunt. Vel loquuntur de aliâ confeſſione, ſeu de publicâ de quâ nos hîc minimè loquimur: nam Græci admittunt confeſſionem auricularem; ut conſtat nedum ex eorum praxi, ſed etiam ex reſponſione & cenſurâ Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Lutheranos negantes neceſſitatem confeſſionis, & quærentes ab ipſo Patriarcha, an neceſſe ſit ſecundùm veram Chriſti Fidem confiteri peccata Sacerdoti; nam Reſponſio eſt hæc: *Dicimus eum qui confitetur; tunc demum perfectam peccatorum ſuorum conſequi curationem; ſi peccata omnia, omneſque eorum partes quantus animus illi ſufficit, & quantùm meminiſſe poteſt, cùm contrito & humiliato corde recenſuerit; atque confeſſus fuerit, feceritque omnia, quæ maximè illis peccatis quæ admiſit, adverſantur, & arrogantiam humilitate corrigat.* Igitur apud Græcos viget confeſſio auricularis, & ſemper apud ipſos fuit. Et parùm refert quòd apud ipſos (Diabolo ſuadente) aliquando fuerit aliqua Diſputatio, & quidam eorum dixerint, confeſſionem Deo ſoli fieri debere, quia hoc fuit ex errore aliquorum, ex quo nullus poteſt inferre, Græcos non admiſiſſe, nec admittere confeſſionem auricularem. Quia error aliquorum non condit Legem, nec conſuetudinem pro omnibus, aliàs ſequeretur Lutheranos non poſſe negare Verbum eſſe creaturam, quia Arius dixit, Filium non eſſe conſubſtantialem Patri, nec in Chriſto eſſe duas perſonas, quia Neſtorius hoc dixit. Sed Lutherani non admittunt hanc ſequelam, licèt Arius, & Neſtorius ante lapſum fuerint Catholici, ideòque non debent inferre, Græcos non admittere confeſſionem auricularem, quia aliqui ex Græcis rejecerunt eam.

Nicolaus Cabaſſilas.

Cenſura Jeremiæ Conſtantinopolitani.

Joannes Calvinus lib. 3. Inſtitut. cap. 4. num. ult. vult confeſſionem omnium Peccatorum eſſe impoſſibilem, idque probat ex illo Pſal. 37. verſ. 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Indè enim infert, confeſſionem enumerativam omnium peccatorum non poſſe fieri, acproindè non eſſe inſtitutam à Chriſto, quia impoſſibilia non inſtituit, nec jubet.

Rejicitur Ratio Calvini.

Sed falſa eſt hæc ratio, & prorsùs rejiciendum eſt hoc Argumentum Calvinianum, Quia Propheta per hæc verba non intendit exprimere quòd ſit impoſſibile omnia peccata cognoſcere & declarare, cùm affirmet iniquitates eſſe ſuper eum, ſicut onus grave; hæc quippè locutio ſupponit plenam peccatorum conſiderationem, & perfectam eorumdem cognitionem: cùm ſit actus judicii, & affirmationis; ſed voluit oſtendere ſolùm gravitatem peccatorum, quæ quaſi pondus importabile, gravant animam, ut inquit Bellarminus, & exigunt ſatisfactionem, quam homo nequit propriis viribus dignè exhibere ſine

gratia Dei. Undè David, qui graviter peccaverat peccatu adulterii, cum homicidio conjuncto, multas deformitates in ſe conſiderans, & peccata ſua enumerans, inquit: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum*, ut peccatorum ſuorum gravitatem oſtenderet, non verò impoſſibilitatem confitendi ea.

Nec potuit Calvinus hanc expoſitionem impugnare, non enim magis impoſſibilis eſt confeſſio ſpecialis & numerativa peccatorum facienda Sacerdoti, quàm facienda Deo, cùm in utroque exigatur integra peccatorum recordatio in homine habenda. Sed ipſe Calvinus fatetur, accuſationem omnium peccatorum fieri poſſe coram Deo. Igitur fateri debet quòd eadem peccatorum confeſſio eſt etiam poſſibilis coram Sacerdote.

Numerica peccatorum confeſſio non eſt impoſſibilis.

Quod Calvinus judicaverit hominem poſſe confeſſionem hanc facere Deo, patet. Nam loco citato num. 18. ait: *Quid inquies ergò nè confitenda ſunt ſingula delicta? Ergo nulla confeſſio Deo accepta, niſi duobus iſtis verbis concluſa, Peccator ſum? Imo verò danda potiùs opera, ut quantùm in nobis eſt, totum cor effundamus coram Domino, nec modò nos peccatores uno verbo fateamur, ſed ut tales nos verè, & ex animo agnoſcamus quanta ſit, & quam varia peccatorum labes, totâ cogitatione recognoſcamus non modò nos immundos, ſed qualis ſit, & quanta, quàmque in multis partibus noſtra immunditiès, non modò debitores, ſed quantis ſimus debitis gravati, & quot nominibus obſtricti, non modò vulnerati, ſed quam multis, & lethalibus plagis ſaucij ſimus.* Indè enim demonſtrat accuratum conſcientiæ examen, & ſingularem peccatorum confeſſionem eſſe conditiones neceſſarias confeſſioni faciendæ coram Deo; hancque ſingulorum peccatorum confeſſionem eſſe poſſibilem: Ergò non poteſt negare, hanc confeſſionem eſſe poſſibilem apud Sacerdotem, cùm non ſit nobis magis impoſſibilis hæc confeſſio omnium peccatorum apud Sacerdotem, quàm apud Deum, ſaltem reſpectu eorumdem peccatorum diſcuſſionem & recognitionem. Si velit quòd Deus adjuvet pœnitentem peccata ſua confitentem, aut accuſantem ſe coram Divina Majeſtate, debet etiam velle quòd Deus adjuvet confitentem coram Sacerdote; qui in hoc Tribunali gerit vices Chriſti, & diſpenſat Myſteria Dei, qui licet ſit Author Baptiſmi, quo deletur peccatum originale, tamen non eſt hujus Sacramenti Adminiſtrator, nec pœnitentiæ quo remittuntur peccata actualia, licet jam inſtituerit. Ideòque vult quòd peccata confiteamur Sacerdoti.

Addit hanc enumerativam confeſſionem eſſe impoſſibilem ex alio capite, nimirùm quia turbat animę pacem, & fiduciam, ac ſpem in Deum: adducit enim Pœnitentis conſcientiam in dubitationem, curam & ſollicitudinem, quæ eſt nobis impoſſibilis apud Sacerdotem, & poſſibilis apud Deum, qui cùm intueatur cor, & omnia nuda & aperta ſint oculis ejus, videt peccata quæ in confeſſione ipſi facta omittimus ex defectu recordationis.

Sed hæc ratio non nocet, quia omnes Catholici optimè ſciunt, quòd Pœnitens, qui omnem adhibuit diligentiam ei moraliter poſſibilem ad inveſtiganda & confitenda peccata ſua Sacerdoti, habet certam animi tranquillitatem, fiduciam, ac pacem, & infallibiliter ſperat quòd per abſolutionem Sacerdotis, Deus remittit peccata, tàm inculpabiliter omiſſa in confeſſione, quàm declarata; ut fatentur omnes Theologi; alioquin confeſſio enumerativa eſſet impoſſibilis. Quòd eſt falſum; cùm Deus ſciat nos eſſe memoriâ debiles, & velit quod confiteamur peccata noſtra Sacerdoti, & non jubeat impoſſibilia, idcircò dum aliquod peccatum in confeſſione inculpabiliter omittimus, ſeu ſi poſt illam diligentem inquiſitionem aliquod crimen memoriam fugiat, nobis ſatis erit generatim de omnibus occultis, & omiſſis confiteri, cum proteſtatione & animo confitendi ea, dum in memoriam venerint; hinc eſt quòd Propheta dicebat: *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine*; ut indè videamus peccata occulta, & nobis incognita remitti à Deo ſicut ea, quæ confitemur, ſi de omnibus verum, ac ſincerum habeamus dolorem: non enim deſunt Expoſitores, qui per peccata occulta intelligunt ea, de quibus nullam poſſumus habere memoriam, neque recordationem ut inferri poteſt ex Bellarmino ſuper Pſalmos. Præterea nemo tenetur operari pluſquàm poteſt operari, adjuvante Diviná Gratiâ, ideòque ſi Pœnitens aliquod citrà culpam ſuam omittat peccatum in confeſſione, debet peccatorum remiſſionem obtinere, quia nullus ſine culpâ eſt puniendus.

Sacramentalis confeſſio non turbat mentem.

ARTICULUS LII.

Aſſerit contra Lutheranos, Contritionem quæ ab horrore gehennæ incipit non eſſe peccatum.

Lutherus cujus finis fuit, omnes benè agere volentes impedire, & à bono opere deterrere, docuit, contritionem, aut peccati deteſtationem, quæ ab horrore gehennæ procedit, eſſe peccatum: ait enim quòd contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando gravitatem peccatorum, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis eſt Peccatoribus nociva, & injurioſa Deo ſummè amabili. Ejus ratio eſt, quia hæc contritio nedum facit hominem hypocritam, & magis Peccatorem, ſed etiam poſtponit Deum creaturæ nolendo offendere Deum propter pœnam debitam peccatis.

Lutherus.

Ejuſdem falſi Dogmatis cauſam defendendam ſuſcepit Joannes Calvinus, ut videmus in variis ipſius Hæreſiarchæ Diſcipulis. Hæc hæreſis nullum alium habet Authorem quod ſciam præter Lutherum, & Calvinum quos damnavit Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus; vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut Peccatores pejores facere, Anathema ſit.* Et ſeſſ. 14. cap. 4. ait: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur; quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat, non ſolùm facere hominem hypocritam, & magis Peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe; & Spiritûſ ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo Pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Pœnitentiæ Sacramento per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Conſtat igitur; hunc metum (qui ſolitò dicitur dolor imperfectus, aut Attritio) non eſſe actum malum, nec peccaminoſum imò bonum, & fructuoſum aliquo modo.

Decretum Concilii Tridentini.

Ex his verbis Concilii antequàm ad rationes deveniamus, obſervandum eſt quod dupliciter conſiderari poteſt illa Attritio, aut peccati deteſtatio ex metu gehennæ: fieri enim poteſt ut quis ſic peccatum fugiat timore pœnæ, ut ſi pœnam minime imminere conſpiceret Peccatoribus deſtinatam, pecca-

tum nunquam relinqueret qualis V.G. eſt ille, qui dicit, Nolo peccare, quia punitur peccatum. Fieri poteſt etiam, ut quis conſideret gehennam, & graviſſimam ejus pœnam, qnam maximè odit, & indè aſcendat ad conſiderationem Dei, qui poteſt talem pœnam infligere, & ſic conſiderans timer Deum, qui talem pœnam infligere poteſt. Et ne ipsá pœnâ puniatur, fugit peccatum, qualis eſt, V. G. ille, qui dicit: Nolo peccare, quia timeo nè Deus qui punit peccata, puniat me. Hoc autem ſuppoſito advertendum eſt, hanc Attritionem in primo ſenſu acceptam, eſſe malam. Quia ſic Attritus, quamvis peccati opus fugiat, peccandi tamen voluntatem retinet, & tantùm ab actu ſe abſtinet. At in ſecundo ſenſu, Attritus nedum fugit peccatum, ſed etiam in eo nulla manet peccandi volunras, ideòque peccatum ſic deteſtando bene facit: licet non faciat optimè, ſicut facit ille, qui timet Deum propter ipſum Deum. Quia hoc timore percuſſus progreditur ad conſiderationem peccati, quod eſt cauſa, ut talis pœna erogetur Peccatori, & ad conſiderationem Dei Judicis punientis peccata, dolet de peccaro commiſſo, fugit illud, & concipit animum non peccandi de cætero. Undè cùm Lutherus velit, Attritionem in hoc ultimo ſenſu acceptam, eſſe malam, contrà ipſum agendum eſt, atque demonſtrandum, deteſtationem peccati, quæ ex horrore gehennæ provenit intuitu Judiciorum Dei, eſſe bonam, & melius eſſe Peccatoribus habere illam, quàm non habere.

§. I.

De Articuli Deciſione.

PRo hujus rei veritate dico quód ſi talis peccati deteſtatio mala eſſet, & injurioſa Deo, ut voluit Lutherus, hoc proveniret ex naturâ ipſius deteſtationis peccati, aut ex cauſa undè oritur, ſcilicet ex odio pœnæ à Deo peccatoribus promiſſæ: atqui ex nullo capite provenite poteſt. Non ex primo, quia eſt dolor de malo opere, qui ex ſe bonus eſt, cùm ejus oppoſitum, videlicet complacentia in opere malo, & prohibito, ſit mala. Certò enim illud eſt bonnm, cujus oppoſitum eſt malum, ut patet hoc exemplo. Nolle furari, eſt bonum, quia velle furari eſt malum, ideòque odium peccati debet ex ſe eſſe bonum, quia amor peccati ex ſe eſt malus ex malitiâ objecti. Nec poteſt provenire ex cauſâ undè oritur, ſcilicet ex odio gehennæ, quia tale odium gehennæ non eſt malum: poteſt enim quis licitè odio habere gehennam, quoniam ad hoc ipſum inclinat narura etiam non viriata, cùm illud gehennæ odium itâ tenaciter inhæreat naturæ hominis, ut nullus poſſit gehennam diligere. Hinc eſt quód omne animal fugit id, à quo deſtrui poteſt, nedum nè pereat, verùm etiam nè detrimentum patiatur: igitur Attritio naſcens ex metu pœnæ, non poteſt eſſe mala præciſè ex odio gehennæ. Hoc verum eſſe probat Chriſtus, dicens Matth. 10. *Timete eum qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam.* Quippè per hæc verba Chriſtus Dominus videtur nos ad odium gehennæ excitare; cùm ipſam gehennam proponat, ut ipſius intuitu rimeamus Deum, qui poteſt eam infligere, & ideò ex nullo capire Lutherus inferre poteſt, deteſtationem illam, aut odium peccati naſcens ex horrore gehennæ in ſenſu ſecundo ſuprà relato acceptum, eſſe malum, & facere hominem magis peccatorem, cùm non tantùm ſit de homine abſtinente ſe à peccato, verùm etiam de homine non habente voluntatem peccandi, cùm poſſit gehennam odio habere, eamque fugere evitandu id propter quod infligitur, ſcilicet malum.

Hæc Attritio eſt bona.

Matth. 10.

Undè Sancti Patrea exponentes illud Proverb. cap. 1. verſ. 7. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Volunt ibi Spiritum-Sanctum loqui de timore ſervili, de quo agimus contra Lutherum, & affirmant, eum eſſe bonum, quoniam ſapientiam inchoat, nam filialis ipſam perficit & conſummat. Et ſervilis eam incipit; Timor enim Domini expellit peccatum; hic autem timor, qui peccatum expellit, & ad juſtificationem diſponit, non eſt filialis; cùm hæc ſit à charitate, quæ non in Peccatoribus, ſed in Juſtis exiſtit: Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, ſed eſt ſervilis, ideòque eſt bonus & laudabilis; licet fiat, & concipiatur ex aliquo motivo, quod non eſt ipſe Deus, quatenùs eſt propter ſe diligendus, cùm producat in peccatore animum fugiendi peccatum, & dimittendi voluntatem peccandi, ut ſuprà ſuppoſuimus. Undè D. Auguſtinus in Pſal. 127. inquit: *Ille timor nondum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi illud bonum, ſed timore patiendi illud malum, non timet nè perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam, bonus eſt iſte timor, utilis eſt.* Ex quibus ſequitur, D. Auguſtinum velle, timorem ſervilem eſſe bonum, & utilem; hoc eſt, dolorem ex metu gehennæ, eſſe actum bonum & laudabilem, atque utilem ad ſalutem. Beatus enim eſt vir, qui ſemper eſt pavidus, non formaliter & actu, quia Beatitudo in viſione Dei intuitivâ verè conſiſtit, ſed diſpoſitivè, quia timor ille pœnarum de quo loquimur, diſponit ad timorem filialem, & charitatem perfectam: magis enim diſpoſitus eſt ad timendum Deum, timore perfecto, ille, qui eum timet propter pœnam, quàm ille, qui eum nullatenùs rimet. Deus inſtituendo pœnam pro peccatis, intendit homines avertere à peccato, ideóque qui non peccat, quia timet gehennam, bené facit.

Proverb. 1.

D. Auguſt.

Hîc non parùm juvat dicere contra nonnullos, Attritionem ex metu gehennæ eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, ut facilè colligitur ex verbis Concilii Tridentini ſuprà relatis, & ex illâ perfectione quâ jugum Chriſti ſuavius eſt jugo Legis Moſaicæ: ideò enim dicimus juxtà Fidei noſtræ rudimenta, jugum noſtrum per confeſſionem auricularem, non fieri gravius onere Judæorum (quibus pro remiſſione peccatorum obtinendâ, ſufficiebat contritio abſque confeſſione, quæ in nobis requiritur) quia in Lege novâ, cum præmiſſâ peccatorum confeſſione, ſufficit cordis Attritio juncta Sacramento ad obtinendam remiſſionem, quæ utique Attritio in veteri Lege erat inſufficiens: opus enim erat contritione perfectâ, quæ ita firmam, ac conſtantem peccati deteſtationem exigit, ut fortè pauci fuerint in illa Lege, qui illam perfectam contritionem exercerent, quoniam tunc non ita uberior gratia exundabat, itaque Attritio, quæ apud Judæos nullius valoris erat, apud nos, quibus impoſitum eſt jugum leve & onus ſuave, debet eſſe alicuius valoris pro remiſſione peccatorum obtinenda, non ex ſe ſola, ſed ratione Sacramenti Pœnitentiæ; alioquin jugum Chriſti eſſet gravius jugô Moyſi; cùm teneremur ſimul cum confeſſione auriculari habere ſemper contritionem: igitur Attritio eſt bona, & diſponit ad gratiam in Sacramento.

Attritio in Sacramento æquivalet Contritioni,

Præterea Attritio aliter hominem diſponit ad gratiam cum Sacramento, quàm extra Sacramentum, ut patet ex Tridentino ſupra citato; atqui extra Sacramentum remotè & inſufficienter diſponit ad juſtificationem; alioquin eſſet omninò inutilis, ut volunt Hæretici contra omnes Catholicos, nec præpararet viam Charitati, quòd eſt contra D. Auguſtinum, Tract. 9. in Epiſt. Joannis, ubi inquit:

Opus eſt ut intret timor primò, per quem veniat charitas, timor medicamentum, charitas ſanitas. Idcircò Attritio jupcta Sacramento proximè diſpooit ad juſtificationem, & ad contritionem. Hinc eſt quod Theologi dicunt quòd Peccator ex attrito fit contritus, non formaliter, ſed æquivalenter.

Deindè Sacramentum Pœnitentiæ eſt Sacramentum Mortnorum ad cauſandam primam gratiam inſtitutum, ut fatentur unanimiter omnes Theologi, ideò non exigit per ſe neceſſariò contritionem in ſuſcipiente, ità ut Attritio nunquàm ſufficere poſſit: nam ſi Contritio per ſe ſufficiens ſit ad producendam primam gratiam extrà Sacramentuio, habito tantùm ordine ad illud, Attritio debet ſufficere cum Sacramento ad obtinendum Sacramenti effectum, ut Peccator per hoc Sacramentum reſurgat, tum quia, præmiſsà Attritione, ſufficiens præcedit dolor de peccato commiſſo, licet ex motivo minùs nobili, quàm motivum, ex quo eſt dolor perfectus, ſeu contritio, quæ eſt dolor peccati propter Deum ſummè bonum. Hæc enim differentia perfecti à minùs perfecto non deſtruit totaliter virtutem Attritionis, ſed exigit Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſit dolor perfectus, ſi non in ſe, ſaltem ratione effectus, ſeu remiſſiunis peccatorum, quam obtinet Attritus peccata ſua confitens Sacerdoti.

§. II.

De Solutione ad Argumenta contraria.

HÆretici, ut probent, Attritionem ex metu gehennæ, eſſe actum malum, dicunt quod ille, qui ex ſulo metu dolet de peccatis, peccat, quia magis dolet de pœnâ, quàm de culpâ. Quod eſt contra rationem naturalem dictantem magis eſſe dolendum de majori malo, quam de minori; cùm culpa ſit major pœnâ, magiſque deteſtabilis; cùm in ipsâ, & non in pœnâ conſiſtat averſio hominis à Deo, acproinde nullus poteſt citrà peccatum injuſtitiæ dolere de peccatis præcisè, quia infallibiliter punientur. Neceſſe eſt (inquiunt) quod doleat de peccatis, quia ſunt contra Deum, cui placere neceſſe eſt.

Prima Hæreticorum ratio.

Reſpondeo Argumentum hoc nihil probare contra nos, falſum quidem eſt, illum qui ex ſolo metu gehennæ dolet de peccatis, peccare; licet magis doleat de pœnâ, quàm de culpâ, aut de minori malo, quàm de majori. Ratio eſt, quia non facit expreſſam comparationem pœnæ cum culpâ, ex quâ duntaxat aliquid poteſt agnoſci majus, vel minus aliô, nec dicit poſitivè volo dolere magis de pœnâ, quàm de culpâ, quòd tamen requiritur ut qui dolet de pœnâ, & non de culpâ, peccet. Nam quando fit comparatio inter malum culpæ, & malum pœnæ, & magis odio habetur iſtud, quàm illud, eo ipſo malum pœnæ, malo culpæ præfertur, & hoc certò vitioſum eſt, quia ſic malum præfertur ut malum & amatur: at verô dum quis nulla facta comparatione inter utrumque, dolet de culpâ propter pœnam, non præfert malum pœnæ, malo culpæ, licet magis doleat de pœnâ, quam de culpâ, quia actus ille doloris de culpâ propter pœnam, non impedit quominùs homo poſſit, ſimpliciter loquendo propter alias rationes, magis deteſtari culpam, quàm pœnam; ideoque oon peccat, nec propriè tunc præfert malum pœnæ, malo culpæ, ſeu minus malum majori quod non eſt malum, neć malum amare, quia ſic nulla fit inter utrumque comparatio expreſſa, nec de eo dici poteſt quôd magis odiat pœnam, quàm culpam; etenim ſi ſervus amet Dominum ob mercedem, & fidelis Deum per ſpem ob retributionem gloriæ, Indè ſequitur quòd ſervus magis amet mercedem, quàm Dominum, nec qood fidelis magis amet gloriæ retributionem, quàm Deum, quem agnoſcit ut finem ultimum; qui in comparatione ſemper magis diligitur; & quæritur quam finis medius: Ergo licet Attritus oderit culpam ob pœnam, non ideò magis odit pœnam, quàm culpam, nec judicat pœnam eſſe magis odibilem, cùm uullam inter utramque malum, facit comparationem. Hoc poteſt confirmari exemplo de opinione probabili, quæ ut ſit rejicienda, debet eſſe in concurſu cum probabiliori: nullus enim dixit opinionem probabilem eſſe falſam extra concurſum, ita à pari nullus debet dicere odium pœnæ eſſe malum & peccatum, ſi non comparetur cum odio culpæ, eique præferatur.

Attritionis eſt ex ſe ſola mala.

Dicunt inſuper quod ille, qui dolet de peccatis propter pœnam, ſeu ex metu gehennæ, ordinat majus bonum ad minus bonum, ſcilicet fugam pœnæ ad fugam culpæ, quæ eſt melior, & laudabilior fugâ pœnæ: melius enim atque tutiùs eſt evitare culpam, quàm pœnam, ideò peccat cùm in hoc faciat injuriam majori bono, & pœna culpæ præferat.

Sed minùs nocet illud Argumentum, quia hæc ordinatio non eſt majoris boni ad minus, ut ad finem ultimum; ſed ſolùm ut ad finem proximum, ideoque non peccat homo ſic Attritus, quamvis ordinet majus bonum ad minus, ut ad finem proximum. Nam Deus interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum ordinis inferioris, ut dum Incarnationem, & Paſſionem Chriſti ad noſtram ſalutem ordinavit juxta illud Concilii Nicæni: *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Nullus tamen negat hanc ordinationem eſſe bonam, & laudabilem. Hujus veritatis Argumentum eſt, quia ſalus noſtra non eſt finis ultimus, ſed proximus Incarnationis, cùm ſi Incarnatio Chriſti ſit propter noſtram ſalutem, ſalus noſtra eſt propter Deum.

Reſponſio valdè [illegible] ad Hæreticorum inſtantiam.

Aliud de hâc incarnatione habemus exemplum in Sanctis Viris, qui Sacrificium & Orationes ordinant ùt media ad obtinendam ſanitatem corporalem, aut ad conſequendum aliud bonum temporale; quin tamen peccent, licet Sacrificia & Orationes, & alia bona opera ſint meliura quocunque bono temporali. Ita nec ordinare Attritionem ad vitandam pœnam velut ad finem proximum, debet eſſe malum, quamvis dolor de peccatis ex metu gehennæ, ſit quid perfectius quàm fuga pœnæ. Undè ſi foret aliquis ità virtualiter, aut actualiter in voluptatibus, & peccatis affectus, ut ſi non eſſent pœnæ, nullo modo doleret de culpâ; certò ille malè ageret, & peccaret, nec bona eſſet hæc Attritio, quia nullatenùs tenderet in Deum, ut in finem ultimum: at Attritus de quo nos loquimur, & quem Hæretici improbant, ordinat dolorem ſuum ex metu gehennæ provenientem, ad Deum velut ad ultimum finem, cùm de peccatis delèndo propter pœnam, Deum tanquam Judicem & punientem inſpiciat, & propter hoc doleat, & timeat; quippè punitionis timor ad punientem ſe extendit.

Non valet dicere quod nullus actus poteſt habere duos ultimos fines, acproinde quòd Attritio tendens ad creaturam, ſeu ad pœnam ignis, nequit tendere in Deum. Non valet inquam, quoniam non admittimus duos ultimos in Attritione fines, quorum unus tendit ad alium. Et ſic ad utrumque tendit Attritus, licet diverſo

Solvitur altera inſtantia.

modo. Tendit ad Deum inefficaciter, & ad pœnam efficaciter, quòd non implicat. Poſſibile enim eſt ſic habere duos fines, ut patet de operibus moraliter bonis à Peccatore elicitis, V. G. de Jejunio, Oratione, Eleemoſynâ, &c. quæ licet non tendant in Deum ut ultimum finem efficaciter, nec fiant propter ipſum, ſed propter alia motiva, hæcque licita & honeſta; tamen quia non ſunt opera ex ſe mala, non ſunt peccata mortalia, ut in proprio loco diximus: Ergo Attritio non eſt peccatum, quamvis non ordinetur ad Deum efficaciter, ut ex ſuprà dictis manifeſtè patet, cùm odium pœnæ non ſit ex ſe malum, nec prohibitum.

Addunt quod timor ille ex metu gehennæ conceptus, nedum retinet voluntatem peccandi, ſed etiam eam fovet, ut obſervat Sanctus Auguſtinus
D. Auguſt. ſerm. 15. in Pſal. 118. ubi ait: *Non timere quod non amatur, juſtitia, ſed ſi timetur, pœna ſervilis eſt, quia carnalis eſt.* Quibus verbis conſtat, timorem pœnæ eſſe carnalem, & nutritivum culpæ ob quam pœna infligitur: ergo timor ille dicendus eſt malus & diſplicens Deo, cui non ſolùm peccata, ſed etiam ad peccata affectus diſplicent. Hoc verum eſſe probatur ex eo quod talis dolor nequeat cum charitate,
1. Joan. 4. & gratia ſanctificante ſubſiſtere, cùm ex D. Joan. Epiſt. 1. cap. 4. Timor non ſit in charitate, ſed perfecta charitas foras mittat timorem.

Huic Argumento reſpondeo, Peccatorem, qui dolet de peccatis propter pœnam, excludere voluntatem peccandi, ut in principio articuli ſuppoſuimus, quia deteſtando peccatum propter pœnas inferni, deteſtatur omne peccatum ſaltem virtualiter, & habet virtualem dolorem de omnibus peccatis, qui quidem dolor nequit eſſe virtualiter generalis; quin
Hæc Attritio includit virtualiter voluntatem non peccandi de cætero. virtualiter includat voluntatem non peccandi de cætero, quia Peccator timens pœnam ob peccata quæ commiſit, credit quòd nullum eſt peccatum, nullumque deſiderium peccandi, quod non ſit puniendum, idcircò Attritus nedum fugit peccatum, ſed etiam peccandi voluntatem.

Ad probationem dico quòd dolor ille non eſt per ſe malus, licet non poſſit ſubſiſtere cum charitate, nec cum gratiâ ſanctificante, quamvis charitas expellat peccatum. Ratio hujus rei eſt, quia hæc timoris cum charitate incompatibilitas non provenit ex malitiâ intrinſecâ, nec ex deformitate oppoſitâ
Timor eſt duplex ex D. Auguſt. charitati, ſed ex imperfectione illius doloris. Nam ut optimè notat D. Auguſtinus in Pſal. 127. Timor foras à charitate mittendus, eſt duplex, unus quidem eſt timor temporalium, ut ille, quo aliqui timent nè illis ægritudo accidat, alius eſt timor pœnæ, quo Dominus in Evangelio Matth. 10. terret, ratione cujus homines fugiunt peccatum, & ſic incipiunt juſtè vivere, & Deum diligere. Prior ſemper foras per charitatem mittitur, quia Juſtus ex fide vivit, voluntati divinæ ſe totum ſubjicit, & omnia mala temporalia patienter ſuſtinet. Poſterior verò ſimul cum ea aliquandiù permanet, & maximè quando charitas illa nondum eſt perfecta, ut patet ex verbis ejuſdem S. Auguſtini ſuprà rela-
Clemens Alexādrinus. tis. Undè Clemens Alexandrinus vocat illum timorem, fidei coadjutorem, D. Ambroſius, clavum animæ fluctuantis. Et Tertullianus de cultu fæmi-
D. Ambroſ. neo cap. 12. ait: *Timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio fundamentum timoris.* Timor autem ille de quo loquuntur Sancti Patres, non poteſt eſſe timor
Tertullianus. perfectus, ſeu contritio, quæ eſt perfecta Dei dilectio ſuper omnia; & vera ſalus diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis; ſed timor imperfectus, ſeu Attritio, quæ ad juſtificationem ſufficienter diſponit juxta declarationem Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. in qua refertur exemplum Ninivitarum, qui hoc timore concuſſi, ad Jonæ Prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt.

ARTICULUS LIII.

Declarat contra eoſdem Lutheranos, quod ut quis ſit abſolutus à peccatis, non ſufficit illi credere ſe eſſe abſolutum.

MArtinus Lutherus; qui omnibus Hæreticis, qui Sacramenta impugnarunt, nequior & impior, ab omnibus Catholicis meritò creditur, *Lutherus.*
non minus impiè, quàm ſtolidè docuit quòd homo credens ſe abſolutum à peccatis, abſolutus eſt, quantùmlibet contritio deſit. Et quód Abſolutio cenſenda eſt efficax, non quia fit, aut datur à Sacerdote, vel à quocumque alio proferente verba ſive errando, ſive non errando, ſed quia creditur efficax a peccatore, qui ideó abſolutus eſt à peccatis, quia ſe abſolutum credit. Undè voluit nulla eſſe verba, quæ ex divinâ Inſtitutione remittant peccata, ac proindè improbavit, & rejecit tanquam imaginaria hæc verba: *Ego te abſolvo*, quæ proferuntur à Sacerdote ſuper Pœnitentem, qui ei peccata ſua confeſſus eſt, ſi ipſe Pœnitens non credat ſe abſolutum: Fidei enim tribuebat totaliter remiſſionem peccatorum. Hanc hæreſim tuentur omnes qui Lutheranorum Sectam profitentur.

§. I.

Probatur Abſolutionis Neceſſitas.

COncilium Florentinum in Decreto Eugenii damnat hanc hæreſim, dicens: *Formam Sacramenti Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum actualium inſtitui, eſſe verba Abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Abſolvo te à peccatis tuis.* Nam ſi ſuſceptio hujus Sacramenti Pœnitentiæ in re, vel in voto, ſit abſolutè neceſſaria Peccatoribus, ut à peccatis ſint liberi. Et iſtud Sacramentum non valeat eſſe validum ſine forma *Decretum*
in prædictis verbis conſiſtente, neceſſariò ſequi- *Concilii*
tur, ut quis ſit abſolutus à peccatis, quòd hu- *Florentini.*
jus Sacramenti Miniſter proferat ſuper eum (præmiſſa peccatorum confeſſione) hæc verba: *Ego te abſolvo.*

Idem definitum fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. can. 9. ubi habetur: *Si quis dixerit, Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tantùm credat ſe eſſe abſolutum; aut Sacerdos non seriò,* *Tridentinū.*
ſed joco abſolvat: aut dixerit non requiri confeſſionem Pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit, Anathema ſit. Ex quibus verbis ſuadetur, ſolam fidem non ſufficere ad remiſſionem peccatorum actualium, ſed neceſſariam eſſe Peccatori credenti Abſolutionem prolatam à Sacerdote juriſdictionem habente juxta formam præſcriptam, quæ confert quod exprimit: ſcilicet liberationem à peccatis in Tribunali Pœnitentiæ declaratis, & confeſſis.

Chriſtus

Joan. 20.

Chriſtus ità dedit Diſcipulis ſuis poteſtatem abſolvendi à peccatis : dicendo illis Joan.cap. 20. *Accipite Spiritum-Sanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta ſunt* ; ut ſolùm Apoſtoli, & eorum Succeſſores habeant poreſtatem dimittendi peccata, hancque eis ità propriam, ut nullus poſſit à peccatis abſolvere, niſi ſit Sacerdos, ſeu Apoſtolorum aut Diſcipulorum Succeſſor. Er nullus poſſit à peccatis abſolvi niſi per aliquem Apoſtolum, vel per aliquem ipſorum Succeſſorem, ſeu Sacerdotem. Ratio eſt, quia Chriſtus per hæc verba Joan.20.ità ſignificat & demonſtrat, ipſos Sacerdotes eſſe Judices, ut ad eos dumtaxàt ſpectet peccata noſtra judicare, & nos abſolvere, ſi Abſolutione digni ſimus. Nullus autem poteſt eſſe actus judicialis niſi pet verba aliqua, quæ delicti remiſſionem exprimant. Nec ſufficit Reo, ut ſit abſolutus, quòd ſe abſolutum credat ; alioquio delictorum remiſſio, aut peccatorum Abſolutio omnioò dependeret ab ipſo Reo, à quo ſolo dependet credere ſe abſolutum. Quôd eſt falſum. Plures credunt ſe juſtos, qui tamen Peccatores ſunt. Judæl crucifigentes Chriſtum, putabant obſequium præſtare Deo, graviter tamen peccabant : igitur, ut quis ſir verè abſolutus à peccatis, neceſsè eſt quòd Sacerdus, auditâ ejus confeſſione, proferat hæc verba ſuper eum contritum, vel ad minus arrritum : *Ego te abſolvo à peccatis tuis &c.* Nam effectus Sacramenti non poteſt produci niſi à Sacramento completo, & perfecto ; hoc eſt, habeute materiam & formam, ſcilicet habente peccatorem confitentem peccata, & Sacerdotem abſolventem, ſeu vetba Abſolutionis profeceotem, quoniam hæc omnia ad perfectam pœnitentriæ integritatem concurrunt.

Abſolutio eſt neceſſaria.

Undè D. Cyprianus Vir Martyriò, & Doctrinâ clarus in lib. de Lapſis, inquit : *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres delictum ſuum, dum adhuc qui delicti in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta eſt per Sacerdotes apud Deum grata eſt.* Et Divus Chryſoſtomus Homil. 5. in verba Iſayæ. Et lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. air ; *Noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ nævos, non dico purgatos probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Indè Lutherani vident, aut ſaltem poſſunt, ſi velint videte, Sanctos Patres velie remiſſionem peccatorum non ità fieri per ſolam fidem, ut Peccatori ſufficiat credere ſe abſolutum, ſed inſuper requiri Sacerdotum ſententiam Abſolutionis expreſſam, his verbis : *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, præmiſſis io Peccatore cordis contritione, & oris confeſſione.

D. Cyprianus.

D. Chryſoſt.

Sacramenta novæ Legis, inter quæ numeratur Pœnitentia, efficiunt quod ſignificant, cùm ſint ſigna practica. Nec poteſt aliud ſignum ſignificare, nec efficere quod ipſa Sacramenta ſignificant, & efficiunt ex Divinâ Inſtirotione, ſed Abſolutio Sacramentalis ſignificat remiſſionem peccatorum, & condonationem æternam, hocque ex Divinâ Inſtitutione, ſicut hæc verba : *Hoc eſt Corpus meum*, ſignificant præſentiam realem corpotis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ut ipſe Lutheros credit cum omnibus Catbolicis : Igitur nullus eſt actus tàm ex parte Peccatoris pœniteotis, quàm ex parte Sacerdotis, qui poſſit peccata remittere, niſi ſeotentia Abſolutionis conſiſtens in his verbis : *Ego te abſolvo* à Sacerdote prolatis. Hinc eſt quod Divus Ambroſius lib. 1. de Pœnitentiâ, cap. 2. exponens hæc verba : *Quorum remiſeritis peccata &c.* inquit : *jus hoc promiſſum ſolis Sacerdotibus eſt, rectè igitur hoc Eccleſia vendicat quæ veros Sacerdotes habet, hæreſis. vendicare non poteſt, quæ veros non habet Sacerdotes*, certó ibi Divus Ambroſius declarat, ſolos Sacerdotes habere poteſtatem abſolvendi à peccatis declaratis, & confeſſis à Pœnitente ; ſubindéque evidenter oſtendit, ſolam fidem abſque pœuitentiâ, ſeu contritione, & abſolurione non ſufficere ad veram juſtificationem ; ſeu ad veram remiſſionem peccatorum ; Ideòque ex Divó Ambroſio remiſſio peccati iodiget authoritate conceſſa Sacerdotibus ; hoc eſt, Abſolutione pronunrianda ab ipſis, qui cùm ſint Judices, & pro Chriſti legatione fuugantur, debent peccata noſtra audire, & ſi remittenda ſint, nos abſolvere pronunriando verba Abſolutionis, idcircò non ſufficit Peccatori, ut ſit abſolutus, ſe abſolutum credere, ſed inſuper requiritur aliquid ex parte Miniſtri, ſeu Abſolutio, ut expreſſiùs docet lib. de Abel & Caïn cap. 4. dicens : *Remittuntur peccata per officium Sacerdotis, ſacrumque Miniſterium.*

D. Ambroſius.

Pro obtinenda peccatorum remiſſione non ſufficit credere.

Tandem eadem veritas probatur ex naturâ peccatorum, ſeu ex nominibus, quæ Sacra Scriptura rribuit peccatis : hæc enim ſunt vincula, ut conſtat ex illo Proverb. 5. verſ. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt Impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Pſal. 115. verſ. 16. *Dirupiſti vincula mea.* Et Pſal. 118. verſ. 61. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Hæc autem vincula, ſeu peccata non poſſunt diſſolvi per ſolam fidem, ità ut Peccator ſit liber ; ſi credat hæc vincula eſſe dirupta ; ſed neceſſe eſt quòd hæc vincula diſſolvantur ab eo, qui à Chriſto accepit poteſtatem diſſolvendi ea : quippecum Patee omne judiciom dederit Filio ; nullus homo poteſt peccata noſtra judicare, & remittere, niſi ab ipſo Chriſto ei data fuerit poteſtas judicandi ; atqui Chriſtus ſolis Sacerdotibus dedit poteſtatem ſolvendi vincula peccarorum, ut conſtat ex illo Matth. cap. 18. verſ. 18. ubi habetur : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo : & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Idem habetur 2. ad Corinth. cap. 13. verſ. 2. ubi Apoſtolus ait : *Prædixi, & prædico, ut præſens & nunc abſens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam.* Quibus verbis Apoſtolus declarat ſe habere poteſtatem parcendi, ſeu dimittendi delicta. Igitur, ut quis ſit abſolutus à vinculis, ſeu à peccatis, indiget miniſterio Sacerdotis, etiamſi credat ; non enim ſufficit ei quòd credat ſe abſolutum, alioquin Paulus in vanum dixiſſet Corinthiis : *Si venero iterùm, non parcam*, quia ipſi Corinthii potuiſſent peccatorum veniam obtinere per fidem, ſeu credendo ſe abſolotos.

Proverb. 5.

Pſal. 115.

Matth. 18.

Divus Hieronymus exponens illud Matth. *Tibi dabo claves Regni cælorum*, ait : *Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio ; ut vel damnent innocentes ; vel ſolvere ſe noxios arbitrentur ; cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum ; ſed Reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis ; ubi jubentur ; ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant, non quod Sacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quòd habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus ; quive immundus ſit: Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit, ſic & hîc alligat, vel ſolvit Epiſcopus vel Presbyter, non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii, ſed pro officio ſuo cùm peccatorum audierint veritates, ſcit quis ligandus ſit, aut ſolvendus.* Quæ verba ſi attentè examiuentur, videbitur quod Abſolutio Sacerdotis eſt abſolutè neceſſaria, ut Peccatoe à vinculis, ſeu à peccatis ſuis liberetur. Nam ibi Divus

D. Hieron.

Hieronymus dicit quòd Sacerdos pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit veritatem, ſcit quis ligandus ſit, aut ſolvendus, non verò quis ligatus ſit, quique ſolutus, ſicut priùs de Sacerdote veteris Legis dixerat, eum diſcernere, qui mundus, quive ſit immundus; ſed dicit quis ſit ligandus, quiſve ſolvendus, ut agnoſcamus, Sacerdotum novæ Legis eſſe ligare, & ſolvere eos, qui ligantur vinculis peccatorum, quia per hæc verba jam relata, Divus Hieronymus aliquod diſcrimen ponit inter Sacerdotium Araonicum & Sacerdotium Chriſti, inter Sacerdotem diſcernentem de lepra, & Sacerdotem Evangelicum abſolventem à peccatis; videlicet

Solus Sacerdos poteſt à peccatis abſolvere.

quòd Sacerdos veteris Legis non mundabat Leproſum, nec diſſolvebat vincula ejus; ſed ſolùm judicabat, eum fuiſſe mundatum, & à vinculis abſolutum, Sacerdos verò Evangelicus per clavem ſcientiæ, & diſcretionis judicat an peccator, cujus confeſſionem audit, ſit dignus abſolutione, vel non, an debeat abſolvi, vel non, an dirumpenda ſint vincula ejus, vel non: Ergò peccata non remittuntur delinquentibus confitentibus ea, niſi per abſolutionem Sacerdotis, etiamſi abſolutos ſe credant; nam ſi Sacerdos cognoverit Peccatorem obſtinatum in malo, taliter ut ſuſpicetur, illum eſſe in propoſito peccandi de cætero, non debet eum abſolvere, nec Peccator abſolutus eſt, ſi à Sacerdote non abſolvatur, etiamſi ſe abſolutum credat. Phariſæus de quo loquitur Sanctus Lucas cap. 18. verſ. 11. & ſequentibus, dicebat ſe non eſſe ſicut cæteros homines, raptores, &c. & de hoc gratias agebat Deo. Publicanus autem dicebat ſe eſſe peccatorem, tamen non de Phariſæo credente ſe eſſe juſtum, ſed de Publicano dicitur: *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.*

§ II.

De Reſponſionibus ad Rationes Lutheranas.

ABſolutionem non eſſe cauſam remiſſivam peccati probare contendunt Lutherani ex Hiſtoria Lazari: dicunt enim quòd Lazarus fuit priùs à Chriſto a morte ſuſcitatus, & poſteà per Diſcipulos vinculo ſolutus, ut conſtat ex cap. 11. Joannis; ubi legitur: *Voce magnâ clamavit Jeſus: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: ſolvite eum, & ſinite abire.* Ex quibus Sancti Patres; & præſertim Divus Auguſtinus Tract. 6. in Joan. Divus Gregorius Homil. 25. in Evangelio, & alii quamplurimi colligunt, Peccatorem priùs intus per gratiam vivificari, quàm per Sacerdotes à vinculis abſolvi, ac proinde ſufficere fidem, quâ homo credit ſe abſolutum, juſtificatum, & à vinculis peccatorum liberatum, licet per abſolutionis verba poſſit declarari abſolutos, & juſtificatus.

Lutherus utitur reſurrectione Lazari.

Huic objectioni reſpondeo; exemplum Lazari non nocere veritati quam defendimus contra ipſos Lutheranos, quia ex ipſâ Hiſtoriâ Lazari ſolùm colligi poteſt, Deum eſſe cauſam principaliorem remiſſionis peccatorum, Sacerdotem verò cauſam miniſterialem, quâ ſeclusa in re, & in voto, Pœnitentiæ Sacramentum nullum effectum producere poteſt. Apoſtoli enim, ſeu Sacerdotes, ut ait SanctusGregorius loco citato, principatum superni judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent; hoc eſt, ad ipſus Sacerdotes ſpectat dimittere, vel non remittere pro-

Reſponſio ad Lutherum.

ut eis in Domino expedire videbitur.

Dico inſuper prædictos Sanctos Patres ex Hiſtoriâ Lazari nihil aliud intendere, quàm quòd Peccator non ſit abſolvendus, niſi eum Deus jam vivificare inceperit per impulſum Spiritûs Sancti, non quidem adhuc inhabitantis, ſed tantum moventis, ut monet Sacra Tridentina Synodus; hoc eſt, niſi habeat de peccatis ſuis dolorem à Divinâ gratiâ excitatum: nam ut inquit Divus Auguſtinus in cap. Matth. 16. Chriſtus per ſe intùs vivificat, Miniſtris poteſtatem ſolvendi vivos tribuit; quia nullum ſolvere poſſunt niſi vivat, ſeu niſi ſit, adjuvante Divinâ gratiâ, diſpoſitus ad dignè obtinendam Abſolutionem; quapropter idem Sanctus Doctor in Pſal. 101. ſerm. 2. ait: *Meritò per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt: ſuſcitari autem mortuus non niſi clamante Domino poteſt: hoc enim Deus interiùs agit. Loquimur ad aures veſtras, undè ſcimus quid agatur in quolibet veſtrum, quid autem intùs agitur, non a vobis, ſed ab illo agitur.* Hæc enim omnia oſtendunt, peccatorem non poſſe debitè abſolvi, niſi prius fuerit à Divina gratiâ excitatus; & impulſus ad deteſtationem delictorum, ſed non probant Abſolutionem eſſe inutilem ad ſolvenda vincula Peccatorum, neque inſufficientem ad projiciendas iniquitates noſtras in profundum maris.

Alia ad eumdem reſponſio.

D. Auguſt.

Hæc veritas confirmatur ex eodem Divo Auguſtino dicente: *Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, ſed non liber ambulabat vinculis irretitus? Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt: Quæ ſolveris, ſoluta erunt, niſi quod ait Dominus ad Diſcipulos: ſolvite eum, & ſinite abire.* Hoc inquam probat neceſſitatem Abſolutionis Sacramentalis. Quia indè patet quòd ſolvere Peccatorem à vinculis, ut abire poſſit, pertinet ad Eccleſiæ Miniſtros, qui habent poteſtatem ligandi; atque ſolvendi, quamvis debeat præcedere Spiritus Sancti motio, ut Peccator ſit diſpoſitus ad ſuſpiciendum Abſolutionis beneficium.

Tandem dicunt quòd Pœnitens dum ad Sacerdotem accedit; eſt contritus, vel non. Si contritus, eſt liber à peccato. Si non eſt contritus. Abſolutio nihil ei prodeſt: ergo nullum beneficium provenire poteſt ex abſolutione danda a Sacerdote, & ideò dicendum eſt (inquiunt) ne anima pereat, quod ut quis ſit à peccato abſolutus; ſufficit quòd ſe credat abſolutum.

Altera Lutheri Ratio.

Reſpondetur hanc rationem eſſe prorsùs nullam, nam ſi Peccator non ſit contritus, nec attritus; Abſolutio data à Sacerdote, nullum beneficium ei confert, etiamſi credat ſe abſolutum. Quia fides, aut credulitas, quâ quis credit ſe non habere peccatum, non facit ut ſine peccato ſit, neque quòd ſit perfectè diſpoſitus; cùm præter fidem ſint aliæ diſpoſitiones ad juſtificationem deſiderandæ. Peccatori non ſufficit credere, dolere, & confiteri, ad hoc ut ſit juſtificatus, & mundus à peccato, ſed inſuper neceſsè eſt quòd judicetur, & abſolvatur ab alio habente poteſtatem abſolvendi; quoniam Peccator ſubjicitur judicio Dei, cujus vices in terris gerunt Sacerdotes Chriſti, quantùm ad peccata remittenda vel retinenda. Si autem ſit contritus dum ad Sacerdotem accedit, reverà habet peccata jam remiſſa, at non independenter ab Abſolutione Sacramentali; contritio quippe, quâ peccatorum remiſſionem obtinuit, actu vel virtute continet votum emittendæ Confeſſionis, & obtinendæ Abſolutionis, ita ut illa peccati remiſſio rectè tribui debeat Abſolutioni, quæ non niſi in ordine ad ipſam conceditur, & ſi ipſa Abſolutio, data opportunitate,

Reſponſio ad ſecundam Rationem.

Digitized by Google

negligeretur, certè peccati remiſſio nulla eſſet ratione hujus negligentiæ. Si autem accedat attritus, & abſolutionem à Sacerdote obtineat, eſt verè à peccatis abſolutus, quia attritio æquivalet contritioni in Sacramento Pœnitentiæ, ut docent communiter Theologi, præſertim illi, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt. Si autem non abſolvatur propter aliquam indiſpoſitionem à Sacerdote cognitam, certum eſt quòd remanet ligatus per vincula peccatorum; licet credat ſe abſolutum, aut credat, fidem ex ſe habere virtutem dimittendi peccata, cùm, ut diximus contrà eoſdem Lutheranos, fides poſſit eſſe ſimul in anima cum peccato.

ARTICULUS LIV.

Affirmat contra Vuicleffitas, ſolum Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ.

Vuicleffus

JOannes Vuicleffus, natione Anglus de quo ſæpè locuti ſumus, docuit, (teſte Thoma Ualdenſi tom. 2. de Sacramentis cap. 135.) quòd poteſtas abſolvendi à peccatis, ſeu peccatores Deo reconciliandi, tam Laicis, quàm Sacerdotibus conceſſa fuit æqualiter. Eumdem errorem poſteà docuit Lutherus dicens, in Sacramento Pœnitentiæ, ſeu in remiſſione culpæ non plus facere Papam, Epiſcopum, quàm infimum Sacerdotem. Et addit quod ubi non eſt Sacerdos, quilibet Chriſtianus etiamſi mulier, aut puer ſit, poteſt declarare peccatorem abſolutum à peccatis, modò ſe abſolutum credat ipſe peccator; Ejus ratio principalis eſt, quia in Baptiſmo confertur Sacerdotium.

Error Lutheri.

Antonius de Dominis

Antonius de Dominis, fraude Archiepiſcopus Spalatenſis in Dalmatia, dixit in lib. de Republica Eccleſiaſtica quòd Sacerdos novæ legis habet poteſtatem ſolvendi, ac ligandi peccatores apud Deum, ſed cum maxima reſtrictione, quæ nequit citrà hæreſim admitti. Nam vult, hanc poteſtatem non eſſe reſpectu omnium peccatorum, ſed ſolùm reſpectu quorumdam, ſcilicet eorum, quæ committuntur in facie Eccleſiæ. Ut autem ejus error appareat, advertendum eſt quòd in duo genera diſtinguit peccata, quorum quædam ita occulta ſunt, ut nulla ratione exteriùs pateant, nec ullum afferant Eccleſiæ ſcandalum, qualis eſt, V. G. deliberata animi interna voluntas furandi, aut adulterandi nullo exteriori ſigno manifeſtata, quædam verò ità ſunt notoria, & publica, ut Eccleſiæ ſcandalum afferant, ejuſque ſanctitatem inficiant, ut ſunt homicidium, adulterium &c. Unde, inquit, peccata occulta non poſſunt abſolvi directè, & immediatè à Sacerdote, etiam tamquam à cauſa miniſteriali, & minus principali, ſed à ſolo Deo. Alia verò peccata, quæ publica ſunt, poſſunt à Sacerdotibus abſolvi, ex quo ſequitur quòd licet ipſe Antonius de Dominis non ſubſcripſerit penitùs errori Joannis Uvicleffi, & Lutheri, tamen in hac parte eſt Hæreticus, quia vult, authoritatem à Chriſto Apoſtolis conceſſam minuere, virtutem clavium infirmare, & contendere Sacerdotem non eſſe Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad omnia peccata. Quod eſt hæreticum, ut mox oſtendemus ex Sacra Scriptura in qua apparet, Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ poteſtatem dimittendi peccata hominum.

§ I.

Docet ſolos Sacerdotes poſſe à Peccatis abſolvere.

SAcerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ manifeſtè declaratur, ſimulque damnatur præſens hæreſis in Conciliis, ſcilicet in Conſtantienſi in Bulla Martini V. contra Joannem Uvicleffum. In Florentino in decreto unionis. Et in Tridentino contra Lutheranos ſeſſ. 14. cap. 6. ubi legitur: *Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in Cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcuè, contra inſtitutionem hujus Sacramenti ità fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata; publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit, ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam.* Per hæc verba Patres Tridentini demonſtrant, Chriſtum non omnibus hominibus, ſed ſolis Apoſtolis, & ipſorum Succeſſoribus contuliſſe poteſtatem ligandi, & ſolvendi animas ſuper terram, necnon remedium ſanandi eas per Sacramentum Confeſſionis, in quo eas abſolvunt à peccatis.

Conſtantienſe.

Florentinum.

Tridentinum.

Idem declarat in Can. 10. ejuſdem ſeſſ. ubi habetur: *Si quis dixerit, Sacerdotes qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi non habere; aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum: quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit, ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem: Anathema ſit.*

Eadem veritas manifeſtè colligitur ex illo Apoſtoli ad Titum cap. 1. verſ. 4. & 5. ubi alloquens Diſcipulum ſuum, ait illi, *Tito dilecto filio ſecundum communem fidem, gratia, & pax à Deo patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro. Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates preſbyteros; ſicut & ego diſpoſui tibi.* Per hæc quidem verba Apoſtolus præcepit Tito, ut in ſingulis civitatibus Sacerdotes conſtitueret. Hujus præcepti finis alter eſſe non poterat, niſi ut in qualibet civitate eſſet aliquis Miniſter & Diſpenſator myſteriorum Dei, qui corrigeret delinquentes, eos à culpis abſolveret, & illis miniſtraret ea, quæ ad ſalutem neceſſaria erant. Quòd ſanè probat, quemlibet Chriſtianum non eſſe Sacerdotem, nec poſſe myſteria Dei diſpenſare. Quoniam ſi hoc eſſet, in vanum Apoſtolus talia præcepiſſet Tito, neque ei impoſuiſſet obligationem conſtituendi Presbyteros in ſingulis civitatibus, quia quælibet civitas hujus inſulæ plures habebat Chriſtianos. Nec indebitum erat illud præceptum de Presbyteris conſtituendis, ut ab ipſis abſolverentur peccatores, quia cùm ſolus Sacerdos miniſterium habeat ſuper corpus Chriſti naturale, ut ſuprà dictum eſt contra Hæreticos proclamantes ſolùm Sacerdotem non eſſe miniſtrum Euchariſtiæ, illi ſoli etiam, ſeu Sacerdoti competit poteſtas in corpus Chriſti myſticum, ſeu in fideles, qui ſunt membra Chriſti, & corpus Eccleſiæ

Ad Tit. 1.

integratur. Nam ut quis poſſit abſolvere à peccatis, neceſſe eſt quòd habeat efficaciam Mediatoris, & officium Redemptoris, ut tradit Doctor Seraphicus D. Bonaventura diſt. 19. art. 2. quæſt. 1. hocque virtute clavium regni Cœlorum à Chriſto Domino Principi Apoſtolorum traditarum. Mediator autem inter Deum & hominem, & Reconciliator hominis cum Deo, ut ſuo fungatur officio, oportet quòd habeat poteſtatem offerendi pro peccatis dona, & Sacrificia, quibus Deus placatur, ut tradit S. Thomas quæſt. 81. art. 4. Sacrificium autem eſt aliquòd factum in honorem debitum ſoli Deo ad eum placandum. Sed hæc poteſtas offerendi Sacrificia in Eccleſia Dei, eſt tantum in Sacerdotibus, ut in proprio loco dictum eſt; igitur falſum eſt, imo & hæreticum, aſſerere, quemlibet Chriſtianum poſſe peccatores abſolvere à culpa, & commutare pœnam æternam in temporalem virtute Sacramenti: adoptio quidem quæ habetur per Baptiſmum, quò Chriſtiani efficimur, non eſt ea juriſdictio, aut poteſtas, quæ ad abſolvendum à peccatis requiritur.

D. Bonav.

S. Thomas

Inſuper poteſtas abſolvendi à peccatis eſt à Chriſto Domino, qui eam accepit à patre, nec eſt in aliquo homine; quin ei ſit ab ipſo data, omne enim donum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum; Chriſtus autem dedit eam, dum dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*, ut fatentur omnes. Vel per iſta Math. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælo, & quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo.* Hæc autem verba dicta fuerunt Apoſtolis omnibus dumtaxat: quamvis tunc plures eſſent Chriſtiani diſcipulorum fidem habentes, & veſtigia eorum ſequentes. Et in perſona Apoſtolorum dicta fuerunt Sacerdotibus ad quos tranſivit hæc authoritas ligandi, atque ſolvendi, ut obſervant Sancti Patres, & præcipuè Sanctus Ambroſius lib. de Paradiſo, & lib. de Pœnitentia, ubi loquens de eadem poteſtate, ait: *Jus hoc ſolis eſt permiſſum Sacerdotibus*, Idem prius docuerat, Origenes homil. 11. in cap. 16. Math. hocque conveniebat divinæ providentiæ, quæ ſuaviter diſponit omnia & per quam reges regnant, principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Nam authoritas judicialis in republica benè ordinata, non eſt omnibus communis, ſed quibuſdam debet eſſe eximia, & ab omnibus ſubditis recommendata, hinc eſt quòd Sanctus Petrus ait: *Obedite præpoſitis veſtris*: Igitur in republica Chriſtiana non omnes, & ſinguli baptizati nullo ſeclnſo ſexu, ſed ſolùm Sacerdotes debent habere hanc poteſtatem judicandi, ligandi, atque ſolvendi, quia ratione officij Mediatoris inter Deum & homines debent habere poteſtatem offerendi ſacrificia Deo, & habere poteſtatem mundandi peccatores, ut hoc pœnitentiæ Sacramento, hacque abſolutione à peccatis, recuperent innocentiam amiſſam, & reſumant veſtem nuptialem, ut idonei reddantur ad ſumendam Sacram Eucharistiam, quam ſolus Sacerdos conficere poteſt.

Joan. 20.

Math. 18.

D. Ambroſ.

Origenes

Sacerdotes tantum poſſunt à peccatis abſolvere.

Unde D. Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio cap. 5. declarat, Sacerdotes Evangelicos habere poteſtatem, quam neque habent Angeli, neque Archangeli, neque terreni Principes, quia ad hos omnes dictum non eſt, *Quodcumque ſolveritis ſuper terram &c.* Sed tantum ad Succeſſores Apoſtolorum, ex quo ſequitur Divum Chriſoſtomum velle ad ſolos Sacerdotes tranſiiſſe poteſtatem abſolvendi conceſſam Apoſtolis per hæc verba: *Quæcumque ſolveritis &c.* Idem docent plures alij Sancti Patres præſertim Hieronymus, & Auguſtinus varijs in locis, quorum verba referre conſentaneum non judicamus, brevitatis gratiâ.

D. Chryſoſt.

§. II.

Reſpondet Hæreticis.

HÆretici volunt, poteſtatem datam Apoſtolis per hæc verba *quodcumque ſolveritis ſuper terram &c.* datam fuiſſe omnibus Chriſtianis, ſicut eis data fuit poteſtas baptizandi per hæc verba dicta Apoſtolis, *Euntes baptizantes &c.* Saltem in neceſſitate cùm pœnitentia ſit verum Sacramentum inſtitutum in remiſſionem peccatorum, juxta declarationem Concilij Nicæni tam neceſſarium, quàm Baptiſma.

Solvitur prima Hæreticorum ratio

Hoc argumentum non valet; quia hæc verba: *quodcumque ſolveritis &c.* Non diriguntur ad omnes fideles, ut patet etiam ex verbis Concilij Tridentini jam relatis. Hinc eſt quòd Eccleſia permiſit Diaconis, imo, & Laicis baptizare in neceſſitate, ut ab Apoſtolis acceperat, ſed numquam permiſit illis facultatem abſolvendi à peccatis: Legimus enim Act. 19 aliquos confeſſos, nuſquam verò abſolutum à Laicis, vel à non Sacerdote, aliquem invenies, ex quo ſequitur in antiquiſſima Eccleſia ſolos Sacerdotes habuiſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis; quippecum Chriſtus ad ſolos Presbyteros miſerit Leproſos, dicens: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*; nullus Chriſtianus habet facultatem accedendi ad mulieres, vel ad Laicos ut abſolvatur à peccatis: quamvis ſint Chriſtiani pro obtinenda abſolutione peccatorum; licet in neceſſitate poſſit à Laico baptizari ob rationes ſupra memoratas.

Act. 19.

Nec obſtat objicere illud D. Jacobi cap. 5. verſ. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini* Non obſtat, inquam, quia ex illo loco non eſt unicuique permiſſa libertas audiendi peccata, & abſolvendi, ſenſus enim horum verborum eſt, quòd homines debeant confiteri non ſolum Deo, ſed etiam hominibus; non quibuſcumque, ſed habentibus, per hæc verba: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram &c.* Poteſtatem abſolvendi, ac proinde ſolis Sacerdotibus.

Vel dico quod ſi D. Jacobus loquatur de hominibus abſolutè, & præcisè, non eſt intelligendus de peccatis mortalibus, quæ gratiam Sanctificantem expellunt, ſed ſolum de peccatis venialibus. Ita reſpondet venerabilis Beda, dicens: *In hac ſententia illa debet eſſe diſcretio; ut quotidiana, leviaque peccata æqualibus alterutrum confiteamur, porrò gravioris Lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter, & quanto tempore juſſerit, purificari quæramur.* Hanc expoſitionem, ſeu peccata mortalia non poſſe remitti, niſi per Sacerdotes, & ſolis Sacerdotibus eſſe confitenda, eſſe veram, & conformem D. Jacobi menti patet ex verſibus præcedentibus, ibi enim ſermonem facit de Sacerdotibus, monendo fideles, ut ſi quis ex eis infirmatur, inducat Presbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper eum, & ungant oleo, poſt quam monitionem ſtatim addit, & concludit: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*, quibus verbis non obſcurè ſignificat apud eos deponenda eſſe peccata, quos jam dixerat eſſe advocandos, ut orarent ſuper infirmum, & ungerent eum oleo.

Beda

Dicent quod D. Cyprianus lib. 3. Epiſt. 13. ait: *Si quis appreſſus infirmitate, non poſſit expectare Sacerdotis adventum, reconcilietur per Diaconum, facta prius Exomologeſi*, id eſt, Confeſſione.

Reſpondeo ibi D. Cyprianum non loqui de abſolutione Sacramentali, de qua nos loquimur, quâ homo peccator fit amicus Dei, & liber à peccato, ſed de ea, quâ publicè pœnitentes recipiebantur in communionem Eccleſiæ, ut poſſent cum

alijs divinis intereſſe, & communicare, præmiſſa confeſſione facta coram Sacerdote, quæ licet pertineret ad Epiſcopum. D. Cyprianus voluit eam committere Sacerdotibus, & Diaconis.

Nec valet objicere hæc verba Concilij Triburenſis, relata in Canone, *Fures*, Tit. de furtis: *Fures ſi ſurando comprehenſi, vel vulnerati, Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus*, quibos volunt Hæretici, præter Sacerdotem, alium eſſe abſolutionis Miniſtrum. Non valet inquam. Tum quia ille textus eſt mendoſus, ut obſervant omnes Expoſitores. Tum quia dato, & non conceſſo quòd non ſit mendoſus, non debet intelligi de confeſſione Sacramentali, ſed de ea confeſſione publica reconciliativa in primitiva Eccleſia frequentari ſolita; juxta reſponſionem jam datam ad Sanctum Cypriaoum.

Quid ſentiendum ſit de confeſſione facienda Laico in caſu neceſſitatis.

Obitér obſervandum eſt, in caſu neceſſitatis V. G. in evideoti periculo alicujus naufragij, abſente Sacerdote, peccatorem poſſe licité humilitatis, ac devotionis cauſa, & ad excitandam verecundiam, atque cootritionem de peccatis confiteri Laico, dummodo hoc poſſit fieri ſine ſcandalo; & ipſe peccator non credat, Laicum poſſe abſolvere à peccatis, atque ſtatuat eadem peccata ſuo tempore confiteri Sacerdoti, & clavibus Eccleſiæ ſubjicere pro obtinenda abſolutione Sacramentali. Hæc quidem confeſſio ex oatura rei eſt laudabilis, & licita atque utilis, quia Chriſtus Summus Sacerdos intuitu humilitatis & devotionis hujus peccatoris confitentis peccata, ſupplet defectum Sacramenti, & facit quòd pœnitens juſtificatur per votum illius; cùm Deus non deſpiciat cor contritum & humiliatum, teſte Propheta Pſal. 50. ideoqoe utilis eſt hæc confeſſio facta Laico in forma præſcripta, non ſolùm propter bonam ſic confitentis intentionem, quæ denotat animum poteſtati & clavibus Eccleſiæ ſubditum, ſed etiam ob dolorem de peccatis ad queri excitatur.

D. Thomas

His ſuffragatur D. Thomas, qui in 4. diſt. 17: artic. 2. vocat eam quodammodo Sacrameotalem; non quod ſit verum Saeramentum, & ex opere operato juſtificet, ut de facto juſtificat dom ſit Sacerdoti juriſdictionem habenti, ſed quia eſt quædam imitatio confeſſionis Sacramentalis, & ex ejus voto & deſiderio proficiſcitur, illamque vellet facere pœnitens in Sacramento, ſi adeſſet Sacramenti Miniſter; cùm faciat quidquid in ſe eſt, ut peccata ſua confiteatur. Ità ſentiunt plures Doctores, & præſertim Albertus Magnus in 4. diſt. 17. artic. 58. ubi proponit, an aliquis poſſit ſuo ſocio conſiteri, & an valeat illa confeſſio? Cui interrogationi ſic reſpondet, *Valet confeſſio facta Laico, ubi articulus neceſſitatis non contemptus Religionis excludit proprium, vel alienum Sacerdotem.*

Albertus magnus.

Alexander Alenſis.

Alexander Alenſis in 4. Summæ quæſt. 27. ait: quod talis confeſſio poteſt eſſe materia verecundiæ, quæ eſt una pœna debita peccato, & in hoc confitens ſoluit aliquam pœnam, quam ſolveret ſi confiteretur Sacerdoti; ideoqoe hæc confeſſio eſt meritoria, & movet ad contritionem peccatorum, per quam etiam extrà Sactamentum delentur peccata, modò includat votum confitendi, & dicat ordinem ad pœnitentiæ Sacramentum, cujus eſt pars eſſentialis, & intrinſeca, ut declarat Sacra Tridentina Synodus.

D. Auguſt.

Ejuſdem confeſſionis Laico factæ otilitatem affirmat D. Auguſtinos, vel Author libri de vera & falſa pœnitentia, cap. 10. dicens: *Tanta eſt vis confeſſionis, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur Laico*; Quibus verbis docet, in caſu neceſſitatis, licitum eſſe confiteri Laico in ſenſu explicato.

ARTICULUS LV.

Tenet adverſus Lutheranos, Satisfactionem in Confeſſione impoſitam, eſſe neceſſarió adimplendam.

MArtinus Lutherus negat, ſatisfactionem eſſe partem Pœnitentiæ. Ejus ratio eſt, quia (inquit) contritio, & confeſſio poſſunt aliquo modó inferri ex Scriptura Sacra, ſatisfactio autem non poteſt. Quapropter dicit abſolutè abſque ulla hæſitatione, ſatisfactionem nullam debere fieri pro peccatis commiſſis, ex eo quod dimiſſa culpa, ſimul etiam remiſſa eſt omnis pœna peccato debita. Et quamvis ipſe Lutherus neget contritionem; quæ fit per peccatorum examinationem, & eorumdem deteſtationem, diceos illam eſſe meram hypocriſim, neget pariter peccatorum enumerativam declarationem & confeſſionem auricularem eſſe neceſſariam, negat tamen ſatisfactionem cum majori impudentia, quia videtur contritionem & confeſſionem tolerare aliquo modo, quia credit contritiooem & confeſſionem habere aliquod fundamentum in Scriptura; (quod tamen dicit ioſufficiens & malé intellectum à Papiſtis) ſed proclamat ſatisfactionem eſſe purum humanum commentum, atque nugamentum, nam lib. de captivit. Babylon. loquens de Catholicis, ſic ait: *Eos non intelligere quod ſit vera ſatiſfactio; & eam ſic extollere, ut fidei in Chriſtum non relinquant locum miſerrimé excarniſicatis populorum conſcientijs; alio currente Romam, alio huc, alio illuc, illo in Carthuſiam, alio in alium locum, illo virgis ſe flagellante, alio corpus ſuum Vigilijs, ac Jejuniis occidente: quæ monſtra tibi debemus Romana Sedes, & quis homicidiis Ritibus, & Legibus, quibus totum mundum eo perdidiſti, ut arbitratur ſe poſſe Deo per opera pro peccatis ſatisfacere, qui ſola fide ſatisfit.* His verbis conſtat; Lutherum acrius impugnare ſatisfactionem, quàm alias pœnitentiæ partes. ſcilicet contritionem & confeſſionem:

Luther.

Idem falſum & impium Dogma Lutheri tuentor & docent Joannes Calvinus lib. 3. inſtitut cap. 4. num. 25. uſque ad numerum 39. Philippus Melancthoo in Apolog. Kemnitius in Examine Concilij Tridentini ad cap. 8. ſeſſ. 14. Et alij, qui pro tuenda impia Lutheri Doctrina ſcripſerunt, quos hîc recenſere ſuperfluum mihi videtur.

Calvinus: Melancthon Kemnitius.

§. I.

Præceptum de Satiſfactione adimplenda.

LUtheranorum & Calviniſtarum hæreſis, quam hîc impugnamus, evulſa & damnata manet in varijs Concilijs, in qnibus ſatisfactio declaratur neceſſaria, ſed præſertim in Florentino ſub Eugenio IV. in definitione Fidei circà Sacraoienta Eccleſiæ Armenis datæ, ubi Patres diſſerentes de Sacramento Pœnitentiæ, & de omnibus partibus ipſius eſſentialitér oeceſſarijs, inquiunt quod quartum Sacramentum eſt pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt Actus pœnitentis, qui in tres partes diſtinguuntur, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integralitér. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem pars præcipuè fit per

Florentinum

Orationem, Jejunium, & Eleemoſynas, & ſimiles actus meritorios, qui ad Sanctitatem diſponunt, & pro ſalutari pœnitentia ſolitò injunguntur à Confeſſarijs: igitur in hoc Concilio ſuam condemnationem invenit Lutherus.

Hoc falſum Dogma, poſteà damnatum fuit expreſſe in Concilio Tridentino ſeſſ. 14 can. 13. & 14. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo, per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo in-* Trid. ntinū. *flictis, & patientèr toleratis, vel à Sacerdote injunctis; ſed neque ſponte ſuſceptis, ut Jejuniis, Orationibus; Eleemoſynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam: Anathema ſit. Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, Doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes: Anathema ſit.* Quibus liquidò conſtat ſatisfactionem à Sacerdote injunctam in confeſſione, eſſe neceſſariam, tamquam eſſentialem hujus Sacramenti partem.

Hæc veritas firmatur ionumeris ſcriptutæ oraculis, quibus Sancti Prophetæ, & Apoſtoli hortantur homines ad expianda peccata per opera meritoria, &
Daniel. 4. ſatisfactoria, ſcilicet per Orationes, Jejunia, & ſimiles Actus moraliter bonos. Sic Daniel cap. 4. monebat Regem Nabochodonoſor, ot hujuſmodi ſatisfactionem pro peccatis ſuis facerer, dicens: *Peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas pauperum miſericordiis.* Hoc autem non poteſt intelligi de redemptione peccati quoad culpam, quoniam peccata juxtà reatum culpæ non redimuntur Eleemoſynis, cùm
2. Reg. 13. qols poſſit Eleemoſynam dare, & eſſe in peccato, quin tamen ipſe dando Eleemoſynam peccet: igitur id quod Eleemoſynarum largitiune redimitur, juxtà Danielis monitum, non eſt culpa, quæ non remittitur niſi cootrito, ſed eſt pœna debita peccato, ut conſtat factô Prophetæ Regij, qui ut legitur 2. Reg. cap. 13. quamvis cognoſceret enormitatem, & gravitatem culpæ, quam in Adulterio & homicidio commiſerat, & ſufficientèr certus eſſet hujus culpæ remiſſionem obtinuiſſe teſtimonio Prophetæ Nathan dicentis illi: *tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum*: Tamen poſt dictam culpæ remiſſionem, multas calamitates, & pœnas paſſus eſt, ſicut ei prædixerat idem Propheta, non in remiſſionem culpæ; cùm hæc jam dimiſſa fuiſſet, ſed in remiſſionem pœnæ, idcircò neceſſe eſt poſt remiſſionem culpæ, ſatisfacere per pœnas, ſcilicet per Jejunia &c. in remiſſionem pœnæ debitæ peccato dimiſſo per courritionem; cùm poſt ipſius remiſſionem juxtà declarationem expreſſam Concilij Tridentini ſeſſ. 14. can. 12. manear aliqua pœna ſolvenda ſecundum meoſuram pœnæ & temporis à Deo decretam.

Hoc facilè colligitur ex eo quod Moyſi pro popolo Iſraëlitico Deum oranti, Deus reſpondit, qnû coostar quod tota pœna noo remittitur, toties quoties
Num. 14. culpa remittitur. Legimus enim in lib. Num. cap. 14. quòd cùm Moyſes oraſſet Dominum, dicens: *dimitte, obſecro, peccatum populi hujus ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto uſque ad locum iſtum*: Dominus reſpondit: *Dimiſi juxtà verbum tuum.* Sed addit in verſu 22. *Attamen omnes homines qui viderunt Majeſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua juravi Patribus eorum, nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Certò ex illa reſponſione patet, quòd poſt dimiſſam culpam remanebat adhuc pœna aliqua ſuſtinenda, nimirum privario Terræ Promiſſionis cujus poſſeſſionem non habuerunt Moyſes, & Aaron: quamvis doluiſſent de peccato incredulitatis & diffidentiæ, quod apud aquas contradictionis commiſerant, ut credunt communitèr Sancti Patres, exiſtimantes culpam illis fuiſſe remiſſam: qoamvis pœna ob hoc peccatum illis à Domino definita, non fuerit illis relaxata, ut conſtat ex eo quod nunquam intraverunt Terram Promiſſionis, prout illis Dominus minatus fuerat; aliquo enim impedimento detinebaotur, qui erant indigni tanto beneficio; cùm Deus coroner merita noſtra in benedictionibus. Hoc autem impedimentum non erat culpa, quam ſupponimus remiſſivam Moyſi, & Aaroni, ſed impedimentum pœnæ luendæ.

In novo Teſtamento habemus ejuſdem veritatis argumentum Matth. 3. in quo legitur quòd Joannes Baptiſta Saducæos, & Phariſæos venientes ad Baptiſmum ſuum alloquens; dicebat. *Progenies viperarum quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira?* Matth. 3.
Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & nè velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare Filios Abrahæ. Quibus verbis Joannes Baptiſta hortabatur eos ad pœnitentiam io remiſſionem, & ſatisfactionem pœnæ peccatis debitæ, ut notat D. Chryſoſto- D. Chryſoſt.
mus eumdem locum ſic exponens; *Quomodo fructificare poterimus? ſi utique peccatis adverſa faciamus. Aliena rapuiſti, incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus, a legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitatem meditare, injuriam vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti, refert benedictionis verba conviciis, & percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende.* Per hæc quidem verba ille Sanctus Doctor indicat pœnas temporales, non ut per ipſas deleatur culpa, quæ per Sacramentum remittitur verè contritis, & confeſſis, ſed ut per ipſas pœnas remittatur pœna æterna, quæ poſt Sacramentum debitè ſuſceptum mutatur in temporalem.

Undè Apoſtolus ad Rom. cap. 6. ejuſdem verita- Rom. 6.
tis teſtimonium reddens, ait: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Hanc Apoſtoli admonitionem prævidit, & de ipſius executione nobis exemplum præbuit Propheta David, qui poſt peccatum ſuum, ſcilicet homicidium, & Adulterium; rigoroſam pœnitentiam egit, dicebat enim, ut in Pſalmis ipſius legimus: factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, & lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Cinerem tanqoam panem manducabam, & potum meum cum Iſich'us.
fletu miſcebam. Talia quidem faciebat Propheta (à qoo peccatum fuerat traoſlatum) ut pœnæ peccato debitæ remiſſionem obtioeret, ut notat Iſichius in lib. 4. ſuper Leviticum. Et Deus hujuſmodi pœnas & labores accepit, non in remiſſionem culpæ, tum quia ab eo tranſlatum fuerat peccatum quoad reatum culpæ, tum quia pœna non tollit effectivè & formalitèr culpam, ſed in remiſſionem pœnæ debitæ culpæ remiſſæ.

Quamtùm ad Eleemoſynam conſtar etiam eſſe ſatisfactoriam pro peccato ex illo Lucæ 11. verſ. 41. Luc. 11.
Verumtamen quod ſupereſt, date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, Ibi enim Evangeliſta loquitur de ſatisfactione pro pœna, & non de reatu culpæ cùm ſola Eleemoſyna noo faciat, ut omnia ſint munda exiſtenti in peccato; alioquin ſequeretur quòd illi, qoi ſunt extrà Eccleſiam, eſſent ſine peccato, quia faciunt Eleemoſynam, quin tamen per eam ipſis remittatur culpa. Ratio hujus veritatis eſt, quia Eleemoſyna meretur remiſſionem pœnæ illis, D. Chryſoſt.
quibus remiſſa fuit culpa per Sacramentum in re, vel in voto ſuſceptum. Undè D. Joan. Chryſoſtomus

ſuper Matth. ſerm. 9. inquit: *Eleemoſyna amica Dei conſiſtit; & ſemper ei propinqua eſt pro quibuſcumque voluerit, facilè munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipſa diſſolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, huic cum multa fiducia porta cœli aperiuntur.* Hæc verba evidenter probant, Eleemoſynam redimere à pœna peccato debita, non autem à culpa, quæ virtute Sacramenti deletur, & ipſa remiſſa, remanet aliqua pœna, quæ per opera laborioſa ſolvitur, inter quæ opera reponenda eſt Eleemoſyna; cum extinguat ignem, qui ſignificat ipſam pœnam, & aperiat portam cœli ad quod nullus aſcendit, niſi prius ſatisfecerit uſque ad ultimum quadrantem, ſeu totam pœnam peccato debitam luerit.

Divus Fulgentius in Epiſtola ad Venantium de recta pœnitentia circà finem Epiſtolæ habet: *Converſi* *D. Fulgent.* *de peccatorum remiſſione nullatenus deſperemus, tenentes Domini fidele promiſſum, quo ait: cùm converſus fuerit; & ingemueris, ſalvus eris, preſſuras, tribulationeſque præſentis temporis longanimiter toleremus, & à timore Dei nullatenus recedamus. Præcepit enim nos Apoſtolus eſſe in tribulatione patientes, qui etiam correctionem præſentis temporis ad evitandam futuri judicii pœnam multum nobis prodeſſe teſtatur dicens, cum judicamur autem à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo dãnemur*: Ex quibus patet preſſuras, tribulationes, Jejunia, & alia ſimilia opera, quæ ſolitò peccatoribus contritis, & abſolutis imponuntur, eſſe ſatisfactiones abſolutè neceſſarias, ut à pœnis redimantur, nam ſcriptura extollit gemitus, & ſalvos declarat gementes, non omnes abſolutè, ſed gemitus converſorum; ſeu eorum; qui ſunt abſque ullo reatu culpæ. cùm Deus dixerit: *Cum converſus fuerit, & ingemuerit, ſalvus erit.* Converſus autem ad Deum nullam culpam habet, cùm ſit in gratia habituali; licet habeat aliquam pœnam luendam, hinc eſt quod D. Auguſtinus ad virginem lapſam cap. 8. inquit, *Quamvis afflictionem, quantumvis dolorem, quantumvis laborem, & indecorum ſubire eſto contenta; dummodo ab æternalibus pœnis libereris*, & inde demonſtrabat ei, afflictiones eſſe tolerandas, quia eximunt à pœnis æternis, ſi in pœnæ peccatis debitæ remiſſionem ſuſcipiantur:

D. Auguſt. Idem Sanctus Doctor poſt demonſtrationem hanc ſubdit: *Talis vita, talis actio pœnitentia, ſi fuerit perſeverans, audebit ſperare, ſi non gloriam, certè pœnæ vacuationem.* Et poſt hæc ſic concludit: *Peccator ergo ſi ſibiipſi non pepercit, a Deo illi parcitur, & ſi futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit, ſeipſum ab æterno judicio liberat.* Hæc ſola authoritas ſufficit ad convincendos Hæreticos, quoniam evidenter demonſtrat quòd ille qui corpori ſuo non parcit, liberatur à pœnis gehennæ. Quòd eſſe non poſſet, ſi ſatisfactio in operibus laborioſis conſiſtens non eſſet vera pars pœnitentiæ Sacramentalis, quà remittuntur culpæ peccatorum; & pœnæ æternæ mutantur in temporales in hac vita ſuſtinendas, ut optimè concinit S. Proſper lib. 2. de Vita contemplativa cap. 7. de Laicis; qui ultrò crimina confitentur, & de ijs pœnitentiam libentèr ſuſcipiunt, ubi ait: *Si ipſi ſui Judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores hic in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis* *D. Proſper.* *exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymæ ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia.* Et poſteà de Clericis qui idem faciunt: *Ab Altari cui miniſtrabant; non animo, ſed officio ſeparati, vitam tanquam mortuam plangunt; certè quod reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo; non ſolum amiſſa recipiant, ſed etiam cives ſuperni civitatis effecti ad gaudia ſempiterna perveniant.*

Ex his conſtat, ſatisfactionem quam hìc facimus, quæque nobis à Confeſſario injungitur, eſſe neceſſariò partem unam Sacramenti pœnitentiæ, & mereri remiſſionem pœnæ debitæ peccatis in Sacramento remiſſis, nam per contritionem, & dolorem de peccatis confeſſis, & abſolutis, culpa remittitur, & pœna peccato debita per ſatisfactionem extinguitur. Undè Apoſtolus ad Heb. cap. 12. verſ. 6. Volens oſtendere ſatisfactionem, ſeu opus laborioſum eſſe Juſtis neceſſarium, ait: *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem Filium, quem recipit.* *Hebr. 12.* Hoc eſt vult quòd Juſti patiantur in hac vita, nè patiantur poſt mortem. Deus ſolet benignitate ſua deducere in refrigerium eos, qui tranſierunt per ignem, & aquam. Per utrumque igitur ſcilicet per dolorem & lacrymas tranſeamus, ut ad gloriam pervenire valeamus.

§. II.

Proponuntur, & Solvuntur Lutheranæ Rationes.

LUtherus, Calvinus, & alij Hæretici ſatisfactionem rejicere volunt ex Paſſione Chriſti Domini. *Prima Hæreticorum ratio.* Dicunt quod ipſe Chriſtus Dominus pro nobis omnibus ſatisfecit, ideoque injuriam ei facit peccator, qui pro ſuis peccatis Deo ſatisfacere conatur, quia eo ipſo minuere videtur gloriam Paſſionis Chriſti, quaſi illa non fuiſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris. Nam inquit Calvinus: *Quid quæſo nobis præſtitiſſet Chriſtus. ſi adhuc pro peccatis pœna exigeretur &c.* Igitur (inquiunt Hæretici) nulla poteſt nobis injungi obligatio ſatisfaciendi pro peccatis noſtris, pro quibus Chriſtus infinitam ſatisfactionem exhibere voluit.

Hæc Hæreticorum ratio, eſt falſa: noſtra quidem *Hæreticorũ rationis ſolutio.* ſatisfactio non derogat ſatisfactioni, quam Chriſtus pro nobis exhibuit, quia dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis noſtris, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, & ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimamque inde arrham habemus, quod ſi compatimur & conglorificabimur, ut declarat Tridentinum loco ſupra citato cap. 8. hocque confirmat S. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 21. dicens Judæis de novo converſis: *1. Petr. 2.* *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*; cùm loquatur de pœnis in hac vita ſuſtinendis, ad quas nos vocavit Chriſtus, ut ex verſu præcedenti colligitur, ubi habetur: *Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes, patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum.* Diſcant itaque Lutherani, Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe; & tamen non excluſiſſe opera noſtra ſatisfactoria; alioquin non diceret, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam; & ſequatur me*, cùm hanc crucem tollere, eſſet ſuperfluum.

Chriſtus pro nobis ſatisfecit eo modo, quo factus eſt pro nobis redemptio, & juſtitia. Undè ſicut nonobſtante priori redemptione per Chriſtum facta, qui poſt Baptiſmum peccat, tenetur non ſolùm dolere, ut à ſervitute peccati liberetur, & à captivitate Diaboli redimatur; ſed etiam veniam petere à Deo ut eam obtineat, ut fatentur Hæretici. Ità etiam nonobſtante priori redemptione, aut ſatisfactione à Chriſto exhibita in cruce Deo Patri, qui poſt Baptiſmum peccat, tenetur ſatisfacere, & ſuam ſatisfactionem (quæ aliàs, ſcilicet ſine valore ſatisfactionis Chriſti non eſſet valida) cum Chriſti ſatisfactione connectere, ut per illam faciat quod per ſe facere non poſſet, reverà Chriſti ſatisfactio eſt ſuperabundans, ſed nobis debet applicari per proprias ſatisfactiones. Nec poſſunt Hæretici contradicere, nam docent quòd merita Chriſti applicantur credentibus per illam fidem, quà credunt; quin tamen dicant

fidem , quam habent, evacuare meritum ſatisfactionis Chriſti, ideoque nequeunt dicere, ſatisfactionem Chriſti , eſſe inutilem ; licet hæc per noſtram applicetur nobis.

Ratio Lutheri.

Iterum objiciunt, & præſertim Lutherus qui putat,nomen ſatisfactionis adinventum fuiſſe à Theologia Scholaſticis , quia nomen illud (inquit) non invenitur in Sacris Litteris , neqoè in Sanctis Patribus. Ut autem pateat hanc eſſe mentem Lutheri , afferenda ſunt hìc verba , qoæ habentur in articulo 5. impugnationis ab ipſo Luthero factæ contra Bullam Leonis X. ubi legitur : *vehementèr autem odi , & ſublatum vellem hoc vocabulum , ſatisfactio , quod modo in Scripturis non invenitur , ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit prò ullo peccato ſatisfacere , cum ille gratis ignoſcat omnia.*

Diſſolvitur ratio Lutheri.

Reſpondeo , falſum eſſe quòd ait ipſe Lutherus , nam vocabulum ſatisfactionis habetur in lib. Levitici cap. 17. & 24. In prima Epiſtola D. Petri cap. 3. verſ. 14. Deindè dato & non conceſſo quòd hoc vocabulum nou reperiatur in Sacris Litteris , tamen argumentum Lutheri nihil concludit , nam Sacræ Litteræ præſcribunt nobis Leges de operibns , quæ facere debemus , & de rebus quas credere tenemur: quin præſcribant nobis nomina quibus neceſſariò uti debemus , ut à nobis verè & propriè exprimentur , quoniam dum de re ipſa conſtat , parùm refert hoc, vel alio vocabulo uti, modo ſubſiſtat & concedatur Dogma Fidei. Certum enim eſt apud omnes quòd vocabulum conſubſtantialitatis non invenitur in Sacris Litteris , tamen Lutherani utuntur hoc vocabulo conrra Arianos , cum dicant contrà eoſdem juxtà Fidem Eccleſiæ Romane , Filium eſſe Patri conſubſtantialem. Et contrà Macedonianos , Spiritum Sanctum eſſe Patri & Filio conſubſtantialem : ergo debent etiam uti vocabulo ſatisfactionis; licet non reperiaot illud in Sacris Litteris; cùm in eiſdem Litteris conſtet de fructibus dignis pœnitentiæ faciendis , & de ærumnis , laboribus , & alijs ſimilibus operibus ſuſtinendis in remiſſionem peccatorum. Quemadmodum enim ex his verbis Chriſti , *Ego & Pater unum ſumus* , ioferunt conſubſtantialem Verbi , ex aliis debent inferre ſatisfactionis neceſſitatem.

Præterea hoc vocabulum fuit ſemper uſitatum à Sanctis Patribus in Concilijs Ancirano , Nicæno I. Eliberitano, Grangrenſi, Chalcedonenſi , Illerdenſi, & in alijs antiqniſſimis. Et à S. Iſyduro , qui floruit in VII. ſæculo , ille enim Sanctus Doctor in Sinom. cap. 6. ait : *Cinis es & in cinerem reverteris , vivas ergo ſemper lugens, ſemper mœrens , ſemper ſuſpiria cordis emutens.* Et lib. de Summo bono cap. 13. addit: *Ille dignè pœnitentiam agit , qui reatum ſuum legitima ſatiſfactione plangit.* Et Severus Sulpitius lib. 2. de Miraculis Sancti Martini cap. 13. inquit : *Fornicatio deputatur ad pœnam , niſi ſatisfactione purgetur.* Hinc eſt quòd Lotherani non poſſunt impugnare ſatisfactionem velut rem novam à Theologis Scholaſticis adinventam , cùm hæc Concilia antiquiſſima ſint.

Iſidorus. Severus Sulpitius.

Ezech. 18.

Tandem objiciunt illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam , omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et alibi : *impietas Impii non nocebit ei quacumque die fuerit converſus.* Ibi enim Deus (inquiunt) declarat quòd nihil exigit pro peccato poſt remiſſam culpam , quia ſi aliquam poſt remiſſionem culpæ, Deus exigeret pro peccato pœnam , jam recordaretur Iniquitatum Impij poſt illius converſionem , cùm hæc pœna noo poſſit exigi de peccato prorſus oblito , hæc qoidem oblivio tam pœnam , quàm culpam comprehendit.

Reſpondeo hanc authoritatem non nocere , quia Deus promiſit non abſolutè , & quomodocumque , ſed ſolùm ſub conditione, ſe non recordaturum iniquitatum Impij , ſed ſolùm conditionalitér , nimirum ſi impius fecerit juſtitiam , & egerit pœnitentiam. Porrò pœnitentia integra , & perfecta , quâ ad Deum convertitur Impius complectitur ſatisfactionem , ſicut contritionem & confeſſionem , quia obligat ad plangenda præterita , eſtqoe ſimul Tribunal , in quo Judex punit pœnâ temporali ea , quæ punitione digna ſunt. Hinc fit quòd ille , qui pro peccato ſuo oon ſatisfacit Deo , non facit integram & perfectam pœnitentiam , ideoque Propheta Ezechiel in converſione Impij , comprehendit ſatisfactionem , acproindè Lutherani non poſſunt , hac uti authoritate contrà nos , cùm implicitè ſaltem , referat illam ſatisfactionem, quam ipſi negant , quamque pœnitentia ſignificat , & continet , ſicut totum continet partes ſuas integrantes.

Explicatur authoritas Ezechielis.

Inſtantia Calviniana

Dicent cum Calvino quòd ſi hæc ſatisfactio eſſet neceſſaria , ſequeretur , homines non juſtificari gratia , nec gratis redimi à pœnis inferni, ſed intuitu operum ſatisfactoriorum. Quòd manifeſtè opponitur menti Ezechielis & aliorum Prophetarum , imò & menti Apoſtolorum , qui apertè docent , juſtificationem noſtram eſſe opus merè gratuitum , quod non eſt volentis , neque currentis , ſed Dei miſereotis , ex Divo Paulo.

Reycitur inſtantia Calviniana

Sed non valet hæc inſtantia Calviniana , eſt enim prorſus ioutilis , quoniam ſatisfactionis noſtræ meritum totum refunditur in gratiam Chriſti Domini, noſtra quippè ſatisfactio , quam pro peccatis noſtris exolvimus , non ità à nobis eſt , ut non ſit per Chriſtum Jeſum , in ipſo quidem vivimus , movemur , & ſumus , ex nobis nihil poſſumus tanquam ex nobis, ſufficientia noſtra à Deo eſt; cùm eo cooperante , omnia poſſimus , licet ex nobis nihil facere valeamus , idcirco non habemus undè gloriemur , ſed omnis gloria noſtra eſt in Chriſto Jeſu , cujus gratia rectè operamur , & pro peccatis ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ , qui quidem fructus ex illo , vim & efficaciam habent , non à nobis , ſed ab illo offeruntur Deo Patri, & per illum à Deo Patre acceptantur. Itaque ex noſtra aſſertione non ſequitur , hominem non juſtificari gratis , nec Catholici in hac parte tuentur Pelagianiſmum juſtificationem noſtram naturæ viribus tribuens; cùm opera noſtra bona refundantur in gratiam & meritum Chriſti Domini , cujus Paſſio eſt cauſa meritoria noſtræ juſtificationis , ut declarat Sacra Tridentina Synodus.

Inſuper dicunt , ſatisfactionem noſtram quamtumvis magnam , & diuturnam , eſſe inutilem , & ioſufficientem ratione Inæqualitatis , quæ inter peccatum & opus noſtrum eſt, quia opus noſtrum etiamſi à gratia excitante , & adjuvante fiat , ſemper eſt finitum , & offenſa Dei eſt infinita.

Huic rationi reſpondeo juxta Doctrinam Scotiſtarum, & dico qoòd ſatisfactio facta Deo pro peccatis, eſt infinita eâ ratione, quâ Dei offenſa cenſetur infinita, ſeu infinitate extrinſeca , & ratione objecti, ſcilicet quia tendit in objectum infinitum ; ſicut offenſa. Vel dico cum S. Bonaventura Doctore Seraphico quòd licet homo pro ſua culpa infinita , non poſſit ſatisfacere ex proprijs viribus , poteſt tamen , divinâ adjuvante gratiâ , & informante Spiritu adoptionis , ſatisfacere pro pœna aliqua temporali , quæ non eſt infinita ex ratione ſua intrinſeca ; alioquin fruſtra Deus in Sacris Litteris nos ad ſatisfactionem , aut ad pœnitentiam vocaret , cùm hortaretur nos ad rem inutilem & nullatenus neceſſariam. Salutaris tamen , & juſta eſt hæc adhortatio , ut probat exemplum Apoſtolorum , qui ut legitur in lib. Act. cap. 26. Judæis & Gentibus prædicabant , ut agerent

Reſponſio D. Bonavent.

Act. 26.

Pœnitentiam, & converterentur ad Deum, digna opera, aut fructus dignos pœnitentiæ facientes: igitur bonum, imo & neceſſarium eſt pro pœna peccatis noſtris debita, ſatisfacere caſtigando corpus ad inſtar Apoſtoli, & in ſervitutem redigendo illud.

Hujus ſatisfactionis neceſſitatem manifeſtat Cæſarius Arelatenſis Homil. 1. ex fructibus, quos ex pœniteotia recipimus, ibi enim inquit, *Mortificatione præſenti, futura mortis; ſententia prævenitur, & dum culpa auctor humiliatur; culpa conſumitur, dumque exterior afflictio voluntaria diſtrictionis infertur, tremendi Judicis offenſa ſedatur, & ingemia debita labor ſolvit exiguus quæ vix conſumpturus erat ardor æternus.* Et. D. Hieronymus in cap. 1. Prophetæ Joëlis ait: *Qui peccator eſt cilicio accingatur, & plangat; & cubet; vel dormiat in ſacco, ut præteritas delicias per quas Deum offenderat', vita auſteritate compenſet*; Ex quibus verbis liquidò conſtat, per ſatisfactoria opera ſolvi pœnam, non æternam, cum hæc per Sacramentum validè ſuſceptum, mutetur in temporalem, ſed hanc, ſeu eam quæ fuiſſet æterna, ſi peccatum quoad reatum culpæ non fuiſſet remiſſum.

Cæſarius Arelatenſis.

D. Hieron.

ARTICULUS LVI.

Docet contrà Hierarchitas, Extremam-Unctionem eſſe verum Sacramentum.

Hierarchitæ.

ADverſus Extremæ-unctionis Sacramentum plures inſurrexerunt Hæretici, quorum primi dicuntur Hierarchitæ, ſic dicti ab Hierarcha viro Hæretico, qui tempore Taciti Imperatoris, & Eutychiani Summi Pontificis, circà annum Domini CCLXXIX. dicebat; teſte D. Auguſtino de hæreſibus cap. 47. Extremam-unctionem non eſſe rem Divinam; nec Sacramentum à Deo inſtitutum; ſed cæremoniam purè humanam ab Idiotis adinventam, & à Summis Pontificibus numeratam inter Sacramenta: Eumdem errorem poſteà ſcilicet anno DCCXCVI. ſub Conſtantino VI. Imperatore, & Leone III. Papa ſuſcitarunt Albanenſes viri Hæretici, inter reliquos; qui ab orbe condito extitere Divinæ Doctrinæ Corruptores Sceleratiſſimi, ut obſervant plures Scriptores. Non deſunt alij aſſerentes in eodem errore fuiſſe Albigenſes, Joannem Hus, & Joannem Vuicleffum, ſed quia ſunt alij, qui contrarium affirmant; & præſertim Thomas Uvaldenſis; qui eos ab illa accuſatione abſolvit, & abſolutos tuetur contrà antiquos Scholaſticos; non audeo eos inter Extremæ-unctionis hoſtes reponere. Alitèr ſentio de Lothero; cùm conſtet ipſum ſubſcripſiſſe errori Albanenſium; ei ſcilicet, qui circà Extremam-unctionem verſatur. Nam lib. de captivitate Babylonica in hoc Sacramentum ſic invehitur: *Si unquam in Extrema-unctione; nunc præcipuè deliratum eſt, figmentum eſt; ex hac Apoſtoli ſententia; ſi quis infirmatur &c. A nobis oportere hominem ungi, cum non Sacramentum, ſed figmentum ſit.* Ex his verbis & alijs, quæ referre ſuperfluum eſſet, declarat Impius ille vit Extremam-unctionem non eſſe Sacramentum.

Albanenſes.

Lutherus.

Luthero adhæſit Calvinus qui lib. 4. inſtitut. num. 13. & ſequentibus contendit, Unctionem à S. Jacobo memoratam, ad ſolam gratiam Curationum pertinuiſſe, quæ dumtaxat viguit tempore Apoſtolorum, quamque Papæ poſteà receperunt & inſtituerunt Sacramentum, quamvis, inquit, verè ſciant homines non habere poteſtatem inſtituendi Sacramenta, ut declarat Tridentina Synodus, ibi enim ait: *Unctio quæ ab Apoſtolis uſurpatur in infirmorum ſanatione, non ut eſſet curationis organum; ſed ſymbolum dumtaxat, quo imperitorum ruditas admoneretur, unde tanta virtus prodiret, ne ſcilicet ejus laudem Apoſtolis tribuerent oleo autem ſignificare Spiritum Sanctum, ejuſque dona vulgare ac tritum eſt. Cæterum evanuit illa gratia curationum, ſicut & reliqua miracula quæ ad tempus voluit Dominus, quo novam Evangelij prædicationem in æternum admirabilem crederet.* Idem ſentiunt omnes Lutheri & Calvini Diſcipuli & Sectatores, ac proindè negant Extremam-unctionem eſſe Sacramentum, ſed dicunt eſſe quamdam cæremoniam ab Apoſtolis adinventam, vel à Summis Pontificibus, & præſertim à Fœlice IV. ut impiè dicere voluit Kemnitius, qui ſolus aſſignat hunc Pontificem, non advertens diu ante Fœlicem IV. Eccleſiam adminiſtraſſe Extremam-unctionem infirmis, ut patet ex Hiſtoria Sacra.

Calvinus.

Kemnitius.

§. I.

Probat Sacramenti Extremæ-unctionis exiſtentiam.

EXtremam-unctionem eſſe unum ex ſeptem Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis, definitum manet contrà Præditos Hæreticos in varijs Concilijs. Præſertim in Cabillonenſi II. can. 48. & in alijs ipſo anterioribus, in quibus numerantur ſeptem Sacramenta, quorum unum eſt Extrema-unctio. In Florentino ſub Eugenio IV. celebrato, obi habetur: *Quintum Sacramentum eſt Extrema-unctio, cujus materia eſt Oleum Olivæ per Epiſcopum benedictum, hoc Sacramentum, niſi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, aut locutionem; in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem: Forma hujus Sacramenti eſt hæc. Per iſtam Sanctam Unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, & ſimiliter in aliis membris: Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos; effectus verò eſt mentis ſanatio, & in quantum animæ expedit, etiam corporis.* Ibi enim non ſolum declaratur hujus Sacramenti inſtitutio, ſed etiam firmatur per ejus materiam, formam, miniſtrum; & effectus. In Maguntino IV. celebrato ſub Paulo Papa III. anno MDXLIX. cap. 34. Tandem eadem veritas ſtabilitur & firmatur in Tridentino ſeſſ. 14. de Sacramento Extremæ-unctionis cap. 1. & 2. ubi legitur, Sanctos Patres ſic pronunciaſſe contra Lutherum: *Si quis dixerit, Extremam-unctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & à Beato Apoſtolo Jacobo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; Anathema ſit. Si quis dixerit, Sacram Unctionem infirmorum non conferre gratiam; nec remittere peccata; nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum: Anathema ſit.* Sileant Igitur Hæretici, & credant Extremam-unctionem non eſſe nudam cæremoniam, ſeu inventum purè humanum, nec gratiam gratis datam, ſed verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum.

Cabillonenſe II.

Florentinum.

Maguntinum.

Tridentinum.

Conciliorum authoritatem confirmant communitèr Doctores Catholici teſtimonio S. Marci Evangeliſtæ cap. 6. verſ. 13. ubi legitur quòd Apoſtoli ad prædicandum miſſi, Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant. Quæ verba exponens D. Hieronymus, inquit, *Mittuntur deindè duodecim Apoſtoli, & datur ei poteſtas præcepta docendi, ut comitetur verbum ſimul & factum, & cum promiſſis inviſibilibus viſibiles virtutes miſcent, & cum ungebant Oleo ægros, infirmitatem Fidei virtute corroborant.* Indè enim facilè infertur, Unctionem illam fuiſſe inſtitutam à Chriſto tamquam ſignum viſibile, cui annexa eſt promiſſio gratiæ per illud conferendæ, ut

D. Hieron.

proprium eſt cuilibet Sacramento à Chriſto pro ſanctificatione noſtra inſtituto. Hujus Divinæ inſtitutionis ratio eſt, Tum quia Apoſtoli hac ipſa Unctione utebantur propter Chriſti Mandatum, ultra eujus voluntatem, & inſtitutionem nihil fecerunt pro ſanctificatione animarum, nullumque ſigoum pro gratia conferenda inſtituerunt, ſcientes quòd gratiam & gloriam dabit Domious. Tom quia hæc Unctio effectum inviſibilem conferebat, ſcilicet gratiam, quæ eſt ſanitas animæ. Non enim improbabile eſt per hæc verba: *Sanabant eos*, interpretari, *Sanctificabant eos*, ideoque hæc Uoctio ſuper ægrotos facta ab Apoſtolis, eſt verum Sacramentum; cùm habeat veri Sacramenti definitionem, id eſt, ſit ſignum viſibile divinitùs, ac permanentér inſtitutum, ordinatum ad cōferendum effectum inviſibilem, nimirum gratiao ſanctificantem, ut declarat Sanctus Jacobus in ſua Epiſtola Canonica cap. 5. dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: Ex quibus verbis conſtat in Extrema-onctione repetiri omnia quæ ad verum Sacramentum deſiderantur; illudque perficiunt, & complent, quæque Hæretici, & præſertim illi, quos hîc impugnamus, admittunt in Baptiſmo, quem Sacramentum eſſe eredunt propter hujuſmodi conditiones. Nam in Extrema-unctione reperitur materia, videlicet Oleum Sanctum, quò à Sacerdote Legis novæ ongendus eſt infirmus, ſicut in Baptiſmo reperitur aqua, quà abluendus eſt puer baptizandus. Reperitur etiam forma, ſcilicet Sacerdotis verba ſupra memorata in Concilio Florentino, & in Rituali Romano. Reperitur tandem effectus, ſcilicet gratia, mediante illo ſigno, nimirum Unctione conferenda infirmis in extremo vitæ articulo conſtitutis, ut ſuadent hæc ultima verba ejuſdem Sancti Jacobi; *Et ſi in peccatis ſit; remittentur ei.* Hæc quidem peccati remiſſio de via ordinaria fieri neqoit ſine collatione gratiæ ſanctificantis; quæ eſt qualitas ſupernaturalis expulſiva peccati, ut docent communitèr omnes Theologi cum Sanctis Patribus: igitur illa Extrema-unctio habet omnes conditiones, quas habet Baptiſmus pro conferenda gratia, acproindè eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum ſicut Baptiſmus, cum omne ſignum viſibile gratiam conferens ex opere operato, ſit verum Sacramentum; quod Chriſtus ſolus potuit ioſtituere in ſanctificationem animarum. Hæc quippè inſtitutio divina eſt, exigitque poteſtatem excellentiæ, quam nullus homo habuit.

Extrema-Unctio confert gratiā.

Epiſtola Canonica 5.

Lutherani hoc argumentò convicti conantur rejicere illam Epiſtolam Catholicam, negaodo eam eſſe D. Jacobi Apoſtoli. Sed in vanum laborant, quia hæc Epiſtola Catholica eſt verè Canonica, ut in proprio loco diximus cum Tridentino contrà plures Hæreticos. Dicunt inſuper quòd ſi hæc Epiſtola ſit S. Jacobi, tamen non probat, quia voluerunt plures eſſe in Biblijs nuſtris Libros Apocryphos, (quamvis omnes, quos recipit Eccleſia Romana, Libros, ſint verè Canonici) quia non licet Apoſtolo authoritate propria inſtituere Sacramentum, cùm hoc ſit ſolius Chriſti munus proprium.

Vana Lutheranorum inſtantia.

Sed hæc ratio minus valet, quia falsò ſupponit, D. Jacobum eſſe Inſtitutorem hujus Unctionis. Nullus certò fuit umquam demens, ac impiæ maledicentiæ, ait noſter Alphonſus à Caſtro, qui diceret D. Jacobum fuiſſe tam arrogantem ut pro Sacramento traderet quod non eſſet Sacramentum (ſi Lutherum excipias quô nullo impudentior invenitur) quia D. Jacobus non inſtituit Sacramentum, ſed per hæc verba, *infirmatur quis in vobis? &c.* Populo tradidit id, hoc eſt, Sacramentum, quod ipſe acceperat à Chriſto, qui alia mundo volebat inſinuare per Matthæum, alia per Marcum, alia per Lucam, alia rorſum per Joaonem, alia per Apoſtolos, ut conſtat de Paulo, qui multa inſinuavit, quæ omninó ab Evangeliſtis prætermiſſa ſunt. Quare mirari minimè debet Lutherus, ſi Deus voluerit per D. Jacobum nobis inſinuare, Chriſtum eſſe hujus Sacramenti Authorem, Jacobum veró ſolum Præconem & Promulgatorem, ut meminit Tridentina Synodus loco citato can. 1.

Solutio ad Lutheranorum inſtantiam.

Alter Hæreticus non minus Impius, quàm Lutherus, ſcilicet Joannes Calvious probat D. Jacobum eſſe hujus Unctionis Inſtitutorem; quia adminiſtrationem ejus committit Senioribus, Sacramenta autem Chriſti, ſi Baptiſmum excipias (inquit) tantùm à Sacerdotibus adminiſtrari poſſunt: igitur Extrema-unctio fuit inſtituta à B: Jacobo, nam per Presbyteros intelligere debemus Seniores, cum Presbyter ſit vox Græca; quæ ſignificat Seniorem; & per conſequens non eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ſed quædam cæremonia à Divo Jacobo inventa.

Inſtantia Calviniana

Porró non valet hæc inſtantia, quia Apoſtoli per Presbyteros intelligunt Sacerdotes, ut conſtat ex illo Pauli ad Titum cap. 1. *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros; ſicut & ego diſpoſui tibi*, Ibi enim Apoſtolus per Presbyteros noo iotelligit Seniores Laicos, ſed Epiſcopos, qui etiam ſunt Sacerdotes. Nam ſi per Presbyteros, Seoiores intellexiſſet, abſurda fuiſſet ejus locutio, quia Titus non poterat facere Senes eos, qui Senes non erant, nec neceſſè erat Seniores Laicos inſtituere in Inſula Crenſi, quia fortè in ea erat numerus ſufficiens. Ità etiam D. Jacobus per Presbyteros non intellexit Laicos Seniores, ſed Sacerdotes, ideo oon dixit abſoluté *Presbyteros*, ſed addidit, *Eccleſiæ*, ut oſtenderet ſe loqui de Sacerdotibus; non verò de Senioribus, qui licet dicantur Presbyteri apud Græcos, tamèn noo dicuntur Presbyteri Eccleſiæ, per quos ſolitò intelligimus Sacerdotes. Et per Presbyteratum, Sacerdotium.

Rejicitur Calviniana inſtantia.

Non parùm juvat afferre antiquorum fidem de hoc Extremæ-unctionis Sacrameoto, ut indè videamus, eam non fuiſſe à Summis Pontificibus inſtitutam, ut ſomniarunt Hæretici. Concilium Nicæoum I. quod fuit celebratum anno CCCXXV. in Can. 69. Arabico meminit Olei infirmorum, ipſumque à Chriſmate, & Oleu Cathecumenorum diſtinxit, ibi enim ait: *Tranſacto anno debet Sacerdos benedicere Aquam & Oleum; non ſicut fit in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma; ſed ſicut Oleum infirmorum.* Oleum autem illud pro infirmis benedictum, nullum alium poterat habere finem, niſi infirmis ſanctitatem conferendam. Innocentius I. qui creatus fuit anoo CCCCII. à Divo Auguſtino, D. Chryſoſtomo, & D. Hieronymo mirificè laudatus, interrogatos à Decentio Epiſcopo Eugubino, utrum Extrema-unctio danda eſſet pœnitentibus, quibus cætera Sacramenta negabantur, reſpondet ſie in Epiſtola ad ipſum ſcripta cap. 8. *Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Sanè hæc reſponſio eſt de Sacramento Extremæ-unctionis, quia interrogatio eſt de eodem, & ideo Fides, quâ eredimus Extremam-unctionem eſſe Sacramentum, non eſt nova, ut garriunt Hæretici. Osbernus in vita Sancti Dunſtani Canturienſis Archiepiſcopi refert, quemdam Matronam dixiſſe ad prædictum Sanctum adhuc Monachum. *Tantum precor ut cras ad me veniat, & mihi cum Sacramento Sacra-unctionis, Viaticum Dominici corporis tradas.* Fateor non in... n ſſe tempus,

Nicænum. I.

Innocentius I.

quo vivebat ille Epiſcopus, creditur tamen antiquiſſimus. Sunt alia quamplurima veterum teſtimonia, quibus firmatur, Extremam unctionem ſemper fuiſſe receptam, & collatam ut Sacramentum. Sed ſufficiat referre illud, quod habetur in Capitularibus Caroli Magni, qui nono Sæculo floruit, lib. 6. cap. 75. ubi legitur. *Si infirmitate depreſſus quis fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione Sacramenti Olei careat.* Et aliud quod affert Doctiſſimus Hugo à S. Victore, Senteotiarum tract. 6. cap. 15. *Eſt & aliud Sacramentum, ſcilicet Unctio infirmorum, quæ fit Oleo conſecrato per Epiſcopum*, quippè hæc omnia certiſſima teſtimonia oſtendunt Hæreticis, & contrà ipſos probant, ſemper apud Fideles Extremam-unctionem fuiſſe receptam, ut verum Sacramentum à Christo inſtitutum. Undè Venerabilis Beda exponens verba D. Jacobi in Commentarijs ſuper Epiſt. Canon. ait: *Hoc & Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi Oleo conſecrato ungantur à Presbyteris, ut Oratione comitante ſanentur.* Quod probat id quod ſuprà ſtatuimus, nimirum Extremam-unctionem fuiſſe collatam infirmis tempore Apoſtolorum.

Teſtimonia antiquorum

Beda

Prædictas authoritates impugnant Hæretici ex eò quod nulla mentio fit de Extrema-unctione ab his, qui Antiquorum Patrum obitus deſcripſerunt, indè enim conantur oſtendere, illam Unctionem, tunc ſeu in principio Eccleſiæ, non fuiſſe in uſu, quia meminiſſent hujus Sacramenti, ſicut memores ſunt aliorum, & præſertim Euchariſtiæ, quam in articulo mortis receperunt.

Sed hæc ratio nihil probat, ſufficit quod deducatur ex Scriptura, & referatur ab aliquibus Antiquis Patribus, ut de facto à multis refertur. Deindè hæc Hæreticorum ratio futilis eſt, quia negativa eſt. Quis enim apparitionem Stellæ, quæ Magos duxit ad præſepium, commentitiam eſſe dixerit, licet nullus præter S. Matthæum Scriptor Evangelij de ea loquatur? Quis reſurrectionem Lazari fictitiam eſſe dixerit, quia Sancti Matthæus, Marcus, & Lucas eam Scriptis ſuis non commendarunt? Perperam igitur inferunt Hæretici ex ſilentio aliquorum Patrum, Extremam-unctionem non fuiſſe in uſu in primis Eccleſiæ ſæculis, neque eſſe verum novæ Legis Sacramentum.

Extrema-unctio erat in uſu tempore Apoſtolorum.

§. II.

In quo referuntur, & refutantur Rationes Extrema-Unctionis Sacramentum Impugnantes.

Dicent, nullum Evangeliſtam meminiſſe hujus Sacramenti. Nam (inquiunt) ea Unctio ægrotorum, cujus meminit S. Marcus cap. 6. non fuit Sacramentalis, ſed tantum curativa: igitur non valet reſponſio data pro ſolutione præcedentis argumenti, nimirum ex omiſſione nihil eſſe inferendum.

Reſpondeo cum D. Thoma, & alijs Sanctis Patribus, hanc rationem non valere. Quia multa Dominus dixit & fecit, quæ in Evangelio non continentur. Multa enim ſunt, quæ Chriſtus oretenus Eccleſiæ tradidit. Undè Act. 1. dicitur, quod Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam per dies Quadraginta apparuit Diſcipulis loquens cum eis de Regno Dei, ſeu de triumphante Eccleſia, ſed potiſſimùm de militante inſtruens & erudiens eos de omnibus ad Eccleſiæ gubernationem pertinentibus, qua de cauſa D. Joannes cap. 20. verſ. 30. inquit: *Multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*, ex quo ſequitur quòd ex libro Evangeliſtarum, & ex ſilentio eorum, non debet infirmari promulgatio D. Jacobi de Extremæ-unctionis Sacramento, cum ipſe D. Jacobus ſcripſerit, dictante Spiritu S.

Act. 1.

Reſolvitur hæreticorum ratio.

Dicent ijdem Hæretici (duce Calvino.) Si unctio eſſet Sacramentum, quia Apoſtoli ungebant ægrotos, vel quia D. Jacobus mittit infirmos ad Presbyteros Eccleſiæ, ſequeretur etiam quòd Natatoria Siloë cujus meminit D. Joannes cap. 9. verſ. 7. & 11. eſſet Sacramentum, cùm certis temporum vicibus ſe immergebant malè habentes; Sacramentum ſimiliter eſſet item Lutum ex ſputo, & pulvere Cæco nato applicatum; porrò huc uſque tamen nullus dixit hæc duo eſſe Sacramenta à Chriſto inſtituta, quia nulla poteſt aſſignari ratio deducta ex Sacris Paginis, nullaque poteſt haberi Patrum, aut Conciliorum authoritas: igitur ex unctione facta ab Apoſtolis & ex admonitione D. Jacobi, nullus debet inferre unctionem eſſe Sacramentum.

Objectio Calvini.

Sed ridiculum eſt hoc argumentum, & probat evidenter Hæreticorum ignorantiam, quoniam inde demonſtrat quòd credunt, nos venerari Extremam-Unctionem, ut Sacramentum, eo præcisè quia Apoſtoli per hanc unctionem ſanabant infirmos, quod eſt falſum, nos enim credimus Extremam-Unctionem eſſe Sacramentum, quia Apoſtoli per illam unctionem animam ad bonum roborabant per gratiam, quam Deus illis ægrotis per miniſterium Apoſtolorum tunc dabat, nuncque per aliorum Sacerdotum miniſterium confert, non autem quia Apoſtoli per illam unctionem ſanabant corpora, ut ipſi Hæretici nobis imputant. Lutum vero ex ſputo & pulvere, quo Cæcus unctus eſt, nullam habuit virtutem ſanandi, aut ſi aliquam habuerit, tunc ſolùm, ſeu dum Chriſtus illo linivit oculos Cæci, illam habuit; idcircò poſtea nullo Cæco dediſſet viſum, etiamſi illo aliquis alius linitus, & poſtea in Natatoria Siloë lotus fuiſſet, ut aſſerit noſter Alphonſus à Caſtro, & dato quod Cæcis corporis viſum dediſſet, tamen non contuliſſet animæ gratiam, quam conferebat ægrotis unctio, quia Deus de his nullam dederat promiſſionem, ideoque Sacramentum dici non poteſt: quamvis unctio Sacramentum dicatur, cùm non habeat promiſſionem de donatione gratiæ, quam habet unctio, quamque habebit uſque ad finem ſæculi. Hoc verum eſſe patet ex verbis D. Jacobi Apoſtoli: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Certum enim eſt quòd Ipſe Apoſtolus illam promiſſionem remiſſionis peccatorum non promulgaſſet, niſi Deus eam illi inſpiraſſet, quia ſolus Deus remiſſionem peccatorum dare poteſt, ut ipſemet teſtatus eſt in Sacra Scriptura.

Rejicitur Calvini argumentum.

D. Jacobus.

Lutherus aliud argumentum proponit ex effectibus promiſſis, inquit enim. Si illa unctio eſſet Sacramentum ſicut Baptiſmus, & Euchariſtia, ſemper haberet ſuus effectus in ægrotis unctis, & præſertim in illis, qui nullum peccatum habent; cùm Sacramenta Chriſti præſtent effectum, ſi non ponatur obex, ut patet in Baptiſmo, qui ſemper delet peccatum originale, modo ex omni parte debitè conferatur. Sed Extrema-unctio non habet ſemper effectus, quos promiſit D. Jacobus, nam experientiâ conſtat quòd plures infirmi unguntur, & tamen immediatè poſt unctionem moriuntur: ergo non præſtat ſemper ſuum effectum, ſcilicet ſanitatem corporis, quæ ex D. Jacobo eſt effectus hujuſmodi unctionis; cùm ipſe Apoſtolus dicat; *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei, & alleviabit eum Dominus.* quòd debet intelligi de ſanitate corporis, quia infirmitas animæ ſiſtit in peccatis, quæ ſi ſint in infirmo, ex eodem Apoſtolo remittuntur ei.

Reſpondeo hoc Argumentum non valere, etiam ſi non rarò infirmi moriantur ſtatim poſt Extremam-

tice etiam ſenſit Joannes Wicleffus de Ordinis Sacramento. Nam ut refert Guillelmus Widefordus in libro contra ipſum recenſens ejus errores damnatos in Concilio Conſtantienſi, ſub titulo contra Sacramentum Ordinis, octavus illius error erat, *Chriſtus ordinat quamcunque, quemcumque, & quandocumque voluerit, ita ut ſequens Chriſtum in moribus ſecuré poſſit de ſeipſo confidere, quod deficiente Prælato Cæſareo, ſit à Chriſto legitimè ordinatus.* Nonus autem error ab eodem Authore ſic refertur. *Wicleffus.* *Conjectura probabilis eſt quod talis, qui recte vivit, eſt Diaconus, vel Sacerdos, ſicut enim conjicio quod iſte eſt Joannes, ſic probabili conjecturà cognoſco quod iſte ſanctè vivendo, conſtitutus eſt in tali officio.* Ex quo conſtat, Joannem Wicleffum negare, Ordinem eſſe verum Sacramentum à Chriſto inſtitutum. Et velle eſſe ſolum quemdam modum vivendi conſtituentem abſque ullà caracteris impreſſione Sacerdotes, eos, qui juſtè & piè vivunt in hoc ſæculo, etiamſi ſint feminei ſexûs.

Eumdem errorem poſteà ſcilicet anno MDXVII. ſuſtinere incepit Lutherus; qui in lib. de Captivit. Babylonica cap. de Ordine, inquit: *Sacramentum Ordinis Eccleſia Chriſti ignorat, inventumque eſt ab Eccleſia Papa.* Et alibi addit: *Ordo non eſt Sacramentum, Lutherus.* *ſed officium, aut vocatio Miniſtrorum; qui ad Eccleſiæ gubernationem vocantur.* Hanc autem vocationem volebat eſſe à Republica cui tantùm concedebat poteſtatem, aut jus deſtinandi ad Officium Sacerdotale, ut diximus in Articulo de Sacerdotibus contra eumdem Lutherum, credentem, quemlibet baptizatum eſſe Sacerdotem, & Miniſtrum in Eccleſia Chriſti virtute Fidei in Baptiſmo ſuſceptæ. Idem docuit Melancthon, Lutheri Diſcipulos, Calvinus verò lib. 4. *Melancthon. Calvinus. Beza.* Inſtitut. cap. 5. num. 3. Et Theodorus Beza in Ordine, & plures alii eidem Impio adhærentes, ſic loquuntur: *Papiſticam Ordinationem nihil aliud reputamus, quàm fœdiſſimas Romani Proſtibuli Ordinationes.* Porrò his Hæreticis nequior fuit quidam Miniſter Anglus, nomine Fulcus, in quodam opere quod edidit in lucem; ubi ait: *Ex toto corde deteſtamur; & conſpuimus Antichriſtianos veſtros Olidos, excalidos Ordines.* Ex quibus verbis ſequitur, omnes præcitatos Hæreticos velle, Ordinationem qua Miniſtri Eccleſiæ initiantur, non eſſe verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, ſed purum figmentum ab Eccleſiaſticis adinventum.

§. I.

In quo probatur Ordinem Sacrum eſſe Sacramentum.

HÆretici damnantur in variis Conciliis, in quibus declaratur, Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum Ordinis, ſicut inſtituit Baptiſmum & alia, quibus utitur Romana Eccleſia pro ſanctificatione Animarum, & præſertim Carthaginenſe quartum *Carthagin.* quod omnes Ordinis gradus deſcribit; & modum quo illorum Ordinatio facienda ſit, decernit. Nam capitibus primo & ſecundo ſuorum Decretorum aſſignat modum, quo ordinandus eſt Epiſcopus. Cap. 3. agit de Ordinatione Presbyteri, cap. 4. de Ordinatione Diaconi, c. 5. de Ordinatione Subdiaconi, cap. 6. de Ordinatione Acolyti, cap. 7. de Ordinatione Exorciſtæ, cap. 8. de Ordinatione Lectoris. Et cap. 9. de Ordinatione Oſtiarii, ut videri poteſt apud Cabaſutium in Notitia Eccleſiaſtica ſæculi quarti, ubi referuntur verba & Canonea hujus Concilii celebrati anno Chriſti CCCXCVIII. Præſide Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi, & Primate totius Africæ, cui interfuerunt ducenti quatuordecim Epiſcopi, inter quos erat D. Auguſt. Epiſc. Hyponenſis. *Chalcedon.* Eamdem condemnationem fecerunt etiam Chalcedonenſe actione 15. can. 2. Bracarenſe II. cap. 2. Florentinum in Decreto Eugenii. Et Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can. 1. ubi habetur: *Si* *Bracaren. II. Florentin.* *quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Chriſto Domino inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentū, Anathema ſit.* Ibi enim declarat, Chriſtum inſtituiſſe ſeptem Sacramenta, & inter ipſa eſſe Ordinem, de quo hìc agitur contrà memoratos Hæreticos. Hancque doctrinam expreſ- *Tridentin.* ſiùs tradit in ſeſſ. 23. cap. 2. ubi ait: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica, alios Ordines, & Majores, & Minores; per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur; Anathema ſit.* Ex quibus ſequitur nedùm contra prædictos Hæreticos, Sacerdotium eſſe verum Sacramentum; ſed etiam præter illud, dari alios Ordines Majores, non Sacerdotio; quo nullus Ordo eſt major, niſi velint, Epiſcopatum eſſe Ordinem à Sacerdotio adæquatè diſtinctum, ſed quatuor illis, qui Minores dicuntur ob comparationem ad Majores, quoſque rejiciunt Græci, qui teſte Guidone Carmelitâ, poſt Ordines Sacros, nullum ex minoribus Ordinibus admittunt, præter Lectorem; alios verò dicunt non debere inter Ordines numerari; cùm inter officia Eccleſiaſtica dumtaxat valeant habere locum. Quòd tamen falſum eſſe patet ex dictis ſuprà, & clariùs patebit ex infrà dicendis.

Inſtitutio Ordinis colligitur ex 1. Epiſt Pauli ad Timoth. cap. 4. ubi Apoſtolus declarat, gratiam conferri ſuſcipienti ſacrum Ordinem per impoſitionem manuum. Nam ipſe Apoſtolus ait Diſcipulo *1. Timot. 4.* ſuo: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Equidem ibi rectè deſcribit aliquod Sacramentum per manuum impoſitionem collatum; quod non poteſt eſſe aliud, niſi Sacramentum Ordinis; quia per Presbyterium intelligit; vel cœtum Presbyterorum; qui cum Epiſcopo imponunt manus ſuper caput illius, qui ordinatur in Presbyterum, vel potius cœtum Epiſcoporum à quibus Timotheus fuerat ordinatus Epiſcopus per impoſitionem manuum, in quocumque autem ex his duobus ipſe Paulus acceperit Presbyterii nomen; ſemper affirmat; hanc impoſitionem manuum eſſe Ordinem à Chriſto inſtitutum; quia ei conveniunt ea, quæ verum Sacramentum conſtituunt: Nam eſt cæremonia ſenſibilis divinitùs, & permanenter inſtituta; in cujus uſu, & exercitio gratia infallibiliter confertur; cùm Paulus declaret; & oſtendat, Timotheum ſuſcepiſſe gratiam per illam impoſitionem manuum, ſeu Ordinationem Sacerdotii. Aliundè certum ſit nullam rem ſenſibilem poſſe gratiam conferre, niſi fuerit à Chriſto elevata; & electa in ſignum gratiæ inviſibilis, hoc eſt, in Sacramentum.

Eumdem effectum expreſſiùs declarat in Epiſt. 2. ad eumdem cap. 1. verſ. 6. dicens illi: *Admoneo te,* *Ordo confert gratiā.* *ut reſuſcites gratiam Dei; quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Ibi enim ſignificat, Timotheum per impoſitionem manuum tàm ſuarum, quàm Presbyterii, ſeu cœtus Presbyterorum recepiſſe unà cum Ordine Presbyterali, aut Epiſcopali, gratiam, non tantùm gratis datam, ut fingunt nonnulli Hæretici, ſed gratiam ſanctificantem, quæ eſt à charitate indiſtincta juxtà doctrinam Doctoris Subtilis. Quòd utique non obſcurè declarat idem Apoſtolus dum in verſu ſequenti ſubdit: *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis, dilectionis & ſobrietatis,* ſeu charitatis habitualis, quæ non eſt gratia gratis data,

Ooo

ſed habitûs gratiæ ſanctificantis ; itaque Ordo, qui per impoſitionem manuum Presbyterii , ſeu cœtus Presbyterorum ſignificatur , eſt verum Sacramentum ; cùm ſit ſignum gratiæ ſanctificaotis, & quodlibet ſigoom ſignificaus , & conferens ipſam gratiam ſit verum Sacramentum , ut ex definitione Sacramentl ab omnibus tradita , & approbata , manifeſté cooſtat : vera qoippè & eſſentialis definitio non convenit aliis à definito , ut tradunt communiter Dialectici.

Kemnitii inſtantia. Nonnulli Hæretlci & præcipuè Kemnitios ut hanc rationem Infitment & oſtendant Ordinis inſtitutionem non poſſe colligi ex Scriptura , dicunt , Apoſtolum per illam gratism datam Timotheo per impoſitionem manoum, intelligere Prophetiam, quæ eſt donum gratis datum , quo quis vel futura prænuntist, vel detegit abſcondita.

Sed hæc reſponſio eſt falſa. Quia Apoſtolos per Prophetiæ nomen ibi appoſitum , intelligit vel revelationem ſibi factam de ordinando Timotheo in Epiſcopum, qui fortè ordinatus fuit à Paulo, ſic revelante Deo , vel potiùs divinam & ſupernaturalem operationem , quà in Ordinatione ſanctificatus fuit ipſe Timotheus , quæ quidem operatio non eſt de genere gratiarum gratis datarum , ſed de genere habituum infuſorum. Nec debent Hæretici hanc expoſitionem rejicere , imò laudare esm , & recl-
Vana eſt Kemnitii inſtantia. pere debent , quia in Scriptura Sacra operstio miraculoſa , Prophetia vocatur , ut patet in lib. Eccll. cap. 48. Er lib. IV. Reg. cap. 13. ubi mortuum reſſuſcitare , prophetare dieitur , quamvis hujuſmodi operatio non ſit propriè , nec rigoroſè Prophetia. Vel exiſtimo , Apoſtolum per Prophetism ſignificaſſe formsm Sacraoentl , ſeu myſticum ſermonem , qui ſimul cum impoſitione manuum adhibetur. Nam ipſe Apoſtolus ſolet appellate Prophetism omnem ſermonem divinitùs traditum , ut facilè colli-
1. Cor. 14. gitur ex illo 1. ad Corinth. cap. 14. verſ. 3. *Nam qui prophetat , hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem , & conſolationem.* Ex quibus certum eſt, Apoſtolum ibi per Propheriam potuiſſe intelligere divinum ſermonem,aut divinorumMyſteriorum explicationem , non verò Prophetiam , quæ eſt donum gratls datum , quo quis futura prænuntiat. Et ideò nulla eſt ratio Hæreticorum ; cùm ex noſtra expoſitione conſtet , Apoſtolum locutum fuiſſe de gratia habituali collata Timotheo per impoſitionem manuum Presbyterorum , ſeu per Sacram Ordinatio-
D. Auguſt. nem , quæ eſt verè Sacramentum Domini , lnquit D. Auguſtinus lib. de bono conjugali , cap. 54.

Eadem veritas Catholica de Inſtitutione Ordlnls Sacri ſuadetur ex veterl Teſtamento , in quo legimus quòd in Lege Moſayca, Sacerdotium erat cæxemonia externa divinitùs lnſtituta conferens homini ſanctitatem quamdsm legalem , nec-non & inaugurationem ad Sacrum Miniſterlum peragendum. Tunc enim ad Miniſterium Tabernaculi varii Ordines , diverſique gradus fuerunt à Deo inſtituti , ità ut unus eſſet Pontifex , aut Summus Sscerdos , alii Sacerdotes minores, alii Levitæ , qui etſi Sacerdotes non eſſent , Altari tamen miniſtrabant. Ho-
Sacramentū Ordinis in Lege veteri figuratum. rum omnium officia deſcribuntur in lib. Exodi , ubi alia officia , aliaque veſtimenta Summo Sacerdoti , alia inferioribus Sacerdotibus tribuuntur. In libro Levitici habetur de Ritu conſecrationis , in quo & ſi unus omnium Levitarum conſecrationis Rims deſcribitur ; diverſa tamen illis deſcribuntur officia. Hoc igitur ſuppoſito in Lege antiqua nullus Hæreticorum poteſt negare Sacerdotium in nova , & Evangelica Lege eſſe Sacrameotum ; nam ut inquit Paulus ad Hebr. Lex Moſayca , ejuſque Sacrificia & Sacramenta erant figuræ eorum , quæ ſnnt in novo Teſtamento , quia Apoſtolus affirmat quòd Lex antiqua ombram habebat futurorum bonorum ; hoc eſt , quòd Sacerdotium veteris Legis erat umbra noſtri Sacerdotil. Undé cùm ab umbra ad ſuum corpus , & à figura ad correſpondentem ſibi rei veritatem , optimum & efficaciſſimum ſic Argumentum , certum eſt quòd Sacerdotium noſtrum , eſt Sacramentum perfectius & efficacius Sacerdotio Aaronico , io quo figurabatur Sacerdotium futurum , ſicut Baptiſmus lo Circumclſione , idcircò ſi per Hæreticos in veteri Lege fuit tantus Ordo , tamque diſtinctus , nec-non Ordinis futuri umbra , & figura ; fateri debent etiam in Lege nova eſſe verum Ordinem Sacrum, quod ſit verum, reale , proprlum , atque effectivum Sacramentum inſtitutum à Chriſto , qui non venit ſolvere Legem , ſed adimplere & omnia perficere , ut recederent vetera , & nova eſſent omnia. Ideo nos verum habemus Sacerdotium à Sacerdotlo veteri longè diverſum , claréque diſtinctum , eorum ſcilicet qui miniſtrant io Altari , ubi nunc Euchariſtia conſecratur , niſi velint Sacerdotium in nova Lege, eſſe minoris ſanctitatis , & dignitatis, quàm in Lege Moſayca, & Eccleſiam Chriſti eſſe confuſiſſimam quamdam Babylonem , in qua nullus ſit Ordo : atqui nollus Hæreticus hoc hucuſque auſus eſt dicere : Ergo ln Eccleſia Chriſti dstur Ordo , qui eſt verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum , quo ſpiritualis poteſtas ordinato tribuitur ad ritè peragendum aliquod miniſterium circa divinam Eochariſtism conficiendam , vel minlſtrandam ; cùm Eccleſia Fidelium ſit ſanctior , & perfectior Synagogâ , habeatque non in figura , ſed in rei veritate corpus Domini , qui nequit ex pane confici , niſi per virtutem hominibus datam Deo per aliquod ſignum ſenſibile , quod ſimul cum gratia conferat hanc poteſtatem conſecrandl ; alioquin nulla eſſet diſtinctio interna inter Sacerdotes & Laicos. Vel ſi eſſet aliqua , eſſet purè hnmana. Quod eſt falſum , nam Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 6. affirmat quod Deus Apoſtolos idoneos fecit novi Teſtamenti Miniſtros.

Non parum juvat afferre Teſtimonium Sanctorum Patrum , qui conſtanter tenent gratiam ſanctificantem conferri per manûs impoſitionem , & *Teſtimoniū SS. Patrum.*
ordinationem velut per verom novæ Legis Sacramentum. Nam Divus Dionyſius Areopagita lib. de Eccleſiaſtica Hierar. cap. 5. ait : *Antiſtitum ſeu Epiſcoporum Ordinem eſſe per ſe ſufficientem : Sacerdotum verò illuminantem , inferiorem verò Miniſtrorum purgantem , & diſcernentem.* Ex quibus colligitur *D. Dionyſ.*
gratlam ſanctificantem , & ioternam eſſe effectum Ordinis , qoia ibi ille Sanctus Doctor loqultur de Ordinatione , & de Ritu Ordinaodorum , illiuſque efficacitatem explicat , & ei collationem gratiæ non denegat. Idem lnfertur ex Divo Ambroſio de dignitate Sacerdotii cap. 4. ubi quemdam frattem ſuum , ſic interrogat : *Quis dat , frater , Epiſcopalem gratiam ? Deus an homo ? Reſpondes ſine dubio , Deus. Sed tamen per hominem* *D. Ambroſ.*
dat Deus. Homo imponit ſimplicem dexteram , & Deus benedixit Potenti dexterâ. Epiſcopus initiat Ordinem , & Deus tribuit Dignitatem. Ibl enim expreſsè docet lpſe Divos Ambroſius , Ordinem eſſe à Deo dstum tanquam ſignum , quo confertur gratis , & tribuitur maxima dignitas. Undè D. Auguſt. de Ordine diſcurrit ſicut de Baptiſmo, ſaltem in Ordine ad gratiam & in genere Sacramenti lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas , ubl loquens de eodem Baptiſmo & Ordine , inqult : *Utrumque enim*

Digitized by Google

D. Auguſt. *Sacramentum eſt, & quadam conſecratione homini datum, illud cùm baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideò non licet in Eccleſia Catholica, utrumque iterari.* Sanè per hæc verba Divus Auguſtinus expreſsè docet, Ordinem convenire cum Baptiſmo in collatione caracteris Sacramentalis, & per conſequens Ordinem eſſe Sacramentum, ſicut Baptiſma, quia caracter non poteſt eſſe effectus, niſi ſit effectus Sacramenti; cùm ex Conciliis, & præſertim ex Tridentino; & ex SS. Patribus, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimant caracterem, & nequeant iterari, ideóque Ordinatio quâ Miniſtri Eccleſiæ initiantur, eſt verum & propriæ dictum novæ Legis Sacramentum, ſicut Baptiſma, quod non poteſt iterari. Et confert caracterem ſicut Baptiſma, qui quidem caracter ſolitò ſimul cum gratia ſanctificante confertur.

In Eccleſia Chriſti ſeptem dumtaxat admittendi ſunt Eccleſiaſtici Ordines propriè dicti, quorum tres ſunt Sacri, & dicuntur Majores, cæteri verò non Sacri, & dicuntur Minores; quidquid dicant Græci qui, teſtantibus Guidone Carmelitâ, Prateolo, & aliis Scriptoribus; poſt Ordines Sacros, nullum ex minoribus Ordinibus admittunt præter Lectorem; quem credunt Ordinis initiatum Sacramento. Nos autem admittimus cum Tridentino loco citato Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtam, Acolytatum; Subdiaconatum; Diaconatum; & Presbyteratum, ut jam etiam diximus in Concilio Carthaginenſi ſuprà citato. Et in can. Apoſtolorum 41. 42. & ſequentibus; in quibus de prædictis Ordinibus fit mentio ſolemnis, eorumdemque perfecta diviſio.

De numero Ordinum.

His ſuffragatur perennis Eccleſiæ praxis. Nam D. Damaſus refert in ſuo Pontificali conſtitutionem Caii Papæ & Martyris, qui creatus fuit anno CCLXXXIII. In qua ipſe Damaſus ſic ſcribit de Caio: *Conſtituit ut omnes Ordines in Eccleſia ſic aſcenderent, ſi quis Epiſcopus fieri mereretur; ut eſſet Oſtiarius, Lector; Exorciſta; Acolytus, Subdiaconus; Diaconus, Presbyter, & exindè Epiſcopus ordinaretur.* Idem priùs decreverat S. Cornelius Papa & Martyr creatus anno CCLIV. qui teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 43. ſic ſcribit ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, ut eum admoneret, & declararet illis, Miniſtros qui ſuo tempore erant in Eccleſia Romana, ſeu *Presbyteros quidem eſſe quatuor & quadraginta, Exorciſtas, & Lectores, cum Oſtiariis quinquaginta-duos.* Indè tamen non licet inferre, Acolytatum, Subdiaconatum, & Diaconatum non eſſe Ordines, quia licet de illis nulla fiat mentio. eſt tamen alibi, omiſſio unius non impugnat affirmationem alterius, hoc eſt, qui omittit aliquid; non impedit quominùs alter poſſit illud admittere. Nam S. Lucas poſuit tantùm quatuor Beatitudines; tamen D. Matthæus poſuit octo, ità nullus poteſt inferre, Ordines à Cornelio Papâ omiſſos, non eſſe verè & propriè Ordines, cùm affirmetur ab aliis Summis Pontificibus hic ſeptemnarius numerus Ordinum.

Conſtitutio Apoſtolica.

Favent pariter omnium Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, & præſertim S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis lib. 7. Etymologiarum cap. 12. Venerabilis Beda in collectaneis cap. 10. de ſeptem Ordinibus. Alcuinus lib. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 9. & alii quamplurimi quibus adhærent omnes Theologi cum Magiſtro Sentent. lib. 4. diſtint. 24. ubi diſtinctè ſingulorum Ordinum munus & dignitatem explicat. Nec poſſunt Græci excludere juſtâ causâ quatuor minores Ordines, quia plures SS. Patres Græci commendant eos Ordines quos modò Græci excludunt, ut conſtat ex S. Ignatio Diſcipulo S. Joannis Evangeliſtæ, qui in Epiſtola ad Antiochenſes ait: *Saluto ſanctum Presbyterum veſtrum; ſaluto ſacros Diaconos veſtros; ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios; Laborantes, Exorciſtas, atque Confeſſores.* Idem habetur apud alios Scriptores antiquiſſimos, quos Eccleſia Græca veneratur. Nec obſtat dicere, quod ſi recipienda ſit Epiſtola S. Ignatii Martyris, ſunt plures quàm ſeptem Ordines, quia in ipſa Epiſtola fit mentio de Cantoribus, de Laborantibus, de Confeſſoribus; de Cuſtodibus; & aliis Officiis, quæ tamen inter Ordines non numerantur in Eccleſia Latina, neque in Græca. Non obſtat, inquam, quia numerando Ordines, qui per ſe referuntur ad Euchariſtiam, ſive conficiendam; ſive diſpenſandam; numerant alia, quæ expectant ad aliqua charitatis; vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ; vel Religionis officia; quin intendant ea numerare velut Ordines verè & propriè dictos; idcircò hoc non infirmat Patrum aſſertionem de minoribus Ordinibus, nec poſſunt indè inferre Græci Acolytatum; V. G. non eſſe Ordinem, licet officium Laborantium, Cantorum &c. non ſint Ordines. Quia hæc poſteriora officia non expectant ad aliquem ex Ordinibus Eccleſiaſticis propriè dictis, quibus Clerici à Laïcis diſtinguuntur, quique ad Euchariſtiam aliquò modo ordinantur, quia Laborantes, Cantores; Cuſtodes Martyrum, Notarii, & ſimiles non erant verè Clerici, ſed tantùm Officiales, quia non ordinabantur ad Sacram Euchariſtiam ſivè conficiendo, ſivè diſpenſando eam, ſicut ordinabantur Oſtiarii; Exorciſtæ, Acolyti, ſimul cum Lectoribus. Minùs obſtat dicere quod SS. Patres, interdùm vocant Clericos eos, qui hujuſmodi pietatis officia exercent. Quia non vocant eos Clericos propter Ordines ſuſceptos; ſed quia plurimùm comitabantur Clericis jam ordinatis. Qui autem majorem notitiam deſiderat, de natura, & officiis Ordinis. Ordinandorumque qualitatibus, videat Theologos Scholaſticos, qui fusiùs de natura, & numero Ordinum diſcurrunt, ad ſtatum quidem noſtrum tantùm attinet Dogmata Fidei referre; eaque à calumniis Hæreticorum liberare.

D. Iſidorus. *Beda.* *Alcuinus.* *S. Ignat. M.*

§. II.

In quo ſolvuntur Argumenta hæretica.

HÆretici volunt, Ordinem non eſſe Sacramentum ſicut Baptiſma, & Euchariſtia, quia non ordinatur ad ſanctificationem ſuſcipientis, ſicut Batiſma, neq; ut Sacratiſſima Euchariſtia. Idque probant ex eo quod Ordo, ſi fuerit à Chriſto inſtitutus, fuit propter ſanctificationem populi; cujus curam habent Eccleſiæ Miniſtri; ut luculenter ſignificat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 4. ubi ait de ſe, & aliis Sacerdoribus: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*; id eſt Sacramentorum, ut explicat Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2.

Hæreticorũ novatorum Argumentũ

Sed non valet hæc ratio, quia ordinatio nedum tendit in aliorum ſanctificationem per Sacramenta conferendam, ſed etiam ad dignam adminiſtrationem Sacramentorum; quæ cùm non poſſit licitè fieri abſque gratiâ ſanctificante ipſum Miniſtrum, ſequitur quod tendit per ſe, ſaltem ſecundariò ad ſanctificationem illius, qui ipſum Ordinem ſuſcipit. Deinde Ordo confert gratiam, & Spiritum S. ut jam dixi ſuprà. Hocque verum eſſe patet ex praxi Apoſtolorum, qui, referente Scripturâ, diſponebant ſe per jejunium & orationem ut dignè imponerent manus ſuper eos, quos ordinabant, & mittebant ad prędicandum Evangelium. Nam ſi in collatione Ordinis nulla infunderetur Gratia, non eſſet opus tantâ præparatione ex parte conferentis, neque ex parte ſuſcipientis Undè Paulus admonens Timotheum nè leviter aliquem ad Sacerdotium promoveret; quin priùs diligenter perſonarũ ordinand. meritum examinaret,

Rejicitur Hæreticorũ Argumentũ

ſic ait: *manuscitò neimini impoſueris*. Hęc autem admonitio oſtendit, Apoſtolos credidiſſe, gratiam Spiritûs S. conferri iis, quos ad Sacros Ordines promovebant. Probabile quidem eſt quód jejunabant & orabant, ut ſic pararentur ad gratiam Spiritûs S. conferendam, quia adhibebant eamdem diſpoſitionem in qua erant, dum expectabant Spiritum-Sanctum. Undè cùm præparatio fiat ad conſequendum effectum, & eadem præparatio, licet in diverſis ſubjectis ſit, ad eamdem formam, ſeu ad eumdem effectum tendat, dicendum eſt quòd Spiritus S. deſcendit ſuper Ordinatos, cùm debeant diſponi ſicut Apoſtoli expectantes Spiritum-S. qui perſeverabant unanimiter in oratione.

Altera Hæreticorum ratio.

Dicent inſuper, Inſtitutionem Apoſtolorum in Sacerdotes, & Epiſcopos, non fuiſſe Sacramentum diſtinctum ab Inſtitutione Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti in ultima Cœna; cùm facta fuerit à Chriſto ſine ullo ritu externo, & indè inferunt in Miniſtris Eccleſiæ Chriſti, nullum eſſe diſtinctum characterem, nullumque Sacramentum Ordinis à Baptiſmo, vel ab Euchariſtia diverſum.

Huic rationi reſpondeo negando ſuppoſitum. Certum enim eſt quòd Eccleſia in conſecratione Sacerdotum, non uteretur cæremoniis, quibus utitur, quæque ſunt diverſæ ab illis, quibus utitur in confectione, & in adminiſtratione Euchariſtiæ, niſi fuiſſent præſcriptæ, & ordinatæ à Chriſto inſtituente Apoſtolos, Sacerdores, & Epiſcopos. Deinde Chriſtus Dominus dum in Cœna noviſſima inſtituit Apoſtolos in Sacerdotes, uſus eſt externâ cæremoniâ, præbuit eis panem & calicem conſecratum, uſus eſt etiam his verbis Luc. 22. verſ. 19. *Hoc facite in meam commemoratio[illegible]*: igitur tunc nedum inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, convertendo panem in Corpus ſuum, & vinum in Sanguinem; ſed etiam inſtituit Sacramentum Ordinis, quia dedit Apoſtolis poteſtatem conſecrandi, & faciendi quod ipſe fecerat. Aliud quidem eſt poteſtas operandi, & aliud res operata. Euchariſtia eſt Sacramentum quod nequit confici niſi per poteſtatem in alio Sacramento collatam.

Ejuſdem rationis ſolutio.

Tandem ratio Hæreticorum poteſt abſolutè negari; quin ipſis liceat inferre, Ordinem non eſſe Sacramentum, quamvis concederemus, Chriſtum Dominum ſine ullo ritu externo inſtituiſſe Apoſtolos in Sacerdores, & Epiſcopos. Argumentum hujus rei eſt. Quia authoritas Chriſti non erat miniſterialis, ſeu inſtrumentalis, ſed principalis, nec dependebat à ſignis externis, idcircò poterat ſine ſigno externo ſuos ordinare Apoſtolos, & velle Apoſtolos ordinare alios in Sacerdores per ſignum ſenſibile & externum ſeu Sacramentum, quemadmodum remiſit Magdalenæ peccata ſine ulla forma abſolutionis Sacramentalis, & voluit quod Sacerdotes remitterent ea peccatoribus confitentibus, mediante forma Abſolutionis conſiſtentis in his verbis: *Ego te abſolvo.*

Altera Argumenti contrarii ſolutio.

Quantum ad pluralitatem Ordinum, ſeu ſeptemnarium numerum, dicunt quòd implicat. Quia inde ſequeretur, in Eccleſia eſſe plus quàm ſeptem Sacramenta. Quòd eſt contra Sacram Scripturam. At hæc ſequela eſt falſa, quia licet quilibet ex ſeptem Ordinibus numeratis, ſit verum Sacramentum, eò quòd quilibet cauſat gratiam, & characterem; cùm quilibet tradat quamdam poteſtatem in Eccleſia Chriſti, conſtituat Clericum, eumque à Laicis diſtinguat, tamen unicum Ordinis Sacramentum dici poſſunt, quia omnes Ordines inferiores Sacerdotiô, tendunt ad ipſum ut ad principale miniſterium; cùm omnes tendant ad Euchariſtiam ritè & convenienter peragendam, quæ cùm ſit una, unumque Sacramentum, ad quod ordinantur omnes Ordines mediaté, vel immediatè, ſequitur quòd omnes Ordines ſunt unum Sacramentum ratione unitatis Ordinis, quam inter ſe habent, & finis ad quem tendunt: equidem ex fine ſpecificantur ea, quæ ordinantur ad illum regulariter, & ſubordinaré. Hinc eſt quòd Sacramentum Ordinis, quod non eſt totum integrale, vel univerſale, ſed potentiale, habet totam plenitudinem ſuam in Sacerdotio: in aliis verò Ordinibus inferioribus eſt quædam participatio illius, major, vel minor ſecundùm quod magis, vel minùs ad Sacerdotium accedunt. Idque probatur exemplo Euchariſtiæ, quæ licet tàm calicem, quàm panem conſecratum contineat, & ſeorſim ab invicem panis & vinum veram & eſſentialem rationem Sacramenti obtineant, non tamen propterea dicimus, Euchariſtiam eſſe multiplex Sacramentum, ſed unum, ut ſancit Tridentinum Concilium, quod dum ſeptem Eccleſiæ Sacramenta deſcribit, Euchariſtiam tanquam unum comprehendit. Hujus immultiplicabilitatis ratio alia non eſt, niſi quia utraque ſpecies, ſcilicet panis & vini, ad unionem, ac perfectam ſpiritualé animæ refectionem, ordinatur, & id, quod eſt ſub una, eſt idem ſub alia, ut docet fides. Ita licet omnes, & ſinguli Ordines ſuprà memorati ſeorſim ſumpti, viderentur eſſe Sacramenta prorsùs diverſa, tùm ratione formæ, tùm ratione materiæ, tamen non efficiunt diſtincta Ordinis Sacramenta, quia omnes ordinantur ad unum & eumdem finem, hoc eſt, ad ſolemnem Euchariſtiæ conſecrationem, quæ ut debito, & congruenti apparatu fiat, hanc Ordinum exigit diverſitatem. Nec valet dicere quòd cætera Sacramenta non multiplicantur, quamvis ordinentur ad conferendam gratiam ſanctificantem, vel ejus augmentum, & cauſent gratiam ſpecialé, quæ dicitur Sacramentalis. Quia Baptiſmus & alia Sacramenta ordinantur ad aliquos effectus percipiendos; quin inter ſe habeant aliquam connexionem, diſtinctos quidem fines habent Sacramenta. Sed Ordo confertur ad exercendos actus ſubordinatos, & reſpicientes mediatè, vel immediatè eumdem finem, idcircò juxtà diverſitatem actuum ſubordinatorum diſtingui debent diverſi Ordines, per quos confertur poteſtas ad conſequendum finem, & ad peragendum effectum Principaliorem, quia potentiæ debent multiplicari juxta multiplicationem actuum diverſorum, & debent adunare venientes actus Principaliores ad eum, ad quem alii ſubordinantur, unamque conſtituere poteſtatem, quoniam partiales ſunt.

Refutatur Inſtantia qua Ordinũ pluralitatẽ impugnat.

Ratio ob quam Ordo multiplicatur.

ARTICULUS LVIII.

Aſſerit contra Saturninum, Nuptias eſſe licitas.

CONtra matrimonium, aut Nuptias plures inveniuntur Heretici, quorum primus eſt Saturninus genere Antiochenus in Syria, ſcholæ Erroris & Impietatis Inſtitutor, qui, teſte D. Irenæo, docuit tempore Trajani Imperatoris, & Evariſti Papæ circà annum CXVIII. & propugnavit Nuptias, & generationem ex Dæmonis inventione eſſe. Hunc Hæreticum ſecuti ſunt Heracleonis perfidiæ Succeſſores, qui anno CLV. ſub Antonino Philoſopho Imperatore, & Pio primo dixerunt, Nuptias eſſe illicitas, omneſque illos peccare, qui Nuptiarum fœdera inter ſe jungunt. Anno autem ſequenti inſurrexit Marcion Natione Ponticus, qui teſte S. Irenæo lib. 1. adversùs hæreſ. c. 29. & lib. 4. c. 57. eumdem errorem publicavit velut verum Dogma. Marcioni verò adhæſit Tatianus, Sancti Juſtini Martyris Diſcipulus,

Saturninus

Heracleonita.

Marcion.

Tatianus.

ſaltem antequam in errorem laberetur, & à Doctrinâ Magiſtri ſui recederet. Nam hic Hæreticus ſub Marco Antonino Imperatore, & Sotero Papâ circa annum Domini CLXXVII. continentiam prædicabat ad ſalutem omnium neceſſariam, nuptias autem ſcortationem, & corruptionem putabat, aſſerens nihil differre matrimonium à ſcortatione, ſed cum ipſa unum & idem eſſe, ut notat Philaſtrius, qui addit Tatianum, prætextu continentiæ, & continentium morum, nequiſſimam vitam duxiſſe, velut lupum rapacem ovila pelle indutum, & temporario prætextu deceptos ſeducentem, plures ad ſuam Sectam traxiſſe, ut nuptias calumniarentur, eaſque ut diabolicas rejicerent. Tatianum poſteà ſcilicet anno CLXXVIII. ſecuti ſunt Encratitæ, (qui ex D. Hieronymo in Comment. ſuper Prophetam Amos, ex *Encratita.* D. Irenæo lib. 1. adverſus Hæreſ. cap. 30. ex D. Epiphanio lib. 1. contra octoginta hæreſes) ex eodem Tatiano exorti ſunt.

Anno autem CXCIX. tempore Ærii Pertinacis Imperatoris, & Victoris Papæ primi inſurrexerunt *Adamita.* Adamæi, ſive Adamiani, vel Adamitæ, ſic dicti, teſte D. Epiphanio loco citato, à quodam Adamo ludubrii magis, quàm veritatis Dogma habente, qui omni pudore depoſito, nudus ſuos ritus obibat: ipſius enim doctrinâ omnes Adamiani nudi velut ex matre, tum viri, tum feminæ ſimul conveniebant, & aggregabantur in Templo orationis, ſicque lectiones, & preces, & quodcumque tandem aliud perficiebant, & credebant, nuptias eſſe malas, eaſque execrabantur, & improbabant velut rem diabolicam, ad quam ſolus Satan provocabat homines. Eorum ratio erat, quia ſi Adam non peccaſſet, nullæ futuræ fuiſſent nuptiæ. Et inde volebant copulam carnalem eſſe effectum peccati, & productionem Diaboli, Parentes noſtros ad peccatum provocantis. Ita præter Divum Epiphanium, referunt Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 6. Et Divus Auguſtinus lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum.

Eumdem errorem contra nuptiarum ſanctitatem promulgavit, poſtea, ſcilicet anno CCLXXIII. tempore Aureliani Imperatoris, & Fælicis hujus nominis primi Papæ, quidam Vir hæreticus natione Per- *Manichæi.* ſa, nomine Manes, Author Manichæorum, de quo ſatis fuſiùs locuti ſumus in ſecundo articulo hujus operis, qui dicebat nuptias eſſe prorsùs illicitas, & omni pœnâ dignos, eos qui nuptias contrahunt. In eodem errore fuerunt circa annum CCCXLII. tempore Conſtantini Magni Imperatoris, & Julii Primi *Ærius.* Summi Pont. Æriani ſic dicti ab Ærio viro hæretico, qui damnabat nuptias, quæ ex lege fiunt; velut illicitas; aſſerebat utique eas non eſſe à Chriſto inſtitutas, ſed à Diabolo. Quapropter ad ſuam communionem admittebant continentes dumtaxat, ut teſtatur D. Auguſt. His omnibus Hæreticis ſe junxit Priſcillianus natione Hiſpanus, Epiſcopus Abulenſis, qui *Priſcillianus.* Eccleſiam perturbavit tempore Valentiniani II. Imperatoris, & Syricii Papæ circa annum Domini CCCLXXXVIII. per varias hæreſes, quarum una erat contra nuptias: damnabat enim eas velut illicitas, ut teſtantur plures Scriptores poſt D. Auguſt. *Albanenſes* Addenda eſt inſuper huic Catalogo Secta Albanenſium prædicantium anno DCCXCVI. ſub Conſtantino VI. & Leone III. matrimonium malum eſſe. *Durandus de Waldach* Albanenſibus ſe adjunxit quidam Hæreticus natione Hiſpanus, nomine Durandus de Waldach, qui anno Domini MCXVII. regnante Henrico V. Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Paſchali II. docuit in partibus Aragoniæ plures hæreſes, inter quas una aſſerebat, nuptias nihil aliud eſſe, quàm occultum, & toleratum meretricium. Sed tandem ejus hæreſes damnatæ fuere per Epiſcopum Gerumdenſem, & Arnaldum Burgenſem Fidei Inquiſitorem. Et ipſe Durandus velut impœnitens Igni traditus, & exuſtus fuit. Hic convenit reponere Davidgeorgium, qui anno MDXXV. ſub Carolo V. & Cle- *Da: iðgeo- gius.* mente VII. ut novus Propheta fuit in Friſia acceptus, & improbavit matrimonium, volens omnes mulieres eſſe communes.

§. I.

In quo probatur Matrimonium eſſe licitum; & honeſtum.

HAnc hæreſim damnant plura Concilia, inter quæ ſunt Grangrenſe celebratum ſub S. Sylveſtro Papâ circa annum CCCXXV. in Aſia. Nam hoc Concilium cap. 14. ſuorum Decretorum habet: *Concilium Grangrenſe* *Si qua mulier, derelicto viro, diſcedere voluerit ſoluto vinculo conjugali, nuptias damnando, Anathema ſit.* Quibus verbis patet, matrimonium eſſe rem legitimam & ſanctam, à qua nullus conjux poteſt recedere. Idem definitum fuit in Concilio Bracatenſi *Bracarenſe.* cap. 11. celebrato anno Domini DLXIII. ſub Joanne III. Romano Pontifice, per Epiſcopos Comprovinciales in civitate Bracatenſi, quæ eſt civitas Metropolis Hiſpaniæ Luſitanicæ. In quo Concilio damnata fuit Priſcillianiſtarum hæreſis cum multis aliis aliorum hæreticorum erroribus tunc per univerſam Hiſpaniam ſparſis. His Conciliis licet addere Tri- *Tridentinū.* dentinum declarans in ſeſſ. 24. matrimonium fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino, ac proindè eſſe rem licitam & ſanctam, quia quæ à Chriſto ſunt, recta, atque ſancta ſunt.

Tandem nuptias eſſe licitas ſancitur in can. 12. diſt. 30. ubi habetur: *Si quis nuptias in accuſationem duxerit, & mulierem fidelem, ac religioſam, cum viro ſuo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accuſandam, tanquam non poſſe conjugatos in Regnum Dei ingredi. Anathema ſit.* Etenim ex his verbis ex Concilio Grangrenſi deductis, inferendum eſt, nuptias eſſe licitas & honeſtas.

Ut autem hæc veritas demonſtretur hæreticis, ſufficeret ipſos admonere quòd exiſtunt ex nuptiis, & generati ſunt ex ſemine viri; cùm nulla alia ſit generationis via. Etenim ex hac conſideratione condemnarent ſeipſos, vel nuptias approbarent. Quia *Validū contra Hæreticos argumentum.* ſi ſe legitimos putent, neceſsè eſt ipſis credere, nuptias undè exierunt; eſſe bonas & honeſtas, quia ſi credant ipſas nuptias eſſe abominabiles, neceſsè eſt etiam quòd dicant ſe eſſe abominabiles, quoniam quidquid à re abominabili venit, abominabile eſt. Nihilominùs convincendi ſunt authoritate Sacræ Scripturæ. Et primò eâ, quæ eſt in lib. Geneſ. cap. 1. in quo legitur quod Deus eſt nuptiarum Inſtitutor, qui permiſit eas primis Parentibus, quibus dixit *Creſcite, multiplicamini, & replete terram.* Et in cap. 2. verſ. 18. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*; hoc eſt, demus ei uxorem. Nam ſi nuptiæ eſſent malæ & illicitæ, certò Deus eſſet malorum Author, quia dum hæc verba protulit, ad rem illicitam, malam & inhoneſtam impuliſſet maſculum & feminam, Adam & Evam. At hoc de Deo dici non poteſt, quia non eſt Tentator malorum, nec ad peccatum Provocator, ideoque nullus dicere poteſt citra hæreſim, quòd nuptiæ ſint malæ, & à Diabolo inventæ, ut dixerunt Adamiani, & alii hæretici ſupra memorati; cùm Deus hæc verba; *creſcite & multiplicamini*, dixerit primis Parentibus antequam peccarent, ut conſtat ex Hiſtoria Sacra.

Ne autem hæc multiplicandi permiſſio refeſatur ad ſolos Parentes noſtros in ſtatu innocentiæ exiſtentes, ut de facto eam referunt nonnulli

Digitized by Google

Hæretici ex illis, qui ſupra memorantur, advertendum eſt, Chriſtum eamdem nuptiarum inſtitutionem approbaſſe *Joan. 2.* Joan. cap. 2. ubi legitur quod ipſe Chriſtus, factô ſuô, & exemplô manifeſtè probavit inſtitutionem Nuptiarum, eſſe bonam & licitam, quippècùm eas, ſua, ac Deiparæ Virginis, & Diſcipulorum præſentiâ, necnon & primo miraculorum ſuorum cohoneſtare voluerit, nullus poteſt, citrà hæreſim, eas improbare tamquam res illicitas, inhoneſtas, malas, & prohibitas Chriſtianis; alioquin Chriſtus hos conjuges improbaſſet, eoſque ejeciſſet, ſicut ejecerat ementes, & vendentes in templo.

Alium pro hujus rei veritate firmanda, & Nnptiis licitis declarandis habemus textum *Matth. 19.* Matth. 19. verſ. 4, & ſequentibus ubi legitur, quòd ipſe Chriſtus reſpondens Phariſæis quærentibns, an liceret dimittere uxorem propter aliquam cauſam, dixit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hæc quippe verba ſatis manifeſtant, ſtatum conjugalem eſſe bonum atque licitum, cùm conjuges teneantur cohabitare ſimul, & unusquiſque à peccato, & malo fugere teneatur. Heretici tamen tentant ſeparare quod Deus conjunxit: igitur peccant contra doctrinam Chriſti, qui vult virum permanere cum uxore ſua. Quòd certò non vellet, ſi malum eſſet, atque illicitum viro habitare cum uxore ſua, cum qua eſt una caro: vultque quod faciamus bonum, & declinemus a malo.

Nuptias licitas eſſe & bonas contra Tatianos, Marcionem, Encratitas, Manichæos, & alios Hæreticos plurima D. Pauli teſtimonia evincunt: 1. ad *1. Corint. 7.* Corinth. cap. 7. *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere.* Et infra, *ſolutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo non peccavit.* Sanè hoc teſtimonio aliud evidentiùs haberi non poteſt; id enim quod Dominus præcipit, quodque ſine peccato haberi poteſt, eſt licitum, & bonum, hoc quidem teſtimonió ſignificatur, conjuges debere inter ſe uniri, ſicut Chriſtus unitur Eccleſiæ, quia dilectionis munus, eſt amantium corda unire. Itaque bonum & licitum eſt conjugium, cùm (Deo ſic ſtatuente) uxor non poſſit ſine peccato a viro ſuo diſcedere; nec peccet virgo ſi nubat. Et ad Epheſ. cap. 5. idem Apoſtolus præcipit mutuam inter conjugatos dilectionem, dicens in verſ. 25. & *Epheſ. 5.* ſequentibus. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Et ad Timoth. cap. 4. ait: *Spiritus* *Timoth. 4.* *autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere.* Per hæc quidem verba Apoſtolus damnat eos, qui nuptias prohibent tamquam malas, & illicitas, ut de facto eas prohibent Hæretici, quos hîc impugnamos. Idem damnationis judicium fert in cap. 13. verſ. 4. ad Heb. ubi ait. *Honorabile connubium in omnibus, & Thorus immaculatus.* Quia ibi vult, nuptias eſſe laude dignas, modò abſque voluptate, & libidine ſit ipſarum uſus. Fornicatores enim & Adulteros judicabit Dominus, copulam autem maritalem (ob finem præſcriptum habitam) benedicet, & ſanctificabit.

Paulo adjungendus eſt Petrus, qui Epiſt. 1. cap. 3. præcipit Mulieribus, ut ſint ſubditæ viris ſuis. Et viris præcipit, ut præſtent honorem Mulieribus velut cohæredibus gratiæ, ex hoc quidem præcepto faciIè infertur honeſtas nuptiarum, quia ſi nuptiæ *Honeſtæ & licitæ ſunt nuptiæ.* eſſent illicitæ, & malæ, Beatus Petrus non doceret conjuges, modum ſecundum quem vivere debent, ſed potius hortaretur & impelleret eos ad ſeparationem; cùm alibi dicat quód debemus fugere peccatum quaſi à facie Colubri. Et diceret viro *Non licet tibi habere uxorem*, ſicut Joannes Baptiſta dixit Herodi, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* Marc. 6. verſ. 18. quia eſſet in peccato, ſicut Herodes. Indè poteſt inferri iſtud argumentum. Si non licebat Herodi habere Herodiadem uxorem Philippi Fratris ſui, ergo licebat Philippo Herodis fratri habere illam, alioquin ille S. Præcurſor non dixiſſet Herodi *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, ſed abſolutè *non licet tibi habere uxorem.*

Non parùm iuvat authoritas Patrum, ut Hæretici vincantur. Tertullianos lib. 1. contra Marcionem *Tertullian.* cap. 29. probat, Deum nuptias prohibere non debuiſſe: *quomodo enim* (inquit) *ſalvum hominem vellet quem vetat naſci, de quo naſcitur auferendo? quomodo habebit in quo bonitatem ſuam ſignet, quem eſſe non patitur? quomodo diliget, cujus Originem non amat? timet forſitan redondantiam ſobolis, nè laboret plures liberando, ne multos faciat Hæreticos, nè generoſiores habeat Marcionitas ex Marcionitis.* Per hæc verba Tertullianus manifeſtè oſtendit, nuptias eſſe licitas, imo & neceſſarias, ex voluntate generali ſalvandi omnes, quam habet Deus, qui volendo ſalvare omnes homines, vult quod naſcantur, cum nullus erit in gloria; quin prius fuerit in natura. Et volendo quòd naſcantur, vult nuptias ex quibus naſcuntur homines; imo eſt conjugij cuſtos & præſul, qui non patitur alienum thorum pollui inquit D. Ambroſius in lib. de Patriarchis lib. 1. in *D. Ambroſ.* Abraham, relatus in can. 3. cauſæ 32. quæſt. 2.

Unde D. Auguſtious lib. de bono conjugali cap. 24, ſic concludit: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt, etiam repudio diſcedentem, alteri nubere dum vir ejus vivit, nè ſaltem ipſa cauſa pariendi, quæ cum ſola ſit, qua nuptiæ fiunt, nec ea re non ſubſequente propter quam fiunt, ſolvitur vinculum nuptiale, niſi conjugis morte. Quemadmodum ſi fiat ordinatio cleri ad plebem congregatam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sa-* *D. Auguſt.* *cramentum ordinationis. Et ſi aliqua culpa quiſquam ab officio removeatur, Sacramento Domini impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente generationis utique cauſa, fieri nuptias Apoſtolus ità teſtis eſt. Volo* (inquit) *juniores nubere, Filios procreare Matresfamilias eſſe, ad fidem autem caſtitatis illud pertinet. Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. Ad Sacramenti autem ſanctitatem illud, uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat, hæc omnia bona ſunt, propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, Sacramentum.* Ex his verbis D. Auguſtini facilè ſuadetur, matrimoniom nedum eſſe vinculum indiſſolubile, verum etiam rem bonam, atque licitam. Sunt aliæ ſimiles authoritates Sanctorum Patrum, quas hîc non refero. Tum quia dicta ſufficiunt pro ſtabiliendis contra Hæreticos nuptiarum honeſtate, & ſanctitate. Tum quia Hæretici apertè confunduntur argumento Apoſtoli ad Epheſ. cap. 5. dicentis; *Hoc magnum Sacramentum eſt, dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Nam ſi matrimonium ſit Sacramentum, res utique licita, & ſaocta eſt.

Digitized by Google

§. II.

In quo Referuntur, & Refutantur Rationes Hæreticorum.

HÆretici, qui volunt, Nuptias eſſe illicitas & malas, hoc Dogma tam impium ſuſtinent ex eo quod nuptiale commercium nequeat eſſe abſque libidine, quæ cùm mala & peccaminoſa ſit, dicunt etiam malas eſſe Nuptias, ideoque illicitas, & inhoneſtas. Sed hæc ratio non valet, quia nuptiæ ex ſe non important libidinem. Quòd verum eſſe patet exemplo Sanctiſſimi Joſeph, & Deiparæ Virginis, & aliorum inter quos verum interceſſit conjugium, abſque ulla libidine, & ſine peccato. Unde D. Auguſtinus lib. de Nuptiis, & concupiſcentiis cap. 17. ait: *In nuptiis tantum bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum ..... carnis autem concupiſcentia, non eſt nuptiis imputanda, ſed toleranda, non eſt enim ex naturali connubio veniens bonum, ſed ex antiquo peccato accidens malum.* Si verò ſæpè contingat, libidinem dominari conjugatis, hoc non eſt vitiô nuptiarum, ſed vitiô conjugum, ut notat Idem. S. Auguſtinus lib. de Bono conjugali cap. 14.

Reſponſio D. Auguſt.

Nec valet dicere cum Manichæis, nuptias conſummatas, ex ſeipſis eſſe fontem ex quo derivatur peccatum originale, quod anima per generationem contrahit, ſubindeque nuptias etiam malas & peccaminoſas eſſe: quamvis ex ſeipſis non importent libidinem, quia quod eſt cauſa mali, malum eſt. Ratio nullitatis hujus inſtantiæ Manichæorum eſt, quia peccatum originale non derivatur ex nuptiis præciſè ſumptis, velut ex fonte naturali, ſed ex peccato primi Parentis, in quo peccante, omnes homines peccaverunt, cùm peccatum actuale & perſonale primorum Parentum ſit in nobis originale, hoc eſt, peccatum contrahimus in conceptione, quia Parentes noſtri peccaverunt in Paradiſo voluptatis, ad hoc peccatum nullo modo concurrente matrimonio. Hinc eſt quòd D. Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis & concupiſcentiis cap. 24. ait: *Natos non ex bono, quo bonæ ſunt nuptiæ, ſed ex malo concupiſcentiæ, quo bene quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubeſcunt, & nuptiæ reos Diabolus parvulos tenet:* Itaque inquit idem Pater: *Ità ergo nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non poteſt accuſari ſicut adulteriorum, & fornicationum. Malum bono naturali, quod inde naſcatur non poteſt excuſari, nam ſicut peccatum ſive hinc, ſive inde à parvulis trahatur, opus eſt Diaboli: ſic homo ſic hinc, ſive inde naſcatur, opus eſt Dei.* Ex quibus conſtat, nuptias per ſe non eſſe originem peccati, quod per generationem contrahitur, ut putant Manichæi: ideoque ob peccatum Adami non licet Nuptias condemnare; ſanctæ quidem ſunt ex ſeipſis, & ex primeva inſtitutione. Non homo, ſed Deus conjunxit maſculum & fœminam vinculo matrimonij, teſte Scriptura. Non diabolus, ſed Deus dixit illis: *Creſcite & multiplicamini*; quòd certò non dixiſſet, ſi nuptiæ ex ſeipſis, & naturaliter eſſent cauſa mali, aut ex ipſis neceſſariò, & inevitabiliter peccatum procederet.

D. Auguſt.

Alij Hæretici, qui dicunt, Nuptias eſſe illicitas, quia mulier debet eſſe communis; cùm Deus creaverit eam, ut eſſet ſub poteſtate viri, ſic argumentantur. Mulier nullo jure poteſt eſſe magis uno viro, quàm alteri, ac proinde promiſcuus & indiſcretus debet eſſe mulierum complexus, pariter illicitæ, ac prohibitæ eſſe debent nuptiæ, quibus mulier datur uni viro, & vir uni mulieri: igitur mulier non debet haberi per nuptias; cùm per ipſas, mulier tantùm uni viro ità tradatur, ut non poſſit nubere alteri; quin ſit adultera.

Porrò non valet hæc ratio, quia Deus dedit Adæ mulierem quam formaverat. Nec legimus ipſam fuiſſe ad uſum deſcendentium: igitur ex creatione nullus poteſt inferre, mulierem debere eſſe communem, alioquin nulla puella poſſet vovere caſtitatem, quia teneretur corpus præbere cuilibet illud petenti pro copula carnali. Nulla inſuper eſſet fornicatio, & nullum adulterium, quia quælibet copula carnalis eſſet licita. Quod eſt contra Sacram Scripturam & apertè falſum.

Mulier non eſt communis.

Primum patet ex eo quod virgo habet corporis ſui poteſtatem, cùm Apoſtolus dicat 1. ad Corint. cap. 7. verſ. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet; ſed vir*, inde enim ſequitur quòd vir habet poteſtatem corporis mulieris, hancque per nuptias, ideoque ante nuptias, mulier eſt ſui juris, datque illud viro per matrimonium, ità ut nullus alius poſſit ipſa muliere uti, etiam ipſa volente, quia quòd eſt datum uni, non poteſt dari alteri, etiam ab ipſo donatore citrà injuriam. Et ſicut potuit illud dare uni viro, potuit illud non dare, & manere innupta.

1. Corint. 7.

Secundum verò quod eſt de fornicatione, & adulterio (quæ non eſſent peccata in doctrina Hæreticorum) patet ex. D. Matth. cap. 15. verſ. 18. ubi fornicatio, & adulterium dicuntur cogitationes malæ: igitur cùm neceſsè ſit condemnare fornicationes & adulteria, neceſsè eſt improbare promiſcuum Fœminarum uſum, & ſtatuere matrimonium eſſe verum Sacramentum, rem licitam, & honeſtam.

Nicolaitæ dicunt quòd ſi mulier eſſet ſub poteſtate unius viri tantùm, Deus non præcepiſſet fornicationem, quam tamen præcepit Oſee Prophetæ; cui dixit: *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Nicolaitis dico quòd Deus non præcepit Oſee fornicationem, ſed præcepit ei ſumere uxorem fornicationum, ſeu mulierem, quæ prius proſtituta fuiſſet, ut ex ea non jam meretrice, ſed conjuge filios procrearet.

Explicatio mens Oſee Prophetæ

Dicent iterum quod Abraham acceſſit ad Agar Ancillam ſuam. Jacob ad Ancillas uxorum ſuarum Balam, & Zelpham. Et Judas ad Thamar, quam credebat meretricem. Sed non nocet hæc ratio, quia Patriarchæ prænominati ad Ancillas ſuas non acceſſerunt animo fornicario, ſed maritali affectu, & eas habuerunt ut uxores, quo tempore Polygamia crimen non erat, quia mos erat, ut tradit S. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 61. ubi inquit: *Conſulta æterna illa lex, quæ naturalem ordinem conſervari jubet, perturbarique vetat, non niſi propagationis cauſa ſtatuit hominis concubitum fieri, at hoc non niſi ſocialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis, quocirca proſtitutio fœminarum, non ad ſubſtituendam prolem, ſed ad ſatiendam libidinem propoſitarum, divina atque æterna lege damnatur. Omnem quippe dehoneſtat emptorem turpitudo venali: Quapropter Judas, & ſi gravius peccaſſet, ſi nurum ſciens cum ea concumbere voluiſſet, tamen enim, quantum in ipſo erat, deformiter cum meretrice cubaſſe non eſt dubium.* Ex quibus ſequitur, Patriarchas, qui accedendo ad Ancillas non peccarunt, non accepiſſe eas ut communes aliis hominibus, ſed ut ſibi proprias. Jus Polygamiæ illis fuit à Deo conceſſum poſt diluvium ob rationes in proprio loco deductas, ſeu in Articulo in quo rejicitur uxorum pluralitas.

D. Auguſt.

Dicunt tandem omnes prænominati Hæretici, Nuptias eſſe illicitas, quia impediunt nè ad cœnam myſticam Paterfamilias admittatur, ut conſtat ex illo Luc. 14. *Uxorem duxi & ideo non poſſum venire*, quòd dictum fuit ab uno ex invitatis. Sed nulla eſt hæc ratio, ille enim, qui dixit *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire* ad divinam cœnam, non damnavit nuptias velut cauſam propriam & naturalem hujus impedimenti, ut notat Clemens Alexandrinus lib. 3. Stro-

Luc. 14.

Clemens Alexand.

matum, admonens hoc eſſe exemplum ad eos arguendos, qui propter voluptates abſtinent à divino mandato. His ſuffragatur Paulus 1. ad Corint. cap. 7. dicens: *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi*

1. Corint. 7. quibus ſuadetur, conjugatos ſæpe abſtrahi à rerum divinarum cogitatione, tum ratione voluptatis, quam plures inordinatè amant, tum ratione onerum matrimonialium, quæ ſatis gravia ſunt, & nimia, ut non poſſint ad Cœnam accedere, malunt enim cum mulieribus eſſe, quàm ad convivium cæleſte, aut ad menſam Domini venire, quòd tamen non fit vitio Nuptiarum, quæ per ſe ſanctæ ſunt, ſed culpâ conjugum, qui carnaliter ſe mutuò amant, ſeu amore illo, quem introduxit primorum Parentum tranſgreſſio, quâ caro pugnat adversùs Spiritus, & Spiritus adverſus carnem.

Dicent inſuper quòd in lege veteri Nuptiale commercium poſtulabat purificationem, ut legitur

Hæreticorum instantia. Levit. cap. 15. igitur Nuptiæ ſemper malæ fuerunt, & malæ ſunt, quia quòd exigit purificari, malum, impurum atque illicitum eſt, alioquin non egeret purgatione, hæc quippe purgatio fit ob immunditiam, quæ in actu carnali maximè reperitur. Unde Apoſtolus ad Galat. 6. ait: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem*, in carne autem ſeminat, qui Nuptias contrahit: igitur malum eſt Nuptias contrahere, cùm conjuges ſeminent in carne.

Reſpondeo huic rationi, purificationem Nuptiis adſcriptam in libro Levitici, non ſignificare vitium actus conjugalis: etenim ad aliquid aliud ſignificandum, aut denotandum inſtituta fuit, ſicut legitur in Prologo diſtinctionis quintæ Decretorum Gratiani. Idem obſervat D. Auguſtinus lib. de bono conju-

Oſtenditur instantiæ falſitas. gali cap. 20. hoc patet exemplo Virginis Mariæ, quæ ad Templum purificationis acceſſit; quin ipſius purificatio, aut purificationis legis obſervantia, peccatum in ipſa ſupponat.

Ad Apoſtolum reſpondeo cum D. Hieronymo ſuper eumdem locum, quòd verba ipſius non concernunt Nuptias, non enim dixit Paulus, qui ſeminat in carne, ſed in carne ſua, ut videri poteſt in verſu octavo ejuſdem capitis ad Galatas. Nemo autem ex vi Nuptiarum in ſua carne ſeminat (inquit) idem S. Doctor. Nullus enim dicere poteſt Abraham, Iſaac, Jacob, & alios ſanctos viros, qui nati ſunt de repromiſſione. Ipſum quoque Domini Præcurſorem, quia in carne natus eſt, de corruptionis germine pullulaſſe, ideoque ex ſe matrimonium nullam corruptionem confert.

ARTICULUS LIX.

Docet adverſus Armenos, Chriſtum inſtituiſſe Matrimonij Sacramentum.

OMnes Hæretici, qui reclamant contra nuptias, eaſque malas & illicitas dicunt, negant etiam, matrimonium eſſe unum ex Sacramentis novæ legis, cum Sacramentum ſit res bona, & ſancta à Chriſto Domino in ſanctificationem hominis viatoris inſtituta. Sed tales Hæretici non ſunt hîc deducendi, nec impugnandi, nominati enim, & ſufficienter convicti ſunt in præcedenti articulo, in quo contra Saturninum, Marcionitas, & alios Hæreticos dictum eſt, nuptias eſſe licitas & honeſtas. Unde hîc impugnandi ſunt illi qui fatentur nuptias eſſe bonas, ac licitas & unumquemque hominem poſſe habere uxorem, & cum ea habitare, juxta illud Pauli ad Corinth. cap. 7. verſ. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquaque ſuum virum habeat*, ſed diffitentur, matrimonium eſſe à Chriſto Domino inſtitutum.

Armenis Primi qui crediderunt, matrimonium non eſſe à Chriſto Domino inſtitutum, & nuptias non eſſe Sacramentum, ſunt Armeni Hæretici, qui ſub Conſtantino III. & Theodori Pontificatu circa annum Domini DCXL. negarunt in nuptiis contrahendis aliquod eſſe divinum, exiſtimantes illam maris & fœminæ indiſſolubilem conjunctionem (quamvis bonam, licitam, & honeſtam) non eſſe tamen rem à Chriſto Domino inſtitutam, nec per illam aliquam gratiam conferri conjugatis.

Lutherus. Eumdem errorem hiſce poſterioribus ſæculis apertè propugnavit Lutherus, ut videri poteſt in ipſius libro de captivit. Babyl. cap. de matrimonio, ubi ait quod matrimonium eſt res licita, & bona, imo & neceſſaria, ſed declarat quòd ipſum matrimonium non eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, ſed quoddam beneficium à natura omnibus collatum ad propagationem, contra quod homo nullum poteſt licite opus elicere.

Calvinus Luthero adhæſit Joannes Calvinus, qui tunc publicavit duo tantùm eſſe Sacramenta, ſcilicet Baptiſmum, & Cœnam. Lutherum & Calvinum in hoc errore ſecuti ſunt omnes Lutherani & Calviniſtæ, qui poſt utrumque ſcripſerunt. Nam licet in quibuſdam aliis erroribus inter ſe diſcrepent, in hoc tamen conveniunt omnes, cùm omnes dicant, matrimonium non eſſe Sacramentum, ſed merum contractum indiſſolubilem, exceptâ causâ fornicationis, aut adulterij. In hoc articulo reponendi ſunt etiam Manichæi, & Katariſtæ qui crediderunt, Chriſtum nullum reliquiſſe Sacramentum Eccleſiæ ſuæ.

§. I.

In quo, Authoritate Probatur Matrimonium eſſe unum ex ſeptem Sacramentis.

PLura Concilia, ſcilicet Lateranenſe III. in Apend. Titulo de Sponſalibus cap. 31. Seno-

Lateranenſe III. nenſe, Titulo de matrimonio capite 10. Londinenſe II. capite 3. Moguntinum IV. capite

Senonenſe 39. Colonienſe II. parte 7. cap. 40. Et alia plurima

Londinenſe II. antiquiſſima, tam Generalia, quàm Provincialia, & Nationalia, apertè declarant matrimonium eſſe Sacramentum. Sed eorum verba, hîc referre mi-

Moguntinum. IV. hi ſuperfluum videtur, cùm pro Hæreticis prorſus convincendis, ſufficiat Authoritas Concilij Tri-

Colonienſe dentini, in cujus ſeſſ. 24. Can. 1. legitur: *Si quis di-*

Florentinū *xerit, Matrimonium non eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Sacramentis legis Evangelicæ à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre: anathema ſit.*

Idem declaratur in doctrina de Sacramento ma-

Tridentinū trimonij, ubi Patres hujus Concilij dicunt: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratiam præſtet, meritò inter novæ legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt, adverſus quam Impij homines hujus ſæculi inſanientes, non ſolum perperam de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo, prætextu Evangelij libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probato, conſuetudine aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſti fidelium jactura: quorum temeritati ſancta & univerſalis Synodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum Schiſma-*

ticorum hæreſes , & errores ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio , exterminandos duxit , hos in ipſos hæreticos , eorumque errores decernens anathematiſmos.

Matrimonium Chriſtianorum eſſe verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum , & hominibus traditum proclamat Apoſtolus ad Epheſ. cap. 5. ubi introducens verba Dei inſpiratione prolata ab Adamo , inquit , *Sacramentum hoc magnum eſt : ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Etenim per hæc verba manifeſtè oſtendit, adhæſionem viri cum uxore (quæ in omni lege repreſentabat myſterium) in lege Evangelica effectam , eſſe Chriſtianis Sacramentum , & ſignum practicum gratiæ ſanctificantis.

Epheſ. 5.

Hæretici dicent, ibi Apoſtolum non loqui de matrimonio , ſeu de adhæſione viri cum uxore in primis Parentibus initiata , & in poſteris continuata , ſed ſolum de conjunctione Chriſti cum Eccleſia , hancque vocare magnum Sacramentum. Huic inſtantiæ dico quòd eſt falſa, & contra Apoſtolum, quia pronomen *hoc* non debet referri ad id, quod ſequitur , id eſt , ad Chriſtum & ad Eccleſiam , ſeu ſolum ad conjunctionem Chriſti cum Eccleſia , hancque vocare magnum Sacramentum ; ſed ſolum ad id quod proximè præceſſerat , hoc eſt , ad conjunctionem quam Deus fecerat inter Adamum & Evam , cùm de eadem ibi loquatur. Nihil autem præceſſerat de conjunctione Chriſti cum Eccleſia , ſed tantùm de conjunctione maritali viri ac mulieris: dixerat enim *propter hoc* ſcilicet propter hoc quòd dixi de viro & muliere. *Relinquet homo Patrem & Matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.* Et ſtatim poſt hæc addit : *Sacramentum hoc* , id eſt; conjunctio viri cum uxore , *magnum eſt* : ergo id quod vocat Sacramentum , non eſt Chriſtus cum Eccleſia conjunctus , nec Eccleſia conjuncta Chriſto , nec utrumque extremum ſimul , ſed adhæſio viri cum uxore. Hoc verum eſſe patet : nam textus non habet : *Ego autem dico Chriſtum & Eccleſiam*, ſed habet, *in Chriſto & in Eccleſia*, ut appareat id, de quo loquitur , non eſſe conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed conjunctionem viri cum uxore , quam vult eſſe Sacramentum magnum virtute Chriſti Eccleſiæ ſponſi.

Expoſitur mens D. Pauli

Idem ſuadetur ex propoſito & fine intento ipſius Apoſtoli : ſiquidem intentum ipſius erat; ſuadere viris , ut diligerent uxores ſuas , ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam : igitur Apoſtolus non conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed adhæſionem viri cum muliere vocat magnum Sacramentum , eo quod hæc adhæſio aut conjunctio maritalis ſit repreſentativa conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Unde inquit : *Ego autem dico in Chriſto , & in Eccleſia* ut videamus quòd vult, conjunctionem viri cum uxore eſſe magnum Sacramentum ex conjunctione Chriſti cum Eccleſia , quam matrimonium repreſentat , aut cujus virtute ipſum matrimonium eſt Sacramentum, hocque magnum ex ſanctitate & magnitudine unionis Chriſti cum Eccleſia, hæc quippe particula , *in*, idem ſignificat quod iſta *per* ac ſi Apoſtolus dixiſſet, conjunctio viri cum uxore ſit Sacramentum magnum per conjunctionem Chriſti cum Eccleſia.

Idem Apoſtolus in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. ult. evidenter demonſtrat , matrimonium eſſe Sacramentum , ibi enim loquendo de muliere , ait: *Salvabitur autem per filiorum generationem , ſi permanſerit in fide & dilectione , & Sanctificatione cum ſobrietate.* Quia ibi vult dicere , matres fore ſalvandas ſi permanſerint in ſanctitate per matrimonium accepta ; ſed id quod ſanctitatem confert ex ſe & ex opere operato , eſt verum Sacramentum à Chriſto inſtitutum , ut ex communi definitione Sacramenti à Sanctis Patribus & Theologis tradita , conſtat : itaque matrimonium ex Apoſtolo habet veram rationem Sacramenti , eſtque inſtrumentum practicum gratiæ, electum in Sanctificationem conjugum , hinc eſt quòd in Epiſt. ad Theſſalon. cap. 4. verſ. 4. hortatur conjuges ut vas ſuum poſſideant in Sanctificatione , ſanè per matrimonium accepta , ibi enim hortatur Theſſalonicenſes , ut tradita ſibi præcepta obſervent , abſtinentes à fornicatione , quæ ex eodem Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 2. vitatur per matrimonium. *Propter fornicationem autem* (inquit) *unuſquiſque ſuam uxorem habeat , & unaquæque ſuum virum habeat.* Quòd intelligendum eſt de fornicatione vitanda (ut volunt Expoſitores , declarantes ibi Apoſtolum velle quod unuſquiſque habeat ſuam uxorem nè cum alia fornicetur) non verò de fornicatione ſeu carnali copula habenda , alioquin ſequeretur, quòd ipſe Apoſtolus vellet inde inſinuare quòd poſteà docuit Calvinus , ſcilicet omnes homines teneri habere uxorem , quia omnes homines obligantur ſtricte ad vitandam fornicationem , cùm ſit prohibita. Et nullum ſit à Deo præceptum de matrimonio contrahendo : igitur Apoſtolus hortando Theſſalonicenſes , ut vas ſuum poſſideant in ſanctificatione , ſeu ut ſe abſtineant à fornicatione , loquitur de ſanctitate , aut gratia, quæ recipitur in Sacramento matrimonij per quod vitatur fornicatio ; cùm inſtitutum fuerit in remedium concupiſcentiæ , & ideò matrimonium eſt verè Sacramentum conferens gratiam Sacramentalem , quam ſervat qui à fornicatione ſe abſtinet , vaſque ſuum in ſanctificatione poſſidet.

1. Timoth. 2.

Theſſalon. 4.

1. Corinth. 7.

Matrimonium eſt verum Sacramentum

Unde D. Auguſtinus lib. de bono conjugali , matrimonium Chriſtianorum extollens, ait: *Per hoc diſtingui matrimonium Chriſtianorum à matrimonio Gentilium , quod bonum Nuptiarum per omnes gentes atque homines in cauſa generationis eſt , & in fide caſtitatis, quod autem ad populum Dei pertinet , etiam in Sanctitate Sacramenti &c.* S. Leo Epiſt. 92. ait : *cum ſocietas Nuptiarum ità ab initio conſtituta ſit , ut præter ſexuum conjunctionem, non haberent in ſe Chriſti , & Eccleſiæ Sacramentum.* Per hæc enim verba ille S. Doctor, maximuſque Pontifex diſtinguit connubia antiqua à matrimonio novæ legis , ideoque vult connubia antiqua non fuiſſe Sacramentum Chriſti & Eccleſiæ ſicut connubia Chriſtianorum , aliàs non eſſet differentia inter matrimonium veteris legis , & matrimonium novæ. Quòd eſt contra mentem D. Leonis, ut patet ex verbis ipſius, quæ manifeſtè declarant , ſocietatem Nuptiarum apud Chriſtianos non fuiſſe conſtitutam in eo, in quo conſtituta fuere connubia ab initio , ſeu connubia antiqua.

D. Auguſt.

D. Leo.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 22. confirmat matrimonium eſſe verum novæ legis Sacramentum : ait enim : *Ut nativitatis noſtræ principium quantum ad carnem attinet , ſanctificaret , oportebat certè qui totam naturam hominis ad melius reſtaurabat , non ſolùm natis jam hominibus benedicere , verum etiam naſcituris gratiam præparare , ut aditum illorum ad hanc vitam , & authoritate miraculi , & præſentiâ ſuâ ſanctum faceret.* Quid autem ſignificat naſcituris gratiam præparare, niſi ad procreandam prolem inſtituere aliquid ad conferendam gratiam , hoc eſt , aliquod Sacramentum , ſcilicet matrimonium.

Cyrillus Alexandrinus.

Hæc ipſa veritas probatur traditione Eccleſiæ, quæ ſemper credidit , matrimonium eſſe verum

Sacramentum, ut colligitur ex Benedictione, Ritibus Sacris, ac Cæremoniis quibus celebratur. Quare Tertullianus ad uxorem inquit: *unde ſufficiunt ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio* (nempe Miſſæ Sacrificium) *& obſignant Angeli*, hoc eſt Sacerdotes, ſponſas benedicentes.

Tertullian.

Item matrimonium non celebratur, niſi in Eccleſia, & coram Sacerdote, qui nuptias benedicit, ut inde ſignificetur, matrimonium eſſe Sacramentum. Eamdem fidem habet Eccleſia Græca, ut conſtat etiam ex ipſius traditione, & ex cenſura Confeſſionis Auguſtanæ Lutheranorum, quam Jeremias Patriarcha Conſtantinop. ad quem Lutherani miſerant ipſam Confeſſionem Auguſtanam, dedit nomine ſuo, & aliorum Græciæ Præſulum anno MDLXXVI. In ea enim idem ipſe Patriarcha arguit Lutheranos, eoſque docet plures Fidei veritates, quas impugnabant contra Catholicos, inter quas una eſt de Sacramento matrimonii à Chriſto Domino inſtituto, & ab Apoſtolis Eccleſiæ tradito. Et ut probet, matrimonium eſſe unum ex ſeptem Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis, in eadem cenſura citat illud celebre teſtimonium D. Pauli ad Epheſios 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*: igitur Hæretici matrimonium à numero Sacramentorum excludentes, nedum Eccleſiæ Romanæ à qua receſſerunt, ad pœnas æternas adituri, ſed etiam Eccleſiæ Græcæ contradicunt, cum contra utramque Eccleſiam credant, matrimonium eſſe extra ſeriem Sacramentorum à Chriſto Domino inſtitutorum.

Cenſura Jeremiæ Patriarchæ, Conſtantinopolitani.

Sunt aliæ quàmplurimæ rationes deductæ tam ex Sanctis Patribus, & Conciliis, quàm ex convenientia, quæ evidenter probant, matrimonium non eſſe rem purè humanam, ſed verum Sacramentum, at eas omitto, quia fusè referuntur à Theologis Scholaſticis apud quos facilè videri poſſunt, ideòque ad eos remittendus eſt Lector, ut citiùs audiantur rationes Hæreticorum, citiùſque repellantur legitimis reſponſionibus.

§. II.

Diſſolvit Argumenta Hæreticorum.

Ratio Hæreticorum eſt, quia Sacramenta novæ legis producunt gratiam dum perficiuntur, & conſummantur, matrimonium verò dum conſummatur non producit gratiam, cùm ipſius conſummatio conſiſtat in copula carnali, quæ vix exerceri poteſt ſine peccato, ſaltem veniali propter delectationem, cui ſulitò eſt conjuncta.

Reſpondeo, argumentum non valere, quia copula carnalis non eſt perfecta, nec eſſentialis conſummatio matrimonii, tam in ratione contractus, quàm in ratione Sacramenti; cùm perficiatur & conſummetur eſſentialiter mutuo conjugum conſenſu debitè facto & expreſſo, ut monet D. Ambroſius lib. de inſtitutione Virginis cap. 6. his verbis. *Deſloratio virginis non facit conjugium, ſed pactio conjugalis.* D. Iſydorus lib. 9. Etymolog. cap. 7. ait: *conjuges veriùs appellantur à prima deſponſationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.* Et D. Chryſoſtomus: *matrimonium non facit coitus, ſed voluntas.* Idem patet in matrimonio Sancti Joſeph Sponſi Dei-Paræ Virginis, quod fuit verum, & tamen inter hos Sacros Conjugatos nulla fuit copula, copula enim mentium eſt carior copulâ corporum. Undè D. Auguſtinus lib. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 2. ait: *hoc exemplo magnificè inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervatâ conſenſu continentiâ, poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu*: igitur gratia conjugalis, quæ per Sacramentum matrimonii confertur, non datur in ipſo actu conjugali, nec ratione ipſius, & ideò parùm nocet articulo noſtro, quòd ad copulam ferè ſemper ſequatur peccatum ob culpabilem delectationem, quæ non raro intercedit (ſi Hæreticis in hoc credere fas ſit,) Sed datur in connubio, quod actum conjugalem præcedit, ut cauſa ſuum effectum, qui cùm ex ſe poſſit eſſe ſine culpa, conjugium non eſt cauſa peccati quod eſt in copula carnali, ſed potiùs illius peccati cauſa eſt mala conjugum voluntas, quæ ad culpabilem delectationem ſe confert, & concupiſcentiâ movente, carnem excitat ad coitum.

Copula non eſt de eſſentia matrimonii.

D. Ambroſ.

D. Iſydor.

D. Chryſoſt.

D. Auguſt.

Nec valet dicere matrimonium habere rationem Sacramenti quatenùs ſignificat unionem inter Chriſtum & Eccleſiam, quæ quidem unio non poteſt ſignificari, niſi per copulam carnalem per quam conjuges fiunt una caro, ſicut Chriſtus & Eccleſia, ſeu fideles ſunt unum corpus, cujus caput eſt Chriſtus. Non valet, inquam, quia matrimonium non habet completam rationem Sacramenti ratione hujus ſignificationis, nimiùm conjunctionis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, ſed ſolùm incompletam, hoc eſt, quatenùs ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia præcisè, ſcilicet non expreſſo modo, quo fit, modus autem ille, quo Chriſtus completè conjungitur Eccleſiæ ſuæ, non eſt carnalis, ſed eſt charitas, aut gratia, qui quidem modus complens conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, repreſentatur per matrimonium eſſentialitèr & primariò ſumptum, ſeu quatenùs conſiſtit in mutuo conjugum conſenſu, & animorum affectu, quo conjuges ſunt unum corpus, & unus ſpiritus; non verò per copulam carnalem, quæ habetur licitè à conjugibus, in hoc quidem ultimo ſenſu, matrimonium non habet rationem Sacramenti, nec ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, quæ cùm ſpiritualis ſit, nequit per quid carnale repreſentari.

Reſponſio ad Hæreticorũ inſtantiam.

Altera Hæreticorum ratio eſt, quia ſi matrimonium eſſet Sacramentum, melius eſſet nubere, quàm non nubere. Quia melius eſt habere Sacramentum, quàm non habere, ob gratiam quam quodlibet Sacramentum producit ex opere operato in ſuſcipiente. Sed hoc eſt falſum, ut declarat Apoſt. 1. ad Corint. cap. 7. dicens: qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit, & qui non jungit, meliùs facit. His ſuffragatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 10. à Calvino falsò impugnatum, ubi legitur: *ſi quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere, in virginitate aut cælibatu, quàm conjungi matrimonio: Anathema ſit*: Indè enim ſequitur juxtà fidem Romanam, quòd meliùs eſt non nubere, quàm nubere, ſeu quòd melius eſſet non recipere Sacramentum, quàm recipere, ac proindè matrimonium non poteſt eſſe Sacramentum conferens gratiam, ſed ſolùm contractum purè naturalem & civilem.

Secund. Hæreticor. ratio.

Reſpondeo, ſequelam eſſe falſam, quia non implicat quòd Sacramentum aliquod ſit minùs nobile quàm aliquid aliud, quod non eſt Sacramentum, ut patet in Martyrio, quod non eſt propriè dictum Sacramentum, eſt tamen nobilius Pœnitentiâ, quæ eſt propriè & verè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, eſt etiam nobilius & excellentius Extremâ unctione, quæ eſt etiam Sacramentum: igitur non implicat quòd matrimonium ſit Sacramentum; licèt virginitas aut cælibatus ſit ſtatus perfectior & excellentior ſtatu conjugii & matrimonii

Reapsè Hæretici non credunt ſe convictos hac ratione, licèt veriſſima ſit, quia volunt, Pœnitentiam & Extremam-unctionem non eſſe Sacramenta,

Rejicitur Hæreticor. ratio.

Quare aliter reſpondeo, & dico quód, ut marrimonium ſit Sacramentum, non eſt neceſſe quòd ſit melius virginitate, & cælibatu, quatenùs ipſum matrimonium eſt ſtatus conjugalis, ſed ſufficit quòd ſit melius quatenùs eſt præcisè Sacramentum, & inſtrumentum aut cauſa producens gratiam. Undè cùm in hoc ſenſu, marrimonium ſit perfectius virginitare, & cælibatu, quia ex opere operato confert gratiam, quam non confert virginitas, non ſequitur abſurdum, quod Hæretici prætendunt, nec ſit injuria Apoſtolo, nec Patribus Tridentinis, quia dum dicunt, virginitatem aut cælibatum eſſe præſtantiorem matrimonio; non accipiunt marrimonium præcisè, quatenùs eſt Sacramentum conferens gratiam, ſed quatenùs eſt ſtatus conjugalis, ſeu concubitus carnalis inter conjuges, qui comparatus cum ſtatu virginali, eſt minùs nobilis; cùm ſtatus virginalis ſit longè præſtantior ſtatu conjugali, ut declarant Apoſtolus & Patres Tridentini, qui dum poſtponunt matrimonium cælibatui, non conſiderant illud in conceptu eſſentiali, qui conſiſtit in unione mentium, ſed in conjonctione corporum.

Dicunt tandem quòd Sacramentum non pugnat cum alio Sacramento: quippè omnia Sacramenta pro hominibus fuerunt inſtituta, ut conſtat ea definitione, & ex ipſorum affectu, qoi eſt ſanctificatio animarum, idcircò in uno, & eodem homine ſimul compati debent; At matrimonium pugnat cum Ordinia Sacramento, quo Ordinati arcentur à matrimonio, & è contrà: Igitur cùm Ordo ſit Sacramentum, neceſſe eſt quòd matrimonium, vel ſacerdotium careat ratione Sacramenti, aut quòd ita auferatur incompatibilitas, ut vir habens oxorem poſſit Ordines Sacros ſuſcipere, & Sacerdos poſſit uxorem ducere, nè unum Saeramentum impediat aliud.

Quanam ſit oppoſitio qua eſt inter Ordinem & Matrimonium.

Reſpondeo, hanc repugnantiam inter matrimonium, & Ordinem repertam, non nocere, quia matrimonium non pugnat cum Sacramento Ordinis abſolutè ratione ſui, ſed ſolùm ratione ſtatus, quem inducit, quique minus rectè cum matrimonio convenit. Nam in Ecclesia Græca Sacerdotes non arcentur à matrimonio; cùm ſervent uxores: undè ſi Saeerdotes noſtri debeant eſſe cælibes, ut poſſint vacare Deo modo nobiliori, & eaactiori, quàm ſi haberent uxores, quia teſte Apoſtolo loco citato qui eum uxore eſt, ſollicirua eſt quæ ſunt mundi, hoc non ex Sacro Ordine provenit, quatenùs eſt Sacramentum, ſed ex voto caſtitatis, quod emittunt Clerici dum otdinantut in Sacria; ſi quidem hæc conſtitutio de caſtitatis voto emittendo ab otdinandis, eſt Eccleſiaſtica, ideòque nequit improbare rationem Saeramenti, quæ in Ordine, & in matrimonio includitur, nec dicendum eſt quòd unum Sacramentum quatenùs tale, impedit aliud.

Ad rationem adductam de incompatibilitate omnium Sactamentorum in eodem homine, ex eo quod Sacramenta pro omnibus hominibus inſtituta fuerint, Dico quòd non provenit ex ipſis Sacramentis, ſed ex eitcunſtantiis eatrinſecis, quaa exigit Sacramentorum adminiſtratio. Nam Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt adminiſtrari toties, quoties adminiſtratur Baptiſma ea defectu ætatis, ſcilicet quia puer qui baptizatur, non poteſt confiteri, & ſic de cæteria Sacramentis, ot attentè conſideranti patebit. Revera Chriſtus inſtituit Sacramenta pro omnibus, ſed non ot omnia ab omnibus & ſingulis reciperentur, ſed ſolùm ut omnia reciperentur, quædam ab omnibus & ſingulis, alia verò ab aliquibus pro ſingulis. Hinc eſt quòd omnes debent baptizari antequam moriantur, quòd omnes & ſinguli Adulti, qui voluntariè peccaverunt, debent abſolvi in Sacramento Pœnitentiæ, ſed non omnes debent ordinari, nec neceſſariò confirmari, nec neceſſariò ungi, nec neceſſariò uxorem ducere; incompatibilitas reperitur tantùm inter Ordinem & matrimonium, non ratione Sacramentorum, ut jam dixi; ſed ratione ſtatûs: & ideò unum ea his duobus non deſtruit aliud.

Dicent, in matrimonio haberi pactum de certa pecunia numeranda; ut probat dos mulieris, quæ ſolitò eaigitur, ut matrimonium celebretur, ex quo ſequitur quòd ſi mattimonium eſſet Sacramentum, ſimonia eſſet licita, licitum tamen eſt contrahere matrimonium. Sed non valet hæc ratio, quia pactum illud non initur pro contrahendo matrimonio quatenùs eſt Sacramentum, cùm gratìs & liberè conferatur, ſicut gratìs & liberè præbetur partium conſenſus, ſed quatenùs eſt contractus civilis inter perſonas, quæ conveniunt invicem & paciſcuntur ad ſuſtinenda mutuò matrimonii onera; juſtum quidem eſt, ut proles ab unoquoque conjugum, ſcilicet à patre & matte educatur, & ſuſtentetur: igitur neceſſe eſt quòd inter ſponſos interveniat pactum de pecunia ad hunc effectum numeranda, nè in unum tantùm cadat obligatio ſuſtinendi onera matrimonii, & ſuſtentandi prolem. Deinde ſponſorum bona debent eſſe inter ipſos communia, ut ſicut ſunt duo in carne una, ſint etiam unum in bonis temporalibus, relicta tamen viro adminiſtratione, quapropter neceſſe eſt, mulierem dare bona ſua viro, non ut ea diſſipet, ſed ut ea diſtribuat in bonum prolis ſuſtentandæ, matri ac patri incumbit filiorum cura, idcircò bona matria eam ſequuntur, ut filiis neceſſaria adminiſtrentur à matre ſicut à patre.

Dos mulieris non eſt res ſimoniaca.

ARTICULUS LX.

Admittit contra Montaniſtas ſecundas Nuptias.

ADverſùs nuptias plures inſurrexerunt Hæretici inter ſe longè diviſi, quidam enim diaerunt, nuptias eſſe illiciras, talea ſunt Heraclytæ, Tatianitæ, Marcioniſtæ, alii verò conceſſerunt, primas nuptias eſſe licitas, ſecundas autem profanas & ſacrilegas. Primi hujus erroris ſuere Cataphrygii, quorum Dux creditur Montanus, in Miſya Phrigiæ natus. Ipſe Montanus fuit plurium hæreſum inventor, tempore Commodi Imperatoris & Soteri Papæ, circa annum Domini CLXXXI. quarum hæreſum una, ſecundas nuptias impugnabat, eaſque in materia adulterii & concubinatus reponebat. *Montanus.*

Poſt ipſum Montanum, inſurrexit alter eamdem hæreſim propugnaturus, ſcilicet Novatus, non ille qui fuit Epiſcopus Carthaginis, ſed alius, qui fuit Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui tempore Galli & Voluſiani Imperatorum, & Cornelii Papæ & Martyris, circa annum Domini CCLV. voluit Montaniſtarum errorem jam extinctum ſuſcitare, ſeu ſecundas nuptias reijcere velut immundas: hinc eſt quòd illi, qui ipſo Novato adhæſerunt, in hujus erroris defenſione, dici voluere Cathari, id eſt, mundi & puri ob eam, quâ ſe ſuperbiſſimè & odioſiſſimè efferebant munditiam, atque puritatem in repellendis ſecundis nuptiis, quamvis eſſent impuri & omni ſorde infecti. Præcipuus autem Novati Diſcipulus, fuit quidam vir Hæreticus, nomine Ablabius, qui teſte Nicephoro lib. 14. cap. 13. Hiſt. Eccleſ. fuit nobiliſſimus Orator Troili Sophiſtæ Auditor, qui à Chryſanto Novatianorum Epiſcopo, in Presbyterum ordinatus fuit, cujus etiam

Novatus. *Cathari.* *Ablabius.*

conciones populares, ſuâves & vehementes diu excelluerunt, tandem in Nicæna Urbe Epiſcopus conſecratus fuit, & poſtea Novatianorum errores docuit ſub Theodoſio Iuniore Imperatore, & Celeſtino Summo Pontifice, circa annũ Domini CCCCXXX.

Hæc hæreſis juxta Guidonem Carmelitam adhuc ſubſiſtit, & viget apud Græcos, qui recipientes matrimonium velut Sacramentum novæ legis, tamen ſecundas nuptias reijciunt velut prohibitas à Chriſto Domino. Idem teſtimonium de Græcis referunt etiam Prateolus, lib. 7. hæreſ. littera G. verbo, *Græci*. Et alii quàmplurimi Scriptores in Catalogo Hæreticorum.

§. I.

In quo probatur Veritas Articuli.

HÆc hæreſis Montaniſtarum & aliorum, quam ſuſtinuit etiam Tertullianus, qui contra ſecundas nuptiss ſcripſit librum de Monogamia, quem D. Hieronymus dicit Hæreticum, & contrarium Apoſtolo, damnata fuit in Concilio Nicæno 1. celebrato ſub Conſtantino Magno Imperatore, authuritate Silveſtri Papæ, anno CCCXXV. Nam Patres hujus Concilii can. 8. inter Eccleſiæ Dogmata, docuerunt, Bigamos non eſſe fugiendos, ſed potiùs in communionem recipiendos. Quod non dixiſſent, ſi ſecundæ nuptiæ eſſent malæ, quoniam Bigamus eſt ille, qui ſemel & iterum nuptias contraxit, qui cum ex Concilio non ſit improbandus, nec improbandæ ſunt ſecundæ nuptiæ, per quas conjuges Bigami ſunt.

Declaratio Concilii Nicæni.

Eadem hæreſis damnata fuit in aliis Nicæno poſterioribus, & potiſſimùm in Florentino, in inſtructione Armenorum, ubi legitur: *Quoniam nonnullos aſſeritur quartas nuptias tanquam condemnatas, reſpuere, nè peccatum ubi non eſt, eſſe putetur, cùm ſecundùm Apoſtolum mortuo viro, mulier ſit ab ejus lege ſoluta, ut nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, non diſtinguit mortuo ſecundo, vel tertio, declaramus non ſolùm ſecundas, nec tertias, nec quartas atque ulteriores, ſi aliquid impedimentum non obſtat, licitè contrahi poſſe, commendatiores tamen dicimus, ſi ulteriùs à conjugio abſtinentes, in caſtitate permanſerint*: ex quibus verbis facilè ſuadetur, & declaratur condemnatio hæreſis Montani, cùm nèdum ſecundæ, ſed etiam tertiæ, quartæ, &c. licitas eſſe declaret idem Concilium.

Florentinum.

Præfatus error profligatur exemplo multorum Sanctorum Virorum quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, qui tamen ſecundas contraxerunt nuptias. Abraham poſt mortem Saræ primæ uxoris duxit ſecundam, nomine Ceturam, ut videri poteſt in cap. 25. Geneſis. verſ. 1. Ruth mulier, mortuo ſuo primo viro filio Noemi, nupſit ſecundo viro, qui dictus eſt Booz, ut conſtat ex libro nomen ejus præ ſeferente. Sara uxor Tobiæ Iunioris, habuit etiam ſucceſſivè plures viros, & poſt ſeptem quos Dæmon occiderat, nupſit Tobiæ Juniori, cum quo permanſit Domino famulans, ita ut accepta eſſet unà cum Marito tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitatoribus in terra, ut legitur in libro qui nomen Tobiæ præſefert. Idem factum verificatur exemplo aliorum tum virorum, tum mulierum veteris Teſtamenti, ita clarô & certô, ut nullus poſſit in dubium ſecundas revocare nuptias: igitur ſecundæ nuptiæ fuerunt licitæ in lege antiqua. Quod verum eſſe patet, nedùm ex exemplis adductis, ſed etiam ex eo quòd frater ſuperſtes fratris ſine liberis defuncti, uxorem, ſeu viduam accipere ex præcepto Legis tenebatur, & cum ea matrimonium contrahebat, ut fratri ſemen ſuſcitaret, ut legitur in lib. Deuteron. cap. 25. verſ. 5. ubi habetur, *quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.* Hoc ſecundum matrimonium erat licitum, tamen aliud priùs ſupponebat: licitæ etiam ſunt ſecundæ nuptiæ apud Chriſtianos.

Plures licitè ſecundas contraxere nuptias.

Deuteron. 25.

Non obſtat dicere, ſecundas nuptias permiſſas fuiſſe in veteri Teſtamento, ſed improbatas fuiſſe in Novo. Non valet, inquam, tum quia Eccleſia quæ obſervat novum Teſtamentum, non approbaret eas, tum quia novi Teſtamenti Mediator Chriſtus Dominus, ſedens ſic fatigatus ſuprà fontem, non reprehendit mulierem Samaritanam, quæ quinque viros habuerat, nam illam reprehendit, quia ille quem tunc habebat, non erat vir legitimus, alii autem quinque fuerant viri legitimi, ideò non fuit hæc mulier reprehenſa à Domino propter multiplicitatem nuptiarum, ſed propter fornicationem, quam habebat cum viro extra matrimonium, ut obſervat S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum relatus in can. 10. cauſæ 31. quæſt. 1. Unde D. Auguſtinus lib. 2. contra Adverſarium Legum & Prophetarum cap. 5. citatus in can. immediatè ſequenti, ait; *Deus maſculum & fœminam propagandi generis cauſâ nuptiali caſtitate conjunxit, & ſecundas nuptias, quæ in utroque teſtamento permittuntur, licitas eſſe monſtravit*, ex quibus verbis ſequitur Montaniſtarum & aliorum Hæreticorum replicam contra ſecundas nuptias novi Teſtamenti, eſſe falſam.

D. Hieronymus.

D. Auguſtinus.

Montani errorem confodit Apoſtolus in Epiſt. ad Rom. cap. 7. verſ. 2. & ſequentibus: *quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro:* inde enim certum eſt mulierem viduam poſſe laudabiliter, & ſine peccato convolare ad alias nuptias, cùm ſi ad eas convolet, juxtà hanc doctrinam Apoſtoli, non ſit adultera. Ratio eſt, quia omnis mulier, quæ defuncto viro, eſt cum alio viro, eſſet adultera, ſi hujuſmodi ſecundum matrimonium non eſſet licitum, neque verum Sacramentum, ut volunt Hæretici. Hujus veritatis argumentum in promptu eſt, quia quilibet coitus extra legitimum matrimonium, eſt fornicatio, ut in proprio loco probatum manet contrà Simonem Magum & alios Hæreticos; ſed mulier qui mortuo viro alteri nubit, non eſt adultera, ergò ſecundæ nuptiæ ſunt licitæ.

Ex Apoſtolo vidua poteſt alteri viro nubere.

Eamdem veritatem docet iterùm Apoſtolus in Epiſtola prima ad Corint. cap. 7. verſ. 8. ubi habetur: *Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quòd ſi non ſe continent, nubant. Meliùs eſt enim nubere, quàm uri.* Hæc autem verba demonſtrant, quòd licèt bonum ſit viduis non convolare ad ſecundas nuptias, tamen non prohibet hujuſmodi nuptias, imò ad eas hortatur, tam non nuptas, quàm viduas, quæ non ſe continent, cùm dicat de illis, *nubant*. Et in viduis, nubere ſit ad ſecundas nuptias convolare.

1. Corint. 7.

Tandem idem Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 5. verſ. 14. juniores viduas hortatur, ut potiùs nubant quàm ſe in diſcrimen amittendæ caſtitatis conjiciant, ibi enim, inquit: *volo ergò juniores nubere, filios procreare, Matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratiâ.* Nihil certò clariùs dici poteſt, ut deſtruantur Hæretici ſecundas nuptias rejicientes veluti ſacrilegas, & contrarias Scripturæ Sa-

1. Timoth. 5.

cræ

cræ, cùm Paulus ad eas hortetur viduas, & præſertim juniores, in quibus emittendæ vidualis caſtitatis periculum eſt frequentius, & majori difficultate vitandum.

Porrò impii atque blaſphemi Montaniſtæ, aut Cataphrygii audientes hoc teſtimonium, dicunt, Paulum non plenè recepiſſe Spiritum Sanctum, ſed ſolùm ex parte prophetaſſe; & ideò (inquiunt) non licet credere Paulo, ſed Montano, in quem dicunt Spiritum Sanctum plenè deſcendiſſe pro explicando vero Doctrinæ Chriſti ſenſu. Sed monſtrum impertinentiæ eſt hæc Montaniſtarum reſponſio, quâ nulla impior dari poteſt, ut ex ſe patet, cùm Montanus Spiritu veſano agitatus ſe ſuſpenderit, eoque modo ad inſtar Judæ vitæ ſuæ finem dederit; Pauli verò converſio ſit dexteræ Excelſi, & ejus doctrina ſit à Spiritu Sancto, & ſit ille de quo Chriſtus dixit Ananiæ, act. 9. verſ. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus & Filiis Iſraël.*

Montani interitus.

Hæc Apoſtoli Doctrina ſecundas nuptias permittens, optimè promulgatur à Sanctis Patribus, & præcipuè à S. Joanne Chryſoſtomo Homil. 19. in Epiſt. ad Epheſ. ubi inquit: *Et ſecundum concedit Apoſtolus matrimonium, tantùm dicens in Domino? Quid eſt autem in Domino? cum temperantia, cum honeſtate.* Et in fine Homil. ait: *Pacem ſectamini & ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum, ut ergò digni cenſeamur eum videre, ſivè ſimus in virginitate, ſivè in primis ſivè in ſecundis nuptiis, hanc ſectemur.* Hæc quidem deſcriptio eorum, qui ſanctificari deſiderant, non excludit Bigamos; excluderet tamen eos, ſi ſecundæ nuptiæ eſſent prohibitæ. Idque clariùs expreſſit idem Sanctus Doctor Homil. 20. in Epiſt. ad Epheſ. ubi inquit: *quid ad hac, qui ſecundis copulantur nuptiis? non id ais condemnans, abſit, quippè Apoſtolus permiſit.*

D. Chryſoſt.

Sanctus Hieronymus relatus in can. *aperiant*, 31. quæſt. 1. nedum ſecundas, ſed etiam tertias & ulteriores nuptias declarat licitas & honeſtas, ibi enim inquit: *non damno Bigamos, imò nec trigamos, & ſi dici poteſt octogamos.* Et Theodoretus lib. 5. hæreticarum fabularum cap. 26. expendens verba Apoſtoli 1. ad Corinth. cap. 7. ait: *notandum eſt autem, quòd non beatam, ſed beatiorem eam dicat quæ ſe continet: ita docens quòd non omninò beatitudine ſit deſtituta, quæ ſecundum etiam matrimonium amplectitur, ſi juxta poſitam hic legem, jugum ſubeat.* Eamdem doctrinam tenent alii Sancti Patres, & præſertim Sanctus Auguſtinus, ut videri poteſt in quæſtione prima cauſæ 31. in qua de ſecundis nuptiis agitur.

D. Hyeron.

§ II.

In quo rejicitur Hæreticorum Sententia:

Arguitur in gratiam Montaniſtarum ex Conciliis & Sanctis Patribus, à quibus Pœnitentia imponitur Bigamis: Concilium Neocæſarienſe celebratum anno CCCXVI. ſub Silveſtro Papa can. 3. inquit: *de his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum, manifeſtum eſt, ſed converſatio eorum & fides, tempus abreviat.* Et can. 7. *Presbyter in nuptiis ejus, qui Bigamus efficitur, ne conviveiur, cùm enim requirat pœnitentiam Bigamus, quis erit Presbyter, qui eo quòd ſit convivio acceptus, nuptiis aſſentiatur.* Ex quibus verbis conſtat, Eccleſiam inſtituiſſe contra Bigamos pœnam non levem. Idem dicunt plures Sancti Patres: igitur ſecundæ nuptiæ ſunt malæ, illicitæ & culpabiles, cùm ex Regulis juris, & ex perenni Eccleſiæ praxi, pœna non imponatur niſi propter peccatum ſeu culpam.

Ratio Montaniſtarum

Reſpondetur, id quod Concilia & Patres impoſuere Bigamis, non eſſe eam pœnam, quæ ſupponit culpam, quæque propter peccatum datur, ſed eſſe inidoneitatem, quæ nullum peccatum ſupponit, ut patet in Muto & Mutilo, in quibus reperitur inidoneitas; quâ arcentur à ſuſceptione Ordinis Sacri; etiamſi ſint ſine peccato, aut culpa mortali.

Vel reſpondeo, Concilia & Sanctos Patres pœnitentiam Bigamis impoſuiſſe propter incontinentiam, quæ ad ſecundas nuptias impellebat; non autem propter nuptias ipſas repetitas, quæ poſſunt eſſe Sanctæ, legitimæ & honeſtæ ſicut primæ. Hoc verum eſſe patet ex can. 1. Synodi Laodicenæ, quæ ſecundas nuptias legitimas eſſe pronunciat; Bigamis tamen aliquam imponit pœnitentiam, ibi enim habetur: *de his qui ſecundùm Eccleſiaſticam regulam liberè ac legitimè ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet ut parvo tempore tranſacto; vacent orationibus & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus.* Hoc quidem Canone, ſecundæ nuptiæ declarantur licitæ, & illis tamen qui contrahunt eas, imponitur pœna canonica, licèt in ipſis nullum agnoſcatur peccatum ob ſecundas nuptias.

Reſponſio ad argumentum Montani.

Concilium Laodicen.

Ad Patres qui ſecundas nuptias vocant fornicationem, ut de facto eas ſic vocat S. Baſilius Epiſt. 1. ad Amphilochium. Dico quòd loquuntur largo modo, & in ſenſu improprio; ſeu quaſi in ſenſu cauſali, ſcilicet propter incontinentiam, quæ non rarò viduas ad ſecundas nuptias impellit, ut facilè colligi poteſt ex Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 7. dicente de viduis: *ſi non ſe continent, nubant.* Sed propter hanc incontinentiam præviam, ſecundæ nuptiæ non debent tanquam illicitæ à Montaniſtis repelli; alioquin deberent etiam repelli primæ, quæ etiam non rarò contrahuntur eâdem incontinentiâ movente. Sed Montaniſtæ, Cataphrygii & alii Hæretici admittunt primas nuptias, hoc non obſtante, ergò debent admittere ſecundas, cùm in illis ſicut in illis reperiatur eadem cauſa.

1. Corinth. 7.

Ex alia ratione iidem Montaniſtæ inferunt, ſecundas nuptias eſſe illicitas & malas, nimirum ex differentia inter primas & ſecundas inventa; illæ (inquiunt) benedicuntur ab Eccleſia, iſtæ verò non; ergò iſtæ ſecundæ nuptiæ ſunt malæ, quoniam id quod per verum Sacramentum habetur, eſt omni benedictione dignum, & benedictio poteſt dari omni rei honeſtæ & licitæ:

Porrò hæc ratio non valet, nam licèt benedictio denegetur viduis, tamen non licet inde inferre quòd ſecundæ nuptiæ ſint malæ, & reprobandæ, cùm Eccleſia eas probet & conciliet, quamvis viduis benedictionem non tribuat, & tribuat eam in primis nuptiis. Ratio hujus differentiæ non provenit ex nullitate & invaliditate, ſed eſt, quia Eccleſia dat primis nuptiis benedictionem ad fœcunditatem conjugibus procurandam: ideòque repeti non debet in ſecundis nuptiis. Vel dico quòd ſecundæ nuptiæ non benedicuntur ſicut primæ, quia non ſignificant perfectè conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt conjunctio unius cum una, ſicut conjunctio facta in primis nuptiis (quæ eſt conjunctio unius cum una) eam ſignificat: Chriſtus enim unam ſibi ſponſabit Eccleſiam, unamque carnem aſſumpſit per Divinæ Incarnationis Myſterium, & ideò cùm nuptiæ Chriſtianorum referant imaginem nuptiarum Chriſti cum Eccleſia, & Divinitatis cum carne, ut à Sacerdote benedicantur, debent Monogamorum eſſe, ſeu eorum qui Bigami non ſunt.

Ratio ob quam in ſecundis nuptiis non datur benedictio.

ARTICULUS LXI.

Impugnat Priſcillianiſtas exiſtimantes, Diſſolubilitatem matrimonij à ſolo arbitrio Conjugum dependere.

INdiſſolubilitatem matrimonij impugnarunt nonnulli Hæretici qui crediderunt, virum poſſe proprio motu, ſeclusâ quâcumque causâ, dimittere uxorem ſuam, & aliam ducere, ſimiliter & uxorem poſſe virum dimittere, & alteri nubere. Hæc Hæreſis tribuitur Montano, de quo in articulo ſupra relato diximus, & à quo orti ſunt Cathaphrygij, qui etiam aſpiciuntur velut defenſores ejuſdem Hæreſis. *Cataphrygij.* Reverà diſſidium eſt inter Scriptores. Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 18. refert, Montanum ità ſentiiſſe de vinculo nuptiarum ſaltem quoad primam partem (quæ eſt de diſſolubilitate matrimonij) quia conſtat ex teſtimonio ejus, & aliorum, Montanum improbaſſe ſecundas nuptias, & per conſequens voluiſſe, virum, qui ſuam uxorem dimiſit, non poſſe aliam ducere. Alij vero recentiores eum ab hoc errore excuſant. Eorum ratio eſt, quia (inquiunt) D. Auguſtinus loquens de Cataphrygiis, & de Montano eorumdem authore : non meminit hujus erroris. Philaſtrius etiam inter errores Montani non numerat hunc de diſſolubilitate matrimonij : ſed opinio Euſebij videtur mihi præferenda (quamvis Euſebio præferam Auguſtinum) hujus rei cauſa eſt, quia D. Auguſtinus omittendo hunc errorem dum de Montano locutus eſt, ejuſque hæreſes recenſuit, non affirmavit, Ipſum Montanum non admiſiſſe diſſolubilitatem matrimonij, nec tradidiſſe voluntati virorum poteſtatem dimittendi uxores. Non enim rarò contingit Scriptores de uno Hæretico aliquid omittere, quod alter refert, undè cum tutius ſit credere affirmanti, quàm omittenti, licet non ſemper melius ſit credere affirmanti, quam neganti; cùm in hoc caſu ſit examinanda fides, aut probitas atteſtantis, licitè poſſum hic ſequi ſententiam Euſebij; quin offendatur reverentia debita D. Auguſtino, quem ex toto corde veneror, & ſequor dum affirmat, & docet aliquid.

Priſcillianus natione Hiſpanus tempore Valentiniani II. Imperatoris, & Syricij Papæ circa annum Domini CCCLXXXVIII. docuit (teſte D. Auguſtino) conjuges poſſe conjugium diſſolvere, & quem libet eorum ad alias nuptias tranſire. Diſiungebat enim ille Epiſcupus Abulenſis, feminas à nolentibus viris, & viros à nolentibus feminis. Anno autem MCCXCVI. regnante Adolpho Imperatore, & Eccleſiam Dei regente Bonifacio VIII. inſurrexit quidam vir Hæreticus nomine Gerardus Sagarellus de Parma, Hæreticorum, qui Pſeudo Apoſtoli dicuntur, Author, *Gerardus Sagarellus* qui docuit nullum conjugem poſſe ſuam Sectam ſuſcipere, ſeu Apoſtolorum imitatorem eſſe (ſic enim vocabat eos, qui eum ſequebantur) niſi prius relicto, aut dimiſſo alio conjuge, aſſerens conjugia debere diſſolvi pro hac Secta ſuſcipienda, & tuenda. Ità teſtatur Nicolaüs Elmericus.

Græci Græci, & Armeni ſunt in eodem errore, & matrimonium diſſolvunt, ut teſtatur Guido Carmelita, qui in lib. ſuo de hæreſibus, hunc inter illorum errores, recenſet, ſed hanc diſſolubilitatem non remittunt ad *Armeni* purum conjugum arbitrium, ità ut vir poſſit dimittere uxorem quando voluerit, quacumque ex cauſa, & aliam ducere, etiamſi ipſa uxor dimiſſa, nolit alteri nubere, eamdem facultatem dat mulieri, quæ poteſt etiam dimittere virum, & nubere alteri, ut affirmare videtur ipſe Guido Carmelita. Porrò hæc dimiſſio habet aliquam cauſam, quàm credunt legitimam (licet nulla ſit) etenim conſtat, ipſos Græcos, & Armenos diſſolvere matrimonium propter unius conjugis adulterium dumtaxat, & permittere viro dimittere uxorem adulteram, & ducere aliam, ſimiliter & uxori dimittere virum adulterum, & nubere alteri.

Eraſmi opinio. Huic errori Græcorum adhæſit quidam ſuæ prudentiæ innitens volens ſapere pluſquam oportet ſapere, ſcilicet Eraſmus Rotherodamus, qui in notationibus ſuper Epiſtolam 1. ad Corinth. cap. 7. affirmat non ex lege divina; ſed ex humana tantùm prohibitum eſſe viro innocenti dimittere uxorem ſuam adulteram & ducere aliam, exiſtimabat enim legem Evangelicam concedere hujuſmodi viro liberam poteſtatem repellendi uxorem adulteram, quoad Thorum, & quoad vinculum, & poteſtatem ducendi aliam uxorem; & addit, nimis duram & iniquam eſſe legem humanam, quæ hanc poteſtatem ducendi aliam uxorem abſtulit à viro innocente, & proinde ſuadere nititur, ut talis lex prorsùs abrogetur, ut liceat conjugi innocenti diſſolvere matrimonium tam quoad vinculum, quàm quoad Thorum, nè conjux innocens teneatur habitare cum conjuge adultero, aut abſtinere ſe à remedio concupiſcentiæ.

Lutherus Lutherus ex Annotationibus Eraſmi edoctus hanc eamdem poſt Eraſmum docuit ſententiam, & voluit, matrimonium eſſe diſſolvendum, non ſolum in cauſa fornicationis, ſed etiam quando alter conjux recedit in aliam Regionem, ſi intra decennium, non revertitur, ut inquit noſter Alphonſus à Caſtro, qui teſtatur ſe vidiſſe multos in Germania, qui juxta Lutheri doctrinam uxores ſuas propter adulterium à ſe repellebant & alias ducebant.

Bucerus in cap. 19. Matth. contendit, matrimonium ſolvi poſſe, & aliud iniri quotieſcumque uxor non ſe commodam præbet viro, aut *Bucerus* vir eſt moleſtus uxori. Idem ſentit Melancthon. *Melancthon* Tandem Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 19. tyrannicum vocat non permittere aliud conjugium adjicienti ſuam partem adulteram. *Calvinus*

§. I.

De Indiſſolubilitate Vinculi Conjugalis.

Eliberitanū MAtrimonium eſſe indiſſolubile quoad vinculum ſanciunt plura Concilia, inter quæ numeratur Eliberitanum celebratum anno. CCCV can. 9. ubi communio denegatur mulieri, quæ ob viri adulterium nupſerit alteri. *Anglicanum.* Idem habetur in quodam Concilio Anglicano celebrato anno DCLXIII. quod refert Beda lib. 4. Hiſtor. Anglorum cap. 5. in quo ſtatuitur can. 10. *Si quiſquam propriam expulerit conjugem legitimo ſibi matrimonio conjunctam, ſi Chriſtianus rectè eſſe voluerit, nulli alteri copuletur, ſed ita permaneat, aut propria reconcilietur conjugi.* *Milevitanum.* Milevitanum celebratum ſub Innocentio primo à ſexaginta Epiſcopis cap. 17 Decretorum, ubi legitur : *Placuit & ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito, alteri conjugatur, ſed ità maneant, aut ſibimèt reconcilientur; quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur, in qua cauſa legem imperialem petendam promulgari.* *Africanum* Hoc Concilium Milevitanum confirmatum fuit ab Innocentio I. ut monet D. Auguſtinus, & ejuſdem verba repetita fuerunt

in Concilio Africano celebrato ſub Celeſtino I.

Præter hæc tria Concilia, quæ Provincialia fuerunt, habemus alia duo Generalia, quæ eamdem veritatem confirmant, Florentinum ſcilicet & Tridentinum. Illud ad quod convenerunt Græci & Latini in definitione fidei Armenis data, de Sacramento *Florentinū.* matrimonii loquens; ait: *Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum eſt Proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt Fides quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium Indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ; quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat Thori ſeparationem facere: non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt; cùm Matrimonium legitimè contractum perpetuum ſit.*

Aliud eſt Tridentinum quod in ſeſſ. 24. can. 7. inquit: *Si quis dixerit; Eccleſiam errare, cùm docuit & docet, juxtà Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vin-* *Tridentinū.* *culum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit, Anathema ſit.*

His Conciliis addendus eſt hic canon 47. Apoſtolorum: *Si quis Laicus cùm ſuam à ſe uxorem abjicit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam, à communione ſegregatur.* Hoc quidem canone firmatur indiſſulubilitas Matrimonii quoad vinculum, contra præcitatos Hæreticos.

Marc. 10. Eadem veritas colligitur ex variis locis Sacræ Scripturæ; primò quidem ex cap. 10. Marci, ubi cùm Chriſtus Dominus dixiſſet Phariſæis interrogantibus eum, an liceret viro uxorem dimittere, Moyſem dumtaxat permiſiſſe libellum repudii ad duritiam cordis, ab initio autem non fuiſſe ſic. Et Legem Divinam innovans addidiſſet: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hæc quippe reſponſio manifeſtè oſtendit, conjunctionem maritalem eſſe omninò indiſſulubilem ab hominibus, ſed poſſe diſſolvi ſolùm à Deo; qui mulierem viro conjunxit, eſtque mortis & vitæ Dominus. Quapropter ipſemet Chriſtus hac de re Diſcipulis iterùm interrogantibus dixit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & alteram duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Indè enim *Vinculum matrimonii eſt indiſſolubile.* ſequitur nullo modo licere viro dimittere uxorem; & aliam ducere, quia propoſitio univerſalis comprehendit omnes & ſingulos inferiores illius à quo fit, & obligat eos, ſi ſit præceptiva, nullamque cauſam admittat, ut ipſi inferiores ſe excuſare poſſint. Porrò hæc Lex Chriſti Dñi eſt prohibitiva quatenus aufert à viro habente uxorem, facultatem ducendi aliam, eſt etiam præceptiva quatenus præcipit viro adhærere uxori ſuæ; ideòque nullus vir poteſt duas ſimul habere uxores. Idque clariùs ſignificatur in c. *Luc. 16.* 16. v. 18. Lucæ, ubi Chriſtus ait: *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Hæc quidem particula, *omnis*, ſignificat nullum virum poſſe ob aliquam cauſam etiam ob fornicationem, uxorem ſuam dimittere; & ad alias Nuptias convolare; cùm abſolutè dicat, *mœchatur*; habitando cum ſecunda uxore, etiamſi dimiſerit primam propter adulterium, quoniam nemo in legitimo Matrimonio mœchatur, ut notat Divus Auguſtinus lib. de A- *D. Auguſt.* dulteriis conjugiis cap. 9. dicens: *Si quicumque hoc fecerit ut uxore ſua dimiſſa, alteram ducat, mœchatur: ſine dubio ibi ſunt ambo, & qui propter cauſam fornicationem dimittit uxorem, hoc eſt enim, quicumque dimiſerit, id eſt, omnis dimiſerit.* Itaque ex Evangelio evidenter conſtat, vinculum Matrimonij non eſſe diſſolubile, ad nutum unius, imò nec amborum conjugum, retento jure tranſeundi ad alias Nuptias (ut voluerunt Hæretici ſuprà nominati) propter adulterium unius conjugis, ut volunt Græci, & alii. Nam Chriſtus dicendo quòd uxor dimiſſa mœchatur, ſi alteri nubat, vult hoc ſecundum Matrimonium eſſe illicitum & nullum. Quod ſanè provenit ex vinculo primi Matrimonij adhuc exiſtente; cùm liceat Chriſtianis ſecundas Nuptias contrahere, ſolutis prioribus per mortem unius conjugis.

Suadetur etiam hæc Matrimonii indiſſolubilitas ex illo Apoſtoli ad Rom. cap. 7. verſ. 2. *Rom. 7.* *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt Legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Ibi enim Apoſtolus vult, vinculum Matrimonii tenere & ligare uſque ad mortem unius conjugis, ut inſinuat idem Apoſtolus Epiſt. 1. ad Corin- *1. Corint. 7.* thios, cap. 7. verſ. 39. his verbis: *Mulier alligata eſt Legi quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat.* Indè enim ſequitur quòd Matrimonij vinculum non poteſt diſſolvi per aliquod conjugum crimen; cùm ex Apoſtolo, mulier etiamſi adultera ſit, adhuc alligata ſit viro, quia vir ejus non deſinit vivere propter adulterium, quod ipſe commiſit, idcircò tunc nec vir, nec uxor poſſunt ita ſeparari, ut ad alias Nuptias valeant tranſire, cùm vinculum primi Matrimonij ex Apoſtolo duret, tamdiù, quamdiù durant, & vivunt conjuges; hique vivant etiam ſtante adulterio.

Dicent forſan Hæretici; virum deſinere eſſe jam virum illius uxoris, quæ adulterata fuit, ita ut quamvis corpore vivat vir mulieris adulteræ, non tamen vivat ut vir ejus, quia mulier adultera aliquo modo occidit virum vitio adulterij, auferendo ſcilicet ab eo corporis ſui poteſtatem, quam dederat illi in Matrimonio, & demerendo eam poteſtatem, quam habebat in corpus viri ſui.

Sed hæc ratio eſt prorsùs nulla, & falſa, quia Apoſtolus ibi non loquitur de vita civili, quæ conſiſtit in carentia bonæ famæ, & honoris, aut in jure conjugali, ſeu exigendi conjugale debitum, ſed de vita corporis, quia ait: *Si autem mortuus fue-* *Reſponſio ad inſtantiam Hæreticorū.* *rit vir ejus; liberata eſt à lege viri.* Hæc quidem mors, eſt mors corporis, quâ corpus & anima ſeparantur, ut notat Divus Auguſtinus prædicta verba Apoſtoli explicans in lib. de Adulterinis conjugiis, capite quarto, dicens: *Secundùm doctrinam ſanam, mulier alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit, id eſt, nondum à corpore abſceſſit, mulier enim ſub viro vivo marito juncta eſt legi, hoc eſt; in corpore conſtante: ſi autem mortuus fuerit, hoc eſt; de corpore exierit, evacuata eſt à lege viri, ut non ſit adultera; ſi fuerit cum alio viro: Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata; vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt, nullius viri poſterioris uxor eſſe incipit; niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris ſi moriatur vir ejus,* *D. Auguſt.* *non ſi fornicetur, licet itaque dimittitur ob cauſam fornicationis; ſed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii; qui dimiſſam duxerit, etiam ob cauſam fornicationis.* Ex quibus conſtat, Apoſtolum non loqui de morte civili, ſed de morte phyſica; & naturali, quâ deſtruitur corpus in quod alter conjux habebat poteſtatem. Loquitur enim reſpectivè ad

uſum Matrimonij, qui non adulteriô, ſeu morte civili, ſed morte phyſicâ tollitur.

Habemus contra Græcos aliud Apoſtoli teſtimonium, ex quo indiſſolubilitas Matrimonij colligitur; ait enim Paulus 1. ad Corinthios, capite ſeptimo, verſiculo decimo: *Iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Indè etiam conſtat, virum non poſſe ita dimittere uxorem, ut poſſit ducere aliam, etiamſi hæc uxor dimittatur propter fornicationem, ſeu adultera ſit; cùm hæc, ſi dimittatur, teneatur manere innupta, hoc eſt, non contrahere aliud Matrimonium. Ratio hujus veritatis eſt, quia ibi Apoſtolus dicens: *quod ſi diſceſſerit*, loquitur de juſto & approbato ipſius uxoris diſceſſu, qualis eſt ille, qui fit ob moleſtam cohabitationem viri, vel propter adulterium, ut notat Divus Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 9. alioquin Apoſtolus determinatè, illi ſcilicet uxori dimiſſæ propter adulterium, præciperet, ut viro ſuo reconciliaretur, ſi nollet manere innupta, nè vie tranſiret ad alias Nuptias, ad quas licitè in Doctrina Græcorum tranſire poſſet. Undè cùm Apoſtolus duas partes disjunctivè aſſignet uxori adulteræ à viro ſuo dimiſſæ, ſcilicet reconciliationem, & continentiam, certum eſt quod uxori ob adulterium dimiſſe, aut viro adultero, non eſt aliud medium, acproinde nullum ipſis concedit jus convolandi ad alias Nuptias, & ideò ex Apoſtolo conſtat quod factâ dimiſſione unius conjugis ab alio cauſa fornicationis, & adulterij, vinculum Matrimonii non diſſolvitur, ita ut conjuges poſſint ad alias Nuptias tranſire, cùm nonobſtante dimiſſione, uxor teneatur manere innupta, ſi nolit, aut non poſſit viro ſuo reconciliari, hæc quidem reconciliatio denotat, Matrimonium adhuc ligare, nonobſtante adulterio, ut exponit Evariſtus Papa in Epiſt. 2. dicens: *Sicut uxori non licet dimittere virum ſuum ut alteri ſe, vivente eo, Matrimonio ſociet, aut eum adulteret, licet ſit fornicatus vir ejus, ſed juxta Apoſtolum, aut viro ſuo reconciliari debet, aut manere innupta; ita Eccleſia non licet dimittere Epiſcopum ſuum, aut ab eo ſegregare ſe.* Quippe per hæc verba ille Summus Pontifex conjugibus fornicationis causâ ſeparatis claudit tranſitum ad alias Nuptias.

1. Cor. 7.

D. Auguſt.

Evariſtus.

Idem habetur ex Sancto Iſydoro lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis, cap. 19. ubi legitur: *Sacramentum ideò inter conjugatos dictum eſt, quia non poteſt Eccleſia dividi à Christo, ita nec uxor à viro, quod ergo in Chriſto, & in Eccleſia, hoc in ſingulis quibuſque viris & uxoribus conjunctionis inſeparabile Sacramentum. Unde & Apoſtolus, præcipio (inquit) non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere; probibet enim dimitti quacumque ex cauſa, nè aliis conjungantur ſecundùm conſuetudinem Judæorum, quam Dominus interdicit, dicens: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, & aliam duxerit, mœchatur.* Ibi ille Sanctus Doctor duo demonſtrat. Primum eſt inter virum & uxorem, eſſe quamdam conjunctionem indiviſibilem, quæ Matrimonii Sacramentum conſtituit, & ſubſiſtit tamdiù, quamdiu ſubſiſtunt Partes, ſeu conjuges. Aliud autem eſt quod Apoſtolus probibet uxori dimiſſionem & tranſitum ad alias Nuptias. Suadet adhuc nullam eſſe cauſam ob quam mulier, etiamſi adultera ſit, poſſit dimitti à viro, quoniam ſi dimiſſio licita eſſet in cauſa fornicationis, ſequeretur quòd uxor dimiſſa poſſet aliquando jungi alio viro, ſcilicet dum dimiſſio fieret propter adulterium, ſed hoc eſt falſum, quia tenetur manere innupta, aut viro ſuo reconciliari, à quo dimiſſa fuit ob adulterium, quod commiſit.

Iſidorus.

Sunt aliæ rationes apud Sanctos Patres, quæ confirmant veritatem, quam defendimus. Prima eſt quod Matrimonium inter Fideles contractum, ſignificat juxta mentem Apoſtoli ad Epheſios 5. conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ quidem conjunctio eſt indiviſibilis, ut patet ex hoc, quod ſi Fideles aliqui fornicentur ſpiritualiter, hoc eſt, ſi peccent, non propterea alium Deum aſſumunt, nec fiunt infideles, nec renuit Deus reconciliari cum illis; tale igitur debet eſſe Matrimonium Chriſtianorum, quale eſt Matrimonium Chriſti cum Membris Eccleſiæ, hoc eſt, omninò indiſſolubile.

Epheſ. 5.

Secunda Ratio eſt Divi Hieronymi in capite decimo-nono Matthæi, aſſerentis quod ſi Matrimonium poſſet diſſolvi quoad vinculũ causâ adulterii, periculum eſſet nè maritus ob deſiderium nubendi alteri uxori, primæ imponeret calumnioſè adulterium, imò periculum eſſet nè unus conjux voluntariè committeret adulterium animo diſſolvendi Matrimonium ob incommoda, quæ ſæpè eveniunt ob motum incompatibilitatem, vel ob alias cauſas.

D. Hieron.

Tertia Ratio militans contra Græcos, petitur ex parte prolis, cui ſumma injuria afficeretur, ſi diſſoluto primo Matrimonio, aliud poſſet contrahi. Nam pro Patre inciperet habere Vitricum, & pro Matre Novercam. Quòd certò noceret proli, ut patet nedum experientia, ſed etiam ex gloſſa in Clement. Paſtoral. de Sentent. & re Jud. ubi legitur quod Noverca ſævit in Privignos. Sunt aliæ quamplurimæ rationes ex inconvenientibus orientes, ſed eas omitto, quia videri poſſunt apud Theologos Morales. & ſcholaſticos, qui fuſius probant Matrimonii vinculum eſſe indiſſolubile.

§. II.

De Solutione ad Rationes contrarias

HÆretici nituntur demonſtrare, Matrimonium eſſe diſſolubile ex ipſius conſenſu mutuo; dicunt enim conjuges liberè conſenſerunt, acproindè poſſunt liberè diſſentire, & ſic matrimonium diſſolvere quoad vinculum, res quidem per eaſdem cauſas naſcuntur, per quas diſſolvuntur, & è converſo, hoc eſt, diſſolvuntur per quas naſcuntur, undè cùm conjuges ſint tales, ſeu ligati in Matrimonio, quia voluerunt, ità liberi erunt, ſi velint, quoad matrimonij diſſolutionem. Ideò enim vir tenetur habere uxorem ſuam, nè illi injuriam faciat, at ſuppoſito quod ipſa velit eſſe cum alio viro, non facit illi injuriam, ſi dimittat illam, & aliam ducat.

Reſpondeo hanc rationem eſſe nullam, ſaltem quoad diſſolubilitatem vinculi, quia vinculum illud non procedit totaliter à Partibus, ſeu à viro, & uxore liberè conſentientibus, ut Hæretici ſupponunt, ſed etiam à Deo, qui conſentientes & volentes inviolabiliter unit, ut facilè ſuadetur ex illo Matth. 19. verſ. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ſed Deus vult quod vir maneat cum uxore ſua, & uxor cum viro cui alligata eſt, quamdiù vir vivit, ideoque licet conjuges velint ſe ſeparare; tamen non poſſunt Matrimonij vinculum

Diſſolvitur Hæreticorũ ratio.

diſſolvere, cùm non valeant ſeparare quod Deus conjunxit, etiamſi velint, quia divina voluntas non eſt conditionata, ſed abſoluta.

Deindè ſi argomentum Hæreticorum valeret, probaret tantum conjuges ex novo conſenſu poſſe dividere Thorum, & inter ſe convenire de continennia ſervanda, aut de ſtatu Religioſo ſtatim ſuſcipiendo, quoniam cohabitatio conjugum, & copula carnalis proveniunt ex mutuo conſenſu conjugum, qui ſi vellent, à copula carnali, & à Thoro citrà peccatum ſe abſtinerent intuitu perpetuæ conrinentiæ, quouiam ſeparatio quoad Thorum in forma præſcripta, eſt licita & approbata in Eccleſia Chriſti, ut pro cetto babetur in variis juris canonici textibus, & in variis exemplis Sanctorum conjugum, & præſertim Sancti Elzearij, & Sanctæ Delphinæ, quorum matrimonium fuit, ipſis conſentientibus, abſque copula corporum.

Armenorū argumentū Græci, Armeni, & alij ut articulum noſtrum impugneot, objiciunt illud Matth. 19. verſ. 9. ubi legitur Chriſtum ſic Phariſæis reſpondiſſe: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimiſſam duxerit, mæchatur.* Inde enim volunt, à contrariu ſenſu, quòd qui dimittit ſuam uxorem ob fornicationem, & aliam ducit, non mæchetur, & poſſit abſque ulla culpa habitare cum alia, qnia hæc reſponſio Chriſti duarum orationum vim habet, quarum una eſt affirmativa continens hujuſmodi regnlam: *Si quis uxorem ſuam abſque fornicationis cauſa dimiſerit, & aliam duxerit, mæchatur*, altera verò negativa eſt, quæ continet exceptionem ab hujuſmodi regula, quæque exprimitur per particulam, *niſi*, qua ſuppoſita, reſponſio Chriſti facit hunc ſenſum, non poteſt dimitti uxor, niſi ob fornicationem; hoc eſt, niſi ſit adultera, quæ ſi talis ſit poteſt dimitti & altera à viro dimittente duci. Hoc verum eſſe probant ex motivis & fine Chriſti reſpondentis ad Phariſæos interrogantes illum de libello repudij, quæ quidem reſponſio (inquiunt) omnimodam uxoris dimiſſionem continebat abſque ulla reſtrictione, & dabat viris libertatem plenam dimittendi uxorem. Nam Chriſtus abrogat reſponſione ſua libellum repudij, non abſolutè ità ut nullo modo liceret illis dimittere nxorem, ſed ſolùm conditionaliter & reſtrictivè, quia excipit caſum fornicationis, & aduiterij, in quo repudium cuncedit; alioquin ad interrogationem Phariſæorum de libello repudij non reſpondiſſet directè. Probabile quidem eſt qòòd ſi abſolutè ità præcepiſſet viro retinere uxorem ſuam; aut ſe credere uxori ſuæ ligatum, ut in nullo caſu conceſſiſſet libellum repudij, non pronuntiaſſet hanc particulam: *Niſi ob fornicationem*; ſed abſolutè & abſque ulla conditione dixiſſet, *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mæchatur*, quia ſic loquendo clarior fuiſſet ipſius reſponſio; & removiſſet omne dubium: ergo vir qui uxorem ſuam dimittit propter adulterium, ſi aliam ducat oxotem, non mæchatur; cúm habeat conditionem, qoæ à peccato excuſat uxoris dimiſſionem, & legitimat ſequens matrimonium, ſed licitè habitat cum ea, quia per adulterium ab uno conjuge commiſſum, alter conjox poteſt matrimonium diſſolvere quoad vinculum, & ipſe conjux innocens poteſt fieri liber, & beneficiô innocentiæ ſuæ aliam uxorem inculpabiliter ducere.

Huic argumento in quo ſiſtit totaliter fundamentum Græcorum Reſpondeo cum Sanctis Patribus communiter, hanc particulam, *Niſi ob fornicationem*, non dicere exceptionem totalem, ità ut prorſus diſſolvat matrimonium, tam quoad Thorum, quàm quoad vinculum, & permittat viro ducere aliam uxorem, ſed tantùm quoad Thorum & cohabitationem, quia non refertur ad id, quod ſequitur, ſcilicet ad contractionem ſecundi matrimonij, ſed ſolum ad id, quod præcedit, ſcilicet ad dimiſſiooem & ſeparationem quoad Thorum, vel cohabitationem. Nam hæc exceptio facit hunc ſenſum, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*, hoc eſt, ab ea ſe ſeparaverit quoad Thorum, & habitationem, quod utique facere non poteſt niſi propter fornicationem, *Et aliam duxerit, mæchatur*; hinc eſt quòd fornicatio procurat dimiſſionem conjugis adulteri dumtaxat, eamque à peccato excuſat, ſed non legitimat alias nuptias, quia ſi aliam ducat, mæchatur: hoc autem peccatum non committitur dimittendo uxorem, ſed aliam ducendo; etenim ex reſponſione Chriſti conſtat quòd mæcha non provenit, nec fundatur in dimiſſione, ſed in novo matrimonio quod contrahitur conſequenter ad illam dimiſſionem. Mæchus non eſt ille qui dimiſit uxorem ob adulterium aut foroicationem, ſed ille qui dimiſſa uxore, habitat cum alia. Ita ſentit Divus Anſelmus in comment. ſuper cap. 5. Matth. ubi ait: *Hic præcipit non dimittere uxorem, excepta tantum cauſa fornicationis, ſi enim ipſa ruperit legem conjugij, poteſt eam homo à ſe ſeparare, ut illam commixtionem auferat ſibi quam violavit, ſed tamen Sacramentum conjugij remanet, ut non aliam ducat.* *Reſponſio ad rationem argumenti* *D. Anſelm.*

Idem docet ſuper 19. cap. ejuſdem Matth. ubi ait: *Sola fornicatio eſt cauſa ſeparationis, poſtquam enim mulier, quæ eſt viro juncta, & una erā in carnali copula, in aliam carnem illam unitatem tranſmiſerit, & fornicatione illam diviſerit, non amittet quidem vinculum conjugij, ſed meretur non amplius carnaliter cum viro ſuo copulari, quia contra copulationem peccavit*, & in pœnam peccati meretur privari jure utendi corpore mariti, nedum illius à quo dimittitur, ſed etiam alterius cui nubere poſſet, ſi maritus moreretur, hinc eſt, quòd qui ducit mulierem dimiſſam à viro ſuo ob fornicationem, mæchatur, quia ducit uxorem alterius, quòd non licet, quoniam eſt contra mentem Chriſti Domini.

Ad probationem dico, Chriſtum rectè reſpondiſſe Judæis dicendo quòd licet ob fornicationem uxorem dimittere; non tamen vir poſſit aliam ducere, hac autem reſponſione defendit Phariſæis aliquid quod facere ſolebant nempe nuptias cum alia uxore, idcirco non debuit eis dicere ſimpliciter & abſolutè: *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit, mæchatur*; Quia non reſolviſſet plene dubium, nam quærebant ab eo, an liceret eis facere ſicut Judæi; ſcilicet uxorem dimittere, & aliam ducere, quæ ſunt duæ res longè diverſæ, ideoque Chriſtus reſpondit dicendo: primo quòd licet dimittere uxorem, non ob omnem cauſam, ſed ſolùm propter fornicationem. Secundo quòd facta hac dimiſſione cauſâ adulterij, nullo modo licet ducere aliam, cum dicat quòd qui ducit aliam, mæchatur. Indè clarè deducitur, Chriſtum dixiſſe duo, nempe qood licet dimittere oxorem propter fornicationem, hæcque eſt propoſitio ad quam refertur particula, *niſi*. Et quòd non licet ducere aliam, hæcque eſt propoſitio ad quam non refertur eadem particula. Nam qui ob foroicatiooem dimittit uxorem, non peccat dimittendo; cùm hæc dimiſſio non ſit adulterium, ut ex *Reſponſio ad confirmationem*

ipſius adulterii definitione & naturâ patet, ſed peccat, ſi aliam ducat, quia mæchari, quod eſt illud peccatum, de quo Chriſtus loquitur, non fit dimittendo uxorem, ſed ducendo aliam juxta illud Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam & aliam ducit, mœchatur*: ex quo ſequitur, quòd ſi dimittat uxorem ſuam propter fornicationem, & non ducat aliam, non mæchatur, id eſt, non peccat peccato adulterii, itaque Chriſtus permittendo repudium ob fornicationem, aut prohibendo dimiſſionem uxoris, excepta fornicationis cauſâ, non permiſit aliud matrimonium. Quod verum eſſe probo ex aliis Evangeliſtis, ſcilicet ex Sanctis Marco cap. 10. & Luca cap. 16. quorum verba ſuprà retuli, in quibus verbis & locis, ipſi Evangeliſtæ generaliter & ſine ulla expreſſione cauſæ fornicationis & adulterii exprimunt, mulierem dimiſſam mæchari, ſi alteri viro nubat, expreſſiſſent tamen illam, ſi legitimaret ſecundas nuptias, ſeu ſi permitteret viro dimittenti uxorem ſuam, ducere aliam. Unde cùm eam non expreſſerint, ſignum eſt quòd hæc particula, *niſi*, apud Matthæum non cadit ſuprà ſecundam reſponſionis partem, quæ eſt de alia uxore ducenda, ſed ſuprà aliam, quæ eſt de muliere adultera dimittenda, cùm tribuat parti innocenti matrimonii vinculum diſſolvere, ut facilè colligitur ex verbis Concilii Florentini ſuprà relatis.

Explicatur Textus Matth. 19. in argumento Armenorũ relatus.

Dicent forſan Græci, verba illa, quæ ſunt apud Marcum & Lucam eſſe interpretanda cum exceptione cauſæ fornicationis & adulterii, quia Matthæus poſuit illam, ſæpè enim neceſſarium eſt, verba unius Evangeliſtæ interpretari per verba alterius, ut mos eſt apud Expoſitores tam Græcos, quàm Latinos.

Huic inſtantiæ dico quòd non convincit, quia D. Matthæus poteſt etiam interpretari per alios duos Evangeliſtas, ac proinde licitum eſſe credere Matthæum loqui, ſicut loquuntur Marcus & Lucas. Vel dico quòd inſtantia eſt vera, dum unus Evangeliſta cum altero pugnare videtur, non verò dum nulla eſt diſcordia, ut de facto nulla eſt inter Matthæum, & alios duos Evangeliſtas, utpotè Marcum & Lucam, quod verum eſſe ſic oſtendo. Matthæus cap. 5. verſ. 32. optimè diſtinguit dimittere uxorem & ducere uxorem, velut duo membra reſponſionis Chriſti, ibi enim ait: *omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mæchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Nonne hîc S. Matthæus vult dicere, quod ille, qui dimittit uxorem ſuam ob fornicationem, eſt diverſus ab eo, qui eandem uxorem dimiſſam ducit, cùm in hoc textu ſint duo pronomina *qui* quorum quodlibet propriam perſonam deſignat. Nonne vult inſuper, quòd ſi vir dimittat uxorem ſuam non adulteram, peccet, quia facit eam mæchari. Nonne vult quòd ille qui ducit uxorem dimiſſam ab alio, peccet? quia adulterat: igitur in cap. 19. verſ. 9. ubi inquit: *quicunque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*: loquitur in eodem ſenſu, in quo loquitur cap. 5. & vult quòd mæchari non cadat ſuper eum qui dimiſit uxorem ſuam ob fornicationem, cùm homo ſic dimittens uxorem ſuam non ſit adulter, ſi nullam uxorem agnoſcit, benè verò ſi vivente dimiſſa, alteri nubat. Sed vult quòd cadat ſuper eum qui duxit uxorem dimiſſam, ſimiliter & ſuper eum qui dimiſit ſuam, & duxit aliam; aliòquin ſibi contradiceret ipſe Matthæus, quòd eſt improbabile, idcóque nulla eſt diſcordia inter Sanctum Matthæum & alios duos Evangeliſtas, ſcilicet Marcum & Lucam aſſerentes, mæchum eſſe illum, qui dimittit uxorem, & aliam ducit, non verò illum, qui tantùm uxorem dimittit. Nam qui dimiſit uxorem, exceptâ fornicationis cauſâ, facit eam mæchari, & ſi dimittat illam cum hoc caſu, non facit eam mæchari, ſi verò ducat aliam, mæchatur, idcirco non licet viro, poſt uxorem adulteram dimiſſam, ducere aliam, cùm ſi ducat, mæchetur, & ſi non ducat, quamvis priorem dimiſerit, non mæchatur.

Rejicitur Armenorũ inſtantia.

Replicant Adverſarii, & ſic inſurgunt. Verba D. Matthæi intelligenda ſunt de dimiſſione perfecta uxoris adulteræ, ut autem hæc dimiſſio perfecta ſit, neceſſe eſt, quòd ſit non ſolùm quoad Thorum, ſed etiam quoad vinculum.

Hæc inſtantia non valet, nam dimiſſio uxoris adulteræ, ut ſit perfecta, non eſt neceſſe quòd attingat vinculum matrimonii, quia ex ſe, & ex perfectione ſua intrinſeca, eſt indiſſolubile, nec Chriſtus apud Matthæum voluit mulierem adulteram, & virum innocentem habere jus transeundi ad alias nuptias, ſed ſolùm jus ſeparationis, & divortii quoad cohabitationem. Hujus veritatis ratio eſt, quia ibi Chriſtus Dominus voluit reformare errores, quibus Phariſæi & Scribæ erant infecti, & populum inficiebant, & emendavit in omnibus illis id, quod ante malè docere ſolebant; & præſertim uxorum ſuarum repudium, per quod putabant ſe ſolutos eſſe à vinculo uxoris, quam repudiebant, & ex quo aliam uxorem ducebant, & in hoc maximè peccabant, quia hoc faciebant contra jus naturæ (inquit noſter Alphonſus à caſtro) in quo jure nullus diſpenſare poteſt, niſi Author naturæ. Unde licèt ſtante permiſſione de uxore adultera dimittenda, non puniरentur illi, qui uxores dimittebant, tamen non erant liberi à peccato, dum alias ducebant: hinc eſt quòd Chriſtus non dixit: *Deus permiſit, ſed Moyſes permiſit*, ut viderent permiſſionem non eſſe à Deo, ſed ab homine. Ut viderent inſuper nullum poſſe impoſterùm uxorem dimittere, niſi propter fornicationem, & ipſa dimiſſione facta ob eamdem cauſam, nullum poſſe ducere aliam uxorem, primâ vivente, inquit D. Matth. 19. cap. *Quicumque dimiſerit &c.* & per conſequens ibi loquitur de ſola dimiſſione quoad Thorum; cùm declaret, eum qui dimiſit uxorem ſuam propter adulterium, non poſſe licitè aliam ducere, ut monet D. Auguſtinus lib. de Sermone Domini in monte cap. 14. ubi explicans eadem verba D. Matth. ait: *Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur, ſed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariè projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret.*

Rejicitur altera Armenorum inſtantia.

D. Auguſt

Tandem dicunt. Durum eſt, ut qui ſine culpa ſua, ſed propter ſolam uxoris fornicationem, illam dimiſit, cogatur ad ſervandam continentiam, præſertim ſi talis natus eſt, ut ad carnales coitus ſit pronus. Ita poſt plures alios Hæreticos Calvino anteriores, diſſerit ipſe Calvinus.

Argumentum Calvini.

Calvino & aliis reſpondeo, ſicut olim reſpondit D. Auguſtinus Pullentio illi, ad quem ſcripſit tractatum de adulterinis conjugiis, qui idem argumentum propoſuerat D. Auguſtino. Reſponſio autem hujus Sancti Doctoris lib. 2. cap. 20. hæc eſt. *Sed mihi reſpondes, continenter vivere paucorum eſt, & ideò qui fornicantes conjuges dimiſerunt, quoniam non poſſunt reconciliari, tantum ſe vident periclitari, ut Legem Chriſti non humanam, ſed feralem pronuncient: ô frater, quantùm ad incontinentes pertinet, multas querelas habere poſſunt, quibus, ut dicis, Legem Chriſti feralem pronuncient, non humanam, & tamen non propter illos Evangelium Chriſti pervertere, vel mutare debemus: te quippe ſola illorum querela permovet, qui conjuges cauſa fornicationis intercedente, dimittunt, ſi alias*

ducere non ſinantur: quoniam continere paucorum eſt, atque ad id debent laude exhortari, non Lege compelli. Itaque ſi dimiſſâ adulterâ non ducitur altera, juſtam querelam, ſicut putas, habebit hominum incontinentia; ſed attende quamplura ſunt, ubi ſi querelas incontinentium velimus admittere, neceſſe nobis erit adulteria permittere. Quid ſi enim aliquo diurno & inſanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impediatur? Quid ſi captivitas, vel vis aliqua ſeparet, ita ut ſciat vivere maritus uxorem, cujus ſibi copia denegatur, cenſes ne admittenda incontinentium murmura, & permittenda adulteria? Quid in hoc ipſo unde interrogatus eſt Dominus, reſponditque fieri non debere, ſed ad duritiam cordis eorum; Moyſem permiſiſſe dari libellum repudii, & quacumque cauſa dimittere uxorem? Nonne Lex Chriſti incontinentibus diſplicet, qui uxores litigioſas, injurioſas, imperioſas, faſtidioſas, & ad reddendum debitum conjugale difficillimas, repudio interveniente, abjicere volunt, & alteras ducere? Ita idem Doctor ex cujus verbis maniſeſtè conſtat, virum, qui uxorem ſuam dimiſit ob adulterium, habere remedium aliquod incontinentiæ ſuæ, ſeu tale, quale habet quando uxor aliquo diutno & inſanabili morbo corporis laborat. Undè ſi Hæretici non permittant ſecundas nuptias viro, cujus uxor morbo ita laborat, ut non poſſit reddere debitum matrimonii, idem jus denegare debent viro, cujus uxor propter adulterium dimiſſa fuit.

Reſponſio D. Auguſt.

Vel dico, quòd ſi vir non habeat donum continentiæ, habet ſemper remedium paratum, in quantùm poteſt non dimittere uxorem, ſi velit, nullum eſt enim præceptum, quô homo teneatur uxorem ſuam dimittere, quando videt eam adulteram; quamvis eam dimittere liceat illi; cùm poſſit uxori ipſi dimiſſæ reconciliari, ut monet Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 11. ubi habetur: *quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Idem monitum perhibet poſt Apoſtolum S. Auguſtinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 6. & ſequentibus, ubi argumentum deſumit à Deo, qui dimittit peccata noſtra, inquit enim: *ſi Deus per Sacramentū Pœnitentiæ, dimittat peccatum adulterii, & adulterum, & adulteram ſibi reconciliet; vir non debet renuere reconciliare ſibi uxorem Deo reconciliatam.* Itaque reſtat viro innocenti, cujus uxor eſt adultera, efficax remedium, quin cogatur neceſſariò aliam uxorem ducere.

1. Corinth. 7.

D. Auguſt.

Dicent, quòd Deus permittendo dimiſſionem uxoris adulteræ, quoad Thorum & habitationem, permittit etiam dimiſſionem quoad vinculum & alias nuptias, ad vitandam incontinentiam; cauſa quidem propter quam vir non poteſt aliam uxorem ducere, vivente primâ uxore, eſt quia non habet poteſtatem corporis ſui, ipſa vivente, ex eo quod corpus ſuum jam non eſt ſuum, ſed uxoris adhuc viventis, ut declarat Apoſtolus. At per adulterium pars innocens liberatur ab hac obligatione ſinendi corpus ſuum in poteſtate uxoris ad uſum matrimonii, Deo ſic permittente, ita ut corpus viri, vel feminæ, non ſit amplius alterius; ſed in propria ſit poteſtate conjugis innocentis, qui poteſt alium conjugem dimittere, ſi velit; idcircò ſolutio hujus matrimonii, non ſolùm eſt quoad Thorum, ſed etiam quoad vinculum. Et pars quæ non habet donum continentiæ, relictis omnibus remediis ab Apoſtolo, & à S. Patribus adhibitis, poteſt ſumere remedium, quod Chriſtus inſtituit, ſcilicet aliud matrimonium, cujus finis præcipuus eſt generatio, quæ non habetur niſi per copulam carnalem.

Ultima Hæreticorum ratio.

Reſpondeo ſuppoſitum eſſe falſum; aliud enim eſt permittere dimiſſionem uxoris quoad Thorum, & aliud quoad vinculum matrimonii, cùm copula carnalis non ſit tanti Sacramenti eſſentia, nec conſtitutivum primarium, ut probat matrimonium Beati Joſephi, & Beatæ Virginis Mariæ. Si maritus qui uxorem adulteram dimiſit, non poſſit ducere aliam uxorem, vivente adhuc dimiſſâ, hoc eſt, quia inter conjuges indiſſolubile reperitur vinculum, ex quo tamquam effectus ſequitur, ut qui vinculo conjugali conſtrictus eſt, non habeat amplius poteſtatem corporis ſui: effectus autem ille in cauſâ adulterii non ceſſat abſolutè, tam quoad poſſe, quàm quoad actum; aliòquin ſequeretur, quòd pars innocens non poſſet ſibi reconciliare alteram, ſed deberet cum eadem aliud matrimonium contrahere, ſi vellet habitare cum ea, quod eſt contra Apoſtolum, ſed ceſſat tantùm quoad actum, id eſt, dat parti innocenti jus denegandi, in pœnam adulterii, uſum ſui corporis, quin pars adultera offendatur, ſicut offenderetur, ſi ipſa pars innocens aliud matrimonium contraheret, quia manet prioris matrimonii vinculum, quod Deus vult eſſe perpetuum, ne fiat injuria proli, necnon unioni quam Chriſtus contraxit cum Eccleſia ſua, quæ eſt ex ſe indiſſolubilis atque perpetua, ideò dixit: *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, ubi ſeptuaginta Interpretes vertunt: *agglutinabitur*, ut ſignificetur conjunctio indiſſolubilis.

Solvitur hæc ultimò ratio.

ARTICULUS LXII.

Aſſerit contra Calviniſtas, nullum dari Præceptum obligans omnes ad contrahendum Matrimonium.

JOannes Calvinus, de quo ſæpè alibi locuti ſumus, plures ſeminavit errores, quorum unus eſt circa matrimonii contrahendi libertatem, voluit enim ille vir impiiſſimus, omnes homines generali præcepto, ita teneri ad nuptias contrahendas, ut nullus poſſit citra peccatum manere innuptus. Lutherus revera non adhæſit Calvino in hac parte; quia Sectarios ſuos non obligavit ad matrimonium expreſsè & directè, ſed eos ita hortatus eſt detrahendo virginitati, ut ſuaſerit omnibus matrimonium eſſe neceſſarium pro vita æterna conſequenda. In libro de Votis Monaſticis, ait: *cælibatus, virginitas, aureola nugæ ſunt, & mera Satanæ mendacia.* Et in lib. de conjugali vita, ut oſtenderet impoſſibile eſſe homini ſervare virginitatem, inquit: *ſicut in poteſtate mea non eſt quominùs ſim mas; ita minimè ſitum eſt in me, ut ſim ſine muliere.* Et aliquibus interpoſitis, ſubdit: *creſcite & multiplicamini non eſt præceptum, ſed pluſquàm præceptum, quod nos non poſſumus impedire, vel prætermittere; ſed proinde nobis neceſſarium eſt, & magis neceſſarium eſt, quàm edere & bibere, purgari, expuere, dormire & vigilare.* Ut hanc ſuam turpem & impudicam doctrinam, ſanam & veram oſtenderet, verbo & exemplo eam docere voluit, necnon confirmare opere, faciendo ſcilicet id, quod aliis prædicaverat. Nam cùm Monachus eſſet, velut canis impudicus ad vomitum rediens, omnem Monachatum rejecit, & uxorem duxit, quam non niſi Monialem eſſe voluit, ut ſimiles haberet, & indè ſuaderet, matrimonium eſſe omnibus neceſſarium neceſſitate abſolutâ, & indiſpenſabili pro conſequenda vita æterna, ac proinde virginitatis votum eſſe pro-

Calviniſt.

Lutherus.

ſus intolerabile.

Hic Lutheri, Lutheranorumque error, necnon Calvini impietas plurimùm excedunt impletatem Joviniani, qui anno CCCXCV. ſub Theodoſio Iuniore Imperatore, & Syricio Papâ, docuit virginitatem non eſſe apud Deum majoris & excellentioris meriti, quàm conjugium, ſed pares eſſe dixit nuptias virginitati: Lutherus autem & Calvinus omninò abolere voluerunt virginitatem. Reverà ob Joviniani hæreticam doctrinam, multæ Virgines Deo conſecratæ, provectæ etiam ætatis, poſthabito voto, quod emiſerant, poſteà nupſerunt, ſicut ad doctrinam Lutheri, plures in Germania Virgines rejecerunt Monachatum, & matrimonium ſuſceperunt: at Jovinianus depoſito Monachatu uxorem ducere noluit, non quòd majus ſe apud Deum meritum habiturum indè ſperaret, ſed nè nuptiarum pateretur moleſtias, ut ipſemet teſtatus eſt, ut referunt plures Scriptores; quidquid tamen ſit, impietas Lutheri excedit impietatem Joviniani, alia ratione, ſcilicet quia tollit libertatem vovendi virginitatem ſæpiſſimè in Sacra Scriptura, & à Sanctis Patribus commendatam, & imponit neceſſitatem contrahendi matrimonium; quod ex Tridentino infrà citando eſt minùs perfectum, quàm cælibatus. Jovinianus autem tantam non eſt auſus proferre Blaſphemiam, reliquit enim homini libertatem vovendi virginitatem, licèt non extollat eam magis quàm matrimonium.

Jovinianus

Joviniano ſtatim adhæſit Elvidius, à quo Elvidiani Hæretici ortum habent, ſeu, ille qui docuit Mariam Virginem peperiſſe Virginem, ſed poſt cum marito congreſſam obtuliſſe fratres Domini, quòd contra illum impiiſſimum virum impugnavimus in proprio loco. D. Hieronymus in lib. 2. adversùs Jovinianum, circa finem, vult Baſilidem Alexandrinum intemperantiæ Magiſtrum, ſolitò nuncupatum (qui vivebat anno CXXIV.) eſſe hujus hæreſis Jovinianæ Authorem, tamen D. Auguſtinus in lib. de hæreſibus, de hoc Baſilide diſſerens, non tribuit illi hunc errorem: Philaſtrius etiam recenſens errores Baſilidis, numquam hujus erroris meminit; nihilominus ſalvo meliori judicio, quantùm ad me eſt, exiſtimo opinionem D. Hieronymi eſſe ſequendam, quia affirmatio Divi Hieronymi debet præferri omiſſioni, aut ſilentio D. Auguſtini & Philaſtrii, alioquin non liceret nobis credere reſurrectionem Lazari, quam Sancti Matthæus, Marcus & Lucas Scriptis non commendarunt, quia Sanctus Joannes hujus Reſurrectionis dumtaxat meminit in cap. 11. credimus tamen eam, quia D. Joannes eam affirmat, licèt alii eam omittant.

Elvidius.

Quid de Baſilide ſentiendum ſit.

§ I.

In quo probatur Veritas Articuli.

HÆc hæreſis, tam Jovinianiſtarum, quàm Calviniſtarum & Lutheranorum, damnatur in omnibus Conciliis, in quibus virginitas commendatur. Nam ſi meritorium ſit vovere caſtitatem, ut in proprio loco probatum manet contra hos Hæreticos, neceſſariò ſequitur, Chriſtum neminem obligare ad contrahendum matrimonium, alioquin malum eſſet vovere caſtitatem, & permanere in cælibatu, quoniam votum emiſſum contra præceptum, eſt prorſus malum & illicitum. Porrò præ cæteris Conciliis, Tridentinum prædictos Hæreticos ſolemniori anathemate ferit in ſeſſ. 24. can. 10. ubi ait; *ſi quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis vel cælibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quàm jungi matrimonio, Anathema ſit.* Hæc verba evidenter oſtendunt, nullum ſtare præceptum de matrimonio contrahendo, quia nullum ſtat præceptum prohibens ſtatum beatiorem, qualis eſt reſpectu matrimonii & conjugii, ſtatus cælibatus aut virginitatis.

Tridentinum.

Idem infertur ratione deductâ ex teſtimoniis Sacræ Scripturæ: nam Apoſtoli, Sancti Patres, Concilia, omneſque Scriptores Sacri, hortantur fideles ad obſervantiam Mandatorum Dei, tanquam ad rem pro ſalute conſequenda penitùs neceſſariam, juxta illud Chriſti ad quendam adoleſcentem de ſua ſalute ſollicitum: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata.* Hac quidem reſponſione manifeſtè oſtenditur neceſſitas obſervandi Præcepta, & probatur, hanc obſervantiam eſſe maximum atque præcipuum Divinæ Dilectionis ſignum. Hinc eſt quòd ipſemet Chriſtus Joan. 14. verſ. 15. ait: *ſi diligitis me, Mandata mea ſervate:* Et verſ. 21. *qui habet Mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Sed nullus eſt textus in Sacra Scriptura, nec in Sacris Scriptoribus, qui incitet nos ad deſerendam virginitatem, & hortetur nos ad matrimonium contrahendum, imò plures ſunt, qui nos hortantur ad virginitatem aut cælibatum, tanquam ad ſtatum perfectiorem ſtatu conjugali, ut conſtat ex Apoſtolo, qui in variis verſibus prioris Epiſtolæ ad Corinth. cap. 7. viduitatem præfert nuptiis, & virginitatem ambabus, dicens: *qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit; & qui non jungit, melius facit.* Ecce quomodo declarat virginitatem eſſe perfectiorem matrimonio, aut ſtatu conjugali: *dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Virgo beatior erit, ſi ſic permaneat ſecundùm meum conſilium.* Itaque ex verbis Apoſtoli conſtat, quòd hortamur ad virginitatem, ac proinde quòd nullo præcepto tenemur contrahere matrimonium, cùm perfectius ſit non contrahere illud, quàm contrahere, ſeu non nubere, quàm nubere, quod tamen falſum eſſet, ſi ſtaret præceptum de matrimonio ab omnibus contrahendo. Ratio hujus rei eſt, quia perfectius eſt Dei præcepta obſervare, quàm non obſervare: imò ſumma imperfectio; maxima quidem miſeria eſt, non obſervare Mandata Dei: hinc eſt quod juxta Scripturæ teſtimonium, & Sanctorum exemplum, tenemur omnia deſpicere, ut adimpleamus Divina Præcepta, quorum obſervantia eſt abſolutè neceſſaria pro conſequenda vita æterna, ut jam monui, teſte Chriſto Domino, dicente: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata.*

Joan. 14.

1. Corinth. 7.

Eadem veritas ſuadetur & facilè demonſtratur, omnibus virginitatis & matrimonii diſcrimen perpendentibus, nam virginitas magis confert ad ſalutem conſequendam, pretioſioreſque habet effectus, quàm ſtatus conjugalis. Pro quo advertendum eſt, quòd mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu, quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, juxta teſtmonium Apoſtoli; porró melius eſt cogitare quæ ſunt Dei, quàm quæ ſunt mundi, idcircò potiùs eſſet præceptum de virginitate ſervanda, quàm de matrimonio contrahendo. Virgo Domino, maritus verò uxori placere cupit, & ut uxori placeat, ſollicitudinem gerit de rebus quæ in mundo ſunt, & ad mundum pertinent, eſtque

Nullum eſt præceptum de matrimonio contrahendum.

ita diviſus, ot oon adhæreat totaliter Deo, quia qui adhæret Deo, unus Spiritus efficitur cum eo, cùm ubi eſt unitas, ibi non ſit diviſio. In Virgine autem oulla eſt diviſio, quia ſoli Deo placere cupiens, unicum babet ſpiritum, hunequc Divinum: igitur nullus poteſt teneri ad contrahendum matrimooium, quia præſtantius eſt adhærere Deo, eique placere, quàm diviſum eſſe in ſollicitudinum partes, & miſeriatum, hoc eſt, magis prodeſt homini non nubere, quàm nubere, ex quo ſequitur quòd hoc ultimum, ſcilicet oubere, non eſt de præcepto; alioquin peccaſſent Jeremias, Elias, Eliſæus, tres

S. Ignatius

Pueri in fornacem miſſi, Daniel, Joannes Baptiſta, & Joannes Evangeliſta, qui virgioitatem ſervaverunt (ut teſtantur S. Jgnatius, Epiphanius, Hie-

D. Epiphan.

ronymus, Ambroſius, Damaſcenus) aliique multi viri Sancti atque docti, qni eorum virginitatem lau-

D. Ambroſ.

dant, & eos conjugatis exiſtimant feliciores. Peccaſſet etiam Paulus, qui uxorem non duxit, & hor-

D. Hieron.

tatus eſt Corinthios ad cælibatum, dicens illis cap. 7. verſ. 7. *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum;*

D. Damaſc.

ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic. Certò ita locutus eſt Apoſtolus, quia ſciebat quòd omnes poterant eſſe ſicut ipſe erat, id eſt ſine uxore vivere; & quod perfectius eſt ſic eſſe, quàm vivere in conjugio; quod certò oon dixiſſet Corinthiis, ſi ipſi habuiſſent præceptum nubendi, quia quod contra præceptum eſt, ioiquum eſt.

Idem dixiſſet, ſi matrimonium eſſet perfectius virginitate, qnia res quæ eſt de præcepto, eſt perfectior eà, quæ eſt de conſilio; id enim ad quod

1. Corinth. 7.

magis nos provocat Paulus verbo & exemplo, perfectius eſt eo; ad quod non provocat nos: unde dum ait de non nuptis & virginibus: *permaneant ſicut & ego*, non luquitur ſecundùm imperium, quia de virginibus præceptum Domini non habet, ſed ſecuodùm indulgentiam, quia homo poteſt eligere ſtatum quem voluerit, ſcilicet cælibatum, vel matrimonium, eſtque liber ad utrumque, idcircò de neutro habetur præceptum; quòd ſi eſſet de aliquo; potius eſſet de virginitate; quàm de matrimonio; at nullum eſt præceptum de ſervanda virgioitate; ut monet idem Apoſtolus, loco citato verſ. 25. dicens: *de virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis:* igitur uullum eſt pariter præceptum de matrimonio contrahendo, ſed tantùm conſilium, juxta eumdem Apoſtolum; qui de vidua ait: *cui vult nubat*, nec hoc conſulit abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione, quòd non ſe contineat.

§. II.

Reſpondet Rationibus Hæreticorum:

HÆretici nituntur invenire præceptum de matrimonio contrahendo; illudque inveniſſe putant in his verbis, quæ habentur Geneſ. cap. 1. dictis

Præcipua Hæreticorū ratio.

à Deo primis parentibus ſtatim poſt eorum creationem: *creſcite & multiplicamini*; in quibus verbis; volunt, Deum omni homini præcepiſſe generationem, & dediſſe præceptum de matrimonio cuntrahendo: Ita ſentiunt Lutherus, Calvinus in ſuo opere de inſtitutione Chriſtianæ Religionis cap. 3. ubi inquit: *hac lege conditus eſt homo, ut ſolitariam vitam non agat, ſed adjuncto ſibi ſubſidio utatur, deinde ex peccati maledictione in hanc neceſſitatem magis additus eſt*, quibus verbis declarat, matrimonium in lege nova eſſe ſtatum omnibus neceſſarium, ad quem nos Deus vocavit, generali vocatione, imo ad quem nos aſtringit Deus, dicens de omnibus & ſingulis hominibus: *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, hoc eſt, ſine uxore. Et ſi hæc vocatio ad matrimonium differri poſſit, non poteſt tamen, inquit, io perpetuum differri, nec rejici.

Porrò hæc Sententia eſt apertè Hæretica; falſum enim eſt; hæc verba Geneſis, *creſcite &c.* habere vim præcepti perpetui, & extenſi ad omnes & ſingulos homines, ita ut debeat obligare poſt adventum Chriſti, dato enim quòd à principio mundi eſſet præceptum, & obligaret hominem ad nuptias con-

Falſa eſt Hæreticorū ratio.

trahendas; ut per illum genus humanum propagaret, & terra repleretur, modò tamen genere humano propagato, non obligat omnes & ſingulos homines, ſicut eos obligant præcepta Decalogi, ſed liberum eſt cuique virginem eſſe, aut matrimonio ligatum, ſeu nubere, vel non nubere; ut reſpondet D. Hieronymus ad Elvidium idem argumentum objicientem contra virginitatem, ibi enim ait: *pro conditione temporum Sancti Veteris Teſtamenti, aliæ ſubjacuerunt Sententiæ, & aliæ nos in Novo Teſtamen-*

D. Hieron.

to, in quo fines ſæculorum devenerunt quandiu lex illa permanſit, creſcite & multiplicamini, & replete terram & maledicta ſterilis, quæ non ſemen in Iſrael, nubebant omnes, & nubebantur, & derelictis parentibus; fiebat una caro, quando verò illa pertonuit, tempus breviatum eſt, ut qui habent uxores ſint ſicut quaſi non habentes, jam plenus eſt orbis, nos non capit, quotidie bella ſecant, morbi ſubtrahunt, naufragia abſorbent, & nihilominus de terminis litigamus. Ex quibus verbis liquet; nullum ligari obligatione nubendi virtute illius præcepti, *creſcite*; in principio mundi à Deo promulgati; quod tunc obligabat omnes homines ad multiplicationem generis humani; & repletionem terræ; nunc verò ceſſat, quia jam ceſſavit ipſius præcepti finis, cùm genus humanum ſatis repletum ſit atque multiplicatum, idcircò non obligat omnes homines; licèt potuerit eos in principio mundi obligare, ut terra repleretur.

Eidem argumento Hæreticorum reſponderi poteſt; hæc verba Geneſis, *creſcite &c.* non imponere ſingulis hominibus neceſſitatem nubendi, ſed ſolùm declarare cauſam; ob quam matrimonium fuit inſtitutum; ſcilicet prolem & multiplicationem ſpecierum, quæ ex copula maſculi & fœminæ duntaxat provenire poteſt; idcòque dum Deus dixit, *creſcite & multiplicamini*, non condidit præceptum, ſed ſuam largitus eſt benedictionem: Ratio in promptu eſt; quia non hominibus tantùm, ſed etiam beſtiis præcepti incapacibus dictum fuit, *creſcite & multiplicamini; & replete terram*, ut con-

Geneſ. 1.

ſtat ex verſ. 22. primi capitis Geneſeos. Sane hoc evidenter probat, eiſdem verbis non exprimi præceptum obligans omnes & ſingulos homines ad conjugium; ita ut quilibet homo teneatur nubere, ſicut tenetur amare Deum, ſed ſolùm continuam fœcunditatis largitionem & benedictionem, pro conſervatione omnium ſpecierum, quæ nequit haberi; niſi per multiplicationem individuorum, quæ fit per copulam. Hinc eſt quòd in loco citato, verſ. 21. Moyſes ait: *creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Benedixitque eis dicens: creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aveſque multiplicentur ſuper terram.* Ut agnoſceremus prædicta verba potius continere benedictionem nuptiarum, quàm præceptum obligans ad eaſdem nuptias contrahendas, cùm fuerint dicta cunc-

tis beſtils terræ, quæ licèt valeant aliqua benedictione fœcundari, nequeunt tamen aliquu præcepto poſitivo ligari.

Dicunt inſuper Calviniſtæ & alii. Patriarchæ & Apoſtoli habuerunt uxores, quin tamen liceat dicere virginem, ſeu illum qui non habet uxorem, eſſe meliurem ipſis Patriarchis & Apoſtolis; inſolens enim eſſet ille qui diceret, quòd omnis qui vivit in cælibatu, melior eſt Beato Petro Apoſtolo, & Sancto Patre Abraham, qui habuerunt uxores; & ideò virginitas non eſt perfectiur matrimonio, cùm non raró innuptus ſit minùs perfectus, quàm conjugatus, ac proinde de ipſu matrimonio contrahendo poteſt dari præceptum, quod cùm ſit neceſſarium ad ſalutem, quatenùs reprimir motus carnis & concupiſcentiæ, qui ducunt ad perditionem, neceſſe fuit in lege nuva coudere præceptum de matrimunio contrahendo.

Calviniſtarum ratio.

Omninò extra propoſitum eſt hoc argumentum, nullamque vim facit, quá matrimonium poſſit ſuprà virginitatem extolli, ut de matrimoniu ipſo habeatur præceptum humines obligans, ut credunt Hæretici. Quapropter ut Hæreticorum ratio repellatur, audiendus eſt D. Auguſtinus in lib. de bonu conjugali cap. 21. ubi ſic loquitur: *Ex quo venit plenitudo temporis, ut diceretur, quis poteſt capere, capiat, & illo uſque adhuc, & deinceps uſque in finem, qui habet operatur, qui operari noluerit, non ſe habere mentiatur, ac per hoc ab eis, qui corrumpunt bonos mores colloquiis, inaniter & vanâ verſutiâ, dicitur homini Chriſtiano continenti & nuptias recuſanti. Tu ergò melior quàm Abraham? quòd ille cùm audierit non perturbetur, neque audeat dicere, melior, nec à propoſito delabatur, illud enim non verè dicit, hoc non rectè facit, ſed dicat, ego quidem non ſum melior Abraham, ſed melior eſt caſtitas cælibum, quam caſtitas nuptiarum, quarum Abraham unam habebat in uſu, ambas in habitu, caſtè quippe conjugaliter vixit, eſſe autem caſtus ſine conjugio potuit, ſed tunc non oportuit.*

D. Auguſt.

Sanctus Auguſtinus optimè reſpondet argumento Juviniani, quo uſi ſunt poſteá Hæretici moderni, cùm dicat quæſtionem non eſſe, an Paulus, V. G. innuptus & virgo, ſit melior Petro & Patre Abrahamu, qui uxorem duxerunt, ſed ſulùm an virginitas ſit melior conjugio. Ad quam difficultatem reſpondet affirmativè, & ideò ex D. Auguſtinu nullus obligatur præceptu Divino ad contrahendum matrimonium; cùm nullus ſit qui non poſſit vovere virginitatem, ſi velit. Et nullus poſſit ſe diſpenſare in præcepto Divino, diſpenſaret ſe tamen ille, qui nollet nubere: ſi Chriſtus præcepto ſpeciali nos obligaſſet ad matrimonium, aut voluiſſet hæc verba, *creſcite &c.* (quæ ex Adverſariis continent præceptum) habere apud nos eamdem virtutem, quam habebant in principio mundi, aut dicta fuiſſe pru umnibus & ſingulis hominibus, tam præſentibus quàm futuris, at qui non nubit, non diſpenſatur, nullumque præceptum tranſgreditur, ergo, &c.

Tandem dicunt quòd impoſſibile eſt homini ſervare continentiam & virginitatem, & ex hac impoſſibilitate concludunt, virginitatem, continentiam, aut cælibatum, nun eſſe rem bonam & convenientem humini, quia omnes humanas vires ſuperat, eſtque valdè inimica vitæ propriæ, quia ad vitæ propriæ conſervationem neceſſarius eſt uxoris uſus, ſicut cibus & potus. Ex hoc diſcurſu (qui eſt Juviniani) Lutherus infert, nos teneri ad contrahendum matrimonium, ſicut tenemur edere & bibere, propter vitam conſervandam.

Ratio Joviniani quâ utitur Luth.

Sed hæc ratio falſiſſima eſt, atque impudentiſſima, nam ſi attentè conſideretur, eſt potius excuſatio peccati, incontinentiæ & voluptatis, quàm argumentatio, quia falſum eſt quòd homo non poſſit eſſe continens, adjuvante Divinâ gratiâ (quamvis verum ſit, hominem ex propriis viribus non poſſe virginitatem ſervare; & ab omni prorſus coitu ſe abſtinere.) Nam Paulo rugauti Deum, ut ab eo auferret ſtimulum carnis, à quo nimium affligebatur, ipſe Deus reſpondit: *Paule, ſufficit tibi Gratia mea.* Et poſt hoc Divinum Adjuturium, multis in rebus expertus, dixit: *omnia poſſum in eo qui me confortat.* Si omnia ergo & virginitatem toto vitæ decurſu ſervare; hoc autem Divinum auxilium datum Paulo, datur huminibus à Deo, qui ſemper eſt paratus dare idem auxilium omnibus, qui efflagitant illud, ut poſſint virginitatem illæſam ſervare, & uxorem proximi non concupiſcere; alioquin illud Decalogi præceptum: *non mæchaberis*; eſſet impoſſibile, quod eſt falſum, ut jam probatum eſt contra Janſeniſtas.

Reſponſio ad Jovinian.

Calvinus iu cap. 3. inſtitut. negat huc auxilium dari omnibus, vult enim ipſum dari tantùm illis, qui in viis ſuis ambulant, hoc eſt, in ſuâ vocatione, à qua ſe ſubducunt omnes, qui præteritis Dei ſubſidiis, neceſſitate ſua ſuperate, eluctarique inani temeritate contendunt, ita loquitur Joannes Calvinus. Sed allucinatur, putat enim nullum aliud eſſe remedium illi, qui a carne tentatur niſi uxorem ducere, & illi copulari; cùm affirmet illum præterire Dei ſubſidia, qui à carne vexatus, non volat ad matrimonium, ſed conatur ſuperare, & eluctari, quaſi nullum aliud eſſet Dei ſubſidium, niſi matrimonium. Sanè in hoc à veritate plurimùm aberrat. Hujus erroris ratio eſt; quia Deus dat gratiam omnibus, qui à carne tentantur, nè à tentatore vincantur, ut affirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 13. dicens: *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

Falſa Calvini ratiocinatio.

1. Corinth. 10.

Deinde jejunium, abſtinentia cibi & potus, oratio, ſtudium & alii ſimiles actus carnem macerantes, comprimentesque vitia, ſunt remedium concupiſcentiæ, ut manifeſtum eſt, nedum exemplo Pauli qui corpus ſuum caſtigâbat, ut illud ad ſervitutem redigeret, ſed etiam in variis Sacræ Scripturæ locis, quibus unanimiter ſuffragantur Sancti Patres: Igitur ut liberemur à tentationibus carnis, non tenemur neceſſariò contrahere matrimonium, cùm ſint alia remedia pro caſtitate ſervanda.

FINIS.

INDEX

Rerum ; & Verborum.

A

Arone ; & populo deficientibus non defecit Eccleſia 541
In Aaronis Sacerdotio figurabatus Sacerdotium noſtrum 710

ABAILARDUS

Abailardus non eſt inter Hæreticos computandus : creditur enim mortuus in oſculo pacis. 174
Abailardus inter varia impia dogmata docuit Chriſtum non habuiſſe omnia Spiritus Sancti dona. Ibid.

ABEL

Abel non cuſtodiebat oves propter fures. 210
Sanguis Abelis occiſi horrorem impreſſit in corde Caini. 221
Abel fuit occiſus anno mundi centeſimo trigeſimo. ibid.
Abelis occiſio probat liberum arbitrium non fuiſſe extinctum per peccatum Adæ. 225

ABISSINI.

Abiſſini non ſuſcipiunt circumciſionem cum Baptiſmo eo modo quo Cerinthiani ſuſcipiunt eam. 195
Abiſſini ſuſcipiunt circumciſionem ob imitationem Chriſti, qui fuit circumciſus, licet ſuſcipiant Baptiſmum. Ibid.

ABRAHAM.

Abraham non eſt mentitus dum dixit uxori ſuæ, dic quod Soror mea es. 284
Abraham fuit juſtificatus per fidem vivam, & perfectè operativam. 405
Abraham credidit poſſibile quod humana ratio ei impoſſibile ſuggerebat. 410
Abraham adoravit Angelos ut creaturas perfectiores 487
Abraham non dedit fructuum decimas Spiritui Sancto ſed Melchiſedech. 191

ABSOLUTIO.

Abſolutionis forma pro peccatis dimittendis, quænam ſit. 696
Abſolutio non poteſt dari niſi à Sacerdote 191
Abſolutio Sacramentalis ſignificat remiſſionem peccatorum. Ibid.
Abſolutio non debet dari peccatori qui non habet propoſitum non peccandi de cætero. 698
Abſolutio non poteſt dari homini niſi vivat. Ibid.
Ut quis abſolvat à peccatis neceſſe eſt quod habeat efficaciam mediatoris. 700
Abſolutio peccatorum numquam data fuit à perſona laica Ibid.

ADAM.

Adam in ſtatu Innocentiæ habuit unde poſſet non peccare. 96
Adam non fuit determinatus à Deo ad peccandum. 99
Adam non fuit natura ſua determinatus ad malum. 206
Adam eſt omnium hominum primus. 208
Adam eſt ille homo quem Deus creavit de limo terræ. Ibid.
Adæ impoſita fuit lex. Ibid.
Adæ culpa & punitio tranſmittuntur ad omnes homines. 209
Adam eſt principium ſpeciei. 212
Adam non erat monſtruoſus ante formationem Evæ, nec poſt Ipſam remanſit mancus. 214
Adam non quæſivit mulierem inter animantia ad eum adducta. Ibid.
Adam, & Eva genuiſſent etiamſi non peccaſſent. 215
Quomodo Adam, & Eva fuerint una caro. Ibid.
Adam per peccatum incurrit privationem gratiæ, & mortem corporis. 218
Adam ſi non peccaſſet, nulla creatura ei noxia fuiſſet. Ibid.
Adæ, & Evæ ſalus eſt omninò certa. 221
Adam per peccatum non receſſit à manu Conſilij ſui. 226
Adam receperat juſtitiam originalem pro ſe, & pro poſteris ſuis. 252
Adæ peccatum non fuit abſolutè & ſimpliciter neceſſarium. 263.
Adam peccavit peccato complacentiæ ergà uxorem ſuam. 377.
Adam ſi non peccaſſet poſt elapſa quædam tempora tranſlatus fuiſſet in Cœlum. 220
Adam creditur ſepultus in loco in quo Chriſtus fuit Crucifixus. 221
Cur Adam non fuerit maledictus ſicut ſerpens. 222
Adæ ejectio de Paradiſo terreſtri non ſignificavit ejectionem ipſius de Paradiſo Beatorum. ibid.
Adæ voluntas continebat moraliter voluntates omnium hominum reſpectu juſtitiæ originalis. 592

ADOPTIO.

Adoptio quid ſit. 181
Adoptio convenit perſonæ naturam terminanti. 182
Adoptio repugnat perſonæ divinæ. ibid.
Adoptionis forma eſt gratia ſanctificans. Ibid.
Adoptio non eſt propriè prædeſtinatio, nec è converſò 183.
Adoptio varias ſignificationes patitur. Ibid.
Adoptio & fides ſunt dona diſtincta. 407
Adoptio quæ habetur per Baptiſmum non eſt de genere juriſdictionis. 700.

ADORATIO.

Adoratio Corporis, & Sanguinis Domini eſt antiquiſſima. 188
Adoratio debet neceſſariò præcedere communionem. Ibid.
Adoratio eſt optima diſpoſitio ad dignam communionem. Ibid.
Adoratio fundatur in ſubjectione hominis ad Deum. ibid.
Adoratio Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini exiſtentis eſt de præcepto. Ibid

ADRUMENTINI.

Adrumentini monachi non ſunt cenſendi hæretici; neque Prædeſtinatiani. 89

ADULTERIUM.

Adulterium quid ſit. 288

AGNUS.

Agnus Paſchalis in veteri lege erat Sacramentum, & Sacrificium. 656

ALEXANDER.

Alexandri ſeptimi Papæ cenſura contra Janſenium explicatur. 148

ALGAZER.

Algazer voluit Dei providentiam eſſe ſolùm circà media ſupernaturalia. 17

ALMARICUS.

Almaricus docuit ſexuum differentiam eſſe effectum peccati. 215.
Almaricus credidit fœminas reſurrecturas eſſe in ſexu virili. 346.

AMBROSIUS.

Divus Ambroſius non interfuit perſonaliter Concilio Telepten ſi. 436

ANANIAS

Ananias non fuit Epiſcopus, ut putant Wicleffitæ. 630
Ananiæ impoſitio manuum ad Paulum non fuit Sacramentalis, nec confirmatoria. Ibid

ANASTHASIUS.

De Anaſthaſij Dicoros hæreſi, geſtis, & interitu. 65
Anaſthaſius Imperator fuit Eutychianus. 113

ANGELUS.

Angelorum officium quale ſit, 87
Angelorum cuſtodia non eſt injurioſa divinæ providentiæ 98
Angelorum cuſtodia non nocet humanæ libertati. Ibid
Angelus eſt major homine licet cuſtodiat illum. Ibid
Angeli peccaverunt peccato ſuperbiæ. 377
Angeli vocabuntur ad judicium univerſale. 440
Angelorum exiſtentia eſt credenda de fide divina. 469
Angelis convenit cuſtodire, dirigere, & illuminare hominem. 470
Angelorum exiſtentia probatur ex Energumenis. Ibid.
Cur Angelus dicatur factus propter hominem, ſi ſit ipſo homine nobilior. 471

Angelus eſt ſubſtantia omninò incorporea. Ibid.
Angeli ſunt incapaces generationis. 472
Angeli ſæpè aſſumpſerunt corpora humana. Ibid.
Angelus non eſt mediator inter Deum, & homines. Ibid.
Angelis repugnat mediatoris officium. 473
Angelorum miniſterium non probat, ipſos eſſe mediatores hominum. 474
Angelorum miniſterium in quo conſtat. Ibid.
Nullus Angelus eſt malus natura ſua. 475
Primus Angelorum exiſtentiæ impugnator creditur Doſithæus. 469.
Per Angelorum Religionem quid intelligat Apoſtolus ad Coloſſenſes. 453

ANIMA.

Anima peccatoris ſtatim post mortem ſuſtinet ſupplicium æternum. 443
Anima ab omni macula prorsùs purgata, ſtatim poſt mortem obtinet præmium. Ibid
Actus quo anima unit ſe Deo ceſſat, adveniente quocumque actu legi divinæ contrariò. 519
Animæ peccatorum non convertuntur in Dæmones. 218
Anima rationalis eſt immortalis. 232
Animæ rationali repugnat principium corruptionis. Ibid.
Anima rationalis habet potentias indefectibiles à ſe indiſtinctas. 233
Animæ immortalitas eſt diverſa ab immortalitate Dei. 234
Anima hominis ſæpè ſumitur pro vita ipſius. Ibid.
Anima rationalis habet rationem actus reſpectu corporis 235.
Animæ non fuerunt creatæ omnes ſimul. 236
Anima ſeparata à corpore recordatur eorum, quæ cognovit dum erat in corpore. 237
Anima appetit corpus à quo fuit per mortem ſeparata. 238
Anima rationalis non eſt ex ſubſtantia Dei. 240
Anima rationalis non fit per propagationem, ſed creatur à Deo. 241
Per Animas Sacra Scriptura ſæpè intelligit perſonas. 242
Quomodo anima contrahat peccatum originale. 243
Animæ origo de qua olim fuit controverſia determinata fuit à Leone nono. ibid.
Anima Adæ non peccavit antequam infunderetur. 246
Anima Adæ non fuit prius creata, quàm corpus. ibid.
Anima non eſt in corpore velut in carcere ob pœnam peccati. ibid.
Anima non unitur corpori repugnanter. 247

ANTICHRISTUS.

Antichriſti adventus non poteſt determinari. 333
Antichriſti adventum præcedent duo ſigna, & quænam ſint Ibid.
De Antichriſti adventu comitantibus ſignis. 336
De Antichriſti adventu ſubſequentibus ſignis. Ibid
Antichriſtus vivet per tres annos cum dimidio. ibid.
Poſt Antichriſti mortem Deus dabit aliquos dies. ibid.
Antichriſtus non naſcetur ex ſola virgine, ſed ex Patre & Matre ſicut alij homines. ibid.
Antichriſtus naſcetur de gente Judaica. ibid.
Antichriſtus naſcetur Babyloniæ, & in primo inſtanti conceptionis ſuæ habebit Diabolum ſibi aſſiſtentem. 337
Antichriſtus dicet ſe eſſe Deum, & Chriſtum fuiſſe purum hominem. ibid.
Antichriſti nomen ſolitò dupliciter accipitur. ibid.
Antichriſtus ſedebit in templo Jeroſolymitano, & adorabitur à Judæis. 338
Antichriſtus imprimet caracterem perditionis, malitiæ & abominationis. ibid.
Antichriſtus erit adverſarius Petri, & deſtructor Evangelij Jeſu Chriſti. ibid.

ANTHIMIUS.

Anthimius Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit verè Eutychianus. 515

ANTONIUS DE DOMINIS.

Antonius de Dominis licet non ſubſcripſerit Hæreſi Wicleffi, tamen eſt Hæreticus. 699
Antonius de Dominis malitiosè diſtinxit peccata in ordine ad abſolutionem. Ibid.
Antonius de Dominis falsò contendit Sacerdotem non eſſe miniſtrum pœnitentiæ quantum ad omnia peccata. Ibid.

APPOLLINARIS.

Appollinaris junior eſt author Hæreſis, quæ eſt Appolliniſtarum. 518
Quænam fuerit Hæreſis Appolliniſtarum occaſio. Ibid.
Appollinaris non docuit animam rationalem fieri per propagationem 240

APOSTOLI.

Apoſtolorum Martyrium probat manifeſtè quod Chriſtus reſurrexit à mortuis. 133
Apoſtoli erunt acceſſores Chriſti judicantis. 160
Apoſtoli poterant habere uſum pecuniæ pro emendis rebus neceſſariis. 315
Licitum erat Apoſtolis reſervare aliquid in craſtinum. Ibid.
Apoſtolis aliqua fuerunt prohibita pro aliquo tempore non pro ſemper. Ibid.
Apoſtoli habuerunt veram intelligentiam Evangelij & ſecundum eamdem prædicaverunt illud. 317
Apoſtolis licuit vivere ex Eleemoſyna fidelium. 325
Apoſtolis licitus fuit labor manuum. 322
Apoſtolorum prodigia, & bona opera. 454
Apoſtolorum ſanctitatem negare eſt hæreticum. Ibid.
Apoſtoli judicabunt nationes. Ibid.
Apoſtoli ſunt martyres. Ibid.
Apoſtoli habuerunt poteſtatem eijciendi Dæmonia. 490
Apoſtoli media nocte ſurgebant ad orandum. 525
Apoſtoli dabant Spiritum Sanctum per modum cauſæ inſtrumentalis. 584
Apoſtoli baptizarunt plures pueros. 590
Apoſtoli receperunt Sacramentum Baptiſmi. 591
Apoſtoli in triduo non amiſerunt fidem Reſurrectionis Jeſu Chriſti. 540
Apoſtoli in Confirmatione adminiſtranda uſi ſunt unctione Chriſmatica. 627
Apoſtoli acceperunt à Chriſto Domino plenitudinem poteſtatis. 630
Apoſtoli baptizarunt in nomine Chriſti, ex diſpenſatione divina. 60
Apoſtoli per Presbyteros non intelligunt ſeniores Laicos. 706

AQUA.

Aquæ benedictio eſt de jure Eccleſiaſtico. 488
Aquæ benedictæ uſus fuit inſtitutus ab Alexandro primò. Ibid.
Aqua benedicta numeratur inter Sacramentalia, quæ delent peccata venialia. Ibid.
Aqua benedicta mirabiles effectus producit. Ibid.
Aqua benedicta morbos expellit, & ſanitatem corporis affert. 489.
Aqua per benedictionem efficitur inſtrumentaliter in ordine ad ea quæ ſpectant ad ſalutem animæ. Ibid.
Aqua naturalis eſt materia Sacramenti Baptiſmi. 598
Aqua in modica quantitate apponenda eſt in Calice conſecrando. 681
Aqua non eſt apponenda in Calice conſecrando ex neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti. Ibid.
Aquæ mixtio in Calice non deſtruit vini ſubſtantiam. 682
Chriſtus conſecravit vinum aquâ mixtum. Ibid.
Aquæ mixtio non efficit Sacrificio Miſſæ. Ibid.
Ob quem finem Aqua admiſcenda ſit vino conſecrando. Ibid.
Bonum & laudabile eſt præceptum de Aqua apponenda vino conſecrando. Ibid.
Aqua in Calice appoſita convertitur mediatè, vel immediatè in Sanguinem Chriſti. Ibid.
Mixtio Aquæ cum vino in Calice non ſignificat corruptionem puritatis, & ſinceritatis. 683
Aquæ mixtio cum vino conſecrando fuit ſemper obſervata in Eccleſia Conſtantinopolitana. 684
Sine Aqua in Calice appoſita conſecrare eſt omninò illicitum. Ibid.

ARCA.

Arca Noë fuit typus Baptiſmi Chriſtianorum. 591
Ob quem finem ædificata fuerit Arca Noë. Ibid.
Arca Noe geſſit typum Eccleſiæ militantis. 534
Arcæ Noë aſſimilatur Eccleſia Romana. 562

ARISTOTELES.

Ariſtoteles Philoſophorum princeps negat in Deo eſſe providentiam. 17

ARIUS.

Arij progreſſus, & interitus. 34
Ariana Hæreſis plurimos habuit defenſores in Concilio Niceno. 35
Ario adhæſerunt plures mulieres pro impugnanda Verbi Divini conſubſtantialitate. Ibid.
Arianæ Hæreſis Impugnator acerrimus fuit Alexander Epiſcopus Alexandrinus. Ibid.
Ariani ejecerunt plures Epiſcopos Verbi Divini conſubſtantialitatem propugnantes. Ibid.

ARMENI.

Armeni receſſerunt à fide Catholica & quando. 24
De Armenorum cultu ergà Crucem. 176
Armeni non ſunt authores Hæreſis quæ confundit diverſitatem ſexuum in Reſurrectione. 346

ARNOLDUS.

Arnoldi de Villanova Hæreſis, & condemnatio. 270
Arnoldus Brixienſis ſingulis annis Romæ in Cœna Domini excommunicatur. 27
Arnoldus Brixienſis multas ſeditiones Romæ, & in Italia concitavit. Ibid.
De interitu Arnoldi Brixienſis. Ibid.

AVEROES.

Averoës

Averroës negat in Deo eſſe providentiam rerum omnium. 17

AVICENA.

Avicena negat in Deo eſſe curam creaturarum omnium. 17

ATTRIBUTUM.

Attributum quid ſit. 28

ATTRITIO.

Attritio non eſt mala, nec infructoſa. 398

Attritio eſt dupliciter conſideranda, ut appareat in quo ſenſu ſit bona, & fructuoſa. 695

Attritionem habere, melius eſt quàm non habere illam. 694

Attritus nedum fugit peccatum, ſed etiam à ſe removet voluntatem peccandi de cætero. ibid.

Attritio ex metu gehennæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam. ibid.

Attritio in veteri lege erat inſufficiens ad veram juſtificationem. ibid.

Attritio præparat viam charitati, quæ foras mittit timorem ibid. ibid.

Quomodo attritio juncta Sacramento æquivaleat perfectæ contritioni. 695

Attritus ordinat dolorem ſuum ex metu gehennæ provenientem, ad Deum ut ad finem ultimum. ibid.

AUGUSTINUS.

Auguſtini de Roma Epiſcopi Nazareni error, & condemnatio. 12

B.

BALATIUS.

Balatius fuit hæreſis Arianæ acerrimus defenſor. 55.

Balatius animo veſano virgines, & monachos nudos verberibus afficiebat in publico. ibid

A Balatij furore Deus liberavit Antonium Eremitam. ibid.

Balatius fuit ſeverè punitus à Deo. ibid.

BALTHAZAR.

Balthazar Pacimontanus, qui Anabaptiſtarum author creditur fuit Eutychianus. 113

Balthazar Pacimontanus hæreſes ſuas ſeminavit in partibus Germaniæ. ibid

BARTHOLOMÆUS.

Bartholomæus Janoveſius credidit Antichriſtum jam veniſſe ſed ante mortem hanc hæreſim abjuravit, & eum adhuc venturum credidit. 333

BAPTISMUS.

Baptiſmus eſt figura mortis Chriſti. 23

Baptiſmus inſtitutus fuit pro ſalute omnium hominum. 91

Baptiſmus excedit alia Sacramenta quantum ad remiſſionem peccati. 581

Baptiſmus poteſt in neceſſitate conferri à perſona Laica. 589

Baptiſmus eſt medium quo regeneramur. ibid.

Baptiſmus eſt neceſſarius omnibus hominibus neceſſitate medij. ibid

Baptiſmus eſt major, & dignior circumciſione. 590

Per Baptiſmum regeneramur Filij dilectionis. 591

In Baptiſmo infunduntur ſpes, fides, & charitas. ibid

Baptiſmus in voto non eſt nullus illi, qui eum ardenter deſiderat. 593

Baptiſmus flaminis habet virtutem ſanctificandi animam. 594

Baptiſmus aquæ non fuit mutatus in baptiſmũ Sanguinis. 595

De variis Baptiſmi figuris. 597

Baptiſmus non poteſt conferri in igne. 598

Circa Baptiſmi formã hæretici in varios lapſi ſunt errores. 599

Vera Baptiſmi forma eſt hæc *ego te baptizo* &c. 600

Ut Baptiſmus ſit validus neceſſe eſt exprimere Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas. ibid

Baptiſmus collatus in nomine Colobroſij, eſt collatus in nomine viri impiiſſimi. 601

Baptiſmi Iteratio eſt contra ipſius ſignificationem. 603

Baptiſmus delet peccata actualia, ſed per accidens. ibid.

Baptiſmus eſt nativitas, mors, & reſurrectio. ibid

Baptiſmus collatus ab infideli, aut hæretico, non eſt collatus à mortuo de quo loquitur Eccleſiaſticus. 608

Baptiſmus Joannis erat longè diverſus à baptiſmo Chriſti. 610

Baptizati baptiſmo Joannis fuerunt iterum baptizati ab Apoſtolis baptiſmo Chriſti. ibid

Baptiſmus Joannis non erat ſufficiens ad ſalutem. ibid

Baptiſmus Joannis non dicitur ſimpliciter in remiſſionem peccatorum. 611

Baptiſmus aſſimilatur Piſcinæ. 612

Baptiſmus non debet conferri cum Euchariſtia, ut ſit validus. 616.

Conſuetudo quæ olim fuit baptizandi, & conferendi Euchariſtiam ſimul, non erat de neceſſitate Sacramenti. 617

Baptiſmus non poteſt validè conferri mortuis, ut putant nonnulli hæretici. 620

Conſuetudo Baptizandi mortuos à Cataphrygiis introducta, non fuit approbata à Divo Paulo. 621

Ad validitatem Baptiſmi non requiritur neceſſario applicatio Chriſmatis, nec Signi Crucis. 622

In Baptiſmo obſervandæ ſunt cæremoniæ ab Eccleſia Romanâ præſcriptæ. ibid

Parochus, qui Baptizat ſine Chriſmate mortaliter peccat. 623

BEATI, BEATITUDO.

Beati non comprehendunt Deum. 18

Beatitudo non conſiſtit in quadam claritate divinæ eſſentiæ. 427.

Beatitudo noſtra conſiſtit in Deo ſolo. 431

De ratione Beatitudinis eſt quod ſit perpetua. ibid.

Beatitudo non poteſt haberi in hoc mundo. 433

Beatitudo eſt merces fidei, & operum bonorum. ibid.

Beatitudo eſt ſtatus perfectus ſtatui viæ oppoſitus 414

Beati non poſſunt recedere ab objecto beatifico. 440

Beati non poſſunt peccare. ibid.

Beati ſunt immutabiles. ibid.

Beati vident nos, gemituſque noſtros audiunt. 449

BEGARDI BEGUINÆ.

Begardi, & Beguinæ habuerunt diverſa nomina. 432

Begardi non erant Religioſi ordinis ſancti Franciſci. ibid.

Begardorum errores amplexa eſt Margareta Porreta. ibid.

Begardorum errores amplexus eſt, & docuit Bononatus Catalanus. ibid.

Beguinæ ſunt duplicis generis, & poſteriores non fuerunt damnatæ in Concilio Viennenſi. ibid

Begardi creduntur exorti ex Secta Anomæorum. ibid.

BELLUM.

Bellum non eſt abſolutè prohibitum Chriſtianis. 275

Bellum adverſus Turcas, & infideles eſt licitum Principibus Chriſtianis. ibid.

Bellum gerere adverſus Turcas, non eſt reſiſtere Dei voluntati. 277.

BENEDICTIO.

Benedictiones Eccleſiæ non ſunt Dæmonum invocationes, ut nonnulli hæretici proclamant. 488

Benedictiones ſunt duplicis generis. Et quodlibet genus explicatur. ibid.

Benedictio Sacerdotis in ritu Romano præſcripta, aliquam virtutem confert aquæ ex meritis Chriſti. ibid.

BERENGARIUS.

Berengarius Archidiaconus Andegavenſis eſt author & inventor hæreſis quæ eſt contrà tranſſubſtantiationem panis in carnem Chriſti, & vini in Sanguinem ipſius. 655

Berengarius docuit corpus Chriſti non eſſe realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia; & teſtatur in hoc ſecutum fuiſſe ſententiam Erigennæ qui præceptor fuit Caroli Magni. 631

BERYLLUS.

Beryllus Boſtrenæ urbis in Arabia Epiſcopus non fuit ſemper Ebionita; licet à nonnullis credatur talis. 109

Beryllus ſtatim convictus fuit de hæreſi Ebionitarum & emendatus ab Origene. ibid.

BERNARDUS.

Sanctus Bernardus falsò ponitur inter Millenarios. 441

Quid referat D. Bernardus de Beato Malachia Epiſcopo Connerthenſi. 708

Explicatur mens Divi Bernardi in vita Malachiæ Epiſcopi, in quo plures volunt ipſum adhærere menti Papiæ. ibid.

BERTOLDUS.

Bertoldus de Borbaco eſt Author, & Primipilus hæreticorum, qui impeccabilitatem Chriſti impugnarunt. 137

Hujus hæretici impietatem ſecutus eſt ille Præmonſtratenſis Apoſtata, cujus nomen, & patria penitus ignorantur. ibid.

BIGAMUS.

Bigamus non debet ordinari, nec fieri Sacerdos. 308

Cur Bigamus non ſit ordinandus. ibid.

Bigamia non eſt perfecta ſignificatio conjugij Chriſti cum Eccleſia. ibid.

BONUM.

Bonorum temporalium poſſeſſio non prohibetur Chriſtianis. 314.

Bonorum temporalium reſervatio non prohibetur Chriſtianis 315.

Cupiditas bonorum temporalium prohibita eſt omnibus Chriſtianis. 316.

Bona ſpiritualia non poſſunt licitè pecuniâ comparari 415.

BRUTA.

Bruta non habent animam rationalem. 139

Bruta non habent libertatem. Ibid.

Bruta non habent cognitionem, ſed inſtinctum naturæ dirigentis. Ibid.

Bruta non penetrant naturam, nec convenientiam objectorum. 140

C.

CAINUS.

Qualis fuerit mors Caïni filii Adæ. 26

Cainum ſalvare voluit Deus. 93

Cainus ope fratrum exercuit agriculturam. 210

Dum Cainus occidit Abelem fratrem ſuum, plures homines erant ſuper terram. 211

CALCEAMENTUM.

Calceamentorum uſus eſt licitus Chriſtianis. 301

Calceamentis uſi ſunt Apoſtoli. Ibid.

Calceamentis uſus eſt Chriſtus. 302
Calceamenta portabant Judæi in veteri Lege. Ibid.
Prohibitio calceamentorum quæ habetur Matthæi decimo, quomodo intelligenda ſit. Ibid.
Quem ob finẽ calceamenta fuerint prohibita à Deo Moyſi. Ibid.

CALVINUS.

Calvini conditio, conjugium & interitus. 82
Qualis fuerit mulier, quam Calvinus duxit in uxorem, quâ mortua nullam aliam duxit. Ibid.
De Calvini moribus & vita. Ibid.

CANTUS.

Cantus Eccleſiaſticus approbatus fuit in Conciliis Agathenſi, & Toletano quarto. 491
Cantus non præcipitur omnibus Eccleſiaſticis. Ibid.
Ex Cantu Eccleſiaſtico plura proveniũt hominibus beneficia. Ib.
Cantus approbatur fuit exemplo Chriſti, & Diſcipulorum. Ibid.
Cantus antiquiſſimus eſt in Eccleſia Dei. 492
Cantans Officium ſine intentione & attentione non adimplet præceptum de Horis Canonicis ex præcepto recitandis. 493
Cantus non prohibetur ex Evangelio D. Matthæi ſexto, ut volunt quidam Hæretici. Ibid.
Cantores non ſunt ſimiles Prophetis Baal. Ibid.

CANA GALILEÆ.

In Cana Galileæ Chriſtus mutando aquam in vinum, non deſignavit Baptiſmi aquæ mutationem in Baptiſmum ſanguinis, ut volunt Flagellantes. 596
In Cana Galileæ Chriſtus mutando aquam in vinum, ſolum deſignavit ſe eſſe Authorem Nuptiarum. 40

CHARACTER.

Character non eſt effectus omnium Sacramentorum, ſed trium dumtaxat. 586
Quænam ſit Characteris definitio. ibid.
Character eſt omninò indelebilis. Ibid.
Character eſt de genere ſigni, aut formæ. ibid.

CARNES.

Eſus Carnium non eſt prohibitus Chriſtianis. 285
A Carnibus ſe abſtinere eo animo, quo ſe abſtinent plures Hæretici eſt malum. ibid.
Carnium eſus fuit poſt diluvium conceſſus hominibus. 286
Carniũ eſus eſt prohibitus dum ex eo naſcitur ſcandalũ. ibid.
Carnium eſus non fuit abſolutè prohibitus Apoſtolis in Concilio Jeroſolymitano. ibid.

CARPOCRATES.

Carpocrates non fuit primus eorum, qui impugnarunt peccatum originale. 247
Carpocrates non eſt origo Gnoſticorum, ut dicere voluerunt nonnulli poſt D. Irenæum. 8

CASTRATIO.

Caſtratio non eſt neceſſaria hominibus ad ſalutem, ut voluerunt nonnulli Hæretici. 328
Caſtratio non eximit hominem à motibus concupiſcentiæ, & carnis. 329
Quænam ſit caſtratio de qua loquitur Matthæus Evangeliſta capite decimo nono. Ibid.

CATAPHRYGII.

Cataphrygiorum Baptiſma. 600
Cataphrygii ad Eccleſiam redeuntes, ſunt rebaptizandi. Ibid.
Cataphrygiorum baptiſma in quo defecerit. ibid.
Cataphrygii nomen undè oriatur. 599
Cataphrygiorum Dux creditur Montanus. 719

CATHECUMENI.

Cathecumeni qui voluntariè omittunt, vel differunt Baptiſmum cùm poſſint baptizari, non ſunt juſtificati. 594
Cathecumeni qui ſeclusâ negligentiâ expectant baptizari, juſtificantur, licet ex defectu alieno non baptizentur. Ibid.
De quibus Cathecumenis loquantur Patres, qui dicunt Cathecumenos non baptizari. Ibid.

COELI.

Cœli atterendi ſunt quoad exteriorem faciem. 341
Cœlum & Terra tranſibunt quoad modum dumtaxat. Ibid.
Cœlum atteretur quoad influentiam in corpora inferiora. Ibid.

COENA.

In Cœna, quem ordinem ſervaverit Chriſtus. 679
Cur ante Cœnam lavaverit Chriſtus pedes Diſcipulorum. Ibid.
In Cœna Cõmunio fuit data Diſcipulis ſub utraque ſpecie. 685
Ante Cœnam Chriſtus adimplevit Legem de eſu Agni Paſchalis. 679
Ad Cœnam Dñi nullus poteſt dignè accedere, niſi ſit lotus. Ib.

CERINTHUS.

Cerinthus fuit Apoſtolorum coævus. 431
Cerinthi mors peſſima fuit, & prædicta à D. Joanne Evangeliſta. Ibid.
Cerinthus concitavit fideles contra S. Petrum, qui Cornelium baptizaverat. 465

CHARITAS.

Charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum-Sanctum, non diſtinguitur à gratia ſanctificante. 385
Quomodo Charitas operiat multitudinem peccatorum. Ibid.
Charitas viæ perficitur in patria. 447

CHERUBINI.

Cur Cherubin poſitus fuerit ante portam Paradiſi. 219
Cherubini cur poſiti fuerint in Propitiatorio. 456

CHRISTIANUS.

Omnes Chriſtiani non ſunt Miniſtri Novi Teſtamenti, ut credunt nonnulli Hæretici. 308
Omnes Chriſtiani non ſunt Sacerdotes. Ibid.

CHRISTUS.

Vide *Tabula Articulorum*,
Vide *Deus*. Vide *Verbum*.

CICATRICES.

Cicatrices exiſtunt, & apparent adhuc in corpore Chriſti. 161
Cur hæ Cicatrices Chriſti manifeſtatæ fuerint Apoſtolis poſt Reſurrectionem. Ibid.
Cicatrices apparebunt in corpore Chriſti in die Judicii. 163
Cicatrices Chriſti in die Judicij erunt bonæ Juſtis, & terribiles Reprobis. 163
Cicatrices in corpore Chriſti non opponuntur ipſius impaſſibilitati. ibid.
Cicatrices in corpore Chriſti pertinent ad pulchritudinem, & ad gloriam. Ibid.
Cicatrices Martyrum apparebunt in die Judicii. Ibid.

CIRCUMCISIO.

Circumciſio in veteri Lege conferebatur parvulis. 590
Circumciſio fuit in veteri Lege figura Baptiſmi novæ, ſeu Chriſtianorum. 591
Circumciſio non ſolùm proficiebat adultis, ſed etiam parvulis. Ibid.
Circumciſio dum vigebat, non iterabatur. 607
Circumciſio conferebat gratiam, licet eſſet tantùm figura Baptiſmi. 617

CYRILLUS.

Cyrillus Alexandrinus liberat Catholicos à calumniis Neſtorianorum. 184

CLAUDIUS.

Claudius Taurinenſis Epiſcopus fuit primus Crucis Chriſti inimicus. 476
De Claudio Taurinenſi natione & tempore non benè conveniunt Hiſtorici. Ibid.
Claudii Mamerti explicatio. 185

CLEMENS.

Clemens Scotus credidit infernum fuiſſe extinctum per mortem Chriſti. 265

COMMUNIO.

Ad dignã Cõmunionem quænã diſpoſitiones requirantur. 676
Ad dignam Communionem præmittenda eſt valida peccatorum confeſſio. Ibid.
Communio facta à peccatore eſt indigna, etiamſi habeat fidem. Ibid.
Ad dignam Communionem præter fidem requiritur munditia cordis. 679
Ad dignam Cõmunionem neceſſe eſt vivere vitâ ſpirituali. 680
Ad dignam Communionem ſufficit recipere ſolam ſpeciem panis. 685
Communio in primitiva Eccleſia dabatur ſub ſola ſpecie panis. Ibid.
De Communione ſub utraque ſpecie ſumendâ à Laïcis nullum eſt præceptum. Ibid.
Communio ſub ſola ſpecie panis data fuit Diſcipulis in caſtello Emmaus. 686
In Communione ſub ſola ſpecie panis ſumitur integrum corpus Chriſti. ibid.
Communio olim dabatur Laïcis ſub utraque ſpecie. 687
Cur Communio ſub ſpecie vini fuerit ſublata Laïcis. 688

CONCILIUM.

Quænam ſit Concilii Evangelici definitio. 598
In Concilio Colonienſi Euphratus condemnatus fuit ut Ebionita. 300
Concilium Generale eſt eſſentialiter infallibile. 555
Ut Concilium ſit infallibile, debet convocari à Summo Pontifice. ibid.
In Conciliis Generalibus ſolus Papa poteſt per ſe vel per Legatos præſidere. ibid.
Nullum eſt verum Concilium Generale in quo Papa non præfuerit per ſe, vel per Legatos ſuos. 556
Concilia Eccleſiæ originem habent à Chriſto Dño. 557

CONCUPISCENTIA.

Concupiſcentia opponitur Legi cauſaliter tantùm. 88
Concupiſcentia eſt effectus peccati originalis. 254
Concupiſcentia eſt in homine maxima difficultas ad operandum bonum. 257
Concupiſcentia remanet poſt Baptiſmum. 256
Concupiſcentia reſidet in carne. ibid.
Concupiſcentia non opponitur formaliter Legi, nec rationi. 256
Concupiſcentiæ motus non ſunt prorsùs invincibiles. 328

CONFESSIO.

Confeſſio auricularis Sacerdoti facienda eſt neceſſariò ad ſalutem. 869
Ad Confeſſionem peccatorum obligantur omnes adulti. Ibid.

Confeſſio peccatorum non eſt de conſilio, ſed eſt de præcepto. 620
Confeſſionis neceſſitas probatur ex variis ſacræ Scripturæ locis. ibid.
Confeſſio ſoli Deo facta non ſufficit abſolutè. ibid.
Confeſſio peccatorum eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
Confeſſio non poteſt suppleri per aliquid aliud dum adeſt Sacerdos. 621
Confeſſio ſacramentalis non reddit jugum noſtrum gravius jugo Judæorum. 622
Confeſſio ſecreta nunquam fuit improbata per Græcos. ibid.
Enumerativa peccatorum Confeſſio non eſt impoſſibilis hominibus. 623
Confeſſio ſacramentalis non turbat mentem. ibid.
Confeſſio peccatorum non eſt ſacramentalis, niſi fiat Sacerdoti. 700
Confeſſio eſt duplex ſcilicet ſecreta, & ſacramentalis una, & altera publica. ibid.
Confeſſio peccatorum poteſt in caſu neceſſitatis fieri Laico ſervatis quibuſdam conditionibus. 701

CONFIRMATIO.

Confirmatio eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. 624
Confirmatus eſt ad tuendam fidem fortior non confirmato. ibid.
Confirmatio fit in fronte Baptizati ad formam crucis. ibid.
Confirmationem eſſe verum Sacramentum probatur variis convenientiis. 625
Per Confirmationem Baptizatus conſtituitur Miles Chriſti. 626
Confirmatio non fuit inſtituta à Melchiade Papa. ibid.
Confirmationis mentionem faciunt Sancti Patres Melchiade Papâ antiquiores. ibid.
Confirmationis finis eſt diverſus à fine Baptiſmi. ibid.
Confirmatio tempore Apoſtolorum conferebatur ſtatim poſt Baptiſmum. 624
Confirmatio non poteſt conferri ſine unctione Chriſmatis. ibid.
Per Confirmationem Homo exponitur cuidam pugnæ exteriori. ibid.
Confirmationis Sacramentum non poteſt iterari. ibid.
Per Confirmationem Homo inſtituitur in gradu Bellatoris. ibid.
Confirmatio datur per modum Conſecrationis. 628
Confirmationis Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. 629
Confirmationis Sacramentum eſt ultima Baptiſmi conſummatio. 630

CONSCIENTIA.

Conſcientiæ nomen quid ſignificet. 397
Conſcientiæ bonæ interrogatio non eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis. 585
De conſcientiæ examine loquitur Apoſtolus dum vult quod homo probet ſeipſum. 680

CONSTANTINUS.

Conſtantinus V. Imperator fuit verè Iconoclaſta, & patre ſuo nequior. 129
Cur Conſtantinus Imperator dicatur Copronymus. ibid.
Conſtantinus Imperator impugnavit maternitatem Virginis Mariæ. ibid.
Infauſtus ejuſdem Conſtantini interitus. 130

CORNELIUS.

Cornelius fuit verè baptizatus Baptiſmo aquæ, licet fuerit plenus Spiritu-Sancto. 524

CORPUS.

Corporis corruptibilitas actualis & proxima eſt pœna peccati, non verò corruptibilitas remota, & potentialis 109
Corporis incorruptibilitas in ſtatu innocentiæ non fuiſſet naturalis, ſed beneficium gratiæ. 220
Corpora Electorum poſt Reſurrectionem non erunt ſpiritualia. 346
Corpora poſt Reſurrectionem non erunt rotunda, neque in ſpecie orbiculari. 351
Corpora poſt Reſurrectionem nullum habebunt defectum ſubſtantialem. ibid.
Corpora reſurgent cum decente figura, quæ eſt ſeptem Palmorum. ibid.
Corpora reſurgent ſine ullo vitio, ſine ulla difformitate. 352
Corpora Electorum erunt glorioſa poſt diem Judicii. 444
Corpus caſtigare jejuniis, & pœnitentiis animo interficiendi ſe, eſt peccare mortaliter. 464
Corpus mortificare optimum eſt ad ſalutem conſequendam. 528

CORRECTIO.

Quælibet correctio non arguit inferioritatem in eo cui fit 554.
Quænam correctio arguat inferioritatem in eo cui fit. Ibid
Quænam fuerit correctio quam D. Petro fecit Divus Paulus Ibid.

CREATURA.

Creaturarum omnium collectio non eſt à ſe. 8
Creatura non poteſt elevari ad perfectionem Deo eſſentialem & propriam. 12
Creaturarum productio eſt omninò libera. 29
Creatio eſt Opus ſolius Dei. 49
Creatura non poteſt conſervari niſi à Deo. 67
Omnium creaturarum finis, & Dominus eſt Chriſtus. 165

CRUX.

Crux Chriſti eſt veneranda, & adoranda. 177
Quænam ſint crucis Chriſti beneficia nobis collata. Ibid.
Crux decreto Dei eſt Tribunal & Altare Chriſti, 178
Cruci nullam ignominiam realiter tribuit Judæorum malitia. Ibid.
Crux interdicta fuit uſibus profanis, in Concilio Trulano. Ibid. Ibid.
Cur omnes Cruces adorentur, & omnes clavi non adorentur. Ibid.
Crucis adoratio eſt actus Juſtitiæ & Religionis. 179
Crux Chriſti inventa fuit à B. Helena Imperatoris Conſtantini Matre. 176
De cultu Cruci reddendo juxtà Monitum S. Martialis Epiſcopi Lemovaſcenſis. Ibid.

D

DAMNATI.

Damnatorum perditio non ad Deum, ſed ad humanam voluntatem refundenda eſt. 95
Damnatis non infertur tanta pœna, quantam merentur. Ibid.
Damnatorum pœna non eſt injuſta, quamvis ſit æterna, & peccatum ob quod datur ſit temporaneum. Ibid.
Damnatorum ſupplicia non ſunt æterna, ut impiè ſomniavit Jovinianus. 463

DAVID REX.

Propheta David non emiſit propriis viribus votum ædificandi domum Dei Iſraël. 366
Cur Deus prohibuerit David, nè ædificaret Templum. Ibid.

DAVIDGEORGIUS.

Davidgeorgius arte Vitrarius dixit, & prædicavit ſe Prophetam, & filium Dei Chriſto majorem. 558
Davidgeorgius negavit Reſurrectionem mortuorum cum Saducæis, tamen dicebat ſe reſurrecturum eſſe Davidgeorgius. Ibid.
De erga Davidgeorgium inordinato mulierum amore. Ibid.
De Davidgeorgio multa ſcripſere Lindanus, & Bulingerus. Ibid.

DECIMÆ.

Decimarum ſolutio in ſubſtentationem Sacerdotum eſt de præcepto. 528
Decimarum finis repetitur in Eccleſia Chriſti, ſicut in Lege veteri. Ibid.
Decimæ non ſunt puræ eleemoſynæ, ſed quædam bona Jure divino Sacerdotibus debita. 525
Qui decimas retinet, bona aliena invadit. Ibid.
Qualis ſit decimarum uſus Sacerdotibus à jure præſcriptus. 524

DEFUNCTI.

Defuncti computantur inter circumſtantes, qui ſunt in loco, in quo ſepulti ſunt, & pro quibus Sacerdos orat. 577
Defuncti per ſepulturam Eccleſiaſticam diſcernuntur ab infidelibus defunctis. Ibid.
Defuncti participant in Orationibus Sacerdotum, & aſſiſtentium orantium in loco in quo ſepulti ſunt. Ibid.

DÆMON.

Dæmon non eſt cauſa productiva peccatorum hominum. 262
Dæmon non provocat phyſicè, & effectivè hominem ad peccatum. 263
Dæmones non fuerunt mali naturâ. 475
Dæmon non cecidit de cœlo Empireo. Ibid.
Primum Dæmonis peccatum fuit Superbia. Ibid.
Dæmon habuit de ſua creatione gratiam ſanctificantem. 476
Dæmon eſt primi peccati author. Ibid.
Dæmon noluit ſtare in veritate. 477
Dæmon deſiderat ruinam omnium Fidelium. Ibid.
Dæmon plures habet nocendi modos. Ibid.
Dæmonis exiſtentia non poteſt citrà hæreſim negari. Ibid.
Dæmonis incurſus non ſunt negligendi. 478
Dæmon non eſt invincibilis Oratione, & gratia adjutis. Ibid.
Dæmonum pœna eſt æterna, & interminabilis. 479
Dæmon & anima poſſunt eſſe ſimul in eodem corpore. 491
Dæmon & anima non ſunt in Energumenorum corpore eodem modo. Ibid.

Dæmonis aſtutia non prævalebit adverſùs Eccleſiam Dei. 539
Dæmones non habent poteſtatem conferendi Sacramenta Eccleſiæ. 618

DEUS.

Exiſtentia Dei probatur contra Atheos nedum ratione, ſed etiam aliis viis evidentiſſimis. 1
Deus nequit comprehendi, licet comprehendantur creaturæ, ex quarum cognitione colligitur Deum eſſe. 4
Deus non impedit mala quæ homo patitur, ob plures rationes. Ibid.
Deus eſt eſſentialiter Unus. 6
Dei ſingularitatem demonſtrat ratio naturalis. Ibid.
Quamvis Deus ſit eſſentialiter unus, habet tamen effectus eſſentialiter diverſos. 7
Deus non poteſt dici malus ex creatione, nec ex punitione hominis peccatoris. 8
Deus eſt inviſibilis oculo corporeo ratione ſubſtantiæ ſuæ. 10
Imago Dei non eſt in corpore hominis, ſed in anima ipſius. Ibid.
Deus eſt incomprehenſibilis. 12
Deus non poteſt conferre creaturis ſuam cognitionem infinitam. Ibid.
Deus eſt immotabilis & æternus. 14
Deus non mutatur per Incarnationem. Ibid.
In Deo hæc tria nomina Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non denotant officia, ſed perſonas. 32
In Deo præter Sapientiam eſſentialem, datur ſapientia notionalis. 33
In Deo nulla eſt quaternitas. 64
In Deo omnia quæ in eo ſunt, identificantur naturæ. Ibid.
An Deus operetur ab æterno, ſitque ab æterno Dominus. Ibid.
Deus non provocat homines effectivè ad malum. 77
Deus non impellit homines ad agendum. 79
Deus infligendo pœnam, non intendit malum. 81
Deus vult ſalutem omnium hominum. 90
Deus miſit Filium ſuum pro omnibus hominibus redimendis. Ibid.
Deus obligat omnes homines ad obſervantiam Mandatorum ſuorum. 91
Deus ordinavit ad præmium omnia opera Chriſti. 172
Deus uno creavit duos homines de limo terræ. 212
Deus creavit hominem independentem ab omni cauſa deſtructiva. 219
Deus odio habet id quod eſt cauſa mali. 255
Deus expectat nos ad pœnitentiam. 264
Deus non punit pœnâ æternâ eos, qui nullum peccatum habent, dum moriuntur. 357
Deus non denegat homini auxilium ad benè operandum, etiamſi ſit peccator. 362
Quomodo Deus dimiſerit aliquos ingredi vias ſuas. 374
Nomen Dei in ſacra Scriptura ſæpè ſignificat regnum Dei. 398
Deus eſt ſpeciali modo in loco ſacro. 429
Deus eſt intuitivè viſibilis in cœlo. 428
Deus eſt abſolutè inviſibilis oculo corporeo. 429
Deus eſt abſolutè inviſibilis intellectui creato naturaliter agenti. Ibid.
Deus poteſt ab oculo corporeo glorificato videri per accidens. 430
Dei viſio non poteſt eſſe naturalis, & propria alicui creaturæ. 434
Deus pronior eſt ad præmium, quàm ad ſupplicium. 443
Deus eſt juſtus etiam dum punit peccatum pœnâ æternâ. 481
Deus utitur rebus materialibus, & ſenſibilibus ad ſanctificationem animarum. 585

DESIDERIUS.

Deſiderius Longobardus docuit Monachos, & Religioſos non poſſe licitè mendicare, nec ex eleemoſynis fidelium licitè vivere. 384
Deſiderium Longobardum impugnavit Doctor Angelicus D. Thomas. Ibid.
Deſiderio Longobardo adhæſit alter Hæreticus nimirùm Wicleffus. Ibid.

DIACONUS.

Concilium Ancyranum non prohibuit Diaconis nè impoſterùm panem in Altari conſecrarent. 671
Diaconis numquam conceſſa fuit poteſtas conſecrandi Euchariſtiam. Ibid.
Diaconis expreſsè ſemper prohibitum fuit conſecrare. Ibid.

DILUVIUM.

Diluvium quo mundus olim purgatus fuit, quum ſcilicet caro corruperat viam ſuam, aquæ Baptiſmi figuram geſſit. 597
Diluvium fuiſſe figuram Baptiſmi Chriſtianorum inſinuat D. Petrus Epiſt. 1. cap. 3. Ibid.

DIOSCORUS.

Dioſcorus fuit D. Cyrilli in Epiſcopatu Alexandrino indignus Succeſſor. 113
Dioſcorus fuit verè Eutychianus. Ibid.
Dioſcorus fuit cum Eutychio damnatus à Flaviano Archiepiſcopo Conſtantinopolitano. Ibid.
Dioſcori & Eutychii invidia Flavianus fuit Martyr, ſeu occiſus pro Fide Chriſti. Ibid.

DIOTREPHES.

Diotrephes eſt vir ille de quo loquitur D. Joannes Epiſtolâ tertiâ. 330
Qualis fuerit, & quando vixerit Hæreticus ille. Ibid.
Diotrephes fuit acerrimus Peregrinorum hoſtis. Ibid.

DONA.

Donum timoris fuiſſe in Chriſto, omnes credunt contra Petrum Abaillardum. 174
Donorum Spiritûs-Sancti perfectio, via & complementum eſt timor. Ibid.
Dona Dei dupliciter conſideranda ſunt, ſcilicet in ordine ad Deum, & in ordine ad nos, & poſſunt habere rationem præmii, & rationem gratiæ. Ibid.

DONATUS.

Donatus non ille qui fuit Epiſcopus Carthaginenſis Majorini Succeſſor, ſed alter qui à Numidia dicitur, fuit Author hæreſis quæ eſt Donatiſtarum. 531
A Donato Majorinus creditur ordinatus Epiſcopus Carthaginenſis. Ibid.
Quænam fuerit Donato errandi cauſa. Ibid.
Donatus non potuit probare calumnias quas Cæciliano Carthaginenſi Archidiacono impoſuerat. Ibid.
Donato pro tuenda hæreſi adhæſit Lucilla mulier Hiſpana præpotens, & factioſa. Ibid.
Donatus fuit anathemate percuſſus in Conciliis Romano & Arelatenſi, licet convocata fuerint contra Cæcilianum. Ibid. Ibid.
Donatiſtarum Eccleſia non eſt vera Eccleſia Chriſti, ſed eſt Eccleſia malignantium. 532

DOSITHÆUS.

Doſithæus vir Hæreticus erat genere Judæus. 469
Doſithæus docebat nullam eſſe creaturam ſpiritualem, nullamque Reſurrectionem mortuorum. Ibid.
Doſithæani ſæpè pro Saducæis uſurpantur. Ibid.

DULCINUS.

Dulcinus Novatienſis fuit Diſcipulus Joannis Sagarelli de Parma viri impiiſſimi. 314
Dulcinus fuit nedum Hæreticus, ſed etiam Hypocrita, & omninò Luxurioſus. Ibid
Qualis fuerit Dulcini hæreſis, aut Impietas. Ibid.
De infauſtiſſima Dulcini, & Margaretæ ejus uxoris morte. Ibid.

DURANDUS CASTRENSIS.

Durandus Caſtrenſis Abbas Ordinis S. Benedicti pugnavit Walfredum, qui in Occitania prædicabat animam ſimul cum corpore poſt mortem perire. 232
Durandus de Waldach natione Hiſpanus, docuit Nuptias nihil aliud eſſe, quàm occultum, & toleratum ab Eccleſia Romana Meretricium. 213
Durandus de Waldach fuit velut Impœnitens, igni traditus & cauſtus. Ibid.

E.

EBION.

Ebion fuit magnæ facundiæ, ſed perverſæ & hæreticæ mentis vir. 109
Contra Ebionem Joannes Evangeliſta ſcripſit Evangelium ſuum, rogatus ab Epiſcopis Aſiæ. Ibid.
Ebionem ſecuti ſunt plures Hæretici, & præcipuè Symmachiani. Ibid.
Ebion impiè dicebat doctrinam Pauli eſſe erroneam, & ipſum Paulum eſſe Legis apoſtatam. 221
Ebion prædicabat Legem veterem eſſe in omnibus abſolutè, & rigoroſè obſervandam. Ibid.

ECCLESIA.

Eccleſiæ eſt nobis aperire Scripturas. 412
Eccleſiaſticarum rerum largitio debet eſſe omninò gratuita. 413
Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi dies feſtos. 494
Eccleſia inſtituit dies feſtos tempore Apoſtolorum. Ibid.
Eccleſia potuit licitè votum continentiæ exigere ab illis qui ordinari volunt. 507
Eccleſia poteſt aſſerere talem Sanctum feciſſe hoc miraculum. 511
Eccleſia non eſt in una parte mundi, ſcilicet in Africa recondita. 531
Eccleſiæ fides eſt diffuſa per totum Orbem. 532
Eccleſia habet poteſtatem condendi Leges. 546
Eccleſiæ Legibus obedire tenentur omnes Fideles. Ibid.
Eccleſia poteſt multa præcipere quæ non habentur expreſsè in Sacris Litteris. 547
Eccleſiæ Prælati ſunt præpoſiti, & Patres noſtri. Ibid.
Eccleſiæ Legibus reſiſtere, eſt reſiſtere Deo. 548

Digitized by Google

Cur Eccleſia comparetur Lunæ. Ibid
Qui Eccleſiam audit in rebus fidei, audit Chriſtum. 540
Eccleſiæ Chriſti nulla alia poteſt ſuccedere. 541
Eccleſia Jeroſolymitana non eſt Mater omnium Eccleſiarum jure Poteſtatis, ſed ſolum jure Antiquitatis. 533
Eccleſia continet Juſtos & Peccatores, Prædeſtinatos & Reprobos 534
Cur Eccleſia dicatur Regnum Cœlorum. Ibid.
Eccleſia eſt domus Magni Domini, de qua loquitur Sacra Scriptura. Ibid.
Ab Eccleſia Chriſtus non recedit ob peccata aliquorum. 535
Eccleſia non eſt converſa in Lupanar, ut impiè voluit Helludius. Ibid.
Eccleſia vocat Peccatores ad pœnitentiam. Ibid.
Eccleſia quæ dicitur glorioſa quænam ſit. Ibid.
Extrà Eccleſiam Romanam nullu eſt ſalus. 561
In ſolâ Eccleſiâ Romanâ eſt fides illa ſine quâ impoſſibile eſt placere Deo. Ibid.
Eccleſia Romana habet verum Sacrificium quod Deus acceptat. 562
Sola Eccleſia Romana habet Libros Sacros. Ibid.
Eccleſia habet poteſtatem excommunicandi. 564
Eccleſia quotidiè pleniùs illuſtratur à Deo. 573
Univerſalis Eccleſia ſufficienter repræſentatur per Concilia Generalia ritè congregata. 536
Eccleſia Militans eſt viſibilis. Ibid.
Eccleſiæ caput inviſibile eſt Chriſtus, viſibile autem eſt Epiſcopus Romanus. 537
Eccleſia fuit commiſſa ſollicitudini & Curæ Epiſcoporum. Ibid.
Eccleſiæ anima eſt charitas Dei. Ibid.
In Eccleſia Chriſti duo ſunt conſideranda. 538
Eccleſia eſt infallibilis in rebus fidei. 531
Eccleſiam non homo, ſed Deus docuit omnem veritatem. Ibid.
In Eccleſia Chriſti reſidet Spiritus veritatis. Ibid.
Cor Eccleſiæ eſt Spiritus-Sanctus. Ibid.
Eccleſia non poteſt deſinere eſſe membrum Chriſti Redemptoris. Ibid.
In Eccleſia Chriſtus permanebit in æternum. Ibid.
Eccleſiæ finis eſt ſalus hominum. Ibid.
Eccleſia Romana ſemper conſecravit in pane Azimo. 661

ELCHESAE.

De Elcheſaë ſcripſerunt Divus Epiphanius, Nicephorus & Philaſtrius. 164
Elcheſaë docebat negare Chriſtum tempore Perſecutionis non eſſe malum. Ibid.
Elcheſaë Hereſiarcha duas Diſcipulis ſuis præbebat mulieres tàmquam Deas adorandas. ibid.

ELECTIO.

Electio eſt actus eſſentialiter liber. 234
Electio eſt eorum quæ ſunt in noſtra poteſtate. Ibid.
Electi in die judicii non recipient novum gloriæ præmium, ſed idem ſolemniter. 445
Quodnam ſit illud Electorum deſiderium quod ex Scriptura complebitur in die judicii. Ibid.

ELEEMOSYNA.

Eleemoſyna eſt materia præcepti. 595
Eleemoſyna fit de bonis propriis. Ibid.
Eleemoſyna facta intuitu gloriæ æternæ, eſt bona. 595
Dives qui denegat eleemoſynam Pauperibus, peccat. Ibid.
Per eleemoſynam non culpâ, ſed pœnâ peccati remittitur. 702
Eleemoſyna eſt ſatisfactoria. Ibid.
Quomodo eleemoſyna extinguat ignem. 703

ELIAS & HENOC.

Elias & Henoc creduntur adhuc vivi, & exiſtentes in Paradiſo Terreſtri. 336
Elias & Henoc venient contra Antichriſtum prædicaturi Divinitatem Chriſti. ibid.
Elias non reprehendit Prophetas Baal, quia cantabant. 793
Elias fuit Interpellator pro Populo apud Deum. 449

ELIPANDUS.

Elipandus Toletanus fuit Seductor Fælicis Urgelitani. 179
Elipandus Toletanus damnatus fuit in Concilio Francofordienſi celebrato juſſu Adriani primi. ibid.
Elipandus docuit Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum, ſed ante mortem errorem ſuum depoſuit. 180

ELIZABETH.

Elizabeth Mater Joannis-Baptiſtæ vocavit, inſpirante Spiritu Sancto, Filium Mariæ, Filium Dei. 110
Elizabeth verè credidit Filium, quem Maria Virgo habebat in utero, eſſe Filium Dei. ibid.

EOM A STELLA.

Eom à Stella erat vir illiteratus; & idiota, ſed ludificatione Dæmonum dementatus. 158
Hujus Hæretici hæreſis qualis fuerit. Ibid.
Eom à Stella auditus fuit, de hæreſi convictus & condemnatus in Concilio Rhemenſi ab Eugenio III. ibid.
Eom falsò credebat ſe eſſe Judicem illum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos. ibid.
Eom quo motivo deceptus fuerit pro hæreſibus ſuis proferendis. ibid.

EPICURUS.

Epicurus non poſuit veram fælicitatem in deliciis carnis. 430
Cur Epicurus accuſatus fuerit de voluptatibus carnis. ibid.
Epicurus voluit ſummum bonum conſiſtere in voluptate animi. ibid.
Epicurus erat vir vitæ continentiſſimæ, & probæ vitæ. ibid.
Epicuri mentem minimè ſecutus eſt Ariſtippus. ibid.
Ariſtippus fuit occaſio ei tribuẽdi errorem de Beatitudine collocandâ in deliciis carnis. ibid.

EPISCOPUS.

Epiſcopi in Sacrâ Scripturâ vocantur Angeli. 440
Jus Epiſcoporum pro eligendo Summo Pontifice tranſmiſſum fuit ad Cardinales Eccleſiæ Romanæ. 154
Epiſcopi ſunt Superiores, & digniores Presbyteris. 158
Epiſcopus eſt charactere ſuo Judex Sacerdotum. ibid.
In ſolis Epiſcopis eſt, & ſemper fuit poteſtas conſecrandi Sacerdotes. ibid.
Epiſcopi tenent in Eccleſia locum Apoſtolorum, Sacerdotes verò locum Diſcipulorum. ibid.
Epiſcopi repræſentant Chriſtum ſecundùm majorem perfectionem, quàm Presbyteri. ibid.
Epiſcopus dicitur ſpecialiter Sponſus Eccleſiæ. ibid.

ERASMUS.

Eraſmus Roterodamus Hæreticus falsò creditur à nonnullis. 293
Eraſmus Græcorum erroribus minimè adhæſit. ibid.
Eraſmus non negavit obligationem reſtituendi rem furatam. ibid.

ERROR.

Error infallibilitati oppoſitus ex duplici capite provenire poteſt. 339
Erroris culpabilis fons eſt Dæmonis aſtutia. ibid.
Error non poteſt eſſe in Eccleſia Dei. ibid.
Error non poteſt oriri à Spiritu Sancto. ibid.
Error non poteſt tribui Chriſto. ibid.
Nemo poteſt in errore ſalvari. ibid.
Qualis fuerit error Dallæi Calviniſtæ. 17

ÆTERNITAS.

Æternitas & Immutabilitas in Deo ſunt una, eademque perfectio. 14
Coæterna dupliciter conſiderari poſſunt. 69
Æternitas ſoli Deo poteſt convenire. 70
Æternitas excludit omnem ſucceſſionem. 73
Æternum in Sacrâ Scripturâ ſæpè ſignificat tempus longiſſimum. 197

EVA.

Eva non fuit formata de limo terræ ſicut Adam, ut voluit Cajetanus, ſed de coſtâ ipſius. 212
Eva non fuit formata ſimul cum Adamo. ibid.
Eva habuit à Deo omne medium ut Adamum diligeret. 213
Cur Eva fuerit formata ex coſtâ Adæ. ibid.
Cur Eva fuerit adducta ad Adam. 214

EVANGELIUM.

Evangelium Chriſti ex Apoſtolo eſt Evangelium Dei. 100
Evangelium habet veram rationem Legis. 103
Evangelii Prędicatio non ſpectat ad omnes homines indifferenter. 306
Evangelium Plura continet Pręcepta à conſiliis verè diſtincta. 198
Evangelium Chriſti non ceſſavit, dum flagellantium Secta incepit. 202
Evangelium obligabit uſque ad finem mundi. ibid.
Evangelio nulla poteſt ſuccedere Lex. 203
Publica Evangelii Prędicatio ſpectat ad Prælatos Eccleſiæ. 307
Evangelii Prædicatio non incumbit omni Sacerdoti. ibid.
Evangelii Prædicatio non poteſt concedi à Poteſtate Laicâ 308
Privata Evangelii Explicatio licita eſt omni Chriſtiano. 309
Evangelii Prædicatio ſecundùm ſpiritualem intelligentiam non incepit à S. Benedicto, nec à D. Franciſco. 318

Univerſalis Evangelij Prædicatio præcedet adventum Antichriſti. 335
Evangelij Prædicatio non fuit abſolutè denegata populis Aſiæ & Bithyniæ. 374
In Evangelio non continentur omnia quæ Chriſtus fecit aut dixit. 517
In Evangelio nulla poteſt eſſe additio, nullaque mutatio circa præcepta. 596

EUCHARISTIA.

Euchariſtiam debet adorare ille qui intuetur eâm. 182
Euchariſtia continet verè & realiter corpus Chriſti. 633
In Euchariſtia caro Chriſti non manducatur per fidem, ſed verè. 634
In Euchariſtia corpus Chriſti recipitur à Peccatoribus. 635
Euchariſtia non eſt nuda memoria Paſſionis Chriſti. ibid.
In Euchariſtia corpus Chriſti exiſtit tamdiù, quamdiù remanent ſpecies. 642
Euchariſtia non fit dum ſumitur, ſed fit ut ſumi poſſit. 643
Olim Euchariſtiam mittebat Papa ad Epiſcopos in ſignum pacis, & communionis. ibid.
Euchariſtia eſt Sacramentum, Sacrificium & Teſtamentum. 652
Euchariſtia poteſt dici Panis, quamvis in ipſâ non ſit ſubſtantia panis. 658
Circà Euchariſtiæ materiam plures blaſphemias pronuntiarunt Hæretici antiqui. ibid.
Euchariſtia eſt abſolutè nobilior aliis Sacramentis. 581
Euchariſtiæ conſecratio facta in pane fermentato eſt valida. 661
Qui aſſerit Euchariſtiam non poſſe confici in pane Azimo, eſt Hæreticus. ibid.
Euchariſtia fuit inſtituta à Chriſto Domino die decimâ-quartâ primi menſis. 662
Euchariſtia fuit inſtituta in pane Azimo. ibid.
Euchariſtiæ conſecrandæ convenientior eſt panis Azimus, quàm fermentatus. 664
In Euchariſtiæ Sacramento conficiendo Chriſtus uſus eſt verbis. ibid.
Quænam ſit vera Euchariſtiæ forma aſſignatur, & aliæ ab Hæreticis excogitatæ rejiciuntur. 665
In Euchariſtiæ forma non debet exprimi panis, ſed corpus 667
Euchariſtiæ Miniſter eſt ſolus Sacerdus. 668
Poteſtas conſecrandi Euchariſtiam non pendet à dignitate perſonæ, nec à perfectione morum, ſed à charactere Sacerdotali.
Euchariſtia eſt Sacramentum præſtantiſſimum independenter à circumſtantia loci & temporis. 672
Euchariſtia ex Etymologiâ ſuâ quid ſignificet. 674
Euchariſtia confertur tanquam memoriale Paſſionis Chriſti. ibid.
Euchariſtia multa bona confert omnibus dignè ſumentibus eam. ibid.
Euchariſtia prodeſt etiam corpori dignè ſumentis. 675
Euchariſtia multum officit indignè ſumentibus eam. ibid.

EUNUCHUS.

Ut quis aſſequatur vitam æternam, non eſt neceſsè quod ſit Eunuchus, ut volunt Valeſiani. 328
Eunuchus non liberatur à motibus internis concupiſcentiæ ſuæ. 329
Eunuchi nati, aut ab hominibus tales facti non commendantur in Evangelio D. Matthæi. ibid.

EUPSICHIUS.

Eupſichius à quo Eupſichiani originem trahunt, eſt Secta Eunomianus. 134
Eupſichius licet Eunomianus eſſet, adhærere voluit hæreſi Agnoetarum. ibid.
Eupſichius docuit in Urbe Conſtantinopolitanâ Chriſtum neſcire diem Judicii. ibid.
Eupſichius vixit in quarto ſæculo. ibid.

EUSTATHIUS.

Euſtathius Armenus Pſeudomonachus cujus meminit Divus Epiphanius non eſt primus qui invocationem Sanctorum impugnavit. 446
Euſtathius Saballienſis Epiſcopus eſt primus, qui docuit Sanctos non eſſe invocandos. ibid.

EUTYCHIUS.

Eutychius, aut Eutyches non fuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſed præpoſitus, ſeu Archimandrita celeberrimi Cœnobij ejuſdem civitatis. 113
Eutychii hæreſis directè opponitur hæreſi Neſtorianæ. ibid.
Eutychius impugnando Neſtorium, aliam impietatem addidit. ibid.
Eutychius fuit damnatus unà cum Dioſcoro à Flaviano Archiepiſcopo Conſtantinopolitano. ibid.
Eutychius negavit corporum reſurrectionem. 344
Eutychius fuit de hoc errore convictus à B. Gregorio juſſu Pelagij Papæ Conſtantinopolim miſſo. ibid.
Liber quem Eutychius compoſuerat contrà Reſurrectionem, combuſtus fuit, mandante Imperatore. ibid.
Eutychius ante mortem confeſſus eſt carnis Reſurrectionem, quam antea negaverat. ibid.
Eutychius nonobſtante hâc retractatione, mortuus eſt Hæreticus. ibid.

EXALTATIO.

Exaltatio nominis eſt præmium Humilitatis. 172
De vera Exaltationis Chriſti cauſa. ibid.

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicatio quid ſignificet. 565
Excommunicandi poteſtate uſi ſunt Apoſtoli. ibid.
Excommunicatos recipientes excommunicantur. ibid.
Excommunicationis pœnæ quænam ſint. ibid.
Pro excommunicatis nulla debet fieri oratio. 566
Excommunicationis, aut cenſurarum finis quinam ſit. 566
Excommunicatio non eſt effectus crudelitatis, ſed juſtitiæ & bonitatis. ibid.
De Excommunicatione Theodoſii Imperatoris latâ à D. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi. ibid.
Excommunicatio eſt medicinalis omnibus timentibus eam.
Per Excommunicationem homo traditur Satanæ. ibid.
Excommunicatio fuit figurata in veteri Lege. ibid.

EXORCISMUS.

Exorciſmus quid ſignificet. 490
Exorciſmus non eſt res mala, nec ſuperflua. ibid.
Exorcizandi poteſtas tradita fuit Apoſtolis. ibid.
Exorciſmi actus eſt Dæmoniorum ejectio. 491

EXTREMA-UNCTIO.

Extrema-Unctio non eſt purum figmentum humanum, ut volunt Hæretici. 705
Extrema-Unctio non eſt gratia gratis data, ſed verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. ibid.
Extremæ-Unctionis primus Publicator fuit D. Jacobus Apoſtolus. ibid.
Extrema-Unctio non fuit inſtituta à Summis Pontificibus. 706
Extrema-Unctio ſemper fuit recepta apud Fideles ut Sacramentum novæ Legis. 707
Secundarius & minus principalis Extremæ-Unctionis effectus, eſt ſanitas corporis. ibid.
Extrema-Unctio non exigit fidem in Miniſtro. 708
Extremæ-Unctionis Inſtitutio non eſt inutilis, ut credunt Hæretici. ibid.

F.

FAUSTUS.

Fauſtus natione Africanus Sectâ Manichæus credidit, Chriſtum nec naſci, nec mori potuiſſe. 140
Fauſtus Manichæus erat vir doctus, D. Auguſtinus plures cum eo habuit Diſputationes, & contra ipſum plures ſcripſit Libros. 436
Fauſtus Manichæus eſt primus Altarium, ſacrarum Imaginum impugnator. 458
Fauſtus Regienſis patriâ Anglus, Profeſſione Monachus Lirinenſis, ejuſdemque Monaſterii Abbas. 364
Fauſtus fuit Epiſcopus Eccleſiæ Regienſis Archiepiſcopatus Aquenſis Suffraganeæ. ibid.
Fauſtus Regienſis ſecutus eſt errorem Maſſilienſium, ſed ante mortem ab eo receſſit, & mortuus creditur in oſculo pacis. ibid.
Fauſtus ex antiquo more cultu Sanctitatis honoratur in Diœceſi Regienſi. ibid.

FÆLIX URGELITANUS.

Fælix Urgelitanus non eſt Author Hæreſis, quæ vult Chriſtum eſſe Filium Dei Adoptivum. 179
Fælix Urgelitanus in ſuo errore ſecutus eſt Theodiſclum Succeſſorem ſancti Iſydori in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi. ibid.
Fælix Urgelitanus fruſtrà conatus eſt per Galliam & Germaniam errorem ſuum ſeminare. ibid.
Fælix Urgelitanus convictus fuit ab Alcuino Abbate Monaſterii ſancti Martini Turonenſis. 180

Digitized by Google

Fælix Urgelitanus ab errore ſuo nunquam receſſit. ibid.

FÆMINA.

Fœminæ non reſurgent in ſexu virili, ſed in proprio 347
Fæmina creata fuit de carne viri. ibid.
Fæmineus ſexus non eſt de genere vitii, aut defectûs. ibid.
Fæmina eſt creata propter virum. ibid.
Fæmina in ſacra Scriptura ſæpè comprehenditur ſub nomine viri. 348
Fæmina ex creatione ſua non eſt incompleta, neque imperfecta. ibid.

FESTUM.

Feſtorum dierum Inſtitutio non eſt nova, ut volunt Hæretici, ſed antiquiſſima. 494
Ob quem finem facta fuerit Feſtorum Inſtitutio. ibid.
Dies feſtos inſtituerunt Mardochæus & Eſther. 497
Feſtorum dierum Inſtitutio ad quos ſpectet. ibid.
Dies feſtos Judæorum, & Synagogæ non improbavit Chriſtus. ibid.
Feſtorum Inſtitutio non prohibetur per Præceptum de Sabbato ſanctificando. ibid.
Feſtum Paſchæ duobus modis intelligendum eſt. 663

FIDELIS.

Verus Fidelis eſt ille qui facit quod Chriſtus præcepit, & operatur juſtitiam. 404
Ut homo ſit verè Fidelis, non ſufficit quod habeat fidem ſolam. ibid.
Omne peccatum viri Fidelis, aut Prædeſtinati non eſt veniale, ut volunt quidam Hæretici. 252
Fideles non excluduntur à corpore Eccleſiæ, licet non vocentur ad Concilia Generalia. 532

FIDES.

Fides excedit vires liberi hominis arbitrii. 362
Fidei initium eſt purum donum Dei. 363
Fides quâ creditur Deum eſſe, eſt in omnibus hominibus rationis uſum habentibus. 376
Fides non dirigit intentionem humanam in finem naturalem. 397
Fides ſine operibus non ſalvat hominem. 402
Fidei addenda ſunt opera charitatis. 403
Fides conſummatur ex operibus. ibid.
Fides non opponitur omni peccato. 406
Fides eſt initium divinæ Adoptionis. 407
Fides vivit per charitatem. 408
Fides eſt fundamentum totius Ædificii ſpiritualis. Ibid.
Fidei ſubjicienda eſt humana ratio. 409
In diſciplina Fidei non rationibus, ſed Scripturæ teſtimoniis ſtandum eſt. 410
Fides humana non eſt adhibenda niſi cum prudente deliberatione. 415
Fides Chriſti eſt univerſalis, & viget in omnibus partibus mundi. 532
Fides eſt vinculum quo membra Eccleſiæ uniuntur capiti. 535
Fides licet inviſibilis ſit, videtur tamen per Profeſſionem externam. 537
Sola Fides charitate flagrans interdum ſufficere poteſt ſine Baptiſmo in re ſuſcepto. 549

FIDUCIA.

Fiducia eſt quædam ſpecies virtutis ſpei. 388
Fiducia ad Deum ſolitò provenit ex tranquillitate conſcientiæ. ibid.
Fiducia haberi poteſt in bonis operibus. 394
Fiducia quomodo intelligenda ſit. 399
Fiducia ſalutis fundata in bonis operibus eſt prorsùs licita. 400
Non fiduciam, ſed fidem definit Paulus in capite decimo ad Hebræos. 410

FIGURA.

Figuræ nomen non poteſt convenire hoſtiæ conſecratæ, ut volunt Calviniſtæ. 638
Figura eſt duplex; una repræſentat rem abſentem, altera verò rem præſentem exhibet. 639
De Figura in hoc ſenſu acceptâ loquitur Gregorius Niſſenus in Oratione Funebri de Gorgonia ſorore ſuâ. ibid.

FILIÆ.

Filiæ Lot coëuntes cum ipſo non peccaverunt. 328
Filiæ Lot non libidinis ardore, ſed ob generis humani conſervationem acceſſerunt ad patrem. ibid.
Filiarum Lot occaſio coëundi cum patre, fuit Sodomæ, & Gomorrhæ incendium. ibid.
Lot cum Filiabus ſuis copulam habuit ignoranter. Ibid.

FILIUS.

Filius Dei eſt verè, & propriè Verbum Patris, licet Alogiani oppoſitum credant. 43
Filius & Verbum in Deo eamdem Perſonam ſignificant. 44
Filius Dei cognoſcit Patrem, Spiritum-Sanctum, & ſuam ſubſtantiam. 45
Cur Filius Ancillæ fuerit ejectus. 196
Filii Parentum fidelium dum naſcuntur, ſunt ſancti ſanctitate legali. 252
Filii fidelium non ſunt verè ſancti in utero matris. 591

FLAGELLANTES.

Flagellantium Patronus ignoratur, & nomen acceperunt ab errore. 595
Cur dicantur Flagellantes. ibid.
Flagellantes exiſtimabant, ſalutem noſtram à ſolâ Flagellatione dependere. ibid.
Flagellantium Baptiſma non poteſt gerere vices Baptiſmi aquæ. 596
Flagellantium Baptiſma potiùs valet ad gehennam, quàm ad remiſſionem peccatorum. ibid.
Flagellantes malè interpretantur mutationem aquæ in vinum à Chriſto factam in Cana Galilææ. Ibid.

FLORINUS.

De Florino viro Hæretico multa ſcripſit Euſebius. 76
Florinus ob multa perpetrata ſcelera fuit à Sacerdotio in Urbe degradatus, unà cum Blaſto ſocio ſuo. Ibid.
Florinus impiè voluit, Deum eſſe effectivè Authorem mali. Ibid.
Florinus ſecutus eſt Eutychium, & ipſum ſecuti ſunt Manichæi. 153
Florino adhæſerunt Proclianitæ, aut Prodianitæ viri natione Galatæ. 158
Florinus prædicabat licitum eſſe in Eccleſiâ poſt occaſum Solis lucernis extinctis miſcere viros cum mulieribus. 287

FORNICATIO.

Fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale quidquid dixerint Græci, & alii ipſis adhærentes. 287
Simplex Fornicatio expreſsè prohibetur in Evangelio Chriſti. Ibid.
De Fornicatione ſpecificè ſumptâ loquitur Chriſtus, non verò de generali, dum eam prohibet. 288
Plures ſunt Fornicationis ſpecies, & quælibet eſt peccatum mortale. Ibid.

FRANCISCUS STANCARIUS.

Franciſcus Stancarius vir Hæreticus, patriâ Mantuanus, & Theologiæ Profeſſor fuit. 168
Franciſcus Stancarius impiè voluit, Chriſtum eſſe Mediatorem noſtrum ſecundùm humanam naturam ſolam, ſeclusâ diviná. Ibid.
Franciſcus Stancarius falsò profeſſus eſt ſe ſequi doctrinam Magiſtri ſententiarum. Ibid.
Franciſci Stancarii errorem impugnare volentes Muſculani in pejorem lapſi ſunt. Ibid.

FRUMENTIUS.

Frumentius cum in India commoraretur, non invitavit Mercatores ad conſecrandum panem, ut putant Hæretici. 670
Frumentius invitavit Mercatores ad Preces. Ibid.
Frumentius creditur Ordinatus à S. Athanaſio. Ibid.

FUGA.

Fuga eſt licita in Perſecutione tyrannicâ, quidquid dixerint plures Hæretici. 88
Fuga eſt illicita dum præſentia eſt neceſſaria ad probandam fidei veritatem. 89
Fuga, quæ eſt de bono per accidens eſt licita, ſeu licitum eſt fugere bonum per accidens. Ibid.
Fugam in Perſecutione docuit Chriſtus verbo, & exemplo. Ibid.

FUR.

Fur tenetur reſtituere rem furatam, quidquid dixerint Græci. 294
Fur non habet dominium rei furatæ. Ibid.
Fures ad reſtitutionem movet exemplum Tobiæ cap. 2. Ibid.

FUTURUM.

Futurorum omnium præſcientia eſt in Deo. 72
Futurorum cognitio eſt ſpecialis prærogativa Divinitatis. 73
Futurorum cognitio in homine dicitur Divinatio. Ibid.
Futura abſoluta infallibiliter evenient. 25
Futurorum cognitio non nocet ſollicitudini noſtræ. ibid.

G.

GASPAR.

Gaſpar Luvenefeldius eſt unus ex illis Hæreticis, quos Lindanus vocat Confeſſioniſtas. 157
Gaſpar Luvenefeldius tenuit Chriſtum poſt Aſcenſionem ſuam, mutaſſe corpus ſuum in Divinitatem. Ibid.
Gaſpar Luvenefeldius nullam affere hujus hæreſis rationem. ibid.

GENERATIO.

Hominum Generatio non eſt effectus peccati Adæ. 216
Generatio in ſtatu innocentiæ non violaſſet virginitatem conjugum. ibid.

Generatio in ſtatu Innocentiæ facta fuiſſet abſque ullo libidinis ardore. 217
Generatio, non eſt actus ex natura ſua vitioſus. ibid.
Adæquatus Generationis finis non eſt conſervatio generantis in filio. ibid

GEORGIUS.

Georgius fuit in Epiſcopatu Laodicenſi ſucceſſor Theodori. 118.
Georgius Epiſcopus communione privavit Appollinarem Patrem & filium ejus. ibid.
Cur Georgius tali gladio uſus fuerit adverſus Appollinarem. ibid.
Georgius David docuit licitum eſſe negare Chriſtum. 184
Georgius David Stolidos vocabat Apoſtolos, qui ibant ad conſpectum Concilij, & volebant pro nomine Jeſu contumeliam pati ibid.

GLORIA.

Gloriæ collatio non eſt mere gratuita ſicut collatio gratiæ 392.
Gloria non eſt æqualis in omnibus juſtis. 486
Gloria datur adultis velut præmium, aut ut corona, aut ut merces. ibid.
Gloriæ diverſitas in beatis non eſt objectiva, ſed intenſiva. 437.
Gloriæ diverſitas non impedit quominus ille in quo gloria eſt minor, ſit perfectè beatus. 438
Gloria beatorum eſt æterna 439

GOTTESCALCHUS.

Gotteſcalchus non erat natione Gallus, nec Anglus, ſed Germanus, & ſecta Prædeſtinatianus. 89
Gotteſcalchus erat monachus ordinis Sancti Benedicti. ibid.
Gotteſcalchus Italiam, Dalmatiam Pannoniam, & Germaniam peragravit cupiditate ſua ſpargendi dogmata falſa. ibid.
De Gotteſcalchi præcipuis in errore diſcipulis. 90
Gotteſcalchus credidit Chriſtum mortuum fuiſſe pro ſolis prædeſtinatis. 142

GNOSTICI.

Gnoſticorum origo eſt incerta. 5
Cur voluerint vocari Gnoſtici. ibid.
Gnoſtici docuerunt in urbe induſtriâ Marcellinæ ſceleribus oneratæ fœminæ, duos eſſe Deos. ibid.
Gnoſticis in hoc errore adhæſit manes manichæorum author. 238.
Gnoſtici docuerunt bruta eſſe omnino rationabilia. ibid.

GRATIA.

Gratia eſt abſolutè neceſſaria ad obſervantiam mandatorum Dei. 360
Sine Gratia liberum hominis arbitrium eſt impotens ad benè agendum 361
Gratia complet voluntatem ut poſſit bene operari. 362
Gratiæ auxilium non ſupponit converſionem hominis ad Deum. 383
Gratia non deſtruit, nec cogit liberum arbitrium. ibid.
Gratiæ primordia in libero arbitrio minimè continentur. 365
Gratia ſufficiens non ſolum ordinatur ad potentiam, ſed etiam ad actum. 367
Gratia non eſt ex ſe efficax. 368
Gratiæ effectus eſt ſimul & conjunctim ab ipſa, & à cooperatione voluntatis noſtræ. 389
Gratia ſufficiens non eſt inutilis etiamſi non fiat actu efficax. 371
Gratia ſufficiens, & gratia efficax non differunt intrinſecè. ibid.
Gratia ſufficiens datur omnibus, 372
Gratia interior ſufficienter Deum manifeſtans non fuit denegata populis Aſiæ, & Bityniæ. 374
Gratiæ ſufficientis privatio nequit eſſe pœna peccati. 376
Gratiæ ſufficientis influxus fuit per influxum mannæ figuratus. ibid.
Gratia juſtificans non eſt inamiſſibilis ut Jovinianus dicere voluit. 377
Gratia ſanctificans amittitur per quodlibet peccatum mortale. ibid
Gratia ſanctificans facit formaliter hominem juſtum. 348
Gratia ſanctificans ſemel per peccatum deperdita poteſt recuperari. 379
Gratia ſanctificans augetur per bona opera. ibid.
Gratia ſanctificans non eſt in omnibus juſtis. 380
Gratia ſanctificans quid ſit. ibid.
Gratia eſt de genere fortitudinis, & ſanitatis. ibid.
Gratiæ ſanctificantis collatio eſt duplex. 38
Gratia ſanctificans conſtituit hominem Filium Dei adoptivum. 382
Per Gratiam ſanctificantem peccata verè, & proprie delentur. 385
Gratia eſt medium ſufficiens ad ſervandam continentiam, illis qui amant eam. 507
Gratia non provenit effectivè ex fide per Sacramenta excitata, ut volunt hæretici. 584
Gratiæ ſufficienti reſiſtere poteſt humana voluntas. 367
Gratiæ gratis datæ tempore Apoſtolorum non conferebantur omnibus baptizatis, etiamſi ipſis daretur confirmationis Sacramentum. 625

GRÆCI.

Græcorum Hæreſis contra Spiritum Sanctum Sopita Remanſit à Theodoreto Epiſcopo Gyrano uſque ad Photium, qui ſuſcitavit eam. 53
Græci in Concilio Florentino conſenſerunt cum Latinis Spiritum Sanctum procedere a Filio. ibid
Græci non obligant fures ad reſtituendam rem furto ſublatam. 293
Græci non ſunt computandi inter impugnatores Sacramenti Confirmationis. 623
Græci annullant confirmationem datam ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ. 627
Græci ſemper crediderunt realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. 639
Græci credunt tranſſubſtantiationem panis in carnem Chriſti & vini in Sanguinem. ibid.
Ad Græcos miſſa fuit auguſtana confeſſio Lutheranorum. ibid
Græci falſo credunt, Chriſtum anticipaſſe paſcha & conſecraſſe panem fermentatum. 662
Græci vocant azymitas ſacerdotes Latinos. 661
Græci volunt hoſtiam conſecratam feria quinta majoris hebdomadæ habere majorem virtutem. 672
Græci ſervant hoſtiam conſecratam feria quinta majoris hebdomadæ. ibid.

GUILLIELMUS.

Guillielmus Farellus una cum Petro viretro prædicabat Genevæ Deum præcipere impoſſibilia. 82
Guillielmus Farellus junxit ſe Calvino in eadem civitate & factus eſt ipſius ſocius. ibid.

H

Hebdomadarum Danielis vera, ac legitima explicatio. 104
Septuaginta Hebdomadæ præfinitæ ab Angelo jam præterierunt. ibid.
Hebdomadas Danielis falſo interpretantur Judæi. ibid.
Hebdomadæ Danielis non poſſunt intelligi de ſola liberatione temporali populi, ut prætendunt Judæi. 105
Ex ſeptuaginta Hebdomadibus Danielis probatur adventus meſſiæ contra Judæos. ibid.

HERACLIUS.

Heraclius Imperator Hæreſis Monothelitarum fautor fuit. 121
Heraclius Imperator congreſſum habuit cum Severiano. ibid
Heraclij Imperatoris juſſu promulgata fuit Hæreſis Monothelitarum. ibid.

HIERAX.

Hierax cujus natio, & conditio ignorantur, erat vir doctus ut colligitur ex Divo Epiphanio. 190
Hierax tenuit ſententiam, aut mentem Melchiſedechianorum. ibid.
An Hierax ſit author Melchiſedechianorum author, non eſt certum. ibid.

HILARIUS.

Hilarius non Pictavienſis, ſed alter de quo loquitur Divus Auguſtinus libro undecimo retractationum non fuit ſecta Arianus. 491
Hilarius improbabat cantum in Eccleſia tamquam ridiculum. ibid
Hilarius volebat cantum in nova lege eſſe contra mentem Evangelij. ibid
Hilarius putabat malum eſſe loqui Deo voce alta. ibid

HYMNUS.

Hymnus eſt nomen Græcum, quod idem ſignificat ac canticum. 491
Hymni proprietates optime deſcripſit Sanctus Iſydorus. ibid
Hymnum decantavit Chriſtus cum diſcipulis ſuis. ibid

HYPOCRISIS.

Hypocriſis eſt ſimulatio illa, quâ quis ſimulat perſonam alterius a quo eſt longè moribus, & vitâ diverſus. 171
Hypocriſis eſt peccatum occultum quod Deus puniet in inferno quidquid dixerit Arnoldus de Villa-nova. ibid.

HOMO.

Quilibet Homo habet Angelum cuſtodem. 97
Homo in Sacra Scriptura per nomen *Caro* ſæpè exprimitur. 120.
Ex ipſa primi hominis creatione cogitationes humanæ non inducunt ad malum. ibid
Homo eſt imago Dei ratione libertatis ſuæ. 123
Hominum ſalus ſperanda eſt à Chriſto. 125
Homo non eſt naturâ bonus, nec malus moraliter. 205
Homines ſunt naturâ ſimiles Adæ. 206
Cur homo malus vocetur filius Diaboli. ibid.
Homo quem Deus poſuit in Paradiſo voluptatis eſt Adam. 208

Digitized by Google

Hominem naſci Filium iræ quomodo ſit intelligendum. 207
Homo in ſtatu Innocentiæ habebat ſemen. 217
In ſemine hominis eſt duplex ſuperfluitas, ibid.
Homo non moritur ex conditione naturæ. 218
Homo in triplici ſtatu conſiderandus eſt. 219
Homo eſt indifferens ad bonum, & ad malum. 225
Homo dum generat filium, generat hominem ſibi ſimilem, licet non generet animam ipſius. 242
Solus homo creatus fuit ad imaginem Dei. 244
Homo eſt liber etiam dum tentatur. 263
Homines in lege naturæ non vivebant ſecundum carnem. 318.
Omnes homines morientur ante judicium univerſale, & poſteà ſimul reſurgent. 332
Homo non fit infidelis per quodlibet peccatum mortale. 407
Homo tenetur credere ea, quæ non comprehendit, ſi ab Ecclesia revelentur ei. 411
Hominis vita repletur multis miſeriis. 432
Homo plus valet quàm delicia carnis. ibid.
Hominum opera ſive bona, ſive mala non ſunt æqualia 436.
Omnium hominum merita non ſunt æqualia. ibid.
Propter hominem facta ſunt omnia, quæ in terris ſunt 471.
Homo non eſt finis Angeli ipſo Angelo nobilior. ibid.
Homo per peccatum primorum parentum perdidit jus ad gloriam, 520
Hominis reparatio eſt finis divinæ Incarnationis. ibid
Omnis homo baptizatus non eſt Sacerdos. 669
An omnis homo baptizatus poſſit aliquo modo dici Sacerdos. 671

HONORIUS.

Honorius primus Papa duas Epiſtolas ſcripſit ad Sergium Conſtantinopolitanum, ſectâ Monothelitam. 121
Honorij Epiſtolæ ad Sergium lectæ fuerunt in ſexta Synodo generali. ibid
Honorius in Epiſtolis ſuis ad Sergium non loquebatur de voluntate divina, ſed de humana tantum. ibid
Honorius falsò creditur à nonnullis Monothelita. 122
De authoribus graviſſimis qui Honorium vindicant à calumniis hæreticorum. ibid.

HORÆ CANONICÆ.

Horarum Canonicarum inſtitutio eſt Eccleſiaſtica. 524
Horæ Canonicæ obligant omnes Clericos Religioſos profeſſos. ibid
Horarum Canonicarum recitatio non poteſt citrà hæreſim impugnari. 525
Præceptum de horis Canonicis recitandis quas perſonas obliget. ibid.
Cur horæ Canonicæ ſint ſeptem numero. ibid
Septem horarum inſtitutio obſervata fuit ante Incarnationem Verbi Divini. ibid
Horas Canonicas recitandi ritus eſt diverſus juxta diverſitatem temporum. ibid.
Septem horarum Canonicarum inſtitutio, quæ obligat ad orandum ſepties in die, eſt juſta atque laudabilis. 526
Horarum Canonicarum inſtitutio non eſt contraria libertati Chriſtianæ, ut dicere voluerunt quidam Hæretici. ibid.

HOSTIA.

Non adorare Hoſtiam conſecratam maxima impietas eſt. 188.
Uſus elevandi Hoſtiam poſt conſecrationem eſt univerſalis in Eccleſia Romana. ibid
Ob quem finem elevetur Hoſtia immediatè poſt conſecrationem. ibid
Cur Hoſtia conſecrata ſemel in anno defertur in proceſſione ſolemni. ibid.
Omnes communicaturi tenentur Chriſtum adorare in Hoſtia. ibid.
Ad elevationem Hoſtiæ conſecratæ Angeli deſcenduut de Cœlo, ut ibi Chriſtum adorent. 189
Hoſtia Conſecrata in die Cœnæ Domini non eſt dignior Nec perfectior illa quæ conſecratur in altera die anni 672.

I

JACOB.

Jacob Prophetia continet prædictionem adventus Meſſiæ Filij Mariæ. 101
Prophetiâ Jacob uſi ſunt Chriſtus, & Apoſtoli. 103
Dum Jacob dixit ſe eſſe Eſau non eſt mentitus. 184
Cur Jacob non fuerit mentitus dum dixit ſe eſſe Eſaü. ibid.
Jacob tunc locutus eſt Prophetico ſermone. ibid.

SANCTUS JACOBUS.

Divus Jacobus per ſeniores non intellexit Laicos, ſed Presbyteros. 706
Sanctus Jacobus per Presbyteros non intellexit Laicos ſeniores, ſed Sacerdores. ibid.
Divus Jacobus non eſt extremæ unctionis inventor, ſed præco, & promulgator. ibid.
Dum Divus Jacobus ait quod oratio fidei ſalvabit infirmum non loquitur de fide miniſtri. 708

JACOBUS PRÆPOSITUS.

Jacobus præpoſitus fuit conditione monachus ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & natione Flander. 549
Jacobus præpoſitus prædicavit, Papam non eſſe caput Eccleſiæ Romanæ jure divino. ibid
Jacobus præpoſitus non eſt tamen hoc nonobſtante cenſendus hæreticus, quia ante mortem hoc falſum Dogma conſtitus revocavit. ibid.

JANSENIUS.

Janſenius voluit aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia etiam juſtis. 82
De Janſenij propoſitionum condemnatione Pontificis. ibid.
Janſenius Epiſcopus Yprenſis adhæſit Prædeſtinatianis. 90
Quid ſenſerit Janſenius de morte Chriſti. 142

ICONOMACHI.

Illud nomen, Iconomachus, quid ſignificet. 455
De tempore quo incepit Iconomachorum hæreſis. ibid
Quis fuerit Iconomachorum primus. ibid
Quales fuerint præcipui Iconomachorum fautores. ibid
Iconomachorum hæreſis quamvis dudum ab Eccleſia proſcripta, renovata fuit per hæreticos Iconoclaſtis longè recentiores. ibid
Iconomachi ut omnes imagines deſtruerent, dicebant unicam eſſe imaginem Chriſti, nimirum panem, & vinum. 631.
Iconomachi crediderunt Euchariſtiam eſſe tantum imaginem Corporis Chriſti. ibid.

JEJUNIUM.

Jejunium eſt meritorium apud Deum, ut definitum eſt contra plures hæreticos. 567
Jejunia Eccleſiaſtica ſunt obſervanda. ibid
Jejunij inſtitutio eſt in poteſtate Eccleſiæ Romanæ. 568
De Jejunij beneficiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus. ibid.
Jejunium quadrageſimale eſt de inſtitutione Apoſtolorum. ibid.
Jejunium eſt de genere virtutum, & pars temperantiæ. ibid
Jejunium quod Eccleſia præcipit, eſt dignius eo quod fit voluntarie. ibid
Jejunium ſine pietate ad modicum utilis eſt. 569
De Jejunij definitione tradita à Divo Ambroſio. 570

IGNIS.

Ignis inferni non eſt imaginarius ut voluerunt nonnulli hæretici, ſed eſt verè corporeus, & realis. 268
Cur ignis inferni non ſit metaphoricus ſicut vermis & Stridor dentium. 269
Ignis corporeus, & realis non eſt in inferno ſuperfluus ut volunt libertini. 270
Ignis inferni eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ in punitionem reproborum. ibid
Ignis in inferno habet operationem realem, & phyſicam. ibid
Ignis inferni quomodo cruciet damnatos. 272
Ignis elementaris non eſt materia Sacramenti Baptiſmi ut crediderunt quidam hæretici. 597
Non in igne baptizabant Apoſtoli, ut ſuadere nituntur quidam hæretici, ſed in aqua elementari. 598

ILLYRICUS.

Mathias Illyricus adhæſit Bucero, Bezæ & aliis hæreticis negantibus deſcenſum Chriſti ad inferos. 150
Mathias Illyricus fuit centuriatorum Anteſignanus, & ſectâ Lutheranus. 212
Mathias Illyricus erat homo ad monſtra cogitanda quodammodo natus. ibid
Mathias Illyricus receſſit ab errore Lutheri circa peccatum originale, ſed cecidit in pejorem. ibid
Mathias Illyricus docuit contra Lutherum, peccatum originale eſſe ipſammet ſubſtantiam animæ rationalis. ibid.

IMAGO.

Imago Dei non eſt impreſſa in corpore hominis, ſed in anima ipſius. 244
Imago Dei non poteſt eſſe ſimul in anima, & in corpore hominis. 245
Imago Dei impreſſa in anima non tollitur per peccatum mortale. 254
Imaginum ſacrarum primus infractor fuit Leo tertius Imperator, 455
Cur imagines Cherubinorum poſitæ fuerint in propitiatorio. 456.
Imagines Sanctorum non ſunt confringendæ. ibid.
Imagines Sacræ exponendæ in Eccleſiis, & colendæ. 457
Imagines Sanctorum ad eorum exempla ſectanda nos provocant. ibid.

Imagines Sanctorum inſpirant Sanctitatem. ibid.
Duæ ſunt adhuc in terris imagines veræ vultus Chriſti. ibid.
Sacrarum imaginum cultus non provocat ad Idololatriam ut proclamant hæretici. ibid.
Sacrarum imaginum cultus numquam fuit abſolutè prohibitus. 458
Ob quem finem Sacras Imagines ab Eccleſijs removerit Serenus Epiſcopus Maſſilienſis. 455
Inter imaginum Sacrarum fractores minimè computandus eſt Serenus Epiſcopus Maſſilienſis. ibid.
Cur non liceat Sacras imagines confringere, ſicut licuit Ezechiæ confringere ſerpentem Æneum. 456
Sacrarum imaginum cultus ab ipſo naſcentis Eccleſiæ primordio eſt apud fideles. 457

IMPERIUM.

Imperij Romani deſolationem eſſe ſignum adventum Antichriſti præcedens infertur ex Apoſtolo ad Theſſalonicenſes. 335.
Imperium Romanum tollet Antichriſtus. ibid
Imperium Romanum adhuc ſubſiſtit, quamvis tranſlatum fuerit. ibid.
Imperij Romani ſubverſio integra numquam facta fuit, nec amiſſa dignitas Imperatoris Romanorum. ibid.

INCREDULITAS.

Præter Incredulitatem, aut infidelitatem ſunt alia peccata mortalia, ut definitum eſt contra Lutherum. 406
Incredulitas, aut infidelitas ſecundum omnes ſuas ſpecies opponitur fidei divinæ, & infuſæ. ibid.

INDULGENTIÆ.

Indulgentiarum Theſaurus eſt in Eccleſia Romana. 496
Poteſtas concedendi Indulgentias eſt à Chriſto Domino. ibid.
Primi Indulgentiarum impugnatores fuerunt Waldenſes. ibid.
Indulgentiarum uſus non eſt effectus cupiditatis miniſtrorum Eccleſiæ ut dicunt hæretici. 497
Qui Indulgentias negat eſt hæreticus. ibid
Indulgentiarum theſaurus conditur ex ſatisfactionibus, & meritis Chriſti. ibid.
Indulgentiarum Theſauri Claves datæ fuerunt Divo Petro. ibid.
De Indulgentiarum vera, & propria definitione. ibid.
Effectus Indulgentiæ ſunt effectus miſericordiæ, & bonitatis Dei. 494
Indulgentiæ ſolito conceduntur pro aliquo opere complendo per ſe, vel per alium. ibid.

INFERNUS.

Infernus ad quem Chriſtus deſcendit poſt mortem ſuam non eſt ſepulcbrum quod Joſeph ab Arimathæa exciderat in petra, ut putant hæretici qui negant deſcenſum Chriſti ad inferos. 150
Inferni exiſtentia evidenter comprobatur contra hæreticos ex Sacra Scriptura. 265
Infernus non fuit extinctus per paſſionem, & mortem Chriſti. 266
Infernus non habetur in hac vita mortali. ibid.
pœna inferni non eſt temporalis ut voluerunt Origeniſtæ, ſed æterna. 267
Licet pœna inferni ſit æterna, tamen Deus punit damnatos cum miſericordia, & bonitate. ibid.
In inferno peccatores cruciantur eo igne, quo cruciabuntur in corpore, & anima ſimul poſt judicium. 268
In inferno peccata privata puniuntur ſicut publica. 270
In inferno magis puniuntur peccata publica, quàm peccata occulta. 271

INFIDELIS.

Omnia Infidelium opera non ſunt peccata mortalia, ut putant Huſſitæ. 394
Infidelis poteſt perfectè diſcurrere de rebus naturalibus, & vivere ſecundum regulas juſtitiæ humanæ. 396
Infidelis poteſt velle & perficere aliquod bonum morale adjuvante Deo authore naturæ. ibid
Infidelis habet charitatem naturalem. 397
Infidelis qui glorificat Deum ut authorem naturæ, non peccat. ibid.
Infidelis habet poteſtatem faciendi id quod naturaliter judicat eſſe faciendum licitè. ibid.
Infidelis qui ardenter vult baptizari baptiſmo Chriſtianorum, & non poteſt recipere illum, effectus baptiſmi validè recipit. 593

INIMICUS.

Inimicus eſt verè proximus noſter ſicut amicus. 295
Inimico reddendum eſt bonum pro malo. ibid.
Inimicos decipere nulli licet. ibid.
Inimicorum dilectio eſt de præcepto divino. ibid.
Inimicus quomodo ſit diligendus. ibid.
Præceptum de inimicis diligendis non obligat ad intermittendam actionem coram judice intentam. 296
Inimicos diligere ſumma perfectio eſt. ibid.
Inimicos diligenti multa à Deo promittuntur beneficia. ibid.

INJURIA.

Chriſtianus poteſt licitè injuriæ reparationem petere à judice, quidquid dixerit Lutherus. 277
Ut injuriæ reparatio licitè petatur à judice, neceſſè eſt quod deponatur odium. ibid.
Injuriam dimittere, eamque pro Chriſto velle pati, bonum eſt atque laudabile. 278

INSTANTIUS.

Inſtantius, & Salvianus (non Maſſilienſis, ſed alter) fuerunt Epiſcopi in Hiſpania. 318
Inſtantius, & Salvianus Gnoſticorum, & Manichæorum ſectam ſuſceperunt, & duos Deos admiſerunt. ibid.
Inſtantius, & Salvianus cum Priſcillianiſtis animas hominum, & corpora fatalibus ſtellis aſtringebant. ibid.
Inſtantius, & Salvianus adhæſerunt Montaniſtis dicentibus Prophetas non intellexiſſe ea de quibus locuti ſunt nobis. ibid.

INTELLECTUS.

Intellectus creatus non poteſt propriis viribus videre Deum. 434.
Ut Intellectus videat Deum neceſſario eget lumine gloriæ hocque definitum eſt contra Begardos. ibid.
Quodnam ſit Intellectus creati objectum. 435
Inter intellectum creatum, & Deum viſibilem non eſt diſtantia ſimpliciter infinita. ibid.
Intellectus beati agit ſupernaturaliter, quamvis reſtet finitus in ſua ſubſtantia. ibid.

INTENTIO.

Intentio faciendi rem Sacram eſt neceſſaria miniſtro pro validitate Sacramentorum. 613
Per ſolam intentionem miniſtri verba quibus Sacramenta conficiuntur, poſſunt determinari. ibid.
Intentio requiritur in miniſtro ut actus ejus dirigatur in proprium effectum intentum à Domino cujus vices gerit. 614.
Intentio interior eſt neceſſaria miniſtro, ut conformetur intentioni Chriſti Sacramenta inſtituentis. ibid.
Intentio interior eſt neceſſaria miniſtro, ut ſit verè, & propriè miniſter. ibid.
Intentione interiori ſublata actio miniſtri non eſt humana, nec Sacramentalia. ibid.
Explicatur intentio Iſaac benedicentis Filium ſuum Jacob. ibid.
Explicatur intentio Athanaſij, & Geneſij martyris baptizantium puerum, & mimum. 615
Licet intentio miniſtri ſit neceſſaria pro validitate baptiſmi, tamen conditio Chriſtianorum non eſt inde miſera, ut credunt quidam hæretici. 616
Intentio interior, & propria non eſt neceſſaria omnibus, qui ſunt capaces recipiendi baptiſmum, ut validè illum recipiant. ibid.

JOACHIM.

Joachim Abbas multa ſcripſit animo nocendi Eccleſiæ Chriſti. 316
Joachim Abbas affirmabat tres eſſe ſtatus hominis. ibid.
Explicantur illi tres ſtatus, & rejiciuntur. ibid.
An Abbas Joachim omnino fuerit hæreticus, non conveniunt Scriptores. ibid.

JOANNA.

Joannæ Papiſſæ fœmina fabula. 542
Poſt Leonem quartum, mulierem nomine Joanna ſediſſe in Cathedra Petri, falſiſſimum eſt. ibid.
Hujus de Papiſſa Joanna fabulæ inventores quales fuerint ibid.
Joannæ Papiſſæ fabulæ occaſionem quid dederit. ibid.
Solutio ad rationes Magdeburgenſium, qui volunt Joannam fuiſſe verè electam in ſummum Pontificem. 544
De Papiſſæ Joannæ fabula Divus Antoninus non loquitur aſſertivè. ibid

JOANNES.

Joannes Baptiſta publicavit Chriſtum moriturum pro omnibus 546.
Joannes Baptiſta immunis fuit à peccato mortali. 459.
Joannes Baptiſta eſt major in gratiâ omnibus filiis mulierum 459.
Joannes Baptiſta ſemper remanſit in gratia, quam receperat. ibid.
Joannes Baptiſta exivit Sanctus de utero matris. 460
Joannes Baptiſta eſt verè beatus quidquid dixerint Manichæi ibid.
Joannes Baptiſta mittendo diſcipulos ſuos ad Chriſtum, ut interrogarent eum, non dubitavit de ipſius divinitate ibid.
Cur Joannes Baptiſta miſerit diſcipulos ſuos Chriſtum interrogaturos. ibid.
Joannes Baptiſta non peccavit, dum dixit militibus, Lucæ tertio *neminem* &c. ibid.

Digitized by Google

Joannes Baptiſta diſtinxit ſuum baptiſma à baptiſmate Chriſti. 609.

Joannes Evangeliſta dicendo *Verbum caro factum eſt* nullam mutationem intendit. 126

Joannes Evangeliſta non fuit uxoratus. 506

Joannes Philipponus patria Alexandrinus docuit tres perſonas eſſe tres Deos. 60

Joannes Iſleblus fuit Lutheri diſcipulus. 85

Joannes Campanus eſt dux hæreticorum qui Trinitarij dicuntur. 95

Joannes Spengerbergus impiè voluit, in Evangelio nullum eſſe conſilium. 198

Joannes Caſſianus credidit licitum eſſe mentiri pro vita hominis tuenda. 282

Joannes Papa vigeſimus ſecundus non fuit Millenarius ut credunt nonnulli. 442

Cur Joannes Theſſalonicenſis dixerit Angelos eſſe depingendos. 472

Joannes Witleffus non negavit Confirmationem eſſe Sacramentum, ut exiſtimant plures. 623

JOSEPH.

Joſeph fuit fideliſſimus ſponſæ ſuæ virginitatis cuſtos. 532

Joſeph permanſit ſponſus virgo, nullamque filium habuit ex Maria Matre Chriſti, quidquid dixerit impiiſſimus Jovinianus. ibid.

Joſeph erat vir Juſtus & Pater putativus Chriſti Domini. ibid.

Joſeph nullam aliam ſponſam habuit præter Virginem Mariam. 134

JOVINIANUS.

Jovinianus quamdiu ſtetit in monachatu, immunis fuit ab errore. 436

Jovinianus docuit Sacerdotes poſſe licite matrimonium contrahere, ſed non docuit eos ad hoc teneri. 504

Cur ipſe Jovinianus noluerit uxorem ducere. ibid.

IRÆNÆUS.

Irænæus Epiſcopus Lugdunenſis non fuit Millenarius chiliaſta. 441

Irænæus floruit in fine ſecundi ſæculi, & in principio tertij. 643.

ITHACIUS.

Ithacius in Hiſpania Epiſcopus fuit Priſcilliani Avilæ Epiſcopi hoſtis acerrimus. 545

Ithacius apud Imperatorem accuſavit Priſcillianum nedum de hæreſi ſed etiam de aliis criminibus mortis ſupplicio dignis. ibid.

Ithacius non potuit probare coram Imperatore crimina quæ Priſcilliano objecerat. ibid.

Ithacius judicatus fuit Epiſcopatu ſuo Indignus, & privatus fuit. ibid.

Ithacius non fuit privatus Epiſcopatu ſuo, quia adverſus hæreticos, auxilium Imperatoris impetraverat. ibid.

JUDAS.

Judas liberè ſe ſuſpendit, tamen non eſt martyr ut falsò credunt quidam hæretici. 463

Judas proditor eſt ille qui in Evangelio vocatur Diabolus. 465.

Judas tradendo Chriſtum graviſſimè peccavit, licet Cainani dixerint Judam tunc meruiſſe. ibid.

Judas mortuus eſt in peccato ſuo. ibid.

Judas non tradidit Chriſtum eo animo, quo ipſe Chriſtus mori voluit. ibid.

Judas licet dixerit *peccavi* tamen non egit veram, & ſinceram pœnitentiam. 466

Judas tradidit Chriſtum Judæis inſtigante Diabolo. 478

Judas negavit miracula à Chriſto facta. 508

Judas tradendo Chriſtum, nec Sanguinem juſti non amiſit Apoſtolatum. 118

Judas fuit primus Chriſtianiſmi hæreticus. ibid.

Judæ proditoris malitia non nocuit Apoſtolis. 531

Judas in nocte cœnæ recepit corpus Domini cum aliis Apoſtolis. 676

JUDEX.

Judex poteſt licitè condemnare reum ad mortem, ſi ſit morte dignus. 289

Chriſtus Matthæi ſeptimo capite non prohibet judicis poteſtatem, ut prætendunt quidam hæretici. 290

Omnium judicum poteſtas eſt à Deo. 291

Judex vivorum, & mortuorum, quid intelliges per mortuos & vivos. 333

Judicea quibus tribuitur liber Judicum, æterna perfruuntur gloria. 356

JUDÆI.

Judæi in nulla parte mundi habent poteſtatem ſupremam. 101.

Judæi plures habuerunt reges poſt mortem Jacob. 104

Judæi liberati fuerunt à ſervitute peccati per mortem Chriſti 307.

Judæi crucifigebant reos ad mortem damnatos. 141

Cur Judæi non invocaverint ſanctos veteris teſtamenti 548

JUDICIUM.

Judicium Chriſti ex Apoſtolo eſt judicium Dei, hocque probat divinitatem Chriſti. 100

Præter Judicium particulare credendum eſt generale quod fiet in fine mundi. 159

Judicium temerarium eſt prorsùs illicitum. 291

Judicium non debet ferri circa partem inauditam. ibid.

Judicium univerſale non eſt ſicut Area Noë. 333

Judicium univerſale fiet in Valle Joſaphat. 339

Ultimi Judicij Dies ignoratur ab omnibus hominibus 340

Judicium univerſale erit in pravo tempore peractum. 342

Poſt Judicium univerſale, mundus non erit in eodem ſtatu in quo nunc eſt. 353

Poſt Judicium univerſale non erit nox. ibid.

In judicio univerſali elementa non deſtruentur quoad ſubſtantiam. 354

In ultimo judicio mare non mutabitur ſecundum ſuum modum. 351

JULIANUS.

Julianus Halicarnaſſæus docuit Corpus Chriſti ex ipſa conceptione incorruptibile eſſe atque impaſſibile, & immortale. 107

Julianus Halicarnaſſæus creditur auctor Aphtartadocitarum. ibid.

Julianus Pelagij diſcipulus, & Cæleſtij ſocius varios ſcripſit libros contra Divum Auguſtinum. 218

Julianus ſcripſit pro tuenda hæreſi Pelagiana. ibid

JURAMENTUM.

Juramentum non eſt ex natura ſua malum. 279

De Juramenti origine, & fine. ibid.

Juramentum eſt actus Religionis. ibid.

Juramentum poteſt eſſe materia præcepti. ibid.

Juramentum verum non prohibetur in Evangelio Divi Matthæi. 280

In juramento vitandum eſt perjurium. ibid

Juramentum non pendet omninò à libertate. 281

Juramentum non debet fieri ſine neceſſitate, & cautela debita. ibid.

JUSTIFICATIO.

Juſtificationis certitudo non ducit in deſperationem. 388

Juſtificatio impij duas mutationes includit. 387

De Juſtificatione haberi poteſt aliqua certitudo conjecturalis. ibid.

Juſtificatio peccatoris non conſiſtit in ſola peccatorum non imputatione. 386

De Juſtificatione ſua nullus poteſt eſſe certus. ibid.

JUSTITIA.

Juſtitia eſt tutela bonitatis, ut inquit Tertullianus. 85

Juſtitia qua Deus eſt eſſentialiter juſtus non juſtificat hominem. 385

Juſtitia Chriſti imputata homini non juſtificat eum. ibid

Juſtitia in nobis eſt duplicis generis. 384

Juſtitia quâ Deus præmiat bona juſtorum opera eſt diſtributiva. 436.

Juſtitiæ proprium eſt reddere unicuique quod ſuum eſt. ibid

JUSTINIANUS.

Juſtinianus Imperator fuit vere Aphtartadocitarum hæreſis defenſor. 107

Juſtinianus Imperator à Theodora conjuge & à Theodoro Cæſareæ Capadocum Epiſcopo ambobus hæreſi Eutychiana Infectis, depravatus Chalcedonenſe Concilium voluit infirmare. ibid.

Juſtinianus Imperator quæſtionem trium capitulorum movere voluit reluctante Vigilio Summo Pontifice. ibid

Juſtinianus voluit aſſerere, & propugnare hæreſim Aphtartudocitarum. ibid.

JUSTUS.

Juſti ſunt per Chriſtum Filij Dei adoptivi. 181

Juſtus ſæpè peccat, quin gratiam ſanctificantem deperdat 558.

Juſtus numquam privatus pane Spirituali. 327

Juſtus non vivit præcisè ex fide, ſed ex fide viva, & operativa. 378

Juſtus non eſt in impotentia faciendi opera mala. ibid.

Juſtus non poteſt in hac vita habere omnem certitudinem de ſuâ juſtificatione. 386

Juſtus per bona opera meretur apud Deum vitam æternam 390.

Juſtus qui operatur intuitu beatitudinis obtinendæ, non peccat. 298

Juſtus ſeminat in Spiritu. 535

K

KEMNITIUS.

KEmnitius impiè voluit remedium pro remittendis peccatis nihil aliud eſſe, quàm memoriam nudam baptiſmi jam ſuſcepti cum fide remiſſionis peccatorum. 20
Kemnitius immemor miſerationum Dei temerariè prædicavit contra Indulgentias. 496
Kemnitius Theologorum Scholaſticorum infenſiſſimus hoſtis quotquot libros ipſorum invenire poterat, eos publico tradebat rogo. 513
Kemnitius publicavit pro Sacramentorum validitate, intentionem miniſtri eſſe omnino ſuperfluam. 613
Kemnitius docuit miſſam eſſe ſummam abominationem à Romanis Presbyteris adinventam. 646
Kemnitius docuit nullum hominem poſſe diſpenſare in communione ſub utraque ſpecie. 684
Kemnitius excludebat quamcumque ſatisfactionem pro remittenda peccati pœna. 701
Kemnitius auſus eſt dicere Fœlicem quartum ſummum Pontificem eſſe Extremæ-Unctionis inventorem. 705

L

LABOR.

LAbor pertinens ad honeſtatem debet præcipi Monachis, & Religioſis. 323
Labor manuum eſt licitus clericis, Religioſis, & Monachis. 322.
Labore manuum Religioſi in clauſtro tutiores ſunt contra inſidias Diaboli. 353
Ad Laborem manuum non ita aſtringuntur, ut non poſſint ex illo ſibi victum acquirere. 325
Labor non eſt ponderandus, ſed Laborantis voluntas conſideranda eſt. 437
Labor eſt menſura præmij fidelibus promiſſi. 436

LATUS.

Latus Chriſti fuit in Cruce perforatum non ante, ſed poſt mortem ipſius. 549
In Latere ſiniſtro Chriſti fixa fuit Lancea. 550
Ex Latere Chriſti fluxerunt verus Sanguis, & vera aqua. ibid.
Quem ob finem fuerit hæc de latere Chriſti Sanguinis & aquæ effuſio. ibid
Latus Chriſti fuit Lancea perforatum à Longino milite caro. ibid.
Sanguis qui ex Latere Chriſti exivit fuit meritorios quamvis Chriſtus jam mortuus eſſet. ibid.
Longinus qui latus Chriſti Lancea aperuit creditur Centurio ille qui de Chriſto Crucifixo dixit verè Filius Dei erat iſte. ibid.

LAUS.

Laus haberi poteſt ſolum de bono opere. 477
Laus perfecta, & conſummata eſt beatitudo. ibid.

LAZARUS.

Lazari fratris Marthæ, & Magdalenæ reſurrectio eſt miraculorum Chriſti ſolemnior. 111
Lazari reſurrectio probavit Judæis divinitatem Chriſti ſeu Chriſtum eſſe Filium Dei. ibid.
Lazari Reſurrectio non improbat abſolutionem Sacramentalem à Sacerdotibus Eccleſiæ proferendam in remiſſionem peccatorum. 698
Ex hiſtoria Lazari ſolum colligitur Deum eſſe cauſam principaliorem remiſſionis peccatorum, Sacerdotem vero miniſterialem. ibid.
Lazari reſurrectio manifeſtè oſtendit Lutheranis ſolvere peccatorem à vinculis ut abire poſſit, pertinere ad miniſtros Eccleſiæ. ibid.

LEPORIUS.

Leporius monachus degradatus, & condemnatus fuit à Proculo Maſſilienſi Epiſcopo. 126
Leporius poſt degradationem migravit in Africam, & ibi Aurelium Carthaginenſem, & Auguſtinum Hyponenſem inviſurus. ibid.
Leporius creditur Neſtorianiſmi author, & inventor. Ibid.
Leporius nedum credidit in Chriſto dari duas perſonas ſed etiam Chriſtum ut hominem multa ignorare. 135
Leporium ad retractandam hanc ſententiam Anathemate coegit Eccleſia Africana inſtante Divo Auguſtino. ibid.

LEX

Lex ut verè juſta ſit plures conditiones neceſſario requirit, & quænam ſint. 84
Lex vetus abrogata fuit in morte Chriſti Domini authoris novæ. 196
Lex vetus non fuit data hominibus in ſempiternum. ibid.
Cur Lex vetus in Sacra Scriptura ſæpè dicatur perpetua, & æterna. 197
Lex vetus ordinabatur ad novam, ideoque ceſſavit in promulgatione legis novæ, quamvis bona, & ſancta eſſet. ibid.
Lex Dei non violatur niſi ab illis, qui liberè, & deliberatè agunt contra eam. 261
Plures in lege veteri, ſeu ante paſſionem Chriſti mortui ſunt in oſculo pacis. 356
Lex vetus fuit figura, & umbra legis Evangelicæ. 595
Lex nova eſt veritas, & complementum legis antiquæ cui ſucceſſit. ibid.
Lex nova præcipiens baptiſmum eſt culmen, & ultima perfectio gratiæ. ibid.
Lex Evangelica non mutabitur, nec ſuccedet alteri quidquid dixerint Flagellantes. ibid.

LIBRI.

Plures hæretici acriter impugnant libros ſacros, quos recepit Eccleſia Romana. 571
De librorum Sacrorum, & Canonicorum numero ibid.
Omnes libri apud Tridentinum numerati, nullo excepto ſunt Sacri, & Canonici. 572
Quot ſint Libri Canonici ab Eccleſia Romana recepti. ibid.
Libros veteris teſtamenti eſſe Canonicos, & recipiendos probatur ex eo quod citantur in novo. ibid.
Libri qui per omne ſabbatum legebantur in Synagoga erant quinque libri Moyſi. 573
Libri Sacri non debent ità reſtringi ſuper Canones Judæorum, ut Chriſtiani debeant habere pro Canonicis, eos duntaxat, quos habebant Judæi. ibid
Libri Sacri ſunt duplicis generis, quidam dicuntur Protocanonici, alij vero Deuterocanonici. ibid.
Hæc Sacrorum Librorum diviſio explicatur. ibid.
Libri veteris teſtamenti debent eſſe Sacri, & divini quia continent præcepta Dei, & teſtimonium perhibent de Chriſto venturo. ibid.
Libri novi Teſtamenti, quos Eccleſia Romana poſuit in Catalogo librorum Sacrorum, ſunt Canonici, & Sacri. 575.
De Librorum Sacrorum, & Canonicorum Authoribus. ibid.

LIBERTAS.

Libertas quâ ex Apoſtolo liberi ſumus, non eſt ita intelligenda ut ſimus ſine ulla lege. 194
Quænam ſit ea libertas de qua loquitur Apoſtolus. ibid
Libertas Chriſtianorum conſiſtit in eo quod liberi ſumus à ſervitute peccati, & à morte æterna. ibid.

LIBERUM ARBITRIUM.

Liberum hominis arbitrium quid ſit. 223
Liberum hominis arbitrium non fuit ſublatum per peccatum. 224.
Liberum arbitrium eſt ratio ob quam poteſt per legem obligari. 225
Liberum arbitrium hominis infirmatum fuit per primum peccatum. 226
Liberum arbitrium eſſe adhuc in homine probatur variis rationibus ex ſcriptura deductis. ibid
Liberum arbitrium eſt ipſa voluntas quæ eligit unum præ alio. ibid.
Libero arbitrio minimè nocet Divus Auguſtinus citatus ab hæreticis. ibid.
Liberum hominis arbitrium eſt ex ſe impotens ad eligendum, & faciendum bonum. ibid.
Liberum hominis arbitrium non tollitur per tractum divinæ gratiæ. ibid.
Divus Paulus Rom. cap. ſeptimo verſ. 15. non excludit liberum arbitrium ut prætendunt hæretici. 227

LIGNUM VITÆ.

Ligni vitæ comeſtio prohibita fuit primis parentibus in ſtatu Innocentiæ. 218
Cur parentes noſtri ſtatim poſt Ligni vetiti mortui non fuerint. ibid.
Comeſtio Ligni vetiti eſt cauſa mortis noſtræ quidquid dixerint Pelagiani. 219
Ad cuſtodiendam viam Ligni vitæ Deus collocavit Angelum ante portam Paradiſi. ibid.
Ob quem finem collocatus fuerit Angelus ille ad cuſtodiendam viam Ligni vitæ. ibid.

LINGUA.

Linguarum pluralitate puniti fuere ædificatores turris Babelicæ. 229
Deus deſcendit, & diviſit Linguam populi in pœnam peccati. ibid.
Lingua qua loquebantur homines ante illam diviſionem erat Hebraica, hæcque remanſit ſolùm in domo Hebri. ibid.
Linguarum diviſionem negat Philaſtrius cui contradicunt omnes. ibid.
Non in intelligentia, ſed in Lingua facta fuit diviſio. 230

Per

Per Labium de quo loquitur Scriptura, intelligitur lingua. ibid.

Quot, & quænam ſint in univerſo mundo Linguæ matrices, 231.

LIRINENSIS.

Vincentius Lirinenſis acerrimè propugnavit contra Neſtorium, Mariam Virginem eſſe Matrem Dei. 131

Vincentius Monachus Lirinenſis adhæſit Gennadio Eccleſiæ Maſſilienſis presbytero. 364

Vincentius Lirinenſis docuit gratiam pulſantibus ſolius naturæ viribus poſſe conſerri. ibid.

An vincentius Lirinenſis errorem ſuum depoſuerit? plures ſunt qui affirmant. ibid.

LOTIO.

Lotio pedum Apoſtolorum ſacta à Chriſto Domino ante Cœnam ultimam quid ſignificet. 679

Hujus Lotionis pedum figura præceſſit in veteri Teſtamento. ibid.

Lotio pedum ſacta fuit Judæ Proditori ſicut ſacta fuit aliis Apoſtolis. ibid.

Lotio pedum eſt figurative peccatorum confeſſio ante communionem præmittenda. ibid

Lotionis pedum habemus præceptum, & quomodo ſit adimplendum. ibid

LUCIANUS.

Beatus Lucianus Presbyter Antiochenus cùm in carcere eſſet hoſtiam conſecravit in pectore ſuo velut in altari vivo. 643.

Beatus Lucianus hoſtiam quam conſecraverat diviſit in tres partes. ibid.

Ex his tribus partibus hoſtiæ conſecratæ Beatus Lucianus ſumpſit unam, unam dedit fidelibus præſentibus & per Diaconos miſit aliam ad abſentes. ibid

LUCIDUS.

Lucidus conditione Presbyter ſtatim poſt mortem Divi Auguſtini inſurrexit adverſus fidem Eccleſiæ Chriſti. 89

Lucidus docuit Deum habere voluntatem ſalvandi tantum eos, qui ſalvi erunt. ibid.

Contra Lucidum Presbyterum Epiſtolam ſcripſit Fauſtus Monachus Lirinenſis, & Abbas, & poſtea Epiſcopus Regienſis. 142

Epiſtolam Fauſti ad Lucidum approbavit Concilium Arelatenſe tertium. ibid.

LUCILLA.

Lucilla mulier Hiſpana erat Carthaginis præpotens, & factioſa. 531

Lucilla tuebatur contra Cæcilianum partes Donati viri hæretici. ibid

Lucilla merito reprehenſa fuit à Cæciliano, hæcque reprehenſio fuit cauſæ eidem Lucillæ tuendi partes Donati. ibid

Hujus ad Lucillam reprehenſionis cauſa fuit, quia ipſa ſuperſtitioſis oſculis venerabatur os cujuſdam hominis mortui non ab Eccleſia ut martyris cogniti. ibid

Lucilla Cæciliano ſe oppoſuit animo ulciſcendi ſe de hoc viro juſto. ibid.

LUCILIUS.

Lucilius natione Italus fuit Athæus, & in Atheiſmo mortuus eſt Tholoſæ. 8

Lucilius Atheiſmum diſſeminavit per varia Galliarum Loca ibid.

Lucilius merito comburi juſſus fuit à celeberrimo Senatu Tholoſano. ibid.

LUCIUS.

Lucius Epiſcopus Alexandrinus fuit non legitimus, ſed intruſus. 45

Lucius fuit ſectâ Arianus acerrimus, ibid.

Lucius Arianæ hæreſi aliam addere voluit, ſcilicet verbum divinum non ſolùm non cognoſcere Patrem, ſed etiam neque ſuam ſubſtantiam. ibid.

Lucius docuit etiam quòd Deus non genuiſſet filium ſuum, niſi voluiſſet creare mundum. ibid

LUPUS.

Lupus cognomine Servatus non fuit Epiſcopus, ſed Præsbyter Moguntinus. 90

Lupus ſervatus fuit diſcipulus Gotteſcalchi, ejuſque peſtiſera dogmata ſuſtinuit. ibid

Lupus Servatus fuit verè prædeſtinatianus. ibid.

Lupi Servati ſocij fuerunt Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis, Florus ejuſdem Eccleſiæ Diaconus, & Prudentius Trecenſis Epiſcopus. ibid.

LUTHERUS.

De Lutheri impietatibus, & execrationibus circa vota ſolemnia, & monaſteria. 309

Martinus Lutherus docuit cum Joviniano gratiam juſtificantem ſemel receptam eſſe, prorſus inamiſſibilem. 377.

Lutherus non eſt author illius hæreſis quæ propugnat opera juſtorum eſſe injurioſa pretioſiſſimo Sanguini Chriſti Domini. 389

Lutherus non eſt author hæreſis quæ vult fidem ſine operibus ſalvare hominem. 408

Lutherus non negavit abſolutè exiſtentiam Purgatorij ſicut Calvinus. 425

Lutherus non negavit abſolutè horas canonicas eſſe quotidie à clericis, & Religioſis recitandas. 524

Lutherus primo negaverat præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed poſtea ſuam mutavit ſententiam 632.

M

MACEDONIUS.

Macedonius primùm Nicomedienſis Epiſcopus, deindè Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab Arianis conſtitutus fuit. 47

Macedonius eſt author Pneumatomachorum, ſeu impugnatorum divinitatis Spiritus ſancti. ibid

Macedonij hæreſibus adhæſit Marathonius in ſede Nicomedienſi ſucceſſor ejus. ibid.

Macedoniani ſæpè pro Marathonianis uſurpantur, quia Marathonius Macedonij hæreſim partim ſtudio, partim pecuniâ promulgavit. ibid

Macedonius non eſt author hæreſis quæ tenet Spiritum Sanctum non procedere à Patre, quæ dicitur hæreſis Græcorum, ut credunt nonnulli. 52

Macedonium de hac hæreſi accuſat Juſtinianus Epiſcopus Siciliæ in quadam Epiſtola ad Petrum Epiſcopum Antiochenum. ibid.

Macedoniani nolebant Spiritum Sanctum eſſe cum Patre, & Filio conglorificandum, & verſum *Gloria Patri* &c. improbabant. 316

MACHARIUS.

Macharius Epiſcopus Antiochenus creditur primus qui voluit in Chriſto Domino eſſe tantum unam voluntatem. 121.

Macharius non negavit in Chriſto eſſe duas naturas hypoſtatice unitas. ibid

Macharius humanæ voluntatis Chriſti impugnator ſtatim auditus fuit in Oriente. ibid.

MAHOMETUS.

Mahometus erat natione Arabs, conditione Mercator Viliſſimus. 296

Mahometus in ſuo Alcorano poſuit omnes hæreſes quæ præceſſerant. ibid.

Mahometus Pſeudopropheta, prænuntius Satanæ & Antichriſti præcurſor fuit. 300

Mahometi ſecta continet quidquid profanum in Ethnicis, quidquid ſuperſtitioſum in Judæis, quidquid impium in hæreticis reperitur. 431

Mahometus rejicit omnes libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti, & ſolum Alcoranum admittit. 571

MALCHUS.

Manus Malchi tetigit carnem Chriſti, tamen non eſt adoranda, ſicut Crux: quidquid dixerint Pauliciani. 179

Cur manus Malchi non ſit adoranda licet tetigerit carnem Chriſti. ibid.

Quo animo Malchus alapam dederit Chriſto Domino. ibid.

MALUM.

Malum pœnæ eſt à Deo tamquam à Judice quem irritavit populus. 80

Malum quod ex Propheta Amos fecit Dominus in civitate non eſt malum culpæ. ibid.

Mala pœnæ quænam ſint, & ob quem finem dentur nobis à Deo. 81

Mala pœnæ non debent dici abſolutè, & ſimpliciter mala ut voluere Colluthiani. ibid.

Mala pœnæ ſunt dona fructuoſa à Deo miſericorditer conceſſa hominibus. ibid.

MANES.

Manes eſt Manichæorum author, & origo, eſtque acerrimus Polytheiſmi defenſor. 6

Manes credidit Metempſicoſim cum Gnoſticis, à quibus eam audivit. 235

Manes plures aſſeclas habuit in erroribus ſuis, ſed paucos in eo quo tenet nullo modo licere Chriſtiano gerere bellum. 274

Manes volens omne bellum eſſe injuſtum, & illicitum improbabat Moyſem. ibid

Manes docuit fidem eſſe ſubjiciendam rationi humanæ, & illud quod ratio ſuadet eſſe credendum. 409

Manes impiiſſimus dixit non credidiſſe adventum Meſſiæ, & in hoc peccaſſe. 459

Manetis diſcipuli, aut ſectatores, nedum ſunt illi, qui Manichæi dicuntur, ſed etiam plures alij diverſas ſectas inſtituentes. 578

Manes natione Perſa rejiciebat Nuptias tanquam illicitas, & credebat omni pœnâ dignos, eos, qui eas contrahunt. 713

MARCION.

Marcion natione Ponticus, patriâ Synopenſis, conditione Stoicus, famâ nequiſſimus fuit. 5

Marcion juſtâ ſententiâ à Patre ſuo Epiſcopo Catholico ejectus fuit ob ſtuprum. ibid.

Marcion videns ſe inter ſceleratos meritò reputatum, Romam adire voluit ut famæ ſuæ conſuleret, ſed nec ibi fuit in Communionem Eccleſiæ receptus. ibid.

Marcion Communione privatus adjunxit ſe Cerdoni, & ipſius falſa Dogmata prædicavit. ibid.

Marcion eidem homini Baptiſmum eſſe ter conferendum, docebat. 60c

An Marcion docuerit utrùm homines qui ſine Baptiſmo moriuntur, ſint baptizandi antequam ſepeliantur. 620

MARIA.

Maria Virgo eſt verè Mater Dei, contra Neſtorium. 130

Maria Mater Dei non habuit alium filium præter Jeſum Filium Dei. 132

Mariæ Puritas ac Virginitas evidenter demonſtratur variis figuris veteris Teſtamenti. 133

Maria Virgo emiſerat votum Caſtitatis antequam conciperet de Spiritu Sancto. 3c1

Maria Virgo nullum peccatum contraxit in utero matris, nullumque commiſit. 482

Ut Virgo Maria ſit Mater Dei, ſufficit quod initium dederit homini Deo. 13c

Maria Mater Chriſti non poteſt citra hæreſim dici cauſa Dei. ibid.

Maria Virgo eſt ſanctior Joanne-Baptiſtâ, Jeremiâ, & aliis Viris ſanctis. 482

Maria Virgo non dubitavit de promiſſione illi ab Angelo factâ, Deo ſic mandante. 483

Maria Virgo non peccavit peccato ſuperbiæ dum dixit: Fecit mihi magna qui potens eſt, ut volunt Hæretici. ibid.

Maria Virgo non peccavit peccato impatientiæ, dum dixit Chriſto: Fili, quid feciſti nobis. ibid.

Maria Virgo ſtando juxtà Crucem lacrymoſa, non peccavit peccato inobedientiæ, ut voluit Raymundus Lullius. ibid.

Maria Mater Chriſti fuit Virgo ſine opprobrio, quamvis eſſet deſponſata in veteri Lege. 485

Beata Virgo Maria non indiguit Purificatione, quamvis eſſet Mater, & Filium ſuum obtulerit in Templum. ibid.

Maria fuit Virgo nedum quantum à viro, ſed etiam quantùm ad partum. ibid.

Beatiſſima Virgo Maria non eſt colenda cultu Latriæ, ut volunt Collitidiani, ſed cultu Hyperduliæ. 486

Mariæ Maternitas non fuit illi ſola via, aut ſolum medium conſequendi vitam æternam. 487

MARONITÆ.

Maronitarum origo eſt incerta, nullum certum apud Hiſtoricos habetur de ea teſtimonium. 121

Ex variis capitibus conjici poteſt Maronitarum origo, ſcilicet à Marone viro Hæretico, vel à vico quodam dicto Maronia, vel à S. Marone Abbate, cujus Monachi fortiter impugnabant hæreſim Eutychianam. ibid.

Maronitæ fuerunt Monothelitæ antequam eſſent ſub obedientia Summi Pontificis Romani. ibid.

Maronitæ habent unum Patriarcham, Archiepiſcopos & Parochos. ibid.

Maronitæ ſequuntur ritus Græcorum, excepto fermentato: conſecrant enim panem azimum. ibid.

Maronitæ in Divino Officio ordinato à S. Ephrem Diacono Eccleſiæ Edeſſenæ, utuntur linguâ Syriacâ. ibid.

Gregorius XIII. fundavit Romæ Collegium pro formandis, & inſtruendis juvenibus Maronitis. ibid.

MARTYRIUM.

Martyrium ſecundùm ſe conſideratum non eſt verè Sacerdotium. 186

Martyrium gerit vices Baptiſmi, & ſanctificat non Baptizatos. 196

Martyrium non enervat vim, aut poteſtatem Baptiſmi fluminis. 596

Martyrium includit mortem ab alio inflictâ, & propter Chriſtum patienter toleratâ. ibid.

Martyrium eſt actus Fortitudinis, Patientiæ, Charitatis, & Fidei. 461

Martyrium includit eſſentialiter actum dilectionis Dei ſuper omnia. ibid.

Martyrium configurat hominem Paſſioni Chriſti Domini ſicut Baptiſmus aquæ. ibid.

Martyrium remittit omnem pœnam peccato debitam tàm æternam, quam temporalem. ibid.

Martyrium eſt efficacior via perveniendi ad coronam immortalitatis. ibid.

Martyrium eſt teſtimonium Deo datum per Paſſionem & Mortem. 462

Martyrium eſt actus per ſe omninò heroïcus, & verſatur circà bonum arduum. ibid.

Velle Martyrium in occaſione pati pro Chriſti nomine, non eſt contra præceptum de non occidendo. ibid.

Ad Martyrium non ſufficit ſola occiſio, ut voluerunt Circumcelliones. 463

Ille qui ſe interimit pro peccatis ſuis non patitur martyrium, nec eſt verè martyr. 463

MATTHÆUS.

Matthæus Apoſtolus eſt primus Evangeliſtarum principatu ſcribendi. 517

Matthæus ſcripſit Evangelium ipſius nomen præſeferens anno ſexto, vel octavo poſt mortem Chriſti. ibid.

Ab Aſcenſione Domini uſque ad Evangelium D. Matthæi, fideles credebant verbis Apoſtolorum. ibid.

Evangelium D. Matthæi meritò reponitur inter libros Canonicos. 572

MATRIMONIUM.

Matrimonium eſſe verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, negarunt plures Hæretici. 712

Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile, & res licita & bona, quidquid dixerit Saturninus. 714

Eccleſia ſemper credidit matrimonium eſſe verum Sacramentum. 718

Matrimonium non conſiſtit eſſentialiter, nec completur per copulam carnalem. ibid.

Matrimonium non habet completam rationem Sacramenti ratione ſignificationis, ſcilicet conjunctionis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem. ibid.

Matrimonium eſt aliquo modo, aut in aliquo ſenſu perfectius virginitate & cœlibatu. 718

Matrimonium conſiſtit in mutuo conjugum conſenſu, & animorum affectu. ibid.

Matrimonium dum contrahitur, & ut Sacramentum recipitur nulla ſimonia committitur, licet dos mulieris recipiatur à marito. 719

Matrimonii vinculum non eſt diſſolubile ad nutum unius, imò nec amborum conjugum. 723

Matrimonii vinculum non poteſt penitùs diſſolvi per crimen aliquod conjugum. ibid.

Matrimonii validè contracti vinculum tamdiù durat, quamdiù vivunt conjuges. ibid.

Matrimonii vinculum ligat conjugatos, nonobſtante adulterio. ibid.

Matrimonium inter fideles ſignificat unionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia. 724

De inconvenientibus quæ ex matrimonii diſſolubilitate infallibiliter ſequerentur. ibid.

Cur Matrimonium non poſſit diſſolvi conjugum conſenſu, ſi per mutuum conjugum conſenſu fuerit contractum. ibid.

Nullum datur præceptum Divinum de Matrimonio contrahendo. 728

MEDIATIO.

Mediationis inter Deum, & homines ſcopus fuit liberare nos a poteſtate Diaboli. 473

Mediatio inter Deum & homines non potuit convenire Angelis. ibid.

Mediatio aut Reconciliatio noſtra non poteſt fieri niſi quatuor modis, & quinam ſint modi illi. ibid.

Mediatio noſtra fieri non potuit niſi à Chriſto Filio Dei qui pro nobis mori voluit. ibid.

Mediationi à Chriſto factæ minimè nocet Angelorum cuſtodia. 474

MELCHISEDECH.

Melchiſedech non fuit Chriſtus, nec virtus aliqua Chriſto major, ſed purus homo. 190

Melchiſedechianorum Primipilus aut Inſtitutor penitùs ignoratur. ibid.

Hæreticorum Melchiſedechianorum Author à nonnullis creditur Theodoretus Bizantinus. ibid.

Melchiſedech Sacerdos Altiſſimi vixit tempore Patriarchæ Abrahæ. ibid.

Melchiſedech non eſt ſubſtantialiter Spiritus-Sanctus, ut impiè credunt nonnulli Hæretici. 191

Melchiſedech verè habuit patrem & matrem, ſicut cæteri homines. ibid.

Sufficienter explicatur Ordo Melchiſedech Sacerdotis Altiſſimi. ibid.

Ob quem finem Melchiſedech panem & vinum obtulerit. 192

MENDACIUM.

Mendacium numquam fuit prolatum à Deo, qui non eſt mentitus Caïno, ut volunt Armeni. 25

Mendacii ratio non poteſt convenire Narrationibus purè fictis, aut Parabolis quibus utitur Scriptura. 26

Mendacium fingere contrà Sacram Scripturam, aut factum ab Evangeliſtis relatum, eſt omninò illicitum. 149

Mendacium poteſt dividi in quantum habet rationem culpæ, ſecundùm ea quæ aggravant, vel minuunt culp

Digitized by Google

pam mendacii ea parte finis intenti. 282
Mendacium habet rationem peccati non ſolùm ea damno quod infert, ſed etiam ex ſua inordinatione ad verum. 283
Omne Mendacium eſt contra veritatem, ideóque omne mendacium eſt illicitum, & prohibitum. ibid.
Mendacium officioſum eſt vere mendacium, licet non ſit tàm grave, quàm pernicioſum. ibid.
Omne Mendacium eſt ſugiendum, quoniam omne genus mendacii prohibetur. ibid.
Mendacium humilitatis gratiâ prolatum, eſt etiam illicitum & malum. ibid.
Occultatio veri non eſt propriè Mendacium; aliud quidem eſt mentiri, & aliud eſt occultare verum. 284
Mendacium Judith Holoferni dictum non laudatur in Sacra Scriptura. ibid.

MENANDER.

Menander vir Hæreticus, patriâ Samaritanus, fuit Diſcipulus Simonis Magi, ut impudentius prædicaret, Deum non eſſe Authorem mundi, rejiciebat primum librum Pentateuchi. 66
Menander fuit Magiſter alterius Hæretici nimirùm Saturnini, patriâ Antiocheni, Menandro ipſo pejoris. ibid.
Menander vir artis diabolicæ præſtigiis deditus, dicebat ſe Salvatorem mundi, à quo inſtituendus erat Baptiſmus in remiſſionem peccatorum. 312
Menander prædicabat nullum hominem poſſe ſalvari, niſi fuerit in nomine Menandri baptizatus. ibid.

MENDICITAS.

Per Mendicitatem, aut Mendicationem ſunt Ordines Religioſi, qui diſtinguntur ab aliis. 326
Mendicitas non eſt prohibita Monachis, nec Religioſis, nec poſſunt licitè impediri ne mendicent. ibid.
Mendicitas eſt licita & honeſta illis qui bona temporalia non habent, nec habere poſſunt. 327
Mendicitas voluntaria ex Paupertate Evangelica proveniens eſt in linea virtutum, & in genere boni. ibid.
Mendicitas Religioſorum non aggravat Fideles, ut dicere auſus eſt Guillelmus de Sancto Amore. ibid.
Qui ſpontè ſe redigit ad Mendicitatem, non exponit ſe ſemper periculo mortis. ibid.

MENNAS.

Mennas Patriarcha Conſtantinopolitanus obtulit libellum Vigilio Papæ, in quo affirmabat unam voluntatem eſſe in Chriſto. 121
Mennæ libellum pro una voluntate in Chriſto firmanda non fuit approbatum à Vigilio Papa. ibid.
Mennæ Conſtantinopolitani libellum Vigilio Papæ oblatum creditur vitiatum a Græcis. ibid.

MERITUM.

Id quod habetur per meritum nobilius eſt quàm id quod habetur ſine merito. 392
Merita Juſtorum non minuunt ſufficientiam meritorum Chriſti, nec ſunt illi injurioſa. ibid.
Merita operum hominis juſti pendent à divina promiſſione libera, & à divina acceptione. 393
Meritum apud Deum, aut à Deo acceptandum neceſſario requirit ſtatum viæ. ibid.
Præcipua ad meritum conditio requiſita eſt gratia ſanctificans, quapropter merita hominum dicuntur dona Dei. ibid.
Merita Juſtorum ſunt menſura gloriæ æternæ, quatenus datur adultis ut præmium. 437
Ex Meritorum diverſitate provenit diverſitas graduum gloriæ quam impugnat hæreſis Joviniana. ibid.

METEMPSICOSIS.

Per Metempſicoſim quid ſignificetur apud antiquos Philoſophos Pythagoræ adhærentes. 235
De Philoſophis & Hæreticis qui Metempſicoſim tenuerũt. ibid.
Metempſicoſis condemnatur in variis Conciliis tanquam hæreſis. 236
Metempſicoſim non dari, aut impoſſibilem eſſe, probat ultimum judicium in quo unuſquiſque accipiet ſecundùm opera ſua. ibid.
Metempſicoſim admittendi neceſſitas non poteſt probari ex Scriptura Sacra, ut putant Hæretici. 238

MILLENARII.

Millenariorum Secta quid ſignificet, & quinam fuerint ejuſdem Sectæ Authores. 566
Millenariorum errorem docuit in Ægypto quidam Epiſcopus nomine Nepos. ibid.
Millenariorum hæreſis damnata fuit in variis Conciliis, & à Summis Pontificibus. ibid.
Millenarius numerus in Sacra Scriptura ſignificat numerum indefinitum. 568
Millenarii qui in fide erraverunt, ſunt duplicis generis, diverſaſque habent Sectas. 441

MIRACULA.

Omnia Miracula quæ fecerunt Sancti, ſunt credenda, ſi ab Eccleſia fuerint approbata. 509
Miracula Sanctorum parant nobis viam ad ſalutem æternam. ibid.
Per Miraculi nomen quid intelligendum ſit in Eccleſia Romana. ibid.
Miracula quæ Eccleſia nobis proponit ſunt vera, & omninò certa. ibid.
Multa Miracula facta fuerunt ab Apoſtolis pro converſione hominum. 510
Miracula ab Eccleſia approbata non poſſunt licitè dici pura mirabilia opera, ut putant quidam Hæretici. ibid
Miraculorum cauſa efficiens, & principalis non eſt homo, ſed Deus. ibid.
Miraculorum cauſa moralis, aut inſtrumentalis, eſt ſanctitas illius cui miraculum tribuitur. ibid.
Plura Miracula authentica probant contra Hæreticos præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia. 637

MISSA.

Miſſa eſt Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum in nocte Cœnæ. 646
Miſſæ verè conveniunt ea, quæ ad eſſentialem Sacrificii rationem pertinent. ibid.
Cur Chriſtus poſt Inſtitutionem Miſſæ dixerit Diſcipulis ſuis: Hoc facite in meam commemorationem. 647
Miſſa ex ſua Inſtitutione Divina, quid ſignificet. ibid.
De Miſſæ Sacrificio intelligi debet prædictio Prophetæ Malachiæ. ibid.
Miſſa eſt Sacrificium illud quod juxta Danielis Prophetiam, Antichriſtus ablaturus eſt in fine mundi. 648
Qui ſanctam Miſſam celebrat, facit quod Chriſtus fecit in ultima Cœna cum Diſcipulis ſuis. 649
Licet Miſſa ſit Sacrificium quod Chriſtus inſtituit pridiè quàm pateretur, tamen Sacrificium Crucis non debet dici inutile, ut dicunt illud Hæretici. 651
In Miſſa Chriſtus Dominus aliquo modo occiditur à Sacerdote qui offert illum ut Victimam. ibid.
Miſſæ Sacrificium offerri poteſt nedum pro vivis, ſed etiam pro Defunctis, quidquid dixerint plures Hæretici. 653
Miſſa eſt Sacrificium omnibus, & ſingulis hominibus utiliſſimum. ibid.
Cur in Miſſæ Sacrificio neceſſè ſit, Eccleſia Romana ſic mandante, recitare Orationem Dominicam. 668

MONOTHELITÆ.

Monothelitæ inſurrexerunt in medio ſeptimi ſæculi tempore Pelagii Papæ I. 121
Quales fuerint præcipui Monothelitarum hæreſis Defenſores. ibid.
Quales fuerint Imperatores qui declararunt ſe Monothelitarum fautores. ibid.
Monothelitarum quaſi præcipuo nimirum Sergio adhæſerunt plures Orientales. ibid.
Monothelitarum hæreſis in quo conſiſtat. ibid.
Monothelitarum hæreſis ſolemniter damnata fuit in variis Conciliis Generalibus, & Nationalibus. 122

MONTANUS.

Montanus impugnavit miſericordiam Dei, exiſtimando Deum nolle remittere peccata eorum qui Baptiſmum receperunt. 19
Hunc Montani errorem acriter defendit, & publicavit Novatus Presbyter Eccleſiæ Romanæ. ibid.
Montanus ut in blaſphemiis ſuis plures deciperet innumeris ad fallendum uſus eſt technis. 87
Montanus erat vitiorum amator, & præſertim voluptatum. ibid.
Montanus pro voluptate fovenda duas ſecum ducebat Meretrices Priſcam ſcilicet, & Maximillam. ibid.
Montanus Meretrices ſuas adæquabat Prophetis, ut earum blaſphemias velut Oracula Prophetarum reciperent Fideles. ibid.
Montani erroris, & hæreſis Defenſor acerrimus fuit Tertullianus. ibid.

MOYSES.

In quo ſenſu Moyſes dicatur Redemptor Populi Iſraëlitici. 144
Moyſes nedum ſcripſit Chronologiam Judæorum, ut volunt Præadamitæ, ſed etiam omnium hominum, & incepit ab Adamo Patre omnium. 212
Moyſi locutus eſt Deus per vocem ſenſibilem, & quam audivit. 435
Moyſes non vidit clarè & intuitivè eſſentiam Dei illi loquentis. 434
Aſſerentes Moyſem vidiſſe intuitivè eſſentiam Dei, non ſunt hæretici. 435
Cur corpus Moyſi non fuerit revelatum Judæis. 452
Moyſes fuit erga Deum Mediator pro Populo Iſraëlitico 449
Moyſes eſt Author ſecundarius, aut Scriptor quinque librorum, qui Pentateuchum conſtituunt. 573

MULIER.

Cur olim quædam Mulieres appellatæ fuerint Diaconiſſæ, Presbyteriſſæ, Epiſcopiſſæ. 296

Mulier nullo modo, aut interveniente quacumque diſpenſatione poteſt ſacram Euchariſtiam conficere. 304

Mulier ratione ſexûs, & Jure Divino eſt inferior viro, eſtque ſub ipſius poteſtate. ibid.

Mulier eſt omnino incapax gradus Eminentiæ & Superioritatis ſuper homines. 405

Mulier nedum eſt incapax Ordinis majoris, aut ſacri, ſed etiam primæ Tonſuræ, quidquid dicant Pepuziani. ibid.

Cur Mulieres non poſſint ſuſcipere Ordinis Sacramentum, ſicut recipiunt alia ſex Sacramenta. ibid.

In quo ſenſu Apoſtolus nullam differentiam admittat inter virum & Mulierem. ibid.

Cur Mulier debeat ex Apoſtolo ſilere in Eccleſia. 304

MUNDUS.

Mundus non fuit creatus ab Angelis, neque ab Archangelis, nec à Dæmonibus, ſed à ſolo Deo. 66

Per Mundum intelligitur collectio omnium Entium creatorum. 67

Mundus non eſt ab æterno, ut crediderunt quidam Hæretici, ſed fuit creatus in tempore. 69

Mundum eſſe ab æterno implicat ſecundùm ſui partes. 70

Mundi conſummatio eſt ſignum ſubſequens ad adventum Antichriſti. 336

MUTUUM.

Qui in mutuo exigit plus quàm dedit mutuatio, eſt verè Uſurarius. 292

Mutuum debet eſſe omninò gratuitum, & abſque ſpe retributionis exercendum. ibid.

Mutuum non in mutuantis, ſed mutuarii gratiam eſſe debet. ibid.

Mutuum eſt de genere beneficii, charitatis, & auxilii Indigenti debiti ab eo qui poteſt præſtare illud. ibid.

N.

NABUCHODONOZOR.

Nabuchodonozor & Pharao diverſos habuerunt fines, licet eadem habuerint media ex D. Auguſtino. 81

Nabuchodonozor per peccatum ſuum non amiſit poteſtatem Regiam. 512

Nabuchodonozor erat malus, & peccator, tamen erat Rex cui Gentes obediebant. ibid.

Nemo poteſt dicere quod Nabuchodonozor fuit Rex æquivocus, quia peccator erat, ut dicunt Wicleffitæ. ibid.

NESTORIUS.

Neſtorius Conſtantinopolitanus non eſt, ut credunt nonnulli, Author erroris Græcorum contra Proceſſionem Spiritûs S. à Filio. 52

In perſona Neſtorii Theodoretus Cyrenſis cui tribuitur hic error Græcorum, damnatus fuit in Concilio Epheſino. ibid.

Neſtorius non eſt Author hæreſis nomen ipſius præferentis, ſcilicet illius quæ duas perſonas admittit in Chriſto. 126

Cur hæreſis admittens in Chriſto duas perſonas, dicatur Hæreſis Neſtoriana. ibid.

Neſtorius erat Monachus in Monaſterio S. Euttopii propè Antiochiam. ibid.

De electione Neſtorii ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum poſt mortem Cynesij. ibid.

Quid de Neſtorii Conſtantinopolitani motibus ſcripſerit Vincentius Lirinenſis. ibid.

Quem ob finem Neſtorius acriter impugnabat Arianos, & Macedonianos antequam Epiſcopus eſſet. ibid.

Neſtorius publicè prædicabat Mariam non eſſe verè Matrem Dei, ſed ſolùm hominis per affectum Deo uniti. ibid.

Neſtorii error in Epheſino damnatus fuit occaſio addendi Salutationi Angelicæ, hanc particulam, *Sancta Maria &c.* 127

Concilium Epheſinum parum veris Neſtorii fidens, ab ipſo exegit juramentum ſolemne. 278

Neſtorius Conſtantinopolitanus docuit in hoſtia conſecrata eſſe tantùm carnem puri hominis. 633

NICOLAUS.

Nicolaus Galecus conditione Presbyter, Profeſſione Baccalaureus Artium, miſſus fuit ad Concilium Baſileenſe. 289

Nicolaus Galecus ex Bohemiâ oriundus, docuit malefactores non poſſe occidi Judicis ſententia. ibid.

Nicolaus Galecus prædicabat in novâ Lege, omnem & quamcumque occiſionem eſſe abſolutè prohibitam. ibid.

Nicolaus unus ex illis ſeptem Diaconis, qui ad miniſterium viduarum fuerunt electi, fuit vir impiiſſimus. 286

Nicolaus Nicolaitarum Author, uxorem ſuam in publicum produxit, permittens, ut qui vellet eâ uteretur. ibid.

Quo motu Nicolaus tantam turpitudinem licitam prædicaverit. ibid.

Nicolai Hæreſis præcipua fuit ea, quæ tenet mulieres eſſe communes, & omnem coitum eſſe licitum. ibid.

De Nicolao Diacono multa refert Euſebius, quæ obſervatione digna ſunt. ibid.

NINIVE.

Ninive erat Civitas magna, itinere trium dierum. 416

Ninivitarum Reſurrectio de qua expreſsè loquitur Scriptura, probat Reſurrectionem omnium hominum. 340

NUDITAS.

Nuditas corporis humani abſolutè prohibita fuit in Lege antiqua, quidquid dixerint Adamitæ, & Turlupini. 272

Nuditas Adæ in ſtatu innocentiæ non permiſit omnibus nuditatem in Lege veteri. ibid.

Nuditas corporis nunquam fuit licita Judæis in Synagoga, nec tolerata. 273

Nuditas unius mulieris fuit Davidi proxima occaſio ruinæ, ſeu adulterii. ibid.

De Nuditate erubeſcere neceſſe eſt, ut probat maledictio filiorum Noeti. ibid.

Nuditas corporis in loco publico, & præſertim in Eccleſia eſt omninò prohibita. 274

Nuditas corporis repellit verecundiam omnibus hominibus commendatam. ibid.

NUPTIÆ.

Contra Nuptias plures inſurrexerunt Hæretici in primis Eccleſiæ ſæculis. 712

Nuptiæ non ſunt ex Dæmonis inſtitutione, nec ſcortationes & corruptiones, ut voluit Tacianus. ibid.

Deus eſt Nuptiarum Inſtitutor ab initio mundi, ſcilicet dum eas permiſit primis Parentibus. 713

Nuptiarum inſtitutionem eſſe bonam, & licitam Chriſtus oſtendit. 714

Nuptiæ nedum ſunt licitæ, ſed etiam neceſſariæ. ibid.

Licet viduis tàm viris, quam fœminis ad ſecundas Nuptias convolare, quidquid dixerit Montanus. 720

Secundæ Nuptiæ erant licitæ in Lege Moſayca, & in Lege Evangelica permittuntur. ibid.

Mulier Samaritana non fuit reprehenſa à Chriſto Domino ob multiplicitatem Nuptiarum, ſed propter fornicationem, quam habebat cum viro extra Matrimonium. ibid.

Non ſolum ſecundæ ſed etiam tertiæ, & ulteriores Nuptiæ ſunt honeſtæ ac licitæ. 725

Bigamiæ Inidoneitas ad ſacros Ordines ſuſcipiendos non improbat ſecundas Nuptias. ibid.

Quomodo intelligendi ſint nonnulli Sancti Patres, qui ſecundas Nuptias improbare videntur. ibid.

Cur ſecundæ Nuptiæ non benedicantur à Parocho ſicut benedicuntur primæ. ibid.

O.

OBEDIENTIA.

Obedientiæ votum non eſt prohibitum in Sacra Scriptura Chriſtianis, ut volunt Lutherani. 208

Obedientiæ votum non poteſt fieri alteri propter ipſum, ſed poteſt fieri alteri propter Deum. ibid.

Obedientiæ votum ſubjicit hominem alteri homini propter Deum. ibid.

Obedientiæ votum eſt laudabile, & meritorium apud Deum propter quem fit. ibid.

Votum Obedientiæ quod in Profeſſione Religioſa, vel in ſuſceptione Ordinis Sacri emittitur, eſt licitum. ibid.

OCCIDERE.

Qui occidit ſeipſum non eſt cenſendus Martyr Chriſti, etiamſi occidat ſe voluntariè pro peccatis ſuis. 463

Qui petit ab alio occidi quia peccavit, non moritur pro Deo nec pro gloria ejus interficitur. ibid.

Qui ſeipſum occidit, aut ab alio occidi petit, agit contra naturæ inclinationem. ibid.

Occidere aggreſſorem vitæ eſt licitum, ſi non ſit alius modus conſervandi eam. ibid.

Qui occidit ſeipſum voluntariè, eſt verè homicida. ibid.

Carceris Cuſtos fuit impeditus à D. Paulo Apoſtolo, ne ſe occideret. 464

Qui animo occidendi ſe Jejuniis, Vigiliis & Abſtinentiis notabiliter vitam abbreviat, graviter peccat. ibid.

OCHINUS.

Ochinus natione Italus, patriâ Senenſis, plura ſcripſit contrà fidem Eccleſiæ Romanæ 646

Ochini Opera prohibita fuere in Concilio Tridentino tanquam erronea, & hæretica. ibid.

Ochinus prædicavit Miſſam non ſolùm non eſſe Sacrificium à Chriſto Domino inſtitutum, ſed etiam nec opus bonum. ibid.

OCOLAMPADIUS.

Ocolampadius ſpiritu elationis ductus, voluit ſapere pluſquam oportet, & in inſipientiam cecidit. 187

Ocolampadius Monachatum rejecit ut uxorem duceret. ibid.

Ocolampadius quamvis Lutheri Diſcipulus eſſet, tamen eum deſeruit, ut proprium poſſet levare vexillum. ibid
Ocolampadius eſt inimicus adorationis Sanctiſſimi Sacramenti. ibid.
Ocolampadius diſputando cum Lutheranis à quibus receſſerat ſuſtinuit non eſſe adorandum in Hoſtia, etiamſi in ipſa eſſet verè, & realiter ut credebant Lutherani. ibid

OLIPIUS.

Olipius fuit Epiſcopus Carthaginis, & lapſus eſt in hæreſim Arianam. 36
Olipius fuit arianæ hæreſis acerrimus defenſor tempore Anaſthaſij Cæſaris & Symmachi Papæ. ibid.
Olipij mors infauſtiſſima fuit ex juſtitia Dei, & peſſima ut refert Jacobus Philippus ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini. ibid.
Olipij Epiſcopi Carthaginenſis cadaver ſtatim poſt mortem repentinam cautum fuit. ibid

OPUS.

Ad opus bonum & meritorium duæ requiruntur conditiones 363.
Opus bonum, & meritorium apud Deum non poteſt fieri à ſolo libero arbitrio, nec à gratia ſola. ibid.
Opera bona non ſunt cauſa formalis, & intrinſeca juſtificationis hominum. 384
Bona Opera procedunt à libero hominis arbitrio gratia Dei adjuto. 394
Plura ſunt Opera, quæ ut licita ſint exigunt gratiam in operante. 396
Operum diviſio in opera vitioſa, & virtuoſa, quam admittunt nonnulli hæretici eſt falſa. 395
Opus in gratia Sanctificante factum, eſt bonum, & licitum etiamſi fiat ſpe æternæ retributionis. 398
Omne opus quod non eſt meritorium apud Deum, non debet cenſeri formaliter malum. ibid
Operans intuitu mercedis æternæ benè operantibus promiſſæ, non eſt propriè mercenarius. 399
Opera judicandorum hominum ſunt materia ſtrictiſſimi judicij. 403
Operari active non eſt ſemper offendere Deum. 528
Operari eſt abſolute neceſſarium adultis ad ſalutem conſequendam. ibid.
Opus noſtrum in hac vita, quid ſit. 529
Operationes animæ neceſſariæ ſunt ad æternam ſalutem. ibid.

ORATIO.

Circa orationem Chriſtianorum plures inſurrexerunt hæretici. 414
Oratio licet bona ſit & utilis ad ſalutem, tamen ipſa ſola non ſufficit ad conſequendam illam. ibid.
Orationi continuo & abſque ulla interruptione vacare nullus homo tenetur. ibid
De Orationis præcepto diſcurrendum eſt ſicut de præcepto adorationis. ibid.
Orationis præceptum non eſt negativum, ita ut peccet homo dum non orat. 415
Oratio ad Deum humiliter facta eſt verè actus Religionis. ibid.
Orationis actus eſt verè deſiderium perfectæ charitatis, & veræ dilectionis. ibid.
Qui orat dum orare tenetur, aut qualibet die orat, dicitur orare ſemper. ibid
De dominicæ orationis inſtitutione, & fine. 417
Oratio eſt non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria omnibus Chriſti fidelibus. ibid
Orationis fructus & beneficia numerantur. 418
Principaliores orationis conditiones ſunt humilitas, & charitas. ibid.
Oratio dominica quæ communis eſt non excludit orationes particulares. 419
Oratio facta pro uno ſolo, non eſt mala, nec illicita ſed bona, & utilis. ibid
Oratio facta pro pluribus eſt magis grata Deo, quàm ea, quæ fit pro uno ſolo. ibid
Pro orationis particularis utilitate plura ſunt in Sacra Scriptura teſtimonia. 420
Orare pro ſeipſo bonum, & utile eſt. ibid
Tenemur ex præcepto Evangelico orare pro inimicis noſtris. ibid.
Oratio facta pro fidelibus defunctis, eſt bona, & ſancta 423.
Orare in Eccleſia eſt Deo dignius, & nobis utilius, quàm orare in alio loco. 426
Domus Orationis intelligitur Eccleſia in qua Sacerdos orat pro delictis, & peccatis populi. ibid
Pro Oratione facienda locum particularem deſtinare non eſt coarctare majeſtatem Dei, ut putant nonnulli hæretici. 427
Orationes noſtræ dirigendæ ſunt ad Deum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. 448
Orationi minimè nocet prolixitas. 493
Oratio poteſt dupliciter præcipi determinatè ſcilicet, & indeterminatè. 565
Oratio Dominica non eſt forma conſecrationis divinæ Euchariſtiæ, ut putant Uvaldenſes. 667

ORDO.

Plures hæretici impugnarunt ordinem eſſe unum ex ſacramentis à Chriſto inſtitutis. 709
Plura Concilia Anathematizant impugnatores Sacramenti ordinis. ibid.
Suſcipienti Sacrum ordinem per impoſitionem manuum confertur gratia. ibid
De definitione ordinis Sacri data à Divo Ambroſio. 710
In Eccleſia ſeptem dumtaxat ſunt ordines Eccleſiaſtici inter ſe diſtincti. 711
Græci rejiciunt tres ordines ex minoribus, & admittunt tantum lectorem, ut teſtantur plures. ibid.
Quomodo intelligenda ſit Epiſtola Sancti Ignatij martyris ubi reperiuntur pluſquam ſeptem ordines. ibid.
Ordo non ſolum tendit ad ſanctificationem per Sacramenta conferendam, ſed etiam ad dignam adminiſtrationem ſacramentorum. ibid.
Sacramentum ordinis non eſt totum integrale, vel univerſale, ſed potentiale habens totam plenitudinem ſuam in Sacerdotio. 712

ORIGENES.

Origenes eſt primus qui credidit verbum divinum eſſe creaturam quod poſteà publicavit Arius. 34
Origenes occaſionem præbuit hæreſis quæ eſt Agnoetarum & Ignoëtarum. 134
Origenes non negavit abſolutè exiſtentiam inferni licet male ſenſerit de pœnis damnatorum. 265
Origenes credidit ignem inferni non eſſe realem, nec phyſicum. 267
Origenes credidit caſtrationem eſſe omninò neceſſariam ad ſalutem. 328
Origenes negavit reſurrectionem mortuorum. 339
Origenes eſt author hæreſis quæ tenet fœminas reſurrecturas eſſe in ſexu virili. 446
Origenes admiſit in beatitudine quemdam miſeriæ circulum. 438

P.

PAPA.

Papa non ſe oſtendit in Eccleſia ut Deum, licet exhibeat ſe ut caput ejus viſibile. 338
Papa habet poteſtatem in theſaurum meritorum Chriſti licet non habeat eam in ipſum Chriſtum. 497
Papa poteſt applicare Indulgentiam peccatoribus in terra viventibus, etiam animabus in purgatorio exiſtentibus. 498
Papa poteſt relaxare pœnas debitas peccatis jam quoad culpam remiſſis. ibid.
Cur Papa recenter electus ſedeat in ſede perforata. 545
Papa habet ſupremam totius Eccleſiæ Chriſti poteſtatem 550.
Papa influit in omnes Filios Eccleſiæ Chriſti. 553

PAPIAS.

Papias Hieropolitanus non eſt author erroris de terreno Chriſti regno. 366
Papias, & victorinus Pictaborienſis fuerunt Millenarij 342
Papias non poſuit fœlicitatem in voluptatibus carnis 430
Papias Hieropolitanus eſt author Millenariorum, qui Chiliaſtæ dicuntur. 443
Papias non fuit auditor Joannis Evangeliſtæ ut credunt nonnulli, ſed Joannis Senioris. ibid

PARABOLA

Parabola de ficu, quæ ab hæreticis male intelligitur, explicatur. 136
Parabolæ quæ in ſcriptura ſunt, non poſſunt dici pura mendacia, ut prætendunt hæretici. 26
Parabola de denario diurno explicatur. 437

PARADISUS.

Paradiſus, quem Chriſtus promiſit in Cruce Latroni converſo non eſt Paradiſus terreſtris, nec ſinus Abrahæ. 442
Paradiſus eidem Latroni converſo eſt verè Paradiſus Beatorum ad quem Chriſtus erat poſt reſurrectionem aſcenſurus. 443
Paradiſus quem Latro in Cruce converſus petiit à Chriſto erat Cœlum empyreum. ibid

PASCHA.

Circa Paſcha celebrandum olim maxima fuit controverſia inter Aſiaticos Epiſcopos. 498
Paſcha celebrandum eſt die Dominica poſt decimam quartam

diem Lunæ primi menſis. 499
Cur Paſcha celebrandum ſit potiùs die Dominicâ, quàm alia die hebdomadæ. ibid.
Præceptū de Paſchate celebrando die Dominicâ potuit licitè inſtitui quidquid dixerint quidam Hæretici. 500

PASTOR.

Paſtores Eccleſiæ, aut ovium Chriſti ſunt Prælati, quorum primus eſt D. Petrus. 541
Præcipui Paſtoris fidelium actus quinam ſint. ibid.
Paſtores Eccleſiæ non poſſunt errare in miniſtratione cibi, qui conſiſtit in fide. ibid.
Quamvis Paſtores Eccleſiæ poſſint peccare, non ſequitur quod poſſint errare in fide. ibid.

PATTALORINCHITÆ.

Hæreſis Pattalorinchitarum Patronus ignoratur. 303
Pattalorinchitarum hæreſis non ab Authore, ſed ab errore nomen ſumit. ibid.
Pattalorinchitarum hæreſis in quo conſiſtat. ibid.
De Pattalorinchitarum hæreſi dubitarunt nonnulli Scriptores. ibid.
Pattalorinchitarum rationes explicantur. ibid.

PATER.

Patri Æterno non ſunt attribuendæ notiones quæ tribuuntur Filio, nec Filio illæ quæ tribuuntur Spiritui-Sancto. 33
Pater Æternus non eſt Perſona habens tria nomina perſonalia. ibid.
Quamvis Pater à nullo procedat, aut ſit ingenitus, tamen eſſentialiter, non eſt magis a ſe quàm Filius. 34
Authoritates quæ dicunt Patrem Æternum eſſe majorem Filio, explicantur. 41

PATRES ECCLESIÆ.

Sancti Patres diù ante Concilium Nicænum in quo damnati fuerunt Ariani, locuti ſunt de conſubſtantialitate Verbi Divini cum Patre. 40
Sanctis Patribus competit verum Chriſti ſenſum exponere, & legitimas fidei regulas nobis demonſtrare. 596

PARVULUS.

Parvuli qui baptizati ſunt, & fidem receperunt, placent Deo; etiamſi non credant actu. 591
Parvuli baptizati inter credentes reputantur per virtutem Sacramenti, & offerentium reſponſionem. ibid.
Parvulus ante octavum diem decedens ſine Circumciſione, moriebatur in peccato originali. ibid.

PAULUS.

Paulus Apoſtolus ad tertium cœlum raptus, non vidit intuitivè eſſentiam Dei. 434
Paulus Apoſtolus nunquam habuit uxorem. 506
Paulus Apoſtolus eſt Author Epiſtolæ ad Hebræos, quæ eſt verè Canonica. 575
Paulus non rarò ſumpſit ex figuris argumentum ad probanda dogmata fidei. 591
Paulus Samozatenus volendo Alogianos impugnare in errorem pejorem cecidit. 42

PAUPERTAS.

Nullum eſt præceptum de Paupertate ſervanda. 500
Chriſtus non præcepit Apoſtolis ſuis Paupertatem abſolutè & pro ſemper. ibid.
Ex locis Scripturæ Sacræ quibus Paupertas plurimum commendatur, infertur conſilium. 501
Conſilium de Paupertate ſervanda tendit ad perfectionem Chriſtianam. ibid.

PECCATOR.

Peccatores & Infideles poſſunt elicere opera moraliter bona, & honeſta. 395
Peccatores qui accedunt ad menſam Domini peccant, ſed tamen recipiunt corpus Chriſti, quamvis non recipiant beneficia communionis. 676
Peccatore communicante, corpus Chriſti non recedit à ſpeciebus. ibid.
Peccatores occulti non ſunt publicè arcendi à ſacra menſa Domini. 677

PECCATUM.

Peccatum non arguit propriè cauſam efficientem, ſed deficientem. 28
Peccatum habet varias ſignificationes in Sacra Scriptura. 87
Peccatum originale contrahitur ab omnibus hominibus in primo inſtanti conceptionis. 249
Peccatum originale non eſt in nobis per immutationem, ſed per propagationem. 250
Quomodo peccatum patris poſſit pertranſire in filios. 251
Peccatum originale non provenit immediatè ex conjugibus, nec ex copula. 252
Peccatum poteſt eſſe in anima rationali duobus modis. Ibid.
Peccatum originale eſt aliquo modo voluntariè in parvulis. ibid.
Peccatum originale non eſt formaliter ſubſtantia Adami ipſius peccato actuali vitiata. 253
Peccatum originale non conſiſtit in quodam amore inordinato erga corpus. ibid.
Peccatum originale non eſt formaliter concupiſcentia, ut volunt Hæretici. 254
Peccatum regnare in corpore humano quid ſignificet. 255
Id quod ad peccatum inducit non eſt formaliter peccatum. 256
Omne peccatum quod committitur non eſt mortale. 257
Effectus Peccati mortalis ſunt diviſi ab effectibus peccati venialis. 259
Præter peccatum infidelitatis ſunt alia peccata mortalia. ibid.
Peccata publica ſunt graviora occultis. 271
Omne peccatum hominis reprobi non eſt mortale. ibid.
Peccatum veniale non eſt ſimpliciter, & formaliter contra Legem Dei. 260
Peccatum veniale non contrahit malitiam infinitam. 261
Peccata venialia opponuntur aliquo modo gloriæ, licet non opponantur gratiæ. ibid.
Peccatum eſt à libero arbitrio. 262
Nullum eſt peccatum quod non poſſit remitti per veram pœnitentiam. 264
Cur Peccatum contra Spiritum-Sanctum dicatur irremiſſibile. ibid.
Peccata privata puniuntur in Inferno eodem igne, quo puniuntur publica. 270
Peccata mortalia non ſunt æqualia. 380
Peccatum eſt de genere infirmitatis moralis. ibid.
Peccatum non imputari, aut tegi, idem eſt ac peccatum remitti 385
Peccatum multipliciter ſumitur. ibid.
Peccatorum remiſſio non poteſt infallibiliter cognoſci ex bonis operibus. 387

PELAGIUS.

Pelagius à quo Pelagiani vel Hæretici nomen ſuſcepere non fuit profeſſione Monachus ex illis qui in Monaſterio vivebant. 217
Pelagius non fuit primus divinæ gratiæ ad bona opera neceſſariæ hoſtis. 359
Pelagius plures habuit Sectatores inter quos eſt Julianus Epiſcopus Capuæ. ibid.
Finis Pelagii dum erravit, qualis fuerit. 360
Pelagii Accuſatores, & Denuntiatores quales fuerint. ibid.
Pelagius ſubdolosè egit in Concilio Dioſpolitano. ibid.
Pelagius credidit liberum arbitrium egere gratiâ Dei non ad agendum abſolutè opus bonum, ſed ſolùm ad faciliùs agendum. 361

POENA.

Pœnæ proportio debet attendi ab objecto, & fine à quo quia avertitur peccando. 481
Pœnæ proportio cum delicto non debet attendi à delectatione & duratione delicti. ibid.
Pœna inamiſſibilis datur peccatis mortalibus non retractatis. ibid.
Pœnam æternam meritò patiuntur Damnati in inferno. ibid.

POENITENTIA.

Pœnitentia virtus utilis eſt, & fructuoſa ad ſalutem. 526
Pœnitentia virtus nedum utilis eſt ad ſalutem, ſed etiam neceſſaria. 527
Pœnitentiæ virtutis meritum extollitur ab Apoſtolo. ibid.
Qualia ſint Pœnitentiæ virtutis beneficia. ibid.
Pœnitentia virtus non eſt vana animæ unitæ Deo per actum internum non revocatum. 528

PEREGRINI.

Peregrinorum cura plurimum commendatur in Sacra Scriptura. 330
Negans Peregrinos eſſe ſuſcipiendos eſt Hæreticus. ibid.
Ad Peregrinos ſuſcipiendos obligans Jus Divinum, & naturale. ibid.
Peregrini & Hoſpites ſunt indifferenter ſuſcipiendi. 331

PERJURIUM.

Perjurium eſt in eadem damnatione in qua ſunt furtum, mendacium &c. 281
Perjurium polluit nomen Dei, & confirmat mendacium. ibid.
Perjurium eſt peccatum mendacio gravius. 281
Perjurium eſt contra conſcientiam etiam. ibid.

PERMITTERE.

Permittere in Sacra Scriptura ſæpè exprimitur per facere, aut imperare, aut mandare. 78
Permiſſio Dei ſæpè ſignificatur actione poſitivâ, effectivâ, activâ & impulſivâ ad actum, quamvis non ſit talis. ibid.

PERSECUTIO.

De Perſecutione Tyrannicâ quid ſenſerit Montanus vir Hæreticus. 87

Perſecutio infidelium poteſt fugi, & ſi quis velit poteſt reſiſtere. ibid.
In Perſecutione tyrannicâ fuga eſt licita, & ſæpè neceſſaria contrà Cataphrygios 88
In Perſecutione Fidelis poteſt ſe occultare, nè tyranno de rebus fidei reſpondere cogatur. ibid.
Perſecutio tyrannica non eſt bona per ſe, ſed ſolùm per accidens. 89
Perſecutionem tyrannicam fugerunt plures Viri ſancti. ibid.

PERSONA.

Tres Divinæ Perſonæ habent eamdem Beatitudinem, eamdemque cognitionem. 47
Tres Divinæ Perſonæ non ſunt tres Dii, ſed unus Deus. 61
Divinarum Perſonarum Unitas non eſt conſpirationis, ſed ſubſtantiæ. ibid.
Perſonæ Divinæ non conſtituuntur per naturam Divinam. 33
Perſonæ divinæ non conveniunt inter ſe, licet conveniant uni tertio. ibid
Perſonæ Divinæ non diſtinguntur à natura, licet diſtinguantur inter ſe. 65

PETRONILLA.

Non conſtat authenticis teſtimoniis quod Sancta Petronilla conſecraverit hoſtiam, ut affirmare nituntur plures Hæretici. 670

PETRUS APOSTOLUS.

Sanctus Petrus præcepit adorationem Sanguinis Chriſti. 188
Petrus Apoſtolus peccavit contra præceptum de fide exteriùs confitendâ. 407
Divus Petrus ſolvit tributum pro Chriſto, & pro ſeipſo, Jeſu ſic mandante. 551
Petrus eſt viſibile, & ſecundarium fundamentum Eccleſiæ Chriſti. 553
Petrus Apoſtolorum Princeps non negavit Chriſtum corde. 540
Petrus Romæ ſuam fixit ſedem jubente Deo. 553
Quomodo D. Petrus miſſus fuerit ab Apoſtolis in Samariam. 554
Petrus non paſcit niſi eos, qui ſunt in Eccleſia Romana: 562
Petrus ponitur in primo loco Apoſtolorum ab omnibus Evangeliſtis. 551
Petro ut Apoſtolorum Principi & Superiori revelata fuit voluntas Chriſti. ibid.
Petri erat Jure Divino dirigere & regere Apoſtolos & fideles. 552

PETRUS JOANNIS.

Petrus Joannis qui prædicavit Chriſtum non fuiſſe lanceâ perforatum cùm adhuc vivus eſſet, non poteſt excuſari ab hæreſi. 149
Petri Joannis condemnatio & punitio. ibid.
Petrus Joannis non fuit Minorita, ut prætendunt nonnulli. 316
Petrus Joannis admiſit ſtatus quos admiſerat Abbas Joachim, excepto tertio. ibid.
An Petrus Joannis mortuus fuerit Hæreticus, non conveniunt Scriptores. ibid.

PHANATICI.

Phanaticorum hæreſis quænam fuerit. 424
Phanaticorum nomen undè ortum. ibid.
Phanaticorum hæreſis ſtatim proſcripta fuit ab Epiſcopis Orientalibus. ibid.
Phanaticorum Dux creditur Adelphius. ibid
Phanatici damnati fuerunt in Concilio Epheſino. ibid.

PHARAO.

Cor Regis Pharaonis non fuit poſitivè, & per influxum realem induratum à Deo. 78
Pharaonis obduratio, aut obſtinatio undè proveniat. ibid.
Deus, miniſterio Moyſi volebat quod Pharao dimitteret populum Iſraeliticum. ibid.

PHARISÆUS.

Phariſæorum & Saducæorum diſſentio quænam ſit. 338
Phariſæus non fuit reprehenſus propter fiduciam in bonis operibus. 401
Per Phariſæum ſolitò intelligitur homo hypocrita. ibid.
Phariſæi peccaverunt contrà præceptum de Deo ſuper omnia diligendo. 407
Phariſæi non fuerunt reprehenſi, quia ornabant monumenta Prophetarum. 453
Phariſæi ſunt Authores Eſſænorum, & aliorum qui dixerunt nullum dari præceptum in Evangelio. 192

PHILASTRIUS.

Philaſtrius voluit plura fuiſſe in mundo idiomata ante confuſionem Turris Babelicæ. 229
Philaſtrium Brixienſem in hoc errore impugnant omnes Scriptores. ibid.
Liber Philaſtrii Epiſcopi Brixienſis de hæreſibus eſt cautè legendus. ibid.

PHOTIUS.

Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Schiſmatis Græcorum Anteſignanus docuit quemlibet Sacerdotem poſſe adminiſtrare Sacramentum Confirmationis. 628

POLYGAMIA.

In Polygamia quidam Anabaptiſtæ nequiores ſunt Mahometanis. 296
Polygamia eſt prohibita Jure Divino. 297
Polygamia repugnat Inſtitutioni, & naturæ Matrimonii. ibid.
Polygamia tam prohibetur ex parte virorum, quam ex parte mulierum. 298
Polygamia in Lege veteri non fuit permiſſa omnibus. ibid.
Ob polygamiam jugum veteris Legis non erat ſuavius jugo Legis novæ. 299

POTESTAS.

Poteſtas ſæcularis & temporalis non amittitur per peccatum illius in quo reſidet. 512
Omnis poteſtas hominum eſt à Deo rerum omnium Domino. ibid.
Poteſtas non ſolùm juſtis, ſed etiam peccatoribus dari poteſt. ibid.
Poteſtas Sacerdotalis non fuit conceſſa à Chriſto in ſolam Sacerdotum utilitatem, ſed etiam in utilitatem fidelium. ibid.
Poteſtas Sacerdotalis non poteſt haberi niſi per Ordinationem, & Impoſitionem manuum. 670
Poteſtas conſecrandi Euchariſtiam non confertur per Sacramentum Baptiſmi. 869

PRÆCEPTUM.

Ex præceptis Divinis nullum eſt impoſſibile homini gratiâ Dei adjuto. 83
Si præcepta Dei non poſſent obſervari, tranſgreſſor non eſſet Reus non obſtante culpâ Adæ. ibid.
Præceptum de quo loquitur Deus Deuteron. cap. trigeſimo reſpicit omnes homines. ibid.
Præceptorum Dei obſervatio eſt omninò neceſſaria ad ſalutem. 84
Præceptorum Dei obſervatio fuit promiſſa Moyſi à filiis Iſrael. ibid.
Præcepta Dei fuiſſe obſervata ab aliquibus hominibus eſt certum. ibid.
Præcepta Dei verè obſervat ille qui eum ex toto corde amat. 85.
Præceptum de Deo diligendo ex toto corde, non obligat ad amandum Deum tantum. ibid.
Præceptum de non concupiſcendo non obligat ad removendam à nobis concupiſcentiam. ibid.
Nullum eſt præceptum obligans nos ad quærendas tyrannicas perſecutiones. 89
Præcepta moralia Legis veteris ſunt obſervanda. 196
Præceptum eſt nomen diverſas ſignificationes habens. ibid.
Præcepta Dei obligant omnes, & ſingulos homines. 373
Explicatur præceptum de non occidendo. 29e
Præceptum de paſchate celebrando die decimâ-quartâ Lunæ, fuit abrogatum. 500
Præcepta ſunt duplicis generis, quædam ſunt vitæ agendæ, & quædam vitæ ſignificandæ. 574

PRÆDESTINATIANI.

Prædeſtinatianorum narratio non eſt fictitia, nec fabuloſa, ſed vera. 90
Quænam fuerit prædeſtinatianorum hæreſis, declaratur ex variis teſtimoniis certis. ibid.
Prædeſtinatianorum hæreſis quo tempore inſurrexerit, & quales Defenſores habuerit. ibid.

PRÆMIUM.

Præmium bonis operibus dandum non eſt temporale. 398
Præmium debetur ſolis benè laborantibus. ibid.
Præmium reſpondet dignitati perſonæ laborantis. 392
Præmium, & meritum correlativè ſe habent. ibid.
Præmia cœleſtia non ſunt diſtribuenda tantùm ſecundùm fidem. 403

PRISCILLIANUS.

Priſcillianus erat natione Hiſpanus, conditione Epiſcopus Abulenſis, profeſſione Hæreticus. 145
Quales fuerint priſcillianiſtarum errores. ibid
Priſcillianus ad Imperatorem appellavit, & ipſius juſſu deſtitutus fuit Treviris. ibid

PROPHETA.

Prophetæ verè intelligebant ea de quibus homines alloquebantur. 319
In quo prophetæ veri diſtinguantur à falſis. 320
Prophetæ quos Eccleſia recepit, ſunt vere prophetæ. ibid.
Prophetæ quorum ſcripta habentur in Eccleſia Romana ſunt Sancti. ibid.
Prophetæ fuerunt illuminati à Deo. ibid.
Prophetæ Vaticinati ſunt vera, Deo revelante. 328

PROPHETIA.

Prophetiæ de Meſſia futuro & promiſſo, adimpletæ fuerunt in Nativitate Chriſti. 105
Prophetia Aggei probat Adventum Meſſiæ. 106
Prophetiæ definitio, & natura demonſtrantur. 319
Omnis prophetia abſoluta eſt adimpleta, vel adimplebitur aliquando. 320
In prophetiis nulla eſt contradictio, nullaque vera oppoſitio. 321

PROVIDENTIA.

Quinam ſint Divinæ providentiæ infenſiſſimi hoſtes. 17
Providentia Divina nedum ſe extendit ad homines, ſed etiam ad omnia quæ ratione carent. ibid.
Nullus poteſt licitè inter Divinæ providentiæ hoſtes computare D. Hieronymum. ibid.
De providentia Dei divinitùs loquitur Salvianus Maſſilienſis. 18
Liber in quo Divina providentia videtur, eſt totus mundus. ibid.
Providentia Divina non tollit libertatem humanam. 19

PRUDENTIA.

De eſſentia, & perfectione prudentiæ eſt intueri præſentia, præteritorum reminiſci, & futura prævidere. 135
Prudentia quam omnes Hæretici admittunt in Chriſto, confundit hæreſim Agnoetarum. ibid.

PRUDENTIUS.

Prudentius Epiſcopus Trecenſis docuit dogmata Gotteſcalchi, & fuit prædeſtinatianus. 90
Prudentius Trevirenſis Epiſcopus ante finem vitæ ejurata hæretica doctrina, mortuus eſt in oſculo pacis. ibid.
Prudentii memoria colitur Trecis die 7. Aprilis. ibid.

PTOLOMÆUS.

Ptolomæi patria ignoratur. Ejus doctrina refertur hæretica ex D. Auguſtino & ex D. Epiphanio. 82
Ptolomæus erat Sectâ Gnoſticus, & Diſcipulus Valentini. ibid.
Ptolomæus docuit currente ſecundo ſæculo Deum præcepiſſe impoſſibilia, præſertim in individuo conjugii vinculo. ibid.

PUER.

Pueri morientes ſtatim poſt Baptiſmum, ſalutem recipiunt tanquam hæreditatem. 480
Puer per Baptiſmum conſtituitur filius Dei adoptivus. ibid.
Puer venit ad Chriſtum fide, non propria, ſed alienâ. 467
Pueri innocentes juſſu Herôdis interfecti receperunt beneficium Baptiſmi ſanguinis. 468
Eccleſia ab initio contulit pueris Baptiſmum. ibid.
Puer in Baptiſmo ſuſcipit fidem, ſpem, & charitatem. ibid.

PURGATORIUM.

Purgatorii exiſtentiam ſanciunt plura Concilia antiquiſſima. 421
Purgatorium probatur ex variis Sacræ Scripturæ Textibus. 422
In purgatorio Sanguis Chriſti applicatur Animabus. 424
In purgatorio Animæ non merentur, quamvis multum patiantur, & Deum ament. ibid.
Purgatorium quem ob finem inſtitutum fuerit. ibid.
Purgatorium non eſt terminus ultimatus. 425
Plures impertranſito Purgatorio aſcendunt in cœlum. ibid.

Q.

QUARTADECIMANI.

Quartadecimanorum Hæreſis quænam ſit. 498
Quartadecimanorum Author quinam fuerit. 499
Contra Quartadecimanos plura exiſtunt Concilia, & Summorum pontificum Decreta. ibid.
Quartadecimanorum Controverſia quando inceperit, & quando deciſa fuerit. ibid.

QUIETISTÆ.

Quietiſtarum Author fuit Michaël Molinos presbyter Hiſpanus. 526
Quietiſtarum Author ſeu Molinos damnatus ut Hæreticus tempore Innocentii undecimi. ibid.
De Quietiſtarum, aut Moliniſtarum Hæreſibus. 528

QUINTINUS.

Quintinus fuit patria Picardus, arte Sartor, & conditione impudens Hæreticus. 543
Quintinus eſt Author Hæreticorum, qui Libertini vocantur à colluvie Hæreſum. ibid.
Quintinus ſanctitatem Apoſtolorum auſu temerario impugnare auſus eſt. ibid.

R.

RAYMUNDUS.

Raymundus Lulius non poteſt licitè reponi inter Hæreticos qui inſurrexerunt adverſùs Mariam Matrem Dei. 481
Alter Raymundus Lulius qui ſolito dicitur Neophytus eſt cenſendus Hæreticus. ibid.

REMIGIUS.

Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis adhæſit Floro ejuſdem Eccleſiæ Diacono, & ſecutus eſt peſtifera Gotteſcalchi dogmata. 90

RESTITUTIO.

Reſtitutio non poteſt citrà hæreſim improbari. 294
Reſtitutio rei furto ſublatæ præcipitur Jure Divino. ibid.
Reſtitutio debet fieri Domino rei ſublatæ. ibid

RESURRECTIO.

Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis omnium hominum. 153
Licèt Reſurrectio Chriſti fuerit die Dominicâ, tamen ab ipſa uſque ad deſcenſum Spiritûs Sancti, ſunt quinquaginta dies. 155
Chriſtus in Reſurrectione ſua non amiſit carnem quam aſſumpſerat. 156
Poſt Reſurrectionem nulla erit carnis voluptas, aut ſanguinis ſenſus. 167
Poſt Reſurrectionem Juſti non remanebunt cum Chriſto in terra per mille annos, ſed ſtatim poſſidebunt cum ipſo Regnum Dei. ibid.
Poſt generalem corporum Reſurrectionem nullus morietur. 333
Reſurrectio hominum non ordinatur ad ſolam remunerationem propriorum meritorum. 334
Reſurrectio Mortuorum eſt abſolutè futura. 339
Reſurrectio carnis fuit promiſſa Niniviris. 340
Reſurrectionis Impugnatores ſcilicet Hymenæum, & Philetum damnat Apoſtolus. ibid.
De Reſurrectione Mortuorum nullatenùs dubitavit Sapiens Salomon. 341
De Reſurrectione Mortuorum nullatenùs dubitavit Eccleſiaſticus. ibid.
Reſurrectio erit generalis nedum quoad homines, ſed etiam quoad tempus. 342
In Reſurrectione nulla erit temporis ſucceſſio. ibid.
Reſurrectionis hora eſt incerta, probabilius tamen eſt quod erit de die & horâ quâ Chriſtus reſurrexit. 343
In Reſurrectione Electi aliquo modo præcedent Reprobos in Judicio. ibid.
Reſurrectio erit una, poſtquam nulla alia eſt expectanda. 344
In Reſurrectione hominum corpora erunt viſibilia, atque palpabilia. 345
In Reſurrectione Anima habebit idem corpus quod in morte dimiſerat. ibid.
Poſt Reſurrectionem corporibus erit alter vivendi modus. 346
In Reſurrectione hominum eadem erit Sexuum differentia quæ nunc eſt. 347
Poſt Reſurrectionem corpora erunt immortalia, & incorruptibilia. 350
In Reſurrectione mutatio non erit in ſubſtantia, aut exiſtentia mundi, ſed in modo ipſius. 353

RETHORIANI.

Rethoriani viri Hæretici non ab hæreſi, ſed ab Authore ſcilicet Rhetorio nomen acceperunt. 560
Rethorianorum hæreſis tenet quemlibet hominem in ſua Religione poſſe ſalutem aſſequi. ibid.
Rethorianorum hæreſis magis inſana, & rationi diſſona apparuit D. Auguſtino, quàm cæteræ hæreſes. ibid.

REVELATIO.

Revelationes Divinæ non ſunt ſuperfluæ, ut volunt plures Hæretici. 387
Ex Revelatione haberi poteſt certitudo de Juſtificatione. ibid.
Revelatio Divina excludit omnem dubitationem. ibid.

REUS.

Reus tenetur ſubire pœnam ei à Judice juſtè inflictam. 289
Reus poteſt accuſari per teſtes apud Judicem. 590
Reorum punitio non eſt effuſio ſanguinis, ſed Legum miniſterium. ibid.
Reorum punitio juſta non poteſt licitè omitti à Judice. ibid.

RODOLPHUS.

Rodolphus Gualterius vir Hæreticus fuit Miniſter in Zuinglia. 550
Rodolphus Buceri & Calvini impietatem arrip, & negavit deſcenſum Chriſti ad inferos. ibid.

ROGATIANI.

Rogatiani neſcio à quo ſic dicti ſecuti ſunt Arium, & cum eo Divinitatem Verbi Incarnati impugnarunt. 36
Rogatiani prædicabant in Africa Impietates Donati. 533

RUFFINUS.

Ruffinus conditione presbyter, auſus eſt dicere in Concilio Carthaginenſi, nullam eſſe à parentibus in parvulos peccati traductionem. 247
Ruffinus fuit primus qui impugnavit peccatum originale. ibid.
Ruffino presbytero adhæſit Pelagius peccatum originale impugnaturus. ibid.

RUPITANI.

Rupitani, aut Montenſes ſic dicti, quia in ſpeluncis montium rupium habitabant, docebant Baptiſmum collatum ab Hæreticis eſſe invalidum. 605

RUTHENI.

Rutheni, aut Roſani dixerunt Extremam-Unctionem & Confirmationem non eſſe duo Sacramenta, ſed res ab Eccleſiaſticis excogitatas. 623
Rutheni viri Hæretici natione Lituani, dixerunt Romanum pontificem non eſſe primatem totius Eccleſiæ Chriſti. 549

S.

SABBATUM.

Sabbati ſanctificatio Jure Eccleſiaſtico fuit mutata in ſanctificationem diei Dominicæ in memoriam Reſurrectionis Chriſti Domini. 495
Præter Sabbatum Judæi alios dies feſtos celebrabant. ibid.

SACERDOS.

Sacerdos accedens ad Altare debet eſſe in gratia, ut licitè celebret. 258
Sacerdotum Jure Divino eſt aliis præeſſe in ſpiritualibus. 304
Dum Sacerdos peccat, non amittit Juriſdictionem ſpiritualem. 512
Sacerdos in peccato exiſtens validè conficit Sacramenta. ibid.
Sacerdos graviter peccat dum in peccato Sacramenta conficit, vel adminiſtrat. 513
Sacerdotes veteris Legis habebant bona temporalia, & poſſeſſiones. 522
Sacerdotes novæ Legis licitè exigunt decimas, & habent bona temporalia. ibid.
Sacerdotes non ſunt Apoſtolorum Succeſſores in omnimoda participatione authoritatis eorum. 630
Sacerdos habet poteſtatem conſecrandi independenter à voluntate Communicantium. 645
Sacerdotes inſtituti ſunt à Chriſto Domino Judices peccatorum noſtrorum. 689
Sacerdotes in aliquo non in omnibus ſunt æquales Epiſcopis. 559
Sacerdoti poteſt aliquo modo convenire nomen Epiſcopi. ibid.
Sacerdotibus ſemper prohibitum fuit Matrimonium. 504
Sacerdotes Græci non poſſunt contrahere Matrimonium. ibid.

SACERDOTIUM.

Sacerdotium Legis veteris cur dicatur ſempiternum. 296
Sacerdotium non eſt effectus Baptiſmi. 505
Sacerdotii exercitium non poteſt haberi à communione Laica. ibid.
Sacerdotium eſt character diſtinctivus, qui in ſolo Ordinis Sacramento confertur. 502
Sacerdotium nunquam fuit omnibus commune. ibid.
Sacerdotium præciſè ſumptum non conſiſtit in Prædicatione Evangelii. 503
Principale Sacerdotii officium non eſt docere Verbum Dei, ſed offerre pro peccatis, & delictis populi. ibid.
Ad Sacerdotium in primitiva Eccleſia promoveri poterant conjugati. ibid.
Sacerdotium ſemper fuit impedimentum ad Matrimonium contrahendum. ibid.
Ad Sacerdotium conjugatos promovere non licet à Concilio Niceno primo. ibid.
Sacerdotium & Conjugium opponuntur ſolo Jure Eccleſiaſtico. ibid.

SACRAMENTA.

De Sacramentorum Inſtitutione, & numero variè opinati ſunt Hæretici. 578
Septenarius Sacramentorum numerus qui ex Scriptura colligitur, eſt neceſſarius. 580
Sacramenta ſunt actiones Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. ibid.
Si omnia Sacramenta non ſunt neceſſaria ſingulis hominibus, tamen neceſſaria ſunt pro ſingulis. 581
Sacramenta non ſunt æqualia, unum enim excedit aliud. ibid.
Sacramenta ratione indiſpoſitionis ſubjecti carent ſuo ſignificato, exceptâ Euchariſtiâ. ibid.
Sacramenta conſiſtunt in actione tranſeunte, exceptâ Euchariſtiâ. 582
Omnia Sacramenta aliquo modo ordinantur ad ſacram Euchariſtiam. ibid.
Sacramenta habent vim producendi gratiam ex opere operato. 583
Sacramentum non eſt purum ſignum connotativum gratiæ, ut voluit Calvinus. ibid.
In Sacramentorum adminiſtratione magis certi ſumus de intentione Miniſtri, quam de ipſius fide. 607
Sacramenta non ab homine, ſed à Chriſto habent virtutem ſuam. ibid.

SACRIFICIUM.

Sacrificium ex natura & conditione ſua tria exigit. 284
Sacrificium Chriſti fuit oblatum Deo. 286
In Sacrificio non ſequitur neceſſariò phyſica Victimæ occiſio. ibid.
Sacrificium Chriſti offertur in toto Orbe. 532
Sacrificium eſt perpetuus Religionis actus in cultum veri Dei eliciendus. 647
Sacrificia Legis Naturæ, & Legis Scriptæ proficiebant illis pro quibus offerebantur. 653

SANCTI.

Sancti ſunt invocandi, & honorandi. 447
Veri Sancti invocabantur in veteri Teſtamento. 448
Sanctos invocamus ut Interceſſores noſtros apud Deum. ibid.
Sancti fuerunt ſemper invocati in Eccleſia Romana. 449
Sanctorum Invocatio non exponit nos ad Idololatriam. ibid.
Sanctorum Reliquiæ non ſunt exponendæ intuitu lucri. 450
Sanctorum oſſa ſunt honoranda. ibid.
Sanctorum Reliquiarum veneratio antiquiſſima eſt. 451
Sanctorum Reliquiæ antequam exponantur, ſunt approbandæ ab Epiſcopo. 452

SATISFACTIO.

Satisfactio eſt pars integrans Sacramenti Pœnitentiæ. 701
Per Satisfactionem non culpa, ſed pœna tollitur. 702
Ad Satisfactionem Daniel Propheta exhortatus eſt Regem Nabuchodonozor. ibid.
Satisfactio per quos actus fieri poſſit. ibid.
Satisfactio ſacramentalis non derogat ſatisfactioni quam Chriſtus pro nobis exhibuit. 703
Satisfactio noſtra applicat nobis ſatisfactionem Chriſti. ibid.
Satisfactionis vocabulum non eſt novum figmentum a Theologis inventum, ut prætendunt Hæretici. 704
Satisfactio comprehenditur in Pœnitentia integra, & perfecta. ibid.
Satisfactionis noſtræ meritum refunditur in gratiam Chriſti Domini. ibid.
Satisfactio Chriſti eſt infinita eo modo quo peccatum contrà Deum eſt infinitum. ibid.

SCANDALUM.

De vera ac legitima Scandali definitione. 270
Peccatum Scandali eſt gravius peccato occulto. 271
Scandalum nocet priùs ſcandalizanti, quam alteri. 272
Scandalum eſt vitandum etiam in minimis ſub pœna peccati mortalis. 260

SCOTUS.

Joannes Duns Scotus Doctor Subtilis non credidit fœminas reſurrecturas eſſe in ſexu virili, ut eum accuſare nituntur nonnulli. 346
Scoti Erigenæ Præceptoris Caroli Magni ſententiam ſecutus eſt Berengarius Archidiaconus Andegavenſis. 631

SCRIPTURA.

Scriptura Sacra non continet contradictionem formalem, ut proclamant quidam Hæretici. 8

Scriptura Sacra intelligendâ eſt in proprio ſenſu dum nihil ſequitur abſurdi. 286
Scriptura Sacra ſæpè utitur hyperbole. 415
Scriptura Sacra non habet vim, quia eſt ſcripta, ſed quia eſt dictata à Spiritu Sancto. 516
Scriptura Sacra non eſt ſola regula fidei. 519

SEMIPELAGIANISMUS.

Semipelagianiſmus viguit in Africa & in Gallia, ſed priùs in Africa. 364
Semipelagianiſmus diutiùs viguit in Africa, quàm in Gallia. ibid.
Primus Semipelagianiſmi in Gallia Defenſor fuit Joannes Caſſianus. ibid.

SEPULCHRUM.

Cur Sepulchrum Defunctorum dicatur Monumentum. 576
Sepulchrum poſitum in loco ſacro magis prodeſt animæ Defuncti, eò quòd eſt in loco profano. ibid.

SEPULTURA.

Sepulturæ electio eſt actus pietatis ſi ſit in loco ſacro. 577
Ob quem finem in ſepulturam peregrinorum Principes Sacerdotum emerunt agrum figuli. ibid
Sepulturæ electio in loco ſacro fuit ſemper commendata apud fideles. ibid.
Sepultura in loco ſacro non prodeſt per ſe Defunctis, ſed ſolum per accidens. ibid.
Cur in Sepultura Defunctorum Concilium Eliberitanum prohibuerit accenſionem Cereorum. ibid.

SERENUS.

Serenus Maſſilienſis non eſt cenſendus verè Iconoclaſta, nec hæreticus, quamvis Imagines ſacras ab Eccleſiis removeri juſſerit. 455
Serenus Maſſilienſis Epiſcopus eaſdem Imagines reſtituit juſſu D. Gregorii Papæ. ibid.

SERPENS.

Quem ob finem Serpens Æneus fuerit à Moyſe pro ſigno poſitus Populo Iſraëlitico. 456
Quem ob finem Serpentem Æneum confregerit Rex Ezechias. ibid.

SILENTIUM.

Ad Silentium perpetuum obſervandum nullus tenetur Lege Divinâ. 303
Silentium quamvis laudabile ſit, tamen non eſt ſemper bonum & licitum. ibid.
Silentium non eſt abſolutè neceſſarium ad vitandum peccatum mortale. ibid.

SIMON.

Simon Magus, quamvis omnium Hæreticorum Pater, non poteſt dici Author Florianorum, ut prætendunt nonnulli. 76
Simon Magus peccato Simoniæ nomen, & naturam dedit. 412
Simon Cyrænæus qui Crucem portavit, non fuit Crucifixus à Judæis. 140
Quem ob finem Simon Cyrænæus portaverit Crucem Chriſti. 141

SIMONIA.

Peccatum Simoniæ abominabile eſt Deo, & hominibus. 412
Simonia primum locum tenet inter hæreſes, quæ inſurrexerunt à Chriſto nato. ibid.
Simoniæ vera, & eſſentialis definitio quænam ſit. ibid.
Simoniacus reputandus eſt infidelis, quamvis videatur habere fidem. 413
Simonia eſt hæreſis cæteris omnibus deteſtabilior, & damnabilior. ibid.

SYNAGOGA.

Synagoga non defecit in fide, quam profitebatur. 541
Synagoga Judæorum non habebat promiſſiones infallibilitatis quas habet Eccleſia Chriſti. ibid.
In Synagoga Judæorum licebat unicuique viro Docto legere librum. 186

SYNODUS.

Synodus Nicæna ſecunda non fuit improbata per Concilium Francofordienſe, ut voluere plures Hæretici. 458

SPIRITUS-SANCTUS.

Spiritus-Sanctus cognoſcit ſe, Patrem, & Filium à quibus procedit. 46
Cur Spiritus-Sanctus exprimatur in forma Sacramenti Baptiſmi ſicut Pater, & Filius. 48
Spiritus-Sanctus eſt conſubſtantialis Patri & Filio, quidquid dixerint Macedoniani. ibid.
Spiritus-Sanctus habet omnes operationes Divinitatis, & cognoſcit ſecreta cordium. 49
Spiritus-Sanctus habet ſcientiam Patris, & Filii. 50
Spiritus-Sanctus quomodo dicatur poſtulare pro nobis cùm ſit Deus ſicut Filius. ibid.
Spiritus-Sanctus eſt Deus, licet ſæpè non nominetur dum nominantur Pater, & Filius. ibid.
Quomodo Spiritus-Sanctus dicatur ſcrutari profunda Dei. 52
Primus qui impugnavit Proceſſionem Spiritûs-Sancti à Filio, eſt Theodoretus Epiſcopus Cyrenſis. ibid.
Spiritus-Sanctus procedit a Filio, & ab eo fuit miſſus. 54
Spiritum-Sanctum à Filio procedere ſemper credidit Eccleſia Romana. 56
Cur Proceſſio Spiritûs-Sancti à Filio non fuerit appoſita à Concilio Nicæno in Symbolo. Et Leo tertius renuerit concedere Carolo Magno licentiam decantandi hanc particulam *Filioque* quæ poſteà appoſita fuit. ibid.
A productione Spiritûs Sancti nullum Concilium excludit Filium, quidquid dixerit Hermæus Conſtantinopolitanus. ibid.
Licet Spiritus-Sanctus procedat à Patre & Filio, non poteſt dici Nepos Patris Æterni, ut impiè ſomniavit Photius. ibid.
Spiritus-Sanctus non eſt anima mundi, ut voluit Abailardus. ibid.
Spiritus-Sanctus vivificat mundum per modum cauſæ. ibid.
Tres Spiritus vitales fuiſſe creatos à Deo certiſſimum eſt. 233

STEPHANUS

Stephanus Protomartyr non vidit intuitivè eſſentiam Dei videndo cœlos apertos, & Jeſum ſtantē à dextris virtutis Dei. 434
Stephanus Papa ſcripſit ad Sanctum Cyprianum Epiſcopum Carthaginenſem. 607

STERILITAS.

Sterilitas inter conjugatos erat in opprobrium in veteri Lege, dummodo proveniret ex impotentia naturali. 458

STEUCUS.

Auguſtinus Steucus Eugubinus ſcripſit ſuper Pſalmos, & ibi negat Deum eſſe immenſum, & ubique præſentem. 15
Steucus Engubinus adhæſit errori antiquorum Philoſophorum, Judæorum, & Photinianorum. ibid.

T.

THABORITÆ.

Thaboritarum hæreſis qualis fuerit, explicatur. 456
Thaboritæ damnati fuerunt tanquam Hæretici in Concilio Conſtantienſi. ibid.
Quænam fuerit origo, aut occaſio nominis Thaboritarum. ibid.

TACIANITÆ.

Tacianitarum non eſt nomen Sectæ, ſed Sectæ Inſtitutoris, ſcilicet Taciani viri Hæretici ante lapſum Diſcipuli B. Juſtini Martyris. 221
Tacianitæ & Encratitæ non ſunt ejuſdem Sectæ, quidquid dicant nonnulli Scriptores. ibid.

TANCHELINUS.

De Tanchelino, aut Tandenio conditione, & hæreſi. 673
Tanchelinitas profligavit S. Norbertus Epiſcopus Magdeburgenſis. ibid.
De Tanchelini modo converſandi apud Antuerpienſes. ibid.
Tanchelini hæreſim profligarunt in Oriente Leo Melchinenſis, Amphilochius Iconenſis, & Flavius Patriarcha Antiochenus. ibid.

TERRA.

Terra in ultimo Judicio non peribit ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm ſecundùm modum. 354

TERTULLIANUS.

Tertullianus non fuit Anthropomorphita, ut credunt plures. 9
Tertullianus fuit verè Montaniſta. 87
Tertullianus credidit animam hominis fieri ex traduce. 241
Tertullianus credidit homines ſceleratos poſt mortem converti in Dæmones. 228
Tertullianus fuit Defenſor erroris Millenariorum. 441
Tertullianus non impugnavit cultum Sanctorum Reliquiis exhibendum. 450
Tertullianus improbavit Baptiſmum ab Hæreticis collatum. 605
Quem ob finem Tertullianus vocaverit Chriſtianos *Piſciculos*. 621

THEODORUS.

Theodorus Mopſueſtenſis fuit Ebionita ſimul & Neſtorianus. 509
Theodorus Laodicenſis Epiſcopus Appollinarem impedivit nè in Paganiſmum provocaretur. 118

THEOLOGIA.

Theologia ſubordinatur lumini ſupernaturali. 513
Theologiæ Scholaſticæ utilitatem declarant plura Concilia. ibid.
Theologia Scholaſtica non eſt nociva Eccleſiæ Dei. ibid.
Theologia præbet modum convincendi inimicos fidei. ibid.
A Theologia Scholaſtica pendet Argumentatio in materiis fidei. ibid.
Theologiæ Scholaſticæ beneficia reſpectu fidei quænam ſint. ibid.
Theologia concluſiones ſuas educit ex principiis fidei. ibid.

Theologia non continet difficultates inutiles. 555
Theologia Scholaſtica non tradit nova dogmata. ibid.
Theologi Scholaſtici non ſunt diviſi in rebus quæ ſunt de fide. ibid.

THEOPHRONIUS.

Theophronius Eunomii Diſcipulus eſt Author Hæreticorum, qui Agnoëtæ dicuntur. 134

TIBERIUS.

Tiberii Imperatoris juſſu Liber Eutychii contrà Reſurrectionem carnis fuit combuſtus. 344

TIMOR.

Donum timoris fuit in Chriſto ſicut alia Spiritûs-Sancti dona, quidquid dixerit Abailardus. 174
Timor aſſignatur ſolitò triplex à Theologis. 175
Timor Divinus aſſignatur etiam triplex, & quilibet explicatur. ibid.
Timor filialis non emittitur foras per charitatem. ibid.
Timor filialis nullam imperfectionem includit. ibid.
Timor quem charitas mittit foras eſt duplex. 690
Timor Dei vocatur à nonnullis Doctoribus fidei Coadjutor. ibid.

TIMOTHÆUS.

Timothæus cognomento Ælurus primo Monachus, deinde Presbyter Alexandrinus, fuit Sectâ Neſtorianus. 126
Timothæus Ælurus fuit per impoſturam Epiſcopatûs Alexandrini violentus, & injuſtus Occupator. ibid.

TRADITIO.

Traditionem Eccleſiaſticam impugnant ferè omnes Hæretici, tanquam fidei contrariam. 515
Traditione uſi ſunt Sancti Patres in Conciliis pro hæreſibus extinguendis. 516
Traditio Apoſtolica non minus eſt efficax ad ſuadendam fidem, & ad bonos mores inſtruendos, quàm Scriptura. 517
Traditio Apoſtolica tantam authoritatem habet, quantam habet Scriptura Sacra. ibid.
Soli Traditioni credendum eſſet ſi Scriptura non fuiſſet. ibid.
Traditio Apoſtolica ſemper fuit commendata in Eccleſia Romana. 518
Traditio valebat etiam in Lege Naturæ, & in Lege Scripta. ibid.
Traditio non eſt aliquid Verbo Dei additū authoritate humanâ, ut putant Hæretici. 520
Ea quæ nobis tradita ſunt ab Apoſtolis, ſunt à Chriſto, vel à Deo tanquam ab Authore primario. ibid.
Traditiones Apoſtolicæ non contradicunt Scripturæ Sacræ, ut voluere nonnulli. ibid.
Traditionum Apoſtolicarum Contemptores ſunt puniendi tanquam Hæretici. ibid.

TRANSSUBSTANTIATIO.

Per Tranſſubſtantiationis nomen quid ſit intelligendum apud Catholicos. 656
Tranſſubſtantiatio fit in Sacramento Euchariſtiæ per verba Conſecrationis. ibid.
Tranſſubſtantiatio non fuit prorsùs ignota antiquis Eccleſiæ Patribus, ut dicunt Lutherani. ibid.
Tranſſubſtantiatio non fuit improbata à S. Cyrillo, ut prætendunt Hæretici. 657
Tranſſubſtantiatio non fuit improbata à Theodoreto, nec à Gelaſio Papa. ibid.

TURRIS.

Turris Babelicæ Ædificatores graviter peccarunt in Deum. 259
Turris Babelicæ Ædificatorum punitio fuit linguarum confuſio. ibid.
Ante Turris Babelicæ conſtructionem, omnes homines loquebantur eodem idiomate. ibid.
Quem ob finem in ædificatione Turris Babelicæ linguæ fuerint confuſæ. ibid.

V.

VERBUM.

VErbi Divini productio eſt omninò neceſſaria & eſſentialis. 34
Licet Verbum Divinum ſit à Patre tanquam à principio productivo, tamen eſt in eo aſſeitas. ibid.
Verbum Divinum eſt unum cum Patre non Unitate conſensûs, ut volunt Ariani, ſed Unitate ſubſtantiæ. ibid.
Verbum Divinum eſt verè Filius Dei unigenitus & naturalis. 38
Verbum Divinum non eſt factum, nec creatum, ſed eſt verè genitum à Patre. ibid.
Verbum Divinum operatur eâdem actione quâ operatur Pater. ibid.
Verbum Divinum eſſe conſubſtantiale Patri probatur ex formâ Baptiſmi. 40
Verbum Divinum exprimit ex vi generationis ſuæ omnes perfectiones, ex quibus procedit. 43
Verbum Divinum non eſt ſeparatum à ſuo principio, ſeu ab intellectu, quamvis ſit prolatum ab eo. 44
Verbum Divinum fuit miſſum à ſolo Patre, à quo dumtaxat procedit. 55
Verbum Divinum non poteſt eſſe Deus, quin ſit Unus, & idem Deus cum Patre. 61
Verbum Divinum non terminat dependentiā naturæ humanæ ad ſuppoſitum creatum ratione Divinitatis. 63
Verbi Divini natura non generat, nec generatur, nec producit, nec producitur. ibid.
Verbum Divinum hypoſtaticè aſſumpſit carnem paſſibilem & mortalem. 108
Verbum Divinum aſſumpſit animam rationalem perfectam & integram. 118
Intellectus Verbi Divini non gerit in Chriſto vices intellectûs humani, ut voluerunt Dimeritæ. 119
Verbum Divinum aſſumpſit ea quæ neceſſaria erant, ut Chriſtus eſſet perfectus homo. 125
Verbum Divinum non eſt in Humanitate Chriſti velut in Templo. 158
Verbum Divinum non duo, ſed unus eſt Chriſtus, qui eſt ſimul Filius Dei, & Filius Mariæ, quidquid dicant in Oriente Neſtoriani. 159
Verbum Divinum non aſſumpſit ea, quæ inducunt ad malum. 255
Inter Verbum Dei ab Apoſtolis dictum, & Verbum Dei ab ipſis ſcriptum, nulla eſt differentia. 516
Per Verbum vitæ Apoſtolus quid intelligat. 585
Verbum Dei eſt duplex, ſcriptum ſcilicet & traditum. 518

VERECUNDIA.

Verecundiam deſpexerunt Adamitæ nuditatem corporis approbantes. 274
Verecundia ſic definitur: timor de turpi actu. ibid.
Verecundia eſt omnibus hominibus commendanda. ibid.
Omnes homines tenentur ſervare verecundiam. ibid.

VIGILIUS.

Vigilius Papa recepit libellum Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui illi tranſmiſſus fuit. 128
Vigilius Papa non approbavit libellum Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitani. ibid.
Vigilius Papa non poteſt dici Monothelita. ibid.

VINUM.

Vinum non eſt res à Deo prohibita, ut credunt Tatianitæ & Mahometani. 300
Dicere quod vinum eſt abſolutè prohibitum Chriſtianis, eſt hæreticum. ibid.
Vinum bibere immoderatè eſt verè peccatum. ibid.
Vini abſtinentia poteſt eſſe materia voti obligantis in conſcientia. ibid.
Vinum non prohibetur per Legem Divinam. ibid.
Vinum non eſt fel Diaboli, ut proclamant nonnulli Hæretici 301
Non Vinum, ſed vini exceſſum vetat Sacra Scriptura. ibid.
Vinum non eſt ex ſe occaſio ad peccandum. ibid.

VISIO.

Viſio beatifica eſt indiſſolubilis unio objecti cum potentia intellectiva. 439
Viſio beatifica ſuccedit fidei divinæ. ibid.
Viſionis beatificæ perpetuitas noſcitur à Beatis Deum clarè intuentibus. ibid.
Ad Viſionem beatificam concurrunt intellectus, lumen gloriæ, & objectum. 440

VITA.

Vita Monaſtica eſt longè perfectior vitâ ſæculari. 309
Vita Monaſtica non eſt nova, ut clamant nonnulli, ſed eſt antiquiſſima. 312
Vita Monaſtica non repugnat libertati Evangelicæ. ibid.
Vita Monaſtica non præcipitur, ſed eſt ab humana voluntate. ibid.

VOLUNTAS.

Voluntas humana in Chriſto non ſuppletur per divinam voluntatem. 122
Juxtà Sacram Scripturam Voluntas mala reputatur pro facto. 594
Etiam in bonis actibus Voluntas pro facto reputatur ibid.

VOTUM.

Per Vota Religioſa & Monaſtica, homo magis ſe ſubjicit Deo. 310
Opus bonum quod fit ex Voto eſt dignius eo, quod fit ſine Voto. ibid.
Per Vota perpetua homo non fit ſervus eâ ſervitute à qua Chriſtus nos liberavit. 312
Vota Religioſa non ſunt injurioſa libertati Evangelicæ, & Chriſtianæ. 312
Votum Paupertatis eſſentialis fuit emiſſum ab Apoſtolis Chriſti. ibid.

Votum ea ſe, & ex naturâ ſuâ quid ſit. ibid.
Vota fuerunt à pluribus laudabiliter emiſſa in veteri Lege, ibid.
Vota ſolemnia Clericorum, & Religioſorum non poſſunt citrà hæreſim impugnari, nec improbari. ibid.
Votorum obſervatio eſt in poteſtate liberi arbitrii Dei gratiâ adjuti. 313
Vota Religioſa non ſunt impoſſibilia, nec ità difficillima ut vovens poſſit ſe eximere à voto Caſtitatis. ibid.
Votum obedientiæ non eſt contrarium Divinæ Providentiæ, ut volunt Hæretici. ibid.
Votum poteſt licitè emitti de re non præcepta. 314
Votum pro operatione judicatur. 594

USURA.

Nulli licet ad Uſuram dare pecuniam, etiam pro redimendis Captivis. 283
Uſuræ definitio eſſentialis & ſpecifica, quænam ſit. 291
Uſura eſt prohibita Jure Divino. 292
Uſura eſt peccatum grave ab omnibus hominibus vitandum. ibid.
Uſura non fuit abſolutè permiſſa Judæis. ibid.
Uſura non fuit permiſſa à Juſtiniano Imperatore. 293
Uſurarius obligatur Jure Divino ad reſtitutionem rei uſurâ ſublatæ. ibid.

WALFREDUS.

Walfredus vir Hæreticus prædicavit in Occitania, animam hominis perire ſimul cum corpore. 231
Walfredum fortiter impugnavit Durandus Abbas Caſtrenſis Ordinis Sancti Benedicti. ibid.

WESPHALUS.

Weſphalus natione Germanus, Sectâ Lutheranus docuit nullum eſſe peccatum originale. 247
Weſphalus credidit hominem non eſſe peccatorem, niſi per peccatum ab eo voluntariè commiſſum. ibid.

WICLEFFUS.

Wicleffus nedum negavit Tranſſubſtantiationem, ſed etiam realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus. 632

UXOR.

Uxores non ſunt communes hominibus, ſed quælibet eſt unius tantùm, ſcilicet viri ſui. 287
Uxor cum viro ſuo dumtaxat poteſt creſcere, & multiplicare. 289
Ad Uxorem gravidam licitè accedere poteſt vir. 298
Uxor habet plenam poteſtatem in corpus viri ſui. ibid.
Uxor & vir pares ſunt quantum ad debitum conjugale. ibid.

Z.

ZACHARIAS.

Zacharias noluit credere partum uxoris ſuæ quam ſenem & ſterilem ſciebat. 410
Zacharias fuit meritò punitus, quia noluit credere Angelo prædicenti illi fœcunditatem uxoris ſuæ. ibid.

ZACHÆUS.

Zachæus quæſivit videre Jeſum non propriis viribus, ſed adjuvante gratiâ præveniente. 366
Deus illuxit in corde Zachæi ſicut in corde Latronis crucifixi, Pauli, Matthæi & aliorum. ibid.

ZENO.

Zeno Veronenſis optimè probat in tribus Divinis Perſonis eſſe eamdem, & indiviſam rerum omnium cognitionem. 46
Zeno Veronenſis impugnat Lucium Epiſcopum Alexandrinum. ibid.

ZISCHA.

Ziſcha vir Hæreticus, natione Huſſita, genere Nobilis, multas evertit Eccleſias, Monaſteria deſtruxit, & Sacraria ſpoliavit. 426
Ziſcha infenſiſſimus Eccleſiæ hoſtis, eſt Author illius Sectæ quæ Thaboritis tribuitur. ibid.

ZUINGLIUS.

Zuinglius conditione Canonicus Conſtantienſis hæreſibus ſui temporis addebat hæreſes Pelagianam & Neſtorianam. 247
Zuinglius admittebat formam eſſe neceſſariam Baptiſmo, ſed credebat verba hujus formæ non eſſe determinata, ſed libera hominibus. 599

FINIS.

ERRATA.

Pag. 5. lin. 1. leg. fiant boni. Lin. 13. ſalutem, leg. bonum. Pag. 320. lin. 51. origonius, origo unius. Pag. 44. l. 55. ſuadat, ſuadeat. P. 53. l. 22. epulta, ſepulta. P. 64. l. 25. divine, divide. P. 71. l. 56. illud, iſtud. P. 74. l. 11. antequam, antiqua. P. 86. l. 13. peccatum, præceptum. P. 99. l. 65. Collutbianoa, Florianos. P. 108. l. 3. quod, quos. P. 112. l. 30. proforet, profert. P. 125. l. 2. latere ſecundum, leg. latere, ſeu ſecundum. L. 6. voluntatem humanitatis, leg. voluntatem latere potuit ſubſtantia. P. 142. l. 25. MDLIII. leg. MDCLIII. P. 169. l. 44. meditatione, mediatione. P. 182. l. 48. deluit. delevit. P. 231. l. 18. varitas, variatas. P. 292. l. 47. avacrum, lavacrum. P. 315. l. 21. Marſapium, Marſupium. P 320. l. 31 patintiæ, patientiæ. P. 320. l. 9. prothetiarum, prophetiarum. P. 331. l. 11. eſt, ex. P. 367. l. 59. cum potuiſſent, cùm non. P. 368. l. 68. ſiliter, ſimiliter. P. 391. l. 57. primiaturum, præmiaturum. P. 484. l. 9. CCCLVIII. leg. CLVIII. P. 513. l. 6. myſterium, miniſterium. P. 574. l. 1. ubexiorex, uberiores. P. 581. l. 20. qui, cui. P. 625. l. 49. malitiam, militiam. P. 695. l. 2. inde ſequitur, inde non. P. 693. l. 49. jam, eam.

005672104

Digitized by Google

Digitized by Google